JUENIN
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE, ET SPECIE.

COMMENTARIUS
HISTORICUS, ET DOGMATICUS
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE, ET SPECIE,

2

QUO DEFENDUNTUR veritates Catholicæ contra antiquos, & recentiores Hæreticos:
EXPLICANTUR requisitæ a Patribus dispositiones ad eadem Sacramenta tum conferenda, tum recipienda:
PROPONUNTUR mutationes, quæ ab Ecclesiæ exordiis ad hæc usque tempora in eorum administratione contigere:
PROPUGNANTUR scholasticæ Conclusiones, quæ ad Scripturam, & Traditionem propius accedunt.

HIS ADDUNTUR DISSERTATIONES

De Censuris, de Irregularitate, & de Indulgentiis, exactæ ad Veterem, & Hodiernam Ecclesiæ Disciplinam.

A U T H O R E

GASPARE JUENIN

Oratorii Gallicani Presbytero, & in Seminario Eminentissimi Cardinalis DE NOAILLES Archiepiscopi Parisiensis, Sacræ Theologiæ Professore.

Cum Indice duplici, altero Dissertationum, Quæstionum, Capitum, &c. Altero rerum & verborum.

EDITIO SECUNDA VENETA POST SEXTAM LUGDUNENSEM,

AB INNUMERIS MENDIS EXPURGATA.

Ad Simplicis Hyacinthi a ... Pertinet ad Conventum Terre S. Anthymi. ad usum

Usum R. P. Lector. Fratri Maiori. S. Mariae de M. Carmel. de licent. A. R. P. Francisci Ministri Loci.



VENETIIS,

M. DCC. XL.

APUD JO: MARIAM LAZZARONI SUB SIGNO S. IGNATII.

SUPERIORUM LICENTIA AC PRIVILEGIO.

Eminentissimo & Reverendissimo

D. D.

STEPHANO LE CAMUS,

S.R.E. CARDINALI,

Episcopo & Principi Gratianopolitano.



IPSA operis, quod Eminentiæ tuæ offero, materies non me cujusquam alterius, CARDINALIS AMPLISSIME, sinit ambire præsidium. Scilicet per magnam de Sacramentis novæ Legis quæstionem explico, quibus & Dei erga homines amoris divitiæ reconduntur omnes, & quibusdam veluti rivis sacer Salvatoris sanguis in Ecclesiam deducitur. Leves, si oculis fides est, ceremoniæ; divina omnino, si ex veritate judicetur, virtus. Cui vero, quam tibi, perspecta adeo explorataque Sacrorum majestas? Quis tam sollicitus, ut, aut castius tractentur a Sacerdotibus, aut a plebe suscipiantur reverentius?

Expendo quas ipsa sensim dies sive in dandis, sive in accipiendis Sacramentis, mutationes invexit. Quin & ipsa Ecclesia, nullo fidei & morum impendio (nec enim diversis temporibus diversæ esse possunt aut credendi lex, aut vivendi norma) in sacris ritibus usus aliquot & abolevit priscos, & induxit novos. Inventa hæc fortasse alteri videantur; Tibi vero, CARDINALIS DOCTISSIME, nota omnia, & comperta; haud ignoti, quos adeo, fontes totusque hic ingens traditionis campus a te pridem decursus est; neque enim alio abire pateris quodcumque labor muneris, & orandi studium tempus reliquum facit; tempus, inquam, quod somno subtrahis, nullamque a levioribus curis subduci partem sinis, cujusque vel leviora momenta magno huic & perspicaci ingenio tuo numquam sine ingenti impenduntur fructu.

Quibus olim erroribus hæresis, Sacramentorum vel numerum imminuere, vel vim labefactare conata est, ita texitur a me historia, ut eos consuetis Ecclesiæ jaculis confodiam, veritatem dico & authoritatem, quarum una Patrum argumentis dimicavit, altera Conciliorum oraculis triumphavit. Quantam vero, quamque præclaram, CARDINALIS EMINENTISSIME, in hisce de hæresi triumphis, nuper dum Calviniana profligata est, ipse tibi vindicasti partem? Nempe hæc, si quæ unquam alia, Sacramentis fuit infestissima; cujus

fautores regiis edictis trepidantes, & perculsos tu ingenti erudiisti studio, divina eloquentia vicisti, mira conciliasti charitate. Ne una quidem ex omnibus in Gallia Diœcesis fuit, in qua non fuerit incutiendus timor, aut salutaris quædam vis inferenda. Renitentes, ut Christus jubet, fœliciter intrare compulsi sunt: Tuæ uni obtigit, ut dissociatas oves veritas, & mansuetudo solæ, in ovile reducerent.

Denique si quæ passim occurrunt scholasticæ disputationes, quas declinare omnino in me non fuit, possunt & illæ suo quasi jure tuis se sistere oculis. Fuere prima ingenii rudimenta, quibus ad graviora studia prolusisti, quæ cum vel a te fuerint degustatæ, certum est numquam excidisse.

Sed quid in Operis argumento, quo muneris audaciam prætexam investigo sollicitus? si culpa est, CARDINALIS AMPLISSIME, voluntatis culpa est: quin & hoc peccandi quæsita mihi pridem occasio. Ecquis, si modo Ecclesiæ gloria tangitur, incontaminatam hanc, qua tantus religioni honor accedit, virtutem tuam prædicare non gestiat? Virtutem (inquam) quæ ad unguem factum hominem, & aulæ delicias, aulæ subduxit; quæ nativam priscorum in te Antistitum formam effingit. Sunt enim tibi omnia cum illis priorum temporum Luminibus communia; Excellentes naturæ dotes, potioribus gratiæ donis consecratæ; Ingens animus, sed qui propter eminentem scientiam Jesu Christi omnia existimat detrimentum; Felix vena ingenii, natura dives, assiduo labore ditissima; Mira eloquentia, sed quæ Crucis mysterium stabilit, non evacuat.

Vitam hanc a luxu, a deliciis se motam, intra arctioris necessitatis inclusam fines, imo duram ac vere asceticam, prioribus illis Episcopis familiarem, quam temporum mollities interseperat, revocasti. Singulare exemplum, huic vix credibile sæculo, superioribus etiam admirandum! Oleribus & aqua vesci Episcopum has esse Ecclesiæ Principis mensæ lautitias! & essent etiamnum, nisi ut olim a Paulo Timotheus, ita & tu a Summo Pontifice nimiam victus asperitatem jussus fuisses mitigare. Mitigasti autem, retenta perpetui jejunii lege ut pœnitentiæ laudi, a qua non discedis, parendi gloriam adjeceris.

Qua arte, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, Palatii tui, te inter & Publicum, divisæ partes? Quæcumque oculis patent, culta omnia & magnifica, sed nihil non pietatem spirat. Hic se singulis depicta tabulis, oculis intrantium ostendunt Christi mysteria, ita se dispensatoris mysteriorum Christi ædem subire intelligunt. Inde Prædecessorum numerosa & venerabilis turba majestatem Sedi tuæ conciliat. Sequitur Diœcesis ambitus, suis divisus partibus, parietum albo circumscriptus; scilicet ut quam pectore gestas, semper quoque præsens oculis observetur. In illa vero quam tibi servasti ædium parte, quam simplicia, quam neglecta omnia! ipsissimum orationis & pœnitentiæ sacrarium statim agnoscitur. Nova prorsus & inusitata instituendæ domus tuæ ratio. Non alio magis quam pietatis colore tuorum unusquisque dignoscitur, eos ipse erudis, eos tuæ mensæ adhibes, salva dignitate & imbuendos pia lectione, & frugalitatis tuæ exemplo informandos.

Quid administratam a te Diœcesim commemorem? Ingens laudis seges, neque his apta angustiis. Nullum a te eorum quæ Episcopi dignitati & plurima, & gravissima incumbunt, munus omissum. Ubi labore opus est, patientissimum; ubi cura diligentissimum; ubi pruden-

dentia, perspicacissimum; ubi scientia, eruditissimum; ubi verbo, disertissimum; ubi severitate, constantissimum; ubi comitate, humanissimum; ubi liberalitate, effusum; ubi exemplo, absolutum, & formam gregis te præstas. Testes sunt indefessi laboris statæ illæ in Diœcesim excursiones. Quo animo? qua constantia penetrasti abstrusos vallium recessus, ubi inter obstrepentes torrentium fragores, ac impendentes undique rupes cœlum vix cernitur. Subiisti abruptissimos montes, quorum quot gradus tot certissima pericula; invisisti oves locorum horrore ab ovili prope seclusas: quæ loca vel semel peragrasse præclaræ animi magnitudinis, quotannis revisere nonnisi tuæ virtutis est.

Testis est solertissimæ curæ erectum a te tuisque sumptibus Seminarium. Hic eorum qui Christo dant nomina, delectus habetur; hic uniuscujusque ingenium, indoles, virtusque dignoscitur; hic naturæ augentur bona, consuetudinis vitia rescinduntur; hic exploratur quid quemque aris se addicere suadeat; honorisve aut divitiarum, aut otii illecebræ, ac cœlestis instinctus, pietas, & alienæ salutis studium; hic denique discitur, Clericos qui mores ornare, qui labores exercere, quæ litteræ erudire, quæ munera occupare debeant. Præclarum certe existimationis in nos tuæ argumentum, quod digni, quibus hoc Seminarium regendum commiseris, visi sumus: eximium vero sollicitudinis tuæ indicium, quod ipse in curarum descendas partem; partem autem? imo pene totum in te suscipis. Huc sæpe ventitas, hic totos insumis dies, unumquemque tyr num oculis probas, colloquio exploras, vario tentas examine, gravi imis concionibus fingis, accendisque.

Quantum in efformandis Clericis tantum in excitandis, acuendisque studium tuum. Veniunt quotannis vocati in palatium; pius ille tuis sub oculis initur secessus. Urges sermonum aculeis, premis exempli pondere. Si quæ moribus adhæsit labes, si quis studio irrepsit languor, si quid veneni sæculis afflavit aura, quam facile totum pietatis tuæ industria resarcitur.

Ecclesiasticæ disciplinæ, cujus diligens semper fueras exactor, factus es editis statutis assertor accerrimus. Dignum te, qui edidisti, dignum Ecclesia cui laboratum est opus! Quæ verborum proprietas, qui sermonis nitor, quæ historiæ, Conciliorum, rituum, omnis denique ætatis cognitio! Qua acie animi, magnitudine, perspicacia omnia complecteris, prospicis, ordinas? Quam apte moribus nostris accommodatæ leges, ut nec meliorum temporum dimissa sit severitas, nec deteriorum onerata sit infirmitas. Addit latis a te legibus pondus ad sacrorum Canonum normam exacta vita, dignitas collata non quæsita, muneris neglectus honor, susceptus labor, Diœcesis, ex qua te non nisi raro & propter tuæ vel totius Ecclesiæ rationem exire patitur amor, vitæ non frugalitas, sed asperitas, inter publicas Ecclesiæ curas & arcanas studii & orationis exercitationes divisi dies. Commune hoc cum aliis etsi perpaucis, quod uno Episcopatu contentus, non titulos titulis, non opibus opes cumulas; illud proprium, illud tuum est, quod a patriis bonis Ecclesiasticos redditus secernis, illis uteris, his abstines & totos in pauperes alendos, fovendamque Ecclesiam effundis.

Nefas sit inter tot eximia quibus perfectum te Pastorem præbes, divini Verbi ministerium præterire. Hoc ipsi Apostoli cæteris omnibus anteponebant. Hoc prisci illi Antistites, seclusis aliis, sibi affe-

re-

rebant. Hoc, proh temporum nostrorum pudor! ab Episcopis neglectum, primo cuique obvium est. Hanc in te, CARDINALIS AMPLISSIME, labem non admittis. Nemo tam in concionando assiduus. Ecquis in Diœcesi locus est, ubi non audita vox tua? Quo rerum pondere, qua verborum copia, quo pietatis sensu, quibus charitatis ignibus? Crescit eloquio tuo verbum Dei, nec se unquam dignius locutam meminit Evangelii majestas. Itaque exacta undique vitia, castigati mores, reducta virtus, informati Clerici, resarcita disciplina, florere denique omnia, & melioris ætatis faciem pene induere.

Continebat se intra has munerum vices virtus tua, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, suis animosa opibus, & secura omnium: ecce autem nihil suspicantem, ac pene invitam, investigavit, ambiit, vestivit purpuræ splendor. Huic tu neque generis commendatione (quod tamen longo majorum ordine, opum & dignitatum splendore jam inclytum, illustrissimorum Fratrum par nobile multo fecit clarissimum) neque officiis, neque ullis aliis artibus jeras obviam; accessit ipsa ultro, non fœlicitatis tuæ miraculum, sed spectatæ virtutis præmium. Cardinalis eras, & te futurum Cardinalem nesciebas; at ubi delatæ ad te purpuræ nuncius allatus est, qui ubique plausus? Qui communis omnium favor? una hac electione Innocentius XI. & privatæ virtuti tuæ, & publicis Reipublicæ Christianæ satisfecit votis.

Magnificum, quod tantam dignitatem, adeo non quæsitam, ut nec provisam acceperis; Magnificentius quod eam ita moderaris, ut aliud indumentum, non alios mores indueris. Cardinalis es purpura, titulis, honoribus; cæterum modestia, laboribus, curis, vitæ asperitate idem qui antea Episcopus. Diœcesi insidebas, insides; Eam quotannis lustrabas, lustras; Concionandi obibas munus, obis, & tanto quidem studio ut Quadragesimæ curriculo, quod implere cuique arduum est, eruditissimis in Matthæum commentationibus publicis etiam hoc anno proluseris.

Quam vero, CARDINALIS EMINENTISSIME, de suo sibi Roma judicio placuit quum, quem absentem evexerat, præsentem complexa est. Quæ morum comitas! Quæ in tractandis rebus industria! Quantum dicendi pondus! Quod pietatis studium! Qui denique totius vitæ splendor! Ingenti fœnore quam acceperas amplissimo Cardinalium collegio gloriam, refudisti. Sed quo progredior? & meæ parum tenuitati, & tuæ haud satis modestiæ consulo. Operæ pretium rit, si hic liber de Sacramentis meus, sacræ antiquitatis affixus vestigiis, tibi omnis novitatis adversario tantam quanta est observantiam testatur.

Addictissimi & obsequentissimi servi
GASPARIS JUENIN
Presbyteri Congregationis Oratorii
Domini Jesu.

PRÆ-

PRÆFATIO.



LURES Theologi & hac ætate, & elapso proxime sæculo suis de Sacramentis operibus optime meriti sunt de Ecclesia Catholica. A Sambovio Doctore Sorbonico exarati de Confirmatione & Extrema Unctione tractatus eruditis omnibus probantur. Liber inscriptus, *Perpetuitas fidei Ecclesiæ Catholicæ circa Eucharistiam*, summo omnium plausu exceptus est. Nempe author tanta rationum firmitate, ac tam accurata methodo Eucharistiæ veritatem asseruit adversus hæreticos, ut Catholico dogmati nemo unquam tutius consuluerit. Doctissimi Bossuetii Episcopi Meldensis, de Communione sub una tantum specie, de variationibus Hæreticorum, ac permultis aliis capitibus ad Sacramenta spectantibus elucubrationum superfluum est hic indicem texere, cum (ut ait Hieronymus de Cypriano) ipso sint sole clariores. Numeris omnibus absolutus est liber cui apposita est hæc superscriptio : *Elucidatio celeberrimæ quæstionis*, *An Concilium Tridentinum &c.* In eo quippe nihil desideratur, quo de Attritionis, aut Contritionis necessitate mota nuper summo partium studio controversia componatur. Gerbasius Doctor Sorbonicus perarduam de impedimentis Matrimonii quæstionem in suo pacifico tractatu explicuit exhausitque. Morinus noster, eruditorum omnium judicio, editis de Pœnitentia, & Ordinatione Commentariis æternitati nomen consecravit suum. Obvii sunt præterea plures alii, qui non de uno tantum aut altero Sacramento, sed de singulis in specie doctissimos tractatus ediderunt. Scilicet Bellarmini controversiæ; Genetii Theologia moralis; Dominici Soto, & Estii Commentarii in librum quartum Sententiarum; Opera Silvii, Maldonati, Contensonii, Merbesii & aliorum quos hic laudare necesse non est, omnium manibus teruntur.

Verum quantæquantæ sint authorum, qui de Sacramentis scripserunt, & copia, & eruditio, audemus tamen sperare non fore prorsus inutilem hunc quem in lucem edimus Commentarium. Vana autem spe nos hac in parte non deludi ex eo conjicimus, quod nulli argumentum quod nostrum exæquet, sibi pertractandum proposuerint: solum enim aut Ecclesiæ Catholicæ fidem contra Hæreticos asseruerunt, aut egerunt de subtilibus Scholæ dogmatis, aut dispositiones Sacramentis prærequisitas tradidere, aut eorum administrandorum ritus prosecuti sunt. Ea vero omnia simul, seu, Ecclesiæ de Sacramentis fidem, eorum administrandorum ritus tum veteres tum hodiernos, iis & percipiendis, & conferendis præscriptas a Patribus regulas, Scholæ dogmata, quæ ad fidei, aut morum veritates explicandas nonnihil conferunt, liber hic noster complectitur: cui quidem ne quid ex iis deesset quæ ad Ecclesiæ claves spectant, aliquot de Censuris, de Irregularitatibus, & de Indulgentiis dissertationes ad antiquos & hodiernos canones exactæ, additæ sunt.

Cleri, quibus formandis, instruendisque huc usque addictus sum in Seminariis quæ Oratorii Gallicani curæ ab Illustrissimis Præsulibus credita sunt, hoc opus in quarto nostrarum Institutionum Theologicarum tomo duobus ab hinc annis promissum perardenter optabant. Causabantur nempe quod plerumque penes se non haberent innumera volumina quibus ea argumenta, Fides nimirum, Mores, Disciplina, Scholasticæ quæstiones, seorsim explicantur. Quin & non ignoti nominis viri censebant Concionatoribus percommodum fore librum ex quo absque longiori opera Veterum de Sacramentis doctrinam & praxim haurirent. Quippe nemo nescit Concionatoribus, præ varietate studiorum sublimi ac perdifficili quo funguntur ministerio necessaria, vix licere per tempus ingentes, quibus Traditio continetur, commentarios evolvere: aliunde tamen ratum est peccare eos graviter, si cum de Sacramentis agunt, vel latum unguem ab ea discesserint: nempe salus populorum, quibus docendis divinitus præpositi sunt, a pio, seu, ad Patrum regulas exacto Sacramentorum usu pendet in primis. Contracto, immenso alioquin, Traditionis campo Parochorum labori, & tempori parcitur. Cum enim, in Galliis præsertim, certis hebdomadæ diebus e suis stationibus confluant ad condictum ab

Epi-

Episcopo locum, ut inter se mutuo de Ecclesiastica disciplina ac de Sacramentis præcipue differant, uno veluti oculorum ictu quæ ad argumentum pertractandum spectant perlustrare poterunt. Nec opus erit, ut vel totum hoc opus evolvant; cum non dissertationum modo, quæstionum & capitum, sed & rerum & verborum copiosum & accuratum indicem texuerimus.

Cæterum in conscribendo hocce Commentario, claritatis causa, adhibita est methodus academica, seu, cujusque Sacramenti nomen, existentiam, essentiam, materiam, formam, authorem, ministrum, subjectum, effectus, & proprietates prosequuti sumus. Et quidem primo quid iis in capitibus quovis sæculo errarint hæterodoxi, ex eorum libris, aut historicis coætaneis assertum est. Mox prolatis Conciliorum expressis definitionibus Catholicum dogma lectoris positum est ob oculos. Subjecta sunt deinde Scripturæ & Traditionis testimonia quibus confirmetur. Postea recensitis variis opinionibus, in quas (salva fide) Scholastici Doctores, eæ selectæ sunt, quæ ad verum visæ sunt propius accedere. Deinceps, posito constanti hoc principio, *Quod non alia sit fidei ac morum regula, quam Scriptura & Traditio*, Summorum Pontificum decreta, Conciliorum canones, veterum Patrum axiomata usui opposuimus, quem in conferendis & recipiendis Sacramentis, aut sæculorum corruptela, aut ignavia, & ignorantia ministrorum invexerant. Tandem collatis inter se mutuo Græcorum euchologiis & Latinorum ritualibus, sedulo notata est Disciplinæ varietas, quæ circa materiam, formam, ministrum, aliaque capita Occidentalem inter & Orientalem Ecclesiam intercedit. Cum vero, immotis fide & moribus, ritus nonnumquam mutentur, imo propter varias locorum & temporum circumstantias mutari necesse sit, diligenter mutationum causas, seriem, servato, quantum in nobis fuit, ordine temporum, recensuimus.

Si viri eruditi, quibus hæc ætas abundat, me in jus vocent quod tantæ dignitatis, tantæque molis opus aggredi ausus sim, meæ tenuitatis conscius, fateor, illi sustinendo impar fui semper. Verum, donec peritus aliquis Theologus incepto solum & tentato a nobis operi ultimam manum admoveat, Clerus ad Ecclesiæ Catholicæ gloriam hoc nostro conatu fruatur.

Tandem si quid obrepsisset, quod Ecclesiæ Romanæ fidei adversetur, parati sumus damnare ac revocare, imo jam prædamnamus, ac in antecessum revocamus: An autem id acciderit, judicent Episcopi quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: judicet Apostolica Sedes, quæ jure divino in omnibus orbis Ecclesiis primatum tenet. Illius emendationi, ac correctioni cuncta subjicio, cuncta suppono; ex animo nimirum amplector hanc Bernardi sententiam epistola 174. *Quæ autem dixi absque prajudicio sane dicta sint sanius sapientis, Romanæ Ecclesiæ præsertim authoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera quæ hujusmodi sunt universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

JU-

J U D I C I U M

MAGISTRI PAULI DE COHADE, SACRÆ THEOLOGIÆ Doctoris e Societate Sorbonica, Officialis Metropolitani, primi Custodis Sanctæ Crucis in Ecclesia Lugdunensi.

Religionis clypeum si queris studiosius, exhibeo tibi tractatum hunc de septem Sacramentis, opus magnæ eruditionis, multarum vigiliarum, suis partibus, numerisque absolutissimum, quod quadripartitæ Theologiæ viribus & divitiis abundat. Polemica Sacramentorum fidem tuetur; Moralis sanctiorem usum præscribit; Positiva disciplinam differentiis temporum accommodat; Scholastica doctrinam illustrat, methodice proponit, subtiliter explicat. Erroris & mendacii in re Sacramentaria arguuntur hæretici, immoderatæ libertatis ac licentiæ molliores morum magistri, pinguioris inscitiæ in historia Ecclesiastica, qui disciplinæ mutationes non attendunt, inanis Philosophiæ, qui in rebus tantæ dignitatis & momenti de rebus nihili putide disputant, qui res serias & graves cum dedecore, ac probro ad puras metaphysicæ eliquationes flectunt & revocant. Scripsere quidem alii bene de uno altero Sacramento, sed de septenario numero scribentium neminem vidi, neminem legi, qui motas ætate nostra, ac superiori memoria de sacris Symbolis quæstiones, pleniori in luce constituat, constitutas sapientius expediat, expeditas firmioribus fundamentis sustineat, quam R. P. GASPAR JUENIN Presbyter Oratorii Gallicani, singularis exempli, ac doctrinæ vir.

Datum Lugduni die *9*. Januarii anni *1695*.

DE COHADE.

FACULTAS REVERENDISSIMI PATRIS PRÆPOSITI Generalis Congregationis Oratorii Domini Nostri JESU CHRISTI.

NOS Abel Ludovicus de Sainte Marthe Congregationis Oratorii JESU CHRISTI Domini Nostri Presbyter & Generalis Præpositus: Juxta Regium diploma datum 27. Decembris *1671*. quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ejusdem Congregationis imprimant, & venales exponant citra licentiam nostram; Visis Privilegio Regis & Doctorum approbatione, permittimus J. ANISSON & sociis, Lugduni Bibliopolis, ut librum, cui titulus est, *Commentarius Historicus & Dogmaticus de Sacramentis in genere & specie; Quo defenduntur &c. Authore Gaspare Juenin, nostræ Congregationis Sacerdote*, typis edere ac libere divendere possint.

Datum Lugduni die 8. Februarii ann. *1695*.

A. L. DE SAINTE MARTHE.

NOI

N. 265.

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncedemo Licenza a *Gio: Maria Lazzaroni* Stampatore di Venezia di poter riſtampare il Libro intitolato: *Commentarius Hiſtoricus , & Dogmaticus de Sacramentis , &c.* Auctore *Gaſpare Juenin*, già impreſſo in Venezia del 1730. con Licenza de' Superiori.

Data li 10. Maggio 1740.

(Zan Piero Paſqualigo Riff.
(
(Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Riff.

Regiſtrato in Libro a Carte 49.

Agoſtino Bianchi Segr.

IN-



COMMENTARIUS HISTORICUS ET DOGMATICUS DE SACRAMENTIS.

DISSERTATIO PRIMA.

De Sacramentis in Communi.



PUD prophanos Authores Sacramenti nomen ſumitur 1. Pro pignore, quod olim a litigantibus in loco ſacro depoſitum, illi peribat, qui ſua cadebat cauſa. 2. Pro juramento, quod quidem per rem ſacram, ſupremo ſcilicet invocato numine, fieri ſolet. Ea de cauſa viri, qui per jusjurandum rei militariæ dabant nomen, Sacramentarii dicebantur.

Apud Scriptores Eccleſiaſticos accipitur 1. Pro re aliqua arcana, & ſublimi; ſic nomen illud ſumpſit Ambroſius librum inſcribens *de Incarnationis Dominicæ Sacramento*. 2. Pro ſigno rei ſactæ. Auguſtinus Epiſtola 5. ad Marcellinum: *Signa* (inquit) *cùm ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.*

Traditum a Patribus duplicem illum ſenſum in ſacris Codicibus legere eſt. Nam 1. ad Timotheum 3. Incarnatio magnum pietatis Sacramentum dicitur, & ad Epheſios 5. Matrimonium Chriſti cum Eccleſia unionis Sacramentum appellatur. In ultimo illo ſenſu, ſeu pro rei ſacræ ſigno Theologi, cùm de Sacramentis diſputant, Sacramenti nomen ſumunt.



QUÆSTIO PRIMA.

De Eſſentia Sacramentorum.

TRaditæ a recentioribus hæreticis Sacramentorum definitiones ab iis, quæ in ſcholis catholicis proferri ſolent, differunt quamplurimùm. Utraſque examini ſubjiciamus oportet.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentorum ſecundum heterodoxos Eſſentia.

SUmunt hæretici eſſentiam Sacramenti ex ordine, quem dicit, vel ad promiſſiones divinas de juſtificatione credentibus conferenda, vel ad fidem, quam Deo pollicentur ii, qui myſteriis initiantur, vel ad utrumque ſimul. Priori modo Kemnitius Sacramentum perpendit, cum ſic ipſum definit, *Sacramentum eſt ſignum materiale præceptum in novo Teſtamento obſignans inſtar ſigilli promiſſionem gratiæ.* Altero modo conſideratum ſic deſcripſit Zuinglius, *Sacramentum nihil aliud eſt quàm oppigneratio, qua ſe homines obligant Chriſto, ejuſque religioni dant nomen.* Calvinus utrumque illum reſpectum Sacramento eſſentialem eſſe contendit. *Sacramentum* (inquit) *externum eſt ſymbolum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſiones conſcientiis noſtris Dominus obſignat ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem, & nos viciſſim pietatem erga eum noſtram tam coram eo, & Angelis, quàm apud homines teſtamur.*

Juenin de Sacram.

Concluſio. Sacramenta 1. non ſunt ſigilla divinæ promiſſionis, 2. nec mera noſtræ in Deum pietatis ſigna, 3. nec utrumque ſimul.

Probatur prima pars. 1. Quod rem confirmat, ea clarius, & certius ſit oportet. Atqui Sacramenta nec clariora, nec certiora ſunt divinis promiſſionibus: Divinæ enim promiſſiones nihil ſunt aliud, quàm dei verbum. Sed Sacramenta Dei verbo nec certiora, nec clariora ſunt, cùm a Scriptura ſacra ſignificationem ſuam, & certitudinem hauriant, ita ut, ſi Scriptura deſit, fatentibus adverſariis, Sacramentorum veritas probari non poſſit. 2. Qui fictus Sacramentum ſuſcipit, non ſit certus de obtenta juſtificatione, quam Deus credentibus promiſit, e contra in illo homine impio Sacramen-

rum est potiùs damnationis, & reprobationis sigillum.

Objicies 1. Patres non raro docent Sacramenta esse signa, & sigilla gratiæ. 2. Deus in omnibus pactis, quæ cum hominibus iniit, usus est signis, quibus ea confirmaret, ut pater, tum ex Genesis 9. ubi de iride dicitur, quod sit signum fœderis inter Deum, & Noemum initi, tum ex ejusdem Genesis 17. cap. ubi Circumcisio vocatur signum fœderis sanciti inter Deum, & Abrahami posteros. Ergo a pari necesse fuit, ut Deus præcipuam suam promissionem, quæ est de justificatione credentibus conferenda, signis exterioribus confirmaverit, præsertim cum humano veluti modo, ut nostræ scilicet consuleret infirmitati, fœdus nobiscum contraxerit.

Respond. ad 1. Sacramenta vocari sigilla, non quòd divinam de justificatione promissionem obsignent, (ut volunt adversarii) sed 1. quod per ea fideles ab infidelibus distinguantur, 2. quod rem sacram, seu gratiam, significent, & contineant.

Respond. ad 2. exemplis adductis probari quidem necessitatem signi commemorativi, non autem confirmatorii. Nam per iridem, & per circumcisionem Deus fœdus a se cum Noemo, & postea cum Abrahamo initum, veluti ob hominum oculos posuit.

Probatur altera conclusionis pars. Actio sacramentalis non est humana tantùm, sed & divina, juxta illud Evangelii. *Hic est, qui baptizat*; Eam in baptismate cum admiratione perpendens Augustinus sic exclamat: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Illam actionem Patres contra Donatistas disputantes tantæ esse virtutis asseruerunt, ut ministrorum vitio, & malitia impediri nullo modo possit. Atqui si Sacramentum esset nudum signum fidei, quam quis Deo promittit, actio sacramentalis omnino humana esset; Nam Deus per Sacramentum nequaquam ageret, sicut non agit quis, cum datam alteri fidem signo externo, osculo v. g., vel dexteræ solemni contactu confirmat.

Objicies. Qui recipit baptismum v. g. illius receptione, se Ecclesiæ Christianæ membrum esse profitetur, obligat quoque se ipsum ad mandatorum Christi observationem: Ergo Sacramenta nihil aliud sunt, quam testimonia, quæ de fide nostra in Christum, & de pietate in religionem ab eo institutam exhibemus.

Respond. conc. ant. nego conseq. Quia præter illum usum, cujus meminit objectio, Sacramenta habent alium sublimiorem finem; sanctificationem scilicet nostram, quam mysteria Judæorum adumbrabant antiquitùs, & quam nunc Evangelica efficiunt.

Probatur tertia pars conclusionis. Sacramenta non sunt divinæ promissionis sigilla, (ur ostensum est contra Lutheranos); nec nuda testimonia fidei, quam Deo pollicentur ii, qui eis initiantur: Ergo nec sunt utrumque simul (ut docuit Calvinus.)

Objicies. Idem de omnibus Sacramentis, ac de Circumcisione, debet ferri judicium: Sed Circumcisio erat antiquitùs acceptæ justificationis signum, ut probant hæc Pauli verba ad Romanos 4. *Accepit* Abrahamus *signaculum justitiæ fidei*.

Respond. 1. Origenem docuisse Circumcisionem eo sensu dictam fuisse signaculum justitiæ fidei, quod ea veluti in figura exprimeretur Circumcisio spiritualis, quæ est ex fide, & in qua posita est justificatio.

Respond. 2. Circumcisionem fuisse quidem signum, quo Abrahami justitia confirmata fuit, eò quòd nimirum ex Paulo, futurus esset pater credentium: id autem in ejus posteris non efficit, seu de accepta justificatione securitatem non confirmat. Unde idem Paulus quærens ad Romanos 3. quæ olim esset Judæis Circumcisionis utilitas, multa quidem privilegia recenset, sed quod in eis esset divinæ promissionis, & justitiæ confirmativum sigillum nullibi asserit, idipsum tamen, si fuisset hujusmodi, nequaquam prætermissurus.

Caput Secundum.

De essentia Sacramentorum secundùm Catholicos.

Conclusio. Sacramentum in communi sumptum rectè definitur, *signum rei sacræ homines sanctificantis*.

Probatur. Allata definitione verum genus, & germana Sacramenti differentia continentur: 1. enim quatenus *signum rei sacræ* dicitur, convenit cum omnibus Scripturæ figuris significantibus aliquid sacrum; hujusmodi fuerunt manna, quo adumbrata fuit Eucharistia, Israelitarum per mare rubrum trajectio, quæ ex Paulo baptisma Christianorum exhibuit, & multa Patriarcharum facta, sub quibus non pauca mysteria latitarunt: 2. Prout dicitur, *rei sacræ homines sanctificantis*, ab omnibus illis figuris discrepat. Ad Dei scilicet cultum, & hominum sanctificationem institutæ non fuerant.

Quæres 1. Quænam conditiones requirantur in signo, ut Sacramentum strictè sumptum constituat?

Respond. quatuor requiri, 1. debet esse sensibile; quia Sacramentum est ceremonia Ecclesiæ visibilis, 2. debet esse stabile, seu quamdiu Ecclesia, cujus est signum, est perduratura, permaneat necesse est. 3. arbitrarium sit oportet; Res enim corporea, ex sua natura rem spiritualem exhibere non potest. 4. necesse est, ut sit ex divina institutione, Deus quippe solus author est ejus, quod in suo corpore mystico præcipuum locum tenet.

Quæres 2. utrum signum illud debeat esse practicum, an verò quòd sit speculativum sufficiat?

Respond. sufficere, quòd sit speculativum. Non enim est necesse, ut hujusmodi signum sit alicujus sanctitatis causa, non quidem veræ, & intrinsecæ, qua homines Deo grati fiunt. Alioquin nulli ritus Mosaici fuissent Sacramenta, quia non producebant gratiam internam, quæ recipientes ex iniquis justos, aut ex justis magis justos efficeret; Non etiam legalis, eo quod illa eadem Sacramenta Mosaica essent primariò, & per se instituta, non ad exteriorem justitiam Judæis conferendam, sed ad exhibenda Christi, ejusque Ecclesiæ mysteria, juxta illud Pauli, *omnia in figura contingebant illis*.

Ex allata responsione sequitur 1. Sacramentum non dici a verbo, *Sacro*, quod actionem dicit, sed a sanctitate, quæ est ejus causa finalis, utpote propter illam significandam, aut producendam institutum. Sequitur 2. Sacramentum, ut sic, esse in genere signi tantùm, & non in genere causæ. Sequitur 3. definitionem hanc, quam Magister sententiarum tradit, *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens*, Sacramento in communi nequaquam convenire.

Quæres 3. cujusnam sanctitatis Sacramentum sit signum, an legalis, an intrinsecæ, an utriusque simul?

Resp. cum Magistro sententiarum, Sacramentum esse signum solius sanctitatis intrinsecæ, quæ per gratiam habitualem habetur. Ratio est 1. quia id videtur Augustinus docuisse lib. 19. contra Faustum cap. 16. ubi hæc ait, *Donum spirituale, quod per ista* (Sacramenta) *insinuatur, æternum est*. Ratio est 2. quia defectu illius conditionis aqua lustralis, Clericalis tonsura, & absolutio ab excommunicatione in Sacramenta non recensentur; solam enim sanctitatem extrinsecam designant.

Quæres 4. utrum in ratione Sacramenti ritus Mosaici, & Evangelici univocè conveniant?

Respond. affirmativè; Idque contra Magistrum sententiarum, qui Sacramenta veteris legis analogicè tantùm, etiam in ratione Sacramenti, cum Evangelicis convenire contendit. Ratio responsionis est, quia quod tantum analogicè est Sacramentum, non dicitur simpliciter, & absolutè Sacramentum; ideò enim canis marinus non potest dici absolutè canis, sed cum hoc addito, *Marinus*, quia analogicè tantùm cum

cum vero cane convenit. At Sacramenta veteris legis a Patribus Conciliorum Florentini, & Tridentini, ab alisque antiquis, & præsertim Augustino, simpliciter, & sine addito, Sacramenta dicta & appellata fuerunt. Ratio est 2. quia antiqua Sacramenta cum nostris in ratione, Sacramento genericè sumpto, essentiali, nimirum in veræ & intrinsecæ sanctitatis significatione, conveniunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Sacramentorum Existentia.

QUadruplici in statu successivè fuit humanum genus. In statu innocentiæ Adamus ante peccatum extitit. In statu naturæ ab Adami lapsu ad Moysem usque majores nostri vixerunt. In statu legis scriptæ, a Moyse nempe usque ad Evangelium, Respublica Judæorum floruit. In statu denique legis novæ & Evangelicæ Cristiani usque ad sæculorum consummationem permanebunt. De existentia Sacramentorum in quadruplici illo statu est bic agendum.

CAPUT PRIMUM.

Utrum in naturæ innocentis statu Sacramcata extiteriat?

COnclusio. In statu naturæ innocentis nulla omnino extiterunt Sacramenta.

Probatur 1. Nec Scriptura, nec Traditio aliqua status innocentiæ Sacramenta recensent. 2. Brevi admodum tempore in illo statu primi parentes vixerunt. Non decuit igitur, Deum pro illo statu Sacramenta instituere, vix enim primis parentibus iis Sacramentis utendi locus fuisset.

Objicies. Matrimonium inter Adamum & Evam adhuc innocentes initium verum fuit Sacramenti: fuit quippe signum rei sacræ, unionis nimirum Christi cum Ecclesia: Non enim minus de illo, quàm de matrimonio infidelium, verum est istud Pauli ad Ephesios 5. *Sacramcatam boc magaum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Respond. primorum parentum, & ipsorum etiam infidelium nuptias, Sacramentum fuisse latè sumptum, seu prout nomen Sacramenti pro signo cujuscumque rei sacræ accipitur. At non fuit Sacramentum strictè sumptum, eo quòd (ut suprà ostensum fuit) ad Sacramenti strictè sumpti rationem, ut sit gratiæ sanctificantis signum, requiratur. Propter illam eamdem rationem, sacrificium, si quod tamen Adamus & Eva innocentes obtulerint, non fuit Sacramentum strictè sumptum; Sacrificium quippe primariò, & per se supremum dominium creatoris supra res omnes creatas significat, non autem gratiam sanctificantem, cujus tamen significatio Sacramento essentialis esse debet.

Quæres, utrum in statu Innocentiæ, si in posteris Adæ perdurasset, futura fuissent Sacramenta?

Respond. id omnino incertum esse, 1. enim nihil est revelatum, ex quo inferri possit ad quid in illa suppositione Deus, ea cujus beneplacito Sacramentorum institutio pendet, semetipsum fuisset determinaturus. Rationes petitæ ea congruentiis, etsi aliquæ possint excogitari, probant ferè nihil, eo quòd Deus non semper solitus sit operari secundùm id, quod humanæ rationi consentaneum esse videtur, ut patet in pravis Angelis, quos creavit, quamvis eos brevi ruituros prævidisset. Nec est quod quis contra illam responsionem objiciat, posteros Adami, si perdurasset in eis status innocentiæ, veram Ecclesiam fuisse constituturos; atque ita habituros fuisse Sacramenta, cùm ex Augustino libro 29. contra Faustum cap. 21. *In nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possint, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibilium consortio.* Nam Ecclesia illa fuisset quidem visibilis per sacrificia, quæ designare videtur Augustinus hac voce, *signaculorum*, quam isti alreri, *Sacramentorum*, sub disjunctione in allato ex ipso textu præmittit.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum extiterint Sacramenta in lege naturæ?

COnclusio 1. In lege naturæ extitit remedium pro parvulis contra peccatum originale.

Probatur 1. authoritate Augustini lib. 5. contra Julianum cap. 11. sie loquentis: *Nec ideò tamen credendam est ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis iacrat mediatoris fides in carne veaturi nullo Sacramento ejus opitulatos parvulis suis, quamvis, quid esset aliqua necessaria causa, scriptura latere voluerit.*

Probatur 2. Deus per remedium aliquod parvulorum apud Judæos ante octavum a nativitate diem morientium, ante quem non licebat eos circumcidere, saluti consuluit. Consuluit & mulieribus, quæ numquam recipiebant circumeisionem. Ergo ejus providentiam, & bonitatem decuit, ut etiam per remedium aliquod masculis ex parentibus fidelibus, in lege naturæ prognatis consuleret.

Objicies. Illud remedium non delevisset peccatum originale *ex opere operato*, cùm eum modum producendi gratiam esse Sacramentis novæ legis peculiarem definiisse videbantur Florentini, & Tridentini Patres. Neque enim *ex opere operantis* tantùm; alioquin incerta semper fuisset in praxi virtus illius remedii, quia exploratum non fuisset illius remedii ministros fuisse in gratiæ sanctificantis statu, qui tamen status in agente requiritur, ut actio, quæ valet tantum ex opere operantis, suum effectum consequatur.

Respond. eo remedio deletum fuisse peccatum originale ex opere operato. Nec contrarium definierunt Tridentini Patres. Siquidem, quum asseruere, productionem gratiæ ex opere operato singularem, & propriam esse Sacramentis novæ legis, ea cum Sacramentis primum a Moyse promulgatis compararunt, non autem cum cæteris, quibus in statu legis naturæ fideles usi sunt. Hæc responsio ex dicendis infrà de circumcisione clariùs parebit.

Quæres 1. Quodnam esset illud remedium contra peccatum originale in lege naturæ institutum?

Respond. 1. In individuo determinari non posse qua ex re compositum fuisset illud remedium, nulla enim Scriptura, aut Traditio id nos docet. Respond. 2. diei posse illud remedium, fuisse fidem internam parentum signo aliquo exteriori demonstratam. Quòd fides requireretur in applicantibus illud remedium, supponit Augustinus lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. ubi sic loquitur, *Superioribus temporibus omnino latuit Sacramentum justificationis ex fide: Eadem tamea fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis.* Quòd pariter necessaria esset aliqua externa actio, videtur asserere idem S. Doctor dum ait, incertum esse quodnam esset illud remedium, Præter eà, si in sola fide positum fuisset illud remedium, ut nonnullis videtur, parvulis adhuc in utero materno degentibus, applicari potuisset; quod est absurdum, quia (ut ajunt Theologi agentes de baptismo) priùs est hominem nasci, quàm renasci, seu regenerari, saltem secundùm legem ordinariam, & communem.

Nec contra illam responsionem pugnat hæc sententia Gregorii lib. 4. Moralium cap. 2. *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii.* Hac enim voce, *Sola*, qua utitur laudatus Pater, sacrificium quidem, non verò quodcumque aliud signum exterius excluditur.

Nec etiam quidquam officit eidem responsioni, quod scribit S. Thomas in 4. sent. dist. 1. quæst. 2. artic. 6. ubi asserero videtur, sola parentum fide par-

vulos in ftatu legis naturæ juftitiam confecutos fuiffe. Nam detur licèt ita fenfiffe fanctum Doctorem, cùm in fententias fcriberet junior, afferi non poteft eidem opinioni patrocinatum fuiffe cùm fenex Summam confcripfit. Sic quippe loquitur 3. p.q. 70. art. 4. ad 2. *Probabile eft, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maximè in periculo exiftentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam fignaculum fidei.*

Quæres 2. utrum illud pro parvulis remedium effet verum Sacramentum?

Refp. affirmativè. 1. Enim in illo remedio erat fignum fenfibile, (ut mox oftenfum fuit.) 2. Erant etiam inftitutio divina, & promiffio gratiæ, quia (ut fuit probatum) eo remedio tamquam causâ, parvuli juftificatione donabantur; ergo ex Dei inftitutione, & confequenter ex promiffione divina.

Illius refponfionis veritatem nequaquam labefactat quod opponunt nonnulli contendentes fignum illud, quod applicabatur parvulis, non fuiffe quidpiam determinatum, alioquin (inquiunt) ipfum ficut & circumcifionem pofteris fuis antiqui Patriarchæ tradidiffent. Non labefactat (inquam) quia ad Sacramentum divina quidem alicujus figni determinatio in genere, non autem in fpecie requiritur; idque etiam in multis Sacramentis Evangelicis, faltem in multorum primi ordinis Theologorum fententia.

Illius ejufdem veritatis vim non enervat quoque, quod objiciunt alii afferentes, quodlibet Sacramentum conftare neceffario ex materia & forma, quæ tamen, præfertim forma, in remedio, de quo agitur, nullæ erant: 1. enim S. Thomas cenfet, Antiquos in lege naturæ preces quafdam cum figno exteriori adhibuiffe, & confequenter ufos fuiffe formâ. 2. Neceffe fuit ut Sacramenta legis Evangelicæ (utpote clariora) conftarent ex aliqua forma: Sed id non fuit neceffarium iis, quæ Evangelium præcefferunt; poftulabat enim vetus illa (utpote umbrarum) ætas, ut in ea Sacramenta magis effent obfcura, quam nunc fint in nova lege.

Conclufio 2. In lege naturæ Sacramenta pro adultis, licèt veri Dei cultoribus, inftituta non fuerunt.

Probatur 1. Patres agentes de Sacramentis legis naturæ parvulorum dumtaxat meminerunt. 2. Gregorius, & fanctus Thomas (ut patet ex locis fuprà relatis) pro adultis tunc extitiffe Sacramenta, expressè inficiantur.

Objicies: Verum erat in lege naturæ Sacerdotium, quia vera offerebantur facrificia. Ergo etiam vera erat ordinatio, quæ cùm ordinationem noftram, & gratiam ab ea producendam exhiberet, verum Sacramentum cenfebatur.

Refp. his verbis, quæ leguntur in ep. 2. decretali adfcripta Anacleto Papæ, *Licèt aliqui legantur priùs facrificium obtuliffe, ut Melchifedech, & Abrahamus, hi tamen fpontanea voluntate, non tamen Sacerdotali authoritate, hoc fecerunt.* Ex quo textu fequitur laicos in lege naturæ obtuliffe facrificia, nullofque tunc initiatos fuiffe Sacerdotes ritu aliquo divinitùs inftituto, fed creabantur Sacerdotes, aut ex electione populi, vel eo munere cujufcumque familiæ majores natu femper fungebantur.

Inftabis. Paulus in epiftola ad Hebræos c. 7. Sacerdotium Melchifedecis, qui in lege naturæ vixit, Levitico anteponit Sacerdotio. Ergo credidit illud æquè fuiffe divinum, ac fuit Aaronicum.

Refpond. Nego confeq. Fuit quippe Melchifedecis Sacerdotium Levitico præftantius ratione fignificationis: clarius fcilicet, quam Leviticum, divinum Chrifti Sacerdotium exhibebat. Scripturæ enim filentium de Melchifedecis, tum genealogia, tum morte Chriftum non ex fucceffione fuum facerdotium, ut habuerunt facerdotes Mofaici, fed ex immediata, & extraordinaria divina vocatione fortitum fuiffe, demonftrat. Indicat quoque idem Chrifti facerdotium perpetuum fore, in quo ab Aaronico, quod fuit ad tempus tantùm, difcrepat.

Caput Tertium.

Utrum Sacramenta in lege Moyfis extiterint?

Conclufio 1. Vera facramenta in lege Moyfis extiterunt.

Probatur 1. ex Concilio Florentino, in quo de facramentis Mofaicis hæc habentur, *Sacramenta vetera non caufabant gratiam.* Hæc etiam in Tridentina Synodo feff. 7. can. 2. de facramentis in genere, *Si quis dixerit ea ipfa novæ legis facramenta a facramentis antiquæ legis non differre, &c.*

Probatur 2. Apud Judæos ex divina inftitutione fuerunt multæ ceremoniæ fenfibiles, quæ gratiam fanctificantem adumbrabant. Hujufmodi fuit agnus Pafchalis, qui, fecundùm tritam Patrum doctrinam, Euchariftiæ, & gratiæ per eam producendæ in nova lege imago fuit, & figura.

Quæres 1. utrum facramenta legis fcriptæ Judæis, omnibufque nationibus fuerint olim neceffaria?

Refp. 1. Ea, nec Judæis, nec gentibus fuiffe neceffaria neceffitate medii ad falutem; fignificabant enim tantùm, fed non producebant gratiam fanctificantem. Unde, abfolutè loquendo, fine eorum receptione, vera poterat effe juftitia in Judæis, & Gentibus, proindeque fine eis falutem confequi poterant.

Refpond. 2. Illa facramenta Judæis fuiffe neceffaria neceffitate præcepti divini; Eorum quippe ufum Deus per Moyfem pofteris Abrahami fub æternæ damnationis periculo injunxerat; lex enim morte mulctabat ea non recipientes. At ex Patribus, quæ lex damnabat temporali morte, Deus olim puniebat æterna.

Refp. 3. Participationem facramentorum Mofaicorum iis tantùm fuiffe præceptam, quibus injuncta fuerat circumcifio; non enim incircumcifos ad Mofaica myfteria admittere licebat, ut de agno Pafchali Exodi 12. cap. conftat. Atqui Gentibus non fuit præcepta Circumcifio; eam quippe Deus in lege naturæ legitur in fcripturis injunxiffe folis Abrahami pofteris, eam quoque Judæis tantùm Moyfes imperaffe deprehenditur.

Quæres 2. Quandonam Judæi a Sacramenta Mofaica recipiendi debito liberati fuerint?

Refpond. Judæos ab illo debito fuiffe liberatos, quando inftituta per Moyfem Synagoga abrogata fuit. Hæc autem penitùs fuit extincta, quum mortem obiit Chriftus Dominus; De illius enim extinctione exponunt Patres hæc morientis Salvatoris verba: *Confummatum eft*; Explicant pariter de ea veli fanctuarium a reliqua parte templi dividentis fciffionem, quæ eo inftanti, quo Chriftus in cruce emifit fpiritum, contigit.

Conclufio 2. Mofaici ritus, poft abrogationem legis antiquæ, licitè aliquandiu obfervari potuerunt.

Probatur exemplo Apoftolorum, qui ritus illos poft mortem Chrifti nonnumquam obfervaffe leguntur. Paulus (Actorum 16. cap.) circumcidit Timotheum ex matre Judæa natum. Idem (ut patet ex cap. 28.) fuadente Jacobo fervavit Nazaræorum ufum, qualis Numer. 6. defcribitur, antequam in templum Hierofolymitanum ingrederetur. Tota Ecclefia Chriftiana eafdem ceremonias ex parte obfervandas præcepit Actorum 15. hoc nimirum in primo fuo generali Concilio fanciens decretum, *Vifum eft Spiritui-Sancto & nobis* (inquiunt ibidem Apoftoli) *nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc neceffaria, ut abftineatis vos ab immolatis fimulacrorum, & fanguine, & fuffocato, & fornicatione.*

Objicies 1. factum Pauli, (ut ipfe ait ad Galatas 2.) Petro Antiochiæ judaizanti reftitit in faciem, quique Petrum ob id non rectè ad veritatem Evangelij ambulaffe afferit.

Refpondent aliqui ad illam difficilem objectionem, Paulum non vero, an fincero, fed fimulatorio animo reprehendiffe Petrum judaizantem; convenerant inter fe Petrus, & Paulus (inquiunt illi authores) de adhiben-

hibenda simulatione, ut illius beneficio Judæi, qoi recenter Hierosolyma Antiochiam advenerant, faciliùs ab observatione legalium, quæ, etiam promulgata Evangelica loge, putabant adbuc vigere, abducerentur. Confirmant illi scriptores suam illam solutionem ex Hieronymo, qui eam hausit ex Origene, multisque Patribus Græcis.

Sed admittenda non est illa responsio. Ex ea enim sequitur mentitum fuisse Paulum in epistola ad Galatas, ubi ait, Petrum *reprebensibilem fnisse, non ambulasse ad veritatem Evangelii*: Nam hoc idem falsum esset, si ex composito, & per simulationem Petrus Antiochiæ judaizasset, eumqoe fictitiè taotùm arguisset Paulus. At omnem mendacii suspicionem a se avertit Apostolus initio suæ epistolæ ad Galatas dicens, *Quæ antem vobis scribo, ecce coram Deo, qnia non mentior.* Prætereà favet illa solutio mendacio officioso, quòd Hieronymus post multos Patres Græcos ex dispensatione quadam existimavit Apostolis licuisse. Utraque allata illa ratio est Augustini, qui causam hanc epistola octava, & sequentibus usque ad vigesimam fusè pertractat. *Si enim mentiebatur Paulus* (ipsissima sont S. Doctoris verba) *cùm Apostolum Petrum objurgaus diceret, Si tu cùm sis Jndans gentiliter, & non judaice vivis; quemadmodnm gentes cogis judaizare? & rectè illi videbatnr Petrus fecisse, quem non rectè fecisse, & dixit, & scripsit; ut quasi animos tumultnantium deliniret, quid respondebimus, cùm exurrexerint perversi homines probibentes nuptias, quos futnros ipse prænunciavit, & dixerint totum illud, quod idem Apostolus de matrimoniorum jure firmando locutus est, propter homines, qui dilectione conjugum tumultuari poterant, fuisse mentitum; scilicet non quod boc senserit; sed ut illorum placaretur adversitas.* Augustino, mutata priore sententia, idem Hieronymus postea adhæsit, ut ex ejus libro 1. dialogorum contra Pelagianos cap. 8. exploratum est.

Respondendum est igitur ad argumentum; non rem ipsam utpote ad meram disciplioam pertinentem, sed modum rei Paulum in Petro damoasse, Petrus nimirum parum prudenter a Gentilium mensa sese subduxit, accessitque ad Judæos, quibuscum judaicè vixit, quippe qui a cibis lege Mosaica vetitis temperaverit, a quibus tamen cùm Gentilium mensæ accumberet nequaquam abstiouerat; parum cauta ea agendi ratione Petrus Gentilium ad fidem conversorum mensam damnasse visus est; proindeque eos suo exemplo ad judaizandum pertraxit, induxitque, ut abstinentiam a cibis lege vetitis, necnon aliorum antiquorum rituum observationem, in nova lege præceptas esse ceoserent.

Objicies 2. hæc Pauli ad Galatas 5. verba, *Si circumcidamini, Christns nihil vobis proderit.* Ergo legalium observatio numquam Christianis licuit.

Respond. nego conseq. Ratio est, qoia Galatæ ad fidem conversi legalia propter necessitatem salutis observabant, se nimirum ad eorum observationem teneri, eisque nonnihil ad justificationem conferri arbitrabantur. Idipsum Augustinus epistola 19. testatur, ubi hæc ait: *Qui propterea volebant circumcidi, quia aliter se putabant in Christo salvos esse non posse; Hoc ergo animo, hac voluntate, ista intentione quisquis tunc circumcidebatur, Christus ei nihil omnino proderat.* Christiani verò alii Apostolorum exemplum imitati eadem legalia propter necessitatem charitatis observarunt; ut scilicet Judæorum infirmitati consulerent, qui alioquin credidisseot Ecclesiam Christianam Moysi adversari, quippe quæ ritus, quos ille, jubente Deo, instituerat, rejiceret. Ita Augustinus eadem epistola 19. ubi sic loquitur, *Ipsum vero Paulum non ad hoc id gessisse; quod vel Timotheum circumcidit, vel Cenchris votum persolvit, vel Hierosolymis a Jacobo admonitus cum eis, qui voverant, legitima illa celebranda suscepit, ut putare videretur per ea sacramenta etiam Christianam salutem dari: Sed ne illa, quæ prioribus, nt congruebat temporibus, in umbris rerum futurarum Deus fieri jusserat, tamquam Idololatriam Gentilium damnare crederetnr.*

Conclusio 3. Propagato Evangelio observatio legaliom, ut legalium, Christianis mortifera extitit.

Probatur; qoia illa observatio favebat Ebionis & Cerinthi errori, ad quem plos æquo plurimi Judæorum propendebant. Illi enim sectarii antiquæ legis observationem ad salutem, etiam post mortem Christi, necessariam esse docebant. Exitiosa etiam erat Gentilibus conversis, qui cum in Christianismo antiquos ritus servari adverterent, vel Christi merita ad justificationem satis non fuisse, vel ipsum gratis esse mortuum conclusissent. Illa incommoda prævidens Paulus Petro restitit in faciem, eo quòd Aotiochiæ Gentes ad judaizandum pertraheret.

Objicies 1. exemplum Asiaticorum, qui ad Victorem usque Papam absque ulla peccati labe ex ritibus Judaicis nonnihil observarunt, quatenus nempe luna 14. mensis Martii Pascha in quamcumque hebdomadæ diem incideret, celebrarunt. 2. Authoritatem Tertulliani, qui tertio sæculo, Gentiles exprobrantes Christianis quòd humana carne in suis conventibos vescerentur, hoc argumento confutat, *Erubescat error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in esculentis babemus, qui propterea suffocatis, & morticinis abstinemus.*

Respond. ad 1. Asiaticos ita, ut fert argumentum, se gessisse, tum quòd crederent suam circa diem Paschatis disciplinam esse ex Evangelii præscripto; tum etiam quòd eam a prioribus Asiaticorum Episcopis, ipso etiam Joanne Evangelista, qui varias apud eos rexerat, fundaratque Ecclesias, observatam fuisse exploratum haberent. Utramque illam rationem objecit olim Victori Papæ Polycrates data ad ipsum epistola, quam refert Eusebius libro 5. Historiæ cap. 24. & in qua sic loquitur: *Nos ergo intemeratum Paschæ colimus diem, neque addentes, neque auferentes aliquid. Etenim magna quædam luminaria apud Asiam dormierunt, summi & electi viri, quos Dominus suscitabit in adventu suo, cùm veniet de cælis in gloria, & requiret omnes sanctos suos; in quibus est Philippus Evangelista, qui dormivit apud Hierapolim ... Nec non & Joannes, qui supra pectus Domini recubuit ... Isti ergo omnes, diem Paschæ in quarta decima die mensis observarunt secnndùm Evangelium, nihil omnino extrinsecus agentes, sed fidei regulam per omnia conservantes.*

Respond. ad 2. Christianos tempore Tertulliani abstinuisse a suffocatis, & sanguine animalium, non ex virtute Mosaici præcepti, sed ex vi legis Ecclesiasticæ de abstinentia hujusmodi latæ ab Apostolis in primo Concilio Hierosolymitano, de qua lege hæc habet Augustinus libro 32. contra Faustum capit. 13. *Si hoc tunc Apostoli præceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur ... elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes propter angularem illum lapidem duos parietes in se condentem aliquid communiter observarent.*

Caput Quartum.

Utrum in nova lege sacramenta existant, & quænam sint.

Conclusio 1. Vera existunt in nova lege Sacramenta.

Probatur 1. in nova loge sunt multæ ceremoniæ sensibiles ad significandam, imò & ad producendam gratiam sanctificantem a Deo permanenter institutæ. Id ex iis quæ de singulis suo dicemus loco, patebit. 2. Patres, & Concilia, & præsertim Tridentinum tota Sessione 7. conclusioois veritatem ad fidem pertinere definierunt.

Conclusio 2. Nec plura, nec pauciora sunt quàm septem in nova lege Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-unctio, Ordo, & Matrimonium.

Probatur 1. Ecclesia eos qui plura vel pauciora quam septem esse Sacramenta docuerunt, e suo ejecit sino. Sæculo III. proscripsit Novatianos, qui Confirmatione Neophytos non insigniebant. IV. Manichæos, qui damnabant nuptias. XIV. VVicleficstas,

apud quos despectui erat Extrema-unctio, XVI. Lutheranos, qui (ut patet ex Augustana confessione) tria tantum Sacramenta; Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam admittebant. Zuinglium, qui duo tantum, Baptismum scilicet, & Eucharistiam; & tandem Calvinum, qui inter Sacramenta, ista dumtaxat, Baptismum, Eucharistiam, & Ordinem recensebat.

Probatur 2. ex Ecclesiæ utriusque, Latinæ nimirum & Græcæ, perpetuo consensu. Consensum illum ostendit silentium Græcorum in Conciliis, quibus cum Latinis adfuerunt. Quid Latini de Sacramentorum numero sentirent, eos latere non potuit. At nullam Latinis de eo numero litem unquam movisse leguntur, licèt de rebus aliis, de quibus non conveniebant, acriùs disputaverint, v. g. de processione Spiritus Sancti a Patre & Filio, de Purgatorio, & cæteris hujusmodi, ut ex Synodi Florentinæ sub Eugenio IV. actis perspicuum est. Illum eumdem consensum probat 2. censura, qua Hieremias Pseudopatriarcha Constantinopolitanus Augustanam Lutheranorum confessionem perstrinxit. In ea enim Ecclesiam Græcam nec plura, nec pauciora quàm septem admittere Sacramenta expressè definit.

Probatur 3. Conclusio ex vitæ spiritualis, ad quam Sacramenta instituta sunt, cum corporali vita comparatione. Septem (ait S. Thomas) ad conservandam vitam corpoream requiruntur. Ergo & ad spiritualem. Sed ea sunt septem Sacramenta. Primò enim per Baptismum in Christo nascimur. 2. Crescimus per Confirmationem. 3. Nutrit nos Eucharistia. 4. Per Pœnitentiam amissam recuperamus sanitatem. 5. Per Extremam-unctionem morbi spiritualis reliquias depellimus. 6. Gubernamur per Ordinationem, quæ ministros, patres, judices, & medicos spirituales parit. 7. Denique quia illi medici, patres, filii, morti obnoxii sunt, Matrimonio, quo Deus hominum caducæ, ac labenti vitæ consuleret, Ecclesiæ opus fuit.

Objicies 1. Antiqua Ecclesia septem novæ legis sacramentorum catalogum numquam texuit. Justinus martyr in sua pro Christianis apologia duorum tantùm baptismi scilicet, & Eucharistiæ meminit. Cyrillus in suis catechesibus, Ambrosius libro de Sacramentis addunt duobus relatis solum Chrisma. Primus author catalogi, in quo ex ordine Sacramenta recensentur, videtur esse Magister sententiarum, qui desinente sæculo duodecimo floruit. Illi tamen Scriptori omnes Theologi non subscripsere; Durandus quippe, qui vixit sæculo decimoquarto, matrimonium ex Sacramentorum, quæ gratiam producunt, albo expunxit. Ergo Ecclesia septenarium sacramentorum numerum non semper admisit.

Resp. 1. Si valeret allatum argumentum, probaturum ante Laodicenam Synodum, in qua primùm contextus fuit ex ordine librorum Canonicorum catalogus, Ecclesiam nullos novi, aut veteris Testamenti libros pro Canonicis agnovisse.

Resp. 2. Patres antiquitùs illum ex ordine sacramentorum catalogum non conscripsisse, eo quòd timerent, ne in Gentilium cognitionem deveniret. De Eucharistia locutus est Justinus, quia ex imperfecta illius mysterii qua Gentiles imbuti erant notitia sumebant argumentum sceleris, quod calumniosè Christianis imponebant, asserentes, eos in suis synaxibus infantis occisi carnibus vesci. Meminit & laudatus Pater Baptismi; quia eo synaxes adeundi jus tribuitur, a quibus quidem synaxibus summa cura arcebantur prophani, qui ob id de Christianis conquerebantur. Ambrosius & Cyrillus laudatis in objectione locis docent Catechumenos: & ea de causa necesse fuit, ut loquerentur de Baptismate, Confirmatione, & Eucharistia, quæ simul eis dare Ecclesia consueverat. Durandus circa Matrimonium Traditionis mentem non fuit assecutus, imò ab ea (sed incautus) ut suo loco ostendemus, omninò recessit.

Objicies 2. Ablutio pedum videtur esse verum novæ legis Sacramentum. Primò enim est ceremonia sensibilis: 2. mandato, & exemplo Christi nititur Joannis decimotertio Capite. *Exemplum dedi vobis .... Et vos debetis alter alterius lavare pedes*. 3. annexa sibi promissione gratiæ fulcitur, *Si non lavero te* (ait Christus Petro) *non habebis partem mecum*. 4. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 1. pedum ablutionem, sanctificationis, quæ fit per Baptisma, subsidium appellat. Bernardus Sermone 1. de cœna Domini definit, eam esse *Sacramentum remissionis quotidianorum peccatorum*. Ergo &c.

Resp. 1. verba ista, *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, metaphoricè sumenda esse, seu pro præcepto de humilitate, & charitate exercendis: per illam nimirùm externam lotionem, de qua loquitur Evangelium, utramque illam virtutem significatam fuisse Patres arbitrantur. Confirmatur ex eo quòd Ecclesia nec adhibeat modò, nec antiquitùs (ut testatur Ambrosius) illam externam lotionem omnibus in provinciis adhibuerit: eam tamen, si præceptam a Christo credidisset, nequaquam prætermissura.

Resp. 2. hæc alia verba, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, gratiæ promissionem nequaquam continere, sed privationem Eucharistiæ, quam Christus Petro sibi in ultima cœna obsistenti minatur. Quo docemur (ajunt Patres) non communem, sed singularem requiri cordis munditiem in eo, qui Eucharistia donandus est.

Resp. 3. Ambrosium & Bernardum de pedum ablutione non ad literam sumpta, sed secundùm id, quod significat, charitatem nempè & humilitatem, loqui: ita ut nihil aliud voluerint illi Patres, quàm illud, nempè per humilitatis, & charitatis exercitium Baptizatis quotidiana peccata remitti.

Ex allatis itaque responsionibus patet ablutionem pedum nec habere divinum præceptum, nec annexam promissionem gratiæ, nec perpetuam institutionem: proindèque eam novæ legis Sacramentorum albo non esse inscribendam invictissimè colligitur.

Objicies 3. Septem sunt Ordines, qui, ex S. Thoma, singuli sunt vera Sacramenta. Ergo plusquam septem in nova lege debent numerari.

Resp. dato ant. nego conseq. Ratio est, quia cùm Catholici docent esse tantùm septem Sacramenta, Sacramentum secundùm genus sumunt, ita ut sensus sit septem tantùm esse Sacramenta genericè diversa, seu quæ ad diversos genere fines referuntur. At ordines, cùm ad unum, & eumdem finem genericum referantur, Eucharistiæ nimirum confectionem, aut administrationem, a se invicem specie tantùm discrepant, & unum genericè Sacramentum constituunt.

Objicies 4. Ecclesia Christiana ab ipso Adami lapsu incœpit, perdurabitque usque ad sæculorum consummationem (ut Patres probant contra Gentiles, qui olim Christianis novitatem Religionis exprobrabant.) Ergo tot, & eadem quæ antiquitùs, nunc debent esse Sacramenta; unitas enim Ecclesiæ ex unitate Sacramentorum, saltem ex parte colligitur.

Resp. Ecclesiam semper habuisse eadem Sacramenta sumpta secundùm rem, quam significant, nimirùm secundùm Gratiam sanctificantem, non verò quoad signa sensibilia, & extrinseca: Nec mirum, cum secundùm varia tempora varius fuerit unius, & ejusdem Ecclesiæ status. Tradidit illam responsionem Augustinus tractatu 45. in Joannem, ubi sic loquitur, *Bibebant de spiritali sequente Petra, Petra autem erat Christus. Videte ergo, fide manente, signa variata. Ibi Petra Christus, nobis Christus, quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno Sacramento ejusdem Christi biberunt aquam profluentem de Petra: Nos quid bibimus, norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est, Si intelligibilem significationem, eumdem potum biberunt*, Porrò ad Ecclesiæ veteris cum nova identitatem unitas Sacramentorum secundùm id, quod significant, sufficit, nec eadem unitas secundùm signa extrinseca requiritur, licèt ad unitatem Ecclesiæ secundùm præsentem statum a Christo institutæ necessaria sit; ita ut Christianorum conventus, qui etiam secundùm signa, iisdem Sacramentis quibus Catholici, non utuntur, ad veram Ecclesiam pertinere non possint, sed e contrà iniquissimæ diaboli synagogæ censeantur.

QUÆ



QUÆSTIO TERTIA.

De materia & forma Sacramentorum legis Evangelicæ.

MUlta hic occurrunt, quæ examini subjiciamus, oportet: 1. Utrum in omnibus novæ legis Sacramentis materia, & forma reperiantur: 2. quo tempore res & verba, quæ naturam Sacramentorum constituunt, *materiæ & formæ* vocibus exprimi cœperint: 3. utrum in omnibus nostris Sacramentis utraque illa pars a Christo determinata fuerit: 4. utrum forma sit verbum consecratorium, an verò concionatorium: 5. quomodo forma dividatur: 6. denique dicendum est de mutatione, quæ in Sacramenti forma potest contingere.

CAPUT PRIMUM.

An materia, & forma in singulis novæ legis Sacramentis reperiantur.

COnclusio. In quolibet novæ legis Sacramento materia & forma reperiuntur.

Probatur 1. ex Eugenii IV. decreto pro instructione Armenorum, ubi sic laudatus Papa loquitur, *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum.* Eadem fere loquendi ratione sacra Synodus Tridentina sessione 14. cap. 3. utitur; Eo nempè loci definit absolutionem esse pœnitentiæ formam; actus verò pœnitentis, illius quasi materiam constituere. 2. Idem evincitur ex hocce percelebri Augustini axiomate, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, siquidem S. Doctor *Elementi* nomine idipsum intelligit quod Theologi materiam vocitant, & per *Verbum*, id quod formam appellare consueverunt. Et sanè Elementum verbo, de quo Augustinus, non minùs præsupponitur quàm materia formæ. Præterea verbum ad elementum accedit sicut forma ad materiam in qua recipitur.

Objicies 1. Absolutio Sacramentalis impendi debet Catholico, qui præ subito morbo, quo fuit correptus, nec viva voce, nec aliquo alio signo suum de præteritis peccatis dolorem probare valet. Ergo eo saltem in casu pœnitentiæ Sacramentum absque omni materia integrum existit: nec enim tunc contritio & confessio, quibus tamquam ex materia illud Sacramentum constat, reperiuntur.

Resp. Nego conseq. Nam 1. Scotistæ docent, absolutionem, seu verba ex quibus absolutio componitur, adæquatam constituere Sacramenti Pœnitentiæ essentiam: in scholæ nimirùm Subtilis systemate absolutio secundùm varios respectus considerata, & materiæ & formæ vices gerit, actus verò pœnitentis tenent locum materiæ extrinsecæ, quam Philosophi *circa quam* dicunt. 2. Homo ille, de quo argumentum, sacerdotem aut viva voce, aut aliis aliquibus signis advocasse præsupponitur, antequam in morbum incideret; præ cujus insperata acerbitate obmutuit: proindèque exhibuit sufficientem Sacramento materiam, etiam in eorum sententia, qui pœnitentis actus essentialem Pœnitentiæ materiam esse contendunt.

Objicies 2. in Eucharistia nulla omninò est materia. Eo scilicet instanti, quo Sacramentum & existit, & appellatur, ex nulla re sensibili, quæ materiæ loco sit, intrinsecè componitur: constituitur enim in ratione Sacramenti per transubstantiationem panis, & vini in Christi corpus, & sanguinem.

Resp. in Eucharistia *in facto esse* sumpta non reperiri quidem materiam, ex qua constet, sed in ea *in fieri* considerata materiam esse extra omne dubium est, cùm adsint panis, & vinum, in quæ verba consecratoria operantur.

Objicies 3. In Matrimonio sæpè nulla sunt verba, ut cùm elingues contrahunt: ergo nec forma, quæ ex Augustino aliud non est, quàm verbum ore prolatum *Accedit verbum ad elementum &c.*

Resp. 1. in mutis non esse quidem verba expressa, & formalia (ut vocant;) sed reperiuntur virtualia, nempè signa quibus suum exprimunt consensum. 2. Argumentum supponit contrahentes esse Matrimonii, ut Sacramentum est, ministros; quod tamen plures Theologi inficiantur, id quippe muneris solis Sacerdotibus adscribunt.

CAPUT SECUNDUM.

Quo tempore vocibus istis, Materia & forma, *significari cœperint res & verba, ex quibus Sacramenta constant.*

COnclusio 1. Prioribus Ecclesiæ sæculis res & verba, ex quibus Sacramenta constant, *materiæ & formæ* nominibus exprimi non solebant.

Probatur contra nonnullos, qui contendunt terminis, de quibus agitur, Ecclesiam tunc uti cœpisse, cùm Christiani Philosophiam coluerunt. Eusebio Cæsariensi teste, Philosophia apud Christianos Alexandriæ tertio Ecclesiæ sæculo floruit. Atqui eo tempore voces istæ, *Materia & forma*, in explicandis Sacramentis adhiberi non cœperunt, qui enim ea ætate & multis posterioribus, de Sacramentis scripserunt, nusquam illarum vocum meminere, de iis apud ipsos altissimum est silentium.

Objicies 1. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis cap. 34. hæc scribit contra Pelagianos agens, *Quid de ipsa Sacramenti forma loquar?* Hæc quoque Concilium Milevitanum, cui mox laudatus Pater interfuit, *Unde fit consequens*, ex suppositione scilicet Pelagianorum, qui parvulos originis peccato infici negabant, *Ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur.* At verisimile est Augustinum, & Milevitanam Synodum ex trito tunc, proindeque antiquo usu, eam loquendi rationem adhibuisse. Ergo &c.

Resp. Augustinum & Synodum Milevitanam *formæ* Baptismatis nomine non intellexisse verba, ex quibus illud Sacramentum constat; sed ritum, seu ceremonias, quæ in ejus administratione ex antiqua Ecclesiæ consuetudine solent adhiberi: Ex ceremoniis enim hujusmodi, & ex exorcismis præsertim, peccati originalis existentiam in infantibus Scriptores Ecclesiastici contra Pelagianos concluserunt. Illo eodemque sensu Concilium Tridentinum sessione 5. in Decreto de peccato originali *formæ* nomen usurpat, hæc nimirum habet, *Unde fit consequens ut in eis* (de infantibus loquitur) *Forma Baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur.*

Conclusio 2. Voces istas, *Materia & forma*, ad explicandam Sacramentorum substantiam primus inter Theologos Guillelmus Antissiodorensis circa annum 1215. adhibuit.

Probatur. Ante Guillelmum Antissiodorensem nullibi Sacramentorum partes materiæ & formæ nominibus exprimuntur. Nihil enim de iis vocibus legere est apud Lanfrancum, Guitmundum, Anselmum, Yvonem, Abailardum, Bernardum, Hugonem a S. Victore, quamvis expressè de Sacramentis scripserint; Imò nec apud Petrum Lombardum, seu Magistrum sententiarum, Scholasticorum Principem, qui circa annum 1150. scripsit.

Quæres, quibus terminis antiqui uterentur, ut exprimerent eas Sacramentorum partes, quas pluribus ab hinc sæculis materiam & formam Scholastici appellant?

Resp. per mille & ducentos annos triplicem alium loquendi modum Majores nostros adhibuisse; qui quidem triplex modus planè idem, quod materia & forma

forma significat. Unde res ipsa semper in Ecclesia agnita fuit, quæ tamen varias diversis temporibus sortita est appellationes. 1. Antiqui dicebant Sacramenta constare ex *signo & re invisibili*. Signi autem nomine idem intelligebant, quod nos per materiam, & formam, & per rem invisibilem, effectum Sacramenti, characterem nempe, & gratiam designabant. 2. Asserebant in Sacramentis reperiri *res & verba*. 3. Docebant esse semper *Sacramentum, & Rem Sacramenti*; Per priorem vocem omne, quod est sensibile in Sacramento; Per posteriorem verò, spiritualem Sacramenti effectum significabant.

CAPUT TERTIUM.

Utrum Christus materiam, & formam Sacramentorum determinaverit?

CONclusio 1. Est de fide Christum materiam, & formam omnium Sacramentorum novæ legis, saltem in genere, determinasse.

Probatur. Est de fide Christum instituisse omnia Sacramenta novæ legis, ac proinde eorum partes essentiales, materiam nimirùm & formam, determinavisse saltem in communi, idest, Christum Apostolis præcepisse, ut signis quibusdam uterentur, quæ quamdam cum effectu Sacramentorum, quæ ex illius mandato collaturi erant, analogiam haberent.

Objicies. Alexander De Hales docuit, Confirmationem ab Ecclesia in quodam Concilio Meldensi institutam fuisse. Illi videtur adhærere S. Bonaventura in 4. quæst. 1. Hugo a Sancto Victore libro 11. de Sacramentis parte 15. cap. 2. Extremam-unctionem Apostolo Jacobo tamquam ejus institutori vindicat. Idem scribit Magister sententiarum libro 4. Distinct. 23. Ergo non videtur esse de fide, quòd Christus omnium Sacramentorum materiam, & formam, etiam in genere, determinaverit; cum mox laudati authores id ad fidem pertinere inficientur.

Resp. 1. Halensem & Bonaventuram locis relatis non loqui de Confirmatione sumpta secundùm substantiam, sed secundùm illius usum, quem fidelibus Baptizatis Synodus Meldensis, quam laudant, commendavit, ac præscripsit. Prætereà, si quis urgeat illos Scriptores de Confirmatione in se sumpta locutos fuisse, dicendum erit, Halensem, & Bonaventuram, priusquam Ecclesia hoc de argumento disertè pronunciasset, aliquid humani passos fuisse, scilicet in Concilio Tridentino, Christum omnium legis novæ Sacramentorum authorem esse, apertè fuit definitum.

Resp. 2. non esse de fide, quòd Christus immediatè omnia novæ legis Sacramenta instituerit (ut infrà de authore Sacramentorum agentes ostendemus.) De illa immediata institutione nihil vetat, quin Hugo Victorinus de Extrema-unctione agens exponatur.

Conclusio 2. Christum aliquorum quidem Sacramentorum, sed non omnium, materiam & formam in specie determinavisse, fide Catholica constat.

Probatur prima pars. Clarè ex Evangelio patet Christum determinatè assignasse, 1. aquam pro materia Baptismatis, & invocationem SS. Trinitatis pro illius forma, 2. panem & vinum pro Eucharistiæ materia, & hæc verba, *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, pro ejusdem Eucharistiæ forma.

Probatur altera conclusionis pars. Non constat clarè ex Scriptura, aut Traditione, Christum determinatè assignavisse Chrisma, aut impositionem manuum pro Confirmatione, nec pro Ordine eamdem impositionem manuum, aut traditionem vasorum sacrorum; Non est pariter omnino exploratum quòd Sacramentorum aliorum a Baptismate, & Eucharistia formas in specie præceperit.

Conclusio 3. Probabilior est sententia, qua asseritur, Christum omnium Sacramentorum novæ legis materias & formas in specie determinavisse.

Probatur. Allata sententia ad sacræ Synodi Tridentinæ mentem propiùs accedere videtur. Definit sacra Synodus, Ecclesiam posse ceremonias, quæ in Sacramentorum dispensatione adhibentur, immutare, non verò eorum substantiam, *Salva* (inquit) *illorum substantia*. At id in opinione, qua negatur, Christum in specie omnium Sacramentorum novæ legis materias & formas in specie determinavisse, falsum esset omnino. Nam Ecclesia, quæ (ut supponitur) vasorum traditionem, & hæc verba, *Accipe potestatem* &c. pro Sacerdotii ordine determinasset, novam, omissa priore, materiam, & aliam formam potuisset instituere. Ergo penès eam esset sacramenti Ordinis substantiam immutare, cùm ejus substantia non aliud dicat, quàm materiam, & formam, ex quibus intrinsecè componitur.

Nec audiendi sunt, qui relatam Concilii definitionem de aliquibus quidem Sacramentis, non verò de omnibus, exponunt. Nam 1. ubi lex non distinguit, nec nobis distinguere licet. 2. Concilium Sacramenta ceremoniis opponit, aitque, istas non autem illa ab Ecclesia posse immutari.

Objicies. Ecclesia mutavit, 1. materiam Confirmationis: his enim temporibus illud Sacramentum per Chrismationem datur, licèt ipsum olim Apostoli per solam impositionem manuum, & orationem contulerint. 2. Ordinatio septem prioribus sæculis per nudam manuum impositionem tradebatur, hac verò ætate per sacrorum vasorum contactum solet administrari. 3. Ante Concilium Tridentinum consensus, etiam clandestinus satis erat ad Matrimonium, nunc autem in multis provinciis publicus ita requiritur, ut eo non exhibito, Matrimonium, etiam quoad substantiam, non valeat.

Resp. ad primum, 1. Non esse de fide, quod nunc Chrismatio ad essentialem Sacramenti Confirmationis materiam spectet: id enim Sirmondus e Societate Jesu, Sambovius Doctor, & Professor Sorbonicus, multique alii Theologi inficiantur. 2. Contendunt alii authores, in conferenda Confirmatione, Ecclesiam semper adhibuisse Chrismationem, tamquam partem essentialem: quod & nos suo loco ostendemus.

Resp. ad secundum, 1. apud Græcos Catholicos, etiam his temporibus, ordinationem sola manuum impositione, tamquam materia essentiali, perfici. 2. Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii Magni, Morinus in suo de sacris ordinationibus libro, idem de ea, etiam apud Latinos spectata, conantur ostendere, exponuntque de materia accidentali, seu ad clariorem potestatis, quæ in ordinatione confertur, explicationem addita, Eugenii IV. definitionem, qua, materiam sacramenti Ordinis esse vasorum traditionem, asseritur. Sed de illa lite feretur a nobis judicium, cùm de Ordine disseremus.

Resp. ad tertium, ante Concilium Tridentinum materiam sacramenti Matrimonii fuisse legitimum contrahentium consensum, quo quidem in capite nulla mutatio contigit; hoc enim unum Concilii decreto sancitum est, nempe consensum non censendum deinceps legitimum, nisi sit publicus, seu nisi coram duobus saltem testibus, & Parocho exhibeatur.

CAPUT QUARTUM.

Utrum Sacramentorum forma sit verbum concionatorium.

CONclusio. Forma Sacramentorum non est verbum 1. Promissorium, 2. nec Concionatorium, 3. sed merè Consecratorium.

Probatur prima pars contra Lutherum. Validum est Baptisma datum per hæc sola verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. At non obscurum est in allatis verbis nullam omnino promissionem contineri.

Probatur secunda pars contra Calvinum. 1. Nulla est concio in forma baptismatis. 2. Concio infantibus baptisma recipientibus foret inutilis: eam enim concionem nec audiunt, nec intelligunt. Non est quoque necessaria propter adstantes, cùm Sacramentum valeat, etiamsi nulli testes adsint, qui ministrum concionantem audiant.

Probatur tertia conclusionis pars. Per verbum consecra-

secratorium Catholici intelligunt verbum efficax, seu effectus spiritualis productivum, vel respectu materiæ, supra quam profertur, vel respectu personæ, ad quam dirigitur. Atqui forma Sacramentorum est hujusmodi. Nam 1. materiam, supra quam profertur, ex prophana aliquo modo reddit sacram. *Non est aqua prophana & adultera* (inquit Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 10.) *supra quam nomen Dei invocatur, etiamsi a prophanis, & adulteris invocetur*. 2. Illa eadem forma in iis, qui Sacramentum recipiunt, characterem, aut gratiam, aut utrumque simul produci de Sacramentis in particulari agentes, ostendemus.

Objicies 1. Dici non potest, cur Antiqui sine præmissis concione, & promissione nullum Sacramentum conferrent, si nec concio, nec promissio ad illius valorem requirantur. 2. Afferri non potest ratio, cur Augustinus, Tractatu 8. in Joannem, asserat verbo Sacramentali virtutem non inesse ex eo, quòd dicatur, seu proferatur, sed tantùm ex eo, quòd credatur, si verbum sacramentale concionatorium non sit, aut promissorium.

Resp. ad primum. 1. Majores nostros in casibus in quibus urgebant temporis angustiæ. Sacramenta sine præmissa aut concione, aut promissione contulisse: tunc enim solis verbis Evangelicis utebantur. ut patet ex exemplo, quod refert Eusebius de Serapione sene, ad quem presbyter in lectulo præ infirmitate decumbens, Eucharistiam per puerum misit qui fine ulla concione, eam illius ori infudit. 2. Dici potest, documenta plerumque ante collationem Sacramentorum a Patribus adhiberi solita, nuiquam habita fuisse tamquam partes Sacramentis essentiales: cum enim de valore alicujus Sacramenti dubium antiquius exortum est, Patres, an habita fuisset concio, vel data promissio, non expendebant, sed utrum verba Evangelica, v. g. in Baptismate invocatio SS Trinitatis, a ministris prolata fuissent, inquirebant diligentissimè.

Resp. ad 2. Augustinum velle Sacramentali verbo vim inesse, non quatenus est sonus materialis, sed prout fidei mysterium, & Divinæ virtutis invocationem continet. Ratio solutionis ex ipsomet Augustino petitur, quippequi relatis in objectione verbis, hæc alia subjiciat, *Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei*.

CAPUT QUINTUM.

De Divisione formæ Sacramentalis.

Trita est, ac celebris formæ Sacramentalis in Absolutam, & Conditionalem divisio. Prior actionem Sacramentalem absolutè enunciat, ut hæc verba, *Confirmo te*; Posterior vero, eamdem actionem exprimit præsuppositâ conditione, ut hæc sententia, *Si ta non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. De hac conditionali forma duo vocari possunt in controversiam. 1. enim quæri potest, utrum in Ecclesia Catholica quovis sæculo adhibita fuerit. 2. quibus in circumstantiis minister eam usurpare teneatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum forma conditionalis quovis sæculo fuerit in usu?

Conclusio 1. Formam conditionalem in Sacramentorum confectione Majores nostri per septem priora sæcula non adhibuerunt.

Probatur 1. Formæ conditionalis in causa, de qua agitur, nullum omninò in Ecclesiasticis septem priorum sæculorum monumentis vestigium reperitur, licèt multi casus occurrerint, in quibus de valore Sacramenti characterem imprimentis dubitatum fuit. Interrogatus fuit S. Cyprianus a Maguo epistola 76. an baptisma per aspersionem Cliuicis datum valeret, ejusdemque esset virtutis cum eo, quod per immersionem confertur. S. Martyr a multis Episcopis hujusmodi baptisma, ratum haberi quidem, sibi tamen videri iterandum respondit, nihil de iterata cum forma conditionali collatione locutus. Cæcilianus Archiepiscopus Carthaginensis, cùm schismatis Donatistarum authores illius ordinationem impeterent; causati eam nullam esse, utpote a Felice Aptungitano sacrorum codicum traditore collatam, alteri se ordinationi recipiendæ paratum exhibuit; nec tamen conditionis alicujus meminit, quæ adhiberetur in forma Sacramenti propter dubium de valore ordinationis a Felice Episcopo receptæ.

Probatur 2. Patres septem priorum sæculorum de iterando aliquo Sacramento agentes, rationem attulerunt, qua forma conditionalis prorsùs excluditur, Enim vero asseruerunt, non esse periculum iterandi Sacramentum, quamvis in dubio, an valeat per formam absolutam, conferatur. Inter illos Patres sic Leo Magnus ep. 37. loquitur: *Non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omnino nescitur*. Sic etiam Gregorius Magnus Epistola 31. ad Felicem in Sicilia Episcopum de Baptismo, Confirmatione, & Ecclesiarum consecratione dubiis, *Non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum*.

Conclusio 2. Circa octavum sæculum forma conditionalis in Sacramentorum confectione apud Latinos cœpit adhiberi.

Probatur Capitularia Caroli Magni sæculo nono conscripta, certis in casibus formæ conditionalis usum præscribunt, lib. 6. c. 181. hæc leguntur. *De quibus dubium est utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen præmissis verbis, Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Conclusio 3 Forma Conditionalis in omnibus Latinorum Ecclesiis saltem a XIII. sæculo adhibetur.

Probatur. Omnes Latinæ Ecclesiæ jus Canonicum sæculo XIII. authoritate Gregorii Papæ IX. promulgatum, amplexæ sunt. Atque illud jus Canonicum formæ conditionalis praxim injungit. *Extra de Baptismo cap.* 2. hæc habentur. *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis. Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, Ego te Baptizo &c.* Quod autem ante illud tempus ubique apud Occidentales conditionalis illa formula usum non obtineret, ostenditur ex eo quòd nonnulli Doctores paulò ante Gregorium IX. eam rejiciendam esse docerent. Hæc enim tunc Petrus Cantor Doctor Parisiensis scribebat, *In Confirmatione, vel in Baptismo, de quo dubitatur an sit collatus, non approbamus conditionem appositam sic, Si non es baptizatas &c. quia Sacramenta non sunt conditionaliter conferenda*.

Objicies 1. Alexander III. Romanus Pontifex anno 1159. inauguratus, decrevit id quod *Extra de Baptismo cap.* 2. laudatur ex jure Canonico, *De quibus dubium est* &c. 2. Odo-Parisiensis Episcopus, qui Alexandro III. coætaneus fuit, hanc in suis statutis Synodalibus Baptismatis formulam tradidit, *Petre si es baptizatus, non te baptizo, sed si non es baptizatus, Ego te baptizo* &c. Ergo ante sæculum XIII. in omnibus Ecclesiis Occidentalibus formæ conditionalis usus vigebat.

Resp. ad primum, Alexandri III. decretum ad omnium Ecclesiarum Latinarum notitiam non pervenisse, proindèque executioni mandatum non fuisse antequam in corpus juris Canonici authoritate Gregorii Papæ IX. relatum fuisset.

Resp. ad secundum, Odonis statuto evinci quidem Ecclesiæ Parisiensis praxim, sed ex ea praxi cæterarum Occidentalium Ecclesiarum usum nemo Theologus colliget.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus in circumstantiis forma Conditionalis usurpari debeat.

Conclusio 1. Forma Conditionalis ante centum ab hinc annos adhibita fuisse videtur tantùm in dubio de Sacramentis, quæ characterem imprimunt.

Probatur. Doctores, qui post decretum Alexandri III. usque ad Synodum Tridentinam scripsere, iis locis

eis, quibus adhibendam esse formam Conditionalem asserunt, Sacramentorum, quæ non possunt iterari, Baptismi scilicet, Confirmationis, & Ordinis, meminerunt: alia haud dubiè non prætermissuri, si in illorum administratione formæ conditionalis usus invaluisset.

Conclusio 2. A centum ferè ab hinc annis etiam in Sacramentis, quæ possunt iterari, formæ Conditionalis usus obtinuit.

Probatur. Invaluit usus formæ Conditionalis in collatione Absolutionis, quum dubia est, vel ex parte subjecti, seu quando nescitur moralitet, an subjectum sit illius capax, ut fidelis subito morbo obmutescens; vel ex parte ministri, qui dubitat, an verba omnia essentialia protulerit. Eo duplici in casu nonnulli scholastici, formam Conditionalem adhibendam esse contendnut. Idque (ajunt) ob debitam Sacramento reverentiam, & ne is, qui ad ipsum bona fide accessit, necessaria fortè illius receptione privetur. Notandum est, cum de subjecti ad Sacramentum recipiendum idoneitate dubium exoritur, usum formæ Conditionalis in Ritualibus non esse præscriptum: unde docent non ultimi ordinis Theologi, satius esse illam tunc non adhibere. Æquiùs censere nobis videntur, qui asserunt, unumquemque ministrum in Sacramentorum confectione regulis Ritualis ejus Ecclesiæ, cui est adscriptus, teneri adhærere, ita ut de Sacramenti forma, quæ in Rituali describitur, nec minuat quidquam, nec detrahat.

Conclusio 3. Minister forma Conditionali potest uti tantùm post diligens examen, an Sacramentum, de quo dubitat, validè fuerit collatum.

Probatur 1. Antiqui nullum Sacramentum, nisi prævio diligenti examino, iterarunt. Id ex his tertii Concilii Carthaginensis verbis evincitur. *Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo esse baptizandos.* Eodem modo loquitur Gregorius Magnus epistola 31. ad Felicem, Eadem quoque ratione Gregorius III. epistola 4. ad Bonifacium 2. Capitularia Caroli magni, & Alexander III. definiunt baptisma. etiam sub conditione, non esse iterandum, nisi dubium sit, an reverà illud Sacramentum collatum fuerit. At quodlibet prudens dubium supponit prævium, & diligens examen. 3. Recentiorum scriptorum, in hocce casu ad meram, nudamque disciplinam pertinente, testimonium satis est, ut sic hodiernæ Ecclesiæ praxim ferre demonstretur, nempe formam conditionalem sine præmissa diligentia, & prævio examine, an Sacramentum validè datum fuerit, non esse usurpandam. Advertit Dominicus Soto in Sacramentis, quæ characterem non imprimunt, non esse opus tanto examine, ut adhibeatur conditionalis forma., quanto in iis, quæ ex natura sua iterari non possunt; Nam in pœnitentia (ait laudatus author) minus dubium, modo tamen sit fundatum, satis est, ut sub conditione forma possit iterari, v. g. cum minister certus non est, an eam debitè protulerit.

Caput Sextum.

De mutatione quæ fieri potest in forma Sacramenti.

MUtatio, quæ fit in forma Sacramenti; nonnumquam illud irritum ac nullum efficit, aliquando verò illicitum tantùm: quandonam alterutrum contingat, seorsim est exponendum.

Articulus Primus.

Quænam in forma mutatio Sacramentum irritum efficiat?

IN confesso est apud omnes mutationem, quæ formæ sensum non tollit, non impedire quin Sacramentum valeat: nec mirum, quippe quæ illius substantiam non attingat, sive illa mutatio per additionem, detractionem, interruptionem temporis, aut verborum transpositionem acciderit. Constat quoque mutationem, qua formæ sensus tollitur, ipsam omnino irritam efficere, ex quocumque capite contigerit illa mutatio.

Conveniunt præterea Theologi mutationem, quæ initio dictionis contingit, frequentius & facilius formæ sensum impedire, quam ea. quæ in fine tantùm, sive per balbutiem, sive per ignorantiam accidit. Sed non levis est difficultas de mutatione, quæ fit in forma a ministro, a quo in falsum, aut hæreticum sensum detorquetur.

Conclusio 1. Mutatio, quæ in forma Sacramenti fit a ministro, qui ejus sensum in erroneum, aut hæreticum detorquet, non tollit veritatem formæ, si error, aut hæresis in ea non exprimantur.

Probatur. Error non expressus non tollit significationem formæ, cùm significatio formæ non ex intentione proferentis, sed ex verbis ipsis usu communi ad aliquid significandum adhibitis desumatur. Confirmatur ex eo, quòd legitima materiæ applicatio cum intentione inducendi errorem facta, non tollat veritatem materiæ, nec efficiat, ut non valeat Sacramentum, ut patet ex Ecclesiæ praxi, qua docemut, iteratum non suisse Arianorum baptisma, quamvis per triplicem immersionem, quam more catholico illi hæretici adhibebant, se Trinitatem in tres substantias dividere testari vellent, seu quamvis tres esse in SS. Trinitate naturas significare sibi (ut ait Gregorius Magnus ad Leandrum Hispalensem Episcopum scribens) proponerent.

Objicies. Sacerdos, qui proferret hæc verba, *hic est Sanguis meus*, & errans cum Lutheranis intelligeret per pronomen, *hic*, localem tantùm præsentiam sanguinis Christi, non verò transubstantiationem: vel per verbum, *Est*, vellet tantùm cum Calvinistis metaphoricum sensum designare, Sacramentum nequaquam conficeret, quamvis suam non exprimeret hæresim; siquidem non haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sibi scilicet non proponeret mutationem vini in sanguinem Christi.

Resp. 1. in illo Sacerdote esse propositum, seu intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, si seriò tamquam Ecclesiæ minister formam supra materiam moraliter præsentem proferat; ita respondent ii, qui ad valorem Sacramenti exteriorem intentionem satis esse contendunt.

Resp. 2. illum eumdem Sacerdotem velle quoque etiam interiùs facere, quod facit vera Ecclesia, licèt id intendat, quod Calviniana, vel Lutherana efficiunt: nam ideò vult facere id, quod vel Calviniana, vel Lutherana Ecclesia efficiunt, quòd eas veram esse Christi Ecclesiam arbitretur.

Conclusio 2. Expressio erroris in forma Sacramenti non impedit illius veritatem, si ejus sensum non tollat.

Probatur. Nonnulli Græci Scismatici baptizantes his verbis, *baptizatur, vel baptizetur servus Christi*, validè baptizant & consecrant, licèt duplicem errorem velint exprimere, nimirùm Latinos validè non baptizare hac formula, *Ego te baptizo*, nec per ista, *hoc est Copus meum*, verè consecrare: indicativum enim illum modum & absolutum, quo Latini utuntur, exemplo, & institutione Chisti (ut suo loco videbimus) repugnare contendunt. Asserunt quoque, consecrationem non fieri per verba illa Evangelica *Hoc est Corpus meum*, sed per orationem, quæ in liturgiis Græcis ea verba subsequitur, & sic incipit: *Fac Domine* &c.

Objicies 1. Zacharias Papa (ut habetur capite *Retulerunt) de consecratione dist.* 4. approbat, seu validum judicat, Baptisma datum cum hac formula; *Ego te Baptizo in nomine Patria, & Filia., & Spiritua sancta*, si tamen is, qui sic Catechumenum abluit, errorem in Ecclesiam inducere non intenderit, illud e contrà invalidum decernit, si errorem mente præconceptum voluerit exprimere, seu asserere esse in SS. Trinitate filiam. Ergo error in Sacramenti forma expressus, si cum interiori intentione illum eumdem errorem designandi conjunctus sit, Sacramentum prorsùs tollit, quamvis formæ sensum non impediat. Nam error his verbis, *In nomine patria* &c. expressus baptisma-

ptismatis formam substantialiter non corrumpit; alioquin Zachariæ Pontificis ea forma rata non fuisset, & valida.

Resp. hæc verba, *In nomine Patria* &c. esse æquivoca: quando autem ex sola linguæ Latinæ imperitia a ministro bona fide proferuntur, ad baptismatis formam per sensum Catholicum, quo ea minister sumit, determinantur: quando verò proferuntur ex malitia, nempe ut error designetur, tunc determinantur ad aliud significandum, quàm mysterium in forma Sacramenti contentum. Meritò igitur Sacramentum per ea sic datum Zacharias Papa proscripsit, cum illo in casu formæ sensum omnino tollant.

Objicies 2. Qui sic consecraret, *Hic est Sanguis meus, qui pro vobis non effundetur*, validum Sacramentum non conficeret: & tamen sensus formæ maneret integer; Prius enim (ex Philosophis) non pendet a posteriori; idque patet in his iisdem verbis, *Hic est Sanguis meus*, quorum sensus non pendet ab istis, *qui pro vobis effundetur*; iis quippè omissis, Theologi consecrationem valere definiunt.

Resp. integrum formæ sensum non stare, si pronomen, *Qui*, sit determinativum istius prædicati, *Sanguis*; remanere verò, si idem pronomen non sit determinativum prædicati, sed e contra sit alterius propositionis initium. Cùm autem illud pronomen ex se sit indifferens, vel ut sit pars prædicati, vel ut alicujus propositionis sit exordium, utrum hoc, vel illo modo se habeat, ex intentione proferentis est dijudicandum, sicut ex illa eadem intentione determinari debet, an valeat baptisma datum *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatæ Mariæ Virginis*. Cum enim illa verba ex se sanum sensum, vel hæreticum pati possint, ex intentione sic baptizantis determinentur necesse est. Ita ratiocinatur S. Thomas 3. part. quæst. 60. art. 8. *in corpore*, ubi sic loquitur, *forte autem si diceret, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & beatæ Virginis Mariæ, non esset baptismus; quia dicitur* 1. ad Corinth. 1. *Numquid pro vobis Paulus crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sed hoc verum est, si sic intelligatur in nomine beatæ Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptizatus consecratur: talis enim sensus esset contrarius veræ fidei, & per consequens tolleret veritatem Sacramenti; si verò sic intelligatur, quod additur; Et in nomine beatæ Virginis, quasi nomen beatæ Virginis aliquid operetur in Baptismo, seu, ut ejus intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio formæ Sacramenti.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Quænam mutatio in forma reddat Sacramentum illicitum.

Conclusio 1. Peccat lethaliter, qui vel ex gravi negligentia, vel ex ignorantia culpabili, vel ex contemptu, ita formam immutat, ut Sacramentum irritum, & nullum reddatur.

Probatur. Minister, de quo conclusio, reus fit sacrilegii: rem nimirùm maximè sacram voluntariè reddit nullam, & invalidam, efficitque ut irrisoriè forma proferatur. Ea de causa Baptismatis iteratam collationem inter gravissima crimina Majores nostri numerarunt.

Objicies 1. Laicus in casu necessitatis baptizans invalidè, eo quòd per ignorantiam formæ sensum corrumpat, non peccat lethaliter; tunc enim (ut supponitur) actum charitatis in proximum exercere sibi proponit.

Resp. ignorantiam nonnullos quidem laicos in casu necessitatis cum forma alioquin invalida baptizantes a culpa eximere; Sed ab ea obstetrices non reddit immunes: ritum enim baptismatis callere tenentur, antequam ad obstetricis officium admittantur, ita Romano rituali præscribitur: ita etiam secunda Synodo Cameracensi titulo sexto definitum legimus.

Objicies 2. Qui tantam mentis evagationem pateretur, ut aliquod verbum formæ Sacramenti essentiale prætermitteret, non fieret reus peccati mortalis, Ergo &c.

Resp. nego ant. si nimirum illa mentis evagatio vel in se, vel in sua causa foret voluntaria.

Conclusio 2. Aliquid, etiam leve, in forma Sacramenti immutare ex contemptu, grave est peccatum. Crimen est pariter, si mutatum, aut omissum, aut additum non levis sit momenti, quamvis contemptus absit, ac formæ sensus integer remaneat.

Probatur prima pars. Qui in Sacramentis res minimas nihili pendit, Ecclesiam ipsam, & Spiritum, quo regitur, & quo movente res illas instituit, aspernatur. Nec est necesse, ut ille contemptus sit actualis, sufficit quippè ad crimen quòd sit interpretativus: hujusmodi esset in eo, qui sciens, ac volens, data opera, ac de industria, in consecratione Corporis Christi particulam, *Enim*, omitteret.

Probatur altera conclusionis pars. Qui insignem formæ partem omittit, etiam secluso scandalo, & integro remanente sensu, in re gravi, Ecclesiæ præceptum infringit. Res enim illa, quæ prætermittitur, vel Sacramento conciliat reverentiam, vel ejus effectum explicat, ut hæc verba, *Novi, & æterni Testamenti*, quæ istis, *hic est calix Sanguinis mei*, inter consecrandum calicem adduntur.

Objicies. Preces illæ, *Misereatur* &c. *Indulgentiam* &c. possunt sine crimine omitti a Sacerdote, antequam pœnitentem absolvat, quamvis illæ eædem preces quidpiam non levis momenti esse videantur. Ergo nec etiam reus criminis fit minister, qui partes aliquas, formæ nequaquam essentiales, licèt notabiles sint, prætermittit: Illæ enim sicut & istæ soli Ecclesiæ suam debent institutionem.

Resp. 1. a nonnullis negari antecedens, cum nempè ea omissio fit nulla urgente necessitate, vel periculi vitæ, vel devotionis plurium, qui eodem die peccata deponere cupiunt. Respondeo 2. & quidem verè, negando preces de quibus agitur, esse aliquid grave in Sacramento pœnitentiæ; nonnulla enim ritualia, ut videre est in Lingonensi, ministro concedunt, ut ea omittat cum eorum confessiones excipit, qui sæpius sua peccata apud sacerdotem deponunt. Unde non valet argumenti, quod fuit objectum, consequentia.

Conclusio 3. Peccat graviter qui, forma aut materia nequaquam immutatis, modum tamen, quo ex Ecclesiæ mandato applicari debent, immutat.

Probatur. Modus, quo Ecclesia jubet, ut Sacramenti materia, & forma applicentur, censetur res gravis. Sic Latinus minister, qui in baptismo conferendo hac Græcorum valida alioquin formula, *baptizatur servus Christi* &c. uteretur, criminis reus fieret.

Objicies. Usus linguæ Latinæ apud Occidentales, & Græcæ apud Orientales, est modus in duabus Ecclesiis generatim observatus. Atqui is, qui Sacramenti alicujus formam vulgari lingua, v. g. Gallica proferret, non peccaret graviter; imò ne venialiter quidem, saltem in Baptismatis administratione: expedit scilicet nonnunquam, ut patrio idiomate conferatur, ut patet in obstetricibus, quæ lingua alioquin sibi ignota loquentes, essentialem formæ sensum labefactare possent.

Resp. eos non peccare, qui Sacramenta ex officio non conficiunt, quamvis patria lingua utantur. Secus verò, qui ea ex officio, & solemniter dispensant: ita sensisse videtur synodus Tridentina sessione 7. canone 13. de Sacramentis in commune, ubi hæc habentur: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*



QUÆSTIO QUARTA.

De Sacramentorum authore.

Duo de Sacramentorum authore expendenda sunt, unum ad fidem pertinens, utrum nempè Christus omnia legis novæ Sacramenta instituerit? alterum

rum verò ad Scholasticam Theologiam spectat, scilicet, utrum Christus omnium legis Evangelicæ Sacramentorum immediatus sit author.

Conclusio 1. Christus omnia legis novæ Sacramenta instituit.

Probatur 1. Eos, qui negarunt Christum instituisse singula legis novæ Sacramenta, Concilium Tridentinum sess. 7. can. 1. de Sacram. in communi, anathemate damnavit. 2. Sacramentorum institutio virtutis, per quam gratia sanctificans producitur, cum signis sensibilibus conjunctionem includit. At nec ipsos tyrones latet, conjunctionem hujusmodi posse a solo Christo fieri, cùm gratia & signa, quæ sensibus subjacent, nulla inter se habeant naturalem proportionem, eo quod diversi omnino sint ordinis.

Quæres. An Christus, ut Deus est, an verò, ut homo, Sacramentorum sit author?

Resp. Christum Sacramenta instituisse, ut Deus est, quia, ut Deus est, interiorem Sacramentorum effectum operatur, non verò, ut est homo, cùm Sacramenta agant iis in locis, quibus physicè præsens non est humanitas Christi.

Nec illi responso adversatur Tridentini textus, quo definitur pœnitentiæ ministros verè peccata per absolutionem remittere, proindeque eos Sacramenti effectum operari, & a fortiori Christum ipsum, ut est homo.

Non adversatur, (inquam.) Nam sacerdotes peccata non remittunt per actionem sibi propriam, quæ pœnitentis animam immediatè afficiat, sed per actionem, quæ solum Sacramentum, seu partes, ex quibus constat, attingit, ea ferè ratione, qua quis domum comburere dicitur, quod facem, quæ incendium parit, illi admoveat.

Nec idem responsum labefactat, quod aliqui opponunt, sequi scilicet Christum, cùm, ut homo, nec sit author Sacramentorum, nec minister, nihil in illa potestatis, prout homo est, habere.

Si quidem 1. Christus ut homo, præcipuus est Sacramentorum minister; inferiores verò Sacerdotes, secundarii tantùm; quippe qui illius vicem gerant, ejusque sint veluti instrumenta: per os enim sacerdotum Christus loquitur, & per eorum manus agit. 2. Christus, ut est homo, in Sacramenta omnia quamdam habet potestatem, quam Theologi potestatem Excellentiæ dicunt, quæ quidem posita est, tum in eo, quòd nonnisi ex illius meritis operentur, tum in eo, quòd Sacramenta non dentur nisi ejus nomine, seu nonnisi authoritate ab ipso accepta, ab hominibus celebrentur.

Conclusio 2. Non est de fide Christum *immediatè* omnia novæ legis Sacramenta instituisse.

Probatur 1. Immediata institutio omnium Sacramentorum facta a Christo, nec in Scriptura, nec in Traditione legitur. 2. Patres Concilii Tridentini definientes Christum instituisse omnia Sacramenta de industria & data opera, ab his vocibus, *Per se ipsum immediatè*, abstinuerunt. Agentes de Extrema-unctione asseruerunt *insinuatam* fuisse Marci 6. capite, non dixerunt verò *institutam*, ne scilicet (inquiunt historici laudatæ Synodi) damnarent Hugonem a sancto Victore, & Magistrum sententiarum, qui eam a sancto Jacobo, ex præcepto tamen, & commissione Christi Domini, institutam fuisse contenderunt. Præterea cavit semper sacra Synodus, ne opiniones inter Catholicos hinc & indè salva fide agitari solitas proscriberet; sed in id tantùm incubuit, ut Lutheranos, Calvinistas, aliosque sectarios damnaret: quod quidem, ut exequeretur satis fuit, ut contrà eos decerneret septem Sacramenta novæ legis de jure esse divino; quod omnes hæretici recentiores inficiabantur.

Conclusio 3. Sententia affirmans Christum *immediatè*, & per se ipsum instituisse septem Sacramenta novæ legis, negativa est probabilior; vixque jam temeritatis effugeret notam, qui secus sentiret.

Probatur prior pars conclusionis. Concilium Tridentinum in opinionem affirmantem magis, quàm in negantem propendere videtur cùm definiit. Nam 1. Sacramenta omnia instituta fuisse a Christo, de institutione immediata videtur locutum. Et verò, sessione 21. de ritibus in dispensatione Eucharistiæ servari solitis agens, non ait, illos ritus, quos hæretici damnabant, institutos fuisse a Christo, sed ab Ecclesia, licèt per potestatem ab eo acceptam: quod quidem dici etiam posset de Extrema-unctione, si ex commissione Christi, eam per Jacobum Ecclesia (ut adversariis placet,) instituerit.

2. Laudata Synodus sessione 24. canone 1. differens de Extrema-unctione, quam heterodoxi a Christo fuisse institutam negabant, nihil aliud in ipsam, quàm nudam promulgationem, Jacobo tribuit: quod tamen non fuisset satis, si (ut volunt nonnulli Scholastici) Jacobus fuisset illius institutor immediatus. Id in exemplo legati videre est, qui ubi ex mandato, & authoritate Regis legem aliquam condidit, non dicitur simpliciter illius ejusdem legis promulgator, sed author potiùs, & institutor appellatur.

Probatur 2. Non fuit conveniens, ut Apostolis Christus committeret curam, faceretque facultatem aliqua Sacramenta instituendi, tum quòd Sacramenta sint veluti fundamenta, quibus Ecclesia nititur, tum quòd alioquin Christus, spem saltem ex parte, in Apostolis collocandi locum fidelibus dedisset; periculum enim fuisset, ne ii, qui justificationem per Sacramenta, ab Apostolis instituta, fuissent recepturi, se eorumdem Apostolorum nomine, seu invocatione, sanctitatem consequi posse arbitrarentur.

Probatur 3. Nusquam Apostoli, se esse aliquorum Sacramentorum institutores prædicarunt, licèt multos ritus in Sacramentorum dispensatione solitos observari, sibi tamquam authoribus vindicaverint. Præterea nullus Pater per duodecim priora sæcula jus illud, de quo agitur, Apostolis adscripsit: unde Magistri sententiarum eam facultatem Apostolis circa Extrema-unctionem concedentis doctrina novitatis, duodecimo sæculo insimulari debuit.

Objicies. Augustinus epistola 118. c. 1. hæc scribit: *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur; datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri.* Atqui omnium Sacramentorum institutio non est scripta, sed aliquorum tradita tantùm, ut Estius, cui non pauci subscribunt Theologi, de Matrimonio contendit.

Resp. Augustinum loqui de consuetudinibus, quæ ubique observantur, quæque nec scriptæ sunt in sacris codicibus, neque in Patribus: at institutio divina, & immediata Sacramentorum, ipsius etiam Matrimonii, scripta est in Patribus (ut suo loco ostendemus.)

Probatur altera conclusionis pars, ex eo quòd jam post Concilium Tridentinum nemo Theologus, Sacramentum ullum non fuisse a Christo immediatè institutum, propugnet, quamquam nonnulli, qui antè ejus celebrationem floruerunt, seu Confirmationis, seu Extremæ-unctionis institutionem, mediatè tantùm Christo tribuerint.

QUÆSTIO QUINTA.

De Ministris Sacramentorum.

Quæstiones agitari solitas de ministro Sacramentorum, ad has methodi causa, reducemus: 1. utrum soli homines sint ministri Sacramentorum? 2. an in ministris requiratur aliqua intentio, 3. utrum in eis necessaria sit sanctitas?

CA-

Caput Primum.

Quinam sint Sacramentorum ministri.

CONclusio 1. Soli homines, sed non omnes, sunt ordinarii Sacramentorum ministri.

Probatur prima pars. Solos homines alloquebatur Christus, cum Sacramentorum confectionem, & dispensationem præcepit in Evangelio.

Nec est, quod quis reponat, eo argumento probari solos viatores posse Sacramenta & conficere, & dispensare: quod tamen videtur absurdum; tum, quòd beatis character sacerdotalis receptus in terris adhuc inhæreat: tum etiam, quòd Patres de necessariis ad Sacramenti validitatem agentes, hæc tantùm quatuor requirant, materiam, formam, personam ministri, & ejus intentionem, de quinto verò, scilicet quòd minister debeat esse homo viator, omnino silent.

Non est, (inquam) quod quis sic argumentetur; nam 1. character in cœlis ad ornatum dumtaxat, non verò ad officii potestatem remanet. 2. Status viatoris continetur in conditionibus, quas Patres in ministro exigunt. Paulus eum viatoris statum videtur præsupponere ad Hæbreos 5. ubi ait hujusmodi debere esse ministrum, *qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.*

Probatur secunda pars. 1. Frustra ex Christi institutione esset in Ecclesia diversitas graduum, & officiorum, quæ Paulus ad Ephesios 5. recenset, si penes singulos fideles essent Sacramentorum aut confectio, aut dispensatio. 2. Cuilibet Sacramento determinatus fuit a Christo minister peculiaris, ut suo loco dicetur. 3. Concilium Tridentinum conclusionem propositam definit sess. 7. de Sacramentis in communi canone 10. contra Lutherum, cujus hunc articulum jam ante damnaverat Leo Papa X. *Ubi non est Sacerdos, æquè potest quilibet Christianus* (administrare Sacramenta) *etiamsi mulier, aut puer esset: qui enim baptizatus est, spiritum Christi habet, ubi autem spiritus Christi, ibi omnium potestas, & libertas.*

Conclusio 2. Angeli possunt esse extraordinarii Sacramentorum ministri.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ sic loquentis 3. p. q. 64. art. 7. ad 2. *Deus virtutem suam non ita alligavit Ecclesiæ ministris, quin etiam Angelis possit virtutem attribuere ministrandi in Sacramentis.* 2. Deus per se ipsum, & immediatè effectum Sacramenti producere potest: ergo & per sacramentalis formæ applicationem factam ab Angelis supra materiam (ut par est) præsentem.

Objicies 1. Angeli loqui non possunt: ergo nec proferre formam Sacramenti, quæ in verbis consistit. Prætereà iniqui Angeli baptisma, quod valeat, conferre non possunt. Nam post Energumenos baptizantes iterum baptizavit Ecclesia: idipsum Firmilianus Cæsariensis in Cappadocia Episcopus suo testimonio confirmat ad Cyprianum scribens de muliere a diabolo obsessa, quæ multos baptizarat in Oriente quousque rursus Episcopi abluerunt. Argumento a datu ab ea muliere baptismate Stephanum Papam, cui baptisma ab hæreticis collatum probatum erat, convellit mox laudatus Firmilianus: *Cum baptizaret quoque multos* (inquit) *usitata, & legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab Ecclesiastica regula videretur. Quid igitur de hujus Baptismo dicemus, quo nequissimus dæmon per mulierem baptizavit? Numquid & hoc Stephanus, & qui illi consentiunt comprobant? Maximè, cui nec symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima, & Ecclesiastica defuit? Potest credi, aut remissio peccatorum data, aut lavacri salutaris regeneratio ritè perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis, tamen per dæmon gesta sunt: nisi & dæmonem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti gratiam baptismi dedisse contendunt, qui hæreticorum baptisma defendunt.*

Resp. ad primum: Angelos loqui posse per corpus assumptum, ut revera locutus est is, qui de ru-

bo Moysem sic Dei nomine affatus est. *Ego sum Deu Patris tui*, &c.

Resp. ad secundum, ideò iterum baptizatos fuisse tinctos ab illa muliere obsessa, de qua Firmilianus, quòd defectu libertatis non fuerit judicata habuisse intentionem requisitam faciendi, quod facit Ecclesia. Præthereà diabolus per eam fortè baptizarat. At diabolus tantam a Deo potestatem nusquam accepit: unde impia est hæc Lutheri assertio libro de missis privatis, & unctione sacerdotum. *Si diabolus ipse veniret, & ego postea rescirem diabolum sic irrepsisse in officium pastoris Ecclesiæ specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, celebravisse missam, & absolvisse a peccatis, & a tali munere functum esse juxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri Sacramenta, ideò non esse inefficacia, sed verum baptismum, verum Evangelium, veram absolutionem, verum Sacramentum corporis, & sanguinis Christi nos accepisse.*

Caput Secundum.

De intentione in ministris Sacramentorum requisita.

INtentionem philosophi definiunt actum voluntatis quo quis rem aliquam eligit. Dividitur in actualem, virtualem, & habitualem. Prior, est præsens volitio finis per medium ad alium ordinatum: altera est ea, quæ virtute actualis præteritæ actionem, humanam dirigit; postrema est ea, quæ fuit actu elicita, & non fuit revocata, sed est interrupta. De intentione sic explicata, & divisa Theologi de Sacramentis agentes tria quærunt. 1. Utrum, & quæ intentio sit necessaria in ministro, ut Sacramentum ab eo confectum valeat: 2. Quodnam debeat esse necessariæ intentionis objectum: 3. Utrum retentio intentionis ex parte ministri, qui ritum externum Sacramenti peragit, illius valorem impediat.

Articulus Primus.

Utrum, & quæ intentio sit necessaria in ministro, ut confectum ab eo Sacramentum valeat?

COnclusio 1. Aliqua intentio necessaria est in ministro, ut Sacramentum ab eo confectum valeat.

Probatur. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut actio, per quam conficitur, sit humana, seu ex deliberationo procedat: defectu illius conditionis baptisma ab Energumenis datum, quibus non fuerant lucida intervalla, maiores nostri iterabant: atqui, ut actio sit humana, requiritur, ut ex intentione, seu ex libera electione procedat: ergo &c.

Objicies 1. Augustinus Tractatu 5. in Joannem, asserit valere baptisma ab ebrioso datum: at in ebrioso nulla est omnino intentio, cum nulla sit libertas. 2. Novatianus Antipapa tertio Ecclesiæ sæculo a tribus Episcopis vino temulentis consecratus fuit, & tamen illius ordinatio quoad substantiam, & quoad characteris productionem valuisse videtur.

Resp. ad 1. Augustinum non loqui de ebrio, seu de eo, qui vino actu madet, sed de ebrioso, sive de eo, qui frequenter sese vino ingurgitat. In illo nulla est libertas; at in illo potest esse, cum nempè actu ebrius non est. Resp. ad 2. invalidam fuisse (etiam quoad substantiam,) Novatiani in Episcopum consecrationem. De ea sic loquitur Cornelius Papa in sua ad Fabium Antiochenum epistola, quam refert Eusebius lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 33. *Qui cum advenissent* (Episcopi a Novatiano Romam vocati) *eos ille a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima temulentos, & crapula oppressos, adumbrata quadam, & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim cogit, cumque nullo sibi jure competentem per fraudem, atque insidias vindicat.*

Conclusio 2. Ad conficiendum Sacramentum intentio habitualis in ministro non sufficit.

Probatur. Intentio habitualis non sufficit, ut actionem sacramentalem reddat humanam; non enim a voluntate libera procedit, cum (ut ex tradita superiùs illius definitione patet) in amentibus, & dormientibus reperiatur.

Objicies 1. authoritatem S. Thomæ *3. p. q. 64. art.* 8. sic loquentis: *Ad tertium dicendum, quòd licèt ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti.*

Resp. 1. tempore S. Thomæ *virtualis* intentionis nomen nondum a Theologis usurpatum fuisse. Primus illius author videtur esse Scotus, qui post Angelicum Doctorem suos in libros Senten. commentarios edidit.

Resp. 2. S. Thomam, aliosque Theologos, qui ante Scotum scripserunt, nomine *habitualis* intentionis id idem intellexisse, quod nunc Theologi per *virtualem* intelligunt, ut patet ex hoc exemplo quod loco in objectione relato refert S. Thomas, *Puta* (inquit) *cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia. Unde si posteà in ipso exercitio actus, cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.*

Objicies 2. Sacerdos, qui hodie applicat Petro omnia sacrificia; quæ per annum oblaturus est, illa omnia sacrificia Petro utilia reddit, quamvis posteà de Petro per totum annum non cogitet: ergo a pari, qui hodie vult baptizare Joannem, si posteà inter dormiendum illum abluat, revera Joannes erit baptizatus, idque ex intentione habituali, quemadmodum ratione intentionis habitualis prosunt Petro applicata multis ante diebus Sacrificia.

Resp. nego conseq. Ratio disparitatis est, quia actus, per quem hodiu Petro applicantur sacrificia per annum offerenda, non est volitio tantùm, nec nudum sacrifici applicandi propositum, sed est ipsamet realis, & actualis applicatio pro toto anno: e contra actus, per quem Sacerdos vult crastina die Joannem baptizare, non est Sacramenti confectio actualis, sed merum illud crastina die conferendi propositum.

Conclusio 3. Ad conficiendum Sacramentum non requiritur quidem actualis intentio, sed virtualis saltem absolutè necessaria est.

Probatur prima pars. Intentio actualis, quæ diu perduret, plerumque in præsenti rerum statu impossibilis esse videtur; tantæ enim inconstantiæ humanum ingenium subjacet, ut suam de una, ac eadem re cogitationem diu retinere non possit; ipsum quippe objecta præsentia aliò trahunt: *Nec enim est in nostra potestate,* (inquit Augustinus) *quin visis tangamur.*

Probatur secunda conclusionis pars. Intentio virtualis 1. in actum sacramentalem verè influit, veraque est ejus causa: 2. Ad alios actus humanos; imò & ad orationem satis est: ergo etiam & ad liberam Sacramenti confectionem sufficit.

Objicies. Nullum inter habitualem & virtualem intentionem discrimen esse videtur; Illa enim, sicut & ista, est volitio præterita, cujus operans inter agendum non recordatur.

Resp. volitionem virtualem præter volitionem præteritam includere aliquid præsens, nempe continuationem applicationis, & motuum, quo actualis intentio in principio operis potentiis extrinsecis impresserat. Id patet in Sacerdote, qui vocatus ad baptizandum infantem, sese confert in templum, incipitque actiones sacramentales, & postea distractus eas continuat, & perficit: ille enim Sacerdos tunc agit vi applicationis & motuum, quos actualis baptizandi voluntas ante habita, in potentiis etiam extrinsecis effecerat.

Articulus Secundus.

Quodnam debeat esse objectum intentionis in ministro Sacramentorum requisitæ?

Ministri intentio pro objecto potest habere vel spiritualem Sacramenti effectum, vel externum ejusdem Sacramenti ritum, seu formæ applicationem supra materiam.

Conclusio 1. Non est necesse ad valorem Sacramenti, ut minister velit conferre effectum spiritualem, qui ex institutione divina in subjecto (ut par est) disposito producitur.

Probatur. Lutherani & Calvinistæ cum baptizant, non habent intentionem Catechumenis characterem, & gratiam sanctificantem conferendi, cum Sacramento baptismatis illos effectus produci inficientur; collatum tamen ab illis hæreticis baptisma valet, ut potest colligi ex usu Ecclesiæ, quæ ab illis tinctos iterum non tingit cum redeunt in ejus sinum; imò id ne fieret, etiam cum forma conditionali, expressè vetuit Concilium provinciale Rhotomagense anno 1581. præside Carolo Cardinale Borbonio celebratum, prohibuit quoque Concilium Aquense habitum anno 1585.

Objicies. Minister, qui non vult conferre effectum baptismi v. g. non videtur habere intentionem Ecclesiæ; Ecclesia enim vult per illud Sacramentum Catechumenos justificare, & insignire charactere Christianitatis.

Resp. eum ministrum non habere quidem intentionem ultimam Ecclesiæ, habere verò proximam: vult enim, sicut proximè vult Ecclesia, conferre Sacramentum, ex quo debitè collato, velit, nolitve minister, sequitur ex Divina institutione productio characteris, & gratiæ sanctificantis, sicut cum ignis admovetur pulveri, velit, nolitve miles, pulvis abit in flammam.

Conclusio 2. Ut Sacramentum valeat, necessaria est in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia: seu id quod Ecclesia facit, debet esse objectum intentionis ministri.

Probatur 1. ex Martino V. qui conceptis terminis anno 1418. in fine Concilii Constantiensis allatam conclusionem tradidit. 2. ex Eugenio IV. qui anno 1439. eam pariter tradidit in Concilii Florentini mox soluti decreto pro instructione Armenorum. 3. ex his verbis Concilii Tridentini sessione 7. de Sacramentis in communi canone 11. *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt; & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Objicies. Valet Baptisma ab hæreticis datum, licèt habeant intentionem faciendi, quod fit in sua secta, non autem in Ecclesia Romana, quæ tamen sola est vera Christi Ecclesia: ergo &c.

Resp. hæreticos existimare synagogam, cui sunt adscripti veram esse Ecclesiam, unde dum id facere proponunt, quod in sua secta peragitur, implicitè & virtualiter id intendunt, quod vera Ecclesia, cum Sacramenta conficit, operatur.

Quæres quid Ecclesia faciat, cum Sacramentum aliquod conficit.

Resp. Ecclesiam nihil aliud operari, quàm externam ceremoniam a Christo Sacramentorum institutore præscriptam; ea autem ceremonia in debita formæ suprà materiam applicatione posita est, v. g. cum Ecclesia Catechumenum baptismate consecrat; illum exteriùs suorum ministrorum manibus abluit, ac per eorum os hæc profert verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Articulus Tertius.

Utrum intentionis retentio ex parte ministri impediat ne valeat Sacramentum?

Status quæstionis est utrum Sacerdos, qui dum se Ecclesiæ ministrum exteriùs gerit, ac materiæ debitæ veram Sacramenti formam seriò applicat, verum conficiat Sacramentum, quamvis interiùs nolit agere tamquam Ecclesiæ minister, ac intra se ipsum, vel ex malitia, vel ex impietate dicat, *hoc in ritu nec me gero, nec me volo gerere tamquam Ecclesiæ ministrum: imò ceremoniam hanc externam, seu Catechumeni ablutionem cum expressa Trinitatis invocatione conjunctam, modo tantùm prophano intendo celebrare.*

Circa eam difficultatem quæri potest 1. Quid Ecclesia de Sacramento ea, qua dictum est ratione, dato deficierit. 2. Quodnam de eo judicium tulerit Augustinus. 3. Quid senserit S. Thomas. 4. Quid de eo antiqua Ecclesiæ Concilia docuerint. 5. denique quid de illo eodem

dem Sacramento ex rationibus Theologicis definiri possit. Quinque eas quæstiones sequentibus paragraphis solvemus.

§. I.

Quid definierit Ecclesia de Sacramentis a ministro, qui suam retinuit intentionem, collatis.

CONclusio. Ecclesia nullibi tamquam articulum fidei Catholicæ definiit non valere Sacramenta a ministro, qui suam intentionem retinuit, collata.

Probatur 1. Nec in Scriptura, nec in Traditione, quæ tamen sunt fidei & morum regulæ, hujusmodi definitio legitur.

2. Plures Theologi maximè Catholici eam opinionem propugnant, qua Sacramentum in casu, de quo agitur, valere docetur. Catharinus, qui in Concilio Tridentino illam acerrimè tuitus est, post habitam sessionem 7. ubi sacra Synodus de ministri intentione loquitur, lib. quem inscripsit *Opusculum de intentione ministri*, eam iterùm defendit. Salmeron non ultimus a Societate Jesu Theologus lib. 1. Commentariorum in epistolas Pauli 3. p. Disp. 2. illam eamdem sententiam variis argumentis confirmat. Vincentius Contensonius ex percelebri, & de Ecclesia Catholica optimè merito Dominicanorum ordine pius, & eruditus scriptor in suo de Sacramentis in genere tractatu fusè eamdem doctrinam tuetur. Non est opus, ut hic alios è variis orbis Christiani Academiis, Ordinibus Religiosis defensores proferam in medium, teruntur nimirum omnium vel tyronum manibus libri ab eis de illo argumento conscripti. Sed lectori benevolo pergratum me facturum arbitror si thesim hac in causa anno 1685. in Sorbona ab amplissimo Academiæ Parisiensis Rectore, Præside illustrissimo Francisco Harlæo Parisiensium Archiepiscopo propugnatam referam: sic autem habet ea thesis, *Cujusnam generis necessaria sit intentio, nondum Ecclesia pronuntiavit, adeò ut internam, externamve propugnare non sit nefas, mihi externam tueri proclivius.*

Objicies 1. Plures e Schola Theologi contendunt doctrinam, qua Sacramentum, de quo est quæstio, valere statuitur, ipsissimum esse hæreticorum dogma a sacra Synodo Tridentina proscriptum eo canone, quo in Sacramentorum ministris intentionem faciendi quod facit Ecclesia, requiri definitur.

Resp. illos Theologos causæ suæ studio abreptos sacri Concilii mentem nequaquam assecutos fuisse. Id evinci potest ex ejusdem Concilii historia, quam ex germanis illius actis Pallavicinus se descripsisse testatur, hæc enim lib. 9. cap. 6. num. 2. leguntur, *Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideò per Tridentinos canones disertè damnatam: quapropter fas illi fuit affirmare cum Concilio non contradicere.* Id quoque scribit laudatus author libro 2. cap. 10. verba, quibus utitur, in nostra ad secundam objectionem responsione legere est.

Evinci potest iterùm ex eo, quòd una fuerit Tridentinorum Patrum mens, recentiorum hæreticorum de intentione sententiam proscribendi. Hi nimirum docebant valere Sacramentum datum ab homine, qui non interiùs modo, sed nec exteriùs gerit se tamquam Ecclesiæ ministrum. Contendebant, ut valeat Sacramentum, satis esse, ut ritus a Christo institutus, quomodocumque fiat, nec obstare quod mimicè, derisoriè, jocosè, etiam exteriùs, celebretur.

Quòd verò ipsissima esset hæreticorum, de quibus agitur, doctrina, multis argumentis potest demonstrari. 1. Hæc scribit Lutherus libro de Captivitate Babilonica cap. *De Baptismo, non dubitem, si quis in nomine Domini accipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini: non enim in conferentis tantùm, quantùm in suscipientis fide, vel usu sita est vis baptismi.* 2. Idem invictissimè colligitur ex Lutheri, Calvini, Zuinglii, & aliorum hujusmodi de justificatione, ac Sacramentis doctrina. Impium nempè per solam fidem, qua certo credat sibi remissa esse peccata justificari contendunt. Sacramenta non alium tribuunt effectum, quàm ut veluti nostræ in Deum pietatis signa, ac Divinæ erga nos bevolentiæ pignora, fidem excitent, foveant, ac nutriant. Atqui virtutem illam habent Sacramenta quantumvis derisoriè, etiam exteriùs collata: quid enim, (quæso) vetat, quin Catechumenus etiam a mimo baptisma recipiens, illud tamquam suæ in Deum pietatis signum perpendat, & quin de fœdere, quod Deus cum hominibus iniit, cogitans, Sacramentum tamquam Divinæ in se ipsum benevolentiæ pignus & sigillum accipiat. 3. Id quoque evincitur ex Kemnitii Lutherani testimonio Canonem Tridentinum, in quo de intentione agitur, expendens, sic loquitur. *Ex quo intelligitur quòd quemadmodum verbum Evangelii prædicatum sine ulla intentione, esse verbum Evangelii desinit, & qui ei assentitur, justificatur, quantumvis perversam tam Interiorem quàm Exteriorem, vel etiam nullam habeat intentionem minister: ita neque desinit esse Sacramentum, modò applicetur forma materiæ etiamsi absque intentione recta applicetur, sed e contra cum perversa Interiori, vel Exteriori, vel etiam nulla.*

Toto cœlo ab iis hæreticis distant Theologi Catholici, qui Sacramentum datum a ministro, qui suam retinuit intentionem, valere contendunt. Docent nempè id esse verum tantùm, cum is, a quo Sacramentum confertur, gerit se, saltem exteriùs, tamquam Ecclesiæ ministrum: addunt, eum gerere se tamquam ministrum Ecclesiæ, ejus nomine, & authoritate agere, cum ritum externum, ex quo Sacramentum constat, seriò peragit, seu cum in cœtu publico, vel privatim, sed postulatus, formam materiæ conjungit. Hocce argumento iidem Theologi suum dogma confirmant: Ritus extrinsecus (inquiunt) ex se ipso ad rem sacram vel prophanam indifferens, determinatur ad esse Sacramentale ex loco in quo celebratur, ex eorum petitione, quibus applicatur, aut ex aliis circumstantiis extrinsecis. Ita sensisse videntur Patres Concilii Rhotomagensis sub Cardinale Borbonio habiti. Hanc enim rationem reddunt, cur baptizati a Calvinistis, iterùm etiam cum formula conditionali baptizari non debeant cum redeunt in Ecclesiæ sinum; *Constabat* (inquiunt) *Calvinistas in cœtu publico baptizare in forma verborum, & materia a Christo instituta, nec de hoc facto ambigi poterat.* Censent præterea iidem Catholici Theologi, eum, qui Sacramenti cæremoniam externam celebrat, agere tamquam Ecclesiæ ministrum, cum interiùs vult eo nomine agere, quamvis aliunde in iis non sit circumstantiis externis, quæ illum sic se gerere probent. Ratio est, quia interiùs illius propositum agendi authoritate Ecclesiæ & tamquam ejus minister, ritum extrinsecum, seu formæ ad materiam applicationem, ad esse sacramentale determinat. Eam ob rationem Christianus, qui apud infideles agens infantem jam jam moriturum insciis parentibus abluit, dicitque, *Ego te baptizo, &c.* verè eum baptizat, quamvis eum per modum remedii abluere videatur; actio enim illa ad esse sacramentale non determinatur quidem a circumstantia extrinseca, seu a loco, tempore, situ, quibus fit, sed a voluntate interna, quam tunc habet ille Christianus gerendi se eo in casu tamquam Ecclesiæ ministrum, seu ab ea ad baptismatis collationem commissum.

Ex hactenus dictis, & probatis luce meridiana clarius est Lutheranorum de intentione doctrinam discrepare quàm maximè ab ea, quam ante Concilium Tridentinum, in ipsomet Concilio, & posteà eo habito defenderunt, & defendunt modò plures e schola Theologi, contendentes scilicet valere Sacramentum datum a ministro, qui interiùs retinens suam intentionem, seriò, & postulatus, ritum illius externum, prout a Christo institutus est, perficit.

Objicies 2. Tridentinæ Synodi sessione 14. definitur nullam esse absolutionem, quam impertitur Sacerdos, cui animus seriò agendi, & verè absolvendi desit. Atqui ei, qui tantum abest, ut interiùs velit se gerere tamquam Ecclesiæ ministrum, quin potiùs ceremoniam externam, quam postulatus peragit, intra seipsum subsannet & irrideat, animus seriò agendi deesse videtur. Ergo, &c.

Resp. 2. majorem propositionem esse verissimam. Ratio est, quia is, cui deest animus seriò agendi, jo-

cosè agit, aut representativè tantùm; proindeque non gerit se, etiam exteriùs, tamquam Ecclesiæ ministrum, sicque confectum ab eo Sacramentum nequaquam valet. Eam rationem sacræ Synodo Tridentinæ debemus, sessione nimirum 14. cap. 6. hæc ait: *Is esset salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem jocosè absolventem cognosceret, & non alium seriò agentem requireret.* Quibus quidem sacri Concilii verbis conficitur histrionem, qui in scena mimica aliquem ablueret cum expressa SS. Trinitatis invocatione; Sacerdotem, qui recenter consecratum presbyterum missæ celebrandæ ritus docens, supra panem moraliter præsentem proferret Eucharistiæ formam; mulierem, quæ sanitatis causa infantem suum abluens diceret, *Ego te baptizo*, *&c.* nullum omnino Sacramentum confecturos: illi enim omnes, aut mimicè, aut repræsentativè, aut prophano alio modo, etiam exteriùs agunt: atque ita ex nullo capite eorum actio ad esse sacramentale determinatur.

Nec quemquam movere debet, quod Rufinus de Alexandro Patriarcha Alexandrino scribit; ei nempe, non paucisque Episcopis ad Concilium congregatis ratum fuisse, ac validum baptisma, ab Athanasio nondum ex puerili ætate emerso cum sociis ludente collatum.

Primò enim multi authores factum illud non modò revocant in dubium, sed & his adducti rationibus planè inficiantur. Historici, (inquiunt) qui factum, de quo agitur, referunt; Rufinus nempè, & Sozomenus Athanasium eo tempore, quo illud idem factum contigisse narrant in pueritia versatum fuisse supponunt. Sed id omnino falsum videtur: & sanè, referente eodem Sozomeno Athanasius non multò post ab Alexandro consecratus fuit Diaconus, Oecumenicæ Nicænæ Synodo interfuit; ab Alexandri anno 326. fato functi sedem Episcopalem evectus est: Ea autem omnia (ut cuique meditanti patebit) fieri non potuissent, si Rufini & Sozomeni narratio veritate niteretur.

2. Quamvis factum illud certum, ac minimè dubium supponatur, nihil tamen ex eo potest confici: neque enim Rufinus, aut Sozomenus affirmant, Athanasium voluisse irridere, aut simpliciter exhibere baptismatis ritum in Ecclesia Christiana fieri solitum: Imò ipsi ritum illum seriò, & verè peragendi animum adfuisse ex eo potest colligi, quod Athanasius non omnes promiscuè socios, sed, ex ipsis etjam laudatis historicis, Catechumenos dumtaxat abluerit: Unde cum Athanasium tunc lusisse narrant, nihil aliud sibi volunt, quàm eum in re seriò, & verè ab eo peracta oblectamentum animi, tamquam finem extrinsecum sibi proposuisse.

Resp. 2. ad argumentum, negando minorem propositionem. Ratio est, quia Sacerdos, qui a pœnitente postulatus absolutionis formam seriò profert reipsa, ac de facto seriò agit, & verè absolvit; id est, non agit mimicè, nec repræsentativè: ergo habet animum seriò agendi, & verè absolvendi: voluntas quippè interna non agendi seriò, ac verè non absolvendi, quam in objectione habere supponitur, non est voluntas efficax, sed simplex velleitas; similis ei, quæ reperiretur in homine, qui liberè pingens, nollet tamen pingere. Itaque loco in objectione laudato Synodus Tridentina vocem, *seriò*, isti alteri *jocosè* opponit, & hanc aliam, *verè*, isti, *repræsentativè*: vult enim ministrum, qui jocosè, aut repræsentativè tantùm verba, ex quibus absolutio constat, exteriùs proferret, verum non confectum iri Sacramentum.

Quòd autem ea sit sacri Concilii Tridentini mens colligitur ex his verbis, quæ subjungit. *Nec is esset nisi salutis suæ negligentissimus, qui sacerdotem jocosè absolventem cognosceret, & non alium serio agentem sedulò requireret.* Ea sacræ synodi sententia de joco externo intelligi tantùm potest: alioquin eum jocum pœnitens cognoscere non valeret, quem tamen ab ipso cognosci posse Concilium supponit, cùm eum negligentiæ arguat, si eo in casu alium non adeat sacerdotem.

Habetur illa ratio apud Pallavicinum, qui postquam verba ex Synodo laudata retulit, sic in sua Concilii Tridentini historia pag. 2. lib. 12. cap. 10. loquitur. *Ex hisce postremis verbis conficere potest quisquis ea legerit, non esse expunctam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium Sacramento, quo ratum sit, sufficere in ministro voluntatem seriò agendi & abesse tantummodo jocum, quem suscipiens Sacramentum cognoscere possit.*

Præterea Mens sacræ Synodi colligitur ex eo quòd relatis in objectione verbis Tridentini Patres nihil aliud habuerint in animo quàm ut confirmarent decretum a Leone Papa X. adversùs hanc Lutheri propositionem latum. *Si Sacerdos non seriò, sed joco absolveret, si tamen pœnitens credat se esse absolutum, verissimè est absolutus.*

Objicies 3. Eugenius IV. in decreto pro Armenorum instructione hæc ait: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Ergo laudatus Papa definiit, ministri intentionem esse aliquid ab applicatione materiæ, & prolatione forma distinctum: quod tamen ii negare coguntur, qui Sacramentum a ministro cum sola exteriori intentione collatum, seu cum sola voluntate faciendi ritum extrinsecum, valere contendunt.

Resp. negando, eos, qui docent externam intentionem sufficere, ut Sacramentum valeat, asserere intentionem ministri non esse aliquid ab applicatione formæ supra materiam distinctum: quippè qui fateantur sacerdotem posse conjungere formam cum materia, jocosè scilicet, vel repræsentativè, absque eo quòd Sacramentum conficiat. At docent, ipsum Sacramentum necessariò confici, si minister habeat voluntatem seriò celebrandi ritum externum a Christo institutum: in eo enim solo ritu tota Sacramenti substantia posita est, nec aliud agit Ecclesia, cum Sacramentum conficit. Addunt præterea, ministro ritum hujusmodi nomine, & authoritate Ecclesiæ seriò celebrandi voluntatem, ac propositum semper adesse, quoties postulatus illum eumdem ritum verè, & de facto seriò celebrat, quantumvis intentionem omnino contrariam intùs gerat, seu licèt apud semetipsum statuat non acturum se tamquam ministrum Ecclesiæ: hæc enim postrema intentio inefficax ab ea non differt, quæ reperiretur in legato, qui dum adhibitis adhibendis; Principis legem promulgans, interiùs tamen ejus nomine agere nollet, nec se illius legatum exhibere, eo in negotio intenderet.

Objicies 4. Romani adversùs pravitatem hæreticam Inquisitores hanc propositionem anno 1690. coram Alexandro Papa VIII. damnasse feruntur: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo quod facit Ecclesia.* Ergo damnarunt pariter sententiam, qua asseritur valere Sacramentum datum a ministro, qui suam retinuit intentionem.

Respondent Canonistæ Galli in Francia, multisque aliis in Provinciis Christianis non habere vim ullam decretum Transalpinum, nisi ab ipso Papa immediatè emanaverit, unde judicia a Romana Inquisitione lata per se etiam quoad forum internum, Gallos non obligare concludunt.

Sed omissa illa solutione respondemus nos dato antecedente, nego conseq. Ratio est, quia propositio ab Alexandro Papa VIII. damnata, prout jacet est falsa: nec est idem cum opinione, qua docetur, sufficere in ministro intentionem exteriorem, ut valeat Sacramentum. Et sanè Sacramenti ritus fieri potest exteriùs, nempe per formæ cum materia conjunctionem, absque eo quòd Sacramentum conficiatur, scilicet si haud seriò ritus ille exteriùs non peragatur, sed joco, ut patet in mimo, aut si serio quidem exteriùs celebretur, sed non ab eo qui aliunde ab aliqua exteriori circumstantia. v. g a Sacramenti postulatione, non determinatur ad agendum Ecclesiæ nomine, seu tamquam illius minister. Ea de causa validè non baptizat, qui a nemine postulatus, domi cum expressa SS. Trinitatis

invo-

invocatione infantem abluit, si intra se resolvat, id quod fert propositio de qua agitur, *Non intendo, quod facit Ecclesia*.

Objicies 5. Ecclesia, dum baptismate infantem donat, vult Sacramentum conficere: ergo minister, qui (ut fides docet) debet habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, Sacramenti confectionem proponat sibi, ac velit oportet: Atqui is, qui suam intentionem interiùs retinuit, non vult, nec sibi proponit Sacramenti confectionem: ut enim velit Sacramentum conficere debet credere saltem possibile esse, quòd ritus externus, quem agit, sit Sacramentum: quod tamen ipsum nequaquam credere exploratum est, cum minister maximè impius, imò & atheus supponatur.

Respond. ceremoniam externam, quam celebrat is, qui seriò exteriùs se Ecclesiæ ministrum exhibet, esse essentialiter idem cum Sacramento: nudè (ut sæpius jam fuit observatum) qui sic illum peragit ritum, velit, nolitve, credat, aut non credat, verum Sacramentum conficit. Huic responso affulgebit lux maxima, si minister, de quo agitur, cum homine, a quo cera in figuram humanam disponitur, comparetur: quemadmodum ergo is, qui ceram in figuram humanam disponit, volit, nolitve hominem exhibet, quia imago hominis est essentialiter idem cum cera in figuram humanam disposita: ita & minister, qui seriò ritum agit extrinsecum, seu materiam, & formam, ex qua Sacramentum constat, ut par est applicat, velit, nolitve verum Sacramentum conficit; eo quòd nimirùm ritus ille sic peractus non sit quidpiam a vero Sacramento distinctum, aut diversum.

§. II.

Quid Augustinus senserit de Sacramento, quod contulit minister, qui suam intentionem retinuit.

CONclusio. Non omni prorsùs probabilitate carent ea sententia, quæ asserit Augustinu ratum fuisse Sacramentum seriò datum a ministro, qui suam intentionem interiùs retinuit.

Probatur. Minister, qui Sacramentum seriò confert, & tamen interiùs suam retinet intentionem, dum Ecclesiæ nomine agere detrectat, fallaciter agit, cum seria sua actione extrinseca adstantes inducat, ut cum interiùs gessisse se tamquam Ecclesiæ ministrum judicent, proindèque fallit eos omnes, qui ritus celebrationi sistunt se præsentes. Atqui ex Augustino, minister, qui fallaciter agit, verum ac ratum Sacramentum efficit: id nempe S. Doctor tamquam principium sua ætate in Ecclesia Catholica certissimum supponit: Sibi scilicet hunc proponit casum; *An homo initio mimum agens, seu jocans exterius, sed posteà in actionis mimicæ progressu, movente Divina gratia, conversus verum, ac constans baptisma recipiat, si extra Ecclesiam ab hæretico, aut schismatico secundùm Christi institutionem abluatur.*

Ad eum autem casum S. Doctor respondet 1. se de eo baptismate dubitare, eo quòd (inquit) an valeat nec ne nulla in Synodo Regionali, aut Plenaria fuerit definitum. Respondet 2. se in eam propendere opinionem, quæ eo in casu valere Sacramentum affirmat. Sed quo nixus principio in eam propendet sententiam Augustinus, hoc uno quod controversiam, de qua agitur, absque cujuslibet spe litis dirimit: Ea (inquit) opinio arridet mihi eo quòd apud omnes sit certum fallaces in Ecclesia, seu per simulationem Sacramenta conferentes, validè baptizare. En ipsissima verba, quibus Augustinus lib. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. casum sibi propositum exprimit: *Cum tradens, & accipiens fallaciter agat in ipsa unitate Catholica, utrùm hoc magis baptisma sit acceptandum, an illud, quod in mimo datur, si quis existat fideliter, subitò accipiens commotus, an quantum ad ipsos quidem attinet homines plurimum distat inter credentem in mimo, & irridentem in Ecclesia, ad ipsius autem Sacramenti integritatem nihil intersit?* Et verba quibus laudatus pater immediatè post illum eundem solvit casum. *Si enim nihil interest ad integritatem Sacramenti in ipsa Catholica Ecclesia, utrum id quod fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant, cur extra sit non video, quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est.*

Audiendus hic non est Bellarminus contendens Augustinum ad casum, quem sibi proposuerat, solutionem dubitanter, non verò definitivè tradidisse. Nam 1. hæc S. Doctoris verba, quibus Bellarminus abutitur, ut aliò Augustini sententiam detorqueat, *Nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo Plenario Concilio terminata sunt: sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione Dei nostri, & Salvatoris Jesu Christi universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Verba (inquam) illa ad particularem de mimo subita conversione mutato casum referuntur; non verò ad principium, quo utitur Augustinus, ut illum casum solvat; seu illud Augustini dubium ad Sacramenti, seriò quidem, sed tamen fallaciter in Ecclesia dati veritatem minimè spectat. 2. Bellarmini evasio his, quæ ibidem habet S. Doctor, verbis omninò præcluditur; *Sicut jam præteritis majorum statutis non dubito etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, Ex nobis exierunt.* 3. Eodem cap. 53. Agustinus asserit fallaces, sive sint dantes, sive sint accipientes, si postea prodantur, ac detegantur, pœnitentia quidem non autem iterato baptismate sanari: *Et tamen* (inquit) *si postea prodatur* (fallacia, aut dantis, aut recipientis) *nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, vel pœnitendo sanatur.* Non sunt igitur dubitantis, sed certò definientis verba. Nec mirum: si enim (ut docet S. Pater) certum sit, fallacium baptisma in unitate Catholica receptum, a nemine iterari, omnibus omninò catholicis ratum, ac validum sit oportet.

Non sunt quoque audiendi Estius, Sylvius, aliique plures a Schola Theologi, qui docent, Augustinum *Fallacium* nomine eos intelligere, qui baptisma cum affectu ad peccatum mortale, aut tradunt, aut accipiunt, quosque fictos vocitant, non quidem Sacramenti, sed præparationis fictione. Enim verò Augustinus *fallaces*, de quibus agit, *veracibus* opponit, illos igitur in opposito sensu accipiat necesse est. Atqui *veracium* nomine eos non intelligit, qui a quocumque affectu ad peccatum lethale liberi sunt, seu qui (ut par est) ad recipiendum non characterem modò, sed etiam Sacramenti gratiam sunt dispositi; quippè qui asserat *veraces* etiam extra Ecclesiam reperiri, extra quam tamen nullus est adultus, qui affectu ad hæresim, aut ad schisma, ac proinde ad peccatum mortale, implicatus non sit. Præterea Augustinus contra Donatistas agens nusquam *fallaces* vocavit ministros, qui in peccati lethalis statu baptisma conferunt: ergo neque in loco, de quo hic agitur, quemquo in alienum a S. Doctoris mente sensum Estius, aliique non pauci Scriptores detorquere conantur.

Mentem quoque Augustini non est assecutus Cardinalis De-Lugo contendens, Doctorem eximium his verbis *fallaciter dantis, aut recipientis*, eum intelligere, qui Sacramentum aut tradit, aut recipit absque fide aliqua de illius veritate, quam tamen fidem exteriùs simulat.

Nam 1. S. Doctor fallaciter dantem, aut recipientem posse reperiri in Ecclesiæ Catholicæ sinu supponit. At nemo est Ecclesiæ membrum, qui omni de baptismo fide vacuus sit. 2. Admissa etiam illa Cardinalis De-Lugo interpretatione, vim totam habet suam argumentum ex Augustino in nostræ conclusionis gratiam desumptum: Siquidem (fatente laudato Cardinale) valet Sacramentum ab eo datum, cui nullam de eo fidem inesse supponitur: Sed is externum Sacramenti ritum peragens, non potest (ut infrà ostendemus) habere mentalem intentionem gerendi se tamquam Ecclesiæ ministrum: imò impossibile est, ut non habeat oppositam: qua ratione enim fieri potest, ut quis velle possit interiùs gerere se ipsum tamquam ministrum

nistrum Ecclesiæ in percelebrando ritu, quem certò putar ab Ecclesia damnari ac rejici?

Sed exemplo aliquo fiet clarius illud argumentum: Non diffitebitur adversarius, quem hic impugnamus, quin is, cui persuasum est Ecclesiam Christianam Circumcisionis usum, promulgato ubique Evangelio, proscribere, non diffitebirur (ioquam) quin vir ille nusquam possit habere intentionem mentalem, Circumcisionem nomine & authoritate Ecclesiæ Christianæ conferendi. Nec mirum: numquam eoim voluntas vult efficaciter id quod intellectus judicat esse impossibile: Qui ergo fieri potest? ot vir c.:i nulla est de baptismo fides, & cui e conrrà persuasum est (ut olim Manichæis) a vera Ecclesia eum rejici, ac proscribi tamquam horrendam impietatem, velit ioterius, dum externum ritum, ex quo baptisma constat, peragit, gerere se tamquam illius ejusdem Ecclesiæ ministrum, aç ejus oomine, & authoritate operari.

§. III.

Quid senserit S. Thomas de Sacramentis datis a ministro, qui suam intentionem interius retinuit.

CONclusio. Sanctus Thomas censuit valere Sacramentum collatum a ministro, qui suam inteotionem interiùs retinuit.

Probarur. Angelicus Doctor in 4. Sent. Dist. 6. q. a. art. 2. qoæstiuncula 1. contra inteotionis in sacramentorum ministro necessitatem, quam eo loci propugnat, objicit sibi hoc absordum: ea scilicet doctrina reddi nobis incertum Sacramentum quodlibet, cùm ministri iotentio, utpotè prorsùs ioterna nos penitus lateat. Ad argumentum illud S. Thomas duplicem affert solutionem. 1. Eam receoset, quæ asserebat, Sacramentum non valere quidem cum deest ministro iotentio reqoisita, sed id recipienti non nocere, eo quòd (inquiebant illius opinionis defensores) recipientis pietas Sacramenti defectum quoad justificationem suppleat. 2. Alteram idem S. Doctor sentontiam proponit, quæ nimirum docebat, intentionem exteriorem ex parte ministri satis esse, ut Sacramentum valeat: hoic secundæ opinioni, priore rejecta, subscribit, sic quippè loquitur: *Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideò si forma servatur, nec aliquid exteriùs dicitur quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est* Catechumenus.

Nec alicujus est ponderis, quod reponuot oonnulli, nempe Doctorem Angelicum id quidem juniorem docuisse, cum scriberet in sententias, sed senem, in Summa nimirum, a sua priore Sententia discessisse, seu meotalis intentionis necessitatem requisisse in ministris, ot integra sint ac vera, quæ conferunt, Sacramenta. Nullius (inquam) est ponderis: nam in sua Theologica Somma respondens ad argumentum, quod sibi in Sententias scribens proposuerat, quodque iterum sibi in Summa objicit, eadem utitur solutione. Enim verò postquam eorum opinionem retulit, qui mentalem intentionem requirunt in ministro, ut Sacramenta valeant, sic de opposita Sententia loquitur: *Alii melius dicunt quòd minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est minister: in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte ministri, vel recipientis.*

Clarissimam illam Angelici Doctoris sententiam in alienom ab ejus mente seosum detorquere conantur nonnolli recentiores, ex iis etiam, qui in ejus verba jurant. Ajunt quippe, S. Thomam locis relatis non agere de Sacramento secundùm rem, & io se sumpto, sed tantùm per respectum ad recipientium securitatem: idest (ot illis scriptoribus placet) docet S. Thomas, cum adest intentio exterior, seu cum minister secundùm ritum a Christo institutum Sacramentum aliquod conficit, recipientes sufficienti niti fundamento, ut judicent ministro adfuisse mentalem intentionem, per exteriorem (utpote meotalis signum) exhibitam; proindèque eos angi, cruciarique non debere hoc dubio, an minister, a quo baptismate v. g. donati sunt, mentalem iotentionem haboerit, sive, quod idem est, ao interiùs voluerit gerere se tamquam Ecclesiæ ministrum.

Sed quantum a mente S. Doctoris aliena sit ea interpretatio, non uno, sed multiplici ex capite potest demonstrari.

Primò cum S. Thomas asserit, nonnullos authores ad perfectionem Sacramenti requirere mentalem intentionem; Sacramenti nomine ipsummet secuodùm substantiam Sacramentum intelligit: ergo cum immediatè post refert alios authores, quorum doctrinam probat; censere intentionem exteriorem ad perfectionem Sacramenti satis esse, loquatur oportet de Sacramento secundùm substantiam sumpto, non verò per respectum ad efficiendam moralem de ejus valore certitudinem. in iis, qui illud juxta externum, quem Christus instituit, ritum receperunt.

2. Eodem sensu Angelicus Doctor Sacramenti nomen sumit in argumeoto, quod sibi objicit, ac in titulo articuli, quem sic inscribit, *Utrum intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti?* Sed in articuli titulo nomen Sacramenti pro ipsamet Sacramenti substantia usurpat: contendit enim Sacramentum absque ministri inteotione confectum fore casuale, seu non fore homanam actionem, quæ ex deliberata voluotate procedat: ergo pariter cum in argumento secundo objicit sibi ad perfectionem Sacrameoti non requiri intentionem, de Sacramento loquitur secundùm sobstantiam sumpto: alioquin thesim, quam eo argumeoto impugnare sibi proponit, nullatenus, attingeret: ergo etiam cum in responsione ad secundum illud argumentum contendit, externam intentionem ad perfectionem Sacramenti satis esse, loquitur de Sacramento sumpto secundùm substantiam: alioquin enim vir perspicacissimi ingenii argumentum, quod sibi proposuit, nequaquam solveret: quod, quàm dictu sit absurdum, nemo non videt.

3. Morali ea certitudine, quam externa ministri inteotio efficit, anxietas, & dubium ex eorum, qui Sacramenta recipiunt, aoimo non tolluntur, si præter illam externam intentionem alia, mentalis nempè, requiratur, ut Sacramentum secundùm substantiam valeat, præsertim si mioister, qui ritum externum celobrat, impius vir ac perditus vulgò habeatur: nam quamvis minister ille verba, ex quibus forma constat, proferat seriò, & subjecto (ut par est) Sacramenti materiam applicet, recipiens adhuc dubitare poterit, num ille idem vir iniquus suam inteotionem retinuerit, seu, quod idem est, præ malitia, & impietate, propter quas malè audit tamquam Ecclesiæ minister agere interiùs noluerit.

Sensit argumentorum illorum vim Cardinalis De-Lugo: ondè relicta ea quorumdam Thomistarum interpretatione, quam mox consutavimus, aliam ad textus ex S. Thoma laudatos adhibuit. Respondet igitur, S. Doctorem, cum in responsione ad secundum argumentum docet, mentalem intentionem ad Sacramenti perfectionem non requiri, intelligendum esse de intentione explicita, & distincta faciendi, quod Ecclesia facit: quæ quidem explicita intentio haud dubiè non est necessaria, coofusam quippè, & implicitam sufficere, nemo est qoi non fateatur. Undè (ait mox laodatus De Lugo) noo aliud voluit S. Thomas quàm istud, nempè, quòd quamvis minister dans Sacramento operam, intentionem qua velit ipsum conficere por reflexionem non advertat, seu de Sacramento, quod conficit non cogitet, ac claram de Ecclesia ideam non habeat; eò tamen ipso quòd ad operandum tamquam Ecclesiæ minister accedit, interiùs vult implicitè id agere, quod facit Ecclesia.

Sed effugium quod De-Logo commentus est, multis modis præcluditur. 1. Argumentum secundum, quod S. Thomas eo in articulo sibi solvendum propooit, noo est idem ac tertium quod sibi pariter objicit: ergo nec responsio ad secundum eadem est cum responsione ad tertium. Sed in tertio argumento S. Doctor loquitur de privatiooe explicitæ, & distinctæ intentionis faciendi, quod facit Ecclesia: hæc enim ait, *Intentio hominis non potest esse ad id circa quod non est attentus: sed aliquando illi, qui in Sacramentis ministrant,*

non

non attendunt ad ea, quæ dicunt, aut faciunt, aliæ cogitantes. Hæc iterùm ait in responsione ad tertium illud argumentum, *Ad tertium dicendum quòd licèt ille, qui aliud cogitat, non habeat intentionem actualem, habet tamen habitualem* (quam Theologi nunc dicunt virtualem & implicitam) *quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, putà cùm Sacerdos accedens ab baptizandum intendit facere circa baptismum, quod facit Ecclesia.* Jam sic subsumo: Atqui si solutio a De-Lugn tradita valeret, in idem omnino primum, & secundum argumentum inciderent, eodem quoque spectarent responsiones ad secundum, & tertium, in utroque argumento, in utraque solutione de sola intentione virtuali quæstionem instituisset: eam tamen repetitionem S. Thomæ non affinget, qui breviori, & strictæ scribendi methodo eum semper studuisse animadverterit:

2. Si ea confusa intentio, de qua locis superiùs relatis agitur, & de qua locutum fuisse S. Thomam De-Lugo contendit, ex parte ministri mentalis esse debeat, anxietatem ex recipientium animo non depellet, tum quòd illa intentio eos, qui Sacramenta recipiunt, omninò lateat, tum quòd minister contrariam intùs habere possit, si nimirum interiùs non velit gerere se tamquam Ecclesiæ ministrum in ceremonia, quam ejus nomine, & authoritate celebrare videtur, ac proindè S. Thomas propositum sibi eo in articulo scopum non fuisset assecutus, seu dubio, quod ex interioris intentionis necessitate in iis, qui Sacramenta recipiunt, exoritur, suis ad argumenta responsionibus nequaquam occurrisset.

3. Illa intentio confusa, & implicita, de qua De-Lugo, est intentio mentalis, id enim fateatur necesse est, alioquin exteriorem sufficere doceat oportet. At Doctor Angelicus conceptis terminis asserit, se eorum opinioni adhærere, qui mentalem intentionem, ut Sacramentum valeat, non requirunt. Illam igitur intentionis speciem, confusam dico, cùm sub intentionis mentalis genere contineatur, a Sancto Thoma exclusam fuisse necesse est.

Objicies. S. Thomas 3. part. quæst. 64 artic. 10. sic loquitur: *Intentio ministri potest perverti dupliciter; uno modo respectu ipsius Sacramenti, putà cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere: & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exteriùs manifestat.* Adverbium illud, *Præcipue*, supponit non valere Sacramentum, etiam cum minister derisionis suæ nullum exterius argumentum, aut indicium præbet.

Respond S. Thomam adverbium, *Præcipuè*, non omni derisoriæ, & mimicæ intentioni opponere, sed illi tantùm de qua propter aliqua signa, quæ exteriùs patent, an derisoria sit dubitari potest. Unde allati ex S. Thoma textus hæc vis est, hic sensus: In confesso est apud omnes, irritum censeri debere Sacramentum, cum dubium est, an minister exteriùs derisoriè, & mimicè agat: ergo & præcipuè cùm derisoriam, & mimicam suam intentionem exteriùs certè prodit, ac manifestat.

§. IV.

Num antiqui Patres irritum judicaverint Sacramentum datum a ministro, qui suam intentionem retinuit?

Conclusio. Antiqui Patres videntur probasse Sacramentum collatum a ministro, qui suam intentionem retinuit interiùs.

Probatur 1. Quotiescumque ortum fuit dubium an baptisma, vel aliquod aliud Sacramentum valeret, imperarunt Patres, ut, vel absolutè, vel sub conditione iteraretur. At numquam id iidem de baptismate dato a ministro, qui suam intentionem interiùs retinuisset, præscripsisse leguntur.

2. Mandarunt Patres, ut diligenter inquireretur an batisma per invocationem distinctam trium personarum SS. Trinitatis collatum fuisset; utrùm materia subjecto, ut par est, fuisset applicata; An recipientes Sacramenta exteriùs contradixissent; utrum minister mimicè ritum sacrum exteriùs peregisset: an verò idem ille minister suam intentionem retinuisset interius, necne; utrum interiùs voluisset tamquam Ecclesiæ ministrum se gerere, aut contrarium habuisset propositum, nulla omninò ratione curarunt.

Nec est quòd quis dicat non occurrisse casum aliquem, quo Patres moverentur ad inquirendum, an minister exteriùs conficiens Sacramentum suam intentionem interiùs non retinuisset: Siquidem veteres illos Theologos latere non potuit multos ita impios extitisse, ut le Ecclesiæ nomine, & authoritate exteriùs agere fingerent: Patribus igitur persuasum fuisse videtur intentionis ex parte ministri retentionem non impedire, quin Sacramentum valeat.

3. Patres judicarunt, baptismum ab Atheis datum valere: dubitare tamen poterant, num illi perditi viri, ac Religionis cujuslibet perduelles, quibus Ecclesiæ mysteria fabulæ videbantur, suam retinuissent intentionem.

4. Concilium Tridentinum nusquam Sacramenta a Lutheranis collata proscripsit, nec injunxit, ut saltem sub conditione iterarentur; quamvis ipsum non latuerit hæreticos illos mentalis intentionis necessitatem negantes, potuisse, & his etiam temporibus posse, sine illa eadem intentione Sacramenta, alioquin ad salutem necessaria, conferre. Imò data a Calvinistis Sacramenta probarunt Provinciales Synodi post Concilium Tridentinum habitæ, licèt plerique Scriptores tunc de eis dubitare viderentur, censerentque, ea iterari debere propter mentalis intentionis defectum in ministris, qui apud Lutheranos, aut Calvinistas ea contulerant. Audiendi sunt hac in causa Patres Concilii Rhotomagensis anno 1581. habiti. Verba, quibus utuntur, litem de qua agitur, planè dirimunt, *Antea* (inquiunt) *in plerisque nostrarum Diœcesion locis baptizati ab hæreticis, præsertim a Calvinistis, redeuntes ad Ecclesiam Catholicam iterum tingebantur hac sub verborum forma:* Si non es baptizatus, Ego te baptizo, *quia dubitaat nonnulli de valore baptismi ab hujusmodi hæreticis collati, eò quòd non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. Verùm quoniam illa formula baptizandi sub conditione fuit introducta propter baptismata occulta, & de quibus non apparebat, nec uni mulieri, seu alteri privatim baptizanti credi debebat: contrà verò constabat, Calvinistas in cœtu publico baptizare in forma verborum, & materia a Christo instituta, nec de hoc facto ambigi poterat; vetamus, baptisma repeti cum quibuscumque verbis a Calvinismo, aut aliis hæresibus similiter baptizantibus ad nos transeuntibus, ne de Anabaptismo redarguamur.*

Circa illud Concilii Rhotomagensis statutum observare est 1. ideò paulò ante tempus, quo habitum est nonnullos Sacerdotes, iterum sub conditione baptizatos a Calvinistis abluisse, quòd cùm scirent, illos sectarios docere baptisma peccatorum remissionem non operari, judicarent eis non adfuisse Intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. Ego cum iidem hæretici censerent pariter in Sacramentorum ministro intentionem mentalem non requiri, sacerdotes Catholici, de quibus agit Concilium Rhotomagense, prudenter, & cum fundamento judicare potuerunt, eosdem Sectarios de intentione mentali, cum baptizarent, minimè curasse. Observare est 2. nullam dubiorum hujusmodi rationem habuisse Rhotomagensem Synodum: quippe quæ absolutè prohibuerit ne, etiam sub condinone, datus a Calvinistis baptismus iteraretur. Observare est 3. laudatam Synodum ratum, ac verum judicasse collatum a Calvinistis baptisma hoc uno argumento, quod nimirum Calvinistæ *in cœtu publico baptizarent in forma verborum, & materia a Christo instituta.* Sed eo in argumento sola externa ministri intentio exprimitur. Ergo Concilium Rhotomagense intentionem hujusmodi, ut Sacramentum valeat, satis esse censuit.

§. V.

§. V.

Quodnam ex rationibus Theologicis judicium ferri possit de Sacramento dato a ministris, qui suam retinuerunt intentionem?

Conclusio. Multæ rationes Theologicæ suadent valere Sacramentum datum a ministro, qui suam intentionem interiùs retinuit.

Probatur enumeratione earum rationum.

Primò. Valet baptisma ab Atheo collatum. Atqui ille atheus non potest habere intentionem mentalem gerendi se tamquam Ecclesiæ ministrum, cùm judicet, Ecclesiam conventum esse chymericum, ac absque ulla Divina authoritate institutum, & ordinatum. Se habet Dei, & Ecclesiæ respectu ejurati ille numinis reus, sicut legatus quispiam fictitii, & chymerici Regis respectu. Ergo sicut legatus ille fictitii, & chymerici Regis nomine agere interiùs, ac sincerè velle non potest: ità nec is potest Dei nomine interiùs velle agere, cui certum est omninò nullum esse Deum; nec potest quoque interiùs velle gerere se tamquam Ecclesiæ ministrum, qui Ecclesiam fictitiam, imò & impossibilem putat, & credit.

Nec argumenti vim enervant, qui respondent, illum atheum non habere quidem interiùs intentionem absolutam gerendi se, tamquam Ecclesiæ ministrum, sed habere conditionatam, si nempè alicubi Dei Ecclesia existat: Non enervat (inquam) quia, ut alicui adsit intentio conditionata, necesse est, ut conditionem esse possibilem judicet. Eam ob causam de viro sapiente, & docto dici non potest, quòd ex suppositione, quòd ipse esset Deus, alterum mundum ex nihilo educere verè, & efficaciter vellet. Atqui atheo non est persuasum Christi Ecclesiam esse possibilem, cùm Dei ipsius existentiam inficietur: Ergo &c.

2. Ecclesiæ ministri in Sacramentorum administratione se habent, sicut Reipublicæ legati in negotiis, quæ illius nomine gerunt: utrumque enim, & Reipublicæ, & Ecclesiæ corpus, est humanum; ac proindè modo hominibus conveniente regitur. Atqui acta a Reipublicæ ministris valent, modò Reipublicæ nomine exteriùs egerint, quantumvis inter agendum suam intentionem retinuerint, seu illius nomine agere noluerint interiùs. Sic legatus dominium alicujus urbis in alium Regem verè transfert, cùm exteriùs sui Principis authoritate agit, quamvis hujusmodi translationi non consentiat interiùs, imò & per intentionis retentionem ipsi contradicat. Sic etiam valet lata a Judice, servatis juris solemnibus, sententia, licèt tunc tamquam Judex agere interius detrectet, seu intra se ipsum dicat: *Nolo me hac in causa tamquam Reipublicæ ministrum gerere*. Sic quoque Aman humili in Mardochæum, quem oderat, obsequio, Regis nomine verum honorem exhibuit, licèt his, quæ jussus a Rege proferebat, verbis, *Sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit*. interiùs reluctaretur, nolletque ea nomine Regis in Mardochæi gratiam ex animo proferre.

3. Ecclesia Christiana non potest deficere (ut Catholici contra Sectarios demonstrant.) Atqui id contingere posset, si, ut valeat Sacramentum, intentio mentalis requiratur. Posset quippè fieri ut pauci, imò nulli omninò essent Sacerdotes, ac proindè nulla Ecclesia, cùm ex Clero, & populo essentialiter constet: ergo &c. Ut autem minor propositio, in quam totus difficultatis cardo vertitur, evidens fiat, hanc nobis suppositionem, quæ non implicat, velim adversarii concedant. Joannes v. g. a ministro, qui suam intentionem interiùs retinuit, baptismate initiatus fuit, promotus est posteà ad Episcopatum, per quadraginta, & ampliùs annos amplissimæ Diœcesi præfuit, ac proindè omnes ferè illius Diœcesis Sacerdotes intra illud temporis spatium consecravit: At si Joannes ipse fictitius fuit Episcopus, ut reverà in systemate, quod impugnamus, extitit, consecrati ab eo Sacerdotes sint chymerici Sacerdotes oportet: ergo ea in Diœcesi nulli erunt veri pastores, & consequenter nulla Christiana Ecclesia. Et si eadem suppositio pro toto amplissimo regno fiat, nullis veris Sacerdotibus illud regnum patebit: Quod verò pro uno regno supponitur, nihil vetat, quin pro omnibus aliis supponatur; atque ità in tota Christi Ecclesia nulli ferè erunt veri Episcopi, consequenter nec ipsa stabit Ecclesia, quæ ex Christi institutione est fidelium cum veris pastoribus adunata multitudo.

Doctissimus Bellarminus, ut illius rationis vim eludat, respondet, Christum pro sua in Ecclesiam providentia impediturum deinceps, sicut impedijt hactenùs, ne ministri Sacramenta exteriùs conferentes, suam interiùs, ubique terrarum intentionem retincant. Sed tanti authoris pace dixerim non esse, cur ad miracula confugiat, eaque absque necessitate multiplicet. Cùm enim Deus in sententia, quæ negat, ministrum, qui suam retinet intentionem, nocere Sacramento, incommodum, quod modò urgebamus, absque miraculis potuerit impedire, statuendo nimirum, ut Sacramentum valeat, ubi seriò, ac liberè forma cum materia a Christo determinata conjuncta fuerit, non est omninò improbabile, ea faciliùs alioquin via tanto periculo itum fuisse obviam, præsertim cum pro opposita sententia, nec Concilia, nec Patres, nec antiqui primi Ordinis Scholastici stare videantur.

4. Nonnulla, & quidem gravis momenti absurda ex opinione, quæ mentalem requirit intentionem, sequuntur: Sic nempè nonnulli Scriptores ratiocinantur. 1. Ex probitate ministrorum Ecclesiæ, salus nostra penderet, quippe qui præ sua iniquitate suam possent intentionem retinere, sicque vana Sacramentorum umbra nobis lapsis illudere. 2. Non erat cur antiqua Ecclesia de parvulorum statim a baptismate morientium salute tantoperè confideret; illi enim suboriri potuisset dubium, num ministri, qui eos abluerant, suam intentionem retinuissent. 3. Vix perpetua Ecclesiæ visibilitas posset contra hæreticos demonstrari: cùm in adversariorum opinione nihil omninò certi de ministrorum consecratione, ac fidelium baptismate statui posset.

Objicies 1. Recipiens Sacramentum, si interiùs illius receptioni contradicat, ipsum Sacramentum, quamvis consentiat exteriùs, nequaquam recipit: ergo neque conferens revera illud tradit si suam intentionem interiùs retineat, licèt exteriùs nomine Ecclesiæ agere videatur, serioque, ac postulatus formam applicet materiæ.

Resp. 1. negando anteced. Ipsum quippe veritate non niti ex Innocentio Papa III., ex Augustino, ex S. Thoma, & ex præcipuis Scholasticis, infrà de subjecto Sacramentorum agentes ostendemus.

Resp. 2. dato antecedente, nego consoq. Ratio disparitatis est, quia minister Sacramenti se habet per modum instrumenti, per quod Deus tamquam causa principalis operatur: satis est igitur, ut Divinæ motioni se ipsum liberè subjiciat. At ei se liberè subjicit cùm ex deliberata ratione se ipsum Ecclesiæ ministrum exteriùs exhibens, formam cum Sacramenti materia seriò conjungit, quamvis interiùs contradicat, ac apud se ipsum dicat, nolo me tamquam Ecclesiæ ministrum gerere. E contrà, qui Sacramento donatur, non ob id alicujus causæ superioris est instrumentum; oportet igitur, ut ad Sacramenti receptionem interiùs se ipsum moveat, aut saltem contrariam intùs voluntatem non gerat.

Objicies 2. Ex institutione plurium Sacramentorum colligitur mentalis intentionis necessitas in ministris, qui ea conficiunt. Christus Lucæ 22. Eucharistiam instituens imperavit, ut Sacerdotes eam in illius memoriam conficerent, *Hoc facite* (ait) *in meam commemorationem*. Jacobus Epist. Canonicæ cap. 5. asserit, Unctionem extremam conferri per orationem a Presbyteris fusam, *Inducat* (inquit) *Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum*. Atqui non potest fieri Christi commemoratio, nisi quis interiùs velit agere illius nomine, ac illius se ministrum exhibere: meminisse enim Christi in alicujus Sacramenti confectione est, velle eum imitari; quod quidem fieri non potest ab eo, qui inte-

interiùs protestatur se nolle eum imitari, ac in se ipso dicit, exteriùs quidem exhibeo me Christi ministrum, sed tamen nolo interiùs sic me gerere. Confirmatur ex eo quòd sine intentione mentali, aut interiori nulla omninò sit vera oratio: docent quippe Theologi, eum non orare, qui oretenus profert verba, ex quibus oratio constat, nec ad ea interiùs attendit: ergo, & a fortiori si eisdem verbis per intentionis retentionem contradicat, eodemque instanti, quo exterius orat, apud se ipsum dicat, Nolo orare.

Resp. ad primum, ministrum velle Christum imitari, ac ejus meminisse, cum liberè vult facere idem, quod ipse Christus fecit. Sed minister, qui in subjectum panem verba Evangelica, *Hoc est Corpus meum*, liberè, & seriò profert, vult etiam facere, quod Christus fecit, & instituit: cum enim formam debitæ materiæ applicet, vult necessariò eam applicare, sicut Christus applicuit. Nec voluntas illa impeditur interna intentionis retentione: nam (ut jam multoties fuit observatum) ea intentionis retentio non est vera, & efficax voluntas, sed simplex velleitas non agendi Ecclesiæ authoritate, & nomine Christi: atque ita non obstat voluntati efficaci, quam habet gerendi se tamquam ejusdem ministrum in actione externa, quam postulatus, seriò, & liberè secundùm Divinam institutionem operatur.

Resp. ad secundum, eo argumento, si valeret, probatum iri nullam fore Unctionem-extremam, quæ a Sacerdote cum actuali voluntate peccandi conficeretur, quippe qui cum ea voluntate orat, haud dubiè non orat. Dicendum est igitur orationem a Sacerdote, cum animo non orandi prolatam, non esse quidem veram ex parte illius Sacerdotis orationem, tantum enim abest, ut ei prosit, quin potiùs noceat quam maximè, ut in nostris Theologicis institutionibus in tractatu de oratione demonstravimus: Sed illa eadem oratio, est vera ex parte Ecclesiæ oratio; ipsa enim per os sui ministri quantumvis impii orat, quoties se Ecclesiæ ministrum exteriùs exhibet, ac verbis a Christo institutis, materiaque ab ipso determinata utitur.

CAPUT TERTIUM.

De sanctitate in Sacramentorum ministris requisita.

TRia circa sanctitatem eorum, qui Sacramenta conficiunt, aut dispensant, quæri possunt. 1. Utrum necessaria sit, ut Sacramentum valeat. 2. An requiratur, ut Sacramenti confectio, aut dispensatio sint licitæ. 3. Utrum ab impiis ministris fideles, absque peccati periculo, Sacramenta recipere possint.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum in ministro necessaria sit Sanctitas, ut Sacramentum valeat.

INter impios recensentur 1. Infideles, seu qui Baptismate nusquam initiati fuerunt. 2. Hæretici, qui baptismo quidem consecrati fuere, sed aliqua dogmata expressæ definitioni Ecclesiæ contraria pertinaciter defendunt. 3. Catholici, qui in peccati lethalis statu versantur. 4. Inter Catholicos nonnulli sunt reprobi, alii verò e prædestinatorum numero. 5. Utrique, reprobi nempe, & prædestinati actu impii, vel tolerantur ab Ecclesia, vel per excommunicationem ab ejus sinu ejecti fuerunt.

Circa annum reparatæ salutis 254. Novatiani docuerunt, Sacramenta a ministris extra Ecclesiam positis collata, etiam quoad substantiam, non valere. Firmilianus Cæsariensis in Cappadocia Archiepiscopus, S. Cyprianus, multique alii & doctrina, & pietate insignes Episcopi eadem Sacramenta iterarunt.

Anno 310. Donatistæ, ut sub aliqua pietatis specie rejicerent consecrationem Cæciliani in Episcopum Carthaginensem a Felice Aptungitano sacrorum codicum (ut ajebant) traditore datam, damnarunt tamquam irrita, & nulla Sacramenta, quæ impii contulissent. Seu, ut valerent, non solam in eorum ministris fidem, sed & gratiæ sanctificantis statum requiri contendebant.

Quod Donatistæ tamquam præcipuum sui schismatis errorem ineunte quarto sæculo de necessaria ministris sanctitate docuerunt, desinente 12. VValdenses propugnarunt. Hussitæ, & VViclefistæ sub finem 14. addidisse ferunt requiri præterea, ut ministri essent e prædestinatorum numero, adeo ut confecta a reprobis Sacramenta irrita, ac nulla esse censerent.

De potestate, quæ respectu baptismatis conferendi infidelibus convenit, de jure ministrorum hæreticorum ad alia a baptismo Sacramenta, dicemus cum de singulis in specie Sacramentis disputabimus; hic ergo satis est, ut de ea tantùm potestate disseramus, quæ Christianis existentibus quidem in Ecclesiæ sinu, sed peccato mortali fœdatis competit.

Conclusio. Valent Sacramenta a ministris in statu peccati mortalis, imò & in ejus affectu existentibus, collata.

Probatur 1. Potestas conficiendi Sacramenta non ex iis donis est, quæ subjectum Deo gratum faciunt, sed ex iis, quæ ad aliorum salutem ordinantur, quæque Theologi gratis data vocitant. Atqui status peccati mortalis, imo & ad ipsum affectos dona gratis data non tollunt; ut patet ex Matthæi 7. capite, ubi impii in die judicii Christum sic allocuturi dicuntur, *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?*

Præterea peccatum lethale non efficit, ut quis ex sua jurisdictione, aut præfectura excidat, ut colligitur ex hac 1. Petri cap. 12. sententia, *Servi subditi estote in omni timore Dominis non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis*, tum etiam ex his Christi verbis apud Matthæum cap. 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum nolite facere.* Ergo a fortiori per peccatum mortale ministri non spoliantur potestate, qua in Sacramenta pollent, & ea præsertim, ad quæ, ut valeant, nulla jurisdictio requiritur. Confirmatur illud argumentum ex Augustino, sic Donatistas urgente, *Dedit baptismum Judas, & non baptizatum est post Judam. Dedit Joannes, & baptizatum est post Joannem, quia datus a Juda, baptismus Christi est, qui a Joanne, Joannis erat: non quidem Joanni, sed baptismum Christi etiam per manus Judæ datum, baptismo Joannis rectè præponimus.*

Probatur 2. rationibus a simili petitis: Agricolæ sordes (ait Augustinus lib. 3. contra Cresconium c. 8.) non impediunt, quin ager ab eo excultus fructum ferat. Sigillum ferreum sit, aut argenteum, aut aureum (inquit Gregorius Nazianzenus) eodem modo subjectæ ceræ Principis imaginem imprimit. Per lapideum canalem aqua ad areolas vehitur, in canali lapideo nihil generans, hortis tamen plurimam confert fertilitatem; (Sententia est ex tractatu 5. Augustini in Joannem.) Ex iis S. Patrum comparationibus, sic argumentum conficitur. Iniquitas ministri se habet respectu Sacramenti, aut conficiendi, aut dispensandi, sicut agricolæ sordes respectu agri, quem colit, sicut metallum, ex quo sigillum constat, respectu imaginis, ad quam adhibetur, sicut materia, ex qua confectus est canalis, respectu aquæ, quam in hortum vehit: Atqui nec sordes agricolæ, nec metallum, ex quo sigillum compactum est, nec materies, ex qua constat canalis, aut agro, aut imagini, aut aquis, aliquod detrimentum conferunt. Ergo neque ministri iniquitas nocet Sacramento, quod ab eo aut conficitur, aut dispensatur secundùm ritum a Christo institutum.

Objicies 1. Impii cùm sint diaboli membra juxta illud Christi Judæos increpantis, *Vos ex patre diabolo estis*, nulla ratione cum Christo conjuncti sunt, quod tamen requiritur, ut sint instrumenta, quibus ad populorum sanctificationem utatur: norunt enim omnes necessariam esse instrumenti cum causa præcipua conjunctionem, ut ex illius influxu operetur.

Respond. impios ministros esse conjunctos cum Christo,

stu, vel per fidem, vel per intentionem Ecclesiæ, vel per acceptam in sua ordinatione potestatem, qua liberè, cùm Sacramenta conficiunt, uti supponuntur.

Objicies 2. Impiis deest gratia sanctificans: ergo eam per Sacramenta conferre non possunt. Confirmatur ex eo quòd Spiritus sancti inhabitatio in absolutionis ministro præsupponi debeat, juxta hanc Christi apud Joannem sententiam, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*

Respond. gratiam contineri in Sacramentis, quæ impii conferunt: at hoc ipsum satis est, ut gratiam Sacramenta recipientibus dare dicantur: sicut de latrone verè affirmatur, quòd domum combusserit, quamvis ignem non habuerit in se ipso, sed tantùm in face, quam domui admovit. Nec alicujus est roboris adducta confirmatio. Nam 1. dici potest Spiritus sancti nomine donum gratuitum, sive potestatem ab eo ad remittenda peccata acceptam intelligi posse. 2. Si de gratia sanctificante explicetur, responderi potest Spiritum sanctum esse ministro necessarium, non quidem ut Sacramentum valeat, sed ut illius dispensatio sit immunis a peccati labe.

Objicies 3. Actio, per quam impius Sacramenta, aut conficit, aut dispensat, mala est, seu est peccatum: ergo per illam actionem Deus nec gratiam, nec characterem producit.

Resp. illam actionem non esse malam secundùm substantiam, quatenus nempè est applicatio formæ supra materiam, secundùm quam rationem est instrumentum, quo Deus ad effectus sacramentalis productionem utitur. Vide alia argumenta, quibus inferiùs ostendetur valere baptismum ab hæreticis collatum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum sanctitas in ministro requiratur ad licitam Sacramentorum, aut confectionem, aut dispensationem?

Conclusio 1. Sanctitas ita in ministro necessaria est ad licitam Sacramenti aut confectionem, aut dispensationem, ut ea destitutus peccet lethaliter.

Probatur prior pars 1. ex Traditione. Concilium Eliberitanum celebratum eo tempore, quod fluxit a sedata Decii persecutione ad eam, quam commovit Diocletianus, in conferente baptismum innocentiam baptismalem requirit. Episcopis Africanis desinente tertio sæculo persuasum fuit ad conferendum Ordinis sacramentum singularem in ministro prærequiri sanctitatem. Et sanè Secundus in Numidia Episcopus, in Concilio, cui post remissam in Christianos persecutionem præerat, Episcopos comprovinciales monuit, ut perpenderent sedulò, an sacrorum codicum traditionis rei essent, antequam Episcopo mox creando manus imponerent. Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. prohibet, ne Sacerdotes, qui sibi peccati mortalis conscii sunt, rei sacræ dent operam, nisi priùs apud Presbyterum, a quo absolvi possint, illud deposuerint. Scriptura non immeritò refert, Spiritum Sanctum Apostolis datum fuisse, cùm absolvendi potestate donati fuerunt: eò enim spectat ea monitio, ut intelligant Apostolorum successores, ad licitam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem inhabitantem Spiritum sanctum pærequiri.

Quæ pro singulis in specie Sacramentis huc usque protulimus in medium, generali, sed brevi, hac sententia complexus est Dionysius, quem operis de Ecclesiastica hierarchia authorem dicunt, *Malis symbola nec contigere permissum est*. Augustinus in suis libris contra Donatistas totus est, ut probet ministros, qui jacent in peccati statu, reos fieri cùm Sacramenta conficiunt, *Obsunt* (inquit) *indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*. S. Thomas antiquæ Patrum traditioni inhærens sic loquitur 3. part. qu. 64. artic. 5. *Non est dubium, quin mali exhibentes se ministros Dei, & Ecclesiæ in dispensatione Sacramentorum peccent*, Ergo &c.

Probatur 2. eadem prior conclusionis pars variis rationibus. Primò, innatæ rationis lumine docemur sancta sanctè esse pertractanda; unde hæc ait Concilium Tridentinum, *Non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè*. 2. Ministri in Sacramentorum confectione, aut dispensatione sunt respectu Christi, qui principalis est agens, sunt (inquam) causæ instrumentales, & quidem animatæ: atqui causa instrumentalis animata tenetur ad aliquam conformitatem cum causa præcipua, cujus nomine, authoritate, & influxu operatur: id patet in legato, qui fœdere cum hostibus inito, principis tamen negotia & tractare, & exequi auderet.

Probatur altera conclusionis pars, nempè peccatum, cujus impius minister fit reus, dum Sacramenta aut conficit, aut dispensat, esse ex natura sua peccatum mortale. Levitici 22. hæc habentur, *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino*. Hæc quoque Exodi 19. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificentur, ne fortè derelinquat eos Dominus*. Quo quidem ex loco sic licet argumentari. Majori se culpa implicat, qui novæ legis Sacramenta in statu peccati lethalis aut conficit, aut dispensat, quàm olim se devincerent ministri Aaronici Legalia in illo eodem statu obeuntes. Atqui rei fiebant ingentis sceleris: nam si nota postmodum fieret immunditia, qua fœdati, sacris functi fuerant, gladio in eos animadvertebatur: si verò occulta remaneret, coram Deo spirituali morte plectebantur, juxtà hæc mox allata ex Exodo verba: *Ne fortè derelinquat eos Dominus*. Gregorius Magnus, ut peccati, de quo agitur, gravitatem explicet, sumpto ex ardente face argumento utitur. Fax illa, dum sua luce alia corpora perfundit, se ipsam perimit omninò. Ariani tamquam gravissimum scelus sacri calicis effractionem Athanasio olim objiciebant, ob idque eum esse depositione damnandum causabantur. Factum illud negabant quidem Catholici, sed numquam, si verum foret, depositione mulctari debere, inficiati sunt. Ergo tamquam gravius crimen, Sacramentorum contrectatio impiis ministris objici debet. Sanctus Thomas, loco superiùs laudato, rem hanc totam paucis sic conficit, *quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, consequens est, quòd tale peccatum ex genere suo sit mortale*.

Probatur iterùm eadem secunda conclusionis pars variis rationibus. Prima ratio petitur ex injuria, quæ Christo ab eo infertur, qui per peccatum diabolo serviens, iniquamque illam servitutem amans, audet tamen credito sibi officio ejusdem Christi personam exhibere: non enim minoris sceleris, ac perfidiæ reus est, quàm legatus, qui ubi cum Regis hostibus fœdus iniisset, ejusdem tamen Regis se fidelem ministrum exteriùs exhiberet. Altera ratio sumitur ex iniqui ministri in Sacramentum contemptu. Ideò impiùs, qui se ipsum Eucharistia reficit, infando se devincit sacrilegio, quòd in praxi sic se gerat, ac si inter sacrum illum cibum, & prophanum alium, discrimen nullum interesset, *judicium* (inquit Paulus) *sibi mandacat, & bibit non dijudicans corpus Domini*: atqui minister, qui in statu peccati mortalis, vel conficit, vel dispensat Sacramenta, ita se in praxi gerit, ac si res sacræ, quas pertractat, a prophanis non differrent: ergo lethaliter peccat.

Objicies 1. Fidelis, qui jacens in peccati mortalis statu hostiam consecratam contingit, rem sanctissimam indignè pertractat: & tamen lethalis peccati reus non fit: ergo neque minister impius, qui eam populo dispensat.

Respond. concesso antecedente, nego conseq. Ratio disparitatis est, quia per illum contractum non præbetur materia, quæ peccato mortali satis sit: nec enim hostia consecrata nata est sanctificare ex eo præcisè quòd tangatur: è contra sanctificandi virtus inest Sacramentis cum relatione ad sumptionem.

Objicies 2: Ex S. Thoma 3. part. quæst. 64. artic. 6. ad 3. non peccat Sacerdos impius cùm baptizat

ptizat in casu necessitatis, in quo etiam laicus baptizare posset. Ergo neque si extra necessitatis casum baptizet.

Respond. nego conseq. Ratio est, quia eo in casu de quo Sanctus Thomas, minister sola motus charitate Sacramentum confert, non agit autem ex officio, & vi receptæ in sua ordinatione consecrationis, quemadmodum ejus vi agit, cùm baptismum, aut alia Sacramenta solemniter conficit, ac dispensat.

Conclusio 2. Diaconi, Subdiaconi, & alii omnes ministri, si per verum Sacramentum ordinati fuerint, peccant lethaliter, dum in peccato mortali suis officiis, solemniter funguntur.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ in lib. 4. Sent. Dist. 24. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 5. sic loquentis, *Quidquid homo, quod sibi competit ex ordine, facit indignè, quod justum est injustè exequitur, ac per hoc mortaliter peccat.* Locus ille de singulis Ordinibus intelligitur, tum quòd termino universali, *Quidquid*, S. Doctor utatur, tum quòd in illius sententia singulis in specie ordinibus Sacramenti strictè sumpti ratio conveniat. 2. Imperfectio actuum, quos efficiunt ministri, de quibus agitur, eis excusationis loco esse non potest: illos enim actus nemo imperfectos, sive materiam levem dixerit, ad quos exercendos Christus Sacramenta, characteris specialis, & gratiæ divinæ effectiva instituit. 3. Etiamsi levis ea supponeretur materia in se sumpta, non ob id ministri, de quibus est quæstio, a peccato immunes essent, Ordinem nempe, qui est verum Sacramentum, ac proindè rem maximè sacram polluerent.

Objicies 1. Recepta est apud plures Theologos sententia, quæ asserit Subdiaconatum, & a fortiori quatuor minores Ordines non esse Sacramenta, quippe qui non a Christo, sed ab Ecclesia instituti sint. Ergo, qui Subdiaconatus, & minorum Ordinum munera in statu peccati mortalis obeunt, alterius peccati rei non fiunt.

Respond. concedendo totum argumentum, si tamen veritate nitatur opinio, quæ in antecedente supponitur. Unde de industria in nostra conclusione hæc addidimus, *Si per verum Sacramentum fuerint ordinati.*

Objicies 2. Laici Subdiaconorum, & aliorum ministrorum munera obeuntes in statu peccati mortalis non fiunt rei sacrilegii: ergo neque Subdiaconi cùm iisdem muneribus, & quidem solemniter funguntur.

Respond. concesso ant. nego conseq. Ratio est, quia peccatum Subdiaconorum non petitur solùm ex objecto, seu ex lectione epistolæ intra missarum solemnia, aut ex infusione aquæ in calicem, sed etiam ex divina consecratione, qua, ut annexa suo ordini munera obirent, initiati sunt.

Conclusio 3. Rei fiunt sacrilegii Sacerdotes, qui in peccato mortali concionantur.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ, cujus textu nihil potest esse clarius. His scilicet verbis suam exprimit mentem, in 4. Sent. Dist. 19. quæst. 2. artic. 2. quæstiuncula 2. *Ad quartum dicendum, quòd docere sacram Scripturam dupliciter contingit; uno modo ex officio Prælationis, sicut qui prædicat & docet; alio modo ex officio Magisterii, sicut magistri Theologiæ docent. Dicunt ergo quidam, quòd ille, qui primo modo docet, peccat mortaliter, si sit in peccato mortali notorio, non autem qui secundo modo docet. Sed hoc est falsum, quia eorum qui docent Scripturam est idem finis, ac eorum qui fecerunt Scripturam ediderunt .... Dicendum, quòd ille, qui est in peccato notorio peccat sive sic, sive sic doceat. Sed ille, qui est in peccato occulto, peccat si primo modo doceat, non autem si secundo.*

Probatur 2. Sacerdos impius, qui verbum Dei ex prælatione docet, idem Dei verbum, rem maximè sanctam contemnit, & suæ consecrationi non leviter illudit, non actu quidem formali, sed interpretativo; ita nempè se gerit, ac si Dei verbum, & consecrationem suam aspernaretur, cùm (ut par est, & ut res sancta postulat) ad exercitium officii, quod prælationi jure divino competit, se ipsum parare negligat. Impium illum ministrum Scriptura Psalm. 49. sic increpat: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum per os tuum?* Sic quoque Paulus ad Romanos scribens, eum insectatur. *Qui alium doces, te ipsum non doces.* Præterea Prælatus cùm ex officio concionetur, quantum penes ipsum stat, ex justitia, charitate, religione tenetur, ne concionis suæ fructui sit impedimento: Est tamen impedimento cùm impius concionatur; nihil enim frequentiùs in Scriptura docemur, quàm istud, castigari nimirum oves in pœnam scelerum, quibus se pastores obligarunt.

Objicies: Prædicatio verbi Dei jure divino alicui Ordini sacro non est annexa, tum quòd olim prophetæ, viri alioquin laici, utpote plerumque ex alia tribu, quàm Aaronica, concionarentur; tum quòd in nova lege prædicationis officium simplici Clerico ab Episcopo, absolutè loquendo, committi possit: ergo minister impius, qui prædicationis actum exercet, non ob id graviter peccat.

Resp. ad primum, nego ant. Nam prædicatio verbi Dei jure divino, & vi prælationis omnibus curam animarum habentibus, cum dependentia tamen ab Episcopo convenit. Ad priorem probationem dici potest, Deum in Evangelio aliter, quàm antiquitùs de prædicationis officio statuisse; ipsum enim olim, vel Sacerdotio Aaronico, vel extraordinario missioni annexum esse voluerat. Ad posteriorem probationem respondeo non valere illationem, seu non sequi officium aliquod sacrum ordini sacro non esse annexum, ex eo quòd nonnunquam urgente causâ non ordinatis committi possit. Siquidem Eucharistiæ dispensatio ad Episcopos, & Sacerdotes, præsertim parochos jure divino spectat, & tamen laicis extraordinariè eam commissam fuisse legimus, ut apud Eusebium videre est. Refert nimirum, Presbyterum ægrotantem, per puerum laicum ad Serapionem senem jam jam efflaturum animam Eucharistiam misisse. Præterea, qui Subdiaconatum, & minores Ordines Sacramentis accensent, non negant eorum officia alicui ordini ad ea divinitùs instituto annexa esse, quamvis laicos, jubente Presbytero, ea obire posse fateantur.

Articulus Tertius.

Utrum ab impiis liceat Sacramenta recipere?

Impii ministri nomine hic intelligimus eum, quem non temerariò, sed prudenter in peccati mortalis statu jacere judicamus. Illi autem impio ministro dispensatio Sacramentorum convenit, vel ex officio, ut parochis, vel ex commissione, ut presbyteris approbatis quidem, sed curam animarum non habentibus. Impius ille, vel est suspensus, degradatus, excommunicatus, vel nulla est ligatus censura. Si excommunicatus, vel fuit expressè denunciatus, vel non fuit. Utrum ab impio ministro secundùm diversos illos respectus considerato Sacramenta recipere liceat, est hic discutiendum.

Conclusio 1. Non licet extra casum necessitatis recipere Sacramenta a ministro impio, a quo ex commissione tantùm dispensantur.

Probatur. Ille minister, de quo conclusio, vel esset paratus, & accinctus ad dispensationem Sacramenti, vel non. Atqui in neutro casu, seclusa necessitate, licet ab eo Sacramenta recipere. Non in priori, cùm nemo illum proximum ad actionem, quam scit in illo futuram peccatum, inducere inculpatè possit. Non etiam in posteriori; Nam volenti, & parato peccare, materiam subministrare, & occasionem præbere nequaquam licet, eam enim ob causam volenti se inebriare, si cauponarius vinum suppeditet, ebrietatis offensæ fit particeps: At impio præberet peccati materiam, qui ab eo etiam accincto, Sacramenta reciperet. Si enim pœnitens v. g. ad impium Sacerdotem non accederet, impius Sacerdos indignè Eucharistiam actu non dispensaret, nec illius sanctitati inferret contumeliam.

Objicies authoritatem S. Thomæ sic loquentis de impio ministro 3. par. quæst. 64. artic. 6. ad 2. *Quamdiu ab*

diu ab Ecclesia toleratur in ministerio ille, qui ab eo suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tamquam ministrum exhibet.

Resp. intelligendum esse S. Thomam de casu necessitatis; sicut cùm aliis in locis asserit non peccare eum, qui, ut suam sublevet miseriam, pecunias sub usuræ onere a fœneratore ad id accincto, & parato postulat.

Conclusio 2. Cuique licitum est, etiam extra casum necessitatis, Sacramenta a proprio parocho, quamvis impio petere; modò tamen alius non adsit Sacerdos, a quo recipi possint.

Probatur prior conclusionis pars. Fidelis ille, in re, quæ ex se bona est, ac utilis, jure suo utitur, cùm ex justitia pastor suis ovibus Sacramenta debeat. Theologi eam rationem confirmant 1. ex eo quòd nonnunquam juramentum exigere liceat ab infideli, qui scitur Deos suos vocaturus in testes: Confirmant 2. exemplo petito a paupere, cui (ut jam fuit observatum) licet pecuniam a proximo petere, quamvis eam sibi cum usuræ onere dandam esse certò sciat. Confirmant 3. argumento sumpto ex homine, cui coram judice rem suam a bonæ fidei possessore repetere licet, quamvis sit periculum ne is, a quo repetet, illi in posterum exosus fiat.

Objicies. Parochianus Sacramenta ab impio suo pastore poscens, illi est scandalo, cùm eum hujusmodi petione ad actionem, quam prævidet ei noxiam fore, inducat.

Respond. scandalum, quod objicitur, esse scandalum a ministro impio acceptum, non autem datum a parochiano, qui justè rem sibi debitam petit, quaque æquum non est, ut propter debitoris iniquitatem privetur.

Probatur altera conclusionis pars. Fidelis ab impio suo parocho Sacramenta exposcens, quæ absque sui detrimento ab alio ministro recipere potest, reus fit infractæ de charitate legis; præcipit enim charitas, ne quis jure suo utatur, cùm grave damnum proximo inferendum prævidet, præsertim si rem sibi debitam alia via sine periculo, & sine detrimento consequi possit. Sic jusjurandum ab infideli juraturo per idola exigere non licet, cùm contractui eum eo inito aliunde tanta firmitas adesse potest, quanta ex Sacramento speratur.

Conclusio 3. Extra mortis periculum 1. nemini licet recipere Sacramenta a ministro ab executione suorum ordinum suspenso, aut excommunicato propter hæresim, vel propter crimen: 2. At id licitum est, si immineat periculum mortis, præsertim si de Sacramentis necessitate medii ad justificationem necessariis agatur: 3. modò tamen absit scandalum.

Probatur prima pars authoritatibus. Augustinus lib. 1. de baptismo, cap. 2. sic loquitur, *Si quis, cùm possit in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis perversitatem eligit in schismate baptizari .... procul dubio perversus est, & iniquus, & tantò perniciosius, quantò scientius.* 2. S. Tomas, eum, qui in casu, de quo conclusio, Sacramenta petit, non Ecclesiæ, sed conferentis peccato communicare contendit. Huc adduci possunt exempla Catholicorum, qui (ut narrat Baronius(sæculo quarto ita sollicitè cavebant, ne aliquibus in rebus sacris cum Arianis communicarent, ut ad id ne morte quidem intentata ab Imperatoribus hæreticis compelli potuerint.

Probatur altera pars pro baptismate ex Augustino, qui libro 1. de baptismo contra Donatistas cap. 2. hæc scribit, *Si quem fortè ceperit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit: Si autem fuerit a corporali morte liberatus, cum se Catholicæ congregationi, etiam corporali præsentia reddiderit, unde numquam corde discesserat, non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè, verissimèque laudamus.*

Probatur eadem secunda pars pro absolutione sacramentali, urgente impium morte; 1. ex his verbis Concilii Tridentini sessione 14. cap. 7. *Piè admodum ne hac occasione* (loquitur de casuum reservatione) *aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque adeò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus, & censuris absolvere possunt.* Nec valet quod nonnulli reponunt; scilicet Concilium intelligendum esse tantùm de Catholicis Sacerdotibus, quibus a casibus non reservatis absolvendi Ordinarius facultatem non fecit. Primò enim, ubi lex non distinguit, nec nos debemus distinguere, præsertim cùm agitur de revocatione coarctationis in jure communi factæ, ut est casuum reservatio, favores quippe esse ampliandos, & odia restringenda una est Canonistarum vox. 2. Ideò ex Augustino licitum est adultis baptismum ab hæreticis, cùm necessitas urget, exposcere, quia baptismus ad regenerationem necessitate medii requitur. Sed pariter ad spiritualem resurrectionem pœnitentia sacramentalis est necessaria necessitate medii, Nec audiendi sunt aliqui Thomistæ asserentes, Sacerdotis absolutionem posse per contritionem pœnitentis suppleri, cùm id idem de baptismo dici possit; Catechumenus enim adultus baptismatis actu recepti defectum, saltem quoad justitiam consequendam, per contritionem cum voto Sacramenti conjunctam supplere potest.

Probatur tertia pars conclusionis. Quilibet debet abstinere ab actu, cujus effectus aliunde potest haberi, & præsertim cùm non temerariò, sed prudenter judicatur per illum actum, hæresim, aut schisma adduci in authoritatem. Atqui nonnumquam per baptismatis, aut pœnitentiæ a ministro hæretico susceptionem schisma, aut hæresis in authoritatem adduci possunt. Casus, quo id potest accidere, exemplo sit Episcopus: Is si, non demonstrando exterius quòd catholicam fidem profiteretur, & etiam urgente necessitate absolvi vellet a ministro palam hæresim profitente, haud dubiè fidelibus gravissimo foret scandalo, fideique noceret quàm maximè.

Objicies in tertiam partem conclusionis. Nemo vertit crimini Constantino magno, quòd Nicomediæ instante morte ab Eusebio Episcopo Arriano ablutus fuerit. Atqui illud factum, Arrianorum sectæ authoritatem conciliare poterat. Ergo, &c.

Respond. nego min. Primò constabat omnibus Constantinum magnum virum esse maximè Catholicum, & Arrianæ hæresis hostem infensissimum, id enim ita ipsis etiam Arrianis erat persuasum, ut quamdiu vixit consubstantialitatem Verbi, a Nicæno primo Concilio definitam, labefactare nusquam ausi sint. 2. Eusebius tunc temporis Arrianismum palam non profitebatur, imò Catholicus, & sacræ Synodi Nicænæ de verbi consubstantialitate definitioni palam adhærere videbatur.

Objicies, 2. in eamdem tertiam partem. Ei qui nescit baptismatis formulam, aut qui loqui non potest, urgente necessitate, parvulum hæretico ad baptismum offerte licet, quamvis ea actio multis futura sit scandalo: ergo, &c.

Respond. conced. ant. nego consequentiam. Ratio est, quia alio modo, quàm per actualem receptionem Sacramenti infans ille a morte æterna liberari non potest. Unde eo in casu scandalum non est ab offerente datum, sed ab aliis temerè, & incautè acceptum.

Quæres. Quinam sint illi excommunicati, a quibus extra mortis periculum Sacramenta, etiam maximè necessaria, recipere non licet?

Respond. 1. ante tempora Martini Papæ V. excommunicatos, de quibus agitur, fuisse ministros, qui etiam occultè, seu coram paucis testibus scelus admiserant, propter quod jura *ipso facto*, infligebant excommunicationis pœnam.

Respond. 2. Martini V. constitutione, quæ incipit, *Ad evitanda scandala*, mutatam fuisse illam antiquam praxim in aliam, nam sic expressit laudatus Pontifex, *Ad evitanda scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt; Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quòd nemo deinceps a communione alicujus, Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ a jure, vel ab homine generaliter promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem evitare,*

aut

aut interdictum Eccleſiaſticam, obſervare, niſi cenſura, vel ſententia hujuſmodi fuerit facta contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, Communitatem. vel locum certum, aut certam perſonam, a judice publicata, vel denuntiata ſpecialiter expreſſa, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque, niſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum in ſententiam latam a Canone adeo notoriè conſtiterit incidiſſe; quod factum nulla poſſit tergiverſatione celari, nec aliquo ſuffragio excuſari; Nam a communione illius, licèt denuntiatus non fuerit, volumus abſtineri juxta Canonicas ſanctiones.

Reſpond. 3. ſancitæ a Martino V. diſciplinæ mutationem, ſeu antiquæ reſtitutionem tentatam fuiſſe in Concilio Baſileenſi, in Lateranenſi ſub Leone X. in Concordatis inter eumdem Leonem, & Franciſcum hujuſce nominis primum, Gallorum Regem initis, in Pragmatica ſanctione. Conditio enim ad denunciationem ſpectans a Martino V. requiſita, prætermiſſa fuit, ac iis locis ſimpliciter hæc clauſula appoſita fuit, *Aut ſi notoriè in excommunicationis ſententias conſtiterit incidiſſe, quòd nulla tergiverſatione celari poſſit, aut aliquo juris ſuffragio excuſari, eum a communione illius abſtinere volumus juxta Canonicas ſanctiones.* Dictum eſt in reſponſione per ea poſtrema decreta, tentatam fuiſſe juris antiqui reſtitutionem, non autem reipſa factam fuiſſe. Nullibi enim obtinuerunt illa decreta. Apud Gallos, Hiſpanos, ipſos etiam Italos laudata ſuperiùs Martini V. conſtitutio, *Ad evitanda ſcandala*, obſervatur in praxi: cum hac tamen exceptione, quòd in Francia Clerici percuſſor notorius, non vitetur niſi poſt ſententiam, qua judex Eccleſiaſticus eum in excommunicationem incidiſſe, ſervata juris ſolemnitate, declaravit.



QUÆSTIO SEXTA.

De Sacramentorum ſubjecto.

SAcramentorum ſubjectum eſt homo viator; Angelis quippe ſigna ſenſibilia applicari non poſſunt; nec patitur Beatorum ſtatus, ut in eis augeatur gratia, aut aliqua Damnatis conferatur. De diſpoſitionibus prærequiſitis in ſubjecto, ut aut validè, aut licitè Sacramenta recipiat, Theologi plurima movent dubia. Ea nos de ſingulis in particulari Sacramentis agentes, Deo dante, ſolvemus, Hac in quæſtione de duabus tantùm, de intentione nimirum, & de fide diſſeremus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum, & quæ intentio neceſſaria ſit in ſubjecto, ut validè Sacramenta recipiat?

COonclusio 1. Ut Sacramentum validè recipiatur, in adulto indifferentia non ſufficit, ſed præterea poſitiva illud recipiendi intentio requiritur.

Probatur 1. Receptio Sacramenti eſt in adultis actus humanus: ergo ab aliqua intentione oriri debet, 2. Præſcribunt Canones, ut adultorum voluntas exploretur, antequam baptiſmate initientur, ut videre eſt in Concilio quarto Carthaginenſi capit 34. in Auguſtino lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas capit. 24. in priore Synodo Arauſicana cap. 12. Præterea Romano rituali Pauli V. juſſu edito cavetur, ne baptizetur adultus, qui fruens rationis uſu Sacramentum non petiit, antequam amentiam, aut ſubitum morbum, quo fuit correptus, & præ cujus acerbitate nec loqui, nec aliquod poteſt ſignum edere, inciderit. Alioquin Gentilibus, qui nihil unquam audierunt de Evangelico, ſaltem ſi correpti aliquo ſubito morbo obmuteſcerent, baptiſma conferre liceret: quod tamen ſacris canonibus cautum eſſe, nec ipſos latet Theologiæ candidatos.

Objicies 1. Innocentius III. capite *Majores* aſſerit, ſacramentalem actionem tunc characterem imprimere, *Quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit*: ergo in ſubjecto, etiam adulto, mera indifferentia, ut Sacramentum valeat, ſatis eſt.

Reſp. Innocentium de iis loqui, qui præ infirmitate ſubita obmuteſcentes, *Prius Cathecumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptiſmatis*,

Objicies 2. Nonnulli, vel inviti, vel ſaltem inſcii Ordinis Sacramento initiati fuerunt; & tamen collata eis ordinatio valuit: Ergo nulla in ſubjecto requiritur intentio, ut Sacramentum ab eis receptum valeat.

Probatur antecedens 1. ex Theodoreto, qui de Macedonii ſolitarii conſecratione in Presbyterum Hiſt. SS. PP. cap. 13. hæc ſcribit, *Poſtquam magnus ordinatus fuit Flavianus, ut magnum Dei gregem paſceret, viri autem* (Macedonii) *virtutem didicit; Prædicabatur enim, & erat in ore omnium. Eum quidem abducit a vertice montis; tamquam in eum ad ſe delata fuiſſet accuſatio. Cum autem myſticum eſſet propoſitum ſacrificium, adducit ad altare, & eum coaptat in numerum Sacerdotum. Poſtquam autem fuit finitum ſacrum officium, & hoc ei ſignificavit aliquis: quod enim factum fuerat ignorabat omnino: primùm quidem inceſſabat omnes maledictis, & conviciis poſtea autem accepto baculo (ſolebat enim eo innitens ingredi propter ſenium) & ipſum perſequebatur Pontificem, & alios quotquot aderant; exiſtimabant enim ordinationem eum eſſe privaturam & cacumine montis, & ea, quam deſiderabat, vivendi ratione. Sed tunc quidem vix eum iraſcentem ſedaverunt quidam ex familiaribus. Poſtquam autem fuit finitus hebdomadæ circulus, & rurſus venit dies feſtus Domini, rurſus eum magnus accerſit Flavianus rogans, ut cum eis particeps hujus celebritatis eſſet, ille verò ad eos, qui venerant: Non ſufficiunt* (inquit) *vobis ea, quæ facta ſunt; ſed me rurſus vultis efficere Presbyterum. Cum autem ii dicerent fieri non poſſe, ut bis eadem fieret ordinatio, non ceſſit, neque venit donec tempus, & ejus familiares eum id docuerunt.* Nec eſt, quòd quis reſpondeat irritam fuiſſe Macedonii in Presbyterum ordinationem. Tum quia rata fuit Flaviano, Canonum alioquin peritiſſimo, tum quia a cæteris Eccleſiis verus Presbyter habitus fuit.

2. Idem argumenti antecedens oſtenditur ex Epiphanio, qui invitum Paulinianum Sancti Hieronymi fratrem inauguravit Diaconum, & poſtea Presbyterum: *Ignorantem eum, & nullam penitus habentem ſuſpicionem per multos Diaconos apprehendi juſſimus, & teneri os ejus, ne forte liberare ſe cupiens, adjuraret nos per nomen Chriſti, & primùm Diaconum ordinavimus.* Verba ſunt Sancti Epiphanii factum illud enarrantis, qui, ut ex hiſce ejus verbis patet, compulit Paulinianum, ut Diaconi munera obiret, *Proponentes ei timorem Dei, & compellentes, ut miniſtraret, valde quippe obnitebatur, indignum eſſe conteſtans; vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis Scripturarum, & propoſitione mandatorum Dei.* Non alia ratione idem Epiphanius Sacerdotali ordine Paulinianum inſignivit: *Cum miniſtraret in ſanctis ſacrificiis* (inquit) *rurſus eum ingenti difficultate, tento ore ejus, ordinavimus Presbyterum, & iiſdem verbis, quibus ante ſuaſeramus, impulimus, ut ſederet in ordine Presbyterii.* Duplex illud factum nullam requiri in Sacramentorum ſubjecto intentionem demonſtrare videtur.

Reſpond. & Macedonium, & Paulinianum, utpote viros frugi, & eximia virtute conſpicuos, animum in omnibus Eccleſiæ ſubditum habuiſſe; atque ita virtualiter in ordinationem ejus nomine, & authoritate datam conſentire: quæ egerunt poſtea ſummam in eis humilitatem probant, oſtenduntque eos, ſecluſo abſoluto Eccleſiæ præcepto, non fuiſſe in ſuam ordinationem præbituros conſenſum.

Objicies 3. Plures leguntur baptiſmate conſecrati, cujus tamen recipiendi nullam habuerant intentionem; Geneſium dico, & Dioſcorum, qui dum mimicè Chriſtianorum myſteria coram paganis exhibe-

 tent,

fent, baptifmate confecrati fuerunt. Ergo abfque ulla ex parte fubjecti intentione Sacramenta valent.

Refpond. duplici illo exemplo nihil evinci contra noftram conclufionem. Primò enim, quod ad Genefium fpectat, non eft certum, an baptifma receperit. Ufuardus, nec mimicæ ejus artis, nec recepti baptifmatis meminit, hoc unum ad diem 25. Augufti de eo fcribit, mortem fcilicet pro Chrifti nomine, Diocletiano fæviente in Chriftianos, paffum fuiffe, ac in mediis tormentis præclara hæc protuliffe verba, *Non eft Rex præter Chriftum, pro quo fi millies occidar, ipfum mihi de corde auferre non poteritis*. Ado refert quidem, eumdem Genefium *mimum Themelæ artis Magiftrum*, dum vellet Chriftianis coram Diocletiano illudere, in Theatro a pfeudo-facerdote, & exorcifta baptifmate initiatum fuiffe, fed mox a Deo infpiratum credidiffe, ac mortem obiiffe pro Chrifto: fed nufquam, ait laudatus Ado, Sacramentum derisoriè ei collatum valuiffe: unde dicendum fanguinis non autem aquæ baptifmo Genefium juftificationem fuiffe confecutum. 2. Falfum eft Diofcorum in theatro baptifma recepiffe, quippe qui cum multis Catechumenis pridie pafcatis Baptifmate donatus fuit. Quæ de Diofcoro fcribit Auguftinus epiftola 67. ad Alipium juvat hic defcribere, *Paulus... narrat deGabiniano .... per pafcha proximè baptizatus eft ... Archiatater etiam Diofcorus Chriftianus fidelis fimul eft gratiam confecutus ... Filia ejus, in qua unica acquiefcebat, ægrotabat, & ufque ad totam difperationem falutis temporalis.. pervenit... Dicitur ergo ille fenex tandem converfus ad implorandam Chrifti mifericordiam voto fe obligaffe, Chriftianum fore fi illam falvam videret. Factum eft. At ille, quod voverat diffimulabat exfolvere.... Repentina cæcitate fuffunditur, ftatimque venit in mentem, unde illud effet, exclamavit confitens, atque iterum vovit, fe recepto lumine impleturum effe, quod voverat. Recepit, implevit .... Symbolum non tenuerat, aut fortaffe tenere recufaverat. Deus viderat ... in paralyfim folvitur multis, ac penè omnibus membris, & etiam lingua. Tunc fomnio admonitus confitetur per Scripturam, ob hoc fibi dictum effe accidiffe, quòd fymbolum non reddiderit. Poft illam confeffionem redduntur officia omnium membrorum, nifi linguæ folius: Se tamen didiciffe fymbolum, ideòque memoria jam tenere nihilominus in eadem tentatione literis faffus eft. Omnis eft ab eo deleta nugacitas. Quæ (ut fcis) multum decolorabat naturalem quamdam ejus benignitatem, eumque infultantem Chriftianis faciebat valde facrilegum. Quid dicam Domino; nifi hymnum canamus, & fuperexaltemus eum in fæcula.*

Objicies 4. Parvulis, ut Confirmationem, & Ordinem recipiant, pofitiva intentione opus non eft: ergo neque in adultis requiritur. Unde illius intentionis pofitivæ Eugenius IV. poft folutum Concilium Florentinum Armenos docens nequaquam meminit, quamvis de neceffariis ad quodlibet in fpecie Sacramentum agat ex profeffo.

Refp. ad primum, nego confeq. Ratio eft, quia, Chrifto fic inftituente, parvulis, utpote actuali peccato non fœdatis, & Sacramentum per fe ipfos petere non valentibus prodeft aliena, Ecclefiæ fcilicet eos ad baptifma recipiendum offerentis intentio. E contra adultis, eo quòd ante morbum pofitiva intentio adeffe potuerit, æquum non eft, ut profit aliena intentio: unde imputent fibi quòd in amentia, aut in morbo, per baptifmum poftea non renafcantur.

Refpond. ad fecundum, Eugenium Papam, cùm docet Armenos, de iis tantùm agere, quæ ex parte miniftri ad conferendum Sacramentum requiruntur, non autem de iis, quæ ex parte fubjecti neceffaria funt. Iftud enim (fubjectum dico) aliunde Sacramento fupponit idoneum, cùm Sacramenta tribus perfici, materia nempe, forma, & intentione miniftri, definit.

Objicies 5. Extrema-unctio valet collata fideli præ fubita infirmitate omnium fenfuum ufu deftituto: ergo illud faltem Sacramentum, abfque pofitiva ex parte fubjecti intentione ratum eft: fidelis enim ille antequam mentis impos fieret, nec voce, nec figno Unctionem-extremam petiiffe fupponitur,

Refpond. pofitivam intentionem præfumptam in cafu de quo agitur, adeffe: qui enim, dum fua frueretur ratione Chriftianifmum ad mortem ufque in Ecclefia Catholica profiteri voluit, cenfetur velle, ut fibi poftea ratione deftituto Sacramenta conferrentur, & ea præfertim, quæ de vita periclitantibus, ex Chrifti mandato neceffaria effe cognofcit.

Conclufio 2. Intentio ad recipiendum Sacramentum ex parte fubjecti requifita, non debet neceffariò effe actualis, aut virtualis. Imò habitualis, etiam in iis, qui fua fruuntur ratione, fatis eft.

Probatur. Canonibus docemur valere Sacramenta dormientibus, amentibus, & præ fubita infirmitate obmutefcentibus collata, modo tamen priùs ea, vel verbo, vel fignis aliquibus petierint: atqui hominibus hujufmodi intentio actualis non adeft, cùm tunc de Sacramentis non cogitent, non adeft quoque virtualis, non enim in eis permanet motus, quem actualis intentio ante fomnum potentiis impreflerat: ergo fola adeft habitualis intentio.

Objicies. Intentio habitualis ad recipiendum Matrimonii Sacramentum non fufficit: neque enim dormientes, aut amentes nubere poffunt: ergo neque in aliis Sacramentis fatis eft,

Refp. 1. in eorum fententia, qui Matrimonii, prout eft Sacramentum, Sacerdotem miniftrum effe docent, falfum effe antecedens; qui enim civilem contractum, antequam fe fomno traderent, per verba de præfenti inierunt, abfolutè loquendo, a Sacerdote, dormiant licèt, facra benedictione donari poffunt.

Refpon. 2. in eorum opinione, qui Matrimonium, etiam prout Sacramentum eft, a contrahentibus, tamquam folis illius miniftris perfici cenfent, verum effe antecedens argumenti, fed falfa eft confequentia. Ratio eft, quia dormientes mutuum confenfum, quem tunc noffe non valent, acceptare non poffunt: at in mutui illius confenfus acceptatione fignis, aut verbis demonftrata illi Theologi Matrimonii, ut Sacramentum eft, formam pofitam effe contendunt.

Conclufio 3. Non omni probabilitate caret eorum fententia, qui afferunt valere Sacramenta feriò exteriùs recepta, quamvis recipiens fuam intentionem retinuerit.

Probatur 1. Auguftinus lib. 7. de baptifmo contra Donatiftas cap. 53. docuit valere baptifma *fallaciter* in Ecclefia Catholica datum, & acceptum: At Sacramenti *fallaciter* dati, aut accepti nomine, illud intellexit, quod cum intentionis retentione datum, aut acceptum fuit, five ea retentio ex parte fubjecti, five ex parte miniftri fe teneat, ut de requifita in miniftro intentione differentes non paucis oftendimus.

Probatur 2. Innocentius Papa III. lib. 3. Decretalium titul. 42. cap. *Majores* definit 1. valuiffe baptifma, quo mortis, ac fuppliciorum metu Judæi in Hifpania, imperante Sifebuto Chriftiano Rege, initiati fuerant, quamvis iidem Judæi poftea, tempore nimirum quarti Concilii Toletani, conteftati fuiffent, fe interiùs baptifmatis receptioni contradixiffe, cùm ablutionem Sacramentalem cum debita formæ prolatione ab Ecclefiæ miniftris factam exteriùs, & feriò patiebantur. Definit 2. idem Papa, ratum quoque fuiffe baptifma receptum a Saxonibus, qui afferebant, fe numquam baptifmo confenfiffe interiùs, affirmabantque, fe illius externo ritui corpus fubjecifse, ut tormenta fibi a Principe intentata declinarent, proindeque, fe ad Chriftianæ religionis obfervationem cogi non poffe caufabantur. Verba, quibus Innocentius fuam expreffit mentem, lectorum oculis fubjicienda funt. *Is, qui terroribus, atque fuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum capiat, baptifmi Sacramentum fufcipit; talis ficut & is, qui fictè ad baptifmum accedit, & characterem fufcipit Chriftianitatis impreffum, ipfe tamquam conditionaliter volens, licèt abfolutè non velit, cogendus eft ad obfervationem fidei Chriftianæ. In quo cafu intelligendum eft decretum Concilii Toletani, ubi dicitur, quòd qui jam pridem ad fidem Chriftianam coacti funt, oportet*

tet

eet etiam, ut fidem, quam necessitate susceperint, tenere coguntur: ille verò, qui numquam consensit, sed penitus contradicit: nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expressè contradicere, quàm minimè consentire, sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans thurificare idolis cogitur vehementer.

Nihil de vi rationis ex Innocentio petitæ detrahunt, qui sic contra argumentantur. Asserit Innocentius, eum, qui numquam consentit, *sed penitus contradicit*, Sacramentum non suscipere: ergo censet non valere Sacramentum datum ei, qui non consentiendo, imò contradicendo, suam intentionem interius retinuit. Nihil (inquam) detrahunt, quia Innocentius per hominem, *qui non consentit, sed contradicit*, eum intelligit, qui cùm non velit pati, ut sibi exterior baptismatis ritus applicetur, se baptismum nolle exteriùs contestatur. Ratio solutionis est, quia illum hominem cum eo comparant, qui licèt thus idolis per vim, quam patitur, adoleat, nullius sit peccati reus: Sed qui præ mortis metu idolis libere exteriùs sacrificaret, gravissimo crimine se se commacularet, quamvis actui hujusmodi interiùs non consentiret, imò contradiceret, seu quamvis suam intentionem retineret, actumque externum, ad idola interiùs non referret.

Probatur 3. S. Thomas 3. p. q. 64. art. 8. ad 2. docet 1. intentionem Ecclesiæ ad Sacramenti perfectionem satis esse: 2. eam intentionem exprimi in verbis, quæ minister profert, dum subjecto materiam applicat, nisi tamen contrarium, vel ex parte ejusdem ministri, aut *recipientis* exteriùs demonstretur. Ex quibus patet S. Doctorem de intentione exteriori requisita in subjecto eadem ratione philosophatum fuisse, quam de ea, quæ ex parte ministri requiritur, atqui (ut suprà multis probatum fuit) S. Thomas censet valere Sacramentum collatum a ministro, qui suam intentionem interiùs retinuit, dummodo minister ille se, tamquam Ecclesiæ ministrum seriò exhibuerit: ergo censet etiam, subjectum, quod seriò, & liberè patitur, ut Sacramenti ritus a Christo institutus sibi applicetur, censet (inquam) vero Sacramento consecrari, quamvis suam intentionem interiùs retineat.

Probatur 4. a pari. Gentilis, qui juxta gentis suæ leges nubit, vinculum indissolubile cum sua sponsa contrahit, undè si posteà religioni Christianæ det nomen, jubetur ab Ecclesia, ut ad priorem conjugem, etiam secundùm patria jura dimissam, redeat, dimittatque alias omnes mulieres, cum quibus post priùs matrimonium contraxerat. Ille autem Gentilis, ut suppono, non vult per suum matrimonium vinculum indissolubile contrahere, imò illi vinculo juxta leges Romanas, quibus permittebatur repudium, omninò contradicit: ergo etiam ille idem Gentilis vero baptismate consecratur, quamvis interiùs nolit eo initiari, si nimirum lubens patiatur, ut extrinsecus baptismatis ritus, seu materia, & forma, ex quibus constat, juxtà divinam institutionem, & Ecclesiæ consuetudinem sibi applicetur ab eo, quem scit, & videt gerere se tamquam Ecclesiæ ministrum, sive illam Ecclesiam veram esse putet, sive fictitiam esse censeat. Urgeri potest ea paritas ex eo, quòd Sacramenti substantia non minùs cum illo extrinseco baptismatis ritu conjuncta sit, quàm cum vero matrimonio conjunctum sit vinculum indissolubile.

Probatur 5. conclusio. Si homo, qui sacramentalem actionem sibi applicari liberè, & seriò patitur, per retentionem intentionis efficeret, ne Sacramentum valeret, argumentum de defectu Ecclesiæ, quod agentes de intentione requisita in ministro supra urgebamus, vim haberet suam, ut cuique attendenti, & meditanti facilè patebit.

Objicies 1. S. Thomas 3. part. qu. 68. art. 7. in responsione ad 2. sic loquitur, *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus*. In corpore ejusdem articuli hæc etiam ait, *Ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi Sacramentum*. In supplemento quæst. 45. art. 4. in corpore hęc scribit: *Si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus*. Loca illa demonstrare videntur Sancto Thomæ ratum non esse Sacramentum illi datum, qui interius suam intentionem retinuisset.

Resp. nec primo, nec altero S. Thomæ textu quidquam contra nostram conclusionem confici: ut enim jam sæpè diximus, quicumque liberè patitur, ut actio sacramentalis a ministro gerente exteriùs Ecclesiæ personam sibi applicetur, habet efficacem intentionem, & veram voluntatem Sacramentum recipiendi, quantumcumque interiùs reluctetur. Rutio est, quia actio Sacrumentalis ipsummet est Sacramentum. Igitur (ut jam aliàs observatum fuit) contradictio interior est nolleitas, seu nolitio inefficax Sacramentum recipiendi, quæ quidem simul stat cum voluntate contraria efficaci. Ad tertium locum nonnulli respondent, S. Thomam de eo loqui, qui ludum, & dolum suum manifestat exteriùs. Dicunt alii eam quidem fuisse mentem authoris supplementi, sed non S. Thomæ, qui (ut probatum fuit superiùs) docuit perfici Sacramentum a ministro, qui verbis intentionem Ecclesiæ exprimentibus utitur, modò ex subjecti recipientis parte voluntas contraria non appareat. Confirmant illam responsionem ex eo quòd verisimile non sit, Angelicum Doctorem amplexurum fuisse sententiam, quæ decretali Innocentii Papæ III. superiùs relatæ manifestè repugnat, quæque e diametro doctrinæ, quam ipse S. Thomas conceptis terminis tradidit 3. p. qu. 64. art. 8. ad 3. opposita videtur.

Objicies 2. S. Thomas idem de reliquis Sacramentis, ac de matrimonio sensit: atqui in supplemento quæst. 45. art. 4. de subjecto matrimonii sic loquitur, *Consensus exterioribus verbis expressus absque interiori consensu nullum matrimonium facit*. Ex illis verbis in responsione ad 3. infert, eum, qui post consensum, quem visus est per verba exteriora præbuisse, cum altera muliere nubit, non posse ad primam uxorem redire, cum qua falluciter contraxisse supponitur, atque, eum teneri *potius excommunicationem sustinere, aut in alias remotiores regiones fugere*, quàm secundam illam conjugem dimittere, ut ad priorem redeat, quamvis lato decreto ita judex Ecclesiasticus sanciverit.

Respondent nonnulli negando majorem. Ratio (inquiunt) est, quia consensus internus, seu intentio non retenta, est simul cum consensu externo, materia, ex qua secundùm Christi institutionem Sacramentum matrimonii componitur: unde sine illo interno consensu Sacramentum non valere concludunt: At (ajunt illi Scriptores) idem de interno subjecti consensu respectu aliorum Sacramentorum asseri non potest, cùm apud omnes certum sit, eum consensum, nec ad eorum materiam, nec ad formam pertinere. Eam nos solutionem non probamus, tum quòd internum subjecti consensum ad Matrimonii materiam spectare gratis fingat; tum quòd S. Thomas de Matrimonio, non solùm ut Sacramentum est, sed etiam prout est naturalis, & civilis contractus eo loci loquatur. Dicendum est igitur ita quidem, ut fert objectio, juniorem S. Thomam, dum scilicet scriberet in Sententias, sensisse, non verò seniorem, cùm nempe suam Theologicam Summam exaravit. Rationes, quibus illa solutio nititur, in nostro de Matrimonio tractatu proferemus: eas quoque apud Contensonium in dissertatione de Sacramentis in genere, ubi de ministri intentione disputat, legere est.

Caput Secundum.

Utrum fides sit necessaria in subjecto, ut Sacramentum valeat?

Conclusio. Fides non est necessatia in subjecto, ut Sacramentum valeat.

Probatur 1. Ut Sacramentum valeat, non requiri fidem, quæ omnes articulos, aut saltem præcipuos complectatur, ex eo ostenditur, quòd receptum ab Arianis, Nestorianis, & Macedonianis baptisma Ec-

clesia Catholica admiserit, cavit nemqe, ne illi hæretici ad uoitatem redeuntes iterum baptizarentur.

2. Non esse necessariam fidem specialis alicujus articuli, ejus etiam, qui ad baptismi veritatem, & sanctitatem pertinet, demonstrant hæc Augustini verba lib. 3. de Baptismo cap. 14. *Non interest cum de Sacramenti integritate, & sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest.*

3. Nemo Theologus dubitat, quin valeat baptismatis Sacramentum datum atheo, qui cum intentione tum interna, tum externa ritui exteriori baptismatis liberè se subjicit, quiqne aliunde doctus est, ritum illum tamquam rem sacram haberi in Ecclesia, quæ Christiana dicitur. At nullius omnino articuli, ne quidem de Dei existentia, fidem habet is, qui & re, & nomine atheus supponitur.

Objicies 1. Caoone octavo primi Concilii Arelatensis quarto Ecclesiæ sæculo habiti de Afris in Ecclesiam redeuntibus statuitur, nt novo consecrentur baptismate *si interrogati non responderint Trinitatem*. Alterum Arelatense Concilium idem decrevisse videtur canone 17. ubi hæc leguntur, *Bonosiacos baptizatos in Trinitate, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit*: ergo in snbjecto baptismatis necessariò debet præsnpponi SS. Trinitatis fides, ut Sacramentum valeat,

Respond. ad primum, hanc prioris Concilii Arelatensis sententiam, *Si interrogati non responderiat Trinitatem*, in alienum sensum detorquere eos, qui ea utuntur, ut probent Afros, quos, dum in hæresi baptizarentur, SS. Trinitatis mysterinm latebat: novo in Ecclesia baptismate donandos esse: nihil siquidem aliud Arelatenses Patres voluerunt, quàm istud, oempe Afros alio baptismate in Ecclesia sanctificari debuisse, si in Trinitatis nomine, & invocatione se tinctos fuisse noo affirmarent. Ratio solutionis petitur ex his laudati canonis verbis. *Interrogent eum symbolum, & si perviderint eum in Patres, & Filio, & Spiritu-Sancto esse baptizatum, manus ei tantùm imponatur, ut accipiat Spiritum-Sanctum.*

Respond. ad secundum, ab alterius Synodi Arelatensis Patribus non fuisse imperatum, ut Bonosiaci iterum baptizarentur, si dum a suis abluerentur, Trioitatis fidem oon fuisseot professi: Sed tantùm præscriptum fuit, ut per mannum impositionem io Ecclesiæ sinum non admitterentur, quin priusse omnes fidei articulos ex animo credere palam testati fuissent.

Objicies 2. Augustinus lib. 7. de Baptismo cap. 53. asserit valere baptisma receptum sine simulatione, & *cum aliqua fide*; ergo Augustinus fidem in subjecto reqnirit, ut Sacramentum valeat.

Respond. 1. Augustinum loqui de eo, qui initio jocans, sed subito postca conversns Sacramentum animo recipit. S. Doctori probabile visum est, quòd eo in casu propter recipientis fidem ratum sit, ac verum Sacramentum. Eam opinionem, quam ultimo sæculo antiquavit Tridentina Synodus, nemo Theologus Augustino vertet crimioi: nondum enim illius ætate in plenario, generalique Concilio casus, de quo agitur, definitus fuerat.

Respond. 2. fidem latè sumptam adulto necessariam esse, nt Sacramentum ab eo receptum valeat; seu requiritur, nt sciat baptisma, quo donatur, tamquam ritum a Christo institutum celebrari in Ecclesia, aut saltem in societate, qnæ a nonnullis vera Ecclesia existimetur: neqne enim ratum est Sacramentum datum homioi, qui ceremoniam, quam sibi applicari liberè patitur, tamquam rem sacram in aliqua Ecclesia haberi omninò nescit: De ea autem fide latè sumpta Augustioum intelligendnm esse demonstrant verba, quæ ex ipso in oostræ conclusionis probationem adduximus.

Objicies 3. S. Optatus Episcopus Milevitanus lib. 5. part. 89. contra Donatistas hæc scribit, *In hoc Sacramento baptismatis celebrando tres esse species constat. Prima species est in Trinitate; Secunda in credente; Tertia in operante. Duas video necessarias. Principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri, hanc seqnitur fides credentis: Trinitas enim semper ipsa est, fides in singulis una est, vim suam semper retinent ambæ.* Eo io loco S. Optatus recipientis fidem comparat cum invocatione SS. Trinitatis, illamqne non minùs esse necessariam, quàm istam, contendit: ergo quemadmodum baptisma absque SS. Trinitatis expressa, & distincta invocatione collatum non valet, ita nec receptum ab homine, qui ejusdem Trioitatis mysterium non credit.

Respondet Natalis Alexander Dominicanus in historiam tertii sæculi Dissertatione 23. id quidem, qnod fert argumentum S. Optato visum fuisse. Viri eruditi solutionem probamus: non difficili enim negotio ostendi potest S. illum præsulem credidisse Dei, Christi, ac ipsius, qnod suscipitur baptismatis fidem requiri, ut Sacrameotum valeat. Sed tanti, tantaque pietate conspicui Præsulis pace dicendum arbitràmur, eum quoad illud caput Traditionis præcedentis mentem non fuisse assecutum.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Sacramentorum effectibus.

DE duobus tantùm, gratia nimirum, quæ ab omnibus producitur, & charactere, qui ab aliqnibus tantùm hac in quæstione differemus; quam quidem methodi, & claritatis causa in duo capita partiemur: in priore quidem de gratia, & in altero de charactere disputabimus.

CAPUT PRIMUM.

De gratia, quam Sacramenta producunt.

GRatiam sanctificantem a Sacramentis producì omnes decimi sexti sæculi Sectarii inficiantur; De modo quo cœlestis ille effectus ab eis emanat, Catholici Theologi inter se non conveniunt, duplicem illum nodum duplici solvemus articulo.

ARTICULUS PRMIUS.

Utrum Sacramenta novæ legis gratiam prodneant?

COnclusio 1. Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Socinus, aliique decimi sexti sæculi hæretici a Sacramentis novæ legis gratiam Sanctificantem producendi vim abnegaruot.

Probatur 1. Palmarium est io doctrina hæreticorum, de qnibus agitur, istud principium, Impium oon justificari per signa sensibilia, sed per solam misericordiæ specialis fidem, seu per actum, quo divinam de peccatis impio, qui credit, remittendis promissionem sibi applicat, sive quod idem est, recentiores Sectarii docent, impium justitiam consequi per actum, quo sibi per Christum remissa esse peccata certissimè credat. 2. Lutherus, Zuinglius, Calvious, Socinus non alium effectum Sacramentis adscripseruot, quàm ut sint nuda receptæ per fidem justificationis signa, aut meta nostræ in Deum pietatis testimonia: ergo, &c.

Objicies 1. Lutherus homilia prima de Baptismo typis edita anno 1526. sic loquitur, *Ad hoc institutus est baptismus, ut aobis serviat, nobis prosit, nobis donet aon aliquid carnale, vel corporale, sed æternam gloriam, æteraam munditiem, & sanctitatem.* Atqui sanctitas interna, & gratia sanctificans idem omnino sunt: ergo Lutherus baptismo conferendæ gratię sanctificantis virtutem adscripsit. 3. Calvinus in Antidoto adversus Sessionis septimæ Concilii Tridentini canonem quintum hæc scribit, *Semper memoria repetendum est Sacramenta nihil, quàm instrumentales esse conferendæ nobis gratiæ causas* hæc iterum adversus canonem sextum,

Si

Si quis sint, qui negent Sacramentis contineri gratiam, quam figurant, illos improbamus. Textibus illis pro Sacramentorum virtute nihil clarius adduci posse videtur: quantamcumque enim efficaciam Catholici Sacramentis tribuant, non aliis sententiis eam exprimunt, quàm istis, quòd sint gratiæ causæ instrumentales, quòd gratiam non adumbrent modò, sed & contineant. Ergo, &c.

Resp. concesso utroque antecedente, nego utramque consequentiam. Ratio est quia adversarii eo in sensu ajunt, gratiam Sacramentis contineri, ea esse justificationis causas instrumentales, quòd de divina misericordia fidem in recipientibus excitent, efficiantque ut promissiones de justificatione credentibus conferenda in suam memoriam revocent.

Conclusio 2. Gratia sanctificans per novæ legis Sacramenta verè, & propriè producitur. Ita post antiquas Synodos, Florentina, & Tridentina definierunt.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ non uno in loco docent gratiam iis dari, quibus Sacramenta conferuntur. Paulus de Ecclesia loquens ad Eph. 5. ad baptismum alludens hæc ait, *Mundans eam* (Christus) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Actorum 8. dicitur, quòd Apostoli per impositionem manuum Neophytis Spiritum sanctum contulerint: *Imponebant manus* super eos (inquit Lucas), *& accipiebant Spiritum Sanctum*, eo in loco (ut infra ostendemus) de Confirmatione agitur. De Pœnitentia Joannis 20. hæc, quæ illius virtutem non obscurè significant, leguntur, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Eucharistiæ vis hac clarissima Christi sententia exprimitur, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Quàm sit efficax Unctio-extrema satis innuunt hæc Jacobi 5. verba, *Si in peccatis sit* (infirmus, qui inungitur) *remittentur ei.* De Ordinatione hæc, quæ omnia adversariorum effugia præcludunt, ad Timoth. 4. legere est, *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii.* De Matrimonio Joannis 2.) interpretibus Cyrillo, multisque aliis Patribus) dicitur, quòd in nuptiis Cana, quibus Christus præsentem se exhibuit, sanctificatum fuerit, idest (ut suo loco dicemus) ad gratiæ sanctificantis productionem fuerit elevatum.

Probatur 2. ex Patribus. Primò, Patres, qui prioribus sæculis floruerunt, spiritualem Sacramentorum vim in eo positam, quòd animam sanctificent, non semel mirati sunt. *Unde tanta virtus aquæ* (inquit Augustinus) *ut corpus tangat, & cor abluat?* 2. Uno ore omnes, & in primis Augustinus, Ecclesiæ Catholicæ nomine docuerunt parvulos peccati originalis remissionem per baptismum consequi, asseruerunt que Deo in æternum frui eos, qui eo Sacramento consecrati ante rationis usum ex hac vita discedunt, licet alioquin ab impiis parentibus progeniti fuerint. 3. Iisdem sanctis Patribus sacrilegi visi sunt adulti, qui cum scelerum conscientia, quorum eos non pœniteret, ad Sacramenta accedere non verenentur: non aliam enim ob causam Catechumenos, nisi priùs diu probatos ad baptismum, fideles lapsos ad reconciliationem nisi gravissimis, diuturnisque laboribus purgatos admittebant. Atqui ideò impœnitentes, qui ad Sacramenta accedunt, Patres sacrilegos dixere, quòd eorum virtutum obice, quem apponunt, irritam, & inutilem reddant: unde sic accedentes non Sacramentis ablui interius, sed fœdari potiùs concluserunt.

Objicies. Primæ Petri 3. hæc habentur, *Salvos facit baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio:* Id est Catechumenus salutem, & gratiam non consequitur vi externæ ablutionis, sed unius fidei virtute, quæ misericordiam Dei generalem Catechumeno specialiter per hunc, aut similem actum applicat, *Certè credo mihi per Christum remissa esse peccata.*

Resp. id quod sibi sumunt adversarii, Petrum nequaquam sensisse: undè nullos omninò Patres, qui illi interpretationi faveant, proferre possunt in medium. Dicendum est igitur cum antiquis Scriptoribus, Petrum in sensu diviso locutum fuisse; ita ut voluerit baptismatis externa ablutione hominem non sanctificari, nisi cum interrogatione bonæ conscientiæ, seu nisi cum abrenunciatione, quæ ex animo fiat, conjuncta sit. Multa alia ad Baptismi, aliorumque Sacramentorum vim spectantia de singulis in specie Sacramentis differentes suo loco dicemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De modo, quo Sacramenta gratiam producunt.

HOC in articulo cum hæreticis, & Catholicis manus conseramus oportet: expendendum est scilicet 1. an Sacramenta novæ legis producant gratiam ex opere operato, quod Sectarii negant: 2. an physicè (ut Thomistis placet) an verò moraliter tantùm (ut volunt Scotistæ) is effectus ab eis emanet.

§. I.

Utrum Sacramenta producant gratiam ex opere operato?

HOC in paragrapho, quo veritatem, quæ fidei est Catholicæ tuebimur, vocis hujus *ex opere operato* energiam, & originem exponemus, eamque ab invidiosis hæreticorum dicteriis vindicabimus.

Conclusio. Sacramenta novæ legis gratiam Sanctificantem *ex opere operato* producunt: ita definit Concilium Tridentinum sess. 7. de Sacramentis in communi can. 8. ubi hæc habentur: *Si quis dixerit per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, anathema sit.*

Probatur. Conferre gratiam *ex opere operato* est eam conferre vi operis, quod exteriùs exercetur, seu præcisè eo quòd a legitimo ministro forma materiæ, & utraque suscipienti applicentur. Atqui Sacramenta novæ legis ea ratione gratiam sanctificantem producunt. Primò enim eam non conferunt dependenter a fide, aut sanctitate ministri, cùm (ut Patres contra Donatistas demonstrarunt) ministrorum iniquitas, nec integritati, nec virtuti Sacramentorum noceat. 2. Eadem gratia non producitur vi dispositionum, quæ in suscipientibus reperiuntur, aliquando quippe Sacramenta nullas omnino præsupponunt in subjectis, quibus applicantur, ut in parvulis, & in amentibus ab infantia, clarissimè patet: Si quæ verò in adultis ratione utentibus prærequirant, non sunt eæ dispositiones gratiæ sanctificantis causa efficiens, sed mera ad ipsam præparatio: se habent nimirum respectu gratiæ producendæ, sicut siccitas in ligno respectu flammæ, quæ ex eo erumpit: at siccitatem causam esse, cur admoto igne lignum abeat in flammam, nemo philosophus dixerit.

Objicies 1. Modus ille loquendi, *ex opere operato*, valde recens est, cùm nec in Scriptura, nec in Patribus, imo nec in Scholasticæ Theologiæ parentibus reperiatur: ergo ad explicandum antiquam Ecclesiæ fidem de modo, quo Sacramenta suum in recipientibus effectum operantur, immerito ab authoribus Catholicis adhibetur.

Resp. 1. eum loquendi modum, *ex opere operato*, non nuper quoad sensum Catholicum, quem includit, excogitatum fuisse; eum enim sensum duodecim ab hinc sæculis Augustinus tradidit lib. 4. contra Cresconium cap. 16. ubi sic loquitur, *Non eorum meritis a quibus ministratur, aut eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate, atque veritate propter eum, a quo institutus est.*

Resp. 2. eamdem loquendi rationem, etiam quoad sonum, quatercentis ab hinc annis, & amplius adhibitam fuisse a Theologis ad id significandum, ad quod nunc assumitur. Dominicus Soto eam circa S. Thomæ tempora in Scholis obtinuisse censet, & probat in 4. lib. Sentent. Dist. 1. qu. 3. art. 1. ubi hæc scribit: *Ajunt* (Scholastici) *Sacramenta novæ legis* EX OPERE OPERATO *gratiam conferre: quod quidem verbum non modo in sacra Scriptura non extat; verùm neque apud antiquos Patres reperitur: quare etsi D. Thomas illius meminerit, quoniam tunc fortè illud idioma serpere incipiebat, non tamen quasi ex sua opinione, sed ait ipsum*

Sacramentum a quibusdam dici opus operatum ; hic verò in Summa illud non usurpat,

Objicies 2. Operari, est verbum deponens : ergo malè, & imperitè a Theologis, & ab ipsis etiam Concilii Tridentini Patribus hoc in loquendi modo *ex opere operato* passivè sumitur. Ità ultimo sæculo quidam sectarii sacræ Tridentinæ Synodo obloquentes ratiocinabantur.

Resp. concesso anteced. nego consequentiam. Ratio est, quia licet Tridentini Patres verbum, *Operari*, ab authoribus Latinis, & a Grammaticis activè sumi animadverterint : ipsis tamen errori verti non debet, quod eo passivè usi sint, id nimirum necesse erat, ut Ecclesiæ fidem sine ulla æquivocatione fidelibus traderent. Imitati sunt Augustinum, qui in Psalm. 138. ne phrasis, qua utebatur, laboraret æquivoco, ossum ossi potiùs quàm os ossis dicere elegit : unde Patres Tridentini hac ejusdem Augustini adversùs Cresconium Grammaticum disputantis sententia, *Melius est, ut nos reprehendant Grammatici, quàm ut non intelligant populi*, adversariorum ora obstruere potuerunt.

Objicies 3. Illi termini, *Ex opere operato* dispositionum omnium, & ipsius etiam fidei in iis, qui jam adulti Sacramenta recipiunt, necessitatem excludere videntur : ergo Tridentini Patres incautè eis usi sunt : ineptè quoque adhibentur ab hodiernis Catholicis Theologis, quibus Sacramenta in adultis nulla dispositione præparatis non agere persuasum est.

Resp. id quidem, quod fert argumentum, sumpta ex illis vocibus *Ex opere operato* occasione Sectarios recentiores Ecclesiæ Romanæ imponere conatos fuisse : sed immeritò. Primò enim Concilium Tridentinum, a quo Sacramenta *ex opere operato* gratiam producere definitum est, impactam sibi calumniam depulit, tum in sessione 14. ubi conceptis terminis absolutionem absque bono suscipientium motu peccata nequaquam remittere docet, tum etiam sessione 6. de justificatione cap. 6. ubi varias dispositiones ad baptismi effectum prærequisitas sigillatim recenset. Ex his patet pessimè ratiocinatum fuisse Calvinum, cùm in sua adversus Concilium Tridentinum antidoto canonem octavum sessionis septimæ de Sacramentis in communi rejiciens sic philosophatus est, *Si conceditur illis, quod postulant, Opere operato gratiam in Sacramentis, seperatur a fide pars meriti, ut per se valeat Sacramenti usus ad salutem*. 2. Quamvis philosophi doceant ignem per se, ex vi operis, ex opere operato agere; ea tamen loquendi ratione non inficiantur, ignem, ut in actum exeat, aliquas in subjecto, cui applicatur, dispositiones præsupponere : ergo neque Patres Tridentini, aut ignorantiæ, aut erroris insimulari debent, quasi prærequisitas in iis, qui Sacramenta recipiunt dispositiones excluserint, cum ea gratiam *ex opere operato* producere definierunt.

§. II.

Utrum Sacramenta novæ legis gratiam physicè, an verò moraliter tantum producant?

THomistæ docent Sacramentis novæ legis inesse vim gratiam physicè producendi, seu per actionem physicam, similem ei, per quam orbis solari luce perfunditur. Scotistæ verò nullum eis, nisi moralem, sive in gratiam, sive in characterem influxum adscribunt : itant velint Sacramentis novæ legis eo sensu gratiam sanctificantem produci, & characterem imprimi, quòd ritus, ex quibus constant, applicatio Deum moveat, ut vi datæ a se fidei, & factæ institutionis, gratiam, & characterem recipientibus conferat.

Conclusio. Sacramenta novæ legis, nec gratiam, nec characterem physicè, sed tantùm moraliter producunt.

Probatur prior pars. 1. Baptismus fictè susceptus, seu ab homine, qui tantum abest, ut peccatum, cujus reus est, detestetur, quin potiùs ipsum amet, recedente postea fictione, sive deposito iniquo eo affectu, gratiam producit, ut inferiùs cum antiquis Patribus, & Augustino præsertim demonstrabimus. Atqui eo in casu baptismus physicè gratiam non operatur : siquidem ut causa physicè agat, physicè id est secundùm substantiales, ex quibus constat, partes, materiam nempè & formam, existat oportet. Sed (ut ipsis etiam oculis patet) in casu, de quo est quæstio, Baptismus physicè non existit : ab anno enim & ampliùs collatus supponitur. Ergo novæ legis Sacramenta gratiam physicè non producunt.

Nec difficultatem solvit Sylvius reponens, paritatem petitam a Sacramento fictè recepto ad baptismum, aliaque Sacramenta cum debitis dispositionibus suscepta non valere. Primò enim eo argumento concluditur, aliquem saltem ritum ex divina institutione posse, & reipsa esse novæ legis Sacramentum, quamvis gratiam physicè non producat. 2. In eo ipso, in quem se adversarius recepit, cuniculo sic potest expugnari : Ideò baptismus fictè receptus physicè non operatur, quòd eo tempore, quo fictio per recipientis contritionem tollitur, physicè non existat. Atqui pariter (una excepta Eucharistia) Sacramenta cum agunt, non existunt physicè : enimverò sacra illa mysteria non nisi post prolatam ultimam formæ syllabam operantur, sed tunc physicè non existunt : nam formæ priores syllabæ, quæ (ut supponitur) essentiales sunt Sacramento, cum ultima syllaba a ministro profertur, omninò desierunt.

Nec alicujus est momenti, quod reponunt nonnulli : priores nimirum formæ syllabas eo instanti, quo proferuntur, nonnihil de gratia sanctificante producere : nam gratiam cum sit indivisiblis, utpotè spiritualis, tota simul producatur necesse est. Præterea non implicat, quin minister una, & altera formæ syllaba prolata, excedat e vivis, quæro an eo in casu diminutam gratiam receperit is, qui baptismo v. g. donatus est? Quidquid adversarii respondeant, in laqueos nostros incident. Non gravioris est ponderis, quod cum mox laudato Sylvio aliqui respondent, scilicet priores formæ syllabas eo sensu, quando ultima profertur, extare, quòd inter eam, & priores quædam continuitatis unio reperiatur. Et sanè ea continuitate, quæcumque sit, non efficitur, ut omnes formæ partes actu simul sint physicè præsentes; de quo quidem si dubitent adversarii, oculos in fluvium injiciant velim, expendantque, num aquarum continuitas efficiat, ut omnes fluvii partes simul eidem loco præsentes existant, seu eodem reali temporis instanti simul ei correspondeant?

Probatur 2. eadem prior conclusionis pars : Si Sacramenta physicè operarentur, eorum actio, vel esset gratiæ, & characteris generativa, vel creativa : Atqui neutrum dici potest. Primò enim gratia, & character cùm partium sint omninò expertes, nec (ut cum Philosophis loquar) in alicujus subjecti, ex quo educantur, potentia contineantur, per generationem produci minimè possunt. 2. Ea actio non est creativa, eo quòd ad creandum virtus infinita requiratur, cum superanda sit distantia, quæ inter ens, & nihilum interjacet, quaque major excogitari non potest : At Sacramentis, utpote creaturis, tantam virtutem communicari non posse omnes Philosophi, etiam Thomistæ, post suum Doctorem Angelicum demonstrant.

Nec est quòd quis cavilletur reponens, gratiam non educi quidem de naturali animæ potentia, sed tantùm de obedientiali, in qua (inquiunt) continetur non dissimili admodum ratione ab ea, qua virtus, per quam dæmones torquentur, est in potentia obedientiali ignis, quamvis non sit in illius naturali potentia. Primò enim, quid sit illa gratiæ eductio ex obedientiali animæ potentia explicent, quæso, adversarii, ac claram similis eductionis ideam suppeditent. 2. Data eductione illa alioquin obscurissima, nihil ex ea Thomistæ recentiores conficient ; nam, ut Sacramenta gratiam ex animæ potentia obedientiali physicè educant, oportet, ut ipsi animæ sint intimè, ac phisicè præsentia ; alioquin, vel prætermisso medio, agerent in distans, quod quidem physicæ actioni creatæ repugnat ; vel producerent

entita-

entitatem gratiæ, in illo spatio, quod inter signa sensibilia, & ipsam animam reperitur; quod absurdum est quàm maximè. Atqui Sacramenta dum operantur, non sunt intimè, physicè, & immediatè præsentia animæ; Idque patet, tum ex eo quòd, cum signa sint sensibilia, solum corpus tangant, & physicè afficiant, tum quòd personæ physicè distanti a Sacerdote, & moraliter tantùm præsenti Sacramentalis absolutio impendatur. Sed plus æquo philosophis argumentis inhæsimus, operæ pretium est, ut Theologica proponamus.

Probatur 3. eadem prior conclusionis pars ex S. Patribus. Ii cum de Sacramentorum efficacia agant ea loquendi ratione utuntur, quæ solam actionem moralem significat: Hæc scribit Augustinus Epist. 23. ad Bonifacium, *Aqua exhibens extrinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus sanctus operans intrinsecus beneficium gratiæ*. Hæc etiam Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. (si tamen ejus sit laudatus liber,) *Aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus sancti est*. Sic loquitur Hieronymus in caput quartum Isaiæ, *Ex hoc loco discimus, quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctum*. Sic ante omnes illos Doctores author sermonis de baptismo Christi, qui passim Cypriano tribuitur. *Remissio peccatorum, sive per baptismum, sive per alia Sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet*. Si (ut volunt Thomistæ) Sacramenta gratiam physicè operarentur, Patres eorum actionem in illam gratiam soli Spiritui sancto non tribuissent, nusquam asseruissent, physicam Sacramentorum operationem non aliud esse, quàm elementi aquæ v. g. applicationem ad partes corporis exteriores. Signi sensibilis actionem non opposuissent ei, qua Deus animam interius afficit: argo Patres physicum agendi modum Sacramentis non adscripserunt.

Nos non fugit quid respondeant contrariæ sententiæ patroni, ut allatos ex Patribus textus eludant: Scimus nimirum, dictitare eos loca, de quibus agitur, intelligi dabere de productione gratiæ per modum causæ principalis, quæ haud dubiè soli Spiritui sancto convenit, non autem de productione per modum causæ instrumentalis, quæ rebus creatis, cujusmodi sunt signa Sacramentalia, tribui potest.

Sed quàm parum soliditatis habeat ea responsio ex multis capitibus avincitur. Primò enim ubi Patres non distinguunt, nec Scholasticis Theologis distinguere licet, præsertim si aliundè nullum sit distinctionis fundamentum, ut revera nullum est in causa, de qua agitur. 2. Si Sacramenta tamquam causæ instrumentales physicè gratiam conferre Patribus visa fuerint; non erat, cur Spiritum sanctum a Sacramentorum ministris non conferri conceptis terminis asseruerint, eodem enim modo locuti fuissent, quo loqueretur is, qui diceret, hominem non combussisse domum, ad quam ardentem facem admovit. Sed Patres conceptis terminis asseruerunt Sacramentorum ministros non dare Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem; hæc enim scribit August. lib. 15. de Trinitate cap. 26. *Neque enim aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum, orabant, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant*. Non crediderunt igitur physicum operandi modum convenire signis sensibilibus, quibus ex Christi institutione ministri utuntur. 3. Ille, qui per se ipsum rem aliquam agere dicitur, alterius causæ physicæ, etiam instrumentalis actionem excludit: sic eum Rex dicitur per se ipsum tulisse de lite aliqua judicium immediatè, & non per interpositos judices id præstitisse significatur; Sed Patres docuerunt, Deum per se ipsum gratiam sanctificantem in iis producere, quibus Sacramenta conferuntur. *Quædam sunt* (inquit Augustinus lib. 83. quæstionum), *quæ Deus efficit per se ipsum, quale est illuminare animas, & gratiam donare*.

Probatur secunda pars conclusionis. Nempè Sacramentis gratiam moraliter conferri. Sacramenta (ut fides docet) verè gratiam sanctificantem producunt: atqui id per physicam actionem non operantur: ergo per moralem tantùm; Nam inter duplicem illum realem operandi modum nullus medius interjacet.

Objicies 1. Scriptura duabus his propositionibus, *Per*, & *In*, actionem Sacramentorum explicat. *Salvos nos fecit* (inquit Paulus de Christo) *per lavacrum regenerationis*, & alibi, *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Atqui duæ illæ præpositiones denotant actionem physicam, ut patet ex 1. capite Joannis, *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt*. Quo sanè loco præpositione *Per* influxum physicum significari ex eo colligitur, quòd Verbum ad rerum creationem non moraliter, sed physicè concurrerit.

Resp. præpositionibus *In*, & *Per* absolutè sumptis non significari actionem physicam potiùs, quàm moralem; istam enim aliquando denotant, ut si Rex diceret: Per brevem epistolam licèt absens, exercituum castra moveo; nonnumquam verò illam, ut multis potest exemplis ostendi. Quandonam igitur actionem physicam, aut moralem significent, aliunde, quàm ex ipsius simpliciter sumptis, peti debet. Physicam influxum eis significari censemus, cum conjunctæ sunt alicui causæ, penes quam est physicus agendi modus, ut revera est penes Verbum divinum creatio, de qua Joannes Evangelii sui 1. capite loquitur.

Objicies 2. Patres de Sacramentis loquentes, iis terminis, quibus actio physica exprimitur, usi sunt. Dixerunt quippe ea non agere, quin ante Deus ipsis secretam, & efficacem virtutem contulerit, non operari sine prævia benedictione, & sanctificatione; unde venerabilis Beda in caput tertium Lucæ asserit, Christum, cum a Joanne baptizatus fuit tactu suæ mundissimæ carnis aquæ vim regenerativam contulisse. Chrysostomus Homilia 25. in Joannem sic loquitur. *Quod est matrer embrioni, hoc est fideli aqua; si quidem in aqua fingitur, & formatur*, sic etiam Augustinus tractatu 80. in Joannem. *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* ergo, &c.

Resp. 1. Patres aliis in locis, quæ a nobis superius relata sunt, de virtute Sacramentorum loquentes, ea verba adhibuisse, quæ solum operandi moralem modum significant. Resp. 2. benedictionem, sanctificationem, & virtutem, de quibus in argumento, morales esse, non physicas: vis regenerativa aquis per contactum carnis Christi collata, de qua venerabilis Beda, virtus aquæ, de qua Augustinus, reales sunt, & veræ, quamvis tantùm morales sint, non verò physicæ. Comparatio, qua Chrysostomus utitur, valet quoad rei substantiam, verè enim Sacramenta fidem, justitiam, sicut mater embrionem, producunt: at quoad realem producendi modum non valet. Nec enim necesse est, ut in comparationibus omnimoda, & adæquata similitudo reperiatur.

Objicies 3. De virtute Sacramentorum novæ legis ea Concilium Tridentinum affirmat, quæ soli actioni physicæ convenire possunt. Sessione 7. canone 6. docet Sacramenta continere gratiam, quam significant. Canone 7. definit per Sacramenta dari gratiam non ponentibus obicem. Canono 8. additis his vocibus, *Ex opere operato*, idem repetit. Canone 1. de baptismo, dicit, baptismo Christi efficaciorem inesse vim, quàm fuerit olim in eo, quem contulit, & instituit Joannes. Canone 2. de Confirmatione, sacro chrismati *spiritualem virtutem* adscribit. Sessione 13. cap. 3. docet Corpus, & Sanguinem Christi esse sub speciebus panis, & vini vi *verborum*. Ergo, &c.

Resp. nego ant. Illa enim omnia, quæ a Concilio Tridentino objecta sunt, non minus propriè de actione morali, quàm de physica explicari possunt. Quid enim vetat, ne Sacramenta gratiam continere dicantur, sicut schedula pecuniam, ad cujus exhibitionem argentarius ex pacto cum alio mercatore inito, ac ex imposita sibi lege, schedulam illam offerenti pretium numerare tenetur. Nec contrarium ex his vocibus, *Ex opere operato*, evincitur: Aliud quippe iis non significatur, quàm istud, nempè novæ legis Sacramenta per se, & ex vi finis primarii, ad quem sunt instituta, gratiam producere independenter a merito conferentis, ita ut eorum applicatione Deus certissimè, & ex lege sibi voluntariè imposita ad gratiam subjecto, ut par est, præparato conferendam moveatur. Eumdem alii ex Concilio Tridentino objecti textus

tus sensum patiuntur, indifferentes quippe sunt ad moralem, aut physicam actionem significandam. Nec mirum, studiosè enim caverunt Tridentini Patres, ne quidquam definireot, quo opiniones in scholis receptæ labefactarentur: id enim unum (teste Pallavicino) habuerunt præ oculis, ut nova, & inaudita Lutheri, & Calvini dogmata proscriberent.

Objicies 4. Si Sacramenta physicè non conferrent gratiam, a Sacramentis legis Mosaicæ non differrent, ista enim gratiam in recipientibus moraliter operabantur, ergo, &c.

Resp. nego ant. Ratio est, quia Sacramenta Mosaica non ratione sui, sed per accidens tantùm, scilicet ratione fidei, & charitatis, quarum erant extrinseca signa, gratiam producebant, non dissimili modo ab eo, quo eleemosyna operantem justificat, nempè vi charitatis intrinsecæ, cui supponitur conjuncta, & ex cujus motu erogatur: at verò novæ legis Sacramenta per se sanctitatem efficiunt, quia ex primaria sui institutionu sunt signa sensibilia, ad quorum præsentiam Deus ad justitiam subjecto minimè ficto, seu ut par est, disposito, conferendam determinatur.

Caput Secundum.

De charactere, quem novæ legis Sacrameata producunt.

Disputabimus in hoc capite, 1. cum hæreticis recentioribus vim producendi characterem Sacramentis novæ legis abnegantibus: 2. cum Catholicis quibusdam characteris naturam, & essentiam ea ratione explicantibus, quæ cum Conciliis cohærere nobis non videtur.

Conclusio 1. Aliqua legis novæ Sacramenta characterem imprimunt, sed non omnia. Ita Concilium Tridentinum sess. 7. do Sacramentis in communi canone 9. definiit.

Probatur prima pars, ex Scriptura. Paulus 2. ad Corinthios 1. ait, in Confirmationo, Deum oos *unxisse* (per gratiam, per quam recepta in baptismo gratia perficitur), & *signasse* charactere nimirum, quo veluti signo quodam anima novo, & speciali jure tamquam Dei ipsius possessio consecratur. Eumdem loquendi modum idem Apostolus de baptismate agens adhibuit, *Nolite* (inquit capite 4. ejusdem Epistolæ) *contristare Spiritum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.*

Probatur 2. eadem prima conclusionis pars ex Traditione. Patres non raró ajunt, quibusdam Sacramentis signum quoddam spirituale, & indelebile imprimi, quo qui insigniti fuerunt, aut ab infidelibus, aut ab aliis Christianis eodem signaculo minimè consecratis distinguuntur. Audiendus est hac de re Augustinus, qui libro 6. de baptismo cap. 1. sic loquitur, *Satis eluxit Pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos posteà Plenarii Concilii authoritate originalis consuetudo firmata est, ovem, quæ foris errabat, & Dominicam characterem a fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianæ unitatis salutem ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potiùs, quàm improbari.* Hincque patet 1. Augustino ipsum characteris nomen, quo nunc Ecclesia utitur, ignotum non fuisse. Patet 2. rem eo nomine significatam admisisse antiquam Ecclesiam: eam enim Patres, qui rebaptizationem impugnarunt tamquam principium supposuisse, allatus ex Augustino textus demonstrat. Igitur non novum dogma, sed veterem Ecclesiæ fidem proposuit Concilium Tridentinum Sessione 7. canone 9. de Sacramentis in communi, ubi hæc habetur, *Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.*

Probatur altera conclusionis pars. Tria tantùm sunt Sacramenta; Baptismus nempè, Confirmatio, & Ordo, quæ iterari non possunt: ergo tria sunt tantùm, quæ characterem imprimunt: rationem enim, cur non iterentur Tridentina Synodus in characterem per ea impressum refundit. Hanc de charactere quæstionem de Sacramentis in specie disputantes iterùm subjiciemus examini.

Conclusio 2. Characteris natura non est nuda denominatio extrinseca, sed realis animæ modificatio, quam Deus propter Sacramenti applicationem immediatè operatur.

Probatur prior conclusionis pars contra Durandum, qui in 4. Sent. Dist. 4. quæst. 4. asserit, characterem homini advenire ex eo, quòd, aut ad opus, aut ad officium aliquod a Deo commissus sit, non absimili ratione ab ea, qua plebejus magistraturæ gerendæ præpositus, judex & est, & appellatur. Primò enim denominatio extrinseca subjecto, nec imprimitur, nec inhæret: at characterem animæ imprimi Conciliis definitum est. 2. De denominatione extrinseca dici non potest, quòd in eis, qui Baptismate, Confirmatione, aut Ordinatione consecrantur, sic spirituale, & indelebile signum; id tamen de charactere Tridentina Synodus affirmat. 3. Hæretici characterem Baptismo, Confirmatione, & Ordine imprimi negantes, denominationem illam extrinsecam, nempè ex consecratione hominis per Baptismum, & ex cœlesti ministrorum ad obeunda Ecclesiastica munera missione ortam admiserunt: id tamen non impedit, quin tamquam characteris destructores a sacra Tridentina Synodo damnati fuerint. 4. Cum quis in antiqua lege Propheta a Deo mittebatur, denominationem extrinsecam ex divina ad tantum officium missione ortam recipiebat: quis tamen indè Prophetam illum novo, & peculiari charactere animæ impresso insignitum fuisse colliget? ergo character, quem quædam Sacramenta imprimunt, est aliquid ab ea extrinseca denominatione distinctum.

Ex his confutata manet nonnullorum Theologorum recentiorum doctrina, qua characterem nihil aliud importare asseritur, quàm decretum, quo Deus stante, & perpetua lege vult, ut Baptismo, Confirmatione, aut Ordine initiatus, aptus, & idoneus fiat, vel ad novam aliam consecrationem recipiendam, vel ad sacrum aliquod munus obeundum. Et sanè character ex Concilio Tridentino imprimitur; signum est ex anima indelebile: at ea duo divino, de quo agitur, decreto non conveniunt: prætemquamquòd respectu Prophetarum veteris testamenti, & Sacerdotum Aaronicorum fuerit in Deo decretum illud, in quo Theologi, quos confutamus, positam esse characteris naturam contendunt.

Conclusio 3. Character non est relatio realis, quæ per tria Sacramenta animæ imprimatur: est contra subtilis Doctoris discipulos.

Probatur 1. Relationes non produci, sed resultari fert tritum apud Philosophos axioma: at character per veram actionem a Sacramentis producitur. 2. Relatio non resultat, nisi fundamento nova mutatio realis adveniat: sed mutatio, quæ animæ per quædam Sacramenta advenit, ipsemet est character ab eis impressus, ut sequenti conclusione dicetur. Ergo, &c.

Conclusio 3. Character est accidens absolutum animæ vi Sacramenti actionis impressum.

Probatur 1. ex eo, quòd character verè producatur, sitque aliquid de novo adveniens animæ. 2. Videtur ille character esse quamdam animæ modificationem a Deo ex vi applicationis Sacramenti a Deo factam. Nec est, quod quis objiciat animam non posse modificari, nisi per actionem intellectus, aut voluntatis: id enim certum non esse ostendunt Theologi in tractatu de justificatione, ubi probant, parvulos vi Sacramenti Baptismatis nova, ac reali modificatione affici, quatenus nempè justitiam inhærentem recipiunt; quamvis, nec quidquam cognoscere, nec velle possint.

Quæres 1. Quinam sint characteris effectus?

Resp. 1: Hominem charactere signatum ab iis, qui Sacramenta, per quæ producitur, non receperunt, quasi per quamdam tesseram differre. 2. Per characterem,

cterem, subjectum, cui inhæret, aptum sit, & idoneum, vel ad Sacramenta recipienda, ut patet in Baptismate, sine quo alia (si Eucharistiam excipias) non valent, vel ad certa in Ecclesia Christi obeunda munera, ut in Ordinatione videre est. 3. Denique character specialem cum Christo similitudinem affert: est enim quædam licèt imperfecta participatio divinæ authoritatis, quam Christus per unionem hypostaticam habet. Ex dictis hactenus germanam characteris definitionem sic tradi posse colligitur: Character est signum spirituale indelebiliter impressum animæ, quo homo ad divina deputatur, & ab aliis distinguitur.

Quæres 2. Utrum in Christo Sacerdote fuerit character?

Resp. negativè. Primo enim character est signaculum militis, non verò ducis; tessera ovis, non pastorum; subditorum, non autem principis signaculum. 2. Christi Sacerdotium non est accidentale, sed substantiale, seu ex principio substantiali intrinseco ortum, nempe ex unione hypostatica Verbi cum humana natura: Character verò in iis tantum reperitur, qui participata, & accidentali potestate in Ecclesia fruuntur, seu in ministris, quos pro Christo legatione fungi Apostolus asserit.



QUÆSTIO OCTAVA.

De Sacramentorum Proprietatibus.

INter Sacramentorum proprietates hic recensebimus 1. ordinem, quem inter se habent, 2. necessitatem ad homines comparatam, 3. ceremonias, quibus in Ecclesia Catholica conferuntur.

CAPUT PRIMUM.

De Ordine, quem Sacramenta inter se habent.

DUplex in Sacramentis ordo distingui potest, Dignitatis scilicet, & Receptionis. Prior peti potest vel a substantia, ex qua Sacramentum intrinsecè constat, vel ab effectibus, quos producit, vel a mysterio, quod exhibet, vel denique a ministro, a quo confertur. Alter Sacramentorum ordo desumitur vel ab antiqua disciplina, quæ quondam viguit, vel a nova, quæ jam obtinet.

Conclusio 1. Eucharistia, quoad substantiam, ex qua constat, cæteris Sacramentis est præstantior.

Probatur 1. Eucharistia Christum, ipsummet gratiæ authorem, & fontem continet: cætera vero Sacramenta gratiam tantùm. 2. Illud in ea excellens, & singulare reperitur (ait Concilium Tridentinum sessione 13. cap. 3.) quod reliqua Sacramenta tunc primùm vim sanctificandi habeant, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis author ante illius usum realiter continetur.

Conclusio 2. Baptismus ratione effectus, dignior est cæteris Sacramentis. Nec id mirum est, cum non solam peccati culpam, sed etiam totam pœnam simul, & semel deleat. Confirmatio superat alia Sacramenta quantum ad gratiam, seu quantum ad jus, quod dat ad auxilia actualia ad confitendam coram tyrannis fidem necessaria: ad eum quippe finem præcipuè a Christo instituta fuit. Pœnitentia præeminet aliis quantum ad peccati post Baptismum commissi remissionem. Extrema autem unctio omnia alia Sacramenta superat quantum ad peccatorum reliquias, quas ex institutione delet, & abstergit.

Conclusio 3. Sacramentum Ordinis aliis præstantius est Sacramentis ratione ministri: Matrimonium vero ratione mysterii, quod eo significatur.

Probatur prima pars. Ordo a solo Episcopo conferri potest, ut suo loco dicemus; cætera vero Sacramenta a Sacerdotibus, a quibus, ipsam etiam Confirmationem, ex Summi tamen Pontificis dispensatione, neophitis conferri posse inferiùs cum Angelico Doctore ostendemus.

Probatur altera conclusionis pars. Matrimonio, juxta hæc Pauli verba, *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, unio Christi cum Ecclesia exhibetur: ea autem unione nullum altius mysterium potest cogitari.

Conclusio 2. Sacramenta eodem semper ordine nec dispensata, nec recepta fuerunt in Ecclesia Catholica.

Probatur. Identidem mutatus fuit ille ordo, ut observabimus cum de singulis Sacramentis in particulari differemus: diu tamen iste viguit. Primò Catechumenis omnibus, ipsis etiam infantibus, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia simul conferebantur. 2. Lapsi post Baptismum per Pœnitentiam mundati, Eucharistia reficiebantur: pro infirmis addebatur Extrema-unctio. Consuetudo tria priora Sacramenta parvulis simul, & semel conferendi per duodecim priora sæcula apud Latinos obtinuit: his quoque temporibus (teste Arcudio, testibus etiam Euchologiis) apud Græcos observatur. Apud Occidentales hoc nunc ordine conferri solent. Parvuli solo Baptismate initiantur. Catechumeni vero adulti statim post baptisma, si adsit Episcopus Confirmatione consecrantur, Eucharistia quoque, si tantum mysterium sufficienter docti sint, reficiuntur. Lapsi post Baptismum sanantur per pœnitentiam; si sint infirmi, puriores Extrema-unctione redduntur, & tandem perficiuntur per Eucharistiam: in multis Ecclesiis Extremæ-unctioni Eucharistia per modum viatici præmittitur.

Ex hactenus dictis patet maximam esse secundum diversos respectus inter novæ legis Sacramenta inæqualitatem, quam quidem inæqualitatem hæretici recentiores, quibus Sacramenta nuda sunt receptæ per fidem justificationis signa, aut sigilla, de medio tollere conati sunt, quosque ob id debito anathemate mulctavit Ecclesia in Concilio Tridentinò sessione 7. canone 3. de Sacramentis in communi, ubi hæc habentur, *Si quis dixerit hæc septem Sacramenta, ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

CAPUT SECUNDUM.

De necessitate Sacramentorum.

SUis locis ostendemus primò Baptismum omnibus hominibus, & Pœnitentiam post regenerationem lapsis esse necessitate medii ad justificationem, proindeque ad salutem necessaria. 2. Neophitos, præsertim cum urget persecutio, præcepto divino ad Confirmationem teneri probabimus. 3. Imminente vitæ periculo Extremam-unctionem, & Eucharistiam eodem jure præcipi asseremus. 4. Ordinem, & Matrimonium Ecclesiæ corpori esse absolutè necessaria: Illi enim Sacramento Ecclesia suos pastores, & patres debet; isti verò oves, & filios. Hic ergo de ea tantum necessitate, quæ convenientiæ necessitas dicitur, disputandum superest, & quærendum, an Christum Sacramenta instituere decuerit?

Conclusio. Conveniens fuit, ut Christus in nova lege Sacramenta institueret.

Probatur enumeratione argumentorum, quibus hujusmodi convenientia suadetur. Prima ratio ex humani ingenii imbecillitate petitur: cum enim spiritualia passim nonnisi per sensus intelligat, signis sensibilibus indiguit, quibus divinam in nostras animas virtutem aliquo modo comprehenderet. Altera ratio desumitur ex nostra ad credendum tarditate, qua effectum est, ut in nobis signis opus fuerit, quibus Deus suas de remissione peccatorum pœnitentibus indulgenda, nec non de Spiritus sancti infusione promissiones confirmaret. Tertia ratio

sumi-

sumitur ex morbis, quos anima per peccatum contraxit, quosque Deus per Sacramenta curat, ac depellit. Quarta habetur ex societate externa, qua Catholicos omnes inter se colligari oportet. Sacramenta, teste Augustino, sunt sanctæ illius societatis vincula, Christianismi, veræque Religionis symbola, quibus si destituta sit aliqua societas, non Christi sponsa, sed diaboli synagoga sit oportet.

Prætorea instituenda fuerunt sacra illa signa, ut eorum usu fidem publice profiteremur, ut iis tamquam instrumentis uteremur ad humilitatis praxim, edomatur scilicet humanæ mentis superbia, dum sensibilibus signis mentem nostram, quæ cum angelis Apostaticis dixerat, *Ascendam, & ero similis Altissimo*, subjicere cogimur: dum Deo, a quo, ut mundi hujus elementis serviremus, impiè defeceramus; Deo (inquam) illorum signorum usum præcipienti obtemperamus. Tandem eo fine Christus Sacramenta instituit, ut per ea veluti per canales sanguis illius e cœlo ad nos usque deflueret, seu, ut per ea applicaretur beneficium mortis, quam pro omnibus hominibus eum in cruce passum Apostolus prædicat. Rationes illas in Catechismo Romano part. 2. num. 7. de Sacramentis in communi, in S. Thomæ Summa fusius pertractatas legere est.

Caput Tertium.

De Ceremoniis, quæ in Sacramentorum administratione adhibentur.

NOnnullæ cæremoniæ Sacramentorum administrationem præcedunt; aliæ eam comitantur; aliquæ verò subsequuntur. Priores ad gratiam recipiendi Sacramenti præparant: sæpe enim sunt preces, quas pro Sacramento initiandis Ecclesia Sacerdotum ore fundit: Alteræ, Sacramenti, quod confertur, cœlestem, & invisibilem effectum adumbrant, & veluti ob oculos ponunt: ita ut per ea Sacramento reverentia concilietur, & consecrandus ad attentionem, & devotionem excitetur: Tertiæ, initiatum in accepto dono confirmant, & nonnumquam docent quænam ex Sacramenti receptione debita contraxerit,

Multiplici ex capite peti solent Sacramentorum cæremoniæ: nonnullæ enim petuntur ex personis, a quibus conferuntur: aliæ ex subjecto, quod Sacramentum recipit: aliquæ ex locis, in quibus solemniter administrantur: plures ex tempore, quo, aut dari, aut recipi possunt; vel ex lingua, qua in Sacramentorum confectione est utendum. De iis omnibus agemus cum de singulis in specie Sacramentis disseremus. Hic autem Tria, quæ ad Cæremonias in genere spectant, explicemus oportet. 1. Utrum penes Ecclesiam sit aliquas Cæremonias instituere. 2. an citra scandalum, & contemptum in Sacramentorum administratione sine peccato omitti possunt: 3. Utrum Cæremoniis gratia producatur.

Conclusio 1. Ecclesia quarumdam Cæremoniarum praxim Sacramentorum ministris potest injungere.

Probatur 1. Fatentibus Calvinistis, aliisque hæreticis recentioribus, quos præsertim nostra impetit conclusio, Ecclesia potest ordinem, & modum præscribere, quo cæremoniæ, quæ Scriptura nituntur, executioni mandari debent; ne scilicet in mysteriorum, aut confectione, aut dispensatione aliqua accidat confusio.

2. Penes Ecclesiam esse instituere ritus, qui pietatem alere possint, ac Sacramentis conciliare reverentiam, licèt Scripturarum authoritate non fulciantur, evincitur ex Apostolorum exemplo, qui multas cæremonias Ecclesiastica, qua pollebant authoritate præscripserunt: *Sætera* (inquit Paulus 1. ad Corinth. 11. de Eucharistia agens) *cum venero disponam*: inter eas autem leges, quas Apostolus pollicetur, S. Augustinus eam recenset, qua fideles prohibentur ne nonnisi jejuni ad Eucharistiam accedant: *Ideo* (inquit Epist. 118., quæ est ad Januarium c. 6.) *Non præcepit* (Christus) *quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum, nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset: cum vero ait Apostolus de hoc Sacramento loquens, propter quod fratres convenitis ad manducandum, invicem expectare. Si quis esurit, domui manducet, ut non in judicium conveniatis, statim subtexit: Cætera autem cum venero ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur*. Animadvertere quisque poterit, Augustinum censuisse, Paulum tamquam ordinarium Ecclesiæ pastorem, ac proinde Ecclesiastica, qua pollebat anthoritate, ritum de quo agitur, fidelibus injunxisse.

3. A Christianismi incunabulis ad hæc usque tempora, Ecclesia jus cæremonias præscribendi sibi competere censuit, cum multas reipsa ubique, & semper injunxerit, quæ tamen nulla expressa Scripturarum authoritate nituntur. Justinus Martyr in altera pro Christianis Apologia, plurimarum meminit, quæ ad Eucharistiæ tum confectionem tum dispensationem pertinent. Tertullianus libro, quem de baptismo conscripsit, nonnullas recenset, quæ sua ætate in Baptismo conferendo, ac recipiendo ex mandato Ecclesiæ servabantur; Cyrillus Hierosolymitanus in suis Mystagogicis catechesibus, eas, quæ apud Orientales erant in usu, Catechumenos docet. Augustinus non semel explicat vim exorcismorum, qui Baptismo præmittebantur: Sacramentaria tum Gregorii magni, tum aliorum, qui a sæculo septimo apud Latinos scripserunt; Euchologia, quibus a mille, & amplius annis Græci utuntur, singulos, qui in Sacramentorum dispensatione adhibendi sunt ritus, præscribunt: ergo Ecclesia Catholica ubique cæremonias instituendi facultate se a Christo donatam fuisse judicavit: Ea autem, quæ ubique, ac semper Ecclesia præcepit impugnare, insolentissimæ est insaniæ.

Conclusio 2. Citra scandalum, ac contemptum, Sacramentorum ministri præscriptos ab Ecclesia ritus sub pœna peccati observare tenentur.

Probatur 1. Dicente Apostolo, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: ergo si vera sit, ac certa Ecclesiæ ad cæremonias instituendas potestas, qui illi non obtemperant, peccati rei fiunt. 2. Potest Ecclesia sub anathematis pœna cogere ministros, ut præscriptos ab ea ritus observent, ut patet variis, quos condidit canonibus: anathema autem nonnisi propter peccata intorquetur. 3. Onus, de quo agitur, singulis ministris Tridentini Patres imponunt sessione 7. de Sacramentis in communi can. 13. ubi hæc habentur: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuctos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse, anathema sit*.

Si quæratur quid Ecclesiæ nomine mox laudatus Canon intelligat, dicendum erit intelligi, vel Ecclesiam Catholicam toto orbe diffusam, aut Ecclesiam particularem, cui specialiter minister est adscriptus; ita ut Sacramenta aut conficiens, aut dispensans, saltem solemniter, titus in tota Ecclesia receptos, & præscriptos a particulari, cujus est membrum adhibere teneatur. Legendus est hac de re Augustinus Epist. 118. ad Januarium.

Conclusio 3. Cæremoniæ gratiam non producunt ex opere operato.

Probatur 1. Cæremoniæ ab Ecclesia institutæ fuerunt: at Ecclesia gratiam cum signis sensibilibus conjungere non potest. 2. Ii Scholastici, qui nonnullis Sacramentalibus gratiam ex opere operato producendi, & peccata venialia delendi vim adscribunt, nulla Scripturæ, aut Traditionis authoritate nituntur.

FINIS DISSERTATIONI PRIMÆ DE SACRAMENTIS IN COMMUNI.

DIS-

DISSERTATIO SECUNDA.

De Baptismo.



NOMEN istud, *Baptisma*, Græca est vox, quæ Latine per immersionem redditur. Eo termino Majores nostri usi sunt, eo quod mysterium, quod significat, per immersionem olim celebraretur. Ad Titum 3. regenerationis, & renovationis Spiritus sancti Sacramentum appellatur: nec immeritò, cum homo carnaliter natus, per baptisma spiritualiter renascatur. Ad Hæbreos 6. ab Apostolo dicitur Sacramentum illuminationis: *Impossibile est* (inquit) *eos, qui semel illuminati sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*. Ea autem vox ita olim apud Patres, præsertim Græcos, frequens fuit, ut Christianos passim *Illuminatos* appellaverint. Ad Romanos 6. vocatur sepultura; nec mirum, Catechumeni quippe in aquam immersione, Christi mortui sepultura adumbratur. Non raro ab antiquis *Fidei Sacramentum* nuncupatum fuit; tum quod is, qui baptismate initiatur, coaptetur in fidelium numerum, tum quod fidem publice profiteatur; per se quidem si sit adultus; per susceptores verò si nondum rationis usu fruatur. Tandem baptisma primum Sacramentorum nominari solet, juxta illud Cypriani ad Jubajanum Præsulem effatum: *Inde* (ex baptismo) *incipit omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio.*

QUÆSTIO PRIMA.

De Figuris Baptismatis.

VARIAS Christiani Baptismatis figuras in sacris codicibus legere est. Catechismus Romanus antiquos secutus Patres, inter eas recenset *diluvium*, quo Noemi tempore corruptus orbis pristinæ restitutus est integritati: iis pariter *maris rubri transitum* accenset, cujus quidem beneficio populus Israeliticus impositum sibi ab Ægyptiis jugum excussit. Veteres Theologi ipsum *per Naaman Syri ablutionem in Jordane, per probaticæ*, de qua Evangelium vim admirabilem adumbratum fuisse contendunt. Iis figuris circumcisio, & baptisma Joannis, de quibus hic nonnulla dicenda sunt, adjungi solent.

CAPUT PRIMUM.

De Circumcisione.

HOC in capite proponemus 1. varior variorum de Circumcisione errores: 2. autiquam illius vim, & efficaciam exponemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Varii de Circumcisione errores proponuntur.

CIrca Circumcisionem duplex error e diametro oppositus, prioribus Ecclesiæ sæculis serpsit.

Primo. Nonnulli hæretici Christianos Circumcisionis præcepto teneri docuerunt: hos inter Cerinthiani, Nazaræi, & Ebionei numerantur. De prioribus hæc habet Augustinus lib. de hæresibus cap. 8. *Cerinthiani a Cerintho, dicentes carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi legis præcepta servari*. De aliis hæc eodem libro cap. 9. *Nazaræi, cum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerant*, De tertiis sic ibidem cap. 10. loquitur, *Hebionei mandata carnalia legis observant, Circumcisionem scilicet carnis, & cætera, a quorum oneribus per novum Testamentum liberati sumus.*

Contra illos hæreticos tertium Hierosolymitanum Concilium anno Christi 51. coactum fuit, & in eo ab Apostolis hocce latum fuit decretum: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis.*

2. S. Hieronymus in expositione Epistolæ Pauli ad Galatas scripsit, Circumcisionem, aliaque legalia statim post Christi mortem fuisse mortifera; ita ut nullus, quin peccato obligaret se, sincero animo ea servare posset. Unde concludebat 1. Cerinthianorum, & Hebioneorum hæreseos reos esse, qui post Christi mortem de Circumcisione, aliisque ritibus præcepta servabant. Concludebat 2. Paulum, qui Timotheum circumcidit, Cenchris votum persolvit, Hierosolymis a Jacobo admonitus legalia observavit, Petrum, qui Antiochiæ judaizavit, gessisse se non sincero animo, seu in honorem Mosaicæ legis, sed simulatorio, seu quasi eamdem legem, mortuo Christo, pluris fecissent, quam tameu nihil ducebant.

Illum errorem, in quem Hieronymus Origenis, nonnullorumque Græcorum Patrum authoritate adductus inciderat, Augustinus Epistola 19. multis confutat, docetque 1. Circumcisionem mortuam fuisse, ubi Christus mortem obiit, id est legem de ea sancitam penitus fuisse abrogatam: 2. eam non fuisse statim a morte Christi mortiferam, seu inculpate in honorem avitæ, patriæque legis a Judæis aliquandiu potuisse observari: 3. propagato Evangelio eam mortiferam extitisse, id est absque gravi peccato, ipsis etiam Judæis, qui Christianæ Religioni dederaut nomeu, illam servare non licuisse. *Dico ergo*, verba sunt S. Doctoris epist. 19., quæ est ad Hieronymum, *Circumcisione præputii, & cætera hujusmodi priori populo per testamentum, quod vetus dicitur, divinitus data ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri; quibus advenientibus, remansisse illa Christianis legenda tantum ad intelligentiam præmissæ propixetiæ, non autem necessario facienda, quasi adhuc expectandum esset, ut veniret fidei revelatio, quæ his significabatur esse ventura. Sed quamvis Gentibus imponenda non essent, uon tamen sic debuisse auferri a consuetudine Judæorum, tamquam detestanda, atque*

dam-

damnanda: Senſim proinde, atque paulatim, fervente ſane prædicatione gratiæ Chriſti, qua ſola noſſtat credentes ſe juſtificari, ſalvoſque fieri, ... ultra vero non baberet progreſſum, ne putarctur neceſſaria, tamquam vel ab illa ſalus eſſet, vel ſine illa eſſe poſſet: quod putaverunt baretici, qui dum volunt Judæi eſſe, & Chriſtiani; nec Judæi, nec Chriſtiani eſſe potuerunt.

Præclara admodum, ac eleganti comparatione utitur S. Doctor, ut ea confirmet, quæ mox ex ipſo retulimus, *Jam enim* (inquit) *cum veniſſet fides, quæ prius illis obſervationibus prænunciata poſt mortem, & reſurrectionem Domini revelata eſt, amiſerant tamquam vitam officii ſui:* (Chriſto igitur mortem paſſo mortuæ fuerant) *verumtamen ſicut defuncta corpora neceſſariorum officiis deducenda erant quodammodo ad ſepulturam, nec ſimulatè*, (ut volebat Hieronymus) *ſed religioſè; non autem deſerenda continuò*. Tunc ergo illa legalia (quidquid in contrarium Hieronymus ſenſerit) mortifera non fuerunt. *Vel inimicorum obtrectationibus, tamquam canum morſibus projicienda, Proinde nunc quiſque Chriſtianorum, quamvis ſit ex Judæis, ſimiliter ea celebrare voluerit, tamquam ſopitos cineres eruens, non erit plus deductor, vel bajulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator*. Ergo poſtquam Evangelium pervaſit orbem, Circumciſio, aliæque Judaicæ obſervationes noxiæ, ac mortiferæ extiterunt. Qui plura hac de lite noſſe voluerit, quæ de Sacramentis veteris legis præcedenti diſſertatione diximus, conſulere poterit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De antiqua Circumciſionis efficacia.

HOC in articulo unum dumtaxat quæremus: nempe, utrum Circumciſio gratiam ſanctificantem (ut volunt plerique Scholaſtici) ex opere operato contulerit? an verò ex opere operantis, tantum, ut plures alii cenſent?

Concluſio. Non eſt omnino improbabilis eorum Theologorum doctrina, qui circumciſionem olim ex opere operato gratiam ſanctificantem contuliſſe contendunt.

Probatur 1. ex Scriptura, Geneſeos 17. hæc legimus; *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit: delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum* (cum Adamo initium de transfundenda in ejus poſteros juſtitia originali, in qua creatus fuerat) *irritum fecit* (contrahendo originis peccatum:) unde e contra ſequitur, maſculum, qui circumciſus fuerit, non deletum iri de populo Dei, ſed ſalvandum fore, proindeque gratiam ſanctificantem conſecuturum: igitur Circumciſionem recipienti juſtificatio abſolutè, & abſque conditione promiſſa fuit antiquitus: ergo independenter a conferentis merito. Textus ille non ſolum adultos complectitur, ſed & parvulos, qui nullius ſunt actus capaces; ergo juſtificatio per Circumciſionem eis concedenda nullum ex parte ſubjecti præſupponebat meritum, & conſequenter Circumciſione gratia ſanctificans quondam ex opere operato conferebatur.

Probatur 2. ex Traditione, cujus Auguſtinum teſtem, ſed omni exceptione majorem, hic appellabimus, lib. 2. de nuptiis, & concupiſcentia cap. 11. aſſerere videtur, Circumciſione populum Judaicum liberatum fuiſſe ab originali peccato, quemadmodum nunc Catechumeni baptiſmo liberantur: *Ex quo enim* (inquit S. Doctor) *inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei ad ſignificationem* (practicam, nulla enim exemplaria habent ſanctificationem) *purgationis valebat, & parvulis originalis, veteriſque peccati, ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo inſtitutus eſt*. Sic iterum loquitur lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24. *Ipſum per ſe ipſum Sacramentum multum valebat*: Iis vero textibus patet 1. S. Doctorem cenſuiſſe per Circumciſionem homines antiquitus eadem ratione donatos fuiſſe juſtitia, qua nunc in baptiſmate donantur; ergo ex opere operato. Patet 2. Circumciſionem viſam fuiſſe Auguſtino *per ſeipſum* multùm olim valuiſſe: Ergo ex vi applicationis, ſeu independenter a dantis, aut recipientis merito: ergo non ex opere operantis, ſed ex opere operato juſtificationem contulit.

Objicies 1. Geneſeos 17. cap. Circumciſio inſtituta dicitur ad extrinſecam Abrahamiticæ poſteritatis diſtinctionem a cæteris orbis nationibus, & in ſignum fœderis a Deo cum illo credentium Patre ſanciti: ergo illius uſum Deus eo fine non præcepit, ut per eam Judæi juſtificationem conſequerentur, proindeque nequaquam eis interiorem gratiam contulit.

Reſp. cum Eſtio negando conſeq. Ratio eſt, quia duplex ille finis, de quo antecedens, finem de quo noſtra concluſio, nullatenus excludit: unde non ad unum finem tantum, ſed ad multiplicem Circumciſio Abrahæ poſteris injuncta fuit.

Objicies 2. Paulus ad Romanos ſcribens præcipua Circumciſionis jura recenſet, & tamen illius in gratiam ſanctificantem efficaciæ non meminit; ergo fictitia eſt efficacia hujuſmodi, eam enim Apoſtolus non prætermiſiſſet, ſi primarius fuiſſet Circumciſionis effectus; ſeu a Deo in illius inſtitutione primariò intentus.

Reſp. Paulum in Epiſtola ad Romanos gratiæ productionem, tamquam præcipuum Circumciſionis finem ideo non recenſuiſſe, quod ea in epiſtola perpenderit Circumciſionem a fide in Chriſtum venturum præſciſam, non abſimili ratione, qua in Epiſtola ad Galatas, ubi quoſdam pſeudo-apoſtolos arguit, quod abſque fide, ſed nudo Circumciſionis ſigno Judæos olim juſtitia donatos fuiſſe contenderent.

Objicies 3. Chryſoſtomus hom. 27. in Geneſim docet, Circumciſionem nihil ad juſtificationem contuliſſe: eodem ſpectant hæc Ambroſii verba, *Carnalis Circumciſio membrum amputat, Spiritualis peccatum:* ergo ſi alicujus ſit ponderis amborum illorum Patrum authoritas, Circumciſio per ſe, ſeu ex opere operato ad juſtificationem nihil profuit.

Reſp. allata ex Chryſoſtomo, & Ambroſio loca eumdem pati ſenſum, quem mox ex Paulo laudatis adſcripſimus.

Objicies 4. Circumciſio ante octavum a nativitate diem parvulis non conferebatur. Iſraelitæ quamdiu fuerunt in deſerto, ea non ſunt uſi, utpote cum Gentilibus non commixti: ergo non fuit a Deo inſtituta, ut per eam peccatum originale deleretur.

Reſp. ad primum, parvulos ex Judæis natos, qui ante octavum diem excedebant e vivis, juſtificatos fuiſſe per parentum fidem ſigno aliquo ſenſibili demonſtratam, eodem fere modo, quo fœminæ, quæ ante rationis uſum moriebantur. Reſp. ad ſecundum; vel diſpenſatum fuiſſe cum Judæis quandiu verſati ſunt in deſerto, quia quolibet die ad movenda caſtra, eos paratos eſſe oportuit, vel dicendum eſt, eos culpabilis negligentiæ reos fuiſſe, vel denique nullum ex natis in deſerto parvulis mortuum fuiſſe; unde poſtea omnes ad unum circumciſi leguntur.

Objicies 5. Circumciſio inter veteris legis Sacramenta recenſentur, dicente Chriſto Joannis 7. *Moyſes dedit vobis Circumciſionem*. Atqui ex decreto pro inſtructione Armenorum Sacramenta veteris legis gratiam non conferebant: ergo nec Circumciſio eam, ſaltem ex opere operato, produxit.

Reſp. negando majorem: Circumciſio enim nec a Moyſe inſtituta fuit, nec primum ab ipſo promulgata: eo nimirum ſpectat hæc Chriſti ſententia; *Non Moyſes dedit vobis Circumciſionem*. Unde proprie loquendo inter legis naturæ, non verò Moſaicæ Sacramenta numerari debet: atque ita relato Eugenii Papæ IV. decreto non comprehenditur: illud quippe decretum Sacramenta novæ legis non opponit Sacramentis legis naturæ, ſed tan-

tum

tum Mosaicis, iis scilicet, quæ ipsemet Moyses & instituit, & primum promulgavit.

Objicies 6. authoritatem multorum Theologorum, quorum agmen ducit Angelicus Doctor: ii siquidem Circumcisionem gratiam ex opere operato quondam produxisse inficiantur. Ergo, &c.

Resp. concesso antecedente, negando conseq. Ii nempe Theologi nostræ conclusioni non adversantur: nec enim absolute definivimus, Circumcisionem antiquitus ex opere operato gratiam contulisse: satis nimirum fuit nobis hoc unum statuere, nempe sententiam, quæ eam vim Circumcisioni tribuit, non esse omni probabilitate vacuam.

CAPUT SECUNDUM.

De Joannis Baptismate.

HIC quærendum nobis incumbit. 1. Quinam fuerint errores circa Joannis baptisma? 2. Qua ratione a Christi baptismo differat?

ARTICULUS PRIMUS.

Recensentur varii de Joannis baptismate errores.

VArie variis temporibus circa baptisma Joannis erratum est.

Primo Petilianus Donatistas unum esse docuit Joannis, & Christi baptisma: in quo tamen tres essent gradus; aquam (inquiebat) Joannes præbuit, Christus Spiritum sanctum contulit; Paracletus vero ignem detulit e cœlis, sed hæc tria unum, & idem Sacramentum constituunt: *Licet enim unum sit baptisma* (inquit Petilianus apud Augustinum lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 33.) *tribus est tamen gradibus consecratum. Dedit aquam Joannes sine nomine Trinitatis, sicut ipse professus est dicens: Ego vos baptizo in aqua pœnitentiæ... Dedit Spiritum sanctum Christus, sicut scriptum est, Sibilavit in faciem eorum, & dixit: Accipite Spiritum sanctum; Ipseque ignis Paracletus in Apostolos superveait.* Insulsum illum Petiliani errorem, laudati mox libri cap. 34. sic confutat Augustinus. *Cur ergo aquam repetiverunt Apostoli in eis, quibus jam Joannes aquam dederat pertinentem ad unum baptismum tribus gradibus consecratum.*

2. Melancthon non ultimus ex Lutheri discipulis, cui Bucerus, multique alii subscripsere, docuit 1. baptisma Joannis verum fuisse Sacramentum; 2. remisisse peccata eodem modo, quo Christi baptismate dimittuntur, 3. a Joanne tinctos novo baptismo non fuisse donandos: *Etsi* (inquit in locis ann. 1558. titul. de baptismo Joannis) *differentia erat in hoc articulo, Joannes de passuro Christo, Apostoli de passo, & resuscitato prædicant: tamen ministerium fuit idem, & effectus eosdem habuit in credentibus.*

3. Zuinglius, & Calvinus id idem docuerunt, cum hoc tamen discrimine, quod iste definire non ausus sit, an baptizati Joannis baptismo, iterum essent Christi baptismo consecrandi? *Relinquatur* (inquit) *quæstio in medio, ut quæ in utramque partem rationes habet.*

4. Magister Sententiarum lib. 4. Dist. 2. duo hominum genera baptizatorum a Joanne distinxit: Unum eorum, qui sic tingebantur, ut spem in eo baptismo collocarent suam, quosque omnis omnino de Christi notitia fugiebat: Alterum eorum, qui justitiam ex illo baptismo non sperabant, quosque nec Christi, nec Spiritus sancti cognitio latebat: illos quidem, non vero istos, novo baptismate donari debuisse contendit: Authoris verba hic subjicienda sunt. *Illi, qui baptizati sunt a Joanne nescientes Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi... Illi vero, qui spem non posuerunt in Baptismo Joannis, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credebant, non post baptizati fuerunt, sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta Spiritum sanctum receperunt.*

Junin de Sacram.

5. S. Thomas scribens in Sententias, opinatus fuerat, Joannis baptisma fuisse veteris legis Sacramentum. Sed Summam Theologicam conscribens mutata priore sententia censuit, ipsum, nec antiquæ, nec novæ legis Sacramentum extitisse, quippe quod nec a Moyse, nec a Christo institutum fuerit, sed mera fuerit ad Christi baptisma præparatio, unde ipsum potius ad novam, quam ad veterem legem pertinuisse conclusit 3. part. quæst. 38. artic. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

Qua ratione Joannis baptisma a Christi baptismate differat.

COnclusio. Inter Christi, & Joannis baptismum multiplex discrimen intercedit.

Probatur. Ea, de quibus agitur, baptismata, discrepant 1. ratione Authoris: Baptisma quippe quod Christi dicimus, ab ipsomet Christo institutum fuit, baptisma vero Joannis ab ipso Joanne, licet ex peculiari Spiritus sancti inspiratione. Unde istud in Scriptura nusquam simpliciter, & absolute *Baptisma* dicitur, sed semper cum hoc addito, *Joannis*.

2. Differunt ratione effectus; Joannis siquidem baptismate nullus character imprimebatur, cum ex actorum 19. constet, eos, qui a Joanne baptizati fuerant, jubente Paulo, iterum Christi baptismate initiatos fuisse: Nullam quoque producebat gratiam: nam ipse Joannes Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. & Joannis 1. se Messiam non esse ex eo probat, quod Messiæ baptismus Spiritum sanctum collaturus esset, cum e contra is, quo ipse Joannes suos discipulos insigniebat, simplex, ac nudum esset ministerium aqua exhibitum, ac proinde quocumque effectu spirituali destitutus.

3. Diversa sunt ea baptismata ratione signi sensibilis, quamvis enim utrumque constaret aqua, illud tamen, quod Christi dicitur, præterea formam includit, cujus expers erat datum a Joanne, seu, quod idem est, Joannes nullis inter baptizandum verbis usus est; hæc enim Pauli sententia Actorum 19. *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum*, hoc unum significat, nempe Joannem, dum baptizaret, hortatum fuisse populos, ut in Messiam, quem prædicabat brevi venturum, crederent. Præterea dato, quod cum aliquibus verbis collatum fuerit, tamen certum est ipsi non conjunctam fuisse expressam Trinitatis invocationem, quæ Christi baptismo essentialis est.

4. Denique Joannis baptisma a Christi Baptismate ratione subjecti, seu recipientium longe distat; illud quippe solis adultis conferri poterat; utpote pœnitentiæ idoneis, ad quam Joannes suos hortabatur discipulos, quamque suo adumbrabat baptismate; Istud vero, Christi scilicet baptisma, infantibus, amentibus, cæterisque sua ratione nequaquam fruentibus dari posse, & Scriptura, & Traditione docemur.

Ex hactenus dictis clarissime patet, sacram Tridentinam Synodum jure, ac merito hoc in Lutheranos, & Calvinistas intorsisse anathema. *Si quis dixerit* (inquit sess. 7. can. 1. de Baptismo) *Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum baptismo Christi, anathema sit.*

Objicies 1. Baptismum Joannis cœlestem esse probant hæc ipsiusmet Joannis verba apud Joannem Evangelistam cap. 1. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c.* 2. Ipsum gratiam produxisse ostendit hæc Marci 1. sententia, *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* 3. Si baptisma Joannis quolibet effectu spirituali fuisset vacuum, nulli omnino fuisset usui: quod quidem quam dictu sit absurdum nemo non videt.

Respondet ad primum Tertullianus libro de Baptismo, ubi sic loquitur. *Baptismus a Joanne denunciatus, jam tunc habuit quæstionem ab ipso quidem Domino*

propositam Pharisæis, cœlestisne is baptismus esset, an vero terrenus? De quo non valuerunt illi constanter respondere, utpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porro quantula fide sumus, tantulo & intellectu possumus æstimare, Divinum quidem eum baptismum fuisse mandatum, tamen non & potestate, quod & Joannem a Domino missum legimus in hoc munus, cæterum humanum conditione: nihil enim cœleste præstat, sed cœlestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate. Eo tendit illa Tertulliani sententia, ut probet, Joannis baptismum fuisse quoad institutionem divinum, ex motu nimirum Spiritus sancti Joannes illum adhibuerat: humanum vero secundum effectum, cum esset externa ad Pœnitentiam præparatio; atque ita cujuslibet in gratiam efficaciæ prorsus expertem extitisse.

Respond. ad secundum, ista verba, *In remissionem peccatorum* non esse conjungenda cum ista voce, *Baptismum*, sed cum hac altera, *Pœnitentiæ*: unde allatæ ex Marco sententiæ hic germanus est sensus, prædicans Baptismum Pœnitentiæ, quæ Pœnitentia est in remissionem peccatorum, seu ad eam obtinendam disponit.

Respond. ad tertium, Baptisma Joannis, licet gratiam non contulerit, profuisse plurimum. Primò quidem, ut illius receptione Judæi ad Christi baptisma præparentur, *Agebatur itaque* (inquit Tertullianus) *Baptismus pœnitentiæ quasi candidatus remissionis, & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam, quod prædicabat Baptismum Pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enunciatum est.* 2. Ea, quam Joannes adhibebat, cæremonia, Judæi umbris, & sensibus jamdiu assuefacti, ad audiendas Joannis de Pœnitentia conciones alliciebantur. 3. Homines externo illo signo ad dignos pœnitentiæ fructus agendos consecrabantur.

Quæres, cur Christus sese Joannis baptismati subjecerit?

Respond. Christum baptizari voluisse a Joanne. 1. ut sui præcursoris baptismum, divinamque ejus missionem comprobaret. 2. ut doceremur quanti debeamus facere baptismum Domini, qui tanti fecit baptismum servi. 3. ut (inquit venerabilis Beda) mundissimæ suæ carnis contactu regenerandi vim aquis conferret.



QUÆSTIO SECUNDA.

De Essentia Baptismatis.

Conclusio. Optima est hæc, quæ baptismatis essentiam complectitur, definitio, *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

Probatur, ac simul explicatur conclusio. Primò quidem Baptismo Sacramenti rationem convenire ex eo patet, quod sit sensibile gratiæ sanctificantis signum a Deo permanenter institutum. 2. Per eum denuo hominem generari evincitur ex eo, quod per Baptismum catechumenus spirituali vita donetur, non quidem per modum suscitationis e mortuis, ut fit in pœnitentia, quæ justitiam per se iis confert, qui ex ea per scelus aliquod exciderunt; sed per modum generationis: ita ut eo Sacramento homines nasci, ac primum esse gratiæ recipere dicantur; *ob quam causam, inquis, si lavacrum nobis omnia peccata dimittit, non lavacrum remissionis peccatorum dicitur, nec lavacrum purificationis, sed lavacrum regenerationis? quia* (inquit Chrysostomus homilia ad baptizandos) *non nobis simpliciter peccata dimittit, nec simpliciter nos puros a delictis ostendit, sed tamquam denuo generat, & efficit. Nam denuo nos condit, & conficit, non de terra componens iterum; sed ex alio elemento, aquarum naturæ nos procreans.*

Confirmatur allata definitio ex Scriptura, quæ eam tradidisse videtur, tum Joannis, 3. ubi hæc habentur, quæ baptismi vim regenerativam non obscure exprimunt; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*: tum etiam ex cap. 5. Epist. ad Ephesios, ubi Paulus de Christo Ecclesiæ sanctitatem conferente sic loquitur: *Mundans eum lavacro aquæ in verbo vitæ*: iis enim verbis clare asseritur per aquam, & verbum, ex quibus baptisma constat, fieri spiritualem hominis regenerationem, quæ germanus est Sacramenti, de quo agitur effectus.



QUÆSTIO TERTIA.

De Baptismatis Materia.

Baptismatis Materiam Theologi Scholastici in remotam, & proximam partiuntur. Prior est ipsummet elementum, ex quo baptisma intrinsece componitur; posterior vero est ejusdem elementi ad subjectum, seu ad Catechumenum applicatio.

CAPUT PRIMUM.

De remota Baptismatis Materia.

Tria hic explicemus operæ pretium est. Primo quidem, quid de remota Baptismatis materia hæretici tum antiqui, tum recentiores senserint? 2. Quid de ea fides Catholica doceat? 3. Cur Christus eam, qua utimur, materiam elegerit?

ARTICULUS PRIMUS.

Hæreticorum circa remotam Baptismatis materiam errores recensentur.

Plures hæretici circa remotam Baptismatis materiam erraruut.

Primo, Caiani, ipsum aqua constare negarunt: *Nuper* (inquit Tertullianus Libro de Baptismo) *conversata istic quadam de Caini hæresi vipera, venenatissima doctrina sua plerosque rapuit, in primis baptismum destruens, plane secundùm naturam: nam feræ, viperæ, & aspides, ipsique reguli serpentes arida, & inaquosa sectantur.*

2. Manichæi, rati aquam esse ex principio nequam, Baptismum ea collatum non fictitium modo, sed & noxium esse prædicarunt: *Baptismum in aqua* (ait Augustinus de iis agens hæresi 49.) *nihil cuiquam perbibent salutis afferre; nec quemquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.*

3. Seleuciani, & Hermiani his Joannis de Christo verbis adducti, *Ille baptizavit vos in Spiritu sancto, & igne*, ac eodem, quo Manichæi nixi principio, aquam excluserunt a baptismate: *Baptismum in aqua non accipiunt*, (inquit Augustinus illorum hæreticorum errorem referens hæresi 59.)

4. Pauliciani (teste Euthimio in 2. parte Panopliæ titul. 21.) docuerunt, baptismum nulla ex materia constare, quippe qui (inquiebant) sola horum verborum prolatione, *Ego sum aqua viva*, perficiatur: hocce autem levissimo nitebantur principio, quod nempe Christus se aquam esse vivam asseruisset.

5. Inter recentiores Sectarios Lutherus in Symposiacis colloquiis cap. 17. dubitare visus est, num aquæ defectu, si necessitas urgeret, baptisma alio liquore, vino v. g. collatum valeat: ea enim de re interrogatus respondit, illam Divino esse committendam judicio. Quod dubium Lutherus reliquerat, Beza certo definiit: docuit quippe, ministrum quovis liquore inter baptizandum uti posse cum urget necessitas, nec adest aqua: eum errorem in altera ad Thomam Tillium epistola tradidit.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

Proponitur Eccleſiæ fides circa remotam Baptiſmatis materiam.

CONcluſio. Solam aquam veram, & naturalem eſſe remotam Baptiſmatis materiam fide Catholica docemur.

Probatur 1. Prophetæ ab baptiſmum alludentes, aquam futuram eſſe illius materiam prædixere: *Effundam* (inquit Deus apud Ezecbielem cap. 36.) *ſuper vos aquam mundam*. 2. Chriſtus, Joannis capite tertio, aquæ uſum in baptiſmate præſcripſit; *Niſi quis renatus fuerit en aqua, & Spiritu ſancto, &c.* 3. Apoſtolos baptiſmum conferentes, aquam adhibuiſſe ſacri codices fidem faciunt: *Ecce aqua* (inquiebat Eunuchus Philippo diacono) *quid probibet me baptizari*. 4. In aqua hocce Sacramentum conferri conſtans eſt Patrum omnium ſæculorum traditio: Legendus eſt Tertulliani liber de Baptiſmo, ubi multis Dei ſapientiam, & omnipotentiam commendat, quod aqua re maxime humili, mirabiles in nobis affectus operetur. 5. Denique Concilium Tridentinum Scripturæ, & Traditionis authoritate nixum ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo anathema iis dixit, qui aquam veram, & naturalem ad baptiſmum requiri negaverint.

Objicies 1. ex Scriptura. Joannes ſuum baptiſma cum Chriſti baptiſmate comparans in eo diſcrimen conſtituiſſe videtur, quod ipſum in aqua dederit. Chriſtus vero ſuum in igne traditurus eſſet, *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*: ita Seleuciani ratiocinabantur.

Reſpond. cum Catechiſmi Romani authoribps, illa Joannis verba nullo modo de materia Baptiſmatis eſſe intelligenda: quippe quæ referantur, vel ad interiorem operationem, quam Spiritus ſanctus in baptiſmate exercet, vel ad viſibilem ejuſdem in Apoſtolos ſub ignis ſpecie delapſum, de quo ſic Chriſtus ipſe prædixerat; *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies*.

Objicies 2. ex Traditione. 1. Joannes Moſchus, qui circa annum 630. floruit, in ſuo ſpirituali prato narrat, Judæum quemdam in eremo ad extremas redactum anguſtias, arena, aquæ defectu, a ſuis ſociis baptizatum mox convaluiſſe. Eo miraculo Baptiſmi, abſque aqua, ſaltem urgente neceſſitate, dati veritas probari videtur. 2. Stephanus Papa Tertius anno 764. Baptiſmum in vino datum probavit, cum enim in Francia verſaretur, interrogatus de Presbytero, qui vino, aquæ defectu, infantem de vita periclitantem abluerat, ſic reſpondit, *Si in vino quis propterea, quod aquam non inveniebat periclitantem infantem baptizavit, nulla exinde ei adſcribitur culpa, Infantes ſic permaneant in ipſo baptiſmo: Si aqua adfuit præſens, ille Presbyter excommunicetur*. Illud Stephani reſponſum refert Sirmondus tomo 2. Conciliorum Galliæ ex manuſcripto codice Sanctæ Mariæ Laudunenſis. Ergo valet baptiſma datum alio ab aqua liquore.

Reſpond. ad primum, miraculu, de quo Moſchus, Judæi fidem maximam commendari quidem, non aſſeri autem baptiſmatis veritatem: hinc eſt, quod ad Dionyſium Aſcalenis Epiſcopum perductus fuiſſet, aqua baptizari juſſus fuerit.

Reſpond. ad ſecundum; ſuppoſititium eſſe illud, quod objicitur Stephani reſponſum. Primò enim non eſt veriſimile, id Romanum Pontificem latuiſſe, quod nec minores Clericos fugit, baptiſmum nempe ſola aqua perfici. 2. Ex tribus manuſcriptis, quæ reſponſum illud continent, duo ipſum Stephano Secundo tribuunt, tertium vero Siricio Papæ. Rem ipſam tres illi codices eadem ratione in ipſo etiam contextu non referunt: unde, qui poſt Stephanum tertium ſcripſere, hujus dati ab eo reſponſi nuſquam meminerunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Rationes proferuntur, cur Chriſtus baptiſmum aqua conſtare voluerit?

COncluſio. Baptiſmate, quod aqua conſtat, præcipua Dei attributa commendantur.

Probatur. Eo in baptiſmate elucet 1. Dei ſapientia medió nimirum aptiſſimo cœleſtem baptiſmatis effectum poſuit ob hominis oculos, qui non niſi per ſenſus ſpiritualia percipit; aquis quibus carnis ſordes abluuntur, baptiſmo maculæ animæ abſtergi facile intelligit. In prioribus aquis eluxit cœlcitus ille effectus, ut jam a mundi exordio homo diſceret, ſe per aquam regenerandum; *Primis aquis* (inquit Tertullianus Libro de Baptiſmo) *præceptum eſt animas proferre, primus liquor, quod viveret, edidit, ne mirum ſit in Baptiſmo, ſi aqua animare noverunt*.

2. Commendatur etiam quam maxime Dei omnipotentia, elemento ſcilicet multum humili utitor, ut magnificum operetur effectum: *Nihil adeo eſt* (ait loco mox laudato Tertullianus) *quod obduret mentes hominum, quam ſimpliciter Divinorum operum, quæ in actu videntur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur, ut hinc quoque quoniam tanta ſimplicitate ſine pompa, ſine apparatu, novo aliquo, denique ſine ſumptu homo, in qua demiſſus, & inter pauca verba tinctus non multo, ſed nihilo mundior reſurgit, eo incredibilis exiſtimetur conſecutio æternitatis .... Proh miſera incredulitas, quæ denegas Deo proprietates ſuas, ſimplicitatem, & poteſtatem. Quid ergo? nonne mirandum, & lavacro diluı mortem ... Incredulitas miratur ſimplicia quaſi vana, magnifica quaſi impoſſibilia*.

3. Singularis quoque in nos Dei charitas elucet baptiſmate, quod ex aqua conſtat: Cum enim hocce Sacramentum omnibus omnino hominibus ad conſequendam ſalutem neceſſarium ſit; par fuit, ut ſuprema Dei bonitas ei materiam omnibus perviam, ubique communem aſſignaret. *Nulla diſtinctio eſt*. (verba ſunt Tertulliani) *mari quis an ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur; nec quidquam refert inter eos, quos Joannes inter Jordanem, & quos Petrus in Tiberi tinxit. Niſi & ille Spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus ſalutis, aut minus retulit*.

Objicies cum Manichæis, nonnulliſque antiquioribus hæreticis. Aqua vile eſt elementum: par igitur non fuit, ut a Deo animæ ſanctificationi deſtinaretur.

Reſpond. cum Tertulliano, qui illi argumento occurrit, 1. Stulta mundi elegit Deus, ut illius ſapientiam confundat. 2. Multis nominibus aquam Deus commendatam voluit: *Unum ex his eſt* (elementis) *quæ ante mundi ſuggeſtum impolita adhuc ſpecie penes Deum quieſcebat*. (verba ſunt Tertulliani Libro de Baptiſmo) *In primordio* (inquit) *fecit Deus cœlum, & terram, terra autem erat inviſibilis, & incompoſita; & tenebræ erant ſuper abyſſum, & Spiritus Domini ſuper aquas ferebatur*. Sua igitur antiquitate aqua commendatur, quod & ibidem his verbis Tertullianus animadvertit, *habes homo in primis ætatem venerari aquarum, quod antiqua ſubſtantia*. Præterea hoc privilegio gaudet, quod cum cætera elementa impolita eſſent, ipſa Deo digna ſedes judicata ſit; *Dehinc dignationem* (proſequitur multoties hic laudatus author) *quod Divini Spiritus ſedes gratior ſcilicet cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ totæ adhuc ſine cultu ſiderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cœlum rude; ſolus liquor, ſemper materia perfecta, dignum vectaculum Deo ſubjiciebat*.

Nec eſt, quod reponant Manichæi, aquam in antiquo teſtamento multis quidem titulis decoratam fuiſſe, ſed a principio nequam, cui teſtamentum vetus ſuum debet ortum: Non eſt (inquam) quod id reponant: nam in novo non minus conſpicua eſt, quam fuerit in antiquo: *Numquam* (ait Tertull.) *ſine aqua Chriſtus, ſiquidem & ipſe aqua tingitur. Prima rudimenta poteſtatis ſuæ vocatus ad nuptias aqua auſpicatur. Cum ſermonem facit, ſitientes ad aquam ſuam vocat ſempiternam. Cum de*

agape docet, aquæ calicem patri oblatum inter opera dilectionis probat. Apud puteum vires refumit... perfeverat teftimonium baptifmi ufque ad paffionem; cum ponitur in crucem, aqua intervenit, fciunt Pilati manus. Cum vulneratur, aqua de latere prorumpit, fcit lancea militis.

Objicies 2. Si pura fit aqua, fen fi utentes oon contaminet, cur peculiari benedictione confecratur aotequam applicetur catechumeno? cur precibus præfanctificatur, nifi ut ea, quam traxit ex principio nequam immunditia liberetur? Ita oonnulli Manichæorum difcipuli ratiocinabantur.

Refpond. 1. admittendo factum, nempe aquam, præcifa neceffitate, ad baptizaodum non adhiberi, oifi prius benedictione fanctificata fuerit. Peraotiquæ & his etiam temporibus obfervari folitæ illius confuetudinis, quam foggillant recentiores hæretici, meminit auttor libri de Ecclefiaftica hierarchia cap. 2. ubi fic loquitur: *Pontifex ad matrem adoptionis accedit* (hoc eft baptifmatis fontem) *ejufque aquam facris invocationibus confecrans, & eam trina unguenti vim maximam habentis purificandi per modum crucis effufione perficiens, &c.* Eamdem aquæ benedictionem recenfet Bafilius libro de Spiritu fancto cap. 27. ubi hæc fcribit, *Benedicimus aquam baptifmatis, & oleum unctionis*. Euchologium, quo a mille, & amplius annis Græci utuntur, peculiarem illam aquæ confecrationem præfcribit. Non apud Orientales modo, fed & apud Occideotales ab Ecclefiæ incunabulis ad hæc ufque tempora mos, de quo agitur, viguit. Orationes, quibus ea benedictio perficitur legere eft, tum in Saocti Gregorii Sacramentario, tum apud Alcuioum, & alios, qoi de divinis Officiis fcripfere: hoc tamen Græcos inter, & Latinos difcrimen intercedit, quod Græci aquam baptizandis Catechumenis deftinatam in aliam diem non ferveot, fed toties confecrent, quoties quis baptifmo offertur: e contra Latini bis tantum in anoo, fabbatis nimirum Pafcha, & Pentecoften immediate præcedentibus eam fanctificare foliti fint, oec cuiquam facerdoti extra cafum neceffitatis alia ad baptizandum aqua uti liceat,

Refpond. 2. aquæ fanctificationem, quæ in argumento objicitur, non ideo celebrari, ut immunditia, quam fingunt Manichæi depellatur, fed myfterii, & doctrinæ caufa adhibetur, ea fcilicet Sacramento conciliatur reverentia: colitur fanctiffimus ille carnis cootactus, quo Chriftus, dum baptizatus eft a Joanne, fluenta Jordanis confecravit; catechumeoi mirabilem baptifmatis effectum docentur.

Caput Secundum.

De proxima baptifmatis materia,

ABlutionem, proximam effe Baptifmatis materiam nemo diffitetur; nec mirum: eam enim Chriftus Marci ultimo imperavit; *Baptizantes, &c.* Ex quo colligunt Summiftæ uoam, & alteram aquæ guttulam ad baptifmum fatis non effe: 2. non valere Sacramentum, fi aqua catechumeni nou carnem, fed crines tantum attingat: 3. non immerito dubitari a multis, an ratus fit baptifmus, ubi pes, aut brachium tantum perfunduntur: horum hanc rationem reddunt, quod tribus illis in cafibus homo abfolute, & fimpliciter ablutus dici non poffit.

Ablutio tribus modis fieri poteft, immerfione oimirum, afperfione, & infufione. De fingulis feorfim eft agendum.

Articulus Primus.

De Baptifmo per afperfionem, aut effufionem dato.

HOC in articulo recenfeodi funt 1. ii, apud quos Baptifma afperfione, aut effufione datum male audit. 2. expendendum eft, an reipfa valeat.

§. I.

Recenfeatur ii, apud quos male audiit Baptifma afperfione, aut effufione datum.

AN valeret Baptifma, de quo agitur, Magnus tertio fæculo apud Africanos Epifcopus dubitavit. Illius dubium Cyprianus, quem confuluerat, his verbis exprimit libr. 4. epiftol. 7. *Quæfivifti etiam, frater chariffime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate, & languore gratiam Dei confequuntur, an habendi fint legitimi Chriftiani, eo quod aqua falutari non loti fiat, fed perfufi?*

De eodem baptifmate perobfcure locutus eft Cornelius Papa ad Fabium Aotiochenum, fcribens de Novatiano in lectulo mortis perfufione tincto, *Si tamen talem* (inquit) *baptifmum percepiffe dicendum fit*. Ex illis tamen verbis baptifma, de quo eft quæftio, Cornelium non revocaffe in dubium fequenti oftendemus paragrapho.

Marcus Ephefiorum Aotiftes epiftola encyclica, quam foluto Concilio Florentino, cui adfuerat, ad omoes orbis Epifcopos fcripfit, Græcis faceffit negotium, quod cum Latinis pacem inierint, caufatus inter abfurda, quæ ex ea pace fubfecuta fuiffe dictitat, iftud non ultimum tenere locum, quod doo diverfa baptifmata probent oporteat, unum Græcorum fcilicet per immerfionem datum, alterum Latinorum, quod per infufionem confertur; *Bina* (inquit) *baptifmata peraguntur, alterum, quod trina immerfione perficit baptizatum, alterum, quod aquæ infufione a fummo vertice confertur*.

Hieremias pfeudo-patriarcha Coftantinopolitanus idem baptifma fuggillavit quidem; irritum tamen oon judicavit: *Baptizabant veteres* (inquit in 2. refponfo latæ a fe ipfo cenfuræ adverfus Lutheranos) *non manibus fuis aquam baptizandis afpergentes, fed trina immerfione, Evangelica dicta fequentes*.

Lutheranis, Calviniftis, aliifque recentioribus hæreticis ratum quidem eft baptifma, de qoo eft quæftio. At illius veritatem ex Scriptura, quæ fecundum eorum principia una eft, ac fola fidei, ac morum regula, probare non poffunt: quamvis enim probabiliter inferatur ex facto Petri, qui una die quioque hominum millia baptifmate donavit, non elicitur tamen neceffario: Et fane (ut io fuo de communione fub utraque fpecie opufculo advertit Illoftriffimus, totoque orbe Chriftiano præclaris fuis in hæreticos operibus celeberrimus Benignus Boffuetius Epifcopus Maldenfis) abfolute loquendo fieri potuit, ut Petrus una eademque die tantum hominom numerum immerferit, io urnas nimirum, feu hydrias, ubique fere fecundum Judæorum purificationem pofitas.

§. II.

Utrum Baptifma effufione, aut afperfione datum valeat,

COnclofio. Valet Baptifma effufione, aot afperfione datum.

Probatur 1. Immerfione, effufione, aut afperfione ablutio, quam Chriftus præcepit, fubftantialiter non immutatur. 2. Neutrum ex illis duobus abluendi modis Chriftus in fpecie determinavit: 3. Utrumque difcipuli adhiboiffe videntur. Per Immerfionem Philippus Diaconus Candacis Reginæ fpadonem tinxit, ut ex his Actorum 8. verbis colligitur; *Et defcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus*, & poftea, *Cum autem afcendiffent de aqua*. Petrum, vel effufione, vel afperfione ufum fuiffe, colligi poteft ex 2. & 3. capit. eorumdem Actuum, quibus eum una die, aut tria, aut quinque hominum millia baptizaffe conftat; Siquidem tantum Judæorum nomerum per folam immerfionem una, & eadem die baptifmo initiare vix potuiffet. 4. Coftanti Ecclefiæ traditione docemur, baptifma Clinicis datum valuiffe, nufquam enim iteratum fuiffe legimus. At Clinicorum baptifma oon merfione, fed mera perfufione perficiebatur.

Obji-

Objicies. Magnus apud Africanos Episcopus, olim dubitavit, an baptismatis Sacramentum perfusione datum valeret? Baptisma perfusione datum Cypriano, quem Magnus consuluerat, ratum quidem visum est; non tamen certo, sed tantum probabiliter; unde cuique indulget, ut quod voluerit, sentiat; *Qua in parte* (inquit lib. 4. ep. 7.) *nemini verecundia, & modestia nostra præjudicet, quominus unusquisque, quod voluerit, sentiat, & quod senserit, faciat.* Imo iis, qui de baptismate, de quo est quæstio dubitant, author est, ut illud postea per immersionem iterent; *Aut* (inquit) *si aliquis existimat eos nihil consecutos, eo quod ab aqua salutari tantum perfusi sint, si inanes, & vacui sunt, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, & convaluerint, baptizentur.*

Resp. propositum a Magno dubium S. Cyprianum ea ratione solvisse, quæ nostræ conclusioni aperte faveat, hæc enim præsuli, a quo fuerat consultus respondit: *Nos quantum concipit mediocritas nostra, æstimamus in nullo mutilari; & debilitari posse beneficia Divina, nec minus aliquid illic posse contingere, ubi plena, & tota fide, & dantis, & sumentis accipitur, quod Divinis muneribus hauritur. Neque enim sic in Sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali, & sæculari sordes cutis, & corporis abluuntur, & sapone, & nitris, & cæteris quoque adjumentis, & dolio, & piscina opus sit, quibus ablui, & mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In Sacramentis salutaribus necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente, totum credentibus conferunt Divina compendia.*

Rationes non defuerunt, quibus Cyprianus suo responso robur adderet; quippe qui argumenta ex Scripturis petita sic urgeat; *Nec quemquam movere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur, & dicat: Et aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris, & ab omnibus simulacris vestris, & mundabo vos, & dabo vobis cor novum, & Spiritum novum dabo in vobis. Item in Numeris, Et homo, qui fuerit immundus usque ad vesperam, hic purificabitur die tertio, & die septimo, & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio, & die septimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Israel, quoniam aqua aspersginis non est super eum aspersa. Et iterum: Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Accipe Levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum, circumsperges eos aqua purificationis. Et iterum: Aqua aspersionis purificatio est.* Ea Cypriani argumentatione docemur sancto Patri prophetas visos fuisse baptismum perfusione in Ecclesia Christiana conferendum prædixisse, cum purificationis per aspersionem apud Judæos factitandæ meminerunt.

Nec alicujus est momenti, quod in argumenti confirmationem adducitur, nempe Martyrem sanctissimum non certo, sed probabiliter tantum suum responsum tradidisse: nec enim (inquiunt aliqui) Præsules damnavit, qui perfusione tinctos, deinceps postquam convaluerant, immergebant: Nam ita comparatus erat sanctus Doctor, ut in eo etiam, quod sibi certo perfusum erat, adversarios non damnaret, sed proprio permitteret judicio. Id in causa baptismatis ab hæreticis dati videre est: quamvis enim certissime judicaret, illud esse fictitium ac inane, nulla tamen aliorum, qui sibi contradicebant, Episcoporum sententiam censura perstrinxit. *Cæterum* (inquit in sua ad Stephanum Papam Epistola de hæreticis rebaptizandis) *scimus quosdam, quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata retinere, qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.*

Objicies 2. Cornelio Papæ certum, ac integrum visum non fuit Baptisma sola perfusione datum; hæc enim (, ut superiori paragrapho observatum fuit) ad Fabium Antiochenum scribit de Novatiano in mortis lectulo per effusionem baptizato, *Si tamen talem baptismum percepisse dicendum sit.* Ergo constanti Traditione veritas Sacramenti, de quo agitur, probari non potest.

Resp. Cornelium Papam loqui de baptismo secundum effectum, non autem secundum substantiam sumpto: id est, dubitavit S. Martyr, an Novatianus in cubili tinctus baptismatis gratiam consecutus fuisset; nec hujusmodi dubium illi peculiare fuit; omnes enim antiquos Patres tenuit; judicarunt nempe, baptisma, quod in ultima vitæ periodo recipitur, non sponte, seu ex Dei amore, sed ex solo gehennæ metu capeti, proindeque gratiam non conferre: ea de causa in periculo baptizatos, a sacris ordinibus arcebant.

ARICULUS SECUNDUS.

De Baptismo per immersionem dato.

BAptisma per immersionem datum amplissimam præbet disputationum segetem: quæri enim potest 1. Utrum apud Majores nostros frequens fuerit? 2. Quasnam in mergendo catechumeno servaverint regulas. 3. An trinam mersionem necessariam judicaverint?

§. II.

Utrum Baptisma per immersionem olim conferretur?

COnclusio. Majores nostri ubique per duodecim priora sæcula Baptismum per immersionem contulerunt.

Probatur, Primo quidem baptisma, de quo est quæstio in Ecclesia Græca adhibitum fuisse elicitur ex quinquagesimo canone inter eos, quos Apostolicos dicunt, ex Cyrillo Hierosolymitano, qui eum baptizandi ritum, Catechesi secunda Mystagogica, catechumenos docet: ex Chysostomo, qui homilia sexta in Epist. ad Colossenses illius meminit; Ex Euchologiis quibus Græci in Sacramentorum administratione a mille annis, & amplius utuntur: *Deducens eum, & educens* (inquiunt cum de ministro supra catechumenum formam baptismatis proferente loquuntur.) Praxis, de qua hactenus Græci, ita sunt tenaces, ut ex iis nonnulli Latinis perfusionem crimini verterint.

Probatur iterum conclusio pro Ecclesia Latina. Tertullianus sub secundi sæculi finem testatur, baptismum sua ætatu per immersionem dari solitum fuisse; *Dehinc* (inquit lib. de corona militis) *ter mergitamur.* Ita medio tertio sæculo constans erat baptismum immersione conferri debere, ut Magnus, ad quem Cyprianus scripsit, dubitaverit, an perfusione datus valeret? Operis de Sacramentis author, quem Ambrosium dicunt lib. 2. cap. 6. hæc ait: *Inventum est quomodo homo vivus moreretur, & vivus resurgeret, quid est vivus, hoc est vita corporis vivens, cum veniret ad fontem, & mergeretur in fontem.* Gregorius Magnus, qui Romæ sedit sæculo sexto desinente, eumdem ritum in suo Sacramentario præscribit; qui postea de divinis Officiis scripsere, Alcuinum dico, Amalarium, Vualfridum Strabonem, eum quoque referunt. Apud Magistrum Sententiarum, qui anno 1164. obiit, cum de proxima baptismatis materia tractat, altum est de perfusione silentium, immersionem dumtaxat recenset; quærit nempe *De immersione quoties fieri debeat*, immediate post sic respondet, *De immersione vero si quæritur quomodo fieri debeat, præcise respondemus, vel semel, vel ter pro more Ecclesiæ.* S. Thomas, qui anno 1274. diem extremam clausit, hæc habet 3. part. quæst. 66. art. 7. *Quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus.* Igitur sæculo 13. mos per immersionem abluendi apud Occidentales obtinebat.

Quæres 1. quo præcise tempore baptizandi per effusio-

fufionem ritus apud Latinos cœperit, ac quo fæculo antiquus evanuerit?

Refp. inounto fæculo 13. effufionem in aliquibus Latinorum Ecclefiis adhiberi cœpiffe. 1. Quod antea paffim non obtineret, probat Magiftri Sentent. eo de ritu filentium. 2. Quod eo tunc nonnullæ uterentur, textus jam jam ex S. Thoma relatus evincit. 3. Quod ubique nondum obfervaretur, elicitur ex artic. 8. 3. part. quæft. 66. ubi idem S. Doctor hæc habet; *Communiter obfervatur in baptifmo trina immerfio, & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quafi ritum Ecclefiæ non obfervans*. 4. Dicendum eft circa finem fæculi 14. paucis in locis immerfionem adhibitam fuiffe; quæ enim ab eo tempore edita funt ritualia, effufionem plerumque præfcribunt.

Quæres 2. cur antiquum per immerfionem abluendi modum Latina Ecclefia in alium mutaverit?

Refpond. plures mutationis, de qua quæritur, caufas extitiffe. 1. Miniftri, ubi in Ecclefiis defiit Diaconorum copia, baptizandos, adultos præfertim, immergere vix potuerunt. Cum parvuli majorem conftituerint baptizandorum numerum, periculum fuit, ne ex immerfione eorum valetudini aliqua labes inferretur. 3. Ecclefia tum miniftri, tum fufcipientium pudori confultum voluit; cui quidem pudori, cum Diaconiffæ non fint in ufu, difficili negotio confuleretur, fi baptifma, fœminis præfertim, ut fiebat antiquitus, per immerfionem conferretur.

§. II.

Quænam in conferendo per immerfionem Baptifmate quondam fervarentur.

MUlta, & quidem notatu digna in conferendo per immerfionem baptifmate fervabantur antiquitus.

1. Tam alta erat immerfio; ut totum baptizandi corpus tegeretur; *In hoc ergo fonte*, (inquit Auguftinus hom. 3. ad Neophytos) *antequam vos toto corpore tingeremus, interrogavimus, &c.*

2. Corpus Catechumeni, dum mergeretur, qualibet erat exutum vefte; *Ideo nudi in fæculo nafcimur; nudi etiam accedimus ad lavacrum*, (verba funt Sancti Ambrofii Sermone 10. Chriftianos, qui divitias ambiunt, increpantis) *ut nudi quoque, & expediti ad cœli januam properemus. Quam autem congruum, & abfurdum eft, ut, quem nudum mater genuit, nudum fufcipit Ecclefia; dives intrare velit in cœlum?* Tanta erat ea nuditas, ut corpus ne levi quidem fafciola obduceretur: comparant nimirum Patres nuditatem recipientis baptifmum cum ea, cum qua quifque mortalium nafcitur, qua poft refurrectionem cœlos confcendemus. Tam ftricta erat lex, qua Catechumeni denudari jubebantur, ut ne infantes quidem, imo nec fœminæ ea eximerentur; de infantibus denudandis loquuntur conceptis terminis Sanctus Gregorius in Sacramentario, quod confcripfit, Ordo Romanus, & Alcuinus de divinis Officiis, ubi de Sabbato ante Pafcha agunt.

Nec in Occidente modo, fed & in Oriente vigebat lex, de qua agitur; fœminarum quippe denudationis Chryfoftomus, fæculo quarto definente ad Innocentium Papam fcribens, meminit: inter mala, quæ Conftantinopoli contigerunt, dum iterato pelleretur in exilium, illud ad caufam, de qua agitur, pertinens hifce verbis enarrat; *Mulieres quoque, quæ per illud tempus fe exuerant, ut baptizarentur, metu graviorum infidiarum nudæ aufugerunt, neque enim concedebatur*, (a militibus, qui, ut in Chryfoftomum imperatoris juffa mandarent executioni, in baptifterium ingreffi fuerant) *ut fe velarent, ficut mulieres honeftas decet*.

3. Mulierum, quæ ut mergerentur exuebantur veftibus, pudori variis modis profpectum fuit. Primò enim nonnullis in locis fuum erat fœminis, & fuum maribus baptifterium; id clare patet ex iis, quæ in Synodo Conftantinopolitana fub Menna anno 536. habita Clerici Apamœnfes dicunt. 2. Seorfim a mafculis, feu alia hora, licèt eadem die, fœminæ baptizari folebant: *Baptizentur primò mafculi*, (ait Ordo Romanus capite de Sabbato fancto) *deinde fœminæ*. 3. Mulieres baptizandæ, vel fe ipfæs veftibus exuebant, ac depofitas ipfemet poft emerfionem ex aqua induebant, vel id eis officii præftabant Diaconiffæ, ut hæc verba canonis 12. quarti Concilii Carthaginenfis, cui Auguftinus interfuit, innuere videntur, *Viduæ, vel Sanctimoniales, quæ ad minifterium baptizandarum mulierum eliguntur, &c.*

§. III.

Utrum trina merfio quondam effet neceffaria?

COnclufio 1. Trina merfio in baptifmate quondam neceffaria fuit neceffitate præcepti ecclefiaftici.

Probatur conclufio 1. pro Ecclefia Græca, ex quinquagefimo canone Apoftolico, ubi hæc habentur, *Si quis Epifcopus, vel Presbyter non trinam merfionem unius myfterii celebret, fed femel mergat in baptifmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur*. 2. Ex authore libri de Ecclefiaftica hierarchia cap. quarto 3. Ex Euchologiis, ad quorum normam multis ab hinc fæculis Græci Sacramenta conficiunt, & difpenfant: iis nempe non merfio fimplex, fed trina præcipitur. Suæ Ecclefiæ ufum Hieremias pfeudopatriarcha Conftantinopolitanus decimo fexto laudabat fæculo, hæc enim altero fuæ cenfuræ capite, Latinos fuggillans, fcribebat; *Nos quidem fub trina merfione baptizamus*.

Probatur 2. pro Ecclefia Latina 1. ex Tertulliano, *Dehinc*, (inquit lib. de Corona militis cap. 3.) *ter mergitamur*. 2. ex Ambrofio, faltem fi fit author librorum de Sacramentis, qui ejus nomine infcribuntur, caput feptimum libri fecundi fic infcribit, *de triplici immerfione in baptifmum, & triplici interrogatione*. Sic idem caput exorditur, *Interrogatus es, Credis in Deum Patrem Omnipotentem? Dixifti credo; & merfifti, hoc eft fepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum noftrum Jefum Chriftum, & in crucem ejus? Dixifti credo, & merfifti: ideo & Chrifto es confepultus. Qui enim Chrifto confepelitur, cum Chrifto refurgit. Tertio interrogatus es, Credis & Spiritum fanctum? Dixifti, Credo: tertio merfifti, ut multiplicem lapfum fuperioris ætatis abfolveret trina confeffio*. 3. Ex Sacramentario S. Gregorii fub finem fæculi fexti confcripto. 4. Ex S. Thoma, qui 3. part. quæft. 66. artic. 8. hæc fcribit, quæ fui temporis ufum teftantur, *Communiter obfervatur in Baptifmo trina immerfio, & ideo graviter peccaret aliter baptizans, quafi ritum Ecclefiæ non obfervans*.

Quæres 1. an Sriptura, aut Traditione Trinæ immerfionis ufus nitatur.

Refpond. Trinæ immerfionis ufum fola Traditione niti. Eum Tertullianus affert in exemplum authoritatis, qua in Chriftiamis Ecclefiis Traditio pollet: *Ergo* (inquit lib. de corona militis cap. 3.) *quæramus, an & traditio non fcripta non debeat recipi? plane negabimus recipiendum fi nulla exempla præjudicent aliarum obfervationum, quas fine ullius Scripturæ inftrumento, folius traditionis titulo, exinde confuetudinis patrocinio vindicabimus. Denique, ut a baptifmate ingreditur, aquam adituri, ibidem, fed & aliquanto prius in Ecclefia fub antiftitis manu conteftamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur*; & poftquam de Euchariftia, cæremoniifque Ecclefiafticis nonnulla dixit, fic profequitur, *harum, & aliarum ejufmodi difciplinarum fi legem expoftules Scripturarum; nullam invenies, traditio tibi prætendetur autrix, confuetudo confirmatrix, & fides obfervatrix*. Eumdem, de quo quæritur, ritum in traditionem quoque refundit Hieronymus adverfus Luciferianos agens, hæc enim ait: *Multa alia, quæ per traditionem in Ecclefiis obfervantur, authoritatem fibi fcriptæ legis ufurpaverunt; veluti in lavacro ter caput mergitare*. Non ex Latinis tantum Patribus, fed & ex Græcis trina immerfio Traditioni fuam debet originem, Bafilius libro de Spiritu fancto ad Amphilochium, id cap. 27. apertis his verbis teftatur; *Ter mergi hominem, unde eft traditum?*

Quæ-

Quæres 2. Quo præcisè tempore trina baptizandi in aquam mersio adhiberi cœperit?

Resp. trinam mersionem in cathecbumenis baptizandis ab ipsis Apostolis institutam, ac adhibitam fuisse. Nititur ea responsio eo, quòd immersio ubique, ac quovis tempore observata fuerit, nec ejus initium aliqua in Synodo reperire sit, proindeque reducenda est ad Apostolos juxta celebrem hanc Augustini sententiam Epistola 118. ad Januarium: *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri, sicuti, quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa quacumque se diffundit Ecclesia.*

Conclusio 2, Trina mersio nec fuit antiquitus, nec est modò ad baptismum necessitate medii, aut præcepti Divini necessaria.

Probatur. Patres aliquando imperarunt, ut baptisma unica mersione conferretur: ergo trinam absolutè necessariam non judicarunt. Antecedens probatur authoritate Gregorii magni, qui Lib. 1. Regist. Epist. 41. quæ est ad Leandrum Episcopum Hispalensem, quorumdam ministrorum in Hispania per unicam immersionem baptizantium praxim laudat, ac probat. Eum baptismatis conferendi ritum usurparant ii Catholici, ne Arrianis triplicem in Trinitate substantiam, per trinam immersionem adstrui jactantibus adhærere viderentur, præstat ipsummet audire Gregorium, hæc sunt laudato loco illius verba; *Si nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur.*

Confirmatur argumentum ex Concilio Toletano 4. anno 633. habito. Non statim in omnibus Hispaniarum Ecclesiis obtinuit monitum, quod Gregorius Papa Leandro dederat: imò aliquæ, quæ unica mersione utebantur, malè audiebant apud alias, quæ etiam multis post annis antiquo per triplicem immersionem baptizandi ritui adhærebant: ægrè admodum id tulit quarta Synodus Toletana, nec ferre potuit, ut disciplina, quam Magnus Gregorius probarat, suggillaretur, imò canonem condidit, quo imperatum est, ut ille ritus in omnibus Hispaniarum provinciis executione mandaretur; *De Baptismi Sacramento*, (inquit laudatum Concilium capitulo 5.) *propter quod in Hispaniis quidam Sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt; a nonnullis schisma esse conspicitur, & unitas fidei scindi videtur: nam dum partes diversæ in baptizando, quasi contrario modo agunt, alii alios non baptizatos esse contendunt. Proinde quid a nobis in Sacramenti diversitate faciendum sit, Apostolicæ sedis informemur præceptis, non nostram, sed paternam instructionem sequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ Pontifex ... de hac Hispaniæ diversitate ... sic ait; De trina verò mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa ... Reprehensibile nullatenus esse potest infantem in baptismate in aquam, vel ter, vel semel mergere.* Ubi Toletani Patres integrum Gregorii decretum descripsere, sic prosequuntur, *Quapropter quia de utroque Sacramento, quod fit in sancto Baptismo, a tanto viro reddita est ratio, quod utrumque rectum, utrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur; propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismi mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergant, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem.*

Objicies 1. Canon. 50. Apostolicus ministrum, qui unam tantùm inter baptizandum mersionem adhibuerit, depositione castigat. Tanta in Episcopum, aliosque baptismi ministros animadversio, Sacramentum unica mersione datum inane, ac irritum esse supponit.

Respond. 1. negando conseq. Ratio est, quia minister depositione mulctari potest, cum ritum receptum, ac ubique præscriptum de industria, ac ex deliberata animi sententia in solemni alicujus Sacramenti administratione prætermittit: Trinam autem in conferendo baptismate mersionem ab Ecclesiæ incunabulis usque ad decimum quartum sæculum, ubique extra necessitatis casum, præceptam fuisse superius a nobis fuit ostensum.

Respond. 2. Apostolico canone, Episcopum ab ordine non dejici propter solam trinæ mersionis omissionem, sed etiam propter legitimæ baptismatis formæ corruptionem: redditur nimirum hæc ratio, cur tanta pœna unicam mersionem adhibenti infligatur; *Non enim Dixit Dominus, In morte mea baptizate, sed euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Quibus quidem verbis patet, canonem supponere ministros, qui trina mersione non utebantur, non solitos fuisse baptizare per expressam Sanctissimæ Trinitatis invocationem.

Objicies 2. Canone 7. prioris Concilii Constantinopolitani, Eunomiani redeuntes in Ecclesiam, iterum baptizari jubentur, quòd per unicam tantùm mersionem a suæ sectæ hominibus abluti fuissent; *Eunomianos*, (inquiunt sacri illius Concilii Patres) *qui in unam demersionem baptizantur, ut Gentiles acceptamus, & tum demum eos baptizamus.*

Respond. Arrianos plerumque validè baptizasse; passim enim legitimam Sacramenti formulam adhibebant, ut his Innocentii Papæ I. verbis Epist. 18. cap. 3. de his hæreticis loquentis docemur; *Solum baptisma ratum esse permittimus, quod utique in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti perficitur.* At Eunomiani ex Arrianis non ultimi, tempore primæ Constantinopolitanæ Synodi, præscripta a Christo forma non utebantur. Eam solutionem de Baptismo cap. 9. Arcudius probat ex Epiphanio, qui (ut ait) libro 3. contra hæreses, hæresi 56. testatur, apud Eunomianos hanc adhiberi solitam fuisse baptismatis formam; *In nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus vim sanctificandi habentis, atque a creato Filio creati:* Sed Arcudii pace dixerim, ea, quæ ex Epiphanio refert, apud ipsum nequaquam repetiri. Aliunde igitur datæ a nobis responsioni quærendum est patrocinium. Præbet Theodoretus libro 4. hæreticorum fabularum cap. 3. ubi sic loquitur; *Idem* (Eunomius) *sancti etiam baptismatis legem olim a Domino, & Apostolis traditam evertit, & contrariam sanxit, non oportere dicens ter illum mergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem.*

Objicies 3. Quę tradiderunt Apostoli juris sunt Divini: Si enim semel illud principium labefactetur, probari nob poterit parvulorum baptisma; suffragia pro mortuis, aliaque multa, quæ non ex Scriptura, sed ex sola Apostolorum traditione habemus, juris esse Divini: Atqui Trinam in conferendo baptismate mersionem Apostoli tradiderunt: ergo juris est Divini; proindeque etsi datur, eam ad baptisma non esse necessariam necessitate medii, dicendum est tamen esse ad illud necessariam necessitate præcepti Divini: Unicam igitur mersionem Gregorius Magnus Hispanis conferre non potuit, homo enim (, ut ait Cyprianus lib. de lapsis) Deo major non est.

Respond. concedendo, Apostolos trinam in conferendo baptismate mersionem tradidisse, imò & præcepisse, ut supra ex Augustini epist. 118. ad Januarium cnnclusimus: Sed nego. ea omnia, quæ Apostoli tradiderunt, ac præceperunt, juris esse divini. Est Augustini loco mox laudato ea solutio, ibidem enim contendit, jejunium naturale ab Apostolo ad Eucharistiam recipiendam fidelibus præceptum fuisse, & tamen juris esse Ecclesiastici asserit: nonnulla igitur Apostoli tamquam institutores tradiderunt, nonnulla verò tamquam promulgatores. Priora, juris sunt Ecclesiastici, posteriora autem juris Divini. Ad prius traditorum ab Apostolis genus, ritus omnes, seu ea, quæ ad disciplinam spectant, reducuntur: ad posterius verò, dogmata, quæ ad fidem, aut mores pertinent. Prioris generis, non autem posterio-

ris

ris eſt trina, de qua agitur, immerſio, ſeu ab Apoſtolis non tamquam promulgatoribus, aut Spiritus-ſancti inſtrumentis; ſed tamquam Epiſcopis ordioariis in Eccleſiis poteſtate fruentibus inſtituta fuit: unde Patres, qui trinæ immerſionis meminerunt, nullas pro illius uſu neceſſarias, ſed congruas tantum rationes proferunt. Nec deſunt aliæ etiam congruæ, quibus probabiliter unica immerſio ſtatuatur, ac confirmetur; ut ex reſponſione ad ſubſequens quæſitum patebit.

Quæres 1. quid myſterii trina immerſio contineat? quodnam quoque in unica lateat?

Reſpondet ad primum Leo magnus Epiſt. 4. ad Siciliæ Epiſcopos cap. 3. ubi ſic loquitur; *In baptiſmatis regula, & mors intervenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis elevatio, reſurgentis ad inſtar eſt de ſepulchro.* Reſpondet quoque Gregorius in ſua ad Leandrum Epiſt. *Nos autem* (inquit) *quod tertio mergimus triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimatur.*

Reſpondet ad ſecundum laudatus mox Gregorius eadem ad Leandrum Epiſt. *In tribus merſionibus* (inquit) *perſonarum Trinitatis, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari.* Aliæ ejuſdem myſterii rationes a quarto Concilio Toletaoo redduntur; *Unica* (ait) *merſio, & emerſio ſignificant unicam ad infernum Chriſti deſcenſionem, & reſurrectionem, item unitatem Divinitatis, dum tamen additur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Trinitas perſonarum exprimitur.* Significationi hujuſmodi robur addit ex iis baptiſmatis figuris, quas in ſacris codicibus legere eſt; *Figuræ quoque baptiſmi* (verba ſunt laudatæ Syuodi) *hanc unitatem patefaciunt, Nam populus Dei per mare rubrum, quod baptiſmum ſignificat, ſemel tranſit, præcedente ſanctiſſima Trinitate in igne, columna, & nube. Idem populus Dei cum Arca ad terram promiſſionis properans, fluenta Jordanis ſemel trajecit.*

Quæres 2. utrum tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis invocarentur, dum catechumenus prima vice mergebatur?

Reſp. negative: ita enim trinam immerſionem veteres peragebant, ut ad ooamquamque merſionem onius tantùm perſonæ nomeo exprimeretur. Illius moris Tertullianus libro adverſus Praxeam his verbis meminit: *Noviſſime mandans* (de Chriſto loquitur) *ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum non in unum: nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur.* Eumdem morem his etiam temporibus Occidentales ſervant, hæc eoim in Romano rituali Parochis præſcribuotur, *Tunc Sacerdos accipiat puerum diligenter, & baptizet eum ſub trina immerſione, Sanctiſſimam Trinitatem ſemel invocans, vel effundendo aquam ſuper caput pueri ſecundum conſuetudinem loci illius, dicendo, Petre Ego te baptizo in nomine Patris, †, & ſemel immergat, & Filii, † & ſecundo immergat, & Spiritus ſancti, Amen, † & tertio immergat.* Obtioet quoque couſuetudo, de qua agitur, apud Orientales: hæc quippe in Euchologio, quo utuntur, legere eſt; *Baptizat eum Sacerdos ... hac forma verborum, Baptizatur ſervus Dei N. in nomine Patris, Amen, & Filii, Amen, & Spiritus ſancti, Amen. Singulis appellationibus deducens eum, & educens.*



QUÆSTIO QUARTA.

De Baptiſmatis forma.

TRia erunt hojuſce quæſtionis capita. In priore varias baptiſmatis formulas, quibus olim hæretici uſi ſunt, recenſebimus. In altero dicemus de forma, qua Græci utuntur. In tertio denique de ea diſputabimus, quæ a Latinis adhibetur.

CAPUT PRIMUM.

Variæ hæreticorum in baptiſmate conferendo formæ recenſentur.

NON unus, ſed multiplex circa baptiſmatis formulam extitit hæreticorum error.

1. Prioribus Eccleſiæ ſæculis, in tribus patribus, & in tribus filiis, ac in tribus paracletis nonnulli hæretici catechumenos baptizarunt: eorum nomina in Eccleſiaſticis quidem monumentis non recenſentur, ſed praxis damnatur, ut canone 49. Apoſtolico videre eſt. Damnat quoque, utpote nondum ſæculo 6. peoitus extinctam, Vigilius Papa Epiſt. 2. cap. 6. obi ſic loquitur; *Si quis Epiſcopus, aut Preſbyter juxta præceptum Domini non baptizaverit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſed in una perſona Trinitatis, aut in duobus, aut in tribus Patribus, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, projiciatur de Eccleſia Dei.*

2. Marcitæ, a Marco Valentini diſcipulo, ſic (Ireneo teſte, lib. 1. adverſus hæreſes cap. 19.) baptiſmum conferebant; *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine deſcendentis Jeſu ad unctionem, & redemptionem, & communionem virtutum.* Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum hiſce verbis eamdem Mareitarum in conferendo baptiſmate formam refert, *Tingentes autem eos, quos decipiunt, dicere ſolent: In nomine ignoti Patris univerſorum, in veritatem matrem omnium, & in Jeſum, qui deſcendit ad unionem, & redemptionem, communionemque poteſtatum.*

3. Paulianiſtæ, a Paulo Samoſateno, qui perſonas in SS. Trinitate noo diſtinguebat, ſic appellati, irrita, & vana quadam inter baptizandum formula utebantur: non euim ob aliud, qui fuiſſeot ab ipſis tincti, & canone 19. primæ Synodi Nicænæ iterum baptizari juſſi ſunt.

4. Nooonlli Cataphrygæ (ita vocabantur Montano adhærentes, eo quod in Phrygia præſertim emineret) baptiſmatis formam corruperaut. Id colligitur 1. ex canone 8. Laodiceui Concilii, ubi hæc habeutur; *Eos, qui convertuntur ab hæreſi, quæ dicitur Cataphrygarum, ſeque in clero conſtitutos exiſtimant, quamvis magni dicantur, hujuſmodi cum omni diligentia catechizari oportet, & baptizari ab Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis, & Presbyteris.* Colligitur 2. ex 7. canone prioris Concilii Conſtantinopolitani, *Montanidas* (inquit) *quos nunc Phrigas dicimus ..., ut paganos recipimus.* Non eſt ab omui veriſimilitudiue alienum, aliquos ex iis hæreticis baptiſmum contuliſſe in nomine Patris, & Filii, & Montani, quem Paracletum eſſe prædicabant. Id innuere videtur Gregorius Magnus lib. 9. Regiſt. Epiſt. 61. ad Quirinum Epiſcopum, ubi hæc ſcribit; *Hi hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, ſicut Bonoſiaci, & Cataphrygæ, quia & illi Chriſtum Dominum non credunt, & iſti Spiritum-Sanctum perverſe ſenſu eſſe parvum quemdam hominem Montanum credunt ... cum ad ſanctam Eccleſiam veniunt, baptizantur.*

5. Photinianos in baptiſmatis formula peccaſſe probant hæc verba eanonis 16. alterius Concilii Arelatenſis, *Photinianos, ſive Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportet.*

6. Nonnullos Afros forma a Chriſto præſcripta initio quarti ſæculi, uſos non fuiſſe Patres prioris Concilii Arelatenſis ſupponere videntur: hoc enim ferunt decretum canone 8. *De Afris, qui propria ſua lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hac hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum, & ſi perviderint in Patre, & Filio, & Spiritu-Sancto eum eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum-Sanctum.*

Quæres, quinam hæretici Afrorum nomine, 8. Arelatenſi canone intelligantur?

Reſpondent nonnulli, intelligi Arrianos; favet Binius, qui pro hac voce; *Afris*, legit *Arrianis*;

Sed

Sed vera non est ea responsio. Primò enim eo tempore, quo prima Arelatensis Synodus contra Donatistas habita est, anno nimirum 314. nondum Ariana de Verbi natura hæresis se prodiderat; pauloenim ante primum Concilium Nicænum anno 325. habitum exorta est. 2. Ex Innocentio Papa I. sub finem quarti sæculi, Arriani passim baptismatis formam non corruperant. 3. Alterum Concilium Arelatense datum ab eis baptisma ratum esse definit; canone scilicet 17. hæc habentur: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arrianos baptizari in Trinitate manifestum est, cum Chrismate in Ecclesia recipi sufficit*. Advertendum est tempore Gregorii Magni, Bonosiacos aliam usurpasse formam ab ea, qua tempore secundi Arelatensis Concilii utebantur. 3. Idem ex Gregorio Magno infertur, sic enim habet laudatus Pater lib. 9. Regist. Epist. 61. ad Quirinum, & cæteros Catholicos Iberiæ Episcopos, *Arrianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti Chrismatis Oriens reformat*. 4. Denique eadem veritas evincitur ex canone 7. primi Concilii Constantinopolitani, eo quippe canone Arriani opponuntur Montanistis, & Sabellianis, quos idem canon redeuntes ad unitatem baptizari præcipit.

Nec huic assertioni repugnat Athanasius oratione tertia contra Arrianos, ubi contendit suo tempore eos hæreticos in nomine Creatoris, & creaturæ suos catechumenos tingere solitos fuisse; nam eo non tendit illa S. Doctoris sententia, ut significet, Arrianos suum de Verbo errorem Athanasii ætate expressisse in baptismatis formula, sed hoc unum innuit, illos revera in nomine creaturæ baptizasse, cum filium, seu Verbum, cujus nomen in baptismatis forma exprimebant, non Deum, sed meram creaturam esse, blasphemarent.

Confutata igitur solutione, de qua hactenus respondendum est octavo canone primi Concilii Arelatensis, *Afrorum* nomine intelligi, Novatianos, Donatistas, cæterasque pestes, quæ in Africa præsertim grassabantur, & a quibus iterum baptizabantur, qui a Catholicis deficiebant. Prohibet itaque canon, ne hæretici, quemcumque profiterentur errorem, redeuntes alio consecrarentur baptismate, si in hæresi per expressam, ac distinctam Trinitatis invocationem initiati fuissent.

7. Eunomiani baptismum conferentes SS. Trinitatis personas non exprimebant: ut enim jam superius observatum fuit, hæc de Eunomio, a quo nomen sortiti sunt, Theodoretus scribit libr. 4. hæreticarum fabularum cap. 3. *Idem sancti etiam baptismatis legem olim a Domino, & Apostolis traditam evertit, & contrariam sanxit, non oportere dicens ter illum immergere, qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, sed semel baptizare in Christi mortem*.

8. Apud Lutheranos, & Zuinglianos Evangelicis quidem verbis baptisma confertur: unde datum ab eis Sacramentum Ecclesia Catholica semper probavit: Sed duplicis illius sectæ Coriphæi ea docuerant, quæ si ad praxim reducerentur, baptismatis veritatem tollerent omnino. Et sane Lutherus libro de captivitate Babylonica cap. de Baptismo, asserit valere baptisma quibuscumque verbis conferatur, modò tamen non in nomine hominis, sed in nomine Domini detur. Zuinglius in libro de vera, & falsa religione conceptis terminis docet certam verborum prolationem non requiri, ut Sacramentum valeat. Aberrarunt haud dubiè ii Sectarii, sed nihil protulerunt in medium, quod cum principiis synagogæ, cui præfuerunt, repugnet: neque enim (ut suo ostendemus loco) Christum in conferendo baptismate aliquorum verborum prolationem imperasse demonstrari potest ex Scriptura, quam unam fidei, & morum regulam esse contendunt.

Caput Secundum.

De forma, qua Græci inter baptizandum utuntur.

QUÆ ad usurpatam a Græcis baptismi formam pertinent ad tria claritatis, ac methodi causa reducemus: quæremus nimirum 1. quibus ex terminis constet? 2. an perantiqua sit? 3. an Sacramentum ea datum valeat?

Articulus Primus.

Quibus ex terminis constet Græcorum baptismatis formula?

CONclusio, Forma, qua Græci baptisma conferunt, his terminis constat; *Baptizatur servus, vel serva Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Amen.*

Probatur 1. ex Joanne Moscho, qui vitam ineunte septimo sæculo agebat: is formam, de qua in conclusione, Prati sui spiritualis cap. 176. indicare videtur. 2. Non aliam tradit Arcudius, Græcorum rituum peritissimus. 3. Euchologia, quibus Græci utuntur non aliam ministro baptizanti præscribunt. Ea Græcorum Euchologia apud Goarium Dominicanum legere est.

Objicies. S. Thomas, multique post illum Scholastici, imo & Eugenius IV. in decreto, quod post habitam Synodum Florentinam anno 1439. pro Armenis edidit, affirmant, formulam, qua in conferendo baptismate Græci utuntur, esse hujusmodi; *Baptizetur servus Dei N. in nomine Patris, &c. vel baptizatur manibus meis N. in nomine Patris, &c.* Ergo &c.

Resp. baptizandi ritum a Græcis adhiberi solitum ante S. Thomæ tempora multos Latinos Scriptores latuisse. mirum igitur non est quod Eugenius Papa IV. cum suum pro Armenis decretum edidit, rem quæ facti est, ex illis authoribus supposuerit.

Articulus Secundus.

Num perantiqua sit Græcorum batismatis formula?

CONclusio. Perantiqua est, quæ a Græcis adhibetur, baptismatis formula.

Probatur 1. Euchologia a mille annis, & amplius exarata formulam, de qua est quæstio, conceptis terminis referunt. 2. Ætate Chrysostomi, ideft desinente quarto sæculo, apud Orientales jam obtinuisse videtur: ad eam enim (inquiunt nonnulli) allusit laudatus Pater homilia 1. in Acta Apostolorum, ponderans illam Christi ad Apostolos sententiam, *Baptizabimini Spiritu-Sancto*, quippe qui sic loquatur; *Non dixit Christus: Vos vero ego baptizo in Spiritu-Sancto, sed baptizabimini, nos docens, ut modeste de nobis sentiamus*.

Quæres, cur Græci personam ministri in ea, qua utuntur baptismatis formula, non exprimant?

Resp. apud Græcos multiplici de causa illum morem invaluisse: 1. usurpatus fuit, ne Novatiani, quorum hæresis plures pervaserat Orientis regiones, ex ministri in forma baptismatis expressione impium, quod profitebantur, dogma concluderent, ministri scilicet fidem requiri, ut Sacramentum ab eo collatum valeat. Nec cuiquam mirum videri debet, quod Patres Græci illud periculum timuerint, cum ritus vel sanctissimos in sui erroris patrocinium hæretici detorquere conentur, ut patet in Arrianis, qui in Hispania, tempore Gregorii Magni, triplici immersione abutebantur, ut triplicem in Divinis substantiam adstruerent. 2. Praxim, de qua agitur, amplexi sunt Græci, quod eam proprius accedere judicaverint ad exemplum Apostolorum, & ipsius etiam Christi, quem sic baptizasse putarunt.

ARTICULUS TERTIUS.

An valeat Græcorum baptismatis forma.

Conclusio. Valet: quæ a Græcis adhibetur, Baptismatis forma.

Probatur 4. argumento Scholastico. Ea Græcorum forma actionem externam, quam minister operatur, ablutionem scilicet, exprimit: causam quoque præcipuam, quæ interius baptizat, Trinitatem nimirum, designat: præterea per distinctam trium personarum invocationem ejusdem SS. Trinitatis explicitam fidem complectitur.

Probatur 2. tum ex usu Ecclesiæ Catholicæ, quæ forma, de qua est quæstio, tinctos iterato tingere non solet: tum authoritate Eugenii Papæ IV. qui eamdem Græcorum formam in suo pro Armenis decreto probavit, hæc enim habet: *Non negamus, quin & per illa verba, Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, &c. vel Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris, &c. verum perficiatur baptisma*: quæ quidem verba eumdem sensum patiuntur, ac ea, quibus Græcos multis ab hinc annis, uti superius fuit observatum, utuntur.

Quæres, an deprecative, aut imperative verbum, *Baptizetur*, sumant ii Scholastici, qui illud in Græcorum forma reperiri contendunt?

Resp. 1. eam quæstionem, quam nonnulli Scholastici in utramque partem fusius versant, omnino esse inutilem, cum (ut probavimus) verbo, *Baptizetur*, Græci Sacramentum conferentes non utantur. Respond. 2. S. Thomam verbum, de quo agitur, imperativo modo a Græcis proferri censuisse: unius enim Extremæ unctionis formam deprecativam esse voluit. Eam Doctoris Angelici sententiam aliqui ex eo confirmant, quod verbum, *Baptizetur*, deprecative sumptum, externam catechumeni ablutionem non significet, neque enim minister Deum exorat, ut catechumenum exterius abluat; denotat igitur (inquiunt) internum, ac spiritualem baptismatis effectum; proindeque actio sacramentalis, quæ in externa per ministrum ablutione posita est, in Græcorum forma non exprimeretur, quæ tamen, ex iis Theologis, sub Sacramenti periculo exprimatur oportet.

CAPUT TERTIUM.

De forma Baptismatis apud Latinos.

Circa eam, qua Latini inter baptizandum utuntur, formulam tria subjiciemus examini. Quæremus 1. quænam sit? 2. Utrum ii termini, quibus ablutio externa exprimitur, sint necessarii, ut Sacramentum valeat? 3. An expressa, & distincta trium SS. Trinitatis personarum invocatio Baptismo sit essentialis?

ARTICULUS PRIMUS.

Quænam sit apud Latinos Baptismatis forma?

Conclusio. Apud Latinos Baptismatis forma his constat terminis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*.

Probatur 1. Eam formam Eugenius Papa IV. in suo pro Armenis decreto recenset. 2. Romanum rituale Pauli V. jussu editum illam baptismatis ministro præscribit. 3. Ecclesia Occidentalis nulla alia in baptismate conferendo utitur.

Quæres, an ea Latinorum baptismatis formula sit multum antiqua?

Respondent nonnulli, dubium esse, an ea formula secundum id, quod dicit absolutum, & prout ministri personam appellat, nempe secundum hæc verba, *Ego te baptizo*, quinque prioribus sæculis fuerit in usu: 1. enim (inquiunt) quamvis multi Patres iis sæculis de baptismate scripserint, nulli tamen verborum, de quibus agitur, meminere: 2. vix eum loquendi modum cum quibusdam Augustini sententiis stare posse contendunt: Et sane (ajunt) postquam S. Doctor in libro quinquaginta homiliarum sermone 23. observavit, Christum mulieri peccatrici dixisse; *Dimittuntur peccata tua*, non autem, *Dimitto tibi peccata tua*, asserit ea loquendi ratione, Christum usum fuisse, ut futuris Sacramentorum ministris præberet exemplum modestiæ in eo positæ, quod nec actionem suam, nec se ipsos in Sacramentorum confectione, aut dispensatione nominarent. *Medicus bonus* (inquit S. Pater) *ægros non solum præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, Ego justifico, Ego sanctifico, Ego sana quemcumque baptizo*. Eo textu Sanctus Augustinus omnes absolutas, saltem in prima persona, Sacramentorum formas excludere videtur, proindeque & istam formulæ baptismatis partem, *Ego te baptizo*.

Respondemus nos ad quæstionem, exploratum esse Latinorum baptismatis formulam, etiam quoad verba absoluta, *Ego te baptizo*, quibus in prima persona actio ministri exprimitur, ante sæculum septimum in Ecclesiis Occidentalibus tritam extitisse: Et vero illam iisdem terminis conceptam Gregorius in suo Sacramentario refert, nec eam, quasi recens esset, imperat, sed tamquam ritum apud Latinos usu communi receptum describit: eam quoque legere est in Ordine Romano, qui paulo post Gregorium in lucem prodiit.

ALTICULUS SECUNDUS.

Utrum hæc verba, Ego te baptizo, *sint necessaria, ut Sacramentum valeat?*

Conclusio. Expressio ablutionis, aut in prima, aut in tertia persona necessario requiritur, ut Baptismus valeat. Unde qui hæc verba, *Ego te baptizo*, aut hæc alia Græcorum, *Baptizatur servus Dei*, vel æquivalentia non proferret, sed his tantum, *In nomine Patris, &c.* uteretur, integrum, ac verum baptisma non conferret.

Probatur ex Alessandro Papa III. *Extra de Bapt. & ejus effectu Cap. si quis*; ubi sic loquitur, *Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen, & non dixerit, Ego te Baptizo, puer non est baptizatus*.

Objicies. Voces istæ, *Ego te baptizo, vel baptizatur talis*, aut aliæ, quæ æquivaleant, a Christo imperatæ non fuerunt: neque enim hac Christi apud Marcum sententia: *Docete omnes Gentes baptizantes eos, &c.* baptismi ministris præscribitur, ut dicant: *Ego te baptizo*, sicut nec cum docent, injungitur ut dicant, *Ego vos doceo*, quippe qui Salvatoris mandato faciant satis, modo doceant, & abluant, quamvis dum actu docent, aut abluunt, se abluere, aut docere, verbis non exprimant.

Confirmatur 1. argumento petito a simili. Cum Elizeus servo suo in mandatis dedit, ut mortui infantis ori baculum admoveret, istorum, aut similium verborum prolationem, *Mortui infantis ori baculum admoveo*, ei præcepisse non censetur: Ergo neque Christus injunxit, ut hæc verba, *Ego te baptizo*, a ministris proferrentur, cum eos post resurrectionem sic allocutus est: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

Confirmatur 2. ex eo, quod antiqui Patres non videantur judicasse verba, de quibus agitur, ad Sacramentum absolute requiri. De invocanda SS. Trinitate litem hæreticis intentarunt sæpissime, ac baptismum absque ea collatum, irritum esse, ac inane deinierunt: Sed disputarunt numquam, an ablutio exterior verbis istis, aut æquivalentibus, *Ego te baptizo*, exprimi deberet: imo nullo prorsus monumento Latinos iisdem verbis ante sæculum sextum usus fuisse demonstrari potest.

Confirmatur 3. ex eo, quod postquam termini isti, *Ego te baptizo* in Sacramentariis, & Ritualibus descripti fuerunt, ac ministris injuncti, non omnibus autho-

authoribus ad Sacramenti substantiam pertinere visi sint. Id scilicet negarunt antiquiores Scholastici Sorbonici: inter eos Præpositivus quarta parte summæ Theologicæ hæc ait, *Quæri solet, utrum verba hæc:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *sufficiant; an hoc verbum*, Baptizo, *sit de substantia Sacramenti? Magistri nostri omnes dixerunt, quod hoc sufficit, in nomine Patris, &c.* Petrus Cantor aliquibus ante Præpositivum annis idem docuit: in summa siquidem de Sacramentis, & animæ Consiliis, quæ Parisiis in Bibliotheca Victoriana extat manuscripta, hæc folio 156. parte 2. leguntur; *Utrum Prolatio hujus verbi*, Baptizo, *sit de substantia Sacramenti, an sufficiat dicere*, In nomine Patris, &c. *non est apud Doctores definitum; juxta institutionem tamen Evangelicam editur*, Baptizantes eos in nomine Patris, &c. *Ostenditur quid facere debeant in invocatione istorum nominum: unde videtur nihil aliud exigi ad formam.* Idem ex Hugone a S. Victore colligitur, lib. 2. part. 6. cap. 13. de Sacramentis fidei, ubi intentionis in ministro necessitatem negantes exagitat, hoc absurdum ex adversariorum principio concludit, *Posui parvulum meum in aquam, sed quia volui ut bene cresceret, & prodesset, dixi forte in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Tu venis, & dicis, quod baptizatus est filius meus.* Post Hugonem a S. Victore, qui anno 1140. obiisse legitur, Petrus Lombardus Parisiensis Episcopus circa annum 1164. Sententiarum libros conscripsit. Lib. 4. Dist: 3. litera B, agit de Baptismatis forma; invocationis quidem SS: Trinitatis meminit, sed de his, de quibus agitur, terminis, *Ego te Baptizo*, altum est apud eum Doctorem silentium; *Sed quod est* (inquit) *illud verbum, quo accedente ad elementum fit Sacramentum?* Si absque his vocibus, *Ego te Baptizo*, Sacramentum perfici non credidisset, eas haud dubie baptismi formam describens retulisset; at non refert tamen, sic enim propositam sibi quæstionem solvit. *Veritas te docet, quæ hujus Sacramenti formam tradens ait discipulis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Invocatio igitur Trinitatis verbum dicitur, quo baptisma consecratur, & hæc forma verborum, sub qua traditur baptismus.* Paulò ante Magistri Sententiarum mortem, anno nimirum 1159. Petrus Claramontanus Episcopus Stephanum Tornacensem consuluit de puero, quem pater, urgente necessitatis casu his solis verbis usus; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, in aquam immerserat: ratum, ac integrum Stephano visum est illud baptisma. Ex relatis hactenus scriptoribus baptismi formam ex his verbis, *Ego te Baptizo*, substantialiter non constare colligitur.

Respond. ad argumentum, propter propositas in objectione rationes nonnullis Theologis persuasum esse ante decretum Alexandri Papæ III. qui anno 1181. fato functus est, imò & antequam illud decretum a S. Raymundo relatum esset in jus Canonicum Romæ sedente Gregorio Papa IX. qui obiit anno 1241. persuasum (inquam) esse verba ista, *Ego te Baptizo*, aut alia æquivalentia, quæ externam catechumeni ablutionem exprimant, non fuisse necessaria, ut Baptismus valeret. Sed modo (ajunt) absolutè requiruntur, eo quod summus ille Pontifex, cui omnes Ecclesiæ subscripserunt, decernere potuerit, ut Sacramentum antea absque his verbis, *Ego te Baptizo*, valide celebratum, deinceps prætermissa eorum prolatione non valeret. Simile quidpiam (inquiunt illi anthores) in Sacramentis matrimonii, & pœnitentiæ contigit; appositæ nimirum fuere conditiones, quæ si non serventur, non valebit pœnitentia, non stabit matrimonium.

Nec obstat (addunt) hæc propositio ab Inquisitoribus Romanis coram Alexandro Papa VIII. damnata die 7, Decembris anno 1690. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus in nomine Patris, &c. prætermissis illis, Ego te baptizo*, quippe quæ (ajunt) intelligatur de locis, ubi leges Ecclesiasticæ prolationem horum verborum, *Ego te baptizo*, formæ baptismatis tamquam conditionem, *sine qua non*, apposuerant, quemadmodum in Absolutione sacramentali modum absolutum multis ab hinc sæculis apud Latinos eas apposuisse certissimum est.

Sed, an veritate nitatur ea solutio necne, viderint autores, ad quos spectat; nobis hoc unum definiisse satis est, scilicet non valere baptisma absque his verbis, *Ego te baptizo*, aut æquivalentibus collatum. Cum autem protulimus argumenta, quibus aliqui Scriptores adducti fuerunt, ut crederent ratum olim fuisse idem Sacramentum his solis verbis confectum, *In nomine Patris, &c.* historici non vero Theologi partes egimus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum expressa, & distincta invocatio trium personarum SS. Trinitatis Baptismo sit essentialis?

Circa quæstionem, de qua agitur; non una fuit Doctorum, etiam Catholicorum, sententia.

1. Magister sententiarum censuit unius e personis Sanctissimæ Trinitatis invocationem satis esse, ut baptisma valeat. *Nihilominus* (inquit lib. 4. Sent. Dist. 3. litera E.) *insinuari videtur verum baptisma dari posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti tantum, si tamen ille, qui baptizat fidem Trinitatis teneat .... Tutius est tamen tres personas ibi nominare, ut dicatur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

2. Sanctus Thomas docuit, ratum fuisse baptisma ab Apostolis datum solius Christi invocato nomine: contendit nempe Sanctus Doctor cum eis divinitus dispensatum fuisse, ut Christi nomen apud eos commendarent, qui tunc religionem Christianam amplectebantur, *Ad primum ergo dicendum* (ait 3. part. quæst. 66. art. 6.) *quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant.*

3. Cajetanus scripsit, his etiam temporibus, valere baptismum in nomine Christi collatum, non appellatis aliis Sanctissimæ Trinitatis personis. Iis de difficultatibus mentem nostram triplici aperiemus conclusione,

Conclusio 1. Opinio, quæ asserit Apostolos non baptizasse in solius Christi nomine multa probabilitate nititur.

Probatur 1. authoritate Scripturæ. Actorum 19. cum quidam Paulo dixissent; *Neque si Spiritus sanctus est, audivimus*; subjunxit Paulus: *In quo ergo baptizati estis?* Quibus quidem verbis, etiam Pauli tempore, in ipsa baptismatis forma Spiritus sancti nomen invocatum fuisse significatur: ut quid enim quæsivisset, num in Spiritus sancti nomine baptizati fuissent ii, quos alloquebatur, si tunc temporis Apostoli in baptismatis forma Spiritus sancti personam expresse non appellassent.

Probatur 2. ex Traditione, quæ nostræ conclusioni aperte favet.

Cyprianus in Epistol. ad Jubajanum conceptis terminis asserit, Christum Apostolis præcepisse, ut in conferendo baptismate tres Sanctissimæ Trinitatis personas invocarent; *Denique* (ait) *ubi post resurrectionem Domini Apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizari Gentiles jubentur.* Eo Christi mandato nixus S. Martyr eorum opinionem rejicit, qui baptismum in nomine Jesu collatum valere contendebant; *Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Ecclesiam modo in nomine Jesu Christi, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse: cum ipse Christus Gentes baptizare jubeat in plena, & adunata Trinitate?*

Augustinus non minus aperte nobis favet: libro 3. contra Maximinum Arrianorum Episcopum cap. 17. solvit propositum ab illo hæretico argumentum contra Spiritus sancti Divinitatem: hujusmodi autem erat illud argumentum: Scriptura non asserit per Spiritum sanctum omnia facta fuisse: ergo non est creator, proindeque nec Deus; *Dicis & in persona Spiritus sancti non posse suscipi, quod de Filio dictum est; Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; & hoc ideo dicis, *ut quibus potueris persuadeas ... Spiritum sanctum*

ctum non esse creatorem. Augustinus negat conseq. eo quod, si valeat, sequeretur absurdum, nempe, Petrum non baptizasse in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; neque enim id asseritur in scriptura, sed hoc unum, scilicet; quod in nomine Domini nostri Jesu Christi baptizaverit; *Si autem, quia non est nominatus*, Spiritus Sanctus, *quod etiam per illum facta sit creatura, quando de Filio dictum est*; Omnia per ipsum facta sunt, *ideo putas Dei Spiritum non esse creatorem, procul dubio nec in ejus nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus*: Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi, *quia non ait, & Spiritus sancti: nec in Patris nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; & tamen non intelliguntur baptizari, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cur non sic audis de filio Dei*, Omnia per ipsum facta sunt, *ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum sanctum*.

Probatur 3. conclusio ratione Theologica. Fatentur adversarii, Christum baptismi ministris injunxisse, ut in illius Sacramenti forma distincte Trinitatem exprimerent. Addunt autem, Apostolos ideo non servasse illam legem, quod cum eis divinitus dispensatum fuerit; atqui non multi ponderis esse videtur ea ratio: Primo enim nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Patribus, dispensationis, ad quam confugiunt, aliquod vestigium reperire est. Nulla fuit causa, cur Christus Apostolos ab ea lege eximeret; quasi vero majestati nominis Christi satis consultum non fuisset, nisi solum appellatum fuisset in baptismate, quod ejus authoritate Apostoli conferebant.

Objicies. Constat ex multis Actorum locis Apostolos in nomine Christi baptismum contulisse; *Baptizetur unusquisque vestrum* (inquit Petrus 2. cap.) *In nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum*. De iis, qui Philippo Diacono Evangelizanti apud Samaritanos crediderant, hæc habentur cap. 8, *In nomine Jesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres*. Capite 10. Gentiles, qui crediderant, Petrus *jussit baptizari in nomine Domini Jesu Christi*. Capite 19. nonnullis, quos Joannes abluerat, Paulus aliud baptisma conferri voluit, sed unius Christi invocato nomine, *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu*: Iis sacræ Scripturæ textibus, ubi agitur de baptismate ab Apostolis collato, ne verbum quidem est, ex quo eos distincte & expresse Trinitatem invocasse colligatur, e contra iidem textus unius Christi nominis meminerunt. Ergo fictitia non est dispensatio, quam aliqui Apostolis concessam fuisse putant, ut prætermissa, quam Christus imperarat, Trinitatis invocatione, baptismum in solius Jesu nomine conferrent.

Resp. 1. ex iis locis, quæ in argumento relata fuerunt, non elici quidem Apostolos baptizantes Trinitatem appellasse; sed nec contrarium infertur. Neque enim unius Christi invocatione, cujus Acta meminerunt, aliarum personarum invocatio excluditur: ergo ex iis textibus Apostolos in solius Jesu nomine catechumenos tinxisse concludi non debet, cum aliunde, Matthæi nempe cap. 28. constet distinctam trium personarum appellationem eis præscriptam fuisse.

Confirmatur responsio 1. authoritate Cypriani, a quo conceptis terminis in epistola ad Jubajanum traditur, *Jesu Christi* (inquit S. Martyr) *mentionem facit Petrus* (Actorum 2. dum ait: baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi) *non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. 2. Eidem responso robur additur ex Augustino lib. 3. contra Maximinum Arrianum cap. 17. quippe qui (ut supra ostensum est) eos, quos Lucas refert baptizatos fuisse in nomine Domini Jesu, ab Apostolis per invocationem SS. Trinitatis tinctos fuisse explicite asserat.

Resp. 2. Hæc verba, *In nomine Domini Jesu*, quibus solis adversariorum systema nititur, de baptismatis forma non intelligi, sed de ipso baptismate adæquate sumpto, seu prout materiam, & formam complectitur, ita ut sensus sit, eos, de quibus Lucas agit. baptismo Christi initiatos fuisse, seu baptismo, quem Christus instituit; qui illius authoritate confertur, qui ex illius meritis remissionem peccatorum operatur,

Conclusio 2. Nec sæculis, quæ Apostolorum mortem subsecuta sunt, valuit, nec his temporibus valet baptisma in solo Christi nomine collatum. Est Sancti Thomæ, cui tamen Cajetanus refragatur.

Probatur 1. Apostoli (ut ostendimus superiori conclusione) baptisma in solo Christi nomine non contulerunt. 2. Etiamsi detur baptisma ab Apostolis in solo Christi nomine collatum valuisse; inde tamen ipsum post Apostolorum mortem ratum fuisse, concludi non potest; iis quippe solis concessa fuerat dispensatio, ut omissa Trinitatis invocatione, unum in conferendo baptismate Christum appellarent. 3. Canone quinquagesimo ex iis, qui Apostolis tribuuntur, irritum declaratur Sacramentum datum in mortem Domini. 4. Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum cap. 3. inter Eunomii errores hunc recenset, quod non in Trinitatem, sed in Christi mortem baptisma dari debere contenderet. Ergo Patres Orientales primi, secundi, tertii, & quarti sæculi, qui veri sunt illorum canonum authores, judicarunt, Christi invocationem satis non esse, ut baptismus valeat. Sequenti conclusione multa proferentur petita ex traditione loca, quibus distinctæ trium personarum appellationis necessitas invictissime colligitur.

Objicies authoritatem Nicolai Papæ 1. Is capite, *A quodam Judæo*, de Consecrat. Distin. 4. sic de multis a quodam Judæo apud Bulgaros baptizatis respondit; *Hi profecto si in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in actis Apostolorum legimus, baptizati sunt: unum quippe, idemque est, (ut S. exponit. Ambrosius) constat eos non esse de novo baptizandos*. Eo ex loco patet 1. Nicolaum Papam de solo Christi nomine intellexisse Scripturæ textus, ubi asseritur, Apostolos baptizasse in nomine Domini Jesu. 2. Ipsi ratum fuisse baptisma sic Apostolis collatum. 3. valere & illud, quod post Apostolorum mortem, solo ejusdem Christi invocato nomine confertur, eadem prorsus ratione, qua integrum est datum in nomine Trinitatis: sub disjunctione enim Nicolaus Papa loquitur, *Si in nomine Trinitatis*, (inquit) *vel in nomine Christi*.

Resp. laudatum Nicolai decretum vim habere tantum pro baptismatis ministro, seu quatenus baptisma a non baptizato datum, valere definit; non autem pro ejusdem baptismatis forma, de qua a Bulgaris consultus non fuerat, ut hæc capituli verba perlustranti patebit; *A quodam Judæo nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis*. Nec mirum videri debet, quod Nicolai decretum de baptismate, in quo non Trinitas, sed solum Christi nomen invocatur, Ecclesiæ non admiserint: nam apud omnes Theologos, & Canonistas constat SS. Romanum Pontificem ab omni erroris suspicione alienum non esse, cum de iis disserit, de quibus obiter tantum, & non ex professo tractat.

Conclusio 3. Nusquam valuit, nec valet modo baptismus sine expressa, & distincta trium personarum SS. Trinitatis invocatione. Est contra Magistrum Sententiarum.

Probatur 1. Non unius tantum, sed trium SS. Trinitatis personarum invocationem Christus Apostolis, eorumque in Sacramentorum administratione futuris successoribus injunxit; *Baptizantes eos in nomine Patris. &c.*

2. Patres, qui prioribus sæculis vixere, eamdem distinctam trium personarum invocationem sub Sacramenti periculo adhibendam esse definierunt.

Tertullianus libr. de Baptismo ad eam Trinitatis invocationem his verbis alludit; *Angelus baptismi arbiter superventuro Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obsignata in Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Nam si in tribus testibus stabit omne verbum Dei, quanto magis donum habemus* bene-

benedictionem eosdem arbitros fidei, quos & sponsores salutis sufficit ad fiduciam spei nostræ etiam numerus nominum Divinorum. Cum autem sub tribus, & testatio fidei, & sponsio salutis pignerentur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio, quoniam ubi tres, idest Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est. Eo Tertulliani textu patet 1. Catechumenos, dum baptizarentur, solitos fuisse edere fidei professionem in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. 2. Expresse appellata fuisse a baptismatis ministro tria personarum SS. Trinitatis nomina, quibus idem minister obsignaret catechumenorum fidem, ac eorum salutis sponsores exhiberet.

Cyprianus (ut ex dicendis de baptismi ministro liquebit) & suo, & Stephani Papæ nomine, quem in rebaptizatione passus est adversarium, baptisma irritum esse supposuit, nisi per expressam trium personarum invocationem traditum fuisset.

Concilium Arelatense primum anno 314. in causa Donatistarum habitum; districte præcepit, ut hæretici in Ecclesiæ Catholicę sinum redeuntes diligenter interrogarentur, num extra Ecclesiam per distinctam trium personarum invocationem baptizati fuissent, *Si perviderint* (inquit canone 8.) *in Patre, & Filio, & Spiritu sancto* (qui credit) *esse baptizatum, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Ipsis etiam cæcis patet laudatæ Synodo baptismum non datum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti ratum non fuisse.

Innocentius Papa I. desinente quarto Ecclesiæ sæculo idem, quod secundo, & tertio, Tertullianus, & Cyprianus docuerant, aperte definit: scilicet Epistola ad Macedoniæ Episcopos conscripta docet cap. 5. ideo Concilium Nicænum jussisse, ut iteraretur datum a Paulianistis baptisma, non autem collatum a Novatianis, quod illi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti suos catechumenos non abluerent, hi vero, inter baptizandum sanctissimis illis nominibus uterentur.

Baptismus (ut alias fuit observatum) est Sacramentum fidei, quam potissimum Trinitatis professione contineri demonstratur ex Symbolo, cujus præcipui articuli sunt, *Credo in Deum Patrem; In Filium ejus; In Spiritum sanctum.* Ergo oportuit, ut Trinitas in ejusdem baptismatis collatione distincte per singulas personas exprimeretur. Augustinus ad eam rationem attendens, libro 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 25. sic loquitur; *Quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus Symbolum constat, illic defuerint.* Quænam autem sint Evangelica verba lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 15. his verbis aperit; *Si Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum.*

3. Scriptores, qui a sæculo 6. huic usque vixerunt præcedenti traditioni adhærentes trium personarum SS. Trinitatis distinctam invocationem baptismo essentialem esse judicarunt.

Gregorius Magnus, dum in suo Sacramentario baptismatis ritum describit, invocationem de qua agitur, conceptis terminis refert: præterea lib. 9. Regist. Epist. 61. ad Quirinum expresse definit, hæreticos, qui in Trinitatis nomine non baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam veniunt, iterum esse baptizandos.

Capitularia authoritate Caroli Magni promulgata, non semel ejusdem invocationis meminerunt. Sæculo 12. disputatum quidem fuit inter Scholasticos num ratum esset baptisma absque his verbis, *Ego te baptizo*, collatum; sed, paucis exceptis, omnes convenerunt irritum fore, si vel unius e Divinis personis nomen in illius forma fuisset omissum.

Sæculo 15. Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum expresse asserit, baptismatis formam his verbis constare; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Concilium Tridentinum definiit ratum esse baptisma ab hæreticis collatum, sed hac præsupposita conditione, quod tres SS. Trinitatis personæ distincte appellatæ fuerint; *Si quis dixerit baptismum* (ait sacra Synodus sess. 7. de baptismo can. 4.) *qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti..: non esse verum baptismum, anathema sit.*

Objicies 1. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. asserit, Eunuchum Candacis reginæ baptizatum in Christo integrum Sacramentum, verumque illius effectum consecutum fuisse; *Denique* (inquit) *& Æthiops Candacis reginæ baptizatus in Christo, plenum mysterium consecutus est.* Argumento ex omissione aliarum SS. Trinitatis personarum petito occurrit, contendens satis esse, ut una inter baptizandum appelletur; *Si unum* (ait) *in sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, plenum est fidei Sacramentum.* Pergit S. Doctor, & quærit num invocato tantum Spiritu sancto, ratum sit baptisma, sicut integrum supponit in uno Christi appellato nomine; *Nunc consideremus* (inquit) *utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis Sacramentum, ita etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem: Sic autem propositam sibi quæstionem solvit. Rationem sequamur: quia, qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum, qui unctus est, Filium, & Spiritum, quo unctus est, designasti.* Iis textibus baptisma; in quo una tantum Trinitatis persona nominatur, Ambrosio fuisse probatum evincitur.

Respondet S. Thomas, Ambrosium censuisse quidem quod in argumentuo objicitur, nempe valere baptisma cum invocatione unius tantum e personis SS. Trinitatis collatum. Addit tamen, S. illum Patrem non debere intelligi de sæculis, quæ Apostolorum tempora subsecuta sunt, sed tantum de primitiva Ecclesia, cui Christus per dispensationem concesserat, ut ejus solo appellato nomine, ratum esset baptisma, *Ad secundum dicendum* (verba sunt S. Thomæ 3. part. quæst. 66. art. 6.) *quod Ambrosius assignat rationem, quare convenienter talis dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia, quia scilicet in nomine Christi tota Trinitas intelligitur. Et ideo servabatur, ad minus integritate intelligibili, forma, quam Christus tradidit in Evangelio.* Sed ea Angelici Doctoris solutio non levibus argumentis impugnari potest. 1. In toto Ambrosii contextu nulla fit mentio dispensationis, quam S. Thomas supponit. 2. Ambrosius indefinite loquitur, ac absolute dicit, ratum esse Sacramentum, ubi una Trinitatis persona appellata fuit: non est ergo, cur ad solum primitivæ Ecclesiæ tempus illius sententia restringatur. 3. Idem Ambrosius eam rationem reddit, quæ quovis sæculo locum habeat, nempe, qui unam personam expresse invocaverit, cæteras implicite nominarit; *Qui unum dixerit, Trinitatem signavit*,

Respondent alii Theologi, quibus subscribimus, Ambrosium non loqui de Baptismate secundum formam sumpto, sed tantum secundum effectum; qui quidem effectus (utpote ad extra) quamvis toti Trinitati conveniat, uni tamen Christi personæ tribuitur; idque juxta tritam in Scripturis consuetudinem, qua Dei operationes, quas Scholastici operationes ad extra vocitant, modo uni, modo vero alteri personæ, aliis non exclusis, sed potius subintellectis, adscribi docemur.

Confirmatur nostra responsio ex scopo, quem sibi in capite 3. lib. 1. de Spiritu sancto, Ambrosius proposuit. Hoc unum S. Doctor habuit præ oculis, ut hocce Macedonianorum contra Spiritus sancti Divinitatem argumentum solveret: Cum agitur de mundi creatione, Patris quidem, & Filii fit mentio; At altum est de Spiritu sancto silentium: ergo Spiritus sanctus non est creator, proindeque nec Deus; *Sed fortasse aliquis dicat, qua ratione cum dixerit hic ex Patre omnia, & per Filium omnia, de Spiritu sancto tacuerit, & hinc cupiat præjudicium comparare.* Illud autem argumentum Ambrosius hoc principio hisque verbis solvit, *Ubi operatio alia Divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus designatur, non solum ad sanctum Spiritum, sed etiam ad Patrem refertur, & Filium; nec solum ad Patrem, sed etiam*

ad Filium refertur, & Spiritum. Ut S. Doctor illius principii veritatem probet, adducit exemplum Eunuchi Candacis reginæ, quem asserit, plenum mysterium consecutum fuisse, idest, non Sacramentum modo, sed etiam rem Sacramenti, seu effectum baptismatis recepisse, quamvis Scriptura eum in Christo, seu Christi operatione, interius baptizatum fuisse asserat.

Objicies 2. A Bernardo probatus fuit Baptismus hac verborum forma collatus, *Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ, & veræ crucis.* Sic enim loquitur, Epist. 340. ad Henricum Archidiaconum, a quo ea de quæstione interrogatus fuerat; *Raptum ex utero puerum ob periculum mortis laicus quidam* (ut dicitis) *baptizavit, communem verborum formam non tenens, sed dicens.* Baptizo te in nomine Dei, & sanctæ, & veræ crucis: *quæritis utrumnam baptizatus sit puer, an magis, si vivit baptizandus. Ego vere hunc baptizatum puto.* Cur in eam abeat opinionem S. Abbas sic edicit; *Nec sonum vocis, veritati fidei, & pietati intentionis præjudicare potuisse. Ut enim taceam, quod in nomine Dei unam expressit substantiam Trinitatis: in eo ipso, quod addidit.* Sanctæ, & veræ crucis, *manifeste commendavit dominicam passionem.* Ergo, ut baptismus valeat, non requiritur, ut tres SS. Trinitatis personæ distincte in illius forma nominentur.

Respondent nonnulli epistolam 340. ad Henricum, Bernardi non esse; sed adeo levibus argumentis nituntur, ut, qui ea proferret in medium, tempus & oleum perderet. Respondemus nos, supposito quod ea epistola sit germanus Bernardi fœtus, S. Abbatem non certo, sed probabiliter tantum censuisse ratum esse baptismum, de quo agitur: *Breviter vobis de proposita quæstione respondemus* (inquit) *sine præjudicio tamen sanius sapientis.* Sed quod probabile duodecimo sæculo Bernardus judicavit, hodie non recipitur a Theologis, qui ad Apostolicam traditionem, ac antiquorum Patrum, ipsiusque S. Augustini authoritatem attendunt.



QUÆSTIO QUINTA,

De Baptismatis Authore.

EX Evangelio constat baptismum, ab ipso Christo institutum fuisse: Sed quæstio est inter Theologos agitari solita, quo præcise tempore id contigerit. Nonnulli opinantur id factum fuisse tantum post Christi resurrectionem. Fatentur alii, ante Christi mortem ipsum quidem institutum fuisse; sed non conveniunt, an id acciderit cum ipse a Joanne baptizatus fuit, an cum ejus necessitatem docuit Nicodemum, an vero cum discipulis Judæos baptizandi provinciam demandavit.

Conclusio 1. Christus ante suam e mortuis resurrectionem Baptismum instituit.

Probatur authoritate, Augustini scilicet. Epistola 108. ad Seleuciam ex his Christi verbis ad Petrum; *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*, infert S. Doctor Petrum baptismo ante Salvatoris mortem initiatum fuisse; *Ubi intelligitur* (inquit) *quod jam Petrus baptizatus fuerat.* Libro de unitate Ecclesiæ, asserit, Judam contulisse verum Christi baptisma; *Cum tantum distaret* (ait cap. 21.) *inter Petrum, & Judam, nihil tamen distabat inter Baptismum qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Judam.*

Objicies 1. Joannes Evangelista expresse asserit, Christum non baptizasse, *quamquam* (inquit cap. 4.) *Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus:* Ergo nemo est, qui Apostolos tinxerit: proindeque corruit argumentum ex baptismo discipulis collato, petitum pro facta Sacramenti baptismatis institutione ante Domini mortem.

Resp. laudata ex Evangelio verba intelligi de plebe, quam quidem Christus non baptizavit: non autem de Apostolis: nec enim putandum est eum noluisse discipulos baptizare, qui etiam ad lavandos eorum pedes sese demisit.

Instabis. Nulla videtur fuisse ratio, cur Christus Apostolos baptizarit: jam enim ex fide, quæ per dilectionem operatur, justitiam fuerant consecuti.

Resp. Christum Apostolos baptismate consecrasse. 1. ut ad Eucharistiæ perceptionem, & ad Sacerdotium Evangelicum eos disponeret. 2. ut futuri gregis forma essent, & exemplum. 3. ne insimulari possent neglecti Sacramenti, cujus necessitatem Judæos, & Gentes ubique erant edocturi.

Objicies 2. Tertullianus docet, baptizatos fuisse quidem Apostolos ante Domini mortem, sed baptismo Joannis, non autem Christi baptismate. Primo enim contra baptismi necessitatem objicit sibi hoc argumentum; *Cum vero præscribitur nemini sine baptismo competere salutem..... suboriuntur scrupulosi, imo temerarii retractatus quorumdam, quomodo ex ista præscriptione... Apostolis salus competat, quos tinctos non invenimus in Domino, præter Paulum.* 2. Illud argumentum sic solvit; *Illis* (inquit libro de baptismo), *ut potero, respondebo, qui negant Apostolos tinctos: nam si humanum Joannis baptismum inierant, & Dominicum desiderabant, quatenus unum baptismum definierat ipse Dominus dicens Petro perfundi nolenti: Qui semel lavit, non habet necesse rursum; quod utique non tincto non omnino dixisset.* 3. Profert principium, quo suam confirmet sententiam, quod nempe dari non debuerit Spiritus-Sanctus, proindeque nec Christi Sacramentum, antequam Jesus gloria frueretur, *ipse Dominus nisi ipse prius ascenderet ad Patrem, aliter negavit Spiritum descensurum.*

Resp. Non multi hoc in capite faciendam esse Tertulliani sententiam: quippe quæ falso principio fulciatur. Licet enim quamdiu Christus viveret, Spiritus-Sanctus visibili specie in nullum delapsus fuerit, certum est tamen multis invisibiliter collatum fuisse, cum dubium non sit, quin multi justi, tunc temporis extiterint. Nec est, quod quis reponat dici non posse, unde Christi baptisma ante ejus mortem, suam haberet efficaciam; nam illi ratiunculæ sic occurrit S. Thomas 3. part. quæst. 66. art. 2. *Ad primum ergo dicendum, quod etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione in quantum eam præfigurabat, aliter tamen, quam Sacramenta veteris legis: nam illa erant figuræ tantum: baptismus autem ab ipso Christo virtutem habet justificandi, per cujus virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit,*

Objicies 3. Christus nonnisi post resurrectionem legitur suos Apostolos SS. Trinitatis mysterium docuisse, cum nempe (ut Matth. 28. habetur) paulo antequam cœlos conscenderet, eos sic allocutus fuit; *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Ergo antea baptismum, cui SS. Trinitatis invocatio essentialis est, non instituit.

Resp. negando antec. Primo enim Christus de suo Patre, de Spiritu-Sancto, ac de seipso, altera Trinitatis persona, sæpe Apostolis ante mortem locutus fuerat. 2. Quamvis expresse ex Scriptura non constet Apostolos a Christo, antequam pateretur, Trinitatis mysterium edoctos fuisse; Id tamen inde colligitur, quod ab ipso ante mortem ad baptizandum Judæos missi fuerint; quos post illius resurrectionem iterum tinctos fuisse non legimus: imo contrarium docet Augustinus, non semel quippe in suis contra Donatistas operibus inculcat baptismum (etiam ab ipso Juda datum) ab Apostolis iteratum non fuisse.

Conclusio 2. Christus baptismum non instituit, cum in Jordane a Joanne baptizatus fuit: nec cum Joannis 3. illius necessitatem Nicodemum docuit, sed tantum cum discipulis Matthæi 10. Marci 3. Lucæ 9. Judæos docendi, & baptizandi provinciam demandavit.

Probatur prior conclusionis pars ex eo, quod baptisma, quo Christus a Joanne donatus est, nihil, præter aquam, habeat commune cum Christianæ religionis baptismo. 2. Opinio, quæ asserit, Christum instituisse baptisma, cum ipse a Joanne ablutus fuit, hoc uno principio nititur, quod tunc aqua per sanctissimæ carnis Christi contactum vim producendi gratiam receperit; Sed certum non est illud principium:

quam-

quamvis enim nonnulli Patres aquas per eum sacrum contactum sanctificatas fuisse scripserint, non inde sequitur eas intrinseca operandi virtute tunc fuisse donatas, quippe quæ eam ex invocatione Trinitatis habeant. Ea igitur sanctitas, de qua Patres, externa est tantum, eique similis, quæ inerat vestibus, quibus Christus utebatur.

Probatur altera conclusionis pars. His Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, probari non potest institutam fuisse Eucharistiam cum Joannis 6. a Christo prolata fuerunt: ergo neque ex his aliis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* colligi potest tunc institutum fuisse baptisma, cum Joannis 3. Nicodemus ab ipso Christo futuram, illius necessitatem edoctus fuit.

Probatur tertia pars argumento negativo. Christus Baptismi institutionem usque ad suam e mortuis resurrectionem non distulit; eam tamen non celebravit, aut cum a Joanne baptizatus est, aut cum de suo baptismo Nicodemum allocutus est: ergo tunc tantum, cum ante mortem Apostolis Judæos baptizandi curam commisit.



QUÆSTIO SEXTA.

De Baptismatis Ministro.

IN hac quæstione agemus 1. de ordinario Baptismatis Ministro: 2. de Ministro extraordinario: eam igitur in duo capita partiemur.

CAPUT PRIMUM.

De Ordinario Baptismatis Ministro.

CONclusio. Soli Episcopi, & Presbyteri sunt ordinarii baptismatis Ministri.

Probatur 1. ex eo, quod solis Episcopis, & Presbyteris regimen Ecclesiæ creditum sit: ergo seclusa necessitate, nullus nisi per eos in Ecclesiam admitti potest; proindeque a nullis aliis ordinarie conferri potest baptisma, quo uno ad Christi domum aditus patet.

Probatur 2. ex Traditione, qua docemur, 1. Prioribus sæculis, plerumque solos Episcopos baptisma contulisse. Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 27. id supponit cum mentionem facit cujusdam stolæ ex aureis filis contextæ, quam Constantinus Imperator ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam, Macario illius urbis Episcopo donaverat, ut ea amictus, sacrum baptismatis ministerium obiret. Id ipsum supponit quoque Paulinus, cum in vita S. Ambrosii hæc de SS. illo Præsule scribit; *In rebus etiam Divinis implendis fortissimus labor; in tantum, at quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi a tempore, quo decessit, vix implerent.* Docemur 2. Presbiteros solemni ritu Catechumenos abluisse in duplici casu, nempe, aut absente, aut jubente Episcopo. *Non quidem abnuo* (inquit Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos) *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros..... baptizati sunt, &c.* Tertullianus lib. de Baptismo cap. 17. hæc ait, quæ a nobis mox dicta confirmant: *Superest ad concludendum materiolam, de observatione quoque dandi, & accipiendi baptismum, commonefacere. Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri non tamen sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est.*

Objicies 1. Presbyteris, iis etiam, quibus animarum cura incumbebat, non licebat ordinarie baptizare: neminem enim abluebant, nisi jubente, aut absente Episcopo: ergo non erant ordinarii baptismatis ministri.

Resp. 1. prioribus sæculis in urbibus, ubi non erat episcopalis sedes, Parochos ordinarie catechumenos abluisse. 2. Post sæculum quintum, tum in Oriente, tum in Occidente, in locis etiam, ubi sedebant Episcopi, presbyteros non expectata Episcopi jussione, passim baptizasse, ut videre est in Sacramentario sancti Gregorii, & in libris, qui postea de sacris ritibus conscripti fuerunt: sæptimo sæculo usus ille, ita invaluerat, ut pauci tunc Episcopi munus, de quo agitur, obirent. Ex his concluditur antiquam prohibitionem de conferendo baptismate, ubi aderat Episcopus, disciplinæ causa ab ecclesia editam fuisse, scilicet, ut Presbyteri, & populi intelligerent, Episcopos Ecclesiæ principari, illius regimen ad eos ita spectare, ut quamvis Parochis jure Divino (ut ajunt Sorbonici) competat, non tamen sine dependentia ab Episcopis, quos (ut Paulus definit) posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.

Objicies 2. Diaconi eo fine instituti fuerunt, ut baptisma conferrent: ergo non minus, quam Episcopi, & Presbyteri, licet non eodem gradu, sunt ordinarii baptismatis ministri. Probatur anteced. 1. Diaconi, Apostolorum tempore, quo quidem omnia ordinata extiterint oportuit, baptisma contulerunt, ut patet ex facto Philippi, qui Candacis Reginæ Eunuchum, & Samaritanos tinxit. 2. Prioribus sæculis, regendis minoribus Ecclesiis, seu quæ in villulis, & pagis constitutæ erant, præficiebantur: id innuit Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, cum hæc ait; *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati fuat, &c.* 3. Diaconi, his etiam temporibus hæc audiunt ab Episcopo, a quo consecrantur, *Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis; Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Iis momentis Diaconos ad baptizandum institutos fuisse elicitur; proindeque ordinario in Baptismum jure fruuntur.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem, nego conseq. Ratio est, quia jura, de quibus argumentum Diaconi fortiti sunt, non ex suæ creationis fine primario, sed solum ex Ecclesiæ indulgentia: nec mirum cum instituti fuerint non ad Ecclesiæ regimen, sed tantum ut Episcopis, & presbyteris suum exhiberent ministerium. Si quo alio munero postea functi fuerint, illud non suæ ordinationi, sed Ecclesiæ delegationi debuerunt.

CAPUT SECUNDUM.

De extraordinario Baptismatis Ministro.

HUjus capitis quatuor erunt articuli. In priore dicemus de baptismate a Diaconis collato: in altero, de baptismate dato a laicis catholicis: in tertio, de administrato ab hæreticis: in quarto denique, de eo quod ab infidelibus confertur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Baptismate a Diaconis dato.

COnclusio. Fide catholica certum est valere collatum a Diaconis baptisma.

Probatur 1. ex Scriptura, qua docemur, Apostolos probasse baptisma, quo Philippus Diaconus Candacis Reginæ spadonem, ac Samaritanos initiaverat. 2. Ex Traditione, qua constat Diaconos inter baptismi ministros numeratos fuisse. Tertullianus loco superiori capite relato post Episcopum, & Presbyterum eis jus in baptismum adscribit. Hieronymus hæc ait adversus Luciferianos scribens; *Inde venit, at sine Episcopi jussione neque Presbyter, neque Diaconus, jus habeant baptizandi.* Ergo illo jure fruuntur, si Episcopus imperet. Eodem spectat hæc Gelasii Papæ sententia, quæ in illius epistola ad universos Episcopos per Lucaniam, &

Brutios, & Siciliam constitutos capire 9. leguntur; *Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non præsumat diaconus*: eodem etiam tendunt, quæ superius ex Pontificali Romano relata sunt, *Cogitate magnopere, &c.*

Objicies. Epiphanius contra Collyridianos agens hæresi 79. sic de Diaconis loquitur: *Neque Diaconis in Ecclesia concreditum est, ut aliquod mysterium perficiant, sed solum ut administrent, & exequantur commissa*. Ergo ex Epiphanio Diaconi nullo in Baptismum jure potiuntur.

Resp. negando conseq. Epiphanius quippe de jure ordinario intelligendus est, non autem de extraordinario, de quo est hic quæstio. Nostra responsio ex eo confirmatur, quod Epiphanius eo loci agat contra hæreticos, qui muliebri sexui ordinariam in Christi Sacramenta potestatem concedebant.

Quæres 1. quodnam sit discrimen inter potestatem qua Diaconi in baptismum donati sunt, & eam, qua laici pollent?

Resp. illud inter Diaconos, & laicos discrimen reperiri 1. quod laicis, præsente Diacono, baptismum conferre non liceat: 2. quod laici nihil in Sacramentum possint, nisi urgeat necessitas; Diaconis vero extra necessitatis casum, jubente Episcopo, aut Presbytero, illud, etiam solemni ritu, conferre liceat. Lectorem tamen monitum velim, quod quamvis canones non vetent, ne Diaconi ad id muneris a Presbytero, his etiam temporibus, committantur; tamen in locis, ubi contraria consuetudo invaluit, ea provincia illis demandari non debeat.

Quæres 2. utrum Diaconi criminis rei fierent, si extra necessitatis casum a Parocho nequaquam jussi, catechumenum absque solemnitate baptizarent.

Resp. affirmative: Primo enim Patres baptizandi facultatem diaconis non fecerunt, nisi cum ab Episcopo, aut Parocho jussi fuerint, nec quidquam inter privatum, & solemne baptisma distinguunt; *Non tamen* (inquit Tertullianus agens de Diaconorum in baptismum jure) *sine Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem*. 2. Cum Diaconis ordinarium baptizandi jus non competat, si illius collationem, inscio ordinario ministro, teutent, alienum in re magni momenti munus invadunt, proindeque gravi se peccato devinciunt, *Nulla necessitate si fiat* (ait Augustinus lib. 2. contra Epistol. Parmeniani cap. 12.) *alieni muneris usurpatio est*.

Articulus Secundus.

De Baptismate a laicis catholicis collato.

Circa baptisma collatum a laicis catholicis duo in controversiam vocari possunt: 1. an valeat; 2. an liceat.

§. I.

An valeat Baptisma a laicis collatum?

Conclusio. Valet baptisma a laicis collatum. Probatur 1. Ex dicendis inferius ratum est baptisma ab hæreticis, imo & ab infidelibus collatum: ergo a fortiori admitti debet datum a laicis catholicis. 2. A Christo ad hæc usque tempora nullus extitit, qui de baptismo, de quo agitur, dubitaverit; datus a non baptizato nonnullis quidem Patribus, inter quos Augustinus, incertus visus est, collatum ab hæreticis quædam veteres Ecclesiæ improbarunt; sed an a laicis catholicis administratus valeat, a nemine unquam vocatum fuit in quæstionem. 3. Patres e contra illud Sacramentum expresse probarunt. Tertullianus lib. de Baptismo sic loquitur, *Dandi quidem* (baptismi) .... *alioquin etiam laicis jus est*. Illud dogma mox hoc argumento confirmat; *Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest*: Sic paulo post prosequitur laudatus author; *Baptismus Dei census ab omnibus exerceri potest*. Eidem dogmati patrocinantur alii Patres, quos sequenti paragrapho contra Calvinistas proferemus.

Objicies 1. Nemo laicus legitur in Scripturis baptisma contulisse. 1. Incertum est, an Apostoli ante Christi passionem, initiatum ab eo baptisma contulerint? Tertullianus censet, eos solum baptisma Joannis credentibus contulisse; *Itaque* (inquit) *tingebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante præcursor eodem baptismo Joannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius, nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem, & resurrectionem*. 2. Non est quoque omnino certum, an Ananias, qui Paulum initiavit baptismate, laicus tunc esset, quamvis enim ita judicet Bellarminus hac adductus ratione, quod Paulus baptizatus fuerit primo anno a passione Domini, *quo tempore* (inquit) *nondum erant ordinati ulli Episcopi, aut Sacerdotes, præter Apostolos; neque erant ulli Diaconi præter septem*: tamen contrariam sententiam non pauci propugnant. Contendunt quippe, Ananiam jam tunc inauguratum fuisse Sacerdotem, idque ex venerabili Beda colligere sibi videntur. Præterea licet daretur, Ananiam, cum Paulum abluit, nondum consecratum fuisse sacerdotem; non inde tamen sequitur, eum tunc mere laicum extitisse; quippe qui, ipsomet emittente, ac jubente Christo, cum aliis 71. discipulis, & prædicandi, & baptizandi ministerio functus fuerit. Ergo, &c.

Resp. negando conseq. Nec enim omnia, fidei aut morum dogmata Scripturis continentur. Catholici multa credunt, quæ sola Traditione nituntur: unde argumento, quod nobis opponitur, non premuntur, nisi Calvinistæ, cæterique recentiores sectarii, apud quos Scriptura una est, ac sola fidei, & morum regula.

Objicies 2. Christus solis Apostolis baptizandi facultatem dedisse videtur, eos quippe solos his verbis allocutus est: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* ergo ea facultate laici non fruuntur.

Respond. 1. eo argumento, si valeret, probatum iri, irritum fuisse datum Paulo ab Anania baptismum; inanem pariter fuisse Candacis reginæ spadoni, ac Samaritanis collatum a Philippo: nec enim Ananias, & Philippus erant ex Apostolorum numero. 2. Textu, qui objicitur, confirmata fuit Apostolis ordinaria baptizandi facultas, qua ante Christi mortem donati fuerant; sed eo textu extraordinariam, quæ etiam laicis conveniat, non excludi, Traditione docemur, cujus quidem cum initium non inveniatur, merito ipsismet adscribitur Apostolis.

§. II.

An licitus sit Baptismus a laicis catholicis collatus?

Apud recentiores quosdam sectarios baptismus a laicis catholicis datus, etiam urgente necessitatis casu, male audit.

1. Multi ex Græcis schismaticis illum esse illicitum contendunt, si fides adhibeatur Arcudio in suo de Baptismo tractatu cap. 2. sic loquenti, *Postquam de materia, & forma Baptismi egimus, superest, ut de legitimo hujus Sacramenti ministro aliquid dicamus: quod eo alacrius aggredior, quo totam ferme Graciam, Russiam, Moscoviam, & alias provincias, quæ in fide Christi, ritu Græco perseverant, ex imperitia in eo versari errore, scrupulo, & religione animadverto: at absente Presbytero, malint permittere, ut infantes sine baptismo e vita decedant, quam eos salutari lavacro abluere, quod existimeat sibi laicis ne in necessitate quidem licere hoc munere fungi*.

2. Calvinus asseruit eos omnes peccare, qui cum non sint ordinarii Ecclesiæ ministri, ad hoc ipsum vocati, electi, & ordinati, in extrema etiam necessitate, baptisma conferunt. Eum errorem docet tum lib. 4. Institutionum cap. 15. tum in suo Antidoto adversus Concilii Tridentini sess. 7. can. 10. de Sacramentis in genere; *Quod autem* (inquit) *multis ab hinc sæculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiæ exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent si minister in tempore non adesset; non video quam firma ratione defendi queat*.

Con-

Concluſio. Urgente neceſſitate laici licite baptiſma conferunt.

Probatur 1. authoritate Patrum. Tertullianus libro de Baptiſmo cap. 17. de diſciplina, cujus concluſio meminit, hæc habet, *Sufficiat ſcilicet in neceſſitate, ut maris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cum urget circumſtantia periclitantis*. Concilium Eliberitanum eumdem morem canone 38. his verbis confirmat; *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem baptizare in neceſſitate*. Hieronymus de ea praxi hæc ſcribit contra Luciferianos agens: *Baptizare ſi neceſſitas cogat, ſcimus etiam licere laicis*. Occidentis, imo & totius Eccleſiæ Catholicæ nomine, uſui, de quo agitur, robur addidit Gelaſius Papa in Epiſt. ad univerſos Epiſcopos cap. 9. *quod & laicis* (inquit de baptiſmo in caſu neceſſitatis dato) *fidelibus plerumque permittitur; ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſæculo evocetur*. Conſtans illa ubique, ac quovis ſæculo diſciplina non poteſt non eſſe ex traditione Apoſtolica; proindeque Calvinus ipſos etiam Apoſtolos erroris inſimulat, cum uſum, de quo eſt quæſtio, omnibus ſæculis, omnibus in locis, a viris doctiſſimis, ac maxime piis comprobatum, crimini, & imperitiæ vertit.

Objicies 1. Auguſtinus dubitare viſus eſt, num immunes ſint a peccato laici, qui, etiam cum neceſſitas urget, baptiſmum conferunt? ſic enim loquitur lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. *Quamquam etſi laicus aliquis pereunti dederit neceſſitate compulſus, quod cum ipſe acciperet, dandum eſſe addidit, neſcio, an pie quiſquam dixerit eſſe repetendum*: addit S. Doctor, ſe nolle definire an peccet ſaltem venialiter, aut non peccet, laicus in extremis baptizans; *Si autem* (inquit) *neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt*. Ergo quovis Eccleſiæ ſæculo certum non fuit, quod laicis pereuntem catechumenum baptizare liceat.

Reſp. 1. ea Auguſtini verba, *Neſcio, an pie quiſquam dixerit*, hunc continere ſenſum: non niſi impie affirmari poteſt, &c. Ratio eſt, quia Auguſtinus docuit jus conferendi baptiſmum niti baptiſmate, quod quis habet: *Habent* (inquit, de hæreticis agens) *in baptiſmo, quod per eos dari poſſit*. 2. Disjunctiva hæc ejuſdem Auguſtini propoſitio, *aut nullum, aut veniale delictum eſt*, non eſt Doctoris dubitantis, ſed certo definientis *nullum eſſe delictum*, cum nempe in perquirendo Sacerdote diligentia moralis adhibita fuit, eſſe autem veniale delictum, cum quis non omni præmiſſa diligentia baptizat.

Objicies 2. Tertullianus mulieribus, etiam cum neceſſitas urget, baptizandi facultatem non facit. Libro de Baptiſmo hæc ſcribit. *Petulans autem mulier, quæ uſurpavit docere, utique non etiam tingendi jus ſibi pariet, niſi, quæ nova beſtia evenerit ſimilis priſtinæ, ut quemadmodum illa baptiſmum auferebat, ita aliqua per ſe eam conferat*. Immediate poſt ſic proſequitur, *quam enim fidei proximum videretur, ut is* (de Paulo Apoſtolo loquitur) *docendi, & tingendi daret fœminæ poteſtatem, qui ne docere quidem conſtanter mulieri permiſit*. Ergo antiquis Patribus probatum non fuit baptiſma a laicis, ſaltem fœminei ſexus, collatum.

Reſpond. illam, ſimileſque alias nonullorum Patrum ſententias, de miniſterio publico, & ſolemni, non autem de privato, cum urget neceſſitas, exponendas eſſe. Ratio eſt, quia Tertullianus eadem ratione ſexum muliebrem a baptizandi jure excludit, qua a docendi jure; ergo cum certiſſimum ſit, Tertullianum non abſtuliſſe a mulieribus jus privatim, & ex motivo charitatis docendi, ita nec eis ademit tingendi facultatem, ubi urget neceſſitas. Confirmatur ex eo, quod hæc ejuſdem Tertulliani, cum de viris agit, ſententia, in mulieribus locum habeat, *Quoniam reus erit perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare, quod libere potuit*.

Objicies 3. Concilium Eliberitanum nonnullis quidem laicis baptizandi jus in caſu neceſſitatis indulget, ſed non omnibus; quippe quod duas requirat conditiones, quæ in omnibus non reperiuntur; 1. enim vult, ut ii, quibus eam facultatem facit, illibatam ſervaverint receptam in baptiſmate juſtitiam. 2. ne ſint bigami, *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit*, (inquit canone 38.) *poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum catechumenum*. Ergo cum Traditione non cohæret opinio, quæ omnibus omnino laicis jus conferendi baptiſmum in caſu neceſſitatis indulget.

Reſp. negando conſeq. Evaneſcit nempe vis argumenti, ubi canonis ſenſus aperitur. Eum non aliis quam doctiſſimi Albaſpinei verbis exponemus: *Hujus canonis eſt*, (inquit in ſuis in Concilium Eliberitanum obſervationibus (*Si cui catechumeno terra, vel mari certo occumbendum ſit, poſſe eum a laico ſacro fonte ablui, ſi copia ſacerdotis non ſit, neque vero canon iſte, niſi ſola catechumeni neceſſitate commovetur, hoc eſt non ait, ſi in morte catechumeni, unus laicus tantum adeſſe videatur, imo contra ſubintelligi vult, ſi plures laici tali tempore non defuerint, tum ſtatui omnino vult, unus ut e laicis, qui nondum pœnitentiam exolverit, neque bigamus fuerit, baptizet: idque ob eam rem, quod neque ſacerdotes pœnitentiam peragere, neque ea perfecta, abſolutaque ad id eligi, neque bigami eſſe poterant, quas quidem conditiones in uno laico, qui baptizet, requirit ille canon, quod eo modo ſit ſacerdotis partes acturus; ſi tamen tunc temporis interveniſſet bigamus, unus tantum, idemque pœnitens, canon ille decreviſſet, vel ſi omnia illa impedimenta ſe ſe obtuliſſent, ab eo potuiſſe ſacrum baptiſma conferri*. Ex ea viri canonum peritiſſimi obſervatione patet, Synodum Eliberitanam non requirere baptiſmalem juſtitiam, & monogamiam in eo, qui baptiſmum collaturus eſt, niſi ubi alii ſunt laici, qui aut ex bigamia, aut ex pœnitentia publica irregularitatem contraxerint.

Quæres, num inter laicos, quibus in caſu neceſſitatis jus eſt ad baptizandum, aliquis ordo ſervari debeat?

Reſpond. affirmative: Primo enim (ut mox ex Concilio Eliberitano fuit obſervatum) aliquis quondam ſervabatur inter laicos, qui baptizaturi erant. 2. Mulieribus, ubi adſunt maſculi, qui Sacramenti ritum calleant, modo non ſint peccatores publici, non licet baptiſmatis miniſterio fungi; ſiquidem non niſi in extrema neceſſitate, ſeu ubi deſit alterius miniſtri copia, ſexui muliebri jus eſt ad Sacramenti collationem. Excipi tamen debet caſus, quo, niſi mulier baptizet, pudori parturientis non erit conſultum.

ARTICULUS TERTIUS.

De Baptiſmo ab hæreticis collato.

HOC in articulo, 1. antiquos recenſebimus, quibus baptiſma ab hæreticis collatum inane, ac irritum viſum eſt: 2. Quæremus, num illi veteres priorem ſuam ſententiam aliquando depoſuerint? 3. An peccarint, quod ab hæreticis tinctos iterum tinxerint? 4. Expendemus, quid Stephanus Papa primus circa hæreticorum rebaptizationem & egerit, & ſenſerit: 5. Dicemus de Plenario Concilio, quo Auguſtinus aſſerit, definitam fuiſſe de hæreticorum baptiſmate quæſtionem: 6. Denique Eccleſiæ Catholicæ de eodem baptiſmate fidem proponemus.

§. I.

Recenſentur veteres, quibus inane viſum hæreticorum baptiſma.

DIcemus in hoc paragrapho: 1. de Agrippino Carthaginenſi: 2. de Cypriano, multiſque aliis tertio ſæculo in Africa Epiſcopis: 3. de Firmiliano, nonulliſque Orientalibus: 4. de Dionyſio Alexandrino: 5. de Baſilio: 6. de Cyrillo Hieroſolymitano: 7. de Optato Milevitano: 8. de Athanaſio,

Quid de Hæreticorum baptiſmate Agrippinus Carthaginenſis ſenſerit?

Concluſio. Agrippinus, qui deſinente ſæculo ſecundo Carthaginenſem Eccleſiam rexit, primus inter Catholicos, hæreticorum baptiſma nullum eſſe cenſuit.

Probatur 1. authoritate Cypriani, qui nullum Agrippino antiquius monumentum laudat pro ſua de rebaptizandis hæreticis, praxi, *Apud nos non nova* (inquit ad Jubajanum ſcribens) *aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam perveniunt: cum multi jam anni ſint, & longa ætas, ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in Provinciis noſtris ad Eccleſiam converſi, ſalutaris baptiſmi gratiam conſecuti ſint.*

Probatur 2. ex Auguſtino, apud quem Agrippinus praxis de rebaptizandis hæreticis primus eſt author: Hæc enim lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. ſcribit, *Hanc ergo ſaluberrimam conſuetudinem* (de non rebaptizandis hæreticis) *per Agrippinum prædeceſſorem ſuum* (non immediatum quidem cum Cyprianus in Epiſtola ad Jubajanum ab Agrippini Epiſcopatu ad ſua tempora multos annos, longamque ætatem fluxiſſe aſſerat) *dicit ſanctus Cyprianus quaſi cœpiſſe corrigi, ſed ſicut diligentius inquiſita veritas docuit, quæ poſt magnos dubitationis fluctus ad plenarii Concilii confirmationem perducta eſt, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpiſſe, non corrigi.*

Probatur 3. ex Vincentio Lirinenſi, Commonitorio. 1. cap. 9. ubi hæc habet; *Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem, atque inſtituta majorum rebaptizandum eſſe cenſebat. Quæ præſumptio tantum malum invexit, ut non ſolum hæreticis omnibus formam ſacrilegii, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præberet erroris.* Ergo non alteri authori, quam Agrippino praxis de rejiciendo hæreticorum baptiſmate adſcribi debet.

Objicies 1. Tertullianus ſæpe teſtatur ſibi irritum, ac inane videri baptiſma ab hæreticis collatum: hæc nimirum ait lib. de Baptiſmo, *Hæretici autem nullum conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos utique teſtatur ipſa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoſcere, quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus eſt nobis & illis, nec unus Chriſtus, idest idem. Ideoque nec baptiſmus unus, quia non idem: quem cum rite non habeant, ſine dubio non habent, nec capit numerari, quod non habetur:* Eo principio nixus laudatus author lib. de Pudicitia hæreticos per baptiſmum in Eccleſiam admitti debere contendit, *Ut Etnico par*, (inquit) *ita & ſuper Etnicum hæreticus etiam per baptiſma veritatis admittitur.* Ergo Agrippinus rebaptizationem in Eccleſias primum non invexit.

Reſp. conceſſo anteced. nego conſeq. Ratio eſt, quia Agrippinus, & Tertullianus eodem tempore Carthagine floruerunt; unde Tertullianus ſuam de rebaptizandis hæreticis doctrinam ab Agrippino hauſiſſe cenſendus eſt. Ex iis ſcilicet erat, de quibus hæc habet Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7. *Irruente itaque tam magna quæſtione, cum de remiſſione peccatorum, & de ſpirituali hominis generatione, utrum poſſet apud hæreticos, vel apud ſchiſmaticos fieri, difficile ratio redderetur, & præcederet authoritas Agrippini, & nonnullorum, qui ei conſenſerant, hominum in hac quæſtione deficientium, qui maluerant aliquid novum moliri, quam tenere conſuetudinem.*

Objicies 2. Euſebius lib. 7. Hiſtoriæ cap. 2. morem de rejiciendo hæreticorum baptiſmate in Cyprianum tamquam primum authorem refundit, *Primus omnium* (inquit) *Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginenſem regebat Eccleſiam, nonniſi per baptiſmum ab errore prius emundatos, admittendos eſſe cenſuit.* Ergo ipſe, non autem Agrippinus, primus eſt rebaptizationis author.

Reſp. emendandum eſſe ea in narratione Euſebium cum evidenter ex Cypriano ad Jubajanum ſcribente conſtet, Agrippinum alio baptiſmo conſecraſſe redeuntes ad Eccleſiam, idque ex decreto Concilii Carthaginenſis, quod quidem multo ante Cypriani Epiſcopatum, habitum fuiſſe ipſe Cyprianus teſtatur; *Cum multi jam ſint anni* (inquit) *& longa ætas, ex quo ſub Agrippino, &c.*

Cypriani, aliorumque Africanorum Epiſcoporum de hæreticorum baptiſmate ſententia proponitur.

Concluſio. Medio tertio ſæculo Cyprianus, & Epiſcopi provinciarum Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, baptiſma ab hæreticis collatum, inane, ac irritum judicarunt.

Probatur concluſio ex eorum narratione, quæ a Cypriano in rebaptizationis cauſa variis temporibus geſta fuerunt.

1. Magnus, homo laicus, occaſione Novatianorum, eamdem cum Catholicis baptizandi formam obſervantium, dubitavit, num a Novatianis tincti, iterum in Eccleſia tingi deberent? Numidiæ Epiſcopi de ea quæſtione ad Cyprianum, alioſque Præſules Carthagine ad Synodum coactos anno 258. Valeriano, & Gallieno imperantibus, litteras conſcripſerunt. Ventilata in utramque partem cauſa, aliis affirmantibus, aliis vero negantibus, tandem ea in Synodo definitum eſt, neminem foris extra Eccleſiam baptizari poſſe, proindeque conſecratos ab hæreticis, aut Schiſmaticis, alio baptiſmate in Eccleſia donandos eſſe. Definitionem hujuſmodi ſignificarunt Januario, cæteriſque Numidiæ Epiſcopis, prout ipſi per litteras ad Synodum ſcriptas expetiverant, ſignificarunt (inquam) miſſa ad eos Synodica Epiſtola, quæ *ad Januarium & cæteros Epiſcopos* Numidas inſcribitur, quæque his verbis incipit; *Cum ſimul in Concilio eſſemus, Fratres chariſſimi, legimus litteras veſtras, quas ad nos feciſtis de iis, qui apud hæreticos, & ſchiſmaticos baptizari videntur, an ad Eccleſiam Catholicam, quæ una eſt, venientes baptizari debeant, De qua re, quamquam & ipſi illic veritatem, & firmitatem Catholicæ regulæ teneatis; tamen quoniam conſulendos nos pro communi dilectione exiſtimaſtis ſententiam noſtram non novam prompſimus, ſed jam pridem ab anteceſſoribus noſtris ſtatutam, & a nobis obſervatam, vobiſcum pari conſenſione conjungimus; cenſentes ſcilicet, & pro certo tenentes neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe, cum ſit baptiſma unum in ſancta Eccleſia conſtitutum.*

2. Ut ea, quæ præcedente Concilio conſtituta fuerant, pleniore ſententia confirmarentur; Cyprianus eodem anno 258. aliud Concilium coegit, quod ſecundum Carthaginenſe, in cauſa baptiſmatis ab hæreticis dati, appellatur. Ad eam Synodum ſupra ſeptuaginta Epiſcopi, non ex Provincia Africa tantum, ſed & ex Numidia convenerunt. Auditis ſingulorum votis, prioris Concilii Carthaginenſis de rebaptizandis hæreticis decretum confirmatum fuit, ſancitum eſt nempe, ut baptiſmus ab hæreticis collatus pro nullo haberetur. Illius Concilii Synodicam Epiſtolam Cyprianus ad Stephanum Papam direxit, qua S. Pontificem de rebus in Concilio actis certiorem his verbis fecit; *Ad quædam diſponenda, & Concilii communis examinatione limanda neceſſe habuimus, frater chariſſime, convenientibus in unum pluribus ſacerdotibus cogere, & celebrare Concilium, in quo multa quidem prolata, atque tranſacta ſunt, ſed de eo vel maxime tibi ſcribendum, & cum tua gravitate, ac ſapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, & ad ſacerdotalem auctoritatem, & ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem pariter, ac dignitatem, de divinæ diſpoſitionis ordinatione venientem, eos, qui ſint foris extra Eccleſiam tincti, & apud hæreticos, &*

ſchiſ-

schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere; eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum. Eam alterius Concilii Carthaginensis Synodicam Epistolam sic Cyprianus clausit; *Hæc ad conscientiam tuam, frater carissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuæ, & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter, & vera sunt.*

3. Kalendis Septembris ejusdem anni 258. Cyprianus Carthagine tertium Concilium celebravit, duo præcedentia Episcoporum numero multum superans: ad illud nempe ex Africa Provincia, ex Numidia, ex Mauritania septem supra octoginta Episcopos evocavit. Lectæ fuerunt eo in Concilio litteræ Jubajani ad Cyprianum, item Cypriani ad Jubajanum de hæreticis baptizandis rescriptæ; perlectas quoque centemus rescriptas a Stephano Papa, quibus ad Synodicam secundi Concilii Carthaginensis rescribens prohibuerat, ne quid novi circa hæreticorum baptisma tentaretur. Sed octoginta illi Episcopi, quibus rebaptizationis causa ad meram disciplinam, non autem ad fidem pertinere visa est, litterarum Stephani nullam rationem habuerunt: unanimi quippe consensu, variisque argumentis, duorum præcedentium Conciliorum Carthaginensium sub Cypriano decreta confirmarunt.

Refertur Firmiliani, multorumque Asianorum de hæreticorum baptismate sententia.

Conclusio. Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, multæque in Asia Ecclesiæ baptismum ab hæreticis collatum, irritum esse judicarunt.

Probatur prior conclusionis pars ex Epistola Firmiliani ad Cyprianum. Is per Rogationum diaconum, acceptis a Cypriano litteris, quibus de Stephani contra rebaptizationem decreto, de lata a Patribus Carthaginensibus sententia certior factus fuerat, ad eumdem Cyprianum alias litteras dedit, quibus patet, quam alte opinio de rebaptizandis hæreticis ejus menti insideret.

1. Carthaginensium definitionem se ex animo amplecti testatus est; *Nos vero ea, quæ a vobis scripta sunt, quasi nostra propria suscipimus, nec in transcursu legimus, sed sæpe repetita memoriæ mandavimus.*

2. Eamdem definitionem variis argumentis confirmare nititur, *Si quid autem a nobis additum fuerit, non sic additur, quasi a vobis aliquid minus dictum sit, sed quoniam sermo divinus humanam naturam supergreditur,*

3. Stephanum, qui, ne baptizarentur hæretici, prohibuerat, variis contumeliis afficit, ipsum scilicet cum Juda proditore comparat; *Nisi quod nos gratiam referre Stephano in isto possumus, quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei, & sapientiæ vestræ experimentum caperemus. Sed non si nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, statim Stephanus beneficio, & gratia digna commisit. Neque enim & Judas perfidia sua, & proditione, qua scelerate circa Salvatorem operatus est, dignus videri potest, quasi causam bonorum tantorum ipse præstiterit, ut per illum mundus, & Gentium populus liberaretur.*

4. Ejusdem Stephani decretum pluribus dicteriis lacessivit; consuetudinem, quam laudatus Papa Cypriano opposuerat, non Apostolicam, sed humanam appellat; *Et quantum ad id pertineat, quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos, qui ab hæresi veniunt, baptizari prohibuerint, & hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissime vos respondistis, neminem tam stultum esse, qui hoc credat Apostolos tradidisse.*

5. Consuetudini, quam Stephanus ad Cyprianum rescribens laudaverat, aliam & quidem antiquam, ut sibi visus est, consuetudinem opposuit; *Cæterum* (inquit) *nos veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis, opponimus: ab initio hoc tenentes, quod a Christo, & ab Apostolo traditum est. Nec meminimus nos aliquando hoc cœpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus, & sanctum Baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus.*

Probatur altera conclusionis pars, nempe non modo Cæsareensem in Cappadocia Provinciam, sed & plures alias Asianorum Ecclesias hæreticorum baptisma, tamquam irritum, ac nullum rejecisse.

1. In Concilio Iconiensi in Phrygia contra Cataphrygas anno 258. habito constitutum, ac decretum est: *Nihil eorum, quæ ab hæreticis facta sunt, ab Ecclesia Catholica recipiendum esse: Ordinationes, baptismum, manuum impositiones, aliudve sacrum quodvis ab hæreticis administratum, invalidum esse.* Illi Synodo Cappadoces, Cilici, Galatæ subscripserunt: Illius acta Firmilianus ad Cyprianum scribens his verbis enarrat; *Hæretico sicut ordinare non licet, nec manum imponere; ita nec baptizare, nec quidquam sancte, nec spiritaliter gerere, quando alienus sit a spiritali, & deifica sanctitate. Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti, in unum convenientibus ex Galatia, & Cilicia, & cæteris proximis regionibus confirmavimus, tenendum contra hæreticos firmiter, & vindicandum, cum a quibusdam de ista re dubitaretur.*

2. Eodem tempore, quo Iconiense Concilium habitum est; aliud Synodis in Asia celebratum est: in isto idem plane, quod in illo, statutum fuit, ut scilicet hæreticorum baptisma nullius momenti esse existimetur. Utriusque illius Synodi Dionysius Alexandrinus meminit apud Eusebium lib. 7. 6. cap. 6. *Hoc tamen didici, quod non Episcopi in Africa solum istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis jam invenerunt, verum etiam longo tempore ante, Episcoporum memoria, qui antegressi sunt, in Ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, & Synodis fratrum tum Iconii, tum aliis multis in locis convocatis istud decretum fuit: quorum judicia, & sententias condemnare, irritaque facere non audeo.*

De Dionysii Alexandrini circa hæreticorum baptismum sententia.

Conclusio. Dionysio Alexandrino, qui Firmiliani, & Cypriani temporibus vixit, ratum fuit datum ab hæreticis baptisma.

Probatur 1. Nec Firmilianus, nec Cyprianus, nec alii, qui tum in Oriente, tum in Occidente pro iterando hæreticorum baptismate steterunt, usquam in suæ opinionis patrocinium Dionysium Alexandrinum vocarunt; ipsum tamen, utpote secundæ sedis antistitem, & canonicæ disciplinæ peritissimum, alioquin nequaquam omissuri.

2. Si Dionysio comprobata fuisset eorum sententia, qui hæreticos redeuntes alio baptismo consecrabant, eam & facto & verbis Episcopi, Sedi Alexandrinæ subjecti, amplexi fuissent; at nullibi legitur, Ecclesias Ægypti, Pentapoleos, Lybiæ hæreticos, cum redirent, iterum tinxisse.

3. S. Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium, conceptis terminis asserit, hæreticorum baptisma apud Dionysium valuisse; postquam enim inter eos, quorum baptisma vanum, ac irritum esse censebat. Manichæos, Valentinianos, Marcionitas, & Montanistas recensuit, sic canone 1. loquitur, *Pepuzenorum* (seu Montanistarum baptismus) *nullam mihi habere rationem videtur, & miratus sum quomodo Dionysium* (Alexandrinum Episcopum) *qui fuit canonum peritus, præterierit.* Hoc ad eamdem causam spectans paulo post subjicit; *Quare etiamsi magnum Dionysium hoc latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio.* Nihil illis verbis clarius proferri potest, quo probetur, Dionysium Basilio visum fuisse admittere collatum ab hæreticis baptisma.

4. Constat ex Dionysii ad Sixtum, Stephani Papæ successorem, Epistola, quam Eusebius lib. 7. hist. cap. 4. refert, constat (inquam) illum pro Orientalium, qui baptizatos ab hæreticis iterum abluebant, pace cum sede Romana redintegranda deprecatorem extitisse: At ineptus pacis fuisset conciliator, si ipsemet in errore, quo Orientales laborabant, versatus fuisset.

Objicies 1. Dionysius in sua ad Philemonem Epistola,

stola, cujus consilio usus fuerat Stephanus Papa ad Cyprianum de baptizatione scribens, asserit, se rebaptizantes non damnare, nec eorum sententiam irritam facere, nec id sibi licere ex eo probat, quod apud Salomonem sciptum sit, *Terminos non commutabis, quos Patres tui præstituerunt*. Ergo Dionysius in rebaptizantium errorem propendisse videtur.

Resp. concesso anteced. nego conseq. Ratio est, quia in allato ex Epistola Dionysii ad Philemonem textu nihil aliud Alexandrinus ille Episcopus asserit quam istud, nempe se propter Episcoporum, quibus inane videtur hæreticorum baptisma, gravitatem, pietatem, doctrinam, ac numerum, non ausum fuisse eorum opinionem proscribere, nec damnare praxim: at ex eo elici non debet ipsi probatum non fuisse, ac ratum hæreticorum baptisma: in causa enim, quam nec ad fidem, nec ad mores, sed ad meram disciplinam pertinere judicabat, censuit unamquamque Ecclesiam posse in suo abundare sensu, ac religiose inhærere consuetudini, quam a majoribus accepisse sibi videbatur.

Objicies 2. Hieronymus in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis opere Dionysium Alexandrinum inter eos recenset, apud quos hæreticorum baptisma non valuit; *Hic* (inquit) *in Cypriani, & Africanæ Synodi dogma consentiens de hæreticis rebaptizandis ad diversos plurimas misit Epistolas, quæ hodie extant*. Ergo &c.

Resp. rem, de qua in conclusione, esse quæstionem facti, in qua Hieronymus aberrare potuit, & reipsa aberravit: Immerito nimirum conclusit ex Dionysii ad Philemonem Epistola, doctissimum illum, ac sanctissimum Episcopum judicasse irritum, & inane collatum ab hæreticis baptisma: Alia fuit de eo Basilii sententia, quippe qui tantum abest, ut opinionis, de qua agitur, apud ipsum defensor extiterit, quin potius audierit veluti canonum infractor, quod redeuntes ab hæresi iterum tingendos non censeret.

Objicies 3. Dionysio Alexandrino, saltem dubium, visum est hæreticorum baptisma; id nempe elicitur ex his, quæ scripsit ad Sixtum Romanum Pontificem; *Frater quidam ex nostro conventu, communioneque fidelis judicatus, ætate admodum provectus, & priusquam beatus Heraclas in Episcopatus gradu collocatus fuerat, conventus, communionisque particeps factus, cum forte baptismo eorum, qui nuper apud nos baptizarentur, adesset, & rogata, responsaque audiret, venit ad me lugens, & graviter suam vicem deplorans, se ad pedes meos abjecit, ex animo confitetur, & sancte dejerat baptisma, quo erat apud hæreticos tinctus, non hujus generis esse: illud namque plenum esse impietatis, plenumque blasphemiæ, neque ullam omnino cum nostro habere similitudinem: affirmatque animum suum propterea acerbis dolorum stimulis compunctum: Et quoniam nefario, ac prophano tum verborum, tum factorum scelere pollutus erat, nec libere suos oculos ad Deum posset elevare. Et propterea obtestatus est, ut hac purissima lavacri purgatione, vera susceptione in Ecclesiam, & divina in eo Sacramento oblata gratia potiretur. Quod plane ego non audebam præstare*. Factum illud Sixto enarravit Dionysius, ut ab illo doceretur, quid eo in casu esset agendum; Ergo dubitavit, num valeret datum ab hæreticis baptisma.

Resp. negando conseq. Nec enim ex consilio, quod Dionysius a Sixto expetiit, inferri debet illum dubitasse, an baptismus in forma a Christo præscripta ab hæreticis collatus valeat. Ratio est, quia baptisma senis, de quo ad Sixtum scripsit, datum fuerat contra formam Evangelicam, *Utpote plenum impietatis, blasphemiæ, & nullam habens cum nostro similitudinem*.

Nec est quod quis urgeat, Dionysium, virum canonum alioquin peritissimum, latere non potuisse quid facto opus esset in casu de baptismate absque præscripta a Christo formula collato; cum nec ipsos Theologiæ candidatos fugiat tunc Sacramentum, ubicumque, & a quocumque datum fuerit, iterari debere. Non est inquam, quod id urgeatur. Primo enim non constabat Dionysio, an delirus ille senex ea, qua affirmabat, ratione baptizatus fuisset ab hæreticis. 2. Dubitabat sanctus Præsul, an sic, etiam invalide tincto, novum aliud baptisma conferendum esset, arbitrabatur quippe catholicam communionem, qua senex ille per multos annos potitus fuerat, baptismatis vices, quoad peccatorum remissionem, supplere potuisse. Nec id propriæ nostræ mentis figmentum est, cum eam rationem ipsemet Dionysius in sua ad Sixtum Epistola in medium proferat; *Diuturnam illam communionem*, (inquit) *qua fuerat cum fidelibus sociatus* (ille senex) *satis habere virium ad ejus animum purgandum: Nam, qui gratiarum actiones audivisset, qui Amen una pronunciasset; qui adstitisset mensæ, qui manus ad sanctum illud alimentum capescendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps, ejus baptisma non audebam de integro renovare*.

Nec dubium illud, utrum alio baptismate consecrandi essent ii, qui licet invalide baptizati, communione catholica aliquandiu fruiti fuerant, peculiare fuit Dionysio Alexandrino: renuit enim multos Africanos Episcopos, inter quos sic loquitur Cyprianus, apud quem haud dubie nullum fuerat baptisma ab hæreticis datum; *Sed dicet aliquis*, (verba sunt S. Martyris ad Jubajanum scribentis) *Quid ergo fiet de his, qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare; & eos, qui in Ecclesiam semper admissi, in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare*. Illam eamdem Cypriani sententiam refert Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 13. ubi hæc scribit; *Cum* (Cyprianus) *arbitraretur eos, qui extra Ecclesiæ communionem baptizarentur, baptismum non habere, credidit eos tamen in Ecclesiam simpliciter admissos, propter ipsius unitatis vinculum, posse ad veniam pervenire*.

Quid de baptismate extra Ecclesiam dato Basilius senserit?

Conclusio. Basilius baptismum, in forma a Christo præscripta, ab aliquibus extra Ecclesiam collatum rejecit, admisit tamen a quibusdam aliis datum.

Probatur. Basilius eos, qui communione Catholica non fruuntur, in tres classes dividit; in hæreticos nempe, Schismaticos, & Parasynagogas. Hæreticorum nomine eos intelligit, qui in præcipuis fidei capitibus errant. Schismaticos definit eos esse, qui propter aliquas Ecclesiasticas causas dissident. Parasynagogas asserit esse congregationes, quæ ex Presbyteris rebellibus, vel Episcopis, & indocta plebe constat, quæque contra canones colligantur; *Unde* (inquit Epist. 1. Canonica ad Amphilochium canone 1. (*Alia quidem hæreses nominaverunt, alia vero schismata, alia rursus illegitimos conventus. Hæreses quidem, eos, qui omnino abrupti sunt, & in ipsa fide sunt abalienati: Schismata autem eos, qui propter aliquas ecclesiasticas causas, & medicabiles quæstiones inter se dissident: illegitimos autem conventus congregationes, quæ fiunt a rebellibus Presbyteris, vel Episcopis, & ab immorigeris populis*. Triplicis illorum hominum classis hæc idem S. Pater exempla subjicit, *Si quis peccavisse convictus sit a sacrorum ministerio prohibitus, & is canonibus se non submisit, sed sibi præsulatum, & sacrum ministerium attribuit, & quidam una cum eo recesserunt, relicta Ecclesia Catholica: id illegitimus conventus est. Schisma autem est de Pœnitentia dissentire ab iis, qui sunt ex Ecclesia. Hæresis autem est, ut Manichæorum, & Valentinorum, & Marcionistarum, & horum ipsorum Pepuzenorum: statim enim de ipsa in Deum fide est dissensio*. Constituta, ac explicata triplici illa hominum classe; Basilius multa definit, quibus evincitur illi probatum non fuisse collatum ab hæreticis baptisma,

Contendit nimirum 1. Nullam baptismatis apud hæreticos recepti habendam esse rationem, ac proinde in Ecclesiæ sinum ab hæreticorum conventu redeuntes, alio debere baptismo consecrari; *Pepuzenorum*

autem

autem baptismus (inquit can. 1.) *nullam mihi habere rationem videtur*. Suæ definitioni robur ex veterum authoritate conciliat, *Antiqui enim illum baptismum, suscipiendum putarunt, qui nihil a fide recedit .... visum est ergo antiquis hæreticos quidem omnino rejicere*.

Contendit 2. Ministros, cum agitur de Schismaticorum baptismate, teneri ad praxim provinciæ, in qua versantur. *Quæ itaque ad Catharos pertinent quæstiones, & prius dictæ sunt, & recte admonuisti, quod oportet unusquisque regionis morem sequi, quod variæ fuerint de ipso baptismate dissensiones eorum, qui tunc de istis disseruerunt*. Canone 47. alterius Epistolæ ad Amphilochium, asserit, se in sua Diœcesi Novatianis, cum redeunt, aliud baptisma conferre, sicut & Manichœis, aliisque nonnullis hæreticis, quorum nomina recenset, *Encratitæ* (inquit), *& Saccophori, & Apotactitæ subjiciuntur eidem rationi, cui &* Novatiani; *quia de illis editus est canon, etsi diversus: quæ autem ad eos pertinent, silentio prætermissa sunt: nos autem una eademque ratione eos omnes rebaptizamus*.

Contendit 3. Basilius, Parasynagogas redeuntes non debere alio baptismate initiari. Eidem regulæ eos subjicit, quod in rebellibus conventibus tinctos fuisse constat; *Visum est antiquis* (inquit 1. Epist. can. 1.) *eos, qui sunt in Parasynagogis, & illegitimis conventibus, convenienti pœnitentia, & conversione correctos rursus Ecclesiæ conjungere: ut sæpe ii, qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, postquam eos pœnituerit, in eumdem ordinem admittantur*. Patet igitur, Basilio judice, hæreticorum baptisma, ab omnibus Ecclesiis tamquam vanum, ac irritum debere rejici, datum a schismaticis illi quoque non esse probatum, quamvis nonnullis Ecclesiis Asiaticis ratum videretur.

Scholasticos maxime torquent ii textus. Nonnulli, ut S. Doctorem cum Stephano Papa concilient, contendunt, eorum tantum baptisma ab illo rejici, qui peccabant in baptismatis forma, seu, qui aut suam hæresim in ea exprimebant, aut, qui distincte, & explicite non invocabant Trinitatem. Suum illi authores responsum confirmant 1. ex eo, quod Basilius de Pepuzenis, seu Montanistis hæc subjiciat, *Pepuzeni ergo sunt aperte hæretici; in Sanctum enim Spiritum blasphemarunt, Montano, & Priscillæ Paracleti appellationem nefarie, & impudenter attribuentes .... Quamnam ergo habet rationem, verum eorum baptisma judicari, qui in Patrem, & Filium, & Montanum, Priscillamve baptizant*. Confirmant 2. ex eo, quod Basilius de iis omnibus hæreticis, quorum baptisma rejicit, ac irritum judicat, sic prosequatur; *Non enim sunt baptizati, qui non in ea, quæ nobis sunt tradita, baptizati sunt*. Quasi dixisset (inquiunt) se aliud baptisma hæreticis, cum redeunt, ideo conferre, quod in tradita Ecclesiæ forma a suis pseudo-pastoribus tincti non fuissent.

Sed Scholasticorum, qui sic respondent, pace, dixerim eos Basilii mentem assecutos non fuisse.

Primo enim asserit S. Doctor sibi non probari eorum hæreticorum baptisma, quod Dionysio Alexandrino verum, ac ratum visum fuerat. At ab omni veri specie alienum est illi Episcopo Alexandrino, *Qui* (ut ejusdem Basilii verbis utar) *canonum fuit peritus*, baptismum alia, quaquam præscripta a Christo forma collatum, admissum fuisse.

Nec contrarium probant, quæ ex eodem S. Patre proferuntur: nam usurpata hæc a Basilio vox *Tradita*, nititur adversariorum responsio, accusativi est casus, ac neutrius generis; unde non potest referri ad *formam*, quæ subintelligatur, sed ad *dogmata*, quæ ab hæreticis defendantur: ita ut sensus sit, non valere baptismum ab iis datum, qui in verbis Evangelicis, licet exterius, ut par est, prolatis suum errorem intelligunt, quemadmodum Montanistæ, qui per Spiritum sanctum in forma baptismatis, alioquin ab eis expressum, suum Montanum intelligebant. Confirmatur illa explicatio ex eo, quod idem Basilius de Encratitis dicat, ideo eos non baptizasse in nomine Trinitatis, etiamsi eam explicite, & distincte dum baptizabant, soliti essent invocare, quia arbitrabantur, Deum, cujus nomine suos tingebant catechumenos, esse malorum effectorem; *Ne dicant enim* (inquit can. 47. 2. Epist. ad Amphilochium) *in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum baptizati sumus: qui quidem Deum esse malorum effectorem existimant instar Marcionis, & reliquarum hæresum*.

2. Basilius docet, Schismaticorum, inter quos recenset Novatianos, baptisma, aut admittendum esse, aut rejiciendum secundum morem provinciæ in qua quis versatur. At certe certius est Novatianos, qui nec circa Trinitatem, nec circa veritatem Incarnationis errarunt, intemeratam semper, ac integram servasse baptismatis formulam.

3. Basilius, cum de Encratitis seu Manichæis loquitur, ita rejicit eorum baptisma, ut tamen dicat a Romanis probari, contenditque opus esse Patrum Concilio, quo definiatur, num iterari debeat necne; *Quamobrem* (inquit Epist. 2. canone 17.) *si hoc placuerit, oportet plures convenire Episcopos, & sic canonem exponere, ut & is, qui fecit, sit extra periculum, & qui respondet, in responsione de iis fide dignus habeatur*. Sed cum sit falsum Romanam Ecclesiam œconomiæ causa aliquando admisisse baptismum absque forma a Christo præscripta datum; cum falsum quoque sit opus fuisse Concilio, quo definiretur, admittendum ne esset, aut rejiciendum baptisma, cui deessent verba Evangelica, nulla probabilitate nititur opinio, quæ asserit Encratitas, baptismatis Sacramentum cum verbis Evangelicis non administrasse. An autem eamdem formam, quam intemeratam illi hæretici in Oriente servabant, in Occidente corrupissent, Basilius non definit; sed aut S. Doctor erravit in facto, contendens nimirum Encratitarum baptisma Romanis probatum fuisse, aut dicendum est, eos, qui apud Latinos degebant peccasse in baptismatis formula; nusquam enim Ecclesia Romana aut admisit baptismum, cui essentialis forma defuerat, aut datum cum verbis Evangelicis, iterato contulit.

Alii, & quidem primi ordinis, Theologi ad argumentum petitum ex Basilii ad Amphilochium Epistolis respondent, S. Doctorem eorum tantum baptisma irritum judicasse, qui errabant circa Trinitatis mysterium, non autem eorum, qui de Incarnatione, aut aliis Ecclesiæ Catholicæ dogmatis impie sentiebant. Addunt ii Scriptores, ideo Basilium priorum baptisma proscripsisse, quod eos tamquam infideles habuerit; nondum enim tunc temporis (inquiunt) definitum fuerat, an baptisma a non baptizatis collatum valeret.

Sed cum Basilii principiis stare non potest ea responsio. Et sane 1. perabsurdum est asserere, Arrianos, & Macedonianos tamquam gentiles a Basilio habitos fuisse 2. Novatianorum baptisma irritum judicavit, quippe qui asserat, se eos, cum redibant, solitum fuisse tingere. At Novatiani nec circa Trinitatem, nec circa Incarnationem errabant, unde & ab illo S. Doctore non inter hæreticos, sed tantum inter schismaticos recensentur, proindeque apud eum tamquam infideles audiri non poterant. 3. Basilius (ut Theologi, quos impugnamus, asserunt,) de quocumque circa Trinitatis fidem errante loquitur, definitque baptisma ab eo collatum non valere, eo quod gentilis censeatur. At primi illarum hæreseon authores a Catholicis tincti fuerant, illi ergo, utpote non infideles, baptizarant eos, qui illorum sectæ nomen dederant, & isti alios, qui ad eam postea accesserunt; proindeque tamquam gentiles, seu tamquam non baptizati, a Basilio haberi non potuerunt.

De mente Athanasii circa baptismum in hæresi datum.

Conclusio, Athanasio ratum non fuit baptisma ab hæreticis collatum.

Probatur. Athanasius docet baptisma ab Arrianis datum, esse vanum, & inutile, esse nudam baptismatis speciem, & inane simulacrum, differre a vero baptismate; sicut creator a creatura: sic nimirum loquitur S. Doctor sermone tertio contra Arrianos,

Qui

Qui (quæso) igitur non plane vanum ac inutile fuerit baptisma, quod ab illis datur, cum id non nisi species sit, & inane simulacrum. Sicuti igitur creatura diversum quiddam est a filio: ita diversum quiddam a vero baptismate est quod ab illis existimatur dari.

Nec argumentum solvunt, qui respondent, Athanasium loqui de Arrianis, qui suum de filio Dei errorem in baptismatis forma exprimebant.

Primo enim ea solutio nullo fundamento nititur, cum nullus Antiquorum textus proferri possit, quo probetur Arrianos quamdiu Athanasius vixit, temerasse præscriptam a Christo baptismatis formulam: Unde Concilium 1. Constantinopolitanum illud non esse iterandum definit,

2. Athanasius expresse asserit, tres SS. Trinitatis personas ab Arrianis, quos impugnat, distincte dum baptisma conferrent, appellatas fuisse; *Tametsi* (inquit) *nomen Patris & Filii, quia illa in Scripturis videat, simulent se nominare*. Idem clarius paulo post his verbis enarrat. *Qui cum Ario sentiunt, etiamsi recitent scripta, proloquanturque ipsa nomina, frustrantur, illuduntque iis, qui ab ipsis baptisma accipiunt.* Idem quoque hæc, quæ subjungit, confirmant; *Non enim qui simpliciter ait, Domine, is est, qui donat legitimum baptisma, sed qui nomen exprimit, & fidem rectam habet*; Quasi dixisset S. Doctor: Ad conferendum baptisma non satis est uti verbis Evangelicis, quemadmodum, ut quis gloriam cœlestem consequatur, non sufficit, ut oretenus dicat, *Domine &c.* sed oportet præterea, ut Sacramenti minister catholicum sensum intelligat in verbis, quibus inter baptizandum utitur.

Rationem cur recta fides in eo, qui mysterium conficit, requiratur, S. Pater ex Scripturis desumit, *Ideoque* (inquit) *Salvator non quovis modo baptizandum præcepit, sed primum dixit, Docete, ac deinde baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Quibus quidem verbis significatur, ideo sanam de Trinitate fidem esse in baptismatis ministro necessariam, quod Christus voluerit, ut cathecumenus, antequam baptizetur, eam doceatur; sensum illum ipsemet Athanasius aperit; *Ut ex doctrina recta* (inquit) *fides oriretur, & cum fide baptismatis integra initiatio perficeretur.*

Ex hactenus dictis confutata manet R. P. Natalis Alexandri senteotia, qua contendit Arrianorum baptisma, Athanasio non visum fuisse, secundum substaotiam, diversum ab eo, quod in Ecclesia Catholica confertur, sed tantum secundum effectum.

Nec alicujus est momenti, quod oppooitur, nempe S. Doctorem sermone 3. contra Arrianos sæpius repetere, quod illi hæretici *inutilem possideant aquam, quam impartiuntur*; quod ii, qui ab illis adsperguntur, *sordescant potius prava religione, quam redimantur*, quod ii *qui in nomine ejus, qui non est, baptisma suscipiunt, nihil suscipiunt, creaturæque coaptati nullam ex re creata opem sentiant*. Scilicet eæ, similesque sententiæ sunt conclusiones, quæ necessario consequuntur ex principio, quod Athanasius supponit, irritum nimirum esse, ac inane, etiam secundum substantiam, Arrianorum baptisma.

Optati Milevitani de hæreticorum baptismate sententia proponitur.

Conclusio. Optatus Milevitanus rejecit baptisma ab hæreticis datum; sed a schismaticis collatum admisit.

Probatur. Optatus libro 1. contra Parmenianum Donatistam, subscribit senteotiæ, qua Schismaticus ille asseruerat non valere Sacramenta ab hæreticis collata: sed eam rejicit, quatenus in schismaticis locum habere contendit. *Vides ergo, frater Parmeniane, hæreticos a domo Dei extorres, solos habere varia, & falsa baptismata, quibus inquinatus non possit abluere, mundus emundare, supplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus absolvere. Bene clausisti hortum hæreticis, Bene revocasti claves ad Petrum: Bene abstulisti colendi potestatem, ne arbusculas colerent ii, quos ab hortulo, & paradiso Dei constat alienos: Bene subduxisti annulum iis, quibus aperire non licet ad fontem.*

Vix quidquam illis verbis apertius pro nullitate baptismatis ab hæreticis dati proferri potest; lux tamen eis affulget ex Schismaticis, quos Optatus hæreticis opponit; *Vobis vero schismaticis*, (inquit) *quamvis Catholici non sitis, hæc negari non possunt, quia nobiscum vera, & communia Sacramenta traxistis; quare cum hæc omnia hæreticis bene negentur, quid sibi visum est, hæc & vobis negare voluisse, quos schismaticos esse manifestum est.*

Respondet Natalis Alexander, Optatum non de omnibus hæreticis loqui, sed de iis tantum, qui baptismatis formulam corruperant: probat ex eo, quod Optatus inter eos, quorum baptisma rejicit, illos solum recenseat, *Qui falsaverunt symbolum ..... qui a Sacramentis Catholicis alieni esse noscuntur.*

Sed Optati mentem non videtur assecutus vir, alioquin doctissimus.

Nam 1. ex eo, quod hæretici, de quibus Optatus agit, symbolum corruperint, non recte colligitur eos hujusmodi corruptionem in ipsa baptismatis formula expressisse: alioquin inde pariter posset confici, hæreticos omnes, qui aut circa Trinitatem, aut circa Incarnationem blasphemarunt, baptismatis formam suis blasphemiis temerasse; quod quidem falsum est, cum nonnullorum baptisma omnes obique Catholici admiseriot.

2. Eo sensu Optatus asserit, symbolum a quibusdam hæreticis labefactatum fuisse, quod in verbis, ex quibus constat, suos errores subintellexerint: Et sane nullum reperire est hæreticum, qui in Symbolo hæc inseruerit; quæ Optatus subjicit, *Falsaverunt symbolum, cur alter dixerit duos Deos, cum Deus unus sit, alter Patrem vult in persona Filii cognosci, alter carnem subducens Filio Dei, per quam Deo reconciliatus est mundus*,

Magis ab Optati scopo ii recedunt, qui respondent, sanctum illum Episcopum loqui de baptismate secundum effectum, non vero secundum sobstantiam sumpto. Non minus enim in schismate, quam in hæresi, baptisma respectu peccatorum remissionis, & gratiæ producendæ virtute qualibet vacuum est: Ergo cum Optato probetur datum in schismate baptisma; collatum autem in hæresi, irritum sit, de eo secundum effectum accepto intelligi non potest.

Quid Cyrillus Hierosolymitanus de hæreticorum baptismate senserit?

Conclusio. Apud Cyrillum Hierosolymitanum baptisma ab hæreticis datum non valuit.

Probatur. Cyrillus Præfatione in Catecheses de omnibus hæreticis promiscue hæc habet, *Soli hæretici rebaptizantur. Siquidem prius illud non erat baptisma.*

Audiendi non sunt, qui respondent, Cyrillum de solis Paulianistis, aut aliis formulæ baptismatis corruptoribus locutum fuisse.

Primo eoim verba, quæ mox ex Cyrillo laudavimus, ex libro catechistico deprompta sunt: ergo stricte, ac indefioite sumenda sunt, præsertim cum Cyrillus nullibi exceptioni, quæ fingitur, locum dederit.

2. Cum Cyprianus, aliique Africani Præsules tertio sæculo definierunt, oullum esse baptisma ab hæreticis collatum, exponi non debent solum de Sacramento, cujus forma ab iis, qui sunt extra Ecclesiam, corrupta fuisset, sed intelligendi sunt de omni baptismate, quod extra unitatem fuisset collatum: Ergo eodem sensu sumenda sunt Cyrilli verba, quæ cum indefinita sint, si veræ sint logicorum regulæ, universalibus æquivalent.

§. II.

§. II.

Utrum Patres, quibus hæreticorum baptiſma inane viſum eſt, ſuum errorem aliquando depoſuerint?

CONcluſio . Nec Cyprianns , nec Firmilianus , nec Athanaſius , nec Baſilius , nec Cyrillus ſuam de hæreticis iterato baptizandis ſententiam , ante mortem depoſuerunt.

Probatur . Nihil in ſcriptis Patrum, de quibus in concluſiooe, legere eſt, quod eos a priore ſua ſententia aliquando receſſiſſe arguat : nihil quoque in antiquorum monumentis reperitur, ex quo Patres , de quibus agitur, priorem ſuam opinionem depoſuiſſe poſſit evinci. Immerito igitur Scriptores nonnulli , quibus prævivit Baronius, eos tandem in Stephani Papæ ſententiam abiiſſe contendunt.

Objicies 1. Auguſtinus Cyprianum ſuam de rebaptizandis hæreticis opinionem tandem aliquando depoſuiſſe cenſet; ſic enim Epiſt. 48. loqnitur , *Correxiſſe autem iſtam ſenteatiam, non invenitur : non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt , quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.*

Reſpond. 1. Auguſtinum de ea Cypriani correctione nihil certi ſtatuiſſe: eam S. Doctor ex S. Martyris pietate collegit ; ſed non omnino neceſſaria videtur hujuſmodi illatio, Cyprianus quippe praxim de rebaptizandis hæreticis , multis titulis commendatitiam habuit ; Conſuetudine, quæ in ſua Eccleſia ab Agrippini temporibus obtinebat ; Epiſcoporum tum Africanorum, tum Orientalium Conciliis, quibus probata fuerat, quæque a plenaria aliqua Synodo rejecta non fuerant ; Apparenti cum Scripturis conformitate, quam ſanctiſſimus martyr ſæpiſſime laudavit.

2. Catholici, qni apud Afros Stephano Papæ adhæſerant (neqne enim omnes Epiſcopi Africani conſenſerant rebaptizantibus) factam a Cypriano prioris ſententiæ correctionem ſuis Eccleſiis , ac poſteritati tradidiſſent; quam tamen eos aliquando tradidiſſe nullo poteſt veterum monnmento probari.

Objicies 2. Dionyſius Alexandrinus anno 259. litteras ad Stephanum Papam dedit , quibus eum de pace inter Orientales Eccleſias inita fecit certiorem. Inter eas autem Eccleſias, quæ prius inter ſe diſſidebant , quæque poſtea in concordiam redierunt , Cappadociam, & ipſum etiam Firmilianum, præcipuum in ea Antiſtitem, recenſet : *Jam ſcito , Frater ,* (inquit apud Euſebium lib. 7. cap. 3. alloquens Romannm Pontificem) *omnes Orientales Eccleſias, quæ antea fuerant propter errorum perverſitatem nonnulla diſſentione diſtractæ, ad concordiam denuo eſſe redactas. Omnes etiam Eccleſiarum præſides, qua ubique locorum ſunt, ſummo animorum conſenſu conſpirare, & ob pacem hanc, præter omnium expectationem conſtitutam, incredibili lætitia affici ;*

Nec eſt, quod quis dicat , Dionyſium eo loci loqui de concordia, ſeu de unanimi Epiſcoporum conſenſu in damnanda Novatianorum pravitate , non autem de pace inter præſules, qui hæreticorum baptiſmum iterabant, firmata, & eos, quibus idem baptiſma probatum erat: quanam enim ratione perfectæ, & integræ pacis vinculum inter eos eſſe potuiſſet, qui in re tanti momenti, quanti eſt rebaptizatio, diſſenſiſſent? ita doctiſſimus Annalium parens, Baronius argumentatur.

Reſp. Dionyſium revera de ſolo Novatiani ſchiſmate locutum fuiſſe: ita ut nihil aliud Stephano ſignificare voluerit , quam iſtud , nempe Epiſcopos , qui Novatianiſmi occaſione inter ſe diſſenſerant, exploſa ea novitate , pacem firmiſſimam inter ſe ipſos conciliaſſe.

Illius reſponſionis veritas non levibus nititur momentis. 1. De profligata Novatianorum hæreſi Euſebius refert Orientalium inter ſe concordiam : *Dionyſius igitur* (inquit hiſt. lib. 7. cap. 3.) *ubi longum ſermonem cum Stephano per litteras de hac controverſia contulit, tandem declarat quo pacto, perturbationis fluctibus ſedatis, omnes ubique Eccleſiæ, nova, ac perverſa Novati hæreſis pravitate repudiata pacem inter ſe conciliaſſent.* Oſtendi poteſt 2. ex Baſilio, qui in ſuis ad Amphilochium epiſtolis teſtatur morem omnes hæreticos, cum redeunt, iterum baptizandi , ſua ætate, adhuc obtinuiſſe in Eccleſia Cæſarienſi , quam Firmilianus ante rexerat; *Verum enim vero* (inquit 1. Epiſt. can. 1.) *Antiquis viſum eſt, Cypriano dico, & noſtro. Firmiliano , eos omnes uni calculo ſubjicere Catharos, & Encratitas, & Hydroparaſtatas, & Apotacticas: quoniam ſeparationis quidem principium , per ſchiſma; qui autem ſe ab Eccleſia abjunxerant, non habent amplius in ſe gratiam Spiritus.* Si Firmilianus , cæterique Orientales priorem de rebaptizatione ſententiam depoſuiſſent, illorum correctionem eo loci Baſilius retuliſſet , antiquatam a ſuis prædeceſſoribus praxim non ſuſcitaſſet e tumulo; proindeque initiatos ab hæreticis, in eadem Eccleſia , cui Firmilianus præfuerat, alio baptiſmate non conſecraſſet.

Nec alicujus eſt ponderis Baronii argumentatio conteſtantis , Dionyſium de pace inter Orientales inita non potuiſſe Stephano gratulari, ſi nonnullæ ex Eccleſiis, de quibus ad ipſum ſcribit, rebaptizationis praxi adhæſiſſent , rejeciſſent vero aliæ.

Et ſane Orientales Epiſcopi iteratam baptiſmatis collationem non perpendebant tamquam articulum, qui ad fidem , aut mores ſpectaret , ſed tamquam rem, quæ unius eſſet diſciplinæ ; ac proinde pacis vinculum inter collegas non ſolveret . Nemini debet eſſe dubium , quin Orientis Epiſcopi, qui ab hæreticis tinctos iterum tingebant, eadem ratione in alios , quibus hæreticorum baptiſma ratum erat, ſe geſſerint , qua Cyprianus antea in eos , qui ſibi non conſenſerant , ut adhærerent Stephano Papæ: At Cypriannm adverſantes ſibi in cauſa baptiſmatis Epiſcopos non damnaſſe, nullum ab eis feciſſe ſchiſma certo certius eſt : *Hæc tibi breviter pro noſtra mediocritate ſcripſimus, Frater chariſſime,* (inquit Jubajannm alloquens) *nemini præſcribentes , aut præjudicantes, quo minus unuſquiſque Epiſcoporum , quod putat, faciat, habeas arbitrii ſui liberam poteſtatem. Nos quantum in nobes eſt, propter hæreticos, cum collegis, & coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam , & Dominicam pacem tenemus: maxime cum Apoſtolus dicat: Si quis autem putaverit ſe contentioſum eſſe , nos talem conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei.* Eamdem ad Jubajanum Cypriani ſententiam Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium, cap. 1. recitat, nec non eam , qua in Synodo ſic fuerat conteſtatus; *Neminem judicantes, nec a Jure communionis aliquem , ſi adverſus ſenſerit, amoventes ,* Qnibus qnidem iteratis a Cypriano ſententiis patet Epiſcopos (illæſo charitatis , & communionis vinculo) potuiſſe de hæreticorum baptiſmo diverſa ſentire. Atque ita Dionyſius aſſerere potuit, Orientales, exploſa Novatianorum pravitate, pacem iniiſſe, quamvis in cauſa baptiſmatis extra Eccleſiam dati , inter ſe non convenirent.

Objicies 3. Auguſtinus tamquam verum ſupponit , quod Creſconius Donatiſta aſſeruerat, nempe Orientales, ſuam de rebaptizatione ſententiam aliquando depoſuiſſe; ſic enim libr. 3. contra eumdem Creſconium cap. 2. loquitur : *Major autem veſtri, quibus tale teſtimonium perhibuiſti, quod ab Orientalium propterea communione diſcreti ſunt, quia illi ſuum judicium reſciderunt, quo eis placuerat de iſta baptiſmi quæſtione Cypriano, atque illi Africano Concilio conſentire oportere, contra Cyprianum fecerunt . Debuerant enim cum collegis ſuis, etiam in hac quæſtione diverſa ſentientibus, tenere communionis unitatem; quod in ſuis litteris feciſſe legimus Cyprianum.*

Reſp. 1. Auguſtinum ex adverſarii, quem impugnat conceſſione , argumentari: unde ipſi curæ non fuit, an ea conceſſio veritate niteretur . 2. Nihil aliud, ex ea Auguſtini ſuppoſitione Baronium , eique conſentientes eliciunt, quam illud ; ſcilicet apud Orientales, qui eo tempore florebant, quo Donatiſtarum ſchiſma conflari cœpit, baptiſma ab hæreticis collatum valuiſſe: ſed inde colligere non poſſunt,

Fir-

Firmilianum ipsum, Iconiensis, ac Synadensis Conciliorum Patres, snum rescidisse judicium. Et sane cum Cæciliani Carthaginensis ætate, prima Donatistarum schismatis jacta fuerunt fundamenta, Firmilianus, aliique rebaptizantes Episcopi Orientales diem extremam clauserant.

Objicies 4. Hieronymus adversus Luciferianos scribens, conceptis terminis asserit, Episcopos, qui Cypriano rebaptizanti subscripserant, a vetere sua sententia discessisse; *Illi ipsi Episcopi* (inquit) *qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum*. Ergo &c.

Resp. Factum, quod in medium profert, Hieronymus, qui extra Africam versabatur, Augustinum in Africa Episcopum, in dubium revocasse; nec enim illud unquam asserere ausus est, *Fortasse* (inquit libr. 2 de Baptismo contra Donatistas) *factum est, sed nescimus*: Omnibus pergratum fecisset Hieronymus, si commentaria, ubi id legerat, quæque in Augustini manus numquam venerant, posteritati commendasset.

Objicies 5. Athanasius, ex Alexandrina Synodo habita anno 362. ad Eustathianos rescribens, monet, ut nihil alind exigant a Meletianis, qui ante Meletii ad Episcopatum Antiochenum promotionem, ab Arrianis baptizati fuerant. *Quam, ut execrentur Arrianorum hæresim, confiteanturque sanctorum Patrum in Nicæa fidem; execrentur item eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse creaturam, & divisum ex substantia Christi*. Tunc temporis igitur Athanasio prior de hæreticorum baptismate sententia displicuerat; alioquin enim author fuisset Eustathianis, ut Meletianos in communionem redeuntes iterum tingerent.

Resp. nego conseq. Ratio est 1, quia, non dimissa priore sententia, Athanasins sensisse potuit, Meletianos alio baptismate consecrandos non esse, œconomiæ scilicet: ac dispensationis causa, ut facilius cum Eustathianis in concordiam redirent. 2. Consuetudo hæreticos iterum abluendi forte in Ecclesia Antiochena non invaluerat: unde Athanasius in illius disciplina nihil, quoad illum caput, innovandum esse censuit: Quamvis enim illi hæreticorum baptisma non probaretur, arbitratus est, hæreticos per simplicem in Ecclesiæ sinûm admissionem posse veniam consequi; cur enim idem non sensisset cum Cypriano, quem in rebaptizatione ducem habuerat. At Cypriano visum est, hæreticos ad unitatem redeuntes, per charitatis vinculum justitiam consequi posse; *Cum Arbitraretur* (inquit Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 13.) *eos, qui extra Ecclesiæ communionem baptizarentur, baptismum non habere, credidit eos tamen in Ecclesiam semper admissos, propter ipsius unitatis vinculum posse ad veniam pervenire*.

§. III.

Utrum Orientales, & Africani Patres peccarint, quod faverint rebaptizationi?

Conclusio. Nec Africani Patres, nec Orientales peccarunt, quod rebaptizationi faverint.

Probatur 1. Nullus ex antiquis Patribus, qui contra Ciprianum, consentientesque illi Episcopos, baptismatis ab hæreticis dati veritatem propugnarunt, asseruit, Africanos, aut Orientales, alicujus peccati reos factos fuisse; præcise eo quod receptum in hæresi baptismum iteraverint.

Probatur 2. Africani, & Orientales causam de baptismate ad meram disciplinam, non autem ad fidem, aut ad mores pertinere judicarunt. Eo nixi principio arbitrati sunt, unamquamque provinciam Ecclesiasticam potuisse leges condere, quibus hæretici ad baptizandum inhabiles fierent; non absimili modo, quo hac ætate plures Theologi, inter quos Morinus, censent, Ecclesiam suis statutis quondam effecisse, ne ordinario ab hæreticis, imo & ab ipsis Catholicis, sed canonum infractoribus, data non valeret. Hac de quæstione legendus est Morinus a quo de sacris ordinationibus agente fusius pertractatur.

Quod antem landati Episcopi tum in Africa, tum in Oriente quæstionem de baptismo ad meram disciplinam referrent, quam tamen Concilium Tridentinum decimo sexto sæculo ad fidei dogma pertraxit, ex multis capitibus evincitur.

Firmilianus, salvo unitatis vinculo, ea in causa dissentiri posse perspicue affirmat ad Cyprianum his verbis rescribens, *Circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat quis, esse apud Romanos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur; secundum quod in cæteris quoque pluribus provinciis multa pro locorum, & nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace, atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc facere Stephanus ausus est rumpens adversum vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore, & honore mutuo custodierunt*. Ex Firmiliano igitur, quæstio, de qua agitur, non fidei aut morum erat, sed disciplinæ; neque enim, salva pace, Ecclesiæ in fide, aut moribus, ab invicem dissentire possunt: Causam de baptismate Firmilianus cum consuetudinibus comparat, quæ variis in locis diversimode observantur. Ergo eam ad meram disciplinam reduxit.

Cyprianus idem in Africa sensit, quod Firmilianus in Oriente: hæc enim, quæ jam supra laudavimus, ad Jubajanum scripsit, *Hæc tibi breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quominus unusquisque Episcoporum, quod putaverit faciat, habens arbitrii sui liberam facultatem*. Idem repetit S. Martyr in Concilio 87. Episcoporum, in quo contra Stephanum, rebaptizationem definivit.

Luce Meridiana clarius est, Basilium idem de lite, de qua est quæstio, tulisse judicium: nam 1. quamvis in Cypriani, non hæreticos tantum, sed & schismaticos iterum tingentis sententiam propenderet; œconomiæ tamen causa patitur, ut schismatici redeuntes denuo non baptizentur. *Sed quoniam* (inquit de Novatianis in sua priore Epistola canonica ad Amphilochium) *nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum œconomiam, & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur*. 2. Licet iterandum ducat Encratitarum baptisma, an tamen in praxi iterato conferri debeat, provinciarum consuetudini permittit; *Quoniam nihil est de his aperte dictum, oportet nos eorum baptisma abrogare: quod si hoc universali œconomiæ sit impedimento futurum, rursus consuetudine utendum est, & sequi oportet patres, qui quæ ad nos pertinent, providerunt*.

Augustinus eodem modo de rebaptizandi more loquitur, quo ipsimet rebaptizandi defensores; quippe qui centies eum *consuetudinis* nomine appellitet: cum e contra Catholicorum rebaptizationem nefandum scelus vocet, *Ego autem* (inquit lib. de unico baptismo contra Petilianum cap. 13.) *ut quod de hac re sentio, breviter dicam: rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis*.

Objicies 1. Augustinus in suis de Baptismo libris contra Donatistas non raro asserit, Cyprianum hæreticos iterato tingentem peccasse. Eam enim Cypriani praxim libr. 1. cap. 18. vocat *humanæ infirmitatis errorem*. 2. Docet eum errorem abundanti charitate, qua flagrabat Cyprianus, redditum fuisse venialem, *Qua* (charitate) *absente* (inquit ibidem) *cætera inaniter habentur, eadem præsente, quædam venialiter non habentur*. 3. Contendit, eum ad *palmam martyrii pervenisse, ut si qua in ejus lucidam mentem ex humana conditione nebula irrepserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugaretur*. 4. Dicit ejus erratum, *charitatis ubertate pensatum, & passionis falce purgatum esse*. 5. Asserit *illum nævum in candore sanctissimæ animæ charitatis ubera contexisse*. Ergo ex Augustino, peccavit Cyprianus, præcise quod ab hæreticis baptizatos iterum baptizaret.

Respond. nego conseq. Ratio est, quia Augustinus

nus allatis in locis, de Cypriani erga redeuntes hæreticos praxi, nequaquam loquitur, quaſi aſſerat Cyprianum peccati reum factum fuiſſe, quod irritum cenſeret hæreticorum baptiſma: Sed agit de modo, quo decretum Stephani rebaptiaationem prohibentis excepit. Cyprianus cauſæ, quam propugnabat, ſtudio abreptus, duriuſcule reſpondit Stephano, cui alioquin tamquam Eccleſiæ Catholicæ capiti debebat reverentiam: nam acerbioribus eum dicteriis laceſſivit, imo & affecit contumeliis; Sic enim in Epiſt. ad Pompejum Sabratenſem in Africa Epiſcopum de SS. Pontifice loquitur, *Nam inter cætera, vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperite, atque improvide ſcripſit, etiam illud adjunxit, ut diceret, ſi quis ergo &c.* Eadem Epiſtola Stephanum non ſemel præſumptionis, contumaciæ, & obſtinationis inſimulat; *Fit autem* (inquit) *ſtudio præſumptionis, & contumaciæ, ut quis magis ſua prava, & falſa defendat, quam ad alterius recta, & vera conſentiat.* Ipſe Auguſtinus mentem aperit ſuam, explicat nimirum in quo peccatum, cujus eum inſimulat, poſitum ſit; agens de illius ad Pompejum epiſtola, libro 5. de Baptiſmo contra Donatiſtas capite 25. hæc ſcribit, *Jam illa, quæ in Stephanum irritatus Cyprianus effudit, retractare nolo, quia & non opus eſt. Ea præterire melius eſt, quæ periculum pernicioſæ diſſentionis habuerant.* Animadvertere quiſque poteſt, Auguſtinum iis verbis, peccatum Cypriani in eo ſtatuere, quod intemperantius quam par eſſet, & minus reverenter quam oportuerat, Stephani decretum exceperit.

Objicies 2. Eſto, non peccarit Cyprianus, cum in ſuo priore Concilio Carthaginenſi definit, hæreticos redeuntes alio debere initiari baptiſmate, peccaſſe ſaltem convincitur; quod poſtea Stephano Papæ ſuo digniſſimo præpoſito rebaptizationem proſcribenti, & antiquam conſuetudinem opponenti obtemperare detrectarit. Ergo &c.

Reſpond. nego ant. Ratio eſt 1. quia Cyprianus cum pleriſque Africanis Epiſcopis ad varia Concilia coactis; ratus rebaptizationis cauſam ad meram diſciplinam pertinere, unius Romani Pontificis decreto convelli non poſſe judicavit.

2. Non unam tantum Africæ provinciam, ſed multas alias, Numidiam nimirum, & Mauritaniam ſibi habuit conſentientes, imo & plures Tranſmarinas, quibus viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi præerant. Cenſuit igitur, Stephanum pro antiquanda hæreticorum rebaptizatione immerito totius Eccleſiæ Catholicæ praxim opponere.

3. Ut jam ſupra obſervavimus, praxis de hæreticis rebaptizandis non nuper exorta fuerat in Africa, ab Agrippino ſcilicet, qui multis ante Cyprianum annis e vivis exceſſerat, obtinebat apud Carthaginenſes: atque ita Cyprianus arbitrabatur, ſe teneri ad diſciplinæ defenſionem, quam Eccleſia, cui præerat, ſe a majoribus accepiſſe gloriabatur.

4. Cyprianus exiſtimabat diſciplinæ, ac praxis quæſtionem, circa quam plurium, & quidem inſignium, ac ampliſſimarum, ut ſibi videbatur, Eccleſiarum non una erat mens, definiri non poſſe niſi per generalem, ac Plenariam totius orbis Synodum, cui S. Martyr haud dubie ſeſe ſubjeciſſet, ut his verbis lib. 2. de Baptiſmo capite 4. Auguſtinus edocet, *Quapropter Sanctus Cyprianus tanto excellentior, quanto humilior .... ſatis oſtendit facillime ſe correcturum ſeatentiam ſuam, ſi quis ei demonſtraret, baptiſmum Chriſti ſic dari poſſe ab iis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exiret. Unde multa jam diximus, nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima authoritate firmati, cui & ipſe ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata, & declarata per Plenarium Concilium ſolidaretur.*

Objicies 3. Etiamſi detur, Cyprianum, adhærenteſque illi Epiſcopos crimen non incurriſſe, præciſe quod ab hæreticis tinctos iterum tingerent; Athanaſius tamen, Baſilius, & Cyrillus Hieroſolymitanus, cum rebaptizationi faverunt, peccato ſe graviſſimo devinxere: Et ſane ideo excuſatur Cyprianus, quia (ut advertit Auguſtinus) ſancti illius martyris ætate, quæſtio de hæreticorum baptiſmate nondum in Plenario Concilio eliquata, ac definita fuerat. Sed non valet ea ratio pro Athanaſii, Baſilii, & Cyrilli errore elevando: Auguſtinus ſcilicet aſſerit, Plenarium illud Concilium, quo lis de hæreticis iterum baptizandis omnino dirempta fuit, celebratum fuiſſe, antequam ipſe prodiiſſet in lucem, ſcilicet ante annum 357. proindeque, antequam Baſilius, & Cyrillus Epiſcopatu fungerentur; imo ſi Plenarium illud Concilium, fuerit vel Arelatenſe primum, vel Nicænum, antequam Athanaſius Alexandrinorum inauguratus fuiſſet Patriarcha.

Reſpondent ad argumentum authores, quibus videtur primum Arelatenſe Concilium eſſe illam Synodum Plenariam, in qua definitum fuit valere baptiſmum ab hæreticis collatum; Reſpondent (inquam) 1. acta prioris Synodi Arelatenſis, utpote apud Occidentales in cauſa Donatiſtarum (Occidentalium ſchiſmaticorum) habitæ, relatos in argumento Patres omnino latuiſſe; Suam ſolutionem ex eo confirmant, quod nulli Orientales Patres, cum de hæreticorum baptiſmate ſermonem habuerunt, imo & cum ipſum aſſerverunt valere, Arelatenſis decreti aliquo modo meminerint. 2. Contendunt iidem authores, quod licet ad laudatorum Patrum notitiam primæ Synodi Arelatenſis acta perveniſſe ſupponantur; non ſequatur tamen baptiſma datum ab hæreticis debuiſſe illis probari: illius ſiquidem Concilii definitionem, ad œconomiam referre potuerunt. Nec mirum, (inquiunt) cum Baſilius aſſerat, Encratitas, alioſque ſimiles Gregarios a Romanis *œconomiæ cauſa* non ſolitos fuiſſe baptizari, quando in Eccleſiæ ſinum redibant.

Confirmatur, ex eo, quod Patres, de quibus in argumento Concilii Arelatenſis, de hæreticorum baptiſmate decretum perpendere potuerint, ſicut laudatus mox Baſilius perpendit definitionem, ab Aſiaticis latam de hæreticis abſque novo baptiſmate admittendis: At nemini dubium eſt, quin Baſilius eam Aſiaticorum definitionem ad diſciplinam, & œconomiam retulerit. *Quoniam* (inquit Epiſtola 1. Canonica ad Amphilochium de Novatianis loquens) *nonnullis Aſiaticis omnium viſum eſt propter multorum œconomiam, & diſpenſationem, eorum baptiſma ſuſcipi, ſuſcipiatur.*

Reſpondent ad idem, de quo agitur, argumentum Theologi, qui cenſent Concilium Nicænum primum Synodum eſſe Plenariam, in qua ex Auguſtino, hæreticorum redeuntium rebaptizatio proſcripta fuit, reſpondent (inquam) 1. Nicænos Patres ſecundum Baſilii, & aliorum calculum, œconomice pariter locutos fuiſſe, proindeque judicarunt, ab eis abrogatam non fuiſſe rebaptizationem iis in provinciis, in quibus invaluerat.

Illam reſponſionem ex ipſo Baſilio probant, qui quidem Epiſtola prima ad Amphilochium hæc de Encraritis habet, quæ paragrapho ſuperiore jam laudavimus; *Exiſtimo ergo quod .... oportet nos eorum baptiſmum abrogare, & ſi quis ab eis acceperit, eam ad Eccleſiam accedentem baptizare. Quod ſi hoc univerſali œconomiæ ſit impedimento futurum, rurſus conſuetudine utendum eſt.*

Probant iterum ex loco mox relato, ubi S. Doctor conceptis terminis aſſerit, Aſiaticos (quorum nomine R. P. Nicolaus Dominicanus Nicænos Patres intelligit) admiſiſſe tamquam ratum, ac verum Novatianorum baptiſma, quod Firmiliano, & Cypriano inane viſum fuerat. *Sed* (ut ait) *propter multorum œconomiam, aut diſpenſationem.*

Præterea (ajunt idem Theologi) Concilium Nicænum omnium hæreticorum baptiſma, in forma alioquin a Chriſto præſcripta collatum, expreſſe non probavit, ſed implicite tantum, quatenus nempe, canone 9. definiit, Paulianiſtas, cum in Eccleſiam redeunt, eſſe denuo baptizandos, quippe qui in ſua ſecta per Sanctiſſ. Trinitatis invocationem tincti non fuerint; Canone autem 8. præſcripſit, ut Novatiani,

F utpo-

utpote verbis Evangelicis abluti, per manuum impositionem, non autem per aliud baptisma, recipiantur; Addunt illi scriptores, Basilium, aliosque Patres, qui post Nicænum Concilium hæreticos alio baptismate mitarunt, illationem non dedexisse: quæ indirecte sequitur ex diversa ratione, qua Sacra Synodus Paulianistas, & Novatianos admitti voluit.

§. IV.

Quid circa hæreticorum baptisma & egerit, & senserit Stephanus Papa?

STephanus Papa primus, in causa baptismatis apud hæreticos recepti multa egit, & quidem notatu dignissima, quæ hic referamus oportet.

1. Anno 258. Stephanus ad Synodicam Epistolam a Concilio Africano de hæreticis rebaptizandis missam rescripsit. Licet illius litteræ non extent, ex iis tamen quæ eodem anno Cyprianus ad Pompejum Episcopum Sabratensem dedit, quid continerent, satis intelligitur; *Quia desiderasti* (inquit) *in notitiam tuam perferri; quæ mihi ad litteras nostras Stephanus Frater noster rescripserit misi tibi rescripti ejus exemplum, quo lecto magis, ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos, & contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cætera, illud etiam adjunxit; Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam: Cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum*: In quæ Stephani verba quid intemperanter Cyprianus effutierit suo loco diximus.

2. Idem SS. Papa missos ad se legatos ex Concilio Carthaginensi, in quo rebaptizatio definita fuerat, nec audire voluit, nec pati, ut Romæ apud fideles hospitarentur. *A quibus* (verba sunt Firmiliani de Stephano per ironiam loquentis Epistola ad Cyprianum conscripta) *legatos Episcopos patienter satis, & leniter suscepit, ut eos nec ad sermonem, saltem colloquii communis, admitteret: adhuc insuper dilectionis, & charitatis memor, præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, & venientibus non solum pax, & communio, sed tectum, & hospitium negaretur*.

3. Laudatus Papa tum Orientalibus, tum Africanis rebaptizantibus, nisi resipiscerent, excommunicationem minatus est. *Dat honorem Deo* (inquit Cyprianus Stephani decretum Epistola ad Pompejum, subsannans) *qui hæreticorum amicus, & inimicus Christianorum, sacerdotes Dei, veritatem Christi, & Ecclesiæ unitatem tuentes abstinendos putat*.

De omnibus, quæ huc usque enarravimus, nullus est, qui non conveniat: sed de tribus aliis capitibus non levis est inter authores dissensio: Primo enim nonnulli contendunt, Stephanum Papam potestatis suæ limites transiliisse, cum in rebaptizantes excommunicationis minas intentavit. 2. Alii afferunt, non comminatoria tantum, sed actuali, & quidem debita excommunicatione Stephanum in sibi contradicentes Episcopos sævisse. 3. Aliqui eumdem Papam erroris insimulant in omnium hæreticorum baptismo probando, peræque, ut Cyprianum in omnium repudiando. Quodnam de iis controversiis feramus judicium subsequentibus titulis dicemus.

Utrum Stephanus Papa Episcopis hæreticos rebaptizantibus, excommunicationis minas jure intentarit?

COnclusio. Stephanus Papa Episcopis hæreticos rebaptizantibus, excommunicationem jure minatus est.

Probatur 1. Spectato stricto jure, id Stephanus minari potuit, quod a Synodo Tridentina, proxime elapso sæculo, peractum est. Ergo, cum sacra illa Synodus eos, qui hæreticos denuo baptizarint, anathemate mulctaverit; Stephanus olim easdem minas suis adversariis potuit intentare.

Probatur 2. Sententiæ, quæ hæreticorum baptisma, irritum esse statuebat quinquaginta tantum Orientales, & nonaginta Africani Episcopi subscripserant: e contra vero stabant pro Stephano cæteri fere omnes orbis Antistites, ut his verbis lib. 3. contra Cresconium cap. 3. Augustinus asserit, *Proinde jam si omnino credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit*. Exigua ergo illa pars, quæ suo toti non concinebat, gravissima intentata pœna ad illum concentum urgeri potuit.

Objicies 1. Nec Orientales, nec Africani præsules peccarunt præcise, quod rebaptizationi patrocinati fuerint, alioquin, cum priorem sententiam numquam deposuerint, dicendum esset, eos cum Firmiliano, Cypriano, Basilio, Cyrillo Hierosolymitano in gravis peccati affectu excessisse e vivis: quod quidem quam dictu impium sit, nemo non videt. Ergo Stephanus excommunicationem eis minari non potuit; illa enim omnium gravissima pœna, non nisi propter lethale scelus infligi potest.

Respond. concesso antecedente, nego consequentiam. Ad cujus probationem dico, convenire omnes rebaptizantium errorem futurum fuisse peccatum lethale post Plenariam totius orbis Synodum, in qua expresse, ac explicite proscriptus fuisset: Merito igitur Stephanus excommunicationem minitatus est, qua contumaces mulctari debuissent, *veritate* (ut ait Augustinus) *eliquata, & declarata per Plenarium Concilium*, cui haud dubie (ut idem S. Pater asserit) Cyprianus cessisset.

Objicies 2. Res, quæ unius sunt disciplinæ, non vero morum, aut fidei, ad causam anathematis trahi non possunt: penes enim est unamquamque Ecclesiam suis stare ritibus, suis usibus adhærere; Id nimirum in Epistola ad Januarium & docet, & confirmat Augustinus. Atqui rebaptizationis causa, ad meram disciplinam, non autem ad mores, aut ad fidem spectat; cum a Patribus, qui ipsi quondam patrocinati sunt, consuetudo, aut œconomia plerumque vocitetur.

Respond. 1. negando majorem; cujus quidem falsitas multis argumentis potest demonstrari.

Nam 1. summa erat, tertio ineunte sæculo, Ecclesiarum consensio de anathemate in quoslibet, aut circa disciplinam, aut circa fidem novantes jaculando, *Adversarius Spiritus* (inquit Tertullianus lib. de Monogamia) *ex diversitate prædicationis apparet. Primo regulam adulterans fidei, & ita ordinem adulterans disciplinæ. Quia cujus gradus prior est, ejus corruptela antecedit: idest fidei, quæ prior est disciplina. Ante quis de Deo hæreticus sit necesse est, quam de instituto*. Ergo non solum circa fidem, aut mores quis potest hæresim condere, sed & circa institutum, seu circa disciplinam, ac proinde, nisi resipiscat, anathemate plecti potest.

Circa medium tertium sæculum idem vigebat usus. Tunc tempore quippe huncce canonem Eliberitana Synodus edidit, *Pravam institutionem emendari placuit, juxta authoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus, non Quadragesimam, sed quinquagesimam. Quod qui non fecerit, novam hæresim induxisse notetur*:

3. Eadem, quarto sæculo, obtinebat praxis; in concilio nimirum Nicæno primo Quartadecimani proscripti sunt, quod cum Judæis die 14. Lunæ mensis Martii, in quamcumque diem incideret, Pascha celebrarent. Quamvis ex ejusdem Concilii actis expresse non constet in eos fuisse vibratum anathematis fulmen, tamen id ex eo conjicere licet, quod qui hæresum catalogum texuere, eos inter hæreticos recensuerint, ut apud Philastrium capite 11. & 39. Augustinum capite 29. Epiphanium hæresi 50. videre est.

Respond. 2. data majori propositione, nego min. Etsi enim hæreticorum rebaptizatio Patribus, qui ipsi patrocinati sunt, visa sit unius esse disciplinæ; reipsa tamen erat fidei, quippe quæ hocce dogma con-

convelleret, nempe baptiſmatis Sacramentum, ſecundum formam a Chriſto præſcriptam conferri poſſe, abſque eo quod characterem indelebilem recipientibus imprimeret. Confirmari poteſt ea reſponſio ex Synodo Tridentina, quæ non in reformationis capita, ſed in canonem fidei, hunc, de quo agitur, articulum retulerit, *Si quis dixerit* (inquit Concilium ſeſſ. 7. de Bapt. can. 4. *baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis .... non eſſe verum baptiſmum, anathema ſit.*

Utrum Stephanus Papa in Epiſcopos ſibi repugnantes actuali excommunicatione animadverterit.

CONcluſio. Stephanus Papa actuali excommunicatione in Epiſcopos ſibi repugnantes non animadvertit.

Probatur 1. Apud veteres, qui de Cypriani cum Stephano controverſia ſcripſerunt, de fulmine in Firmilianum, Cyprianum, alioſque illis adhærentes Epiſcopos vibrato altiſſimum eſt ſilentium.

Euſebius nihil aliud enarrat, quam iſtud, Stephanum nempe in eos fuiſſe commotum; *verum* (inquit lib. 7. hiſt. cap. 3.) *Stephanus nihil novi, aut adversi a Traditione ex Apoſtolorum temporibus derivata moliendum arbitratus, hac de re animo vehementer commotus fuit.*

Hieronymus hoc unum de Cypriano ſcribit, quod ejus conatus, renitente Stephano, incaſſum fuerit. *Conatus eſt B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcirco hæreticorum baptiſma reprobans ad Stephanum tunc Romanæ urbis Epiſcopum, qui a B. Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit, ſed conatus ejus fruſtra fuit.* Verba ſunt mox laudati Patris contra Luciferianos agentis.

Vincentius Lirinenſis Commonitorii cap. 9. non aliud de Stephano prædicat, quam conſtantem in comprimendis tum Africanis, tum Orientalibus fortitudinem; *Cum ergo undique* (ait) *ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit, dignum* (*ut opinor*) *exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat.*

Ipſemet Cyprianus ad Pompejum ſcribens ſibi quidem a Stephano intentati fulminis meminit, at vibratum non refert: id alioquin nequaquam prætermiſſurus, vir, ut erat tunc, exulcerato in illum animo, quique in epiſtola ad Pompejum nihil intentatum reliquit, ut ſuo adverſario conflaret invidiam.

2. (Ut oſtenſum fuit ſuperius) nec Firmilianus, nec Cyprianus, nec alii, aut Africani, aut Orientales Epiſcopi, qui tantum abeſt, ut Stephani decreto adhærerent, quin potius ei aperte contradixerint, ac variis tum argumentis, tum dicteriis impugnaverint, illi (inquam) Præſules priorem ſuam de hæreticis denuo baptizandis ſententiam, ante obitum non depoſuere: illos tamen in pace Eccleſiæ, nullo irretitos anathematis vinculo e vivis exceſſiſſe ex multis capitibus poteſt demonſtrari.

Eccleſia Græca Firmilianum ſanctorum albo inſcripſit. Baſilius eum in priore ſua ad Amphilochium epiſtola, mirificis extollit laudibus. Illum (teſte Euſebio lib. 7. hiſt. cap. 22.) Patres prioris Concilii Antiocheni contra Paulum Samoſatenſem anno 266. habiti, in ſuum conſeſſum admiſere. De illo Patres alterius Antiochenæ Synodi anno 272. celebratæ, in ſua Epiſtola Synodica hæc ad Dionyſium Papam ſcripſerunt: *Ad Dionyſium Epiſcopum Alexandriæ, & Firmilianum Epiſcopum Cappadociæ, homines beatos, & felicis commemorationis ſcripſimus Epiſtolas.*

Non eſt opus, ut hic laudes referamus, quibus tota antiquitas Cyprianum poſt mortem proſecuta eſt, hoc uno Auguſtini teſtimonio ſatis ſit: *Non ſolum* (inquit lib. 6. de Bap. contra Donatiſtas cap. 2.) *malos Catholicos Juenim de Sacram.* *nullo modo comparamus, ſed nec bonos facile coæquamus beato Cypriano, quem inter raros, & paucos excellentiſſimæ gratiæ viros numerat pia mater Eccleſia,*

3. Sententia, quæ aſſerit, Stephanum actu vibrato excommunicationis fulmine in Epiſcopos rebaptizantes ſæviiſſe, cum Auguſtino non cohæret: lib. 1. de Bapt. contra Donatiſtas c. 7. hæc ſcribit, *Quæſtionis hujus obſcuritas prioribus Eccleſiæ temporibus ante Schiſma Donati magnos viros, & magna charitate præditos Patres, Epiſcopos, ita inter ſe compulit, ſalva pace diſcrepare, atque fluctuare, ut diu Conciliorum in ſuis quibuſque regionibus diverſa ſtatuta nutaverint, donec Plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.* Sic iterum lib. 5. capite 25. loquitur; *Dicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur.* Hæc rurſus habet lib. 6. cap. 1. *Iſta quæſtio contra veterem conſuetudinem diſputationibus, ſalva charitate, atque unitate, altercantibus diſcutiebatur.* Ergo, ex Auguſtino, inter Epiſcopos, qui tertio ſæculo de hæreticorum baptiſmate diſputarunt, viguit pax, vicit charitas, nullum omnino, ad Plenariam uſque totius orbis Synodum, ſchiſmatis malum interceſſit: ergo neque inter Firmilianum, Cyprianum ex una parte, & Stephanum ex altera: ergo omnes in Catholica unitate ad mortem uſque ſteterunt; nulli igitur ab aliis per excommunicationem fuerunt præciſi.

Nec alicujus eſt ponderis, quod nonnulli reponunt; ex allatis nempe Sancti Auguſtini textibus elici quidem, Cyprianum inter & Stephanum pacem viguiſſe ſemper, nec ultra præceptum, ac minas ſævitum fuiſſe; idem vero non evinci pro Firmiliano, & Orientalibus Epiſcopis, qui extra Eccleſiam tinctos iterum tingebat.

Non eſt (inquam) quod quis ita ratiocinetur. Primo enim Auguſtinus de omnibus Stephani adverſariis, & in ſpecie de Firmiliano, locus fuit. *Cum ergo* (inquit lib. de unico Baptiſmo cap. 14.) *Stephanus non ſolum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum* (Firmiliani ſcilicet & Dionyſii; aliorum enim monumenta non extant) *& ipſius Cypriani litteræ oſtendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit.* 2. Eadem omnino erat Stephani cum Cypriano, quam cum Firmiliano cauſa. Uterque irritum eſſe datum ab hæreticis baptiſma contendebat; Uterque Stephani de non rebaptizandis hæreticis decretum flocci fecerat; Uterque ignorantiæ, præſumptioni, temeritati adſcripſerat latam ab eo ſententiam; Uterque ingentem Epiſcoporum numerum in ſui adſciverat patrocinium. Utriuſque in errore propugnando pertinaciam perſpectam habuit Stephanus. Ergo ſi laudatus Papa actu vibrato anathematis ſulmine in Firmilianum ſæviit, ſævierit & oportet in Cyprianum: ergo cum in iſtum excommunicationis gladio non animadverterit, nec in illum, cujus æqualis erat cauſa, eo animadvertit.

Objicies 1. Firmilianus hæc reſcripſit ad Cyprianum, a quo Stephani Papæ de hæreticis denuo non baptizandis decretum acceperat: *Quod nunc Stephanus auſus eſt facere, rumpens adverſum vos pacem, quam ſemper anteceſſores ejus vobis cum amore mutuo cuſtodierunt.*

Sic iterum in eadem Epiſtola ipſummet Stephanum alloquitur, *Peccatum vero quam magnum tibi exaggeraſti, quando te a tot gradibus ſcidiſti; excidiſti enim teipſum, noli te fallere. Siquidem ille vere eſt ſchiſmaticus, qui ſe a communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abſtinere poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti.*

Sic rurſus eumdem SS. Papam perſtringit: *Quid enim humilius aut lenius, quam cum tot Epiſcopis per totum mundum diſſenſiſſe, pacem cum ſingulis vario diſcordiarum genere rumpentem, modo cum Orientalibus* (*quod nec vos latere confidimus*) *modo vobiſcum, qui in meridie eſtis.*

Iis ſane verbis nihil apertius proferri poteſt pro vibrato in Orientales, & Africanos anathematis fulmine;

ne; Quid est enim *pacem rumpere*, *scindere se ab aliis*, *dissentire ab Episcopis*, *omnes a se abstinere*, quam communionis Ecclesiasticæ vinculom sulvere, extorres a se ipso, & ab Ecclesia alios omoes facere, ac proinde in eos per excommuoicationem sævire.

Respond. 1. Firmilianus Cypriani mentem forsan assecutum non fuisso: Excommunicationis scilicet minas, quas in Episcopos rebaptizantes a Stephano inteotatas, Cypriani litteris accoperat, de actuali exscisione interpretatus est. 2. Abscissio, effractio pacis, de quibus Firmilianus ad Cyprianum rescripsit, de comminatoria excommunicatione explicari possunt: Et sane Augustinus, qui sæpius asseruit, *Salva pace*, *salva uuitate*, *salva charitate*, *absque ullo schismatis malo*, quæstionem de baptismato ab hæreticis dato Stephanum inter, & Cyprianum fuisse agitatam, eodem fere modo de ea loquitur, quo Firmilianus ad Cypriaoum rescribens; hæc enim habet libr. 5. de Bapt. cap. 25. *Stephanus autem etiam abstiaendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conabantur.*

Nec cuiquam mirum videri debet, quod ita locutus fuerit Firmilianus, quasi Stephanus excommunicationis fulmen actu in Cyprianum, illique adhærentes Episcopos intorsisset; quippe qui minacibus Papæ ad Cyprianum litteris excandescens, exaggeratiooe usus est in iis, quæ contra eumdem Srephanom ad Cyprianum rescripsit: iram, qua exarsit in SS. Pontificem, probant saonæ, dicteria, contumeliæ, qoibus illum lacessivit, *Atque in hac parte* (inquit) *juste iadignor ad hanc tam apertam, & manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere confidit, super quam fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, & Ecclesiarum multarum oova ædificia constituat, dum esse illic baptisma, sua authoritate defendit.*

Instabis. Si Stephanus Firmilianum, & Cyprianum, cæterosque rebaptizantes, ab Ecclesiastica communione actu non fecerat extorres; cur legatos a Carthaginensibus Romam missos, ad colloquium non admisit? cur præcepit Fraternitati oniversæ, ne quis eas domo sua exciperet? cur illos ab omni fidelium hospitio, & tecto submotos voluit?

Respond. Stephanum ita quidem, ot fert argumentum, gessisse se; sed tantum abest, ut is agendi modus inhumanitatem saperet, sicut Firmiliano visum est, quin potius charitatis, & œconomiæ disciplina extiterit. Dura, ac acerbiori agendi ratione Stephanus opus esse censuit, ut Orientales, & Africanos ad praxim traditione Apostolica fultam revocaret, probaretque quantum Petri sedes a quavis abhorreret oovitate.

Objicies 2. Dionysius Alexandrinus in epistola, quam ad Sixtum Stephaoi successorem scripsit, testatur, se pro Firmiliano, aliisque rebaptizantibus apud Stephanum deprecatorem extitisse; At Dionysii apud Stephanum preces alio non spectarunt, quam ut SS. Pontificem inflecterent ad commuoionem iis impertiendam, in qnos excommunicationis gladio animadverterat.

Respond. data maj. nego min. Scripsit oimirum Dionysius ad Stephaoum, ut eum deterreret a vibrando fulmine, quod adversariis comminatus fuerat. Hac in causa idem præstitit apud Stephanum, qood secundo sæculo Irenæus Lugdunensis apud Victorem Papam, quem tum precibus, tum argumentis impediit, ne excommuoicationis gladio, quem jam distrinxerat, in Asiaticos Quartadecimanos sæviret.

An Stephaaus Papa omne promiscue hæreticorum baptisma probaverit?

Marcus Antonius de Dominis, Blondellus, nonnullique alii arguunt Stephaoum Papam, quasi in errorem illi oppositum lapsus fuerit, quem in Firmiliano, adhærentibusque Episcopis impugnabat: ita ut quemadmodum Firmilianus, & Cyprianus baptismum a quocumque hæretico, etiam cum debita forma datum rejecerint, Stephanus baptismum a quocumque hæretico, etiam absque forma a Christo præscripta, collatum admiserit. Impactam SS. Papæ, & Martyri calumniam hic propulsemus necesse est.

Conclusio. Stephanus Papa non omnem promiscoe hæreticorum baptismum admisit, sed eum tantum, qoi verbis Evangelicis fuisset collatus.

Probatur 1. ex Firmiliano hæc de Stephani decreto ad Cyprianum rescribentis; *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod, qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti. At quis est in Ecclesia perfectus, & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem: cum hæc tunc utique proficiant, cum & qui baptizat, habet Spiritum sanctum, & baptisma quoque ipsum non sit sine Spiritu sancto constitutum.*

Eo ex loco facile concluditur 1. Stephani decretum a Firmiliano intellectum fuisse de baptismate, quod in hæresi cum distincta, ac expressa Sanctissimæ Trinitatis invocatione collatum fuisset. Concluditur 2. statum quæstionis Stephanum inter, & illius adversarios fuisse de fide ministri baptismum conferentis, non autem de forma, qua debeat conferri. Concloditur. 3. revera Stephano aliud hæreticorum baptisma probatum non fuisse quam forma a Christo præscripta consecratum: Si enim omnem omnium hæreticorum baptismum admisisset; id prodidisset Firmilianus, ea quippe ratione magnam Stephani, ac Romanorum illi adhærentium causæ conflavisset invidiam.

Probatur 2. ex Cypriano, cui haud dubie perspecta fuerunt Stephani scota. S. Martyr sic in Epistola ad Pompejum de Stephano, consentientibusque illi Præsulibus loquitur; *Aut si effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Christi*) seu authoritate Christi) *ubicumque, & quomodocumque baptizantur, innovati, & sanctificati judicentur.* Ergo Cyprianus supponit, hæreticorum baptisma, de quo Stephanus ad ipsum rescripserat, eum invocatione Saoctissimæ Trinitatis datum fuisse: ea enim majestate nominis, cui ex Cypriano Stephanus baptismatis effectum adscribit, nihil aliud, quam Sanctiss. Trinitas intelligitur. Confirmatur ex eo, quod omnia argumenta, quæ Cyprjaous in sui adversarii sententiam congerit, eo solum tendant, ut fidei necessitatem adstruant in oinistro, nec vel unum protulerit, quo defendatur forma, quam licet ab hæreticis corruptam, in Stephani systemate valuisse quidam Novatores supponunt.

Probatur 3. ex ipsis terminis, qoibus constabat Stephani decretum; *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Ergo non aliud baptisma ratum fuit Stephano, quam quod traditio probaverat. At oon probaverat aliud, quam verbis Evangelicis collatum. De illo igitur dumtaxat Stephani Papæ decretum explicari debet.

Objicies. Stephanus decrevit admitti debere baptisma, ubicumque collatum fuisset, *Si quis ergo* (inquit) *a quacumque hæresi venerit ad nos*, &c. ergo apud ipsum valuit baptismus etiam cum forma corrupta collatus. Et sane Stephanus in suo decreto utitur terminis, oon indefinitis tantum, sed & formaliter universalibus, qui proinde omnem omnino exceptionem excludunt.

Nec audiendi sunt, qui respondent, ante Stephani tempora nulla in hæresi temeratam fuisse baptismatis formulam. Coostat enim ex Iræneo, lib. 1. adversus hæreses capite 19. Marcitas hac inter baptizandum forma usos fuisse, *In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine descendentis Jesu ad unctionem, & redemptionem, & commuaionem virtutum.*

Resp. 1. eo argumento, si valeret, probatum iri Eusebium Cæsariensem, Augustinum, aliosque primarios rebaptizationis defensores, omnem omnino baptismum, eum etiam, cui verba Evangelica defuissent,

fuissent,

fuissent, admisisset: cum enim asseruerunt valere datum ab hæreticis baptisma, iisdem fere terminis universalibus usi sunt, quos Stephanus in suo adversus Cyprianum decreto adhibuit. Eusebius hist. lib. 7. capite 2. controversiam Stephani cum Cypriano describens sic loquitur: *Cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex* QUALIBET HÆRESI *convertuntur, baptismo purgari oporteret, quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur*. Quid his terminis, *Antiqua consuetudo invaluerat, ut ex quacumque hæresi redeuntibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur*, indefinitum, ac universale magis excogitari potest? Non absimili, nec minus universali loquendi modo Augustinus utitur, hæc nimirum habet libro 5. de Bapt. cap. 5. *Huc accedit, quia sic homines occulta nescio qua inspiratione Dei detestantur, si quis iterum baptismum accipiat, quem ubicumque jam acceperat*. adverbium illud, *ubicumque*, ad litteram sumptum, omnem prorsus hæresim complecti videtur; quam tamen reipsa non complectitur, cum ex Augustino, baptismus sine verbis Evangelicis perfici non possit.

Respond. 2. Terminos, *si quis a quacumque hæresi*, quibus Stephanus in suo decreto usus est, his aliis, quos subjecit, *nihil innovetur, nisi quod traditum est*, restringi ad baptisma, quod traditio probaverat; Traditioni vero illud dumtaxat baptisma probari, quod constat præscripta a Christo formula, superius a nobis fuit ostensum.

§. V.

De plenaria Synodo; in qua, ex Augustino, probatum fuit hæreticorum baptisma.

AUgustinus in suis contra Donatistas operibus, Cypriani hæreticos iterum baptizantis errorem hoc argumento sæpius elevat, quod quæstio de hæreticorum baptismate, plenaria, generalique Synodo nondum eliquata, ac definita fuisset.

Asserit, S. Martyrem a praxi, quam adversus Stephanum tuitus est, recessurum fuisse, si eam Oecumenicum aliquod Concilium proscripsisset, *Quapropter* (inquit lib. 2. de Bapt. cap. 4.) *sanctus Cyprianus, tanto excellentior, quanto humilior, qui documentum Petri sic amavit, ut diceret, documentum scilicet nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando a Fratribus, & collegis nostris utiliter, & salubriter suggeruntur, si sint vera, & legitima, ipsa potius nostra ducamus, satis ostendit facillime se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret baptismum Christi sic dari posse ab eis, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potest, cum foras exirent. Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui & ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata per Plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat, & prædicat ab uno posteriore collega patienter, concorditerque correctum; quanto citius ipse cum Concilio provinciæ suæ universi orbis auctoritati, patefacta veritate, cessisset.*

Idem Augustinus, cui Donatistæ Cypriani de rebaptizandis hæreticis praxim objiciebant, non raro suos adversarios hortatur, ut Plenariæ illi Synodo se subjiciant, ad cujus decreta Cyprianus suam correcturus fuisset sententiam.

Magno haud dubie labore idem S. Doctor Theologos levasset, si quænam in specie sit illa Synodus, scriptis commendasset suis; sed cum id non præstiterit, id nobis oneris incumbit. Lonojus, Sambovius, Sirmondus, Illustrissimus De Marca Archiepiscopus Parisiensis, Doctissimus Albaspineus Episcopus Aurelianensis, plures que alii scriptores, censent, Plenariam Synodum, de qua Augustinus, esse primum Arelatense Concilium in caussa Donatistarum habitum anno 314. Bellarminus, Nicolai, pluresque alii stant pro Niceno primo Concilio: Quid nos de ea controversia sentiamus, triplici exponemus conclusione.

Conclusio 1. Concilium Plenarium, quo, ex Augustino, probatum fuit hæreticorum baptisma, non est Alexandrinum sub Athanasio habitum anno 362. nec Constantinopolitanum primum sub Damaso Papa anno 381. celebratum, nec Capuanum sub Siricio anno 389. coactum.

Probatur. Concilium Plenarium, quo Augustinus docet, probatum fuisse hæreticorum baptisma, post Cypriani quidem martyrium, sed ante Augustini ortum, habitum est; *Hac attestatione*, inquit Augustinus lib. 2. de Bapt. cap. 9.) *satis ostendit, multo magis se fuisse commemoraturum, si quod de hac re transmarinum, vel universale Concilium factum esset: Nondum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea tamen, dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non solum inventa est, sed etiam ad Plenarii Concilii auctoritatem, roburque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus*. Atqui Concilia omnia, de quibus in conclusione, post Augustini ortum celebrata fuere, humanas nimirum in auras anno 355. Augustinus prodiit.

Conclusio 2. Probabile est Concilium Nicænum primum, esse illud *Plenarium*, quo (ut Augustinus asserit) definitum est valere datum ab hæreticis baptisma.

Probatur 1. Licet in Concilio Nicæno primo nullus sit canon, quo aperte, & explicite definitum sit valere quodcumque hæreticorum baptisma, modo in forma a Christo præscripta collatum fuerit; duplicem tamen legere est, ex quo id per illationem necessariam colligatur: Canonem scilicet 8. quo Novatianos ad Ecclesiam redeuntes sola adhibita manuum impositione admitti jubetur; & canonem 19. quo Paulianistas, si redeant, alio baptismo debere consecrari decernitur. Nulla siquidem diversæ illius disciplinæ ratio afferri posse videtur, quam quod Paulianistæ per SS. Trinitatis invocationem suos catechumenos non tingerent, quippe qui Divinas personas confunderent cum Sabellianis, e contra vero SS. illis nominibus Novatiani inter baptizandum uterentur. Ergo Synodus Nicæna quorumcumque hæreticorum cum debita forma collatum probavit; quæ enim ratio Nicænos Patres induxit, ut baptisma Novatianorum admitterent, locum habet in aliis omnibus hæreticis, qui forma a Christo præscripta utuntur.

Confirmatur illud argumentum ex Sanctis Patribus; inter quos, plures reperire est, qui ex duplici allato Nicæno canone concluserunt, primam illam Synodum definiisse, quodlibet baptisma datum per Sanctissimæ Trinitatis distinctam invocationem, ratum esse, ac verum. Hieronymus in suo adversus Luciferianos Dialogo, hæc ait: *Synodus quoque Nicæna omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni discipulis*. Sic etiam loquitur Innocentius Papa primus Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 5. *De ipsis tantum* (Paulianistis) *esse præceptum* (canone 19. Nicæno) *ratio ipsa demonstrat*. Sic quoque Siricius in Epistola decretali ad Himerium Tarraconensem cap. 1. *Quos* (Arrianos) *Nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo* (Nicæna) *constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus*.

Nec quemquam movere debet Athanasius, qui ut supra fuit ostensum, de solis Novatianis, non autem de cæteris hæreticis octavum canonem Nicænum intellexit,

Quamvis enim Athanasius Nicænæ Synodo adfuerit, non detexit tamen consequentiam, quæ ex eo canone 8. necessario colligitur. Nec id mirum videri debet, cum quidpiam simile ultimo sæculo contigerit: Multi enim ex Episcopis, & Theologis, qui Concilio Tridentino adfuere, opposita opiniones ex nonnullis illius definitionibus concluserunt,

ancitofque ab eo canones in privatas traxere fententias. Addi poteft Athanafio forfan laudatum canonem, œconomicum tantum, non vero dogmaticum, vifum fuiffe, quemadmodum poftea Bafilio, qui (ut fupra demonftravimus) Novatianorum, de quibus canon Nicænus loquitur, baptifma cenfuit iterandum.

Probatur 2. conclufio. Auguftinus his exornat elogiis Concilium Plenarium, quo hæreticorum baptifma probatum fuiffe contendit. Lib. 1. de Baptif. cap. 7. ipfum vocat *Plenarium totius orbis Concilium*. Lib. 2. capite 3. afferit, Plenaria Concilia ea effe, *quæ fiunt ex univerfo orbe Chriftiano*. Ejufdem libri cap. 9. definit illud effe *Univerfæ Ecclefiæ Concilium*. Lib. 6. cap. 13. fcribit ipfum fuiffe *Concilium Catholicum orbis terrarum*. Atqui ejufmodi elogia Nicæno primo Concilio, utpote (fatentibus omnibus) œcumenico convenire nemo eft, qui diffiteri poffit.

Conclufio 3. Non omni vacat probabilitate fententia, qua afferitur, prius Arelatenfe Concilium effe Plenariam Synodum, in qua ex Auguftino, probatum fuit hæreticorum baptifma in forma a Chrifto præfcripta collatum.

Probatur 1. Prius Arelatenfe Concilium poft Cypriani paffionem, & antequam Auguftinus ederetur in lucem, anno nimirum 314. celebratum fuit.

2. Eo Concilio Firmiliani, Cypriani, aliorumque hæreticos iterum baptizantium error expreffe, & aperte fuit profcriptus: Canone enim 8. hæc habentur, *De Afris, quod propria fua lege utantur, ut rebaptizent, placuit, ut fi ad Ecclefiam aliquis de herefi venerit, interrogent eum Symbolum, & fi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu fancto effe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum fanctum.*

3. Priori Arelatenfi Synodo conveniunt elogia, quibus Auguftinus Plenarium Concilium, de quo agitur, commendat: Neque enim ejufmodi elogiis S. Doctor œcumenicam aliquam Synodum (ut ea vox nunc fumitur) fignificatam effe voluit; Et fane Capuanum *Plenarium* dicitur a tertii Concilii Carthaginenfis Patribus: *Illud autem fuggerimus mandatum nobis* (inquiunt capitulo 38.) *quod etiam in Capuenfi Plenaria Synodo videtur ftatutum; non liceat fieri rebaptizationes, &c.* Ipfe Auguftinus lib. 2. de Bapt. cap. 7. Donatiftarum Concilium, *Plenarium* appellat; *Cur* (inquit) *de recentibus Maximianiftis Plenarii Concilii* (*ficut dicunt*) *ore veridico, &c.*

Objicies 1. Hi termini, *Univerfi totius orbis Concilium*, quibus Auguftinus Synodum Plenariam Donatiftis opponit, priori Arelatenfi Concilio non conveniunt: neque enim ex univerfi orbis Provinciis Epifcopi ad illud confluxerant. Ergo, &c.

Refpond. Terminis, qui objiciuntur, Synodum ex omnibus omnino mundi partibus conftantem non fignificari, quippe pro Concilio ex multis, variifque, licet non omnibus, orbis Chriftiani regionibus congregato, nonnumquam apud Scriptores ecclefiafticos accipiantur. Eo fenfu fumuntur a Patribus alterius Synodi Arelatenfis canone 18. Sic enim de priore Concilio Arelatenfi loquuntur; *Ad Arelatenfis Epifcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis, fub fancti Martini tempore, legimus celebratam fuiffe Concilium, atque conventum.* Conftantinus Imperator eodem fere loquendi modo apud Eufebium utitur; hæc fcilicet ad Chreftum Syracufanorum Epifcopum fcribit, *Quoniam igitur plurimos diverfis, ac prope infinitis locis Epifcopos in urbem Arelatem intra Kalendas Augufti juffimus convenire, &c.*

Objicies 2. Plenaria Auguftini Synodus, ea eft, cui Cyprianus obtemperaturus fuiffet, fi ejus ætate fuiffet habita; at prior Arelatenfis tanti non erat ponderis, ut etiam Carthaginenfem habitam in rebaptizationis caufa, nec Iconienfem, & Synadenfem in Afia celebratas, Epifcoporum numero, & authoritate fuperaret. Ergo &c.

Refpond. nego min. Ratio eft, quia noverat S. Martyr totam Ecclefiam Africanam, Romano Patriarchatui ex antiqua confuetudine fubjectam effe; proindeque perfpectum habebat, Synodum ex Epifcopis totius Romani Patriarchatus conftantem, ut revera conftitit prior Arelatenfis, fuperiorem effe omnibus Conciliis, quæ Carthagine rebaptizationis caufa celebrata fuerant.

Objicies 3. Romani Pontifices, ut patet ex Innocentio I. & ex Siricio, non Arelatenfis primæ Synodi, fed Nicænæ authoritate, ad comprimendos rebaptizantes ufi funt. Ergo iftam, non autem aliam, Plenariam in Auguftini mente judicarunt.

Refpond. ita fe Romanos Pontifices geffiffe, quod judicaverint prius Concilium Nicænum, utpote œcumenicum, majoris effe ponderis, quam Arelatenfe primum, quod quidem licet ingenti Epifcoporum numero commendetur, nufquam tamen pro Oecumenico, feu quod toti Ecclefiæ legem imponeret, habitum eft.

Objicies 4. Unus tantum fupra quadraginta Epifcopi prioris Concilii Arelatenfis Synodicæ ad Sylveftrum Papam fubfcripferunt, nec plures etiam legere eft, qui canones fuo chirographo munierint. Ergo ex toto Romano Patriarchatu coactum non fuit, ac proinde Carthaginenfibus Conciliis fuperius effe non potuit.

Refpond. jam temporis non extare acta, quibus alii, qui aderant Epifcopi, fubfcripferunt: idque ex eo poteft confirmari, quod (ut fupra obfervatum fuit) ex Conftantino ad Chreftum Siracufanum fcribente, & ex altera Arelatenfi Synodo conftet, plures quam unum fupra quadraginta Epifcopos adfuiffe priori Arelatenfi Concilio.

Nec contrarium probant, qui contendunt, debuiffe Auguftinum illorum Epifcoporum numerum Donatiftis objicere, qui de Concilio ex trecentis, & decem fuæ fectæ præfulibus paffim gloriabantur. Nam 1. illud idem argumentum in eos poteft retorqueri, quibus Nicænum primum Concilium, videtur illud ipfum effe, quod Auguftinus Plenarii nomine appellavit, 2. Non erat cur S. Doctor Arelatenfium Patrum numerum Donatiftis opponeret, cum eo tempore, quo contra Donatiftas agebat, jamdin habita effet Nicæna Synodus œcumenica, quam quidem cum Donatiftæ de hæreticorum baptifmo non audiiffent, nec pariter Concilii Arelatenfis Patrum habituri fuiffent rationem: quantumcumque enim ingens fuerit eorum numerus, non tantum, quantum Nicæni primi Patres, ponderis habere poterant.

§. VI.

Ecclefiæ fides de hæreticorum baptifmate proponitur.

Conclufio. Valere datum ab hæreticis baptifma conftanti Ecclefiæ traditione docemur.

Probatur, Ecclefia Catholica, verbis Evangelicis in hærefi baptizatos, cum in fuum finum redire, nufquam iterum tinxit, imo nufquam non probavit eorum baptifma. Operæ pretium eft, ut ejufmodi confuetudinis varios variorum fæculorum teftes hic appellemus.

1. Prodit Stephanus Papa, Cypriano hæreticos iterum baptizanti, his verbis refcribens, *Si quis ergo a quacumque herefi venerit ad nos, nihil innovetur, nifi quod traditum eft, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; Cum ipfi hæretici propter alterutrum ad fe venientes non baptizent, fed communicent tantum.* De antiqua illa traditione Cyprianus ipfe conveniebat, fed reponebat, humanam effe, ac proinde nihili effe ducendam. At contra S. Martyrem valet hæc Auguftini regula lib. 4. de Bapt. contra Donatiftas capite 24. *Quod univerfa tenet Ecclefia, nec Conciliis inftitutum; fed femper retentum eft, nonnifi authoritate Apoftolica traditum rectiffime creditur.*

2. Profertur in medium Auguftinus contra Donatiftas agens, Lib. 2. de Bapt. cap. 8. fic de Cypriano loquitur: *Ubique intuens univerfalem, robuftamque confuetudinem.* Sic quoque cap. 7. *Saluberrimam confuetudinem tenebat Ecclefia.* Sic iterum cap. 9. *Confuetudinis robore tenebatur orbis terrarum*, cum Cyprianus contrariam iniit viam. Lib. 4. cap. 6. idem S. Doctor afferit Cyprianum egiffe *adverfus totius orbis mo-*

morem . Tandem lib. 2. cap. 7. docet eam consuetudinem ex *Apostolica ratione venire* .

3. Summi Pontifices, qui Romæ post Stephanum sederunt, ejusdem Stephani contra rebaptizantes decretum invictissime propugnarunt. Syricius ad Himerium Tarraconensem hæc scripsit, *Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arrianis, plurimos ad fidem catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris, eosdem denuo baptizare velle, quod non licet, cum hoc fieri, & Apostolus vetet, & canones contradicant.*

Eidem decreto robur addidit Innocentius Papa primus in Epistola ad Victricium Rothomagensem, hæc nimirum habet can. 8. *Ut venientes a Novatianis, vel Montensibus, per manus tantum impositionem suscipiantur: quia quamvis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati.*

4. Eamdem de probando hæreticorum baptismate consuetudinem varia orbis Concilia quarto sæculo habita confirmarunt.

Laodicenum sub Sylvestro Papa habitum can. 7. decernit, ut Novatiani, & Photiniani redeuntes, per sancti Chrismatis inunctionem admittantur.

Arelatensis primi canone 8. cavetur, ne ab hæreticis tincti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, alio baptismate consecrentur,

Prima Nicæna Synodus prohibet, ne Novatiani, cum redeunt, altero initientur baptismate, e contra jubet, ut Paulianistæ eo donentur; *De his, qui se nominant Catharos, idest mundos* (inquit sacra Synodus can. 8.) *si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto, & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus* (ait eadem Synodus can. 19,) *definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis.* Ergo Nicæni Patres probarunt baptisma omnium hæreticorum, qui cum Paulianistis non erant baptismatis formulæ corruptores.

Capuanum Concilium anno 389. celebratum idem, quod ante Nicæna Synodus, de rebaptizatione sancivit. Verba quibus tertii Carthaginensis Patres canonem Capuanum recitant, supra retulimus.

Antiquorum illorum Conciliorum legem sub anathematis pœna servandam præcepit Concilium Tridentinum sess. 7. de baptismo can. 4. ubi hæc habentur; *Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit,*

Objicies 1. Canone 46. ex iis, quos Apostolicos dicunt, hæreticorum baptisma iterandum esse dicitur; *Episcopum, aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma damnari præcipimus.* Ergo &c.

Resp. omissa eorum solutione, qui contendunt canonem loqui de baptismate, cui verba Evangelica defuerint; respondeo (inquam) Canones, qui *Apostolici* inscribuntur, nec ab ipsis Apostolis, nec ab una aliqua particulari Synodo fuisse conditos; nihil enim sunt aliud, quam collectio canonum, qui per tria priora sæcula in variis Orientalibus Ecclesiis editi fuerunt. Illum ipsum, qui in objectione laudatus est, aut in Iconiensi Synodo, aut in Synadensi editum fuisse censent viri de canonibus optime meriti.

Objicies 2. Antiqui Patres baptisma ab hæreticis collatum unanimi consensu non probarunt. Neminem latet, Agrippinum, Tertullianum, Cyprianum, Firmilianum, Athanasium, Basilium, Cyrillum Hierosolymitanum, pluresque alios variis in Conciliis, hujusmodi baptisma non probasse. Ergo revera non debet admitti, aut saltem, an valeat necne dubium est.

Resp. nego conseq. Ratio est, quia Ecclesia, tum per os summorum Pontificum, tum per Concilia, tum per innumeros Patres, Antiquorum, qui rebaptizationi faverunt, errorem proscripsit.

Antiquis illis Doctoribus, quibus probatum non fuit hæreticorum baptisma, opponi debent hæc, quæ tradit Augustinus lib. 2. de Bapt. cap. 3. ubi Donatistas Cyprianum pro rebaptizatione laudantes sic alloquitur; *Certe nobis objicere soletis Cypriani litteras, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium; Cur authoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? Quis autem nesciat sanctam Scripturam canonicam tam veteris, quam novi testamenti, certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari, & disceptari non possit, utrum verum, vel rectum sit quidquid in ea scriptum esse constiterit. Episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem, vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem authoritatem, doctioremque prudentiam, & per ipsa Concilia licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est, & per ipsa Concilia, quæ per singulas regiones, vel provincias fiunt, Plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex universo Christiano, sine ullis ambagibus cedere; ipsaque Plenaria sæpe priora posterioribus emendari.*

Objicies 3. varias rationes, quibus Cyprianus tum in Epistolis ad Jubajanum, & ad Pompejum, tum in variis Conciliis, quæ Carthagine pro iterando hæreticorum baptismate celebravit. 1. Penes hæreticos nullum est jus in Christi Sacramenta: 2. Spiritum sanctum conferre non possunt; proindeque nec baptisma, cujus est effectus.

Resp. duobus illis momentis, quæ in objectione referuntur, omnia fere argumenta fulciri, quibus Cyprianus, adhærentesque ipsi Præsules hæreticorum baptisma impugnarunt, sed nullius omnino sunt ponderis.

Quod enim ad primum spectat, nihil vetat, quin res aliqua in usurpatoris manu integra, ac vera permaneat. Augustinus id advertit lib. 5. de baptismo cap. 7. ubi sic loquitur, *Nos autem baptismum eos* (hæreticos) *non juste & legitime possidere concedimus: non possidere autem non possumus dicere, cum Sacramentum Domini in Evangelicis verbis cognoscimus. Baptismum ergo legitimum habent, sed non legitime habent.* Eo ex principio S. Doctor cap. 8. hæc concludit: *Ideo cum vel ad unitatem catholicam, vel ad vitam tanto Sacramento dignam convertitur; non aliud baptisma incipit habere legitimum, sed illud ipsum incipit habere legitime.*

Ad alterum Cypriani, aliorumque rebaptizantium momentum dici potest 1. falsum esse, quod numquam detur Spiritus-Sanctus ab hæreticis, qui baptizant: datur nimirum parvulis, qui extra unitatem catholicam abluuntur; datur & adultis, qui quolibet ad peccatum mortale affectu liberi, invincibili catholicæ alicujus veritatis ignorantia laborant, dum ab hæreticis tinguntur; datur etiam iis, qui ministrum, quem hæreticum noverint, adeunt urgente necessitatis casu; *Potest tamen tradere separatus* (inquit Augustinus lib. 6. de Baptismo cap. 6.) *sicut potest habere separatus, sed quam perniciose habere, tam perniciose tradere. Ille autem, cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat; sicut plerisque accidit, ut catholico animo, & corde ab unitate pacis non alienato, aliqua necessitate mortis urgentis, in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Christi baptismum sine illius perversitate perciperent, & sive defuncti, sive liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos numquam corde transierant.*

Nec est, quod quis objiciat, solam Christi sponsam, quæ non alia est, quam Ecclesia Catholica, posse per baptismum filios sponso suo generare: Nam illi argumento S. Augustinus occurrit lib. 1. de Bapt. cap. 16. ubi sic loquitur; *Sed cum tales a spiritualibus evangelizantur, & Sacramentis imbuuntur, tamquam per se ipsam Rebecca eos parit, sicut Esau: cum autem per illos, qui non caste annunciant Evangelium, tales in Dei populo generantur, Sara quidem, sed per Agar. Item boni spiritales, quando evangelizantibus, vel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem, vel Rachel jure conjugali eos, sed per ancillarum uterum parit: cum vero per spiritales in Evangelio generantur boni fideles, qui vel evadunt in spiritalis ætatis affectum, vel eo tendere non desistunt, vel ideo non faciunt, quia non possunt, sicut ex utero Saræ Isaac, vel Rebeccæ Jacob, in novam vitam, & novum testamentum nascuntur.* Quibus quidem verbis patet, eos, qui extra Ecclesiam regenerantur, ab ipsamet Ecclesia generari, quæ ancillarum, seu hæresum,

sive

sive communionum schismaticarum utero utitur, ut ex divino semine, (baptismum dico) filios Christo suo sponso procreet.

Ad idem secundum argumentum dici potest 2. baptismum non valere ex eo non probari, quod effectum spiritualem, ad quem institutus est, in recipientibus non producat. Alioquin enim dicendum esset eos, qui ficte, seu cum affectu ad peccatum mortale, etiam in Ecclesia, baptizati fuerunt, alio baptismo initiari debere.

SS. Martyris Cypriani, aliorumque rebaptizantium pace dixerim, nusquam eos (ut tamen par erat) attendisse ad discrimen, quod inter Sacramentum & ejus effectum reperitur. Argumenta fere omnia, quæ in causa, de qua agitur, contra Stephanum Papam adhibuerunt, falso isti principio innituntur; Eum nempe, qui Spiritum Sanctum, seu gratiam sanctificantem non recipit, ipso etiam baptismate frustrari, licet adhibitis verbis Evangelicis abluatur.

Eam rebaptizantium pessimam argumentationem Augustinus detexit lib.6.de bapt.contra Donatistas cap. 1. ubi hæc scribit: *Nec ob aliud illis temporibus, quando ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus, salva charitate, atque unitate altercantibus discutiebatur, visum est quibusdam etiam egregiis viris antistitibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos, vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti; Et quia ejus effectus, atque usus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur.*

ARTICULUS QUARTUS.

De Baptismate a non baptizatis dato.

NON omnibus olim Scriptoribus certo probatum fuit baptisma a non baptizatis collatum.

Primo enim, ratum non fuit Agrippino Carthaginensi, Tertulliano, Cypriano, Athanasio, Basilio, & aliis tertii sæculi Patribus, quibus datum ab hæreticis, inane, ac irritum visum est. Nec mirum, duobus enim nitebantur principiis, quæ totam vim habent suam in non baptizatis. Contendebant scilicet, fidem sub Sacramenti periculo in ministro requiri; docebant, eum, qui extra Ecclesiam erat, non posse Ecclesiæ Sacramenta conferre.

2. Augustinus circa baptismum, de quo agitur, quinto sæculo hæsit anceps, hæc enim habet lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. *Et hæc quidem alia quæstio est, utrum & ab iis, qui numquam fuerunt Christiani, possit baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine authoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei sufficit.*

3. Bulgarorum Ecclesiæ nono sæculo dubium visum est idem Sacramentum, an valeret, necne, a Nicolao Papa quæsierunt; *A quodam Judæo* (inquit laudatus Pontifex eorum consultationi respondens) *nescitis, utrum Christianus, an Paganus, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis.* His præmissis, Ecclesiæ fidem circa baptismum, de quo est quæstio, unica conclusione proponemus.

Conclusio. Valet baptisma a non baptizato, servatis servandis, collatum.

Probatur 1. authoritate Patrum, qui prioribus sæculis vixere. Docuerunt nempe contra Cyprianum, adhærentesque illi Episcopos, in ministro baptismatis non requiri aut fidem, aut probitatem, aut ordinationem, aut jurisdictionem: ergo nihil impedit, quin ex iis veritas baptismi a non baptizatis dati colligatur.

2. Augustinus ea quidem certitudine non probavit Sacramentum, de quo agitur, qua datum ab hæreticis probavit, ipsum tamen sibi videri ratum asseruit, hæc enim habet libr. 7. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. *Solet etiam quæri, utrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si forte curiositate aliqua didicit, quemadmodum dandum sit?* Propositæ quæstioni respondet se nolle eam certo definire. *Nobis* (inquit) *tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententia, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo Plenario Concilio terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & salvatoris Jesu Christi, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Respondet iterum se in eam sententiam propendere, quæ favet baptismo, de quo quæsierat; *Veruntamen* (prosequitur S. Doctor) *si quis forte me in eo Concilio constitutum, ubi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, urgeret, ut dicerem quid ipse sentirem, si eo modo affectus essem, quo eram cum ista dictarem; nequaquam dubitarem habere eos baptismum, qui ubicumque & a quibuscumque* (paganis, Judæis, hæreticis, Schismaticis) *illum verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent.*

3. Nicolaus Papa primus, ad consulta Bulgarorum respondens, definiit ratum, ac integrum esse baptismum a ministro, etiam non baptizato, collatum. *Hi profecto* (de quibus consulitis) *si in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi... baptizati sunt .... constat eos non esse de novo baptizandos.* Eugenius Papa IV. idem, mox soluto Concilio Florentino, Armenos docuit: *In casu necessitatis* (inquit) *etiam paganus baptizare potest.*

Objicies 1. Concilium Plenarium, quod Augustinus lib. 7. de baptismo cap. 53. expetiit, ut certum de baptismate ab infideli dato judicium ferret, nondum habitum est; neque enim caput Nicolai Papæ primi *A quodam Judæo*, aut Eugenii IV. decretum pro Armenorum instructione Plenarii Concilii loco esse possunt.

Resp. omnes ubique Ecclesias Nicolai capiti *A quodam Judæo* suscripsisse: unde eadem, qua Concilium Plenarium authoritate commendatur.

Non absimili argumento Augustinus contra Pelagianos agens usus est. Illi hæretici ab Innocentio Papa primo damnati, generale Concilium, in quo sua causa iterum tractaretur, expetebant; contendit S. Doctor illud Concilium minime requiri, eo quod omnium Gentium Episcopi, idem cum Innocentio sentirent, proindeque cum suo capite, unum non loci quidem, sed Spiritus unitate, Concilium constituerent; *An ideo* (inquit lib. 1. contra Julianum cap. 4.) *contemnendos putas*, (Occidentales Patres, quorum authoritates Augustinus protulerat in medium) *quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus, cum illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere Conciliis* (a quibus Pelagianorum error proscriptus fuerat) *nisi quod antiquitus Apostolica sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia.* Exposito illo Ecclesiarum Occidentalium cum Innocentio consensu, mox eamdem esse Orientalium sententiam hisce verbis enarrat: *Non est ergo, cur provoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista* (de peccato originali) *una est, quia & fides ista Christiana est.*

Objicies 2. Patres, qui contra Cyprianum, Donatistas, aliosque ab hæreticis tinctos, iterum tingentes, disputarunt, eo usi sunt principio, quo datum a non baptizatis baptisma non valere concluditur. Contenderunt nempe, ideo hæresum authores baptizare posse, quos decipiunt, quod ab Ecclesia recedentes, receptam illius in sinu ordinationem, qua fit baptizandi potestas, non amiserint; *Sicut autem* (inquit Augustinus lib. 1. de Bapt. cap. 1.) *baptizatus, si ab unitate recesserit, Sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus; si ab unitate recesserit, Sacramentum dandi baptismi non amittit.* Contenderunt iterum, Christianos licet laicos, & valide, & licite, cum urget necessitas, posse baptizare, quod ipsi

ipſi baptiſmate initiati ſint, *Scimus* (verba ſunt Hieronymi Luciferianos impugnantis) *etiam licere laicis* (baptizare) *ut enim accipit quis, ita & dare poteſt.* Ergo &c.

Reſp. Auguſtinum, & Hieronymum ex ſuppoſitione rebaptizantium argumentari, ad hunc enim ſenſum amborum illorum Patrum argumentum reducitur. Quilibet id dare poteſt, quod integrum habet: Sed qui ſe præciderunt ab Eccleſia, integrum habent baptiſma, quod in ipſa Eccleſia receperunt; integrum quoque eſt in laicis Catholicis: Ergo, & præciſi, & Catholici laici integrum, ac verum Sacramentum conferre poſſunt. Sed ex eo inferri non poteſt hæc altera concluſio: *Ergo non baptizati non poſſunt baptizare*; Alioquin laudati Patres hanc propoſitionem negativam: *Nemo poteſt conferre Sacramentum, quod non habet*, iſti affirmativæ, *quod habet quis dare poteſt*, opponere debuiſſent. Quod tamen non præſtitere: imo (ut oſtenſum fuit) Auguſtinus aſſeruit, ſe in eam ſententiam propendere, cui ratum eſt datum a Gentilibus baptiſma.



QUÆSTIO SEPTIMA.

De Baptiſmatis ſubjecto.

Certum eſt, ſolum hominem eſſe baptiſmatis ſubjectum. Cum autem vel infans, vel adultus eſſe poſſit, de baptiſmate ad eum, ſecundum duplicem illum ſtatum comparatu eſt hic agendum, & quærendum, utrum homo, & infans, & adultus ſit ſubjectum baptiſmati recipiendo idoneum?

CAPUT PRIMUM.

De Baptiſmo Parvulorum.

Duplicem de Parvulorum baptiſmate quæſtionem movebimus: quæremus enim 1. an valeat: 2. utrum expediat.

ARTICULUS PRIMUS.

An valeat collatum Parvulis baptiſma?

Irritum eſſe Parvulorum baptiſma nonnulli ex antiquis, ac recentibus hæreticis negarunt.

1. Vualdenſibus inane, duodecimo ſeculo, viſum eſt; *Dicunt etiam hæretici* (verba ſunt Ermengardi Opuſculi contra Vualdenſes conſcripti capite 12.) *quod nulli niſi proprio ore, & corde hoc Sacramentum petat, poteſt prodeſſe. Inde adducentes hunc errorem, quod Parvulis baptiſmus aquæ nihil proſit.*

2. Illud quoque irritum cenſuit Henricus, Petri Bruis hæretici ſucceſſor. *Parvulis Chriſtianorum, Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia*, (inquit Bernardus Epiſt. 240. ubi de illo hæretico agit) *Quid quæſo? Quia invidet parvulis Salvatorem parvulum, qui natus eſt eis? Invidia hæc diabolica eſt. Invidia, ac mors intravit in orbem terrarum.*

3. Decimo ſexto ſæculo, anno nimirum 1524. eidem errori Anabaptiſtæ patrocinati ſunt. Nulla habita ratione recepti in infantia baptiſmatis adultos iterato Sacramento conſecrarunt.

4. Sociniani apud Tranſylvanos eidem Sacramento indixere bellum. *Anno* 1568. (ait Bellarminus) *duos libros ediderunt contra Trinitatem, & Incarnationem Domini, ad finem eorum librorum addiderunt 36. argumenta contra Baptiſmum parvulorum.* Illis erroribus e diametro oppoſita eſt fides Catholica, quam proxima concluſione proponimus.

Concluſio. Fides Catholica docet valere collatum parvulis baptiſma.

Probatur 1. ex Scriptura. Infantes regno cœleſti percipiendo idonei ſunt, dicente Domino Lucæ 18. *Sinite parvulos venire ad me, & nolite vetare eos, talium eſt enim regnum cœlorum.* Vox hæc, *parvulos*, myſtice ſumpta, humiles quidem ſignificat, ſed ad litteram de iis, qui ætate parvuli ſunt, intelligitur. Vox hæc altera, *venire*, ſtricte accepta, de iis tantum vera eſt, qui per ſe ipſos accedunt: At hic late ſumitur; dicitur enim de iis, quibus nondum erat ambulandi facultas, juxta illud Lucæ: *Offerebant autem & ad ipſum infantes*, Atqui Infantes ſine baptiſmo regnum cæleſte conſequi non poſſunt; juxta illud Chriſti apud Joannem cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Ergo Infantes ſunt ſubjectum baptiſmati recipiendo idoneum. Scio Calviniſtas allata ex Joanne verba, de baptiſmo non exponere; ſed quantum in eo aberrent, ſuo loco oſtendemus. Hic unum obſervent velim, nempe, non intellecta ad litteram ea Chriſti ſententia, *Niſi quis &c.* Parvulorum baptiſmum ex Scriptura probari non poſſe, proindeque, in Calviniſtarum Syſtemate, ex nullo omnino capite, cum Traditionis authoritatem inficientur.

Probatur 2. ex Traditione. Cyprianus in Epiſt. ad Fidum hæc habet, *Porro autem ſi in graviſſimis delictoribus, & in Deum multum ante peccantibus, cum poſtea crediderint, remiſſio peccatorum datur, & a baptiſmo & a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet Infans, qui recens natus nihil peccavit, niſi quod ſecundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit.* In illud Cypriani decretum ſexaginta ex Epiſcopis in Concilium, cui præerat, Carthagine coacti, unanimi voce conſenſerunt, eoque conſenſu non rem novam, ſed præcedenti uſu receptam probarunt.

Ineunte 5. ſæculo Milevitana Synodus hunc tulit canonem: *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, anathema ſit.*

Dogma, quod Milevitani Patres confirmarunt, Auguſtinus ad Apoſtolorum, non inſtitutionem, ſed traditionem refert, *Conſuetudo* (inquit lib. 10. de Gen. capite 23.) *Matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis: nequaquam ſpernenda eſt, nec ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio.* Illa eadem conſuetudo tam altas ubique egerat radices 5. ſæculo, ut Pelagiani, quamvis peccatum Originale negarent, eam accurate ſervari voluerint, & reipſa illam ſervaverint.

Tandem veritatem, de qua agitur, quamque Anabaptiſtæ impugnabant, ſub anathematis pœna credendam eſſe definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. canon. 13. de Bapt. ubi hæc habentur. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo inter fideles computandos non eſſe; ac propterea, cum ad annos diſcretionis pervenerint eſſe rebaptizandos, aut præſtare omitti eorum baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit.*

Objicies 1. Jure Divino doctrina baptiſmo præſupponitur, ut ex Matth. 28. colligitur, *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Præterea ſine fide baptiſmus non prodeſt, ut ex his verbis patet: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Atqui nec doctrinæ, nec fidei parvuli ſunt capaces. Ergo &c.

Reſp. 1. relata in argumento verba, ad ſolos adultos ſpectare, ad eos enim ab infidelitate ad fidem convertendos Chriſtus ſuos Apoſtolos in varias urbis regiones tunc mittebat. 2. Iiſdem verbis non præcipitur, ut unum omittatur, cum aliud fieri non poteſt: ſiquidem Gentilis fidem edoceri debet, licet aquæ defectu, jam jam moriturus baptizari non poſſit. 3. Suo modo infantes credunt, per Eccleſiam ſcilicet, & per ſuos ſuſceptores. Nec mirum eſt quod aliena fides eis ſufficiat, *Decet enim* (inquit Auguſtinus ſerm. 14. de verbis Apoſtoli cap. 7.) *ut ad aliena verba ſanentur, qui ad factum alienum vulnerantur.*

Objicies 2. Tertullianus libro de Bapt. ſuadet, ut ad recipiendum baptiſmum adoleſcentia expectetur. Gregorius Nazianzenus author eſt, ut ejus receptio, ſaltem ad triennium prorogetur. Ergo parvuli non ſunt baptiſmati recipiendo idonei.

Reſp.

Resp. dato antec. cojus sensum proximo articulo exponemus, nego consoq. Neque enim sequitur Tertullianum, aut Nazianzenum asseruisse irritum esse baptisma parvulis datum, ex eo, quod suaserint, ut in adolescentiam, nisi tamen urgeret necessitas, differretur.

Ariculus Secundus.

An baptizare parvulos expediat?

NOonnihil hac de quæstione quibusdam aotiquis ab Ecclesiæ sententia, & praxi alienum visum est.

1. Fidus in Africa Episcopus subdubitavit, num ante octavam a nativitate diem infantes baptizare liceret: Dubium, qno tenebatur, Patribus anno 257. Carthagine ad Concilium coactis proposuit, *Quantum vero ad causam infantinm pertinet, quos dixisti intra secundum, vel tertium diem, quo nati sint, constitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum, qui natus est, baptizandum, & sanctificandum non putares, &c.* Cypriani verba sunt Epist. ad Fidum de infantibus baptizandis.

2. Tertullianns, ineunte sæculo tertio, author erat, ut infantium baptisma differretur, donec essent rationis compotes, scilicet in lib. de baptismo, ubi hæc Christi verba retulit, *Sinite parvulos venire ad me*, sic loquitur, *veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint*. Illius, qnam suadet, disciplinæ, duplex affert argumentum: Prius, a sponsoribus desumit, quod quidem his verbis proponit; *Quid enim necesse, si non tam necesse est sponsores etiam periculo integri, quid & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventum malæ indolis falli*: Altetum vero, petit ex debitis, quæ per baptismum contrahuntur, *Si qui* (inquit) *pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem*.

3. Gregorius Nazianzenus, quarto labente sæculo, optabat, ut passim ante triennium parvuli baptismo non offerrentur, nisi periculum mortis immineret: *De reliquis*, qnos non urget necessitas: *Ita sentio* (ait oratione in sanctum lavacrum,) *ut triennio expectato, aut aliquanto brevioris, vel longioris temporis spatio, quando & mystici quiddam audire, & respondere possunt, ac si minus plene, & exacte intelligunt, crassiori tamen modo informantur; ita demum per magnum perfectionis Sacramentum, & animas, & corpora sanctificent*.

4. Erasmus decimo sexto seculo visus est propendere in eam opinionem, quæ parvulos, nisi urgeat necessitas, arcet a baptismo; quippe qni baptizatos in infantia ad Christianæ Religionis professionem adigi noluerit, nisi ratione usi, pollicitationem suo nomine a susceptoribus datam in baptismo, ratam habuissent; quam qnidem si confirmare dnbitarent cum primum ratione fruerentur, & religionem nosse incepissent, illos proprio arbitrio permittendos esse contendebat. Variis de quæstione, de qua agitur, enarratis erroribus, Ecclesiæ Catholicæ doctriaam, & praxim subsequenti conclusione defendamus oportet.

Conclosio. Satins est baptisma parvnlis ante mentis usum conferre, quam expectare tempus qun ratione fruantur.

Probatur 1. ex damnationis æternæ pericnlo, cui propter inopinatos casus exponuntur parvuli, quorum baptisma ad aliquos a nativitate annos protrahitur. Ex eo, quod olim Ecclesia clinicos, seu baptizatos in lectulo mortis, irregularitate castigaverit. 3. Ex eo, quod a quinto sæculo paucissimi adnlti, saltem ex fidelibus parentibus progeniti, baptismate donati fuerint. Sacramentaria, Ritualia, cæterique libri, quibus baptismatis cæremoniæ describuntur, parvulorum passim meminere, cum de baptizandis fidelium filiis agunt; *Tunc* (inqnit S. Gregorius in suo Sacramentario) *baptizantur infantes, primum masculi, deinde fœmina*.

Objicies 1. authoritatem Fidi, Tertulliani, Gregorii Nazianzeni, & aliorum, quibus baptismum ad multam ætatem differre satius visum est.

Resp. 1. Fidi sententiam, suo & Concilii Carthagioensis nomine Cyprianum, data ad enm Epistola, proscripsisse: 2. Ecclesiam non probasse datum a Tertulliano, & Gregorio Nazianzeno consiliom. Nec mirum: tanti enim oon sunt fructus, quos landati Patres ex parvulorum baptismate dilato sperarunt, ut mortis æternæ periculo, cui alioquin infantes exponuntur, præponderent. 3. Sacrum Concilium Tridentinum Erasmi doctrinam anathemate damnavit; quippe quod sess. 6. can. 14. do baptismo sic loquatur, *Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos: nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos: nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit*.

Objicies 2. Plures viri, alioquin maxime pii, non nisi provecta ætate, quondam baptizati fuerunt: ergo tunc-temporis baptismum ad multam ætatem prorogandi consuetudo obtinebat. Probatur antecedens. Constantinus Magnus (teste Eusebio Cæsariensi,) paulo ante mortem Nicomediæ baptismo initiatus fuit. Valentinianus junior, cujus funebrem orationem recitavit Ambrosius, morte inopinata præoccupatus, catechumenus e vivis excessit. Ipse etiam Ambrosius paucis anto ordinationem diebus, baptismate consecratus fuit; *Cum intelligeret* (inquit Paulinus in ejus vita,) *circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, postulavit se non nisi a Catholico Episcopo debere baptizari . . . Baptizatus itaque fertur omnia Ecclesiastica officia implesse, ad quæ octava die Episcopus ordinatus est cum summa gratia, & lætitia cunctorum*

Resp. duplex hominum genus, suum olim baptisma ad provectam ætatem distulisse. Mos ille, & apud perditos quosdam, & apud pios invaluerat. Illi baptismatis tempus prorogabant ad mortem usque, ut effrænatius libidini servirent: persuasi scilicet Ecclesiam in admissa post baptismum scelera acerbissimis pœnis animadvertere, non nisi in mortis lectulo, baptismate initiari volebant. E contra viri pii, procrastinatione utebantur, tum ut regenerationis Sacramentum majori cum reverentia, & uberiori charitate reciperent; tum quia verebantur, ne recepti Sacramenti sanctitatem, aliquo crimine postea polluerent; tum denique, quod recenter baptizatos, si statim morerentur, absque mora cœlum conscendere crederent. Parentes Christiani, qui natorum suorum saluti in infantia per baptismum non consuluerant, omni prorsus non vacarunt culpa: at summa laude digni fuerunt iidem nati, qui ubi adoleverunt, suum baptisma ad aliquod tempus prorogarunt, ut ad illius receptionem per pœnitentiæ, ac pietatis opera disponerent sese; nec enim iis idem, quod parvulis, imminebat ex ea dilatione periculum, cum certum sit, eos si morerentur ante baptismum, per charitatem, qua ardebant, cum Sacramenti voto conjunctam, consequi peccatorum remissionem.

Objicies 3. Christus oon iofans, sed vir baptizatus fuit a Joanne. Ergo fideles, quorum est caput, ac exemplum, non nisi trigesimo a nativitate anno baptizari oportet: ita Michael Servetus apud Calvinum lib. 4. Instit. capite 16. ratiocinatur. Præterea idem Christus Apostolos, ubi primum illi cœperunt adhærere, non baptizavit.

Resp. ad primum, nego conseq. Ratio est, quia (ut docet Gregorius Nazianzenus oratione in sanctnm lavacrum) noo omnia, quæ Christus præstitit, a nobis eodem modo ad praxim reducenda sunt: alioquin enim Eucharistia, quam Christus cœnatis Apostolis distribuit, nos ipsos post cœnam tantum reficere possemus. Resp. ad secundum, Apostolos, utpote per Circumcisionem a peccato originali liberatos, baptismate, absolute loquendo, non indiguisse: e contra vero post Evangelium promnlgatum, in-

fantes

fantes eo ita indigent, ut nisi eo donentur nulla omnino ratione salutem consequi possint.

Objicies 4. Iniquum prorsus videtur insciis, & ratione destitutis parvulis jugum Christianitatis per baptismum imponere; æquitati quippe repugnat, ut quis inscius & mentis impos debita contrahat, & quidem tanti momenti, quanti sunt ea, quæ per baptismum contrahuntur.

Resp. id qnod objicitur, iniquum non esse, cum parvuli, ubi adoleverint, ac audierint Evangelium, jugo christianitatis, jure Divino se se alioquin subjicere, ac baptismum recipere sub pœna æternæ damnationis teneantur.

Quæres 1. utrum infans in utero materno baptizari possit?

Resp. negative. Ratio est 1. quia baptismus corpoream ablutionem essentialiter includit, quæ quidem (ut patet) fieri non potest, nisi infans, aliqua saltem parte, ex matris ntero prodierit. 2. Baptismus est Sacramentum regenerationis, regenerari autem non potest, qui nondum est natus, saltem secundum communem, & nrdinariam legem; *Sacramentum autem baptismi profecto Sacramentum regenerationis est*, (inquit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 27.) *quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita, qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci posse non natum.*

Quæres 2. utrum infidelinm infantes, invitis, aut saltem insciis parentibus, baptizare liceat?

Resp. 1. licere, si mortis periculum illis parvulis immineat, qnia tunc adest causa jndicandi, Sacramentum ab illis infantibus postea pollutum non iri.

Resp. 2. non licere, si illi infantes valetudine fruantur. Nec mirum, eo enim in casu moralis est certitudo, quod per totam vitam in infidelitate permansuri sint, ac proinde summam recepto in infantia baptismo injuriam illaturi.

Caput Secundum.

De adultorum baptismate,

HOC secundum septimæ qnæstionis caput in tres articulos partiemur. In priore describemus historiam catechumenatus, quem baptizandi, si sani essent, antiquitus decurrebant. In altero, dicemus de disciplina, quam vetus Ecclesia erga infirmos baptizandos servavit. In tertio, agemus de dispositionibus, quas tum in sanis, tum in infirmis, majores nostri baptismo recipiendo necessarias judicarunt.

Articulus Primus.

Catechumenatus historia describitur.

CIrca catechnmenatum, quem adnlti, si sani essent, olim decurrebant, antequam baptismo donaretur, multa & scitu, & observatu dignissima, ex antiqnorum monumentis proferri possunt.

1. Catechnmeni erant homines adulti, qui nondum baptizati, fidem Christianam ab Ecclesiæ pastoribus docebantur: neque enim omnibus promiscue adultis, sed tantum probatis in schola, quam dicebant catechumenatum, majores nostri baptisma conferebant. Infidelium a catechumenis distinctione, quæ qnidem ab hæreticis non servabatur, Ecclesiasticæ disciplinæ partem positam esse censebant; *Non omittam ipsius etiam conversationis hæreticæ descriptionem*, (inquit Tertullianus libro de Præscript.) *quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gravitate, sine authoritate, sine disciplina, aut fidei suæ congruens. In primis quis catechumenus, quis fidelis incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant.*

2. Tres erant antiquitus catechumenorum classes, seu gradus. Primus, *Audientium* scilicet, eorum erat, qui religionis christianæ desiderio teneri videbantur: quamobrem Synaxibus frequenter aderant, Scripturas, quæ a lectoribus e pulpito legebantur, conciones, quas habebant Episcopi, poterant andire; sed tamen nnndum nomen sunm catechumenorum albo inscribendum dederant. Hi, ex conventibus, sacrificii tempore cum ethnicis, & pœnitentibus, qnos Audientes dicebant, ejiciebantur. Alter catechumenorum gradus eorum erat, qui in templis flectebant genua, super quibus genuflexis orationes proferebantur. Hi, proprie *Cathechumeni*, antiquitus dicebantur, iique sunt, quos intelligere oportet, cum in Synaxibus, tum apud Græcos, tum apud Latinos Diacnnus edicebat; *Quicumque catechumeni discedite*. Tertius gradus erat *Competentium*, seu *Electorum*, qui a reliqnis catechumenis post diligens examen segregati, baptismati in proxima Paschatis, aut Pentecostes solemnitate recipiendo idonei judicabantur.

3. Ritu singulari infideles, catechnmeni *Audientes* inaugurabantnr. Eum ritum Gregorius magnus in suo Sacramentario sub titulo, *Ad catechumenum ex pagano faciendum*, describens, jubet 1. ut illi audienti fides Catholica exponatur; 2. ut ab eo expetatur vitæ melioris propositum: 3. ut in illius ora insuffletur: 4. ut frnns muniatur crucis signo. 5. ut manus ei cum oratinne imponantur: 6. ut sal ei degustandnm præbeatur: *Gentilem hominem cum susceperis* (verba sunt S. Pontificis) *primo catechistis eum divinis sermonibus, & des ei monita quemadmodum post cognitam veritatem vivere debeat. Post hæc facias eum Catechumenum, & exsuffles in faciem ejus, & facias ei crucem in fronte, & ponas manum super caput ejus his verbis; Accipe signum Crucis... Inde vero postquam gustaverit medicinam salis, & ipse se signaverit, benedices eum his verbis: Domine sancte Pater &c.*

4. Catechumeni proprie dicti, eo tempore, quo suam decurrebant stationem, præcipua quidem, tum veteris, tum novi Testamenti capita, nnn tamen mysteria sub litteræ cortice latentia, docebantur. Id, tnm ex Cyrilln Hierosnlymitann præfatione in Catecheses, tum ex Augustino lib de catechizandis rudibus cap. 3. colligitur.

5. Competentibus altissima fidei Christianæ principia, Symbolum nempe, quo Trinitatis, & Incarnationis mysteria continentur, oratio Dominica, necnon ea, quæ ad Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ Sacramenta pertinent, tradebantur. Illius disciplinæ testes sunt Concilii Laodiceni Patres. Sic enim cannne 46. loquuntur: *Quod oportet eos, qui illuminantur, fidem discere; & quinta hebdomadis feria Episcopo renunciare, vel Presbyteris*. Testis est etiam Augustinus libro de fide, & operibus cap. 10. ubi hæc habet, *Cur ergo baptizandis, vel Symbolum tradimus, reddendumque reposcimus*. *Testis quoque* Martinus Braccarensis, qui capituln 49. sic loquitur: *Oportet autem in ipsis diebus, ut hi, qui baptizandi sunt, Symbolum discant, & quinta feria novissimæ septimanæ Episcopo, vel Presbytero reddant*. Testis denique Theodulphus cap. 22. ad Presbyteros Aurelianenses, *Constitutum est* (inquit) *ut nullus chrismetur, neque baptizetur ..... nisi Symbolum, & Orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his, quos ad loquendum ætas minime perduxit.*

6. Catechumeni tum primi, tum secundi gradus nulli speciali pœnitentiæ, nullis laboribus addicebantur: nullos enim canones reperire est, quibus particularem victus rationem subire cogerentur. E contra tertii gradus catechumeni, quos dicebant *Competentes*, rigida pœnitentia damnabantur: Publico siquidem fidelium cœtui nudis pedibus, tonso capite, cilicio coopertos sistere se præsentes jubebantur: A vino, carnibus, uxoribus ex Ecclesiæ mandato, temperabant; *Baptizandi* (inquit Concilium Carthaginense qnartum can. 85.) *nomen suum dent, & diu abstinentia vini, & carnium, ac manus impositione, crebra examinatione baptismum percipiant.*

Idem apud Augustinum legere est lib. de fide & operibus cap. 6. ubi hæc scribit; *Sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus tandem gratiam perce-*

percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis, & veris uxoribus se concubituros, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos profiterentur.

Patres Cathaginenses, ipse etiam Augustinus, ex Tertulliano disciplinam illam hauserant: libro scilicet de Bapt. sub finem hæc ait de dispositionibus, quas baptismati recipiendo sua ætate Ecclesia a catechumenis prærequirebat: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, & jejuniis, geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum.*

7. Non una, eademque in omnibus Ecclesiis extitit disciplina circa eos, qui ad catechumenatum admissi, in scelere labebantur.

Et sane apud Hispanos, catechumeno delatori, non nisi peracto in catechumenatu quinquennio, baptismus conferebatur; *Si catechumenus* (delator fuerit) *post quinquennium admittatur ad baptismum*, (inquiunt Patres Elliberitani cap. 73.) Si duplicatum esset flagitium, Catechumenus, non nisi in vitæ exitu, baptismate donabatur; *Catechumena si per adulterium conceperit, & conceptum necaverit, placuit, in fine baptizari*, ajunt iidem Hispani Patres can. 68.

In Ecclesiis Orientalibus, Competentes, qui graviter deliquerant, in Catechumenorum secundi gradus stationem, Catechumeni vero secundi gradus, ad Audientium classem dimittebantur; Audientes vero si flagitiis sese devinxissent, ab ipso etiam Ecclesiæ limine ejiciebantur, seu tamquam ethnici habebantur. Ejus, quam mox retulimus, disciplinæ veritas patet 1. ex Concilio Nicæno primo, Canone scilicet 14. hæc habentur; *De Catechumenis, & qui lapsi sunt, visum est sanctæ, & magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis, Audientes postea orent cum Catechumenis.* 2. ex Concilio Neocæsariensi, can. 5. ubi hæc habentur: *Catechumenus si in Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine steterit, is autem peccat; Si genu quidem flectens, Audiat, non amplius peccans; sin autem, etiam audiens, adhuc peccet, extrudatur.* Ejectum illum ob scelera Catechumenum, nec non eum, qui fere numquam Synaxibus se præsentem sistebat, in ultima vitæ periodo donatum fuisse baptismate probant hæc Concilii Elliberitani, canonis 45. verba, *Qui aliquando fuerit Catechumenus, & per infinita tempora numquam ad Ecclesiam accesserit; Si eum de clero quisque cognoverit esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles: placuit ei baptismum non negari, eo quod in veterem hominem deliquisse videatur.*

8. Non idem temporis spatium singulis Catechumenorum classibus ubique præfixum fuit.

Primo enim iis, qui proprie *Catechumeni* dicuntur, sive qui stant in secundo gradu, Clemens Papa primus tres menses præscribit: Sic enim loquitur Epistola 3. (si tamen illius sit) *Si quis fidelis voluerit existere, & desiderat baptizari... det nomen suum... jejuniis frequentibus operam impendat, ac se ipsum in omnibus probet, ut tribus mensibus jam consummatus, in die festo possit baptizari.*

Concilium Elliberitanum canone 42. ab iis hominibus, qui in Gentilitate honestis præditi fuere moribus, expetiit biennium; *Qui ad primam credulitatis fidem* (inquit) *si bonæ fuerint conversationis post biennium temporis, placuit ad baptismi gratiam admitti debere.* Synodus Agathensis habita anno 506. Judæos per octo menses in catechumenatu probari præcipit, *Judæi* (inquit cap. 34.) *si ad legem Catholicam venire voluerint, octo menses inter Catechumenos Ecclesiæ limen introeant.*

Temporis spatium, quo in unoquoque gradu catechumeni stare debeant, Concilium Nicænum primum Episcoporum prudentiæ commisit; voluit nimirum, ut pro Catechumenorum, tum in ædificanda fide, tum in probanda pœnitentia, segnitie, aut diligentia, vel in longius spatium protraheretur, vel contraheretur ad brevius.

2. Græci, *Competentium* Catechumenorum stationem quadraginta diebus concluserunt: *Tempus præscriptum tibi multum* (verba sunt Cyrilli præfatione in catecheses mystagogicas) *quadraginta dierum pœnitentiam habet.*

3. Latini iisdem *Competentibus* idem spatium, quod Græci decurrendum præscripsere, quippe qui sic loquatur Augustinus Serm. 13. ad neophytos, *Per omnem quadragesimam vacaverunt* (Competentes) *orationibus, & jejuniis; In sacco, & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum confessione quærentes.* Sic quoque Siricius Papa Epistola decretali ad Hymerium Episcopum Tarraconensem capite 2. *Generalia baptismatis tradi convenit Sacramenta, his dumtaxat Electis, qui ante quadraginta, vel eo amplius dies nomen dederint, & exorcismis, quotidianisque orationibus, atque jejuniis fuerint expiati.*

Quæres 1. Quo sæculo recensita hactenus circa baptizandos disciplina mutari cœperit?

Respond. circa sæculum sextum, mutationem, de qua quæritur, incœpisse. Tunc temporis ad pauciores dies competentium statio contracta fuit: a teriæ enim hebdomadæ quadragesimalis feria quarta ducebat initium; eaque fuit causa, cur illam feriam majores nostri tempus primi Scrutinii vocaverint. Septies autem collecta fuisse suffragia, proindeque septem extitisse Scrutinia, Patrum traditione docemur. Quæ tertia, & septima vice celebrabantur, præcipuum tenebant locum. Illud, seu tertium, hebdomadæ quartæ feria quarta habebatur; Illud vero, nempe septimum, Sabbato sancto celebrari consueverat. Illud, maximum, & solemne, illud autem minus solemne ideo dicebatur, quod in tertio, non autem in septimo, præter ritus, qui in aliis Scrutiniis adhibebantur, (exorcismos dico, exsufflationes, fusas a ministris preces,) magno cum apparatu, symbolum, & oratio Dominica baptizandis traderentur.

Quæres 2. Quo spectaret servata quondam in Catechumenos disciplina?

Respond. antiquos Patres in ea, quam erga baptizandos servarunt, disciplina duplicem sibi scopum proposuisse: 1. sibi consultum esse voluere, scientes nimirum gravi se devinciendos sacrilegio, si peccata adhuc amantibus baptismum conferrent; *Cæterum* (inquit Tertullianus lib. de Bapt.) *baptismum non temere credendum esse sciunt, quorum officium est, omni petenti te dato, suum habet titulum perinde ad eleemosynam pertinentem, imo illud potius perspiciendum, Nolite dare sanctum canibus, & porcis projicere margaritam vestram.* 2. Prospectum voluere baptizandorum saluti, quos quis aperto sceleri exponit, cum nequaquam probatis, sanctissima mysteria elargitur.

ALTICULUS SECUNDUS.

Recensetur disciplina circa Catechumenos infirmos antiquitus observari solita.

Baptisma omnibus omnino adultis, qui illud vel sani, vel infirmi petierant, quovis sæculo collatum fuisse veterum monumentis potest demonstrari.

1. Catechumenis de vita periclitantibus, quamvis præfinitum cuique stationi tempus non explevissent, baptismatis Sacramento prospectum fuisse docet Cyprianus Epistola 13. ubi sic loquitur, *Si qui fuerint periculo præventi, & in exitu constituti vigilantia vestra non desit.*

2. Eosdem catechumenos, etiamsi præ subita morte obmutescerent, baptismate donatos fuisse evincitur ex Augustino, qui libro primo de adulterinis conjugiis ad Pollentium capite 26. hæc scripsit, *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, si petere sibi tamen baptismum, vel interrogata respondere non possint, prosit eis quorum in fide Christiana iam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.*

3. Iis etiam Catechumenis, qui deditam sceleribus vitam duxerant usque ad subitum morbum, præ cujus iniquitate, & vocis, & rationis usum amiserant, regenerationis Sacramentum datum fuisse ex eodem Augustino colligitur, *Sed, ut sermo noster ad hoc potius claudatur, ad quod sumpsit exordium*, inquit S. Doctor libro 1. de adulterinis conjugiis ad Pollentium cap 28. *Ego non solum altos Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanen-*

manentes non admittimus ad baptismum , tamen si desperati , & intra se pœnitentes jacuerint , nec pro se respondere poterint , baptizandos puto , ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur .

Suam sententiam hac ratioue idem S. Præsul confirmat ; *Quis enim novit , utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerant detineri .... Quæ autem baptismatis eadem reconciliationis est causa , si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit . Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia .*

Præoccupat S. Doctor argumentom , quod ministrorum mentem subire potest , fieri nimirum posse , ut Catechumenus , de quo est quæstio , baptismum tunc interius nolit , *Sed* (ait cap. 26.) *non solum incredibile est , nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle , verum etiam si voluntas ejus incerta est ; multo satius est nolenti dare , quam volenti negare ; ubi velit , an nolit , sic non apparet , & tamen credibilius sit eum , si posset , velle se potius dicturum ea Sacramenta percipere , sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire .*

Alteri argumento , quod petitur ex divino mandato , qno ministri sanctum canibus elargiri prohibentur , sic ibidem occurrit , *Si autem Dominus ubi ait , Nolite dare sanctum canibus , hoc qnod isti cavendnm putant , vellet intelligi , non ipse suo traditori dedisset , quod in suam ille perniciem , sine culpa dantis , eum dignis indignus accepit . Unde cum hoc diceret Dominus , credendum est significare voluisse , quod lucem intelligentiæ spiritalis immunda corda non portant : & si portanda doctor ingesserit , quæ non recte accipiunt , quia non capiunt , vel reprehensionis morsibus lacerant , vel contemnendo conculcant .*

Nihil apertius proferri potest , quo probetur Augustinum censuisse Catechumenum usque ad extremam vitæ periodum vitiis deditum baptismate donandum esse , etiam si tunc nec signo , nec voce Sacramentum expetere valeat . Sed tamen hic observatum velim , S. Doctorem , pro innata sibi modestia , eos ministros uon damnare , qui praxim contrariam secuti fuerint ; *Non tamen* (inquit cap. 26.) *propterea damnare debemus eos , qui timidius agunt , quam nobis videtur agi oportere , ne de pecunia conservo credita improbius , quam cautius judicare voluisse judicemur . Satis quippe in talibus respiciendum est illud Apostoli , ubi dicit ,* Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo . *Non ergo amplius invicem judicemur : Sunt enim , qui vel in his , vel etiam in aliis observandnm putant , quod dixisse Dominum legimus :* Nolito sanctum dare canibus , neque projicere margaritas vestras aute porcos ; *Et ista Salvatoris verba referentes baptizare non audent eos , qui pro se respondere nequiverint , ne forte contrarium gerant voluntatis arbitrium .*

4. Ethnici , qui nomquam Catechomeni fuerant , sed tautum io mortis lectulo , aliquo se teneri baptismatis desiderio , vel per se , vel per testes profitebantur , initiari solebant Sacramento : *De his , qui in infirmitate credere volunt* (inquiunt Patres prioris Arelateo sis Concilii canone 6.) *placuit his debere manum imponi* , idest dari Confirmationem , & a fortiori baptisma , quod cæteris omnibus Sacramentis præsupponitur . Eamdem disciplinam Siricius , quarto desinenre sæculo , Epist. 1. ad Hymerium Tarraconensem capite 2. his confirmavit verbis , *Quicumque etiam discrimen naufragii , hostilitatis incursum , obsidionis ambiguum , vel cujuslibet corporalis ægritudinis desperationem inciderint , & sibi unico credulitatis auxilio poposcerint subveniri : eodem , quo poscunt , momento temporis expetitæ regenerationis præmia consequantur .*

Nec disciplinæ hujusmodi repugnat canon 39. Concilii Eliberitani , ubi hæc habentur , *Gentiles , si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi , si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta , placuit eis manum imponi , & fieri Christianos* . Non repugnat (inquam siquidem) Eliberitanum cancilium de Confirmatione , non autem de baptismo loquitur : seu quod idem est , Patres Eliberitaui censoeruot , eum , qui post baptismum flagitiis dedisset sese , ac in exitu positus Confirmationem peteret , donandum oon esse Confirmationis Sacramento ; E contra judicarunt , æquum esse , ut eodem insigoireutur ii , qui vel Catechumenatum , antequam morbo corriperentur , expleverant , vel qui a suo baptismate honestis se commendarant moribus . Canoni , de quo est quæstio , canon alter , oempe 38. quo per manuum impositionem Confirmatio clare designatur , lucem affuodit , *Potest fidelis , qui lavacrum suum integrum habet , baptizare in necessitate infirmitatis positam Catechumenum : ita ut , si supervixerit , ad Episcopum eum perducat , ut per manus impositionem perfici possit .*

Canonis 39. Eliberitani mox datæ expositioni non officit , quod eodem canone subditur , Gentilem nempe , cujus meminit per manus impositionem fieri Christianum : nihil siquidem aliud significatum fuit , quam quod per impositionem manus , Gentilis Christianus fieret , non simpliciter quidem , ut fit in baptismate , sed secundum quid , seu in statu perfecto , quem quidem statum Neophyti per Confirmationis Sacramentum consequuntur .

Non officit quoque eidem responsioni , quod canon , de quo agitur , baptizatum , cui nou vult manum imponi , Gentilem vocitet ; Ideo quippe (ait doctissimus Albaspineus) baptizatum eum hominem , Gentilem adhuc appellat , quod extra ordinem , & sine Catechumenatu fuisset baptizatus , nec omoia fidei elemeota edoctus fuisset . Quamobrem autem statuerint Patres Eliberitani , ut ii , qui mores suos ad fidei , quam professi fuerant , regulas non composuissent , Confirmatione in exitu positi non donarentur : ea potuit esse causa (inquit mox laudatus author) qood post Coufirmationem subinde , nullaque interjecta mora , Eucharistia confirmatis tribueretur . Quidam igitur nou existimabant , eam satis tuto , & consulto ejus fidei credi , & committi posse , qui in rebus Christianæ Religionis , & io ejusmodi mysteriis parum esset eruditus , nam ea accepta , ad vanitatem redire , ejusque mysteria , & arcana divulgare poterat . Præterea mysteriorum participes hos esse nolebant , qui turpem duxerant vitam , ne recuperata sanitate , animus prava consuetudine , & cupiditate detentus , ad eadem vitia facilius relaberetur , & idumeotum Spiritus sancti , ipsumque Christum exueret .

5. Energumenis baptismate majores nostri consuluerunt . Hi si sani essent , non baptizabantur , nisi cum aliquibus lucidis intervallis sibi permitteretur , at infirmi jubebantur baptizari , etiam si rationis usu non fruerentur ; *Eos , qui ab immundis spiritibus vexantur , si in fine mortis fuerint constituti , baptizari placet :* Ita Concilium Eliberitanum canone 37. decernit : Idem pariter in prima Arausicana Synodo , quæ anuo 442. habita est , canone 15. his verbis statuitur , *Energumenis , Catechumenis , quantum vel necessitas exigerit , vel opportunitas permiserit , de baptismo consulendum .*

Ex dictis hacteous patet , nemini unquam oegatum fuisse baptisma , sive sanus , sive in ultima vitæ periodo constitutus , illud petiisset ; sive aliquando fuisset catechumenus , sive non fuisset ; sive propria voce , aut signo ; sive aliorum testimonio ipsum efflagitasset ; sive probis moribus sese commendasset in catechumenatu ; sive usque ad morbum , præ cujus iniquitate obmutuerat , sceleribus se dedisset , & (ut ait Augustinus) adulterina retinuisset conjugia .

Eadem tamen ratione per absolutionem sacramentalem lapsis post baptisma consultum non fuit : Primo enim quorumdam immanium scelerum reis uonnullæ Ecclesiæ reconciliationem , etiam io vitæ exitu negarunt , sive sani , sive infirmi , eam exposcerent .

2. Post reconciliationem semel datam , aliam a quibusdam Ecclesiis concessam non fuisse iterato in eadem crimina lapsis docent Albaspineus , Petavius , & alii .

3. Antiqui Patres per aliquot sæcula , io flagitia post baptismom lapsis absolutionem non impertiebantur , si de ea , dum saui essent , oon curaverant : quamobrem vero sic se Patres gesserint ; cur per baptismum omuibus omnino catechumenis in exitu positis consultum voluere , lapsos autem post baptismum in eadem periodo constitutos reconciliatione donare detrectaverint , ea fuit causa , quod scelera , quæ baptis-

mum subsequuntur, iis, quæ illud præcesserunt, multo graviora sint. Par igitur fuit, ut acerbiore pœna antiqui Patres in ea animadverterent.

Illi responsioni robur addi potest ex Concilio Eliberitano, quod quidem, licet multis post baptismum lapsis (ut in variis ab eo editis canonibus legere est) etiam in exitu vitæ negandam esse reconciliationem statuerit, ideo tamen præcepit, omnibus omnino dari baptisma, quod (ut ait canone 45.) *in veterem hominem deliquisse videantur*.

Eamdem praxim, conferendi nempe baptisma in extremis posito, sive esset Gentilis, sive Judæus, sive Apostata, sive aliquando fuisset catechumenus, qui (ut inquit idem canon 45.) *per infinita tempora ad Ecclesiam numquam accessisset*, sive non fuisset catechumenus, non Catholici modo, sed etiam hæretici, qui strictiorem in peccatores jactabant disciplinam, Montanistas dico, & Novatianos, eamdem (inquam) praxim amplexi sunt, quamvis alioquin, post baptismum in quædam immania scelera lapsos ab Ecclesiæ pastoribus absolutione donari non posse contenderent.

ARTICULUS TERTIUS.

De hodierna Ecclesiæ in baptizandos disciplina.

CONclusio. Nulli adulto baptisma confertur, quin prius Trinitatis, & Incarnationis mysteria fuerit doctus, quin vitam veterem detestetur, ac novam, servando Divina mandata, inchoare proponat.

Probatur prior conclusionis pars. Majores nostri nullum omnino hominem abluebant, quin eum Trinitatis, & Incarnationis mysteria edocuissent: *Fit hoc* (inquit Augustinus lib. de fide, & operibus capite 6.) *ubicumque forte dies urget extremus, ut ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat, sacramentumque percipiat*. Iis sane verbis S. Doctor asserit, urgente etiam mortis periculo, Ecclesiam in eo, qui numquam fuit catechumenus, aut qui nihil unquam de religione audiit, fidei professionem requisiisse.

Nec est, quod quis reponat, id quidem olim factum fuisse ex canonum præscripto, nunc vero omitti posse, eo quod antiqui illi canones hujusce ætatis Ecclesiam non urgeant. Non est (inquam) quod quis sic respondeat: fides enim in Trinitatem, & Incarnationem necessaria est non tantum præcepti, etiam Divini necessitate, sed etiam necessitate medii, imo secundum saniores Thelogos, ea fides, tum in Trinitatem, tum in Incarnationem explicita sit oportet, idque fuse ad calcem Tomi IV. institutionum nostrarum Theologicarum secundæ Editionis demonstravimus.

Probatur altera conclusionis pars 1. ex scopo, seu fine, quem vetus Ecclesia sibi proposuit in instituendis catechumenorum gradibus, ac in disciplina, quam in eos per multa sæcula observavit. Hoc unum voluit Ecclesia, ut baptizandi per pœnitentiæ labores obtinerent contritionis motum, quem quovis tempore ad justitiam comparandam necessarium fuisse Synodus Tridentina definiit; voluit, ut per varia pietatis exercitia se, iniquis veteribus affectibus depositis, novos induisse probarent.

Ea majorum nostrorum in baptizando disciplina usus est Augustinus lib. de fide, & operibus, ut quorumdam suæ ætatis Scriptorum impiam doctrinam convelleret. Nonnullos tunc temporis reperire erat, qui fide sola opus esse contendebant, ut quis rite, & absque sacrilegio baptisma reciperet; *Quid autem aliud agit totum tempus, quo Catechumenorum locum, & nomen tenent*, (inquit cap. 6. adversus illos pseudo-Doctores) *nisi, ut audiant quæ fides, & qualis vita debeat esse Christiani, ut cum se ipsos probaverint, tunc de mensa Domini manducent, & de calice bibant. .... Quod autem fit per omne tempus, quod in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes, Catechumenorum gradus accipiant. Hoc fit multo diligentius, & instantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt*.

Probatur iterum eadem secunda conclusionis pars ex Concilio Tridentino: Sacra Synodus sess. 6. cap. 6. describens modum, quo adulti ad justificationem in baptismo recipiendam præparantur, expresse asserit in eis prærequiri fidem, spem, charitatem inchoatam, pœnitentiam, propositum Divina mandata servandi. Placet ipsissima sacræ Synodi verba hic subjicere, *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ Justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata*.

Confirmatur duplex allata probatio authoritate duorum elapsi proxime sæculi sanctissimorum, doctissimorumque Præsulum Francisci Episcopi Heliopolitani, & Petri Episcopi Berytensis, qui in Tunchini, & Cochinnæ regnis incredibili eum fructu Christum annuntiarunt: quique pro feliciori Evangelii progressu quasdam ediderunt instructiones, quas Eminentissimus Cardinalis Bona jussu sacræ Congregationis de propaganda fide recensens, Apostolico spiritu scriptas fuisse testatur: unde etiam eas Typographus ejusdem Congregationis Romæ typis evulgavit.

Conqueruntur ambo illi Apostolici viri in editis a se instructionibus, conqueruntur (inquam) de Missionariis quibusdam, qui ut de numero a se baptizatorum potius, quam de virtute gloriarentur, obvium quemque, & sine ullo fere delectu, modo baptismum peteret, abluebant. *Longe absunt* (inquiunt) *a pia illa, & tam necessaria antiquorum sollicitudine quidam Indiarum operarii, qui obvios quosque, vix explorata illorum voluntate, una, aut altera instructione contenti, sacro baptismi fonte abluunt*.

Declarant 1. Zelo, & doctrina celebres illi Episcopi, notabilem temporis moram, quadraginta nempe dierum spatium, instruendis, formandisque catechumenis necessarium esse; *Quamobrem* (ajunt) *etsi hodie sacerdotibus committatur judicium de catechumenorum eruditione, aliisque necessariis conditionibus, adeoque & de tempore catecismi ferendum, ut sic sanctum baptisma conferatur; Rectius tamen & securius nobis visum est cum Patribus, & Conciliis: catechismi tempus non breviori, quam quadraginta dierum spatio vulgo definire, nec alios ad baptismum admittendos esse, nisi qui ante quadraginta dies nomen dederint. Cum etiam experientia, quæ sacris canonibus consonat, satis notum sit, diuturniorem moram esse perutilem, tum ad obtinendam in Christiana fide perseverantiam: atque adeo hac in re habenda erit ratio venientium ad fidem; qui enim laudatam antea vitam duxerint, ferentque præ se docilitatem, atque pietatem, prædicti temporis institutio eis sufficiet, ac interdum brevior, si tamen antea sat bene instituti sint, & quod rarissime continget, urgentissima necessitas postulabit. Diutius probari debent rudiores, & obtusioris, tardiorisque ingenii, servi, & qui, temporalis pœnæ vitandæ gratia, fidem videntur amplecti velle, aut sperant aliquid lucri, & commodi, se consecuturos ex eo, quod Christiani fiant; ii denique, qui levis, & inconstantis animi signa aliqua dederunt*.

Declarant 2. Missionarios, qui passim, & ordinarie tempus illud præoccupant, nomini Christiano, & animarum saluti nocere quam maxime; *Incredibile* (inquiunt) *dictu est, quantum in eorum numerandis multis a se baptizatis cura, in excolendis incuria, & segnities delecta nimia credulitas, præmatura baptismatis administratione offecerint fidei, bene, ut par est, stabiliendæ, nec non etiam nomini Christiano: Enim vero comprobatum est experientia, Christianos pejores non inveniri, quam qui ante competentem instructionem ad baptismum admissi sunt; quippe qua facilitate Christo nomen dederunt, eadem*,

dem, ut plurimum nuntium ei remittunt; & videre est aliquos, qui & Christianorum simul, & Idolorum templa solent frequentare, quodque miserabilius est, deteriores multo sunt, quam ante baptismum, & correctionis omnino impatientes.

Declarant 3. Laudati Episcopi, nullis, quantumvis mysteria fidei edoctis, baptismum conferendum esse, utut ardenter eum postulent; nisi ante ex bona conversatione eos pristinis vitiis, ac criminibus renunciasse, moresque vere Christianos induisse exploratum sit; *Cæterum* (inquiunt) *utut ardentibus votis, catechumeni baptismum expetant, & prærequisitis institutionibus sint eruditi: his tamen Sacramentum hoc Missionarii prius non concedant, quin pertentata illius desiderii efficacia, compererint eos idola foras ejecisse, atque detestari; Gentilium superstitiones procul abiegasse, & quæcumque e diabolica officina prodeunt sacrilegia, & cætera id genus proculcasse; una retenta uxore, alias domo expulisse, omnes inimicitias ex animo deposuisse; pro illatis injuriis, quantum licuit, satisfecisse; acquisita injuste, vel dominis invitis retenta restituisse.*

Declarant 4. iidem de Ecclesia optime meriti Episcopi, catechumenis, quantumvis emendationem vitæ spondeant, non habendam esse fidem, nec baptismi Sacramentum ministrari debere, nisi ante illius susceptionem operibus, & non verbis tantum, suam emendationem probaverint; *Sicut a sacro baptismatis fonte rejiciendi sunt* (ajunt) *qui vitiis, ac peccatis obstinate adhærent: ita procul ab eo expellendi, qui nolunt interioris conversionis signa operibus dare, cum inde pateat, infectam peccati amore voluntatem adhuc gerere, neque admittendi etiam illi erunt, qui, quod a se exigitur jure, possuntque præstare ante baptismi susceptionem, nonnisi eo suscepto, effecturos se spondent, ne qua iis insit amaritudinis radix; nimirum docuit Missionarium experientia, in infidelium regnis catechumenos in baptismi desiderio multa polliceri, quæ nisi ante baptismum impleant, numquam postea mandant executioni.*

Declarant 5. nullam habendam esse rationem nonnullorum, qui de baptismatis dilatione conqueruntur, quasi propter inopinatos casus; catechumenos morti, ac proinde damnationi æternæ exponat. Confirmant suam doctrinam ex catechismo Romano docente, ob vitæ incertitudinem, & quotidiana mortis pericula, necessarias catechumenorum instructioni moras non esse præscindendas. *Neque enim* (ajunt catechismi Romani verba recitantes) *hæc mora periculum* (*quod quidem pueris jam imminere diximus*) *conjunctum habet, cum illis, qui rationis usu præditi sunt, baptismi suscipiendi propositum, atque consilium, & male anteactæ vitæ pœnitentia satis futura sit ad gratiam, & justitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quo minus salutari aqua ablui possint; contra vero hæc dilatio aliquas videtur utilitates afferre; primum enim, quantum ab Ecclesia providendum est, ne quis ad hoc Sacramentum ficto, & simulato animo accedat, eorum voluntas, qua ad baptismum accedunt, magis exploratur, atque perspicitur; deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, & Christianæ vitæ institutionibus erudiuntur perfectius. Præterea major religionis cultus Sacramento tribuitur, si constitutis tantum Paschæ, & Pentecostes diebus solemni cæremonia baptismum suscipiant.*

Qui argumenta attenderit, quæ hucusque protulimus in medium, ut hodiernam Ecclesiæ circa baptizandos disciplinam probaremus, haud difficili negotio judicabit, antiquorum canonum vim his etiam temporibus vigere; quamvis secundum ritum externum multis ab hinc sæculis non obtineant.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Baptismatis Effectibus.

DUplex est baptismatis effectus, character nimirum, & gratia. De charactere, quem catechumenis imprimit, actum fuit superius, cum de Sacramentis in genere, agetur que iterum inferius, cum de

Juenin de Sacram.

illius unitate dicetur: hic ergo de gratia, quæ ab eo producitur, est differendum, & quærendum 1. Utrum per baptismum peccata omnia dimittantur? 2. An baptismatis votum, in casu necessitatis integram quoque peccatorum remissionem operetur? 3. Utrum Martyrium id idem præstet in patiente, quod baptismus actu receptus in catechumeno? 4. An per hoc Sacramentum, præter remissionem peccatorum, gratia conferatur? 5. An, qui ficte baptismum suscepit, postea, deposita fictione, omnibus ejusdem baptismatis effectibus donetur?

CAPUT PRIMUM.

Utrum per Baptismum omnia peccata dimittantur?

IN peccatis duo considerari possunt, reatus nimirum culpæ, & reatus pœnæ. De peccatorum remissione ad duplicem illum respectum comparata hic dicendum incumbit, seu quærendum est 1. an baptisma peccati culpam deleat? 2. an debitam ei pœnam omnino tollat?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum per baptismum peccati culpa deleatur?

PLures ex antiquis, ac recentioribus hæreticis peccati culpam Baptismate deleri negarunt.

1. Nonnulli Origenistæ docuerunt peccatum sopiri quidem per fidem, & baptismum; at per eam omnino tolli inficiati sunt: *Quale constat* (inquit Proclus Origenista apud Epiphanium hæresi 64.) *contrahi quidem, ac sopiri per fidem nunc peccatum, ut ne fructus noxios producat, non tamen radicitus tolli.* Impium illud effatum experientia probare nititur. *Vivente enim adhuc corpore, antequam moriatur, necesse est simul vivere peccatum*... (Verba sunt ejusdem Procli) *Alioquin post illuminationem, non contingeret nos injusta facere, utpote peccato penitus sinceriter a nobis ablato. Nunc vero, etiam postquam credimus, & ad aquam purificationis devenimus, sæpe in peccatis reperimus.* Ex eo principio idem hæreticus mortem, qua peccatis liberamur, singulari Dei beneficio nobis obvenire conclusit: *Proinde* (inquit) *in auxiliaris medicamenti modum ab auxiliatore nostro, & vere medico Deo ad eradicationem peccati, ac deletionem, assumpta est mors, ut ne perpetuo durans in nobis immortale sit peccatum.* Procli delirium S. Methodius, apud laudatum mox Epiphanium multis argumentis insectatur.

2. Messaliani contenderunt, unicuique homini, cum nascitur, mox dæmonem adesse, qui ipsi ita dominetur, ut non baptismate, sed sola oratione depelli possit: unde concluserunt, eo ex Sacramento catechumenos nullum percipere fructum. *Messaliani* (inquit Theodoretus libro 4. hæreticarum fabularum, hæresi XI.) *baptisma dicunt suscipientibus nihil prodesse*... *malum dæmonem, qui ab initio datus est, nec baptisma, nec aliud quicquam posse ab anima exigere, præter solam orationem.*

3. Ætate Gregorii Magni nonnullos reperire erat, qui accusarentur, quasi assererent baptismo peccata non dimitti. *Ad me etenim* (ait S. Doctor Regist. lib. 9. Ep. 39.) *sicut nostis, cum apud vestigia dominorum in regia urbe demorarer multi ex eis venire consueverant, qui de prædictis capitulis accusabantur; Sed*... *magis ab insequentibus defendere curabam. Dicebatur namque contra eos, quia sub obtentu religionis*... *dicerent, quod Baptisma peccata penitus non auferret.*

4. Lutherani per baptismum peccata dimitti quidem quod non imputentur, sed nequaquam tolli contenderunt. *Aliud est* (inquit Lutherus art. 2. ex iis, quos Leo Papa X. proscripsit) *omnia peccata remitti, aliud omnia tolli: Baptismo omnia remitti, sed nullum penitus tolli.* Lutheranis Calvinistæ subscripserunt: *Manet vere peccatum in nobis* (ait Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini Sess. 5.) *neque per baptismum statim uno die extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.* Propositis Sectariorum circa

baptifmatis efficaciam opinionibus, veritatem Catholicam proponamus, ac defendamus oportet.

Conclufio. Baptifmate cujuslibet peccati culpa deletur.

Probatur 1. ex Scriptura Actorum 2. cap. Petrus ait: *Baptizetur unufquifque veftrum in remiffionem peccatorum*; Ad Ephefios 5. Chriftus per baptifmum Ecclefiam mundare dicitur; *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*. Ille baptifmatis effectus, apud Ezechielem cap. 36. his verbis prædicitur; *Effundam fuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veftris*.

Probatur 2. ex Traditione, quæ a primis Ecclefiæ fæculis huc ufque noftram conclufionem conftanter docuit.

Tertullianus, aliique antiqui Patres hocce difcrimen inter Joannis, & Chrifti baptifmum conftituerunt, quod ifte, non vero ille, peccata deleret. Cyprianus in Epiftola ad Fidum, ideo decernit, baptifmate parvulis confuli debere, quod peccatum, cujus rei funt, abftergat. Conftantinus Magnus a fanctis tertii fæculi Epifcopis eam fidem doctus fuerat: ita enim ad Sanctorum cœtum cap. 20. apud Eufebium in ejus villa concionabatur; *Refurrectionis vis hominis patefacta fuit, & fi quæ labes humanorum fcelerum refidebat, illa univerfa facro baptifmatis lavacro abfterfa*.

Ita apud primos Chriftianos trita erat, & publica ea veritas, ut ad Gentilium etiam notitiam perveniffet: ex illa nimirum in Chriftianifmum argumentum ducebant, contendebant fcilicet, fidei noftræ principiis immania fcelera foveri, eo quod (inquiebant) balneum quoddam jactaret fibi proprium, quo omnia omnino flagitia abftergerentur.

Auguftinus in antiquorum abiit fententiam lib. 3. de Symbolo ad catechumenos cap. 10. ubi fic loquitur, *Omnia prorfus delicta delet fanctum baptifma; originalia, & propria, dicta, facta, cogitata, cognita, incognita, omnia dimittuntur*. Priori Patrum Traditioni fubfcripfit Hieronymus Epift. 83. ad Oceanum, ubi hæc ejus verba legere eft: *Omnia fcorta, & publicæ colluvionis fordes, impietas in Deum, parricidium, & inceftus in parentes, atque in extraordinarias voluptates utriufque fexus mutata natura, Chrifti fonte purgantur*. Gregorius Magnus Epiftola 39. Regift. lib. 9. eamdem baptifmatis vim, ac efficaciam ex profeffo docet, & confirmat: *Qui dicit* (verba funt S. Doctoris) *peccata in baptifmate non funditus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos*.

Tam altas ubique gentium veritas, de qua agitur, radices egit, ut Ecclefia quovis fæculo anathemate damnaverit eos, qui eam inficiari aufi funt. Expendant ergo recentiores hæretici, qua ratione fuam de inefficacia Sacramentorum novæ legis doctrinam cum tam aperta traditione, & primorum Chriftianorum mentibus infixa opinione concilient, fateanturque non novam, fed antiquam fidem Tridentinos Patres defendiffe, cum huncce canonem Seffione 5. ediderunt, *Si quis per Jefu-Chrifti Domini noftri gratiam, quæ in baptifmo confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam afferit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, fed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema fit*.

Objicies. Ex Auguftino peccatum originale, & concupifcentia idem funt. Atqui experientia comprobatum eft in baptizatis fuperftitem effe concupifcentiam. Ergo &c.

Refpondent nonnulli Scholaftici negando maj. Formale enim peccati originalis (inquiunt) in mera privatione juftitiæ originalis, non autem in aliquo pofitivo confiftit. Refpondent alii per baptifmum tolli concupifcentiæ dominatum ortum in infantibus ex primorum parentum inobedientia; in eo vero dominatu pofita eft (ajunt) peccati originalis effentia; Eo fenfu (inquiunt) Auguftinus afferit concupifcentiam in baptizatis tranfire reatu, quamvis actu maneat. Vide, quæ de effentia peccati originalis fufe pertractata funt, noftrarum inftitutionum Theologicarum Tomo 6.

Articulus Secundus.

Utrum baptifmate tota pœna peccato debita remittatur?

Conclufio. Baptifmate tota pœna peccato debita remittitur.

Probatur 1. ex, quod Patres docuerint eum, qui mox a recepto baptifmate moritur, nullius pœnæ in altera vita perfolvendæ debitorem effe; *Si continuo* (poft baptifmum,) *confequatur ex hac vita migratio, non eft omnino, quod obnoxium hominem teneat, folutis omnibus, quæ tenebant*. Verba funt Auguftini lib. 2. de peccatorum meritis cap. 28.

Probatur 2. ex praxi Ecclefiæ, quæ nullam unquam pœnitentiam, feu pœnam perfolvendam baptizatis impofuit, Catechumeni diu quidem fidem edocebantur, gradatim altiffimis imbuebantur myfteriis, pluribus pietatis exercitiis probari folebant, antequam Sacramento initiarentur, fed initiati nullo unquam labore fatisfactorio damnati funt, nulla in eos propter peccata, quæ baptifmum præcefferant vindicta animadverfum eft. E contra fidelibus lapfis fatisfactorii labores a miniftris clavium injuncti fuere; qui Juftitia exciderant, quam in baptifmate fuerant confecuti, ea iterum non donabantur, nifi in præteritorum fcelerum vindictam, graviffimas, ac diuturniores pœnas fubiiffent.

Ad fuam illam Ecclefiæ in baptizatos praxim alludens Bafilius in exhortatione ad baptifmum, fic exclamat; *O rem admirandam! renovaris, nec conflagraris; refingeris, nec contereris; curaris, ne dolorem fentis: & tamen hanc gratiam non expendis*. Ad aliam praxim, qua, ex ejufdem Ecclefiæ præcepto, fideles lapfi in fe ipfos fævire juffi funt, attendens Auguftinus fic in homilia ex 50. poftrema loquitur, *In hac pœnitentia* (peccatorum, quæ gratiam baptifmatis extinguunt) *majorem quifque in fe feveritatem debet exercere, ut a feipfo judicatus, non judicetur a Domino... Afcendat itaque homo adverfum fe tribunal mentis fuæ... atque ita conftituto in corde judicio, adfit accufatrix cogitatio, teftis confcientia, carnifex timor. Inde quidam fanguis animi confitentis per lacrymas profluat*. Ea autem diverfa in baptizatos, & infideles lapfos agendi ratione, neceffario evincitur Ecclefiæ quovis fæculo perfuafum fuiffe, baptifmum, non vero pœnitentiæ Sacramentum, præterita peccata, & quoad culpam, & quoad pœnam, omnino dimittere.

Illi argumento robur addi poteft ex multiplici alia oppofitione, quæ reperitur inter difciplinam, qua Ecclefia ufa eft in catechumenos, quos tinxit, & eam, quam adhibuit in fideles lapfos, quos pace donavit.

1. Pœnitentes in ultima vitæ periodo reconciliati, recuperata valetudine, decurrere jubebantur ftationem fuam, feu in eam redire pœnitentium claffem, in qua eos morbus deprehenderat. Si nondum ingreffi fuiffent pœnitentiæ ftadium, reconciliatione, & ipfa etiam Euchariftia potiti, poft tertium fæculum pluribus in provinciis, illud integrum decurrere cogebantur: *Sin autem* (inquit Gregorius Nyffenus in Epiftola canon. ca ad Letojum) *poftquam Sacramenti particeps fuerit* (fidei defertor in extremis abfolutus) *rurfus ad vitam reverfus fit, ftatutum tempus expectet in illo gradu exiftens, in quo erat ante communionem*: E contra, Catechumeni in iifdem anguftiis baptizati, poftquam convaluerant, non amplius catechumenis, fed fidelibus adjungebantur; Enim vero licet plerique canones, pleraque decreta de baptifmate catechumenis, immo gentilibus in mortis periculo conftitutis, conferendo edita fuerint; nufquam tamen alicubi legitur imperatum, ut poft recuperatam valetudinem Euchariftia privarentur, ac præfixas catechumenis ftationes decurrerent. Unum tantum eis folebat injungi, ut fcilicet accurate, & fedulo docerentur fidem ad fanctitatem doni, cujus in mortis lectulo participes fuerant; *Oportet*, (inquit Concilium Laodicenum can. 47.) *eos, qui in morbo baptifmum receperunt, deinde refurgunt, fidem edifcere, & noffe, quod Divini muneris participes facti funt*.

2. Majores noftri in ea erant opinione, ut crederent, cate-

catechumenum, vel etiam ethnicum, in extremis baptizatum, absque mora vitam æternam consequi, si mox a recepto baptismate moreretur; id ita quondam persuasum erat, ut multos, etiam pios, reperire esset, qui propter eam rationem, suum baptisma in vitæ exitum differrent. E contra de Christiani pœnitentia, & reconciliatione in eadem vitæ periodo, in eodem periculo suscipientis salute, plurimum diffidebant. Utramque illam, & Pœnitentis, & Catechumeni speciem clare proponit, & explicat Augustinus libro quinquaginta homiliarum, homilia 14. ubi sic loquitur; *Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo, fidelis bene vivens, securus hinc exit, Baptizatus ad horam securus hinc exit.*

Ea Patrum diffidentia de salute pęnitentium, qui satisfactionis studia sani non decurrerant, oriebatur quidem ex eo, quod censerent pęnitentes illos ex Dei amore sua scelera non detestari, sed ex alio etiam nascebatur capite, quod nempe ante mortem per pœnitentiæ labores Deo ab iis satisfactum non fuisset, quod pœnam suis criminibus in altero sæculo debitam, pœnitentia luctuosa non redemissent. E contra eorumdem Patrum securitas de salute recenter baptizatorum, hac nitebatur persuasione, quod baptismo tota peccati pœna remitteretur.

Objicies. Fames, morbi, mors, concupiscentia, aliæque hujus vitæ calamitates, sunt pœnæ propter peccatum Originale hominibus inflictæ: At pœnę ejusmodi non in catechumenis modo, sed etiam in baptizatis remanent: ergo tota pœna peccato debita baptismate non remittitur.

Respond. Deum multiplici de causa noluisse, ut per baptisma, miseriæ, de quibus argumentum, tollerentur. Primo enim; (inquit Augustinus lib. 13. de civitate Dei cap. 4.) *Si regenerationis Sacramentum continuo sequeretur immortalitas corporis, ipsa fides evacuaretur, quæ tunc est fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum habetur. 2. Quilibet* (ait ibidem S. Doctor) *ad Christi gratiam propterea potius curreret, ne a corpore solveretur, quam ipsius Dei amore. 3. Sic per ineffabilem Dei misericordiam* (subdit idem S. Pater) *& ipsa pœna peccatorum, transit in arma virtutis,*

Iis Augustini sententiis docemur, baptismum, eas tantum pœnas temporales remittere, quæ alioquin culpa dimissa, peccatori in altero sæculo deberentur. Consequentiam, quam mox intulimus, non implicite tantum, seu in principiis, quæ hucusque protulimus in medium, sed etiam explicite Augustinus tradidit; hæc enim habet Enchiridii cap. 66. *Magis propter futurum judicium fit remissio in hac vita, ut intelligamus totum, quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præsentium, pertinere.*

CAPUT SECUNDUM.

Utrum per baptismatis votum peccata dimittantur?

EAmdem hoc in capite, quam in superiori, methodum sequemur: Quæremus nimirum 1. an baptismatis voto peccati culpa deleatur? 2. an tota pœna temporalis illi debita solvatur?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum baptismatis voto, peccati culpa deleatur?

BAptismatis votum, vel reperitur in subjecto qualibet in Deum charitate vacuo, vel in eo, quod ardet perfecta charitate, vel tandem in eo, in quo saltem imperfecta reperitur. De Baptismatis in voto recepti efficacia ad triplex illud subjectum comparata hic dicemus. Methodi causa, 1. variorum hac de quæstione Scriptorum sententias proferemus in medium. 2. aliquibus conclusionibus eam solvemus.

1. Neminem reperire est, qui asseruerit, catechumenum qualibet in Deum charitate destitutum, per baptismatis votum, etiam cum urget necessitas, peccatorum remissionem consequi posse. Authores, qui contendunt attritionem mere servilem ad justificationem satis esse, conceptis terminis asseruut, eam omnino insufficientem esse, nisi actu cum baptismi, aut pœnitentiæ Sacramentis conjuncta sit; ita ut fateantur, perire in æternum peccatorem, qui ex mero timore servili crimen detestatur, nec baptismo, si nondum sit regeneratus, nec absolutione, si sit e fidelium numero, reipsa donatur.

2. S. Fulgentius videtur in eam opinionem abiisse, ut crederet, baptismatis votum, etiam in casu necessitatis, non justificare catechumenum, qui perfecta charitate flagrat. A Ferrando interrogatus de Æthyope catechumeno, qui postquam inter Competentes multum profecisset, amisso rationis usu, baptizatus fuerat, respondit eum quidem justitiam consecutum fuisse, eam tamen nequaquam consecuturum, si baptismate actu initiatus non fuisset; *Non dicimus* (inquit) *illum sine baptismi Sacramento sola confessione potuisse salvari... Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Illum utique adolescentem, quia credidisse, & confessum fuisse novimus, ideo per Sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus: qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens, nullatenus salvaretur, via enim salutis in confessione, salus in baptismate.*

3. Estius arbitratus est baptismatis voto remitti quidem peccata catechumeni, qui perfecta charitate, ac contritione præditus est, sed in necessitatis casu tantum, non vero passim, & ordinarie. In eum sensum detorquet Concilii Tridentini sententiam, qua definitur; quod contritionem *aliquando* charitate perfectam esse contingat, ipsaque hominem Deo reconciliet, priusquam Sacramentum actu suscipiatur.

4. Christianus Lupus dissertatione, quam de necessitate charitatis in Sacramento pœnitentiæ, ac baptismi conscripsit, fatetur quidem Sacramenti voto in casu necessitatis deleri peccatum impii, qui ipsum ex motivo imperfectæ quidem, sed tamen Dei super omnia charitatis, detestatur; at id passim, & ordinarie non accidere contendit.

5. Aliqui recentiores docent, quovis in casu, sive passim, & ordinarie, cum necessitas non urget, baptisma in voto receptum justificare impium, in quo Dei charitas, licet intensive imperfecta, dominatur. Hactenus Historici partes egimus, sequentibus conclusionibus dogmatice, ac Theologice loquemur.

Conclusio 1. Fide Catholica certum est per baptismatis votum in ultima vitæ periodo, peccati culpam dimitti impio, qui illud ex motivo perfectæ charitatis detestatur.

Probatur 1. authoritate Concilii Tridentini Sessione 24. cap. 4. hæc habentur, *Docet præterea* (sacra Synodus) *& si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Probatur 2. ex bulla Pii Papæ V. a quo proscripta fuit hęc propositio, quæ inter eas, quæ Michaeli Baio adscribuntur, n. 31. legitur; *Charitas perfecta, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide nō ficta in Cathechumenis & pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorū.*

Objicies authoritatem S. Fulgentii, qui docet catechumenis quantumcumque contritis, non dimitti peccatum, etiam in extrema vitæ periodo, nisi actu baptismatis Sacramentum recipiant.

Resp. 1. Fulgentii textum, quem supra retulimus, exponi posse de catechumeno, cui adest imperfecta tantum charitas, quæ sit quidem Dei super omnia, sed tamen in gradu remisso. Resp. 2. illius Patris doctrinam, si intelligatur de catechumeno, qui charitate tum intensive, tum extensive perfecta flagret, ab Ecclesia Catholica non probari.

Conclusio 2. Baptismatis voto, etiam extra necessitatis casum, peccatum dimittitur catechumeno, qui illud ex motivo perfectæ charitatis detestatur.

Probatur 1. authoritate Pii Papæ V. cujus decre-

tum fupra defcripfimus. 2. Judicio facræ Facultatis Parifienfis, a qua anno 1560. hæc propofitio profcripta fuit. *Per contritionem, non adhibito realiter Sacramento baptifmi, vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra cafum martyrii, & neceffitatis,*

Conclufio 3. Opinio, quæ docet baptifmatis voto, io cafu neceffitatis, deleri peccatum catechumeni, qui illud ex imperfecta, fed tamen fuper omnia Dei charitate deteftatur, Scripturæ, & Traditioni confentanea videtur.

Probatur 1. Joelis 2. hæc babentur, *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini falvus erit*: Hæc etiam Matthæi 7. *Omnis, qui petit, accipit*. Generales funt illæ fententiæ, nec aliqua exceptione circumfcribuntur. De omnibus igitur, qui Deum per charitatem rebus creatis anteponunt, intelligi debent.

Probatur 2. Traditio favet opinioni, qua afferitur, catechumenos, quibus ineft imperfecta Dei charitas fuper omnia, juftitiam in cafu neceffitatis confequi per baptifmatis votum.

Primo enim Cyprianus in Epift. ad Jubajanum docet, hæreticos, qui prioribus fæculis fincero ad Ecclefiam redierunt animo, a regno cœlefti poft miferam hanc vitam non fuiffe exclufos, etiamfi (ut ipfe fupponit) invalidum in hærefi baptifma, & nequaquam, cum pace donati funt, iteratum fufceperint. De omnibus omnino hæreticis, qui aliunde ad fructum baptifmatis fufficienter parati erant, loquitur S. Doctor. Ergo cenfuit eos, qui Deum fuper omnia, licet imperfecte, dilexiffent, per baptifmi votum juftitiam confecutos fuiffe. S. Martyris verba hic fubjiciamus operæ pretium eft. *Quid ergo fiet de bis, qui in præteritum de hærefi ad Ecclefiam veaieates, fine baptifmo admiffi funt? Poteas eft Domiaus mifericordia fua indulgentiam dare, & eos, qui fimpliciter admiffi, in Ecclefia dormierunt, ab Ecclefiæ fuæ muneribus non feparare.*

2. Ambrofius in oratione funebri de obitu Valentiniani afferit, & probat eum imperatorem, baptifmatis defiderio peccatorum remiffionem confecutum fuiffe; *Sed audivi vos dolere quod non occeperit Sacramenta baptifmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eft nifi voluntas, nifi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam veniffet, initiaretur, & proxime baptizari fe a me velle fignificavit; & ideo præ cæteris caufis a me accipiendum putavit. Non habet ergo gratiam, quam defideravit? Non habet, quam popofcit? Et quia popofcit, accepit? Et ubi illud eft; juftus quaecumque morte præventus fuerit, anima ejus ia refrigerio erit.* Paucis interjectis Chriftum alloquens, idem his verbis confirmat. *Qui habuit Spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut fi, quia folemniter non fuat celebrata myfteria, hoc movet, ergo nec martyres, fi catechumeai fueriat, coronentur. Non enim coronantur, fi non initientur. Quod fi fuo abluuntur fanguine, & hunc fua pietas abluit, & voluntas.*

3. Eidem dogmati Auguftinus patrocioatur libro 4. de Baptifmo contra Donatiftas cap. 22. ubi hæc fcribit: *Invenio non tantum paffionem pro aomiae Chrifti id, quod ex baptifmo deerat poffe fupplere, fed etiam fidem, converfionemque cordis, fi forte ad celebrandum myfterium baptifmi in anguftiis temporum fuccurri non poteft.*

Objicies. Per quinque priora fæcula Romana Ecclefia nec cum pœnitentibus, qui fine pace, nec cum catechumenis, qui abfque baptifmate obierant, communicavit; Nullas fcilicet pro eis preces fudit, nulla obtulit facrificia: Sed ideo ita fe geffit, quod oec pœnitentiæ, nec baptifmatis voto etiam cum urget neceffitas, peccati culpam deleri crediderit; alia enim illius difciplinæ ratio proferri non poteft. ergo &c. Major propofitio, in quam vertitur difficultatis cardo, variis Romanorum Pontificum textibus oftenditur. 1. Leo Magnus Epiftola 91. quæ eft ad Theodorum Forojulienfem Epifcopum fic loquitur: *Si autem aliquis eorum, pro quibus & omaino fupplicamus, quocumque, intercepius obftaculo, a munere indulgeatiæ præfeatis exciderit, & priufquam ad conftituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit; quod manens in corpore non receperit, confequi exutus carne non poterit*: 2. Gelafium Papam primum in eamdem abiiffe fententiam, fidem faciunt hæc, quæ habet in Concilio Romano pro Mifeni Cumani Epifcopi abfolutione celebrato; *Nec nos jam mortuis veniam præftare depofcant, quod nobis poffibile non effe manifeftum eft. Alia eft caufa fuperftitum, alia defunctorum.* 3. Vigilius Papa primus, qui anoo 559. fato functus eft; Leoni, & Gelafio fubfcripfit. Eorum decreta, ad finem latæ a fe conftitutionis de tribus capitulis, & laudat, & probat.

Refpond. conceffa major. nego min. Ratio eft, quia laudati in objectione Patres quæftionem do falute catechumenorum, & pœnitentium, de quibus agitur, intactam remanere voluerunt. Eorum fcilicet caufam uni Divino judicio permiferunt, *Nec neceffe eft* (inquit Leo Magnus (*nos eorum, qui fic obierunt, merita actufque difcutere, cum Dominus Deus nofter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod facerdotale minifterium implere non potuit, fuæ juftitiæ refervaverit.* Eo quoque tendunt hæc Gelafii verba: *Quantum præmoneate Domino poffibilitatis eft humanæ; defideranti remedia præbeamus; totum, quod fupra noftræ facultatis eft modulum, Divino judicio relinquentes.* Dicendum eft igitur, prioribus quibufdam fæculis Ecclefiam Romanam iis, qui in catechumenatus, aut pœnitentiæ ftationibus mortui fuerant, ideo non communicaviffe, quod cenferet, commuoionis fanctitati non fatis confultum fore, fi poft mortem ea donarentur, qui conftitutis a Deo remediis non purgati, ab eadem communione exterius præcifi e vivis excefferant.

Refpond. 2. alias a Romana Ecclefia, eriam in Occidente, quarto, quinto, & fexto fæculo communicaffe cum catechumenis fine baptifmo, & cum penitentibus abfque reconciliatione actuali, fato functis.

1. Viguiffe praxin illam in Ecclefia Mediolanenfi non diffitebitur, qui legerit Ambrofium plebem fibi commiffam hortantem; ut oret pro Valentino juniore, qui in catechumenatu obierat: *Pie* (inquit) *requiem ejus pofcamus affectu ... Animam piam matris oblatioaibus profequamur.* Seu, quod idem eft, propria illa anima Ecclefiæ facrificium offeramus; quod quidem certiffimum eft publicæ cum aliquo communionis argumentum.

Eamdem pœnitentibus, ac catechumenis, abfque remedio defuoctis communicandi praxim quinto fæculo apud Africanos obtinuiffe demonftrat canon 79. quarti Concilii Carthaginenfis, uhi hæc habentur: *Pœnitentiæ, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, fi enfu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis fubvenire non poffit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commeadetur.*

2. In Gallis illum ufum obfervatum fuiffe docemur ab alterius Arelatenfis Synodi Patribus. *De bis* (inquiunt can. 12) *qui in pœnitentia pofiti, vitam excefferunt, placuit nullum vacuum communioae debere dimitti, fed pro eo quod hoaoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.*

Apud Hifpanos vim habuiffe confuetudinem, de qua hic agitur, oftendunt hæc II. Concilii Toletani can. 12. verba; *De his autem, qui accepta pœnitentia, antequam recoacilientur, ab hac vita recefferint, quamquam diverfitas præceptorum de hoc capitulo habeatur* (loquitur Concilium de Leonis Magni Epiftola 91. quam ibidem laudat) *Illorum tamen fententia nobis placuit, qui multiplices numero de hujufmodi humanitus decreverunt, ut & memoria talium in Ecclefiis commendetur, & oblatio pro eorum delicto a Presbyteris recipiatur.*

Refpond. 3. Pontifices Romanos fæculo 6. proindeque Ecclefiam Romanam, aliam ab ea, de qua Leo, & Gelafius, difciplinam amplexos fuiffe. Tunc temporis communicare cœperunt cum pœnitentibus, qui non accepta abfolutione obierant. Eadem quoque ætate perfonas in hærefi, aut faltem in hærefeos fufpicione mortuas, ex fidelium albo deleverunt; idque poft Concilium quintum Oecumenicum annos 553. habitum: cujus veftigiis inhærens fextum generale, multos Epifcopos, dum viverent, nequaquam damnatos, poft mortem excommunicationis gladio feriit, feu, quod idem eft, eorũm nomina ex Diptichis expunxit, vetuitque, ne pro eis publicæ preces funderentur, aut offerretur facrificiũ.

Mortuos & abfolvendi, & damnandi difciplinæ meminit Innocentius Papa III. Extra de fententia Excommunic. cap. 28. ubi fic refpondet: *Poteft tamen, & debet*

ei Ec-

ei Ecclesiæ beneficio subveniri (de homine loquitur, qui dum viveret, excommunicatione mulctatus fuerat) *ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur*. Idem Innocentius mox argumentum solvit, quo Leonis, & Gelasii disciplina nitebatur; *Nec quod Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque solvendi homines super terram, tamquam non possit solvere, & ligare sub terra sepultos. Et quod legitur, non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo: Cum etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impedivit, & in certis casibus a canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, & solvisse.*

Conclusio 3. Extra necessitatis casum, baptismatis voto non delentur peccata catechumeni, qui imperfecta, & remissa, seu parum intensa, quamvis tamen super omnia, in Deum charitate flagrat.

Probatur ex variis Scripturæ, ac traditionis teatibus, quos in dissertatione de pœnitentiæ Sacramento, de contritione agentes descripsimus, quosque eo loci a quorumdam argutiis vindicatos lector reperiet.

Articulus Secundus.

An baptismatis voto tota pœna peccato debita remittatur?

Conclusio. Cathecumeno in casu necessitatis per baptismi votum justificato, tota pœna peccato debita non dimittitur.

Probatur 1. Scripturarum sententiæ, quibus petenti, ut oportet, salus promittitur, cohærent omnes cum onere persolvendi pœnam temporalem peccato quoad culpam dimisso debitam. 2. Deus id, tantum cum urget necessitas, supplere præsumitur, quod simpliciter, & absolute ad salutem necessarium est. At totius pœnæ temporalis dimissionem non esse hujusmodi nemo nescit. 3. Ecclesia pro catechumenis, autequam ad baptismum pervenissent, fato functis orabat antiquitus; pro eorum requie Deo offerebat sacrificium, ut liquet ex Ambrosio in oratione funebri de obitu Valentiniani junioris. Nonnihil ergo pœnæ in altera vita catechumenis subeundum superesse censebat.

Objicies 1. Innocentius III. cap. *Debitam*, sic loquitur de Judæo, qui ministri defectu, se ipsum in periculo mortis constitutum baptizaverit; *Si continuo decessisset, ad cœlestem patriam protinus evolasset*. Ergo laudatus Papa credidit, Judæum illum ea Sacramenti voto totius pœnæ remissionem fuisse consecutum.

Resp. Voce illa, *protinus*, cui argumenti consequentia innititur, non significari immediatum post mortem in cœlos transitum, sed brevi futurum. Confirmatur responsio ex eodem Innocentio, qui cap. *Apostolicam*, postquam asseruit quemdam Presbyterum non baptizatum *incunctanter* post mortem adeptum esse cœlestem gloriam, jubet, ut pro illius requie preces, & sacrificium Deo offerantur.

Objicies 2. Ambrosius asseruit, Valentinianum juniorem, qui adhuc cathecumenus obierat, cœlesti gloria perfruitum fuisse eo tempore, quo ipse funebrem illius orationem habebat: ergo censuit totam peccati pœnam ei ex baptismatis voto fuisse dimissam.

Resp. a Valentiniani morte usque ad tempus, quo Ambrosius funebrem illius orationem Mediolani recitavit, multos fluxisse dies, ut patet ea historia de illius Imperatoris morte, quæ Viennæ in Galliis contigit: Unde licet Valentinianum jam tunc gloria cœlesti perfruitum fuisse concederetur, non posset tamen colligi, eum post mortem nullam omnino pœnam in altero sæculo fuisse passum. Præterea dici porest Ambrosium, ea vehementi baptismatis desiderio, iurensa charitate, qua Valentinianus flagrarat, conjecisse quidem integram, ac plenam indulgentiam ei concessam fuisse: at de ea sanctum Episcopum non fuisse omnino certum, liquet ea eo, quod eadem in oratione funebri populum hortatus fuerit, ut pro mortuo imperatore secum preces funderet, offerretque sacrificium; *Animam piam* (inquiebat) *matris oblationibus prosequamur*.

Caput Tertium.

An martyrium idem operetur in patiente, quod baptismus in recipiente?

Quæstio mox proposita duplicem sensum patitur. 1. An martyrium peccati culpam, ac pœnam deleat,

2. Utrum illum effectum eadem ratione præstet, qua baptismus, seu ex opere operato. Prius apud omnes constat. Posterius, apud Scholasticos dubium est.

Conclusio 1. Martyrio, peccati culpa, ac tota ei debita pœna temporalis remittuntur.

Probatur utraque pars: 1. Martyrium a charitate, tum inteosive, tum extensive perfecta oritur, juxta illud Ioannis 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Atqui charitas & intensive, & extensive perfecta non culpam tantum abstergit, sed & omnino dimittit debitam sceleri pœnam. Unde Majores nostri (ut patet ea Concilio Nicæno primo) erga lapsos amorem per suam in exequendis præscriptis laboribus diligentiam testatos humanius se gerebant, quam in alios, qui segniter, & perfunctorie decurrebant pœnitentium stationes.

Probatur 2. ex antiqua Ecclesiæ disciplina, qua docemur, nullas unquam fusas fuisse preces, nullum oblatum sacrificium pro iis, qui martyrio occubuerant, *Injuriam facit martyri* (inquit Augustinus serm. 17. de verbis Apostoli) *qui orat pro martyre*. Ergo antiquæ Ecclesiæ persuasum fuit martyrio culpam, ac totam pœnam peccato debitam remitti; pro cæteris quippe alia via, quam martyrio sublatis, ideo obtulit preces (ut capite superiori ostensum est ex Ambrosio) quod laborem in altero sæculo persolvendum superesse crederet.

Quæres, cur tanto privilegio Deus martyrium donaverit?

Resp. id privilegii martyrio concessum fuisse, quod non in figura, & Sacramento, sicut baptismus, sed in veritate, Christi Salvatoris mortem referat. Eo principio nixus Basilius, sic loquitur lib. 2. de Spiritu sancto cap. 16. *Si quidam in certamine pro pietate suscepto per veritatem, & non per imitationem, mortem pro Christo sustinent, nihil indigent Symbolis aquæ ad salutem, eo quod in proprio sanguine baptizati sint.*

Conclusio 2. Martyrio, peccati culpa, & pœna ex opere operato remittuntur.

Probatur: Infantibus, quos Herodes in otium Christi enecavit, peccatum originale per martyrium dimissum fuit. Licet enim nonnullis per circumcisionem jam fuisset remissum, multis tamen aliis nullo remedio subventum fuerat, cum non ii tantum, qui octavum diem attigerant, fuerint interfecti, sed omnes, qui a duobus annis prodierant in lucem. Atqui martyrium effectum illum ex opere operantis non produxit, cum illi infantes nullius omnino actus capaces fuerint: ergo ea opere operato.

Confirmatur ex eo, quod quamvis daretur parvulos, qui ante octavum a nativitate diem occisi fuerunt, justitiam consecutos fuisse per fidem parentum signo aliquo sensibili demonstratum, proindeque independenter a martyrio dimissum eis fuisse peccatum originale, non enervarêtur tamen vis argumenti: Nam Ecclesia infantes illos, non ut beatos tantum, sed ut martyres colit, ac veneratur. *Non frustra* (ait Augustinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 23.) *etiam infantes illos, qui cum Dominus Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia?* Ergo censet martyrium aliquid eis ex opere operato contulisse: ut quid enim in eis veneraretur martyrium, qui ea eo nullum emolumentum percepisent?

Nec audiendus est Dominicus Soto, qui contendit, martyrinm ex opere operato in infantibus quidem agere ex singulari Dei privilegio, non vero in adultis, qui charitatis actuum, & voti baptismatis sunt capaces: Non est (inquam) audiendus, tum quod discrimen, quod proponit, nullo confirmet argumento, tum

tum etiam, quod actus, quibus elieiendis adulti idonei sunt, vim martyrii non tollant, imo ejus efficaciam augeant potius, quippe qui subjectum magis disponant ad recipiendam illius virtutem.

Objicies 1. Si martyrium peccatum ex opere operato dimitteret, non esset necesse, ut patiens, licet aut non regeneratus, aut post baptismum lapsus, teneretur baptismatis, aut pœnitentiæ voto, cum independenter ab illis Sacramentis justificari posset, per martyrium nempe. Ad id perabsurdum est, cum fide certum sit, Baptismum nondum regeneratis, & pœnitentiam post baptismum lapsis, necessitate medii ad salutem necessaria esse.

Resp. concessa major. nego min. Ea enim baptismi, ac pœnitentiæ necessitas, exceptionem patitur, casum scilicet martyrii. *Qui dixit, si quis renatus fuerit &c.* (verba sunt Augustini lib. 13. de Civit. Dei cap. 7.) *alia sententia illos fecit æquales, ubi non minus generaliter dicit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Præterea Patres baptismum sanguinis ita a fluminis baptismo distinxerunt, ut diversam ab eo speciem constitui judicaverint. Ergo illum independenter a voto baptismatis operari censuerunt.

Objicies 2. Cyprianus ad Cornelium Papam scribens asserit, lapsos reconciliatione debere donari, antequam ad patiendum martyrium prodeant, *Ne quisquam dicat* (verba sunt S. Martyris) *qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab Episcopo necessaria est habituro gloriæ suæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem.* At frustra lapsis martyrium adituris reconciliatio conferretur, si martyrio peccata ex opere operato delerentur.

Resp. concessa maj. nego min. Ratio est 1. quia Cyprianus eo loci Eucharistiam pariter recenset; nemo tamen inde collegerit martyrio vim non inesse nisi dependenter ab Eucharistiæ perceptione. 2. Relatis a Cypriano verbis non aliud significatur, quam expedire plurimum, ut ii, quibus certamen imminet, baptizentur prius, aut reconcilientur. Eos nimirum pace donatos, ac munitos Sacramentis, securius pugnaturos esse credidit. Imo Cyprianus docere voluit ad baptismum, Sacramentalem absolutionem, Eucharistiam, utpote jure Divino præcepta, teneri catechumenos, aut pœnitentes, antequam ad confitendam fidem tyrannis se sistant.

Objicies 3. Primæ ad Corinth. 13. hæc ait Paulus; *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ergo martyrium ex opere peccato nihil confert.

Resp. neg. conseq. Si enim valeret, probaret baptismo, aut absolutione nihil effici ex opere operato, quippe quæ (ut sanioribus Theologis videtur) justitiam non conferant, nec deleant peccata, nisi subjectum imperfecta, quæ tamen Dei sit super omnia, charitate ardeat. Dicendum est igitur, martyrium nihil prodesse non habenti charitatem, eo quod charitas proxima sit, ac necessaria ad effectum illius recipiendum dispositio.

Objicies 4. Si martyrium gratiam ex opere operato produceret, foret Sacramentum: Esset nempe signum sensibile, gratiæ sanctificantis ex se productivum. Atqui (ut patet) non est Sacramentum, alioquin octo Sacramenta numerari deberent contra expressam Concilii Tridentini definitionem.

Respond. nego major. Ratio est 1. quia martyrium forma, seu verbis ex Dei institutione gratiam significantibus destitutum est. 2. quia Sacramenta sunt causæ gratiæ, ut sunt actiones Dei per suos ministros: at martyrium est actio diaboli per suum satellitem confessoribus mortem inferentis.

Caput Quartum.

De Gratia, quæ baptismate producitur.

Tria hoc in capite examini subjicienda sunt. 1. Utrum baptisma gratiam habitualem conferat? 2. Utrum id semper apud orthodoxos fuerit certum? 3. Quo sæculo gratia, quæ baptismate producitur, infusi habitus nomine explicari cœperit?

Articulus Primus.

Utrum baptisma gratiam habitualem conferat?

Conclusio. Præter peccatorum remissionem baptismus gratiam habitualem cathecumenis confert.

Probatur 1. Qui, non opposito obice, sive adulti sint, sive parvuli, baptizantur, justitiam intrinsecam vere recipiunt: ergo gratia habitualis baptismate producitur: Siquidem gratia habitualis est ipsa justitia intrinseca, forma scilicet inhærens, per quam homo ex impio fit justus, sive a charitate distinguatur (ut placet Thomisticis) sive ab ea (ut aliis Scholasticis videtur) non differat.

Probatur 2. Ex Concilio Trident. Sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere; Sacramenta novæ legis gratiam iis conferunt, a quibus ficte non recipiuntur. Sed illa gratia non est actualis, cum gratia, quæ per Sacramenta datur, permaneat in iis, qui nullum deliberatum actum eliciunt, ut in stultis, dormientibus, ac infantibus videre est.

Articulus Secundus.

An Catholicis semper indubitatum fuerit gratiam habitualem baptismate conferri?

Conclusio. Quovis sæculo apud orthodoxos certum fuit, ac constans, gratiam habitualem baptismate conferri.

Probatur. Patribus, ac Theologis semper fuit persuasum per baptisma, aut in voto, aut in re susceptum, hominem interius renovari, sanctificari, mutari intrinsece, Deo vere fieri dilectum. Atqui iisdem Patribus, ac Theologis ratum fuit semper ad illam renovationem, sanctificationem, mutationem intrinsecam, transitum a statu odii passivi ad passivum Dei amorem, peccatorum remissionem non satis esse. Nec mirum, illa enim peccatorum dimissio respectu impii, qui justificatione donatur, est omnino extrinseca: ergo Orthodoxi aliquid intrinsece, & modo permanenti animam afficiens, quo nempe impius formaliter justificetur, semper admiserunt: Illud autem non potest esse aliquid aliud a gratia habituali: Ergo Catholici gratiam habitualem baptismate produci quovis sæculo censuerunt.

Objicies nonnullos Innocentii Papæ III. & Clementis V. textus. Ille, extra de Baptismo, & ejus effectu cap. *Majores*, tamquam problematice inter Doctores agitatam refert opinionem, qua docetur parvulis per baptismum gratiam conferri, *Aliis asserentibus* (ait) *per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; Nonnullis dicentibus dimitti peccatum, & virtutes infundi, quantum ad habitum, non quoad usum.* Clemens V. hac de controversia in Concilio Viennensi agens, non definit, ad fidem pertinere sententiam, qua asseritur baptismate gratiam informantem parvulis infundi; Illam quidem tamquam probabiliorem eligit, non vero tamquam fide certam; sic enim laudatus Pontifex loquitur, *Opinionem secundam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo gratiam, & virtutes, tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum modernorum, Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.*

Resp. Theologorum dubium, de quo Innocentius III. & Clemens V. non fuisse de receptione gratiæ inhærentis, ac permanentis, quam nunc habitualem dicimus, sed de illius natura. Dissidebant inter se Scholastici, an illa inhærens gratia, esset habitus infusus, an vero actus virtualiter in baptizato remanens, an ipsemet Spiritus sanctus, qui, illius aut actus, aut habitus vices ageret. Ea de quæstione Bartholomæus Medina in Academia Salmanticensi primarius Theologiæ Professor audiendus est. Hæc habet in primam Secundæ qu. 100. art. 2. *Secunda conclusio. Non est certum secundum doctrinam fidei, quod gratia sit habitus infusus in anima inhærens. Nam hoc non colligitur ex sacris litteris,* ne-

neque ex Traditione Ecclesiastica, neque ex definitionibus Conciliorum; Et Concilium Tridentinum locis supra commemoratis (at recte admonet doctissimus Pater Soto lib. 2. de Natura, & Gratia cap. 18.) consulte abstinuit a nomine habitus, sed tantum definivit, hominem justificari per justitiam diffusam in cordibus nostris, quæ illi inhæret. Laudatus author argumentum sibi propositum solvens hæc iterum scribit; *Illud etiam animadvertendum, quod illa justitia interior, & inhærens, & illa mutatio voluntatis, qua peccator ex pravo fit rectus, potest fieri duobus modis: Uno modo per infusionem alicujus qualitatis supernaturalis in anima; alio modo potest fieri a Deo sine infusione alicujus qualitatis permanentis, sed per solam motionem Divini auxilii, quod auxilium sua efficacia convertit animum hominis a pravitate ad rectitudinem.* Sic rursus laudatus Scholasticus ibidem prosequitur, *Utrum vero Deus efficiat hanc interiorem renovationem per aliquam qualitatem permanentem, & infusam, vel potius per solam motionem actualem auxilii Divini, Concilium Tridentinum non definit: Non enim illa quæstio pertinebat ad id, quod erat propositum in Concilio.*

ARTICULUS TERTIUS.

Quo sæculo gratia interior, quam baptisma producit, habitus infusi nomine explicari cœperit?

CONclusio. Gratia, quam baptisma producit, habitus nomine, desinente sæculo 12. explicari cœpit.

Probatur 1. Quod ante duodecimum sæculum habituum infusorum nomen non obtinuerit, argumento negativo demonstratur: nec enim a Patribus, aut Theologis, qui ante illud tempus vixere, usurpatum fuit, imo nec ab ipso Magistro Sententiarum, qui anno 1164 obiisse legitur. 2. Quod labente duodecimo sæculo cœperit adhiberi, evincitur ex Innocentio Papa III. qui illorum habituum cap. *Majores* meminit: excessit autem e vivis Innocentius ann. 1216. A Pontificis mox laudati temporibus in Scholis ubique illud idem nomen ad significandam gratiam baptismate productam invaluit. Clemens Papa V. qui inauguratus fuit Pontifex anno 1305. eo nomine in Concilio Viennensi usus est.

Quæres, utrum Patres Concilii Tridentini habitus infusi nomine gratiam sanctificantem designaverit?

Respondent nonnulli Scholastici, gratiam sanctificantem nomine habitus infusi a Patribus Tridentinis designatam, ac significatam fuisse: Suam responsionem probant ex Sess. 6. cap. 7. ubi hæc habentur, *Quamquam nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; Id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito, per Spiritum sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul* infusa *accipit homo.... Fidem, Spem, & Charitatem.*

Respondent alii e Schola Theologi, Concilium non dicere, justificationem per illa *infusa* dona fieri, proindeque (inquiunt) nec definitur a sacra Synodo, gratiam per Sacramentum productam in illis donis infusis positam esse. Præterea Bartholomæus Medina (cujus textus supra laudatus fuit) ac post eum multi alii recentiores Theologi, contendunt, infusionem illam, cujus Concilium meminit, de actu, non autem de habitu infuso explicari debere: ita ut (ajunt illi authores) eo sensu Fides, Spes, & Charitas in justificatione infundantur, quod in justificato sint, & permaneant vi actualis auxilii efficacis, quo impius a creatura ad Creatorem conversus fuit: quod quidem auxilium Deus Sacramenti applicatione motus, ac determinatus Catechumeno contulit.

Respondemus videri nobis, Concilium Tridentinum censuisse gratiam, quæ baptismate producitur, esse habitum a Deo immediate infusum, quo impius fit formaliter justus: neque enim in ea sumus opinione, ut credamus, parvulos, cum baptisma recipiunt per actum proprium conversionis ad Deum justificari. Quomodo (quæso) fieri potest, ut ii, qui rationis sunt impotes, per efficax Dei auxilium dilectionis Dei super omnia actum eliciant? Confirmatur ea ratio ex S. Augustino, qui Epist. 57. quæ est ad Dardanum, sic loquitur, *Unde autem in ipso tanto salutis præsidio quando eis* (parvulis) *gratia Christiana subvenitur, quod vocibus, quibus possunt & motibus reluctantur, non eis imputatur, atque omnis renisus ipsorum nihili penditur, donec in eis Sacramenta peragantur, quibus id, quod de originali damnatione tractum est, expietur, nisi quia in tantum nesciunt quid faciunt, ut nec facere judicentur? Porro si jam uterentur rationis, & voluntatis arbitrio, quo illi sanctificationis adhiberi deberet assensus, quantam mali esset resistere tantæ gratiæ, quamquam nihil prodesset quod fieret, verum etiam inde reatus accresceret, quis Christianus ignoret?*

CAPUT QUINTUM.

Utrum baptisma ficte datum, sublata fictione, reviviscat?

FIctionis nomen non sumitur hic pro simulatione, qua is, qui dum exterius baptismum recipit, interius illi reluctatur, aitque in animo, Nolo Sacramento initiari; sed accipitur pro simulatione dispositionis, quæ jure divino recipiendæ baptismali gratiæ prærequiritur ita ut initiandus non sit, ut par est, dispositus ad effectum Sacramenti consequendum, quamvis exterius paratus esse videatur. Verbum, reviviscere, effectum baptismatis designat; Ille autem effectus potest considerari, tum respectu peccatorum, quæ ficti imitationem præcesserunt, tum respectu fictionis, quæ Sacramenti receptionem comitata est, tum denique respectu criminum, quæ post receptum Sacramentum commissa sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum baptismus, sublata fictione, quæ præcesserunt, peccata deleat?

CONclusio. Baptisma, tum in hæresi, tum in schismate, tum in Ecclesia Catholica ficto datum, sublata fictione, peccata, quæ ipsum præcesserunt, penitus abstergit.

Probatur prior conclusionis pars authoritate Augustini, qui lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 13. sic loquitur, *Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerint* (hæretici, aut schismatici) *non ut jam dimissa non retineantur, neque ut ille baptismus, quasi alienus, aut alius improbetur, at alter tradatur: sed ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem.* Duo nos docet ille Augustini textus, 1. datum in hæresi, aut schismate baptisma reviviscere, seu effectum, ad quem institutum fuit, in iis producere, qui ad unitatem redeunt. 2. Illam Sacramenti reviviscentiam paci adscribendam esse, *Propter pacem* (inquit) *intus operatur salutem*: Pacis autem nomine non intelligitur mera hæreseos, aut schismatis ejeratio, sed charitas, ex qua illa ejeratio oritur, & quæ ad quodlibet mortale peccatum affectum excludit.

Probatur altera conclusionis pars. 1. Ideo extra Ecclesiam baptismus peccata non delet, quod agenti extra Ecclesiam non adsit charitas; *Quæro* (inquit) Augustinus Donatistas urgens lib. 1. de Bapt. cap. 11.) *ut dicant, utrum dimittantur peccata, ubi charitas non est.* E contra ideo cum hæretici redeunt, baptismus peccatorum remissionem operatur, quod incipiant habere charitatem qua prius foris propter discordiam erant destituti. Ergo a pari cum ficte in Ecclesia baptizati, eadem charitate ardere incipiunt, baptismus in eos vim exerit, quam ante propter charitatis defectum non exeruerat. 2. Augustinus libri mox laudati cap. 12. baptismi reviviscentiam in Catholico, qui prius fictus fuerat, tamquam principium certissimum supponit: Ea nimirum utitur, ut probet redeunti ex hæresi aliud baptisma conferri non debere, *Quid* (inquit S. Doctor) *si ad ipsum baptismum fictus accessit, dimissa sunt ei peccata, an non sunt dimissa? Si dimissa dixerint, quomodo ergo Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, si in isto ficto remissionem operatus est peccatorum. Si dixerint non esse dimissa, quæro si postea fictionem suam corde concusso, & vero dolore fateretur, denuo baptizandus judicaretur? Quod si dementissimum est dicere* (fictum illum, ut baptismatis effectum recipiat, iterato

esse

esse baptizandum) *fateantur vero baptismo Christi baptizari posse hominem, & tamen cor ejus in malitia, vel sacrilegio perseverans, peccatorum abolitionem non sinere fieri: atque ita intelligant in communionibus ab Ecclesia separatis posse homines baptizari, ubi Christiani baptismo eadem Sacramenti celebratione datur, & sumitur, qui tamen tunc prosit ad remissionem peccatorum, cum quis reconciliatur unitati, sacrilegio dissentionis exutur, quo ejus peccata tenebantur, & dimitti non sinebantur.*

Objicies. Pœnitentiæ, Unctionis-Extremæ, Matrimonii Sacramenta, sublata fictione, non reviviscunt: ergo nec Baptismus reviviscit.

Resp. concesso ant. nego conseq. Ratio est 1. quia Patres solius baptismatis reviviscentiæ, non autem aliorum Sacramentorum, meminerunt. 2. Dato, quod Scholastici contendunt, Ordinem, & Confirmationem reviviscere, sicut & baptismus reviviscit; inde non potest colligi alia omnia Sacramenta reviviscere; nam ideo (inquiunt) Baptismus, Confirmatio, & Ordo reviviscunt, quod eorum virtus permaneant in charactere, quem fictus recepit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum baptismate, quod reviviscit, fictio & quæ subsecuta sunt peccata deleantur?

CONclusio. Baptisma ficto datum, sublata fictione, non delet peccata, quę baptismum subsecuta sunt.

Probatur ex eo, quod alioquin pœnitentiæ Sacramentum non esset post baptisma lapsis necessitate medii ad salutem necessarium: lapsi quippe, in quibus baptisma propter fictionem, vim non habuisset suam, nullo alio remedio indigerent, quam ut fictionem independenter ab absolutionis sacramentalis voto deponerent.

Objicies 1. Explicari non potest quomodo fictio, aut peccata, quæ baptismum subsecuta sunt, tollantur, si ipso baptismate, quod supponitur reviviscere, non deleantur. Præterea si fictio, & alia posteriora peccata absolutione sanari debeant, cur absolutio ad peccata, quæ baptismum præcesserunt, non se extendit? cum, ut supponitur, subjecto valide, licet ficte, baptizato impendatur?

Resp. ad primum, Fictionem, & alia peccata, quæ ipsam subsecuta sunt, tolli per claves, quas Christus suæ Ecclesiæ credidit. Confirmatur ex Augustino, qui libro 1. de Bapt. cap. 12. hæc habet, quæ responsioni robur addunt maximum: *Sicut enim in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit; sic etiam iste, qui baptisma Christi, quod non amiserunt, qui se separaverunt, inimicus charitatis, & pacis Christi, in aliqua hæresi, aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur, cum se correxit, & ad Ecclesiæ societatem, unitatemque venerit, non iterum baptizandus est. quia ipsa reconciliatione, a pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum, ejus in unitate iam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Confessionis nomen, quo utitur Augustinus, non sumitur pro fidei confessione, sed pro confessione peccatorum, cum eo loci sit quæstio de homine, qui in Ecclesia baptismate initiatus est, nec ab ea per apostasiam recessit. Reconciliatio quoque, & pax, de quibus ibidem S. Doctor, de cordis conversione, pacis nomine in monumentis Ecclesiasticis appellatur. Sumuntur ergo pro absolutione sacramentali, quam Cyprianus, Augustinus, & Canones non raro pacem, ac reconciliationem vocitant.

Objicies 2. Ecclesia baptizatos in hæresi, aut schismate, quondam in suum sinum admisit, vel per Confirmationis Sacramentum, vel per fidei confessionem: ergo censuit, & fictionem, quæ baptismum comitata fuerat, & alia peccata, quæ ipsum subsecuta fuerant, iis hæreticis uno baptismate, quod reviviseeret, dimissa fuisse. Probatur conseq. 1. Nec fictio, nec alia posteriora crimina dimittebantur per Confirmationem, non enim est Sacramentum mortuorum, sed vivorum, proindeque primam gratiam per se non producit. 2. Non remittebantur quoque per fidem, quam redeuntes hæretici profitebantur, cum certum sit, neminem per actus proprios independenter a Sacramentis, quæ Christus instituit, justificari posse. 3. Non delebantur per Pœnitentiæ Sacramentum, illius quippe antiqui canones non meminerunt: cum enim agunt de hæreticorum, aut schismaticorum admissione, unam fidei confessionem, aut Confirmationem recensent. Ergo & illa fictio, & quæ subsecuta fuerant scelera, delebantur per baptismum, qui per fictionis detestationem revivisceret. In eam abusse sententiam visus est Gregorius Magnus lib. 9. Epist. 63. ubi hæc scribit. *Sanctum baptisma, quod sunt apud infideles consecuti; tunc in eis vires emundationis recipit, cum illi* (hæretici nimirum) *vel per impositionem manus* (Confirmatoriam) *Spiritum sanctum acceperint, vel isti* (Schismaci nempe) *propter confessionem veræ fidei sanctæ, & universalis Ecclesiæ visceribus sunt uniti.*

Resp. Augustinum, Gregorium, multosque alios antiquos Patres asseruisse quidem, nonnullos hæreticos per Confirmationem, alios per professionem in Ecclesiæ sinum admissos fuisse; sed de publica, & solemni admissione locuti sunt, quæ privatam per pœnitentiæ Sacramentum non excludit. Non alio sensu illi veteres intelligendi sunt, quam hodierna ritualia, quibus jubetur, ut Lutherani, & Calvinistæ redeuntes, per hæreseos ejurationem, ac fidei professionem in Ecclesiæ sinum admittantur. At nemini dubium est, quin hodierna ritualia loquantur de publica tantum, ac solemni reconciliatione, quæ in absolutione a censuris posita est: norunt omnes ministri, illos hæreticos absolutione sacramentali privatim donandos esse, antequam ad Eucharistiam, aliave sacra mysteria admittantur. Hujusmodi igitur erat antiqua circa redeuntes disciplina. Apostatæ publica pœnitentia sanabantur, juxta illud August. l. 7. de Bap. c. 53. *Si postea prodatur nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur.* Plures hæretici Confirmatione solemniter donabantur, ab aliis nuda sed publica fidei professio exigebatur: Sed & istis, & illis, privatim per absolutionem a peccatis consulebatur. Ea de disciplina redibit inferius sermo, cum de charactere, qui confirmationis Sacramento producitur, differemus.

QUÆSTIO NONA.

De Baptismatis proprietatibus.

BAptismatis proprietates ad unitatem, & necessitatem, de quibus seorsum est agendum, reducimus.

CAPUT PRIMUM.

De Unitate Baptismatis.

EXploratum est apud omnes baptisma in singulis Christianis esse unum unitate specifica, cum unicuique sub materia, & forma ejusdem speciei conferatur. Certum est quoque, illud in diversis subjectis non esse unum unitate individuali, quia eadem numero materia, & eadem numero forma, quæ uni individuo admoventur, alteri non applicantur. Difficultas est igitur de unitate numerica baptismatis in eodem individuo considerati, & quæritur, utrum ita sit unum, ut semel valide datum, minime iterari possit.

Conclusio. Baptisma, quod semel valuit, ita est unum, ut iterari non possit.

Probatur 1. ex Scriptura. Ad Ephesios 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Joannis 13. *Qui lotus est,* (baptismum, ut Augustinus interpretatur) *non indiget, nisi ut pedes lavet,* non indiget vero novo baptismate. Ad Hebræos 10. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia,* seu (ut explicat Chrysostomus) aliud baptisma non suppetit, quo peccata deleantur.

Confirmatur desumptum illud ex Scripturis argumentum ex SS. Patribus, qui hæc alia Apostoli verba ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati... denuo renovari ad pœnitentiam.* de renovatione per alium baptismum intellexerunt. *Expergiscimus, & attendite* (inquit Chrysostomus hom. 9. in Epistolam ad Hebræos:)

Non

Non licet dicere ſi diſſolute, & negligenter vixerimus, rurſus baptizabimur, catecheſi rurſus inſtituemur, accipiemus rurſus Spiritum; & ſi a fide nunc exciderimus, rurſus poterimus baptizari, peccata abluere, & eadem aſſequi, quæ prius. Erratis inquit (Apoſtolus) *hæc exiſtimantes. Impoſſibile enim eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati &c. Ne amplius* (inquit) *expectes, quod non poteſt fieri. Non enim dixit: Non decet, neque expedit, neque licet, ſed eſt impoſſibile, ut eos omnino dejiciat in deſperationem*, iteratu ſcilicet baptiſmate peccatorum remiſſionem conſequendi.

Novatiani ea, de qua agitur, Apoſtoli ſententia abutebantur, ut probarent Eccleſiam non poſſe quibuſdam poſt baptiſma lapſis pacem per abſolutionem ſacramentalem impendere; Sed Epiphanius hoc eis argumentum eripit contendens, Apoſtolum non de reconciliatione per pœnitentiæ Sacramentum, ſed per baptiſma locutum fuiſſe, *Revera* (inquit hæreſi 59.) *qui ſemel renovati ceciderunt, renovari amplius non poſſunt ... Neque alteram quis uſurpare lotionem poteſt, quod unus baptiſmus ſit, unaque renovatio.*

Inter Latinos Patres Ambroſius eadem ſulutione qua Epiphanius, contra Nuvatianos agens utitur. Lib. 2. de Pœnitentia duobus potiſſimum argumentis oſtendit textum Apoſtoli *impoſſibile eſt &c.* intelligi de ſolo baptiſmate. Prius argumentum ex eo deſumit, quod Apoſtolus juſtificationem, de qua eo loci tractat, renovationem appellet, qua quidem voce ab eodem Apoſtolo ad Rom. 6. & ad Eph. 4. baptiſma deſignatur. Poſterius petit a morte Chriſti, quam quis iterato, quantum eſſet in ſe, renovaret, ſi altero baptiſmate donaretur; in eo nimirum Sacramentu ſpeciali ratione Chriſti ſemel pro nobis paſſi mors, ac ſepultura adumbrantur: hinc eſt quod (ut ſupra demonſtravimus) ubique terrarum, niſi infirmitas impediret, per immerſionem, ac emmerſionem baptiſmus per 12. priora ſæcula collatus fuerit.

Probatur 2. variis rationibus. Prior ſumitur ex eo, quod cum quis baptizatur, ſe ipſum Dominicæ paſſionis hoſtiam offerat: unde crucis ſigno a Sacerdote conſecratur: ergo ſicut Chriſtus ſemel paſſus eſt, ſic etiam ſemel hanc hoſtiam offerre homini licet. *Nam & illud ad Hebræos*, (inquit Auguſtinus exponens Epiſtolam ad Romanos) *qui diligenter pertractant ſic intelligunt, ut non de ſacrificio contribulati per pœnitentiam cordis accipiendum ſit, quod dictum eſt, non adhuc pro peccatis relinquitur ſacrificium: Sed de Sacrificio, de quo nunc loquebatur Apoſtolus, ideſt holocauſto Dominicæ paſſionis, quod eo tempore offert quiſque pro peccatis ſuis, quo ejuſdem paſſionis fide dedicatur, & Chriſtianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur, ut hoc ſignificaret Apoſtolus, non poſſe deinceps eum, qui peccaverit, iterum baptizando purgari:* Et paulo poſt hæc iterum S. Doctor ſcribit. *Illud ſacrificium &c. tunc pro unoquoque offertur quodammodo, cum ejus nomine in baptizando ſignatur.* Altera ratio petitur ex præcipuo baptiſmatis objectu, quod quidem eſt peccatum originale, quodque ſemel deletum, non redit iterum.

Objicies. Firmilianus, Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Cyrillus Hieroſolymitanus, multique alii tum tertii, tum quarti ſæculi Patres baptiſmum iterari poſſe docuerunt: redeuntes enim aut a ſchiſmate, aut ab hæreſi alio baptiſmate conſecrarunt: ergo apud omnes Patres certum non fuit, baptiſma iterari non poſſe.

Reſp. laudatos Patres id quidem, quod objieitur, aſſeruiſſe de baptiſmate, quod invalide datum, extra Eccleſiam ſcilicet, arbitrabantur: At id numquam docuerunt de baptiſmo, quem ſemel valuiſſe cenſerent. Firmilianus, Cyprianus, aliique rebaptizantes, cum Stephano Papa primo conveniebant, iterari non poſſe baptiſmum in Eccleſia collatum, quem unum valere cenſebant. *Hoc ipſe Cyprianus* (inquit Auguſtinus lib. 3. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 11.) *etiam cum cæteris ſtatuit, ut ſi ad hæreſibus redirent ad Eccleſiam quicumque fuerant in Eccleſia baptizati, non jam per baptiſmum, ſed per pœnitentiam reciperentur.*

Merito id de S. Cypriano Auguſtinus aſſeruit: ipſe enim S. Martyr clare ſuam aperit mentem in Epiſtola ad Pompejum Epiſcopum Sabratenſem, ubi diſciplinam in eos, qui in hæreſi baptizati fuerant, obſervandam, alteri, quæ in apoſtatas redeuntes ſervari debet, his verbis deſcribit, *Obſervatur itaque a nobis & tenetur, Frater chariſſime, explorata, & perſpecta veritate, ut omnes, qui ex quacumque hæreſi ad Eccleſiam convertuntur, Eccleſia unico legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his, qui baptizati in Eccleſia prius fuerant, & ſic ad hæreticos transierunt: hos enim oportet, cum redeunt, acta pœnitentia, per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ovile unde erraverant, a Paſtore reſtitui* Hinc eſt, quod idem S. Martyr in Epiſtola ad Jubajanum ſcribat, eos, qui hæretico alio baptiſmate conſecrant, reos non eſſe iterati Sacramenti. *Hoc idem denuo ſententia noſtra firmavimus, ſtatuentes unum baptiſma eſſe, quod ſit in Eccleſia Catholica conſtitutum, ac per hoc non rebaptizari a nobis, ſed baptizari.*

CAPUT SECUNDUM.

De neceſſitate Baptiſmatis.

MUltiplices circa baptiſmatis neceſſitatem errores & antiquis & poſterioribus ſæculis prodierunt.

1. Manichæi (ut jam obſervatum fuit, cum de hujus Sacramenti materia dictum eſt) negarunt, baptiſmum aquę neceſſarium eſſe neceſſitate præcepti divini, quippe qui aquam, ſicut & cæteras res corporeas a diabolo procreatas fuiſſe, (Auguſtino teſte lib. de hæreſibus cap. 46.) contenderent.

2. Pelagiani docuerunt baptiſmate opus non eſſe, ut quis vitam conſequatur æternam, licet ad regni cœleſtis aſſecutionem neceſſarium eſſe cenſerent; *Eos* (parvulos) *propterea baptizari aſſerunt* (inquit Auguſtinus hæreſi 88.) *ut generatione adoptati admittantur ad regnum Dei de bono in melius translati, non illa renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiamſi non baptizentur, promittunt eis, extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam, & beatam quamdam vitam ſuam.*

3. Baptiſma Vvaldenſibus inutile viſum eſt: prædicarunt nimirum nullum ex eo fructum, aut adultos, aut parvulos colligere; *Dicunt enim quidam hæreticorum* (verba ſunt Ermengaldi in ſuo contra Vvaldenſes opere, cujus exempl. t. 4. Bibliot. Patrum legere eſt) *quod hoc Sacramentum baptiſmi aquæ, ſine eorum manus impoſitione recipienti, ad ſalutem perpetuam conſequendam nihil prodeſt adultis, nec etiam parvulis.* Vvaldenſibus, teſte Thoma Vvaldenſi tom. 2. c. 96. Vvicleſiſtæ ſubſcripſerunt.

4. Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 16. aſſeruit, adultos ad baptiſmum præcepto quidem divino teneri, ſed ipſum eis neceſſitate medii neceſſarium eſſe inficiatus eſt; quippe qui per fidem miſericordię ſpecialis independenter a Sacramentorum voto, impii, ſecundum illius principia, juſtificentur. Contendit pariter, eo parvulis opus non eſſe ad peccati originalis remiſſionem, eo quod (inquit) peccatum Originale filiis fidelium a Deo non imputetur, idque vi fœderis, quod Deus cum Abrahamo, ac ejus poſteris iniit juxta illud Gen. 17. *Ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui.*

5. Henricus Bullingerus in Tigurina Synagoga Zuinglii ſucceſſor, Calvino ſubſcripſit, cum hac tamen exceptione, quod ad juſtificationem parvulorum, actualem fidem, ac ſanctitatem in parentibus non requiſierit, ſatis eſſe arbitratus, ſi aliquando juſti fuiſſent: cum e contra Calvinus actuali opus eſſe cenſuerit. Nec mirum, cum juxta Calvini principia, nemo poſſit ex juſtitia, quam ſemel habuerit, excidere.

Concluſio. Baptiſma parvulis, & adultis neceſſitate medii ad ſalutem neceſſarium eſt.

Probatur 1. ex Scriptura Joannis 3. Chriſtus hæc ait Nicodemo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quibus quidem verbis altera nativitas, quæ per baptiſmum fiat, intelligitur. Illius nativitatis abſolutam neceſſitatem denotat adverbium, *Niſi*, quo Chriſtus uſus eſt, ita ut quemadmodum his ejuſdem Chriſti verbis, *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*, abſoluta humilitatis neceſſitas aſſeritur; ita & his aliis, *Niſi quis, &c.* novæ generationis per aquam, verbo vitæ conſecratam ſimplex, & abſoluta neceſſitas ſignificatur.

Nec valet ſolutio Vicleſiſtarum, qui reſpondent per illam aquam, de qua Joan. 3. eam ſignificari, quæ ex emortui Chriſti latere fluxit, ſeu Dominicam paſſionem, ſine cujus influxu, ac meritis nemini obvenit juſtificatio:

Nun

Non eſt quoque audiendus Calvinus, qui nomen aquæ, de qua Evangelium, de ipſomet Spiritu Sancto interpretatur, quaſi Chriſtus dixerit, regenerationem per Spiritum Sanctum abſolute ad regnum cœleſte prærequiri. Nullius etiam eſt momenti ,quod reponit Zuinglius, aqua nimirum illa macerationem corporis, ac interiorem animi dolorem ſignificari; unde(inqnit)pœnitentiæ , non vero baptiſmi , neceſſitatem eo loci Chriſtus aſſertam voluit.

Illæ (inquam) reſponſiones non valent: Primo enim, ſi aquæ nomine hic aqua naturalis non intelligatur, ſed myſtica tantum(ut heterodoxis placet)probari non poterit , aquam naturalem eſſe neceſſariam baptiſmatis materiam , in eoſdem quippe myſticos ſenſus , quotieſcumque in aliis Scripturæ locis recenſetur , detorqueri poterit.2. Allatæ explicationes tropicæ, toti Traditioni (ut mox probabimus)repugnant. 3.Regula eſt, quam ſi qnis infregerit,omnes, vel clariſſimas Scripturæ ſententias evertat neceſſe eſt ; *Senſum nempe litteralem Scripturis adſcribendum eſſe , quoties ex eo litterali ſenſu nulla ſequuntur abſurda* , ut revera omnino ex iſtius Chriſti ſententia . *Niſi quis renatus fuerit &c.* explicatione litterali colliguntur.

Probatur 2.concluſio ex Traditione, qua docemur 1. Eccleſiam a Chriſto ad hæc uſque tempora ubique crediſſe infantes , etiam ex fidelibus parentibus progenitos, perire in æternum, ſi abſque baptiſmo , ex hac vita migraverint. Concilii Carthaginenſis nomine CyprianusFido juſſit,ut ante octavum a nativitate diem infantibus baptiſmate conſuleret,ne æterno exitio illos exponeret. Ea majorum noſtrorum fides omnes orbis Chriſtiani Provincias quinto ſæculo pervaſiſſe ex eo colligitur, quod tum in Oriente, tum in Occidente Pelagianis contrarium ſentientibus anathema dictum fuerit.

Eadem Traditione docemur 2.inſtante mortis periculo , catechumenos diligenter , ac ſedulo ſolitos fuiſſe ad paſtores confugere , ut ab eis baptiſma reciperent. Ex eo catechumenorum concurſu Auguſtinus Epiſt. 180. quæ eſt ad Honoratum,infert pietatis,ac religionis perduelles eſſe paſtores, qui imminente , aut ſæviente in gregem perſecutione relictis ovibus fugiunt, ut ſuæ temporali vitæ conſulant . *An non cogitamus* (inquit S. Doctor) *cum ad iſtorum periculorum pervenitur extrema , nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu,atque ab omni ætate concurſus,aliis baptiſmum flagitantibus , aliis reconciliationem , aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem. & erogationem ? Ubi ſi miniſtri deſint,quantum exitium ſequitur eos,qui de iſto ſæculo,vel non regenerati exeunt, vel ligati ? Quantus eſt etiam luctus fidelium ſuorum,qui eos ſecum in vitæ æternæ requie non habebunt ? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam, quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum , & miniſtrorum . Vide quid faciat malorum temporalium timor , & quanta in eo ſit acquiſitio malorum æternorum.*

Tandem eadem traditione docemur 3. Epiſcopos ad martyrium raptos magnum antiquis fidelibus ſui deſiderium reliquiſſe.Sic nempePaſtores ſuos morte in fidei odium damnatos Africani alloquuntur apud Victorem Uticenſem lib. 2. de perſecutione VVandalica. *Quibus nos miſeros relinquitis,dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi ſunt parvulos fontibus aquæ perennis ? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturis ?* Frequens illeCathecumenorum ad Sacerdotes urgente mortis periculo concurſus, iteratæ de paſtoribus fugientibus querimoniæ, calamitates, quas ſibi ex Sacerdotum abſentia imminere nondum regenerati dictitabant,non alio fundamento nitebantur,quam de baptiſmatis abſoluta ſententia,de baptiſmatis neceſſitate,quam illi catechumeni ſimul cum fidei rudimentis a ſuis catechiſtis hanſerant.

Objicies 1. Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. ſupponere videtur, fidelium infantes eſſe puros, ac mundos independenter a baptiſmate; *Filii veſtri* (inquit) *immundi eſſent , nunc autem ſancti ſunt:* ideſt , qnia vos ſanctitate prædití eſtis, ideo omni peccati macula, ac immunditie liberi ſunt, quos genuiſtis.

Reſp. 1. ſi locus ille de immunditie interna , ac ſanctificante intelligeretur, eo probatum iri, omnes,qui ex fidelibus parentibus progeniti ſunt,eſſe juſtos ; quod tamen falſum eſſe Eſau exemplo demonſtratur. Præterea ſecundum Calviniſtarum principia nemo juſtus eſt , quin ſit e prædeſtinatorum numero , cum in illorum ſyſtemate juſtitia ſit inamiſſibilis, proindeque dicendum erit , omnes , quibus fuerint parentes juſti, ad prædeſtinatos pertinere.

Reſpondeo 2.munditiem illam,de qua loquitur Apoſtolus,exponendam eſſe de munditie civili , & politica , Paulus nimirum docere voluit , natos ex parentibus , quorum unus Chriſtianæ religioni dedit nomen , alter vero degit in infidelitate,non ſpurios,ſed legitimos eſſe. Id ipſum oportuit, ut Apoſtolus definiret ; nonnullos enim ex Corinthiis, ad quos ſcribit, reperire erat, qui dubitarent, num ex diverſæ religionis parentibus orti , ſpurii eſſent, an legitimi;Oriebatur vero dubium hujuſmodi ex eo , quod illi Corinthii nuptias propter alterius e conjugibus converſionem dirimi falſo cenſerent.

Reſp. 3. ſecundum aliquos interpretes, Apoſtolum non loqui de ſanctitate præſenti , ſed de futura tantum; quatenus nempe ſupponit, alterum ex conjugibus, fidelem ſcilicet, daturum operam,nt nati regenerentur per baptiſmum: quo tamen beneficio cariturí eſſent, ſi mulier fidelis a viro infideli quidem, ſed ſine Salvatoris contumelia cohabitante, diſcederet: quem diſceſſum Paulus multis argumentis impedire eo loci contendit.

Objicies 2. Judæorum infantes, qui ante octavum diem incircumciſi moriebantur , non erant expertes æternæ vitæ : ergo pariter non pereunt , qui ex Chriſtianis nati , non regenerati excedunt e vivis: inde vero conſequitur, baptiſma,nec in re, nec in voto ſuſceptum, ad ſalutem eſſe neceſſarium.

Reſp.1. multos non ignoti nominis Theologos cenſere, Circumciſionem inſtitutam non fuiſſe, ut per eam peccatum Originale deleretur,ſed tantum,ut eo carnali ſigno populus Judaicus a Gentilibus ita diſtingueretur, ut cum eis numquam commiſceri poſſet. Quæ ſententia, ſi veritate nititur, mirum non eſt,quod Circumciſione prætermiſſa , Judæis olim juſtificatio conferretur. Reſp. 2. conceſſo ant. nego conſeq. Ratio eſt , quia Deus in veteri lege juſtitiæ conferendæ medium inſtituerat aliud ab eo, quod ipſemet factus homo , novaque lege ſancita , ad ſalutis conſecutionem poſtea inſtituit.

Objicies 3. Eccleſia pro cathecumenis abſque baptiſmo mortuis olim fundebat preces , offerebatque ſacrificia : ergo non cenſebat , baptiſmum eſſe ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medii.

Reſp. conceſſo ant. nego conſeq. Ratio eſt quia perſuaſum erat Eccleſiæ catechumenos, urgente neceſſitate, juſtitiam fuiſſe conſecutos ex baptiſmatis voto, quod in ea , qua ardebant , charitate erat incluſum.

Quæres 1. utrum baptiſmatis votum , qnod ad juſtificationem requiritur , debeat eſſe explicitum,& expreſſum ; an vero ſatis ſit implicitum ?

Reſpond. explicitum requiri. Ratio eſt, quia votum medii, quod ex ordinatione Divina ad ſalutem neceſſarium eſt , debet eſſe diverſum a voto rei ex præcepto dumtaxat requiſitæ . Atqui votum rei ex ſolo præcepto requiſitæ,implicitum ſit oportet;ut patet in homine,qui jam jam efflaturus eſt animam ; is enim debet implicitum habere votum Unctionis extremæ,ac Euchariſtiæ, eo quod utriuſque illius Sacramenti uſum Chriſtus infirmis in vitæ periculo conſtitutis imperaverit:Ergo catechumenus redactus ad neceſſitatis anguſtias tenetur ad explicitum baptiſmatis votum.

Quæres 2. Quo præciſe tempore baptiſmus cœperit eſſe neceſſarius ?

Reſp. poſt ſolemnem legis Evangelicæ promulgationem,quæ primo a morteChriſti Pentecoſtes feſto contigit, baptiſma omnibus omnino impiis neceſſarium fuiſſe neceſſitate medii ad ſalutem. 1. Quod poſt ſolemnem promulgationem , impiis abſolute neceſſarium fuerit , Concilium Tridentinum Seſs. 6. c.4. his verbis definiit , *Quæ quidem tranſlatio*(ab eo ſtatu,in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatu gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum) *poſt Evangelium promulgatum,ſine lavacro regenerationis,aut ejus voto fieri non poteſt.*2.Quod primoPentecoſtes feſto, quod a Chriſti morte celebratum eſt , ſolemnis ea promulgatio contigerit,evincitur ex prima Petri concione Actorum 2. Illi enim concioni omnes con-

conditiones ſolemni promulgationi requiſitæ conveniunt, in urbe ſcilicet regia, præſentibus omnium nationum hominibus, a ſummo Evangelii Præcone habita eſt, eamque Sacramentorum uſus proxime excepit.

Reſp. iterum, poſt eamdem Evangelii promulgationem Judæis, qui vera pietate, ac juſtitia præditi erant, baptiſma fuiſſe neceſſarium neceſſitate præcepti divini: ita ut exciderint ex juſtitia, qui illud recipere noluerint. Apoſtoli juſſi ſunt a Chriſto, ut illud regenerationis Sacramentum omnibus hominibus conferrent, *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* ergo omnibus hominibus imperatum eſt, ut illi ſe ſe ſubjicerent; onus enim Sacramenta conferendi, miniſtris impoſitum, ex parte ſubjecti ea recipiendi debitum ſupponit.

QUÆSTIO DECIMA.

De Baptiſmatis cæremoniis.

VArios ab Ecclesiæ incunabulis ad hanc uſque ætatem, in conferendo baptiſmate ritus adhibitos fuiſſe non dubitabit, qui vel a limine, Tertullianum, Cyprianum, Baſilium, Auguſtinum, aliosque veteres ſalutaverit.

Ex illis ritibus nonnulli ſunt efficientes, ii nimirum, qui in exorciſmis, & orationibus poſiti ſunt: alii vero ſignificativi tantum, ut ſunt unctiones, & deguſtatio ſalis. Non omnes hic ſigillatim exponemus: de iis enim catechiſmi fere omnes, & in primis Romanus ad Parochos, quem legere eſt, fuſe agunt. De duobus dumtaxat diſſeremus, de loco nempe, in quo baptiſma ſolemne conferri debet, & de tempore, quo fuit antiquitus celebratum, ac his poſtremis temporibus eſt celebrandum.

CAPUT PRIMUM.

De ſolemni Baptiſmi loco.

NON eadem circa ſolemnis baptiſmi locum diſciplina ubique a quovis ſæculo viguit. Quæ eo de ritu veteres tradiderint, paucis explicanda ſunt.

1. Non eſt dubium, quin Apoſtolorum tempore quovis in loco ſit baptizatum. Philippus Diaconus Eunuchum Candacis reginæ in via tinxit, *Dum irent per viam* (inquit Lucas Actor. 8.) *venerunt ad quamdam aquam .... & juſſit ſtare currum* (Eunuchus) *& deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum.* Cornelius Centurio in domo propria a Petro initiatus fuit, Actorum 10. Eumdem Petrum baptiſma in Tiberi adminiſtraſſe Tertullianus fidem facit lib. de Bapt. ubi hæc ſcribit, *Nec quicquam refert inter eos, quos Joannes inter Jordanem, & quos Petrus in Tiberi tinxit.*

2. Non multo poſt Apoſtolorum ætatem, quædam loca, extra quæ catechumenos abluere non liceret, ſelecta fuiſſe omnes conveniunt. Ea autem loca *Baptiſteria* vocabantur: Ab illa tamen lege caſum neceſſitatis Maiores noſtri ſemper exceperunt, ut patet ex his verbis Epiſtolæ Decretalis, quæ Victori Papæ tribuitur; *Si neceſſe fuerit, aut mortis periculum irruerit, Gentiles ad fidem venientes quocumque loco, vel momento, ubicumque evenerit, ſive in flumine, ſive in mari, tantum Chriſtiana confeſſione clarificata baptizentur.*

3. Cum Chriſtianis nondum erecta erant templa, privatis in fidelium domibus baptiſteria hujuſmodi latitabant. Sæviente in fideles perſecutione, extra urbes, in locis abditis, in antris, in cæmeteriis extructa fuerunt. Data Chriſti diſcipulis per Conſtantinum Magnum pace, vel præ templorum foribus, vel in ipſis etiam ſacris ædibus, erecta fuiſſe traditione docemur. Conſtantinopolitanum baptiſterium intra templi ambitum eminuiſſe probat Chryſoſtomi ad Innocentium Papam Primum Epiſtola 1. ubi hæc ſcribit, *Cum autem illa, quæ dixi, prætenderemus, ipſo magno Sabbato collecta manus militum ad veſperam diei in Eccleſias ingreſſa, clerum omnem, qui nobiſcum erat vi ejecit, & armis gradum undique munivit. Mulieres quoque, quæ per illud tempus ſe exuerant, ut baptizarentur, metu graviorum inſidiarum nudæ aufugerunt.*

Juenin de Sacram.

4. Plerique Scriptores contendunt, ſolis in Eccleſiis Cathedralibus data fidelibus pace, primum erecta fuiſſe baptiſteria, deinde vero in minoribus urbibus; & poſtea in pagis: an eorum authorum ſententia veritate nitatur, dubium eſt: Sed quarto labente ſæculo, in omnibus parochiis extra urbem poſitis baptiſteria extitiſſe certo conſtat; id enim hæc Hieronymi contra Luciferianos diſputantis verba ſupponunt: *Non quidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, at ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus ſancti manum impoſiturus excurrat.*

5. In iis tantum ſacris ædibus (ut jam ſuperius obſervatum eſt) ſecluſo neceſſitatis caſu, non in Occidente modo, ſed & in Oriente baptiſmum conferre licebat. Audiendi ſunt ea de lege Trullani Patres. Can. 31. ſic loquuntur, *Deponatur clericus, qui ſine licentia Epiſcopi intra domum in oratoria domo ſacrificat, vel baptizat.* Sic iterum can. 19. *In Eccleſiis, non in domibus, aut privatis Oratoriis baptiſma celebretur. Contra faciens Clericus deponatur. Laicus excommunicetur.* Sic quoque Meldenſe Concilium c. 48. *Nemo Presbyterorum baptizare præſumat, niſi in Eccleſiis baptiſmalibus, niſi cauſa ægritudinis, vel certæ neceſſitatis.*

CAPUT SECUNDUM.

De Baptiſmi ſolemnis conferendi tempore.

NON unum olim fuit omnibus Eccleſiis baptiſmi ſolemnis conferendi tempus. Præcipuarum, tum in Occidente, tum in Oriente diſciplinam hic deſcribendum ducimus.

1. Eccleſia Romana, aliæque ei adjacentes, Sabbatis, quæ Paſcha, & Pentecoſten immediate præcedunt, baptiſmum ſolemne conferre ſolebant.

Duplicis illius temporis, deſinente ſæculo 2. Tertullianus lib. de Bapt. meminit. *Diem* (inquit) *baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat, cum & paſſio Domini, in qua tingimur adimpleta eſt, nec incongruenter, ad figuram interpretabitur. Quod cum ultimum Paſcha Dominus eſſet acturus miſſis diſcipulis ad præparandum: Convenietis* (inquit) *hominem aquam bajulantem Paſchæ celebrandæ, locum de ſigno aquæ oſtendit. Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt, quod & Domini reſurrectio inter diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus ſancti dedicata, & ſpes adventus Domini ſubostenſa. quod tunc in cœlo recuperato eo, Angeli ad Apoſtolos dixerunt. ſic venturum quemadmodum & in cœlos conſcendit, atique in Pentecoſte.* Igitur Tertullianus aſſerit, Chriſtum Paſcha baptiſmati conferendo idoneum tempus præſignaſſe, cum Paſcha celebraturus, diſcipulos ad hominem, qui aquam bajularet, remiſit; Docet, conveniens eſſe, ut, expletis per quadrageſimam Paſſionis Dominicæ ſolemniis, celebretur baptiſma, quod ſuam ab ea virtutem haurit. Contendit, diem Pentecoſtes eidem Sacramento ſapienter, deſtinatum, quod reſurrectione Domini, Spiritus ſancti delapſu, & alterius Chriſti adventus ſpe commendetur.

Idem tempus baptiſmo ſolemni conferendo conſecratum Siricius Papa quarto ſæculo & recenſet, & probat: Epiſtola ad Himetium Tarraconenſem duo hac in cauſa definit. Primo eorum praxim damnat, qui in natalitiis Domini, Epiphania, Martyrum feſtivitatibus baptiſmum conferebant. *Sequitur* (inquit cap. 2.) *de diverſis baptizandorum temporibus, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis, & emendanda confuſio, quæ a noſtris conſacerdotibus* (quod commoti dicimus) *non ratione authoritatis alicujus, ſed ſola temeritate præſumitur, ut paſſim, ac libere Natalitiis Chriſti ſeu Apparitionis, necnon & Apoſtolorum, ſeu Martyrum feſtivitatibus innumeræ* (ut aſſeris) *plebes baptiſmi myſterium conſequantur.* 2. Prohibet, ne aliis, quam Paſchatis, & Pentecoſtes diebus ſolemne baptiſma conferatur, *Cum hoc ſibi privilegium & apud nos, & apud omnes Eccleſias, Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat, quibus ſolis per annum diebus, ad fidem confluentibus generalia baptiſmatis tradi convenit Sacramenta .... præfatam re-*

gulam omnes teneant facerdotes, qui nolunt ab Apoftolicæ Petræ, fuper quam Chriftus univerfalem conftruxit Ecclefiam, foliditate divelli.

Sæculo quinto difciplinæ, de qua mox Siricius, Praxim Leo Magnus præfcripfit, Epiftola ad Epifcopos per Siciliam conftitutos afferit, Sacerdotes, qui die Epiphaniæ Cathecumenos baptifmate folemni confecrant, *ab Apoftolicæ inftitutionis confuetudine difcrepare; Contendit folos Pafchatis, & Pentecoftes dies baptizandis in Ecclefia electis fecundum Apoftolicam regulam effe præfcriptos.*

Ejufdem confuetudinis, ineunte feptimo fæculo, Gregorius Magnus in fuo Sacramentorum libro meminit, eam pariter recenfent, qui fubfequentibus fæculis de Divinis officiis fcripferunt.

2. In Galliis, etiam die facra Natalis Domini, fexto fæculo adminiftratum fuiffe baptifmum folemnem vetera Patrum monumenta probant.

Clodovæus, qui primus inter Francorum Reges Chriftianæ fidei nomen dedit, Natali Domini die baptizatus fuit, ut probant ex Aviti Epifcopi Viennenfis ad eumdem Clodovæum fcribentis verba, *Siquidem, & Occiduis partibus in Rege non novo novi jubaris lumen effulgurat, cujus fplendorem congrue Redemptoris noftri Nativitas inchoavit: ut confequenter eo die ad falutem non regenerari ex unda pateat, quo natum redemptioni fuæ, cœli Dominum mundus accipit. Igitur, qui celeber eft natalis Domini, fit & vefter, quo vos fcilicet Chrifto, quo Chriftus ortus eft mundo, in quo vos animam Deo, vitam præfentibus, famam pofteris confecraftis.* Nec alicujus eft ponderis authoritas Fredegarii, qui afferit Clodovæum ipfo die Pafchatis initiatum fuiffe; hac enim in caufa potius eft Aviti teftimonium, cum Clodovæo fuerit æqualis.

Eumdem ufum in Galliis viguiffe fexto fæculo probat miraculum, quod Ebreduni in Natali Domini, & in Cœna Dominica quotannis circa baptifterium a S. Marcellino in ea urbe erectum (tefte Gregorio Turonenfi lib. de gloria confefforum cap. 6. contingebat: illis nimirum diebus in eo baptifterio aqua divinitus oriebatur, ex quo quidem haufta ad aliud lavacrum, baptifmi conferendi caufa deferebatur; Quod fane miraculum (inquit eruditus Hugo Menardus in fuis ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii obfervationibus) patratum non fuiffet, fi baptifmus eo die non debuiffet conferri.

3. In iifdem Galliarum Ecclefiis, eodem fexto fæculo, die facra S. Joannis Baptiftæ nonnunquam baptifmi folemnis ritus celebrabatur; Id colligitur ex mox laudato Gregorio Turonenfi, qui lib. 8. Hiftor. Francorum cap. 9. de Gunthéramno Rege hæc fcribit: *Poft hæc Rex Parifios venit, & coram omnibus loqui cœpit dicens, Germanus meus Chilpericus moriens dicitur filium reliquiffe, cujus nutritores, matre deprecante, petierunt, ut eum de fancto lavacro in Dominici Natalis folemnitate deberem excipere, & non venerunt. Rogaveruat deinceps, ut ad fanctum Pafcha baptizaretur; Sed nec tunc allatus eft infans; deprecati funt autem tertio, ut ad feftivitatem S. Joannis exhiberetur; fed nec tunc venit.* Ea igitur ætate, die facra Natalis S. Joannis in Galliis majores noftri baptifma folemne conferebant.

4. Baptizandi in Natalitiis Chrifti, Apoftolorum, ac Martyrum feftivitatibus, praxis fexto labente fæculo a Patribus alterius Concilii Matifconenfis anno 581. habiti abrogata eft. *Comperimus* (inquiunt laudati Patres) *Chriftianos non obfervantes legitimum diem baptifmi perire per fingulas dies, ac natalitiis martyrum filios fuos baptizare, ita ut vix duo, vel tres reperiantur in fancto Pafcha, qui per aquam, & fpiritum fanctum regenerentur. Idcirco cenfemus, ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare ... Ideoque omnes omnino a die quadragefimo cum infantibus fuis ad Ecclefiam obfervare præcipimus, ut impofitionem manus certis diebus adepti, & facri olei liquore perunćti, legitimi diei feftivitate fruantur, & facro baptifmate regenerentur.* Extra Gallias vim non habuit legis, de qua agitur, abrogatio; definente quippe fæculo 6. ad Eulogium Epifcopum Alexandrinum hæc fcribebat Gregorius Magnus Reg. lib. 7. Indict. 1. Epift. 30. *In folemnitate autem Dominicæ Nativitatis, quæ hac prima Indictione transacta eft, plufquam decem millia Angli ab eodem* (Auguftino in infulam ad prædicandum miffo) *nuntiati funt a Fratre, & Coepifcopo noftro baptizati.*

5. Difciplinam, quam hactenus defcripfimus ante fæculum 12. apud Occidentales defiiffe, fidem facit Rupertus Abbas, qui anno 1135. obiit, *Poftquam Chriftianitas crevit* (inquit lib. 4. de Divinis officiis capite 18.) *quia periculofum erat tantam multitudinem differre propter occafiones mortis, vifum eft fanctæ Ecclefiæ, paffim indulgentia baptizandi conceffa, uno oblato, cuncta antevenire pericula.*

6. In Ecclefia Orientali, Pafchatis, Pentecoftes, Epiphaniæ diebus olim folemne baptifma cathecumenis adminiftratum fuiffe, multis argumentis probat Goarius Dominicanus in fuis ad Euchologium Græcorum notis, eo præfertim loco, quo majoris aquæ benedictæ in fanctis Theophaniis ritum defcribit.

Primo (inquit) hæc habet Gregorius Nazianzenus oratione 39. in fancta lumina: *Tempus regenerationis eft, enafcamur defuper; Tempus reftaurationis, primum Adam deponamus; Chriftus illuminatur, fimul fulgeamus; Chriftus baptizatur, defcendamus cum eo, & una cum eo afcendamus.* Quibus quidem verbis, cum S. Doctor, non baptizatos, fed baptizandos alloquatur, baptifmum die facra Epiphaniæ fua ætate folemni ritu fuiffe collatum innuit.

2. Ex eodem Goario, hæc fcribit laudatus mox Gregorius Oratione 40. ubi moram omnem baptifmatis fufcipiendi his verbis profcribit, *Excufas te, excufationes in peccatis oftendis; Diem luminum expecto, Pafcha mihi charius eft; Ad Pentecoften ufque præftolabor; cum Chrifto mihi melius eft illuminari.* Ea Gregorii fententia patet, Catechumenos quarto fæculo fuum baptifma æque in Epiphaniæ diem, ac in Pafcha, & in Pentecoften protrahere folitos fuiffe: unde infertur ipfum non minus in Epiphania, quam in Pafcha, & Pentecofte fuiffe apud Græcos adminiftratum.

3. Hanc idem Goarius ex Theophanis chronico fententiam excerpit, *Herulorum Rex cum fubdito populo, ut fieret Chriftianus, ab Imperatore expetiit: Juftinianus vero collato eidem in Theophaniis baptifmo, fufcepit eum e fonte, & fimul cum eo Proceres, Senatorefque funt baptizati.*

4. Idem demonftrat ex Chryfoftomo, qui hifce verbis defcripfit confuetudinem Orientalium, qui die facra Epiphaniæ aquas baptizandis catechumenis deftinatas confecrant: *Hæc enim dies eft* (inquit Chryfoftomus oratione de baptifmo Chrifti) *qua baptizatus eft Chriftus, & aquarum naturam fanctificavit: Propterea quæ in hac folemnitate fub media nocte omnes, cum aquam hauftam acceperint, domum latices referunt, ac recondunt, & per annum integrum refervant, utpote quod hodierna die fanctificatæ fint aquæ: fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura corrumpitur, fed integro anno, atque adeo biennio, & triennio, fæpe quæ hodie fuit haufta, incorrupta, & recens permanet: ac poft tantum temporis, cum iis, quæ fuerint de fontibus nuper eductæ, de integritate certat.*

Quæres 1. qua die, & hora baptifmus folemnis olim conferretur?

Refp. 1. apud Latinos ad eum, de quo agitur, ritum, horam nonam, feu quæ nobis nunc eft tertia promeridiana, deftinatam fuiffe. Ea refponfio Alcuini teftimonio nititur: Agens nimirum de Sabbati fancti officio hæc ait, *Hodie autem hora nona baptifmus celebratur, ficut in Pentecofte.*

Nec eft, quod quis objiciat, multos Patres Latinos afferuiffe, intempeftæ noctis filentio, baptifmum antiquitus collatum fuiffe. Ea enim loquendi ratione ufi funt, eo quod baptifmi folemnis ritus propter baptizandorum multitudinem fæpius multam in noctem protraheretur.

Nec quemquam etiam movere debet, quod iidem Patres non raro referunt, ipfis nempe Pafchatis, & Pentecoftes diebus, cathecumenos fuiffe baptizatos: fcilicet id afferuerint, eo quod baptifmatis ritus inciperet fub Sabbati vefperam, a qua majores noftri fubfequentis fefti ducebant initium.

Refp. 2. apud Græcos, quarto fæculo, peractam fuiffe baptifmatis cæremoniam profundæ noctis filentio. *Sub media nocte* (inquit Chryfoftomus loco fuperius re-

relato) ſed ea noctis parte, quæ loci vicinior eſt; aſſerit quippe idem S. Doctor, aquam luſtralem, de qua ibidem agit, nocte hauſtam fuiſſe, ac ea die, qua concionem ad populum habebat, ideſt Epiphaniæ, in privatas domos aſportatam. Mutata fuit poſtmodum illa hora: ad veſperam nempe pervigilii a Gnaphæo redacta fuit, ut colligere eſt ex Theodoro Lectore, qui de eodem Gnaphæo Conſtantinopolitano Patriarcha hæc ſcribit, *Aquarum in Theophaniis orationem veſpere fieri conſtituit*. Cæterum aquam baptizandis catechumenis deſtinatam in Theophaniis conſecrandi ritus Chryſoſtomo eſt antiquior, illum enim Baſilius lib. de Spiritu ſancto his verbis recenſet, *Benedicimus baptiſmatis aquam, & unctionis oleum, inſuper & baptizatum. Quibus vero ſcripturis edocti? nonne a ſilente, & ſecreta Traditione.*

Quæres 2. Num de vita periclitantes, lege de non recipiendo baptiſmate, niſi in feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes, tenerentur?

Reſp. negative. *Sicut ſacram ergo paſchalem reverentiam* (inquit Siricius Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem cap. 2.) *in nullo dicimus minuendam, ita infantibus, qui necdum loqui poterunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri unda baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri, nec ad noſtrarum perniciem tendat animarum, ſi negato deſiderantibus fonte ſalutari, exiens unuſquiſque de ſæculo, & regnum perdat, & vitam. Quicumque etiam in diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderint, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis, expetitæ regenerationis præmia conſequantur.*

Quæres 3. an baptiſmatis ſolemnis ad Paſcha, Pentecoſten, & Epiphaniam prorogatio apud Græcos, ſicut & apud Latinos, deſierit?

Reſp. affirmative, qualibet enim anni die Orientales, ſicut & Occidentales multis ab hinc ſæculis baptiſmum ſolemnem conferunt, ut apud Arcudium, cæteroſque recentiores Græcos videre eſt.

Quæres 4. num in omnibus aliis baptiſmi ſolemnis conferendi ritibus Græci cum Latinis conveniant?

Reſp. negative. Primo enim Presbyteri Græci conſecrant oleum, quo totum Catechumeni corpus inungunt. 2. Præmiſſo triplici exorciſmo, expetita a baptizando conſueta abrenunciatione recitato ſymbolo, variiſque præmiſſis orationibus, Sacerdos rectum tenet catechumenum, & converſum ad Orientem baptizat hac forma verborum, *Baptizatur ſervus Dei N. in nomine Patris, &c.* ſingulis appellationibus deducens eum, & educens. 3. Invocata Spiritus ſancti ſeptiformi virtute ad robur, neophyto Confirmationis Sacramentum immediate poſt baptiſmum confertur. 4. Confirmatio Neophyto, ſive adultus ſit, ſive infans, Euchariſtia diſtribuitur. *Mox*, inquit Hieremias Pſeudo-patriarcha Conſtantinopolitanus capite 2. Cenſuræ in Auguſtanam Lutheranorum Confeſſionem latæ) *is, qui baptizatus eſt, ſacro unguento debet inungi; ſed & illud conſequens eſt, baptizandum tremendæ Communionis participem fieri*. Eam conſuetudinem & apud Latinos quondam viguiſſe docebitur, cum de Euchariſtia diſſeremus.

FINIS DISSERTATIONIS SECUNDÆ

De Baptiſmo.

DISSERTATIO TERTIA.

De Confirmatione.



SACRAMENTI, de quo acturi sumus in hac dissertatione, varia apud S. Patres nomina leguntur. Primo vocatur *Confirmatio*, quia vim, roburque Fidelibus tribuit, ut fidem Christianam, & Catholicam coram gentilibus, aut hæreticis, etiam cum vitæ dispendio confiteantur, *In baptismo* (inquit author Epistolæ ad Episcopos Hispanos sub Melchiadis Papæ nomine) *regeneramur ad vitam, & Confirmatione armamur ad pugnam*. 2. Dicitur *Impositio manuum*, eo quod ex manuum impositione tamquam materia, aut essentiali, aut accidentali constet. *Omnes fideles* (ait Urbanus Papa in Epist. decretali, quæ illius nomine Inscribitur) *per manuum impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur*. Isidorus lib. 2. de Eccl. Officiis caput 26. sic inscribit, *De manus impositione, vel Confirmatione*. Et caput sic exorditur, *Sed quoniam post Baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione, hoc actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos*. 3. Appellatur *Domini sigillum*; Novatianus (verba sunt Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum scribentis) *neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit*. Nec mirum, hoc quippe Sacramento per signum crucis, adhibito Chrismate, neophyti confirmari solent. 4. Nonnumquam vocatur *Sacramentum Unctionis*, nempe eo quod per Unctionem tamquam proximam materiam conferatur; *Ungi quoque necesse est eum* (inquit Cyprianus Epist. 70. quæ est ad Januarium) *qui baptizatus est, ut accepto Chrismate, idest Unctione esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit*. 5. Denique dicitur *secundum Sacramentum* novæ legis, quia post baptismum, qui ratione receptionis primum inter Sacramenta locum tenet, parvulis olim immediate conferebatur, nunc vero etiam adultis, si ætate jam matura baptizentur.



QUÆSTIO PRIMA.

De Essentia Confirmationis.

HUIUS quæstionis duo erunt capita. In priore hæreticorum de essentia Confirmationis errores recensebimus. In altero vero proponemus Ecclesiæ Catholicæ fidem.

CAPUT PRIMUM.

Hæreticorum de Confirmationis essentia errores recensentur.

OMnes fere recentiores hæretici circa Confirmationis essentiam errarunt: quippe qui asseruerint ritum, ex quo constat, non constituere novæ legis Sacramentum.

1. Lutherus lib. de captiv. Babyl. hæc scribit, Catholicos subsannans, *Mirum est, quod in mentem illis venerit, ut Sacramentum Confirmationis facerent ex impositione manuum, qua legimus, Christum parvulos tetigisse, Apostolos dedisse Spiritum sanctum ... Satis est, pro ritu quodam Ecclesiastico, seu cæremonia sacramentali Confirmationem habere, similem cæteris cæremoniis consecrandæ aquæ, aliarumque rerum*.

2. Philippus Melancthon in locis communibus sic loquitur, *Ritus Confirmationis, quem retinent Episcopi, est prorsus otiosa cæremonia*. Idem post colloquium Ratisponæ habitum anno 1541. omnes Lutherani senserunt.

3. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 24. §. 5. hæc habet de ritu, de quo agitur, *Posterior autem ætas, re prope obliterata, fictitiam nescio quam Confirmationem pro Dei Sacramento posuit*. In Antidoto Concilii Tridentini ad Canonem 1. de Confirmatione, hæc scribit, *Ex eorum numero me nequaquam esse profiteor, qui otiosam Confirmationis cæremoniam esse putant, qualis sub Papatu Romano observatur; utpote qui eam inter maxime exitiales Satanæ præstigias numerem*.

Quæ hucusque de Lutheranis, & Calvinistis diximus, certa sunt apud omnes; sed utrum recentioribus hæreticis hoc in capite, aliqui veteres Sectarii patrocinari sint, a nonnullis in dubium revocatur. Eo se facto mentem nostram subsequens aperiet conclusio.

Conclusio. Nullus inter Christianos ante Lutherum, & Calvinum Confirmationem ex albo Sacramentorum expunxit.

Probatur argumento negativo. Nulli ex hæreticis qui Luthero, & Calvino fuerunt antiquiores, laudari possunt pro dogmate, quo statuitur Confirmationem non esse novæ legis Sacramentum. Nec enim (ut ex objectionum solutione patebit) illi faverunt, aut Novatiani, aut Vualdenses, aut Vviclefistæ, aut Hussitæ, quorum patrocinio gloriantur.

Objicies 1. Novatianus in mortis lectulo decumbens, per effusionem baptizatus fuit; recuperata postea sanitate, non curavit de Confirmatione recipienda: *Verum morbo tandem elapsus* (inquit Cornelius Papa in Epistol. ad Fabium Antiochenum) *neque cætera, quibus post baptismum secundum Ecclesiæ canonem imbui oporteat, acquisivit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit*. Qui conflato a Novariano Schismati postea adhæserunt, sui Patriarchæ exemplum imitati, neophytos Confirmatione non consecrarunt, *Iis quos baptizant* (verba sunt Theodoreti hæreticarum fabularum lib. 3. capite 5.) *Sanctissimum Chrisma non præbent, quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres injungi præceperunt*. Ergo, &c.

Resp. non recte colligi, Novatianos Confirmationem ex Sacramentorum albo expunxisse ex eo, quod illius usum in sua secta prætermiserunt. Forte illis Schismaticis persuasum fuit, nullum extare de Confirmatione recipienda præceptum divinum, quamvis aliunde eam a Christo institutam fuisse censerent. Ea responsio confirmatur 1. ex eo, quod inferri non possit recentiores quosdam Casuistas (alioquin Catholicos) negavisse, Confirmationem esse Sacramentum novæ legis, quamvis fideles ad eam recipiendam jure Divino non teneri scripserint. Confirmatur 2. ex eo, quod nec Philastrius, nec Epiphanius, nec Augustinus, nec ipse

ipse etiam Theodoretus libris suis *de hæresibus*, cum Novatianorum errores recensent, istius, quod Confirmationem non habuerint pro Sacramento, meminerint.

Objicies 2. Arriani, Apollinaristæ, aliique sectarii, quos cum in Ecclesiam redeunt, inungi jubet canon. 7. prioris Concilii Constantinopolitani, negarunt, Confirmationem esse Sacramentum novæ legis; non enim potest afferri alia ratio, cur præ cæteris, illi hæretici redeuntes unctione Confirmatoria donati fuerint.

Respondent nonnulli, & quidem primi ordinis, Theologi, unctionem, de qua canon 7. Constantinop. agit, de Confirmatione non esse intelligendam. Contendunt scilicet, unctionem, quæ præcipitur, nudam, ac meram esse cæremoniam, quam Orientales in admissione quorumdam hæreticorum alias adhibebant. Unde inquiunt, in illo ritu non invocatur Spiritus sanctus ad robur, sed in pœnitentiam, ut patet in oratione, quæ in Græcorum Euchologiis unctionem, de qua est quæstio, immediate præcedit. Respondent alii cum Maldonato, & Marino, apud Arrianos, aliosque hæreticos, Confirmationem tiam in forma a Christo præscripta collatam, non valuisse, quod nimirum Ecclesia eos suis decretis ad confirmandum inhabiles reddidisset: unde (inquiunt) mirum videri non debet, quod illi sectarii redeuntes ea hæresi, oleo confirmatorio inungi jussi fuerint. Respondent tandem alii, hæreticos, de quibus canon loquitur, a suis inunctos non fuisse, dum baptizarentur, conjunguntur enim Novatianis, quos, ex Theodoreto, certum est, in schismate non fuisse chrismatos. Quænam ex tribus illis responsionibus alteri præferri debeat, patebit ex his, quæ de hujusce Sacramenti tum forma, tum charactere dicentur inferius.

Objicies 3. Reynerus primum hæreticus, postea in ordine S. Dominici hæreticorum impugnator acerrimus, teste Antonio Senensi in sua Bibliotheca, circa annum 1254. contra Vvaldenses, qui tum grassabantur, librum edidit, cujus cap 5. inter eorum errores, hunc recenset, *Item Sacramentum Confirmationis reprobant. Mirantur etiam quare solis Episcopis liceat confirmare*. Innocentius Papa III. lib. 2. Regesti 13. Ep. 78. a Vvaldensibus exigit, ut hunc articulum redeuntes profiteantur, *Confirmationem ab Episcopo factam, idest, impositionem manuum sanctam, & venerande accipiendam esse censemus*. Quid causæ autem erat, ut illi hæretici confirmationem esse sancte accipiendam faterentur, nisi id in hæresi inficiati fuissent?

Respond. ad primum, ipsummet Reynerum explicare, qua ratione Vvaldenses Sacramentum Confirmationis reprobarent, hæc enim ait, *Mirantur etiam quare solis Episcopis liceat confirmare*. Unde non ipsum secundum substantiam Sacramentum, sed tantum prout ab Episcopis, aliis ministris exclusis, collatum improbarunt. Confirmatur ex eo, quod idem Reynerus sympliciter asserere solitus sit, hæreticos mysterium aliquod inficiari, cum aliquas illius circumstantias sumptum admittant. Exemplo sint hæc ejus verba, de Vvaldensibus cap. *Omnia Sacramenta Ecclesiæ damnant*; quæ quidem sic accipienda non sunt, quasi Vvaldenses omnia omnino Sacramenta rejecerint, cum certum sit eos Baptismum, & Eucharistiam pro Sacramentis habuisse: sed ita sunt accipienda, ut Reynerus significare voluit, Vvaldenses proscripsisse aliqua ex iis, quæ Ecclesia Catholica in administratione Sacramentorum usurpat.

Respond. ad secundum; patere ex ipsis terminis confessionis fidei, quam Innocentius III. a Vvaldensibus exegit, nihil aliud voluisse summum Pontificem, quam, ut faterentur Confirmationem, quam Episcopi conferunt religiose debere suscipi. Illi responso robur additur ex fidei confessione, quam Vvaldenses Uladislao Hungarorum Regi miserunt. In ea huncce articulum professi sunt, *Sacramenta septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus*: & ubi suam de Baptismate fidem exposuere, hæc habent de Confirmatione: *Fide ex Divinis Scripturis sumpta, profitemur temporibus Apostolorum istud observatum fuisse &c.* nulla igitur erat causa, cur Innocentius III. ab illis hæreticis in Ecclesiam redeuntibus exigeret, ut Confirmationem, sumptam secundum substantiam, esse novæ legis Sacramentum profiterentur.

Jucnin de Sacram.

Objicies 4. In Concilio Constantiensi, Sessione 8. hic Vviclefi articulus proscriptus fuit, *Confirmatio Juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*. Ergo Vviclefus censuit, Confirmationem non esse novæ legis Sacramentum.

Respond. concesso ant. nego consequent. Articulo quippe, quem Synodus Constantiensis proscripsit, damnatur quidem Vviclefi error de Confirmationis ministro; at illius doctrina de veritate Sacramenti nequaquam reprobatur. Et sane, quæ Constantiense Concilium in Vviclefo damnavit, omnia ipsius Trialogo continebantur; Sed eo in libro nihil adversus Confirmationis veritatem legitur.

Objicies 5. Æneas Sylvius in Epistola ad Cardinalem Carvajal scribit, Hussitas, seu Thaboritas de Confirmatione nihil sentire. Ergo Hussitæ Confirmationis Sacramentum non agnoverunt.

Resp. nego conseq. Ratio est, quia Joannes Hus, a quo Hussitæ nomen sumpserunt, non aliud de Confirmatione sensit, quam Joannes Vviclefus; Ænea Sylvio teste, asserebat *in libris Vviclefi omnem veritatem contineri*; contendebat (ut patet ex sess. 15. Concilii Constantiensis) *Condemnationem 45. articulorum Joannis Vviclefi per Doctores factam esse irrationabilem, & iniquam, & male factam*.

Ea hactenus dictis facile colligitur, admodum novum extitisse decimo sexto sæculo Lutheri, ac Calvini de Confirmatione dogma, cum ex tota antiquitate ne ex hæreticis quidem, illi patrocinium aliquod adsciscere possint, proindeque falso eos gloriari, quod viri pii, quorum nomine Vvaldenses, Hussitas, aliosque hujusmodi a Romana Ecclesia proscriptos intelligunt, alias suæ de Confirmationis Sacramento doctrinæ faverint.

CAPUT SECUNDUM.

Proponitur Ecclesiæ Catholicæ de essentia Confirmationis fides.

Conclusio. Ecclesiæ Catholicæ de essentia Confirmationis fides, hac ejusdem confirmationis definitione continetur. Confirmatio est Sacramentum novæ legis, quo baptizatis præter gratiam sanctificantem, datur jus ad auxilia specialia, quæ necessaria sunt, ut quis firmiter credat, & fidem publice confiteatur.

Probatur, ac simul explicatur conclusio. 1. Quod Confirmatio sit Sacramentum, patet ex eo, quod sit *Ceremonia sensibilis*, posita nimirum vel in unctione Chrismatis, vel in manuum impositione, aut in utroque ritu simul, *permanenter instituta a Christo*, (ut infra ostendemus, cum agemus de illius authore,) *ad significandam, & producendam gratiam sanctificantem*, juxta illa Scripturæ, & Patrum loca, quibus per manuum impositionem, aut Chrismationem, quæ semper adhibitæ fuerunt supra baptizatos, Spiritum sanctum collatum fuisse docemur: ea loca laudabuntur, cum de Confirmationis effectu dicetur: 2. *Ex cæremonia sacra dari jus ad auxilia specialia, quæ necessaria sunt, ut quis firmiter credat &c.* ex eo colligitur, quod ad fidem in neophytis firmandam hoc Sacramentum a Christo præcipue institutum sit, ut suo loco ex Traditione demonstrabimus. 3. Quod quæ huc usque dicta sunt, ipsissimam Ecclesiæ fidem contineant ostenditur ex Concilio Tridentino, Sessione 7. de Sacramentis in genere. Canone 1. definitur, Confirmationem esse unum e septem Sacramentis novæ legis, atque eam a Christo institutam fuisse. Can. 8 anathemate damnantur, qui per Sacramenta gratiam produci negaverint. Can. 1. de Confirmatione, proscribuntur ii, qui asserunt, eam esse aut otiosam cæremoniam, aut quamdam catechesim, non autem verum, & proprium Sacramentum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia Confirmationis.

HANC quæstionem in quinque capita partiemur. In priore hæreticorum de Confirmationis materia errores referuntur. In altero proponentur variæ Catholicorum sententiæ. In tertio defendetur opinio, quæ ad Scripturam, & traditionem propius accedit. In quarto de iis agetur, ex quibus chrisma constat. In quinto dicetur de benedictione, qua idem chrisma consecratur.

CAPUT PRIMUM.

Hæreticorum errores de Confirmationis materia referuntur.

Hæretici non solum Sacramenti, de quo hic agitur, veritatem impugnaverunt, sed & materiam sive essentialem, sive accidentalem variis sannis, & dicteriis lacesserunt.

1. Nonnulli Scriptores censent, in Vualdensium systemate, chrisma confirmatorium qualibet spirituali virtute destitutum esse. Æneæ Silvii authoritate nituntur, utpote, qui historiæ Bohemorum capite 35. hanc propositionem inter Vualdensium errores refetar, *Confirmatio, quam chrismate Pontifices inducunt, inter Ecclesiæ Sacramenta minime continetur*, proindeque effectu spirituali vacua est: Sed qui iis hæreticis ejusmodi dogma adscribunt, eorum principia non sunt assecuti. Hoc unum Vualdenses in chrismate culparunt, quod soli Pontifices illud conficerent, quod eo soli Episcopi neophytos inungant. Unde concluserant nihil spirituale, seu nullam gratiam conferre ministros, qui neophytos chrismant, hac opinione imbuti, quod solis Episcopis jus illud competat. Confirmatur ex eo, quod Vualdenses doctrinam, quæ solis Episcopis confirmandi jus adscribit, errorem esse pessimum, ex una parte crediderint, & ex altera docuerint, irrita esse Sacramenta, quæ ab impiis conficiuntur. *Dicunt* (inquit Reynetus) *quod Sacerdos in mortali peccato non possit* (Eucharistiam) *conficere*.

2. Lutherus lib. de Captiv. Babylon. Theologos subsannat, quod manuum impositionem Confirmationis materiam constituere censeant. *Mirum est* (inquit) *quod in mentem illis venerit, ut Sacramentum Confirmationis facerent ex impositione manuum ... Cur non ex Sacramento panis etiam Confirmationem fecerunt, quando scriptum est Actorum* 9. Et cum accepisset cibum confortatus est; *& Psalm.* 103. Panis cor hominis confirmet, *ut sic Confirmatio tria complectatur Sacramenta, Panem, Ordinem, & ipsam Confirmationem*.

4. Calvinus lib. 4. Institut. capite 19. §. 6. asserit. 1. manuum impositionem, quæ in confirmandis neophytis adhibetur, *nihil habere simile cum ea, quam Apostoli usurpabant*. Asserit 2. *Chrismationem neque esse a Christo, neque ab Apostolis*. Asserit 3. eos, *qui oleum* vocant *oleum salutis*, salutem, quæ in Christo *est abjurare, Christum abnegare, partem non habere in Regno Dei*.

CAPUT SECUNDUM.

Proponuntur variæ de Confirmationis materia Catholicorum Sententiæ.

NUllus est Catholicus, apud quem certum non sit, Confirmationem esse verum, ac proprium legis novæ Sacramentum, sed omnes in assignanda essentiali illius materia non conveniunt.

1. Sirmondus e Societate Jesu, Sambovius Doctor Sorbonicus, nonnullique alii Scriptores de positiva, & de Scholastica Theologia optime meriti, docent, solam impositionem manuum esse Sacramenti, de quo agitur, materiam essentialem. Prior ex illis authoribus in hæc verba priotis canonis primi Concilii Arausicani, *Nam inter nos Chrismatis nonnullis una benedictio est. Non ut præjudicans quicquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*, docet Confirmationem tempore laudati Concilii Arausicani fuisse ab Episcopis administratam, *sine Chrismate per solam manuum impositionem*, ac præterea contendit, Chrismationem Baptismalem non distingui a Confirmatoria, unde eam a Presbytero peragi posse concludit. Illi opinioni favere videtur Morinus noster: ubi enim cap. 9. lib. 9. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, de Confirmatione explicuit manuum impositionem, per quam Niceni Patres jubent, ut Novatiani redeuntes admittantur, sic loquitur, *Non abs re conjici posset, & Firmilianum, & Concilii* (Niceni) *Patres, saltem in hæreticorum ad Ecclesiam susceptione unctionem non adhibuisse*. Alter ex laudatis Scriptoribus, Sambovium dico, Disp. 3. de Sacramento Confirmationis, art. 1. & 2. his propositionibus mentem aperit suam, *Prima sit propositio. Impositio manuum est materia essentialis Sacramenti Confirmationis ... Secunda propositio. Manus impositio essentialis materia Confirmationis non est, ipsa unctio manu Episcopali facta in fronte, quæ sic nuncupetur, eo quod manu fiat ... Sexta propositio Probabilius est, quod unctio non sit materia essentialis Sacramenti Confirmationis*.

2. Sanctus Thomas, cui non minima Scholasticorum pars subscripsit, 3. part. quæst. 72. art. 4 ad 1, docet, solam unctionem constituere adæquatam, & essentialem Confirmationis materiam. Nec movetur Scripturæ locis, quibus constat, Apostolos, dum manus imponerent, neophytis Spiritum sanctum contulisse; Nam dici potest 1. Apostolos, cum manus imponebant, Confirmationis quidem effectum ex speciali Christi privilegio contulisse, non autem ipsum Confirmationis Sacramentum. *Per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum Sacramenti sine Sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia, nec forma hujus Sacramenti. Quandoque autem tanquam ministris Sacramentum hoc præbebant, & tunc sicut materia, ita & forma ex mandato Christi utebantur*. Dici potest 2. cum aliis ejusdem opinionis defensoribus, quod licet supponatur, Apostolos, dum manus imponerent, dispensasse Confirmationem, proindeque eorum ævo manuum impositionem fuisse essentialem illius materiam, non sequatur, quod jam temporis eam constituat: Confirmatio quippe (inquiunt) ex iis est Sacramentis, quorum substantiam, seu materiam, & formam, Christus non determinavit in specie, sed pro locorum, ac temporum varietate, prudenti Ecclesiæ judicio determinandam permisit.

3. Alii authores asserunt, utrumque ritum, nempe impositionis manuum, & unctionis, antiquitus, & his etiam temporibus, Confirmationi essentiale esse: unde concludunt 1. duplicem illam cæremoniam quovis sæculo in neophytis confirmandis adhibitam fuisse. 2. utrique adscribendam esse vim, ac efficaciam, quæ huic Sacramento est propria.

CAPUT TERTIUM.

Defenditur probabilior de materia Confirmationis sententia.

AMplissimum est hujusce capitis argumentum: ut ea, qua par est, perspicuitate pertractetur, duo seorsim quærenda sunt: Primum, an manuum impositio Confirmationi antiquitus essentialis fuerit, & nunc etiam sit? Alterum, utrum de Chrismatis unctione ad Confirmationem comparata, idem quod de manuum impositione, judicium ferri debeat?

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum impositio manuum olim fuerit, & nunc etiam sit essentialis materia Confirmationis?

CONclusio 1. Per duodecim priora sæcula impositio manuum fuit essentialis, sed inadæquata materia Confirmationis.

Probatur. Ille ritus per duodecim priora sæcula fuit materia essentialis Confirmationis, quo Apostoli, & illorum temporum Patres usi sunt, dum hocce Sacramentum dispensarunt, & cui Spiritus sancti neophytis conferendi virtutem adscripserunt. Atqui Apostoli, & Patres duodecim priorum sæculorum usi sunt manuum impositione, dum dispensarunt Confirmationem, illique impositioni manuum Spiritus sancti neophyptis conferendi virtutem adscripserunt. Ergo manuum impositio per duodecim priora sæcula fuit essentialis materia, sed inadæquata (ut suo loco dicemus) Sacramenti Confirmationis. Minor propositio, in qua tota difficultas posita est, & Scriptura, & Traditione demonstratur.

Constat ex actis, cap. 8. Apostolos neophytis manus imposuisse, ac per eam impositionem manuum illis contulisse Spiritum sanctum, *Tunc* (inquit Lucas) *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Sed ea manuum impositio ipsummet erat Confirmationis Sacramentum.

Nam 1. si Apostoli, dum neophytis imposuerunt manus, Confirmationem non dispensarunt, Scriptura probari non poterit, eos aliquando hoc Sacramentum contulisse; nullibi enim sacræ paginæ testantur, Apostolos alio ritu, quam impositione manuum neophytis dedisse Spiritum sanctum; proindeque Confirmationis veritas ex Scriptura contra hæreticos asseri non poterit.

2. Patres conceptis terminis docuerunt, Apostolos, dum manus imponerent, Confirmationis Sacramentum contulisse; *Tantummodo* (inquit Cyprianus Epistol. 73.) *quod deerat id a Petro, & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur; & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut, qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, ac signaculo Dominico consummentur.* Eo Cypriani textu patet 1. idem quoad effectum, sua ætate, factum fuisse in Ecclesia, quod ab Apostolis, dum manus imponerent, factitatum fuit. Patet 2. idem quoque factum fuisse quoad ritum, seu eodem externo ritu, quo Apostoli prius usi fuerant, Spiritum sanctum neophytis collatum fuisse, *Per nostram orationem* (inquit S. Martyr) *ac manus impositionem, Spiritum sanctum consequantur.* Patet igitur 3. Cyprianum de Confirmationis Sacramento interpretatum fuisse eam manuum impositionem, quam Apostoli adhibebant, ut neophytos Spiritu sancto donarent.

3. Chrysostomus eam manuum impositionem, cujus Lucas Actorum 8. meminit, de Confirmatione, sicut & Cyprianus explicuit; in illum scilicet Scripturæ locum asserit, *Hoc nunc facere Episcopos, quod Apostoli manuum impositione, & oratione super neophytos faciebant.*

4. Augustinus eodem sensu sumpsit manuum impositionem, & orationem, de quibus Acta cap. 8. loquuntur, *Neque enim* (ait S. Doctor lib. 15. de Trinitate cap. 26.) *aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum; Orabant quippe, ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.*

Patres duodecim priorum sæculorum in Confirmatione dispensanda usos fuisse impositione manuum, illique virtutem producendi Spiritum sanctum adscripsisse, evincitur ex his eorumdem Patrum textibus.

Tertullianus lib. de Baptismo cap. 7. hæc habet, *Dehinc manus imponitur* (egressis de lavacro) *per benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum.* Tertulliani igitur tempore Catholici manuum impositionem adhibebant, ut per eam Spiritum sanctum Neophytis infunderent. Eamdem sui ævi praxim recenset lib. de Resurrectione carnis cap. 6. *Caro* (baptizari) *manus impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.*

Non in Occidente tantum, sed & in Oriente mos, de quo agitur tertio sæculo obtinebat Firmilianus in Epistola ad Cyprianum asserit, Paulum Actorum 19. per manuum impositionem dedisse Spiritum sanctum nonnullis, quos iterum baptizari jussit, eo quod uno Joannis baptismate consecrati fuissent, *Secundum quod & beatus Paulus Apostolus eos, qui in Joanne baptizati fuerant, priusquam missus esset a Domino Spiritus sanctus, baptizavit denuo spirituali baptismo, & sic eis manum imposuit, ut acciperent Spiritum sanctum.* Asserit iterum illum eumdem morem, dandi scilicet Spiritum sanctum per impositionem manuum, in Ecclesiis sua ætate viguisse, ac agnitum pro Confirmatione, *Ut quidem*, (loquitur de Episcopis, quibus ratum erat hæreticorum baptisma) *possint per solam manus impositionem venientibus hæreticis dare Spiritum sanctum.*

Iis, qui præcesserant Patribus Hieronymus subscribit in dialogo adversus Luciferianos, *Hæc est* (inquit) *consuetudo Ecclesiarum, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat.*

Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro officium Sabbati sancti describens sic loquitur, *Deinde* (idest post unctionem Chrismatis in vertice infantis baptizati factam a Presbytero) *levata manu*) Episcopus) *super capita omnium dicit, Omnipotens, & sempiterne Deus ..... emitte in eos septiformem Spiritum tuum, &c.*

Isidorus Hispalensis lib. 2. de officiis cap. 26. hæc scribit, *Post baptismum, per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione*; hæc quoque Theodulphus Aurelianensis lib. de ordine Baptismi cap. 16. *Spiritus sancti gratia per impositionem manuum, & ministerium Episcoporum fidelibus traditur.* Hæc etiam Rupertus lib. 3. de operibus Spiritus sancti cap. 9. *Per manus impositionem, sacrique Chrismatis unctionem, secundam, qui renatus est, gratiam accipit.* Petrus Lombardus lib. 4. Sent. Dist. 7. laudat, & probat hanc Rabani Mauri lib. 1. de institutione Clericorum cap. 30. sententiam, *Novissime*, idest expleta baptismatis cæremonia) *a summo Sacerdote per impositionem manus Paraclitus traditur illi spiritus sanctus.*

Ex iis Patribus clarissime constat id, quod erat a nobis probandum, nempe, duodecim prioribus sæculis in Neophytorum Confirmatione adhibitam fuisse impositionem manuum, illique Spiritus sancti in hominibus baptizatis producendi vim, ac efficaciam adscriptam fuisse; proindeque necessario sequitur, eam illis sæculis essentialem extitisse Sacramenti Confirmationis materiam.

Conclusio 2. Impositio manuum, his etiam temporibus, est essentialis, licet inadæquata, Confirmationis materia.

Probatur. Duodecim prioribus sæculis (ut supra ostensum est) impositio manuum fuit essentialis, licet inadæquata, Confirmationis materia. Ergo his etiam temporibus eam constituit. Probatur conseq. 1. Immutabilis est Sacramentorum substantia, Christus quippe non in genere tantum, (ut nonnullis placet,) sed etiam in specie singulorum materiam, & formam determinavit: Argumenta, quibus illud principium nititur, hujusce Commentarii Dissertatione prima fuse pertractata sunt. 2. Etiamsi gratis detur Confirmationis materiam in genere quidem, sed non in specie a Christo fuisse determinatam, ac Ecclesiæ factam fuisse facultatem aliam in specie materiam priori substituendi. Stat consequentię veritas; neque enim rationibus, quę alicujus sint momenti, ostendi potest Ecclesiam ea potestate usam fuisse, seu impositioni manuum, quam Apostoli & Patres per 12. priora sęcula adhibuerunt, aliam in specie substantiam, seu materiam substituisse.

Objicies 1. Valet Sacramentum Confirmationis in Ecclesia Orientali collatum. Primo enim Doctores Catholici agentes contra Lutheranos, & Calvinistas, Græcorum,

rum, tum Catholicorum, tum Schiſmaticorum cum Eccleſia Latina in ſeptenario Sacramentorum numero conſenſum unanimem hæreticis illum pernegantibus objecerunt. 1 Olim, ideſt, ſeptem prioribus ſæculis, Græci valide ſuos neophytos confirmarunt; perabſurdum quippe eſt aſſerere, temporibus, qnibus apud eos habita ſunt ſex priora Concilia, quibus ſanctiſſimi, & doctiſſimi Patres, eorum Eccleſiis præfuerunt, fictitium, non autem verum eos habuiſſe Confirmationis Sacramentum: Ergo hac etiam ætate vera eſt, ac certa, quæ datur ab eis Confirmatio, cum probari non poſſit eos in confirmandis Neophytis nunc adhibere ritum alium ab eo, quo antiquitus utebantur. 3. Eccleſia Romana Græcos in ſua communione, etiam Schiſmatica, confirmatos, cum ad unitarem redierunt, nuſquam alio Confirmationis ſignaculo inſignivit, imo nec cum eos in ſuum admiſſos ſinum ſacris initiavit Ordinibus; qnod tamen non omiſiſſet, ſi recepta in Schiſmate Confirmatio, rata ei non fuiſſet, nam ea Canonibus illud Sacramentum Ordinationi, & ipſi etiam Tonſuræ Clericali præmitti debet. 4. Græci de Sacerdotibus, qni Neophytos moa a baptiſmate confirmant, ea poſtulati quidem fuerunt aliquando, nt patet ea quæſtionibus, quæ ſoluta Florentina Synodo, Eugenius Papa IV. eis propoſuit: Sed de materia, aut de forma, quibus in conferenda Confirmatione utuntur, nnlla eis unquam lis fuit intentata. Atqui ſi manuum impoſitio eſſet eſſentialis, vel inadæquata Confirmationis materia, hocce Sacramentum a Græcis collatum non valeret, neque enim, dum illud diſpenſant, Neophytis manus imponunt: Siquidem antiquiſſima, & hodierna eorum Euchologia, cum Sacramenti, de quo agitur, ritum deſcribunt, nnam recenſent Chriſmationem, nuſquam vero impoſitionis manuum meminere, ut ad hæc Euchologii, quo multis abbinc ſæculis utuntur, verba attendenti patebit clariſſime, *Hac recitata oratione* (qua in confirmandum Spiritus ſancti gratia ſeptiformis invocatur) *ungit* (Sacerdos) *baptizatum ſancto unguento, ſignum crucis faciens in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus, & pedibus dicens: Signaculum doni Spiritus ſancti Amen*. Ergo manuum impoſitio non eſt eſſentialis, vel inadæquata, Sacramenti Confirmationis materia etiam apud Latinos, cum Sacramentorum materia, ſaltem ſecundum ſubſtantiam, eadem omnino in omnibus Eccleſiis eſſe debeat.

Reſpondent nonnulli authores, (quorum tamen ſyſtema non probamus) quod, ut in Eccleſiis Græca, & Latina Confirmatio ſit unum, & idem Sacramentum, unitas generica in illius partibus ſufficiat, non requiratur vero ſpecifica, eo quod (inquiunt, & ut ſupra ex ipſis retulimus) cum Chriſtus hujus Sacramenti materiam in ſpecie non determinaverit, ſed eam reliquerit Eccleſiæ derermioandam, potuerit contingere, & reipſa contigerit, ut Græci ſolum Chriſma pro Neophytis confirmandis elegerint, Latini vero, & Chriſma, & manuum impoſitionem uſurpaverint.

Reſpondent alii Theologi 1. per duodecim priora ſæcula Confirmationem datam ſuiſſe, etiam in Eccleſia Orientali, non per Chriſmationem tantum, ſed etiam per manunm impoſitionem; & quidem ab actione, per quam Chriſma applicatur, diſtinctam.

Probant reſponſum illud ex Firmiliano, qui Epiſt. ad Cyprianum (nt jam ſuperius obſervatum eſt) aſſerit, Paulum qnibnſdam, qui baptiſma Joannis receperant, Confirmationem per impoſitionem manuum contuliſſe, *Et ſic eis manum impoſuit, ut acciperent Spiritum ſanctum*: aſſerit iterum, ſuo tempore in Neopbytis confirmandis Epiſcopos impoſitionem manuum adhibere ſolitos fuiſſe; *Quando* (inquit) *omnis poteſtas, & gratia conſtitnta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & mannm imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem, hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere, ita nec baptizare*.

Probant iterum ea Concilio Nicæno primo, quod Canone 8. injungens, ut per confirmationem Novatiani in Eccleſiæ communionem admittantur, ſic loquitur. *Viſum eſt ſanctæ, & magnæ Synodo, ut impoſitis, eis manibus, ſic in Clero permaneant*.

Probant etiam ex Theodoreto, qni in hunc Pauli ad Hebræos 6. locum, *Baptiſmatum doctrina, impoſitionis quoque manuum*, hæc ſcribit, *Qui enim crediderunt, horum*, (operum ſcilicet mortuorum) *tetrum horrorem abhorrentes, & pœnitentia utentes, accedunt ad Divinum baptiſmum, & per manuum Sacerdotalium impoſitionem, Spiritus ſancti gratiam accipiunt*.

Probant quoque ea Gennadio Conſtantinopolitano Patriarcha ſic apud Oecumenium, qui 11. ſæculo vixit, loquente in mox relata ea Paulo verba, *Vult autem dicere* (Paulus) *quod nnnc primum ad fidem accedentibus harum rerum doctrinam, tamquam fundamentum proponimus merito ipſos adhortantes, ut a mortiferis operibus reſipiſcant, reſipiſcentes autem in Deum credant; credentes vero baptizentur, baptizati autem ſe ipſos ſubjiciant impoſitioni manuum Sacerdotum ad participationem Spiritus*.

Probant tandem ex antiquis Græcorum Euchologiis. Eatat in Francornm Regis Bibliotheca collectio manuſcripta veteris cujusdam Theologi, cujus partem Dominus De-Marca in ſuis ad Claramontanum Concilium notis publici juris fecit, quamque ait ante octingentos ab hinc annos conſarcinatam fuiſſe: Alterum quoque extat Euchologium, quod Barberinnm dicunt, annorum octingentorum canitie venerandum, (ut putat Morinus lib. 9. de adminiſtratione Sacramenti Pœnit. cap. 9.) In utroque autem illo Euchologio deſcribitur ritus, quo Arrianos, Macedonianos, Apollinariſtas, & Novatianos ad unitatem redeuntes, admitti oportet. Sacerdos poſtquam is, qui ex illis ſectis diſcedit, ſuam ejuraverit hæreſim, jubetur illius capiti *manum imponere*, & recitare orationem, qua petit, ut Spiritus ſanctus redeunti per divini unguenti unctionem communicetur, *Poſtea Sacerdos maaum imponens ſuper caput converſi inclinati hanc fundit orationem: Deus ſervator noſter.... paſce eum ſententia veræ tuæ cognitionis ſecundum expoſitionem ſanctorum, & glorioſorum Apoſtolorum tnorum, & dignare cum ſigillo Divini unguenti, & adventu Spiritus ſancti, partipatione venerandi Corporis, & Saaguinis Chriſti... poſt hæc ungit eum unguento ſicut Neophytos eamdem ſuper ipſum formulam pronuncians*.

Teatus, quos huculque recenſuimus duo invictiſſime probant, primum Græcos in Confirmatione conferenda impoſitionem manuum uſurpaſſe per plura ſæcula, ſecundum illam manuum impoſitionem factam fuiſſe per actionem ab ea diſtinctam, qua Neophyto Chriſma ſanctum applicatur. His addit Sambovius, idem & nunc eoſdem Græcos factitari; quippe qui (inquit agens de hujuſce Sacramenti materia) Euchologiis utantur, quibus præſcribitur, ut ſuper Neophytum recitetur oratio, per quam Spiritus ſanctus invocatur ad robur; ea autem oratio, ex antiqua apud eos conſuetudine, licet non expreſſa in Euchologiis, fit cum manuum impoſitione, oratio enim (ut etiam Latini, teſte Auguſtino, aſſerunt, nihil eſt, niſi *oratio ſuper hominem*.

Reſpondent iterum nonnulli e Theologis, quibus perſuaſum eſt, impoſitionem manuum Sacramento Confirmationis eſſentialem eſſe. Reſpondent (inquam) a ſæculo octavo, aut ſaltem a quingentis ab hinc annis, Græcos non ſeparare impoſitionem manuum ab actione, per quam Neophytus inungitur, imo iſtam cum illa conjungunt, ita ut ea duabus actionibus antea diſtinctis unicam, ea impoſitione ſcilicet manuum, & Chriſmatione conſtantem, efficiant: Unde (inquiunt illi authores) falſum eſt, quod argumentum, de cujus ſolutione agitur, ſupponit, nempe his temporibus, Græcos inter confirmandum nullam adhibere mannum impoſitionem.

Objicies 2. Quamvis concedatur, Apoſtolos, ac aliquos Patres Confirmationem Neophytis contuliſſe per impoſitionem manuum: aſſeri tamen non poteſt idem nunc fieri, aut ſemper in Eccleſia Latina factitatum fuiſſe. Primo enim Innocentius Papa III. cap. *Cum veniſſet, De ſacra Unctione*, ſcribit, *per frontis Chriſmationem deſignari*, MANUS IMPOSITIONEM *Apoſtolorum*; Quibus quidem verbis ſignificatum voluit Chriſmationem excludere manuum impoſitionem, qua inter confirmandum Apoſtoli utebantur. 2. Eodem ſpectat Eugenii Papæ IV. ſententia in decreto pro Armenorum inſtructione; ea enim aſſeritur, *Loco manus impoſitionis, per quam Apoſtoli dabant Spiritum ſanctum, in Eccleſia dari Confirmationem*, Confirmationis nomen laudatus Pontifea non ſumit pro ipſomet Sacram. cum eam

appo-

opponat manuum impositioni, cujus Lucas in Actis meminit, & quæ certissime verum erat Sacramentum: ergo Eugenius intelligit Chrismationem, quæ nunc in confirmandis Neophytis usurpatur: Unde allati ex Eugenio loci hic germanus est sensus, loco impositionis manuum, per quam Apostoli, & antiqui Patres Confirmationis Sacramentum conferebant, a multis sæculis obtinuit Chrismatio, per quam idem Sacramentum dispensatur. 3. In Romano Pontificali nulla fit manuum impositionis mentio, hoc unum in eo legitur, *Tum extensis versus confirmandos manibus*: At extensio manuum, & impositio duo sunt omnino diversa, ista enim contactum dicit, illa vero nullum includit.

Resp. ad primum, & ad secundum, prætermissa solutione Bellarmini, qui hæc scribit in loca, de quibus est quæstio, *Non omnia, quæ habentur in Decretis aut Conciliis, ad fidem pertinent, sed solum ea, quæ definiuntur: Hoc autem, de quo agimus, non definitur, sed tantum obiter dicitur ad rem explicandam*: Prætermissa (inquam) ea solutione, dicendum censemus, Innocentium ritum ritui non opponere, seu Chrismationem impositioni manuum; hoc unum vult, nempe Sacramentum, quod prioribus sæculis dicebatur impositio manuum, posterioribus, Chrismationis, aut Confirmationis nomine fuisse appellatum. *Per frontis Chrismationem* (inquit Innocentius) *manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*. Idem sibi voluit Eugenius, seu per vocem hanc, qua utitur, *Confirmationem*, nec ipsum Sacramentum, nec unctionem intellexit, sed solum Confirmationis nomen; ita ut sensus decreti ab eo editi sit, Sacramentum, quod Apostolorum tempore vocabatur impositio manuum, per respectum ad materiam inadæquatam, ex qua constat, postea per respectum ad effectum, quem operatur dictum fuisse Confirmationem. Confirmatur responsio ex eo, quod in Eugenii decreto non dicatur, quod unctio, sed ipsamet confirmatio impositioni manuum successerit: ergo non re, sed nomine tenus ea successio intelligi debet.

Resp. ad tertium, his terminis, *Extensis versus confirmandos manibus*, ut habet hodiernum Pontificale, *Levata manu* (ut in Gregorii Sacramentario legitur) idem significari ac si ita haberetur, *impositis supra confirmandos manibus*; Iis siquidem tribus formulis idem ritus designatur, nempe oratio, quam quis pro eo fundit, quem manu indicat, *Quid est enim aliud manus impositio*, (ait Augustinus lib. 3. de Baptismo cap. 16.) *quam oratio super hominem*.

Robur illi solutioni additur ex Conciliis, quæ eam extensionem manuum, quam Pontificale præscribit, impositionem interpretati sunt; *Ea vero* (inquit Concilium Moguntinum anno 1569. celebratum) *ut erant a Christo promissa ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per manus impositionem in alios transfundi cœpta, actus ipsorum satis testantur. Unde Ecclesia Catholica Spiritum sanctum per manus Episcoporum fidelibus tradendi normam accepit*. Hæc pariter habet Rhemense ann. 1583. tit. de Confirmat. *Quamvis quisque per baptismum e catalogo fidelium sit adscriptus, ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas, ac superandas non nisi per impositionem manuum Episcopi, plus roboris, & gratiæ recipit*. Hæc etiam Narbonense ann. 1580. *SS. Patrum institutionibus constat, nos in Baptismo regenerari ad vitam, & post Baptismum in hoc Sacramento, quo per impositionem manuum Episcopi, Spiritus sanctus diffunditur in corda fidelium, robur, atque fortitudinem dari*.

Quæres 1. cum in Ecclesia Latina Episcopus bis manum imponat Neophyto, quem confirmat, semel quidem cum extensis versus eum manibus, orationem fundit, qua Spiritum sanctum invocat ad robur, altera vero vice cum illius frontem chrismate delinit, dubium est, quænam ex duabus illis impositionibus manuum, Confirmationi sit essentialis.

Resp. impositionem manuum, quæ inadæquatam Confirmationi materiam constituit, non esse eum contactum, quo Episcopus Neophytum inungit. Ratio est, quia Tertullianus, Cyprianus, Ordo Romanus, hodiernum Pontificale, manuum impositionis, per quem datur Spiritus sanctus, tamquam ritus a Chrismatione distincti, meminere; *Egressi de lavacro* (inquit Tertullianus lib. de Bapt. cap. 7.) *perungimur benedicta unctione .... De hinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum*.

Quæres 2. an utriusque manus impositio requiratur, ut Confirmationis Sacramentum valeat?

Resp. satis esse si altera imponatur. Ratio est, quia cum veteres loquuntur de impositione manuum, plerumque numero singulari utuntur, ut patet 1. ex Tertulliano, cujus textum mox retulimus: 2. ex Cypriano Epist. 13. ad Jubajanum, *Id* (inquit) *à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita* &c. 3. ex Hieronymo, qui in Dialogo adversus Luciferianos cap. 4. hæc habet, *Episcopus si imponit manum, iis imponit, qui in recta fide baptizati sunt*. Nec obstat, quod iidem, ac illi Patres non raro numerum pluralem adhibeant, cum manuum impositionis meminerunt: ea nimirum loquendi ratione usi sunt, tum quod ordinarie utraque manus imponeretur, tum quod familiare sit Scripturæ, & Patribus pluralem numerum sumere pro singulari.

Quæres 3. cur Christus manuum impositione Confirmationem conferri voluerit?

Resp. a Christo electam fuisse impositionem manuum eo quod peculiarem habeat analogiam cum effectu Confirmationis: Primo enim significat descensum Spiritus Sancti, per quem Neophytus illuminatur, *Caro manus impositione adumbratur* (inquit Tertullianus) *ut & anima illuminetur*: 2. Per eam exhibetur divina virtus, qua idem Neophytus adversus Dei, & fidei hostes donatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Chrismatis unctio sit essentialis Confirmationi?

Conclusio. Chrismatis unctio est essentialis, sed inadæquata Confirmationis materia.

Probatur conclusio 1. pro Ecclesia Orientali. Patres Græci suos Neophytos Chrismatis unctione semper confirmarunt, docueruntque Spiritum sanctum, seu gratiam sanctificantem ad robur, & ad christianitatis perfectionem ea unctione conferri.

Concilium Laodicenum quarto sæculo celebratum hæc habet can. 48. *Quod oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi supercœlesti Chrismate, & esse regni Christi participes*. Latus fuit ille canon contra Novatianos, qui suos confirmatione non perficiebant: proindeque extra dubium est ipsum de Confirmationis Sacramento intelligi debere; expresse chrismatis unctionis meminit: ergo in conferendo hoc Sacramento, ea Episcopi Phrygiæ utebantur: asserit per eam unctionem Neophytum fieri participem justitiæ, quæ est regnum Christi juxta illud Apostoli ad Rom. 14. *Non est enim regnum Dei esca, & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*. In illum sensum vocem hanc *regni Christi* Zonaras interpretatur: sic enim ad hunc canonem loquitur, *Cœleste chrisma appellavit, quippe quod, & sacris precationibus, & sancti Spiritus invocatione sanctificatum sit, & qui eo inunguntur, sanctos, ac regni cum Christo participes, nisi ad ejus regni possessionem nostris ipsi sceleribus aditum præclusimus, efficiat*.

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi tertia Mystagogica, quæ tota est de Confirmatione, docet, 1. baptizatis dari chrisma, idest ut ipse interpretatur, Spiritum sanctum, *Postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis* (catechumenos alloquitur) *datum est Chrisma, quod imaginem gerit* (utique efficacem) *illius quo unctus est Christus, hoc autem est Spiritus sanctus*. 2. Docet eos, qui chrismate post baptisma inunguntur, fieri participes, & consortes sanctitatis Christi. *Ille* (de Christo loquitur) *spiritali oleo exultationis unctus est, hoc est Spiritu sancto .... vos vero uncti estis unguento sancti participes, & consortes Christi*. Docet 3. chrisma, quo deliniuntur recenter baptizati, non esse unguentum commune, quippe quod sanctificatum sit per invocationem Spiritus sancti, ac ipsummet Spiritum sanctum, qui animam & vivificet, & sanctificet,

præ-

præsentem efficiat; *Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem, non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi; Sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque (si quis ita appellare malis) commune, postquam jam consecratum est; sed est Chrisma, quod Christi, & Spiritus sancti Divinitatis ejus præsentiam efficit. Quo frons, & alii sensus corporis tui symbolice inunguntur; & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima vero sancto, vivificoque Spiritu sanctificatur.* Iis sane verbis nihil liquidius proferri potest, quo probetur, Chrisma Cyrilli ætate adhibitum fuisse ad confirmandum Neophytos, eoque datam fuisse gratiam sanctificantem.

Theodoretus, qui medio sæculo quinto floruit non minus clare, quam Cyrillus, Chrismatis confirmatorii efficaciæ patrocinatur. *Reminiscere* (inquit lib.4. in Cantica Cantic. ad hæc verba, unguentum effusum &c.) *sacræ Mystagogiæ, in qua qui initiantur, post tyranni abnegationem, & Regis confessionem,* (quæ fiunt in Baptismate) *velut sigillum quoddam regium suscipiunt spiritalis unguenti Chrisma, recipientes gratiam invisibilem sanctissimi Spiritus unguento tamquam in typo.* Si Theodoreto propositum fuisset docere, per Chrisma, quo quis inungitur in confirmatione, dari Spiritum sanctum, non aliis verbis uti potuisset, quam iis, quæ mox ex ipso retulimus.

Cyrillus Alexandrinus Theodoreto equalis oleo confirmatorio eamdem vim sanctificandi tribuit, quam aquæ baptismali, & pani Eucharistico. Comment. in Joel ad hæc verba; *Et replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino, & oleo*, hæc habet, quæ omnem omnino ambigendi locum tollunt, *sciendum præterea, etiam secundum mysticum eventum, promissionem veram esse. Data est nobis ceu pluvia, aqua vivens sacri baptismatis, & tamquam in frumento panis vivus, & tamquam in vino sanguis. Accessit item usus olei, qui sacrum baptisma in Christo justificatis ad consummationem confert.* Si (ut volunt adversarii) Chrisma accidentalis, ac integra tantum esset Confirmationis materia, qua ratione ad consummationem, seu ad gratiæ baptismalis perfectionem conferret.

Antiqua omnia, & hodierna Græcorum Euchologia, ubi Confirmationis ritum describunt, frontis chrismationem immediate post baptismum a Presbytero (qui apud Orientales extraordinarius est hujusce Sacramenti minister, ut suo loco dicemus) faciendam recensent, definiuntque hujusmodi chrismationem esse signum, quo Spiritus sanctus datur. Ea quippe Euchologia chrismatione orationem præmittunt, qua Sacerdos a Deo petit, ut per unguentum gratiam Neophyto conferat. Quantum antiquus sit ille Græcorum ritus, orandi nempe Deum O.M. ut inungendum donet sua gratia, non modo ex Patribus privatim sumptis, sed & ex coactis in Concilium demonstrari potest. Primum Concilium Constantinopolitanum can. 7. jubet, ut Novatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ, & alii plures hæretici, qui eo loci recensentur, chrismate cum redeunt, hac verborum formula, *Signaculum doni Spiritus sancti*, inungantur. Eum, quem Synodus ritum præscribit, de Confirmatione intelligi debere plures canonistę contendunt: At ritus ille demonstrat, Constantinopolitanis Patribus persuasum fuisse unctioni Confirmatorię vim inesse producendi Spiritum sanctum; idem quippe (ut placet nonnullis authoribus) hæc verba *signaculum &c.* significant ac ista *hoc signo, chrismatione nimirum, Spiritus sanctus Neophytis confertur.*

Probatur 2. conclusio pro Ecclesia Occidentali. Patres Occidentales quovis sæculo in Confirmatione conferenda chrismationem adhibuerunt, ac ei Spiritum sanctum producendi vim adscripsere.

Patrum illorum agmen ducit Tertullianus, qui sub Severo Principe, & Antonio Caracalla floruit. Is lib. de Baptis. cap. 7. scribit 1. Ecclesiam recenter baptizatos chrismate inungere. Docet 2. illi unctioni non minorem inesse vim, quam aquis, quibus in Baptismo regeneramur. *Exinde* (inquit) *egressi de lavacro perungimur benedicta unctione... Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quia in aqua mergimur, Spiritalis effectus, quia delictis liberamur.* Tertullianus de ea chrismatione non loquitur tamquam de ritu recens invento, sed antiquo, & in Ecclesiis jampridem obtinente, efficaciam, quam illi adscribit, non probat, quippe qui omnibus Christianis notam esse supponat.

Cyprianus Tertulliano subscribit; ubi enim Neophytos inungendi ritum retulit, mox ejusdem unctionis vim spiritualem, ac efficaciam enarrat. *Unge* (inquit) Epistola 70. suo, & Concilii Carthaginensis nomine ad Januarium, aliosque Numidas Episcopos de baptizandis hæreticis data, *necesse est eum, qui baptizatus sit*: At cur id necesse est? *Ut* (ait S. Doctor) *accepto Chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam possit.* Ex eo principio concludit, nullam, ac irritam esse unctionem, quæ fit ab hæreticis, cum enim Spiritum sanctum non habeant, iis, quos inungunt, ipsum conferre non valent. *Unde nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.*

Optatus, qui Milevitanam Ecclesiam rexit sub Valentiniano, & Valentino principibus, idest circa annum 370. lib. 7. adversus Donatistas tria de Oleo confirmatorio scribit, quibus clare ostenditur illud & exhibitum fuisse, & contulisse gratiam, proindeque ipsum ad essentialem Confirmationis materiam pertinere: Primo enim docet, oleum per preces sanctificatrices virtutem ex Christi meritis accipere. 2. ea virtute animam ipsam perfundi. 3. ipsum olei Sacramentum valere etiam ab hæreticis datum: Unde concludit reos fuisse Donatistas, qui a Catholica ad ipsos deficientes iterum inungebant. *Oleum simplex est, & nomen suum unum, & proprium habet: confectum jam Chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit exclusa duritie peccatorum; quæ animam innovat lenem, quæ sedem Spiritus sancto parat, ut invitatus illic asperitate fugata libenter inhabitare dignetur... Quod a vobis unctum est, tale servamus... Seduxistis homines, rebaptizastis, iterum unxistis.*

Pacianus Barcinonensis Episcopus ea quoque dicit, quæ vix conciliari possunt cum eorum Theologorum systemate, quo statuitur Chrismationem, integralem quidem, sed non essentialem esse Confirmationis materiam. Primo enim chrisma vocat Sacramentum. 2. docet per illius applicationem baptizatis Spiritum sanctum superinfundi. 3. contendit per baptisma hominem quidem in Christo renasci, sed imperfecte, cum e contra per oleum perfecte renovetur. Sancti præsulis suis in Novatianos scriptis de Ecclesia optime meriti verba hic lectorum oculis subjicienda sunt; *Hæc autem,* nempe quod fiamus filii Dei, *compleri alias nequeant,* (inquit Serm. ad fideles, & Catech. de Baptismo) *nisi lavacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, Chrismate Spiritus sanctus superfunditur, utraque vero ista, manu & ore Antistitis impetramus*: (cum Antistes ordinarius sit duplicis illius Sacramenti minister (*atque ita totus homo renascitur, & renovatur in Christo; Ut sicut resurrexit a mortuis, sic & nos in novitate vitæ ambulemus.* Qui locum illum commentariis illustrare conaretur, soli meridiano lucem addere tentaret.

S. Ambrosius Mediolanensis, qui anno 397. e vivis excessit, variis locis Chrismationi, quæ signum est sensibile, spiritualem effectum conferendi vim tribuit; lib. de Salomone cap. 3. hæc ait, quæ nescio ad quem sensum ab adversariis detorqueri possint; *Et Moyses inquit in Cantico Deuteronomii*: Lactavit eos mel de Petra, & oleum de solida petra, *idest quod dulcem daturus iis esset Evangelii suavitatem, aut Spiritum sanctum per Chrismatis inunctionem.* Hæc etiam habet lib. de initiandis cap. 6. *Omnes enim in regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia spirituali.* Lib. 2. de Sacram. cap. 7. hæc quoque scribit, *Ergo mersisti, venisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? Deus* (inquit) *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam*, idest ea unctione efficiat, ut strenue pro vita æterna contra hostes salutis dimicare valeas.

August. de Confirmatione agens manuum quidem impositionem maxime commendat, sed non minoris facit sacri Chrismatis unctionem; quæ in ea conferenda usurpatur. Primo unctionem illam Sacramentum sæpissime vocat. *Si ergo* (inquit libro 5. de Baptism. contra

dona-

Donatistas capite 20.) *ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio*, Deus peccatorem non audit, *ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur.* 2. Asserit hocce Sacramentum a baptismate distingui, & cum eo pari sanctitare gaudere, *Et in hoc unguento* (ait lib. 2. contra litteras Petiliani capite 104. ubi hæc Psalmi 132. verba, *Sicut unguentum in capite, &c.* interpretatur) *Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacro-sanctum est, sicut ipse Baptismus.* 3. Contendit illam, de qua agitur, unctionem non otiosam esse cæremoniam, sed efficacem, utpote Spiritus sancti collativam, *Accessit Baptismus & aqua*, (inquit Serm. 83. de diversis) *quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma, Oleum enim ignis nostri Spiritus sancti est Sacramentum. Accedit ergo Spiritus sanctus post aquam ignis, & efficimini panis, quod est corpus Christi.* Trium Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ, quæ simul iis temporibus dari consueverant, meminit S. Doctor, docetque iis tribus Spiritum sanctum dari, sed ad diversos effectus, 4 Denique asserit contra Petilianum, oleum de quo est quæstio, ubicumque, & a quocumque administretur, Christi Oleum esse; proindeque non magis, quam baptisma posse repeti, hominem, qui imparatus eo inungitur, non minus servata proportione, fieri reum, quam is, qui ore sacrilego Eucharistiam excepit, *Non est ergo Oleum peccatoris Oleum salutaris*, (idest salutis.) *Bene accipiatur, & bonum est: & si male accipitur, bonum est.*

Quæ ex Augustino relatæ sunt sententiæ, præfocant omnes adversariorum responsiones: Accidentalis enim non potest esse ea materia, quam Augustinus appellat Sacramentum, quam dicit æque sanctam esse, ac est aqua baptismatis; quam contendit, maxima ad producendum in Neophytis Spiritum sanctum virtute pollere, quam asserit, Oleum esse salutis, & non magis inquinari iniquorum ministrorum manibus, quam aut Baptismus, aut Eucharistia inquinentur.

Hic missa volo loca ex Sacramentario S. Gregorii, ex Ordine Romano desumpta; ea enim, cum de forma hujusce Sacramenti dicemus, recurrent. Unde ad alios posteriores Patres argumentum nostrum redeat oportet.

Theodulphus Aurelianensis lib. de *Ordine Baptismi*, ad Magnum Senonensem Archiepiscopum cap. 16. hæc habet, *Quibus etiam* (de baptizatis loquitur) *septiformis gratiæ Spiritus per Chrismatis unctionem conceditur:* Præpositio, *per*, efficaciam, ac causalitatem Chrismationis clare designat. Hanc peramplam quidem, sed non inutilem Patrum traditionem Concilii Tridentini authoritate concludemus. Sacra Synodus Sess. 7. can. 2. de Confirmatione hæc habet, *Si quis dixerit injuriosos esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.*

Digna est, quæ hic observetur Estii in eum canonem interpretatio, *Non definiunt* (inquit gravis ille Theologus) *Tridentini* Patres chrismati virtutem aliquam inesse, sed tantum eos damnant anathemate, *qui hoc asserentes dicunt Spiritui sancto esse injuriosos.* Estii censuræ subscribimus quidem, nec enim tamquam fidei dogma contendimus, Chrisma pertinere ad essentialem Confirmationis materiam, sed eo Concilii textu demonstratur 1. Chrismatis in Confirmatione usus. 2. nulla omnino censura perstringi posse sententiam, quæ asserit Chrismati inesse virtutem Spiritum sanctum producendi, ac eam esse partem Sacramento essentialem; Quod vero reipsa virtutem illam contineat, docet Traditio, cujus testes fide dignissimos hucusque Plurimos in medium protulimus, & ex quorum authoritate sic nobis argumentari licet. Constans est Patrum Traditio, Chrismationem in conferenda Confirmatione quovis seculo adhibitam fuisse. Constat iterum eosdem Patres chrismationi virtutem adscripsisse conferendi Spiritum sanctum: Igitur persuasum illis fuit Chrismatis unctionem esse Confirmationi essentialem. Si quidpiam in eo argumento inficientur adversarii, vim totam detrahent rationibus, quibus utuntur, ut probent impositionem manuum esse materiam hic Sacramento essentialem; ideo enim, ex ipsis, manuum impositio essentialis est Confirmationi, quod hujusce Sacramenti ministros eam semper adhibuisse constet ex Patribus, quod Traditio, eam efficacem esse, gratiæ sanctificantis collativam, Spiritus sancti productricem esse docuerit.

Solvitur argumentum ex Scriptura petitum contra opinionem, quæ asserit Chrismationem esse Confirmationi essentialem.

Objicies. Apostolorum tempore sola manuum impositio adæquatam, & essentialem Confirmationis materiam constituebat; solius enim impositionis manuum Scriptura meminit Actorum octavo capite, ubi de eo Sacramento agit. *Imponebant manum super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Ergo his etiam temporibus sola impositio manuum essentialis est materia Confirmationis; cum Sacramentorum materia quovis sæculo debuerit esse eadem, etiam specifice, saltem in eorum Theologorum sententia, qui asserunt Christum non generice tantum, sed & in specie determinavisse, quoad substantiam, omnium novæ legis Sacramentorum materias, & formas.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia Scriptura sacra, iis locis, quibus manuum impositionem Confirmatoriam refert, Chrismationem non excludit; unde ex illius silentio nihil contra unctionis usum concludi potest.

Confirmatur ea ratio 1. ex eo, quod multi Patres Confirmationem nonnumquam simplici, ac solo manuum impositionis nomine vocaverint, quamvis alioquin, eam Chrismate constare docuerint, ut patet ex Tertulliano, Cypriano, & Augustino, quorum textibus manuum impositionem Sacramento, de quo agitur, essentialem esse superius probatum est.

Confirmatur 2. eadem ratio. Idem de Scripturæ circa Chrismationem silentio ferri debet judicium, ac de silentio Conciliorum Arelatensis primi, & Nicæni prioris circa eamdem Chrismationem: At ex eo, quod Concilium Arelatense primum can. 8. & Nicænum prius can. 8. in quibus de Confirmatione agitur, solius impositionis manuum meminerint, colligi non potest illorum Conciliorum ætate, Confirmationem per nudam impositionem manuum, & absque Chrismate collatum fuisse. Et sane canonem octavum Nicænum, ubi agitur de manu Novatianis redeuntibus imponenda Theodoretus ab illius Synodi temporibus non multum distans de Chrismatione exponit, aitque lib. 3. Hæreticarum fabularum, Patres (non Constantinopolitanos modo, sed & antea Nicænos) decrevisse, ut Novatiani redeuntes chrismarentur, *Iis, qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent; quocirca eos etiam, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres ungi jusserunt.* Canonem octavum prioris Concilii Arelatensis Canon. 17. alterius Concilii Arelatensis sic explicat, *Cum Chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.*

Confirmatur 3. eadem ratio ex eo, quod (ut superius probatum est) primis sæculis omnes Ecclesiæ, tum Orientales, tum Occidentales in conferenda Confirmatione Chrismatis unctionem adhibuerint. Usus hujusmodi, & praxis initium nullo in Concilio legitur, nullaque in Ecclesia reperitur; ab Apostolorum igitur consuetudine, & a traditione exordium ducit, juxta celebrem hanc Augustini regulam libr. 4. de Baptis. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum: sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Solvitur argumentum Sirmondi petitum ex Concilio Arausicano 1.

Objicies. Canone 1. prioris Concilii Arausicani hæc habentur: *Nullum ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine chrismate usquam debere progredi: quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui in bap-*

tismo

tifmate, quacumque neceffitate faciente, non chrifmatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet Chrifmatis ipfius nonnifi una benedictio eft. Non ut præjudicans quicquam, fed ut non neceffaria habeatur repetita Chrifmatio. Ex iis canonis verbis fic Sirmoodus argumentatur, Concilium præcipit, 1. unicam, & quidem in fronte, Chrifmationem fieri in baptifmo, unde merito prohibet, ne minifter baptizaturus fine Chrifmate progrediatur: 2. Injungit, ot fi aliquo cafu contigerit, quempiam baptizatum fuiffe non adhibito Chrifmate, moneatur Epifcopus a quo chrifmetur. 3. Canon definit, unam effe Chrifmatis benedictionem, vel in Baptifmate, vel in Confirmatione. 4. Statuit, quod cum Chrifmatio prius in Baptifmare facta eft, non iteretur ab Epicopo Confirmante. Ergo (inquit Sirmondus) ubi Chrifmatio in baptifmate facta fuerat, Confirmatio fola manus impofitione, tempore prioris Concilii Araufîcani, conferebatur: proindeque Chrifmatio, etiam in fronte, non eft effentialis Sacramenti Confirmationis materia.

Refp. 1. & lectionem, & fenfum canonis, de quo agitur, doctiffimos viros Aurelium, & Sirmondum inter fe nuper commififfe. Aurelius in Vindiciis cenfuræ facultatis Parifienfis litem intenravit Sirmondo, quod antiquam editionem Colonienfem fecutus fuiffet, nulla habita ratione plurium, & quidem vetutiorum manufcriptorum, ad quorum fidem Gratianus, Merlinus, Surius, Crabus, & Binius fuas editiones adornarunt. Sirmondus opinionem fuam data ad Aurelium Epiftola tutatus eft, cui Aurelius dedit refponfionem: hanc Sirmondus Antirrhetico 1. excepit, cui Aurelius oppofuit Anhæreticum; huic Sirmodus Anhærericum repofuit alterum, Aurelius Orthodoxum.

Quod ad canonis editionem fpectat, fic Aurelius eum legi debere cenfuerat. *Nullus Miniftrorum, qui baptizandi recipit officium fine Chrifmate ufquam debet progredi: quia inter nos placuit, femel in baptifmate chrifmari. De eo autem, qui in Baptifmate, quacumque neceffitate faciente chrifmatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chrifmatis ipfius nonnifi una benedictio eft. Non ut præjudicans quicquam dico, fed ut neceffaria habentur Chrifmatio repetita.* Ea Aurelii lectio in duobus ab ea, quam protulit Sirmondus, difcrepat: Primo enim, ubi Sirmodus fimpliciter legit, *Placuit femel chrifmari*, Aurelius addit, *in baptifmate*: 2. Sirmondus ultimæ canonis periodo negationem apponit. *Non neceffaria habeatur repetita Chrifmatio*, Aorelius vero nullam negationem legit, *Sed ut neceffaria habeatur Chrifmatio repetita.*

Quod vero pertinet ad canonis fenfum, non minus, quam in illius lectione Aurelius, & Sirmondus diffentiunt. Sirmondus his adductus verbis; *Nam inter nos Chrifmatis nonnifi una benedictio eft, &c. Non ut præjudicans &c.* Strenue, (ut jam obfervatum eft) propugnavit Sacramentum Confirmationis olim adminiftratum fuiffe nuda manuom impofitione, fine olla Chrifmatis unctione, ac Baptifmalem Chrifmationem non fuiffe a Confirmatoria diftinctam. Aurelius utrumque illud caput acerrimo confutavit.

De controverfia circa canonis lectionem hæc fcribit Sambovius in fuo de Confirmatione tractatu. *De propofito canone mea eft fententia 1. optimam effe lectionem Petri Aurelii, quæ vocem hanc* (in baptifmare) *repetit, non attenit negationem poftremæ illius parti, legitque:* Sed ut neceffaria habeatur repetita Chrifmatio; *Ita tamen, ut loco illius particula* (Dico) *legatur cum Gratiano, & Crabo* (Dicimus) *vel cum Sirmondo neque legatur* (Dico) *neque* (Dicimus) *fed fimpliciter* (non ut præjudicans quicquam) *eo canone præcipi Diaconis, ut numquam baptizent fine Chrifmate, atque ut suppleatur ab Epifcopo Chrifmatio omiffa, priufquam ille fine Chrifmate baptizatum confirmet; quia utraque Chrifmatio eft neceffaria* ..... Relaram Canonis lectionem his verbis & explicat, & probat laudatus author; *Nonnullorum M.SS. authoritas non præponderat Gratiano, neque omnibus editionibus Merlini, Surii, Crabi, & Binii. Suos illi quoque, eofdemque primæ notæ codices habuere manufcriptos, in quibus & reperitur vox ifta* (in Baptifmo) *& particula* negativa *non extat. Particula hæc* in Baptifmate *illuftrat canonem, gloffema non fapit. Particula* negativa, *vel fenfum facit, quo rejicitur unctio verticalis fupplenda, vel quo unctio in fronte excluditur in Confirmatione, quando Epifcopus fupplevit omiffum verticalem in baptifmate. Utrumque pugnat cum mente Ecclefiæ, quæ femper ftuduit, ut cæremoniæ Baptifmi prætermiffæ fupplerentur, & unctio frontis femper adjuncta eft unctioni Confirmatoriæ.*

De alrero Sirmondum inter & Aurelium Controverfiæ capite hoc fert judicium idem Sambovius: *Senfus ergo (ut mihi videtur) legitimus ifte eft, Nullus Diaconorum, quibus poteftas baptizandi concredita eft, fine Chrifmate progrediatur: quia inter nos placuit femel in Baptifmate chrifmari. De eo autem, qui in Baptifmate, quacumque neceffitate faciente, chrifmatus non fuerit, Epifcopus admonebitur, ut fuppleat, quod prætermiffum eft in Baptifmo, ungendo in vertice ex eodem Chrifmate, quo & poftea uncturus in fronte: quia Chrifma, quod in Baptifmo, & Chrifma, quod adhibetur in Confirmatione, una eft eademque benedictione confecratum. Neque vero cum decernitur verticalis unctio facienda tum ab Epifcopo, præjudicium id eft, ut confirmandus non ungatur in fronte, quia utraque Chrifmatio, verticis fcilicet, ac frontis eft neceffaria.* Probat fenfum illum variis argumentis, *Primi* (inquit) *quod canon ille refpiciat* (Diaconos) *præcife, probatur ex ea voce* (Miniftrorum) *eui adjungendum, quod illud fuerat ante præceptum* Presbyteris, *cautum* Diaconis, *qui anno ipfo fequenti in Concilio Vafenfi, non ante, leguntur, Ecclefia non reclamante in Baptifmo unxiffe. 2. Quod ad hoc monendus fit Epifcopus, ut fuppleat unctionem* Verticalem, *antequam adminiftret Confirmationem, eamque fuppleat ex præparato ad confirmandum Chrifmate, probatur, quia ea femper fuit Ecclefiæ mens, ut fupplerentur Baptifmi cæremoniæ omiffæ, 3. Quod fenfus eorum verborum,* Non ot præjudicans quicquam, *fit ifte,* Decretum, quo ftatuitur fupplenda unctio, non eft aliquid præjudicium ad extremam unctionem non debere peragi ab Epifcopo in fronte, *probatur, quia quod dicitur* non præjudicare, *aliud non poteft intelligi, quam id quod ftatutum, atque judicatum eft eo canone: judicatum eft autem, quod unctio verticalis fupplenda fit. Cenfet itaque Concilium, quod decretum iftud de unctione verticali fupplenda non eft aliquod præjudicium. At præjudicium dicitur refpectu alterius rei judicandæ, & judicandum erat, utrum fecunda unctio adhiberetur necne, fuppofita præcedenti mox facta unctione. Senfus itaque eft ifte, Decretum, quo ftatuitur unctio verticalis ab Epifcopo fupplenda, non eft aliquod præjudicium contra repetitam unctionem, fed utraque unctio eft neceffaria.*

Refpondeo 2. ad argumentum Sirmondi, dato quod primi canonis priori Araufîcani Coucilii edita ab eo lectio valeat, falfa effe omoia, quæ ex illa lectione concludit.

Nam 1. immerito fupponit præcipi a Concilio, ut Chrifmatio baptifmalis fiat in fronte, id enim ne Presbyteri tentarent aliquibus ante annis prohibuerat Innocentius Papa I. ad Decentium his verbis refcribens, *Nam Presbyteris feu extra Epifcopum, feu præfente Epifcopo baptizent, Chrifmate baptizatos ungere licet, fed quod ab Epifcopo fuerit confecratum, non tamen frontem ex eodem oleo fignare, quod folis debetur Epifcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.*

2. Nullo fundamento nititur explicatio, qua contendit, quod fi cafu contigerit, aliquem fine Chrifmate baptizatum fuiffe, monendum effe Epifcopum, ut prætermiffa verticali unctione, unicam in fronte conferat: Monendus etenim eft prætcrea, ut Neophytum illum chrifmet in verrice. Ratio eft, quia unctio verticalis eft una e præcipuis baptifmi cæremoniis; quæ proinde ante confirmationem fuppleri debet, quamque cum cæteris, fi cafu omiffæ fuiffent, Majores noftri fupplere foliti erant, ut conftat tum ex Innocentio III. cap. *Paftoralis*, tum ex Cornelio Papa, qui data ad Fabium Antiochenum de Novatiano in lectulo morris baptizato Epiftola, fic loquitur, *Sed neque poftquam liberatus eft morbo, reliqua percepit* (intelligit cæremonias, ut probant, quæ fub-

jun-

jungit verba) *quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent; neque ab Epiſcopo conſignatus eſt: hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?* Antiquus igitur erat mos, unctionem verticalem, alioſque baptiſmatis ritus, ſi forte omiſſi fuiſſent, Confirmationi præmittere.

3. Falſum eſt his verbis, *Chriſmatis nonniſi una benedictio eſt*, ſignificari, quod unica adhibenda ſit Chriſmatio, ſcilicet vel in Baptiſmate, vel in Confirmatione. Nam (ut advertit Sambovius, ex quo, quæ hucuſque diximus excerpta ſunt) verborum illorum hic germanus eſt ſenſus, una eſt Chriſmati, tum baptiſmalis, tum confirmatorii conſecratio, quæ in Eccleſia Latina ad Epiſcopos pertinet.

4. Falſum etiam eſt hæc verba, *Non præjudicans quicquam* ſignificare unctionem, quæ ab Epiſcopo debet fieri, nocere baptiſmali, aut baptiſmalem confirmatoriæ; Imo eorum ſenſus eſt, quod verticalis unctio, quæ ab Epiſcopo ex Eccleſiæ legibus ſuppletur, non nocet alteri faciendæ in fronte, dum Confirmatio adminiſtratur.

5. Denique hæc ultima Concilii Arauſicani verba, quibus Sirmondi ſyſtema nititur, *ſed ut non neceſſaria habeatur repetita Chriſmatio*, eo non ſpectant, ut omnem a Confirmatione unctionem excludant, ſi unctio verticalis facta fuerit in baptiſmo; ſed tantum eo tendunt, ut miniſtri doceantur, præcipi quidem ut ſuppleatur Chriſmatio verticalis, quæ in Baptiſmate omiſſa fuerit, ſed tamen abſolute eam non requiri, ut Confirmationis Sacramentum valeat.

Itaque, ut quæ fuſius hucuſque dicta ſunt, in compendium redigantur, hunc putamus nativum eſſe ſenſum prioris canonis primi Concilii Arauſicani, *Nullus baptiſmatis miniſter, vel Diaconus, omittat verticalem unctionem, ſi tamen caſu aliquo prætermiſſa fuerit, Epiſcopus monebitur, ut eam ſuppleat, antequam Neophyto manum imponat, ac inungat in fronte; quod tamen ita intelligendum non eſt, ut illius verticalis unctionis ſupplementum cenſeatur neceſſarium, ut valeat manuum impoſitio, ac unctio frontalis*, quæ eſſentialem, ac adæquatam Sacramenti Confirmationis materiam conſtituunt.

Solvitur aliud argumentum deſumptum ex admiſſione hæreticorum in Eccleſiæ ſinum.

Objicies 3. pro Sirmondo, & Sambovio contendentibus, manuum impoſitionem eſſe Confirmationis ſolam eſſentialem materiam. In Occidente, & in Oriente Arianis, multiſque aliis hæreticis ad unitatem Catholicam redeuntibus Confirmatio quondam conferebatur: de illo nimirum Sacramento plures Theologi poſt Morinum, & Maldonatum interpretantur canonem 7. prioris Concilii Conſtantinopolitani, canonem 8. primi Arelatenſis, manuum impoſitionem, de qua Stephanus Papa ad Cyprianum reſcribit. Atqui in Occidente idem Sacramentum Arianis per Chriſmationem non conferebatur, ut probant hæc Gregorii Magni verba lib. 4. Epiſt. 61. ad Quirinum & alios Catholicos Iberiæ Epiſcos, *Arianos per impoſitionem manus Occidens; per unctionem vero ſancti Chriſmatis Oriens reformat*. Ergo labente ſæculo ſexto Chriſmatis unctio non cenſebatur apud Occidentales eſſentialis materia Confirmationis.

Reſpondent nonnulli Scriptores, Majorem propoſitionem eſſe falſam, ſi de toto Occidente intelligatur. Aſſerunt ſcilicet 1. in Eccleſia Romana, ac aliis vicinioribus, Arianos ad unitatem Catholicam admiſſos fuiſſe per manuum impoſitionem reconciliatoriam, quæ idem eſt cum Pœnitentiæ Sacramento, non vero per confirmatoriam, ſaltem deſinente ſæculo ſexto; quo Gregorius in objectione relatus ſcribebat. Aſſerunt 2. veram eſſe eamdem majorem propoſitionem, ſi intelligatur non de omnibus, ſed tantum de pluribus, & quidem inſignibus Occidentalium Eccleſiis, in eis enim (ajunt) Arianos redeuntes fuiſſe chriſmatos, variis antiquorum monumentis demonſtrari poteſt.

1. In Gallis uſum illum obtinuiſſe fidem faciunt Patres Concilii Arauſicani: ſic canone 2. loquuntur, *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus; a Presbyteris* (tamquam miniſtris extraordinariis) *cum Chriſmate, & benedictione conſignari placet*. Idem demonſtrant hæc verba canonis 17. alterius Concilii Arelatenſis, *Bonoſiacos autem ... quos ſicut Arianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt... cum Chriſmate, & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*. Idem evincitur ex multis Arianorum ad fidem catholicam converſionibus, quas Gregorius Turonenſis in ſua Francorum Hiſtoria deſcribit, l. 2. c. 13. ſic de hæreſeos a Lanthilde ſorore Clodovæi facta ajeratione loquitur, *In hæreſim Arianorum dilapſa fuerat; confeſſa æqualem Filium Patri, & Spiritum ſanctum, chriſmata eſt*. Cap. 34. hæc de Gundebaldo Rege Burgundionum enarrat, *Cum autem cognoviſſet aſſertiones hæreticorum nihil eſſe, a S. Avito Epiſcopo Viennenſi Chriſtum Filium Dei, & Spiritum ſanctum æqualem Patri confeſſus, clam, ut chriſmaretur, expetiit. Cui ait Sacerdos, Si vere credis quod nos ipſe Dominus docuit, exequere*.

2. Eamdem, de qua agitur, conſuetudinem viguiſſe apud Hiſpanos oſtenditur ex Concilio Toletano tertio; ubi Recharedus Rex non modo de ſe, ſed etiam de tota ſibi ſubjecta gente, hanc ad Patres in Synodo ſedentes orationem habuit, *Ut hæ gentes, quas in Dei nomine Regia poteſtate præcellimus, & quæ deterſo antiquo errore, per unctionem ſacro-ſancti Chriſmatis, vel manus impoſitionem, Paracletum intra Dei Eccleſiam perceperunt Spiritum, quem unum, & æqualem cum Patre, & Filio confitentes, ejuſque dono in ſinu Eccleſiæ collocatæ ſunt*.

Reſpondemus nos ad argumentum, quod pro Sirmondi, & Sambovii ſententia objectum eſt; reſpondemus (inquam) Majore data propoſitione, quam inferius ſuo loco ſubjiciemus examini, negando Min. Ad cujus probationem dicendum eſt, cum illuſtriſſimo Domino De Marca, in ſuis ad Concilium Claromontanum notis, impoſitionem manuum, quam in Epiſt. ad Quirinum Gregorius recenſet, non excludere unctionem, quæ in Arianis ad unitatem admittendis apud Latinos adhibebatur, nec unctionem cujus ibidem meminit, excludere manuum impoſitionem uſurpatam apud Græcos hoc unum laudatus ſummus Pontifex ſibi propoſuit, eumdem nempe ſecundum ſubſtantiam ritum in Oriente, & in Occidente in admittendis Arianis redeuntibus, aliis, diverſiſque nominibus in utraque Eccleſia, Orientali, & Occidentali appellari ſolitum fuiſſe. Illius reſponſionis veritas ſubſequentibus argumentis oſtenditur.

1. Poſtquam Gregorius in Epiſt. ad Quirinum, triplicem hæreticos admittendi modum retulit, Orientis nempe Chriſmationem, Occidentis impoſitionem manuum, ac profeſſionem catholicæ fidei, duplicem priorem modum, Chriſmationem ſcilicet, & impoſitionem manuum, in unum reducit, contrahitque ad unicum; ſic enim loquitur, *Sacrum Baptiſma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cum vel illi per impoſitionem manus, Spiritum ſanctum acceperint; vel iſti propter profeſſionem veræ fidei, ſanctæ & univerſali Eccleſiæ viſceribus fuerint uniti*. Per vocem, *Illi*, S. Pontifex hæreticos intelligit, qui in ſinum Eccleſiæ redeuntes, tum in Oriente, tum in Occidente Confirmatione obſignari ſolebant; Per hanc vero aliam, *Iſti*, eos ſignificat, a quibus ſimplex, ac nuda fidei profeſſio exigebatur.

2. Non eſt improbabile, quod Gregorii Magni ætate viguerit in Eccleſia Romana idem Arianos admittendi ritus, qui tempore Siricii Papæ in ea obtinebat: non enim aſſignari poſſunt canones, quibus ſancita a Siricio diſciplina intra tempus, quod ab eo ad Gregorium fluxit, immutata fuerit. At Siricii ævo, una, & eadem ratione in Eccleſia Græca, in Latina Ariani ad unitatem catholicam admittebantur. Scilicet Himerius Tarraconenſis Siricio ſignificarat, nonnullos in Hiſpania Epiſcopos, baptizare Arianos, cum redirent; ab eoque petierat, quid hoc in caſu facto eſſet opus. Siricius Epiſt. 1. cap. 1. reſpondet rebaptizationem illam, Apoſtolum, canones, Liberii Papæ decreta prohibere; poſtea vero Eccleſiæ, cui præerat, aliorumque praxim his verbis deſcribit, *Quos* (de Arianis loquitur) *Nos cum Novatianis, aliiſque hæreticis, ſicut eſt in Synodo conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus Epiſcopalis manus impoſitione Catholicorum conventui ſociamus*. Mox hæc addit, quæ litem, de qua agitur, omnino dirimunt,

rimunt, *Quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit: a quo tramite vos quoque posthac minime convenit deviare, si non vultis a nostro collegio Sinodali separari sententia.*

Solvuntur nonnulla quædam alia argumenta, quæ Sirmondus, & Sambovius objiciunt.

Objicies 4. Synodus Moguntina anno 1569. habita docet, Apostolorum temporibus Confirmationis Sacramentum per solam manuum impositionem collatum fuisse, cui postea Chrisma additum fuit; hæc enim habet cap. 17. *Hoc Sacramentum ab initio sola manus impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus Apostolorum, & ex eorumdem Traditione adhibita Chrismatis unctione cœpit conferri.* Ex quo loco sic Sambovius argumentatur. Si sola manus impositione hocce Sacramentum collatum fuit ab initio: ergo quidquid huic adjunctum fuit, ad materiam integralem non ad essentialem revocari debet.

Respond. Synodum Moguntinam, quæ non multum est antiqua, & cujus judicio aliæ Ecclesiæ subscripsisse non leguntur, plus æquo, quam par fuisset iis Scholasticis detulisse, qui Apostolos ex speciali dispensatione Confirmationem per solam impositionem manuum administrasse censuerunt.

Objicies 5. Materia, quæ Sacramento essentialis est, eadem esse debet, etiam quoad speciem, in utraque Ecclesia, Orientali nempe, & Occidentali. Sed Chrismatio non est hujusmodi; cum Græci unguentum, quo Neophytorum frontem deliniunt ex 35. aromatum, seu herbarum fragrantium speciebus cum oleo, & vini non modica quantitate, iisque omnibus simul concoctis conficiant; Latini vero suum Chrisma ex oleo, & balsamo, iisque non decoctis componant.

Respond. concessa major. nego min. ad cujus probationem dico, quod aromatum apud Græcos admixtio, olei speciem non tollat; proindeque nec essentialem, ac specificam Confirmationis materiam, ad quam ea aromata nequaquam pertinent; sicut secundum plurium Theologorum sententiam, nec balsamum, ex quo Latinorum unguentum coalescit.

Objicies 6. cum Sirmondo Anthirretici secundi cap. 4. & sequentibus. Variæ circa Chrismatis usum varius temporibus disciplinæ extiterunt. 1. Ab Apostolis usque ad Constantini ætatem, Chrismatio ita cum manuum impositione conjuncta erat, ut tamen ab ea distingueretur, eamque anteiret; ut probant hæc Tertulliani verba lib. de Bapt. *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione ..... Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans, & invitans Spiritum sanctum.* 2. A Constantini ætate Chrismatio sic ab impositione manuum distincta erat, ut temporis intervallo ab ea separaretur: ita ut seorsim una cum Baptismo perageretur ab ejus Ministro, sive ille Presbyter esset, sive Diaconus, & manum postea Episcopus confirmans imponeret. Factum illud Sirmondus probat ex primo canone prioris Concilii Arausicani. 3. Chrismatio rursus manuum impositioni conjuncta fuit, cum hoc tamen discrimine (inquit mox laudatus author) quod duplex Chrismatio adhibita fuerit, verticalis nimirum, & ea, quæ fit in fronte, cum tamen unica olim esset. Si illæ suppositiones valeant, haud dubie Chrismatio non est Confirmationis materia essentialis, cum ea non adhibita, aliquandiu Sacramentum collatum fuerit.

Respond. alteram Sirmondi suppositionem veritate non niti: ruit enim fundamentum, quo eam probat, seu explicatio, quam ad prioris Concilii Arausicani primum canonem adhibet; id abunde superius ostensum est. Si falsa sit altera ejus suppositio, tertia vero esse non potest, nempe unicam olim, & Baptismatis, & Confirmationis unctionem extitisse.

Caput Quartum.

De iis, ex quibus Chrisma confirmatorium constat.

HOC caput in tres articulos partiemur. In priore expendemus, quænam in specie tum in Oriente tum in Occidente Chrisma confirmatorium componant: in altero quæremus, utrum admixtio balsami cum oleo confirmatorio perantiqua sit? & tandem in tertio, qua necessitate hujusmodi admixtio requiratur?

Articulus Primus.

Quænam tum in Oriente, tum in Occidente Chrisma confirmatorium componant?

CONclusio 1. Præter oleum, & balsamum variæ aromatum species Chrisma confirmatorium apud Orientales componunt.

Probatur 1. authoritate Euchologiorum, quæ præter oleum & balsamum triginta quinque aromatum species enumerant, ubi agunt de Chrismate conficiendo. Justinus martyr dialogo cum Tryphone, licet in particulari non explicet, quænam sint illæ aromatum species, in genere tamen asserit, Chrisma ex plurium aromatum simplicium compositione coalescere. 3. Author lib. de Ecclesiast. Hierarchia, quem Dionysium Areopagitam nonnulli dicunt, capite quarto hæc habet, quæ ad propositum nostrum maxime conferunt: *Sic ergo statuimus unguenti* (confirmatorii) *confectionem concretionem esse quamdam rerum bene olentium, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum continent, cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se afflant, proportione fragrantis communionis, quæ in eis insit.*

Conclusio 2. Apud Occidentales Chrisma ex oleo tantum, & balsamo conficitur.

Probatur 1. ex Gregorio Magno, qui lib. Sacramentorum, in cœna Domini, quando Chrisma benedicitur, hæc ait: *Præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, at accepto balsamo, & commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam.* 2. ex Ordine Romano, qui in eamdem diem hæc habet, *Prima miscent balsamum cum oleo.* 3. ex lib. de Divinis officiis, qui, Alcuino tribuitur, *Conficitur* (Chrisma) *ex oleo mundissimo, & optimo balsamo.* 4. ex Amalario Fortunato lib. de Ecclesiasticis Officiis cap. 12. *Nunc* (inquit) *transeundum est ad principalem consecrationem Chrismatis: ipsa enim dicitur principalis, quia ad ejus unctionem principalis Spiritus tribuitur .... hic non solum oleum, sed & balsamum consecratur.* 5. ex Eugenio Papa IV. qui in decreto pro instructione Armenorum hæc ait, *Cujus* (de Confirmatione loquitur,) *materia est Chrisma confectum ex oleo, & Balsamo per Episcopum benedictum.* 6. Denique ex hodiernis omnibus Latinorum Pontificalibus, iis enim balsami cum oleo admixtio præscribitur.

Ex his patet, Græcos immerito Latinis sæculo nono objecisse, quod ex aqua fluminis Chrisma conficerent: quam quidem calumniam Latinis impactam confutavit Nicolaus Papa 1. Epist. 70. ad Episcopos Galliæ, *Quod* (inquit) *Chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur.*

Quæres 1. cujusnam speciei oleum confirmatorium esse debeat?

Respond. requiri oleum ex olivis expressum. Ratio est, quia oleum, quod alterius est generis, non est oleum simpliciter, sed tantum oleum secundum quid. Præterea oleo ex olivis expresso proprietates Spiritus sancti, qui per Confirmationem datur, clarius significantur. Duplicem illam rationem proponit, & explicat S.Thom. 3. part. quæst. 72. art. 2. ad 3. ubi sic loquitur, *Proprietates olei, quibus significatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo; Unde & ipsa oliva semper frondibus virens, virorem, & misericordiam Spiritus sancti semper significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, & maxime habetur in usu, ubi haberi potest: Quodlibet autem alius liquor ex similitu-*

Etiadinc hujus, oleum nominatur: nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos, quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, & quorumdam aliorum Sacramentorum.

Quæres 2 quodnam balsamum requiratur, an Judaicum, an Indicum, an Europæanum?

Respondet his verbis Sambovius, *Balsamum judaicum sit, vel Indicum perinde est. Soli quidem Judææ olim concessas has arbusculas fuisse credebatur. In Indiis tamen utrisque postea repertæ sunt, ex quibus, quod exsudat adsportatur ad nostras regiones, imo & apud nos quædam inviseuntur arbusculæ balsami ex Indiis delatæ.*

ARTICULUS SECUNDUS.

An balsami admixtio cum Oleo confirmatorio perantiqua sit?

CONclusio. Ante sextum sæculum admixtio olei cum balsamo, nec apud Orientales, nec apud Occidentales in usu fuisse.

Probatur 1. Multum est probabile, Apostolos, eorumque successores iis sæculis, quibus persecutio sæviebat, non admiscuisse balsamum oleo, quo ad conferendam Neophytis Confirmationem utebantur: Unde enim liquoris maxime pretiosi, pauperes discipuli eam copiam collegissent, quæ necessaria erat ad inungendos eos omnes, qui tunc non in Oriente solum, sed etiam in Occidente Christianæ religioni dabant nomen.

2. Non constat an tribus sæculis, quæ tertium subsecuta sunt, liquore, de quo agitur, Majores nostri inter confirmandum usi sint. Apud authores Græcos, qui iis temporibus unctionis confirmatoriæ meminerunt, de admixtione balsami cum oleo altissimum est silentium. De ea admixtione plane siluerunt Justinus Martyr, Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, & author lib. de Ecclesiastica Hierarchia.

3. Apud Latinos authores, qui ante sæculum sextum scripserunt, admixtionis, de qua agitur, nullum omnino vestigium reperire est. Nec enim Tertullianus, nec Cyprianus, nec Innocentius Papa I. nec Augustinus; qui omnes, de Chrismate frequentem habuerunt sermonem, balsami cum oleo confirmatorio admixtionis unquam meminerunt.

4. Verisimile igitur est, usum, de quo est quæstio, apud Latinos circa sextum tantum sæculum initium duxisse. Eo labente Gregorius Turonensis, & Gregorius Magnus meminere. Iste præter textum, quem ex ejus Sacramentorum libro supra retulimus, alium habet in hæc verba primi capitis Canticorum, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, hæc enim scribit, *In Engaddi Balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona S. Spiritus exprimuntur.* Illam Latinorum praxim de immiscendo balsamo cum oleo Græci postea imitati sunt, eamque in sua Euchologia, prout nunc in eis legitur, retulerunt.

Objicies 1. Fabianus Papa, qui tertio sæculo Ecclesiam rexit, Epist. 2. ad omnes Orientales Episcopos, in qua præcipitur consecrari, & innovari Chrisma singulis annis feria 5. in Cœna Domini, eorum excusationem confutat, qui se balsamum, quod oleo immiscerent, non invenire causabantur, *Dicunt enim* (verba sunt S. Pontificis) *ut in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperiri, nec necesse fore per singulos annos Chrisma conficere, sed dum ana confectio Chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere.* Ergo usus admiscendi balsamum cum oleo jam tertio saltem sæculo apud Latinos obtinebat.

Respond. Priorum Pontificum Romanorum ad Siricium usque Epistolas, quas antiqui rerum Ecclesiasticarum scriptores non referunt, adulterinas, ac supposititias esse. Apud doctos certum est, ac exploratum, eas Epistolas circa sæculum octavum fabricatas fuisse ab authoribus quibusdam, qui ut causis plerumque novitatem sapientibus, quas iis in epistolis proponebant, conciliarent authoritatem, easdem epistolas antiquorum Pontificum Romanorum nominibus inscripsere: Unde cum nec Eusebius Cæsariensis, nec Patres priorum sæculorum telatam in argumento, Fabiani Epistolam recenseant, argumentum ex ea desumptum nullius omnino est roboris, ut balsami cum oleo admixtioni antiquitas concilietur.

Objicies 2. Desinente quarto Ecclesiæ sæculo, Idolorum Sacerdos, cum (ut optabat Julianus apostata) solita incantamenta peragere non posset, existimaretque se alicujus Christiani præsentia cohiberi, sic Imperatorem affatus est, *Require, Sacratissime Imperator, quis adest ablutus, balsamo unctus, & abscedat*, quo quidem Sacerdotis sermone commotus Julianus in hæc erupit verba, *Quis hic numinibus nostris contrarius, ac religionis Christianæ socius, qui frontem Chrismatis inscriptione signatam ferat?* Hæc a Gregorio Turonensi de gloria Martyrum cap. 41. referuntur. Ergo circa finem sæculi quarti Patres oleo confirmatorio balsamum admiscebant.

Respond. Gregorium pro more, qui sua ætate, labente nimirum sæculo sexto, obtinebat, idololatram, de quo agit, loquentem induxisse: atque ita cum jam eo tempore Chrisma ex oleo, & balsamo conficeretur, nemini mirum videri debet, quod Gregorius Turonensis Confirmationis Sacramentum his verbis, *balsamo unctus*, designaverit.

Objicies 3. Ipsum Chrismatis nomen admixtionem sonare videtur: Ergo non ex oleo simplici, sed etiam ex balsamo constat; proindeque si quovis sæculo Confirmatio, adhibito Chrismate, Neophytis collata fuerit; non oleum simplex, sed balsamo delibutum, fuit ejusdem Sacramenti materia. Ita nonnulli Scholastici ratiocinantur.

Respond. 1. prioris enthymematis consequentiam non valere: in Chrismate enim reperiri possunt alii a balsamo liquores, quorum quidem habita ratione, non sit aliquid simplex, sed compositum. Author libri de Ecclesiastica hierarchia, cum de Chrismate agit, licet de balsamo sileat, plures tamen alios odoriferos liquores oleo Confirmatorio immiscendos recenset.

Respond. 2. *Chrisma* vocem esse Græcam, quæ per *unctionem* Latine redditur: unctio autem, quæ fit oleo simplici, non minus proprie vera unctio dicitur, quam quæ ex oleo, quod variis, multisque aliis liquoribus temperatum fuerit, id sane non diffitebitur, qui oleum *infirmorum*, quod haud dubie simplex est, Chrismatis nomine ab Innocentio Papa I. in Epist. ad Decentium appellatum fuisse animadverterit. Eum loquendi morem imitatus Augustinus *Chrisma* vocat unctionem olei simplicis, quo Mosaici testamenti Reges solebant inaugurari, *In veteri testamento* (inquit) *Reges Christi vocabantur, Chrismate illo mystico consecrati.*

ARTICULUS TERTIUS.

Qua necessitate admixtio olei cum balsamo requiratur?

THeologi, quibus persuasum est manuum impositionem esse adæquatam Confirmationis essentialem materiam, consequenter docent, balsami cum oleo admixtionem necessitate Sacramenti non requiri. Ex iis autem, quibus unctio Chrismatis videtur huic Sacramento, saltem inadæquate, esse essentialis, nonnulli contendunt admixtionem, de qua agitur, requiri sub Sacramenti periculo, alii vero concedunt, eam esse de necessitate præcepti Ecclesiastici, sed negant esse de necessitate præcepti Divini. Ex iis, quæ præcedenti articulo dicta sunt, facile quisque conjicere poterit quænam ex duabus illis opinionibus veritate nitatur: ut tamen veritas clarius pateat subsequens conclusio statuitur.

Conclusio. Admixtio balsami cum oleo confirmatorio non est de necessitate Sacramenti, imo nec præcepti Divini, sed Ecclesiastici tantum.

Probatur prior pars 1. Per plura sæcula (ut superius ostensum est) Confirmatio in utraque Ecclesia, Orientali scilicet, & Occidentali, data valuit: iis tamen sæculis balsamum Confirmationis oleo admixtum non fuisse evicimus. 2. Innocentius Papa III. rogatus, utrum *Iteranda esset Confirmatio* cujusdam hominis, qui per errorem oleo simplici in fronte fuerat obsignatus, sic cap. *Pastoralis*, *de Sacramentis non iterandis*, respondit,

In talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat omiſſum. Eſtius hæc ſummi Pontificis verba, *in talibus non eſt aliquid iterandum*, ponderat, & ex illis iofert. Innocentium reſponſurum fuiſſe affirmative, & expreſſe iterari debuiſſe Sacramentum, ſi illud in caſu, de quo agebatur, nnllnm, ac irritum crediditſet, quemadmodum abſolute, ac ſimpliciter dicimus, iterandum eſſe baptiſma, qnoabſque debita forma, aut requiſita materia collatum fuerit.

Probatnr altera concluſionis pars ex facto, cujus veritas a nobis ſuo loco oſtenſa fuit: Si enim de balſami cum oleo confirmatorio admixtione divinum aliquid præceptum extaret, Patres antiqni illud executioni mandaſſent, ipſumque in ſuis ſcriptis traditum reliquiſſent: quorum tamen neutrum (ut obſervatum fuit) præſtituere.

Probatur tertia pars ex Euchologiis Græcis, Latinis Pontificalibus, aliiſque monumentis, quæ hujuſce capitis artic. 1. protulimus.

Caput Quintum.

De Benedictione, qua Chriſma debet conſecrari.

Certiſſimum eſt Chriſma peculiari, tum apud Occidentales, tum apud Orientales, benedictione conſecrari, id enim & ex Euchologiis Græcis, & ex Pontificalibus Latinis evincitur: De ea autem benedictione quæri poteſt 1. utrum multa antiquitate commendetur? 2. utrum ſit neceſſaria? 3. an a ſolo Epiſcopo celebrari poſſit? 4. quibus cæremoniis perficiatur?

Articulus Primus.

Utrum antiqua ſit Chriſmatis benedictio?

Concluſio. Ritus Chriſma per benedictionem conſecrandi antiquiſſimus eſt.

Probatur concluſio pro Eccleſia Græca. Adducitur 1. Baſilius, qui hæc habet lib. de Spiritu ſancto cap. 27. *Benedicimus Baptiſmatis aquam, & unctionis oleum.* Profertur 2. Cyrillus Hieroſolymitanus, qui Catech. tertia Myſtagogica hæc ſcribit, *Sanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, neque (ſi quis ita appellare nolit) commune poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt Chriſma.* Laudatur 3. Dionyſius Areopagita, (ſi tameo liber de Eccleſiaſtica Hierarchia ejus ſit) eo enim in libro antiquus Chriſma conſecrandi ritus deſcribitur.

Probatur iterum concluſio pro Eccleſia Latina. Laudari poſſunt 1. liber Sacramentorum S. Gregorii, Ordo Romanus, aliaque vetera monumenta, quæ de ritibns agunt. Proferri poſſunt 2. ii authores, qui jus in eam conſecrationem ſolis Epiſcopis adſcribunt; illorum Patrum textus tertio hujuſce capitis articulo legere eſt. Adduci etiam poſſunt 3. loca, quibus conſecrationis, de qua agitur, ſolemnes ritus præſcribuntur, quæque articulo quarto a nobis referentur. Tandem recitati poſſunt 4. hæc Auguſtini verba lib. quinto de Baptiſ. cap. 20. *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ poſſit tamen Deus oleum ſanctificare.*

Quæres, quo tempore Majores noſtri oleum Confirmatorium conſecrare cœperint.

Reſpond. praxis illus, qnæ nbique tertio, & quarto ſæculo obſervata fuit, nullum reperi initium, atque ita juxta Auguſtini regulam in Epiſt. ad Januarium, in Traditionem Apoſtolicam refundi debet, ut revera ad eam a Baſilio reducta eſt lib. de Spiritu ſancto cap. 17. ubi hæc ſcribit, *Benedicimus Baptiſmatis aquam, & unctionis oleum; Quibus vero Scripturis edocti? nonne a ſecreta, & ſilente Traditione?*

Articulus Secundus.

An neceſſaria ſit Chriſmatis benedictio, ſeu conſecratio?

Chriſmatis conſecratio pluribus Thomiſtis de neceſſitate Sacramenti eſſe videtur. Cenſent aliqui alii anthores, ipſam Chriſtum præcepiſſe quidem, ita tamen ut, ea non adhibita, Sacramentum valeat: Alii Scriptores docent, eam ſolius eſſe juris Eccleſiaſtici.

Concluſio. Chriſmatis conſecratio non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti, imo nec præcepti Divini, ſed Eccleſiaſtici tantum.

Probatur 1. Ex nullo Patrum textu evinci poteſt, Chriſma commune, ſeu non conſecratum, Sacramento non eſſe ſatis, ſi tamen cum manuum impoſitione, quæ eſt inadæquata Confirmationis materia, conjunctum ſit. 2. Ex nullo capite poteſt colligi Divinum de Chriſmate conſecrando præceptum; non quidem ex illius antiqnitate, cum admixtionem aquæ cum vino in altaris ſacrificio ſemper, & ubique adhibitam fuiſſe exploratum ſit; & tamen ex univerſali, & perpetuo illo uſu, eam a Chriſto præceptam fuiſſe nemo Theologus concludit. 3. Cum omnia Græcorum Euchologia, ac Latinorum Pontificalia eam, de qua agitur, Chriſmatis conſecrationem præcipiant, jure, ſaltem Eccleſiaſtico, neceſſaria ſit oportet.

Objicies. Chriſma virtutem Neophytis conferendi Spiritum ſanctum, ac robur habet a conſecratione, ſicut aqua baptiſmalis vim ſuam in catechumenos habet ex mundiſſimæ carnis Chriſti contactu, cujus quidem contactus vices in Chriſmate ſupplet conſecratio. Ita nonnulli Scholaſtici ratiocinantur.

Reſpond. neg. ant. & ejus probationem; Baptiſmus enim, & Chriſma vim ſuam, ac virtutem habent a forma, quam miniſter profert. Conſecratio, tum aquæ, tum olei, ritus eſt Eccleſiaſticus, quo ea elementa abluendis Catechumenis, aut Neophytis confirmandis ſpecialiter deſtinantur, ſeu (ut alii loquuntur) Conſecratio eſt veluti quædam præparatio, qua Sacramento, tum ex parte conferentis, tum ex parte recipientis, reverentia conciliatur.

Articulus Tertius.

Utrum Chriſma a ſolo Epiſcopo Conſecrari poſſit?

Contendunt plerique, irritam eſſe conſecrationem Chriſmatis, ſi ab alio, quam ab Epiſcopo fiat: Aſſerunt alii cum Cajetano, id quidem muneris eſſe penes Presbyterum, ſi tamen ab Eccleſia ea provincia ipſi demandata fuerit.

Concluſio 1. Solis Epiſcopis licitum fuit antiquitus, & licet modo, Chriſma confirmatorium ordinarie conſecrare.

Probatur prior pars ex Concilio Carthaginenſi ſecundo. Canone 2. hæc habentur, *Chriſmatis confectio, & puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant.* Hæc quoque in Carthaginenſi tertio, can. 36. *Ut Presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret, Chriſma vero numquam conficiat.* Hæc etiam in Toletano 1. can. 20. *Placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum Chriſma conficere.* Altera vero concluſionis pars, quæ ad hujus ævi diſciplinam ſpectat, patet ex Euchologiis, ac Pontificalibus, quibus Eccleſia, tum Græca, tum Latina his temporibus utuntur.

Objicies. Presbyteri ſimplices, ſeu nullo Epiſcopali charactere inſigniti, tamquam miniſtri extraordinarii contulerunt olim in Eccleſia Latina Sacramentum Confirmationis, ipſumque in Græca, hac etiam ætate conferunt: Ergo nunc licet in Græca aliis a Pontificibus, ac quondam in Eccleſia Latina licuit, Chriſma per benedictionem conſecrare.

Reſpond. dato ant. nego conſeq. Primo enim eo argumento, ſi valeret, poſſet concludi liceret, his etiam temporibus, Presbyteris Latinis infirmorum, ac catechumenorum oleum conſecrare; in Baptiſmate ſcilicet, & in Extrema-unctione, quorum ſunt miniſtri, duplici illo oleo utuntur, ut Neophytorum verticem, ac infirmorum fidelium corpus inungant. 2. Summi Eccleſiæ Pontifices ea tantum conditione Sacerdotibus Confirmationis adminiſtrationem conceſſerunt, ut Chriſma Epiſcopali benedictione conſecratum adhiberent, ut his Eugenii IV. verbis in inſtructione Armenorum docemur: *Legitur aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodū cauſa, ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto,*

Ito, hoc administrasse Sacramentum: Id idem etiam ex hodierno Græcorum usu evincitur: Siquidem Patriarcha Constantinopolitanus consecratum semel in anno Chrisma (teste Arcudio) ad Metropolitanos, isti ad Episcopos, Episcopi vero ad Presbyteros mittunt.

Conclusio 2. Presbyteri, non jure Divino, sed Ecclesiastico tantum, Chrisma consecrare prohibentur.

Probatur 1. Nullum est fundamentum prohibitionem illam Divinam adstruendi, nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Patrum Traditione. 1. Chrismatis consecratio facta per Presbyteros olim valuit, ut probant hæc canonis 20. Concilii Toletani 1. verba, *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum Chrisma conficere.* In eum canonem observare est 1. a Concilio irritam non fieri consecrationem a Presbyteris peractam; 2. Concilii Toletani Patres, non juris Divini, sed antiquissimæ, ac universalis Ecclesiæ praxis authoritatem proferre, ut præceptum, quod sanciunt, confirment, *Quamvis* (inquit) *pene ubique custodiatur &c.*

Nec est, quod quis objiciat c. 329. lib. 7. Capitularium Caroli Magni, ubi Chrisma a Chorepiscopis confectum declaratur irritum, ac nullum, præcise quia Chorepiscopi Presbyterali tantum, non vero Episcopali charactere insigniti erant, *Quia illi non habuerunt, dare non potuerunt, quoniam ex his eis quicquam agere non licet; quæ omnia summis Pontificibus debentur, & non Chorepiscopis, qui nec summi Pontifices, vel Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt... Quæ si ab eis, aut propter imperitiam, aut propter præsumptionem acta, ut prædictum est, ab imperitis esse putantur, a Cathedralibus tamen Episcopis reformanda, vel peragenda sunt, quia quæ illi in his agere cogitarunt, imperfecta remanserunt.... & ne alicui talis Ordinatio, vel Confirmatio, aut Consecratio, reiteratio esse videatur, attendat illud, quod scriptum est: Quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.* Non est (inquam) quod quis caput illud objiciat: nihil enim ex eo concluditur, quam istud, irritam nimirum esse Chrismatis consecrationem tentatam a Presbyteris, quos ea potestate Ecclesia suis canonibus interdixit.

ARTICULUS QUARTUS.

Quibus cæremoniis benedictio Chrismatis perficiatur?

NON omnes cæremonias, quæ ad sacrum Chrisma spectant, hic referemus, sed quatuor tantum, quæ nobis præcipue videntur.

1. Prioribus sæculis Episcopi qualibet die Chrisma consecrare poterant, *Episcopo sane* (inquit Concilium Toletanum 1. can. 20.) *certum est omni tempore licere Chrisma conficere*. Nec obstat Epist. secunda Fabiani Papæ, omnes enim eruditi conveniunt, eam esse opus octavi sæculi. Sed postea Feria V. in Cœna Domini huic benedictioni peragendæ electa fuit, *Quinta Feria Paschæ* (ait Zacharias Papa Epist. 12. ad Bonifacium,) *dum sacrum Chrisma consecratur*: Cur autem præ cæteris illa dies electa fuerit, id contigit (inquit S. Thomas 3. part. quæst. 72. artic. 12. ad 3.) *quia dies ille satis congruit ad materias Sacramentorum, quo fuit Eucharistiæ Sacramentum institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinentur.*

2. Presbyteri Parochiarum a proprio Episcopo, non autem a viciniore, sacrum Chrisma quotannis petere tenebantur, *Quandocumque jure Canonico* (verba sunt Concilii Liptinensis habiti anno 743.) *Episcopus circumierit Parochiam ad confirmandos populos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum, cum collectione, & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet. Et in Cœna domini semper novum Chrisma accipiat ab Episcopo.*

3. Quatuor in consecrando Chrismate apud Latinos observantur: Primo enim, preces funduntur juxta hæc Apostoli verba primæ ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei ...... sanctificatur per verbum Dei, & orationem.* 2. Super oleum & balsamum signum crucis efformatur,

Juenin de Sacram.

idque juxta veterem Patrum traditionem, inter quos hæc habet Augustinus tractatu 33. in Joannem, *Quod* (signum crucis) *nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo, quo Chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil horum rite perficietur.* 3. Episcopus aliquoties halat super ampullam Chrismatis; Ritum illum liber Sacramentorum S. Gregorii, & Ordo Romanus recensent; Quid autem significet, his verbis docet Amalarius lib. 1. cap. 2. *Halitus ab interioribus & secretis procedit in publicum & vocatur spiritus, in naribus ejus est, Pontifex per spiritum suum substantiam Spiritus sancti nuntiat in corpore assumpto a Divinitate inhabitare, cujus adventu renovata sunt omnia.* 4. Chrisma jam consecratum ab Episcopo, & a Presbyteris genuflexis in hunc modum salutatur, *Ave sanctum Chrisma*. Recensetur illa cæremonia in Ordine Romano, & ab Amalario, adhibeturque in signum gaudii, ut cum Paula salutavit Bethleem cum eam primo vidit. Ad Christum ipsum refertur cujus Chrisma est symbolum: unde immerito Calvinus, aliique sectarii Ecclesiam Romanam propter ejusmodi ritus usum, idololatriæ criminis insimulant.



QUÆSTIO TERTIA.

De forma Confirmationis.

TRIA erunt hujusce quæstionis capita. Proferemus in priore hæreticorum de Confirmationis forma sententiam. In altero agemus de forma, qua inter confirmandum Orientales utuntur. In tertio de ea dicemus, quam Latini adhibere consueverunt.

CAPUT PRIMUM.

Quid hæretici de Confirmationis forma senserint?

HÆretici, qui decimo sexto sæculo in Ecclesiam Catholicam rebellarunt, multa de forma Confirmationis dixere, quæ hic exscribenda sunt.

1. Kemnitius in examine Concilii Tridentini contendit 1. formam Confirmationis *nulla niti Scriptura*: 2. *Hæc verba*, Signo te &c. *non modo neque ab Apostolis fuisse usurpata, sed nec in vetustis Scriptoribus, nec in canonibus expressa*: 3. Asserit *eam formam fabricatam imo adulteratam fuisse a posteris, ex Ambrosii sententia, de his qui initiantur.*

2. Calvinus docet 1. in nostra Confirmatione non reperiri verbum, quod ex Augustino, cum ad elementum accedit, facit Sacramentum: 2. scribit in Scripturis nihil legi, quod isti formulæ *Consigno te &c.* faveat, *Peragitur* (inquit Institutionum lib. 4. cap. 19. §. 5.) *hæc Confirmatio hac verborum formula*, Consigno te &c. *Pulchre hæc omnia & venuste. Sed ubi Dei verbum, quod Spiritus sancti præsentiam hic promittat? ne jota quidem ostendere possunt. Unde ergo nos certiores facient, Chrisma suum esse vas Spiritus sancti? Videmus oleum, crassum scilicet & pinguem liquorem: præterea nihil. Accedat* (inquit *Augustinus*) *verbum ad elementum, & fiet Sacramentum. Hoc* (inquam) *verbum proferant, si quicquam nos intueri in oleo velint quam oleum.*

3. Spalatensis hæc duo scribit: primum: *Scriptura nihil haberi sive certum, & definitum, quibus verbis sit utendum, vel usi sint Apostoli in danda Confirmatione; sive incertum, & indefinitum, puta orandum esse, vel benedicendum.* Secundum: *Orationem non posse esse formam Sacramenti, quia oratio impetrat gratiam ex opere, quod ajunt operantis: & formæ sacramentorum eam conferunt ex opere operato.*

4. Hæc in hujusce Sacramenti formam Dallæus Carentonensis Minister, referente Sambovio, effutiit: *Nihil in omnibus Scripturis divinis extat simile verbis istis conceptis*, Consigno te signo crucis &c. *Sed etiam ab Evangelii majestate, gravitate, atque genio tantum distant,*

 quan-

quantum cœlum a terra abest; neque ipsos, qui hæc dogent, atque defendunt, revera sic a Christo institutam (formam) *præceptamque fuisse putant*.

Hic velim Lector observet Kemnitium, Calvinum, & Dallæum supponere de fide esse apud omnes Catholicos verba hæc *signo te signo crucis &c.* esse essentialem Confirmationis formam: Quod quidem, ut inferius ostendemus, est falsum. Observet iterum ideo sectarios illos nihil dixisse de oratione, in qua non ignoti nominis Theologi docent, sitam esse formam Confirmationis, quod adverterint eam Scriptura niti, orabant nimirum Apostoli cum Neophytis manus imponebant.

CAPUT SECUNDUM.

De forma Confirmationis apud Græcos.

GAbriel Philadelphiensis Episcopus in suo tractatu de Sacramentis docet; Confirmationis formam esse orationem, qua Chrisma consecratur; sic enim apud Arcudium loquitur, *Forma unguenti sunt verba Pontificis, quæ dicuntur super unguentum, & quæ vim habent illud informandi.* Mox laudatus Arcudius, Goarius, multique alii putant, formam, de qua agitur, esse hæc verba, *Signaculum donationis, sive, doni Spiritus sancti.* Doctissimus Sambovius, R. P. Natalis Alexandri, quibus plurimi alii subscribunt, censent esse eam orationem, quæ in Euchologiis unctionem Neophyti præcedit, quæque sic incipit, *Benedictus es Domine Deus Omnipotens.*

Conclusio 1. Oratio, per quam Chrisma consecratur, non est apud Græcos Confirmationis forma.

Probatur 1. Confirmatio non est Sacramentum permanens, sed transiens, seu non subsistit ejus natura, nisi cum actu subjecto applicatur soli quippe Eucharistiæ proprium est; ut licet nemo ea utatur, sive quamvis eam nemo edat, veri Sacramenti rationem habeat. Atqui in sententia, quam impugnamus, Confirmatio esset Sacramentum permanens; ex materia enim, & forma ab usu independentibus constaret, adesset nimirum Chrisma conjunctum cum impositione manuum, & oratio, qua consecratur, quæque ex adversariis ante Neophyti inunctionem, formæ locum tenet.

Pobatur 2. Confirmatio data a Sacerdotibus charactere Episcopali non insignitis apud Græcos nunc valet, valuitque antiquitus, ut suo loco probabitur: Atqui illa disciplina non cohæret cum opinione, quam hic confutamus. Ut enim valeat administrata a Presbyteris Confirmatio, necesse est ut illius formam proferant; quemadmodum, ut quis baptizet, requiritur, ut ipsemet Baptismatis formulam proferat. Sed in suppositione adversariorum Presbyteri Græci non proferent Confirmationis formulam; ipsi enim Chrisma, quo Neophytos inungunt, nequaquam consecrant; quippe qui illud a suis Patriarchis consecratum accipiant; quod quidem jam 9. sæculo factitabant, ut in altera Photii ad omnes Episcopos Epistola videre est.

Nec alicujus est roboris, quod nonnulli scriptores reponunt, nempe Presbyteros Græcos eo sensu dici ministros Confirmationis, quod Sacramentum jam confectum recenter baptizatis dispensent: unde concludunt non requiri, ut ipsimet illius formulam proferant; quemadmodum non oportet, ut Eucharistiæ formam Sacerdotes pronuncient, dum ab aliis confectam populo dispensant. Nullius (inquam) est ponderis illa responsio, nam alioquin dispensata a laicis Confirmatio valeret, quemadmodum valet Eucharistia: Sacramentum quippe, quod jam confectum est, valet a quocumque distribuatur: At valeret datam a laicis Confirmationem nullus unquam asseruit, nec deinceps audebit afferere.

Objicies 1. Antiqui Patres Græci, orationi, per quam Chrisma ex prophano fit sacrum, adscripserunt vim, ac virtutem Spiritum sanctum Neophytis conferendi. In eam sententiam Cyrillus Hierosolymitanus abiisse videtur Catechesi 3. Mystagogica, ubi hæc scribit, *Quemadmodum panis Eucharistiæ post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi: Sic & sanctum hoc unguentum, non amplius est unguentum nudum, neque commune, postquam jam consecratum est, sed est Chrisma, quod Christi, & Spiritus sancti Divinitatem, & ejus præsentiam efficit.*

Respond. eo quidem Cyrilli textu probari, Chrisma post consecrationem esse efficax & operatorium; sed in actu primo (ut ajunt) & remote; at eo nequaquam evincitur ipsum proxime, & in actu secundo operari; seu, quod idem est, per Ecclesiæ orationem a rebus prophanis segregatur quidem, quippe quod ad operationem sacram, sicut aqua baptismatis per solemnem benedictionem, destinetur; Sed quemadmodum eadem aqua in Catechumeno, nonnisi dum applicatur, gratiam producit; ita nec sacrum Chrisma, nisi cum Neophytus actu inungitur.

Objicies 2. Recentiores Græci passim asserunt, Confirmationis formam esse verba, quæ a Pontifice super unguentum proferunt. Præter Gabrielem Philadelphiensem, cujus textum superius retulimus, laudantur Simeon Thessalonicensis Archiepiscopus, Nicolaus Cabasillas, Marcus Ephesinus, Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in suo secundo responso ad Tubigenses cap. 4.

Respond. nullius esse momenti recentiorum illorum Orientalium testimonium. Hac enim in causa (inquit Arcudius) sicut & in multis aliis ab avita Patrum Græcorum doctrina, & veteri traditione recesserunt.

Conclusio 2. Oratio, quæ Neophytorum Chrismationem in Euchologiis immediate præcedit, unica est essentialis apud Græcos Chrismatis formula.

Probatur 1. Oratio, quæ apud Græcos Neophytorum unctionem immediate præcedit, eodem modo, eadem ratione in omnibus eorum Euchologiis legitur. 2. Ea ratione Sacramenti minister expresse petit a Deo Confirmationis effectum, virtutem nimirum, qua Neophytus in fide corroboretur, *Ipse Domine Rex* (termini sunt, ex quibus ea oratio constat) *omnium benigne; signaculum doni sancti, & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus, & sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi tui communionem ei largire. In sanctitate tua custodi illum, in vera fide confirma*, 3. Oratio, quæ a Græcis funditur maxime convenit cum forma, qua Latini utuntur; ista enim (ut mox dicemus,) non aliud est, quam orario, per quam Pontifex Spiritum Sanctum ad robur invocat. Quæ in conclusionem moveri possunt argumenta, solventur inferius.

CAPUT TERTIUM.

De forma Confirmationis apud Latinos.

NON una est Theologorum sententia de essentiali apud Latinos Confirmationis formula: Theologi, qui censent, solam impositionem manuum esse adæquatam hujus Sacramenti materiam, docent illius formam olim fuisse, & nunc etiam esse orationem, qua Episcopus Neophyto manum imponens Spiritum sanctum ad robur invocat; Scholastici, quibus sola unctio chrismatis videtur esse Confirmationis materia, putant illius formam his solum verbis contineri, *Signo te signo Crucis & confirmo te chrismate salutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Aliqui ex authoribus, quibus uterque ritus, impositionis scilicet manuum & unctionis chrismatis ad Confirmationis substantiam pertinere videtur, volunt adæquatam illius formam constare ex oratione, quæ in Pontificali Romano impositionem manuum comitatur, ac verbis, quæ proferuntur, dum Neophyti frons inungitur.

Ut nostram hac de controversia mentem explicemus, tria subjiciemus examini: 1. utrum Ecclesia Occidentalis inungens Neophytorum frontem hæc verba, *Signo te signo Crucis &c.* semper adhibuerit? 2. utrum eadem verba his temporibus, saltem inadæquate, essentialem Confirmationis formam constituant? 3. an oratio, quæ impositionem manuum comitatur olim fuerit, & nunc sit una ejusdem Sacramenti forma?

AR-

Articulus Primus.

Utrum Eccleſia Occidentalis hæc verba, Signo te ſigno Crucis &c. *ſemper adhibuerit?*

CONcluſio Eccleſia Occidentalis in confirmationis collatione, hæc verba, *Signo te, &c.* ſemper non ubhibuit.

Probatur 1. argumento negativo. In monumentis Eccleſiaſticis, quæ ante ſæculum ſeptimum exarata ſuot, nullum omnino verborum, de quibus agitur, veſtigium reperire eſt. 2. argumento poſitivo. Verba, de quibus eſt quæſtio, cœperunt adhiberi circa ſæculum octavum, at non ante illam ætatem. Prior propoſitionis pars oſtenditur ex eo, quod antiquus Ordo Romanus, qui illam ætatem ſapit, hæc habeat, *Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex Chriſmate in ſingulorum frontibus, ita dicendo: Confirmo te In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Altera vero pars probatur ex eo, quod ante veterem illum Ordinem Romanum, altum ſit ubique de indicativis illis verbis, *Confirmo te*, ſilentium.

Quæres 1. Utrum in omnibus Eccleſiis Latiois ritus antiquo Ordine Romano præſcriptus olim obtinuerit?

Reſpond. negative. Primo enim in Eccleſia Trevirenſi, cui ſæculo nono præerat Amalarius Pontifex Neophytorum frontem inungens verbis, de quibus agitur, non utebatur: imo dubium eſt, an in omnibus Romani Ordinis exemplaribus legerentur, ea nimirum laudatus Archiepiſcopus prætermittit, ritum ex ordine præſcriptum referens, *Dicit Romanus libellus: de quo ſæpe commemoravimus*, (inquit Amalarius lib. 1. de Officiis cap. 27.) *Oratione expleta facit crucem cum pollice ex Chriſmate in ſingulorum frontibus, ita dicendo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* 2. In Francorum Eccleſiis Pontifices ſæculo octavo, verba illa indicativa non adhibebant; Alcuinus, qui de divinis officiis ſcribebat circa annum 778. aſſerit, ſolam Sanctiſſimæ Trinitatis invocationem ſua ætate prolatam fuiſſe ab Epiſcopo, dum Neophytum chriſmaret, ſic enim loquitur in capite de Sabbato ſancto, *Hac finita* (oratione) *facit* (Epiſcopus) *crucem de Chriſmate cum pollice in ſingulorum frontibus ita dicendo, In nomine Patris, & Filii, & Spiritu ſancti. Pax tibi; Reſpondent omnes: Et cum ſpiritu tuo.* 3. Apud Anglos indicativa hæc ſententia: *Confirmo te, &c.* non proferebatur, eſſe Anglicanum aute annos 800. deſcriptum, & in Rothomagenſi Eccleſia aſſervatum de ritu Confirmationis nihil habet præter benedictionem iſtam, *Benedicat vobis Omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit; & vobis in Baptiſmate per Spiritum ſanctum remiſſionem omnium peccatorum tribuit. Amen. Qui eumdem Spiritum in igneis linguis diſcipulis ſuis dedit, illius illuſtratione corda noſtra perluſtret, atque in ſui amorem jugiter accendat, Amen. Quatenus ejus dono a cunctis vitiis emundata, ipſiuſque opitulatione ab omnibus adverſitatibus defenſi, templum ipſius effici mereamur, Amen. Quod ipſe præſtare dignetur.*

Quæres 2. quo præciſe tempore verba indicativa, *Signo te, Confirmo te, &c.* apud Occidentales uſurpata fuerint?

Reſpond. Illum ritum ubique apud Occidentales a duodecimo ſaltem ſæculo uſurpatum fuiſſe. In Pontificali, quo Eccleſia Rothomagenſis circa annum 1150. utebatur; in eo etiam ad cujus normam Confirmatio in Eccleſiis Toloſana, & Turonenſi circa anoum 1250. conferebatur, tota, ac integra legitur Confirmationis forma, prout habetur in Eugenii IV. decreto pro Armenorum inſtructione, *Conſigno te* (inquit laudatus codex Toloſanus) *ſigno crucis, & confirmo Chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Pax tecum, & cum ſpiritu tuo.* Eccleſiarum Toloſanæ, Rothomagenſis, & Turonenſis praxim, quoad præcipuas ejus partes, aliæ celebres Eccleſiæ non multo poſt amplexæ ſunt: id colligitur ex hocce teſtimonio Alexandri de Hales, qui obiit anno 1245. Hæc nimirum habet 4. part. ſuæ Summæ quæſt. 9. membro 1. *Hujus Sacramenti* (Confirmationis) *ſecundum conſuetudines diverſarum Eccleſiarum, diverſæ ſunt formæ verborum; Habet enim quædam Eccleſia formam.* Confirmo te ſigno crucis, & charactere ſanctificationis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. *Alia eſt iſta.* Confirmo, & conſigno te ſigno crucis, & Chriſmate ſanctificationis, in nomine Patris, &c.

Articulus Secundus.

Utrum hæc verba indicativa, Signo te ſigno crucis, & Confirmo te, &c. *apud Latinos his temporibus ad eſſentialem Confirmationis formam pertineant?*

COnclufio. Hæc verba indicativa, *ſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, non ſunt his temporibus apud Latinos eſſentialis forma Confirmationis.

Probatur 1. Verba, de quibus agitur, non erant quondam eſſentialis forma Confirmationis, cum ante ſextum ſeculum inter confirmandum adhibita non fuerint: Ergo nec his temporibus ſunt eſſentialia Confirmationi, nam formæ Sacramentum, utpote in ſpecie determinatæ a Chriſto, ſunt immutabiles, proindeque eædem ſemper ſint, ac fuerint oportet.

Reſpondent nonnulli, verba de quibus eſt quæſtio, idem omnino eſſe ſecundum ſubſtantiam cum antiqua Confirmationis forma; non eſſe vero idem ſecundum modum, quippe quæ his temporibus indicativo modo proferantur, cum e contra vetus forma eſſet omnino deprecativa; At mutatio ſecundum modum ſufficit (ajunt illi authores) ut verba, quæ olim erant eſſentialis forma alicujus Sacramenti, jam non ſint hujuſmodi. Reſponſum illud confirmare ſibi videntur paritate ſumpta ab abſolutione a peccatis, quæ licet antiquitus modo deprecativo prolata valeret, multis tamen abhinc ſæculis non valere Theologi probant, cum agunt de Pœnitentiæ Sacramento.

Sed neminem Theologum movere debet illa reſponſio. Ratio eſt, quia nullo in Concilio ſancitum eſt, nullo in ſummorum Pontificum decreto declaratum fuit, modum indicativum eſſe conditionem, qua omiſſa, Confirmationis Sacramentum non valeat; ut id de abſolutione ſacramentali in Synodo Tridentina Seſſ. 14. cap. 3. declaratum, ac ſancitum fuiſſe, non ignoti Theologi contendunt.

Probatur 2. noſtra concluſio ex eo, quod Scholaſtici, qui formam, de qua diſputatur, Confirmationi eſſentialem eſſe dictitant, non conveniant quinam e terminis, ex quibus conſtat, abſolute, ac ſub Sacramenti periculo requirantur. Primo enim nonnulli aſſerunt iſta, *Signo te ſigno crucis*, cum characterem deſignent, non eſſe neceſſaria, ut Confirmatio valeat; Siquidem (inquiunt) abſolute non requiritur, ut characteris productio in Sacramenti forma exprimatur, ut patet in baptiſmate, in cujus forma nullum eſt characteris ab ipſo producti veſtigium. Docent 2. aliqui hæc alia, *Chriſmate ſalutis*, non eſſe quoque neceſſaria ſub pœna nullitatis, eo quod (ajunt) expreſſio materiæ, quam illa verba continent, in forma Sacramenti non debeat neceſſario reperiri, ut in Baptiſmo, & Ordine evidentiſſime patet. 3. Diſtincta trium perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis invocatio apud Græcos, dum Neophytos confirmant, non eſt in uſu, nec erat antiquitus apud Latinos (ut ſupra demonſtratum eſt.) Ergo ea diſtincta invocatio apud Latinos his etiam temporibus eſſentialis cenſeri non debet. Principium, quo illud conſequens nititur, ex noſtra de Sacramentis in genere Diſſertatione ſupponimus. Præterea non pauci etiam ex iis authoribus, qui docent Indicativum modum his terminis expreſſum, *Signo te, &c.* abſolute nunc requiri, abſque diſtincta Trinitatis invocatione Confirmationem valere contendunt. Lector Eſtium hac de re differentem audire poterit. 4. Supereſt igitur, ut eſſentia formæ Confirmationis, in ſuppoſitione quam impugnamus, reducatur ad hæc duo verba. *Confirmo te*, utpote, quæ Sacramenti primarium effectum,

ro-

robur scilicet ad confitendam fidem datum explicent. Sed ea adversariorum ratione nihil est levius, cum illud robur exprimatur, & quidem clarius, quam duobus illis terminis, *Confirmo te*, exprimatur (loquam) in oratione, quæ Neophyti chrismationem præcedit; ea scilicet oratione (ut subsequenti articulo dicemus) expresse ab Episcopo septiformis gratia S. Spiritus invocatur.

Objicies, authoritatem Eugenii Papæ IV. qui in decreto pro instructione Armenorum hæc ait, *forma autem* (Sacramenti Confirmationis) *est*, SIGNO TE SIGNO CRUCIS, ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALUTIS, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Ergo hac ætate verba illa indicativa, ac absoluta formam Confirmationis constituunt.

Respond. Eugenii decretum de forma integrali, non autem de essentiali intelligi debere. Ratio est 1. quia si eo loci Eugenius de essentiali forma ageret, omissis, vel distincta Trinitatis invocatione, vel his verbis, *Signo te signo crucis*, vel his aliis, *Chrismate salutis*, Sacramentum non valeret; quod tamen plerique ex iis, quos impugnamus, inficiantur. 2. Eugenius rem, quæ ad meram disciplinam pertinet Armenos docuit; eo nempe tendit ejus scopus, ut quantum potuit, Armenos ad ritus in Ecclesia Occidentali observari solitos adduceret. 3. Irrita esset, quæ nunc a Græcis datur Confirmatio, quippe qui iis verbis, quæ objiciuntur ex Eugenio, non utuntur. Eam solutionem tradidit R. P. Alexander Dominicanus, sic enim Dissert. 10. in Historia Eccles. sæculi secundi loquitur, *Cum itaque tanta sit quoad verba, quæ Chrismationem comitantur, in antiquis ritualibus, & Ecclesiasticis monumentis varietas, apparet hanc formam*, Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, *accidentariam esse Confirmationi, & ab Eugenio IV. Armenis post Concilium Florentinum tradita: non quod huic Sacramento essentialis existimaretur, sed quod Romanæ Ecclesiæ solemne esset illa verba proferre post orationem invocantem septiformem Spiritum sanctum super confirmandos: volebat autem Eugenius Armenos ad Ecclesiæ Romanæ ritus traducere.*

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Oratio, quæ manuum impositionem comitatur, olim fuerit, & nunc sit apud Latinos essentialis forma Confirmationis?

CONclusio 1. Oratio, quam Episcopus profert, extensis versus confirmandos manibus, qua Spiritus sanctus invocatur ad robur, quæque in Pontificali Romano chrismatis unctionem præcedit, a Christo ad duodecimum usque sæculum germana fuit apud Latinos Sacramenti Confirmationis forma.

Probatur argumento, quo supra usi sumus, ut probaremus, tum impositionem manuum, tum Chrismationem esse hujusce Sacramenti materiam, non integralem, sed essentialem. Illa solum verba per 12. priora sæcula fuerunt essentialis materia Confirmationis apud Latinos, quorum dumtaxat illorum temporum Patres Latini meminere, & quibus Sacramenti effectum adscripsere. Atqui Patres Latini, qui 12. prioribus sæculis floruerunt, de Confirmatione agentes meminerunt solius orationis, qua Spiritus sanctus ad robur invocatur, illique soli Sacramenti effectum adscripserunt: Ergo, &c. Minor argumenti propositio enumeratione demonstratur.

1. Scriptura, cum de Confirmationis verbis agit, deprecatoria tantum recenset, *Cum autem* (inquit Lucas Actorum 8.) *audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserant ad eos Petrum, & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*. Nec est quod quis respondeat orationis vocabulo significari quemcumque sermonem, sive absolutus sit, ac indicativus, sive deprecatorius, proindeque nullius esse roboris argumentum. Primo enim ex his verbis Jacobi de Extrema-unctione agentis, *Et orent super eum ... Oratio fidei alleviabit infirmum*, Theologi concludunt, Extremæ-unctionis formam esse deprecativam. Ergo idem concludere debent ex iis, quæ Lucas in Actis de Confirmatione agens recenset. 2. Nullo monumento probari potest absolutis aliquibus verbis, Apostolos eorumque immediatos successores, dum hocce Sacramentum conferrent, usos fuisse: Ergo orationis nomine, de qua Lucas, sermo deprecatorius, non autem absolutus, intelligi debet.

2. Cyprianus, qui tertio sæculo vixit, de illo Petri, & Joannis facto scribit Epistola 73. ad Jubajanum, *Tantummodo quod deerat, id a Petro, & Joanne factum est, ut oratione pro iis habita, & manu imposita invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus sanctus, quod nunc quoque apud nos geritur, &c.*

3. Ambrosius, qui quarto sæculo claruit, de Sacramentis lib. 3. cap. 3. hæc habet, *Sequitur Spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem* (intellige Baptismum) *sequitur, ut perfectio* (per Confirmationem) *fiat, quando ad invocationem Sacerdotis* (loquitur, vel de Episcopo, qui eminenter Sacerdos dicitur, vel de simplici Presbytero hujus Sacramenti ministro extraordinario) *Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ, & intellectus*. Invocatio orationem, non autem quidpiam absolutum designat.

4. Eodem loquendi modo usus est Hieronymus in suo contra Luciferianos dialogo, *Hæc est* (inquit) *consuetudo Ecclesiarum, ut Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurrat*.

S. Augustinus, qui quinto sæculo scripsit, sic loquitur, *Nullus aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum* (quibus quidem verbis formam absolutam, *Confirmo te*, per quam ministri Confirmationis significant se dare Spiritum sanctum, excludere videtur) *orabant*, quippe, *ut venirent in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis præpositis, etiam nunc servat Ecclesia*.

6. Gregorius Magnus, qui desinente sæculo sexto Romæ sedit, in suo Sacramentorum libro sic Confirmationis ritum describit, *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma, involutis scapulis, & brachiis ex panno lineo, & levata manu sua super capita omnium dicit*: Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, & Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum: Emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cœlis, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii, & fortitudinis, Spiritum scientiæ, & pietatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum: *Et interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes sigillatim. Quibus expletis jussi incipiunt in Ecclesia letaniam ternam.*

Illo Gregorii contextu duo docemur. 1. Pontificem, dum Neophytos chrismate inungeret, circa finem sæculi sexti nulla omnino verba proferre solitum fuisse. 2. Orationem, *Omnipotens, &c.* quæ chrismatis unctioni præmittebatur, solam fuisse ritus partem, quæ Confirmationis effectum, collationem scilicet Spiritus sancti ad robur, & christianitatis perfectionem exprimebat, quæque consequenter sola hujus Sacramenti forma eo sæculo esse poterat. Amalarius, Alcuinus, Isidorus, cæterique, qui ad 12. sæculum vixere, eadem ratione Confirmationis ritum describunt, ut hujusce quæstionis cap. 4. observatum fuit; iis igitur authoribus persuasum fuit, essentialem Confirmationis formulam esse, non absolutam, sed deprecativam tantum.

Objicies. Forma materiæ applicationem aut comitari, aut subsequi debet. Id in baptismo, aliisque Sacramentis evidenter patet: Id quoque colligitur ex eo, quod forma ad productionem effectus spiritualis materiam Sacramentalem determinet, proindeque oportet, ut simul cum ea existat, aut eam immediate subsequatur; Neque enim possemus a priori de-

determinatur. Sed oratio, de qua in conclusione, præcedebat olim, & nunc etiam præcedit unctionem chrismatis, quæ Sacramenti, saltem inadæquata est materia. Ergo, &c.

Respond. 1. solam formam, quæ ministri actum exteriorem exprimit; ut hæc verba, *Ego te baptizo*, quæ ablotionem, quæ fit in baptismate exprimunt, debere materiæ applicationem comitari: Sed contendo id non esse absolute necessarium in ea, quæ ministri actionem non exprimit, quam quidem actionem, chrismationem dico, antiqua, de qua agitur, Confirmationis formula deprecatoria non exprimebat.

Respond. 2. Orationem, de qua est quæstio, unctionem chrismatis præcedere quidem tempore, non autem virtute; orat quippe minister, ut eo instanti, quo frontem Neophyti est inuncturus, Deus illi septiformem Spiritum infundat.

Conclusio 2. Forma Confirmationis apud Latinos, his etiam temporibus, non aliud est, quam oratio, quam profert Episcopus extensis versus confirmandos manibus.

Probatur 1. Illa oratio quondam (ut ostensum fuit) unica erat apud Latinos Confirmationis forma: Ergo & hac etiam ætate, cum Ecclesia posterioribus sæculis nihil statuerit, quo illam veterem formam irritam fecerit. 2. Cum hisce in verbis absolutis, *Signo te signo crucis*, *&c.* forma hujus Sacramenti posita non sit (ut præcedenti articulo ostendimus) necesse est, ut sola oratione, de qua conclusio, contineatur, cum in toto administrandæ Confirmationis ritu nulla alia verba reperire sit, quæ Sacramenti virtutem, nempe Spiritus sancti collationem ad robur exprimant.

QUÆSTIO QUARTA.

De Ministro Confirmationis.

RECentiores omnes hæretici, Lutherum dico, Zuinglium, Calvinum, Socinum, contendunt ritum, quem Confirmationis Sacramentum dicimos, non fuisse institutum a Christo nec secundum materiam, nec secundum formam, nec secundum effectum, quem Catholici doctores illi adscribunt: Uno scilicet ore asserunt, impositionem manuum, nunc otiosam esse cæremoniam, unctionem chrismatis esse figmentum humanum omni destitutum efficacia: E contra sacrum illum ritum a Christo Domino institutum fuisse, & secundum materiam, & secundum formam, & secundum effectum Catholica Ecclesia olim credidit, & nunc etiam profitetur. Hic Divinam illam institutionem illi cæremoniæ sensibili vindicabimus, ac tempus, quo facta est, determinare conabimur.

Conclusio. Christus Confirmationem instituit.

Probatur 1. ex tractatu de Sacramentis in genere, ubi singula novæ legis Sacramenta a Christo quidem immediate instituta fuisse ostendimus. 2. Constat ex Actis, Apostolos Confirmationem Neophytis contulisse: Certum est quoque ex Traditione illius usum ab Ecclesiæ incunabulis ad hanc usque ætatem sine intermissione perdurasse: Est etiam extra omne dubium illius collationi productionem gratiæ sanctificantis conjunctam fuisse. Ea enim omnia patent ex dictis superius de materia, & de forma hujus Sacramenti, patebuntque rursus ex iis, quæ suo loco de illius effectu dicentur. Atqui nec Apostoli, nec Patres illum ritum, tam accurate semper, & ubique observassent, nec fuissent testati se per illum conferre Spiritum sanctum Neophytis, nisi eum imperavisset Christus ipse, ac illius applicationi se gratiam perpetuo conjuncturum promisisset; Alioquin, (quod absit) fidelibus fuissent scandalo; vana ritus, quem tamen efficacem dixerunt, umbra Pastores ovibus suis quovis sæculo illusissent.

Conclusio 2. Christus nec die sacra Pentecostes, quæ mortem illius proxime subsecuta fuit, nec pridie mortis, sed post resurrectionem tantum Confirmationem instituit.

Probatur prior pars. Die sacra Pentecostes Confirmationis Sacramento Apostoli insigniti non fuerunt; cum nec illius forma, nec materia eis applicata fuerint; quamvis tamen tunc a Deo immediate, & non per aliquod signum sensibile, hujusce Sacramenti effectu, seu Spiritu sancto ad robur donati fuerint.

Probatur altera pars. 1. Scholastici, qui opinioni de qua agitur, patrocinantur, nullo nituntur fundamento: Primo enim non est, quod laudent Fabianum Papam, qui Epist. 2. cap. 1. hæc scribit: *Illa die Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a sanctis Apostolis prædecessores nostris acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.* Nam ratum est apud doctos omnes, eam Epistolam non esse Fabiani fœtum, quippe quæ (ut de aliquibus alius jam observatum est) circa octavum sæculum fabricata sit. 2. Opinioni, de qua est hic quæstio, non favet praxis Ecclesiarum Latinarum, quæ die sacra Cœnæ Domini, veteri chrismate combusto, novum ex antiqua Patrum traditione consecrant: Siquidem (ut S. Thomas advertit) ea die chrisma consecratur, ut Episcopi illud ad Parochos mittant, qui Sabbato sancto, saltem secundum perventustam praxim, solemne baptisma conferebant, ac proinde Neophytorum verticem chrismate consecraro inungebant.

Probatur tertia pars 1. ex eo, quod aliud tempus ab eo, quod a Resurrectione ad Ascensionem fluxit, Confirmationis institutioni vix assignari possit. 2. Huc flecti potest celebris hæc Leonis Magni senteotia, sermone primo de Ascensione, ubi sic loquitur. *Hi dies, qui intra Resurrectionem, Ascensionemque fluxerunt, non otiose transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria.*



QUÆSTIO QUINTA.

De Authore Confirmationis.

QUæstionem hanc in duo capita partiemur. In priore agemus de Ministro ordinario Confirmationis, & in altero de Ministro illius extraordinario disseremus.

CAPUT PRIMUM.

De Ministro ordinario Confirmationis.

QUam hocusque servavimus methodum, hic iterum ad praxim reducemus: proponemus nimirum 1. hæreticorum errores de ordinario Confirmationis Ministro: 2. de eodem Ministro fidem Ecclesiæ Catholicæ expendemus, ac probabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Recitantur heterodoxorum errores de ordinario Confirmationis Ministro.

VEritatem Catholicam de ordinario Confirmationis Ministro varii sectarii variis temporibus impugnasse leguntur.

1. Photius pseudo-patriarcha Constantinopolitanus sæculo nono Confirmationis collationem eodem jure Presbyteris simplicibus adscripsit, quo baptismatis administrationem; sic enim Epistola ad omnes Episcopos data loquitur de facto Nicolai Papæ I. qui per suos legatos in Bulgaria, iterata confirmatione consecravit Neophytos, quos Presbyteri Photiani jam confirmaverant. *Non licet Sacerdotibus (ajunt) Latinis, eos, qui sacro Baptismate initiantur, unguento sanctificare, solis enim Pontificibus hoc datum esse: Unde venit hæc lex? & quisnam hujus legis conditor? Apostolorum aliquis? an vero Patrum? num etiam aliqua ex* Syno-

Synodis? non licet Sacerdoti eos, qui baptizantur, unguento signare; igitur, neque omnino baptizare, neque sacra facere.

2. Vualdenses pati non potuerunt, ut Episcopis confirmandis jus ordinarium tribueretur: *Miratur* (inquit Reynerus de illis agens) *quare solis Episcopis liceat confirmare.*

3. Vvicleſiſtæ, & Huſſitæ eidem, cui Vualdenses, errori patrocinati sunt; unde (ut agentes de hujusce Sacramenti eſſentia observavimus) hunc Vvicleſi articulum Concilium Conſtantienſe proſcripſit, *Confirmatio juvenum... reſervatur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis.* Nec mirum eſt, quod Vvaldenſibus, Vvicleſiſtis, ac Huſſitis error ille arriſerit, quippe qui poſt Aerium cenſuerint inter Episcopum, & Presbyterum nullum diſcrimen intercedere.

4. Lutherus libro de captiv. Babylonica diſtinctionem Presbyterorum ab Episcopis ſubſannat, proindeque arguit Catholicos, quod iſtis tantum, non autem illis ordinarium in confirmationem jus tribuant, *Poſtquam* (inquit) *Sacramenta illa negotioſa, una cum verbo, aliis inferioribus, ut vilia reliquerunt, juſtum fuit, ut facile aliquid, quod tam delicatis, & magnis heroibus non eſſet moleſtum inveniremus... Nam quod humana ſtatuit ſapientia oportet, ut hominibus ſit honoratum.*

5. Calvinus totus eſt in explodendo dogmate Catholico. Lib. 4 Inſtitut. cap. 19. §. 10. hæc ſcribit, ſi *quis ab illis* (de Catholicis agit) *ſciſcitetur, unde tanta prærogativa Episcopis delata fuerit: quam rationem afferent præter ſuam libidinem?* Hæc iterum in ſua adverſus Concilium Trident. Antidoto, *Unde, quæſo probabunt Episcopis magis, quam reliquis Sacerdotibus convenire has partes, niſi quia incertis authoribus ita placuit.*

Articulus Secundus.

Proponitur, ac defenditur Eccleſiæ Catholicæ fidei de ordinario Confirmationis Miniſtro.

Concluſio. Solus Episcopus eſt ordinarius Confirmationis miniſter. Ita fide Catholica docemur.

Probatur ex Scriptura, qua Actorum nempe 8. & 19. docemur, Apoſtolos, qui ſoli tunc erant Episcopi, baptizatis Spiritum ſanctum tradidiſſe per manuum impoſitionem, quam ſuperius ipſummet eſſe Confirmationis Sacramentum oſtendimus.

Probatur iterum ex Traditione, quę fidem facit damnatos fuiſſe, ac proſcriptos Sacerdotes, qui Confirmationem diſpenſandi jus ſibi vindicare tentarunt.

1. Sæculo quinto quidam Presbyteri in Eccleſia Eugubiana Italiæ provincia id ſibi poteſtatis arrogarant; ſed eos ſic Innocentius Papa I. in Epiſt. ad Decentium Episcopum capite 3. compreſſit, *De conſignandis vero infantibus manifeſtum eſt non ab alio, quam ab Episcopis fieri licere. Nam Presbyteri, licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi; ut vel conſignent, vel paracletum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit, Petrum, & Joannem eſſe directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum ſanctum.* Loqui SS. Pontificem de Confirmationis Sacramento multa demonſtrant, 1. vox *conſignandi*, qua utitur; 2. Acta Apoſtolorum, quæ laudat; 3. collatio Spiritus ſancti, quam aſſerit per illam conſignationem dari; 4. quod immediate poſt chriſmationem in fronte recenſeat, *Nam* (inquit) *Presbyteris, ſeu extra Episcopum, ſeu præſente Episcopo baptizent, Chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Episcopo fuerit conſecratum: non tamen frontem eo eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum.*

Variis autem argumentis utitur, ut Presbyterorum Eugubianorum praxim, de qua conſultus fuerat a Decentio, probet auſum eſſe temerarium. Contendit ſcilicet illum Scripturæ, ac conſuetudini Eccleſiaſticæ adverſari, injurioſum eſſe Episcopali dignitati, quam Chriſtus ea prærogativa donavit. Miratur quod id muneris invaluerit illi Presbyteri, cum illud eſſe penes ſolum Episcopum manifeſtum ſit, ideſt ita evidens, ut neminem, qui attenderit, latere poſſit. Sed (inquies) ſi tam aperta res ſit, cur Decentius de ea dubitavit? Cur ſummum Pontificem de re omnibus certa conſuluit? Forte, quod cum abuſus ille ſub aliquibus ſuis prædeceſſoribus jam cœpiſſet, unius Romani Pontificis authoritate extirpari potuerit, *Idcirco reſpondemus* (ait Innocentius) *non quod te aliqua ignorare credamus: ſed ut majori authoritate, vel tuos inſtituas, vel ſi quis a Romanæ Eccleſiæ inſtitutionibus errant, aut commentas, aut indicare non differas: ut ſcire valeamus, qui ſint, qui novitates inducunt, aut alterius Eccleſiæ, quam Romanæ exiſtimant conſuetudinem eſſe ſervandam.*

2. Labente ſexto ſæculo, Eccleſiæ Calaritanæ Presbyteri idem jus, quod quinto Eugubiani ſibi arrogarant. In eos inſurrexit Gregorius Magnus, data ad Januarium Episcopum Calaritanum Epiſtola numero 9. lib. 3. præcepit, ut illi Presbyteri ab auſu temerario temperarent: *Presbyteri* (inquit) *baptizatos infantes ſignare in fronte ſacro Chriſmate non præſumant, ſed Presbyteri baptizatos infantes tangunt in pectore, ut Episcopi poſtmodum tangere debeant in fronte.*

Nec alicujus eſt momenti, quod nonnulli reponunt, nempe in aliquibus Manuſcriptis legi *baptizandos*, non vero, *baptizatos*, proindeque Gregorium non de unctione confirmatoria, ſed de cæremonia Eccleſiaſtica, quæ apud Sardinenſes invaluerat, locutum fuiſſe.

Et ſane præterquam quod paucis illis manuſcriptis opponi poſſit ingens aliorum probatiſſimorum numerus, in quibus *baptizatos* legitur, Gregorius altera, quam ad Januarium dedit, Epiſtola de baptizatis, non autem de baptizandis infantibus ſe in priore Epiſtola locutum fuiſſe profitetur; *Ut Presbyteri* (inquit) *etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant concedimus.*

Non plus habet roboris, quod aliqui heterodoxi reſpondent, Gregorium ſcilicet pro convellenda Sardinenſium uſu, unam ſuæ Eccleſiæ contrariam conſuetudinem laudaſſe, proindeque illi fuiſſe perſuaſum rem, de qua agebat, non juris Divini, ſed Eccleſiaſtici tantum eſſe. Si quidem Apoſtolica traditione, & inſtitutione Chriſti, conſuetudo hujuſmodi nitebatur, ut ſupra ex Innocentio ad Decentium ſcribente obſervavimus.

3. Suam de ordinario Confirmationis miniſtro doctrinam illi Pontifices hauſerant, non ex Scriptura modo, ſed & ex Patrum, qui præceſſerant, traditione. *Ut qui in Eccleſia baptizantur* (inquit Cyprianus Epiſt. 73. ad Jubajanum) *præpoſitis Eccleſiæ* (ideſt Episcopis,) *offerantur, &c.* Idem, aut ante Cyprianum, aut ſaltem non multo poſt docuerat Eliberitana Synodus: *Si ſupervixerit* (inquit can. 38. de baptizato abſque Episcopo in caſu neceſſitatis) *ad Episcopum eum perducat, ut per manus impoſitionem perfici poſſit.*

Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, aliique omnes omnium ſæculorum ſcriptores eidem dogmati patrocinati ſunt, eorum textus hic non refero, quod aut jam eos retulerim agens de hujuſce Sacramenti materia, & forma, aut quod inferius eos deſcripturus ſim, ubi de miniſtro extraordinario diſſeretur. Ex hactenus dictis patet, Concilium Tridentinum antiquam Eccleſiæ Catholicæ fidem confirmaſſe, non novum dogma cudiſſe, cum hunce tulit tertium de Confirmatione canonem Seſſ. 7. *Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Episcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.*

Objicies 1. Cum Apoſtoli Presbyteri ſimul, ac Episcopi eſſent, vix dignoſci poteſt eos, non tanquam Sacerdotes, ſed ſolum tamquam Episcopos, Confirmationis Sacramentum adminiſtraſſe. Ergo ex Scriptura, tam poteſt inferri Presbyteros illius eſſe miniſtros, quam id de Episcopis colligitur.

Reſpond. negando ant. Id enim, de quo agitur, poteſt concludi ex eo, quod inferiores miniſtri alia munera ſæpius obierint. Philippus Diaconus Catechumenos ba-

baptizavit, ac infidelibus prædicavit Evangelium, licet Apoſtolis illius diſpenſatio ſpecialiter credita fuiſſet juxta illud Pauli, *Non miſit me* (Chriſtus) *baptizare, ſed Evangelizare*: E contra inferiores miniſtri hoc munere, ſcilicet manus Neophytis imponendi, nuſquam Apoſtolorum ætate functi ſunt; ut obſervavit S. Chryſoſtomus in caput octavum Actorum, ubi ſic loquitur, *Poteſtatem quidem acceperunt* (alii ab Apoſtolis) *faciendi ſigna, non tamen Spiritum aliis dandi. Hoc erat in Apoſtolis ſingulare*: Unde Philippus Petrum, & Joannem in Samariam evocavit, ut a ſe, abſentibus Apoſtolis baptizatis manus imponerent.

Objicies 2. Ananias, non Epiſcopus, cum ante Pauli converſionem nullus ab Apoſtolis in Epiſcopum conſecratus fuiſſet, Ananias (inquam) Paulo manus impoſuit, contulitque Spiritum ſanctum, hæc enim habentur Actorum 9. *Imponens ei manus, dixit: Saule frater, Dominus miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, quà veniebas, ut videas, & implearis Spiritu ſancto*. Ergo impoſitio manuum collativa Spiritus ſancti aliis miniſtris, quam Epiſcopis permiſſa fuit.

Reſpond. 1. illam impoſitionem manuum non fuiſſe Confirmatoriam, quippe quæ præceſſerit baptiſmum, ſine quo irrita ſunt Sacramenta, quæ in acta tranſeunte conſiſtunt; non fuit tamen inutilis, conjuncta ſiquidem cum Ananiæ precibus Paulum ad recuperandum oculorum uſum,& ad gratiam baptiſmatis recipiendam diſpoſuit.

Reſpond. 2. Ananiam non dixiſſe, ſe a Chriſto fuiſſe miſſum, ut per manuum impoſitionem Paulo Spiritum ſanctum conferret, ſed ſimpliciter, ut viſum ei reſtitueret; daretque Spiritum ſanctum, & quidem per baptiſma, unde ſubditur, *Et ſurgens baptizatus eſt*.

Objicies 2. S. Ambroſius in caput quartum Epiſtolæ ad Epheſios hæc ait, *Apud Ægyptum Presbyteri conſignant ſi præſens non ſit Epiſcopus*: Illius autem conſignationis nomine Confirmatio intelligitur.

Reſpondet 1. Eſtius, ſuppoſititium illum Ambroſium Ægyptiorum conſuetudinem referre quidem, ſed non probare, quod nimirum abuſus eſſet, qui in illam regionem obrepſerat. Reſpondent 2. aliqui Thomiſtæ Presbyteros Ægyptios, tamquam miniſtros extraordinarios quarto ſæculo Confirmationem adminiſtraſſe.

Reſpondent 2. nonnulli alii Scriptores de jure Canonico optime meriti, prioribus ſæculis in Ægypto non multos extitiſſe Presbyteros, qui charactere Epiſcopali inſigniti non eſſent: idque (inquiunt) ideo obſervatum fuit, ut miniſtrorum exiguo tunc numero, & locorum diſtantiæ conſuleretur; quamvis tamen inter illos Presbyteros Epiſcopos unicus eſſet, qui Eccleſiæ, in qua verſabatur, regendæ præeſſet, quique ſolus proprie Epiſcopus vocaretur: Eam reſponſionem colligunt ex eo, quod Ægyptii ſine nova manuum impoſitione unum ex Presbyteris electum in ſede Epiſcopali collocarent, ut his verbis Hieronymus docere viſus eſt, *Alexandriæ a Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam, & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiore gradu collocatum Epiſcopum nominabant; quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diacon eligant de ſe quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent*. Ex eo nempe Hieronymi textu ſic authores, quos laudamus, ratiocinantur. Ratum eſt, absque impoſitione manuum neminem unquam conſecratum fuiſſe in Epiſcopum; ergo ante electionem, de qua Hieronymus, Presbyteri Ægyptii plerumque Epiſcopali dignitate fulgebant. Conſuetudo Presbyteratum, & Epiſcopatum ſimul conferendi, licet poſt Heraclam Alexandriæ immutata fuerit, ut liquet ex Hieronymi teſtimonio, tempore tamen, quo ſcribebat Ambroſiaſter, qui objicitur, in aliquibus maxime diſſitis Ægyptii regionibus obſervari potuit. An autem factum illud, quod ex Hieronymo ſupponunt anthores, quo referimus, an (inquam) veritate nitatur, de Sacramento Ordinis agentes expendemus.

Objicies 3. Hieronymus multa dicit, quibus ordinarium in confirmationem jus Presbyteris conceditur. 1. Epiſtola 84. ad Evagrium conceptis terminis aſſerit, Epiſcopum, excepta ordinatione, nullum in Eccleſia munus obire, quod Presbyter obire non poſſit, *Quid enim facit, excepta Ordinatione, quod Presbyter non faciat*: 2. Idem S. Doctor in Dialogo adverſus Luciferianos, fatetur quidem Epiſcopos, non autem Presbyteros ſolitos eſſe Confirmationem diſpenſare, ſed contendit, praxim illam jure Eccleſiaſtico non Divino invectam fuiſſe: *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui, diſce hanc obſervationem, ex ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini, Spiritus Sanctus ad Apoſtolos deſcendit: & multis in locis idem factitatum reperimus*. AD HONOREM POTIUS SACERDOTII, QUAM AD LEGIS NECESSITATEM. Ubi autem non eſt legis neceſſitas, nec Divinum jus habet locum, cum jus Divinum ſtrictam, ac indiſpenſabilem obligationem imponat.

Reſp. ad primum, quod quemadmodum Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium excepit ordinationem ex iis, quæ non poteſt Presbyter; ita & agens contra Luciferianos expreſſe Confirmationem excepit, *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus*, NISI PER MANUS EPISCOPI NON ACCIPIAT SPIRITUM SANCTUM, QUEM NOS &c. Senſus igitur Hieronymi ad Evagrium ſcribentis eſt, quod, præter ordinationem, pauca ſint ex iis, quæ facit Epiſcopus, quæ pariter a Presbyteris non fiant. Hieronymus ea in Epiſtola unum hunc ſcopum ſibi propoſuit comprimendi nimirum Diaconos, qui ſe Presbyteris exæquabant; at ut propoſitum exaqueretur, ſat fuit, ut in multis Presbyteros Epiſcopis pares faceret, nec fuit neceſſe, ut unam exciperet ordinationem ab officiis, quæ Presbytero, & Epiſcopo communia ſunt.

Reſp. ad ſecundum eum Sacerdotii honorem, cui ex Hieronymo, per poteſtatem confirmandi fuit conſultum, eſſe de jure Divino, ſeu Chriſtus, qui ordinarium jus in hocce Sacramentum Presbyteris conferre poterat, illo tamen ſolos Epiſcopos donavit, non quidem ex legis alicujus impoſita ſibi neceſſitate, ſed voluntarie omnino, pre ſummo nimirum, ac excellenti jure, quo in omnia novæ legis Sacramenta pollet; voluit ſupremus legiſlator, cui voluntas, una eſt, ac perfecta agendi ratio, ut prærogativa, de qua agitur, decoraretur Epiſcopatus, quo Sacerdotio, quod in eo eminet, ac perfectum eſt, maxima reverentia conciliaretur.

Objicies 4. Concilium Hiſpalenſe cap. 7. ea dicit, quæ vix cum ordinario jure in Confirmationem ſolis Epiſcopis conceſſo cohærent, ait enim, *Novellis, & Eccleſiaſticis regulis prohibitum eſſe ſimplicibus Sacerdotibus Paracletum Spiritum tradere fidelibus baptizatis per impoſitionem manuum, & Chriſmate baptizatorum frontem ſignaret*: Novellæ illæ, ac Eccleſiaſticæ regulæ jus divinum excludunt.

Reſp. 1. forte ante illam Synodum Presbyteros in Hiſpaniis per dalegationem Confirmationis Sacramentum adminiſtraſſe, qua quidom delegatione poſterioribus canonibus ſpoliati fuarant. Reſp. 2. Concilium *Novellas regulas*, quarum meminit, veteri teſtamento opponere, proindeque novum Teſtamentum deſignatum voluit. Agapius Cordubenſis, ut ſe officiis Epiſcopalibus exoneraret, Presbyteris jus fecerat altaria erigendi, ac conſecrandi baſilicas. Concilium in antiquo Teſtamento cautum fuiſſe aſſerit, *In divinis enim litteris præcipiente Domino, ſolus Moyſes in tabernaculo Dei erexit altare, ſolus ipſe unxit, utique quia ſummus Sacerdos Dei erat ... Ideoque id, quod tantum facere principibus Sacerdotum juſſum eſt, quorum typum Moyſes, & Aaron tenuerunt: Presbyteri, qui filiorum Aaron geſtant figuram accipere non præſumant*. Agapius nitebatur hoc principio, quod nempe Epiſcopis, ae Presbyteris multa ſint communia, ſed illud principium ſic Synodus convellit, *Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis ſit diſpenſatio quadam* NOVELLIS, ET ECCLESIASTICIS REGULIS *ſibi prohibita noverint*: Novellarum ergo regularum nomine novum teſtamentam intelligit. Confirmatur ex eo, quod inter ea, quæ novellis illis regulis prohibita ſunt, Presbyterorum conſecrationem recen-

censeat. Quam quidem consecrationem si quis Presbyter non Episcopus aliquando tentarit, anathemate damnatus est.

CAPUT SECUNDUM.

De extraordinario Confirmationis Ministro.

DUo erunt hujus capitis articuli, quibus omnia complectemur, quæ tum in Ecclesia Latina, tum in Græca ad extraordinarium Confirmationis ministrum pertinent.

ARTICULUS PRIMUS.

De extraordinario Confirmationis Ministro apud Latinos.

TRes difficultates in hoc articulo solvemus: 1. utrum olim, & quandonam apud Latinos Presbyteri Confirmationem contulerint? 2. quo sæculo mos ille penitus apud eos desierit? 3. an hac etiam ætate id muneris ei committi possit?

§. I.

Utrum olim, & quandonam apud Latinos Presbyteri Confirmationem dispensaverint?

COnclusio. Labente sæculo sexto Presbyteri apud Sardinenses ex indulgentia Gregorii Magni Confirmationem dispensarunt; Sed ante illud tempus nulla in Provincia Occidentali id eis fuit concessum.

Probatur prima pars. Monitus fuerat Gregorius, simplices Presbyteros in Sardinia jus Confirmationis administrandæ sibi sumere, data ad Januarium Episcopum Calaritanum Epistola, quæ lib. 3. num. 9. eos compressit, sed ubi didicit, eam prohibitionem nonnullis fuisse scandalo; id postea concessit, quod prius negarat. Data nimirum altera ad eumdem Januarium Epistola ejusdem lib. 26. hæc scripsit, *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus*

Respondent nonnulli 1. cum Estio in aliquibus exemplaribus legi *baptizandos*, non autem *baptizatos*, ac proinde Gregorium de nuda cæremonia locutum fuisse. Sed Estii, aliorumque, qui sic respondent, pace dixerim, quod licet detur mendum irrepsisse in unam ex Gregorianis Epistolis ad Januarium; tamen verisimile non fit irrepsisse in duplicem. Præterea altera, quam ad eumdem Januarium dedit Epistola, omnis, si quæ fuerit in priori, æquivocatio tollitur, conceptis nimirum terminis S. Pontifex testatur se Epist. 9. non de baptizandis, sed de baptizatis locutum fuisse, *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus &c.*

Respondent 2. alii, inter quos Sambovius, Gregorium Sardinensibus Presbyteris Confirmationis dispensationem permisisse vitandi scandali causa, juxta hæc ejusdem S. Patris verba, *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse &c.* non approbasse vero S. Pontificem usum illum, quæ Oeconomiæ causa tolerabat. Sed cum satius sit oriri scandalum quam ut veritas deseratur, non est verisimile, Gregorium a veritate descivisse, ut assentiretur quibusdam contumacibus juris Divini, in Sambovii systemate, infractoribus, præsertim cum indulgentia hujusmodi in animarum perniciem vergeret; quippe quod inani Confirmationis umbra fidelibus in Sardinia illusum fuisset. Præterea, si quorumdam in Sardinia scandalum Gregorius timuit, cur non veritus est, ne dispensatio, quam contendebat in re, quæ ex adversariis, juris est Divini, cæteris omnibus orbis Christiani provinciis gravissimo foret scandalo? Cur aliarum regionum Episcopi in illam Gregorii intempestivam, ac irritam, ut placet adversariis, indulgentiam non insurrexere?

Respondent denique 3. alii, facti, de quo agitur, nullam habendam esse rationem, utpote (inquiunt) Traditioni adversantis. Sed 1. Traditio, ut inferius probabitur, ordinarium in Confirmationem jus Episcopis quidem vindicavit, sed extraordinarium non negavit Presbyteris. 2. A nullo unquam Concilio, aut Pontifice improbata fuit facta a Gregorio dispensatio, proindeque nemini ex antiquis visa est Traditioni Patrum adversari: imo tantum abest, ut eam summi Pontifices imperitiæ, aut ignaviæ Gregorio tribuerint, quin tacite laudaverint potius, ut ex hisce verbis Eugenii IV. Armenos docentis colligitur, *Legitur tamen aliquando per sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili, & urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc ministrasse Confirmationis Sacramentum*. Tandem, ut paucis multa complectamur; licet Gregorius, Sanctissimus alioquin, ac doctissimus Pontifex, tamquam Divini juris in gravissimi momenti negotio apud adversarios infractor habeatur, apud nos tamen canonum peritissimus, Divinæ legis, ac fidei strenuus defensor semper audiet.

Probatur altera conclusionis pars, nempe ante Gregorium nullibi apud Occidentales concessum fuisse Presbyteris, ut baptizatos consignarent; probatur (inquam) argumento negativo. Nulla concessionis, de qua agitur, laudari possunt exempla; quæ enim a nonnullis proferuntur, nullius sunt ponderis, ut ex objectionum solutione patebit.

Objicies 1. Canone 77. antiquissimi Concilii Eliberitani hæc habentur, *Si quis Diaconus regens plebem, sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit*. Ea benedictio ipsummet est Confirmationis Sacramentum: cur autem ab Episcopo conferri debet Neophyto, quem Diaconus baptizavit, cur canon idem non edicit de baptizato a Presbyteris, nisi quod una cum baptismate Presbyteri Confirmationem tunc temporis dispensarent?

Resp. agi eo canone de Confirmatione, sed mea vice quæro ab adversariis, cur si Presbyter tunc confirmaret, Diaconus ad Episcopum, non autem ad Presbyterum perducere a se baptizatum jubetur? Dicendum est igitur argumento illo negativo nihil concludi, præsertim cum Presbyteros in Hispaniis tunc temporis confirmasse nullo alio positivo canone probari possit.

Objicies 2. Hæc habentur Canone 2. Concilii Barcinonensis, sexto sæculo habiti; *Statutum est, ut cum Chrisma Presbyteris Diœcesanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Ergo sæculo sexto Presbyteri simplices apud Hispanos confirmabant.

Resp. eo argumento nihil probari, neque enim habetur in Canone, *Pro confirmandis per Presbyteros*, sed simpliciter habetur, *pro confirmandis*, quod quidem intelligitur de Episcopis, dum Diœcesim suam perlustrarent, quibusque Parochiam Presbyteri consecratum Chrisma, quo Neophyti consignarentur, offerre tenebantur,

Objicies 3. Canone 1. prioris Concilii Arausicani quinto sæculo celebrati hæc leguntur, *Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate usquam debere progredi: quia inter nos placuit semel chrismari*. Cur quisque baptismatis minister jubetur penes se habere Chrisma, nisi ut eo baptizatorum frontes inungat.

Resp. 1. de sensu canonis Arausicani abunde a nobis dictam fuisse superius quæst. 2. cap. 3. art. 2. Resp. 2. laudatam Synodum intelligi debere de unctione verticali, quæ non a Presbyteris modo, sed & Diaconis facienda jubetur. Quatuor prioribus

sæcu-

sæculis soli Presbyteri baptizatos inungebant in vertice. Sylvester Papa, & Innocentius I. in Epist. ad Decentium de eis tantum locuti fuerant; quidam Diaconi id sibi pariter sumere tentarant, hos in Hispania Toletana prior Synodus anno, secundum Cabassutii calculum, 400. habita, canone 20. compressit, *Statutum est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero si ab ipso fuerit præceptum.* Ea unctio, quæ Diaconis prohibita fuerat Concilium Arausicanum laudato canone non indulsit modo, sed & præcepit. Nihil ergo ex eo canone pro ministro Confirmationis inferri potest.

§. II.

Quo sæculo mos per Presbyteros confirmandi ubique apud Occidentales desierit?

Conclusio. Ante sæculum nonum mos per Presbyteros confirmandi ubique apud Occidentales desiit.

Probatur. Sæculo nono Græci Latinis verterunt crimini, quod apud ipsos Presbyteri non confirmarent; Latini, qui ad Græcorum argumenta responderunt, non negarunt factum, sed ipsum Scriptura, & Traditione niti contestati sunt. Ergo apud eos mos, de quo agitur, ubique tunc evanuerat; Antecedens duplici testimonio confirmari potest; *Nicolaus* (Papa I.) *Hincmaro, & Episcopis in regno Caroli calvi constitutis Epistolam transmisit,* (inquit Flodoardus lib. 3. Hist. Rhem. cap. 7.) *Innotescentem Græcorum Imperatores Michaelem & Basilium, sed & Orientales Episcopos calumniari sanctam Romanam Ecclesiam, imo omnem Ecclesiam, quæ Latina nititur lingua, quoniam Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus.* Ratramnus, Monachus Corbejensis, qui a Nicolao Papa, & ab Episcopis Gallicanis jussus Græcorum obtrectationibus respondit, opere, quod adversus illos exaravit, hæc scribit, *Nunc ad illud veniamus, quod objicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes Presbyteri Chrismate non liniunt: Quod objectum, sicut & reliqua, magis levitate, quam ratione propositum est: Siquidem Ecclesiæ suæ consuetudinem sequentes ista proponunt, non aliquam Divinæ legis auctoritatem.*

Quæres, num a sæculo nono huc usque Presbyteri aliquando apud Occidentales ex summorum Pontificum concessione confirmaverint.

Respondet Petrus Arcudius lib. 2. qui est de Confirmatione, cap. 15. affirmative. Probat 1. hac narratione, *Alii* (inquit) *referunt Adrianum VI. ann. 1521. die 25. Aprilis, petentibus fratre Gulapione, & Francisco de Angelis concessisse pro Indiis, & regionibus, ubi non sunt Episcopi, ut Sacerdos regularis ex Minoribus posset cum Chrismate ab Episcopo consecrato confirmare, haberi autem authenticum Hispali in Monasterio S. Francisci.* Sed difficile adduci possum, ut credam Adrianum VI. eam facultatem, de qua Arcudius, concessisse; quippe qui ante summum Pontificatum expresse docuerit, Presbyterum a Romano Pontifice committi non posse ad conferendum Confirmationis Sacramentum. Ad dispensationem autem a Gregorio Calaritanis Presbyteris factam, ea respondet, quæ concessioni, quæ illi ab Arcudio tribuitur, e diametro repugnant, contendit nimirum in facto Gregorium errare potuisse: contendi iterum per Epistolam 26. ad Januarium, revera Presbyteros Sardinenses Confirmandi potestatem non accepisse. Sed ipsemet audiendus est, *Suppositio* (inquit in IV. de Sacram. Confirm.) *quod* (Gregorius) *loquatur de vero Sacramento Confirmationis; sua collatio non fuit concessio potestatis, sed abolitio impedimenti, quod præstiterat per suam prohibitionem. Unde dicit ad se pervenisse quod quidam scandalizati fuerint, eo quod Presbyteros* tangere Chrismate prohibuerat; *Propter quod subjungens in suæ excusationem dicit,* Et nos quidem secundum veterem usum Ecclesiæ fecimus; *Sed si omnino de hac re aliqui contristantur,* idest scandalizantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus. *Ubi solum concedendo videtur impedimentum suæ prohibitionis voluisse tollere, non authoritatem aliquam Sacramentum Confirmationis conferendi impertiri: quemadmodum de Judæis Paschasio scribens hortatur,* Ut de suis solemnitatibus celebrandis eos inquietari non permittat, sed omnes festivitates suas, & ferias liberam habeant observandi, celebrandique licentiam, *ubi per licentiam nihil eis licere concedit, cum nec hoc possit. Qui enim legem observabat, evacuatur a Christo, & gratia excidit: Sed solum impedimentum prohibitionis, & infestationis auferre intendit. Et ita salvatur quod nec limites suæ potestatis excessit, nec errorem Sacramentalem in aliquo fovit.*

Laudatus Arcudius hac alterius facti narratione 2. probat, *Nec defuerunt alii Pontifices pari potestate præditi* (alludit ad Gregorium Magnum Januario Calaritano rescribentem) *qui hac nostra ætate ob penuriam Episcoporum eamdem facultatem paucissimis quibusdam viris Apostolicis spectatis Patribus Societatis Jesu concesserint, ut religiosissimus Pater Ludovicus Fonseca mihi oretenus retulit, præsentibus quoque aliis Gymnasii Græcorum in urbe alumnis, qui cum ex Basilica ora solvisset, ac Romam ad generalem Conventum anno Domini 1593. venisset, munere procuratoris illius Provinciæ functus est. Ajebat porro, ac pro certo affirmabat se solitum esse in illis partibus hoc Sacramentum administrare, ibique hujus authoritatis concessæ asservari diploma Pontificis.* Viris gravibus Arcudio, & Ludovico Fonsecæ nihil eft; quod reponam in re, quæ unius est facti, sed pergratum fecisset Fonseca, si tempus, quo ea concessio sibi facta fuit, Papam, a quo eam obtinuit, expresse appellasset, imo si tenorem bullæ ad Occidentales detulisset, ut authores suis libris de verbo ad verbum eam insererent, omnium Theologorum animos sibi demeruisset.

§. III.

Utrum his temporibus Presbyteri simplices ex commissione apud Occidentales Confirmare possint?

Circa eam quæstionem varie Theologi opinantur. Plures e veteribus Theologis Scholasticis, ac e recentioribus non pauci negant, Presbyterum simplicem ad Confirmationem dispensandam committi posse, etiam ab Episcopo Romano. Guillelmus Altissiodorensis lib. 4. cap. 3. S. Bonaventura, Durandus, Adrianus VI. illi negativæ opinioni patrocinantur, cui & subscripserunt Estius, Sambovius, multique ignoti non nominis authores. E contra affirmativam sententiam defendunt S. Thomas 3. part. qu. 72. art. 2. Ricardus, Paludanus, Marsilius, quibus non pauci alii adhærent.

Conclusio. Hac ætate Presbyteri Occidentales possent a summo Pontifice delegari ad Confirmationem Neophytis conferendam.

Probatur conclusio 1. authoritate Eugenii Papæ IV. qui in decreto pro instructione Armenorum asserit, simplices Presbyteros ex dispensatione Pontificia aliquando Confirmationis Sacramentum contulisse: atque ita supposuit, Pontifices Romanos Confirmandi facultatem posse facere, gravi admodum, & rationabili causa urgente.

Respondet doctissimus Sambovius, Eugenium non ex suo sensu locutum fuisse, sed ex sententia quorumdam Scholasticorum, quibus Gregorius Magnus cum Presbyteris Calaritanis dispensasse videtur. At 1. nihil est in Eugenii verbis, ex quo adversarius suam explicationem eruat. 2. Summi Pontifices cum aliqua solemnia decreta edunt, facta, quæ laudant, non solent ex Scholasticis supponere. Eugenius igitur allusit ad Gregorii Magni Epistolam secundam, quam ad Januarium scripsit.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino. Ubi sacra Synodus definiit, Episcopum esse ministrum Confirmationis, addidit hanc vocem *Ordinarium*; At frustra addidisset, nisi ipsi fuisset persuasum hujusce Sacramenti alium ab Episcopo posse esse ministrum, *extraordinarium* oempe: Ergo &c. Monitum hic velim le-

lectorem benevolum, argumentum ex Concilio desumptum probabiliter, sed non necessario movere ad assensum: Nam (ut ex utroque sacræ Synodi Historico constat) ea vox *Ordinarium*, usurpata fuit, ut quæstio de extraordinario ministro, de qua non conveniebant Theologi Catholici, illæsa remaneret. Satis fuit Concilio ut staret dogmatis hæretici de ministro ordinario condemnatio.

Probatur 3. ex eo, quod id jam temporis possint summi Pontifices urgente rationabili causa, quod antiquitus potuerunt. Atqui (ut supra ex Gregorio Magno probatum est) summi Pontifices, urgente admodum, & ex rationabili causa, Presbyteros simplices ad confirmandum delegaro potuerunt, ac de facto delegarunt, eamque delegationem nec Episcopi, nec Concilia illis verterunt aut imperitiæ, aut crimini. Ergo &c. Confirmatur ex antiquo, ac hodierno Græcorum Catholicorum usu, apud quos Presbyteri statim a baptismate Confirmationis Sacramentum conferunt, non nescia hujus facti Ecclesia Romana, nec tamen prohibente, ut inferius ostendetur.

Objicies 1. Apostoli potestatem confirmandi nulli Presbytero commiserunt, licet maxime confirmandorum copia urgerentur. At hinc probari potest penes illos non fuisse id concedere Presbyteris, cum alioquin aliquorum aliorum Sacramentorum dispensationem, Baptismi nempe, & Eucharistiæ, non Presbyteris modo, sed etiam Diaconis indulserint, ut patet in Philippo, qui Samaritanos tinxit, & in sex aliis prioribus Diaconis, qui mensis, de quibus Lucas in Actis, consecratum panem fidelibus distribuebant.

Resp. nego min. Ideo enim Apostoli confirmandi potestatem Presbyteris non contulerunt quod perpaucos Sacerdotes ordinaverint, quos simul non consecraverint in Episcopos. Præterea æquum erat, ut Apostoli, quæ perfectionis sunt, servarent sibi, ut sua praxi, quæ subsequentium sæculorum debebat esse regula, Episcoporum jus stabilirent.

Objicies 2. Si Neophytos confirmandi potestas fit actus ex Episcopali charactere ortus, communicari non potest, quin ipse character Episcopalis communicetur: ea enim, quæ ex charactere emanant, fieri non possunt ab eo, cui ille character defuerit. Eam ob causam nemo, qui non fuerit Presbyter, fieri potest particeps potestatis Eucharistiam conficrandi; Si vero potestas, de qua agitur, sit actus jurisdictionis, Episcopus poterit simplices clericos ad confirmandum delegare; fatentur scilicet Canonistæ totam Episcopi jurisdictionem simplici clerico committi posse: Sed absurdum est asserere Clericos simplices, imo & Diaconos posse ad confirmandum delegari: Ergo &c.

Resp. Confirmationis administrationem esse actum ordinis, qui quidem actus soli Presbytero committi potest, nempe quod in eo sit, imperfecta licet, quædam characteris Episcopalis partipatio; docent enim SS. Patres Episcopatum esse Sacerdotalis ordinis complementum, ac consummationem.

Objicies 3. Episcopus quilibet (si nulla sit reservatio) in sua Diœcesi id omne potest, quod Romanus Episcopus tota in Ecclesia juxta celebre hoc Canonistarum, ac Theologorum axioma, *Si solum jus Divinum, & naturale attendamus, quidquid potest Pontifex in universo orbe, iis exceptis, quæ ad Ecclesiæ universæ statum pertinent, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi specialiter Pontifex Romanus sibi reservet?* Ergo, in suppositione conclusionis, si gravis urgeat necessitas, Episcopus quilibet posset in sua Diœcesi delegare Sacerdotes, qui Neophytos confirmarent, cum summus Pontifex sibi ad id muneris jus delegandi non reservaverit: Quod tamen videtur falsum; nullibi enim, etiam dum persecutio sæviebat, id tentarunt privatarum Ecclesiarum Episcopi.

Resp. apud Occidentales non esse quidem explicitam hac de re reservationem factam summo Pontifici, sed contendo esse virtualem, & implicitam, quatenus nempe apud eos recepta ubique consuetudo adeundi hac in causa summum Pontificem, formali, ac explicitæ reservationi æquivalet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De extraordinario Ministro Confirmationis apud Græcos.

QUÆ superiori articulo de extraordinario Confirmationis ministro apud Latinos expendimus, eadem quæremus de ejusdem Sacramenti ministro extraordinario apud Græcos. Investigandum est igitur 1. an simplices Presbyteri aliquando Confirmationem apud Græcos contulerint? 2. quo sæculo jure hujusmodi potiri cœperint? 3. an datam a Presbyteris Græcis Confirmationem probaverit olim, & nunc etiam probet Ecclesia Romana?

§. I.

An Presbyteri Græci aliquando Confirmationem administraverint.

CONclusio. Apud Græcos, aliosque Orientales Christianos Presbyteri simplices Confirmationem olim administrarunt, & nunc etiam administrant.

Probatur 1. quidem quoad Syros, conclusio patet ex Rituali Severi Patriarchæ Antiocheni; In eo rituali baptismatis, & Confirmationis officium uno tenore describitur, totumque Presbyteris permittitur, nec quidquam ex eo reservatur Episcopis.

2. Quoad Ægyptios, id clarum est ex his verbis authoris Commentariorum in Epistolas S. Pauli quæ Ambrosii nomen præ se ferunt (si tamen illius pseudo-Ambrosii narrationibus fides adhibenda sit) *Apud Ægyptum, Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.*

3. Quoad Græcos, qui Constantinopolitani Patriarchæ jurisdictioni subjiciuntur, evidens est Presbyteros simplices apud illos confirmare: evidens est (inquam) ex Euchologiis, quibus a multis ab hinc sæculis utuntur. Presbytero nimirum ea Euchologia præscribunt, ut mox a Baptismate Neophytum inungat in fronte: hæc enim habent in officio sancti Baptismatis, *Unctio toto corpore baptizat eum* (Catechumenum) *Sacerdos erectum illum tenens, & ortum solis respicientem, & dicit: Baptizatur servus Dei N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti nunc & semper, & in sæcula sæculorum; Amen. Et postquam eductus fuerit, adjicit Sacerdos orationem hanc:* BENEDICTUS ES DOMINE DEUS OMNIPOTENS.... QUI RECENS ILLUMINATUM REGENERARE VOLUISTI... SIGNACULUM DONI SANCTI SPIRITUS.... EI LARGIRE, IN SANCTITATE TUA CUSTODI ILLUM; IN VERAFIDE CONFIRMA. *Et oratione hac terminata baptizatum sancto unguento ungit, cujus signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus dicens:* SIGNACULUM DONI S. SPIRITUS. AMEN. Eum Græcorum ritum, ipsummet esse Confirmationis Sacramentum ex eo patet, quod complectatur illius formam, orationem nempe, quæ incipit, *Benedictus, &c.* aut secundum aliquos Theologos hæc verba, *Signaculum &c.* & materiam, frontis scilicet inunctionem, & ex parte ministri intentionem; quotquot enim eum ritum perficiunt, Neophytis Sacramentum Confirmationis administrare intendunt.

§. II

Quo sæculo Græci per Presbyteros confirmare cœperint?

CONclusio. Usus per Presbyteros confirmandi non semper quidem apud Græcos viguit, sed multis ab hinc sæculis obtinet.

Probatur prior conclusionis pars. S. Chrysostomi ætate, desinente nimirum sæculo quarto, nondum in Oriente morem, de quo agitur, invaluisse, colligitur ex S. illius Doctoris Hom. 18. in acta Apostolorum, ubi sic loquitur, *Virtutem quidem acceperant* (inferiores ministri) *faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare. Unde & præ-*

& præcipuos, *&* (ut in aliis versionibus habetur,) *Coryphæos*, *& non alios videmus hoc facere*. Præcipuorum, aut Coryphæorum nomine Chrysostomus (ut tamen aliquibus videtur) Archidiaconos non intelligit: tum quia nollibi legitur Chrismationem apud Orientales reservatam fuisse Archidiaconis: tum etiam, quod nullo in Patre, nulloque in canone Archidiaconi, aut Archipresbyteri apud Græcos Ecclesiarum Coryphæi vocati fuerint. Præterea *Coryphæorum* vocabulo eos ministros Chrysostomus intellexit, qui successerunt Apostolis, quibus quidem solis Christus potestatem tradidit non tantum faciendi signa, sed etiam per manuum impositionem Spiritum sanctumNeophytis conferendi; Si enim alios quam Apostolorum successores S. Pater significatos voluerit, ex potestate, quam asserit solis Apostolis a Christo fuisse collatam, immerito concluſit sua ætate solos Ecclesiarum Coryphæos Confirmationem administrasse, *Unde* (inquit) *& præcipuos, seu Coryphæos, &c.* Atqui soli Episcopi Apostolis successerunt. Ergo &c.

Probatur altera conclusionis pars. Licet præcise assignari non possit tempus, quo Græci per Presbyteros Confirmare cœperunt, certum tamen videtur id muneris eos obiisse ante Photianum schisma, & suam solemnem ab Ecclesia Romana defectionem: Id nimirum Photius supponit in querela, quam adversus Nicolaum Papam I. movit, quod ejus legati in Bulgaria confirmatos a Presbyteris Græcis iterum confirmassent.

Audiendus est ipsemet Photius, qui in altera encyclica Epistola ad omnes Patriarchas Orientis data, sic loquitur: *Chrismate inunctos per Sacerdotes denuo inungere non exhorruerunt, cum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum chrisma inutile quiddam, ac frustra factum comminiscerentur: An talem quis insaniam fando unquam audivit, quam non exhorruere insani isti fadditare? ut semel unguento sacro delibutos rursus inungerent, & augusta illa, Divinaque Christianorum mysteria in bene longas nugas, & risum, lubentiamque conversa proculcarent*. Illa Photii verba jam nono sæculo morem per Presbyteros confirmandi apud Orientales invaluisse demonstrant; si enim (ut doctissimus Petrus Aurelius arbitratur,) ipsemet Photius illum invexisset primus in Ecclesiam Constantinopolitanam, quam vivente Ignatio SS. Patriarcha invaserat, numquam apud alios Patriarchas Orientis conqueri ausus fuisset, quod legati a Nicolao in Bulgariam missi, confirmatos a simplicibus Presbyteris iterum confirmassent; qua fronte is, cui, ex Aurelii suppositione, persuasum fuisset ubique apud Orientem Presbyteros a Chrismationis ministerio exclusos fuisse, qua (inquam) fronte asserere potuisset, contra communem usum, ac receptam ubique consuetudinem Nicolai legatos rejecisse chrismationem a simplicibus Presbyteris in Bulgaria factitatam.

Quæres, a quibus Presbyteri Orientales suam ad confirmandum delegationem habuerint?

Resp. eos illam habere a Pontifice Romano, saltem implicite, cum id muneris ab eis usurpatum Sedes Apostolica noverit, nec contradixerit tamen, imo probaverit, ut subsequenti paragrapho dicemus, censeo alium a summo Pontifice præsulem, in eo statu, in quo res sunt, jus de quo agitur Presbyteris conferre non posse: onde Eugenius IV. in decreto pro Armenorum instructione non aliam dispensationem laudat, quam quæ ab Apostolica sede concessa fuerit.

§. III.

An datum a Presbyteris Græcis Confirmationis Sacramentum probaverit olim Ecclesia Romana, & nunc etiam probet?

PEtrus Aurelius fictitiam, ac inanem esse putat Confirmationem a Presbyteris Græcis collatam, sic enim urget Sirmondus e Societate Jesu, qui quidem, ut ostenderet simplices Presbyteros ad confirmandum posse delegari, Græcorum exemplum protulerat; *Quid hoc quæso portenti est? qua in Ecclesia sumus? ut tu toties damnatos ab Ecclesia Catholica, & Juenin de Sacram.* *a summis Pontificibus Græcorum errores sententiæ tuæ fundamenta statuere audeas, & magis attendas, quid illi adversus Ecclesiam Latinam, gliscente schismate, Photii temporibus objecerint, quam quod adversus illos Ecclesia Romana, & sedes Apostolica tenuerint.*

Sambovius Petro Aurelio subscribit, sic enim disput. 7. de Sacram. Confirm. art. 2. loquitur, *Si contra objiceris, Presbyteros Orientales a multis sæculis administrasse Confirmationem, videntibus atque tacentibus Episcopis, imo & permittentibus, atque volentibus, quandoquidem mos est Constantinopolitanis Patriarchis Chrisma conficere, confectumque ad varias orbis partes Episcopis, & Presbyteris mittere, ut confirment eo Chrismate baptizatos; Respondeo ut supra, abusum esse, adversus quem suo sæculo Nicolaus I. insurrexit, insurrexit Ecclesia Gallicana per Ratramnum Corbejensem, insurrexerunt Innocentius III. Gregorius IX. & Innocentius IV. qui omnes absolute cautum illud Presbyteris, solis autem Episcopis reservatum esse significarunt.*

Contrarium Aurelii, & Sambovii sententiæ dogma Theologi passim docent: eis utpote canonum authoritate fretis subsequenti conclusione adhærendum ducimus.

Conclusio. Ecclesia Romana delegatam Presbyteris Orientalibus confirmandi potestatem probavit olim, & nunc etiam probat.

Probatur 1. Græcos schismaticos in sua Ecclesia confirmatos Ecclesia Romana, dum ad unitatem catholicam redeunt, nusquam iterato confirmavit. Id jam supra observavimus agentes de hujusce Sacramenti materia: ostendique iterum potest ex eo, quod assignari non possint tempus, subjectum, loca, in quibus data Presbyteris Græcis Confirmatio fuerit iterata. 2. Nusquam a summis Pontificibus Presbyteri Orientales Catholici vetati sunt ne hocce Sacramentum infantibus juxta suorum Euchologiorum veterem, & hodiernam legem conferrent. 3. Mox soluta Florentina Synodo Eugenius IV. inter varias, quas Græcis quæstiones proposuit, & illam sciscitatus est, *Quare Pontifices non inungunt sacro Chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Eugenio Papæ ab Episcopo Mitylenensi, tum circa eam quæstionem, tum circa multas alias factum fuisse satis ostendunt hæc verba, quæ ad Concilii Florentini calcem leguntur, *Quæ a Latinis objecta Mitylenensis Præsul legitime, & secundum canones omnia dissolvit, præterquam duo, videlicet separationem Matrimonii quoad vinculum, & creationem Patriarchæ extra Constantinopolim.* 4. Si irrita sit data per Presbyteros Græcos etiam Catholicos Confirmatio, cur tanto malo sedes Apostolica non medetur? cur finit, ut innumeri, alioquin Catholici, populi absque hoc Sacramento apud Græcos moriantur?

Objicies 1. Marcus Ephesiorum Episcopus, qui unioni Latinæ Ecclesiæ cum Græca in Concilio Florentino sancitæ subscribere noluit, in Epist. encyclica ad omnes orbis Christianos data testatur sua ætate Latinos solere Græcos jam confirmatos iterum inungere, *Latini* (inquit) *nostros ungebant, & chrismatos appellabant*. Ergo Confirmatio per Presbyteros Græcos collata, Ecclesiæ Romanæ non fuit semper rata.

Resp. Latinorum illorum, de quibus Marcus Ephesinus, praxim nusquam ab Ecclesia Romana fuisse probatam. Confirmatur illa responsio ex Gregorio protosyncello, Joannis Paleologi a Confessionibus, qui Florentinæ Synodo Episcopi Alexandrini partes egit, quemque Græcorum Imperator mortuo Josepho Constantinopolitano Patriarchæ suffecit. Is in Epist. qua scriptam a Marco Ephesino contra Concilium confutavit, fatetur quidem nonnullos Latinos iterum chrismasse Græcos, qui ex chrismate ad unitatem redibant; aut usum illum a Florentinorum Patrum mente alienum fuisse contendit, *Etenim* (inquit) *cum inirenus concordiam, nullam rationem contra nos afferre poterant, sed cum Orthodoxi essemus, & recte sentiremus, ab Orthodoxis Orthodoxi judicati sumus.*

Objicies 2. Nicolaus Papa I. jussit iterum inungi sacro chrismate Confirmatos a Presbyteris, quos Photius in Bulgariam miserat. Factum illud reperitur ad

octava Synodo Oecumenica, cujus Patres sic Adrianum II. in Epist. Synodali ad eum data allocuti sunt: *Cum vero Photius adhuc in sua pravitate permaneret, ac didicisset, quod Legati Papæ, cum in Bulgariam venissent, sacrum ipsius Photii Chrismatis unguentum reprobarunt, & omnes eos, qui præerant, quive subjiciebantur in Bulgarorum regione, iterum sacro unxerunt unguento*, &c. Eodem de Nicolai legatorum facto Photius ad omnes Orientis Episcopos scribens conquestus est. Ergo Ecclesia Romana datum a Presbyteris Græcis Confirmationis Sacramentum aliquando non admisit.

Respond. concesso ant. nego conseq. Ratio est 1. quia Photius utpote Pseudo-patriarcha Constantinopolitanus omni prorsus Ecclesiastica authoritate vacuus erat, proindeque Presbyteros delegare non potuit ad confirmandum Bulgaros, qui nuper Christianæ religioni nomen dederant. Hanc nostram solutionem videre est in Epistola, quam Adrianus II. scripsit ad Ignatium, quem Photius vi, ac dolo ex Constantinopolitana sede detruserat; refertur illius Epistolæ fragmentum in octavo Concilio Oecumenico, *Quod si dicas* (inquit Adrianus Ignatium alloquens) *prius a nobis Presbyteros ab ea regione* (Bulgarorum) *expulsos haud inficias imus; erant Photiani, illiusque symmistæ, quibus non solum in Bulgarorum terris, sed ubique gratium sacris ordinibus interdiximus, interdicimusque*. Ratio est 2. quia de Bulgaria recenter ad fidem conversa gravis erat inter Episcopum Constantinopolitanum, & Romanum contentio. Constantinopolitanus eam suo Patriarchatui vindicare conabatur; Romanus causabatur suo esse immediate subjectam: Unde asserebat, Ecclesiam Constantinopolitanam in ea provincia nullam posse exercere jurisdictionem, proindeque nec mittere Presbyteros, qui Bulgaros Neophytos confirmarent.

. Objicies 3. Innocentius Papa III. cap. *Quanto de consuetudine*, Presbyteris omnibus sub Sacramenti periculo prohibuit, ne ipsimet oves sibi creditas confirmarent. *Pervenit* (inquit) *ad audientiam nostram quod quidam* SIMPLICES SACERDOTES *apud Constantinopolim ea sacra præsumant fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore fuerunt solis Pontificibus reservata, ut est Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos* SOLI DEBENT EPISCOPI *per manus impositionem conferre: ad excusandas excusationes in peccatis, solam* CONSUETUDINEM *prætendentes, &c. Dilectionis tuæ mandamus, quatenus* OMNIBUS PRESBYTERIS *districte prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant. Quia licet non sint a fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate (quæ legem non habet) omittere, quam ut ab his, quibus ea conferre non licet ex temeritate (quæ lege damnatur) non sine gravi periculo inaniter conferatur. Cum umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu*. Iis sane verbis constat, Innocentium III. irritum, ac nullum judicasse datum per Presbyteros apud Constantinopolim Confirmationis Sacramentum.

Resp. 1. laudatum Innocentii caput Constantinopoli promulgatum non fuisse; idque ex eo colligitur quod ab eo tempore Græci sua consuetudine, scientibus, ac tacite probantibus Episcopis Romanis, fruiti fuerint. 2. Dici potest cum Arcudio, Innocentium locutum tantum fuisse de Parochis Latinis, qui tunc in urbe Constantinopolitana non exiguo erant numero, quosque inducere voluit ad usum, & disciplinam Ecclesiæ Romanæ, ex qua oriundi erant, & cui immediate subjiciebantur. Eam responsionem Arcudius colligit ex litteris Innocentii ad Lucium, qui apud Constantinopolitanos sedis Romanæ partes agebat, iis nimirum in litteris, ex quibus desumptum est caput, *Quanto de consuetudine*; sic laudatus Innocentius loquitur, *Mandamus quatenus omnibus* LATINIS *Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas* (utpote a S. Sede nequaquam delegatis) ne talia de cætero sua temeritate præsumant.

Objicies 4. Innocentius Papa IV. consultus de praxi Græcorum, apud quos Presbyteri simplices confirmant, sic respondit in suis litteris ad Episcopum Tusculanum in Regno Cypri S. Sedis legatum. *Soli autem Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos. Quia hujus unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi. Quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam Confirmatio, vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum-Sanctum tribuisse leguntur*. Hic locum non habet responsio de Presbyteris Latinis, non autem de Græcis, seu dici non potest, Innocentii IV. textum de solis Presbyteris Latinis intelligi debere, tum quod summus Pontifex indefinite loquatur, tum etiam, quod non de Presbyteris Latinis, sed de Græcis interrogatus fuisset.

Resp. Episcopum Tusculanum rei difficultate commotum non promulgasse decretum Innocentii IV. ne scilicet Cypriis, apud quos Confirmandi per Presbyteros consuetudo altissimas egerat radices, esse scandalo, quemadmodum fuerat Sardiniensibus simile decretum, quod Gregorius Magnus sub finem sæculi sexti tulerat in Presbyteros Calaritanos; quodque re maturius discussa, ut paci consuleretur, ipsemet Gregorius altera, quam ad Januarium dedit, Epistola rescidit.

QUÆSTIO SESTA.

De subjecto Confirmationis.

TRia hic quæri possunt: 1. quinam sint recipiendæ Confirmationis capaces? 2. utrum omnibus omnino neophytis hoc Sacramentum olim conferretur? 3. quænam corporis partes inungi debeant?

CAPUT PRIMUM.

Quinam sint Confirmationis capaces?

COnclusio. Omnes, & soli homines baptizati Confirmationem valide recipere, possunt.

Probatur prima pars, 1. ex disciplina, quæ per duodecim priora sæcula apud Latinos viguit, quæque, his etiam temporibus, apud Græcos, aliosque Orientales obtinet: Illa vero disciplina fert, & ferebat antiquitus, ut ipsis etiam infantibus immediate post baptismum confirmatio conferretur. Ea praxis antiquis Latinorum Sacramentariis, ac hodiernis Græcorum Euchologiis nititur.

Probatur altera pars. 1. Baptisma (ut ajunt Scholastici) ad omnia Sacramenta, quæ in usu consistunt, unica est, ac necessaria via. 2. Per Confirmationem adolescit quis in vita christiana. At non potest adolescere, qui nondum in lucem editus est, seu qui nondum est Christianus. 3. S. Bonifacius altera ad Zachariam Papam Epist. conquestus fuerat, quod quidam Presbyter Scotus doceret, posse homines sine baptismo fieri Christianos per Episcopalem manuum impositionem. Inauditum illud dogma his verbis damnat Zacharias ad Bonifacium rescribens: *Hic, qui dicit hoc, vacuus est Spiritu sancto, & alienus a gratia Christi, atque a consortio sacerdotali abjiciendus. Quis enim, nisi baptizetur, juxta præceptum Domini in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & sic per manus impositionem consecretur, potest esse Catholicus? Hunc nequissimum virum talia prædicantem ab Ecclesia sancta Dei condemnatum expello*. Eo summi Pontificis textu patet propter hæcce duo dogmata proscriptum fuisse illum Scotum Sacerdotem, quod nempe contenderet quempiam sine baptismo fieri posse Christianum, ac præterea vellet valere Confirmationem homini nondum baptizato collatam.

CA-

Caput Secundum.

Utrum omnibus neophytis Confirmatio quondam conferretur?

Conclusio 1. In quibusdam Ecclesiis Occidentalibus Confirmatio negata fuit aliquibus ex iis, quibus Baptisma concessum fuerat.

Probatur. Concilii Eliberitani Patres non omnibus Gentilibus, qui in infirmitate baptismum petiissent, Confirmationem concessere, sed iis tantum, qui in gentilitate probi fuissent, seu moribus consimilibus fidei Christianæ se se commendassent; hoc enim laudati Patres sibi volunt can. 39. cujus hæc sunt verba; *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit, eis manus imponi, & fieri Christianos*. In eum canonem cum doctissimo Albaspineo observare est, per manuum impositionem, cujus meminit, baptismum intelligi non posse: Nam 1. nullibi baptismus apud antiquos manuum impositionis nomine appellatus est. 2. Eliberitani Patres censuerunt conferri debere baptisma omnibus in ultima vitæ periodo constitutis, sive in gentilitate honesta fuisset eorum vita, sive more turpissimorum hominum vixissent; *Qui aliquando fuerit catechumenus*, (inquiunt) *& per infinita tempora numquam ad Ecclesiam accesserit, si eum de clero quisque cognoverit esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non denegari, eo quod in veterem hominem deliquisse videatur*, Igitur manuum impositionis nomine, quo canon Eliberitanus utitur, Confirmatio intelligi debet: proindeque dicendum est, eam non omnibus baptizatis collatam fuisse in iis Hispaniarum partibus, ubi celebrata fuit Synodus Eliberitana.

Nec est quod quis objiciat 1. canonem illum 39. de gentilibus loqui, *Gentiles si in infirmitate* &c, Nam (ut recte advertit mox laudatus Albaspineus) Patres Eliberitani baptizatos, de quibus agunt, gentiles appellarunt, ut docerent non agi de catechumenis, qui in infirmitate baptizarentur; Et quemadmodum canone 46. quosdam fideles vocant apostatas, *Si quis fidelis apostata &c.* ita hoc loco baptizatos nominant gentiles, non quod tunc gentiles essent, sed quod ante baptismum non stetissent in catechumenatu, fideique elementa edocti non fuissent.

Non plus habet roboris, quod nonnulli 2. objiciunt ex eodem canone, ubi gentiles, quorum meminit, dicuntur fieri Christiani per impositionem manuum. Siquidem (ut cum Albaspineo de baptismate agentes observavimus) hoc proprium est Confirmationi, quod quemque efficiat Christianum; non absolute quidem, cum id soli baptismo conveniat, sed secundum quid, perfecte nimirum, ut suo loco inferius dicetur.

Conclusio 2. In omnibus aliis Ecclesiis, præterquam in iis, in quibus observati sunt Eliberitani canones, Confirmatio omnibus omnino neophytis collata fuit.

Probatur 1. Praxim canone 39. Eliberitano sancitam apud Orientales aliquando viguisse nullo veteri monumento probari potest. Concilia, quæ post Eliberitanum habita sunt in Occidente, statuerunt, ut indiscriminatim iis omnibus daretur Confirmatio, quibus concessum esset baptisma, sive viri frugi habiti fuissent, dum essent in gentilitate, sive corruptos mores cum scandalo præ se tulissent; *De his, qui in infirmitate credere volunt* (inquit primum Concilium Arelatense can. 6.) *placuit debere his manum imponi*. Sed hæc satis sint; cum de iis jam multa in dissertatione de Baptismo dixerimus.

Caput Tertium.

Quænam corporis partes inungi debeant, ut Confirmatio valeat?

Conclusio. Circa corporis partes, quas Confirmationis minister inungere debet, non eadem semper extitit omnium Ecclesiarum disciplina,

Probatur 1. In Ecclesia Occidentali nullam aliam a fronte partem a Christo ad hæc usque tempora ministri Confirmationis inunxerunt. Innocentius Papa I. in Epist. ad Decentium, Gregorius Magnus, tum in Epist. ad Januarium Calaritanum Episcopum, tum in Sacramentorum libro, Magister Sententiarum, quique post ipsum scripsere Scholastici, Pontificalia omnia, quæ jam temporis sunt in usu, non alterius partis, quam frontis meminerunt.

2. In Ecclesia Orientali ministri, dum neophytos confirmant, præter frontis unctionem, adhibent plures alias. Euchologium, ad cujus præscriptum Græci Sacramenta conferunt, hæc habet de ritu, de quo est quæstio, *Et oratione hac terminata, baptizatum sancto unguento inungit*, (Sacerdos) *crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus dicens, signaculum doni Spiritus sancti*.

3. Officium sancti baptismatis ex quodam manuscripto Barberino, pedum inunctionem omittit; *Et unguento sacro* (ait) *baptizatos ungit* (minister) *facitque signum crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & duabus auribus dicens, signaculum &c.* Idem officium ex alio manuscripto Barberino, quod quidem apud Goarium legere est, oris unctionem prætermittit, sed manum & cordis unctionem præscribit, *Baptizatos unguento sacro Sacerdos ungit faciens crucis signum primo in fronte dicens, signaculum doni Spiritus sancti, In oculis dicens, unctio Spiritus sancti. In auribus dicens, Unctio participationis vitæ æternæ. In manuum vola interiore dicens, Unctio sancti Christi Dei, & signaculum insidiis liberum. In corde tandem, Complementum doni Spiritus sancti, Thorax Fidei, & veritatis*.

4. Cyrillus Hierosolymitanus de pedum, & manuum unctione silet omnino; eam quoque non recenset Concilium I. Constantinopolitanum, cui mox laudatus pater interfuit; Sed audiendus est Cyrillus ipse, Catechesi 3. Mystagogica singularum, quæ inungi debeant partium, his verbis meminit; *Ac primum quidem frons illinitur, ut tum a vobis abstergat pudorem, quem primus homo transgressor perpetuo circumferebat, simulque efficiat, in vultu non velato Dei gloriam possitis intueri. Deinde vero aures unguntur, ut ad audiendum Divina mysteria aures accipiatis, de quibus dicebat Isaias, Et addidit mihi Dominus aures ad audiendum. Et Dominus in Evangeliis: Qui habet aures audiendi audiat. Postea nares, ut Divinum recipientes unguentum dicatis, Christi gratus odor sumus in his, qui salvantur. Tum vero pectus inungitur, ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversus insultus diaboli consistatis, ut Dominus Christus post baptismum, & Spiritus sancti adventum, egressus in prælium devicit adversarium*.

Arcudius refert, ministros Græcos tot vicibus proferre hæc verba, *Signaculum doni Spiritus sancti*, quot partes corporis inungunt. Nonnulli narrationem illam impugnant, quod (inquiunt) si veritate nitatur, iteretur Sacramentum, quod quidem (ut addunt,) ex unctione, & relatis verbis constat; Sed illorum anthorum pace dixerim, id nequaquam posse colligi ex Arcudii testimonio, tum quod verba ista *Signaculum &c.* non sint Confirmationis forma essentialis, ut suo loco a nobis probatum est, tum etiam quod aliarum a fronte partium unctio Sacramento plane sit accidentalis. Verior est igitur eorum sententia, qui contendunt, Arcudium quorumdam recentiorum Græcorum praxim sumpsisse pro Germana Orientalium lege; Enimvero nullus proferri potest Euchologiorum textus, quo praxis illa confirmetur.



QUÆSTIO SEPTIMA.

De Effectibus Confirmationis.

DUO funt Confirmationis effectus; Character nempe, quem imprimit, & gratia, quam producit. Uterque ille effectus feorfim explicandus eft.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Confirmatio Characterem imprimat?

COnfirmatio dari poteft , vel in Ecclefia Catholica, nimirum a miniftris, qui Catholica communione fruantur; vel extra Ecclefiam, ab Hæreticis fcilicet, Schifmaticis, aut Excommunicatis. Hoc in capite dicemus 2. de Confirmatione, quam quis in Ecclefia Catholica contulerit: 2. De ea tractabimus, quam miniftri præfcifi ab illius finu in fui fynagogis adminiftrant.

ARTICULUS PRIMUS.

An Confirmatio in Ecclefiæ finu collata Characterem imprimat?

HIC expendemus 1. quid Sectarii de propofita quæftione fenferint. 2. Ecclefiæ fidem argumentis confirmabimus.

§. I.

Qui de charactere Confirmationis in Ecclefia data Sectarii fenferint?

CErtum eft, Lutherum, Zuinglium, Calvinum, Socinum proxime elapfo fæculo negaffe Confirmationem, etiam a Catholicis datam, characterem imprimere: Sed dubium eft, num idem antiquioribus quibufdam vifum fit.

Conclufio 1. Ante duodecimum faltem feculum nullus e Chriftianis inficiatus eft valere Confirmationem in Ecclefia collatam, ac proinde nullus afferuit, eam characterem non producere.

Probatur. Neque in Patribus textum aliquem, neque in Conciliis canonem, imo nec in authoribus hæreticis, qui Ecclefiam Catholicam duodecim prioribus fæculis vexarunt, aliquem locum legere eft, quibus oftendatur, Confirmationem, a Catholicis juxta ritum a Chrifto inftitutum, collatam, aut fuiffe iteratam, aut iterari potuiffe: Ergo iis temporibus perfuafum fuit Chriftianis in Confirmationem impreffiffe characterem. Idem igitur hac etiam ætate credi debet, tum dogmata, quæ ad fidem, aut mores fpectant, mutationi obnoxia non fint.

Objicies 1. Donatiftæ quidam (tefte Optato Milevitano) templum Catholicorum ingreffi, ampullam facri Chrifmatis contemptui habentes e feneftra fuperioris cubiculi in humum fubjectum projecere. At tantum facinus non perpetrarunt, nifi quod Confirmationem, quæ per Chrifmatis inunctionem confertur in Ecclefia Catholica, nullam, ac irritam effe proindeque iterari debere contenderint: Ergo ante fæculum duodecimum nonnullos Chriftianos reperire eft, qui negarunt, Confirmationem in Ecclefia datam characterem imprimere.

Refp. Donatiftas credidiffe, folam fuam fectam effe veram Chrifti Ecclefiam; unde juxta principia fchifmatis, quod conflaverant, collegerunt Sacramenta, quæ quis in Ecclefia Romana contuliffet, nulla effe, ac irrita. Confirmatur ea refponfio ex eo, quod ipfam etiam Euchariftiam in Ecclefia Romana confecratam proculcaverint, quamvis illius, fed in fua facta confecratæ, veritatem non negaverint: nefandum illud crimen eis Optatus Milevitanus, libro fexto contra Parmenianum, objicit, *Jam* (inquit) *illa oftendenda funt, quæ crudeliter, ac ftulte vos feciffe negare minime poteritis. Quid enim eft tam facrilegum, quam altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtuliftis, frangere, radere, removere ..... hoc tamen immane facinus geminatum eft, dum fregiftis etiam calices Chrifti fanguinis portatores.*

Objicies 2. Ex Euchologio Græco, quod a S. Methodio circa annum 841, Patriarcha Conftantinopolitano editum fuiffe ferunt, conftat: Apoftatas, ideft baptizatos in Ecclefia, proindeque confirmatos, cum apud Orientales a mille annis, & amplius illa Sacramenta nulla interjecta mora conferantur, conftat (inquam) iterata Confirmatione donari, cum in Ecclefiæ finum redeunt. Præfcribit fcilicet illud Euchologium 1. ut iis apoftatis converfis manus imponantur cum oratione, qua Spiritus fanctus invocatur ad robur. Præfcribit 2. ut facro Chrifmate inungantur in fronte, aliifque corporis partibus, in quibus ii, qui apud Græcos confirmantur, inungi folent. Præfcribit 3. ut a miniftro neophytum inungente hæc verba, *Signaculum, aut figillum doni Spiritus fancti*, quæ, ut multis placet, unica funt Confirmationis formula, recitentur, *Oratione completa* (verba funt canonis S. Methodio adfcripti) *facro unguento accepto, fecundum baptizatorum confuetudinem illum inungit* (Sacerdos) *crucis figno expreffo in fronte, & oculis, & naribus, & ore, & duabus auribus & manibus, & pectore, & genis dicens: Sigillum doni Spiritus fancti.* Ergo octingentis abhinc annis Confirmatio, quam quis in Ecclefia Catholica contulerit, iteratur, unde invictiffime conficitur, non femper creditum fuiffe, quod imprimat characterem, qui deleri non poffit.

Refp. circa illud Euchologium, quod S. Methodio adfcribitur, duplicem effe authorum fententiam nonnulli illud Methodii SS. Patriarchæ, qui Photium præceffit, germanum effe fœtum fatentur: alii vero contendunt alterius effe Methodii, & quidem fchifmatici, qui circa annum 1240. rexit Conftantinopolitanam Ecclefiam. Qui priori adhærent fententiæ non una ratione argumentum folvunt, quod ex hujufmodi Euchologio petitur.

Eruditus Jacobus Goarius ex inclyto Dominicanorum ordine refpondet in notis ad illum S. Methodii canonem, *De iis, qui abnegarunt, & ad orthodoxam, veramque fidem revertuntur.* Refpondet (inquam) ritum, de quo eft quæftio, ipfum quidem effe Confirmationis Sacramentum, fed contendit a miniftris non celebrari cum intentione ipfummet Sacramentum conferendi; unde colligi revera ipfum nequaquam confici, quamvis materia, ex qua conftat, recte applicetur, & forma fecundum fillabas, ut par eft, proferatur. Audiendus eft mox laudatus author, *Fateor itaque* (inquit) *cum omnibus catholicis, Confirmationis Sacramentum denuo conferri non poffe, ac proinde Methodianum hunc ritum Sacramenti rationem non obtinere: fateor etiam nonnifi de cæremoniali unctione poffe intelligi: At dico prolationem verborum, figillum doni Spiritus fancti, non fecus ac unctionem pure cæremonialem omni penitus excufatione indignam non effe; eo quod per intentionem, tum canonis, tum miniftri hæreticos reconciliantis, potuerint, tam verba citata, quam prædicta unctio, feclufa omni ratione Sacramenti, ad ritum pure Ecclefiafticum reftringi, ac determinari; nimirum, ut hac fignorum exteriori repetitione, aut omiffæ gratiæ, quam receperant in Confirmatione, aut numquam acceptæ propter hærefim, memores fierent.*

Sed ea Goarii folutio non levibus momentis impugnari poteft.

Et fane 1. Goarius, qui alioquin cenfet, ritum, quem ex S. Methodio refert, continere veram materiam, & germanam formam Confirmationis, nullum Græcorum monumentum profert, ex quo colligat, miniftrum, qui apoftatam redeuntem inungit, non habere intentionem celebrandi illum ritum, tamquam facramentalem; nullum quoque laudat textum, quo probet canonibus, aut Ecclefiarum confuetudine prohibitum

hibitum

hibitum fuisse Sacerdoti, ne præscriptam a S. Methodio cæremoniam peragat cum intentione conferendi Sacramentum; imo contrarium ipsemet Methodii canon innuere videtur, jubet nimirum, ut Sacerdos apostatam inungat *secundum baptizatorum consuetudinem*, id est, ut illo efficiat, velitque efficere, quod in neophyto, qui per unctionem sacri chrismatis confirmandus est, effici solet ab Ecclesiæ ministris. Præterea eodem canone definitur per unctionem, quæ a Sacerdote efficitur, apostatæ dari Spiritum sanctum; unde ministro injungit, ut pro illa Spiritus sancti collatione Deo Patri hac oratione gratias referat, *Domine Deus omnipotens, qui per sanctissimi tui Spiritus missionem gratia discipulos tuos replevisti, servum etiam tuum hunc ab erroris via revocatum, & ad fidem tuam reductum, & sancti tui Spiritus fragrantia per hujus unguenti unctionem, dignum habitum, in tua sanctitate custodi*.

2. In cæteris Sacramentis nihil unquam simile Ecclesia Græca tentavit, idest nusquam materiam, & formam, ex quibus constat, alicui applicat subjecto, quin illi Sacramentum reipsa conferre velit. Nec contrarium probat, quod in S. Methodii canone, de quo est quæstio, legitur, eos nimirum, qui a pueritia apostatarunt a recta fide post susceptas per septem dies propitiatorias preces, octavo ablui solitos esse, *Si puer quidem comprehensus fuerit* (verba sunt Canonis) *sive metu, seu ignorantia, & inscitia, in propitiatorias preces septem diebus suscipiat, & octavo die lavetur, & a lavacro linteo accinctus Chrismate inungatur, ut solent inungi qui baptizantur, & ferat vestis novas secundum ordinem eorum, qui illuminantur*. Non probat (inquam) contrarium, quia cum illa ablutione canon baptismatis formulam, *Baptizatur servus Christi, &c.* nequaquam conjungit; unde non obscure colligitur, ritum illum, quo redux appostata sæpius abluitur, meram esse cæremoniam, qua illi appostatæ, nec non spectatoribus ponat ob oculos innocentiam baptismalem, quam ab Ecclesia defectio penitus extinxerat, quamque reditus ad unitatem suscitat.

3. Nulli ministro licitum est alicujus Sacramenti materiam, & formam applicare subjecto, quod illi recipiendo incapax, & ineptum certo judicetur: Eam ob rem non levis sacrilegii reus fieret Sacerdos, qui supra virum, qui sibi fuisset confessus, quemque certo sciret non esse contritum, verba, ex quibus absolutio constat, serio proferret, Atqui minister, qui apud Græcos juxta S. Methodii canonem apostatam redeuntem chrismate inungit, profertque hæc verba, *Signaculum doni Spiritus sancti*, quæ quidem (ut fatetur Goarius) sunt Confirmationis forma, certo scit illum apostatam recipiendæ Confirmationi omnino ineptum esse, cum eum non lateat ipsum in Ecclesia Catholica Confirmatione, quæ valuerit, insignitum fuisse, ac proinde characterem indelebilem recepisse, quo efficitur, ne Sacramentum, quod semel valuit, iterari possit.

Ex iis Theologis, quibus persuasum est, solam orationem, qua Spiritus Sanctus invocatur ad robur, esse essentialem Confirmationis formam, nonnulli ad S. Methodii canonem respondent eo non præscribi Sacramenti collationem, quippe qui non injungat ministro, ut dum apostatam inungit, Spiritum sanctum invocet ad robur, sed ad remissionem peccatorum, quibus apostata a Catholicis ad hæreticos deficiens sese commaculavit; ita pereruditus vir R. P. Natalis Alexander Dominicanus ratiocinatur ad canonem 7. prioris Concilii Constantinopolitani.

Sed nobis non probatur ea responsio: Siquidem in apostatam redeuntem Spiritus sanctus invocatur; non tantum ad apostasiæ remissionem, sed etiam ad robur fidei, & Christianitatis perfectionem, seu consummationem, quæ sunt duo Sacramenti Confirmationis effectus. 1. In Euchologio Patriarchali, quod sub hocce titulo Goarius describit, *Qua ratione ex hæresibus in sanctam Dei Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam remigrantes suscipere oporteat*, hæc oratio, quæ conceptis terminis effectum Confirmationis exprimit, immediate ante hæretici reducis inunctionem recitatur, *Perfectum servum tuum redde illum*: hæc alia oratio chrismationem subsequitur. *Domine Deus noster, qui perfectum renunciare servum tuum N. per rectam in te fidem, & sancti tui unguenti signaculum dignatus es. Tu omnium Domine veram in te fidem in illo custodi, adauge illum in justitia, & omnibus a te gratiis profluentibus exorna*. 2. Licet in hæreticorum admissione in sinum Ecclesiæ juxta canonem S. Methodio adscriptum, nonnullæ preces expiatrices unctionem præcedant, quibus Spiritus sanctus invocatur, ut baptismatis antea recepti scintillam excitet; aliquæ etiam leguntur, quibus idem Spiritus ad fidei conservationem, & robur exoratur; *Cruce tua vallatum sit* (verba sunt, quæ a ministro proferuntur) *& venerandi nominis tui super nos invocati gloria armatum, serpentes, & scorpiones calcare concede*. Post peractam unctionem minister pro dato reduci Spiritu sancto gratias Deo referre jubetur, ut supra fuit a nobis observatum. 3. Hæc alia oratio recitanda præscribitur, ante illius unctionem, qui a pueritia ad paganismum defecit, *Da illi per gratiam, & adventum sancti tui Spiritus adversus hostem virtutem, & robur, ut potestatem omnem inimicam dejiciat, & conculcet*.

Arcudius ad argumentum, de quo agitur petitum respondet, S. Methodii canonem, si tamen ejus sit, a posterioribus Græcis corruptum fuisse, *Verisimile est* (inquit) *rubricas a principio hujus cæremoniæ de ungendo & abluendo, & in fine post precationes appendicem formæ, quam putat esse hæc verba*, SIGNACULUM, *&c. a posterioribus Græcis additas fuisse: argumento est, quod etiam in Euchologio manuscripto Patriarchali Cryptæ ferratæ, quod postea nactus sum, nihil de forma reperiatur, cum alioquin in eo, ubi recensetur canon septimus secundi Concilii de uno aliquo ex illis hæreticis jam converso habeatur, quod Sacerdos inungit cum unguento, quemadmodum & recenter illuminatos eadem verba, & super ipsum faciens, hoc est eamdem formam enuncians, quod tamen non dicitur, nec habetur in hac altera cæremonia*.

4. Alii Scriptores fatentur, canonem, de quo est quæstio, esse S. Methodii fœtum, concedunt, ritum, quem præscribit, nulla in parte corruptum fuisse, præterquam in titulo, qui de apostatis inscribitur, cum de solis hæreticis, inscribi debeat. S. Methodius idem præscripsit, quæ Concilium primum Constantinopolitanum canone 7. injunxerat, ut nempe hæreticis, qui in sua secta confirmati non fuerant, Confirmatio, cum redirent ad unitatem, conferretur: Eam tamen regulam ad ipsos etiam apostatas, seu baptizatos, & confirmatos in Ecclesia Catholica Greci Schismatici posteriores extenderunt. Unde hoc unum ex Euchologio, quo Græci Schismatici utuntur recentiores hæretici colligere possunt, nempe post sæculum 14. nonnullos repertos fuisse Schismaticos, qui Confirmationem in Ecclesia datam characterem indelebilem non imprimere censuerint.

§. II.

Defenditur Ecclesiæ fides de charactere Confirmationis in Ecclesia datæ.

CONclusio, Sacramentum Confirmationis datum in Ecclesia Catholica characterem imprimit. Ita Sess. 7. de Sacramentis in genere Concilium Tridentinum definiit.

Probatur ex Scriptura. Paulus in Epist. ad Hebræos cap. 6. hæc scribit; *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati*, per baptismum (ita enim Chrysostomus interpretatur, necnon alii Patres, qui baptisma Sacramentum illuminationis passim appellarunt) *& participes facti sunt Spiritus sancti*, per impositionem manuum, cujus Apostolus paulo ante meminerat, *Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, &c. rursus renovari ad pœnitentiam*, priorem scilicet, quæ in baptismo, & manuum impositione consistit.

Sed ipsiusmet Chrysostomi, Apostoli locum exponentis verba subjicienda sunt. *Cur autem hæc dicit? Quoniam erat verisimile eos, vel cum jam credidissent vacillare, vel male, & dissolute vivere; Dicit ergo, Expergiscimini. Non licet dicere, Si dissolute, & negligenter vixerimus: rursus baptizabimur; Catechesi rur-*

sus

sus instituemur, accipiemus Spiritum sanctum, & si a fide non exciderimus, rursus baptizati poterimus peccata abluere, Erratis: Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, &c. Censet igitur Chrysostomus non minus colligi ex Paulo iterari non posse manuum impositionem, quæ baptismum subsequitur, quam ipsummet baptisma. At quod non iteretur non alia potest afferri ratio, quam quod sicut baptisma, characterem indelebilem neophytis imprimat.

Probatur iterum ex Patribus. Docuerunt scilicet 1. neophytos per Confirmationem signari tamquam Christi milites. Tertullianus, ut probet, diabolum Dei simiam esse, ad nostram chrismationem alludens hæc ait, *Signat illic in fronte milites suos*. Cyprianus Epist. 77. *Sigillo Domini consummentur*. At sigillum indelebile, ipsemet est character, de quo hic agitur.

Docuerunt 2. per Confirmationem nos quadam consecratione insigniri: Sed consecratio perpetuo manet: ea enim ratione Augustiuus utitur, ut probet, baptismum iterari oon posse; *Utrumque* (inquit contra Epistol. Parmeniani capite 13.) *Sacramentum est, & quadam consecratione homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; ideoque in Catholica utrumque non licet iterari*,

Docuerunt 3. Confirmationem neqnaquam iterari posse, *De dedicationum Ecclesiarum dubitatione* (verba sunt Gregorii Magni lib. 12. Epist. 31. (*hoc vos rite tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus, idest ut quoties tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur .... utrum baptizati, vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: Quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum*.

Docuerunt 4. etiam conceptis terminis, Sacramentum, de quo agitur, characterem imprimere, Baptizatus es (ait Augustinus) SIGNATUS ES REGIO CHARACTERE *coepisti consequi annonam de mensa Regis tui*. Ea Augustini sententia exprimuntur Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quæ quondam simul, & semel conferebantur, proindeque S. Doctor credidit Confirmatione, per quam oeophyti signantur, characterem indelebilem produci; Non enim est, quod quis reponat verba ista Augustini *Signatus es*, de baptismate intelligi; nam capite 2. ejusdem Sermonis de Catechismo, easdem voces, *signatus es*, per unctionem ex oleo reddit, *Baptizatus es, mundatus es, unctus es oleo, &c.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Confirmatio extra Ecclesiam data characterem imprimat?

CONfirmatio extra unitatem Catholicam collata considerari potest vel secundum antiquæ Ecclesiæ disciplinam, vel secundum præsentis usum: De illius efficacia respectu characteris pro duplici illo tempore est a nobis hoc in articulo disputandum.

§. I.

An Confirmatio extra Ecclesiam data characterem olim imprimeret?

NON una est de proposita quæstione Theologorum sententia. Morinus lib. 9. de Pœnitentiæ Sacramento capitibus 9. & 10. mulris argumentis probare contendit, Confirmationem ab hæreticis, etiam secundum ritum, quem Christus instituit, datam per mille, & amplius annos non valuisse; unde ad ejus mentem concludendum est ea nullum recipientibus impressum fuisse characterem. Maldonatus non ultimus inter scriptores e Societate Jesu Morino prævit: Docet nempe, Sacramentum, de quo agitur, in tota Ecclesia veteri fuisse iteratum. *An debeat repeti Confirmatio, fuit antiqua quæstio* (inquit Tom. 1. de Sacramentis quæstione 2.) *hic distinguendum esse censeo. Nam quod ea Confirmatio, quæ a Catholicis Episcopis data fuit, non debeat repeti semper fuit certum, & de ea intelliguntur omnes canones Conciliorum qui agunt de hac re. Tamen, an Confirmatio data ab Episcopis hæreticis repeti deberet in Ecclesia Catholica, non ita fuit certum: imo existimo in tota veteri Ecclesia fuisse repetitam, quia non existimabatur esse vera Confirmatio, quod colligo ex omnibus antiquis Scriptoribus, qui absolute sine ulla distinctione docent, eos omnes, qui apud hæreticos fuerint baptizati, cum redeunt ad Ecclesiam Catholicam, non esse baptizandos iterum, sed confirmandos*.

Aliis e contra Theologis persuasum est quovis tempore rectam fuisse, ac veram Confirmationem, quam quis etiam ab hæreticis accepisset.

Conclusio. Confirmario in hæresi, aut schismate secundum ritum a Christo iostitutum collata characterem, etiam prioribus sæculis neophytis impressit.

Probatur. Confirmatio in hæresi, aur schismate prioribus sæculis collata oullibi, & nusquam iterata fuit a Patribus, quibus probatum fuit hæreticorum baptisma. Ergo characterem semper impressit iis, qui ea signati fuissent. Antecedens, io quo difficultatis cardo vertitur, variis argumeotis ostenditur.

1. Confirmatio, quam hærerici contulissent, tertio sæculo Romæ iterata non fuit, cum ne id fieret Stephanus Papa scribens ad Cyprianum Hæreticos redeuntes alio baptismate, aliaque Confirmatione donantem, his verbis vetuerit, *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Eo Stephani decreto, quod refert Cyprianus Epist. 74. ad Pompejum, patet in hæresi baptizatis, & confirmatis non aliud Sacramentum debuisse tunc conferri, quam Sacramentum pœnitentiæ, quod quidem impositione manuum in pœniteotiam designatur, cum e contra Confirmatio eo oomine nusquam a Patribus appellata sit.

Nec argumenti vim enervat Morious, dum in laudatum Stephani decretum meodum irrepsisse contendit, seu loco hujus termini, *In pœnitentiam*, hunc alterum debere legi: *In Spiritum sanctum*, quippe quî a Cypriano in Stephanum agente, ac illius decretum vellicante sæpius repetitus fuerit. Nam 1. in omnibus, quæ extant, hujusce decreti exemplaribus, vox hæc, *In pœnitentiam*, non autem hæc alia, *In Spiritum sanctum*, legitur. 2. Cyprianus Epist. 74. ubi Stephani saoctionem refert, non semel, sed bis asserit, voluisse Stephanum, ut hærerici per impositionem manuum *In pœnitentiam* reciperentur, *Sed tantum* (inquit) *manus illis imponatur in pœnitentiam*, & postea, *Ut hæretico tantum manus imponatur in pœnitentiam*. 3. Cyprianus in iis tantum hæreticis, qui baptizati fuerant in Ecclesia Catholica, contendit observari debere consuerudinem, secundum quam Stephanus statuerat recipiendos esse etiam eos hæreticos, qui extra unitatem Catholicam intincti fuissent. *Dicunt* (ait S. Doctor in Epist. ad Quintum) *se in hoc veterem consuetudinem sequi, qui quando apud veteres hæreses, & schismaticos prima adhuc fuerunt initia, ut illic essent, qui de Ecclesia recedebant, & hic baptizati prius fuerant: quos tunc ad Ecclesiam revertentes, & pœnitentiam agentes necesse non fuerat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constat hic baptizatos esse a nobis, & ad hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, & errore digesto, ad veritatem, & matricem redeant, satis sit in pœnitentiam manum imponere*. At ea consuetudo (ut ex allata Cypriaoi sententia constat) erat, ut apostatæ per impositionem manuum in pœniteotiam, seu per Sacrameotum pœnitentiæ reciperentur; Ergo de eadem manuum impositione respectu hæreticorum, qui fuissent extra Ecclesiam baptizati, Cyprianus decretum Stephani ioterpretatus est. 4. Quamvis Confirmario dici non potuerit impositio manuum *In pœnitentiam*, eo quod noo pœnitentibus, sed ionocentibus, idest jamjam baptizatis antiquitus daretur: tamen nihil obstat, quin pœnitentiæ Sacramentum a Stephano, & a Cypriano per manuum impositionem *In Spiritum sanctum* designatum fuerit, quippe quod Spiritum sanctum per mo-

modum suscitatinnis e mortuis conferat. Ergo quamvis in Stephani decreto hæc verba, *In Spiritum sanctum*, legi deberent (ut Morinus contendit) inde tamen non conficeretur, Stephanum Papam edixisse, ut hæretici redeuntes per Confirmationem reciperentur.

1. Præsulibus Africanis rata erat quarto, & quinto sæculo Confirmatio extra Ecclesiam data. Veritatis hujusmodi testis est Optatus Milevitanus libro 7. contra Parmeniaaum Donatistam, quem sic alloquitur, *Numquid nos exterminamus oleum vestrum, ut merito nos muscas morituras appelletis? Quod vestrum est, apud vos est. Et si a vobis ad nos aliquis transitum fecerit, sic a nobis servatur, quomodo a vobis dimittitur: quomodo dicitis, quia nos sumus muscæ morituræ suavitatem olei corrumpentes, cum post vos nihil tale fecerimus?* Et postea sic prosequitur, *Si nos exterminaremus a vobis confectum oleum, merito nos muscas morituras appellare possetis: sed dum, quod a vobis unctum est, tale servamus, quale suscipimus, muscæ morituræ esse non possumus.* Ea Optati verba demonstrant, Catholicos olei confirmatorii consecrationem a Donatistis peractam nequaquam iterasse, seu confirmatos a Donatistis nequaquam, dum redirent, a Catholicis confirmatos fuisse; demonstrant quoque persuasam fuisse catholicis, Confirmationem extra sinum Ecclesiæ collatam characterem indelebilem impressisse.

Vim argumenti sensit Morinus, nec aliud habuit, quod reponeret, quam istud, cum Donatistis scilicet fuisse dispensatum ab Ecclesia, eo quod non essent hæretici, sed schismatici tantum, seu, quod idem est, Ecclesiam suis legibus schismaticos non reddidisse inhabiles ad conferendam Confimationem, quamvis hæreticos proprie dictos ad id muneris inhabiles effecisset.

Sed facile Morino præcluditur effugium. 1. Et nullo prorsus Ecclesiastico monumento probat id, quod supponit. 2. Non schismatici tantum, sed & hæretici fuerunt Donatistæ, contendebant nimirum Ecclesiam Christi nonnisi in parte Donati in Africæ angulo remansisse, eo quod (inquiebant) cæteri omnes orbis fideles cum Ceciliano sacrorum codicum (ut fingebant) traditore communicassent. 3. Augustinus libro 3. de Baptismo contra Donatistas asserit Ecclesiam Africanam probasse non baptismum modo, sed etiam quodlibet aliud Sacramentum sive a schismaticis, sive ab hæreticis dispensatum; *Quodlibet* (inquit capite 15.) *hæretici accipiant*,) sive prophetiam, sive Sacramentum) *charitas proprium donum est Catholicæ unitatis, & pacis*, quasi sic argumentatus fuisset contra Donatistas, Male colligitis Sacramenta ab hæroticis conferri non posse, quod charitatem, seu Spiritum sanctum dare non valeant: nam aliud est Sacramentum, quod quidem hæretici habere possunt, aliud vero Sacramenti operatio, seu charitas, quam nec habent, nec habere possunt. Quod S. Doctor libro 3. capite 20. de omnibus in genere Sacramentis asseruerat, idem in specie de Confirmatione docet libro 5. capite 19. ubi convellit principium, quo Cyprianus usus fuerat, ut Confirmationem extra Ecclesiam datam probaret esse inanem. Hujusmodi autem erat illud principium: Hæretici oleum non possunt consecrare: Ergo nec dispensare Confirmationem, in cujus collatione oleum consecratum adhibetur; *Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatur* (verba sunt S. Martyris ad Januarium scribentis) *sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritualis apud hæreticos potest esse, cum constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse.* Rationem mox petit ex Scriptura: *Scire autem, & meminisse debemus scriptum esse, Oleum peccatoris non ungat caput meum.* Illud vero Cypriani principium ex eo confutat Augustinus, quod, fatente etiam Cypriano, oleum consecrari possit ab iniquis, modo rectam fidem profiteantur; unde everso hujusmodi principio, concludit, tam oleum posse ab hæreticis consecrari, proindeque dispensari Confirmationem, quam ipsum baptisma. *Cur autem* (argumentatio est Augustini) *ad verba, quæ procedant ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, & in altari, quod hæretici posuerunt, non possit, nescio.* Ea Augustini sententia cum non schismatici tantum, sed etiam hæretici exprese nominentur, non est, cur Morinus istos secernat ab iis, cum agitur de Confirmatione, quam quis extra Ecclesiam accepetit: Non magis igitur cum Donatistis, quam cum hæreticis proprie dictis circa Confirmationem Ecclesia sæculo quinto dispensarat.

3. In Ecclesiis Gallicanis sexto ineunte sæculo Confirmatio extra Ecclesie sinum recepta non solebat iterari. Alcimus Avitus Episcopus Viennensis, qui obiit anno 527. a Stephano Episcopo Lugdunensi interrogatus, quo ritu quidam Donatista, cui displicebat chrisma, in Ecclesiam admitti deberet, hoc Epistola 24. responsum dedit, *Manus impositionem personæ, de qua scribitis, adhibet, quam constat, si revera in supradicti schismatis professione versata est, cum ministerio baptismatis etiam chrismate consignatum.* In illud Aviti responsum observare est 1. Donatistas solitos fuisse Confirmationis Sacramentum suis neophytis impertiri: id enim laudatus Præsul tamquam certissimum, ac constans supponit. 2. Manuum impositionem, quam vult illi Donatistæ adhibendam non esse confirmatoriam, sed reconciliatricem, seu non esse Sacramentum Confirmationis, sed Sacramentum pœnitentiæ, illi siquidem manuum impositioni chrismationem opponit. 3. Ideo ab Avito asseri illum Donatistam alia Confirmationo non debere insigniri, quod in hæresi a suis confirmatus fuisset. Nullatenus igitur Francorum Ecclesia datam ab hæreticis Confirmationem sexto sæculo iterabat.

4. Orientis Patribus, quibus ratum erat datum ab hæreticis baptisma, probata quoque fuit Confirmatio, quam iidem hæretici contulissent: Nicæna prima Synodus jubet canone 8. ut Cathari, sive Novatiani in Ecclesiam per impositionem manuum admittantur. *Sanctæ magnæ Synodo visum est, ut impositis eis manibus, sic in Clero maneant.* Per illam manuum impositionem ordinatio non significatur, cum nusquam auditum sit, Novatianos nova ordinatione consecratos fuisse, cum in Ecclesiam redibant. Non significatur quoque Sacramentum pœnitentiæ, licet enim (ut suo loco dicemus) privatim a peccatis absolverentur, per impositionem tamen manuum, quæ chrismationi conjuncta esset, admittebantur, ut videre est septimo canone prioris Concilii Constantinopolitani, necnon in Theodoreto, qui (ut jam alias observatum est) libro 3. hæreticarum Fabularum hæc de illis ait, *iis, qui ab ipsis tinguntur, sacrum chrisma non præbeat; quocirca etiam, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres* (tum Nicæni, tum Constantinopolitani) *ungi jusserunt.* Ponderent velim adversarii rationem, propter quam Patres, ex Theodoreto, redeuntes Novatianos confirmarunt. Ideo id factum asserit, quod Novatiani in sua hæresi chrismate delibuti non fuissent: At ea ratio inanis esset, si cæteros quoque in sua secta confirmatos iterum confirmavissent: cum ad nnitatem redibant. Ergo Orientalibus Patribus quarto sæculo probata fuit Confirmatio, quam quis extra Ecclesiam recepisset.

5. Denique Eusebius Hist. libro 7. capite 2. ortam Cyprianum inter & Stephanum Papam contentionem describens sic loquitur, *Cum per id tempus non mediocris controversia exorta esset, utrum eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret, quippe antiqua consuetudo invaluerat, ut in ejusmodi hominibus sola manuum impositio cum precationibus adhiberetur.* Circa illam Eusebii sententiam hæc observata velim. 1. Eusebius alludit ad consuetudinem, quam Stephanus opposuerat Cypriano, qui baptizatos, & confirmatos in hæresi, rursus & abluebat, & confirmabat. At ea consuetudo ferebat, ut hujusmodi sectariis manus in pœnitentiam imponerentur, ut jamjam ex ipsis Stephani verbis ostendimus. 2. Quamvis Orientales Confirmationis Sacramentum nonnumquam manuum impositionis nomine expresserint, (ut mox in Nicænis Patribus observatum est) id tamen raro factitatum fuit, plerumque enim ipsum per chrismatis unctionem designare soliti sunt. Ergo Eusebius per impositionem manuum non expressisset Confirmationem, si de eo Sacramento loquendi mens ipsi fuisset.

Solvun-

Solvuntur adversariorum argumenta.

Objicies 1. Cyprianus, ut probet non valere datum ab hæreticis baptiſma, ſupponit tamquam certiſſimum principium, Papam Stephanum, contra quem agit, non admiſiſse Confirmationem, quam hæretici contuliſsent: Sic enim argumentatur Epiſt. 74. *Cur non in ejusdem Chriſti nomine illic* (apud hæreticos) *baptizato manus imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum? Cur ejuſdem majeſtas nominis non prævalet in manus impoſitione, quam valuiſſe contendunt in baptiſmi ſanctitate? Nam ſi poteſt quis extra Eccleſiam natus templum Dei fieri, cur non poſſit ſuper templum & Spiritus ſanctus infundi?* Quaſi dixiſset, Fateris O Stephane manuum impoſitionem Confirmatoriam apud hæreticos receptam non valere: A fortiori igitur rejicere debes datum ab hæreticis baptiſma, cum difficilius ſit, ut quis extra Eccleſiam fiat templnm Spiritus ſancti, nempe per baptiſmum, quam ut extra eamdem Eccleſiam recipiat augmentum gratiæ per Confirmationem.

Reſpondet ad illud argumentum eruditus Natalis Aleaander Diſs. 10. in hiſtoriam Eccleſiaſticam ſæculi ſecundi, Cyprianum ſuæ cauſæ ſtudio abretum falſo exiſtimaſse impoſitionem manuum, per quam Stephanus decreverat recipiendos eſse hæreticos, ipſummet eſse Confirmationis Sacramentum: unde (inquit laudatus author) ex falſa hypotheſi contra Stephanum argumentatus eſt.

Sed nobis non probatur ea reſponſio. Nam 1. gratis profertur in medium, cum nullus textus laudari poſſit, quo probetur, Patres id de Cypriano ſenſiſſe. 2. Auguſtinus, qui in ſuis de Baptiſmo libris ſigillatim ipſius Cypriani, aliorumque rebaptizantium argumenta diſsolvit, reſpondit nuſquam (ut tamen debuiſset reſpondere) Cyprianum falſo ſuppoſuiſse, quod apud Stephanum irrita eſset data ab hæreticis Confirmatio.

Reſpondent alii, quibus adhæremus, Cyprianum ex alia falſa ſuppoſitione contra Stephanum Papam argumentatum fuiſse: illi ſcilicet perſuaſum fuit, Stephanum velle baptiſma in hæreſi datum adultis, non valere modo quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad effectum, ſeu quoad remiſſionem peccatorum; contendebat enim unum ab alio ſeparari non poſse. Ex falſa illa hypotheſi, quam Auguſtinus detexit, & confutavit libro 3. de Baptiſm. capite 10. Cyprianus concluſit Confirmationem, quam quis in hæreſi recepiſset, valere etiam quoad effectum: unde iterum concluſit hinc ſequi adultos ab hæreſi redeuntes, ut accipiant Spiritum ſanctum, non indigere impoſitione manuum in pœnitentiam, per quam Stephanus eos admitti debere ſcripſerat.

Objicies 2. Cyprianus de Confirmationis, non autem de Pœnitentiæ Sacramento interpretatus eſt manuum impoſitionem, per quam Stephanus hæreticos eſse recipiendos ſtatuerat; ubi enim S. Martyr Stephani decretum retulit, fatetur ſe cum eodem Stephano in hoc convenire, quod hæreticis redeuntibus manus imponendæ ſint, ſed iterato antea baptiſmate in hæreſi recepto, quod quidem fieri non debere Stephanus inficiabatur: *Eo quod* (inquit ad Jubajanum ſcribens) *parum ſit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum, niſi accipiant, & Eccleſiæ baptiſmum; tunc enim demum plene ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur.* At alterum illud Sacramentum, quod Cyprianus poſt Stephanum manuum impoſitionem appellat, quodque contendit ſtatim poſt baptiſmum conferri debere hæreticis, non poteſt eſse Sacramentum pœnitentiæ: nemo enim in animum inducet ſuum, cenſuiſse Cyprianum eos, qui mox ſine fictione baptizandi eſsent, abſolutione Sacramenti donari debere, quaſi vero S. Doctorem latere potuerit, quod per baptiſmum omnia peccata, & quoad culpam, & quoad pœnam dimittantur.

Reſp. Cyprianum per hæc verba, *Si Sacramento utroque naſcantur*, non intelligere Baptiſmum, & Confirmationem, ſed aquam, & Spiritum ſanctum, ex quibus ita baptiſmum conſtare credidit, ut docuerit, alterutro deſinente, nullum eſse, etiam quoad ſubſtantiam, Sacramentum. Confirmatur noſtra ſolutio 1. ex eo quod Cyprianus utriuſque Sacramenti, de quo loquitur, neceſſitatem his Chriſti apud Joannem verbis, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto &c.* probaverit. *Tunc enim* (inquit Epiſt. 72.) *demum plene ſanctificari, & eſſe filii Dei poſſunt, ſi Sacramento utroque naſcantur, cum ſcriptum ſit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Confirmatur 2. his verbis Nemeſiani a Thubunis, qui adfuit Concilio Carthaginenſi, in quo (Preſide Cypriano) contra Stephanum decretum eſt iterari debere hæreticorum baptiſma; *Hic eſt Spiritus, qui ab initio ferebatur ſuper aquam; neque enim Spiritus ſine aqua operari poteſt, neque aqua ſine Spiritu. Male ergo ſibi interpretantur quidam, ut dicant, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum accipiant, & ſic recipiantur, cum manifeſtum ſit utroque Sacramento* (aqua nimirum, & Spiritu) *debere eos renaſci in Eccleſia Catholica.* Ex eo principio, quod nempe baptiſma ex duplici Sacramento, aqua, & Spiritu eſsentialiter conſtet, Cyprianus duo concluſit 1. inane eſse etiam quoad ſubſtantiam baptiſma, quod altera parte aut aqua, aut ſpiritu deſtitutum ſit. Concluſit 2. eum, qui unam baptiſmatis partem ſine altera receperit, iterum baptizandum eſse. *Invenimus* (inquit) *etiam in actis Apoſtolorum, hoc eſſe ab Apoſtolis cuſtoditum ...... ut cum in domo Cornelii Centurionis ſuper ethnicos, qui illic aderant, fidei calore ferventes, deſcendiſſet Spiritus Sanctus: nihilominus tamen beatum Apoſtolum Petrum Divini præcepti, atque Evangelii memorem præcepiſſe, ut baptizarentur iidem illi, qui jam fuerant ſancto Spiritu pleni, ut nihil prætermiſſum videretur.*

Objicies 3. Cyprianus ad Jubajanum ſcribens ſupponit Papam Stephanum pro imponenda redeuntibus hæreticis manu, argumentatum fuiſſe ex illo Actorum loco, quo conſtat Samaritanis, quos Philippus baptizarat, non baptiſmum poſtea ab Apoſtolis fuiſse datum, ſed manus dumtaxat impoſitas fuiſse. Ergo manuum impoſitionem, de qua Stephanus ad illum ſcripſerat, de Confirmatione intellexit, cum certum ſit de ea agi Actorum 8. cap. ex quo ſupponit Stephanum deſumpſiſse argumentum, quo latum ab eo decretum nitebatur. *Ideirco* (ait Cyprianus ſolvens Stephani rationem) *quia legitimum, & Eccleſiaſticum baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, ſed tantummodo quod deerat, id a Petro, & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus Sanctus, quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, Præpoſitis offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & Signaculo Dominico conſummentur.*

Reſp. 1. argumentum eſse de non ſupponente; Ratio eſt, quia Cypriani Epiſtola ad Jubajanum, ſcripta fuit immediate poſt alterum Carthaginenſe Concilium, quo rebaptizatio ab Africanis probata fuit, ac proinde antequam Cyprianus Stephani litteras de non rebaptiaandis hæreticis accepiſset, quamvis enim Concilii Epiſtolam ad Stephanum, tunc temporis miſiſset, nondum tamen, cum ſcribebat ad Jubajanum, illius reſponſum acceperat. *Et nunc quoque* (ait S. Martyr ad Jubajanum ſcribens) *cum in unum conveniſſemus, tam provinciæ Aſiæ, quam Numidiæ Epiſcopi, numero ſeptuaginta & unus, hoc idem denuo ſententia noſtra firmavimus, ſtatuentes unum baptiſma eſſe, quod ſit in Eccleſia Catholica conſtitutum, ac per hoc non rebaptizari, ſed baptizari a nobis.*

Reſp. 2. dato antecedente neg. conſequ. Ratio eſt, quia Patres inter argumentandum non raro iis Scripturæ locis utuntur, quæ ad cauſam, de qua agunt, proprie non pertinent, ſed ſæpe ad diverſam. Exemplo ſint Cyrillus, & alii, qui non ſemel bis Chriſti verbis Joannis 20. *Quorum remiſeritis &c.* baptiſmatis virtutem confirmarunt, quamvis ſtricte de uno pœnitentiæ Sacramento intelligantur. Concludi ergo non poteſt, Stephanum cenſuiſſe hæreticis ad unitatem redeuntibus imponendam eſſe manum confirmatoriam, ex eo quod, ut probet imponendam eſſe reconci-

conciliatoriam, seu conferendum esse Sacramentum pœnitentiæ; loca profert, quæ de priori, non autem de posteriori proprie, ac stricte intelliguntur.

Objicies 4. Augustinus lib. 3. de Baptismo contra Donatistas capite 16. sic loquitur: *Manus autem impositio, non sicut baptismus repeti non potest*. Ea manuum impositio, de qua S. Doctor, non est reconciliatoria, seu in pœnitentiam, sed confirmatoria, eadem enim est, per quam Apostoli baptizatis Spiritum sanctum visibiliter conferebant Actorum 8. cum Augustinus asserat per manuum impositionem, de qua loquitur, olim dona Spiritus sancti collata fuisse: *Neque enim* (inquit) *temporalibus, & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda; Quis enim nunc expectat, ut ii, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui*.

Resp. Augustinum capite 16. libro 3. de Baptismo de duplici manuum impositione locutum fuisse Confirmatoria nimirum, & reconciliatoria. Priorem intelligit, cum asserit effusionem visibilem spiritus sancti eam olim comitatam fuisse; posteriorem vero, cum ait eam repeti posse. Intentum Augustini eo in capite est, ut probet Spiritum sanctum inhabitantem, seu charitatem, quæ justificet, in Ecclesia Catholica non vero in aliqua alia communione reperiri. Ut scopum assequatur, 1. solvit objectionem ex eo petitam, quod Spiritus sanctus visibiliter nunc, sicut olim, in fideles per impositionem manuum non descendat. 2. solvit aliud argumentum ex eo desumptum, quod impositio manuum reconciliatoria, qua hæreseos peccatum dimittitur videatur non magis repeti posse, quam baptismus, ac proinde impossibilis sit hæreticis ad unitatem reditus.

Objicies 5. Prius Concilium Constantinopolitanum canone 7. jubet, ut Novatiani, Arriani, Macedoniani, Apollinaristæ, & nonnulli alii hæretici, dum in Ecclesiam redeunt, inungantur in fronte, & in aliis quibusdam partibus, prolatis his a ministro verbis, *Signaculum doni Spiritus sancti* (sic habet laudatus canon) *Eos, qui rectæ fidei adjiciuntur, recipimus secundum subjectam hic consequentiam, & consuetudinem, Arrianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos & Novatianos, & Thessaradecatitas, & Appollinaristas recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresim anathematizantes ..... & signatos, sive unctos primum sancto chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & signantes dicimus, Signaculum doni Spiritus sancti*. Ritus ille non aliud est, quam Confirmatio, cum saltem ex Arcudii, Goarii, aliorumque plurium sententia, illius Sacramenti materiam, & formam contineat. Ergo Constantinopolitana Synodus Confirmationem in hæresi datam iterari voluit; omnes quippe Sectarii, quorum meminit, si Novatiani excipiantur, jam in sua hæresi consignati fuerant: ea enim quondam erat, & est his etiam temporibus Orientalium omnium consuetudo, ut hæc tria Sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia simul conferrentur.

Respondent 1. nonnulli ritum, quem Constantinopolitana Synodus præscribit, non esse Sacramentum Confirmationis, sed meram cæremoniam, quæ quolibet effectu spirituali vacua sit.

Sed admitti non debet illa responsio 1. quidem in eorum sententia, quibus probatum est hæc verba: *Signaculum doni Spiritus sancti*, esse adæquatam, & essentialem Sacramenti Confirmationis formam: 2. Non stat quoque cum ea opinione, qua docetur hoc Sacramentum non aliam habere formam, quam orationem, quæ unctionem præcedit, & qua Spiritus sanctus in neophytum invocatur: Nam licet canon septimus primi Concilii Constantinopolitani non referat integrum ritum, per quem ab hæresi redeuntes admittuntur ab Orientalibus, reperitur tamen integer in Euchologiis, ex quibus par est ea supplere, quæ ritui a Synodo Constantinopolitana præscripto deesse videntur: Ex Euchologiis autem constat, Græcos hæreticorum unctioni, de qua Concilium, præmittere orationem, per quam in hæreticum redeuntem invocatur Spiritus sanctus non tantum ad remissionem hæreseos, (ut quidam contendunt) sed etiam ad robur fidei, & characteris baptismalis perfectionem. Loca quibus ea responsio nititur superius protulimus in medium.

Respondent 2. alii, hæreticos, quorum catalogum Synodus describit, eo sæculo non curasse de Confirmatione suis neophytis conferenda. Nec id gratis asserimus, cum ex Theodoreto ideo Concilium Novatianos inungi præscripserit, quod a suis inuncti non fuissent. *Iis, quos baptizant* (inquit loco superius relato) *sanctissimum chrisma non præbent, quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt*. Quidni ergo idem de cæteris hæreticis dicetur, quos una cum Novatianis Concilium inungi vult, cum redierint.

Quæres, an ritus 7. canonis prioris Concilii Constantinopolitani de inungendis redeuntibus hæreticis, non apud Orientales modo, sed & apud Occidentales aliquando obtinuerit?

Respond. affirmative. Nam 1. alio detorqueri vix possunt hæc Siricii Papæ verba Epist. decretali ad Himerium Tarraconensem cap. 4. *Quos* (de Arrianis loquitur) *nos cum Novatianis, alisque hæreticis, sicut in Synodo constitutum est, per invocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit*. Concinit Leo Magnus, hæc nimirum habet Epist. 37. cap. 2. *Quod ibi defuit*, (in hæresi, in qua baptismum in nomine Trinitatis dari supponit) *conferatur, ut per Episcopalem manus impositionem, virtutem Spiritus sancti consequatur*. Siricium, & Leonem de Confirmatione agere probant 1. hi termini: *Episcopalis manus impositione*, per quos antiqui plarumque Confirmationis Sacramentum designant. 2. Idem ex istis aliis colligitur, *Totus Oriens, Occidensque custodit*, quippe quod mox ostensum sit, Orientem plures hæreticos per Confirmationis Sacramentum admisisse in Ecclesiæ Catholicæ sinum. 3. Hæc verba *per invocationem solam septiformis Spiritus*, Confirmationis effectum exprimunt; non alia siquidem ratione exprimitur in oratione, quam Episcopus extensis versus confirmandos manibus recitat.

Nec obest 1. quod Siricius, & Leo chrismatis unctionem, quæ Sacramento essentialis est, non recenseant. Nam 1. implicite illius meminerunt, cum Orientis praxim retulerint. 2. Traditione docemur, Confirmationem modo per unctionem Chrismatis, modo per manuum impositionem a Patribus designari, ut de illius materia disputantes ostendimus.

Nec obest 2. hæc Gregorii Magni sententia Epist. 61. ad Quirinum: *Arrianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat*; Eo nimirum loco ritus ritui, seu unctio impositioni manuum non opponitur, sed tantum nomen nomini, ita ut Gregorius voluerit, cæremoniam, quæ ab Orientalibus dicitur Chrismatis unctio, ab Occidentalibus impositio manuum appelletur: Principium, quo nostra solutio nititur, agentes de hujusce Sacramenti materia tradidimus.

Non obest denique 3. quod Sambovius respondet, manuum scilicet impositionem, de qua Siricius, & Leo Magnus loquuntur, esse *in Spiritum sanctum*, seu producere septiformem Spiritus sancti gratiam, tamquam causam per accidens, non vero causam per se: Siquidem ratio, qua illud effugium Scholasticum confirmat, mera est petitio principii, supponit nimirum, Arrianos, de quibus Siricius agit, fuisse confirmatos in hæresi; Corruit igitur istud doctissimi alioquin viri argumentum: *Nam agit* (Siricius,) *de Arrianis, quorum Confirmatio nunquam revocata est in dubium, & Confirmatio valida iterari nequit. Ergo agit de manus impositione, quæ alia est a Confirmatoria*.

§. II.

Utrum Confirmatio, quæ nunc extra Ecclesiam datur, Characterem imprimat?

CONclusio. Confirmatio, quæ nunc extra Ecclesiam datur, Characterem imprimit.

Proba-

Probatur. Valet Confirmatio, quæ nunc extra Ecclesiam datur. Ergo characterem imprimit. Antecedens, in quo posita est difficultas, sic ostenditur; 1. Confirmatio, quam quis extra Ecclesiam contulerit, non est irrita *Jure Divino*, tum quod Divinum illud jus nullibi legatur; tum etiam quod Patres, qui solverunt argumenta, quibus Cyprianus asserebat inanem esse baptismum in hæresi collatum, iis usi sint principiis, quæ non baptismi modo, sed & aliorum sacramentorum, ipsius etiam Confirmationis in specie, licet in hæresi receptæ, validitatem adstruunt. 2. Confirmatio extra Ecclesiam data, non est irrita *Jure Ecclesiastico*; Etiamsi enim Maldonato, & Morino detur, quod supra negavimus, Ecclesiam prioribus sæculis schisma, vel hæresim apposuisse tamquam impedimentum dirimens, quo ministri præscisi ab Ecclesiæ communione ad confirmandum inhabiles redderentur, illud impedimentum multis ab hinc sæculis sublatum est. Siquidem a duodecimo saltem sæculo ad hanc usque ætatem nullum exemplum proferri potest, quo probetur, Ecclesiam Catholicam, vel in specie, iterasse Confirmationem ab hæreticis Schismaticis, aut excommunicatis datam. Præterea qui ab eo sæculo hucusque scripserunt, docuere Sacramenta, quæ jurisdictionem ex parte ministri essentialiter non præsupponunt, valere ubicumque, & quibuscumque in materia, & forma a Christo præscriptis conferantur. Factum illud non revocabit in dubium, qui Alexandrum de Hales, S. Bonaventuram, Doctorem Angelicum, Doctorem Subtilem, cæterosque Scholasticos vel a limine salutaverit.

Quæres, quo certitudinis gradu sit exploratum valere Confirmationem, quæ his temporibus extra Ecclesiam datur.

Respond. 1. id non constare eadem certitudine, qua compertum est valere baptismum ab hæreticis datum; Istud enim tertio sæculo expresse definitum fuit a Stephano Papa, cujus decreto omnes orbis Ecclesiæ, paucis exceptis, statim subscripserunt; Illud vero, etsi implicite, seu (ut ajunt) in corde censeret olim, & nunc censeat Ecclesia (ut ex illius contra Donatistas disputationibus recte infertur) nullibi tamen extat canon, quo distincte, clare speciatim, & expresse definitum sit, valere Confirmationem, quam quis extra Ecclesiam positus contulerit.

Resp. 2. nonnisi temerario, & erronee asseri posse, Confirmationem datam extra sinum Ecclesiæ, secundum ritum a Christo institutum, esse irritam, & nullam: omnes enim hujus temporis Theologi de ejus valore unanimi consensu conveniunt.

Caput Secundum.

De Gratia, quam Confirmatio producit.

De quæstione proposita recentiores hæretici tria docent: 1. Asserunt Apostolorum tempore per ritum, quem Catholici Confirmationem dicunt, seu per impositionem manuum, de qua Lucas Actorum 8. dona quidem gratis data, ut sunt donum prophetiæ, & donum linguarum, non vero gratiam sanctificantem, neophytis collata fuisse. 2. Contendunt post Apostolorum tempora, quibus Deus suorum fidem signis visibilibus, & miraculis probare desiit, confirmationem nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesiæ prælatis exponerent. 3. Docent, eam his temporibus otiosam esse cæremoniam, quippe quæ quolibet effectu spirituali vacua sit, ac jam desierit mos, quibus Christiani ex pueritia emersi suæ fidei rationem reddere quondam tenebantur.

E contra Ecclesia Catholica docet ritu, de quo agitur, produci gratiam sanctificantem. Unde concludit 1. eam olim non fuisse catechesim simplicem. 2. non esse his etiam temporibus, otiosam cæremoniam, *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse ... aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit*. Verba sunt sacræ Trid. Synodi sess. 7. de Sacram. can. 1. de Confirm. Ut Ecclesiæ fides eo canone proposita explicetur, quærendum est hic 1. utrum Confirmatio gratiam aliquam producat? 2. quænam sit gratia, quæ Confirmatione producitur?

Articulus Primus.

An Confirmatio gratiam aliquam producat?

Conclusio 1. Per impositionem manuum, de qua Lucas Act. 8. gratia sanctificans antiquitus producebatur.

Probatur 1. Lucas Act. 8. sic loquitur, *Cum audissent Apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Eo loco clare constat, Deum ad impositionem manuum Petri, & Joannis Samaritanis contulisse Spiritum sanctum: Ergo extra dubium est, eam manuum impositionem, quam quidem superius ostendimus, idem esse cum Confirmationis Sacramento, gratiam sanctificantem produxisse. Probatur consequentia. Nomine Spiritus sancti non potest intelligi donum aliquod ex iis, quæ gratis data Theologi vocant; Nam 1. nusquam in novo Testamento Spiritus sancti nomen simpliciter, & sine addito prolatum, pro dono gratis dato sumitur: imo ea dona, quæ gratis data sunt, semper dicuntur effectus Spiritus sancti, ut videre est cap. 12. primæ ad Corinth. ubi hæc habet Paulus: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult*: Idem legere est Actorum 2. ubi donum linguarum, & donum prophetiæ expresse a Spiritu Sancto distinguuntur: *Repleti sunt omnes Spiritu sancto* (inquit Lucas) *& cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*.

2. Apostoli per impositionem manuum idem contulerunt, quod ipsimet acceperunt die sacra Pentecostes, quodque Joannis 14. Christus ipsis promiserat, quod in Ecclesia usque ad sæculorum consummationem permansurum est: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere*: Atqui Apostoli die sacra Pentecostes acceperunt non tantum dona gratis data, sed ipsummet Spiritum sanctum, qui operatus est permanentem justitiam, seu gratiam sanctificantem, Christus Apostolis promiserat singularem Spiritus sancti inhabitationem, quæ malis non convenit, quibus tamen dona gratis data inesse possunt; Promiserat Spiritus sancti perpetuam in Ecclesia permansionem, quæ quidem per dona, quæ dantur ad aliorum sanctificationem, ut sunt prophetia, & virtus patrandi miracula, aliquibus tantum annis extitit in Ecclesia Catholica: Ergo Spiritus sancti nomine, de quo Lucas Actorum 8. intelligitur ipsemet Spiritus sanctus, qui augeret justitiam neophytorum, quibus Apostoli manus imponebant.

Conclusio 2. Post Apostolorum tempora neophytis datus fuit Spiritus sanctus per Episcopalem manuum impositionem,

Probatur 1. authoritate Patrum secundi sæculi. Tertullianus, qui eo desinente scripsit, libr. de Bapt. cap. 7. hæc habet: *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione*; Et ne quis de nuda cæremonia impositionem illam interpretetur, adscribit illi spiritualem effectum ei consimilem, quem aqua baptismatis producit: *In nobis* (inquit) *currit carnaliter unctio, sed spiritualiter proficit, quomodo & ipsius baptismatis carnalis actus*: Profectus autem spiritualis, quem baptismus

in ca-

in catechumenis efficit, est gratia sanctificans per modum generationis: Ergo is, quem producit unctio carnalis, de qua Tertullianus, & quæ non aliud est, quam Confirmationis Sacramentum, est gratia sanctificans, sed per modum corroborationis: Unctionem non esse materiam adæquatam baptismi suo loco probatum est; unde non ei soli Spiritus sancti collationem tribuit, sed etiam impositioni manuum, quam (ut superius ostensum est) septem priorum sæculorum Patres ab unctione chrismatis in utraque Ecclesia distinxerunt; *Dehinc* (ait Tertullianus) *manus imponitur per benedictionem* (seu orationem, quæ quondam erat, & nunc etiam est essentialis forma Confirmationis) *advocans, & invitans Spiritum sanctum... Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata* (per baptismum) *& benedicta* (per orationem) *corpora libens a Patre descendit*.

Probatur 2. authoritate Patrum tertii sæculi. Primus prodibit Cornelius Papa, qui in Epist. ad Fabium Antiochenum scribit, Novatianum ideo non recepisse Spiritum sanctum, quod baptizatus in lectulo mortis, confirmatus non fuisset; Censuit igitur Confirmatione tertio sæculo datum fuisse Spiritum Sanctum, non quidem per dona gratis data: exploratum est enim tunc penes fideles non fuisse vim miracula patrandi, quæ in primis Christianis eluceserat. Subjicienda sunt ipsamet Cornelii verba, *Neque ab Episcopo consignatus est: hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* Alterum ejusdem sæculi scriptorem laudamus Cyprianum, qui agens contra Stephanum Papam docet confirmatoriam manuum impositionem, iterato in Ecclesia Catholica baptismate, quod quis in hæresi recepisset, redeuntibus conferre Spiritum sanctum, *Quod nunc quoque apud nos geritur* (inquit ad Jubajanum scribens, de facto Petri, & Joannis, qui Samaritanis baptizatis a Philippo manum imposuere) *at, qui in Ecclesia baptizantur, præpositis offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur*.

Probatur 3. authoritate Patrum, qui sæculis subsequentibus ad hæc usque tempora floruerunt; quatuor scilicet docuere, quibus invictissime colligitur eos censuisse Confirmatione produci gratiam sanctificantem: 1. Asseruerunt recentes baptizatos solitos fuisse inungi in fronte: 2. Impositam eis fuisse manum Episcopalem: 3. Episcopos illi manuum impositionis orationem conjunxisse: 4. Neophytos per frontis inunctionem, per Episcopalem impositionem manuum, per orationem illi manuum impositioni conjunctam, recepisse Spiritum sanctum: Textus Patrum iis locis legere est, ubi de Confirmationis materia, forma, & ministro disseruimus.

Conclusio 3. Confirmatio his temporibus non est otiosa cæremonia.

Probatur. Cæremonia, quam Confirmationem dicimus, idem omnino est cum impositione manuum, cum unctione chrismatis, cum oratione, quibus Apostoli, & Patres omnium sæculorum in recenter baptizatos usi sunt. Atqui illa manuum impositio, illa chrismatis unctio, illa oratio non fuerunt otiosa cæremonia, sed ritus maxime efficax, productivus nempe Spiritus sancti, seu gratiæ sanctificantis, ut superius demonstratum est: Ergo nec hodierna Confirmatio est cæremonia inutilis, (ut Calvinistis placet) sed efficax, & activa, quæ scilicet ex Dei institutione gratiam sanctificantem producat.

Objicies. Apostolica manuum impositione quondam sub visibili specie conferebantur Spiritus sancti dona, quæ a Theologis gratis data dicuntur; quæ vero nunc fit ab Episcopis, nihil efficit simile: proindeque idem non est cum ea, de qua Lucas Actorum 8.

Respond. factitari solitam ab Apostolis manuum impositionem habuisse duplicem effectum, produxit nempe gratiam sanctificantem, ac præterea plerumque contulit vim patrandi miracula; aut visibilibus aliis signis Spiritus sancti præsentiam demonstravit: Quæ vero post Apostolorum sæculum usurpata fuit, & nunc adhibetur, priorem duntaxat effectum operata est, & nunc etiam operatur, illius enim non autem istius, Patres meminerunt. Nec mirum id videri debet, cum signis tunc opus esset, ut infideles ad Evangelii fidem moverentur, jam autem postquam fides altas ubique radices egit, necessaria non fuere.

Augustini est nostra solutio, quippe qui tractatu 6. in Joannem sic loquatur, *Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus; & loquebantur linguis, quas non didicerunt, quomodo Spiritus sanctus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, & transiit. Numquid modo quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur, & cum videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret, non acceperunt isti Spiritum sanctum, nam si accepissent linguis loquerentur, quemadmodum tunc est? Si ergo per hæc miracula modo testimonium præsentiæ Spiritus sancti non fit; unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interrogaret cor suum: Si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo*. Relatis ex ex Augustino verbis patet 1. Ecclesiam quinto sæculo Confirmationem ipsis infantibus contulisse: 2. eam credidisse per Confirmationem dari ipsum Spiritum, quamvis illud Sacramentum, ac ipsam Spiritus collationem dona gratis data non comitarentur: 3. Spiritus sancti nomine intelligi debere gratiam sanctificantem, cum infantes alterius capaces non sint.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quænam sit gratia, quæ Confirmatione producitur?

HIC quæremus 1. utrum Confirmatio primam, aut secundam gratiam producat? 2. utrum illa gratia specie differat ab ea, quæ ab aliis Sacramentis producitur?

§. I.

Utrum Confirmatio primam, aut secundam gratiam producat?

NOnnulli authores docent, gratiam, quam Confirmatio producit, esse primam gratiam, seu quæ hominem ex impio justum efficiat; Qui sic sentiunt, nituntur hoc principio, nimirum quod Confirmatio, cum sit baptismatis perfectio, ejusque veluti appendix, eamdem, quam ipsum gratiam recipientibus conferat: E contra Theologi passim negant, primam gratiam a Confirmatione produci. Iis non adhærendum censemus.

Conclusio. Gratia, quam Confirmatio producit, non est prima, sed secunda, seu non producit gratiam, quæ impium justificet, sed tantum, quæ præhabitam justitiam augeat.

Probatur 1. authoritate Patrum, qui asseruerunt, Sacramentum Pœnitentiæ esse alteram, quæ post naufragium superest, tabulam. Iis concinunt Tridentini Patres Sess. 14. cap. 2. ubi definiunt, neminem post Evangelium promulgatum ex impio posse fieri justum, nisi per baptisma, aut per pœnitentiam, quæ ea de causa Sacramenta mortuorum a Theologis appellantur; *Est autem* (inquit sacra Synodus) *hoc Sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus*. At si post baptismum lapsis prima gratia, seu quæ ex impio justum faciat, per Confirmationem conferretur, falsum esset relatum ex Patribus axioma, corrueret Concilii Tridentini definitio.

Probatur 2. ex ipso Confirmationis nomine, quod quidem non primæ gratiæ, sed secundæ tantum augmentum, corroborationem & perfectionem significat; *In Confirmatione* (inquit Hilarius Arelatensis homilia de Pentecoste) *augmentum præstat ad gratiam*. Prævierat Ambrosius lib. 3. de Sacram. cap. 2. aut saltem author libri, qui illius nomine inscribitur, *Post fontem superest,*

perest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.

Probatur 3. ex eo, quod (ut infra demonstrabimus) Patres omnibus, qui post baptisma lapsi sunt, confessionem præceperint antequam confirmarentur. Censuerunt igitur ea non primam, sed secundam tantum gratiam conferri.

Objicies 1 Hæreticis ad Ecclesiam Catholicam redentibus Confirmationis Sacramentum sine præmissa absolutione Sacramentali antiquitus conferebatur. Nam iis locis, quibus Patres definierunt, hæreticos admitti debere per Confirmationem, absolutionis Sacramentalis nulla ratione meminerunt. Illam tamen nequaquam prætermissuri, si absolute necessariam judicassent: Id patet ex Concilio Constantinopolitano primo Can. 7. Siricio Papa ad Himerium Tarraconensem, aliisque locis, quæ superius relata sunt, ubi de charactere Confirmationis in hæresi datæ disputatum est. Ergo Patres supposuerunt Confirmationem hæreticis redeuntibus primam gratiam conferre.

Respondent nonnulli cum Morino, in casu de quo argumentum, hæreticos recepisse primam gratiam per baptisma, quo in sua Synagoga consecrati fuerant: cum in ea (inquiunt) regenerationis Sacramentum propter recipientium fictionem, seu affectum ad hæresim, suum effectum sortitum non fuisset, eum postea sublata fictione, seu affectu ad hæresim per contritionem deposito, consequebatur. Confirmant illam solutionem ex Gregorio Magno, qui lib. 9. Epist. 61. sic loquitur, *Sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti per professionem veræ fidei sanctæ, & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.*

Respondent alii, quibus adhæremus, hæreticos, de quibus agitur in argumento, privata pace per pœnitentiæ Sacramentum donatos fuisse, antequam solemniter per Confirmationem in Ecclesiæ sinum admitterentur. Nec obest, quod Patres, cum de illorum reconciliatione agunt, præmittendæ absolutionis sacramentalis non meminerint; Nam in locis, ex quibus objectio petitur, Patres de solemni tantum pace locuti fuerunt; unde mirum non est, quod eam prætermiserint, quæ privatim concedebatur. Illi solutioni robur addi potest ex hodiernis ritualibus; illa nempe ritualia cum agunt de hæreticorum admissione, non præscribunt confessionem peccatorum, quæ baptismum subsecuta fuerunt, sed unam, quæ solemnis sit, hæreseos ejurationem, & publicam absolutionem ab excommunicatione: Ex illo tamen ritualium silentio concludi non potest, hæreticos, cum redeunt, donari non debere absolutione sacramentali, quasi sine ea peccatorum suorum remissionem per cæremonialem illam absolutionem ab excommunicatione consecuti fuerint.

Objicies 2. S. Thomas 3. part. quæst. 72. artic. 7. ad 2. hæc ait, *Si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento* (Confirmationis) *consequetur remissionem peccatorum*. Ergo ex Angelico Doctore Confirmatio primam gratiam producit.

Respond. S. Thomam supposuisse id, quod passim Theologi docent, nempe Sacramenta vivorum, cujusmodi est Confirmatio, primam gratiam producere, non per se, seu ex primaria sui institutione, sed tantum ex lege extraordinaria, & per accidens, quatenus nimirum is, qui illa Sacramenta recipit, ignorat invincibiliter se in peccati mortalis statu jacere, aut post adhibitam moralem diligentiam putat se perfecte contritum esse, nec adest Sacerdos, apud quem peccata deponat: Quod autem ea sit mens S. Thomæ, demonstrant hæc verba, quæ laudatis in argumento præmittit: *Quia Confirmatio datur ad confirmandum, quod prius invenerit, non debet dari nisi iis, qui habent gratiam baptismalem, vel saltem adultis peccatoribus nisi per pœnitentiam reparatis.*

§. II.

Qua ratione gratia Confirmationis ab iis differat, quæ per alia Sacramenta conferuntur.

GRatia, quæ per Confirmationem producitur, potest comparari, vel cum ritu unctionis verticalis, quæ adhibetur in baptismate, vel cum ipso baptismate, vel cum Eucharistia, unde status quæstionis est, utrum gratia, quæ Confirmatione producitur, ita proprius sit illius effectus, ut nec ab unctione verticali, nec a baptismate, nec ab Eucharistia per se conferatur?

Conclusio 1. Gratia, quæ Confirmatione producitur, per unctionem verticalem conferri non potest.

Probatur 1. Unctio verticalis, quæ mox a baptismate fit a Sacerdotibus, ritus est, non jure divino, sed humano, Ecclesiastico nimirum, institutus, nam tribus sæculis prioribus non fuit in usu. Debetur Sylvestro Papæ, qui circa sæculi quarti initium floruit. Ergo unctio verticalis non potest conferre gratiam sanctificantem neque enim humana potestas cum signis sensibilibus rei spiritualis, ac supernaturalis productionem valet conjungere. 2. Innocentius Papa I. conceptis terminis asserit non Presbyteros, qui baptizatorum verticem inungunt, sed solos Episcopos, qui frontem, conferre Spiritum sanctum; *Presbyteris* (inquit in Epist. ad Decentium) *seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, chrismate baptizatos ungere licet ... non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradant Spiritum Paracletum.* 3. Ab iis temporibus, quo instituta fuit verticalis unctio, Patres (ut suo loco dicemus) docuerunt, Confirmationem esse necessariam iis etiam, quorum vertex inunctus fuisset a Presbyteris: At id falsum esset, si gratiam, quæ Confirmatione producitur, verticalis unctionis effectus extitisset.

Objicies 1. authoritatem aliquorum veterum Scholasticorum, inter quos S. Thomas 3. part. quæst. 71. art. 3. ad 4. sic loquitur: *Eorum, quæ aguntur post Baptismum circa baptizatum, aliquid est, quod non solum significat sed efficit, puta inunctio chrismatis, quæ fit in vertice, quæ operatur conservationem gratiæ baptismalis. Aliquid autem est, quod nihil efficit, sed solum significat.* Ex eo Doctoris Angelici loco sic argumentum conficitur, unctio, quæ operatur ad conservationem gratiæ baptismalis, quæ confert robur, qua peccato resistamus, quæ vim tribuit, qua in persecutionibus fidem profiteamur, omnes Confirmationis effectus operatur; Theologi siquidem non alios Sacramento Confirmationis adscribunt. Atqui unctio verticalis &c. Ergo, &c.

Respond. Thomam non dicere 1. quod unctio verticalis eos effectus operetur per inhabitantem Spiritum sanctum: quod tamen (ex Patribus Confirmatio præstat. 2. Non asserit quod effectus illi ab unctione verticali producantur ex opere operato; quod tamen Confirmationi convenit. 3. Nihil aliud voluit S. Thomas, quam quod unctio verticalis conservationem gratiæ baptismalis, robur scilicet ad profitendam fidem, dispositive, non vero formaliter operetur, in quantum nempe Ecclesia per preces, quibus chrisma verticale consecravit, impetrat auxilia, per quæ neophyti gratiam baptismalem, & fidem conservent. Illi solutioni lux affulget ex eo, quod S. Doctor ibidem unctionem verticalem cum exorcismis conjungat, quemadmodum ergo exorcismi nec peccatorum remissionem, nec gratiam conferunt, nisi in quantum removent prohibens; ita nec unctio verticalis gratiam operatur, nisi in quantum dispositive removet, quæ gratiam baptismalem, aut fidem labefactare possunt.

Objicies 2. Cum sæpius Episcopi non adessent, qui neophytos confirmarent, instituta est verticalis unctio, & permissa Presbyteris, ut eo ritu effectum Confirmationis supplerent. *In gestis Pontificalibus* (inquit Hugo Vict. lib. 2. de Sacramentis part. 7. cap. 3.) *legitur, quod Sylvester Papa constituit, ut baptizatum Presbyter in vertice chrismate liniat; propter occasionem quidem*

tran-

transitus mortis; ne forte per absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sine manus impositione (seu illius effectu) *baptizatum ab hac vita migrare contingeret; quod quidem omnino periculosum esset.*

Respond. Hugonem voluisse unctionem verticalem, urgente necessitate, supplere in adultis Confirmationis effectum, quatenus nimirum est protestatio voti, quod de Confirmatione recipienda habet adultus ille; *Propter eos enim* (inquit ibidem laudatus author) *qui articulo temporis præveniuntur, instituta est illa, qua Sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri chrismatis unctio: ut in hoc ipso ostendatur, quantum Sacramentum istud necessarium sit ad salutem.* Dictum est, Hugoni id *visum* fuisse; quod enim ad alios Patres spectat, eam, quam profert, instituendæ verticalis unctionis rationem scriptis non mandarunt: nec immerito: cum enim statim a baptismate ipsis etiam infantibus applicetur, nullum in eis Confirmationis votum supponit, nec ipsa per se spiritualem effectum operari potest.

Conclusio 2. Gratia, quæ per Confirmationem producitur, nec Baptismatis, nec Eucharistiæ effectus esse potest.

Probatur prima pars. Gratia confirmatoria, est gratia, qua baptismalis perficitur, augetur, consummatur, roboratur, qua quis perfecte Christianus efficitur, *Hujus Chrismatis dono accepto* (inquit Cyrillus Hierosol. Catechesi 3. Mystagogica) *merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes, eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.* At gratia, per quam baptismalis augetur, perficitur &c. non est ab ipso Baptismate (ut patet.) Ergo &c. 2. Si gratia confirmatoria posset per baptisma produci, frustra Majores nostri curassent, ut baptizati offerrentur Episcopis, a quibus manuum impositionem reciperent; Non fuisset, cur Episcopis viros, & pagos, in quibus baptisma a Presbyteris collatum fuerat, decurrerent, *Non quidem abnuo, hanc esse Ecclesiarum consuetudinem* (inquit Hieronymus cap. 4. Dialogi in Luciferianos) *ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Altera conclusionis pars ex eo colligitur, quod Eucharistia, & Confirmatio sint duo Sacramenta specie distincta, ac proinde quæ habeant effectus specie diversos.

Objicies 1. Qui baptizatur, vere fit Christianus, imo & perfecte, cum nihil aliud requiratur, ut Dei filius, & Christi discipulus sit, & appelletur.

Resp. eadem ratione baptizatum dici Christianum, qua infans dicitur homo: quemadmodum igitur, qui recenter natus est, nec est, nec dicitur perfectus homo nisi eum adoleverit; ita nec is perfectus est Christianus, qui genitus per baptisma, nondum per Confirmationem Christianismi plenitudinem accepit; *Hujus Chrismatis dono accepto, merito appellamini Christiani* (verba sunt Cyrilli Hierosolymitani Catech. 3. Mystagogica) *veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione. Ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani*: Non est igitur recens ea loquendi ratio, qua quis minime chrismatus, perfecte Christianus non dicitur.

Objicies 2. Sancti Patres gratiæ Confirmatoriæ præcipuum effectum, robur scilicet ad confitendam coram tirannis fidem Eucharistiæ adscripserunt; *Non morientibus* (inquit Cyprianus Epist. 54.) *sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione Corporis, & Sanguinis Christi muniamus.*

Resp. Christi Corpus, & Sanguinem animam munire per modum rei exterius advenientis; Confirmationem vero per modum principii intrinsece constituentis. Ratio est, quia Eucharistia se habet tamquam cibus, & alimentum; cum e contra Confirmatio se habeat tamquam ipsum esse spirituale, non inchoatum quidem, ut fit baptismate, sed perfectum, & consummatum: Unde ex diversa corroborandi ratione, Eucharistiæ, & Confirmationis effectus specifice differunt.



QUÆSTIO OCTAVA.

De dispositionibus ad Confirmationem recipiendam requisitis.

QUædam ex parte subjecti præsupponuntur, ut Confirmatio valeat; quædam vero, ut licite recipiatur. Priora sunt baptismus, & aliqua intentio recipiendi Confirmationem; inter posteriora recenseri possunt ætas canonibus præscripta, jejunium naturale, & status gratiæ. De istis tantum hic agemus: quæ enim ad priora pertinent, superius explicata sunt.

CAPUT PRIMUM.

Qua ætate Confirmatio recipi debeat?

COnclusio 1. Habita ratione solius juris Divini, quælibet ætas Confirmationi recipiendæ est idonea.

Probatur 1. Christus nullam a receptione Confirmationis ætatem exclusit: 2. Confirmatio instituta fuit, ut baptismatis tum characterem, tum gratiam perficeret; Atqui in quacumque subjecti ætate id præstare valet, proindeque quovis tempore, spectato solo jure Divino licite recipi potest.

Conclusio 2. Habita ratione juris Ecclesiastici, diversa fuit circa Confirmandorum ætatem disciplina.

Probatur. Prioribus sæculis, ipsis etiam infantibus Confirmatio conferebatur 1. quidem in Ecclesia Latina. Tertullianus, Cyprianus illius susceptionem cum baptismatis receptione conjungunt. Innocentius Papa I. Epist. ad Decentium quarto sæculo desinente illius disciplinæ meminit, *De consignandis vero infantibus &c.* Eamdem praxim legere est in Gregorii Magni Sacramentario, quod subsequentibus sæculis in administratione Sacramentorum obtinuit. Sanctus Thomas 3. part. quæstion. 72. art. 8. supponit praxim, de qua agitur; contendit nimirum 1. sine discrimine ætatis hoc Sacramentum omnibus debere conferri. *Per hoc Sacramentum promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam*; (inquit in corpore articuli) *hoc autem est de intentione naturæ, ut omnis, qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat .... Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat ... Anima autem ad quam pertinet, & spiritualis nativitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis, vel pueritiæ consequi perfectam ætatem, quia hujusmodi corporales ætate animæ non præjudicant: & ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi.* Non dicit S. Doctor, quod omnibus POSSIT exhiberi, sed quod DEBEAT: supponit igitur sua ætate *omnibus* collatum fuisse. 2. Expresse docet, puerilem ætatem esse Confirmationi recipiendæ idoneam, *Ad secundum dicendum, quod ætas corporalis non præjudicat animæ: unde etiam in puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis ... Et inde est, quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.* 3. Asserit pueris jam jam morituris hoc Sacramentum dari debere, *Ad quartum dicendum, quod anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est, & ideo etiam morituris hoc Sacramentum dandum est ut in resurrectione perfecti appareant ... unde etiam pueri*

confirmati accedentes majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam. Nusquam S. Thomas articulo octavo, in quo de subjecto Confirmationis agit, refert prohibuisse tunc Ecclesiasticas leges, ne pueri, & infantes confirmarentur, si adesset Episcopus, imo asserit, eos confirmari debere; Nondum igitur Ecclesiastica disciplina ferebat, ot ii soli confirmarentur qui discretionis aonos attigerant.

Quæres 1. qua præcise ætate hodiernæ leges Latinis indulgeant, ut pueris Confirmationem administrent?

Resp. nonnullis in locis septennium sufficere, in aliis vero duodecimum annum requiri. *In quo illud observandum est* (inquit Catechismus ad Parochos) *omnibus quidem post baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedite hoc fieri antequam pueri rationis usum habuerint: Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.*

In ea disciplinarum varietate servandum est illud oraculum Augustini, *Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*; Cujus quidem sententiæ S. Doctor in Epist. ad Januarium hanc rationem reddit, *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est*: Eam tamen agendi rationem intellectam velim extra necessitatis casum: si enim necessitas urgeat, penes est Confirmationis ministrum tempus lege, aut consuetudice definitum antevertere, quod nempe (ut superius observatum est ex divo Thoma) pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequantur.

Quæres 2. cur antiqua disciplina, quæ mox a baptismate pueros confirmabat, in aliam abierit?

Respond. id factum fuisse 1. ut Confirmationem iterandi periculum facilius vitaretur: 2. ut majori cum reverentia reciperetur: 3. quod si præcipue instituta, ut contra fidei inimicos pugnaturis vires suppeditentur: ad eam vero pugnam ii, quibus deest rationis usus, inepti esse videantur.

Quæ hucusque dicta sunt, de Latinis Ecclesiis, non antem de Græcis intellecta velim: fidem quippe faciunt omnia Euchologia, eas, his etiam temporibus, inhærere veteri consuetudini, qua Confirmatio mox a baptismo infantibus conferebatur. Orientales aotiquæ illius praxis ita sunt tenaces, ut ex iis nonnulli contrarium morem Ecclesiæ Romanæ crimini verterint: *Non erit perfecte quispiam baptizatus, qui non susceperit unguentum.* Absurdum est, quod Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis contra Latinos nuper urgebat.

Caput Secundum.

An jejunium Confirmationi recipiendæ prærequiratur?

CONclusio 1. Duodecim prioribus sæculis Confirmatio ordinarie non nisi jejunis dari consueverat.

Probatur 1. Iis sæculis, Confirmationis collationem Eucharistiæ refectio, etiam parvulorum respectu, proxime, ac sine interjecta mora subsequebatur; ut patet tum ex Euchologiis Græcis, tum ex Gregorii Magni Sacramentario. 2. Sæculo undecimo canonem, *Ut jejuni* suo decreto Gratianus inseruit de Consecrat. Dist. 5. *Ut jejuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis.* 3. Duodecimo seculo hæc Magister Sententiarum scribebat, *Hoc Sacramentum* (Confirmationis) *tanto a jejunis accipi, & jejunis tradi debet.*

Conclusio 2. Post sæculum duodecimum Confirmatio etiam non jejunis collata fuit.

Probatur 1. S. Thom. 3. p. q. 72. art. 12. ad 2. sic loquitur, *Propter multitudinem fidelium, & propter pericula imminentia sustinetur, ut hoc Sacramentum* (Confirmationis) *quod non nisi Episcopis dari potest; etiam a non jejunis detur, vel accipiatur.* 2. Prioribus annis, quæ Concilium Tridentinum subsecuta sunt, ubique non viguisse legem Ecclesiasticam de jejunio Confirmationi præmittendo probant hæc verba Catechismi ad Parochos: *Qui adulta jam ætate confirmandi sunt ..... admonentur laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut non nisi* JEJUNI *hoc Sacramentum susciperent.* 3. Quæ post Concilium Trideotinum habitæ sunt Synodi Provinciales antiquam praxim restituere tentarunt. *Iis* (inquit Concilium Rhemeose anno 1582. habitum) *qui habent ...... si commode fieri potest jejunis &c.* Hæc etiam habet Aquense celebratum anno 1585. *Qui adulta ætate confirmandi sunt ..... jejuni illud suscipiant.* Licet omnibus exploratum non sit, quod ea Conciliorum statuta strictæ vim legis habeant, nemo tamen revocat io dubium, quin, his etiam temporibus, locum habeat præclarum hoc Angelici Doctoris effatum: *Ubi tamen congrue observari potest, convenientius est, ut jejunis* (Confirmatio) *detur, & accipiatur.*

Caput Tertium.

An status gratiæ in neophyto prærequiratur, ut Confirmationem licite recipiat?

COnclusio. Gratiæ status in neophyto prærequiritur, ut Coofirmationem licite recipiat.

Probatur. Confirmatio ex iis est Sacramentis, quæ Theologi Sacramenta vivorum appellant: Ergo, ut licite recipiatur, gratiæ statum, sine quo aoima mortua est, in subjecto præsupponit.

Hinc colligitur, eum qui sibi conscius est peccati lethalis, teneri sacramentalem confessionem Confirmationi præmittere. Nec mirum, cum sacramentalis confessio sit medium ex institutione Divina absolute necessarium impio, ut justificationem consequatur.

Nec est quod quis contritioni suæ innixus se ipsum lege confessionis actualis eximat; nemo quippe certo scire potest, an illa perfecta charitate flagret, quæ conjuncta cum Sacramenti voto lapsum justificat; proindeque, qui per confessionem absolutioni Sacerdotis non se subjicit, antequam Confirmatione signetur, exponit se sacrilegii periculo: cui quidem periculo, ut iretur obviam, Concilia lapsis confirmandis confessionem imperarunt: *Moneantur* (ait Gratianus ex Concilio Aurelianensi du Consecrat. Dist. 5. cap. ut jejuni) *confessiones dare prius, ut mundi donum Sancti Spiritus valeant accipere.* Idem præceptum est a Conciliis, quæ post Tridentinum habita sunt, hæc ait Rothomag. anno 1581. *Adultis non nisi confessis, & profitentibus Apostolicum tradant.* Hæc etiam Burdigalense anno 1583. *Moneantur etiam, qui adulti sunt, ne ad tantum Sacramentum non accedant, nisi præmissa peccatorum confessione.* Ea Synodorum monita oon sunt meri consilii, imo sunt explicatio juris Divini, quo quisque prohibetur, oe sancta indigne pertractet.

QUÆSTO NONA.

De proprietatibus Confirmationis.

INter Confirmationis proprietates eminet illius necessitas, quæ quidem perpendi potest vel respectu eorum, qui Clericali tonsura insigniendi sunt, vel eorum, qui in Laico statu remanere proponunt. De ea pro duplici illo statu in hac quæstione differemus.

CA-

Caput Primum.

Utrum initiandis Clericali tonsura Confirmatio necessaria sit?

CONclusio . Tonsuræ Clericali præmitti debet Confirmationis Sacramentum .

Probatur 1. Sacramenti Confirmationis receptionem Ecclesia semper, & ubique tamquam rem magni momenti iis injunxit, qui clericali statui nomen daturi erant; Idque patet ex Cornelio Papa, qui in sua Epistola ad Fabium Antiochenum Novatiano vertit crimini, quod ordinationi Confirmationem non præmisisset secundum Ecclesiæ canonem . Patet 2. ex Concilio Niceno primo, quod Clericis Novatianis, ea lege Ecclesiasticum ordinem concessit ut reciperent Confirmationem, quam in sua secta neglexerant . Patet 3. ex Tridentina Synodo, quæ legem, de qua agitur, Sessione 23. cap. 4. de Reform. his verbis innovat, *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperint*.

Probatur 2. Status Clericalis perfectos tantum Christianos admittit, in eo nimirum gradu fideles quidam constituuntur, ut tamquam spiritualis vitæ duces emineant. Atqui sine Confirmationis Sacramento nullus fidelis perfecte Christianus censetur: Id enim colligitur 1. ex authore libri de Ecclesiastica Hierarchia, qui cap. secundo Confirmationem vocat, *Perficientem unctionem*: 2. Ex canone 77. Concilii Eliberitani, *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos Episcopus per benedictionem* (Confirmatoriam) PERFICERE *debebit*. 3. Ex Ambrosio, qui lib. 3. de Sacramentis cap. 2. hæc habet, *Post fontem* (idest Baptismum) *sequitur, ut perfectio fiat*, seu detur Confirmatio, Colligitur 4. ex hac propositione ementiri cujusdam authoris sub nomine Danielis a Jesu proscripta ab Academia Parisiensi, *Chrismate uncti in Baptismo, licet ab Episcopo non confirmati, perfecti sunt Christiani in sensu Patrum*; Illa propositio (inquiunt Sorbonici) *falsa est, Temeraria contra sensum unanimem Patrum, & in contemptum Confirmationis, & in errorem inducens*. Proscripta etiam fuit hæc alia ejusdem larvati Danielis a Jesu propositio: *Falsum est Confirmationem esse solum, & unicum ordinarium medium ad faciendos Christianos perfectos, & fortes, cum alia media instituta sint a Christo ad faciendos nos perfectos, & fortes*.

Ex hactenus dictis patet arguendos esse Sotum, aliosque Scholasticos, qui docent eum non peccare lethaliter, qui, secluso contemptu, Confirmationem tonsuræ clericali non præmittit.

Quæres utrum, qui clericus initiatur non recepta prius Confirmatione, incidat in irregularitatem, seu an ineptus fiat ad suscipiendos Ordines?

Respondent nonnulli affirmative : At eorum responsum nullo fundamento nititur; licet enim tertio sæculo sic ferrent Ecclesiasticæ leges (ut supra colligimus ex Epist. Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum) id tamen multis abhinc sæculis non obtinet . Et sane jus Canonicum , nec in Decreto Gratiani, neque in Decretalibus, nec in Bullis posterorum Pontificum eam, de qua illi Scholastici, irregularitatem statuit, nulla tamen induci debet, quam jus ipsum non statuat, ac exprimat, in irregularitatibus enim astruendis, nec conjectura a simili, nec argumentum a majori ad minus locum habent.

Caput Secundum.

An Confirmatio sit Laicis necessaria?

APud omnes certum est Confirmationem nemini necessariam esse necessitate medii; quippe quod ratum sit fidelem sine Confirmatione posse salutem consequi, *Quod si ante de sæculo recesserit* (inquit Concilium Eliberitanum de Neophyto agens, qui non fuerit confirmatus) *sub fide, qua crediderit, potest esse justus*. Concinit Hieronymus adversus Luciferianos differens, *Alioqui* (ait) *si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus* (justificans) *defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros, & Diaconos, baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur*. Hieronymus, & Concilium Eliberitanum nihil novi hac in parte docuerunt; Præcedenti nimirum Tradititione certissimum erat parvulos per solum baptismum regenerationem, ac proinde salutem consequi.

Juenin de Sacram.

Igitur difficultas proposita, de necessitate præcepti Divini intelligitur. Quæri nempe potest 1. utrum fideles Laici Confirmationem suscipere teneantur, cum in fidem catholicam desævit persecutio? 2. utrum etiam cum Ecclesia pace fruitur?

Articulus Primus.

De præcepto Confirmationis cum urget persecutio?

COnclusio. Fideles, cum urget persecutio, tenentur sub pœna peccati lethalis Confirmationem recipere . Ita sentiunt Durandus, Estius, multique alii, tum ex antiquis, tum ex recentioribus Scholasticis.

Probatur 1. Ecclesia, dum persecutio desævit, sedulo curavit, ut omnes fideles, vel mox a baptismo, si præsens Episcopus adesset, vel data prima opportunitate confirmarentur. Ad Samaritanos excurrerunt Petrus & Joannes, ut eis manus imponerent, ubi primum auditum fuit Hierosolymis, quod Dei verbum recepissent, seu Christianæ religioni dedissent nomen. Synodus Eliberitana circa medium tertium sæculum habita eamdem disciplinam præcepit can. 77. ubi sic loquitur, *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos Episcopus per benedictionem perficere debebit*. Ejusdem, praxis meminit Cyprianus Epist. 71. ad Januarium, ubi hæc habet, *Ungi quoque* NECESSE *est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, idest unctione, esse unctus, Dei & habere in se gratiam Christi possit*. Probat ea disciplina Ecclesiæ fuisse persuasum, quod sæviente persecutione fidelem quemque Divinum Confirmationis præceptum urgeat.

Probatur 2. Quando effectus necessarius est, ut finis comparetur, causa illius effectus judicatur necessaria: Atqui cuique fideli necessarius est effectus Confirmationis, sive robur singulare, ut coram tyrannis fidem catholicam publice profiteatur, & ut Idololatris, hæreticis, aut Schismaticis in Catholicam fidem, & unitatem palam sævientibus obsistat. Ergo necessaria est ipsa Confirmatio, cum ex Christi institutione per se illius roboris sit causa.

Nec audiendi sunt Casuistæ nonnulli recentiores, qui ut vim argumenti declinent, utuntur solutione, quam ipsi hæretici adhibent ad rationes, quibus evincitur, Confirmationem esse novæ legis Sacramentum. Reponunt igitur robur, quo fideles indigent, ut fidem coram tyrannis confiteantur, aliunde quam ex Confirmatione haberi posse, nimirum ex Eucharistia, quam ob id Majores nostri pugnaturis concedebant; *Pax a nobis danda est* (inquit Cyprianus lib. de lapsis) *ut quos excitamus, & hortamur ad pugnam, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione Coporis, & Sanguinis Christi muniamus*. Non sunt (inquam) audiendi hujusmodi Casuistæ: Nam 1. S. Tbomas asserit absque Confirmationis, aut receptione actuali, aut ejus voto neminem illius effectum consequi posse. *Sicut nullus*) ait S. Doctor 3. p. q. 72. art. 6. ad 1.) *consequitur effectum baptismi sine baptismi voto: ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius*. Hocce Sacramentum robur confert modo speciali, ac distincto ab eo, per quem ab Eucharistia confertur, (ut de illius effectu differentes ostendimus.) Nec contrarium evincitur ex Cypriano, quippe qui de iis loquatur, qui mox a baptismate confirmati fuerant; ii autem cum iterata Confirmatione muniri non posset, par fuit, ut iis per Eucharistiæ dis-

matio non est ea iis Sacramentis, quæ necessitate medii necessaria sunt, satis est vero votum implicitum, quod quidem in eo positum est, ut fidelis optet, ac paratus sit ea omnia ante mortem recipere, quæ ex institutione, ac mandato Christi recipienda sunt: Eodem modo Theologi ratiocinantur de pluribus aliis præceptis affirmativis, ad quorum observationem fideles implicite paratos esse oportet.

Objicies 4. S. Thomas referens sententiam, qua Hugo a S. Victore contendit, periculum iis imminere, qui non confirmati ex hac vita discesserint, hanc interpretationem subjicit, *Non quia damnarentur, nisi forte propter contemptum*. Censuit igitur S. Thomas, eum non peccare, qui ante mortem Confirmationem non recipit, modo absit contemptus, qui quidem (ut idem Sanctus Doctor ait) non est ex eo, quod *aliquis non curat accipere Sacramentum, quod non est de necessitate salutis*.

Respond. S. Thomam sententiæ Victorianæ interpretationem, quæ objicitur, inseruisse, ne quis ex ea male intellecta concluderet, Confirmationem cuique fideli necessariam esse necessitate medii; unde ubi asseruit periculum, de quo loquitur Hugo a S. Victore, non esse sic intelligendum, aliam rationem subjicit, *Sed quia* (inquit) *detrimentum perfectionis pateretur*; Quod quidem detrimentum lex divina prohibet.



QUÆSTIO DECIMA.

De Confirmationis Cæremoniis.

APUD Græcos hoc ritu Confirmationis Sacramentum confertur. 1. Ubi Sacerdos Catechumenum baptizavit; recitat orationem, per quam in ipsum invocat Spiritum sanctum ad robur, his autem verbis incipit: *Benedictus es Domine Deus omnipotens*. 2. Postquam eam orationem recitavit, *baptizatum* (inquiunt Euchologia) *sancto unguento inungit crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in auribus, & utraque aure, & in pedibus, dicens, Signaculum doni Spiritus sancti*. 3. Sacerdos (ut Arcudius ex Euchologio Patriarchali criptæ ferratæ refert) *una cum susceptore, ac infante facit figuram circuli, & ter canit; quotquot in Christum baptizati estis, Christum induistis alleluia*. 4. Nonnullis ex Epistola ad Romanos, & ex Evangelio secundum Matthæum perlectis recitantur preces, quibus Deus exoratur, ut gratiam in baptismate, & Confirmatione receptam conservet.

Apud Latinos nonnulli ritus Confirmationem præcedunt, alii eam comitantur, aliqui vero subsequuntur; de singulis nonnihil hic dicamus opere pretium est.

CAPUT PRIMUM.

De ritibus, qui ante Confirmationem adhibentur.

1 ANtequam neophytus confirmetur, chrisma, quo inungi debet, solemniter ab Episcopo consecrari debet. Cæremonias, quibus illa consecratio peragitur, articulo 4. cap. 5. quæstionis 2. hujusce dissertationis explicuimus.

2. A Patrinis Episcopo offeratur oportet: hujusmodi ritus Gregorii Magni Sacramentarium, Ordo Romanus tamquam rei, quæ passim observaretur, meminerunt. Sanctus Thomas hanc illius cæremoniæ rationem reddit, 3. p. q. 72. art. 10. *Hoc Sacramentum* (inquit) *exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conservationem vitæ: ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces, & centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille, qui accipit hoc Sacramentum ab alio, tenetur quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, & quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis, ideo ille, qui ad hoc Sacramentum accedit sustentatur quasi adhuc spiritualiter imbecillus, & puer*. Ejusdem ritus alteram rationem S. Carolus Actorum Ecclesiæ Mediolanensis p. 4. sufficit; *Patrinum hoc etiam Sacramento adhiberi ostendet Parochus*, (ut sciat confirmatus) *se Spiritus sancti gratia perfectionem ita esse assecutum, ut sibi ipsi tamen non fidat, sed aliorum, qui vel ætate, vel disciplina provectiores sunt, monita, consiliaque libenter audiat, atque amplectatur*.

Quæres, quinam Patrini assumi possint?

Respond. assumi non debere 1. qui nondum confirmati sunt; *Licet baptizatus* (inquit S. Thomas hic in responsione ad secundum) *sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum tamen est adscriptus militiæ Christianæ. Et ideo Episcopo tamquam duci exercitus, per alium exhibetur jam militiæ Christianæ adscriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus*. 2. A S. Carolo ablegantur ii, qui decimum quartum ætatis annum nondum attigere, nec mirum, cum in doctrina Christiana nondum satis eruditi censeantur; unde magistrorum loco esse non possunt. 3. Excluduntur parentes ejus, qui Confirmationem est suscepturus eo quod alioquin cognationem spiritualem cum illo contracturi essent; *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur* (ait Concilium Tridentinum Sess. 24 capite 2. de reform. Matrim.) *Confirmantem, & Confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*. Excluduntur 4. ii omnes, qui in baptismate susceptorum officio fungi non possunt; eadem est quoad hoc ratio de Confirmatione, ac de baptismo. Imo qui in baptismate puerum tenuit, ejusdem in Confirmatione susceptor esse potest: Hoc tamen S. Carolus in 5. Concilio Mediolanensi vult observatum, *Ut ne fœminis mares, nec vero contra maribus fœminæ, neque senioribus adolescentes, cum minime hoc per ætatem conveniat, compatres in Confirmationis Sacramento adhibeantur; nisi id aliter necessitas aliquando postulet*.

3. Nonnumquam confirmandi nomen immutatur; 1. quidem si turpe sit, vel ridiculum, vel indignum homine Christiano; *Curet etiam Episcopus, ac Parochus* (inquit S. Carolus in Concilio 5. Mediolanensi) *ut qui turpe, ridiculumve nomen habet, neque plane conveniens homini Christiano, illud mutet, sumatque in Confirmationis Sacramento nomen alicujus, qui veræ pietatis, sanctæque religionis laude floruit, ut qui hactenus non ad normam Christi Domini vitam instituit, jam objecto ejusdem nomine, depositoque veteri homine, & antiqua socordia rursusque novo, ac sancto suscepto nomine, virilem in sancte agendo constantiam perpetuo deinceps præstet*. Immutari potest 2. nomen ad pium confirmandi votum, *Et quod si voluerint, possunt nomina sua mutare* (inquit Synodus Carnot. anno 1525.) *dum tamen fraus, & dolus absint*.

4. Confirmandi frontem abluere jubentur, *Ut non fronte sordida, aut capillis, (ut aliquando ex nimia contingit accedentium incuria) indecenter contecta accedant*, Verba sunt Synodi Aquensis anno 1585. habitæ.

5. Quondam vestibus albis confirmandi induebantur antequam offerrentur Episcopo. Nec mirum; Confirmatio enim conferebatur statim post baptisma; quo quidem absoluto, mox albas vestes baptizatus induebat, *Pontifex ergo egreditur a fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem* (inquit Ordo Romanus) *in Ecclesia ubi voluerit, & sedeat in ea: & cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos*. His vero temporibus, quibus Confirmationem a baptismo separandi mos invaluit, non aliud in vestibus requiritur, quam ut mundæ, ac modestæ existant.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De ritibus, quæ Confirmationis collutionem comitantur.

1 ANtiquitus iisdem tantum anni temporibus Confirmatio conferebatur, quibus baptisma solemne. Nec mirum, siquidem ubi Episcopus aderat. duo illa Sacramenta simul administrari consueverant. Postea propter fidelium multitudinem usus invaluit, ut quavis die conferretur; laudabilis tamen est eorum Episcoporum praxis, qui die sacra Pentecostes præcipue confirmant, & quidem hora tertia, quæ nobis est nona matutina, quod nempe tunc Spiritus sanctus primis fidelibns effectum Confirmationis contulerit; *In Pentecoste præcipue* (inqnit S. Carolus in 5. Concilio Mediolanensi) *præcipue hoc Sacramentum ministrari ostendet, quoniam eo maxime die Apostoli Spiritus sancti virtute roborati Confirmatione sint: cujus facti recordatione fideles admonebit, quæ, quantaque mysteria in sacra Confirmatione cogitanda sint*. Hæc iterum ait, *hoc Sacramentum Episcopus ministrare studebit hora tertia potissimum, quæ ex antiquo ritu statuta hujus Sacramenti hora est*. Illum ritum S. Carolus merito antiquum vocat; dispensabatur nimirum Confirmatio simul cum baptismate, qui quidem recipiendo hora tertia quondam consecrata erat apud Latinos. *Hodie autem* (ait Alcuinus) *hora nona* (seu tertia(*baptismus celebratur:* apud Græcos vero, Baptismi, & Confirmationis ritus tempore Chrysostomi profundæ noctis silentio peragi solebat, ut ingentes de Sacramento baptismatis observavimus.

2. Quoad locum, in quo Confirmatio celebratur, eadem dicenda sunt, quæ superius de Baptismatis solemnis loco dicta sunt: ita ut 1. Quovis in loco Apostoli neophytos confirmaverint. 2 In baptisteriis, qua paulo post Apostolorum ætatem, vel in domibus privatorum, vel in cæmeteriis, aut in antris, aliisque abditissimis recessibus nostri majores erexerant. 3. Data Ecclesiis pace, in Cathedralibus. 4. Singulis in Parochiis, ac templis. 5. Denique in locis etiam prophanis, si urgeat necessitas, & adsit Episcopus, qui confirmet.

3. Hunc inter confirmandum Majores nostri morem servabant, ut mares primum, deinde fœminæ confirmarentur, ut in ordine Romano videre est. Quoad Confirmandum spectat, nihil de eo statuerunt antiqui canones, quod nempe singuli fideles in infantia statim post baptismum, aut non multo post consignarentur; Quid vero ferat hodierna praxis sic Sanctus Carolus in Concilio V. Mediolanensi describit, *Mares in Ecclesia a parte sua, fœminæ ab altera sint: sicque separatim distincti, genibus flexis, manibus ante pectus injunctis, suo quisque ordine pie, & religiose orent. Inprimisque ab omni strepitu, vociferatione, & inani confabulatione caveant: sed silentio sancto utantur. Et quod veteris ritus est, primum mares, deinde fœminæ confirmentur, nisi aliquando aliter fieri Episcopus censuerit*.

4. Episcopus extensis versus confirmandos manibus exorat Spiritum sanctum, nt in neophytos ad robur descendat, tum illorum frontem chrismate per crucis signum inungit hæc proferens verba, *Signo te signo crucis, &c. Convenienter* (inqnit S. Thomas 3. part. qu. 72. artic. 9.) *signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo; primo quidem quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis; quod quidem debet esse evidens, & manifestum: inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur, & ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut manifeste demonstret se esse Christianum. Secundo quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, & propter verecundiam, utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc, quod spiritus a corde ad frontem directe ascendant, unde verecundati erubescant; timentes autem pallescunt, & ideo in fronte signantur Chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittant.*

CAPUT TERTIUM.

De ritibus, qui post Confirmationem adhibentur.

1 UBI frontis inunctio peracta est, Episcopus confirmatum leviter in maxilla cædit. Non perantiquam esse eam cæremoniam ex eo colligitur, quod nec in Gregorii Magni Sacramentario, nec in iis, qui sæculo 9. de ritibus scripserunt, legatur. Illius hanc rationem S. Carolus tradit, *Hunc ritum Parochus ita docebit, ut sciat homo Christianus se jam militem esse, cujus pugna, & victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis, deinde se in Christianæ militiæ constitutum esse, in qua non hujus vitæ jucunditates, & commoda quærat, sed incommoda potius, atque adeo mala patienter ferat; ac præterea intelligat officii sui esse in acie stare, itaque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus honor, opesque lædantur, anima tamen nullo modo offendatur*.

2. Episcopus pacem impertitur confirmato: quem quidem ritum legere est in Ordine Romano, qui septimo sæculo conscriptus fuit: Ea pace (inquit Catechismus Romanus) confirmatus intelligit *se gratiæ cælestis plenitudinem, & pacem, qui exuperat omnem sensum, consecutum esse*. Ubi autem minister pacem apprecatus est, orationem fundit, qua Deum exorat, ut gratiam in confirmato jugiter conservet.

3. Vitta linea frons circumligatur, *Vitta linea ligentur Confirmatorum frontes*. (Verba snnt Conventus Melodunensis anno 1579.) Ad duodecimum usque sæculum per septem a Confirmatione dies vitta illa ferebatur, *Quanto autem tempore generaliter ab Ecclesia celebratur adventus Spiritus sancti super Apostolos* (inquit Ordo Romanus) *tanto tempore debet servari unctio Chrismatis*. Idem ex Hugone a S. Victore colligitur, *Solent quidam quærere* (inquit lib. 2. de Sacrament. par. 7. cap. 7.) *quanto tempore debeant unctionem chrismatis observare in capite .... quibus responderi potest conveniens esse ut ... septem diebus, &c.* Postea aliquibus in Ecclesiis per triduum tantum vitta hnjusmodi ferebatnr. *Vittas post Confirmationem* (ait Synodus Senonensis ann. 1514.) *per triduum die, ac nocte deferant*. Tandem multis in locis illico frons exsiccatur a Sacerdotibus; unde fit, nt opus non sit fascia. Quisque Ecclesiæ, cui adscriptus est, consuetudini inhæreat.

Quæres, quid de vitta fieret, nt præscripto tempore a confirmato circumgestata fuerat?

Respondet his verbis Sanctus Carolns in Concilio Mediolan. V. *Confirmati frons Chrismate ab Episcopo illita primum bombyce diligenter a Sacerdote abstergatur, mox a clerico in sacris constituto aqua lavetur, quæ aqua in baptisterii sacrarium projiciatur*. Sed de Confirmationis ritibus hæc satis sint; Qui plura nosse voluerit, Gregorii Magni Sacramentarium, Ordinem Romanum, Alcuinum, Amalarium, S. Thomam, Concilium V. Mediolanense sub S. Carolo, Catechismum Romanum, Bellarminum, & Sambovium consulere poterit; ex iis authoribus excerpsimus quæ huc usque hac de re scripta sunt.

FINIS DISSERTATIONIS TERTIÆ.

De Confirmatione.

DISSER-

DISSERTATIO QUARTA.

De Eucharistia, ut est Sacramentum.



RITUR Eucharistiæ nomen a verbo Græco Εὐχαριστεῖν, quod quidem per *Gratias agere* Latine redditur: Nec id mirum est, cum in hujusce Sacramenti usu Deo propter illius in nos beneficia gratias rependamus; *Nosti autem* (inquit Augustinus ad Dardanum scribens) *in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro*. Nonnumquam etiam *Cœna* vocatur, eo quod Christus inter cœnandum illam instituerit: Ea tamen vox non est frequens apud Patres, quod scilicet ab ipsis Ecclesiæ incunabulis fideles jejuni ad Eucharistiam accesserint, ut probant hæc Tertulliani verba lib. 2. ad uxorem capite 5. *Non sciet maritus* (infidelis) *quid secreto ante omnem cibum gustes*?

Dicitur quoque *Communio*, quia (ut ait S. Thomas 3. p. qu 73. artic. 4.) per Eucharistiæ participationem Christo communicamus, juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne Communicatio sanguinis Christi est*? Præterea per Eucharistiam tamquam per arctissimum vinculum societati fidelium conjungimur. Ut mutuum illud charitatis vinculum ex participatione cibi communis ortum majores nostri significarent, particulas ex eadem panis consecrati mole exscisas plebi communicaturæ largiri solebant; qui quidem mos, his etiam temporibus, obtinet apud Orientales; non enim plures panes consecrant, sed unum tantum, qui divisus in frusta toti populo sufficiat. Hic Lectorem obiter monitum velim, quod licet communionis nomen Eucharistiæ vere, ac proprie conveniat; de eo tamen Sacramento canones intelligendi non sint quoties communionis vocem usurpant, si quidem non raro apud antiquos Scriptores sumi solet pro eo omni, in quo homines secum invicem communicant, sive ad civilem societatem, sive ad Ecclesiasticam pertineat.

Eucharistiam veteres sæpius *Eulogiam* sive benedictionem vocarunt; quod nempe hocce Mysterium per benedictionem seu consecrationem a Christo dicente, *Hoc est corpus meum*; confectum fuerit, & nunc etiam a Presbyteris eadem verba proferentibus perficiantur, *Accedimus ad mysticas Eulogias* (inquit Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Nestorium) *& sanctificamur participes facti sacræ carnis, & pretiosi sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi*. Observare tamen est Eulogias in canonibus nonnumquam ab Eucharistia distingui: quippe licet consecrati non essent, peculiari tamen benedictione sanctiore facti fuerant: eas autem particulas Episcopi distribuebant fidelibus, qui ob causam aliquam, quæ sua culpa non accidisset, ab Eucharistia recedebant. Eulogiarum tamquam rerum, quæ distinctæ sint ab Eucharistia, Laodicena Synodus ineunte quarto sæculo can. 15. his verbis meminit, *Ne Sancta instar Eulogiarum in festo Paschæ in alias Parochias transmittatur*.

Tandem Eucharistia *Viaticum* appellatur. Cum periculose ægrotanti Sacerdos eam elargitur, hæc ait ex Latini ritualis præscripto, *Accipe frater viaticum*: Nec immerito sic vocatur: Primo enim illo sacro cibo in hujus sæculi peregrinatione reficimur: 2. ex hac vita ad alteram profecturis dispensatur contra invisibiles fidei hostes. Hic prætermissum nolo, quod illud nomen *Viaticum*, in Conciliis, & Patribus sæpe pro Pœnitentiæ Sacramento sumatur; eo nimirum in sensu accipi can. 13 Prioris Nicæni Concilii, nec non cap. 2. Epist. Innocentii Papæ primi ad Exuperium Tolosanum in nostra de Pœnitentia dissertatione demonstrabimus.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Sacramenti Eucharistiæ.

Conclusio 1. Eucharistia est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem fidelium refectionem ab ipso Christo institutum.

Probatur 1. Quod Eucharistia sit Sacramentum, inde colligitur 1. quod signum externum includat, panis nimirum, & vini species, quæ internam gratiam exhibent, qua animus, sicut corpus visibili pane, nutritur; *Sicut panis communis, quem quotidie edimus vita est Corporis, ita* (inquit Cyprianus Sermone de Cœna Domini) *panis iste supersubstantialis vita est animæ, & sanitas mentis*. 2. Quod ea gratia Eucharistia non significetur modo, sed etiam producatur juxta hæc Joannis sexto, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. 3. quod sit ritus a Christo institutus, cum tres Evangelistæ, & Paulus conceptis terminis id asserant. Ergo &c.

Quæres quid sit id, quod in Eucharistia proprie Sacramentum dicitur.

Resp. esse ipsamet corpus & sanguinem Christi non absolute quidem considerata, sed prout sub panis & vini speciebus existunt. Ratio prioris partis petitur ex Concilio Tridentino, quod quidem Sess. 13. cap. 5. definit adorationem deberi Eucharistiæ Sacramento; At nulli rei in Sacramento adoratio ex-

exhiberi poteft, quam corpori, & fanguini Chrifti, quæ cum verbo Divino hypoftatice unita funt. Alterius vero partis argumentum fumitur ex eo, quod fit effentiale cuilibet Sacramento, ut fit quidpiam, quod fenfibus fubjaceat: corpus autem, & fanguis Chrifti, fi abfolute fumatur, in Euchariftia fenfibus percipi non poffunt, fed tantum prout latent fub fpeciebus, illifque teguntur.

Nec eft, quod quis contra alterum refponfionis membrum reponat, fpecies Euchariftıcas non producere gratiam ex opere operato, non accipere effe per confecrationem, ac proinde etiam ex parte, non conftituere Euchariftiæ Sacramentum, cui illa omnia conveniunt. Non eft (inquam) quod quis fic ratiocinetur; fiquidem ea, quorum argumentum meminit, Euchariftiæ conveniunt fecundum præcipuam illius partem, Chrifti fcilicet corpus, & fanguinem: Nec eft neceffe quod alteri parti minus præcipuæ, feu fpeciebus tribuantur, ut abfolute, ac fimpliciter de Euchariftia enuntientur.

Conclufio 2. Quamvis Euchariftia ex duplici materia, & ex duplici forma conftet, unum tamen, non duplex Sacramentum, conftituit.

Probatur. Ad Sacramenti multiplicitatem non fufficit in nova lege multiplicitas partium, fed prætterea requiritur multiplicitas finium, qui fpecie diverfi fint. At illi fines fpecie diverfi in Euchariftia non reperiuntur: unicum fcilicet habet adæquatum, qui pofitus fit in animæ fpirituali refectione, cujus quidem refectionis integritas conftat ex cibo, & potu, fumpta metaphora a corporali refectione, ad quam cibus, & potus requiruntur.

Objicies. Qui fub una tantum fpecie communicat, non mutilum, fed totum, & integrum Sacramentum recipit: ergo, qui fub duplici fpecie, duplici Sacramento reficitur.

Refp. nego confeq. Qui enim unicam tantum fpeciem fumit, licet recipiat Sacramentum integrum integritate rei contentæ, eo quod fumat omnes illius partes phyficas, ipfum tamen nequaquam recipit integrum integritate Sacramenti, cum illud non accipiat fecundum integram, & adæquatam illius fignificationem, fpiritualem nempe refectionem, quæ per unicam fpeciem perfecte non repræfentatur.



QUÆSTIO SECUNDA.

De Materia Euchariftiæ.

DUplex eft partialis materia Euchariftiæ, panis, & vinum. Utraque ufum fuiffe Chriftum, cum hoc Sacramentum inftituit, fidem faciunt Matth. capite 26. Marcus 14. Lucas 22. Paulus 1. ad Corinth. 10. Duplicem illam fubftantiam præ cæteris elegit 1. quia clare fignificat fpiritualem animæ refectionem, quam efficit Euchariftia. 2. Panis ex multis granis confectus, & vinum ex multitudine racemorum coalefcens non obfcure unum Ecclefiæ corpus ex multis membris compactum adumbrat: proindeque nos, qui multi fumus, Divini illius myfterii vinculo arctiffime colligari, & tamquam unum corpus effici docemur.

CAPUT PRIMUM.

De pane, ex quo Euchariftia conficitur.

DE Euchariftico pane quæremus 1. cujufnam fubftantiæ fit oportet? 2. cujufnam quantitatis 3. quas habere debeat qualitates accidentales?

ARTICULUS PRIMUS.

De Panis confecrandi fubftantia.

COnclufio. Panis triticeus, eft Euchariftiæ materia neceffaria.

Probatur 1. ex Concilio Florentino, quod quidem cum definit, panem effe hujufce Sacramenti materiam, intelligi debet de materia neceffaria, non vero de præcipua tantum, ut Cajetano placet, apud quem valet panis confecratio ex cujufcumque frumenti granis confectus fuerit: nec mirum, alias enim dici poffet, Sacram Synodum non de materia neceffaria, fed tantum de præcipua locutam fuiffe, cum vinum de vite hujufce Sacramenti partialem effe materiam afferuit.

Objicies. Panis filigineus fatis eft ad confecrationem; ita enim S. Thomas docet 3. part. quæft. 74. art. 3. ad 2. Ergo folus panis triticeus non eft neceffaria materia Euchariftiæ.

Refp. 1. nego confeq. Ratio eft, quia ipfe Sanctus Thomas fupponit filiginem a tritico fecundum fpeciem non differre; *Ad fecundum dicendum* (inquit) *quod generans generat fibi fimile in fpecie, fi tamen aliqua diffimilitudo generantis ad genitum, quantum ad accidentia, vel propter materiam, vel propter debilitatem virtutis generativæ, & ideo fi quæ frumenta funt, quæ ex femine tritici generari poffunt: ficut ex grano tritici feminato in malis terris, nafcitur filigo, ex tali frumento panis confectus poteft effe materia hujus Sacramenti: quod tamen non videtur habere locum, neque in hordeo, neque in fpelta, neque in farre, quod inter omnia eft grano tritici fimilius: fimilitudo autem figuræ in talibus magis videtur fignificare propinquitatem, quam identitatem fpeciei, ficut ex fimilitudine figuræ manifeftatur, quod canis, & lupus funt propinquæ fpecies, non autem ejufdem.*

Refpond. 2. in praxi nufquam Sacerdoti licere uti filigine, ut Euchariftiam conficiat; Nam quantumcumque probabile fit eam fatis effe, id tamen non eft certum: at in confectione Sacramentorum, quæ ad juftificationem abfolute non funt neceffaria, nullo in cafu licet fequi opinionem probabilem de illorum valore, tutiore opinione relicta: ex quo infertur peccare eum, qui panem adhibet, qui igne coctus non fuerit, qui non fit aqua naturali delibutus; a plerifque enim dubitatur, an hujufmodi panis confecrari poffit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De quantitate panis confecrandi.

DIfficultas, de qua agitur, poteft effe 1. de quantitate requifita, ut confecratio valeat: 2. de quantitate, ut ex parte miniftri fit licita: 3. de panis confecrandi, tum morali, tum phyfica præfentia.

Conclufio 1. Quantumcumque magna fit panis quantitas, confecrari poteft.

Probatur 1. Quantumcumque ingens fit quantitas panis, per pronomen *Hoc* defignari poteft, proindeque vere de eo dicitur, quod fit corpus Chrifti, 2. Fidelium, qui ad Euchariftiam poffunt accedere, numerus non eft determinatus, quolibet nimirum affignato alius major determinari poteft: valet autem confecratio totius materiæ, quam fideles fumere poffunt. *Refpondeo dicendum* (inquit S. Thomas hic art. 2.) *quod quidam dixerunt, quod Sacerdos non poffet confecrare immenfam quantitatem panis, aut vini; puta totum panem, qui venditur in foro, aut totum vinum, quod eft in dolio. Sed hoc non videtur effe verum, quia in omnibus habentibus materiam ratio determinationis materiæ fumitur ex ordine ad finem, ficut materia ferræ eft ferrum, ut fit apta fectioni: finis autem hujus Sacramenti eft ufus fidelium, qui nunc occurrat: alioquin Sacerdos parcos parochianos habens, non poffet confecrare multas hoftias; Unde relinquitur, quod materia hujus Sacramenti determinetur per comparationem ad ufum fidelium abfolute: numerus autem fidelium eft indeterminatus: unde non poteft dici, quod quantitas materiæ hujus Sacramenti fit determinata.*

Conclufio 2. Eam tantum materiæ quantitatem confecrare licet, quam Sacerdos prudenter judicat a fidelibus fumi poffe, antequam fpecies computrefcant.

Probatur ex eo, quod Sacerdos, qui contrario modo fefe gereret, gravis facrilegii reus efficeretur; ex illius nempe culpa Euchariftiæ Sacramentum reveren-

ter

ter a fidelibus sumi non posset: Propter idem momentum Parochus non levem eidem Sacramento injuriam inferret, qui hostias consecratas non consumeret, antequam in sacra pixide computrescere incipiant.

Quæres 1. Quid olim apud Majores nostros fieret de panibus consecratis, qui fidelium communioni supererant.

Resp. communionis reliquias in Ecclesiis, tum Orientali, tum Occidentali pueris jejunis ob id specialiter advocatis in templum distributas fuisse. Eam praxim apud Orientales obtinuisse probat 1. miraculum de puero Judæo, qui triduo permansit illæsus in succensa fornace, in quam a Patre fuerat injectus, eo quod cum pueris Christianis superstites communiones manducasset, miraculum illud refert Evagrius Hist. lib. 4. cap. 35. Probat 2. testimonium Nicephori, qui scribit se, cum puer admodum esset, sæpius cum aliis pueris communionis reliquias sumpsisse. Eamdem disciplinam in Occidente, saltem in Galliis, observatam fuisse fidem facit alterum Concilium Matisconense anno 588. habitum, Canone 6. hæc ait, *Quæcumque sacrificiorum reliquiæ post peractam missam in sacrario superfuerint, quarta, vel sexta feria innocentes pueri ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.*

Quæres 2. Quid fieret quondam de speciebus, quæ Sacerdotis incuria computruerant?

Resp. Quoddam Aurelianense Concilium, apud Yvonem part. 2. can. 59. statuisse, ut panes, qui computrescere incipiunt, igne comburerentur, & eorum cineres ad altare sepelirentur: Id quoque sua ætate Algerus undecimi sæculi scriptor factitatum fuisse testatur.

Conclusio 3. Materiæ insensibilis, sive panis sit, sive vinum, consecratio non valet.

Probatur. In particula panis, aut vini guttula, si sensus fugiat, non potest Sacramenti ratio reperiri, cum sit de essentia Sacramenti, quod sit signum sensibile, ut suo loco dictum est. Ergo exiguarum partium consecratio irrita est, cum fieri non possit, absque eo quod Sacramentum conficiatur. Observatum tamen velim non requiri in materia sensibilitatem in actu secundo, valet nempe consecratio hostiæ, quæ sub corporali latitat; satis igitur est sensibilitas in actu primo, ita ut materia percipi possit, si sensibus non impeditis objiciatur.

Objicies cum Dominico Soto. Minima panis particula cum aliis conjuncta consecratur, suamque consecrationem retinet, etiamsi postea ab iis dividatur: ita enim definiisse videtur Concilium Tridentinum Sess. 13. can. 3. ubi hæc habentur, *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit*: Ergo eadem minima pars seorsim potest consecrari, cum eadem conditio ex parte materiæ ad conservationem formæ requiratur, quæ ad illius priorem productionem exigitur.

Respondent nonnulli, Concilium non loqui de separatione in partes insensibiles facta: contendunt enim corpus Christi desinere esse sub speciebus, ubi sub sensus cadere non possunt. Nec mirum (inquiunt) frustra siquidem sub partibus remaneret, quas nemo sumere valeat.

Respondent alii cum Sylvio, cui subscripsimus, concesso ant. neg. conseq. & ejus probationem: quippe quod anima separata a corpore characterem baptismatis impressum retineat, quamvis ipsum non nisi unita cum corpore recipere possit.

Conclusio 4. Irrita est consecratio materiæ, quæ præsens non fuerit, cum forma profertur.

Probatur. Consecratio irrita est, cum id verum non est, quod per Eucharistiæ formam enuntiatur. Atqui si materia non sit præsens, verum non erit quod enuntiatur per formam, in forma enim præsentia per pronomen demonstrativum *hoc*, *hic*, enuntiatur.

Nec audiendus est Joannes Majoris, qui contendit pronomen *hoc* rem demonstrare, quæ vel sensui, vel intellectui sub disjunctione sit præsens. Nam 1. si valeat ea responsio, Sacerdos, qui Romæ offert, hostiam Parisiis existentem consecrare poterit, cum eam per cogitationem suo intellectui præsentem reddere valeat. 2. Pronomen *hoc* demonstrat materiam, in quam agit consecrationis forma; ipsam nimirum in aliam substantiam transmutando. Atqui materia nisi sit præsens, & sensibilis, demonstrari non potest, nec forma potest in eam agere.

Objicies 1. Hostia, quæ sub aliis latitat, valide consecratur, & tamen non est præsens, cum nullo sensu percipiatur. 2. Assignari non potest distantia, quæ tollat præsentiam, quæ requiritur, ut consecratio valeat. Ergo, &c.

Resp. ad primum neg. hostiam, quæ sub aliis latitat non esse presentem. Ratio est, quia ingens hostiarum cumulus se habet per modum totius, quod quidem revera præsens est, etiam sensibiliter, licet sensus singulas illius partes non attingant. Resp. ad secundum neg. ant. Illa enim distantia est ea, extra quam res humano loquendi more non dicitur præsens; sic Petrus, qui extra cubiculum versatur, in quo quis dicit, Petrus est hic, humana, & consueta loquendi ratione non censetur esse præsens.

Ex hactenus dictis Summistæ concludunt valere consecrationem hostiæ, quæ pixide altari imposita inclusa sit, non vero quæ tabernaculo clausa latitet, nec mirum (inquiunt) cum tabernaculum aliud veluti cubiculum censeatur. Docent præterea ad consecrationem licitam requiri, ut materia præsens sit in altari consecrato, ut major hostia sit præ Sacerdotis manibus, ad imitationem scilicet consecrationis, quam Christus in ultima cœna peregit.

ARTICULUS TERTIUS.

De qualitatibus panis consecrandi.

Quæ hic dicemus ad tria capita reducentur. Quæremus 1. quænam olim esset materia proxima, ex qua panes consecrandæ seligebantur? 2. quotuplex quondam fieret materiæ consecrandæ præparatio? 3. quam in figuram panis consecrandus desineret?

Conclusio 1. Panis consectandus olim ex fidelium oblatis seligebatur.

Probatur ex Traditione, qua quidem docemur 1 majores nostros morem hunc servasse, ut omnes, qui conveniebant ad sacrificium, panem, & vinum offerrent; *Locuples es, Dives es*, (inquiebat Cyprianus fœminæ prædiviti) *& Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem ex sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Docemur 2. ex pane, & vino, quæ fideles obtulissent, Eucharistiam confectam fuisse. Ordo Romanus sæculo 7. conscriptus injungit Subdiaconis, ut oblatos a fidelibus panes Archidiacono porrigant, ex quibus nonnullos, quos selegerit, altari imponat, injungit præterea, ut ex vino, quod oblatum fuit, eam calici copiam infundat, quæ Sacerdotis, & populi communioni satis sit.

Conclusio 2. Non una fuit antiquitus remota panis, & vini ad usum Eucharistiæ præparatio: nec proxima eadem ratione in omnibus Ecclesiis factitata legitur.

Probatur prima conclusionis pars. 1. Prioribus sæculis, sæviente nimirum persecutione, Majores nostri panem communem, & obvium consecrabant, siquidem Apostoli eo usi fuisse videntur, cum (ut habet Lucas in Actis) panem per domos frangebant: eumdem adhibitum fuisse ab Apostolorum successoribus, cum in antris celebrabant, ex eo colligitur, quod alium parare eis per tempus sæpe non liceret. 2. Data Ecclesiis pace panes studio præparati adhibiti fuerunt. Legimus, S. Radegundem Reginam Ecclesiis panem consecrandum dispensasse, quam ipsa propriis manibus confecerat. Concilium 16. Toletanum anno 693. habitum sancivit, *Ut non aliter panis in altari sanctificandus præponeretur, nisi mundus, & nitidus, & qui studio præparatus fuisset.*

Probatur altera conclusionis pars. Nomine præparationis proximæ, ea intelligitur, quæ fit cum instat sa-

sacrificii celebratio. In Ecclesia Latina sine nllo peculiari ritu ea præparatio peragitur: nam quoad panem spectat, in sacrario cum hrevioribus hostiis, quæ fideli populo post consecrationem dispensantur, patenæ imponitur. Vinum, & aqua cum oratione, & data Sacerdotis manibus benedictione, ante offertorium calici insundnntur: Excipiendi sunt tamen nonnnlli monachi, qui vinum ante missæ introitum in altari aqua diluunt.

Apud Græcos in proxima materiæ consecrandæ præparationis is ritus observatur. t. Sacerdos Græcus, lotis manibus, sese confert ad minus altare, quod ad majoris levam erectum est. 2. Diaconus discum altiorem parat, quem collocat in sinistra minoris illius altaris parte, calice ad dexteram posito. 3. Sacerdos mann læva panem accipit; dextera vero gladiolnm, qni in brevioris lenceæ figuram desinit: Panem gladiolo divisnm in partes reponit in disco. 4. Diaconus vinum, & aquam in calicem infundit, multæque interim orationes recitantur, quas in Chrysostomi liturgia legere est. 5. Facta majoris hostiæ oblatione, plures particulæ, qnas *Meridas* vocant, sigillatim offeruntur; Iis scilicet particulis Græci varios sacrificii fines designant: prima in honorem Christi offertur, altera ad Mariæ cultum; tertia in memoriam S. Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum, aliorumque, quorum nomina recensentur: qnartam offerunt pro salute viventium, quos nominatim appellant: quintam denique pro defunctis, eorum pariter recitatis nominibus.

Conclusio 3. Non eadem semper fuit panis consecrandi figura; nec quovis sæculo breviores, quibus nunc utimnr, hostiæ fuerunt in usu.

Probatur prima pars. Cuique exploratum est solidos, ac integros panes, dum sæviret persecutio, quales erant præ manibus, vel a populo offerebantnr, consecratos fuisse, ac comminutos in frusta fidelibus fuisse distributos, cujuscumque essent figuræ: 2. Data Ecclesiis pace servatam fuisse in panibus consecrandis figuram orbicularem colligitur ex Epiphanio in Ancorato num. 57. nec non ex Cæsario Gregorii Nazianzeni fratre Dialogo tertio de fide.

Probatur altera pars. Certissimum est breviores Latinorum hostias apud Græcos non consecrari: jam enim observatum fuit Orientales ante consecrationem integrum panem dividere in frusta, quæ fideles intra missarum solemnia de mann Sacerdotis accipinnt.

2. Ex Epistola, qnam Humbertus Cardinalis undecimo sæculo pro Azymotum defensione scripsit adversns Michaelem Cætularium Constantinopolitanum Patriarcham, colligitur circa annum 1054. panem ingentis magnitudinis, in Ecclesia Orientali consecratum fuisse, *Sicut sancta Romana Ecclesia usque nunc observat* (inquit) *panem integrum benedixit* (Christus) *& fractum singulis particulatim distribuit dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.*

3. Labente eodem sæculo undecimo panem Eucharisticum ad breviorem illam formam, quam nunc Occidentales utuntur, redactum fuisse evidens est ex testimonio Bernardi Constantiensis Presbyteri, qui circa annum 1089. Ordinem Romanum noris illnstravit, nec non ex Ernulpho Episcopo Roffensi, qui obiit circa annum 1214. Is in Epistola ad Lambertum, qnæ refertur Tom. 2. Spicilegii, sic loquitur, *Illi* (Apostoli) *panes quotidianos comederunt, nos in forma nummi panem accipimus.*

4. Eodem qnoqne sæculo breviores hostiæ; quas populo commnnicanti distribnimns, adhiberi cœperunt, Eæ breviores hostiæ, licet integræ consecrentnr, ex antiquo tamen loquendi more, ac veteri praxi, particularum nomen conservarunt.

ARTICULUS QUARTUS.

An panis Azymus, an vero fermentatus consecrari debeat?

HIC articulus varias difficultates complectitur, quæ sigillarim discutiendæ sunt. 1. Dubirari potest, an Christus panem azymum pridie mortis consecraverit? 2. An tam in azymo, quam in fermentato consecratio valeat? 3. Utrum cuique pro libito panem azymum, aut fermentatum consecrare liceat? 4. An Occidenrales Ecclesiæ quovis sæculo pane azymo usæ fuerint? 5. An omnes Orientales Ecclesiæ fermentatum semper adhibuerint, & nunc etiam adhibeant?

§. I.

Utrum Christus azymum consecraverit?

GRæci multis abhinc sæculis contendunt, panem fermentatum a Christo consecratum fuisse, indeque patrocinium vindicant suæ perantiquæ praxis de usu fermentati. Iis medio sæculo 11. Michael Cærularius Constantinopolitanus Patriarcha præivit. Confessus est nimirum in Epistola, qnam dedit ad Joannem Tranensem Episcopum, Christum azymis usum qnidem fuisse, ut Pascha Mosaicum comederet, fermentatum vero adhibuisse, ubi Christianum Pascha, seu Eucharistiam instituit. *Hucusque* (inquit de esu agni paschalis) *universa legalis paschæ sunt: Deinde, quæ mystici, & nostri sunt, addidit Evangelista; Edentibus illis, accepit Jesus panem*, utique fermentatum, cum azymis opponatur a Michaele. Latini e contra docuerunt semper, & nunc etiam docent, Christum non alio pane usum fuisse, cum Eucharistiam institnit, quam azymo, quem unum in esu agni paschalis adhibuerat. *Illud autem quis non stupescat, quod post tot sanctos, & Orthodoxos Patres per mille, & viginti a Passione Salvatoris annos novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur Sacramentorum ex azymis, quam præsumptionem tuam, & fama nobis obtulit, & litterarum sub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifestavit: quæ violenter adstruere conantur fermentutum fuisse, quo Dominus Apostolis suis corporis sui mysterium in cœna commendavit.* Verba sunt, quibus Leo Papa IX. Ecclesiæ Latinæ sententiam contra Cærularium adstruit.

Conclusio. Christus cum instituit Eucharistiam, panem azymum consecravit.

Probatur 1. Christus Eucharistiam instituit prima die Azymorum, qnæ sub vesperam Lunæ 14. mensis Martii incipiebat; ab ea enim Judæi dies festos auspicari consueverant. *Prima die azymorum* (inquit Matthæus capite 26.) *accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis ... Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Marcus capite 14. idem his verbis asserit, *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, ut paremus tibi, ut manduces Pascha, &c.* Lucas capite 22. idem testatur, *Venit* (inquit) *dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Atqui a die prima Azymorum Judæis non licebat fermentatum panem non modo manducare, sed nec servare in privatis domibus; proindeque nullum Christus invenit in hominis illius domo, in qua Eucharistiam instituit. Ergo non de fermentato pane, sed de azymo intelligenda sunt hæc Evangelii verba, *Accepit panem ... & ait, hoc est corpus meum.* Confirmatur ex eo, quod Christus ad mortem usque, Mosaicam legem servare debuerit, ne scilicet tamquam illius infractor ad Synagogam deferretur. Ergo cum lex fermentati usum probiberet pro eo tempore, qno Eucharistia fuit instituta, eo tunc Christus non usus est; azymum igitur consecraverit oportet.

Quod mox protulimus argumentum, Leo Papa IX. contra Græcos undecimo sæculo adhibnit, *Qui non venerat solvere legem* (inquit adversus Michaelem Cærularium agens) *sed adimplere, juxta ipsius legis præ-*

ceptum ex azymis, & vino vetus Pascha adimplevit, & protinus ex azymis, & vino novum (sicut aperte Lucas narrat) Discipulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel; & apud quemcumque inveniebatur, peribat anima ejus de populo suo. Quod si in Cœna Domini Jesu apparuisset, aut ipsi, aut discipuli ejus quoquo modo gustassent, juste sicut prævaricatores perirent: nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus; Quis ex vobis arguet me de peccato? Nec esset opus, falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur juste.

Objicies 1. Christus ad celebrandum Pascha anno, quo mortuus est, diem lege Mosaica præscriptam antevertit: proindeque manducavit agnum paschalem, & Eucharistiam instituit die 13. mensis Martii, qua Judæi nondum adhibebant azyma, sed fermentato utebantur. Probatur antecedens ex Evangelista Joanne: 1. Agens de lotione pedum, quam constat in cœna Domini fuisse peractam, hæc ait cap. 3. *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus &c.* 2. asserit Judæos die veneris, quæ proxime noctem excepit, qua Christus instituit Eucharistiam, nondum agnum paschalem comedisse, *Erat mane* (inquit cap. 18.) *& ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Diem igitur 14. Lunæ Christus præoccoparat, ut comederet pascha. 3. Diem veneris, qua Christus affixus est cruci, vocat Parasceve Paschæ, *Erat autem* (ait) *Parasceve Paschæ*, seu præparatio ad Pascha. 4. Hæc Christi ad Judam verba post absolutam cœnam: *Quod facis fac citius*, Discipuli (eodem Joanne teste) sic interpretati sunt, ut existimaverint dictum, ut emeret, quæ necessaria erant ad diem festum, quod aliud non erat, quam Pascha, nondum igitur advenerat dies, qua ex legis præscripto, comedendus erat agnus Paschalis. 4. Diem Sabbati, quæ diem, qua Christus obiit, subsecuta est, eodem 29. capite *magnum* vocat: *Erat enim magnus dies ille Sabbati*; At cur magna erat dies illa? nisi quod Pascha in ea translatum fuisset.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia expresse constat ex Evangelio, discipulos ad Jesum accessisse prima die Azymorum, quæ incipiebat sub vesperam Lunæ 14. ac petiisse, ubi vellet sibi parari Pascha. 2. Ad comedendum agnum Paschalem, multa necessaria erant, quæ discipuli non reperissent apud patrem familias, ad quem a Salvatore missi fuerant. 3. Si (ut volunt nonnulli) Christus Eucharistiam instituit ante diem 14. Lunæ; validum inde, & palmare argumentum adversus Quartadecimanos Ecclesia desumpsisset; Contendebant illi hæretici, ideo Christianos teneri celebrare Pascha Luna 14. mensis Martii in quamcumque hebdomadæ diem incideret, quod suum ea die Christus celebrasset. Atqui Patres, tum Græci, tum Latini illo argumento nusquam usi sunt; nusquam Victor Papa contra Asiaticos agens, nec Concilium Nicænum primum, a quo Quartadecimani proscripti sunt, dixere, hæreticos falsum supposuisse, cum asserebant, Christum agnum paschalem manducasse, ac instituisse Eucharistiam Luna 14. mensis Martii. 4. Nihil causæ fuit cur Christus diem lege determinatam præoccuparit; Nec contrarium evincitur de iis, quæ ex Joanne objecta sunt. Primo enim cum asserit, pedum lotionem factam fuisse, *ante diem festum Paschæ*, non legali, sed more communi loquitur, secundum quem diem crastinum non dicimus nisi eum, quem transacta nocte sol oriens adducit: nihil ergo impedit, quin diem Jovis dixerit præcessisse pascha; quamvis secundum legem, festum Paschatis ipsa Jovis die sub vesperam inciperet. Nec vero a Scripturarum usu aliena est ea loquendi consuetudo: Lucas enim cap. 23. hæc ait; *Dies erat parasceve, & Sabbatum illucescebat &c.* cum tamen ex legali institutione parasceve desiisset præcedenti die sub vesperam, hora nimirum nona, & tunc dies Sabbati incœpisset. Eadem loquendi ratione Matthæus, cap. 28. loquitur: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati:* cum tamen vespera præcedentis diei non esset revera Sabbati, sed primæ Sabbati, quam ipse ab illucescente die denominat. Marcus eumdem loquendi modum adhibet: *Et cum sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante Sabbatum) venit Joseph.* Certe (inquit Baronius in hunc locum) proprie loquendo, illud *sero* non erat *parasceve*, sed principium Sabbati. Sic itaque eodem modo (verba sunt laudati Cardinalis) Joannes vespere illud decimæ quartæ Lunæ, quando facta est cœna, nominat ante diem festum Paschæ, cum tamen esset principium Paschæ.

2. Nihil quoque evincitur ex his aliis verbis, quæ objecta sunt: *Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Siquidem 1. dici potest, Christum, die quidem per legem præscripta, agnum Paschalem comedisse, ac proinde Luna 14. sub vesperam instituisse Eucharistiam; Judæos vero illius morti inhiantes suum pascha distulisse; *Unde liquido patet*, (ait Chrysostomus hom. 85. in Matthæum) *cupiditate interficiendi Christum prævaricatos fuisse, ac alia die Pascha comedisse. Non enim Christus Paschæ tempus transgressus est, sed illi audacissimi homines.* 2. Vox illa, *Pascha*, qua Joannes utitur, de agno Paschali intelligenda non est, quasi significare voluerit, Judæos agnum paschalem manducasse die veneris sub vesperam; sumitur nimirum pro victimis, quæ diebus Azymorum immolari debebant, & quarum partem ipsi laici, si contaminati non essent, edebant. Hujusmodi expositioni favent plures Scripturarum sententiæ; Deuteronomii 16. hæc habentur: *Observa mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias* PHASE *Domino Deo tuo, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisque* PHASE *Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus &c.* Idem habetur in Paralipomenon 30. & 35. seu dicitur, quod septem diebus agebatur PHASE, & comedebatur PHASE, quod quidem idem est quod Pascha.

3. Neminem movere debet, quod Joannes diem Veneris vocet *parasceve Paschæ*, seu præparationem Paschæ; Nam vox illa *Paschæ* non sumitur pro prima die Azymorum, qua Christus agnum Paschalem comedit, sed pro Sabbato, quod contingebat intra Azymorum dies, qui quidem singuli, Pascha dicebantur, ut patet ex Actorum 12. ubi Lucas ait de Herode, quod post Pascha (expletis scilicet septem Azymorum diebus) Petrum occisurus esset. Illi solutioni robur additur 1. ex eo, quod Paschalis festi nullum parasceve in Scripturis institutum legatur: licebat nimirum Judæis cibos, & alia quæ ad victum spectant, ipso Paschatis die, seu prima Azymorum parare: *Dies prima*, (inqui Scriptura Exodi 12.) *erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.* Robur additur 8. ex ipsomet Joanne, qui inferius perspicue significat *Parasceve*, de quo paulo ante fuerat locutus, esse *Parasceve* Sabbati; *Quoniam parasceve erat* (inquit) *ut non remanerent in cruce corpora Sabbato.*

4. Nullius est ponderis, quod ex eodem Joanne adducitur, existimasse nimirum aliquos Apostolos Dominum his verbis: *Quod facis, fac citius*, Judæ dicere voluisse, ut emeret, quæ essent ad diem festum necessaria. Siquidem (ut mox observatum est) ipsa die Paschatis prima, seu quæ incipiebat post solis occasum, cuique licitum erat ea emere, quibus ad ipsam diem Paschatis, & ad diem Sabbati subsequentis opus esset.

5. Non plus habet roboris, quod dies Sabbati, quæ Christi mortem subsecuta est, vocetur a Joanne, *Magnus dies Sabbati*: Nec enim sic appellata est, quod (ut nonnullis placet) Pascha eo anno in diem Sabbati translatum esset; quippe quod sic dicta fuerit quod duo festa simul concurrerent, Sabbatum scilicet, & secunda dies Azymorum; proindeque major eo anno solemnitas esse debuit. Confirmatur ea responsio 1. ex Joannis cap. 7. ubi ultimus dies Scenopegiæ, *Magnus* appellatur: *In novissimo autem* DIE MAGNO *festivitatis stabat Jesus, & clamabat dicens, Si quis sitit &c* Quemadmodum igitur ille dies *magnus* ideo dicitur, quod pari cum primo solemnitate celebrari deberet, ita & Sabbatum, quod subsecutum est Christi mortem: *magnus dies* appellatum est, quod duo festa complecteretur.

6. Nulla debet haberi ratio ejus, quod quinto loco objectum est, in concilio scilicet seniorum Judæorum statutum, ac decretum fuisse, ne in die festo Jesus teneretur, ac occideretur. Siquidem (ut ait Baronius) postquam Judas ad Principes Sacerdotum accessit, pollicitusque fuit suam operam, Seniores illi a priore sua sententia discesserunt, veriti, ne post festa Paschalia eamdem opportunitatem nancisci non possent. Nec mirum, non enim religionis causa prius statuerant mortis Christi dilationem, sed tantum, ut commodius fieret, seu (ut apud Joannem ajunt) ne tumultus fieret in populo, si intra dies Paschales violentas illi manus injicerent. Eadem ratione solvitur, quod nonnulli opponunt, verisimile nimirum non esse, quod ipso die Paschatis, Christum Iudæi tenuerint, flagellaverint, ac egerint in crucem; nulla enim ipsis pietatis cura fuit, unum hoc habuerunt præ oculis, ne tumultus fieret in populo. Præterea Pilati ministerio, eos fecisse constat, quem diem sacrum polluere potuissent; Et sane Christus a Pilati militibus comprehensus fuit, flagellatus, ac tandem actus in crucem. Nihil quoque probat, quod objicitur ex Matthæo, qui hæc habet: *Consilio autem initio emerunt ex illis* (triginta argenteis Judæ datis) *agrum figuli*. Nam Evangelista non asserit id ea die factum fuisse, sed quod postea factum fuerit, insinuat.

7. Non plus habet soliditatis, quod opponunt ex Marco, qui quidem facit, Joseph ab Arimathæa sindonem emisse, & myrrhæ, & aloes quasi libras centum. Nam diebus festis licitum erat mortuos mandare sæpulturæ, cum Tubiam id ipsum fecisse constet, ac proinde cætera licebant, quæ ad illud opus conducere videbantur. Id quod mox responsum est Græci fateantur oportet, cum certum sit, Joseph ab Arimathæa, utpote virum maxime pium, nihil contra legem egisse, & cum aliunde exploratum sit, ipso die legali sabbati id peractum fuisse, nam (ut ajunt Evangelistæ) id contigit cum jam *Sero factum esset*, illud autem *Sero* ad diem Sabbati pertinebat, cum Sabbatum, ac alia festa post horam nonam, apud Judæos inciperent. Nec obstat, (ait Baronius) quod Marcus illud *Sero*, non Sabbatum, sed parasceve, quæ erat ante Sabbatum appellet, solito scilicet, ac trito more locutus est, quamvis enim quælibet festa dies ab hora nona inciperet, reliqua tamen diei pars non denominabatur a die sequenti, sed præcedenti, ut patet ex ipsis Scripturis, in quibus multoties dicitur, quod agnus Paschalis occidendus esset Luna decima quarta ad vesperam; quamvis tamen illa vespera non ad quartamdecimam Lunam spectaret, sed ad diem sequentem, quam quidem (ut jam dictum est) Judæi post horam nonam auspicari consueverant.

Objicies 2. Anno, quo Christus passus est, dies Pentecostes incidit in diem Dominicum, seu in diem Solis, ut ex Ecclesiæ traditione compertum est. At nequaquam incidisset, si Christus Luna decimaquarta Paschalem agnum comedisset: Siquidem a secunda die Azymorum quinquaginta dies numerari debebant, usque ad Pentecosten, ut patet ex Deuteronomii 16. capite. Verum a die Sabbati, quod immediate Christi mortem excepit ad Sabbatum, quod eo anno præcessit Pentecosten, illi quinquaginta dies inclusive fluxissent: ac proinde Pentecostes festum non incidisset in Dominicum diem, seu in diem Solis, sed in sabbatum ipsum: Inde consequitur diem solis, non vero Sabbatum, quod immediate Christi mortem subsecutum est, eo anno fuisse secundam diem Azymorum.

Resp. cum Bellarmino, Judæos non solitos fuisse numerare quinquaginta dies, qui alioquin in secunda die Azymorum fluere debebant usque ad Pentecosten, eo anno, quo illa secunda dies Azymorum incidebat in Sabbatum. Ratio est, quia ea secunda die Azymorum demetendus erat frumenti manipulus, qui postea die Pentecostes, ex legis præscripto, Deo offerri solebat: At eum manipulum Sabbato demetere Judæi prohibebantur, quælibet enim opera servilia, ea etiam, quæ ad cibos vitæ necessarios pertinebant, Moyses vetuerat ne die Sabbati pararentur.

Objicies 3. authoritatem nonnullorum Patrum. Prior prodit Irænæus, qui lib. 4. cap. 23. asserere videtur Christum Luna decimaquarta passum fuisse: Ergo Luna decimaquarta Eucharistiam instituit. 2. Profertur Epiphanius, qui hæresi 50. sic ait: *Oportebat Christum in decima quarta die immolari secundum legem*. 3. Laudatur Chrysostomus, qui homilia 82. in Joannem asserit, Christum prævenisse unum diem in cœna manducanda, at die parasceves moreretur, *quando etiam olim erat pascha*: Ex quo sequitur Luna decimatertia eum Eucharistiam celebrasse. 4. Opponitur Augustinus, qui tractatu 120. in Joannem scribit, acceleratam fuisse Domini sepulturam propter parasceven Iudæorum, quod ea nocte *cœnam puram* comesturi essent: nondum igitur die, qua Christus mortuus est, manducatus fuerat agnus Paschalis, proindeque in diem Jovis, qua Eucharistiam instituit, Luna decimatertia inciderat.

Resp. ad primum falsum esse, quod Irenæus asseruerit Christum passum fuisse Luna decimaquarta; hæc duo docuit, (inquit Bellarminus) primum, Moysem Deuteronomii 16. prædixisse Christi passionem quoad locum, cum definit immolandum esse agnum Paschalem in loco, quem Dominus elegerit, idest in urbe Hierusalem, quoad diem, cum nominavit diem Paschæ, & quoad horam, cum dixit ad vesperam esse immolandum. Alterum quod Irænæus docuit, est ea omnia veritatem habuisse in Christo: sed ex iis non sequitur, quod ab eo assertum fuerit Christum Luna 14. obiisse, cum Pascha, licet inciperet sub vesperam Lunæ 15. tota die sequenti, decimaquinta nimirum, perduraret, ut ex Scripturis superius ostensum est.

Respond. ad secundum, Epiphanium loqui de immolatione Christi non quidem in se, sed in typo, nimirum agno Paschali: ita ut hoc unum assuerit, oportuisse agnum, quo Christus adumbrabatur, immolari Luna 14. ad vesperam. Confirmatur ex eo, quod Epiphanius eo loci disserat contra Quartadecimanos, Pascha quovis anno, die 14. celebrantes, probetque eos plurimum accipere detrimenti ex eo, quod die 14. lumen Lunæ deficere incipiat, ac proinde ea circumstantia prædictus sit Synagogæ defectus, cui tamen consultum volunt Quartadecimani, cum Pascha cum Judæis, non autem cum Christianis celebrant, sed audiendus est Epiphanius ipse: *Et non modicum damnum in hoc negotio incurrunt; Oportebat enim Christum in decima quarta die immolari* SECUNDUM LEGEM (idest in typo) *ut deficiat apud ipsos (Judæos) lumen, quod illuminat ipsos secundum legem, orto Sole, & Lunæ splendorem velante. A decima quarta enim, & infra, luciditas Lunæ perit: Sic & in lege a Christi adventu ac passione, Judaica Synagoga obscurata est. Resplenduit autem Evangelium non dissoluta lege, sed impleta: non abolita figura, sed declarante veritatem.*

Resp. ad tertium, Chrysostomum homilia 85. in Matthæum, conceptis terminis asserere 1. quod Christus die per legem præscripta Paschalem agnum manducaverit, proindeque Luna 14. sub vesperam, qua fermentatum servare nemini Judæo licebat: 2. quod Sacerdotes, qui morti Salvatoris inhiabant distulerint suum Pascha in vesperam Lunæ 15. His præmissis quæ superius probata sunt, dicendum est, Chrysostomum homil. 82. velle Christum in celebrando paschate una die ante Sacerdotes, non autem ante Populum Judaicum, Paschalem agnum manducasse, & sic sui cædem in parasceven Sabbati servasse, qua quidem die ipsum Paschatis festum occurrebat.

Resp. ad quartum, Augustinum *Cœnæ puræ* nomine non intellexisse esum agni Paschalis, sed cœnam quamdam solemnem, qua Judæi Sabbati privilegio sub vesperam se ipsos reficere solebant; Iræneus libro 1. capite 10. observat propter eam cœnam, feriam sextam a Judæis aliquando ipso *cœna puræ* nomine vocatam fuisse.

Objicies 4. Christus eo anno, quo passus est, agnum Paschalem non comedit, licet a suis discipulis interrogatus fuerit de loco ubi illum agnum ex legis præscripto sibi parari vellet, miseritque illos ad hominem, qui statuta per Moysem die, cœnaculum suum præberet: Id enim fragmentum quoddam S. Petri Alexandrini nomine inscriptum, nonnullaque alia veterum monumenta testantur. Ergo dici potest, Eucha-

chariſtiam a Chriſto inſtitutam fuiſſe die 13. Lunæ, ac proinde nihil vetat, quin ipſum fermentato pane uſum fuiſſe ſupponatur.

Reſpond. 1. nego ant. Ejus enim falſitatem demonſtrant verba Evangelica, & antiquorum Patrum traditio, cui alia monumenta, quæ dubiæ ſunt fidei, prævalere non poſſunt. Reſpond. 2. Dato antecedente, quod hic examini non ſubjicimus, nego conſequent. quippe quod conſtet die, qua Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, diſcipulos ad Chriſtum acceſiſſe quærentes ubi vellet ſibi parari Paſcha: At ex Evangelio compertum eſt, diſcipulos id a Salvatore fuiſſe ſciſcitatos prima die Azymorum, proindeque ea die, qua cuilibet Judæo prohibitum erat, ne alicubi fermentatum panem ſervaret.

§. II.

An in fermentato, & azymo pane conſecratio valeat.

IRA in Eccleſiam Romanam percitus Michael Cærularius Conſtantinopolitanus Patriarcha, undecimo ſæculo (ut jam paragrapho ſuperiore obſervatum eſt) ſcripſit non illicitam modo, ſed & irritam eſſe conſecrationem, quam quis azymo pane tentaverit. Duplici Epiſtola, quarum alteram dedit ad Joannem Tranenſem in Apulia Epiſcopum; alteram vero ad Petrum Antiochenum Patriarcham, Latinos azymum conſecrantes per ironiam Azymitas vocat. *Dei magna dilectio, & jucunda compoſitionis viſcera flexerunt nos ſcribere ad tuam Sanctitatem* (verba ſunt Michaelis Joannem Tranenſem alloquentis, *& per te ad univerſos Principes Sacerdotum, & Sacerdotes Francorum, & Monachos, & Populos, & ad ipſum Reverendiſſimum Papam, & memorari de Azymis, & Sabbatis, quæ myſtice, & indecenter cuſtoditis.*

Leo Papa IV. qui tunc Eccleſiæ Catholicæ præerat exiſtimavit ſibi ad objecta Cærularii reſpondendi munus incumbere, quod nimirum Romanam Eccleſiam in primis ſuggillarent

Eamdem Michaelis Epiſtolam Cardinalis Humbertus Sylvæcandidæ Epiſcupus adhibita dialogorum methodo, anno 1054. confutavit. Hujuſmodi dialogo exemplat Baronius ad calcem Tomi 11. Annalium Eccleſiaſticorum de verbo ad verbum deſcribit. Impugnavit, & idem Cardinalis libellum hac de cauſa in Latinos conſcriptum a Nicæta Pectorato, & Conſtantinopoli legatis, quos Leo miſerat, oblatum.

Quod undecimo ſæculo Græci contra Latinos afferebant, proxime elapſo ſæculo conteſtatus eſt Hieremias Conſtantinopolitanus Patriarcha; Cenſura ſcilicet, qua Auguſtanam Lutheranorum Confeſſionem perſtrinxit, Occidentalibus litem intentat, quod azymum conſecrent, contenditque irritam eſſe benedictionem hujuſmodi.

Concluſio. Valet conſecratio ſive in pane azymo, ſive in fermentato facta fuerit.

Probatur 1. quod in fermentato pane conſecratio valeat, Latini Græcis nono ſæculo concedebant, ut probat Epiſtola prior, quam Leo Papa IX. ad Michaelem Cærularium conſcripſit, ea in Epiſtola conqueritur de vi, quam Græci intulerant Latinis, qui ad eorum inſtituta diſciplinam ſuam componere noluerant, *Vos alloquimur qui clauditis regnum cælorum ante homines, nec ipſi intratis, nec alios intrare permittitis, ſed potius prohibetis dum matris venerandam faciem conſpuere quæritis ... Ut enim fertur, omnes Latinorum baſilicas penes vos clauſiſtis, monachis monaſteria, & Abbatibus tuliſtis donec veſtris viverent inſtitutis.* Objicit deinde oppoſitam agendi rationem, quam ipſe in Græcos Rumæ ſecundum patrie inſtituta conſecrantes ſervaverat, *Ecce in hac parte Romana Eccleſia quanto diſcretior, & clementior vobis eſt? Siquidem cum intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monaſteria, ſive Eccleſiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, ſive conſuetudine; quin potius ſuadetur, & admonetur eam obſervare.* Rationem poſtea reddit Summus Pontifex, quod circa conſecrationem in fermentato, alioſque ritus nulla Græcis Rumæ litem intentarit, *Nec enim*

(Eccleſia) *animoſitatem impiæ hæreſeos habet; quæ ſemper diviſione gaudet, dicens per parricidam meretricem, nec mihi nec tibi ſit, ſed dividatur: Sed pietate veræ matris ſic Salomonem deprecatur, Obſecro Domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum; ſcio namque quia nihil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco, & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ poteſt, uni Deo commendat omnes.* Idem evincitur ex hiſtoria Generalis ſecundi Concilii Lugdunenſis ſub Gregorio Papa X. habiti. Illi ſcilicet Synodo Græci cum Latinis adfuerunt, nihilque negotii paſſi ſunt, quod præſentibus Latinis in templo Sancti Joannis fermentatum conſecrarent. Idem quoque colligitur ex Concilio Florentino, ubi Eugenius Papa IV. ſic loquitur, *Definimus in azymo, ſive in fermentato pane triticeo, Chriſti corpus veraciter confici.*

2. Quod conſecratio in azymo valeat, Latini demonſtrant ex facto Chriſti: qui quidem (ut ſuperius oſtenſum eſt) adhibuit azymum panem cum Euchariſtiam inſtituit. Præterea (ut Sanctus Thomas ratiocinatur) panis azymus, & fermentatus ſubſtantialiter non differunt, ſed tantum penes accidentales qualitates: in utroque igitur conſecratio valeat neceſſe eſt. *Reſpondeo dicendum* (inquit S. Doctor 3. par. qu. 75 art. 4. (*quod circa materiam hujus Sacramenti, duo poſſunt conſiderari, ſcilicet quid ſit neceſſarium, & quid conveniens: neceſſarium quidem eſt, ut ſit panis triticeus, ſine quo non perficitur Sacramentum: non eſt autem de neceſſitate Sacramenti quod ſit azymus, vel fermentatus, quia in unoquoque confici poteſt.*

Objicies 1. Azymum non eſt panis; Panis enim a verbo *attollo* dicitur, proindeque ſecundum nominis etymologiam, fermentum includat oportet. *Vos quidem panem, non arton dicimus* (ratio eſt, qua Michael Cærularius, Latinos, in ſua ad Tranenſem Epiſcopum Epiſtola, urgere contendit) *Artos autem interpretatur elevatus, & ſurſum portatus a fermento, & ſale calorem, & elevationem habens.*

Reſpond. 1. etymologiam nominis non ſemper ex rei ſubſtantia, ſed ex libera hominum inſtitutione deſumi, ac proinde nihil ex ea pro rei ſubſtantia concludi poteſt; *Illud quoque, quod azymum negantes panem eſſe, per etymologiam ejus nominis, quod eſt artos, conamini nos vincere* (inquit Cardinalis Humbertus in dialogo adverſos Cærularium) *Sciatis omnino vanum, & puerile, quia, & a linguarum peritis diverſæ etymologiæ dantur ex uno nomine ſecundum humanum placitum magis, quam ſecundum naturam rerum.* Optima eſt Humberti reſponſio, quod nempe ipſis Scripturis nitatur; Levitici 7. panes dicuntur tam qui ſine fermento, quam qui cum fermento confecti fuiſſent. Lucæ ultimo Azymum vocatur ſimpliciter panis, *Accepit panem, benedixit;* & paulo poſt *quomodo cognoverunt illum in fractione panis.* Secunda dies erat Azymorum qua id contigit, quod Lucas a Jeſu factum in caſtello Emmaus enarrat, & conſequenter non de pane fermentato, tunc apud Judæos prohibito, ſed de azymo, qui tunc uſualis erat, Lucæ verba intelligenda ſunt.

Reſpond. 2. illam etymologiam vocis *Artos*, ab accidentali panis conditione ſumptam eſſe, ut in aliis multis factum reperitur. Præterea (inquit Bellarminus) panis non dicitur artos, quod per fermentum elevetur, ſed potius, quod elevet naturam humanam, cum corpora nutriat.

Objicies 2. varia argumenta, quibus evincitur, azyma inepta eſſe, ut ſint materia Euchariſtiæ. 1. Azyma, cum inſipida ſint, vivificum Euchariſtiæ effectum exhibere non poſſunt. 2. Symbola ſunt triſtitiæ & doloris; unde Moyſes Judæis præſcripſit, ut ſemel in anno eis uterentur, in memoriam miſeriarum, quas in deſerto paſſi fuerant; cum e contra Euchariſtia ſit lætitiæ ſignum, unde olim apud Latinos jejuniorum diebus non ſumebatur; imo nec his etiam temporibus apud Græcos. 3. Melchiſedech non obtulit azymum panem; Ergo nec illum Eccleſia debet offerre, cum illius miniſtri ſecundum ordinem Melchiſedech Sacerdotes inaugurati fuerint. Rationes illas ſic urget Michael Cærularius; *Azyma nihil*

distant a lapide sine anima, & lutum lateris deorsum consumptæ terræ, & sicco luto comparatæ, quas cum amaritudinibus Moyses comedere miseris Judæis semel in anno legum constituit, dicens; Quoniam malæ passionis, & tribulationis symbola sunt, & nostrum Pascha gaudium, & lætitia totum est ... Dicit & David de Christo, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui ante Moysem, & Abraham cœli, & terræ, & cæterarum creaturarum agnoscens Dominum, & exurgens obtulit illi panem, & vinum. Ideo dicit Divinus Apostolus, quoniam si consummatio per Leviticum sacerdotium erat, non secundum ordinem Melchisedech, Sacerdos Christus diceretur. Et quia translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat, quæ jlen lutulenta, constituit azyma Judæis custodire.

Resp. ad primum inter materiam, ex qua Sacramenta constant, & effectum, quem producunt debere quidem esse analogiam aliquam; sed non est necesse, ut in singulis materiæ qualitatibus reperiatur. Panis sive azymus sit, sive fermentatus corpus alit, ac vires auget, quod & Eucharistia efficit in anima. Ad secundum dico, azymum Judæis fuisse & doloris, & gaudii signum; doloris quidem quem in deserto passi fuerant, & lætitiæ præsentis, qua nimirum efficiebantur ex memoria suæ e manibus Ægyptiorum liberationis. Eucharistia cum Fidelium ob oculos ponat Christi mortem, quidpiam triste præteritum significat, prout vero gratiam impertitur, & certum est gloriæ futuræ pignus, non potest, quin communicantes singulari lætitia afficiat. Ad tertium dicendum est, convenire Christi sacrificium cum eo, quod obtulit Melchisedech, quod in utroque, substantiæ panis & vini, materiæ loco fuerint; nec opus fuit ut panis, quem Christus transmutavit in suum corpus, qualitates omnes accidentales habuerit, quæ in pane, quem Melchisedech obtulit, reperiebantur. Quæ hucusque adhibita sunt responsa, Cardinalis Humbertus opposuit olim argumentis Cærularii, *Retrusis* (inquit) *& omni consolatione humani victus fraudatis*, (vos, qui azyma dicitis a lapide, aut sicco luto nihil distare) *disceretis, quod lapidibus paries, azymis autem confirmetur cor hominis: quæ, quamvis humanam vitam temporaliter sustentent, tamen sine esse sicut & fermentum, nullus negare audet nisi Manichæus demens. Nam in corporis Christi mysterio indubitanter vitalis esca sunt perpetuo ... Optamus vobiscum celebrari Pascha, quod totum sit lætitia, & plenum gaudium, in terra scilicet viventium, quia hic nemini concessum est in terra morientium.*

Objicies 3. Azyma Judæis propria sunt, qui ergo iis utitur in religionis ritibus cum Judæis communicat; Cærularii contra Latinos disputantis est ea ratio, *Azyma* (inquiebat) *mystice indecenter custoditis, & communicatis Judæis: Etenim azyma ipsi custodire a Moyse jussi sunt*. Præterea, qui adhibent azyma, facto Ebionitis consentiunt, qui Judaismum cum Christianismo tentarunt conjungere: ita ut vellent, sine salutis dispendio a Christianis prætermitti non posse præscriptos a Moyse ritus. Addendum; Patres Concilii in Trullo conceptis terminis Judæorum azyma prohibuisse, quod nimirum censerent eorum usum Christianos dedecere, *Ne Clerici* (inquiunt can. 11.) *aut Laici comedant azyma Judæorum*.

Resp. 1. cum Cardinale Humberto, qui sic in adversarios argumentum retorquet, *Vos vero si non Judaizatis, dicite, cur Judæis in simili observantia Sabbati communicetis? Sabbatum ipsi certe celebrant, & vos celebratis: epulantur ipsi, & solvunt semper in Sabbato jejunium, & vos epulamini, & solvitis semper in Sabbato jejunium: Illi in sua quadragesima solvunt a jejunio omne Sabbatum, præter unum. Illis duplex est causa Sabbatum celebrandi, scilicet ex præcepto Moysis, & quod contristatis discipulis, ipsi fuere de morte Domini, quem non credebant resurrecturum, in hac die gavisi. Unde, quia cum Judæis Sabbatum, & nobiscum celebratis diem Dominicum, videmini in tali observatione imitari sectam Nazarenorum, qui sic recipiunt Christianismum, ut non dimittant Judaismum.*

Resp. 2. a Latinis non adhiberi azyma, quod a Moyse præscripta sint, sed quod iis Christus usus sit, eaque Occidentalis Ecclesia velit adhiberi; proindeque Latini nec cum Judæis communicant, nec Ebionitis favent. Trullani Præsules vel jam tunc Romanum ritum ex invidia carpebant, vel damnabant eos, qui Azymorum dies cum Judæis observabant: Concilium in Trullo, quod Nicetas Pectoratus Latinis objiciebat hoc in capite, Cardinalis Humbertus flocci fecit; contendit nimirum, editos ab eo canones nullius omnino esse roboris. *Nos scientes*, (inquit agens contra Nicetam) *sextam Synodum ad destruendam hæresim Græcorum Monothelitarum, non autem ad tradendum Romanis novas institutiones congregatam, capitula, quæ nobis sub ejus authoritate opponitis, omnino refutamus: quia prima, & Apostolica sedes nec aliquando ea accepit, nec observat hactenus.*

§. III.

Utrum Latinis fermentatum, & Græcis azymum indifferenter consecrare liceat?

LUtherani contendunt cuique licere pro libito aut fermentatum, aut azymum consecrare: quod nempe Christus neutrum in specie, ac determinate præscripserit; Græcorum tamen praxim Latinorum consuetudini, & verbis, & facto anteponunt, quippe qui doceant fermentatum aptius esse ad Eucharistiæ confectionem, unde illud, azymo rejecto, in suis mysteriis adhibent. Kemnitium hac de disciplina in 2. parte Examinis Concilii Tridentini, Sess. 22. cap. 7. scribentem legere est.

Calvinistæ Lutheranis adhærent; nec mirum, cum is, a quo sumpsere nomen, Calvinum dico, lib. 4. Instit. cap. 17. §. 33. asserat perinde esse uti azymo, vel fermentato, sicut perinde est in vino rubro, vel albo consecrare; quod tamen putent primitus solum fermentatum adhibitum fuisse, illud unum, dum Eucharistiam conficiunt, usurpant.

Catholici e contra sentiunt, Latinis non alium licere panem consecrare, quam azymum, nec Græcis, alium quam fermentatum; unde Latini etiam in Orientalium templis, & Græci in Occidentalium basilicis consecrantes pro patrio more, aut azymum, aut fermentatum adhibent.

Conclusio. Nec Latinis fermentatum, nec Græcis azymum consecrare licet.

Probatur 1. Avita utriusque, tum Latinæ, tum Græcæ consuetudo strictæ legis vim habet: nemini igitur illam infringere licet. 2. In definitione Synodi Florentinæ sic habetur, *Sacerdotes in altari ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

Objicies 1. Augustinus epist. 128. quæ est ad Januarium capite 2. asserit, penes unumquemque esse iis ritibus adhærere; quos in locis, in quibus versatur, observari viderit. *Alia vero sunt* (inquit) *quæ per loca terrarum, Regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunant sabbato, alii vero non: alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Dominico: alii certis diebus accipiunt; alibi nullus intermittitur, quo non offeratur: alibi sabbato tantum, & Dominico: alibi tantum Dominico; & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes: nec disciplina ulla est in eis melior gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.* Præceptum de consecrando azymo pane, aut fermentato merus est ritus, qui ad disciplinam spectet: nihil complectitur, quod fidei, aut moribus oppositum sit: Ergo ex Augustino pro re indifferenti haberi debet, proindeque pro locorum diversitate, modo azymus, modo fermentatus panis consecrari possunt.

Resp. allatam ex Augustino regulam pro iis locis valere, in quibus nullo modo servantur laudabiles ritus Ecclesiæ, in qua quis baptismate initiatus est, aut cui per suum sacerdotium est additus, aut

pro iis locis, in quibus sine scandalo patriæ leges ad praxim redigi non possunt. Unde conficitur nec Græco Sacerdoti in Occidente, nec Latino in Oriente licitum esse quicquam contra patrios mores peragere, cum nec azymum Orientalibus, nec fermentatum Occidentalibus sint scandalo.

Objicies 2. Vinum rubrum, & album indifferenter, tum apud Latinos, tum apud Græcos consecrantur. Ergo fermentatum, & azymum pari jure, seu sine peccati periculo, consecrari possunt, non enim magis inter se differunt, quam azymum, & fermentatum, seu tam inter ista, quam inter illa, accidentale tantum discrimen intercedit.

Resp. equidem inter fermentatum, & azymum solam differentiam accidentalem reperiri, sicut inter vinum rubrum, & album; sed fermentatum aptum non est, ut ea mysteria significet, quæ Latini per azymum significata esse voluerunt, nec azymum idoneum est ad exhibenda, quæ per fermentati usum Orientales exhibere proponunt: Ea autem differentia satis est, ut uno, non autem altero, in diversis Ecclesiis uti liceat. Confirmatur ex Levitico, quo quidem constat azymi usum sub gravis peccati reatu Judæis hac una ratione Deum præcepisse, quod eo potius, quam fermentato varia, quæ illis in deserto contigerant, significarentur.

Quæres, quæ mysteria fermenti usus exhibeat, & quænam adumbrentur azymo?

Resp. ad primum Græcorum praxim his inniti rationibus. 1. Græci fermentato docentur necessarium esse, ut mens ejus, qui mysteria celebrat, aut qui eorum per communionem sit particeps, ad cœlos attollatur, seu cœlestia, & spiritualia revolvat, *Nostrum pascha extollit nos ab humo propter gaudium ad cœlum, sicut & fermentum propter proprium calorem panem*. Ita Michael Cærularius in Epist. ad Tranensem Episcopum ratiocinatur. 2. Orientales Incarnationem, seu Verbi cum humana natura unionem, suo ritu exhiberi contendunt: Etenim (inquiunt) Verbum non absimili ratione humanæ naturæ se immiscuit, qua fermentum farinæ, quam totam sua acrimonia pervadit. 3. Dictitant se, rejectis azymis detestari Ebionitas, Nazaræos, aliosque hæreticos, qui quondam legalium jugum cervici Christianorum imponere tentarunt. *Indecenter* (inquiebat Cærularius Romanos alloquens) *communicatis Judæis, etenim azyma custodire jussi sunt*.

Resp. ad secundum, Latinos his argumentis suam tueri disciplinam. Nam 1. (inquiunt) Christi exemplum imitamur, qui azymum in ultima cœna consecravit. 2. Panis azymus aptior est, quo significetur summa, tum corporis, tum mentis puritas, quæ requiritur ad receptionem purissimæ carnis Christi, juxta illud Apostoli primæ ad Corinth. 5. *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis*. 3. Azymo pane, cum nihil ei corruptionis admixtum fuerit, perfecte adumbratur eximia sanctitas carnis Christi, quæ in altari a sacerdotibus offertur. 4. Significantur, quæ Christum intrinsece componunt, Verbum Divinum, humanum corpus, animam rationalem, quod quidem mysterium, ut intelligatur, Cardinalis Humberti hoc in paragrapho sæpius laudati verba subjicienda sunt. *Romana quippe, & Occidentalis Ecclesia, a ministris sacri altaris in secretario confectum offert azymum, quod ex grano frumenti, & limpida lympha per ignem fuerit præparatum, significans se in una mediatoris Dei, & hominum hominis Jesu Christi persona tres perfectas credere, & venerari substantias, humanam scilicet carnem, animam rationalem, & Verbum Dei Deum, & granum quidem assimilari carni, quam de sola virginis carne, quasi ex gremio matris terræ, sola virtute cœlesti, non autem aliqua commixtione virili factam, omnipotens Divinitas animavit, puriorem substantiam, idest, animam, quasi aquam præclaram, & nobilem ei infundens: quas geminas substantias ab ipsius virginalis conceptionis exordio Verbum Dei rite suscepit, & mediante suæ Divinitatis calore tamquam igne sibi construxit, & consolidavit*. Contendit postea ad tanti mysterii significationem impar esse Græcorum fermentatum panem; *Hinc jam* (inquit) *quæ apud vos habeatur disciplina, & cautela super tanto mysterio animadvertite. Vos panem .... ad mensam Dominicam transfertis; qui sane juxta vestram narrationem quinque substantiarum particeps est, idest fermenti, farinæ, salis, aquæ, & ignis; quarum omnium significationes congruas in illa simplici, & sincera carne Salvatoris, si habetis, date nobis*. 5. & hæc est postrema Latinorum ratio; Azyma in sacris codicibus nusquam in malam partem sumuntur, cum e contra fermentum sæpius iniquum quid significet: illud argumentum sic urget Humbertus, *Quod vero fermentatum in Divinis, & humanis litteris in malum ponatur, Dominus ipse in Evangelio testatur, Cavete, inquiens, a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis: Et Paulus, Expurgate vetus fermentum*.

§. IV.

Utrum omnes Ecclesiæ Orientales semper panem fermentatum consecraverint, & nunc etiam consecrent?

Conclusio 1. Omnes Orientales Ecclesiæ per sex priora sæcula panem fermentatum consecrarunt.

Probatur 1. authoritate Patrum Græcorum, qui panem consecrandum passim in suis scriptis vocarunt, *Vulgarem, communem, usitatum*. Justinus Martyr in fine secundæ Apologiæ, quam pro Christianis secundo sæculo conscripsit, sic de Eucharistico pane loquitur, *Non enim ita sumimus, ut communem panem*, sic etiam Gregorius Nyssenus in oratione in baptismum Christi, *Panis item panis est initio communis; sed ubi eum mysterium sanctificaverit, corpus Christi fit, & dicitur*.

Nec valet solutio adversariorum, qui contendunt, panem Eucharisticum a Patribus dictum fuisse, *Communem*, non quod is esset, qui passim mensis prophanis apponeretur; sed per oppositionem ad consecratum: Non valet (inquam) ea responsio: Eo nimirum sensu Justinus panem *Communem* sumpsit, quo eum sumere poterat Imperator Antonius, ad quem conscripsit libellum apologiticum. Sed Antonius panis *communis* nomine, solum fermentatum intelligere poterat; vel enim azymus ei plane ignotus erat, vel certe non potuit ab ipso æstimari *communis* panis, vel forte panis ei verus non videbatur, sicut & nunc hujusmodi a Græcis quibusdam schismaticis non judicatur.

Probatur 2. ex Græcorum querimoniis adversus eos, qui azymis præter consuetum morem uti cœperunt. Epiphanius quarto Ecclesiæ sæculo Ebionitarum hæresim describens, tamquam rem speciali observatione dignam refert, quod sacra mysteria non in fermentato pane, sed in azymo celebrarent, *Mysteria autem* (inquit hæresi 30.) *faciunt ad imitationem sanctorum in Ecclesia, ab anno in annum per azymos, hoc est non fermentatos panes*. Cum ergo Ebionitæ ex Epiphanio a Catholicis orientalibus differrent, quod consecrarent aaymum, consequens est, quod Catholici ad sacra mysteria fermentatum adhiberent. Philippoponus, qui circa finem VI. sæculi floruit, in sua disputatione de Paschate, Christum panem fermentatum consecrasse ex eo probare nititur, quod si usus fuisset azymo, idem ætate, qua scribebat, in Ecclesia Orientali factitatum fuisset.

Probatur 3. ex antiquis Græcorum liturgiis, quæ quidem ubi præscribunt, ut in sacrificio, panis integer, turgidus, justæ magnitudinis offeratur, non dicunt oportere, ut sit azymus: quod tamen omittere non debuissent, cum nomine panis integri, turgidi & justæ magnitudinis nemo azymum intelligat, nisi explicite hujusmodi panis qualitas exprimatur. Illi argumento vis maxima conciliatur ex eo, quod Latinæ liturgiæ cum imperant, ut in sacrificio panis consecretur, azymi expresse meminerint. Monitum velim lectorem, Græcos ritum antiquis illis liturgiis præceptum multis ab hinc sæculis non servare; quippe qui (ut suo loco observatum est) panem non offerant nisi prius divisum in frusta; de qua quidem discipli-

na ſic in eos expoſtulat Cardinalis Humbertus: *Date quoque evidentem cauſam illius circumciſionis, qua coronulam panis ad ſanctum ſacrificium ferro levatis, cum immaculata hoſtia immaculatum corpus Domini aptius videatur ſignificare, & integritas panis integritatem Eccleſiæ, quæ corpus Domini ſit participatione ejus integerrimi corporis.*

Objicies authoritatem veterum Scholaſticorum, Alexandri de Hales, S. Thomæ in lib. 4. Sent. Scoti in eumdem librum, S. Bonaventuræ, Durandi, Richardi, & plurium aliorum. Ea de azymorum uſu docuerunt illi Theologi, quæ ſuperiori concluſioni opponuntur e diametro: Aſſerunt nimirum, 1. Eccleſiam tum Latinam, tum Græcam ubique panem azymum adhibuiſſe per totum illud temporis ſpatium, quod a Chriſti morte fluxit uſque ad exortam Ebionitarum hæreſim, ideſt ad Chriſti annum (ut placet Baronio 74.) quo veluti ex inferis impius Ebion emerſit. Aſſerunt 2. utramque Eccleſiam, ubi illa hæreſis graſſari cœpit, fermentatum panem conſecraſſe, donec penitus extincta fuerit, idque (ajunt) ut ea diſciplina teſtaretur, quantum ab iis hæreticis abhorrerent, qui exiſtimantes antiqua legalia ſimul cum Evangelio, & quidem ex Divino præcepto, ſervari debere, panem azymum, cujus uſum Moyſes præſcripſerat, adhibebant. Aſſerunt 3. Latinos, ubi evanuit hæreſis illa rediiſſe ad avitum morem, conſecrandi nempe panes azymos, Græcos vero in ea, quam ex occaſione uſurparant praxi conſtanter, ac mordicus perſeveraſſe. Ex iis Scholaſticorum placitis colligitur, Græcos labente tantum altero Eccleſiæ ſæculo, quo Ebionitarum hæreſis graſſari deſiit, panem fermentatum conſtanter ubique conſecraſſe.

Reſp. non aliam ad illud argumentum ſolutionem a nobis adhiberi debere, quam quæ a Natali Alexandro his verbis tradita eſt: *Verum hanc hiſtoriam ſummo veterum ſilentio falſitatis convictam, & abſque ulla probatione ab authoribus laudatis aſſertam eruditi omnes rejiciunt.* Idem de illo facto judicium tulit Eminentiſſimus Cardinalis Bona; *At* (inquit) *Unde prodierit hæc hiſtoria, quis eam primo ſcripſerit, quis Pontifex, aut quæ Synodus hanc mutationem ſanciverit, nemo dicit.* Præterea quis in animum inducet ſuum, totam Eccleſiam Catholicam diſceſſiſſe a more conſecrandi panes azymos, quem, iis etiam Scholaſticis fatentibus, ab Apoſtolis acceptum ubique gentium obſervarat, diſceſſiſſe (inquam) quod ea praxi nonnulli hæreſiarchæ abuterentur.

Objicies 2. Epiphanius hæreſi 30. refert, Ebionitas ſacra myſteria obire fuiſſe ſolitos *ad imitationem ſanctorum in Eccleſia.* Ergo ſancti in Eccleſia Græca, ſæculo IV. deſinente, quo ſcribebat Epiphanius, azymum panem conſecrabant, alioquin laudatus Pater immerito contenderet, Ebionitas imitatos fuiſſe morem, quem Sancti tunc inter ſacrificandum obſervabant.

Reſp. neg. conſeq. Loquitur ſcilicet Epiphanius de ſacrificio ſecundum ſubſtantiam ſumpto, non autem ſecundum materiam, aut ejus modum, ideſt hoc unum innuere voluit, Ebionitas conſueviſſe offerre ſacrificia, ſicut Catholici offerebant, non adhibuiſſe vero materiam eamdem, qua utebantur Catholici, demonſtratur 1. ex eo, quod mox laudatus Pater Ebionitas novitatis, ac ſingularitatis arguat, quod panem azymum offerrent. 2. Idem Epiphanius teſtatur, eos non vinum, ſed aquam ad ſacrificium adhibuiſſe; ubi enim hæc de illis ſcripſit: *Myſteria autem faciunt ad imitationem ſanctorum in Eccleſia, ab anno in annum per azymos, hoc eſt non fermentatos panes*, hæc alia immediate poſt ſubjicit; *Et alteram myſterii partem per aquam ſolam.* Huc etiam adduci poſſunt, quæ hæreſi 46. quæ Tatiani eſt, conſcribit: *Myſteriis autem ſimiliter uſus eſt ad imitationem ſanctæ Eccleſiæ, verum aqua ſola uſus eſt in iiſdem myſteriis.*

Concluſio 2. Inter Orientales Chriſtianos ſoli Armeni, & Maronitæ, his temporibus, azymos panes conſecrant.

Probatur prima pars authoritate Demetrii Ciziceni, qui in tractatu de Jacobitarum hæreſi, quam Combefiſius ex Dominicanorum ordine ſcriptor eruditus publici fecit juris, ſic loquitur: *Oblationem faciunt azymam, quia* (inquiunt) *quem Chriſtus panem diſcipulis tribuit in cœna myſtica, azymus erat.* Idem teſtatur Nicephorus Calliſtus lib. 8. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 53. *Azymo,* (inquit) *non pane utuntur.*

Probatur altera pars, tum ex Morino noſtro, qui præfatione in Marotinarum ordinationes multis argumentis oſtendit, eos azymum conſecrare: tum etiam ex Guillelmo Tyri Archiepiſcopo lib. 22. cap. 8. hiſtoriæ, quam conſcripſit.

Probatur tertia pars argumento negativo. Aliæ Eccleſiæ præter Eccleſias Armenorum, & Marotinarum, non reperiuntur, quæ in Oriente azymum panem adhibeant.

Objicies in poſtremam concluſionis partem. 1. Cardinalis Humbertus adverſus Græcos agens, aſſerit Eccleſiam Hieroſolymitanam, ſua ætate, XI. nimirum ſæculo, azymum panem ad ſacrificium adhibere ſolitam fuiſſe, ſic enim loquitur in Epiſtola, qua ſcriptam a Michaele Cærulario confutavit: *Quam reverendam Angelis, & hominibus inſtitutionem etiam ſancta Sion, prima ſcilicet Eccleſia, uſque ad hæc moderna tempora, ſicut ab Apoſtolis recepit, fideliter retinuit: Adeo ut quidam Hieroſolymitanorum Pontificum datis Epiſtolis ſignificaverint quantum illorum inſtitutio diſcrepet a Græcis.* 2. Michael Cærularius in ſuis ad Petrum Antiochenum litteris, quas Baronius Tomo XI. Annalium ad annum 1504. deſcribit, fidem facit non Hieroſolymitanam modo Eccleſiam, ſed & Alexandrinam panem azymum conſecraſſe; *Nec hoc ſolum,* (ait) *verum etiam quod prædicti duo Patriarchæ* (Alexandriæ, & Hieroſolymorum) *non ſolum alios azymis veſcentes recipiunt, ſed etiam ipſi aliquando in azymis ſacrum conficiunt ſacrificium.*

Reſp. ad primum, Humbertum *reverendæ inſtitutionis nomine* non intelligere azymum panem, ſed integrum, quem quidem aſſerit Hieroſolymorum Eccleſiam, prout Romanis moris eſt, conſecrare, cum e contra Græci panem in fruſta prius diviſum uſurpent ad ſacra myſteria; *Neque enim* (verba ſunt, quæ Humbertus iis, quæ objecta ſunt, immediate præmittit) *ipſe Dominus panem in calice vini intrivit* (ſicut Græci ſolent) *& ſic Apoſtolis dedit dicens, Accipite & cum cochleari comedite, hoc eſt enim corpus meum; ſed ſicut ſancta Romana Eccleſia uſque nunc obſervat, panem integrum benedixit, & fractum ſingulis particulatim diſtribuit .... quam reverendam angelis inſtitutionem .... etiam ſancta Sion retinuit.* Idem evincitur ex ſubſequentibus, quæ ſic habent: *Ex ipſa ſancta civitate Hieruſalem exiit fides Chriſtiana, in ipſo ſancto loco adimpletur Divina, & immaculata oblatio Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſicut decet per ordinem, puta quia bene faciunt ibi, quod nonniſi integras, & ſanas ponunt ipſas oblationes in ſanctas patinas, nec quomodo Græci habent, lanceam ferream, qua ſcindant in modum crucis ipſam oblationem: ideſt pro ſancto miſſæ ... lanceam ferream neſciunt: niſi quæ latus Domini noſtri Jeſu aperuit.*

Reſp. ad ſecundum, Cærularium factum referre ex auditu tantum, unde non certo, ſed dubitanter de eo loquitur: hæc enim habet, *Et nos quidem cum non haberemus in promptu hominem, per quem de hac re* (azymorum uſu) *illos* (Patriarchas Alexandrinum, & Hieroſolymitanum) *ſcrutaremur, quin etiam nec aliis confidere volentes, rem totam tuæ ſanctitati* (alloquitur Petrum Antiochenum) *requirendam relinquimus, ut de hac re cum omnia diligenter fuerit ſcrutata, humilitati noſtræ ſingula faciat manifeſta.* Præterea Cærularius non aſſerit, Alexandrinum, & Hieroſolymitanum Patriarchas paſſim, & ordinarie azymos panes conſecraſſe, ſed (ut conceptis terminis ait) *aliquando tantum*; idque forſan in Latinorum gratiam, qui Hieroſolymitanam in urbem pietatis cauſa confluebant. Ambo illi Patriarchæ, quibus azymorum uſum ad meram diſciplinam, non autem ad fidem, aut mores pertinere perſuaſum erat, adhibebant azyma, cum id charitatis, ac prudentiæ leges requirebant.

§. V.

§. V.

Utrum Ecclesia Latina semper usa fuerit azymo?

DE proposita quæstione triplex est authorum sententia. Doctissimus Sirmondus in disquisitione, quam scripsit de Azymo, docet 1. utramque Ecclesiam, Latinam, & Græcam, solum fermentatum panem per novem priora sæcula consecrasse: 2. Aazymorum usum in Ecclesiam Latinam irrepsisse eo tempore, quo a Photiano schismate ad Cærularium effluxit, seu ab anno circiter 886. ad annum 1053. Aliis scriptoribus visum est, azymum panem quovis sæculo a Latinis consecratum fuisse: ita ut fermentatus numquam ad tremenda mysteria peragenda fuerit adhibitus: Aliis tandem placet 1. utrumque panem indiscriminatim per sex priora sæcula a latinis usurpatum fuisse: 2. azymum solum sensim, sine sensu post octavum sæculum remansisse.

Conclusio 1. Ecclesia Latina per sex priora sæcula pane azymo, aut fermentato indiscriminatim, & promiscue in sacrificiis usa est.

Probatur 1. Christus pane azymo bis usus est; semel quidem cum instituit Eucharistiam, ac postea cum eam discipulis in castello Emmaus porrexit. Multi scilicet Patres hæc Lucæ verba, *Cognoverunt eum in fractione panis*, de Eucharistiæ Sacramento interpretantur.

2. Verisimile est, Apostolos post Domini in cœlos ascensionem fermentatum sæpius adhibuisse, furtim enim, ac clanculum (urgente persecutione) sacris dabant operam, nec in promptu erant azyma, quæ distribuerent ingenti fidelium numero, apud quos ex improviso, & nonnumquam medio noctis silentio divertebant, & a quibus discedebant summo mane.

3. Multum est probabile, eum panem non fuisse azymum, quem e Diaconorum manibus receptum in templis, Christiani in privatas domos deferebant, ut cum facilis ad Synaxes aditus non pateret, eo se quotidie reficerent.

4. Azymus non erat panis, quem (teste Tertulliano libro 2. ad uxorem cap. 5.) fideles ante omnem cibum in privatis ædibus degustabant; Siquidem absconditum ab uxoribus, aut servis Christianis, gentiles mariti, aut domini infideles proculcassent, si detexissent postea (ut revera potuissent facile) si azymus extitisset; cum gentiles nullum alium panem, quam fermentatum usurparent.

5. Tertio, quarto, quinto, sexto sæculo mos erat, ut qui ad synaxes conveniebant, panem, & vinum offerrent; Ad hujusmodi disciplinam alludit Cyprianus serm. de Eleemosyna ubi matronam prædivitem increpat, *Locuples, & dives, Dominicum celebrare te credis; quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis*. Eidem praxi patrocinatur Augustinus Serm. 25. de Tempore, *Oblationes* (inquit) *quæ in altari consecrentur offerte: Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit*. Favet quoque Gregorii Magni Sacramentarium, ubi hæc leguntur, *Offeruntur a populo oblationes, & vinum, ex quibus in altari ponuntur, ut sacrentur*. Ex iis fidelium oblationibus tertio, quarto, quinto, sexto sæculo confectam fuisse Eucharistiam mox laudata Patrum loca demonstrant; Iis vero robur maximum additur ex historia, quam Joannes Diaconus in vita Gregorii Magni conscribit; narrat mulierem quamdam hæc respondisse S. Pontifici sciscitanti, cur subrisisset, cum mensæ sacræ cum cæteris fidelibus accumberet, *Panem, quem propriis manibus me confecisse cognoveram tu corpus Dominicum perhibebas*. Illæ vero fidelium oblationes erant ex pane fermentato, quippe quæ dividerentur in tres partes, quarum prior Sacrificio, altera Sacerdotum sustentationi, & tertia pauperum victui cedebat, ut Theophili Alexandrini can 7. verba demonstrant, *Quæ in sacrificii rationem offerunt, post ea, quæ in sanctum usum consumuntur, Clerici dividant*. Aazymo autem, saltem extra sacrificium, nec ministri, nec pauperes vescebantur.

Probatur iterum conclusio ex Decretalibus summorum Pontificum: 1. Adscripta Damaso Epistola hæc habet de Melchiade Papa, *Hic fecit, ut oblationes consecratæ, per Ecclesias ex consecrata Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum*. 2. Idem Damasus hæc habet de Siricio, *Decrevit, ut nullus Presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet, quod nominatur fermentum*. Cum liber, ex quo desumpta sunt illa loca, dubiæ sit fidei laudandus est Innocentius Papa I. qui in Epist. ad Decentium Eugubinum in Umbria Episcopum capite 5. sic loquitur, *De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta; nec nos per cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam*. Iis in locis de pane consecrato, seu de Eucharistia summi Pontifices loquuntur; Nam 1. panem illum vocant *oblationem consecratam ex Episcopi consecratu*: 2. ille panis ad presbyteros *die Dominica* dirigebatur, quod scilicet Presbyteri, qui Parochiis in urbe constitutis præerant, festis diebus tremendum sacrificium non offerrent, sed eum panem, quem in Ecclesia Cathedrali Episcopus consecraverat, creditæ sibi plebi distribuebant: 3. Panem illum idcirco Pontifices ad constitutos extra urbem Presbyteros non mittebant, quod timerent, ne in via alicujus irreverentiæ periculo exponeretur. Atqui laudati Pontifices eumdem panem appellant fermentatum: Illorum igitur ætate Eucharistia nonnumquam ex fermentato pane in Ecclesia Occidentali conficiebatur: hocce argumentum apud Sirmondum Disquisitione de Azymo fusius pertractatum legere est.

Objicies Gregorii Magni textum, quem S. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 4. laudat, *Romana Ecclesia offert azimos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed certæ Ecclesiæ offerunt fermentatum, pro eo, quod verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ*. Gregorius, ex Angelico Doctore, Romanæ Ecclesiæ usum Ecclesiis Orientalibus opponit; Ex illo igitur, unum panem azymum ætate Gregorii Occidentales consecrabant, ac proinde ante sæculum 7. cum laudatus Pontifex labente sexto sæculo Romæ sederit.

Resp. S. Thomam referre quidem textum, de quo est quæstio, perinde ac si in Gregorii Magni registro legeretur; sed tanti Doctoris pace dixerim ipsum tantum reperi apud Gregorium VII. qui sæculo 11. Ecclesiæ Romanæ præerat.

Objicies. Leo Papa IX. in Epistola, qua scriptam a Michaele Cærulario confutavit, supponere videtur solum azymum in mysteriis apud Latinos adhibitum fuisse; sic enim loquitur, *Ecce jam post mille, ac ferme viginti a passione Salvatoris nostri annos incipit per vos discere Romana Ecclesia qualiter memoria Passionis ejusdem sit recolenda; quasi nihil ei contulerit præsentia, conversatio, & diuturna institutio, seu qua clarificavit Deum, mors pretiosa illius venerabilis senis cui specialiter Christus filius Dei vivi, Beatus es Simon Bar-jona &c. Non ergo perpenditis quanta impudentia dicatur Pater, qui est in cœlis, abscondisse a principe Apostolorum Petro cultum, sive ritum visibilis sacrificii &c.*

Resp. Cærularium duo circa azyma Romanis objecisse, primum quod Judaismo faverent, secundum quod irrita esset eorum consecratio: Utrumque Leo Papa IX. confutat supponens Petrum azymo inter sacrificandum usum fuisse; quod quidem non inficiamur, cum apud nos certum sit prioribus sæculis Ecclesiam modo fermentatum, modo vero azyma adhibuisse.

Conclusio 2. Circa sæculum septimum solus panis azy-

azymus in quibufdam Ecclefiis adhiberi cœpit.

Probatur ex Concilio Toletano VI. quod labente fæculo VII celebratum eft: canone 6. fic Patres loquuntur, *Ad conventus noftri agnitionem delatum eft, quod in quibufdam Hifpaniarum partibus, quidam Sacerdotum partim nefcientia implicitis, partim temerario aufu provocati, non panes mundos, & ftudio præparatos fupra menfam Domini in facrificio offerunt; fed paffim quomodo unumquemque, aut neceffitas impulerit, aut voluntas coegerit, de panibus fuis ufibus præparatis cruftulum in rotunditatem afferunt, eumque fupra altare cum vino, & aqua pro facro libamine offerunt; quod factum in facra authoritatis hiftoria nufquam geftum perpenditur.* Laudata Synodus panem ufibus communibus præparatum, ac proinde fermentatum ab altari rejiciendum decernit; nec enim Hifpani, quos canon perftringit, azymum panem ad communem ufum adhibebant. Ad præfcriptam eo canone praxim forte allufit Trullanum Concilium, cum Ecclefias Occidentales, quæ fermentatum abjiciebant, fuggillat, diftincte prohibens, ne Clerici, aut Laici azyma (ut inquiunt) Judæorum comederent.

Conclufio 3. Ante Photii tempora fermentatus panis ab omnibus Occidentalium Ecclefiis exclufus fuit.

Probatur 1. ex Rabano Mauro, qui e vivis exceffit anno 856. cum e contra Photianum fchifma circa annum 866. cœperit. Is lib. 1. de inquifitione Clericorum cap. 31. hæc fcribit; *Panem* INFERMENTATUM, *& vinum aqua mixtum in Sacramento corporis & Sanguinis Chrifti fanctificare oportet.*

2. Eodem fæculo ineunte, ufum de quo agitur, jam obtinuiffe Alcuinus, qui fato functus eft anno 804 fupponit, fic enim loquitur Epiftola 69. *Tria funt, quæ in facrificio offerenda funt, panis, aqua, & vinum; Panis, qui in Chrifti corpus confecratur* ABSQUE FERMENTATO, *ullius alterius infectionis debet effe mundiffimus.* Nec vim argumenti enervant, qui contendunt, Alcuinum per verba ifta *abfque omni fermento*, non excluſiffe id quod fimpliciter fermentum dicitur, fed commixtionem rerum, quæ panis munditiem tollerent. Nam Epiftolam, de qua eft quæftio fcripfit præcipue, ut eorum exagitaret praxim, qui in panem Eucharifticum fal injiciebant, quod quidem de munditie corporis, cui permifcetur, nihil omnino detrahit.

3. A Photii morte, quæ circa finem fæculi noni contigit, ad annum 1054 quo Michael Cærularius azymi ufum Latinis vertit crimini, non fatis fluxit temporis, ut tota Ecclefia Latina difciplinam antiquam, & (ut volunt adverfarii) in omnibus Occidentalibus regionibus obfervatam abrogaverit. Norunt omnes non tam facile, & tam cito ampliffimas, & numerofiffimas Ecclefias folitas effe difcedere ab avita confuetudine, ut novam amplectantur. Id videre eft in hæreticorum rebaptizatione, quam quidem ad unam difciplinam fpectare plurimi Patres exiftimarunt: poft adhibitam fummorum Pontificum curam, poft Conciliorum definitionem vix poft multa fæcula ubique defiit, ut nos fuo loco oftendimus: Idem obfervare licet in more celebrandi Pafcha Luna 14. Martii in quamcumque hebdomadæ diem incideret, ille nimirum mos licet a Victore Papa confixus, quamvis in Concilio Oecumenico Nicæno primo damnatus, in quibufdam tamen Angliæ regionibus fæculo VII. obtinebat.

4. Nullius Concilii canon, nullius Pontificis decretum reperire eft quibus a temporibus Photiani fchifmatis ad Michaelem ufque Cærularium, fermentato prohibito, azymum præceptum fuerit. Ergo jam ante Photii ætatem ubique apud Occidentales azymorum ufus invaluerat.

Objicies. Photius, qui quafdam levis momenti praxes objecit Ecclefiæ Romanæ, non oppofuit ufum azymi: Illius igitur ætate nondum ab Occidentalibus confecrabatur: de illo etenim ufu non filuiffet vir, ut erat, exafperato in Ecclefiam Latinam animo. Confirmatur ex eo, quod Michael Cærularius tanti poftea eum fecerit, ut crediderit fatis effe, qui communionis Catholicæ vinculum Græcos inter & Latinos folveret.

Refp. conceffo antec. neg. confeq. Ratio eft, quia Photius hac in caufa peritior fuit Michaele Cærulario, quippe quod eum non fugerint graviffimæ rationes, quibus innixa eft Latinorum confuetudo: Noverat, quod multis ante fæculis docuerat Auguftinus Epift. 118. ad Januarium. *Quæ per loca terrarum, regionefque variantur, totum hoc genus rerum liberas habet obfervationes, nec difciplina ulla eft in his melior gravi, prudentique Chriftiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclefiam ad quamcumq; ne forte devenerit*

CAPUT SECUNDUM.

De vino, quod altera eft Euchariftiæ materia.

QUæremus hic 1. an vinum fit inadæquata materia Euchariftiæ? 2. utrum debeat aqua temperari? 3. an mixtio aquæ cum vino neceffaria fit, ut Sacramentum valeat? utrum aqua vino mixta in Chrifti fanguinem confecratione transfubftantietur?

ARTICULUS PRIMUS

An vinum fit inadæquata materia Euchariftiæ.

HOc in articulo recenfebimus 1. antiquorum de vino Euchariftico errores 2. Ecclefiæ Catholicæ doctrinam argumentis confirmabimus.

§. I.

Veterum de vino Euchariftico errores recenfentur.

VArios variis temporibus, vinum, quod altera eft Euchariftiæ materia, paffum fuit adverfarios.

1. Nonnulli fub vana fobrietatis obtentu vinum a facris myfteriis ablegarunt: hos inter numerare eft Ebionitas, de quibus hæc habet Epiphanius hærefi 30. *Myfteria faciunt ad imitationem fanctorum in Ecclefia..., per azymos panes, & alteram myfterii partem per aquam folam*: Iis etiam accenfetur Tatianus, qui S. Juftini Martyris ætate vixit, hæc de illo mox laudatus Epiphanius hærefi 46. fcribit *Myfteriis fimiliter ufus eft ad imitationem fanctæ Ecclefiæ: verum aqua fola ufus eft in iifdem myfteriis.*

2. Alii impiæ pietatis caufa a vino in facrificiis temperarunt: ii funt Encratitæ, de quibus fic Epiphanius loquitur hærefi 27. *Vino vero omnino non utuntur, diabolicum effe dicentes, & bibentes, ac attactes iniquos effe peccatores.... Unde funt myfteria, quæ apud ipfos per aquam folum fiunt, neque myfteria funt, fed ad imitationem verorum falso fiunt.* Manichæi eodem principio nixi, communioni fub vini fpecie fefe fubtrahebant: illos Leo Magnus Serm. 4. de Quadragefima fic exagitat, *Cumque ad tegendam infidelitatem fuam noftris audeant intereffe myfteriis, ita in Sacramentorum communione fe temperant; at interdum tutius lateant, ore indigno Corpus Chrifti accipiunt, fanguinem autem redemptionis noftræ haurire omnino declinant.* Eos omnes Sectarios, de quibus hactenus, Patres, *Aquarios* dixere; *Aquarii ex hoc appellati funt* (inquit Auguftinus hærefi 64.) *quod aquam offerunt in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclefia.*

3. Plures, etiam e fidelium numero Presbyteri, metus caufa vino non ufi funt, dum facris operarentur: verebantur nimirum, ne ex odore vini, quod in fynaxibus hauſiffent, Chriftiani deprehenderentur ab infidelibus: apud illos enim in Chriftianifmi fufpicionem veniebant, qui ex antelucanis cœtibus exeuntes vinum redolebant. *Ceterum* (verba funt Cypriani ad Cæcilium hoc de argumento fcribentis,) *omnis religionis, & veritatis difciplina fubvertitur, nifi id, quod fpiritualiter præcipitur, fideliter refervetur; nifi in facrificiis matutinis hoc quis vereatur: ne per vini faporem redoleat fanguinem Chrifti.*

§. II.

§. II.

Ecclesiæ de vino Eucharistico fides defenditur.

Conclusio. Vinum est Eucharistiæ materia. Probatur argumentis, quibus Cyprianus utitur in Epistola ad Cæcilium. Operæ pretium est, ut nos illa argumenta sigillatim hic recenseamus.

1. Cyprianus Catholicæ fidei patrocinium accersit ex figuris, quæ sacrificium Eucharisticum, quod Dominicæ passionis est commemoratio, præcesserunt; *Invenimus* (inquit in Epistola ad Cæcilium) *& in Genesi Sacramentum circa Noe hoc idem præcurrisse, & figuram Dominicæ passionis illic extitisse, quod vinum bibit, quod in domo sua nudatus est, quod fuit recubans nudis, & patentibus femoribus; quod nuditas illa Patris a medio filio denotata est, & foras nunciata, a duobus vero majore, & minore contecta; & cætera, quæ necesse non est exequi, cum satis sit hoc complecti, quod Noe typum veritatis ostendens non aquam, sed vinum biberit, & sic imaginem Dominicæ passionis expresserit.*

2. Idem S. Martyr ex altera figura sic argumentatur, *In Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod Scriptura Divina testatur, & dicit, Malchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum ...... quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus Sanctus in psalmis ex persona Patris ad filium dicens, ante Luciferum generavi te, juravit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ..... Ut in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham possit rite celebrari, præcedit ante imago sacrificii, in pane, & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens, & implens Dominus, panem, & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.*

3. Eucharistiam sacrificium contendit prænuntiatum fuisse Proverbiorum nono; *Sed & per Salomonem Spiritus Sanctus typum Dominici sacrificii præmonstrat, immolatæ hostiæ panis, & vini, sed & altaris, & Apostolorum faciens mentionem, Sapientia* (inquit) *mactavit suas hostias, miscuit in cratere vinum suum, & paravit mensam suam; & misit servos suos convocans cum excelsa prædicatione ad craterem, dicens: Qui est insipiens declinet ad me; & indigentibus sensus dixit, venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui vobis.* In quæ quidem Proverbiorum verba sic sanctus Doctor ratiocinatur, *vinum mixtum declarat, idest, calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce denunciat, ut appareat in passione Dominica* (idest Eucharistiæ sacrificio) *id esse gestum, quod fuerat prædictum.*

4. Fidem Catholicam confirmat ex benedictione, quam Jacob moriturus Judæ filio impertitus est, *In benedictione quoque Judæ hoc idem significatur....., Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum. Quando autem sanguis uvæ dicitur, quid aliud quam vinum calicis Domini sanguinis ostenditur?*

5. Eucharistiæ Sacramentum baptismati opponit, aitque, quod quemadmodum istud per aquam prænuntiatum fuit, ac antiquitus a prophetis expressum; illud e contra vini nomine prædictum, & præfiguratum fit. *Nec argumentis plurimis opus est, ut probemus appellatione aquæ, baptisma semper significatum esse, & sic nos intelligere debere, cum Dominus adveniens baptismi, & calicis manifestaverit veritatem, qui aquam illam fidelem præceperit in baptismo dari, calicem vero docuerit exemplo magisterii sui vini, & aquæ conjunctione misceri.*

6. S. Cyprianus Evangelium suis adversariis opponit; argumentum autem, quo utitur sic in compendium contrahi potest. Constat ex Scriptura, Christum acceptum præ manibus calicem io ultima cum discipulis cœna consecrasse. At eo in calice vinum extitisse demonstrant hæc ejusdem Christi verba apud Marcum cap. 14. *Amen dico vobis non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.* Sed audiendus est ipse Cyprianus, *Unde* (seu ex verbis Christi apud Marcum) *apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio, & sacrificium nostrum responderit passioni.*

7. Idem S. Martyr Christi & exemplum, & præceptum multoties urget, atque neminem posse quidquam contra illud moliri; *Quod si* (inquit) *nec minima de mandatis, Dominicis licet solvere; quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis, & nostræ redemptionis Sacramentum pertinentia, fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare. Nam si Jesus Christus Dominus, & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit; utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id, quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.*

8. S. Doctor confutat omnia argumenta, quibus meticulosi Sacerdotes, quos exagitat, suæ praxi quærebant præsidium.

Contendebat socum vitæ periculo non teneri vinum ad Eucharistiam adhibere. Ignaviæ vero tribuit illam excusationem, aitque periculoso esse fidelibus exemplo, *Sic ergo incipit, & a passione Christi in persecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus discit se sanguine ejus, & cruore confundi.* Opponit quas Christus io Evangelio ignavis minas intentat, *Porro autem Dominus in Evangelio suo dicit, qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis.* Definit, iis, qui sic agunt, periculum imminere pernegandi fidem, si postea coram tyrannis evocentur, *Quomodo autem possumus propter Christum sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere.*

Ii quos aggreditur quorumdam veterum exemplis se se tuebantur: sed vanum esse illud præsidium sic demonstrat, *Non est ergo, frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem, si qui in præteritum in calice Dominico aquam solam offerendam esse putaverunt. Quærendum est enim, ipsi quem sint secuti. Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit ....* Numquid (ioquiebant Cypriani adversarii) aliqua habenda est consuetudinis ratio? Nequaquam (respondet S. Martyr:) *nam si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid qui ante omnes est, Christus, prior fecerit: neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.*

Sed (reponebant) quid ergo de iis fiet, qui aquam solam ad mysteria matutina adhibuerunt? Nec damnat, nec absolvit S. Doctor, sed uni Divinæ misericordiæ eos committit, *Et ideo, frater charissime, si quis de antecessoribus nostris, vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo, & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi.*

Ii Sacerdotes, de quibus est quæstio, sibi videbantur Christi exemplo, & maodato facere satis, si vespertinis horis, dum sacrificium offerrent, vinum consecrarent cum pane. non requiri vero, ut utrumque mane fieret; Cypriauus eam ratiunculam ex eo confutat, quod nuiquam Eucharistiam celebrare liceat, quin Christi passio exprimatur, ac commemoretur, *Quod si & a Domino præcipitur, & ab Apostolo ejus hoc idem confirmatur, & traditur, ut quotiescumque biberimus in commemorationem Domini hoc faciamus, quod fecit Dominus, & invenimur non observari a nobis quod mandatum est, nisi eadem, quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus ....* At numquam, saltem clare, exprimitur uisi calix viuo mixtus consecretur. *Miror satis unde hoc usurpatum sit contra Evangelicam, & Apostolicam disciplinam quibusdam in*

locis

locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere.

Qui metus causa in sacrificiis vinum non adhibebant, causabantur se vespertinis horis, dum obirent sacra, calicem vino mixtum benedicere; Sed illam responsionem sic Cyprianus rejicit; *An illo sibi aliquis contemplatione blanditur, quod etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus; Sed cum cœnamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus, ut Sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus.*

Illud Cypriani responsum convellere conabantur, quod Christus vespertinis horis, non autem matutinis calicem obtulisset, *At enim* (inquiebant) *non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus*; Solutionem illam sic laudatus Martyr in suos adversarios retorquet; *Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandum Dominicis offeramus?* Deinde rationem reddit, cur Christus, vespere, ejus vero discipuli mane sacrificium Eucharistiæ celebrent, *Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum, & vesperam mundi; sicut in Exodo scriptum est*, Et occident illum omne vulgus synagogæ filiorum Israel ad vesperam: *Et iterum in Psalmis*, Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. Et quia passionis ejus mentionem in sacrificiis omnibus facimus (passio est enim Domini sacrificium, quod offerimus) nihil aliud, quam quod ille fecit, facere debemus.*

Quæres, cujusnam quantitatis, & qualitatis debeat esse vinum, quod calici consecrandum infunditur?

Resp. 1. si quæstio sit de consecratione, quæ valeat, quamlibet vini quantitatem, modo sit moraliter præsens, consecrari posse; Si vero quæstio sit de consecratione, quæ ex parte Sacerdotis licita sit, contendimus eam tantum vini quantitatem adhiberi posse in Ecclesia Latina, quam solus Sacerdos potest, & debet consumere.

Resp. qualitatem vini, modo vinum specialiter non mutet, nec efficiat ne non sit potabile, nequaquam impedire, quin consecratio valeat: Ex quo infertur non posse consecrari acetum, nec succum, quem quis expresserit ex uva acerba, quique nondum attigit vini speciem, nec uvam ipsam, si mustum nondum ex ea fuerit expressum, nec congelatum, verum alioquin vinum, nisi prius liquefactum fuerit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum vinum Eucharisticum aqua temperari debeat?

EX sectariis multi contenderunt, vinum Eucharisticum non debere aqua temperari: eorum hic catalogum describemus, antequam confirmemus argumentis Ecclesiæ Catholicæ disciplinam, quam quidem ubi probaverimus, nonnulla dicemus de quantitate, & qualitate aquæ vino permiscendæ.

§. I.

De Sectariis, quibus non probatur quod vinum aqua temperetur.

1. ARmeni septimo sæculo praxim Aquariis omnino oppositam amplexi sunt: Cum enim isti aquam puram consecrarent; illi e contra vinum purum, seu nulla aqua temperatum adhibebant. Illos Trullana Synodus anno 692. celebrata proscripsit can. 32. Ad eam praxim Armenos impulit error Eutichianus, quo imbuti erant, verebantur scilicet, ne vini, & aquæ permixtione duarum naturarum in Christo distinctionem adstruerent.

2. Lutherani Armenorum disciplinam amplexi sunt quippe qui vinum purum offerant, suggillantque Romanam Ecclesiam; quæ illud aqua temperat; *Meo sensu* (inquit Lutherus in primo scripto, quod adversus Henricum VIII. Anglorum Regem anno 1522. exaravit) *melius, & tutius foret aquam non miscere vino, cum sit merum figmentum humanum.* Apud Bellarminum idem Lutherus in formula Missæ pro Ecclesia Vvitembergensi anno 1523. conscripta sic loquitur, *Nondum constitui mecum, miscendane esset aqua vino: quamquam huc inclino, ut merum vinum paretur absque aquæ mixtura.*

3. Calvinistæ Lutheranis adhæserunt: mero scilicet vino in cœna utuntur: contendunt quippe, mixtionem calicis sola humana traditione niti, indeque concludunt Evangelicæ puritati eam penitus adversari; Mirum igitur non est, quod Calvinus nec in suis Institutionibus, nec in Catechismo, nec in formula ad quam vult, ut Sacramenta dispensentur, mixtionis hujuscemodi non meminerit.

Iis recentioribus, antiquioribusque Sectariis praxim oppositam Ecclesia Catholica, ubique gentium amplexa est, quam autem merito sic se gesserit, subsequenti paragrapho demonstrabitur.

§. II.

De Ecclesiæ Catholicæ praxi circa vinum Eucharisticum aqua temperandum.

COnclusio. Vinum consecrandum aqua temperari debet.

Probatur Patrum omnium temporum, omniumque regionum consensu, quem quidem si quis aspernatus fuerit, non impudentiæ modo, sed & stoltitiæ (teste Augustino) conscium se præbebit.

1. Illorum Patrum agmen Græci ducunt; Justinus secundæ ætatis scriptor, in altera, quam pro Christianis apologia conscripsit, testatur, fideles in synaxibus solitos fuisse *participare de pane Eucharistico, & vino, & aqua.*

Chrysostomus in liturgia, quæ illius nomine inscribitur, conceptis terminis præscribit, ut vinum consecrandum aqua temperetur, *Deinde* (inquit de Diacono) *facit commixtionem in calicem mittens vinum, & aquam, & dicit*, unus militum latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua, *Et in dicendo quidem*, Exivit sanguis, *infundit vinum, & in dicendo*, Aqua, *effundit aquam.*

Trullani Patres anno 692. hunc, qui ad præsentem causam spectat, canonem 32. ediderunt, *Si quis ergo Episcopus, vel Presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem, & aquam vino non miscens sic immaculatum offert sacrificium, deponatur, imperfecte mysterium enuncians, & quæ tradita sunt innovans*, Antiquam, & universalem apud Catholicos disciplinam ille canon supponit.

Compertum est, his etiam temporibus idem apud Græcos factitari, *præter vinum, & aquam frigidam* (inquit Arcudius de suis Græcis agens lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ) *quæ a principio sacrificii in calice miscent, ac temperant &c.*

2. Latini Patres Græcis hac in parte consentiunt; Cyprianus in Epistola de Sacramento Domini calicis, quam dedit ad Cæcilium exponens hanc Proverbiorum 9. sententiam, *Venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis*, sic loquitur, *vinum mixtum declarat, id est calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce denunciat.*

Patres tertii Concilii Carthaginensis, cui Augustinus adfuit, eam, de qua mox Cyprianus, disciplinam sua ætate viguisse supponunt canone 24. *Ut* (inquiunt) *in Sacramento corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum.* Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. hæc scribit, *Vinum cum aqua in calice mixtum, fit sanguis consecratione verbi cœlestis.*

Concilium Triburiense anno 885. habitum can. 19. sic edicit, *Cujus rei veritatem* (scilicet ab Apostolis traditum fuisse ritum, de quo agitur) *in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus ne ullus sine commixtione vini, & aquæ mysteria sacra perficiat.* S. Bernardus sæculo XII. idem suo testimonio confir-

mat

mat Epist. 69. *Nec nego* (inquit) *panem*, *& vinum*, *aqua quidem mixtum simul debere apponi*.

Sed (inquies) unde Patres, de quibus hactenus, eam disciplinam hauserunt?

Respond. laudatos Patres suam praxim hausisse ab ipsomet Christo, quem aqua vinum Eucharisticum in ultima cœna temperasse per Apostolicam traditionem didicerunt. *Similiter* (inquiunt Patres Concilii in Trullo) *postquam cœnavit*, *accipiens calicem*, *& permiscens ex aqua*, *vino*, *& benedicens*, *dedit &c.* Orientalibus illis Patribus Occidentales præiverant, Cyprianus qui vini meminit, quod aqua temperatum sit, totus est in Epistola ad Cæcilium, ut probet nihil aliud in Sacramento calicis agendum esse, quam quod ipsemet Christus egerit. *Si in sacrificio*, *quod Christus est*, *non nisi Christus sequendus est* (inquit) *utique*, *& nos obaudire*, *& facere oportet*, *quod Christus fecit*. Hieronymus in cap. 14. Marci, eidem veritati suffragatur, *Format* (Christus) *sanguinem suum in calice vino*, *& aqua mixtis*.

Ex his patet, Sectarios recentiores immerito traducere disciplinam Ecclesiæ Romanæ de aqua vino permiscenda, quasi figmentum esset humanum; immerito quoque Concilio Tridentino verterunt crimini, quod eam praxim exemplo Christi Sess. 22. cap. 7. defenderit.

Objicies. Nullæ, aut saltem levissimi sunt ponderis rationes, quibus antiqua, & recens Ecclesia adductæ fuerunt, ut aquam calici consecrando infunderent: Ergo &c.

Resp. e contra gravissimas esse rationes hujusmodi. 1. Quod Christus sic fecerit, traditio est Apostolica. 2. Recolitur Sacramentum expressum in aqua, & sanguine, quæ e Christi mortuo latere fluxerunt, 3. Exhibetur populi fidelis unio cum Christo capite, *Monet deinde sancta Synodus* (verba sunt Concilii Tridentini Sess. 22. cap. 7.) *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus*, *ut aquam vino in calice offerendo misceant*, *tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur*, *tum etiam*, *quia e latere ejus*, *aqua simul cum sanguine exierit*. *Quod Sacramentum hac mixtione recolitur*: *& cum aquæ in Apocalypsi Joannis populi dicantur*. *Ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur*.

Multis ante sæculis idem mysterium eo ritu exprimi S. Cyprianus docuerat in Epistola ad Cæcilium, ubi sic loquitur, *Aquas namque populos significare in Apocalypsi Scriptura Divina declarat dicens*, *Aquæ*, *quas vidisti super quas sedet meretrix illa*, *populi*, *& turbæ*, *& gentes Ethnicorum*, *& linguæ*. *Quod scilicet perspicimus*, *& in Sacramento Domini calicis contineri*: Qua ratione autem id fiat, sic idem Cyprianus exponit; *Nam quia nos omnes probat Christus*; *qui & peccata nostra portabat*, *videmus in aqua populum intelligi*, *in vino ostendi sanguinem Christi*. *Quando autem in calice vino aqua miscetur*, *Christo populus adunatur*, *& credentium plebs ei*, *in quem credidit*, *copulatur*, *& jungitur*. *Quæ copulatio*, *& conjunctio aquæ*, *& vini sic miscetur in calice Domini*, *ut commixtio illa non possit ab invicem separari*.

Tanti momenti Cypriano visum est illud mysterium, ut inde concludat constantem, ac perpetuam Ecclesiæ charitatem in Christum, *Unde Ecclesiam*, *id est*, *plebem in Ecclesia constitutam fideliter*, *& firmiter in eo quod credidit perseverantem*, *nulla res separare poterit a Christo*, *quo minus hæreat semper*, *& maneat in Divina dilectione*. Eat nunc Lutherus, & Ecclesiæ Catholicæ oblatrans asserat, ut asseruit, *aquam in Scripturis sinistram*, *imo pessimam semper habere significationem*.

§. III.

De quantitate, *& qualitate aquæ calici permiscendæ*.

CONclusio 1. Vinum consecrandum modicissima aqua temperari debet.

Probatur 1. Sæculo XII. nonnullos, qui plus aquæ quam vini calici immittebant Honorius Papa III. cap. *Perniciosus de celebrat. Miss.* His verbis proscripsit; *Perniciosus inolevit abusus*, *videlicet quod in majori quantitate de aqua ponitur in sacrificio*, *quam vino*, *cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis*, *plus in ipso sit de vino*, *quam de aqua ponendum*. Idem nono sæculo Concilium Triburiense definierat, præcipiens, ut saltem *duæ sint partes vini*, *tertia aquæ*. 2. Sæculo XV. Eugenius Papa IV. in instructione Armenorum idem sancivit, *Vino* (inquit) *ante consecrationem aquæ modicissima admisceri solet*. Unde patet, Synodum Triburiensem loco mox laudatu non esse ita intelligendam, ut velit tertiam calicis consecrandi partem necessario debere aqua constare, sed hoc unum sancire, ut aqua tertiam ejusdem calicis partem non excedat.

Quæres, cur minor debeat esse quantitas aquæ, quam vini?

Respond. duplici de causa; Prior ex Physica petitur; posterior vero ex mysterio, quod ea permixtione repræsentatur. Volunt nonnulli Philosophi vinum magna aquæ quantitate delibutum propriam vini speciem non retinere; proindeque aptam non esse calicis consecrandi materiam. Aqua (ut superius observatum est) populum fidelem exhibet, vinum autem ipsummet Christum; Decet vero, ut expressus ipsemet Christus in calice repræsentetur quam populus, qui illi adunatur: Cypriani ad Cæcilium scribentis est ea ratio. Præterea in calice, quem Christus consecravit, major erat vini, quam aquæ quantitas, alioquin non vini, sed aquæ calix denominari debuisset, cum denominatio, ex Logicis, ex majori subjecti parte sumi debeat.

Conclusio 2. Aqua calici consecrando permiscenda debet esse naturalis.

Probatur 1. Aqua naturali Christus, cum Eucharistiam instituit, usus est. 2. Aqua artificialis non dicitur aqua simpliciter, sed cum addito, Aqua rosacea v.g. At aquam, qua vinum temperari debet, Patres aquam simpliciter appellarunt.

Quæres 1. num consecrato jam calici, aqua, vel alius liquor infundi possint?

Respond. in Ecclesia Occidentali nullo prorsus liquore calicem consecratum permisceri; e contra vero in Ecclesia Orientali Sacerdos paulo ante communionem aquam fervidam in calicem immittit, *Quo peracto* (verba sunt Liturgiæ, quæ Chrysostomi nomine inscribitur,) *accipiunt diaconi calices*, *præstolantes cum fervente aqua venientem Subdiaconum*, *qui & dicit*; *Benedicite Domine*, *hoc fervidam*; *At ille respondet*; *Benedictus Deus noster*, *nunc & semper*, *& in sæcula*. *Tunc infundit aquam calidam*, *quantum sufficit*. *Deinde sumit corpus Dominicum &c.* Praxis hujusmodi ita Græci sunt tenaces, ut ex iis nonnulli Latinis verterint crimini, quod ea non utantur. *Igitur* (inquit Canonista Balsamon in Resp. 18 ad Quæsita Marci Patriarchæ Alexandrini) *qui non ita peragunt mysterium*, *neque magnitudinem miraculi*, (quod nempe sanguis ex Christi corpore fluxerit) *hoc facto extollunt*, *sed per aquam frigidam*, *& vinum*, *Divinam communionem participant*. *Hi non credunt etiam post salutarem Domini mortem Divinitatem in sancto ejus corpore fuisse*, *sed ab eo discessisse*, *& fuisse illud juxta conditionem nostrorum corporum*, *quod magnæ hæreseos est deliramentum*.

Contendunt nonnulli hujusmodi Orientalium disciplinæ censuram deberi: quod quidem, ut probent, hocce testimonio Angelici Doctoris utuntur; *Si fiat tanta permixtio liquoris cujuscumque* (inquit 3. p. qu. 77. art. 8.) *quod pertingat ad totum vinum consecratum*, *& fiat permistum*, *erit aliud numero*, *& non remanebit ibi sanguis Christi*. *Si vero fiat tam parva alicujus liquoris adjunctio*, *quod non possit diffundi per totum*, *sed usque ad aliquam partem specierum*, *desinet esse sanguis Christi sub illa parte vini consecrati*, *remanebit tamen sub alia*.

Sed æqua non videtur illorum scriptorum animadversio: Primo enim Græci post solutam Florentinam Synodum ea de disciplina interrogati ab Eugenio Papa IV. sine censura dimissi sunt, ubi (sicut habetur ad illius Synodicalem) Mitylenensis Antistes summo Pontifici fecit satis. 2. Mysticum quid ille ritus includit, *Infunditur autem aqua fervens* (ait Bal-

samon

samon loco jam jam relato) *ut videlicet sanguis, & aqua, quæ fluxerunt a sancto latere Domini, & Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi tempore salutaris passionis ejus, vivifica esse constet, veluti ex vivifico deificato corpore vivifica*. 3. Ita expositum velim S. Thomam, ut credident, aquæ guttulam eo tantum in casu minimam vini specierum partem immutare, quo diu ante calici permixta fuerit, quod quidem non fit apud Græcos; vix enim aqua fervida vini species temperant, cum ipsum sacrum calicem hauriunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Quo jure vinum aqua temperari debeat?

RES dicitur necessaria, vel necessitate medii, vel præcepti, quod quidem aut Divinum est, aut humanum. Quæri igitur potest 1. an permixtio aquæ cum vino necessaria sit, ut calicis consecratio valeat: ita ut vinum purum non consecratur? 2. An Christus permixtionem illam præceperit? 3. tandem, an saltem Ecclesia ritum illum sub gravi peccato ministris injungat?

§. I.

An vini aqua non permixti consecratio valeat?

CONclusio. Vinum aqua non temperatum valide consecratur.

Probatur 1. authoritate Cypriani, quippe qui in Epist. ad Cæcilium conceptis terminis asserat, sanguinem Christi esse in calice aqua prius non temperato, *Nam* (inquit) *si vinum tantum quis offerat sanguis Christi incipit esse nobis*, quasi dixisset sub sola vini specie contineri quidem naturale corpus Christi, non autem mysticum, quod est Ecclesia. 2. Ubi Patres, & Concilia de Eucharistiæ materia necessaria differunt, aquæ nusquam meminerunt, sed vini solius, *De genimine vitis* (inquit Chrysostomus) 83. in hæc Christi verba, Amodo non bibam de hoc genimine vitis, *quæ certe vinum, non aquam producit*. Eugenius in decreto pro instructione Armenorum ait, quod sicut panis triticeus est Eucharistiæ materia, ita & *vinum de vite*. Concilium Tridentinum hæc habet Sess. 13. cap 3. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus; verumque ejus sanguinem sub panis & vini specie ...... existere*; non addit Concilium sub specie vini aqua temperati; censuit igitur aquæ permixtionem cum vino, non esse necessariam necessitate Sacramenti.

Objicias 1. Cyprianus in Epistola ad Cæcilium ea scribit, quibus innuat permixtionem aquæ cum vino consecrando necessariam esse necessitate Sacramenti: 1. Simpliciter affirmat, quod aqua pari ratione necessaria sit, qua vinum. *Sic autem* (ait) *in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest*. 2. Docet commixtionem aquæ cum vino, eo modo ad Eucharistiæ confectionem requiri, quo commixtio aquæ cum farina, ad conficiendum panem. *Sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & copulatum, & panis unius compage solidatum*. Ergo quemadmodum non est panis, nisi farina aqua delibuta sit, ita nec vinum fit sanguis Christi, nisi prius aqua fuerit temperatum,

Respondent nonnulli, relatam ex Cypriano paritatem valere quidem quoad necessitatem, non vero quoad necessitatis modum; seu (ajunt) S. Doctor asserit quidem & aquam, & vinum requiri ad sanctificandum Domini calicem, sed non eadem necessitate: ita ut illicita quidem sit calicis consecratio, sed valeat tamen, ubi aqua defuerit.

Respondemus nos, utrumque, vinum scilicet, & aquam necessitate medii in calicis sanctificatione, ex Cypriano, requiri, sed ad diversos fines: illud, idest, vinum necessarium est absolute, ut sanguis Christi præsens sit in calice; ista vero, seu aqua, absolute etiam requiritur, ut populi fidelis unio cum Christo capite repræsentetur: Hoc igitur unum Cyprianus voluit, quod sicut sine vino Christi sanguis non est in calice, ita nec sine aqua in eo est, seu non exprimitur, membrorum cum capite spiritualis conjunctio. Christo (ait Augustinus post Apostolum) duplex est corpus, naturale, & mysticum; Utrumque ab ipsomet Christo Sacerdote offertur in Eucharistia; utrumque igitur in sacro calice sit oportet; illud quidem, substantialiter; istud vero in figura; quod quidem contingit cum vinum aqua permiscetur; Eam autem fuisse Cypriani mentem hæc illius verba demonstrant. *Nam si vinum tantum quis offert, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo; Quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusa sibi utrumque copulatur, tunc Sacramentum spirituale, & cæleste*, in eo positum, quod duplicis corporis Christi, naturalis scilicet, & mystici, oblatio repræsentetur, *perficitur*.

Ex hactenus dictis facile colligitur solutio ad alterum locum, qui prolatus est ex Cypriano. Calix Domini tum secundum id, quod realiter continet, tum secundum id, quod significat, non est, aut vinum solum, aut aqua sola; quemadmodum enim corpus mysticum per farinam, quæ aqua delibuta non sit, non exhibetur, ita nec per solum vinum. Ut corpus mysticum per farinam repræsentetur, necesse est, ut frumenti grana, sub una superficie contineantur, ac sibi invicem coadunentur, quod sane sine aqua fieri non potest: ita etiam nisi sub una calicis superficie, Christus, & Ecclesia contineantur, calix non erit perfectus perfectione significationis, quamvis perfectus sit ratione rei, quam realiter continet. Audiendus est ipse Cyprianus, quæ enim verbis, de quibus agitur, subjicit, mentem illius non obscure aperiunt. *Quo ipso Sacramento* (granorum nempe per aquam sub una superficie conjunctione) *populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commolita, & commixta panem unum faciunt. Sic in Christo, qui est panis cælestis unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus*.

§. II.

An præceptum de vino Eucharistico aqua temperando, Divinum sit?

CONclusio. Christus non imperavit commixtionem aquæ cum vino consecrando.

Probatur 1. Nec in Scriptura, nec in Patribus Divinum de sacri calicis vino, aqua temperando præceptum legere est. 2. Concilia cum de ea commixtione sermonem habuerunt, unus Ecclesiastici præcepti meminero, *Monet Sancta Synodus* (Tridentina) *præceptum esse ab* ECCLESIA *Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant*.

Objicies 1. Cyprianus in Epist. ad Cæcilium hæc habet: *Nam si in sacrificio, quod Christus est, non nisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit*: Agit autem eo loci S. Doctor de mixtione aquæ cum vino Eucharistico, ut ostendunt quæ scribit paulo ante verba, quæ mox relata sunt: *In sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest*: Ergo ex Cypriano jure Divino vinum Eucharisticum aqua temperari debet, cum id a Christo mandatum fuisse contendat.

Resp. negando Cyprianum in sententia, quæ objicitur, loqui de permixtione aquæ cum vino; quamvis enim non multo ante explicuerit mysterium ea permixtione repræsentatum, ad illud tamen hæc verba, *Faciendum esse mandavit*, non referuntur, sed solum ad vinum, quod nonnulli Sacerdotes (alioquin catholici) in sacrificiis matutinis propter rationem, quæ superius relata est, non offerebant; Illa solutio ex eo evidentissime patet, quod sententiæ, de qua est quæstio, Cyprianus hanc aliam immediate præmittat: *Non est ergo, frater charissime, quod aliquis existimet sequendam esse consuetudinem, si qui*

in

An præteritum in calice Dominico nunquam solam offerendam putaverunt; quærendum est enim, ipsi quem sint secuti; Nam si in sacrificio, &c.

Objicies 2. Ad id jure Divino Sacerdotes tenentur, quod ipsemet Christus peregit; Ea nimirum ratione Patres usi sunt, ut Aquarios proscriberent. Atqui Christus vinum aqua mixtum consecravit; ut Concilium Tridentinum post omnes antiquos Patres asserit, *tum quod* (inquit) *Christum Dominum ita fecisse credatur*. Ergo, &c.

Resp. majorem propositionem universaliter sumptam esse falsam; Nam 1. Christus (ut superius probatum est) azymum panem consecravit; Illius tamen usum ab eo præceptum fuisse, nemo Theologus asseret. 2. Christus Eucharistiam post cœnam consecravit, eam suis discipulis jam cœnatis porrexit; Quis tamen inde concludet nonnisi post cœnam sacrificium offerri debere, ad sacra mysteria non requiri jejunium naturale. 3. Dicendum est igitur ea quidem jure Divino præscribi, quæ Christus ipse fecit, & fieri mandavit, non vero, quæ simpliciter fecit, sed ut similiter fierent non injunxit. *Facere oportet* (inquit Cyprianus) *quod Christus fecit, & QUOD FACIENDUM ESSE MANDAVIT.*

§. III.

An præceptum de vino aqua temperando sit Ecclesiasticum.

Conclusio. Præceptum de vino aqua temperando, me re est Ecclesiasticum.

Estius, nonnullique alii Theologi conclusionem probant ex Cypriano, qui in Epist. ad Cæcilium, a culpa propter simplicitatem eximit Episcopos, qui (ut ajunt) vinum in sacrificiis aqua non temperaverant, *Et ideo frater charissime* (verba sunt S. Martyris) *siquis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non hoc observavit, & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo, & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini, venia concedi.* Nulla ratio (ajunt illi Scholastici) Episcopos, de quibus Cyprianus agit, a culpa liberasset, si præceptum de vino aqua temperando, juris fuisset Divini, neque enim (addunt) juris divini ignorantia operantem a culpa eximit, præsertim si quæ ignorat, scire teneatur ratione officii, quo fungitur: E contra (inquiunt) si permixtio aquæ cum vino sit solius Ecclesiastici juris, Præsules, quos Cyprianus excusatos vult, potuerunt eam non adhibere, ne scilicet eo ritu fideles persecutionibus Gentilium exponerent.

Sed Estii, ac Theologorum, qui sic ratiocinantur, pace dixerim ea, quam laudant ex Cypriano, sententia, non agit de vino aqua in sacrificiis temperando, sed tantum de vino, quod nonnulli Episcopi persecutionis declinandæ causa quondam non obtulerant; Nam 1. eo loci S. Doctor iis respondet, qui suæ, de sola aqua in sacrificiis matutinis offerenda, praxi antiquorum quorumdam exemplo patrocinium vindicabant, ac proinde de Episcopis vinum aqua non temperantibus nequaquam agit. 2. Quod ii antistites prætermiserant, Evangelicam tamen traditionem esse docet S. Martyr, cui si quis deinceps parere detrectet, gravi se crimine, ex Cypriano, devinciet. *Nobis vero* (inquit) *non poterit ignosci, qui nunc a Domino admoniti, & instructi sumus, ut calicem Dominicum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus, & de hoc quoque ad collegas nostros litteras dirigamus, ut ubique LEX EVANGELICA, ET TRADITIO DOMINICA servetur, & ab eo, quod Christus & docuit, & fecit, non recedatur.* 3. Si Cypriani textus, quo Estius nititur de ritu mere Ecclesiastico intelligeretur; non fuisset opus, ut Cyprianus Episcoporum illorum simplicitati veniam adscriberet; nequaquam enim nec etiam materialiter (ut ajunt) peccassent, cum cuique exploratum sit legitimum Episcoporum concilium posse ritus vel præscribere, vel omittere pro variis locorum, ac temporum circumstantiis, prout nimirum ovium sibi creditarum saluti consultum fore judicaverit. 4. Cyprianus Episcopos, de quibus est quæstio, a peccato non eximit, (ut ii quos impugnamus) gratis supponunt; imo reos fuisse inde probat, quod veniam de indulgentia Domini (pœnitentibus haud dubie) fuisse concessam asserat.

Probatur itaque conclusio aliis argumentis. 1. Quod permixtio aquæ cum vino sit de præcepto, Patres, quos toto hoc capite laudavimus, fidem faciunt. 2. Quod humani tantum, seu Ecclesiastici sit juris, evincitur ex eo, quod (ut præcedenti paragrapho demonstratum est) nullibi Christus hujusmodi permixtionem imperaverit.

Objicies cum nonnullis heterodoxis recentioribus. Nulla ratio movere debuit Ecclesiam, ut aquæ cum vino Eucharistico permixtionem imperaret; 1. Non in signum aquæ, & sanguinis, quæ ex mortui Christi latere fluxerunt, nec enim permixta fluxere, alioquin unum ab alio discerni non potuisset: 2. Nec misceri quoque debet, ut repræsentetur unio populi fidelis cum Christo, tum quod eam unionem non commemoremus in Eucharistia, sed unam Christi passionem juxta illud apud Apostolum, *Quotiescumque calicem bibetis mortem Domini annunciabitis*, tum etiam, quod ea unio non fiat, nisi post vini consecrationem, nec proinde cum vinum consecrandum aqua temperatur.

Respond. ad Primum, Ecclesiam ritu, cui adversarii oblatrant, fidelium ponere ob oculos id, quod ex Christi latere fluxit, non vero modum, quo fluxit, unde utrumque repræsentative in calice miscemus.

Resp. ad Secundum præcipue quidem in altaris sacrificio Christi passionem commemorari; sed nihil obstat, quin præterea secundarius ejusdem passionis effectus, unio nempe fidelium cum Christo capite, significetur. Qui id Catholicis vertunt crimini, ejusdem oportet insimulent Apostolum, qui 1. ad Corinth. 10. Sic loquitur, *Unus panis, & unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus*: Oporteret & Cyprianum delicti insimulent, cum perspicue tradat, mysterium illud esse in calice significandum, *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri sola aqua non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.*

Respond. ad Tertium, non posse adversarios nobis facessere negotium, quod dicamus fideles Christo adunari cum aqua vinum permiscetur, quin & facessant Cypriano, qui sic loquitur, *Videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur...... copulatur, & jungitur.* Præterea calix aqua non miscetur ante consecrationem, ut eo temporis instanti Ecclesiæ cum Christo junctionem significet, sed tantum cum Christo sanguis in eo fuerit substantialiter præsens.

ARTICULUS QUARTUS.

An aqua vino in calice mixta transubstantietur in Christi sanguinem?

SUMMA animorum contentione labente duodecimo sæculo hæc quæstio, *an aqua vino mixta in Christi sanguinem transubstantiaretur*, in Galliis ventilabatur. Nonnullis Theologis videbatur, aquam revera mutari in Christi sanguinem: Alii censebant, eam transubstantiari in liquorem, qui ex aperto Christi mortui latere dimanavit; Non pauci tandem eam in propria specie, ac natura, etiam post consecrationem, remanere contendebant.

Anno 1188. ea de lite Gaufredus Monachus S. Bernardi copiosam dedit Epistolam ad Episcopum Cardinalem Albanensem, Clementis Papæ I. Vicarium generalem; Statum vero quæstionis his verbis describit, *Ad partes Galliæ reversus cum vestra benedictione, novam, & mihi hactenus inauditam ventilari inter aliquos reperi quæstionem de substantia aquæ, quæ vino mixta in calice similiter offertur, & an & ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur.* Deinde sic placita variorum varie opinantium Scholasticorum enarrat,

Nec mediocris eſt inter modernos Theologos ſuper eadem quæſtione diſſenſio, negantibus aliis, aliis affirmantibus, totius liquoris mixti, ſicut panis, qui ex ſimila, & aqua ſimiliter conficitur, unam fieri tranſubſtantiationem.

Quid vero Epiſcopus Cardinalis Albanenſis ad Gaufredi conſultationem reſponderit, nullo veterum monumento conſignatum legimus: *Sed* (inquit ad annum 1188. Cardinalis Baronius) *nihil aliud reſcribere potuiſſe certum eſt, quam quod credidit, & cuſtodivit ſemper S. R. E. nimirum, aquam ſimul, & vinum tranſubſtantiari in ſanguinem Chriſti*; An autem illud doctiſſimi viri augurium veritate nitatur, & ut hæc controverſia omnino dirimatur, tria ſubjiciemus examini. Quæremus ſcilicet 1. an fide certum ſit, quod aqua vino mixta in Chriſti ſanguinem verbis Evangelicis, *Hic eſt ſanguis meus*, tranſubſtantietur? 2. Utrum opinio, qua affirmatur, eam tranſubſtantiari, ſit probabilior negativa? An ex ſuppoſitione, quod mutetur in Chriſti ſanguinem, id mediate fiat, ita ut prius in vinum convertatur, an vero immediate, ſeu abſque eo quod in vini ſubſtantiam prius tranſeat.

§. I.

An fide certum ſit, aquam calici immixtam tranſubſtantiari in Chriſti ſanguinem?

Concluſio, Non eſt de fide, quod aqua vino mixta in Chriſti ſanguinem tranſubſtantietur.

Probatur 1. ex Innocentio Papa III. qui cap. *Cum Martha* de celebrat. Miſſ. ſic ad Archiepiſcopum Lugdunenſem, a quo conſultus fuerat de quæſtione, de qua agitur, ſæculo XIII. reſpondit, *Quæſiviſti, utrum aqua cum vino in ſanguinem convertatur. Super hoc autem opiniones apud Scholaſticos variantur: Aliquibus enim videtur, quod cum de latere Chriſti duo præcipua fluxerint Sacramenta, redemptionis in ſanguine, ac regenerationis in aqua; in illa duo vinum, & aqua, quæ commiſcentur in calice, divina virtute mutantur: Alii vero tenent, quod aqua non tranſit in ſanguinem, ſed remanet prioris vini accidentibus circumfuſa*. Summus Pontifex neutram ex iis opinionibus, aut approbat, aut rejicit, imo utramque tamquam Catholicam recenſet; Neutra igitur ad fidem ſæculo XIII. pertinebat.

Probatur 2. Ab Innocentio Papa II. ad hæc uſque tempora, nullum Concilium, nullus Pontifex maximus, de ea lite judicium definitivum protulit: Eodem igitur in ſtatu remanet, in quo erat dum adviveret ſummus ille Pontifex.

Objicies 1. Fide certum eſt ſolas ſpecies panis, & vini poſt conſecrationem in Euchariſtia remanere, *Manentibus dumtaxat* (inquit Concilium Tridentin. Seſſ. 13. can. 2.) *ſpeciebus panis, & vini*. Ergo pariter eſt de fide, quod ſpecies aquæ non remaneant, ac proinde nec ipſamet aqua.

Reſp. 1. Concilium Tridentinum eo loci contra Lutheranos hoc unum definite, panis ſcilicet, & vini ſpecies, non autem eorumdem ſubſtantiam, poſt conſecrationem (ut aſſerebant illi ſectarii) remanere: At ea ex definitione nequaquam colligitur non remanere aliam a pane, & vino ſubſtantiam, oleum v. g. ſi forte immixtum fuiſſet calici, aut aquam, qua re ipſa ante conſecrationem dilutus fuit.

Reſp. 2. conceſſo ant. neg. conſeq. Poteſt nimirum aſſeri, aquam ſuperſtitem non retinere propriam ſpeciem exteriorem, quod nempe (ut ait Innocentius Papa III.) vini ſpeciebus circumfuſa ſit; quæ quidem vini ſpecies cum vehementius, quam aqua modiciſſima, iis admixta, in organa ſumentis agant, impediunt ne ejuſdem aquæ ſuperſtitis actio a ſenſibus percipiatur.

Objicies 2. Eſt de fide id totum, quod Chriſtus in ultima cœna dixit eſſe ſuum ſanguinem, revera in eum per conſecrationem mutari. Atqui Chriſtus aſſeruit id totum, quod erat in calice, quem Euchariſtiam inſtituens conſecravit, ſuum eſſe ſanguinem, *Hic eſt ſanguis meus*, ac proinde id aſſertum fuit de aqua, quam ex Concilio Tridentino calice contentam fuiſſe compertum eſt.

Reſpond. conceſſo, quod ad fidem pertineat, Chriſti calicem aqua fuiſſe permixtum, quod tamen nonnulli inficiantur, contendentes id temerario quidem, ſed tamen abſque formali (ut dicunt hæreſi) negari poſſe, cum nulla Concilia per expreſſam, ac apertam definitionem id aſſeruerint, licet tamquam pie creditum Tridentini Patres retulerint. Conceſſa (inquam illam propoſitione, quam hic non eſt opus examini ſubjicere, neg. min. Ratio eſt, quia verba, quibus Chriſtus calicem conſecravit, de præcipua ſubſtantia, vino nempe, quod erat in calice intelligi oportet, pari nimirum ratione, qua nunc ſumerentur, ſi a Sacerdote proferrentur in calicem, in quem nonnullæ liquoris artificialis guttulæ, inopinato miniſtrantis caſu immiſſæ fuiſſent.

Objicies 3. Id totum, quod eſt in calice populo adſtanti a Sacerdote adorandum proponitur: Ergo totum in Chriſti ſanguinem converſum eſt: alioquin populus idololatriæ periculo exponeretur: quod quidem, quam ſit abſurdum, nemo non videt. Ita ratiocinari viſus eſt S. Thomas 3. part. qu. 75. artic. 8. ubi ſic loquitur, *Quidam dixerunt, quod aqua adjuncta vino per ſe manet, vino converſo in ſanguinem, ſed hæc opinio ſtare non poteſt, quia in Sacramento altaris poſt conſecrationem, nihil eſt niſi corpus, & ſanguis Chriſti ... Alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ, & ideo alii dixerunt*, &c.

Reſpond. neg. maj. Ratio eſt 1. quia a Græcis (ſicut ſuperius obſervatum eſt) aqua fervida in calicem conſecratum mittitur, quam tamen nemo dixerit a Sacerdote adorari, cum paulo ante communionem ante calicem procumbit. 2. Compertum eſt ex Phyſicis, aerem in ſanguinis conſecrati poris latitare, quis tamen conjiciet eum populo adorandum proponi? Dicendum eſt igitur id ſolum populorum venerationi proponi, quod revera mutatum ſit in Chriſti ſanguinem abſtrahendo, an alia ſubſtantia a vino in eum converſa fuerit.

§. II.

An probabilius cenſeant, qui aſſerunt, aquam calici permixtam tranſubſtantiari in Chriſti ſanguinem?

Concluſio 1. Sententia, quæ aſſerit, aquam calici conſecrando permixtam, per conſecrationem mutari in aquam, quæ fluxit ex Chriſti mortui latere, nulla probabilitate nititur.

Probatur 1. Licet multos Patres reperire ſit, qui aſſeruerunt, aquam calici permixtam eſſe Sacramentum aquæ, quæ ex aperto mortui Chriſti latere dimanavit; nullus tamen laudari poteſt, qui dixerit eam in aquam illam immutari.

Probatur 2. Euchariſtiæ materia in illud ſolum vi verborum convertitur, quod exprimitur per conſecrationis formam; ea ſcilicet tantum forma per ſe efficit, quæ ea expreſſe ſignificantur. Atqui forma, per quam calix conſecratur, nec exprimit, nec ſignificat converſionem in eam aquam, quæ ex aperto Chriſti latere fluxit. Præterea aqua, quæ ex Chriſti latere fluxit, eo tantum modo reperitur in calice, quo eſt in hoſtia conſecrata, per concomitantiam nimirum, cum vi verborum (ut oſtenſum eſt) eo non contineatur. Ergo non magis ſpeciali ratione ex aqua, quæ vino permixta fuerat, ſit aqua illa, quæ fluxit ex mortui Chriſti latere, quam ex pane, qui conſecratus eſt.

Concluſio 2. Probabilior eſt ſententia, qua aſſeritur, aquam calici permixtam in Chriſti ſanguinem tranſubſtantiari.

Probatur 1. Qui calicis aquam mutari in Chriſti ſanguinem ſæculo XII. negabant, nullum, quod alicujus eſſet momenti, argumentum proferebant. *Qui aliis ſuper hoc adverſantur* (inquit Gaufredus in Epiſtolam ad Epiſcopum Cardinalem Albanenſem) *ex nullis antiquorum, ſive etiam modernorum ſcriptis tam evidentia teſtimonia protulere ſuæ aſſertionis*. 2. Non majoris ſunt ponderis, quæ ab iis allata ſunt, qui poſt ſæculum XII. in eamdem negativam opinionem abierunt, ut mox oſtenſuri ſumus.

Probatur 1. concluſio argumento poſitivo. Sententia,

tia, quæ transsubstantiationem, de qua agitur, affirmat, magis cohæret cum modo, quo SS. Patres de hocce mysterio locuti sunt. Illorum Patrum loca, quibus nitebantur, qui XII. sæculo, eidem, cui nos opinioni subscribebant, describit, & laudat Gaufredus in Epistola ad Cardinalem Albanensem. Cyprianus Epist. 63. hæc ait: *Calix Domini non est aqua solum, vel vinum solum nisi utrumque misceatur.* Idem Cyprianus, *Non potest vero nobis ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Christus, ex Cypriano, aquam obtulit, ergo conversam in suum sanguinem, cum Christus creaturam Deo Patri in sacrificium non obtulerit. 2. Hieronymus in caput 14. Marci, *Format sanguinem suum in calice, vino, & aqua mixtis, ut alio purgemur a vitiis, & culpis, alio redimamur & pœnis.* Redemptionem a pœnis, aquæ tribuit, ergo in Christi sanguinem transsubstantiatæ, cum eam redemptionem aqua, in suo esse relicta, non valeat operari. 3. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 3. *Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum aqua in calice mixtum fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* Ad quid Ambrosius de transsubstantiatione disserens, mixtionis vini cum aqua meminisset, nisi & ipsam aquam voluisset transsubstantiari? 4. Hoc ex Augustino essatum idem Gaufredus recitat, *Unde & aqua mittitur in calicem, & fit sanguis consecratione verbi cœlestis.* Quæ quidem verba, si revera sint Augustini, litem plane dirimunt. 5. Paschasius lib. de corpore, & sanguine Domini hæc habet, *Aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem.* 6. Hildebertus Cenomanensis in Bibliotheca Patrum tom. 6. *Aqua in sanguinem vertitur, ut populus, qui per aquam figuratur, in melius se mutatum intelligat.* Algerus qui XI. sæculo scripsit, sic loquitur, *Sed licet in mensa Domini tria constituantur munera, sunt tamen duo, per quæ sacrificatur. Est aqua mixta prius vino, sed quando sacratur, non nisi sanguis erit, quo anima intus alatur.* 7. S. Thomas qui XIII. sæculo floruit hæc habet, quæ hujusce articuli paragrapho primo laudata sunt, *Quidam dixerunt, quod aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem; Sed hæc opinio stare non potest.* 8. Omnes fere Scholastici, post Angelici Doctoris ætatem scripsere, dogma de aquæ in Christi sanguinem transsubstantiatione propugnarunt: Majori igitur, quam opposituum, probabilitate nititur.

Objicies 1. Aqua non est Eucharistiæ materia, sed (ut ait Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum) vinum de vite. Ergo in sanguinem Christi per consecrationem non convertitur: Ideo enim Christi sanguis ex lacte fieri non potest, quod lac ex divina institutione non sit sanguinis materia.

Resp. aquam *solam* non esse quidem calicis materiam (ut supponit argumentum) sed contendimus esse materiam *ex qua*, si vino permisceatur. *Calicem Domini cum* (inquit Cyprianus) *vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus.*

Objicies 2. Christus non imperavit, ut calix aqua misceatur, cum ea da mixtione præceptum solius sit Ecclesiastici juris. Ergo aqua, etiam permixta vino, non est Eucharistiæ materia, nam cujuslibet Sacramenti materia ab ipsomet Christo immediate instituta fuit, ac determinata.

Respond. Christum necessariam cujuslibet Sacramenti materiam determinasse quidem, ac imperavisse; sed liberam, cujusmodi est permixtio aquæ cum vino, nequaquam præscripsit, imo prudenti Ecclesiæ determinationi commisit.

§. II.

An aqua vino in calice mixta, immediate transsubstantietur in Christi sanguinem?

HAC de quæstione non una est Scholasticorum opinio: Nonnullis videtur, quod aqua prius in vinum convertatur, *Ideo* (inquit S. Thomas 3. part. quæst. 75. artic. 8.) *sicut ipse* (Innocentius) *dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem:* Aliis vero placet transsubstantiationem, de qua agitur, immediate fieri, ita ut aqua fiat sanguis Christi, absque eo quod in vinum prius abierit.

Conclusio. Probabilitate non caret ea sententia qua asseritur, aquam calici consecrando mixtam converti immediate in Christi sanguinem.

Probatur 1. Patres (ut constat ex superiore paragrapho) asseruerunt aquam in Christi sanguinem transsubstantiari; At is loquendi modus veritate non niteretur, si aqua prius mutaretur in vinum; in illa nimirum suppositione ipsummet vinum, non autem aqua, fieret Christi sanguis. Eam ob rem dici non potest, quod Christi sanguis ex acerbæ uvæ succo fiat, licet ex eodem succo mediate fiat, seu ubi in succum vini mutatus fuerit. Præterea, si calici permixta, prius convertatur in vinum, Scholastici, qui sæculo XII. scripsere, immerito inter se digladiati fuissent, num illa aqua in Christi sanguinem transsubstantietur, cum nemini possit esse dubium, quin id totum, quod est vinum, cum consecrationis verba proferuntur, in Christi sanguinem immutetur.

Probatur 2. Physici peritiores negant, aquam in vinum posse converti, præsertim si vinum non sit valde generosum. Suum illud dogma experimento comprobant: Artis chimicæ auxilio (inquiunt) aqua separari potest a vino, quamvis diu illi permixta remanserit, idque contigit, si vase, quod ex hedera confectum sit, concludatur, vel si junci medulla, aut spongia, quæ oleo sit imbuta, immittatur in vas, quo vinum aqua mixtum exceptum est.

Nec valet, quod adversarii reponunt, ea scilicet arte non extrahi aquam, sed tantum tenuiores vini particulas. Non valet (inquam) tum quod si aqua vino permixta non fuisset, quæ extrahuntur partes, non afficerent sensus ea, qua afficiunt, ratione: in illo igitur vino aquæ partes remanent, quæ illius actionem impediunt: tum etiam quod substantia, quæ ex vino extrahitur, omnia aquæ accidentia habere videatur; nullo igitur nixi fundamento adversarii eductas illas particulas vinum esse contendunt, cum de rebus physicis ex sensibus, qui male affecti non sint, humana ratio judicare debeat. Hic addi potest argumentum, lepidum quidem, sed tamen vi cum acumine conjuncta minime vacuum. Si aqua permixta vino, in ipsum converteretur, innoxii, seu ab omni culpa immunes forent ii vinitores, qui tertiam aquæ partem cum duabus aliis vini partibus in dolio, quod essent vendituri, permiscerent; duas enim vini partes, tertiam, quæ sit aquæ, in se ipsas convertere posse adversarii fateantur necesse est, cum Synodus Triburiensis calicem consecrandum tertia parte, quæ aquæ sit, permisceri posse definiat: ac proinde ex tribus vini doliis, quæ vinitor hero reddere tenetur, posset unum servare sibi, miscendo nimirum cum duobus aliis tertium, quod ex aqua constet. Id autem ii, quos hic impugnamus, an a vinitoribus sibi fieri velint, expendant.

Objicies 1. Ideo tantum Florentina Synodus jubet, ut vinum aqua consecrandum modicissima temperetur, ut vino satis sit virtutis, quo ante consecrationem aquam in sui substantiam convertat. 1. Apud Dominicanos, & antiquæ observantiæ Carmelitas, non ob aliud aqua in calicem immittitur antequam missa incipiat, quam quod alioquin in vini substantiam abire non posset, Ergo &c.

Resp. Ad primum neg. ant. Id nimirum fit mysterii causa. Conveniens est, ut vinum præ aqua emineat, cum exhibeat Christum caput nostrum, cui tamquam membra in sacrificiis copulamur, & unimur. Resp. ad secundum, Dominicanorum praxim non niti eo Physicorum principio, quod adversarii supponunt, sed nonnullis liturgiis, quibus præscribitur, ut id totum, quod in sacrificio debet offerri, ante ipsummet sacrificium præparetur. Illud philosophicum dogma, quod calix aqua permisceri debeat multo antequam consecretur, ut vinum interea illam in se ipsum mutare possit, numquam venit in mentem

Græcorum, qui juxta Basilii, & Chrysostomi liturgias, oblata præparant, & aquam calici infundunt, antequam missa incipiat. Addendum est Missalis Romani rubricis injungi Sacerdotibus, ut immediate ante consecrationem vinam aqua temperent, si statuto tempore, idest ante offertorium, temperatum non fuisse animadverterint, velim adversarii dicant, an eo temporis veluti puncto satis sit, ut vinum per viam sibi intrinsecam aquam in substantiam suam immutet.

Objicies 2. Innocentius Papa III. cap. *Cum martha* referens opinionem, quæ docet aquam in Christi sanguinem converti, refert pariter hoc fundamentum, quo nititur, Aquam scilicet in vinum transire, *Cum aqua* (inquit) *in vinum transeat mixta vino*. Atqui idem summus Pontifex ibidem asserit, eam opinionem esse cæteris, quarum meminit, probabiliorem. *Verum* (inquit) *inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*. Ergo censet illius fundamentum esse verum, aquam nempe in vinum mutari, antequam in sanguinem transubstantietur. Idem, antequam inauguraretur Papa, docuerat lib. 4. *Mysteriorum Missæ* cap. 4 ubi sic loquitur, *Quis enim ambigat aquam in vinum transire; cum multo vino modicum infunditur aqua.*

Respond. Innocentium referre quidem fundamentum, de quo agitur, sed historice, non vero assertive, seu quod idem est, non ex propria mente, sed ex authoribus, quos laudat, fundamentum illud describit; Ea solutio ex eo confirmatur, quod fundamenti hujusmodi nequaquam meminerit, cum paulo post circa aquæ in sanguinem transubstantiationem, mentem suam his verbis aperit, *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*. Nec immerito laudatus Pontifex illud fundamentum prætermittit, ut quid enim respondisset de quæstione philosophica, de qua ab Archiepiscopo Lugdunensi, ad quem scribit, minime consultus fuerat? Nec alicujus est roboris, quod ex lib. 4. Mysteriorum missæ profertur, in eo nimirum Innocentius Theologum privatum agit, ac proinde eo in libro locum Theologicum Scholasticis non sufficit.

Objicies 3. Aquæ species extrahi possunt e consecrato calice: eo autem in casu, vel Christi sanguis remanebit, vel non erit superstes: Si primum; cur aqua sola consecrari non potest, cum sub illius speciebus a vino separatis Christi sanguis remaneat? Si secundum; ergo sub illis speciebus erit aqua, ac proinde dicendum erit, eam in Christi sanguinem per verba consecratoria, *Hic est sanguis meus*, nullatenus immutatam fuisse.

Respond. sanguinem Christi sub illis extractæ aquæ speciebus remansurum quidem, sed tamen inde colligi non potest, quod aqua sola, seu vino minime mixta consecrari valeat; nec mirum, cum seorsim sumpta non sit per Christi institutionem Eucharistiæ materia.



QUÆSTIO TERTIA.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ,

HUjusce quæstionis tria erunt capita. Expendemus in 1. An Christus aliqua verborum forma consecraverit, cum in ultima cœna Eucharistiam instituit? 2. Per quæ verba Sacerdotes panem consecrent? Quibus verbis calix consecretur?

CAPUT PRIMUM.

An Christus aliquibus verbis Eucharistiam consecraverit.

INnocentius Papa III. libro quarto de *Mysterio altaris*, capite 6. quem edidit antequam summus Pontifex creatus fuisset, docet 1. Christum absque omni verborum forma per internum Divinæ suæ voluntatis actum, Eucharistiam consecrasse. Docet 2. Eucharistia jam consecrata, eum quædam protulisse verba, quibus Sacerdotes futuris Ecclesiæ temporibus ipsam conficerent; *Sane dici potest* (inquit) *quod Christus virtute Divina confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent; ipse namque per se virtus propria benedixit; nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.*

Magister Sententiarum, Sanctus Thomas, ac alii passim Scholastici contendunt aliqua verborum forma, hac nimirum, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, Christum Eucharistiam consecrasse, *Contra hoc* (inquit Angelicus Doctor de Innocentii placito) *expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur, quod Christus benedixit, quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta est.*

Quid de utraque illa Scholasticorum opinione sentiendum esset, gravi animorum contentione disputatum est in privatis Concilii Tridentini congregationibus. Sancti Thomæ sententiam ad fidem pertinere nonnulli contendebant, unde expedire judicabant, ut id expresse Sacra Synodus declararet; Asserebant alii nullam contrariæ deberi censuram, ac aliunde aptissimam esse ad explicandum germanum horum verborum sensum, *Hoc est corpus meum*; Si enim (inquiebant) Christus antequam ea verba protulisset, panem in suum corpus per internum suæ voluntatis actum jam transmutarat haud difficile his verbis, *Hoc est corpus meum*, sensus conciliabitur. Sacra Synodus (teste Salmeronio tomo 9. tract. 13.) ab hujusmodi quæstionis definitione temperavit, hocque unum asservisse satis habuit, scilicet, *Hoc admirabile* (Eucharistiæ) *Sacramentum in ultima cœna Christum Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis, ac perspicuis verbis testatus est*. Quid nos de quæstione, quam Concilium, ex Salmerone, Theologis permisit, sentiamus, subsequens aperiet conclusio.

Conclusio. Christus verbis Evangelicis, *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, Eucharistiam in ultima cœna consecravit.

Probatur ex Patribus. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 4. sic loquitur, *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo*. Ex Tertulliano igitur, Christi corpus per Evangelica verba ab ipsomet consecratum est. Huc etiam trahi possunt hæc Ambrosii verba lib. 4. cap. 4. *Consecratio igitur, quibus verbis est? & cujus sermonibus? Domini Jesu*. Nonnulla ergo verba Christus protulit, quibus panem in suum corpus transmutavit. Damascenus lib. 14. *de fide* cap. 15. hæc scribit, *Sicut Deus dicendo: Fiat lux, fecit lucem, ita dicendo, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus, perfecit hoc Sacramentum*. Ergo Christus non modo per internum voluntatis actum, sed etiam per verba, quæ protulit, consecravit Eucharistiam.

Objicies 1. authoritatem Innocentii Papæ III. qui lib. 4. de *Mysterio altaris*, diserte testatur, Christum absque omni verborum forma Eucharistiam consecrasse. Ergo, &c.

Resp. S. Thomas his verbis, *Prædicta verba Innocentii sunt opinative magis dicta, quam determinative*. Addunt alii, Innocentium (utpote tunc nondum summum Pontificem) privati Theologi partes egisse, ac proinde tantam illius non esse habendam rationem, quanta summi Pontificis habenda esset.

Objicies 2. Christus Eucharistiam confecit cum panem, & vinum benedixit, per benedictionem enim jam consecratum, testatus est his verbis, *Hoc est corpus meum*, se suum corpus discipulis tradere; *Quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt* (inquit Concilium Trident. Sess. 13. cap. 1.) *apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis benedictionem se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis verbis testatus est*. Atqui sine ulla verborum forma Christus panem, & vinum benedixit; si quæ enim protulisset, essent ista, quibus consecratio peragitur,

Hoc

Hoc est corpus meum, *Hic est sanguis meus*; Sed ea tunc non protolit, ut ex Evangelio colligitur, *Accepit Jesus panem* (inquit Matthæus cap. 26.) *benedixit*, *fregit*, *deditque discipulis suis dicens*; *Accipite*, *& manducate*, *hoc est corpus meum*. Præterea ex Marci 14. capite constat, Apostolos jam Christi sanguinem bibisse, cum protulit verba Evangelica, quibus calix consecratur. *Et accepto calice*, *gratias agens dedit eis*, *& biberunt ex illo omnes*, *& ait illis*, *Hic est sanguis meus novi testamenti*, *qui pro multis effundetur*.

Nonnulli argumentum ex eo confirmant, quod Tridentina Synodus benedictionem, quam Christus pani, & vino impertitus est, *consecrationem* vocare visa sit ejusdem Sess. cap. 3. *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit*, *statim post consecrationem*, *verum Domini nostri corpus*, *verumque ejus sanguinem sub panis*, *& vini specie una cum ipsius anima*, *& divinitate existere*.

Respond. ad primum eo Concilii loco non asseri corpus, & sanguinem Christi sub panis, & vini speciebus *statim* post benedictionem extitisse, quod tamen definire debuisset, ut adversarii illius textum in suas partes detorquere possent. Ad secundum est falso supponi, quod sacra Synodus benedictionem, cujus capite 1. meminit, consecrationem cap. 4. nuncupaverit; imo per illud adverbium, *Statim*, quod *benedictioni* non subjecit, quod tamen his verbis, *Post consecrationem*, addidit, ipsam consecrationem a benedictione non obscure distinxit.

Nec est, quod quis reponat, inutilem futuram fuisse benedictionem, quam Christus pani, & vino impertitus est, si hujusmodi elementa per eam non consecrasset: Nam illa benedictio fuit, vel panis, & vini ad mox futurum Sacramentum destinatio, cujusmodi est ea, quam aquæ, antequam catechumenis applicetur per baptismum, impendere solemus: Vel (ut aliis placet) illa benedictio, interna quædam fuit oratio, per quam Christus divinam Patris potentiam advocavit, ut solebat advocare cum insignia quædam miracula patraturus erat; Id in panibus, quos in deserto multiplicavit, ac in Lazari suscitatione e mortuis videre est.

Alia ejusdem difficultatis solutio peti potest ex Doctoris Angelici principiis. Nimirum S. Thomas contendit benedictionem, cujus Evangelistæ meminerunt, ipsammet esse consecrationem, sed quæ verbis Evangelicis, *Hoc est corpus*, *hic est sanguis meus*, peracta sit. *Videtur* (inquit 3. part. quæst. 78. art. 1.) *quod Christus manifeste ea proferens consecravit*: *Et ideo alii dixerunt*, *quod Evangelistæ non semper eumdem ordinem in recitando servarunt*, *quo res sunt gestæ* (ut patet ex Augustino in libro de consensu Evangelistarum) *Unde intelligendum est ordinem rei gestæ*, *sic exprimi posse*, *Accipiens panem benedixit*, *dicens*, *Hoc est corpus meum*, *& deinde fregit*, *& dedit discipulis suis*: *Sed idem sensus haberi potest*, *etiam verbis Evangelicis non mutatis*: *Nam hoc participium dicens*, *concomitantiam quamdam importat verborum prolatorum ad ea*, *quæ præcedunt*: *non autem oportet*, *quod hæc concomitantia intelligatur solum respectu ultimi verbi prolati*, *quasi Christus tunc ista verba protulerit*, *quando dedit discipulis suis*: *sed potest intelligi concomitantia respectu totius præcedentis*, *ut sit sensus*, *dum benediceret*, *frangeret*, *& daret discipulis suis*, *hæc verba dixit*, *Accipite*, *&c.*

Caput Secundum.

Per quæ verba Sacerdotes panem consecrent?

Partiemur hoc alterum hujus quæstionis caput in duos articulos. In priore varii de verbis consecratoriis errores recensebuntur: in posteriore vero veritas iis erroribus opposita defendetur.

Articulus Primus

Recensentur varii de verbis consecratoriis errores.

Nonnulli scripserunt, Vvaldenses Eucharistiam olim benedixisse, non verbis Evangelicis, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, sed oratione Dominica, quam septies recitarent. Verum quod ea fuerit Vvaldensium praxis nec ex Ænea Sylvio, nec ex Reynerio, aut aliis eorum impugnatoribus ostendi potest. Vvaldensibus igitur prætermissis, aliorum de verbis consecratoriis errores hic describendi sunt.

1. Nonnullis Schismaticis Græcis visum est, Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non esse Eucharistiæ consecrativa, sed hanc orationem, quæ in liturgia Chrysostomi illa verba subsequitur, & sic habet: *Et fac panem istum quidem*, *pretiosum corpus Christi tui*, *& quod est in calice isto*, *pretiosum sanguinem Christi tui*.

Nicolaus Cabasillas, ut suam ea de re sententiam explicet, tria docet in expositione liturgiæ. Contendit 1. Evangelica verba in liturgiis, tum Latina, tum Græca narrative tantum a Sacerdotibus sacrificantibus proferri, unde ea qualibet panem, & vinum transmutandi virtute, vacua esse concludit, *Deinde* (inquit cap. 27. Gentiano Herveto interprete) *pretiosa dona consecrat*, *& totum sacrificium peragitur*. *Et quomodo? Cum venerandam illam cœnam narravit*, *& quomodo ipsam ante passionem dedit sanctis suis discipulis*, *& quod accepit calicem*, *& quod accepit panem*, *& actis gratiis sanctificavit*, *& quod dicit ea*, *per quæ significavit mysterium*, *& cum ea ipsa verba dixit*, *deinde procidit*, *& orat*; *& supplicat*, *divinas illas voces ipsius unigeniti Salvatoris nostri*, *etiam in donis propositis applicans*, *ut suscepto ejus sanctissimo*, *& omnipotente Spiritu*, *convertatur quidem panis in ipsum pretiosum*) ejus corpus) *& vinum in sanctum ejus sanguinem*. *Hæc cum oravit*, *& dixit*, *universum sacrificium peractum*, *& perfectum est*, *& dona sunt sanctificata*.

Contendit 2. eadem numero verba, per quæ Christus in ultima cœna celebravit mysterium, his etiam temporibus operari consecrationem; licet enim actu transierint, in virtute tamen manent non secus, ac ista, *Crescite*, *& multiplicamini*, quibus Deus fœcunditatem animalibus quondam impertitus est.

Contendit 3. verba, quibus Christus panem, & vinum consecravit vim suam tantum exerere, cum Sacerdos precatur, ut illam sortiantur, *Dixit Deus*, *Crescite*, *multiplicamini* (verba sunt, quæ Cabasillas habet cap. 29. solvens argumentum, quod Latini petunt ex verbis Chrysostomi, quibus asseritur efficacia esse Christi verba.) *Quid ergo post illum sermonem*, *nullo adhuc egemus*, *& nullo nobis alio opus est ad generis incrementum*: *An etiam matrimonio*, *& conjunctione*, *& alia cura opus est*, *& sine his fieri non potest*, *ut genus constet*, *& propagetur? Ergo sicut illic ad liberorum procreationem*, *matrimonium necessarium ducimus*, *& post matrimonium pro eo ipso rursus oramus*, *nec videmur opificis sermonem habere despicatui*, *scientes ipsum quidem esse causam generationis*, *sed hoc modo per matrimonium*, *per nutrimentum*, *per alia*. *Ita etiam hic credimus ipsum esse*, *quod operatur mysterium*, *Domini scilicet sermonem*, *sed sic per Sacerdotem*, *per ejus interpellationem*, *& orationem*. *Non enim per omnia simpliciter operatur*, *neque quomodocumque*, *sed multa sunt*, *quæ requiruntur*, *sine quibus non faciet quæ sua sunt*.

Quæ dixit hactenus, confirmat argumento petito a morte Domini, quæ nonnisi per Sacramenta, & orationes aplicetur, *De morte autem Christi*, *quis nescit eam esse solam*, *quæ peccatorum remissionem in mundum introduxerit? Sed illud etiam scimus*, *quod post mortem*, *illam*, *etiam fide*, *& pœnitentia*, *& confessione opus est & Sacerdotum oratione*: *nec potest homo solvi a peccatis*, *nisi hæc præcesserint*.

Marcos Ephesiorum antistes, qui post solutam Florentinam Synodum multa scripsit in Latinos, idem quod Cabasillas, de verbis consecrationis opinatur: scilicet apud Arcudium lib: 3. de Sacramento Eucha-

ristiæ sic loquitur, *Verum Chrysostomus ait, Dominicum verbum semel dictum sacrificium consummatum efficere. Semel dictum* (inquit) *non quod nunc a Sacerdote dicitur, sed quod semel a Salvatore dictum est, perfectricem immittere propositis donis vim, atque potentiam, non item & actu ea perficere. Hoc enim Spiritus sancti adventus per Sacerdotis orationem efficit.*

II. Quidam alii scriptores senserunt, Evangelica verba, quæ nunc a Sacerdote, dum sacris dat operam proferuntur, concurrere quidem ad donorum consecrationem, sed iis illam non adæquate perfici, sed præterea requiri preces contenderunt; hos inter numerare est quemdam Simonem nomine, Gazæ Archiepiscopum; is apud mox laudatum Arcudium cum quodam Saraceno agens hæc habet, *Cum igitur ipse* (Christus) *natura esset Deus, illico tunc panem sua potentia Divina. & gratia sanctificavit, hoc est corpus meum, inquiens .... Sacerdos autem, qui est apud nos, etsi Christi typum gerat, tamen homo est omnino obnoxius peccatis ..... propterea indiget multis precibus. Igitur Deum Patrem orat ..... ne quid intercedat impedimenti quod minus sacro-sanctus spiritus adveniat .... ut propositum panem, & calicem in sacrificium perficiat, & ea faciat illud ipsum Dominicum corpus, & sanguinem Christi.* Ex illo igitur authore panis, & vini consecratio non verbis Dominicis tantum, quæ proferuntur a Sacerdote, sed ipsius Sacerdotis, ac populi precibus debetur.

III. Martinus Bucerus proxime elapso sæculo asseruit, ista verba, *Hoc est corpus meum, Hic est est sanguis meus*, sive prout prolata fuerunt a Christo, sive prout a Sacerdote proferuntur, nullo modo ad donorum sanctificationem, aut consecrationem concurrere. Nititur hoc principio, nimirum quod nulla Scriptura doceat opus esse, ut ea verba supra panem recitentur, *Dominus enim* (inquit in caput vigesimum sextum Matthæi) *jussit panem frangere, & manducare, sed non jussit dici super panem, Hoc est corpus meum.*

IV. Calvinus fatetur quidem verba, de quibus agitur, proferri debere a Sacerdote, sed per modum concionis, & instructionis; ad excitandam scilicet populi fidem, non vero consecrationis adinstar, qua dona sanctificentur: unde lib. 4. Institutionum capite 17. §. 39. nec non in formula de Sacramentis administrandis præscribit lectionem ex capite undecimo prioris Epistolæ ad Corinthios, qua enarratur institutio Eucharistiæ, & concionem ministri, nonnullasque præfatiunculas.

V. Lutherus lib. de abroganda missa privata in lib. contra Regem Angliæ, & in formula Missæ pro Ecclesia Vvitembergensi, scribit non Evangelicis modo verbis, sed etiam tota liturgia opus esse, ut dona consecrentur; idem docet Kemnitius apud Bellarminum lib. 4. de Sacram. Eucharistiæ cap. 12.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid Ecclesia Catholica doceat de verbis, quibus panis consecratur?

Conclusio. In Eucharistia panis solum verbis, *Hoc est corpus meum*, consecratur.

Probatur 1. Eugenius Papa IV. in decreto pro Armenorum instructione sic loquitur, *Forma hujus Sacramenti* (Eucharistiæ) *sunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur; Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum; nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus, &c.*

2. Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 3. definit corpus, & sanguinem Christi esse in Eucharistia, vi verborum. *Corpus quidem* (inquit) *existere sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum*: Ea autem verba sunt, quibus ipse Christus se suum corpus, & sanguinem discipulis præbere (ex Concilio) testatus est, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Nec mirum, iis enim terminis dona consecrantur, quibus præcipue transubstantiatio declaratur, ac significatur: formæ enim Sacramentorum sic institutæ sunt, ut id significent, quod operantur. Sed Evangelica verba, *Hoc est corpus, hic est sanguis meus*, perspicue transubstantiationem, quam operantur declarant, ac significant.

3. Quod Concilium Tridentinum, & Eugenius asseruerunt ab antiquis, tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ Patribus acceperunt per traditionem.

Ambrosius lib. 4. de Sacram. cap. 4. ubi tamquam certissimum principium supposuit, panem vi consecrationis fieri corpus Christi, conceptis terminis asserit, eam consecrationem positam esse in verbis Evangelicis, quibus inter sacrificandum Sacerdos utitur. *Consecratio igitur* (inquit) *quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu.* Ne quis autem illam Ambrosii sententiam de ipsis numero verbis, quibus Christus usus est, interpretetur, obstant hæc, quæ subjungit, *Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur; oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.* Eodem capite verba Evangelica, *Hoc est corpus meum*, comparat cum verbis, quibus baptisma neophytis confertur, *Tu ipse eras, sed eras vetus creatura; postquam consecratus es, nova creatura esse cœpisti. Vis scire, quam nova creatura? Omnis* (inquit) *in Christo nova creatura .... Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, & mutat quando vult instituta naturæ.* Ergo ex Ambrosio, quemadmodum verba, quæ a ministri baptismate proferuntur, catechumenum immutant; ita & Evangelica verba, quæ proferuntur a sacerdote, panem, & vinum, ac proinde sunt consecrationis forma.

S. Chrysostomus idem docuit in Ecclesia Orientali, quod Ambrosius in Occidentali; Homilia nimirum de proditione Judæ, docet 1. his verbis, *Hoc est corpus meum*, prolatis Sacerdotis ore, dona consecrari: 2. asserit, id contingere, quod Christus eumdem eis virtutem conferat, quam habuerunt cum ab ipsomet Christo in ultima cœna prolata sunt, *Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit, & sanguinem, sed ille, qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba pronuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia, Hoc est ait corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dicit, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel quidem dicta est, sed semper sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernam diem, & usque ad ejus Adventum præstat sacrificio firmitatem*, modo tamen a Sacerdote, quemadmodum olim a Christo, proferatur; unde patet, idem esse in specie, non autem in numero, cum eo, per quod Christus ipse quondam Eucharistiam consecravit.

Idem S. Doctor hom. 2. in secundam Epistolam ad Timotheum, probat hodierni sacrificii unitatem, cum eo quod Christus in ultima cœna obtulit; probat (inquam) 2. ex unitate hostiæ, & ex unitate formæ, seu verborum, quibus consecratur, *Nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat. Quemadmodum enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem est.* Ex duplici illo S. Patris textu colligitur Cabasillam (doctum alioquin) presbyterum Græcum, & Marcum Ephesinum imponere Chrysostomo, dum ajunt, eum scripsisse, quod Evangelicis quidem verbis, *Hoc est corpus, Hic est sanguis meus*, dona consecrantur, sed semel a Christo dictis, non autem prolatis a Sacerdote.

S. Gregorius Nissenus oratione Catechetica de divinis Sacramentis cap. 37. sic loquitur, *Recte igitur & nunc panem Divino verbo sanctificatum, in corpus Dei verbi transmutari credimus, nam & illud corpus panis potentia erat, sanctificatus vero fuit habitatione verbi in carne habitantis, a quo ita panis, qui in illo corpore erat, transubstantiatus fuit in divinam potentiam, per eum nunc quoque æqualiter fit, & ibi enim gratia verbi sanctum fecerat illud corpus, quod ex pane consistebat. Et illud quodam modo, etiam panis erat; & hic similiter panis, quemadmodum Apostolus ait, sanctificatur per verbum Dei, &*

oratio-

orationem, non comestionem, ad hoc procedens, ut corpus verbi fiat; sed mox ad corpus per verbum transmutatur, quemadmodum ab ipso verbo dictum est, Hoc est corpus meum.

Hic opere pretium est referre observationes, quibus Cardinalis Bessarion Episcopus Tusculanus, & Constantinopolitanus Patriarcha, illum Gregorii locum illustravit; *Panis* (inquit tractatu, quem de Sacramento Eucharistiæ conscripsit,) *verbo Dei sanctificatur, Hoc in primis probat manifeste verbo Dei Sacramentum hoc confici. Deinde modum probationis idem apertius ostendit, Corpus* (ait) *potentia panis est, quia pane constat .... Tale corpus, quod potentia panis erat, non fuisset aliter sanctificatum, nisi verbum illud carnem illam inhabitasset: Ita nunc quoque panis altaris non aliter, quam per verbum Dei, & rationem sanctificatur.*

Solvuntur Græcorum argumenta.

Objicies 1. Liturgias, quæ adscribuntur Clementi, Jacobo, Basilio, Chrysostomo; Ex earum scilicet contextu constare videtur, quod per Evangelica verba, *Hoc est corpus, Hic est sanguis meus*, dona nequaquam consecrentur; Clemens Papa primus, postquam Evangelica verba recitata sunt, has vult orationes recitari. *Memores itaque non passionis, mortis, & resurrectionis ejus .... Offerimus tibi regi, & Deo secundum ejus præcepta .... Rogamus te, ut clementer inspicias hæc, eis bene complacens ad honorem Christi tui, & mittas Spiritum sanctum tuum, testem passionis Domini nostri Jesu, super hoc sacrificio, qui hunc panem, corpus Christi tui, & hunc calicem, sanguinem Christi tui, efficiat.* Jacobus post præscriptum Evangelicorum verborum prolationem, injungit Sacerdoti, ut Deum Patrem exoret, qui mittat Spiritum sanctum, *Ut* (inquit) *adveniens sanctificet, & faciat hunc quidem panem, corpus Christi tui, & hunc calicem pretiosum sanguinem Christi tui.* S. Basilius eodem pene modo loquitur, vult scilicet, nt Sacerdos prolatis Christi verbis, *Hoc est corpus, Hic est sanguis meus*, sic Deum Patrem deprecetur; *Te postulamus Sancte Sanctorum, beneplacita tua benignitate, venire Spiritum sanctum tuum super nos; & super proposita munera ista, & benedicere ea, & sanctificare, & ostendere panem quidem istum, ipsum honorificum corpus Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi; Quod autem est in calice isto, ipsum sanguinem Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui effusus est pro mundi vita.* Idem iisdemque fere verbis Chrysostomus repetit, *Deposcimus, ut mittas Spiritum sanctum tuum super nos, & super hæc apposita munera. Et fac panem istum quidem, pretiosum corpus Christi tui, & quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui.* Ii liturgiarum textus supponere videntur panem, & vinum per prolata verba Evangelica, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, non fuisse mutata in corpus, & sanguinem Christi; ut quid enim hujusmodi immutationem Sacerdos, ex illarum liturgiarum præscripto, supplex posceret? si jam per Christi verba, quæ prius ab eodem Sacerdote prolata sunt, peracta fuisset.

Resp. 1. cum Arcudio, Sacerdotem ea, de qua agitur, oratione deprecari stabilitatem, & confirmationem rei, quæ jam peracta supponitur; non quidem, quod timeat, ne Christus ex speciebus consecratis de se subtrahat, sed ut ipse Presbyter probet, tum suum, tum populi amorem, & effectum in corporalem Christi præsentiam; Plerumque enim, qui rem aliquam depereunt, eam ab eo, ex cujus liberalitate possidetur, perinde postulant, ac si nondum ea fruerentur. Ejus rei exemplum videre est 1. in Propheta Regio, qui ubi se exauditum Psalm. 4. contestatus est, *Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ*, mox tamen sic ita precatur, ac si illius votis nondum Deus annuerit, *Miserere mei, & exaudi orationem meam.* Simile exemplum videre est 2. Marci 5. cap. ubi Christus sic mulierem, quæ sacræ fimbriæ contactu, profluvio sanguinis liberata fuerat, allocutus est, *Esto sana a plaga tua.*

Resp. 2. cum Græcis, qui Concilio Florentino aderant, per orationem, cujus argumentum meminit, Sacerdotem non petere, ut panis corpus Domini fiat absolute, seu ut in ipsum transubstantietur, sed tantum, ut respective fiat, fidelibus nempe, qui adsunt sacrificio, quique sunt mysticum Christi corpus: seu, quod idem est, Sacerdos exposcit, ut panis per Evangelica verba jam consecratus, fideli populo prosit, tum ad remissionem peccatorum, tum ad justitiæ augmentum. *Latinis quærentibus de panis transmutatione* (verba sunt quæ in actis ultimæ Sessionis Concilii Florentini leguntur) *cur Græci post hæc Dominica verba*: Accipite, & manducate &c. Bibite ex hoc omnes, &c. *quibus profecto verbis Sacramentum confici videtur, hac etiam utuntur oratione*, Fac panem hunc &c. *Responderunt Græci se similiter credere verbis illis Dominicis Sacramentum fieri: Sed quemadmodum Latini confecto hoc Sacramento, hac solent uti oratione*, Jube hæc perferri, &c. *Ita quoque Græcos, illa verba proferre solum, ut sacratissimum Christi corpus, & sanguis peccatorum nostrorum remissioni, ac nostris animabus saluti fiat.*

Respond. 3. cum Cardinale Bessarione non peti, ut transubstantiatio fiat, sed ea oratione fidelibus ostendi tres personas SS. Trinitatis ad eam concurrere. Unde cum jam Filii persona orationibus, quæ verba Evangelica præcedunt in liturgiis, expresse invocata fuerit, decuit, ad fidelium instructionem, ut Patris, & Spiritus sancti actio in transubstantiationem explicite designaretur.

Iis, quæ hucusque relatæ sunt, solutionibus lux affulget ex liturgiarum, quæ nobis objiciuntur, contextu. Antequam verba Evangelica proferantur a Sacerdotibus, ac proinde antequam fundatur hæc oratio, *Fac panem* &c. Jam sæpius postulata fuit donorum transubstantiatio, & tamen nemo, vel Græcus dixerit, jam tunc consecrationem peragi, *Respice* (inquit Sacerdos in Basilii liturgia post munerum oblationem, & longe antequam verba Evangelica proferantur) *super nos Deus, & super nostram latriam, & acceptam eam habeas, quemadmodum accepta habuisti munera Abel, immolationes Abraham, Moysis, & Aaron Sacerdotium. Quemadmodum cepisti a sanctis Apostolis tuis veram hanc latriam, ita a nobis peccatoribus, manibusque nostris accipe hæc munera bonitate tua Domine.* Iis verbis Sacerdos apud Basilium rogat, ut Christi corpus in suis manibus consecretur, sicut consecratum fuit in manibus Apostolorum: ac proinde ea oratio idem est, quoad sensum cum hac alia, quæ post Evangelica verba funditur, & in qua recentiores Græci, quos impugnamus, Eucharistiæ formam positam essem contendunt. *Te postulamus Sancte sanctorum venire Spiritum sanctum tuum super nos, & super proposita munera ista, & ostendere panem quidem istum honorificum corpus Domini &c.* In Chrysostomi liturgia post donorum in sancto altari depositionem, hæc oratio legitur, *Fac nos dignos offerre tibi dona, & sacrificium spiritale pro nostris peccatis, atque ignorantiis populi, & præsta, ut inveniamus gratiam in conspectu tuo, & fiat acceptabile sacrificium nostrum, & inhabitet spiritus gratiæ tuæ bonus super nos, & super hæc apposita Sacramenta, & super omnem populum.* Petit igitur Sacerdos donorum consecrationem, antequam fundat orationem, de qua est quæstio in objectione: nihil enim aliud sibi volunt hæc verba, *Inhabitet Spiritus bonus super hæc apposita Sacramenta*: Nemo tamen dixerit per ea verba consecrationem peragi; Ergo nec per orationem posteriorem, quam Græci nobis objiciunt.

Objicies 2. Trita est apud Patres, tum Latinos, tum Græcos sententia, Eucharistiam confici Sacerdotum precibus. Justinus Martyr in Apologia 2. quam pro Christianis scripsit, sic loquitur: PER PRECEM *Eucharistiam factum cibum sumimus.* Sic etiam Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 3. Mystagogica, *Quemadmodum Eucharistia post sancti Spiritus invocationem non est amplius panis communis, sed est corpus Christi, Sic &c.* Gregorius Nyssenus oratione catechetica c. 37. hæc habet, *Hic panis per verbum Dei, &* ORATIONEM *sancti-*

fica-

ficatus. Hieronymus Epist. 85. ad Evagrium, sic urget Diaconos, qui dignitatem suam pluris, quam Sacerdotalem faciebant, *Quis patiatur mensarum, & viduarum minister, ut supra eos se tumidus offerat ad quorum* PRECES *Christi corpus sanguisque conficitur*. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. asserit Eucharistiam id esse, *quod prece mystica consecratum sumimus ad salutem*. Lib. 5. de Baptismo cap. 20. sic contra Donatistas argumentatur, *Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta celebrentur: quomodo exaudit homicidam* DEPRECANTEM *vel super Eucharistiam &c.* Atqui hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, non includunt aliquam Spiritus sancti invocationem, nec a Sacerdote per modum orationis proferuntur: Ergo per ea tantum verba Eucharistia non consecratur. Ergo preces, quæ in canone tum apud Latinos, tum apud Græcos ea subsequuntur, ad illius confectionem essentialiter requiruntur.

Respond. 1. eo argumento, si valeret, probatum iri totam liturgiam necessariam esse, ut rata sit Eucharistiæ consecratio, quippe quod Patres eam, precum nomine sepius expresserint, sumentes nimirum sacrificii denominationem a ritibus, qui in liturgia præscribuntur; illi vero ritus nihil sunt aliud, quam orationes, invocationes, & variæ pro acceptis beneficiis gratiarum actiones.

Respond. 2. Evangelica verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, non explicite quidem & expresse complecti Spiritus sancti invocationem, aut preces aliquas, sed implicite utrumque continent. Et sane in illis verbis Evangelicis reperitur tacita invocatio Divinæ potentiæ, per quam ex promissione Christi, panis & vinum in illius corpus, & sanguinem convertantur. Confirmatur ea solutio ex Augustino, qui (ut patet ex lib. 5. de baptismo) baptismatis formulam, orationis nomine nuncopat, quamvis indicative proferatur; *Quomodo* (inquit) *audit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur*. Hic lectorem monitum velim, quod licet omnipotentia tribus SS. Trinitatis personis conveniat: a Patribus tamen, cum agunt de sacrificio, plerumque Spiritui sancto tribuatur; Ea scilicet loquendi ratione exponunt modum quo fit ineffabilis donorum transubstantiatio: Quondam interrogati qui fieri posset ut panis fieret Christi corpus, hocce responsum dare consueverant, nempe in Eucharistiæ Sacramento corpus Christi eadem virtute ex pane fieri, quæ in sinu Virginis efformatum fuerat, *quomodo fiet mihi illud* (*dicit sancta Virgo*) *quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Et nunc quoque interrogas quomodo panis fit corpus Christi? Ego quoque respondeo tibi, Spiritus sanctus supervenit & operatur, supra quam dici & intelligi possit*. Desumpta est ea sententia ex Damasceno lib. 7. de Fide orthodoxa cap. 14.

Instabis. Patres, sancti Spiritus invocationem per quam asserunt, Eucharistiam consecrari, a verbis Evangelicis, *Hoc est corpus, Hic est sanguis meus*, distinguunt. Basilius lib. de Spiritu sancto c. 27. sic inquitur, *Invocationis verba in ostensione panis Eucharistiæ, & poculi benedictionis, quis Sanctorum nobis scripto reliquit? non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Evangelium mentionem facit; Sed & ante & post, alia dicimus veluti magnum robur ad mysterium habentia, quæ ex doctrina scripto non prodita nos accepimus*. Ergo &c.

Respond. Basilium agere de consecratione, quæ licita sit, non vero quæ tantum valeat. Ratio est 1. quia de tota liturgia loquitur, *Ante & post* (inquit) *alia dicimus veluti magnum robur ad mysterium habentia*: At nemo dixerit totius liturgiæ recitationem requiri, ut oblatorum consecratio valeat. Ratio est 2. quia Basilius eo loci agit contra Eunomianos, qui Spiritum sanctum non esse Deum ex eo probare sibi videbantur, quod (ut ajebant) illius Divinitas Scripturis non contineatur: Negat vero S. Doctor illam Eunomianorum consequentiam, eo quod (ut Eunomiani supponebant) Scriptura non sit sola fidei regula; idque ex liturgiis probat, in quibus multa sunt, quibus in Eucharistiam reverentia singularis excitetur, quæque ob id debent a ministris observari, quamvis in sacris codicibus, quos Apostoli scripserunt, nequaquam legantur.

Objicies 3. Scotus censuit, verba, quibus Sacerdos Christi factum enarrat antequam Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, proferat, requiri, ut valeat consecratio. Ergo certum non est quod iis dumtaxat verbis consecratio peragatur. Confirmatur ratione subtilis Doctoris. Ut Sacerdos consecret, necesse est ut Evangelica verba in persona Christi proferat; falsum nempe sensum continerent, si a Sacerdote in persona propria recitarentur, cum panis non mutetur in ipsius Sacerdotis corpus. Atqui si Sacerdos non recitet verba canonis, quæ Evangelica præcedunt, ista nimirum, *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem omnipotentem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens*, non proferret Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, in persona Christi; nihil enim præter facti illius enarrationem reperire est, per quod Sacerdos determinetur ad loquendum in Christi persona cum ait, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*.

Respond. ad Primum, Scotum non negare quod his dumtaxat verbis, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, oblatorum consecratio peragitur; hoc enim unum contendit, scilicet enarrationem rerum, quæ peractæ sunt a Christo, prærequiri tamquam conditionem necessariam, ut verba Evangelica suum effectum sortiantur, non absimili ratione, qua ex parte ministri intentio necessaria est.

Respond. ad Secundum, Sacerdotem ex eo determinari ad loquendum in persona Christi, quod gerens se tamquam Ecclesiæ ministrum, eodem fine Evangelica verba proferat, quo Ecclesia per illius os proferre intendit: Ecclesia autem non vult, ut simpliciter super oblata recitentur, sed præterea intendit, id ipsum per ea operari, quod scit Christum in ultima cœna operatum fuisse. Solutionem illam mutuati sumus ex Angelico Doctore, qui 3. part. quæstion. 78. artic. 1. sic loquitur: *Ad quartum dicendum, quod quidem dixerunt: hoc Sacramentum perfici non posse, prædictis Verbis prolatis, & aliis prætermissis, præcipue quæ sunt in canone Missæ; Sed hoc patet esse falsum tum ex verbis Ambrosii supra inductis* (in argumento, Sed contra) *tum etiam quia canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora, sed diversa sunt a diversis apposita. Unde dicendum est quod si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeret hoc Sacramentum, quia intentio faceret, ut hæc verba intelligerentur quasi ex persona Christi prolata; etiamsi verbis præcedentibus hoc non recitaretur: Graviter tamen peccaret Sacerdos sic conficiendo hoc Sacramentum, utpote ritum Ecclesiæ non servans: nec est simile de baptismate, quod est Sacramentum necessitatis, defectum autem hujus Sacramenti potest supplere spiritualis manducatio, sicut Augustinus dicit*.

Instabis. Hæc verba, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, a Sacerdote narrative tantum, non autem assertive proferuntur: Ergo satis non sunt ad consecrationem, cum consecratio per eam tantum formam fiat, quæ significet præsentem transubstantiationem. Probatur antecedens. Panis fractio, gratiarum actio, quæ a Christo factæ fuerunt in ultima cœna, historice solum referuntur a Sacerdote, dum canonis verba recitat; ergo etiam & hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, narrative tantum proferuntur.

Respond. ad Primum nego ant., ad Secundum neg. conseq. Ratio est, quia Sacerdos verba Evangelica recitat, ac vult recitare, dum se gerit exterius tamquam Ecclesiæ ministrum, eo modo, quo Christus illa protulit dum instituit Eucharistiam; At certum est, assertive tunc prolata fuisse, sive, quod idem est, per ea signi-

ſignificatam, ac peractam fuiſſe tranſubſtantiationem. Id vero de fractione panis conſecrati, quem diſcipulis porrexit, gratiarum actione, quam exhibuit æterno Patri dici non poteſt, neque enim hujuſmodi grariarum actio, illa fractio panis ſignificabant aliquid, quod tunc Chriſtus operaretur.

Caput Tertium.

An Calix his verbis conſecretur, Hic eſt Calix ſanguinis mei, &c.

EX iis, quæ ſuperiori capite dicta ſunt, certo contra quoſdam Græcos colligitur ſolis verbis Evangelicis, *Hic eſt calix ſanguinis mei, &c.* perfici calicis conſecrationem; Sed quæſtio eſt inter Scholaſticos, num ſingula verba, quæ liturgiæ pro conſecrando calice præſcribunt, ita requirantur, ut, vel uno prætermiſſo, irrita ſit conſecratio; ſunt autem hujuſmodi ea verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei novi, & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Nonnullis Thomiſtis placet ſententia, qua aſſeritur ſingula illa verba pertinere ad eſſentiam formæ, per quam calix conſecratur; aliis vero, etiam Thomiſtis, Cajetano nempe, Contenſonio opinio negans magis probatur; pro qua parte nos ſtemus, ſubſequenti concluſione declarabitur.

Concluſio. His ſolum verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, vel *Hic eſt ſanguis meus*, calicis conſecratio adæquate perficitur.

Probatur 1. ex Traditione. Patres cum diſſeruerunt de conſecratione calicis, iſta dumtaxat verba, *Hic eſt ſanguis meus*, retulerunt.

Juſtinus Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem pro Chriſtianis conſcripta ſic loquitur, *Apoſtoli in commentariis ſuis, quæ Evangelia dicuntur, ita ſibi Jeſum præcepiſſe tradiderunt, cum accepto pane, cum gratias egiſſet, dixiſſe, hoc facite in memoriam mei, Hoc eſt corpus meum; Dixiſſe etiam accepto poculo, Hic eſt ſanguis meus, ipſiſque ſolis dediſſe.*

Author ſermonis de cœna Domini apud Cyprianum hæc habet, *Ex quo a Domino dictum eſt, Hæc eſt caro mea, Hic eſt ſanguis meus, quotieſcumque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix benedictione ſacratus ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit.*

Præterea Patres addiderunt, iiſdem verbis, *Hic eſt ſanguis meus*, vinum in Chriſti ſanguinem tranſubſtanſtantiari. Hæc nimirum habet S. Gaudentius Tract. 2. de Exodo, *Cum panem conſecratum, & vinum diſcipulis ſuis porrigeret ſic ait, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Credamus cui credidimus; neſcit mendacium veritas, non infringamus illud os ſolidiſſimum, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*. Vult igitur S. Gaudentius, ut vinum in Chriſti ſanguinem converſum fuiſſe credamus, quod Chriſtus dixerit, *Hic eſt ſanguis meus*, ac proinde tranſubſtantiationem iiſdem verbis fieri cenſuit.

Ambroſius conceptis terminis idem docet lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Aſſerit nempe 1. hæc verba, *Hic eſt ſanguis meus*, verba eſſe Chriſti; Aſſerit, verbis Chriſti conſecrationem perfici; *Vide* (inquit) *omnia illa verba*: Similiter & calicem, poſtquam cœnatum eſt, pridie quam pateretur, accepit, reſpexit ad cœlum, ad te Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, gratias agens, benedixit, Apoſtolis, & diſcipulis ſuis tradidit, *Evangeliſtæ ſunt uſque ad* Accipite, bibite ex eo omnes, Hic eſt enim ſanguis meus. Paulo poſt hæc ait, *Ante verba Chriſti calix eſt vini, & aquæ plenus; ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.*

Cum iis Patrum ſententiis conciliari non poteſt quod nonnulli Scholaſtici reponunt, eos ſcilicet non fuiſſe ſollicitos de totali, & adæquata forma; qua calix conſecratur; Nam 1. Præterquam quod id gratis fingatur, eodem argumento evinc poſſet illos, dum hæc verba, *Quod pro vobis tradetur*, a Chriſto prolata prætermiſerunt, totam panis conſecrandi formam his terminis, *Hoc eſt corpus meum*, non concluſiſſe. 2. Contenderunt, (ut obſervatum eſt) iis verbis vinum in ſanguinem tranſmutari. 3. Concluſerunt fidem, qua creditur vinum poſt conſecrationem non eſſe amplius vinum, ſed ſanguinem, inniti verbis iiſdem, *Hic eſt ſanguis meus*.

Probatur 2. Abſque his verbis, *Myſterium fidei*, valet calicis conſecratio, ſaltem apud Græcos; cum Sacerdotes, dum calicem conſecrant, ea nequaquam proferant; neque enim in liturgiis, quibus a multis ab hinc ſæculis utuntur, ea legere eſt: quæ Baſilii nomine inſcribitur, hæc habet, *Similiter calicem de genimine vitis, accipiens, miſcens, gratias agens, benedicens, ſanctificans, dedit ſanctis ſuis diſcipulis, & Apoſtolis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro vobis, & multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Idem omnino conceptis terminis in Chryſoſtomiana liturgia legitur.

Nec argumentum ſolvunt, qui reſpondent hæc verba, *Myſterium fidei*, non eſſe quidem de eſſentia formæ, ſecus vero iſta, *Qui pro vobis, &c.* cum (inquiunt) in omnibus, tum Latinis, tum Græcis liturgiis reperiantur. Nam 1. Patres nuſquam conſecrationem iis terminis adſcripſerunt. 2. (ut inferius dicetur) pronomen, *Qui*, non eſt determinativum vocis iſtius *Calix*, ſed explicativum dumtaxat, ac proinde prioribus verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, nihil addit ſubſtantiale. 3. In omnibus Græcorum liturgiis poſt verba, quibus panis conſecratur, ideo hæc adduntur, *Quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum*, aut (ſicut habet Baſiliana) *Quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum*, quod finem ſacrificii explicent: Ergo a pari ea, de quibus eſt quæſtio, adduntur in conſecratione calicis, quod eumdem ſacrificii finem ſacerdotis, ac populi ob oculos ponant.

Argumenti noſtri vim non enervant quoque ii ex adverſariis, qui contendunt verba quædam pertinere ad Sacramenti formam in una Eccleſia, quamvis in alia non pertineant; quod nempe (inquiunt) cum Chriſtus materiam, & formam Sacramentorum in ſpecie infima non determinarit, ſed Eccleſiæ judicio determinandas permiſerit, fieri poſſit, ut hæc verba, *Myſterium fidei*, Latini, non autem Græci, tamquam eſſentialem formæ partem præſcripſerint. Non valet (inquam) ea ſolutio. Nam 1. verum non eſt principium, quo nititur (ut agentes de Sacramentis in communi probavimus. 2. Gratis ſupponitur, quod Latina Eccleſia, hujuſmodi verba, tamquam quæ requirantur abſolute, præſcripſerit. 3. In Græcorum liturgiis nihil reperitur, quod iſtis verbis, *Myſterium fidei*, æqui valeat, ac proinde apud Latinos ſubſtantialia eſſe non poſsunt.

Objicies 1. Si verba, quæ in conſecratione calicis iſta, *Hic eſt ſanguis meus*, ſubſequuntur, non ſint conſecrationi eſſentialia, cur eorum prolatio miniſtris injuncta fuit, iſtorum vero, *Quod pro vobis tradetur*, nequaquam præcepta fuerit, quamvis Chriſtus ea adhibuerit, quando conſecravit panem.

Reſp. 1. ea verba, *Quod pro vobis tradetur*, aut, *Quod pro vobis frangitur*, in Chryſoſtomi, & Baſilii liturgiis præſcribi: Et tamen inde non ſequitur, quod eſſentialia ſint panis conſecrationi; alioquin conſecratio peracta a Latinis, a quibus non adhibentur, prorſus irrita foret; quod eſt abſurdum.

Reſp. 2. verborum, de quibus eſt quæſtio, prolationem ideo imperatam fuiſſe, ut miniſtri, & populus meminerint, Chriſtum non redemiſſe genus humanum ſuo corpore, & ſuo ſanguine ſimpliciter, & abſolute ſumptis, ſed ſanguine, ut effuſo, ſeu per mortem: *Per verba* autem ſequentia (inquit S. Thomas 3. part. quæſt. 78. art. 3.) *deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſſione, quæ operatur in hoc Sacramento*. Ad quæ autem ſe extendat ea virtus S. Doctor mox ſic enarrat, & exponit, *Quæ quidem ad tria ordinatur; Primo quidem, & principaliter, ad adipiſcendam æternam beatitudinem, ſecundum illud Hebræorum* 10. Habemus fiduciam in introitu Sanctorum per ſanguinem ejus: *& ad hoc deſignandum dicitur*, Novi, & æterni Teſtamenti. *Secundo ad inſtantiam gratiæ, quæ per fidem*

ſe-

secundum illud Romanorum 3. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ejus, ut sit ipse justus, & justificans eum, qui ex fide est Jesu Christi, *Et quantum ad hoc subditur*: Mysterium fidei. *Tertio autem ad removendum impedimenta utriusque prædictorum, scilicet peccata, juxta illud Hebræorum* 9. Sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis, *idest a peccatis, & quantum ad hoc subditur*: Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Objicies 2. Singula verba, quæ tum Latini, tum Græci adhibent ad consecrationem calicis, Sacerdos coram altari inclinatus, uno eodemque tenore recitat, eaque denuo proferre jubetur, si per inadvertentiam vel unum omiserit: Singula igitur sunt consecrando calici absolute necessaria.

Resp. concesso antec. nego conseq. Ratio est 1. quia hæc verba: *Quod pro vobis frangitur*, uno tenore proferuntur a Sacerdotibus Græcis, dum panem consecrant; & tamen (ut jam observatum est) non sunt, etiam apud Græcos, necessaria necessitate Sacramenti. 2. Sacerdos verba, de quibus agitur, si forte prætermissa fuerint, ideo recitare jubetur, quod in conficiendis Sacramentis minister extra casum necessitatis teneatur sequi opinionem tutiorem, non vero probabilem, quæ possit esse falsa, quantacumque probabilitate nitatur: nec immerito sic paucis ab hinc annis definiit Innocentius Papa XI. quippe quod alioquin Sacramenta nullitatis periculo exponerentur, & fideles vana sæpius pascerentur Sacramentorum umbra, ac proinde gratia ipsis annexa privarentur.

Objicies 3. Ratio Sacrificii necessario debet exprimi in verbis, quibus Eucharistia conficitur, cum ipsa sit essentialiter sacrificium: Ergo exprimatur oportet sanguinis effusio, in qua vel vera, vel metaphorica, sacrificii essentia consistit. Atqui si hæc verba, *Qui pro vobis effundetur*, a ministro non proferantur, Christi sanguinis effusio, in ritu Eucharistico non exprimitur. Ergo, &c.

Resp. 1. argumentum supponere, quod Eucharistia consecrari non possit, quin celebretur sacrificium: id tamen omnibus authoribus non est exploratum, nonnullos enim Theologos reperire est, qui de eo dubitent, imo & qui negent contendentes unius tantum speciei consecrationem valere, quamvis (inquiunt) in unius tantum speciei consecratione, sacrificii ratio non exprimatur.

Resp. prolatione verborum, quibus panis consecratur, facta seorsim ab illorum prolatione, quibus consecratur vinum, non obscure exprimi Christi sanguinis effusionem: eo nimirum ritu sanguis mystice a corpore separatur; quippe quod hujusmodi seorsim factæ prolationis vi, solus sanguis in calice ponatur, corpus vero in eo tantum sit per concomitantiam, ut suo loco inferius dicetur.

Objicies 3. S. Thomas 3. part. quæst. 78. art. 3. duo exequitur, quibus invictissime probatur, eum censuisse singula verba, quæ inter consecrandum calicem recitantur a Latinis Presbyteris, esse de essentia formæ: nam 1. confutat opinionem, qua asseritur, ea non spectare ad formæ substantiam: 2. variis argumentis probat ea necessario requiri, ut calicis consecratio valeat: *Respondeo dicendum* (inquit), *quod circa hanc formam est duplex opinio. Quidam enim dixerunt, quod de substantia hujus formæ est hoc solum, quod dicitur; Hic est calix sanguinis mei, non autem ea, quæ sequuntur. Sed hoc videtur inconveniens, quia ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, idest sanguinis Christi: unde pertinent ad integritatem ejusdem locutionis. Et propter hoc, sicuti alii melius dicunt, omnia sequentia sunt de substantia formæ usque ad hoc, quod postea sequitur, Hæc quotiescumque feceritis, quod pertinet ad usum hujus Sacramenti: unde non est de substantia formæ, & inde est, quod Sacerdos eodem ritu & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert. Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur, Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine. Dicendum est ergo quod omnia prædicta verba sunt de substantia formæ: Sed per prima verba, cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini in sanguinem ... per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento.*

Resp. S. Thomam, nomine *substantiæ* non intelligere essentiam formæ, sed explicationem tantum, ita ut voluerit verba, de quibus agitur, meram esse explicationem istorum, *Hic est calix sanguinis mei*. Ratio est 1. quia S. Doctor conceptis terminis ibid. asserit ea verba pertinere ad integritatem locutionis; ex qua quidem integritate, concludit ea esse de substantia formæ, *Unde pertinent ad integritatem locutionis, & propter hoc omnia sequentia sunt de substantia formæ*. 2. Diserte scribit per priora verba, *Hic est calix sanguinis mei*, transubstantiationem clare designari, *Sed per prima verba; cum dicitur, Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conversio vini ad sanguinem eo modo, quo dictum est in forma consecrationis panis*. Censuit igitur per ea sola verba transubstantiationem fieri quemadmodum per hæc sola, *Hoc est corpus meum*, fit transubstantiatio in corpus Christi. Nec mirum, cum ex ipso S. Thoma, Sacramenta novæ legis id operentur quod significant. 3. Idem Angelicus Doctor ait per hæc verba, *Novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis &c.* virtutem passionis designari, *Designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ in hoc Sacramento operatur*. At designatio hujusmodi non est essentialis forma Sacramenti, alioquin enim verbis, quibus panis consecratur, hæc alia, *Quod pro vobis tradetur*, addi deberent: quod tamen est falsum.

Nec valet 1. quod nonnulli ex quæst. 60. art. 8. de Sacramentis in genere objiciunt: ubi S. Thomas *substantiæ* nomine ipsammet formæ essentiam intelligit. *Si diminuatur* (inquit) *aliud eorum, quæ sunt de substantia formæ, tollitur sensus verborum*. Nam ex eo quod S. Doctor eo loci, sicut adversarii volunt, *substantiæ* nomen usurpaverit, non sequitur quod eadem ratione hic illud accipiat, cum expressis terminis se per eam vocem, *integritatis locutionem* intelligere profiteatur, cum e contra in quæstione 60. hæc addiderit, *Tollitur sensus verborum*, quæ *Substantiæ* nomen eo in loco ad formæ essentiam, non autem integritatem, determinent.

Non urgent 2. magis, qui sic ratiocinantur. S. Thomas nomine *Substantiæ* hic quæst. 78. art. 3. idem intelligit quod authores, quos recenset, ac confutat, *Quidam dixerunt quod de* SUBSTANTIA *hujus formæ est hoc solum, quod dicitur*, Hic est calix sanguinis mei, *non autem ea quæ sequuntur*: At illi scriptores per *Substantiam* intellexerunt essentiam formæ, nemo dubitavit, quin ea, quæ subsequuntur ad locutionis integritatem, seu ad uberiorem formæ explicationem pertineant. Non urgent (inquam) quod nempe thesim sine probatione supponant: Et vero cum S. Thomas primæ sententiæ authores ex eo confutet, quod sequeretur alioquin verba, de quibus agitur, non magis ad *locutionis rationem* pertinere quam illa, *Hæc quotiescumque feceritis &c*. Non est cur dicatur eos aliud sensisse, quam quod S. Doctor suo argumento confutavit.

Iis, quæ huc usque dicta sunt, lux affulget maxima ex hujusce quæstionis 78. articulis 1. & 3. S. Thomas, articulo 1. quærit, *Utrum hæc sit forma hujus Sacramenti, Hoc est corpus meum, & Hic est calix sanguinis mei*. Nulla alia verba eo loci S. Doctor recenset; credidit igitur illa, cæteris omissis, satis esse, ut calicis consecratio valeat. Quæstionem, quam sibi proposuerat, solvit asserendo discrimen, quod istud Sacramentum inter & alia reperitur, *Formæ aliorum Sacramentorum important usum materiæ; puta baptizationem, vel consignationem: Sed forma hujus Sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit, puta cum dicitur, Hoc est corpus meum*, vel *Hoc est corpus, Hic est calix*. Ex iis terminis patet, S. Doctorem asserere Eucharistiæ formam esse in materiæ, aut panis aut vini consecratione, seu transubstantiatione, quæ quidem transubstantiatio fiat, cum dicitur, *Hoc est corpus. Hic est calix sanguinis mei*. Eodem in articulo objicit sibi hoc argu-

gu-

gumentum contra propositionem, qua asseritur, verba, de qnibus est quæstio, esse hujusce Sacramenti formam, *Forma Sacramenti sufficit ad perfectionem Sacramenti ... Si ergo prædicta verba sunt forma hujus Sacramenti; videtur quod aliquando possit hoc Sacramentum perfici his solis verbis prolatis, & omnibus aliis prætermissis, quæ in Missa dicuntur; quod tamen videtur esse falsum.* Ad illud autem argumentum sic respondet, *Ad quartum dicendum, quod quidam dixerunt, hoc sacramentum perfici non posse, prædictis verbis prolatis,* Hoc est corpus meam, Hic est calix sanguinis mei, *& aliis prætermissis, præcipue quæ sunt in canone Missæ: sed hoc patet esse falsum ... Unde dicendum est, quod si Sacerdos* SOLA *verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum.* Ea voce, SOLA, S. Thomas excludit ab essentia formæ quælibet alia verba, sive præcedaot, sive subsequantur; hoc unam requirit, nempe, ut cum intentione conficiendi hoc Sacramentnm, a Sacerdote proferantur.

Instabis. Si S. Thomas credidit verba, quæ in consecratione calicis, ista, *Hic est sanguis meus*, subsequuntur, car scribens io Sentent. dist. 8. quæst. 2. art. 4 ad tertinm asserit omoia, quæ inter consecrandam calicem recitantur, esse *essentialia sanguini, prout in hoc Sacramento consecratur?* Præterea, qaid causæ fuit Pio Papæ V. ut ex Cajetani commeotariis eam partem doleri jusserit, qna stabat pro sententia, quæ asserit his solis verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, calicem consecrari?

Resp. ad primnm ea, quæ S. Doctor scribens in Sentent. nonnumquam subobscure asseruit, per ea explicari debere, quæ perspicue docuit in Summa Theologica, quippe quæ sit altimnm, qood exaravit opus. 2. Quæ ex illius operibus in Sentent. ab adversariis laudantur, significant verba ista, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, & hæc alia, *Novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei*, essentialia esse, non qaidem ut vinam in sanguinem convertatur, sed nt perspicue, & explicite sanguinis, prout effusi, memoria celebretur. Ea solutio ex ipsomet S. Doctore confirmatur, qui non dicit verba, de qaibus agitar, esse consecrando calici *simpliciter* essentialia, sed tantum, *prout consecratur;* vi nempe verborum a corpore separatur, licet per concomitantiam cum eo conjunctus sit.

Resp. ad secundum dici posse 1. ita se gessisse Pium Papam V. qnod Cajetanus non satis honorifice de iis locutus fuisset, quæ S. Thomas scripserat eo in articulo, qoem Cajetanus impugnat. 2. Asseri potest Pinm Papam V. ægre tulisse, quod Cajetanus ex inclyto Dominicanorum ordine ad Cardinalatum assumptus, ea scripsisset, quæ ipsemet S. Thomas, in cujus verba Dominicani jurant, adversari confessus fuisset.

QUÆSTIO QUARTA.

Quid Eucharistia contineat?

QUæstio de iis, quæ in Eacharistia continentur, perspicuis hisce verbis a Concilio Trideotino Sessione 13. cap. 1. solvitur, *Docet sancta Synodus, & aperte, ac simpliciter profitetur in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis, & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum, atque hominem vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Hæc iterum habentur eadem sess. can. 1. *Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, substantialiter corpus, & sanguinem una cum anima, & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, aut figura, aut virtute; anathema sit.*

Quæ in Concilii capite, ac canone definita fuerunt, hic a nobis exponenda sunt; ea vero methodi causa ad qaatuor capita reducemus, ad existentiam nempe corporalis præsentiæ Christi in Encharistia, ad ejusdem realis præseotiæ modum; ad ea, quæ hujusmodi præsentiam conseqauntur; ac tandem ad accidentia, quæ illam in Sacramento comitantur.

CAPUT PRIMUM.

De existentia corporalis Christi præsentiæ in Eucharistiæ Sacramento.

HIC quæramus oportet 1. quinam ab Ecclesiæ incunabulis usque ad hanc ætatem, corporalem Christi in Eucharistia præsentiam negaverint? 2. Utrum ex Scriptura possit demonstrari? 3. an constanti Patrum traditione probetar? 4. an probari possit, ex Præscriptione? 5. utrum ex omnium Ecclesiarum perpetuo consensu? 6. expendemus, an ex Ethnicorum de Eucharistia silentio quidquam contra corporalem Christi præsentiam concludi possit? 7. an argumentis philosophicis possit expugnari?

ARTICULUS PRIMUS.

De iis, qui corporalem Christi præsentiam ablegarunt ab Eucharistia.

VArii hæretici variis temporibus corporalem Christi in Encharistia præsentiam impugnarunt.

1. Simonianis, Menandrianis, aliisque similibus quondam visum est, Christum non esse in Eucharistia corporaliter præsentem: *Eucharistias, & oblationes non admittunt* (inquit apud Theodoretum Ignatius in Epist. ad Smyrnenses,) *quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hoc principio nitebatar illorum hæreticorum dogma, quod nimirum apud eos Verbum non verum, sed phantasticum dumtaxat, corpus assumpsisset.

2. Præsules Iconomachi nonnullis authoribus visi sunt negasse corporalem Christi præsentiam in Eucharistia, eo quod in conciliabulo, quod Constantinopoli contra sacras imagines anno 754. celebrarunt, asseruerint (ut ex iis refert Gregorius Episcopus in 7. Synodo Oecumenica) quod Christus *imaginem materiam præcipuam, idest panis substantiam, præcepit offerri.*

Sed illi authores immerito Iconomachis errorem illum affingunt. Fatebantur nimirum Encharistiæ deberi latriæ cultum, quod esset Christi non falsa, sed vera imago, sea quæ, non sicut pictæ imagines, humanitatem a divinitate separatam exhiberet, sed & utramque complecteretur, *Hoc enim* (inquiebant) *mercatus est Dominus Jesus, ut sicut carnem, quam suscepit, propria secundum naturam sanctificatione, ex ipsa unitione deificavit; similiter & Eucharistiæ panem, non ut falsam imaginem naturalis carnis, per Spiritus sancti adventum sanctificandum, divinum corpus fieri voluit mediante Sacerdote, qui oblationem de communi separans ad sanctificationem pertingere facit. Itaque Christi caro secundum naturam animata, & intelligibilis, uncta est Spiritu sancto in divinitatem: Similiter & divinitas tradita imago carnis ejus, divinus videlicet panis, repletus est Spiritu sancto cum calice vitam ferentis sanguinis lateris ejus. Hic ergo demonstrata est vera imago dispensationis, quæ in carne facta est, scilicet Christi Dei nostri, quemadmodum supra dictum est, quam ipse nobis verus naturæ vivificator, & factor voce propria tradidit.* Eo teodit ea Iconomachorum argumentatio: Idololatriæ rei soot, qui pictis Christi imaginibus latriæ cultum exhibent, quod nempe falsæ sint illius imagines, cum verbum divinum, cui soli debetur latria, in se non contineant; sed illius sceleris rei non sunt, qui Eucharistiam adorant, quippe quæ non sit falsa Christi imago, sed vera, quæ nimirum humanitatem Verbo ea ratione conjunctam contineat, qua ipsamet caro, quam assumpsit, illi unita fuit.

Sed (inquies) Cur Nicæni Concilii Patres, eam Iconomachorum sententiam confutarunt, si Eucharistiam, verum Christi corpus substantialiter continere crediderint?

Resp.

Resp. Nicænos Patres non ipfam Iconomachorum de Euchariftia fententiam arguiffe, fed eorum dumtaxat loquendi modum. 1. Quod vix ejus fæculi, ac præcedentium Scriptores figuræ, aut imaginis nomine uterentur, cùm de Euchariftia differebant: *Nulius enim aliquando tubarum Spiritus, fanctorum videlicet Apoftolorum, aut illuftrium Patrum noftrorum, incruentum facrificium noftrum, quod in commemorationem Chrifti Dei noftri, ac omnis difpenfationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus.* 2. Cum ter, aut quater in fua Pfeudo-Synodo Iconomachi Euchariftiam dixiffent imaginem corporis Chrifti, timuerunt Nicæni Patres, ne tunc inufitatus ille loquendi modus, in fenfu realitatis exclufivo ab incautis aliquibus fumeretur. Confirmatur ex eo, quod mox laudati Patres contra Iconomachos argumentati fuerint ex fuppofitione, quod ipfimet Iconomachi corporalem Chrifti in Euchariftia præfentiam crederent; fic enim eos urgent: *Deinde dimiffo mendacio tangunt pauxillum quid veritatem, Divinum corpus dicentes fieri: Et fi imago corporis eft, non poteft effe hoc Divinum corpus ... Id ipfum patiuntur, quod infanientes, alia fcilicet pro aliis phantaftice paffi; aliquando quidem imaginem dicentes fancti corporis Chrifti intelligibile facrificium noftrum, aliquando vero pofitione corpus.*

3. Apud Joannem Scotum Erigenam, qui fertur obiiffe anno 884. Sacramentum Euchariftiæ male audiiffe videtur: ea enim fcripfit, quæ cum illius veritate non cohærent, 1. Sic Afcelinus in Epift. ad Berengar. de eo loquitur, *Joannem Scotum nec inconfiderate, nec impie, nec indigne Sacerdotio meo hæreticum habeo, quem toto nifu, totaque intentione ad hoc folum tendere vides, ut mihi perfuadeat, hoc videlicet, quod in altari confecratur, neque vere corpus, neque vere Chrifti fanguinem effe: hoc autem aftruere nititur ex fanctorum Patrum opufculis, quæ prave exponit; quorum illam S. Gregorii orationem hic annotari fufficit; Perficiant in nobis tua, Domine, Sacramenta, quod continent, ut quæ nunc fpecie gerimus rerum veritate capiamus; Quam exponendo prædictus Joannes inter cætera fidei noftræ contraria*, SPECIE (inquit) *geruntur*, NON REI VERITATE. 2. Ita Patribus Concilii Vercellenfis, quod habitum eft in caufa Berengarii anno 1050. perfuafum fuit librum Scoti Erigenæ de corporo, & fanguine Domini, Euchariftiæ veritatem tollere, ut illum profcripferint, atque damnaverint. *Dehinc* (inquit Lanfrancus) *Declarata eft Synodus Vercellenfis, ad quam vocatus non venifti* (alloquitur Berengarium) ... *In qua in audientia omnium, qui de diverfis hujus mundi partibus illuc convenerant, Joannis Scoti liber de Euchariftia lectus eft, ac damnatus.* 3. Ante Berengarii tempus, fæculo nimirum nono Scotus male apud Nicolaum Papam I. audierat: hæc enim de eo ad Carolum Francorum Regem fcripfit, *Relatum eft Apoftolatui noftro, quod opus beati Dionyfii Areopagitæ, quod de Divinis nominibus, vel Cæleftibus ordinibus Græco defcripfit eloquio, quidam vir Joannes Scotus genere nuper in Latinum tranftulerit; quod juxta morem nobis mitti, & noftro judicio debuit approbari: præfertim cum idem Joannes, licet multæ fcientiæ effe prædicetur olim non fane fapere a quibufdam frequenti rumore dicatur.*

4. Anno 1017. Quidam Sectarii, quorum duces erant Lifoius, & Heribertus Aureliani docuerunt Chrifti corpus non effe realiter in Euchariftia; *Dicentes* (inquiunt Acta Synodi Aurelianenfis coram Roberto Rege habitæ,) *non effe Sacramentum corporis, & fanguinis Chrifti in confecratione Sacerdotis.* Nonnulli fufpicantur, hæreticos illos fuiffe difcipulos Berengarii, qui non multo poft palam docuit, quod illi clanculum fidelium auribus infufurrabant. Ineunte nimirum fæculo undecimo fic eum compellat Adelmannus Epifcopus Brixienfis, quem habuerat fub Fulberto Carnotenfi condifcipulum, & de quo jam nonnullus hærefeos rumor fparfus fuerat. *Obfervans per mifericordiam Dei, per fuaviffimam memoriam Fulberti, ut pacem Catholicam diligas, neque conturbes rempublicam Chriftianæ civitatis;* Sed ad verum accedunt propius, qui cenfent homines hujufmodi, fuiffe Manichæos, qui non ita pridem ex Bulgaria in Gallias irrepferant. Id evinci videtur ex aliis dogmatibus, propter quæ a Concilio Aurelianenfi profcripti fuerunt. Dicebant nimirum (ut ex illius actis patet) *Chriftum de virgine Maria non effe natum, neque pro hominibus paffum, nec vere in fepulchro pofitum, nec a mortuis refurrexiffe.* Quæ fane ipfiffima funt deliramenta Manichæorum, qui veritatem affumpti a Verbo corporis inficiabantur.

5. Berengarius, Andegavenfis Archidiaconus, annuente Brunone ejufdem urbis Epifcopo, anno 1035. palam afferuit, Euchariftiam merum effe corporis Chrifti fignum, feu, negavit verum Chrifti corpus ea fubftantialiter contineri; *Fama fupremos Galliæ fines prætergreffa totam Germaniam pervafit* (inquit Durandus Leodienfis Epifcopus in Epiftola, quam eo anno contra Brunonem, & Berengarium fcripfit) *jamque omnium noftrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavenfis Epifcopus, item Berengarius Turonenfis antiquas hærefes modernis temporibus introducendo, aftruant corpus Domini non tam corpus effe, quam umbram, & figuram corporis Domini.* Quid vero de eo Berengarii dogmate Concilia definierint, ac orbis Chriftianus fenferit, inferius dicetur.

6. Anno 1126. Petrus de Bruis, cujus fequaces Petrobrufiani dicti funt, confeffus eft, Chriftum quidem in ultima cœna proprium fuum corpus, & proprium fanguinem fub fpeciebus panis, & vini Apoftolis tradidiffe, fed in Provincia Arelatenfi, & adjacentibus inficiatus eft, Sacerdotes idem fanctum corpus nunc confecrare. *Quartum capitulum* (ait Petrus Cluniacenfis recenfens hujus hæretici errores in Epift. ad Ebrodunenfem Archiepifcopum, & alios Præfules, in quorum Diœcefibus fuum virus fparferat) *non folum veritatem corporis, & fanguinis Domini quotidie, & continue per Sacramentum in Ecclefia oblatum negat, fed omnino illud nihil effe, neque Deo offerri debere decernit.*

7. Circa annum 1146. Henricus quidam olim monachus, tunc Apoftata vilis, Tolofanis Petrobufianorum hærefim propinavit. *Afferitis* (ait Petrus Cluniacenfis adverfus magiftrum, & difcipulos fcribens) *corpus Domini in Sacramento altaris Ecclefiam non habere.* S. Bernardus variis editis Epiftolis, & patratis miraculis nefarium illum errorem exagitavit.

8. Aliqui Petrum Vvaldo, a quo Vvaldenfes, feu, Pauperes de Lugduno, quod fummam paupertatem profiteri viderentur, inter eos recenfent, qui negarunt Chriftum effe in Euchariftia realiter præfentem.

Sed immerito Vvaldenfibus affingitur illud dogma, Reynerus, qui ex profeffo contra illos fcripfit, hoc unum de eis habet: *Item de Sacramento Euchariftiæ dicunt, quod Sacerdotes in mortali non poffint conficere. Item dicunt, quod tranfubftantiatio non fiat in manu indigne conficientis, fed in ore digne fumentis, & quod confici poffit in menfa communi.*

Ebrardus, feu Eberardus, qui circa fæculi XII. finem Vvaldenfes impugnavit, eis Sacramentariorum dogma adfcribere videtur lib. 3. cap. 8. ubi fic loquitur: *Sacra quidem cœnæ myfteria nefcientes, panis benedictionem a Deo nobis collatam flocci pendunt ... Ecce quod femetipfum dedit ad manducandum, ut hoftiam veram, & fic facere nos admonuit; quare ergo fic facientes redarguitis, & eum fic feciffe renuitis?*

Sed iis verbis non aliud vult Ebrardus, quam quod Vvaldenfes flocci fecerint Euchariftiam, quam impii Sacerdotes confecraffent: notum eft fcilicet, eos circa Sacramentorum miniftros Donatiftarum errorem profeffos fuiffe; id hifce verbis innuit mox laudatus Ebrardus: *Sed quafdam evafiones prætendunt, & quædam fubterfugia, dicentes, quia Sacerdos immundus mundam non poteft facere hoftiam, juxta illud, omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum.*

Eam doctrinam anno 1495. adhuc profitebantur Vvaldenfes, qui degunt in Sabaudiæ montibus: In manufcriptis nimirum D. de Thou, quæ quidem Pari-

riſiis reperire eſt iu Bibliotheca Marquionis de Seignelay, quidam Vvaldenſis, *Quoti* nomine, juridice interrogatus, an *a Barbatis*, ſeu a Vvaldenſium Paſtoribus, *doctus fuiſſet corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia*, hiſce verbis reſpondet; *ſe a Barbatis doctum fuiſſe, quod cum Sacerdos profert verba conſerrationis conſecret Chriſti corpus, fiatque vera mutatio panis in verum Chriſti corpus*.

Idem dogma adhuc decimo ſexto ſæculo, antequam prodiret Sacramentariorum hæreſis, Vvaldenſes Sabaudi profitebantur: Anno nimirum 1517. Claudius Seyſſelius Archiepiſcopus Taurinenſis, accuratum de ejuſmodi Vvaldenſium erroribus catalogum conſcripſit; ſed de iſto, quod negareut corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, ne verbum quidem profert, illud alioquin non prætermiſſurus, cum tanti ſit momenti, tatinque ponderis.

Ab ea majorum ſuorum doctrina Vvaldenſes Sabaudi receſſerunt anno 1536. Agentes uimirum Farello apud Geuevenſes pſeudo-Evangelii miniſtro, Calvinianam reformationem in omuibus amplexi ſunt.

9. E Vviclefi libris in Bohemiam delatis plerique Bohemorum hauſerunt Sacramentariorum hæreſim; alii vero tranſubſtantiationem rejecerunt; nec mirum, ſunt enim in Vvicleſo textus, quibus præſentia corporalis aſſeratur, uonuulli etiam, quibus ſola tranſubſtantiatio impugnetur.

10. Licet Joannes Hus ſummis laudibus Vvicleſum extolleret, uuſquam tamen illius de trauſubſtantione dogmati ſubſcripſit: conſtat nempe eum ad extremam uſque vitæ periodum credidiſſe præſentiam corporalem Chriſti in Euchatiſtia: adeat lector argumenta, quibus id Laroquius Calviniſtarum miuiſter in ſua hiſtoria de Euchariſtia demonſtrat.

11. Anno 1525. aut (ut aliis placet) 1524. Andreas Carloſtadius Archidiaconus Vvitembergenſis librum edidit, quo realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam aggreſſus eſt. Quærere ſolent Theologi, a quo errorem illum hauſerit Carloſtadius, qui Lutherem illi dogmati infenſiſſimum audiit. Sed ajunt cum Bellarmino, Carloſtadio ſic opinandi locum dediſſe ipſummet Lutherum, qui in Epiſtola ad Argentorateuſes aſſeruerat ſe multum propendiſſe in eam ſententiam, quæ in Euchariſtia nihil præter panem agnoſcit, cui tamen non auſus fuiſset ſubſcribere, eo quod (ut ajebat) Scripturis, quæ contra illam objiciebantur, facere ſatis non poſset: At ea Scripturæ loca, quæ Luthero moleſtiam crearunt, ſolvere teutavit Carloſladius haud dubie arbitratus id Magiſtro ſuo fore gratiſſimum; eos nimirum textus de Chriſti præſentia, non in re, ſed in ſigno exponi debere contendit.

12. Anno eodem, quo Carloſtadius, Huldricus Zuinglius librum de vera, & falſa religione in lucem edidit, quo Chriſtum in Euchariſtiæ Sacramenro corporaliter non eſſo præſentem oſtendere conatus eſt, nec alium ei effectum adſcripſit, quam quem aliis Sacramentis, his verbis tribuit, *Sunt ergo Sacramentn ſignn, vel cæremoniæ, pace omnium dicam, ſive neotericorum, ſive veterum, quibus ſe homo Eccleſiæ probat aut candidatum, ant militem eſſe Chriſti*: Inde concludit 1. Euchariſtiam merum eſſe ſignum cujuslibet effectu vacuum: 2. Chriſti verbis nullam omnino de gratia promiſſionem contineri; *Nihil* (inquit) *in his verbis*, Hoc eſt corpus meum, *nobis promiſſum eſt. Unde nullo modo ſi ſaltem proprie, & diſerte de his pronuntiare volumus, quod his confidere, ac ſe totos committere debeant, qui fideles ſunt*. Non inficiamur tamen, quin Zuinglius lenſerit internam gratiam nonnumquam Euchariſtia produci, ſed nuſquam aſſeruit id vi Sacramenti, ac ordinarie fieri, *Hæc omnia dum ſunt*, (ait in libello, quem principibus Germanis obtulit,) *nnus ntque idem operatur Spiritus, qui inſpirando, nunc citra inſtrumentum trahit, nunc cum inſtrumento, quo, quantum, & quem vult*. Zuinglio adhæſit Joannes Oecolampadius, religionis Birgitanæ apoſtata. Zuinglium, Oecolampadium ſecuti ſunt poſtea Henricus Buſlingerius, Bernardus Ochinus, Petrus Martyr.

13. Anno 1530. Bucerus Romanæ fidei apoſtata, Zuinglii de Euchariſtia doctrinam amplexus eſt, eamque propinavit Argentoratenſibus, apud quos Pſeudo-Evangelii primarius fuit miniſter; Sed eamdem doctrinam multo ſuco temperare conatus eſt, ne male apud Lutheranos audiret, cum quibus inire concordiam habebat in votis: Verebarur nimirum ne ſi Carolus V. capto Franciſco Francorum Rege, Sacramentariis, ſeu præſentiam corporalem negantibus, bellum (ut fama ferebat) indiceret, ipſe periret cum ſociis.

Prius, quod adhibuit, ſententiæ ſuæ lenimentum legitur in fidei confeſſione, quam Anguſtæ (teſte Hoſpiniano) ad Imperatorem, reliquoſque Germanorum principes miſit; Articulo 18. ita ſuam, ac Argentoratenſium fidem propoſuit, ut uec a Catholicis, nec a Lutheranis diceſſiſſe viſus ſit, Scripſit nempe Chriſtum iis, qui vere ſint e ſuis diſcipulis, *Verum ſuum corpus, ac verum ſuum ſanguinem, quibus in vitam æternam alantur, in cœna porrigere*. Hujuſmodi fidei confeſſioni conjunxit expoſitionem quamdam, qua ſe Capharnaiticam duxtaxat manducationem ab Euchariſtia excludere conteſtatus eſt, aſſeruitque conceptis terminis credere ſe, quod *cum pane detur verum Chriſti corpus*.

Altee ſucus, quo Bucerus declinavit Lutheranorum invidiam, reperirur in concordia, quam ipſe, & Capito Vvitembergi cum Luthero inierunt; iis ſcilicet omnibus ſubſcripſere; quæ Lutherus expetiit; profeſſi ſunt ergo, *Fidem, & doctrinam de hoc Sacramento banc eſſe, quod ſentiant in eo en inſtitutione, & opere Domini, prout verba Chriſti ſonant, verum corpus, & verum ſanguinem ſuum cum viſibilibus ſignis pane, & vino exbiberi, dari, & ſum*: Profeſſi ſunt iterum, *credere ſe etiam per Eccleſiæ miniſtrum corpus, & ſangninem Chriſti omnibus ſumentibus offerri, neque tantum ſumi a dignis corde, & ore nd ſalutem, ſed etiam ab indignis ad judicium*.

Monitum velim lectorem *Indignorum* nomine, a quibus Bucerus, & Capito confeſſi ſunt Chriſti corpus in Euchariſtia ſumi, eos non intelligi, qui extorres ſunt ab Eccleſia, ſed peccatores dumtaxat, qui in ejus ſinu tolerantur, & myſteriorum fidem (ſaltem hiſtoricam) profitentur. *Reliquos* (verba ſunt ipſiuſmet Buceri de concordia cum Lutheranis inita apud Hoſpinianum loquentis) *qui ſe enterne Chriſti diſcipulos profitentur, multis nævis tumen laborant, cum inſtitntionem, & verba Domini non pervertant, ſed hiſtorica fide præditi ſint, etiam corpus, & ſanguinem Domini accipere*. Advertat iterum lector eo, quo dictum eſt, ſenſu Bucerum, & Capitonem verbum, *Indignis*, ſumpſiſſe, quod, ſi infidelibus, & hæreticis Chriſti corpus vere porrigeretur, ſequeretur ipſum Euchariſtia contineri in ſenſu Catholico, aut ſaltem Lutherano, quod tamen nolebant concedere, per retentionem intentionis ſubintelligentes ſic in Euchariſtia ipſum vere eſſe præſens, quod per fidem, ſaltem hiſtoricam, a ſumentibus apprehendatur.

14. Calvinus adhuc junior, Argentorati Bucerum magiſtrum audiit, ex quo uon hauſit modo ſuam de Euchariſtia doctrinam, ſed etiam eas perobſcuras phraſes, quibus nonnumquam Lutheranis fucum fecit, & catholicis incautis tentavit illudere. Aſſeruit quidem aperte, quod ſubdole Bucerus intellexerat in iis omnibus ſententiis, quibus Lutheranis favere viſus fuerat; promiſſo nimirum, quod Chriſti corpus ſit dumtaxat in cœlo, Symbola vero Euchariſtica in terris remaneant, plurima perobſcura ſubjecit, quibus ſuum illud dogma lenire, aut potius involvere conatus eſt: Docuit enim 1. quod licet ſymbola, & corpus Chriſti a ſe invicem tanrum diſtent, quantum cœlum a terra, tamen ſic conjuncta ſint, ut cum ſigno, ſeu pane, & vino Deus ipſummet Chriſti ſui corpus, ac ſanguinem communicantibus vere ſufficiat ac tradat, *Vere in cœna datur nobis corpus Chriſti*; (inquit in cap. 16. Matthæi) *ut ſit animabus noſtris in cibum ſalutarem: Hoc eſt ſubſtantia corporis noſtri paſcuntur animæ noſtræ, ut vere unum efficiamur cum eo... Non ergo vacuum, & inane ſignum nobis proponitur, ſed vere*

carnis, & sanguinis Domini fiunt participes, qui fide promissionem hanc recipiant; Lib. 4. Institut. cap. 17. §. 5. idem petito ab alimentis corporeis exemplo confirmat, *Quemadmodum* (ait) *non aspectus, sed esus panis alimentum corpori sufficit: ita vere, ac penitus participem Christi animam fieri convenit*. Paragrapho 32. idem hisce verbis repetit, *In sacra cœna jubet me sub symbolis panis, ac vini, corpus, ac sanguinem suum sumere: nihil dubito, quin & ipse vere porrigat, & ego recipiam*. Docuit 2. non posse ingenio comprehendi, sed sola fide, quomodo rerum, quæ tantum distent, conjunctio fiat, *Nihil restat* (inquit Institut. lib. 4. cap. 17. §. 7.) *nisi ut in ejus mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par esse possit..... Etsi autem incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem, ut nobis sit in cibum, meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros, emineat arcana Spiritus sancti virtus, & quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire, quæ locis disjuncta sunt .... Porro de modo* (ait §. 32.) *si quis me interroget, fateri non pudebit sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio comprehendi, vel enarrari verbis queat*. Sed ne eo loquendi modo ad Catholicos propius accedere videretur, docuit 3. non ipsum corpus Christi ad nos desceodere, sed quamdam illius vim substantialem, *Vinculum illius conjunctionis* (ioquit Instit. lib. 4. cap. 17.) *est Spiritus Christi, cujus nexu copulamur, & quidem veluti carnalis, per quem quidquid Christus ipse, & est, & habet; ad nos derivatur .... Ingenue confiteor, mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem, qualis ab ipsis docetur, me repudiare, quia nobis sufficit Christum e carnis substantia vitam in animas nostras inspirare: imo propriam vitam in nos diffundere, quamvis in nos non ingrediatur Christi caro*. Iis verbis unam Christi communicationem, per virtutem nimirum agnoscit in Eucharistia, eam vero virtutem non esse qualitatem aliquam, quæ vere ex Sacramento dimanet, mox asserit, quippe qui contendat in eo positam esse, quod quis Christum in Eucharistia per fidem apprehendat, seu sibi præsentem reddat; *Interim vero* (ait lib. 4. Instit. cap. 17.) *hanc non aliam esse, quam fidei manducationem fatemur, ut nulla alia fingi potest*.

15. Calvinistæ Galli, quibus persuasum fuit semper Christum in Eucharistia corporaliter non contineri, iisdem usi sunt terminorum ambagibus, quibus antea Bucerus, Calvinus, Beza usi fuerant; In Synodo, quam Rupellæ habuerunt anno 1571. professi sunt a fidelibus Christi corpus substantialiter in cœoa manducari, & ita credendum exprefse his verbis definierunt, *Damnamus eos, qui non recipiunt substantiæ vocabulum*, Sed cum ea definitio fuisset scandalo Helveticis Zuinglianis, quorum in Galliis indigebant opera, anno subsequenti declarationem sic emollierunt, quod admitterent quidem substantiæ nomen, sed absque præjudicio Ecclesiarum, quæ certis quibusdam adductæ rationibus idem uomen rejicerent.

16. Sociniaoi Buceranam, & Calvinianam de Eucharistia doctrinam ex parte amplexi sunt, ex altera vero rejecerunt omnioo; cum Bucero uempe, & Calvino docuere, Christum non esse corporaliter in Eucharistia præsentem; unde verbum substantivum *Est* metaphorice, seu pro *Significat*, usurparunt; sed oegarunt 1. Eucharistiam esse gratiæ sigillum, figuram efficacem, Christum realiter præsentem nobis ea suffici, & alia hujusmodi, quæ maximo cum apparatu Bucerus, & Calvinus ipsi tribuunt: Id videre est in VoKelio Socioiano, qoi sic de eorum doctrina loquitur, *Cujus quidem opinionis falsitas, vel hoc solo convincitur, quod non solum Christi verbis nequaquam continetur, sed & cum sanæ mentis ratione pugnat*. Negarunt 2. pronomen *Hoc* sumi pro pane, pugnat enim cum ratione, quod panis pro figura, aut imagine corporis humani accipiatur, cum inter ipsum, & humanum corpus nulla sit similitudo; asseruerunt igitur illud pronomen sumi pro tota actionum serie, quam Christus Eucharistiam instituens, & egit, & præcepit, seu contenderunt ipsum accipi debere pro paois fractione, distributione, manducatione; hunc itaque verbis Evangelicis sensum affinxerunt, Hoc *id est fractio panis, distributio, manducatio*, Est, seu *significat* corpus meum, *non absolute quidem sumptum, sed prout affigendum est cruci*. Suam expositionem ex eo confirmat, quod Scriptura, (quam ouam doceot esse fidei regulam) cum agit de Eucharistia, nou alterius finis meminerit, quam commemorationis mortis Dominicæ, aut unionis fidelium inter se, *Hoc facite* (inquit Christus) *in meum commemorationem*, seu (ut illi ioterpretantur) *cum ritum a me institutum peragetis, præcipio, ut mortem, quam passurus sum, ponatis vobis ob oculos*. Idem (inquiunt) præcipit Paulus cum hæc ait, *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*.

In illud Socinianorum systema, quædam observata velim 1. merito ab iis explodi magnifica verba, quibus Bucerus, & Calvinus effectus Eucharistiæ describuot, neque enim id significaut, quod iis significatum voluere, ut meditaoti patebit. 2. Socinianos captiosæ Buceri, & Calvini locutionis sensum assecutos oon fuisse; neque enim quidpiam revera adscripserunt Eucharistiæ, quod animo compreheodi facile nou possit; iis scilicet terminis oihil aliud voluere, quam hæc tria, quod Fideles, cum fiunt participes cœoæ Dominicæ, de Christo cogitent, ac eum sibi per actus fidei præsenrem efficiaot, quod Christus, dum excitat actus fidei, in eorum corda per suum Spiritum agat, quod mutuum; illud Christum inter & fideles commercium, ita fideles cum Christi corpore conjungat, ut illius conjunctionis virtute, membra corporis Christi efficiantur, & appellentur. 3. Calvioistas, si verum sit solam Scripturam esse fidei, ac morum regulam, nihil omnino posse in Sociuianorum de Eucharistia doctrinam; neque enim laudare possunt apertum aliquem Scripturarum locum, quo Euchatistiæ concilient efficacem illam virtutem, quam censent ita ipsi esse essentialem, ut tum in concordia Vvitembergensi, tum io fidei confessionibus, quas in Francia, Anglia, Scotia sæpius ediderunt, tum in Oecumenica eorum Dordretana Synodo, auathema iis dixerint, qui efficaciam illam ausi fuerint a symbolis Eucharisticis rejicere. Et sane iu hisce verbis Evangelicis, *Hoc est corpus meum*, sumptis io sensu metaphorico, nullam reperire est efficaciæ promissionem, nisi tamen quis sic insulse philosophetur, *Hoc, sive panis, est figura corporis Christi. Ergo Christi corporis gratiam & continet, & confert*. Quasi vero figuris conveniat, ut rei, quam adumbrant, cootineant virtutem. Ex sexto Joannis capite efficaciam, de qua agitur, Calvinistæ adstruere non possunt, cum una cum Lutheranis fateantur, Joannem eo loci non de Eucharistia, sed de Incarnatione locutum fuisse: Nec eam pariter evinciuot ex hac Apostoli sententia (ut volunt) metaphorica, *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* vel eoim (ot Oecolampadio placet) significat communicationem in signo corporis Christi, seu pane, quo adumbretur naturale Christi corpus, vel (ut voluit Zuinglius) in signo, quo mysticum Christi corpus, seu fidelium societas sub uno capite Christo repræsentetur. At ex neutro illo seosu efficacia Eucharistiæ colligitur, quasi vero hæc argumentatio valeat, qui Eucharistia reficitur, fit particeps signi corporis Christi, aut naturalis; aut mystici: Ergo ex Euchatistia singularis efficacia in eom defluit.

Ex iis, quæ toto hoc articulo dicta sunt patet 1. ante Joannem Scotum Erigeoam, seu ante nonum Ecclesiæ sæculum, nullum ex iis Christianis, quibus probata fuit incarnationis veritas, asseruisse Christum non esse corporaliter præsentem in Fucharistia. Patet 2. A Scoto Erigena seu a nono sæculo ad Berengarium usque, neminem quoque repertum fuisse, qui id asseruerit. Patet 3. Sectarios, qui post duodecimum sæculum id propugnarunt, nulla societatis fraternitate cum Zuinglianis, & Calvinistis colligatos

tos fuisse, quippe qui molta alia capitalia dogmata probaverint, quibus Zuingliani, & Calvinistæ non subscribunt. Patet 4. Calvinistas, si stent suis principiis, non posse confutare Socinianos, quibus Eucharistia nudum est, ac expers cujuslibet efficaciæ signum. Patet 5. unam Ecclesiæ Catholicæ de Eucharistia fidem veritate niti, cum sola sit, quam quovis sæculo fideles professi sunt, cum ejus principiis opus sit, ut sectariorum sibi invicem adversantium systema confundetur, id vero subsequentibus articulis est ostendendum.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Christi præsentia corporalis in Eucharistia possit ex Scriptura demonstrari?

Conclusio. Christi præsentia corporalis in Eucharistia potest ex Scriptura demonstrari.

Ut conclusionis nostræ vis asseratur; necesse est, ut probemus hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, sumi in sensu litterali, non vero in sensu metaphorico: quod quidem ut exequamur, proferemus 1. argumenta quibus rejicitur ille sensus metaphoricus: 2. precludentur adversariorum effugia: 3. fiet satis eorum objectionibus.

§. I.

Proferuntur argumenta quibus ab his verbis, Hoc est corpus meum, *sensus metaphoricus excluditur.*

Primum argumentum. Sensus metaphoricus, quem Sociniani, Calvinistæ, Zuingliani, Vviclefistæ Berengariani, & alii Joannis Scoti Erigenæ discipuli, his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, affingunt, multum est obscurus, & valde abstrusus: Ergo a genuino, ac germano omnino alienus est: Utraque enthymematis propositio seorsim est demonstranda.

Primo, Theologi antecedens hisce monumentis probant. Ille sensus est multum obscurus, & valde abstrusus, qui paucis se offert; qui semel traditus evanescit, nisi per frequentes instructiones foveatur. Atqui sensus metaphoricus verbis Evangelicis, *Hoc est corpus meum*, affictus 1. Paucis se offert; Nec enim a Christo ad hæc usque tempora venit in mentem Græcorum, qui quotidie vel in Scripturis ea verba legunt, vel in templis ex liturgiis audiunt; Latinis quoque ad Scotum usque Erigenam plane inauditus fuit; propositum nono sæculo ab illo scriptore, & undecimo, a Berengario, omne omnino Latinorum Ecclesiæ rejecerunt. 2. Eumdem metaphoricum sensum non esse obvium verba Evangelica audientibus, evincit Zuinglii testimonium; quippe qui testetur a se, cum jam interius a Catholicis defecisset, per quatuor annos sedulo quæsitum, nec tamen inventum nisi in Epistola Hunnii, qui apud Batavos de eo argumento scripserat. Lutherus nihil non tentavit, ut in eum detorqueret Christi sententiam; At præ rei evidentia, suæ menti vim eam inferre non valuit, id licet in ardentissimis votis haberet, contestatus (ut ipsemet ait) se ea explicatione maximum Papatui illaturum detrimentum. 3. Ille sensus semel traditus, nisi iteratis sermonibus foveatur, evanescit ex animo. Bucerus & Capito Argentoratum, Augustam, nonnullasque alias urbes Imperiales, quibus ministri præfuerant, illum edocuerant: at ubi illis Pseudo-Evangelii prædicatores post initam Vvitemburgii cum Lutheranis concordiam, Oeconomiæ causa temperarunt ab hujusmodi sensu auditoribus obtrudendo, mox dictæ civitates Imperiales sensum oppositum, realitatis scilicet, amplexæ sunt, ita ut non multo post Petrus Martyr, & Zanchius Argentorato ejecti fuerint, quod in suis concionibus sensui metaphorico fuissent patrocinati, asseruissentque hæc Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, sic reddi debere, *Hoc* (idest panis) *Est*, sive repræsentat, *corpus meum*.

Secundo, Iidem Theologi Catholici probant enthymematis, de quo agitur, consequentiam; nempe sensum obscurum, ac obstrusum, ab his Christi verbis esse alienum maxime; Probant (inquam) tum ex re ipsa, quam Christus dum illa proferret verba peragebat, tum ex personis, quas alloquebatur, tum denique ex modo quo Evangelistæ factum illud enarrant. 1. Si rei ipsius, quam Christus peragebat, habeatur ratio, Christum clare, ac simplici sermone loqui oportuit; novi nimirum Testamenti Sacramentum instituebat, condebat legem, inibat fœdus, unum docebat e primariis Christianismi dogmatibus, præceptum fidelibus imponebat. At ista omnia non nisi perspicuis, simplicibusque terminis exprimi solent, ut colligitur ex aliis Scripturæ locis, in quibus aut Sacramenti, aut legis, aut fœderis institutio refertur. 2. Si ad personas, quibuscum tunc Christus agebat, attendamus, obscura sententia uti non debuit; Dilectos scilicet Apostolos alloquebatur, ac imponebat præceptum futuris ad finem usque sæculorum fidelibus, quibus, cum Deus esset, eam inusitatam obscuritatem parituram esse dubium, ac creaturarum esse molestiam prævidebat. 3. Si sacrorum Scriptorum habeatur ratio, evidens est quoque Christum verbis obscuris usum non fuisse; Matthæus nimirum, Marcus, Lucas & Paulus iisdem omnino terminis referunt hæc Salvatoris verba, *Hoc est corpus meum*. Id tamen non soliti sunt factitare in rebus subobscuris, in iis nempe plerumque unus alium exponit, & præsertim cum est quæstio de Sacramento, fœdere, aut præcepto quod sancitum sit.

Secundum argumentum. Sensus metaphoricus his Evangelicis verbis, *Hoc est corpus meum*, affectus non obscurus est modo & inusitatus (ut mox ostensum est) sed etiam omnino falsus: Ergo rejiciendus est. Probatur antecedens. Tunc sensus metaphoricus est omnino falsus, cum res significata affirmatur de signo, quod ab auditoribus perpenditur non tamquam signum, sed tamquam res positiva & absoluta; sic stulte loqueretur qui sine prævia auditorum præparatione, aut saltem sine subsequenti expositione absolute, & simpliciter affirmaret de quercu quod sit Alexander Magnus, aut de cane quod sit Rex Cyrus; Econtra vero sapienter loqueretur qui ratus auditorem sumere rem quamdam ut signum est, non autem ut in se est, absolute de illa rem significatam simpliciter affirmaret, v. g. si de tabula geographica diceret quod sit Italia aut aliqua alia orbis regio: Nec mirum, ei enim qui id enuntiaret, persuasum esset auditorem, quem alloquitur, perpendere tabulam hujusmodi non ut rem aliquam absolutam, sed tamquam signum seu alterius rei imaginem, ita ut si auditor ille quæreret, *Quid sit illa tabula*, respondens sic intelligeret, propositam sibi quæstionem, *Quid exhibet hujusmodi tabula*; Atqui in adversariorum suppositione, Christus sine prævia auditorum præparatione, & absque subseqenti expositione affirmaiset rem significatam, seu corpus suum, de re, quam sciebat ab auditoribus, discipulis nempe, sumi tamquam rem positivam & absolutam, non vero tamquam signum; siquidem cum panis non sit signum naturale corporis humani, Christus judicare non debuit quod a suis Apostolis tamquam signum arbitrarium, seu ex instituto, sumeretur, nisi de facta a se ipso signi illius institutione eos monuisset, aut panem in ore Christi tamquam signum accipiendi locum aliunde non habuissent. Adversarii, quos illud argumentum urget quam maxime, respondent, Apostolis panem pro signo sumendi locum adfuisse ex iis sacrorum codicum textibus, in quibus verbum substantivum, *Est*, metaphorice, non vero proprie sumitur. Sed facile præcluditur effugium hujusmodi, ut ex subsequenti paragrapho fiet perspicuum.

§. II.

Præcluduntur effugia quibus Calvinistæ Catholicorum argumentis contra metaphoricum sensum verborum Evangelicorum, vim detrahere conantur.

Effugia quibus Adversarii utuntur ut declinent vim argumentorum, quibus Catholici sensuum metaphoricum ab his vetbis, *Hoc est corpus meum*, excludunt, nituntur vel somniis, quæ in antiquo testamento referuntur, vel parabolis, quæ continentur in novo, vel expressionibus sacramentalibus, seu quibus Deus usus est cum Sacramenta vel in nova, vel in antiqua lege instituit; Atqui nec ex somniis quæ vetus testamentum recenset, nec ex parabolis quæ leguntur in novo, nec ex expressionibus Sacramentalibus, quibus sacri codices uti consueverunt, Apostoli locum habuerunt accipiendi in his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, verbum *Est* pro verbo *significat*.

Et quidem 1. non ex somniis, quippe quod ideo verbum *Est* metaphorice, seu pro signo sumatur, quod is qui somnium exponit, certo sciat eum cui loquitur, somniorum res perpendere tamquam signa, quibus aliquid repræsentetur; videt nimirum tacitam hanc in auditoris mente quæstionem, *Quid sibi vult illud somnium? Quid significant res, quæ per illud visæ sunt?* Sic Daniel ubi audiit ex Nabuchodonosor Rege sibi per somnium visam fuisse statuam, cujus caput aureum erat, sapienter, seu juxta humanæ locutionis leges, sic illi respondit: *Tu caput es illud aureum*; merito quippe judicabat quod Nabuchodonosor Rex caput sibi visum in somnio sumerent non tamquam rem absolutam, & positivam, sed tamquam signum, quo nonnihil absconditum exhiberetur; Danieli persuasum fuit quod Nabuchodonosor suum somnium aperiens, sic illum tacite & virtualiter interrogaret, *Quid significat caput illud aureum, quod mihi visum est in somnio?* Sed ex nullo capite evinci potest, Apostolos, auditis hisce terminis, *Hoc est corpus meum*, tacitam hanc quæstionem in ultima cœna proposuisse, *Quid significat ille panis, quem tuum esse corpus affirmas?* Probari pariter non potest eos tunc considerasse panem, non tamquam rem absolutam, sed tamquam signum, cum panis passim ac vulgo, seu in communi usu loquendi, non ut signum, sed ut positiva res accipiatur.

Neque 2. Evangelii parabolæ argumentum Apostolis sufficiebant, verbum substantivum, *Est*; accipiendi metaphorice in his Christi vetbis, *Hoc est corpus meum*; Et sane parabola est essentialiter quoddam ænigma, in quo iis, quibus proponitur, certo sciunt quemlibet ænigmatis terminum, ideo adhibitum esse ut quidpiam significet: idque ex ipsomet Evangelio perspicuum est, eo nempe docemur, Apostolos, cum non intelligerent zizaniorum parabolam, sic Christum interrogasse, *Edissere nobis parabolam zizaniorum*, quasi dixissent: Scimus terminos, ex quibus zizaniorum parabola constat, sumi debere tamquam signa quibus aliquid significatum voluisti, sed quid id sit, cum nos lateat, velis nobis edissere. Ut igitur valeat hæc Zuinglii ratiocinatio, Verbum *Est* in Evangelii parabolis metaphorice, seu pro *Significat* accipitur: Ergo & in istis Christis verbis, *Hoc est corpus meum*, metaphorice sumitur; Ut (inquam) valeat, probet oportet Zuinglius Christum verba ista, *Hoc est corpus meum*, in aliqua parabola Apostolis proposuisse; Sed hoc assequetur numquam, cum Christus ea unde omnino simpliciter, & absolute in ultima cœna protulerit.

Neque 3. expressiones Sacramentales, quibus Scriptura nonnumquam utitur, Apostolis præbuerant locum verbum substantivum *Est* pro *significat* sumendi in hac Christi sententia, *Hoc est corpus meum*; Quamvis enim in iis Sacramentalibus expressionibus, seu cum Scriptura de Sacramentis loquitur, verbum *Est* sæpe pro *Significat* accipiatur, id tamen numquam contigit, nisi ubi Scripturæ fuit locus judicandi eos, quos alloquebatur, sumere terminos illos non pro rebus, sed pro signis tantum; Sacer nimirum textus usurpavit humanum loquendi morem, cujus præcipua est hæc regula, nempe ut res significata de signo non affirmetur, nisi exploratum sit, signum ab auditoribus non sumi pro re, sed pro signo, quo nonnihil repræsentetur. Assertum illud adversarii haud dubie inficiabuntur: unde operæ pretium est ut ipsum confirmemus ex iis etiam scripturarum exemplis, quibus suo sensui metaphorico authoritatem conciliare conantur.

Adversarii plerumque argumentantur ex Circumcisione, quam dicunt appellatam fuisse simpliciter signum, quod Deus cum Abrahamo ejusque posteris iniit, *Hoc est pactum meum* (inquit Deus Geneseos 17. cap.) *quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te*. Circumcidetur ex vobis omne masculinum. Ergo a pari (inquiunt) Christus Sacramentum instituens simpliciter ac sine prævia præparatione, aut explicatione subsequenti, dicere potuit panem esse, seu significare suum corpus.

Sed 1. falsum supponunt; hæc enim verba versus decimi, *Pactum meum*, non affirmantur de Circumcisione, quasi dictum sit, *Circumcisio est pactum meum*, quemadmodum dictum est a Christo, *Hoc* (sive panis) *est corpus meum*, iis Geneseos verbis ipsummet Dei cum Abrahamo pactum seu fœdus proponitur, ita tamen ut Circumcisio futura esset illius conditio, *Hoc est pactum meum*, seu ideo vobiscum fœdus, sed ea lege ut daturi sitis Circumcisionem omni masculino, *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*. 2. Versu undecimo, quo Circumcisio vocatur fœdus, id non fit simpliciter, seu fœdus de circumcisione, sine addito non affirmatur, imo expresse dicitur quod sit SIGNUM fœderis, quod Deus cum Abrahamo inierat versu decimo, *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in* SIGNUM *fœderis inter me, & vos*. Si igitur Christo propositum fuisset in ultima cœna, panem instituere tamquam signum, quo corpus illius deinceps significaretur; par fuisset ut id diceret clare & perspicue, cum verisimile non sit Christum, cum instituit Sacramentum præcipuum novæ legis, quæ quidem lex est lucis ac veritatis, obscurius locutum fuisse quam cum legis antiquæ, quæ umbrarum lex erat atque figurarum, Sacramenta promulgavit. 3. Licet adversariis detur Circumcisionem, cum primum instituta est, simpliciter ac sine addito, fœdus Dei cum hominibus in Scripturis appellatam fuisse; non inde colligent, Christum cum Eucharistiam instituit, simpliciter affirmaturum fuisse corpus de pane, dicendo quod panis esset suum corpus sumendo verbum *Est* pro *Significat*. Ratio est, quia quemadmodum res quædam sunt, quarum natura in eo posita est, ut alias res exhibeant, seu sint illarum signum, ut in carta geographica, somniis & parabolis videre est: Ita etiam res aliæ quædam sunt, quæ ex se exigunt signa quædam, quibus repræsententur; hujusce generis sunt fœdera, quæ cum spiritualia sint, exhibeantur oportet per res quasdam exteriores, ut scilicet in eorum memoria inter quos inita sunt, permaneant, ac conserventur: unde nullam in orbe gentem reperire est, quæ inita a se fœdera non conjunxerit cum certis rebus exterioribus, quibus significarentur: Deus ipse legem illam post diluvium servavit, initi nempe cum Noemo pacti monumentum, & signum instituit arcum cœlestem; fœdera igitur ejus sunt naturæ, ut insito omnibus hominibus more repræsentari soleant ne excidant e memoria. Atqui corpus humanum, quale fuit corpus Christi non exigit pane significari, nec ipsum, antequam Christus Eucharistiam institueret, homines pane repræsentarunt unquam; proindeque non docuit Christum, qui humano more loquebatur, præcepisse ut sic exhiberetur, cum dixit, *Hoc est corpus meum*.

Zuingliani, quos hic impugnamus, in patrocinium sensus metaphorici, quem verbo *Est* affingunt in Evangelicis vetbis, laudant illud Exodi 12. quo agnus

Ta-

Paschalis Phase seu transitus Domini dicitur; *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, teneatis baculos in manibus, & comedetis festinantes; est enim Phase idest transitus Domini*. Eo loci (inquiunt) verbum substantivum *Est* pro verbo *Significat* sumitur, quod nempe esus agni paschalis Sacramentum esset apud Judæos; quid igitur impediit ne Apostoli metaphorice verbum *Est* sumerent in verbis, quibus Christus Eucharistiæ Sacramentum instituit.

Sed 1. Adversariis reponi potest, quod falsum supponant, agnum scilicet paschalem dici signum transitus; seu quod transitum repræsentet, conceptis quippe terminis versu 27. Scriptura eum *victimam* transitus appellat, *Dicetis eis, victima transitus Domini est*, seu quæ die, qua celebratur hujusmodi transitus, immolari debeat; Hebræis familiare fuit victimas iis nominibus appellare, quibus appellabantur aut dies, quibus solebant offerri, aut finis propter quem immolabantur: sic sacrificia quæ offerebantur pro pace dicebantur *Pacifica*; quæ vero pro peccatis, simpliciter *Peccatum* appellabantur. Antequam igitur Calvinistæ illo exemplo in Catholicos utantur, probandum eis incumbit panem, quem Christus gerebat præ manibus, fuisse victimam, Christi autem corpus fuisse illius sacrificii finem, quod quidem præstare tentabunt numquam, cum absurdum sit quam maxime. 2. Dato quod hæc Exodi verba, *Est enim Phase Domini*, sic reddi possint: *Et signum transitus Domini*, non inde tamen sequetur Evangelica, *Hoc est corpus meum*, sic reddi posse, *Panis est signum mei corporis*. Ratio est, quia cum Moyses agnum paschalem simpliciter *transitum* appellavit, judicavit cum fundamento Israelitas, quos alloquebatur, agnum illum, non pro re absoluta, sed pro signo sumere: Enim vero sat illos verbis præcedentibus monuerat agnum hujusmodi, signum esse quo Domini transitus exhiberetur; præceperat scilicet capitis initio ut quisque sepositum apud se haberet agnum, quem quatuor post diebus immolaret; Injunxerat cæremonias sigulares, quæ in esu illius essent adhibendæ. Is cæremoniarum insolitarum apparatus Judæos ad tacitam hanc quæstionem haud dubie moverat: *Quid sibi volunt ea omnia, quid illæ cæremoniæ significant*, ac proinde cum Deus per Moysen illarum cæremoniarum hanc rationem reddidit, *Est enim Phase Domini*, ad tacitam Judæorum quæstionem respondit, seu dixit, eas cæremonias esse signum transitus Domini, seu quo Israelite domini transitum ob oculos suos ponerent. Ita verum est insolitas illas cæremonias excitasse in Israelitarum mente quæstionem hanc, *quid significarent*, & hæc Dei verba, *Est enim Phase Domini*, ejusdem quæstionis esse responsum, ut utrumque Scriptura ipsa versu 27. declaravarit. *Et cum dixerint vobis filii vestri, Quæ est ista religio? Dicetis eis, victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos Israel liberans*. Placet hic sciscitari ab adversariis quid simile verbis illis; *Hoc est corpus meum*, Christus in ultima cœna præmiserit, quo judicarent tacitam hanc quæstionem in Apostolorum mente exortam fuisse, *Quid significat ille panis?* quasi vero quidpiam insolitum esset quod Christus acciperet panem, benediceret, ac distribueret cum gratiarum actione.

Calvinistæ sensui suo metaphorico authoritatem ex Paulo adsciscunt. Paulus (inquiunt) 1. ad Corint. 14. hæc ait, *Petra autem erat Christus*, quibus quidem in verbis cum verbum *Erat* sumatur pro *Significat*, pro eodem etiam in Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, accipi potest.

Sed 1. Pluribus Patribus visum est in Apostolica propositione: *Petra autem erat Christus*, vocem *Petra* non esse subjectum, sed predicatum, ita ut Petra de Christo hac ratione prædicetur, *Christus autem erat Petra*. At in ea propositione, *Christus erat Petra*, verbum substantivum non sumitur pro *Significat*, neque enim dici potest Christum significare Petram, sed hoc unum asseritur, quod Christo, Ecclesiæ respectu id conveniat quod petræ convenit respectu ædificii, cujus est basis, ac fundamentum. 2. Dato quod Petra sit subjectum Apostolicæ propositionis, non inde tamen adversarii probarunt sensum metaphoricum affingi posse his Evangelicis verbis: *Hoc est corpus meum*. Ratio est quia antequam Paulus Christum de Petra affirmaret, seu antequam diceret quod Petra esset Christus, præparat Epistolæ lectores ut Petram acciperent pro signo: jam enim Christianorum baptisma sub maris ac nubis figuris exhibuerat: *Omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari:* Jam docuerat manna quod quondam pluit in deserto, & aquam, qua Israelitæ potati fuerant, accipi debere non pro rebus absolutis, sed pro signis, quippe qui & manna, & aqua quidpiam spirituale contineri declarat. *Omnes* (dixerat versu 3.) *eamdem escam spiritualem manducaverunt, & eumdem spiritualem potum biberant; bibebant autem de spirituali consequente eos Petra*; Mirum igitur non est quod exponens mysterium in manna & in aqua propositum, hæc subjunxerit: *Petra autem erat Christus*, sive *ea Petra de qua hactenus institui sermonem, signum erat & figura Christi*. Jam autem velim adversarii recenseant ea quibus Salvator Apostolos præparat, ut in his verbis: *Hoc est corpus meum*, panem non pro re, sed pro signo sumerent.

Ii, quos impugnamus pro sua metaphorica verborum Evangelicorum expositione proferunt hæc, quæ apud Lucam Christus de calice dixit: *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine*. In ea (inquiunt) Christi propositione, verbum *Est* sumitur pro *significat*., neque enim calix realiter, ac substantialiter est Testamentum. Ergo in hac alia: *Hoc est corpus meum* verbum *Est* metaphorice pariter accipitur.

Verum sciant adversarii a figura ad aliam figuram argumentum non concludere: nonnullæ enim sunt quæ humanæ locutioni conveniunt: aliæ vero quæ ab ea ita distant, ut nonnisi insulse proferri possint; igitur expendendum est, num ejusdem generis sint & quæ habetur hac apud Lucam sententia: *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine*, & quam adversarii fingunt in Evangelicis verbis: *Hoc est corpus meum* 1. Connexio quædam est omnibus nota, ac relatio omnium populorum consensu firmata inter sancitum fœdus, & illius signum demonstrativum; ac proinde de illo fœdere signum ipsum sine prævia auditorum præparatione simpliciter affirmari potest. At (ut sæpius observatum est) nulla est relatio naturalis; nulla omnino quæ populorum consensu confirmata sit est connexio, inter corpus humanum, & panem. Fœdus cum quidpiam sit spirituale, exigit signa exteriora, quorum beneficio illius memoria inter confœderatos conservetur; Sed corpus humanum non est hujusmodi. Si quæ sit obscuritas in his apud Lucam verbis, *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo*, sublata fuit omnino Matthæi, & Marci narrationibus, quibus constat Christum hisce verbis clarissimis usum fuisse, *Hic est sanguis meus novi Testamenti*. Unde dicendum est vel Lucam modo metaphorico, sed communi tamen, retulisse verba quæ Christus sine metaphora protulerat; aut per Matthæum & Marcum Spiritum sanctum explicuisse metaphoram, quæ apud Lucam legitur. At nullus ex Evangelicis explicuit metaphoram, quam adversarii hac Christi sententia, *Hoc est corpus meum*, contineri fingunt, nemo dubitat quin Christus hisce simplicibus terminis, *Hoc est corpus meum*, usus sit.

Heterodoxi sensum metaphoricum, quem propugnant, ex eo tuentur, quod (inquiunt) Christus ubi protulit hæc verba, *Hoc est corpus meum*, alia subdidit, quibus metaphoram explicuit; hæc nimirum (Luca teste) mox subjecit, *Hoc facite in meam commemorationem*, quasi dixisset, quæ mox dixi de pane, nempe quod sit corpus meum, non in re, sed in figura sumenda sunt.

Sed hallucinantur Sacramentarii, neque enim hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, horum priorum, *Hoc est corpus meum*, explicativa sunt. Nam 1. Explicatio propositionis, cujus termini insuitatum metaphoricum sensum continent, est de essentia ejusdem propositionis; unde prætermitti non potest, quin insulsa remaneat propositio;

sic si quis sine prævia auditorum præparatione hanc sententiam proferret, leonem ostendens, *Leo ille est corpus unius e meis necessariis*, nec statim hanc explicationem subjungeret, *Utor illo leone tamquam signo, quod in mea mente amici memoriam conservet*, ille (inquam) modo derisorio & stulto loqueretur, nec integra, utpote sensus expers, esset illius propositio. Atqui hæc, quæ habentur apud Lucam, verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, non sunt de essentia hujusce præcedentis propositionis: *Hoc est corpus meum*; Alioquin dicendum foret, mutilam esse ac sensu vacuam apud Matthæum, & Marcum, qui expositionem, *Hoc facite in meam commemorationem*, omnino prætermiserunt, nec quidquam addiderunt quod æquivaleat. 2. Detur adversariis quod hæc apud Lucam sententia, *Hoc facite*, *&c.* hanc priorem, *Hoc est corpus meum*, explicet; non excludit tamen sensum litteralem, nec mentem necessario determinat ad metaphoricum; si enim sensum litteralem excluderet, id ex eo contingeret, quod homines dicantur memoriæ commendare non quæ præsentia sint, sed quæ absentia; quod dicantur eorum dumtaxat meminisse quæ absentia sint, non quæ præsentia. Sed id quam falsum sit quisque potest proprio experimento comprobare, quemadmodum enim Dei ipsius ubique intime præsentis, non raro obliviscimur, ita & recte dicimur quod aliquando illius meminerimus; idque oritur ex eo quod, cum spiritualis sit, sensus nostros non afficiat: Ergo a pari, cum corpus Christi non sit modo sensibili, licet tamen reali, præsens in Eucharistia, recte & proprie dici potest, quod ejus aut obliviscamur, aut meminerimus, ac proinde præceptum, quo illius meminisse jubemur cum accedimus ad Eucharistiam, non excludit ab eodem Sacramento corporalem Christi præsentiam.

Tandem sensus metaphorici defensores ajunt Apostolos ad eum sat determinatos fuisse, ex eo quod certo scirent Christum his verbis, *Hoc est corpus meum*, Sacramentum instituere, Sacramenta vero esse essentialiter quidpiam, quod alterius rei sit signum sensibile,

Verum ut adversarii concludant, hæc Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, in sensu metaphorico sumi debere, necesse est, ut probent, Eucharistiam, si corpus Christi substantialiter ac realiter contineat, non esse Sacramentum, si enim idea Sacramenti cum idea realitatis corporis Christi componi possit, non est cur idea Sacramenti excludat Christi corporis realitatem. Sed adversarii id probare non possunt; nam supposita realitatis idea quam Apostoli auditis his verbis, *Hoc est corpus meum*, habebant in mente, ac aliunde cum perspicerent panis,& vini species adhuc remanere, locus fuit ipsis perpendendi hujusmodi species tamquam Sacramentum, seu tamquam signum sensibile rei alicujus quæ sensus fugeret, corporis nempe, & sanguinis Christi: Præterea sensibilis hujusmodi specierum a se invicem separatio non obscure adumbrabat futuram in passione sanguinis a corpore separationem: proindeque idea Sacramenti nulla ratione in Apostolis ideam realitatis.

§. III.

Occurritur argumentis, quæ pro sensu metaphorico Sacramentarii ex Scriptura desumunt.

OBjicies 1. Tota ratio cur Catholici contendant Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia, horum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, litterali explicatione nititur. Atqui hujusmodi explicatio litteralis admitti non debet, quippe quæ in ipsis terminis contradictionem involvat, illius scilicet attributum subjecto repugnat essentialiter: & vero vel pronomen, *Hoc*, quod quidem est subjectum propositionis, designat Christi corpus, vel aliquam substantiam vagam, & indeterminatam, vel panem, quem Christus gerebat præ manibus. Atqui neutrum dici potest: Nam 1, pronomen non designat corpus Christi, alioquin propositio, *Hoc est corpus meum*, foret identica, hunc nempe sensum redderet; *Corpus meum est corpus meum*; quod quidem quam absurdum sit, nemo non videt: 2. Non designat substantiam vagam & indeterminatam: cum de re singulari ac determinata, quam Christus præ manibus gerebat, attributum *Corpus* affirmetur. 3. Superest igitur ut pronomen, *Hoc*, pro ipsomet pane sumatur, ac hujusmodi sit propositioni sensus: *Hic panis est meum corpus*. Sed id asseri nequit, nam attributum, *Corpus meum*, si sumatur in sensu reali, subjecto, *Panis*, repugnat, alioquin enim panis esset panis,& non esset panis, cum essentia panis, & essentia corporis humani, sese ex mutuo conceptu invicem excludant.

Resp. pronomen, *Hoc*, designare 1. panem, si sumatur secundum significationem transeuntem, seu pro instanti reali quo profertur. 2. idem pronomen designare corpus Christi, si secundum significationem permanentem accipiatur, seu pro eo tempore, quo mens cum illo pronomine conjungit corpus Christi. 3. designare utrumque, sed sub idea confusa substantiæ singularis, & rei sub exterioribus speciebus.

His præmissis, ad quæ reducuntur omnia, quæ Theologi Catholici dicunt de eo, pro quo pronomen, *Hoc*, supponit in hac Christi propositione, *Hoc est corpus meum*; Dico 1. falsum esse quod sequatur propositionem esse identicam, quamvis pronomen, *Hoc*, secundum significationem transeuntem supponat pro Christi corpore, seu corpus Christi designet. Ratio est quia ut propositio dicatur identica, non satis est, quod attributum identificetur cum subjecto, alioquin omnis propositio, quæ vera sit, foret identica, sed præterea requiritur ut attributum non exprimatur clarius quam propositionis subjectum: In hac autem Christi propositione, *Hoc est corpus meum*, non ita se res habet, quippe quod Christi corpus per pronomen, *Hoc*, magis confuse exprimatur, quam per hoc propositionis attributum, *Corpus meum*. Eamdem ob rationem, hæc loquendi ratio, qua quis aurum demonstrando diceret, *Hoc est aurum*, non foret identica, quamvis, *aurum*, quod est illius prædicatum, sit realiter idem cum *Hoc*, quod est ejus subjectum.

Dico 2. verum non esse quod hæc propositio, *Hoc est corpus meum*, implicet in terminis, si pronomen, *Hoc*, in ea designet panem sumptum secundum suam significationem transeuntem. Ratio est, quia pronomen *Hoc*, sic acceptum, panem indicare desinit eo instanti, quo ultima hujus propositionis sillaba, *Hoc est corpus meum*, prolata fuit. Ea ratio confirmari potest argumento a simili; Si Christum, dum in nuptiis Cana aquam in vinum convertit, hanc protulisset propositionem: *Hoc est vinum*, pronomen *Hoc*, designasset aquam, saltem confuse, pro eo instanti quo Christus eam adhuc in propria natura existentem videbat: at idem pronomen *Hoc*, aquam denotare desiisset, incœpissetque designare vinum pro eo primo instanti, quo Christus advertisset factam aquæ in vinum conversionem.

Dico 3. absurdum quidem esse, quod pronomen, *Hoc*, in hac propositione, *Hoc est corpus meum*, substantiam vagam,& indeterminatam designet secundum objectum reale, seu existens a parte rei, sed non est absurdum quod eam designet secundum modum significandi ideæ, quæ illud objectum repræsentat. Explicatur, ac simul confirmatur ea responsio. Mens diversa objecta sibi solet exhibere sub idea confusa, quæ quidem una sit,ac remaneat, quamvis objecta a parte rei mutentur, sic enim se habet illa idea, ut quamdam in objectis successionem repræsentet. Potest enim hanc propositionem, *Hoc est vinum*, perpendere; perinde ac si hoc modo exprimeretur: *Quod in hoc instanti est aqua*, *hoc in alio instanti est vinum*; Mirum igitur non est quod in hac Christi propositione. *Hoc est corpus meum*, pronomen, *Hoc*, nec panem, nec corpus Christi clare designet, sed utrumque confuse tantum, & quidem pro diverso instanti, unde propositio a Christo prolata, eadem est omnino ac si Christus dixisset, *Hoc*, seu quod in hoc instanti est vinum, *est* in alio instanti *corpus meum*. Eant nunc

Cal-

Calvinistæ, & Theologos, qui docent pronomen *Hoc* supponere pro substantia vaga & indeterminata, tamquam individuo vagos traducant.

Objicies 2. Apostoli in sensu metaphorico sumpserunt hæc verba: *Quod pro vobis datur*, aut (ut habetur in textu Græco) *frangitur*, quæ quidem Christus his: *Hoc est corpus meum*, subjecit apud Lucam; Sed ideo metaphorice sumpserunt quod realis fractio corporis Christi, sensuum testimonio repugnaret: Ergo pariter metaphorice accipere debebant hanc sententia: *Hoc est corpus meum*, cum Apostolorum sensu id verum esse panem testarentur.

Resp. 1. Quæ brevi futura sunt, ut erat Christi passio, cum Eucharistiam instituit, posse enunciari in tempore præsenti, proindeque non fuit necesse, ut Apostoli hocce Christi verbum: *Quod pro vobis frangitur*, in sensu metaphorico sumerent, quasi Christus illud de suo corpore, prout erat in Eucharistia, dixisset; poterant nimirum de reali fractione intelligere, sed quæ in cruce contingeret; unde apud Paulum hujusmodi fractio verbo futuri temporis exprimitur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*,

Resp. 2. quod quamvis Apostoli relata verba: *Quod pro vobis datur*, aut (ut alii legunt) *frangitur*, in sensu metaphorico sumpserint; non inde tamen sequitur, quod præcedentia: *Hoc est corpus*, eadem ratione accipere potuerint. Ratio est, quia (ut sæpius jam observatum est) nihil prævium Apostolos determinarat ut ista verba, *Hoc est corpus meum*, figurative dicta intelligerent; e contra vero aliquid præcesserat, præsentia nimirum realis corporis Christi in Eucharistia, quod eos determinarat ut subsequentia: *Quod pro vobis frangitur*, sumerent metaphorice; nec enim Apostolos latere poterat, homines de re contenta id passim solitos esse affirmare, quod soli rei continenti convenit; sic id de homine (etiam in familiari loquendi ratione) nonnumquam dicimus, quod illius dumtaxat vestibus convenit; huncce ubique tritum loquendi morem ipse Christus usurpavit, qui ait: *Quis me tetigit*, loquens de muliere, quæ passa sanguinis effusionem, ex illius vestium contactu recuperarat sanitatem; nihil igitur vetat, quin Apostoli jam his verbis, *Hoc est corpus meum*, persuasi Christum esse corporaliter præsentem sub speciebus panis, fractionem, de qua Christus mox locutus est, de signo, seu de speciebus panis, intelligerent, ac proinde metaphorice sumerent fractionem hujusmodi. Illi solutioni robur ex eo additur quod non raro alicujus propositionis prius membrum sumatur ad litteram, quamvis posterius metaphorice tantum accipiatur; sic in Symbolo Apostolorum articulus iste, *Ascendit ad cælos*, verum est in sensu litterali, quamvis subsequens hoc ejusdem articuli membrum: *Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*, metaphorice dumtaxat intelligendum sit.

Objicies 3. Ut propositio sit vera, necesse est, ut objecti sui veritatem supponat: Ergo antequam ista, *Hoc est corpus meum*, a Christo proferretur, verum erat illius objectum, nempe quod panis esset corpus Christi: Sed id asseri non potest: contendunt scilicet communionis Romanæ Theologi, panem per illa verba, *Hoc est corpus meum*, mutatum fuisse in corpus Christi, quemadmodum nunc per ea mutatur, cum a Sacerdotibus proferuntur.

Resp. 1. Innocentium Papam III. antequam inauguratus fuisset Pontifex Maximus, scripsisse Christum per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, panem, quem gerebat præ manibus, non consecrasse, sed per actum internum suæ voluntatis; unde laudatus Papa concludebat Christum Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, de pane jam consecrato protulisse, ac proinde hanc propositionem: *Hoc est corpus meum*, propositionem esse mere speculativam; videantur quæ de ea quæstione diximus agentes de hujusce Sacramenti forma.

Resp. 2. propositionem mere speculativam, antequam proferatur, supponere quidem sui objecti veritatem, sed falsum est quod supponatur a propositione, quam practicam dicunt, cujusmodi est ista, quæ verbis Evangelicis: *Hoc est corpus meum*, continetur. Ratio est, quia objectum propositionis speculativæ est immutabile, & immobile, cum e contra objectum propositionis practicæ, mutationi obnoxium sit, ac tunc tantum incipiat permanenter se habere, cum ultima syllaba propositionis, sive mentalis sit, sive vocalis, est prolata; unde Moysis virga in serpentem conversa non fuit, nisi post illud instans, quo desiit hæc, quam in mente protulit propositionis: *Hæc virga est serpens*,

Objicies 4. Christus Matthæi 26. conceptis terminis asseruerat, se post mortem non fore cum Apostolis, *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*. Ea tam aperta sententia sat fuit, ut eosdem Apostolos determinaret, ut in sensu metaphorico hæc, quæ postea protulit verba: *Hoc est corpus meum*, acciperent; qua enim ratione illorum verborum sensum litteralem cum præcedentibus conciliassent?

Resp. illud argumentum, quod quidem Calvinus libr. 4. Instit. cap. 7. plurimum urget, nihil omnino probare, nam ut ea Christi sententia: *Pauperes &c.* Apostolos ad horum verborum.: *Hoc est corpus meum*, sensum metaphoricum determinatura fuisset, oportuit ut quamcumque Christi futuram in terris corporalem præsentiam excluderet, quod est falsum, exclusit nempe visibilem tantum, & secundum eum statum, in quo aliquid utilitatis ab hominibus accipere posset: Et vero de ea præsentia Christus locutus est, secundum quam ei non honorem modo Magdalena exhibuit, sed & aliquod commodi contulit; quippe quæ unctione membra Christi laboribus defatigata refocillarit. Quemadmodum igitur Christus per hæc verba Lucæ 24. *Hæc locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum*, significavit, se post resurrectionem non esse cum discipulis, licet cum eis colloqueretur, quod nempe jam humano more non esset: ita & asserere potuit Matthæi 26. capite, se post mortem non versaturum in terris, quod sensibili modo futurus non esset præsens: *Habuit illum Ecclesiæ secundum præsentiam carnis paucis diebus* post resurrectionem, (inquit Augustinus tractatu 50. in Joannem) *modo fide tenet, oculis non videt*.

Objicies 5. Pugnat corporalis Christi in Sacramento præsentia cum eo symboli articulo quo profitemur, *Ascendisse eum in cælos* juxta hæc Marci ultimo verba, *Assumptus est in cælum, & sedet ad dexteram Dei*; unde sic Calvinus argumentatur: *Scriptura testatur Christum, quod attinet ad naturam humanam, ascendisse in cælum, ibique mansurum usque ad diem judicii, & tunc demum, & non ante ad inferiora hæc loca rediturum: Non igitur verum est tam sæpe descendere ut sit in Eucharistia, ut Papistæ volunt*.

Resp. illud argumentum quod tanti momenti videtur adversariis, nullius revera esse: neque enim Christus e cælis descendit ut fiat præsens in Eucharistia; ejus nempe corpus ad Sacerdotis verba, juxta ipsiusmet Christi promissionem, reproducitur ut suo loco inferius dicetur. Advertat (quæso) lector, Sacramentarios qui traducunt nos quasi symboli articulum destruamus, in suam tamen communionem sæpius admisisse Lutheranos, qui articulum de corporali præsentia Christi in Eucharistia ad fidem pertinere contendunt.

Objicies 6, cum Zuinglio lib. de vera & falsa religione cap. de Eucharistia Joannis 6. hæc leguntur, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*. Ergo frustra Christus esset corporaliter præsens in Eucharistia, cum ex Joanne nullum fructum ex ea præsentia fideles colligere possint.

Resp. 1. cum Cyrillo & Augustino, non prodesse carnem qualem Capharnaitæ intelligebant in Christo, quæ nempe Divinitati conjuncta non sit, prodesse vero plurimum quam Spiritus vivificet: Joannes enim asserit: *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*; & postea: *Nisi manducaveritis ... non habebitis vitam in vobis*.

Resp. 2. cum Chrysostomo, *Carnis* nomine Christum apud Joannem non intelligere *suum corpus*, sed *carnales cogitationes*, quæ quidem tantum abest, ut ad mysteriorum intelligentiam conferant, quin potius eam impediant omnino. Judæi, quos eo loci Salvator urget, revocabant in dubium quæ Christus de suæ carnis

nis efu dixerat, quod nempe manducationem, non oralem modo quæ fit per trajectionem cibi in ftomachum, fed & ufualem quæ fit per ciborum comminutionem in frufta, præceptam intelligerent; carnalem effe ait cogitationem hujufmodi, ac proinde abjiciendam, quippe quæ (ut advertit Chryfoftomus homilia 46.) fons fit ex quo dubia in fidem plerumque fcaturiunt. Nec mirum, qui enim myfteria ex carnali cogitatione metiri voluerit, cœcutiet in eis omnino, de fingulis dubitabit ut facta prolixiori ænumeratione idem S. Doctor probat. Juvant eum fenfum quæ Chriftus addidit, *verba quæ locutus fum vobis Spiritus & vita funt*, quafi dixiffet, fpirituale eft omnino Euchariftiæ myfterium, de quo hactenus locutus fum, cum meum corpus, quod ea continetur, fenfus fugiat, nec illum valeat intueri mens humana, nifi per fidem illuftrata fit.

Confirmatur ea refponfio 1. ex eo quod quoties in Scripturis caro opponitur Spiritui, toties non pro humano corpore, fed vel pro infirmitate, vel corruptione, vel humana & carnali cogitatione fumatur, *Non permanebit Spiritus meus in homine* (inquit Deus Genefeos fexto) *quia caro funt*, ideft carnales, infirmi, corrupti. *Caro & fanguis non revelavit tibi* (ait Chriftus Petro Matthæi 16. cap.) *fed pater meus qui in cœlis eft*. Ad Romanos 8. Paulus fic loquitur: *Qui fecundam carnem ambulant*, iniquis nimirum affectibus fervientes, *& non fecundum Spiritum*, qui affectus illos comprimit.

Confirmatur 2. ex eo quod Patres antiqui res quæ maximam realitatem habent, dixerint & fpirituales, & myfticas, ut patet in unione duarum naturarum in Chrifto, quam Cyrillus Alexandrinus libr. 4. contra Neftorium, myfticam unionem appellavit; nihil ergo vetat, quin realis exiftentia Chrifti in Euchariftia & fit,& dicatur fpiritualis, tum quod omnipotentiæ Divinæ fit effectus, ficut Chrifti in Virginis finu conceptio, quam ob id Patres fpiritualem dixerunt, tum quod nec fenfus noftri agant in Chrifti corpus, nec corpus Chrifti in fenfus noftros; nihil vetat, licet maxime realis fit, quin dicatur myftica, quod nempe nec fenfus,nec humana ratio eam comprehendant, quod (ut ait Cyrillus) fe habeat tamquam meditatio Chrifti pro hominibus, tamquam fervi ad naturam Divinam exaltatio, quæ in incarnatione contigit. Ut igitur Sacramentarii his apud Joannem verbis, *Caro non prodeft quidquam &c. Verba quæ locutus fum vobis fpiritus, & vita funt*, præfentiam Chrifti corporalem in Euchariftia labefactent, non fatis eis eft ut opponant vocem, *fpiritus* voci, *Caro*, fimpliciter fumptæ, fed præterea oportet, ut oftendant ideam *Spiritus* excludere quamcumque *carnis*, aut *corporis* ideam, quod fane nufquam affequentur.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum conftanti Patrum traditione corporalis præfentia Chrifti in Euchariftia demonftretur?

NON hic defcribemus particulares quofdam Patrum textus, fed principia, quibus ufi funt, cum de Euchariftia inftituerunt fermonem: Ea autem principia ad quatuor reducemus: 1. ad Patrum filentium de metaphorico fenfu, quem Sacramentarii verbis Evangelicis affingunt: *Hoc eft corpus meum*: 2. ad rationes quibus ufi funt, ut fidelium circa Euchariftiam dubia expugnarent: 3. ad formulam, quam adhibuerunt Euchariftiam difpenfantes: 4. ad effectus, quos Sacramento adfcripferunt: 5. ad monumenta, quibus hæreticorum argumenta petita e Patribus folvuntur.

§. I.

An Corporalis præfentia Chrifti in Euchariftia poffit demonftrari ex filentio Patrum circa metaphoricum Sectariorum fenfum?

CONclufio. Præfentia corporalis Chrifti poteft demonftrari ex Patrum filentio de metaphorico Sacramentariorum fenfu.

Probatur. Si fenfus horum Chrifti verborum: *Hoc eft corpus meum: Hic eft fanguis meus*, effet metaphoricus, cum fit in terminis obfcurus, utpote adhibitus contra communem loquendi modum, nec occurrat menti ex ipfa terminorum apprehenfione, fed tantum poft feriam & diuturnam meditationem; fi (inquam) metaphoricus effet, aliqui e fanctis Patribus, cum de Euchariftia locuti funt, illum haud dubie expofuiffent, exclufiffentque fenfum litteralem. Atqui nullus ex Patribus illum expofuit, nullufque litteralem exclufit; Ergo falfo fenfus ille metaphoricus Chrifti verbis affingitur; ac proinde immerito ejufdem metaphorici fenfus auxilio, Corporalis Chrifti præfentia ab Euchariftia rejicitur. Minor propofitio ex eo conftat, quod adverfarii, licet fæpius poftulati, nufquam laudaverint textus, quibus ea expofitio contineatur. Itaque majorem propofitionem probemus oportet.

Nulla eft fere metaphora in Bibliis, licet maxime communis, quam Patres non explicuerint. Quod hæc Apoftoli fententia: *Petra autem erat Chriftus*, minus fit trita, Ambrofius, Hieronymus,ac Commentatores omnes antiqui dederunt operam ne quis ad litteram eam fumeret. Quod infinuata fit metaphora, in qua Apoftolus de Dei difpenfatione in filium ait: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: Chryfoftomus homil. 14. in Joannem exprefse afserit per vocem hanc *peccatum* intelligi *peccatorem*, ita ut Deus pater voluerit, ut filius tamquam peffimus peccator a Judæis haberetur. Ambrofius, Sedulius qui *peccati* nomine eo loci, *Victimam pro peccato* intellectam volunt, id conceptis terminis afferuere. Auguftini tempore, nonnulli ad litteram de Chrifto intelligebant hæc Pauli verba: *Factus eft pro nobis maledictum*, litteralem illum fenfum confutat S. Doctor, defendit vero metaphoricum, fed quem prius exprefse explicuerit. Scriptura fæpius de Deo loquitur perinde ac fi haberet oculos,cæteraque humani corporis membra; ne autem carnales quidam,aut imperiti eas fententias litteraliter intelligerent, Auguftinus multis in locis rejicit litteralem explicationem, fubjicit vero metaphoricam, quam data opera prolixius exponit. Ergo fi Patres metaphoram intellexiffent in verbis Evangelicis: *Hoc eft corpus meum, hic eft fanguis meus*, eam populos edocuiffent, ut fubfequentibus monumentis demonftratur.

1. Periculum maximum erat ne multi fideles iis verbis fenfum litteralem affingerent, ut fatentibus etiam Sacramentariis, a Pafchafio, feu a nono fæculo ad hæc ufque tempora affinxerunt omnes orbis Chriftiani provinciæ.

2. Patres nonnumquam Evangelica verba coram iis ufurparunt, qui fenfum metaphoricum in eis intelligere non poterant, utpote qui a nemine unquam illum fenfum audiffent; id videre eft in Juftino martyre, qui in fua fecunda pro Chriftianis Apologia de Euchariftiæ myfterio fic gentili Imperatori Antonino loquitur: *Non enim ut communem panem, neque communem potum ifta fumimus, fed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jefus Chriftus Salvator nofter, & carnem, & fanguinem falutis noftræ caufa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipfo perfecti gratiæ funt actæ, alimoniam, unde fanguis, & caro noftra per mutationem aluntur, incarnati illius Jefu carnem, & fanguinem effe docti fumus; Nam Apoftoli in commentariis a fe fcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiffe fibi Jefum; cum enim pane accepto, cum gratias egiffet, dixiffe*: Hoc facite in mei commemorationem, Hoc eft corpus meum. *& poculo fimiliter accepto, & gratiis actis dixiffe*: Hic eft fanguis meus. Infulfe admodum locutus eft Juftinus, fi fenfum metaphoricum in verbis Evangelicis intelligens, eum Antonino non aperuit, quippe qui ne de eo quidem cogitare potuerit, cum prorfus inauditum illi effet, quod panis effet humani corporis figura.

Nec valet quod heterodoxi refpondent, Antoninum Imperatorem, Senatumque Romanum fat determinatum fuiffe ad fumenda Juftini verba in fenfu metaphorico ex ufu Gentilium, qui idola Deorum homine nuncupabant. Siquidem 1. ex Patribus, Gentiles

les credebant Deos, quos credebant, idolis realiter concludi. Antoninus igitur litteralem sensum in Justini sententia intelligere debuisset; ac proinde idem Justinus parum fuisset cautus, qui sensum metaphoricum non aperuisset Antonino. 2. Falsum est, quod Gentiles potuerint de pane Eucharistico id intelligere, quod intelligebant de idolis, idola nimirum ex omnium consensu, ex publica, ac solemni consecratione, destinata erant, ut essent deorum simulacra. An autem hujusmodi esset panis Eucharisticus, ne quidem suspicari poterant, cum nec a Justino, nec ab aliis edocti essent, Christum panem instituisse, ut sui corporis signum esset.

3. Patres hæc eadem verba: *Hoc est corpus meum*, tamquam fidei objectum sæpius proponunt: *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiam si sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit* (inquit Chrisostomus homil. 83. in Matthæum) .... *Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus vero noster decepta facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur: Quoniam ergo ille dixit,* HOC EST CORPUS MEUM, *nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.* Sic etiam Gaudentius Episcopus Brixiensis tractatu 2. de Exodo loquitur: *Quod annunciatum est credas, quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cùm panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait,* HOC EST CORPUS MEUM, HIC EST SANGUIS MEUS, *credamus cui credidimus, nescit mendacium veritas.* At insinuata propositio metaphorica simpliciter, & sine subjecta explicatione, tamquam articulus fidei proponi non debet, nec ut ille articulus credatur, nuda verba quibus metaphora continetur, urgeri debent; periculum enim est ne fideles sic in errorem inducantur, ut hisce exemplis evidens est; Numquid pastor sibi creditis ovibus esset offendiculo, si absque explicatione, eas sic doceret: *Cum Deus in Scripturis affirmet, oculos, brachia, nares Deo convenire, credendum est, quod habeat oculos, brachia, nares, cum hoc de se ipso asseras.* Scandalo pariter esset, qui diceret: *Scriptura de petra asserit, quod sit Christus, credendum est igitur, quod petra sit Christus.* Quæ mox tradita est regula, ita fuit explorata Patribus, ut nusquam ab illa recesserint, seu nullus e Patribus aliquam veritatem populis credendam proposuit, urgendo sine vel præcedenti, vel subsequenti explicatione, terminos metaphoricos, quibus ea veritas continetur.

Objicies. Quisque tamquam articulum fidei potest proponere hancce metaphoram, *Pauperes sunt Christus ipse*, ac pro eo articulo urgere hæc Christi verba, *Quamdiu fecistis uni ex his minimis, mihi fecistis*. Confirmatur ex eo quod Chrysostomus sæpius illa verba urgeat, ut persuadeat fidelibus eos cum eleemosynam pauperibus erogant, erogare ipsimet Christo, juxta illud ejusdem Christi in Evangelio; *Esurivi, & dedistis mihi manducare; Sitivi, & dedistis mihi bibere.* Ergo a pari, Patres sensum metaphoricum verbis Evangelicis contentum: *Hoc est corpus meum*, proponere potuerunt tamquam articulum fidei, & urgere eadem Evangelica verba, ut illum confirmarent.

Resp. negan. conseq. Ratio disparitatis est 1. quia Chrysostomus certo sciebat, auditores, quos alloquebatur, in hac propositione: *Pauperes sunt ipse Christus*, sumere verbum substantivum *sunt* pro *exhibeat*, noverant quippe, S. Doctorem exponere metaphoram a Christo de se ipso expositam, *Esurivi taim &c.* At Patres judicare non poterant fideles in Christi sententia: *Hoc est corpus meum*, sumere verbum *Est* pro *significat*, cum nec iis locis quibus urgebant Evangelica verba, nec alibi eos monuerint sic accipi debere. 2. Periculum non erat ne quis Chrysostomi de pauperibus propositionem sumeret ad litteram, quod nempe sensus metaphoricus esset clarissimus, cum e contra futurum fuisset urgens periculum, ne populi verba Evangelica, quæ Patres tamquam articulum fidei (ut adversariis placet) in sensu metaphorico proponebant, sumerent in sensu litterali, ut revera ubique gentium sumpsere.

§. II.

Utrum ex fidelium dubiis circa Eucharistiam, & ratione qua Patres illa expugnarunt, demonstrari possit corporalis præsentia Christi in Eucharistia?

CONclusio. Ratio, qua Patres Fidelium dubia circa Eucharistiam expugnarunt corporalem Christi in Eucharistia præsentiam demonstrat.

Probatur. Patres nonnumquam timuerunt ne dubium aliquod circa Eucharistiæ mysterium oriretur in Christianorum mentibus, & ideo impensius illud impugnarunt. Atqui illud dubium erat circa realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia: ergo, cum Patres illud idem dubium impugnaverint, oportet eos credidisse Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia. Probatur minor. Dubium, quod ex hac propositione, *Hoc est corpus meum*, oritur, potest esse vel circa expressionem, vel circa rem ipsam; Fidelium circa Eucharistiam dubium, quod Patres expugnarunt, propriæ duntaxat speciei fuisse Sacramentarii plerique contendunt; fatentur alii fuisse quidem circa rem ipsam, sed addunt illud dubium, fuisse dubium, aut *figuræ*, aut *efficacitatis*, non vero *realitatis*; Sed quantum aberrent subsequentia monumenta demonstrabunt.

Et quidem 1. dubium quod circa Eucharistiam Patres expugnarunt in fidelibus, non esse dubium expressionis sic ostenditur. Dubium quod *expressionis* vocant, in iis reperitur qui judicantes falsum esse sensum, quem termini propositionis præ se ferunt, & quem per se exhibent menti, nesciunt tamen quinam sit propositionis sensus: in ea dubii specie versaretur is qui sciens Deum esse omnino spiritualem, non assequeretur tamen sensum eorum Scripturæ textuum, qui Deo membra corporea tribuunt. Atqui fidelium circa Eucharistiam dubium non erat hujusmodi, seu Christiani de quibus agitur, scientes (ut ajunt Pseudo-Evangelii ministri) Evangelica verba: *Hoc est corpus meum*, falsum sensum, nempe Christi corporis realitatem, in se includere, non erant nescii quinam germanus esset eorum sensus. Nam species illa dubii non tollitur urgendo simpliciter terminos qui sunt causa dubii, sed tollitur tantum per illorum terminorum germanam explicationem. Sed Patres nequaquam explicarunt terminos hujus propositionis: *Hoc est corpus meum*, quæ in fidelibus quibusdam pariebat dubium, nusquam dixere verbum *Est* sumi pro *significat*, quo quidem verbulo omnia fidelium dubia compressissent; e contra ejusdem propositionis terminos, ex quibus dubium oriebatur, absolute ac simpliciter urgere solitierant, *Cum igitur Christus* (inquit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Mystagogica) *sic affirmet, atque dicat de pane: Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? At eodem quoque confirmante, & dicente, Hic est sanguis meus, quis unquam dubitet ac dicat, non esse illius sanguinem? ... Quarum cum omni certitudine corpus, & sanguinem Christi sumamus; nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, ut sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis.*

Præterea, Dubium quod Patres comprimere conati sunt, oriebatur ex oppositione, quæ inter testimonium suum, & hæc Christi verba: *Hoc est corpus meum, Hic est Sanguis meus*, reperitur, *Aliud video* (inquiunt illi fideles apud Ambrosium lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. 9.) *quomodo tu mihi asseris quod Christi corpus accipiam?* Atqui nemo nisi sit ratione destitutus, ex eo dubitare potuit an panis esset figura corporis Christi, quod sensus non ipsum corpus, sed panem apprehenderent, quem enim, vel obtusioris mentis, latet in signis, rem significatam sensibus non apprehendi, sed ipsum signum tantum.

Tandem si habeatur ratio argumentorum, quibus Patres usi sunt, ut illud fidelium circa hæc verba: *Hoc est corpus meum*, dubium expugnarent, invictissime colligitur dubium illud non fuisse, an panis esset figura corporis Christi; Patres nimirum usi sunt ratione petita ex omnipotentia Dei. *Quod si* (inquit Ambrosius de

ſius de iis qui myſteriis initiantur cap. 9.) *tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipſa conſecratione Divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? .... Incarnationis exemplo aſtruamus myſterii veritatem. Numquid naturæ uſus præceſſit cum Dominus Jeſus ex Maria naſceretur? ſi ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſuevit, liquet ergo quod præter naturæ ordinem virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt*. Non abſimili argumento Cyrillus Hieroſolymitanus utitur, *Aquam* (inquit Catecheſi 4. Myſtagogica) *aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate, & non erit dignus cui credamus quod vinum in ſanguinem tranſmutavit?* Sed inſulſa fuiſſet illa Patrum argumentatio, ſi dubium quod expugnabant, fuiſset ao panis eſset corporis Chriſti figura, quaſi vero omnipotentia, & miraculis opus fuerit, ut Chriſtus id egerit, quod penes eſt quemlibet hominem, inſtitutio nempe ſigni ſenſibilis, quo corpus ſuum repræſentet.

2. Dubium, quod Patres ex fidelium mentibus eradicare ſtuduerunt, oon erat dubium circa effectum Euchariſtiæ, ut quidam heterodoxi contendunt, aſſerentes perſuaſum quidem fuiſſe cunctis fidelibus verba Evangelica: *Hoc eſt corpus meum*, hunc ſenſum reddere, *Hic panis eſt figura corporis mei*, ſed quoſdam ſubdubitaſſe an figura illa efficax eſſet, necne.

Et ſane 1. nullus e Patribus, cum de expugnando hujuſmodi dubio quæſtio fuit, aſſeruit extitiſſe illud circa Euchariſtiæ effectum, ut aſſeruerunt tamen cum de dubio circa effectum baptiſmatis actum eſt, ut videre eſt in Gregorii Nyſſeni oratione quæ eſt de baptiſmo Chriſti.

2. Patres (ut jam ſuperius fuit obſervatum) dubium, de quo agitur, compreſſerunt urgendo Evangelica verba, *Hoc eſt corpus meum. Non infringamus os illud ſuaviſſimum, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, (inquit Gaudentius Brixienſis Tractatu 2. de Exodo,) *ſi quid autem ſuperfuerit etiam nunc in uniuſcujuſque ſenſu, quod expoſitione iſta non cœperit, ardore fidei concremetur*. At verba Evangelica ſi io ſenſu metaphorico ſumantur, parum apta ſunt quæ dubium de efficacitate panis Euchariſtici tollant ex animis fidelium; non enim valet hoc argumentum quo (ex adverſariis Patres uſi ſunt.) *Panis Euchariſticus, ex Evangelio, eſt imago & figura corporis Chriſti; Ergo habet illius virtutem*; quaſi vero ex eo quod res alterius ſit ſignum, ſequatur quod illius virtutem contineat, præſertim ſi ſit ſignum ex inſtituto, quod quidem ſemper ſterile eſt, ad nihilque conducit, niſi ut menti rem ſignificatam exhibeat.

3. Dubium quod Patres aggrediuntur huic innititur ratiocinio; Corpus Chriſti in Euchariſtia non videtur, oon guſtatur, non percipitur ſenſibus. Ergo ea nequaquam continetur, *Aliud video, quomodo tu mihi aſſeris quod corpus Chriſti accipiam?* Si ergo dubitantes illi Chriſtiani ſenſum metaphoricum intelligebant in verbis Evangelicis, ſic ratiocinati fuerint oportet, *Virtus corporis Chriſti, quæ Euchariſtia contineri dicitur, non percipitur ſenſibus. Ergo fictitia eſt*: quaſi vero vel viri maxime plumbei neſciant virtutem ſpiritualem ſenſibus percipi non poſſe. Sed ad duritiam cordis, detur adverſariis quod peſſimum illud argumentum quibuſdam fidelibus oegotium olim faceſſere potuerit; Patres quibus propoſitum erat fideles eo ſophiſmate liberare, urgere ſimpliciter noo debuerunt Evangelica verba, *Hoc eſt corpus meum*, quippe quæ, ſi metaphorice, ſeu figurative ſumuntur, inepta ſint ut corporis Chriſti efficacia ſtabiliatur.

Dicendum eſt igitur dubium, quod auditis his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, quorumdam fidelium olim ſubibat mentem, quod Patres expugnarunt, fuiſſe circa corporalem Chriſti præſentiam in Euchariſtia; alioqui enim nec in hujuſcemodi dubio, nec in argumentis, quibus compreſſum fuit, vel umbra ſenſus commuois reperiuntur, unde concludendum eſt, fideles, de quibus agitur, intellexiſſe verba Evangelica, *Hoc eſt corpus meum*, in ſenſu litterali, ac Patres eumdem ſenſum in fidelibus inculcaſſe.

Confirmatur 1. Patres, cum occurrerent illi dubio, aſſeruerunt *veram* Chriſti carnem, ſufici ad Euchariſtiam accedentibus, quemadmodum *verus* Dei filius humanæ naturæ per incarnationem datus eſt; *Sicut verus eſt Dei filius Dominus noſter Jeſus Chriſtus* (inquit Ambroſius lib. 6. de Sacramentis cap. 1.) *non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius ex ſubſtantia Patris; ita* VERA CARO, *ſicut ipſe dixit, quam accipimus, &* VERUS EST POTUS. Ea verba VERA *caro*, VERUS *potus*, reſponſionem continent ad dubium, quo nonnulli tenebantur quod ipſammet Chriſti carnem, ipſummet ejus ſanguinem io Euchariſtia non viderent, ut probaot hæc quæ illorum oomine ſubjungit, *Forte dices quomodo* VERA, *qui ſimilitudinem video, non vides ſanguinis* VERITATEM. Clarioribus verbis exprimi oon potuit dubium fidelium, & reſponſum Patrum fuiſſe non circa virtutem carnis Chriſti, ſed circa illius ſubſtantiam, ſeu ſubdubitantibus num Chriſtus eſſet corporaliter præſens, reſponſum eſt a Patribus eſſe corporaliter præſeotem.

Confirmatur 2. Patres cum ſubdubitantes, in fide confirmatos eſſe voluerunt, his uſi ſunt ſententiis, Credendum Euchariſtiam eſſe *ipſummet* Chriſti corpus, panem tranſmutari in *proprium* corpus Chriſti, ea Chriſtum *ipſum* recipi, *proprium* illius corpus ingredi in fidelium corpora, Chriſtum paſcere nos *proprio* ſuo corpore: Auguſtinus ſerm. 11. de verbis Domini hæc de impiis ait, *Cum* IPSAM *carnem manducent*, & IPSUM *ſanguinem bibant*. Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum aſſerit, non Chriſti imaginem ſed *ipſummet* videri, & tangi ab iis, qui Euchariſtiam recipiunt, *Quomodo dicunt* (inquit) *vellem formam & ſpeciem ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre*, IPSUM *vides*, IPSUM *tangis*, IPSUM *comedis, veſtimenta ejus deſideras videre, ipſe vero* SE IPSUM *tibi tradit, non ut videas ſolum, verum etiam ut tangas, & in te habeas*. Addit S. Pater *ea nos re ali, quam Angeli videntes tremunt*. Comparat deinde Chriſtum cum quibuſdam matribus, qui filios aliis nutriendos tradunt; *Multæ matres poſt partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipſe facere noluit; ſed* PROPRIO *corpore nos alit, & ſibi conjungit, atque conglutinat*. Sententias hujuſmodi S. Doctor dubitantibus opponit, ſic enim paulo ante hortatus fuerat fideles ut dubium deponerent, ſi quo tenerentur, *Credamus ubique Deo, nec repugnemus, & etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit ..... Quoniam ergo ille dixit: Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate*.

Figuræ cuilibet oppoſitæ ſunt e diametro illæ Patrum ſententiæ; ſtare non poſſunt cum mera corporis Chriſti efficacia, quam adverſarii tribuunt Euchariſtiæ; Quis enim aſſeruit unquam bibere nos in baptiſmate *ipſummet*, ac *proprium* Chriſti ſanguinem, quod illius virtus applicetur catechumenis cum abluuntur; Quis dubitantem de baptiſmatis efficacia, num ſcilicet virtutem corporis & ſanguinis Chriſti contioeat, hocce loquendi modo confirmaret in fide, Baptiſma eſſe *proprium* Chriſti corpus, *ipſummet* eſſe ejus ſanguinem baptiſma cum recipimus, alioos proprio Chriſti corpore, Chriſtum tunc non imitari matres illas quæ poſt partum alieno ſanguine infantes paſcunt.

Objicies. Chryſoſtomus homil. 24. io 1. Epiſt. ad Corinth. aſſerit fideles per communionem Euchariſticam fieri *ipſummet* corpus Chriſti quod recipiunt. Trita pariter eſt apud Patres ſenrentia, pauperes *ipſummet* eſſe Chriſtum. Ergo colligi non poteſt Euchariſtia corporalem Chriſti præſentiam contineri quod eam Patres dixeriot eſſe *ipſummet* Chriſti corpus.

Reſp. neg. conſeq. Ratio diſparitatis eſt 1. quia Chryſoſtomus, cum aſſerit fideles eſſe *ipſum* Chriſti corpus, non ſumit verbum ſubſtantivum, aut corpus Chriſti metaphorice; neque enim ſignificatum voluit, fideles eſſe figuram corporis Chriſti, quemadmodum, ex Calviniſtis, panis eſt figura corporis Chriſti, aut aliquam qualitatem corporis Chriſti

con-

convenire fidelibus, sed S. Doctor verbum substantivum *Sumus* in sensu proprio, seu pro nostri cum Christi corpore identitatem sumpsit, cum enim supposuerit ipsum per Encharistiam nobis substantialiter, realiter, ac secundum propriam formam commisceri, conclusit, uos esse realiter idem cum eo, seu (ut ipsemet statim exponit) majorem esse nostri unionem cum corpore illius uaturali, quam cum corpore mystico, quod est Ecclesia; Germanum illum Chrysostomi sensum verba quibus utitur sufficiunt, ac Sacramentariorum fucum plane retegunt; *Inde cum dixisset* (Paulus) *communicationem corporis; quod enim communicat, alterum est ab illo cui communicat, etiam hanc quæ parva videtur esse, differentiam tollit: Nam cum communicationem corporis dixisset, quiddam magis proprium addidit inquiens, quoniam unus panis, & unum corpus sumus, quid enim appello (inquit) communicationem?* IDEM IPSUM CORPUS SUMUS. *Quidnam est panis? Corpus Christi; quod autem fiunt qui accipiunt corpus Christi? non multa sed unum corpus: Nam quemadmodum panis ex multis granis unitur, ut minime grana appareant, sed tamen grana sunt, verum incerta discretione conjuncta; sic & invicem Christo conjungimur;* NON ENIM EX ALTERO CORPORE TU, EX ALTERO ILLE EDUCATUR, SED EX EODEM OMNES.

Ratio est 2. (quia ut jam paragrapho superiore observatum est) clare constat ex Evangelio Christum sui loco substituisse pauperes, ita ut exhibita pauperibus obsequia, sibi exhibita reputet, *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ea vero expressa declaratione upposita, recte dici potest quod pauperis manus sit manus ipsiusmet Christi, quod pauper sit Christus ipse. At nec Evangelium, nec Patres asseruerunt aliquando Christum substituisse panem sui locu, declarasse quod qui aut tetigerit aut manducari, ipsius corpus, aut contrectaturus, aut manducaturus sit: Unde colligitur Patres servasse humanæ lucutiunis modum, cum pauperem ipsummet esse Christum asseruere; e contra contra regulas locuturos esse, si (ut volunt adversarii) persuasi Eucharistiam fuisse figuram corporis Christi, sine prævia aut subsequenti explicatione, simpliciter asseruissent Eucharistiam *ipsummet* esse Christi corpus.

§. III.

Num ea formula qua Patres in Eucharistiæ dispensatione usi sunt, corporalis præsentia Christi demonstretur.

CONclusio. Corporalis præsentia Christi in Eucharistia demonstratur ex formula, qua Patres Eucharistiam dispensantes usi sunt.

Probatur. Prioribus sæculis Patres, cum dispensarunt Eucharistiam, hac formula usi sunt, *Corpus Christi*, cui quidem formulæ fideles hac responsione, *Amen*, subscribebant. Illius formulæ apud Latinos usurpari solitæ meminit Ambrosius lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 9. ubi sic loquitur; *Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis Amen, hoc est verum. Quod os loquitur, mens interna fateatur; Quod sermo sonat, affectus sentiat.* Trita erat etiam illa formula apud Græcos, ut demonstrant hæc verba Cyrilli Hierosolymitani Catechesi 5. Mystagogica, *Accedens ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subjiciens dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concava manu suscipe Corpus Christi, dicens, Amen.* Illa vero formula cum additione termini confirmatorii, *Amen*, æquivalet huic propositioni, *Hoc est vere Corpus Christi*, quam quidem propositionem Patres integram sæpius expresserunt; hæc enim habet Hilarius lib. 8. de Trinitate, *Si enim* VERE *verbum caro factum est, & nos* VERE *verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est?* Atqui propositio hæc, *Credo, Eucharistiam vere esse Corpus Christi*, cui confirmatorius hic terminus, *Amen*, æquivalet, præsentiam corporalem in Eucharistia supponit, ut his rationibus ostenditur.

1. Eo termino expugnatur dubium, quod de re quæ recipitur & quæ sensibus non subjacet, posset suboriri: Illud vero dubium non de figura, aut de virtute corporis Christi intelligitur, sed de ejus substantia tantum, ut superioribus paragraphis ostensum est.

2. Adverbium *vere* nec Scriptura nec Patres conjunxerunt cum verbo substantivo, *Est*, ut significarent subjectum propositionis esse prædicati signum ex instituto. Nusquam v.g. sacri Codices dixerunt agnum paschalem *vere* fuisse transitum Domini; Circumcisionem *vere* fuisse pactum, & fœdus quod Deus cum Abrahami posteris iniit; petram *vere* fuisse Christum; Semen *vere* fuisse verbum Dei. Sic etiam Patres qui docuerunt aqua vino mista repræsentari populi fidelis cum Christo unionem, Chrisma, quo neophiti deliniuntur, adumbrari Spiritum sanctum, nullibi dixerunt aquam illam *vere* esse populum, illud Chrisma *vere* esse Spiritum sanctum, imagines Christi esse *vere* ipsum Christum.

3. Quandu Scriptura aut Patres adverbium, *vere*, alicui propositioni metaphoricæ inseruerunt, ipsum, non cum verbo substantivu, *Est*, sed cum attributo propositionis conjunxerunt; ita ut in illa metaphorica propositione, verbum, *Est*, non sit idem cum verbo, *Significat*, sed solum attributum maneat metaphoricum, quatenus nempe dicitur de subjecto, non quidem secundum suam substantiam, sed secundum aliquam sui proprietatem, ut in his Christi propositionibus, *Ego sum ostium*, *Ego sum vitis*, videre est; Econtra in hac Patrum propositione, *Hoc, quod sumitur in Eucharistia, est vere Corpus Christi*; adverbium *vere* cum attributo non conjungitur; alioquin sensus esset quod aliqua corporis Christi proprietas pani conveniat, quod quidem dictu impium est; sed (ut ipsi Sacramentarii fatentur) conjungitur cum verbo substantivo *Est*, illud in sensu Zuinglii reddit figurativum, ita ut, ex ipsis, sensus sit quod Christi corpus per panem *vere* repræsentetur.

Objicies. Chrysostomus in Epistola ad Hebræos adverbium *vere* conjungit cum verbo, *Est*, licet ipsummet verbum *Est* metaphorice sumat, ait nempe avaritiam *vere* esse barathrum. Hom. 8. in Epistola ad Ephesios asserit peccatum *veram* esse paralysim, *Gemina aderat paralysis* (inquit de paralytico agens quem Christus sanitati restituit) *quænam? peccatorum una, corporis altera. Quid igitur Christus? Bono (inquit) esto animo fili, remittuntur peccata tua, potiorem* REVERA *paralysim solvit primum, deinde & ad alteram transit.*

Resp. 1. nullam ex illis Chrysostomi metaphoris similem ei esse, quam Sacramentarii verbis Evangelicis, *Hoc est corpus meum*, affingunt; neque enim in iis verbum substantivum *Est* sumitur pro *significat*, cum sic proferri non possunt, *Avaritia est, seu significat veram barathrum: Peccatum est, seu significat, veram paralysim.* Duplex ergo illa metaphora ex iis est, in quibus aliqua prædicati qualitas subjecto æquivoce convenit, seu sensus est, quod sicut qui in barathrum præceps ruerit, vix potest se illo extricare; ita qui semel avaritia implicatus sit, difficile possit se ipsum liberare, sicut paralysis membrorum usum impedit, ita & peccatum spirituales animæ operationes.

Resp. 2. Chrysostomum propositiones, quas adversarii nobis objiciunt, non protulisse simpliciter, sed cum addito, nimirum cum explicationibus quas aut præmisit, aut subjecit, conceptis nempe terminis duplicem paralysim, in Epistolam ad Ephesios scribens, distinguit, spiritualem unam, corpoream alteram. E contra cum Patres asseruerunt Eucharistiam esse *vere* corpus Christi, nec ante, nec post, metaphoram, quam ea in expressione Sacramentarii fingunt, explicuere, quam tamen alioquin explicare debuissent, cum tunc ageretur de confirmando dogmate, de quo nonnulli dubitabant.

§. IV.

§. IV.

Num ex effectibus, quos Patres Eucharistiæ adscripserunt, corporalis Christi presentia demonstrari possit?

Conclusio. Corporalis præsentia Christi in Eucharistia potest demonstrari ex effectibus, quos Patres Eucharistiæ adscripserunt.

Probatur. Patres quatuor præcipuos effectus Eucharistiæ adscripserunt.

1. Quidem ex his Christi verbis, Joannis cap. 6. *Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; & ex istis aliis, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Patres concluserunt Eucharistiam esse vitæ spiritualis principium, *Nihil igitur occultans* (inquit Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joannem cap. 2.) *demum Christus ait, Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Illud manna typus erat, inquit, & umbra, & imago. Audite palam nunc & aperte, Ego sum panis vivus; Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui ex illo manducaverunt, mortui sunt, non erat enim vivificus; Qui autem manducaverit hunc panem, idest me, sive carnem meam, vivet in æternum.*

2. Docuerunt Eucharistiam salutem, & remissionem peccatorum in nobis operari: Eum effectum Sacerdos in liturgia Chrysostomi his verbis deprecatur, *Fac panem illum quidem, pretiosum corpus Christi tui, & quod est in calice illo pretiosum sanguinem Christi tui .... ut fiat communicantibus in emundationem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem S. Spiritus, in regni cælorum plenitudinem.*

3. Asseruerunt hoc Sacramento muniri fideles & ad pugnam armari contra spirituales nequitias, & visibiles fidei hostes, *At vero nunc* (ait Cyprianus Epistol. 54.) *non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morituris, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis, & corporis Christi muniamus; Et cum ad id fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armamus: Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis mediatoris Christi sanguinem denegamus.*

4. Contenderunt Eucharistiam esse immortalitatis semen, ac futuræ nostræ resurrectionis pignus, *Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti, sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia*: (verba sunt Cyrilli Alex.)

Atqui quadruplicem illum effectum, Patres Eucharistiæ tribuunt ratione corporalis præsentiæ, nec alteri causæ adscribi potest; crediderunt igitur corporalem Christi præsentiam in Eucharistia.

1. Realem carnis Christi cum nostra commixtionem, causam esse cur Eucharistia communicantibus vitam spiritualem impertiatur, his verbis docet Chrysostomus homil. 24. in 1. Epist. ad Corinth. *Non enim simpliciter corpus suum tradidit, sed cum prior carnis natura a terra formata, a peccato mortali facta, a vita deserta esset, aliam (ut ita dicam) massam, & fermentum induxit; Hoc est carnem suam natura quidem eamdem, verum a peccato liberam & vitæ plenam, quam omnibus tribuit, ut participes fierent, ut ea nutriti & priore abjecta quæ mortua erat, per hanc mensam in vitam immortalem commisceremur.* Fingant (quæso) adversarii propositum fuisse Chrysostomo creditum sibi populum docere quod corporalis nobiscum Christi commixtio sit vitæ spiritualis principium, an clarioribus verbis mentem potuisset aperire suam? Hom. 83. in Matthæum exponit quomodo illa commixtio sanctitatem nobis impertiatur, ait enim id fieri quod per Eucharistiam unum eum ipso corpus non fide solum, sed realiter efficiamur, *Neque illi satis fuit hominem fieri, colaphis cadi & crucifigi, verum & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum & ipsum suum efficit corpus*. Rem eamdem perspicua hac sententia ho. 45. in Joannem confirmat, *Ut autem non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem commutamur, ut per cibum id efficitur, quem nobis largitus est*. Observet lector triplicem fidelium unionem cum carne Salvatoris assertam fuisse a Chrysostomo, per fidem nimirum, per dilectionem, per realem commixtionem: jam si iterum advertat, S. Doctorem tertiam opponere duabus prioribus, facili negotio concludet ipsi fuisse persuasum, quod Christus realiter, substantialiter, corporaliter nostris corporibus commisceatur, eamque commixtionem esse in nobis vitæ spiritualis principium.

2. Gregorius Nyssenus vitam spiritualem, sanctificationem nostram, futuram resurrectionem adscribit Christi carni, non quæ resideat in cælis, sed quæ recipiatur; Asserit nimirum 1. corpus Christi in ipsis hominis visceribus tamquam salutare medicamentum recipi. Asserit 2. oportere ipsum nostris in corporibus recipi ut in eis vim exerat suam; Asserit 3. oportere ipsam ejus carnem nobis commisceri ut nos sanctificet. Asserit 4. eam nos incorruptibilitatem non contrahere nisi membra nostra pervaserit, *Quoniam homo est duplex* (ait Oratione Catechetica cap. 37.) *ut qui sit compositus, & contemperatus ex anima & corpore, necesse est ut qui servantur, per utrumque attingant qui ducit ad vitam. Ergo anima quidem cum ipso contemperata per fidem, hinc salutis habet occasionem, nam unio cum vita, vitæ habet societatem. Corpus autem alio modo venit ad participationem, & contemperationem ejus quod dat salutem. Quomodo enim qui venenum sumpserunt dolo & insidiis, alio medicamento extinguunt vim, quæ affert interitum? oportet autem sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum* ADMITTI INTRA VISCERA, *ut per illa distribuatur in universum corpus virtus ejus quod fert opem. Ita cum id gustaverimus quod nostram dissolvit naturam, rursus necesse est ut opus habeamus eo quod cogit ac conciliat id quod erat dissolutum, ut* CUM INTRA NOS *fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum quod corpori fuerat inditum, per contrariam repellat affectionem. Quid ergo est? nihil aliud quam illud corpus, quod & morte ostensum fuit esse potentius, & nostræ vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti (ut dicit Apostolus) sibi assimilat totam conspersionem: ita corpus a Deo morte affectum,* CUM FUERIT INTRA NOSTRUM, *totum ad se transmutat, & transfert.*

Adversarii locum illum ut libuerit, exponant, sed nemo cordatus diffitebitur quin Gregorius Nyssenus docere voluerit, quod corpus Christi non modo per fidem communicantium, non modo per virtutem efficacem, sed per propriam substantiam nostra corpora subiens, ipsa animamque sanctificet. Iis S. Patris sententiis aliæ addi possunt, quæ aut manducationem, quæ per solam fidem fit, aut præsentiam per virtutem tantum, excludunt. *Sed fieri non potest* (inquit ibidem) *ut sit aliquid aliter intra corpus*, NISI PER ESUM ET POTIONEM MISCEATUR VISCERIBUS. Quærit postea qua ratione fieri possit ut Christi corpus in omnibus orbis partibus ab innumeris hominibus simul accipiatur, ac tamen indivisum in se maneat, *Cum autem solum illud corpus, quo Deum suscepit homo, hanc gratiam acceperit, oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.*

Patiantur Adversarii ut asseramus impertinentem futuram fuisse quæstionem hujusmodi, si Nysseno persuasum fuisset Christi corpus fidelibus distribui per virtutem tantum, non autem per propriam substantiam; quasi vero peritus quis quæsierit, qua ratione Christi passio, quæ in Judæa contigit, ubique tamen moraliter operetur, ac una tamen & indivisa in se maneat. Sed demus tamen, quod id, in se licet perabsurdum, Nyssenus quæsierit, qua via solutum oportuit? hoc unum quod viro, vel maxime plumbeo, occurrit, debuit respondere scilicet Christi corpus unum ac indivisum in se remanens, virtutem tamen suam multis in locis exerere solis adinstar, qui suo in-

hærens

hærens cœlo in ipsis terræ visceribus operatur, aut potius adinstar passionis Christi, cujus virtus moralis, qualem Eucharistiæ Sacramentarii tribuunt, ubique terrarum operatur.

§. I.

Utrum ex connexione, quam textus Patrum habent inter se, demonstretur eos credidisse Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia.

CONclusio. Ex connexione, quam textus Patrum habent inter se, demonstratur Patres credidisse Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia.

Probatur. Textus quibus Patres ubique gentium usi sunt, ejus sunt generis, ut id totum simplicibus, ac perspicuis verbis exprimant, quod corporalis Christi præsentia complectitur tum in se, tum in iis, quæ ex ipsa subsequuntur. Ergo connexio, quam illi textus habent inter se, demonstrat Patres credidisse corporalem Christi præsentiam in Eucharistia; Antecedens, in quo posita est difficultas, ostenditur illorum textuum enumeratione.

1. Patres absolute, & simpliciter asseruerunt Eucharistiam, seu panem & vinum quæ consecrata sint, esse corpus & sanguinem Christi, *Eucharistias, & oblationes non admittunt* (inquit de Simonianis, & Menandrianis Ignatius in Epist. ad Smyrnenses, *quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi*. Eadem ratione Iræneus lib. 4. contra hæreses cap. 34. loquitur, *Quomodo* (inquit de Valentinianis agens) *constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatorem mundi filium dicant?*

2. Si Patribus persuasum fuerit Eucharistiam esse verum Christi corpus, neminem arguere debuerunt, quod idem crederet, non debuerunt vereri, ne quis in sensu litterali sumeret verba Evangelica, quibus suam, & Ecclesiæ fidem aperiebant; Atqui revera nec in Oriente, nec in Occidente a Christo hucusque quemquam e Patribus repetire est, qui sic credentes & sic Christi verba, *Hoc est est corpus meum*, accipientes arguerit.

3. Judicare debuerunt, veritatem perspicuis his verbis, *Hoc est corpus meum*, contentam, esse difficillima creditu, proindeque consensum a fidelibus eos exegisse oportuit sine additione, sine aliqua expositione. Sed id revera actum est a Patribus, ut superius fuit a nobis demonstratum.

4. Patres prævidere debuerunt verba Evangelica sumpta in sensu litterali dubiorum occasionem pluribus futura, quod nempe quidpiam credendum continerent, quod sensuum testimonio repugnaret, Atqui præviderunt dubium hujusmodi, *Videmus* (inquit Epiphanius in Ancorato) *quod accepit Salvator in manus suas, veluti Evangelista habet quod surrexit in cœna, & accepit hæc, & cum gratias egisset, dixit, Hoc meum est: Hoc & hoc: Et videmus quod non æquale est, neque simile, non imagini in carne, non invisibili Deitati, non lineamentis membrorum, hoc enim est rotundæ formæ, & insensibile quantum ad potentiam; Et voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, Hoc & hoc: & nemo non fidem habet sermoni, qui enim non credit ipsum esse verum, excidit a gratia & salute.*

5. Patres prævisum illud dubium expugnare debuerunt: At expugnarunt revera. Et quidem 1. hortati sunt fideles ut illud dubium abjicerent, *Cum igitur* (inquit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Mystagogica) *Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane, Hoc est corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Illi dubio constantem veritatis affirmationem opposuerunt, quippe qui (ut suo loco dictum est) asseruerint, Eucharistiam esse *verum, proprium, ipsummet Christi corpus*: cui quidem assertioni voluerunt ut fideles ubique subscriberent hacce formula confirmatoria, *Amen* qua uti tenerentur cum Sacerdotes dicendo *Corpus Christi*, panem consecratum porrigerent, 3. Monuerunt nullam haberi debere

Juenin de Sacram.

tationem testimonii sensuum, *Nam etiamsi sensus illud tibi renuntiat, fides tamen te confirmet. Ne judices rem ex gustu* (verba sunt Cyrilli Hierosol.) *sed te citra ullam dubitationem fides certum reddat*, 4. Hanc rationem reddiderunt, cur Christus noluerit ut in Eucharistia corpus & sanguis secundum speciem exteriorem sumerentur, *Ne velut quidam horror esset cruoris*: (ait Ambrosius lib. 4. de Sacramentis capite 4.) 5. Dubitantibus opposuerunt quæ quondam Deus patravit miranda, Verbi nimirum incarnationem, multiplicatos panes in deserto, mutationem aquæ in vinum &c. *Aquam aliquando mutavit in vinum* (inquit Cyrillus Hierosol.) *& non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutarit?*

6. Fides de corporali præsentia Christi in Eucharistia importat destructionem panis & ejus conversionem in corpus Christi; Transmutationem illam Patres expresserunt; *Quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipiam?* (inquiunt nonnulli fideles apud Ambrosium de iis, qui mysteriis initiantur cap. 9. *& hoc adhuc nobis superest ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit. Ante benedictionem verborum cœlestium species vocatur: post consecrationem, corpus Christi significatur, & tu dicis panem*. Ne autem quis eam mutationem metaphorice acciperet, iis usi sunt exemplis, quæ metaphoricum sensum excludunt, eam nimirum mutationem compararunt cum aqua, quam Christus in vinum olim immutavit, cum virga quam Moyses convertit in serpentem. Utramque illius mutationis terminum, *a quo* nimirum, & *ad quem* Patres recensuerunt, sive significarunt panem desinere, & corpus Christi novum esse accipere sub panis & vini speciebus, *Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit* (inquit Ambrosius de iis qui initiantur cap. 9.) Corpus Christi duplex est; mysticum, & naturale. Nonnullorum mentem dubium subire potuisset, an corpus in quod panis per consecrationem mutatur, sit naturale, an mysticum; Patres occurrerunt illi dubio, asseruerunt que ipsum esse corpus in individuo, cui Verbum unitum est in sinu Virginis, quod in Judæa affixum est cruci. *Et hoc quod conficimus corpus* (inquit Ambrosius) *ex Virgine est .... vera utique caro Christi quæ crucifixa est, quæ sepulta est.*

7. Si realis sit mutatio panis & vini in Christi corpus, & sanguinem, oportet ut illud corpus, & ille sanguis ante nos vere proposita sint, existant in altari, in quo sacrificium offertur; sanctitatem quamdam vasis quibus continentur conferant, existant non in cœlis modo, sed etiam in terris, Sacerdotum manibus tangantur: Ea autem omnia Patres expressis verbis asseruerunt, *Hæc siquidem mensa* (inquit Chrysostomus Oratione de S. Philogonio) *vicem implet præsepis. Nam & hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis, sicut tunc, sed undequaque Spiritu sancto convestitum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur*. Idem perspicuis his verbis Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenianum, significatum voluit, *Quid enim est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa monumenta corpus & sanguis habitabat? ...Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis potatores.*

8. Si Patres judicarint Eucharistiam verum Christi corpus & sanguinem continere, monere debuerunt fideles ut summa cum cautela species consecratas aut ore, aut manibus excipiant, dentque operam ne quid ex iis in humum decidat. Id vero fuisse præstitum a Patribus jam superius observatum est ex Cyrillo Hierosolymitano, & hic iterum observatum velim ex Origene, qui hom. 13. in Exodum hæc scribit, *Volo vos admonere religionis vestræ exemplis. Nostis qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat; ne consecrati muneris aliquid*

dilabatur; vos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat; Idem videre est in Augustino qui sic loquitur hom. 26. *Quanta sollicitudine observamus, quando corpus Christi nobis ministratur, ut nihil ex ipso de nostris manibus in terram cadat*; Sed ante illos Patres pium illum morem Tertullianus libro de Corona militis capite 3. retulerat, *Calcis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur*.

9. Si Christus corporaliter sit præsens in Eucharistia, necesse est, eos qui Eucharistia reficiuntur, vere ac realiter manducare Christi corpus; ipsum oportet ingredi in eorum corpora, nobis a Christo corporis & sanguinis sui parari mensam; Atqui ea omnia Patres fieri asseruerunt: *Vere* (inquit Augustinus in Psal. 33.) *nobis manducare dedit corpus suum*. Gregorius Nyssenus hæc ait Oratione Catechetica. *Oportet autem sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera, ut per illa distribuatur in universum corpus virtus ejus quod fert opem*; hæc quoque scribit mox laudatus Augustinus lib. 17. de Civitate Dei capite 20. *Mensa, quam mediator novi Testamenti exhibet de corpore & sanguine suo &c.*

Ex illa reali corporis Christi manducatione, & sanguinis potu Patres, quatuor concluserunt. 1. Hoc esse inter legem veterem & novam discrimen, quod cum in illa prohibitus esset sanguinis potus, in ista e contra præceptus sit. *Cum Domini* dicat (inquit Augustinus quæst. 57. in Leviticum,) *Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis; Quid sibi vult quod a sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: a cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur qui volunt habere vitam*. 2. Ii quibus persuasum fuit Christum in ultima cœna Eucharistiam sumpsisse, concluserunt ipsum manducasse suum corpus, & proprium ebibisse sanguinem; Legere est Chrysostomum qui hom. 83. in Matthæum hujusmodi prodigium miratur. Concluserunt 3. Christum, semetipsum propriis manibus gestasse cum Eucharistiam discipulis porrexit; *Hoc vero Fratres* (inquit Augustinus in Psalm. 33.) *quomodo fieri potuerit, in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis non portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus; in Christo autem invenimus, ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum suum corpus ait, Hoc est corpus meum, ferebatur enim illud corpus in manibus suis*. Concluserunt 4. Christum non sub specie propria, sed sub aliena tantum, panis scilicet & vini specie, a fidelibus manducari, cujus quidem Oeconomiæ hanc rationem reddit Chrysostomus hom. 83. in Matthæum, *Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate ..... Si tu incorporeus esses, nude ipsa dona incorporea tradidisset tibi, quoniam vero corpori conjuncta est anima tua, insensibilia, intelligenda tibi traduntur*.

10. Si corpus & sanguis Christi substantialiter continentur in Eucharistia, adorentur necesse est ab iis a quibus recipiuntur: hoc vero Patres præscripserunt: *Considera quæso*, (inquit Chrysostomus homil. 62. ad populum Antiochenum) *mensa regalis est apposita, ipse Rex adest, Tu astas oscitans? .... Pura sunt vestimenta, pura est animæ tuæ stola, Mensæ igitur accumbe, Adora, & communica*. In ejusdem S. Patris liturgia Sacerdoti, Diacono & populo præcipitur ut Sacramentum adorent, *Sacerdos sequitur Diaconum* (verba sunt liturgiæ) *& vadit ad oblationem, & capitibus ter in terram inclinatis, sumunt hic quidem corpus, ille sanguinem*. Paulo post Diaconus exclamat. *Capita vestra Deo inclinate*. Sacerdos orat, *Cœlitus respice Domine ad servos tuos inclinantes, tibi sua capita. Non enim inclinarunt carni & sanguini, sed tibi metuendo, & humano Deo*. Idem Chrysostomus ait, Angelos Christum adorare dum in tremendis mysteriis a Sacerdotibus immolatur, *Per id tempus* (ait lib. 6. de Sacerdotio) *Angeli Sacerdoti assident, & cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est; id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur*.

Si quis ad connexionem attenderit quam habent inter se laudati hucusque Patrum textus, non diffitebitur (si ingenuus sit) ea ratione Patres locutos fuisse, qua revera locuti fuissent, si ipsis persuasum fuisset, Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia. Cum ea præsentia corporali cohærent omnia quæ scripsere, nusquam præsentiam metaphoricam asseruerunt, quamvis millies de hocce Sacramento sermonem instituerint. Sed iis omnibus lux affulgebit major, ubi soluta fuerint argumenta quæ Sacramentarii ex Patribus desumunt.

§. VI.

Solvuntur argumenta, quæ Sacramentarii contra corporalem Christi præsentiam in Eucharistia ex Patribus desumunt.

OBjicies 1. Patres sæpius Eucharistiam vocarunt antitypum, imaginem, signum, figuram corporis Christi: Primo enim Tertullianus libro 4. contra Marcionem capite 40. sic loquitur, *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, idest, figura corporis mei*. 2. Augustinus lib. contra Adimantum Manichæum cap. 10. hæc scribit, *Non enim dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*. In Psal. 3. hæc etiam habet, *Judam adhibuit ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendavit, & tradidit*. 3. In liturgia Basilii post consecrationem hæc oratio funditur a Sacerdote, *Confidentes appropinquamus sancto altari tuo, & proponentes configuralia sancti corporis & sanguinis Christi tui, te obsecramus &c.* Figura vero Christi corporalem ab Eucharistia præsentiam excludit, *Si imago corporis est* (inquiunt Nicœni secundi Concilii Patres contra Iconomachos) *non potest esse hoc Divinum corpus*. Patribus igitur non fuit persuasum Christi corpus substantialiter, ac realiter Eucharistia contineri.

Resp. ad primum, Patres Eucharistiam vocasse imaginem, signum, figuram, sacramentum, corporis Christi antitypum, secundum partem exteriorem sumptam, non autem si consideretur secundum partem interiorem, quam includit. Eucharistia constat essentialiter ex duabus partibus, quarum una, quæ exterior est, sensibus subjacet; altera vero, quæ penitus est interior, a nullo sensu percipitur; veteres cum secundum hanc alteram partem Eucharistiam perpenderunt, eam proprium, verum, ipsummet Christi corpus appellarunt; quando autem attenderunt ad exteriorem partem, species nimirum panis & vini, dixerunt eam esse signum, figuram, sacramentum corporis Christi, illa igitur nomina corporalem Christi præsentiam non excludunt; Ea solutio confirmatur ex eo quod Authores, quibus ex adversariis, certissimum fuit Eucharistia Christi corpus substantialiter contineri, eam non raro *signum*, *figuram*, *Sacramentum* corporis Christi nominaverint. *Mysterium hoc* (inquit Paschasius lib de corpore & sanguine Domini cap. 10.) *in pane* (seu speciebus panis) *celebratur; Melchisedech prius in figura obtulerat panem, vinum, ideo necesse fuit ut verus Rex pacis, & Pontifex noster secundum ordinem illius, eadem afferret*. Licet Amalarius Fortunatus libro 3. de Divinis officiis sæpius asserat, panem, & vinum per consecrationem mutari in corpus, & sanguinem Christi, Eucharistiam tamen ejusdem corporis Christi *signum*, *Sacramentum* appellat; his præmissis Patrum textus qui objecti sunt, seorsim expendamus oportet.

Resp.

Respond. ad secundum igitur in laudato Tertulliani textu vocem hanc, *Figura*, non referri ad *corpus*, sed ad panem, unde non est propositionis attributum, sed pars explicativa subjecti, ita ut is sit Tertullianæ propositionis sensus, *Hoc*, seu panis, qui in veteri lege erat figura mei corporis, *est* modo *corpus meum*. Igitur Tertullianus usus est transpositione, ne explicatione pronominis, *Hoc*, Christi verborum seriem interrumperet. Tertulliano familiares sunt hujusmodi transpositiones; Libro contra Praxeam cap. 29. explicans qua ratione Christus, cum Deus sit, potuerit, mori hancce Apostoli sententiam, *Quoniam Christus mortuus est*, sic refert ac recitat, *Christus mortuus est, idest unctus, id quod unctum est mortuum ostendit, idest carnem*; quo quidem ex loco patet Tertullianum non subjecisse participium, *Unctus*, post hoc nomen, *Christus*, ad quod tamen refertur, & cujus est explicatio; non subjecisse (inquam) immediate, ne Pauli verba per hanc expositionem, *id est unctus*, interfecaret.

Quæ mox ad Tertulliani textum adhibita est solutio, non est ingenii ludentis figmentum, sumitur nimirum ex principiis Marcionis quem Tertullianus impugnat eo loci. Marcion docebat 1. Verbum, non verum, sed phantasticum corpus assumpsisse. Docebat 2. legem antiquam, fuisse malam, quippe quæ (ajebat) ex malo Deo hujus sæculi authore duxisset originem, ac tandem a Christo fuisset abrogata. Priorem Marcionis errorem Tertullianus tribus libris insectatus est; posteriorem adoritur libro quarto, ubi probat Christum non venisse ut solveret legem, sed ut eam impleret: 2. demonstrat, Christum earum rerum veritatem exhibuisse, quarum figuræ præcesserant in antiquo testamento: quamobrem ubi probavit in antiqua lege corpus Christi fuisse adumbratum in pane, concludit Christum ut figuram illam impleret, effecisse, in lege nova ut panis verum esset suum corpus.

Sed ipsiusmet authoris verba subjicienda sunt; *Professus itaque* (inquit) *se concupiscentia concupisse edere Pascha, ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, idest figura corporis mei, figura autem non fuisset, si veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis; faciebat ad veritatem Marcionis ut panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens, veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Jeremiam, Adversus me cogitaverunt cogitatum dicentes, Venite comedamus lignum in panem ejus, Scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum quod tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. Sic & in calicis mentione testamentum constituens sanguinis sui obsignatum, substantiam corporis sui configuravit; Nullius enim corporis sanguis esse potest, nisi carnis. Nam & si qua corporis qualitas non carnea opponatur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. Ut autem & sanguinis veterem figuram in vino recognoscant, aderit Isaias; Quis* (inquit) *qui advenit ex Edom, rubor vestimentorum ejus ex Bosor, sed decorus in stola vinolenta cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua & indumenta sicut de foro torcularis pleno conculcato? Multo manifestius in benedictione Judæ, ex cujus tribu carnis sensus Christi processurus, jam tum Christum in Juda delineabat; Lavabit* (inquit) *in vino stolam suam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem; Ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit*. Sic ergo procedit argumentum quod in Marcionem Tertullianus intorquet, *Non est figura nisi alicujus veritatis: Sed Christi corpus figuris olim præsignatum est; Ergo corpus Christi verum est, non vero phantasticum. Panis ex Jeremia, & Isaia, fuit quondam figura Eucharistiæ seu corporis Christi, quod est in Eucharistia, oportuit igitur, ut in Eucharistia verum illius corpus contineretur, ut nimirum veritas figuræ succederet. Verus sanguis non est nisi veræ carnis; Sed Christus in Eucharistia verum habet sanguinem; cum vino antiquitus adumbratus fuerit; Ergo veram etiam habet carnem.*

Nec sensui quem Tertulliani verbis adscripsimus, quidquam officit, quod adversarii objiciunt ex lib. 1. contra Marcionem, ubi hæc leguntur, *Usque nunc nec aquam reprobavit creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos ungit, nec mellis & lactis societatem qua suos infantat, nec panem, in quo ipsum corpus suum repræsentat*; Non officit (inquam) eo quod verbum, *Repræsentat*, apud Tertullianum sæpius *præsentem reddere* significet, ut videre est libro 4. in Marcionem, ubi asserit, Deum Patrem, promissum a se filium *repræsentasse*, cum ait in monte Thabor *Hic est filius meus*; En authoris verba, *Itaque jam repræsentans eum, Hic est Filius meus*.

Respond. ad tertium, Augustinum capite 12. libri adversus Adimantum, argumentari, non ex propria mente, sed ex principiis Manichæorum: Manichæi vero duplicem distinguebant Christum, patibilem unum, impatibilem alterum; hunc in sole, & luna esse fingebant, istum autem in oleribus, reliquisque terræ fructibus, ac proinde in pane esse delirabant: *Dicitis* (inquit Augustinus lib. de fide contra Manichæos, capite 34.) *magno errore, sed tamen dicitis, Christum quotidie nasci, quotidie pati, quotidie mori. Numquid forte in iis qui credunt, & pro nomine ipsius tribulationes, mortemque patiuntur? Non* (inquiunt) *sed in cucurbitis, porris, & in cæteris hujusmodi rebus*. Addebant patibilem Christum, seu panem, non ex instituto, sed ex natura sua, esse figuram Christi impassibilis; ac proinde phantastici corporis quod cruci fuerat affixum: Augustinus igitur juxta eorum principia locutus est cum dixit, *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*. Nec mirum, eo enim exemplo probat, quod vetus testamentum, cui Manichæi conviciabantur, potuerit pecudum animam nomine sanguinis appellare, quod nempe sit ejus signum: probat (inquam) hoc argumento: Secundum vos, O Manichæi, panis est figura (& quidem ex natura sua cum sit terræ fructus) phantastici corpori Christi; Secundum vos hæc ejusdem Christi verba, *Hoc est corpus meum*, istum sensum patiuntur, *Hic panis est signum mei corporis phantastici*; Veteri igitur testamento crimini vertere non debetis, quod pecudum animam, quæ sanguine tamquam in signo continetur, sanguinem appellarit.

Ad idem argumentum ex Augustino petitum, brevius dici potest, Eucharistiam ab eo dictum fuisse quidem corporis Christi signum, sed non vacuum, imo quod realiter contineatur. Hujusmodi responso robur additur ex eo quod Sanctus Doctor, eo loci explicet hanc Deuteronomii 12. sententiam, *Sanguis est anima*, quam quidem sententiam authori testamenti veteris Manichæi crimini vertebant, tribuentes hominum animæ, quod lex de anima pecudum dixerat, indeque concludebant, authorem veteris legis hominis animam exclusisse a consecutione regni cœlestis, dicente Apostolo: *Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Quemadmodum igitur sanguis non absentem, sed præsentem animam, ex eodem Augustino quæst. 57. in Leviticum, significat, ita, & Eucharistia Christum realiter præsentem includit,

Respond. ad quartum censere nonnullos Basilium appellasse Eucharistiam antitypum corporis Domini, sed antequam consecrata fuerit, non vero post consecrationem; ita Diaconus Epiphanius censuit, ac docuit in secunda Nicæna Synodo Oecumenica, Actione nimirum 6. Tomo 3. sic loquitur, *Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus*,

aut Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, & ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem celebrationem, typos quibusdam sanctorum Patrum hæc pie visum est nominare, quorum est Eustathius propugnator Orthodoxæ fidei, & Arianæ destructor vesaniæ, & Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne quod sub sole est, plenam doctorum dogmatum basim edocuit. Ex uno enim eodemque spiritu disputantes, unus quidem eorum interpretatus Salomoniacum dictum, quod in proverbiis legitur, Comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, *hæc dicit: Per panem, & vinum typos corporalium Christi prædicat membrorum. Alter vero ex eodem fonte hauriens, ut noverunt omnes Sacerdotii mystici cultores, in oratione Divinæ oblationis ita dicit,* Confidentes appropinquamus sancto altari, & proponentes typos sancti corporis, & sanguinis Christi tui, te deprecamur & te rogamus. *Et quod deinceps infertur, certiorem partis hujus perfecit intellectum qualiter antequam sanctificata fuerint vocata sint Typi: Post sanctificationem autem, corpus proprie, ac sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur.* Alii sentiunt, etiam post donorum consecrationem, Eucharistiam recte dici typum corporis Christi, non solum quod species panis, & vini sint ad instar exterioris veli, quo verum Christi corpus, & verus ejus sanguis realiter obteguntur, sed etiam quod ipsummet corpus, & ipse sanguis cum distincta benedictione consecrata fuerint, prout in cruce extiterunt, Eucharistia adumbrentur. Confirmari potest ex Chrysostomo, qui licet hom. 17. in Epist. ad Hebræos idem corpus, quod in cruce pependit, a Sacerdotibus in Eucharistia immolari contendat; asserit tamen Eucharistiam typum esse sacrificii, quod in cruce Christus obtulit.

Objicies 2. Patres docuerunt, Christum corporaliter non manducari in Eucharistia, illud igitur in ea substantialiter non contineri censuerunt. Antecedens sic ostenditur; Patres Capharnaitas damnarunt, quod crederent Christum realem, ac oralem sui manducationem apud Joannem his verbis præcepisse, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam 1. sic lib. de Resurrectione carnis cap. 37. Tertullianus loquitur, *Durum, & intolerabilem existimarunt sermonem ejus, quasi vere carnem illis edendam determinasset.* 2. Sic etiam Origenes hom. 7. in Leviticum, *Si secundum litteram sequaris hoc, quod dictum est,* Nisi manducaveritis carnem, & biberitis sanguinem meum &c. *occidit hæc littera:* 3. Sic etiam Augustinus in Psalm. 98. Christum discipulis loquentem inducit, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent, sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritaliter intellectum vivificabit vos, etsi necesse est illud visibiliter celebrare, oportet tamen illud invisibiliter intelligi.* 4. Sic iterum idem S. Doctor loquitur libro octavo de doctrina Christiana capite decimotertio. *Si præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata; Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Facinus, aut flagitium videtur jubere: Figura est ergo præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter, atque utiliter recolendum quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata sit.*

Respond. 1. Tertullianum, Origenem, Augustinum, aliosque Patres, qui Capharnaitas proscripserunt, nequaquam damnasse oralem corporis Christi manducationem, seu meram cibi per os in stomachum trajectionem, cujusmodi est ea, quæ fieret, si quis plumbeam pilam ore deglutiret. Ratio est, quia Patres conceptis terminis asseruerunt, cum Gregorio Nysseno, ipsummet, ac proprium Christi corpus per communionem Eucharisticam ingredi *in fidelium viscera*, cum Chrysostomus *ipsummet tangi* ab *iis*, qui ad Eucharistiam accedunt, ex eo & carne nostra unam veluti massam excrescere. *Non sufficit ipsi* (inquit Chrysostomus hom. 83. in Matthæum) *hominem fieri, flagellis iterum cædi; sed nos secum in unam (ut ita dicam) massam reducit; neque id fide solum, sed reipsa nos corpus efficit*, Inde S. Pater argumentum sumit, quo fideles a vitiis avocet, *Hoc facis* (ait hom. 27. in priorem Epist. ad Corinth.) *illo die, quo dignus es habitus, qui ejus carnes lingua tangeres. Quicumque sis ergo; ne hæc fiant; manum tuam expurga, & castiga linguam tuam, & labia, quæ ingressi Christi fuere vestibula.* 3. Cum Augustino Patres asseruerunt non corde tantum, sed & ore, Christi corpus ac sanguinem sumi, *Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum* (inquit lib. contra adversarium legis cap. 9) *carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde, atque ore suscipimus*: Nec vult Sanctus Doctor ut ab illo orali potu, ab illa manducatione quemque deterreat humanæ carnis, & humani sanguinis horror quem natura hominibus indidit, hæc enim verbis mox laudatis subjicit, *Quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere; & humanum sanguinem potare, quam fundere.*

Respond. 1. laudatos in argumento Patres Capharnaitas damnasse, quod auditis his Christi verbis, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, existimarint sibi eam manducationem præceptam fuisse, quæ totam eorum actionum corporalium seriem complectitur, quas exercemus in alimenta, quibus ordinarie vescimur; ea nimirum alimenta dividimus in frusta, premimus dentibus, in stomachum trajecta calor naturalis digerit, digesta in propriam quisque substantiam immutat: Eam vero fuisse Capharnaitis mentem docet Augustinus tractatu 17. in Joannem, ubi illud Christi, *Caro non prodest quidquam*, exponens, sic de Capharnaitis, quos Christus arguerat, loquitur, *Sed quomodo illi intellexerunt, quomodo in cadavero dilaniatur, aut in macello venditur.* Sic expositum ab Augustino Capharnaiticum sensum Tertullianus intellexit per adverbium, Vere; intellexit & Origenes per litteram quæ occidit; intellexit & ipse Augustinus in Psalmum 97. scribens; eo scilicet in loco Sanctus Doctor Christum inducit nonnullis loquentem, qui *carnaliter* (ut ipsemet ibidem ait) verba illius intelligebant, quasi Christus quasdam e proprio corpore præcisas particulas discipulis porrecturus fuisset; itaque is est sensus sententiæ, quæ ex Augustino objecta est: *Ne vobis sit scandalo quod me de carne manducanda, & de potando sanguine dicentem audistis, non hoc corpus, quod videtis, eo, quo creditis modo, præcipio manducandum: nec enim (ut arbitramini) dividetis illud in frusta, nec alimentorum adinstar digeretis in stomacho, nec in palato gustabitis; De Sacramento nempe loquor cum impero ut carnem edatis meam, & proprium meum sanguinem bibatis. Illud sacramentum, species sunt panis, & vini, in quas eas corporeas actiones exercebitis, quæque quod palpabiles sint & subjaceant sensibus, iis actionibus præbebunt locum; Illud vero sacramentum vivificabit vos per spiritualem fidei intelligentiam; qua scilicet docebimini meum corpus sub signo sensibili realiter, ac substantialiter esse præsens.*

Respond. 3. ad locum Augustini, desumptum ex lib. 8. de Doctrina Christiana, respondeo (inquam) eo in loco duo reperiri; Primum est hujusmodi axioma, *Si præceptiva locutio flagitium, aut facinus jubere videtur, figurata est.* Alterum vero est illius axiomatis applicatio ad hæc Christi verba, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c.*

Quod ad primum spectat absolute, seu quovis in casu sumptum, verum non est, alioquin enim Sociniani rei non essent quod in sensum metaphoricum ea omnia Scripturæ loca detorqueant, quibus Christus dicitur Deo Patri mortem suam obtulisse, ut nos redimeret; contendunt nempe impii illi Sectarii indignum Deo esse, quod Christus utpote maxime innocens, ad reorum salutem morti destinatus sit. Argui quoque non debuissent Pelagiani cum asseruerunt

vide-

videri sibi Deum injustum, qui in pueris peccatum originale propria voluntate nequaquam commissum castigaret. Abramus juxta idem axioma ea sumptum universalitate, qua sumitur a Sacramentariis Deo Isaaci cædem præcipienti non deboisset obtemperare, Quæ tamen omnia dictu impia sunt: Igitur illud axioma sic sumi non debet, ut metaphorice intelligantur quæcumque videntur aut flagitium, aut facinus præcipere, sed tantum quæ revera præcipiunt; At licet in Capharnaitica manducatione facinus reperiatur, nullum reipsa est in orali, quam Catholici profitentur. Siquidem (ut ipsemet Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana capite 10. definit) *Quod agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum & corpus, flagitium vocatur; Quod autem agit, ut alteri noceat, facinus*; Sed ex orali corporis Christi manducatione, & sanguinis potu nullum ex iis duobus sequitur, insulse enim censeret qui communicantes, per illam oralem manducationem aut per illum potum contaminari, aut Christi corpori nocere contenderet, cum (ut supponitur) per oralem manducationem, Christi corpus illæsum, ac integrum in stomachum transmittatur.

Quod pertinet ad alterum, scilicet ad hujus axiomatis, *Si præceptiva locutio, &c.* applicationem ad hæc Christi verba, *Nisi manducaveritis, &c.* factam ab Augustino; dicondum est eam adversariis nequaquam favere. Nam 1. S. Doctor solum sensum litteralem Capharnaitico modo intellectum, a Christi verbis, *Nisi manducaveritis, &c.* excludit; quod nempe unus ille litteralis Capharnaitarum sensus flagitium, & facinus contineat, non vero (ut superius ostensum est) litteralis Catholicorum. 2. Fatendum est Augustinum ex Capharnaitico sensu litterali ad metaphoricum eo loci transire, litterali Catholicorum plane prætermisso; Sed hujusmodi silentium Sacramentariis non patrocinatur, nec enim ex eo potest inferri quod S. Doctor nullum alium litteralem in Christi verbis, *Nisi manducaveritis, &c.* prætet Capharnaiticum intellexerit. Siquidem ideo litteralis Catholicorum sensus prætermissus fuit, quod non conferret ad scopum; quem sibi Augustinus proposuerat; Indigebat scilicet exemplo, quo probaret sensum metaphoricum adscribi debere locutioni, quæ flagitium aut facinus juberet, & quo contineretur duplex hæc conditio; Prior, *Ut præceptiva locutio flagitium, aut facinus jubere videretur*; altera, *ut sub præcepti sensu litterali aliquis sensus metaphoricus lateret*; ac proinde, cum ambæ illæ conditiones in Catholicorum litterali sensu non reperiantur, ab Augustino in exemplum, quo tunc ei opus erat usurpari non debuit. Præterea cum Capharnaiticus sensus magis sit litteralis, quam Catholicus, quippe qui per actus manducandi, & bibendi passim intelligatur, par fuit: quo Augustinus propositum sibi scopum assequeretur.

Objicies 3. Patres non raro asserunt 1. impios non manducare corpus Christi, quamvis sacramentum dentibus premant, *Ut quid paras dentem, & ventrem?* (inquit Augustinus tractatu 25. in Joannis caput sextum) Asserunt 2. sola fide opus esse, ut corpus Christi manducetur, *Crede* (ait idem Augustinus) *& manducasti*. Ergo Patribus non fuit persuasum, quod Christus in Eucharistia sit corporaliter præsens.

Respond. iis, quæ objiciontur, locis Sanctos Patres agere de ea manducatione, quæ cum effectu spirituali, ad quem institutum est sacramentum Eucharistiæ, conjuncta sit; sive docuerunt, sacramentum, licet sumptum corporaliter, impiis non prodesse; non enim fructum quis ex eo colligit (ait ibidem Augustinus) qui non manducat corde, licet premat deote; id sibi volunt illi Patres, quod Scriptura cum ait Oseæ 6. *Misericordiam volo non sacrificium*, si quidem quemadmodum propheticæ sententiæ sensus non est, quod Deus sacrificia absolute respuat, sed ea tantum, quæ ab iis fiunt, qui misericordia sunt vacui; sic istius Augustinianæ; *Ut quid paras dentem, & ventrem, &c.* Sensus non est, quod Christi corpus impii non recipiant cum sacramentum premunt dentibus, sed quod effectu ad quem institutum est frustrentur, quod nimirum fide, quæ per dilectionem operatur, destituti sint.

Confirmatur responsio ex eo, quod Augustinus, quo præcipue Sacramentarii abutuntur, conceptis terminis asseruerit, ipsummet Christi corpus, cum exteriori signo, quod sacramentum dicitur, ab impiis manducari; *Cum* (inquit Serm. 11. de verbis Domini) *ipsam carnem manducent, & ipsum sanguinem bibant*; libro 1. contra Cresconium Grammaticum capite 25. hæc ait, *Quid de ipso corpore, & sanguine Domini unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: nonne idem Apostolus docet etiam hoc, perniciosum male utentibus fieri? ait enim, Quicumque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*: Lib. 5. de Baptismo contra Donatistas capite 8. idem Sanctus Doctor asserit Christum Judæ proditori corpus suum tradidisse; Præterea ut probet ratum esse baptisma datum ab hæreticis, quamvis sit recipientibus inutile, supponit tamquam principium certum, verum corpus Christi iis etiam porrigi, qui indigne communicant, *Sicut enim Judas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo præbuit; sic indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit; aut quia non ad salutem accipit, non acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus, Qui manducat indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Non ergo quærant in Catholica Ecclesia hæretici quod habent, sed quod non habent, idest finem præcepti; sine quo multa sancta haberi possunt, sed prodesse non possunt.*

Objicies 4. Si Patribus persuasum fuisset Christi corpus substantialiter Eucharistia contineri, sextum Joannis caput de Eucharistia exposuissent; cum si de eo Sacramento intelligatur, clare corporalem præsentiam adstruat; Atqui illud caput non de Eucharistia; sed de Incarnatione tantum explicuere; Non crediderunt igitur Christum esse corporaliter in Eucharistia præsentem. Minor propositio probatur 1. ex Augustino qui lib. 1. contra Julianum hanc Christi sententiam, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* ad ipsos etiam infantes, quibus tamen Eucharistia jam non porrigitur, extendit, atque facere satis illi præcepto, quod per baptismum fidei communicent. 2. ex Clemente Alexandrino, qui libro 1. Pædagogi capite 6, *Carnis, & sanguinis nomine*, quo Christus apud Joannem utitur, significatum vult Dei verbum, quo spiritualiter alimur, & inebriamur. 3. ex Basilio, qui epistol. 141. *per carnem, & sanguinem*, intelligit doctrinam Christi, & mysticum ejus in animam adventum. 4. ex Hieronymo, qui in Psal. 147. Domini carnem, & sanguinem de Scripturis exponit: 5. ex Bernardo qui in tertium versiculum Psalm. 90. *Qui habitat*, dicit eum Christi carnem manducare, qui ejus passioni communicat, ac vitam imitatur.

Resp. 1. dato quod aliqui Patres sextum Joannis caput in Eucharistia non intellexerint, non inde tamen sequi, quod Christi corporalem in Eucharistia præsentiam non crediderint; fidem enim suam potuerunt aperire, & revera aperuerunt, cum Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, ad litteram interpretati sunt. Confirmatur ea solutio ex eo, quod Jansenius Gandavensis, Ruardus, nonnullique alii, quibus alioquin certo persuasum fuit Eucharistia corpus Christi substantialiter contineri, idem Joannis caput, non de Eucharistia, sed de fide Incarnationis intelligendum esse contenderint.

Resp. 2. falsum esse quod Patres, qui ante Hussitarum schisma scripsere, docuerint sexto Joannis capite non agi de Eucharistia.

Et sane Cyprianus Serm. 6. de Oratione Dominica hæc scribit, *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus intercedente aliqua* gra-

graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes, a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicente & monente, Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendit. Si quis ederit de hoc pane vivet in æternum. Panem autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita. Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de ejus pane, ut manifestum est eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & Eucharistiam communicationis accipiunt, ita contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separetur a Christi corpore procul remaneat a salute, comminante ipso & dicente, Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Censuit igitur Cyprianus hæcce Christi verba, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; nec non hæc alia, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, &c.* de Eucharistia intelligi debere.

Hilarius libro 8. de Trinitate, ex his Christi apud Joannem verbis, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, hanc elicit conclusionem, *De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra vere caro, & sanguis est, & hæc accepta efficiunt ut nos in Christo, & Christus in nobis sit .... Est ergo in nobis ipse per carnem.* Patet igitur Hilarium hæc Joannis texto verba, *Caro mea vere est cibus*, intellexisse de Eucharistia; quæ cum accipitur, efficit ut ipse Christus sit in nobis per carnem, & quidem sumptam secundum propriam substantiam, cum non sit necessaria ejusdem carnis sumptio, ut in nobis sit per suam virtutem moralem, ut patet in Christi passione, quæ licet extra non sit, moraliter tamen in nobis ipsis operatur.

Ambrosius alludit ad hanc Joannis 6. sententiam, *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; cum lib. de iis, qui mysteriis initiantur, c. 9. hæc scribit, *Considera nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud e cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione; quod quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit & sitit; tu cum biberis, sitire non poteris & illud in umbra, hoc in veritate.* Idem Ambrosius (saltem si sit author libri de Sacramentis, qui inscribitur illius nomine) capite 4 libro 4 postquam retulit hæc Christi apud Joannem verba, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* proponit dubium, quod ita solvit ut Dominicæ carnis in Eucharistia veritatem adstruat, *Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo non otiose tu dicis, Amen, jam in spiritu confiteris quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos,* utique dum Eucharistiam porrigit) *Corpus Christi, Et tu dicis Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.*

Chrysostomo ita evidens fuit sextum Joannis caput de Eucharistia intelligi debere ut in homiliis, quæ in eum Evangelistam conscripsit, Christi verba de pane quem ibidem pollicetur, de carne & sanguine, quorum usum præscribit, seu de Eucharistiæ Sacramento dicta millies asserat; *Non se tantum* (inquit hom. 45.) *videri promittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri .... Parentes sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt; ego autem mea carne alo.*

Cyrillus Alexandrinus in suis in Joannem commentariis sæpius ejusdem Joannis caput sextum de Eucharistia explicat; unum præ cæteris, illius textum lib. 4. hic describemus, *Nihil igitur occultans demum Christus ait, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit. Illud manna, typus erat* (inquit) *& umbra, & imago. Audite palam nunc & aperte, Ego sum panis vivus. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Qui ex illo manducaverunt, mortui sunt; non erat enim vivificus: Qui autem manducat hunc panem; idest me*, SIVE CARNEM MEAM, *vivet in æternum.*

Iis antiquis Patribus subscripsit sacra Tridentina Synodus; quæ quidem licet nullum ediderit decretum, quo sanciverit sextum caput Joannis intelligi debere de Eucharistia, eo tamen utitur, ut illius virtutem adstruat, *Sumi autem* (inquit Sess. 13. cap. 2.) *voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit, Qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

Ex hactenus dictis evidens est, antiquos Patres credidisse, sexto Joannis capite agi non de Incarnatione modo, sed etiam de Eucharistia. Nec quidquam officiunt illi Patrum sententiæ nonnulla aliorum loca quibus Christi verba, quæ Joannes recenset, aut de Incarnatione, aut de prædicatione verbi divini, aut de memoria Christi passionis, aut de mortificatione servanda interpretati sunt; Mysticæ sunt nempe explicationes hujusmodi, nec litteralem qui de Eucharistia intelligitur, excludunt; Idque ex eo confirmatur 1. quod adversarii nullum antiquum Patrem laudare possint, qui sensum illum litteralem a Christi verbis removerit. Confirmatur 2. ex Bernardo, qui licet eo Joannis capite sæpius usus sit ut Eucharistiæ vim, & effectus exponeret, hanc tamen Salvatoris sententiam; *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem &c.* sic serm. 3. in Psalmum, *qui habitat*, exponit, *Respondent homines sæculares cum eis suademus agere pœnitentiam & dicunt,* Durus est hic sermo, *nempe hoc est quod in Evangelio legimus, loquebatur de pœnitentia ipsa Dominus, sed in figura, tamquam his, quibus non erat datum nosse mysterium regni Dei, cum audirent dicentem,* Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, *dixerunt*, Durus est hic sermo, & abierunt retrorsum; *Quid autem est manducare ejus carnem, & bibere sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & ejus conversationem imitari, quam gessit in carne.*

Non immerito Patres antiqui Joannis caput, de quo agitur, interpretati sunt de Eucharistia; nam 1. Christus eo loci non de pane, qui præsens esset, ac proinde non de Incarnatione, sed qui futurus esset, loquitur, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* 2. Carnem a sanguine multoties eo in capite distinguit, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus.* Siquidem de Incarnatione, aut de Christi morte, fides, quam adversarii intellectam volunt, non eget hujusmodi distinctione carnis a sanguine, & sanguinis a carne. 3. Christus non modo carnem a sanguine, & sanguinem a carne distinguit, sed etiam ipsos actus, quibus sumenda sunt, *Nisi manducaveritis, Nisi biberitis, Qui manducat & bibit, Caro est cibus, Sanguis potus*; Quorsum autem ea distinctio si loca illa non intelligantur de orali manducatione, quæ fit tantum in Eucharistia, sub panis & vini speciebus? 4. Cum Joannes aliquo alio in loco de Eucharistia locutus non fuerit, par est ut sextum illius caput, in quo de carnis esu, & potu sanguinis agit, de illo Sacramento intelligatur; cum verisimile non sit Evangelistam mysterium tanti momenti penitus omisisse; Alii retulerant illius institutionem, omissa præcedenti promissione; æquum igitur fuit ut iste, institutione prætermissa, promissionem antea factam describeret. 5. De carnis orali manducatione tunc Judæi verba Salvatoris intellexerunt, *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Intellexerunt ipsi etiam discipuli, *Durus est hic sermo* (inquiunt) *& quis potest eum audire?* Dominus autem, eorum de orali manducatione sententiam non correxit; imo juramento quodam mox confirmavit: *Amen, amen dico vobis nisi manducaveritis &c.* Ipsum ænigmaticum, & metaphoricum (ut volunt adversarii) sermonem, ne ipsis quidem discipulis, explicuit Christus, qui tamen alias parabolas,

bolas, quibus nonnumquam utebatur, sedulo explicare consneverat. 6. Cum Christus, sive in signo tantum (ut placet Sacramentariis) sive secundum corporalem substantiam (ut Catholici docent) carnem, & sanguinem in Eucharistia dederit, par est, ut hæc apud Joannem verba, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, de Eucharistiæ promissione intelligantur, nihil enim magis determinat restrictionem promissionis ad aliquem sensum, quam eventus, qui postea accidit; Ergo, cum certum sit Christum in Eucharistia suam carnem, & suum sanguinem dedisse, hæc sententia, *Panis, quem ego dabo, &c.* de Eucharistiæ promissione veluti naturaliter est intelligenda.

Jam vero, si Patres (ut ostensum est) sextum Joannis caput intellexerint de Eucharistia, facile colligitur eos credidisse Cristum esse in ea corporaliter præsentem; neque enim in Sacramentariorum systemate dici potest, quod Joannes laudato capite de Eucharistia loquatur. Et sane, si quid id probaret, essent maxime hæc Christi verba, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: Sed ex iis id non evincitur in systemare sacramentariorum; cum enim doceant carnem Christi per fidem tantum in Eucharistia manducari, quatenus nimirum eam menti nostræ præsentem reddimus, perpendimusque passionem tamquam nostræ salutis causam; & cum aliunde certum sit id æque fieri posse circa sacramentum, ac in ipso Sacramenti usu; non est cur carnis manducatio, de qua Christus apud Joannem loquitur, intelligatur potius de manducatione, quæ fiat in Eucharistia, seu cum quis ab Ecclesiæ ministris panem, & vinum secundum ritum a Christo institutum recipit, quam de ea, quam extra panis, & vini usum factitarit; præsertim cum ne quidem verbum de manducatione, quæ cum pane, & vino conjuncta sit, Christus apud Joannem protulerit: Confirmatur ex eo quod quemadmodum absurdum esset ad singularem orationis speciem, vocalem v. g. aut mentalem, diurnam aut nocturnam, restringere quæ Christus edixit de oratione in communi; ita non minus absurdum est de sola manducatione, quæ fiat in Eucharistia, id intelligere, quod manducationi, quæ citra sacramentum fiat, convenit.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum ex præscriptione demonstrari possit Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia?

NOmine præscriptionis hic intelligitur alicujus dogmatis professio, quæ ab Apostolis ad hoc usque sæculum non interrupta serie in Ecclesiis perduraverit. Eam vero professionem si quis alicui articulo vindicaverit, ei persuasum sit oportet, quod articulus ille sit ex Apostolica traditione, ac proinde veritate nitatur, cum Apostoli Ecclesias nullum dogma docuerint, quod prius a Spiritu sancto non didicissent; *Hanc igitur* (inquit Tertullianus lib. de Præscript.) *dirigimus præscriptionem: Si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum: alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi filius, & cui filius revelavit. Quid autem prædicaverint idest quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando tam viva (quod ajunt) voce quam per epistolas postea. Si hæc ita fiat, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus, & originalibus fides conspiret, veritati deputandam.* E contra si alicujus articuli professio continua ac perpetua non fuerit in Ecclesiis, certissimum erit argumentum, quod ab aliis quam ab Apostolis fuerit invectus, ac proinde quod non sit a Christo, cujus discipuli norunt, & docuerunt omnia tum fidei, tum morum dogmata, (ut contra quosdam sui temporis hæreticos Tertullianus hac ratione demonstrat,) *Solet dicere non omnia Apostolos scisse; eadem agitati dementia qua rursus convertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse: in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit; Quis enim integræ mentis credere potest aliquid eos ignorasse, quos magistros Dominus dedit, individuos habitos in comitatu, in disciplinatu, in convictu... Sed ut diximus eadem dementia est, cum confitentur quidem nihil Apostolos ignorasse, sed non omnia volunt illos revelasse... Dominus palam edixit si quid in tenebris audissent, in lucem prædicarent... hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minime intellexerunt, si non adimpleverunt, abscondentes aliquid de lumine, Dei verbo, Christi Sacramento.*

Conclusio. Corporalis præsentia Christi in Eucharistia potest præscriptione demonstrari.

Probatur. In confesso est apud omnes, totam Ecclesiam undecimo sæculo, quo suum Berengarius dogma protulit in medium, credidisse corporalem Christi præsentiam in Eucharistia; Ergo Ecclesia quovis sæculo eamdem præsentiam credidit.

Antecedens enthymematis certo constat; Si qui tamen sint inter Sacramentarios, qui illud inficientur hisce momentis possunt confutari. 1. Nullus undecimi sæculi scriptor laudari potest, qui ante Berengarium corporalem Christi præsentiam aut aggressus sit aut non crediderit. 2. Consentientibus omnibus Occidentalibus Ecclesiis, nullaque ex Orientalibus contradicente, variis in conciliis Berengarianum dogma proscriptum fuit. 3. Scriptores, quos tunc Berengarius passus fuit adversarios, testati sunt quod ab omnibus omnino Ecclesiis schisma fecisset, quod nullæ Ecclesiæ ipsius novitati patrocinarentur. *Amplius* (inquit Lanfrancus Archiepiscopus Canturiacensis lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 22.) *Si verum est quod de corpore Christi tu credis, & astruis*, (Berengarium alloquitur) *falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re creditur, & astruitur. Omnes enim qui Christianos se esse, & dici lætantur, veram Christi carnem, verumque ejus sanguinem, utraque sumpta de Virgine, in hoc sacramento se percipere gloriantur. Interroga universos, qui Latinæ linguæ, nostrarumque litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscumque Christianos homines, uno ore hanc fidem se testantur habere.* 4. Berengarius fatebatur totam Ecclesiam, antequam ipse de Eucharistia scriberet, ubique gentium periisse quod ubique corporalem Christi præsentiam in Eucharistia profiteretur; factum illud ex ipsiusmet Berengarii confessione & refert, & confutat mox laudatus Lanfrancus, *Adversus tam clara ipsius Domini, & sancti Spiritus ejus de Ecclesia, & de statu Ecclesiæ testimonia, objicis tu* (inquit cap. 23.) *& objiciunt qui a te decepti, alios decipere moliuntur: Itaque dicis prædicatum est Evangelium in omnibus gentibus, credidit mundus, facta est Ecclesia, crevit, fructificavit, sed imperitia male intelligentium postea erravit, & periit, in nobis solis & in his, qui nos sequuntur sancta in terris Ecclesia remansit. Hanc sacrilegam vanitatem evertit Evangelica veritas, & prophetarum, atque sanctorum Patrum non violanda authoritas.*

Jam autem demonstrato antecedente, demonstratur consequens, nempe quod ex suppositione quod undecimo sæculo antequam Berengarius prodiret, tota Ecclesia Catholica ubique gentium, corporalem Christi præsentiam agnoverit in Eucharistia, eam semper crediderit, ac proinde acceperit ab Apostolis. Cum ea esset totius Ecclesiæ sententia undecimo sæculo, si tunc errarit, oportuit ut ex negante prius hujusmodi præsentiam, tunc facta fuerit credens. Atqui id asseri non potest. Nam 1. non potest laudari author, qui primus eam circa illud dogma immutationem invexerit. 2. Assignari non potest tempus, quo contigerit tanta mutatio. Imo hujusmodi mutatio, qua Sacramentariorum systema nititur, omnino fuit impossibilis. Ergo, &c. Illud argumentum adversarios maxime torquet, ut cum methodo confutentur eorum solutiones. Articulum hunc dividemus in tres Paragraphos. In priore proponetur Blondelli responsio: in altero confutabitur Claudii apud Calvinistas Francus Evangelii pseudo-minister, & in tertio utriusque argumenta solventur.

§. I.

§. I.

Rejicitur Blondelli responsio ad argumentum ex præscriptione desumptum.

BLondellus, aliquibus ab hinc annis Sacramentariorum apud Francos minister, contendit Anastasium Sinaitam, sive montis Sinai monachum, circa annum 636. prima jecisset fundamenta doctrinæ, qua asseritur Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia. Cum enim (ait) tertii, & quarti sæculi Patres Eucharistiam appellarint, *Sacramentum signum, imaginem, antitypa, figuram corporis Christi*, Anastasius e contra negarit eam esse figuram, imaginem, antitypum; ac proinde novator extiterit necesse est. Addit Blondellus usurpatam ab illo monacho loquendi rationem adhibuisse pariter Epiphanium Diaconum in altero Concilio Nicæno, sicque ipsum aperuisse viam opinioni, quam Orientales de præsentia corporali Christi in Eucharistia modo profitentur.

Sed quam futilis sit ea Blondelli responsio variis argumentis demonstrari potest. 1. Qui novum dogma proferunt, & adversariis inauditum, ipsum non supponunt tamquam certum principium, ex quo aliud adversariorum, quos impugnant, dogma insectentur, Anastasius tamen suam de Eucharistia doctrinam supponit, tamquam principium & sibi, & Gaianitæ, seu Eutichiano, quem insectatur, certissimum, *Sed dic mihi* (inquit cap. 23. libri quem *Viæ Dux* inscripsit) *si ut Divinitas, ita & corpus Christi & ab ipso aaionis exordio immortalitatem habet, num communio sacratissimi corporis, & sanguinis Christi quam offers, & participas, vere est verum corpus, & sanguis Christi filii Dei, vel nudus panis, qualis ostiatim venditur, vel vicem dumtaxat, & figuram gerit corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Judæi offerunt*: Illi vero quæstioni Gaianita iis verbis respondet, quibus testetur persuasum esse sibi quod Christus corporaliter in Eucharistia contineatur, *Absit* (inquit) *ut dicamus sacram communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus, & sanguinem Christi filii Dei incarnati, & ex sanctissima Deipara, & semper virgine Maria nati vere accipimus*. Ex eo principio, cui subscripsit Gaianita, quodque proinde novum ipsi non fuit, sic Anastasius argumentatur, ut probet contra eumdem Gaianitam Christi corpus non fuisse, dum viveret, incorruptibile, *Sic credimus, sic confitemur juxta dictum Christi ad discipulos in cœna mystica dantis illis vivificum panem*, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, *Similiter, & calicem dedit illis dicens*, Hic est sanguis meus, *Non dixit*, Hoc est figura, seu quid vices gerens corporis & sanguinis mei, *& pluribus aliis locis ait Christus*, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. *Cum igitur ipse Christus fateatur, vere esse corpus suum, & sanguinem, quem nos fideles sumimus, agedum, adfer nobis aliquid ex communione vestræ Ecclesiæ tamquam supra omnes alias Ecclesias orthodoxæ, & in vase cum omni honore, & reverentia reponemus hoc sanctum corpus Christi, & sanguinem, & si intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fiet vos recte asserere corpus Christi penitus ab ipso incarnationis exordio corruptionis expers esse: Si vero corrumpatur aut immutetur, aut alteretur, necessarium erit, ut unum e duobus fateamini, aut id quod sumitis non esse verum corpus Christi, sed solam figuram, quasi vicarium quiddam, aut propter perversam fidem vestram Spiritum sanctum in illud non descendisse, aut corpus Christi ante resurrectionem corruptioni subjectum esse, utpote immolatum, morti traditum, vulneratum, divisum, & manducatum*. Nihil clarius pro substantiali præsentia Christi in Eucharistia proferri potest; licet obscurum sit quod ex ea fide Anastasius concludere videtur, Christi scilicet corpus in ea sic esse corruptibile, ac erat antequam pateretur.

2. Inane est omnino quod Blondellus addit de Epiphanio Diacono: nam cum voces istæ, *Imago, signum, figura*, sumi possint aut in sensu realitatis exclusivo, aut in sensu qui eam non excludat, (res enim modo insensibili substantialiter præsentes, signis sensibilibus adumbrari ac significari possunt) Blondellus probare debuisset tertii & quarti sæculi Patres in sensu exclusivo sumpsisse terminos, *Figuræ, imaginis &c.* ut Anastasium Sinaitam, & Diaconum Epiphanium novitatis posset insimulare.

3. Mirum non est quod sexto, septimo, & octavo sæculo, sacri Scriptores raro *signi*, *figuræ*, *aut imaginis* nomine Eucharistiam nuncupaverint; cum enim illud nomen id non exprimeret quod præcipue de Eucharistia credebatur, facile fieri potuit ut ex communi loquendi usu prorsus evanuerit.

4. Nullus ex innumeris authoribus, qui apud Orientales 6. 7. & 8. sæculo floruerunt, impugnavit doctrinam quam tuiti sunt Anastasius, & Epiphanius circa Christi præsentiam corporalem in Eucharistia; imo omnes ad unum eam amplexi sunt. Novitatem igitur non sapuit; Quis enim credat Episcopos omnes, Doctores maxime pios, totum populum fidelem, imo singulos Orientis hæreticos, nullo contradicente, nullo principe id imperante, nullo Concilio sic definiente, in eam Anastasii (ut Adversarii volunt) novam impietatem abiisse.

5. Detur Blondello cæterisque Sacramentariis totam Græciam, singulas ac aliunde sibi invicem oppositas in Oriente sectas Anastasio, & Epiphanio Diacono adhæsisse (quod tamen quam sit absurdum nec ipsos etiam cæcos fugit) via non patet per quam novum illud tum Anastasii, tum Epiphanii dogma pervaserit Ecclesiam Occidentalem; Ei nimirum non potuit innotescere, nisi in Synodu Francofordiensi, ad quam delata sunt alterius Nicæni Concilii acta, quibus constabat Iconomachos male audiisse quod Eucharistiam, corporis Christi antitypum, seu imaginem dixissent. Sed ab omni verisimilitudine alienum est quod Francofordienses Patres, nullo contradicente, ab ipso Nicæno Concilio secundo doctrinam hauserint prorsus oppositam ei, quam prius ut pertinentem ad fidem explicite profitebantur; Idque eo evidentius quod certum sit alteram Nicænam Synodum apud eos male audiisse, quippe quam damnarint rati ea fuisse definitum quod cultus absolutus latriæ imaginibus debeatur.

6. Detur iterum adversario quem impugnamus, Francofordienses Episcopos hausisse errorem Epiphanii Diaconi ex altero Nicæno Concilio: qua tamen ratione, qua via, quo authore, nullo penitus Episcopo contradicente; nulla dissentiente Synodo, summis Pontificibus nequaquam obsistentibus, nullis omnino viris piis, qui tunc florebant, repugnantibus, Italiam, Gallias, Hispanias, totumque Occidentem Christianum pervadere potuit?

§. II.

Confutatur Pseudo-ministri Claudii responsio ad argumentum pro Christi præsentia corporali in Eucharistia desumptum ex præscriptione.

QUidam, Claudius nomine, apud Sacramentarios Gallos nuper Evangelii pseudo-minister, aliam quam Blondellus iniit viam ut argumentum desumptum ex præscriptione declinaret, Asseruit nimirum 1. Paschasium Corbeiensem monachum libro quem circa annum 818. *De corpore, & sanguine Domini* inscripsit, primum apud Christianos dogma de præsentia corporali invexisse. Contendit 2. illam Paschasii doctrinam sæculo 10. quo scelus, & ignorantia in totam Ecclesiam exundarunt, omnium fidelium animos pervasisse, ac tam altas tunc radices egisse, ut non multo post, medio nimirum undecimo sæculo, Berengarius, qui primævam (inquit Claudius) fidem redintegrare conatus est, novitatis & hæreseos ubique gentium insimulatus sit.

Sed quantum ea omnia fabulam redoleant, demonstravit maxime pius & doctissimus author libri, qui inscribitur, *Perpetuitas fidei circa Eucharistiam*. Idem nos hic præstabimus, seu ostendemus Pascha-

sium

sium in libro *de corpore & sanguine Domini*, non aliam fidem proposuisse, quam quæ ubique tunc temporis a Christianis omnibus admitteretur: verum non aliis argumentis utemur, quam iis, quibus mox laudatus author usus est.

1. Paschasii librum, *De corpore & sanguine Domini*, ante annum 852. quo ipse fato functus est, nullus author scripto fuit agressus, nonnulli quidem secreto obmurmurarunt, non quod adstruxisset Christi corporalem præsentiam, sed quod (ut sibi videbantur) de modo quo manducatur, nonnulla dixisset, quæ Scripturis non niterentur, *Hæc idcirco* (inquit lib. 12. in 26. caput Matthæi, quem edidit instante fato) *potius dixerim & expressius quia audivi quosdam me reprehendere, quasi Ego in eo libro, quem de Sacramentis edideram Christi, aliquid his dictis plus tribuere voluerim, quam ipsa repromittat veritas, timentes forte quod ipsi tunc timuerunt, quibus loquebatur, partes facere voluerim, & ejus per singulos membra dividere concisa, vel dispertita, sicut illi tunc putarunt, qui scandalizati dicuntur, & abierunt retrorsum, quibus Salvator ait, Hoc vos scandalizat, si videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Ac si diceret, si hoc intelligere possetis, sciretis utique quod qui integer ascendere potest ubi erat prius, unus idemque Christus, consumi non potest per partes, nec dividi dentibus.* Ergo Paschasii liber *De corpore, & sanguine Domini*, non aliam de ejusdem corporis & sanguinis veritate doctrinam continebat, quam quæ a sæculi noni fidelibus crederetur. Id ipsemet Paschasius scribit in Epistola ad Frudegardum, ubi sic loquitur: *Videat qui contra hoc venire voluerit, magis quam credere*, quid agat contra ipsum Dominum, & CONTRA OMNEM ECCLESIAM. *Ideo quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto qui hoc ita esse contradicat, quod* TOTUS ORBIS *credit ac confitetur* ..... *Nefandum ergo scelus est orare cum omnibus, & non credere quod ipsa veritas testatur, & ubique* OMNES UNIVERSALITER *verum esse fatentur*. Confirmatur ex eo quod lib. 12. in Matthæum asserat novam sibi videri aliquorum opinionem, qui contenderent Eucharistiam, non aliud esse quam figuram, non aliud continere quam virtutem, non autem substantiam corporis Christi. *Miror* (inquit) *quid velint nunc quidam dicere, non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis; sed in Sacramento virtutem carnis, & non carnem, virtutem sanguinis, & non sanguinem, figuram & non veritatem, umbram & non corpus*. Quid vero novi ea in doctrina Paschasius detexisset, si illam ipsemet antea fuisset professus; Cur *quorumdam* sententiam appellat, quam sciret (ex Adversariis) ubique gentium fideles credere, ac credidisse antequam suum de corpore Domini librum edidisset in lucem. Confirmatur iterum ex eo quod Frudegardus, ad quem Paschasius Epistolam dedit, confiteatur se eam doctrinam semper amplexum fuisse, quam Paschasius libro suo defenderat; sed tamen nonnihil negotii facescere sibi quædam Augustini loca, quibus verba Salvatoris, tropica locutio dicebantur; *Dicis* (inquit Paschasius Frudegardum alloquens) *te sic antea credidisse, & in libro quem de Sacramentis edidi ita legisse: Sed profiteris postea te in libro tertio de doctrina Christiana B. Augustini legisse quod tropica sit locutio*. Frudegardus igitur, etiam antequam Paschasii liber prodiisset in lucem, cum cæteris Christianis credebat corporalem Christi præsentiam in Eucharistia. Eam igitur doctrinam Paschasii liber in orbem non invexerat.

2. Post Pascasii mortem, sæculo scilicet 9. & 10. nullus quoque scriptor illius de realitate corporis & sanguini Domini, doctrinam aggressus est; nulla Synodus proscripsit, nullus damnavit Episcopus. Imo, ex ipsis etiam Sacramentariis, omnes eam amplexi sunt. Ergo Paschasii liber fidem expresserat, quam Christiani nono & decimo sæculo profitebantur.

Nec audiendi sunt adversarii cum reponunt Amalarium, Heribaldum Episcopum Antisiodorensem, Rabanum, Archiepiscopum Moguntinum, Bertrammum monachum Corbeiensem. Joannem Scotum, Prudentium Tricassinum, impugnasse Paschasii jam fato functi librum, *De corpore & sanguine Domini*, proinde (inquiunt) illius libro non continebatur doctrina, quam tunc Catholici profiterentur, nec verum est quod ejusdem sententia nullo contradicente, apud Occidentales invaluerit; Non sunt (inquam) audiendi, ut subsequentibus monumentis demonstrabitur.

Quod ad Amalarium & Heribaldum spectat, falsum est quod Paschasius circa Christi corporis & sanguinis in Eucharistia realitatem, eos passus fuerit adversarios. Amalarius, cui Vvillelmus Malbesburiensis in Epitome manuscripta conjungit Heribaldum, duo de Eucharistia docuit. Primum in Epistola quam septimo volumine Spicilegii legere est, conceptis terminis asseruit Christi corpus in terris esse cum ipse voluerit. Alterum, dubium esse an idem corpus a fidelibus comestum in secessum emittatur, ut solent communes cibi, quibus vescimur, *Ita vero sumptum corpus Domini* (inquit) *bona intentione, non est mihi disputandum utrum invisibiliter assumatur in cœlum, an reservetur in corpore nostro usque ad diem sepulturæ, aut exhaletur in auras, aut exeat de corpore nostro cum sanguine, aut per poros emittatur, dicente Domino, omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*. Utrumque illud assertum Amalarii, prorsus oppositum est Sacramentariis. Prius ipsam Paschasii du realitate doctrinam continet; posterius ipsam supponit quidem, sed præterea Stercoranistarum errorem complectitur, quem deinceps positive (ut Florus Lugdunensis testatur) ab eodem Amalario propugnatum, Concilium Cresliense proscripsit, eos damnans qui dicerent corpus Christi esse *triforme tripertitum*, quasi (ut ille author voluerat) realiter sit sub triplici forma, panis nimirum, corporum qui in sepulchris jacent, & eorum hominum qui viventes degunt in terris.

Quod attinet ad Rabanum; certum est ipsum privata quadam Epistola quam dedit ad Abbatem Egilonem, hæc scripsisse: *Quidam nuper de ipso Sacramento corporis, & sanguinis Domini non recte sentientes, dixerunt hoc ipsum corpus & sanguinem Domini esse quod de Maria virgine natum est*. Sed eo loci Rabanus non rejicit doctrinam de realitate, quam Paschasius defenderat, sed opinionem discipulorum Amalarii, qui cum suo magistro contendentes Christi corpus esse sub triplici forma, hoc est ipsum habere formam panis ac corporum tum viventium tum mortuorum, concludebant, *ipsum Sacramentum*, seu partem sensibilem ex qua constat, *Ipsum corpus & sanguinem Domini esse, quod de Maria virgine natum est*; nullum reperiri discrimen inter Christi corpus, & panis & vini species; corpus Christi iisdem omnino accidentibus subjici, quibus panis, mortuorum cadavera, & corpora viventium subjacent.

De Bertrammo duo dicenda sunt: 1. incertum esse num idem sit cum Scoto Erigena, non alium enim esse gravissimis conjecturis probat author dissertationis, quam ad calcem tomi prioris de fidei circa Eucharistiam perpetuitate legere est: 2. videri Bertrammum, hoc unum voluisse, nimirum, externam sacramenti speciem non esse ipsum Christi corpus, sed ejus signum tantum aut figuram; ea de re non autem de veritate corporis Christi in Eucharistia, interrogatus fuerat a Carolo Calvo, *Quod in Ecclesia ore fidelium sumitur* (inquit sui libri initio) *corpus & sanguis Christi quærit vestræ magnitudinis excellentia in mysterio fiat an in veritate, idest* UTRUM ALIQUID SECRETI CONTINEAT, *quod oculis fidei solumodo pateat*; an SINE CUJUSQUAM VELAMINE MYSTERII *hoc aspectus intueatur exterius quod mentis visus inspiciat interius*. Id sibi confutandum incumbere asserit in præfatione quam operi suo præfixit, *Quidam fidelium corporis sanguinisque mysterium, quod in Ecclesia quotidie celebratur dicunt quod* NULLA SUB FIGURA, NULLA SUB OBVELATIONE FIAT, SED IPSIUS VERITATIS NUDA MANIFESTATIONE *peragatur*: Eo tendunt omnia argumenta quibus utitur, *Hoc quippe est* (inquit c. 5.) quod *Sacram. vel mysterium vocatur: si enim totum visibile fieret*.

ret, nullum in eo mysterium, vel secretum esset, nulla fides, nulla vis spiritualis, nulla alia res, quam quæ oculis & gustui subjacent. Accurate distinguit externam Eucharistiæ speciem ab eo, quod ea continetur interius, *Exterius quidem panis* (inquit) *quod antea fuerat forma prætenditur; color ostenditur, sapor accipitur. Ast interius longe aliud multoque pretiosius, multoque excellentius intimatur; quia cœleste, quia Divinum, idest corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur.* Hinc concludit eos errare, qui nullam in Eucharistia figuram admittunt, *Si secundum quosdam nihil hic figurate accipitur, sed totum in veritate conspicias; nihil hic fides operatur, quia nihil hic spirituale geritur, sed totum in veritata conspicitur;* Quibus quidem ex verbis affulget sensus his aliis quibus Bertrammus utitur, ut explicet quid quæstionis sit ipsum inter, & adversarios, *Hic jam suboritur quæstio, quam plurimi proponentes loquuntur non in figura, sed in veritate illa fieri*, veritatem enim iis, quos impugnat, sic definiebant, *Veritas est rei manifestæ demonstratio, nullis umbrarum imaginibus obvelatæ*. 3. Tandem de Bertrammo dici potest, quod cum voluerit probare externam speciem, quæ in Eucharistia remanet, non esse ipsum Christi corpus, quædam protulerit, quibus visus sit ipsius corporis substaotiam exclusisse ab Eucharistia, eam Bertrammi loquendi rationem proscripsit Hincmarus, nec oon aliam, *Quod trina sit Deitas*, (sic enim capite 31. lib. de Prædestinatione loquitur,) *Sunt & alia, quæ vocum novitatibus delectantes, unde sibi inanes comparent rumusculos, contra fidei catholicæ veritatem dicunt, videlicet quod trina sit Deitas, quod sacramentum altaris non verum corpus, & verus sanguis sint Domini, sed tantum memoria veri sanguinis ejus, Quod Angeli natura sint corporales.*

Quod Prudentius impugnarit Paschasium circa realitatem corporis Christi in Eucharistia quidam Pseudo-ministri colligere sibi videntur ex Hincmaro Rhemensi, qui postquam asseruit Prudentium Scoto, seu Bertrammo circa Prædestinationem adversatum fuisse, hæc subdit, *Sunt & alia, quæ vocum novitatibus delectantes... dicunt, quod Trina sit Deitas, quod sacramentum altaris non unum corpus, & sanguis sint Domini, &c.* Sed id nullius est roboris, uni enim Bertrammo, quocum Hincmarus Rhemensis conferuit propter *Trinæ Deitatis vocem*, non autem Prudentio convenit; nec ex eo, quod in dogmatis Bertrammus scripserit, Hincmarus collegit idem sensisse Prudentium, quem aliunde, ex ipso Hincmaro, Bertrammus, seu Scotus adversarium passus est. Itaque constat ex dictis hactenus, per annos triginta quibus vixit Paschasius post editum a se librum, *De corpore, & sanguine Domini*, nec post ejus obitum, oeminem illius de transubstantiatione doctrinam impugnasse, uno tamen excepto Joanne Scoto, aut Bertrammo, saltem indirecte, qui ob id novator est habitus ab Ecclesia, ut patet ex Hincmaro.

3. Pseudo-minister, Claudius nomine, supponit ignorantiam, & scelus in omnes Ecclesias exundasse decimo sæculo, quo contendit dogma de corporali præsentia Christi in Eucharistia laicorum, monachorum, & Episcoporum omnium animos pervasisse. Sed ea suppositio veritate non nititur. Nam 1. plerisque in monasteriis accurata, & stricta servabatur disciplina, quippe quod Cluniacenses propter eximiam pietatem summo in honore essent apud Gallos, iis oempe præerant SS. Odo, Mayeulus, Odilo. Ea ætate S. Romualdus, vir omni virtutum genere præditus, Camaldulensium Ordinem instituit; Apud Germanos, Italos, Gallos, plerique præsules sanctiorem disciplinam invexerunt. 2. Decimo sæculo eluxit plurimorum zelus in adduceodis ad finem barbaris gentibus, Dani oimirum, Sveci, Lituanii, Hungari, Poloni Christianæ religioni nomen dederuot. 3. Tunc florebant plures Episcopi pietate, & doctrina conspicui, hos inter numerare est ambos Adalbertos, quorum alter Magdeburgensibus, alter vero Bracarensibus præfuit, numerare est S. Duostanum, qui Edgarum Anglorum Regem palam arguit, ac pœnitentiæ addixit, quod virginem Deo sacram oppressisset, qui Clericos incontinentes sacerdotiis spoliavit, numerare est S. Odonem Archiepiscopum Cantuariensem; de quo hæc scribit Guillelmus Malbesburiensis, *Plurimos de veritate Dominici corporis dubitantes ita roboravit, ut panem altaris versum in carnem, & vinum calicis in sanguinem propalam ostenderit, & denuo in pristinam speciem retorta, usui humano conducibilia faceret.*

4. Si dogma de corporali præsentia Christi in Eucharistiæ sacramento, a Paschasio (ut Adversarii fingunt) excogitata nono sæculo, sub ejusdem sæculi finem fidelium animos incœpisset pervadere, ac labente decimo omnium fidem (ut Sacramentarii voluut) Calvinisticam, ita corrupisset ut Berengarius, qui oon multo post eam tentavit restituere, ab omnibus omnino Christianis tamquam novator habitus sit, & eo nomine ubique proscriptus; gravissima absurda sequerentur, quæ nulli omnino, qui præoccupatus non fuerit, probari possunt, quæque fidei mutationem, qua nititur adversariorum systema, prorsus impossibilem efficiunt. 5. Supponendum esset dogma de præsentia corporali, cum ante decimum sæculum ignotum esset omoibus omnium gentium Christianis, tamquam commuoem, & receptam ubique fidem, in quatuor vel quinque libelli capitibus a Paschasio monacho propositum fuisse. 2. Oporteret supponere, per trigiota annos, quibus Paschasius post editum in lucem librum illum vixit, extitisse neminem, qui hujusmodi novatorem tanti erroris conscium admonuerit, qui deterruerit a proposito labefactandi fidem catholicam. Summæ impietatis insimulandi essent tum Abbas, cui subjectus erat in moasterio Corbiensi, tum monachi a quibus mortui Abbatis loco suffectus est, quamvis in hæresi perstitisset sua. 3. Supponendum esset cunctos ubique Christianos ab eo statu, in quo credebant absentiam corporalem, sic translatos fuisse ad eum statum, quo præsentiam cœperunt credero, ut eorum nemo de tanta sui mutatione verbum fecerit, nec pænitens postea defleverit suum antiquum errorem, nec ullum ediderit lætitiæ signum, quod liberatus ab errore, quo prius tenebatur, demum veritatem fuisset consecutus. 4. Oporteret supponere, ex missionariis innumeris, qui realem præsentiam omnium geotium populos edocuissent, nullum repertum fuisse, qui opus aliquod elucubrarit, quo novam, quam invehebat, doctrinam stabiliret, ac præterea dicendum foret missionarios hujusmodi, licet locorum, & temporum spatio distantes, convenisse inter se, ut oullo monumento felicem suarum concionum progressum posteris commendarent. 5. Fatendum esset ex innumeris Episcopis, Doctoribus, Monachis, Fidelibus maxime piis nemine contradixisse, Paschasii discipulis; nullam Synodum convenisse, ut palam serpentem in dies hæresim proscriberet, nullum principem extitisse qui viros tantæ novitatis conscios coercuerit, nullum concionatorem, nullum parochum, qui a grege sibi credito hujusmodi lupos arcere tentarit. 6. Supponendum esset Paschasitas recentiores, & Erigenitas, seu Bertrammistas in antiqua præstantes fide, multis annis ad eadem templa convenisse sine altercationibus, sine dissidiis, utrisque etiam pastores sacramenta palam contulisse. 7. Dicendum foret fideles qui hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, atque dispensandæ Eucharistiæ formulam in sensu metaphorico prius intelligebant, sumpsisse postea in sensu litterali; cœpisse eos absolutum latriæ cultum exhibere Eucharistiæ quam aotea perpenderant tamquam meram creaturam, merumque signum, quod Christi carnem adumbraret; idque ad Paschasitarum conciones factitasse absque ulla contradictione, quamvis tamen sic comparati sint homines, ut tenacem animum iis opponant, a quibus summæ impietatis arguuntur, præsertim si eo in errore diu versati sint, eumque tamquam maxime pium semper habuerint. 8. Dicendum esset, quæ tunc maxima erant Occidentalem inter, & Orientalem Ecclesiam dissidia, non impediisse, quin unus monachus Latinus, omnium Orientalium Episcoporum, Doctorum, & Christianorum fidem suorum discipulorum opera perverterit;

ac

ac præterea sequeretur, omnes alioquin dissidentes inter se, Orientalium Christianorum numerosissimas societates in eo convenisse, ut absque strepitu, cum reverentia, lubenti, ac docili mente cujusdam monachi Latini doctrinam admitterent, priore, quam cum lacte hauserant, quamque sciebant patres suos ab avis & atavis didicisse, damnata tamquam quæ maximam impietatem contineret.

Relatæ hactenus suppositiones in unum veluti locum coactæ, demonstrant impossibilitatem mutationis, quam circa Eucharistiæ fidem decimo, aut alio sæculo, contigisse Sacramentarii contendunt; At si impossibilis fuerit ea mutatio, necesse est utraque Ecclesia, Latinam dico & Græcam, eamdem semper circa Eucharistiam fidem professa sit, quam profitebatur undecimo sæculo, quo Berengarium proscripsit; ac proinde ab Apostolis ad hæc usque tempora, verba Evangelica, *Hoc est corpus meum*, in sensu litterali sumpserit. Suppositiones quas modo recensuimus, excerptæ sunt ex libro de fidei circa Eucharistiam perpetuitate. Non ægre feret doctissimus, & maxime pius author, quod nostram de realitate quæstionem ditaverimus ex ante latis ab eo pro Ecclesiæ causa immensis laboribus.

§. III.

Solvuntur objectione, quibus Sacramentarii enervare conantur argumentum pro corporali Christi præsentia ex præscriptione desumptum.

OBjicies 1. Sensim sine sensu dogma de corporali Christi in Sacramento præsentia in Ecclesias tum Latinas, tum Græcas irrepsit: proindeque mirum non est, quod ubique, nemine contradicente, invaluerit. Probatur antecedens variis novitatum exemplis, quæ clanculum, & furtim in utraque Ecclesia Orientali nempe, & Occidentali contigerunt. Prius earum novitatum, ac mutationum exemplum sit in panibus azymis, quos (ut docet Sirmondus) Ecclesia Latina ad conficiendam Eucharistiam sæculo x. adhibere cœpit, quamvis per novem priora solo fermentato usa fuisset.

Alterum sit in jejunio, quod majores nostri usque ad occasum solis producebant, quodque tamen nos aliquibus ab hinc sæculis circa horam meridianam solvimus.

Tertium exemplum in Eucharistica, sub utraque specie, communione proponitur. Ea quatuor ab hinc sæculis non laici modo, sed etiam Presbyteri non offerentes prohibentur, quamvis per duodecim priora sæcula singulis fidelibus concessa fuerit, imo & nonnumquam præcepta, ut ex Leone Magno contra Manichæos scribente colligitur.

Quartum mutationis, quæ furtim irrepsit, exemplum sit in imaginum usu, quem admisere Nicænæ secundæ Synodi Patres, rejecerunt vero, ac damnarunt Francofordienses; Atqui mutationes, de quibus hactenus, sine aliquo Ecclesiæ decreto, sine populorum contradictione, Episcopis nequaquam obnitentibus, contigerunt. Ergo circa Eucharistiæ fidem eadem ratione, sive furtim, clanculum, sensim sine sensu, in Ecclesia mutatio irrepere potuit.

Resp. dato antecedente, quod tamen secundum omnes, quas continet partes, non est verum, nego consequentiam; neque enim mutationes, quæ objiciuntur ab adversariis, similes sunt mutationi, quam in Eucharistia contigisse supponunt.

1. Illæ mutationes ad disciplinam pertinent; Ea vero, quæ circa præsentiam corporalem Christi in Eucharistia contigisset, ad fidem spectat. Non est æquitati consonum, ut sub novitatis obtentu aliqua disciplina proscribatur, ac rejiciatur, e contra dogmatis ad fidem pertinentis novitas invictissime ejusdem dogmatis falsitatem demonstrat. Nova disciplina, circa hominum errorem, & antiquitatis authoritatem, invehi potest in Ecclesias. At novum aliquod dogma ad fidem spectans admittatur, Novitas ab eo, qui ipsum docet, ac fidelibus tentat inserere, simuletur oportet; quod quidem circa corporalem Christi in Eucharistia præsentiam fieri non potuit: quotquot enim erant in orbe Christiani, si vera sit Calvinistarum suppositio, docti erant absentiam corporalem, credebant eam ex iis esse articulis, quos ipsi, eorumque majores professi fuissent; Novi dogmatis fides contrariæ, licet antiquæ, opinionis falsitatem, ac proscriptionem secum importat; E contra disciplina, quæ invalescere incipit, plerumque suscipitur absque quod antiqua damnetur, unde non est mirum, si sine Ecclesiæ positivo decreto, sine populorum obmurmuratione, & sine Doctorum, Pastorumque strepitu sæpius disciplina hujusmodi in Ecclesias invehatur. Ratio est 2. quia, quæ in objectione referuntur mutationes, non fuerunt universales, seu ubique gentium non obtinuere.

Quod enim ad priorem mutationem spectat, omnes non conveniunt, quod Ecclesia Latina fermentato pane ad Eucharistiam conficiendam usque ad sæculum x. (ut supponit Sirmondus) usa fuerit; Id enim passim non Scholastici modo, sed & plures alii de historia Ecclesiastica optime meriti inficiantur. Præterea ipsemet Sirmondus avitum morem, fermentatum scilicet consecrandi, semper apud Græcos obtinuisse & his etiam temporibus obtinere fatetur.

Quod ad mutationem altero loco propositam, constat quoque eam apud Orientales Ecclesias non invaluisse. Neque enim amplissimæ illæ Ecclesiæ jejunium ante solis occasum solvunt; quæ vero apud Occidentales obtinuit consuetudo, ex Christianorum quidem tempore (refrigescente scilicet avita patrum charitate) ortum duxit. At non est cur his temporibus crimini Occidentalibus vertatur; eum enim morem quamvis a prisco dissidentem, infirmis suis filiis Ecclesia materna quadam indulgentia postremis sæculis concessit.

Non valet quoque argumentum, quod ex tertio, circa calicem nempe, mutationis exemplo colligunt adversarii; Neminem quippe Ecclesiasticorum morum non imperitum latet, innumeros Orientis populos, Græcos dico, Melchitas, Moscoviticam gentem, Georgianos, Nestorianos, Jacobitas, Armenos, Abyssinos, ipsos etiam Maronitas, qui Romana communione fruuntur, neminem (inquam) latet, Christianos illos omnes, hac etiam ætate Eucharistiam, sub utraque panis & vini specie sumere, ac sumpsisse quovis sæculo.

Levissimi pariter est ponderis, quod ex imaginum usu proponunt ii, quos impugnamus; Duo scilicet in imaginibus distinguenda sunt; unum quod ad dogma spectat; Alterum quod ad Ecclesiasticam disciplinam refertur. Primum in eo positum est, quod relativus imaginum cultus fidei non adversetur: sed e contra pius sit, ac religiosus. Alterum in eo consistit, quod imagines in templis pingantur, & fidelium oculis subjaceant. Circa primum, nulla unquam mutatio in Ecclesia Catholica contigit. Nec quoad eum articulum Nicænæ secundæ Synodi Patribus Francofordienses adversati sunt. Non enim ob aliud Græci illi Patres a nostris Latinis proscripti sunt, quam quod, cum isti linguæ Græcæ imperiti essent, arbitrati fuerint, Nicænos Episcopos definiisse cultum absolutum latriæ Christi, ac Sanctorum imaginibus exhiberi debere; a qua tamen sententia illi Patres Græci aberrant quam maxime. Circa alterum in eo positum, quod imagines in templis pingantur, non diffitemur, quin aliquid mutationis acciderit; quippe quod prioribus sæculis, quibus ubique gentium idololatria dominabatur, imaginum usus, apud Christianos minus frequens extiterit in templis: timebant scilicet majores nostri ne iis, qui ex gentilitate recenter religioni Christianæ dederant nomen, pictæ, aut sculptæ imagines essent offendiculo: At ubi idololatria extincta fuit, imaginum usus in omnium Christianorum templis cœpit esse frequens, ac conspicuus.

2. Hoc maximum inter mutationes, quas Sacramentarii nobis opponunt, & eam, quam supponunt accidisse, circa Eucharistiæ realitatem, discrimen reperitur, quod aperta sint illarum mutationum monumenta, quod nonnullæ non sine strepitu, ac contra-

dictio-

dictione fuerint invectæ, quod tempus assignari possit quo contigere; e contra vero nonnullum est omnino mutationis de qua est quæstio, apud antiquos vestigium, non potest determinari tempus, quo facta fuerit, non assignantur authores, a quibus fuerit invecta; non laudantur ii, a quibus passa fuerit contradictionem.

Objicies 2. Certum est Joannem Scotum Erigenam nono sæculo docuisse, quod Christus non sit corporaliter præsens in Eucharistia: Et tamen ei non contradixerunt Episcopi, a nulla Synodo tunc fuit proscriptus. Ergo supponi potest, quod illius doctrinam tunc ubique gentium Christiani profiterentur; quemadmodum ex eo, quod Paschasius nullibi damnatus sit, Catholici Romani concludunt illius de realitate doctrinam, eam fuisse, quæ ab omnibus Ecclesiis, tunc admitteretur.

Respond. 1. Joannem Scotum Erigenam male jam nono sæculo apud Catholicos audiisse, unde e Galliis in Angliam secedere coactus est. 2. Hincmarus Rhemensis illius errorem proscripsit lib. de Prædestinat. cap. 31. ubi sic loquitur, *Sunt & alia, quæ vocum novitatibus delectantes contra fidei Catholicæ veritatem dicunt ... quod Sacramentum altaris, non verum corpus, & verus sanguis sint Domini, sed tantum memoria veri sanguinis ejus.* 3. Scotus indirecte tantum Sacramentariorum doctrinam asseruit, Paschasius & contra directe adstruxit corporalem Christi præsentiam, removitque ab Evangelicis verbis sensum metaphoricum. 4. Ideo contra Scotum nulla Synodus coacta fuit, quod nullos sui erroris reliquisset discipulos, quod nullos haberet sectatores: e contra vero, in Sacramentariorum systemate, Paschasii liber *de corpore, & sanguine Domini*, omnium fere Christianorum fidem corrupit; unde si non defendisset Ecclesiæ doctrinam, necesse fuisset, ut Episcopi coactis Synodis tanto malo obviam iissent. Non omnes hæreses expresso Ecclesiæ judicio damnari debent, pleræque nimirum sponte sua evanescunt, ut in iis patet, quas ipse Scotus in Trialogo propugnarat, hæreses vero, quæ in dies serpunt, quæ multitudinis fidem labefactant, par est, ut a Conciliis, aut saltem a privatis Episcopis proscribantur.

Objicies 3. Eucharistiæ mysterium, nonnisi obscure decimi sæculi fidelibus cognitum erat; sed noverant, quidem Christi corpus adesse Eucharistiæ Sacramento, an autem ea præsentia moralis esset, per virtutem nempe, an physica, nimirum per propriam substantiam, nulla ratione noverant; facile igitur, & sine contradictione, Paschasii discipuli sub obtentu uberioris explicationis suum dogma fidelibus suadere potuerunt.

Respond. 1. illud argumentum supponere, quod pastores decimo sæculo fideles ad sacram communionem admitterent, nullis de Eucharistia præmissis catechesibus, quod semel admissos nusquam docerent id, quod est Eucharistia; si enim catecheses de hoc Sacramento, si conciones habitæ sint, fideles necessario docti fuerunt, aut substantialem corporis Christi præsentiam, aut absentiam. 2. Singulorum fidelium auribus, cum accedebant ad Eucharistiam, insonabat hæc qua utebantur ministri formula, *Corpus Christi*: cui quidem hoc verbo confirmatorio, *Amen*, subscribebant; ea vero ministrorum formula, ea communicantium responsio, fideles aliquando movere debuerunt ad quærendum, quid corporis Christi nomine ministri intelligerent, an ejus realitatem, an figuram tantum, quidve ipsi per verbum, *Amen*, confirmarent; Octo prioribus sæculis Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, hæc formula, *Corpus Christi*, in plerisque fidelibus dubia excitarant quomodo Eucharistia esset Christi Corpus; ea dubia Patres expugnarunt (ut suo loco dictum est) cur igitur eadem verba, eadem formula, quæ in singulis synaxibus proferebantur, similia dubia in aliquo e fidelibus decimi sæculi non excitarunt? Si excitaverint vero cur ea dubia Pastores non expugnaverunt? expugnare autem non potuerunt, nisi explicarent, & confirmarent corporis Christi realem præsentiam aut absentiam. 3. Est prorsus impossibile, ut quis auditis his verbis, *Hoc est corpus meum*, *Corpus Christi*, statim non efformet ideam sensus aut litteralis, aut metaphorici: ea enim est verbi substantivi, *Est*, natura, ut identitatem aut realem, aut metaphoricam, prædicati cum subjecto statim objiciat menti 4. Detur adversariis nonnullos fideles persuasos alioquin Christum esse in Eucharistia, nescivisse an illa præsentia esset substantialis, an vero metaphorica; id tamen fingi non potest de omnibus Monachis, Doctoribus, Presbyteris, Episcopis, Summis Pontificibus; cum ergo ex ipsis Sacramentariis, illi Summi Pontifices, Episcopi, Doctores, Presbyteri, Monachi certo scirent, Christum non esse substantialiter præsentem in Eucharistia, alicubi contradicere debuissent Paschasii discipulis, qui novum de realitate dogma tum in monasteriis, tum in diœcesibus, tum in academiis, ubique gentium, catholicorum fidem temerassent; ac proinde non sine strepitu, non sine contradictione, non absque variis altercationibus, Paschasii novitas invaluisset. Confirmatur ex paritate desumpta ab Episcopis, qui Ecclesiis præerant, cum postea Berengarius undecimo sæculo Sacramentariorum doctrinam propalavit; Quod Monachi, Presbyteri, Doctores, Episcopi, Summi Pontifices, Paschasii de realitate dogma profiterentur, ubique in Berengarium insurrexerunt, libros contra illius novitatem scripsere, habuerunt Concilia, quibus illius doctrinam proscripserunt.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum ex Ecclesiarum omnium consensu demonstrari possit Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia.

CONclusio. Ex Ecclesiarum omnium consensu demonstrari potest, Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia.

Probatur 1. Fieri non potest, ut omnes Ecclesiæ receptam ab Apostolis doctrinam, aliquo in capite corruperint, cum (ut Theologi suo loco demonstrant) in fidei, & morum dogmatis Christi sponsa sit infallibilis. 2. Dato hæreticis, quod omnes Ecclesiæ aliquo in capite errare possint, in eo tamen non censentur errasse, quod unanimi consensu recipiunt. *Age nunc* (inquit Tertullianus lib. de Prescript.) *omnes erraverint: deceptus sit & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam. Nullam respexerit Spiritus sanctus uti eam in veritate deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis, neglexerit filii Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quam quod ipse per Apostolos prædicabat; Et quid verisimile est, ut tot, ac tantæ in unam fidem erraverint? nullus inter multos eventus est, unus est. Exitus variasse debuerat ordinem doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.* Si ergo omnes, ubique Ecclesiæ credebant, antequam Sacramentarii prodirent, & credant etiam nunc, Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia, certum sit oportet, quod ea realiter contineatur. Arqui sic ante Sacramentariorum schisma, ubique gentium Ecclesiæ Christianæ credebant, & nunc etiam credunt. Ergo &c. Ut minor propositio cum methodo probetur, hunc articulum partiemur in tres Paragraphos: in priore demonstrabimus unanimem Ecclesiarum consensum circa Eucharistiæ veritatem a Christo ad Berengarium usque: in altero, a Berengario ad sæculum 16. & in tertio, a sæculo 16. ad hanc usque ætatem.

§. I.

Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali circa Eucharistiam consensus, a Christo ad Berengarium demonstratur.

NEmini dubium est, quin sex prioribus sæculis summa fuerit inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam consensio circa Eucharistiæ veritatem.

Primo enim nec apud Occidentales, nec apud Orientales quemquam reperire est, qui iis temporibus sensum

ensum metaphoricum verbis Evangelicis, *Hoc est corpus meum*, affictum deinceps a Berengario, fidelibus proposnerit, sed omnes ad unum iis verbis, nulla snbjecta explicatione, fidem de Eucharistia contineri docuerunt.

2. Unanimi consensu tum Latini tum Græci Patres iis sæculis dixerunt credi debere a fidelibus quod Eucharistia sit corpus Christi, quamvis sensus panem esse referant: Singuli ad Divinam omnipotentiam consugerunt, nt occurrerent dubio quod populo fideli ex hujusce mysterii difficultate snboriri posset.

3. Iidem sex priorum sæculorum Patres tum in Oriente, tum in Occidente, tum in catechesibus, tum in concionibus docnerunt, fideles cum accedunt ad Eucbaristiam, *ipsummet proprium*, *verum* Christi corpus manducare, ipsos non vestes Christi tangere, sed *veram* ejus carnem, *idem* corpus quod natum est de virgine, quod affixum est cruci.

4. Hacce formula, *Corpus Christi*, cui fideles subscribebant dicendo, *Amen*, sex illis sæculis, de quibus est quæstio, ministri Eucharistiam dispensantes ubique ntebantur, ac ex ea concludebant a populo *vere* recipi Christi corpus.

5. Græci, & Latini per sexcentos priores annos, vitæ spiritualis principium, peccatorum remissionem, robur ad debellandos salutis hostes, futuram corporum resurrectionem adscripsernnt corpori Christi, quod ore recipiatur. quod commisceatur nostræ carni, quod viscera ipsa pervadat; Patrum loca quæ hanc materiam spectant, superius quæst. 4. articulo 3. relata sunt.

Non minus certum est quod a sæculo septimo ad undecimum usque eadem fuerit, qnæ prius, Græcos inter, & Latinos circa Eucharistiam consensio, ut subsequentibus observationibus perspicuum fiet,

1. Sæculi VII. scriptores tum Latini tum Græci temperarunt a figuræ, & imaginis vocibus, quibus nonnumquam qui prius vixerant Patres, cum de exteriori sacramenti parte loquerentur, usi fuerant: Excluserunt præterea ipsummet *figuræ*, *imaginis* nomen, cnm de interiori ac præcipua parte sacramenti, instituerunt sermonem, asseruerunt nimirum, Eucharistiam, *vere esse verum* Christi corpus, non vero *figuram*, id pro Oriente ex Anastasio Sinaita superins probatum est: Docuerunt tunc Orientis Patres Christum in sacrificio spirituali, quod Sacerdotes offerunt, victimam esse simul, & sacrificatorem: *Magni Dei* (inquiunt Episcopi Trullani can. 3. anno 682.) *qui est sacrificium, & pontifex*. Eucharistiam vocarunt incruentum sacrificium; *Quoniam* (inquiunt mox laudati Episcopi can. 22.) *ad nostram cognitionem pervenit quod in Armeniorum regione vinum tantum in sacra mensa offerunt: aquam illi non miscentes qui incruentum sacrificium peragunt &c.* Dixerunt Presbyteros esse corporis Christi dispensatores, *Presbyterum* qni peccato carnis commacularit se, *nec Christi corpus aliis distribuat* (ajunt iidem præsules can. 26.) Docuerunt eos qui communnicant, Christum bibere vel comedere, fieri participes immaculati corporis Christi, unde concluserunt nuda hominis manu, qnod sit ad Dei imaginem efformatus, communionem excipi debere, *Christum bibens vel comedens æternæ vitæ adoptatur* (verba snnt Concilii in Trullo can. 101.) *quare si quis immaculati corporis in synaxis tempore esse particeps voluerit, manus in crucis formam figurans sic accedat. Eos enim qui ex auro receptacula efficiunt ..... minime admittimus.* Non alia ratione locuti sunt ejusdem septimi sæculi Patres Latini; In liturgia qua tunc utebantur, quamqne Ordo Romanus describit, Sacerdos sic Deum Patrem deprecabatur nt oblatio *nobis corpus, & sanguis fiat dilectissimi Filii tui*, sic iterum, *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum .... ut quotquot ex hac altaris participatione sacro sanctum filii tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, & gratia repleamur*. In consecratione umbraculi altaris hæc recitanda præscribuntur, *In quo* (altari) *ipse unigenitus filius tuus Dominus noster Jesus Christus .... fidelium manibus jugiter immolatur*. In consecratione supellectilium altaris benedictio sic exora-

Juenin de Sacram.

tur: *Ut in confectione corporis, & sanguinis Jesu Christi dignis tibi parcatur famulatibus*. In missa quam Illyricus publici juris fecit, Eucharistia centies corpus, & sanguis Christi vocatur, *Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam* (inquit ibidem Sacerdos antequam se ipsum communicet) post communionem deprecatur a Christo peccatorum veniam, *per hoc sacrum corpus, & sanguinem tuum*. Ubi gratias agit pro sni, & populi communione hanc orationem fundit, *Præsta Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, ut qui corpus & sanguinem proprium pro nobis indignis datum edimus, & bibimus fiat nobis ad salutem &c.* Parnm sane apta sunt hujusmodi verba, sine quavis explicatione tradita, ut corporis metaphorici ideam in fidelibus excitarent; unde si Sacramentarii librum liturgicum conscriberent, iis haud dubie suam de Eucharistia sententiam non exprimerent, sed satis sit ut hinc miram Latinæ Ecclesiæ cum Græca septimo sæculo circa Eucharistiam consensionem concludamus.

2. Ecclesiarum Orientalium sæculi octavi fidem clarissimis verbis alterius Nicæni Concilii anno 787. habiti Patres expresserunt: Actione 6. tomo 3. circa finem, arguunt 1. Iconomachos quod in sua pseudo-Synodo Constantinopoli habita Eucharistiam appellassent imaginem corporis Christi. *Ergo* (inquiunt) *liquido demonstratum est quod nusquam Dominus vel Apostoli, aut Patres imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum Corpus, & ipsum Sanguinem*, 2. Fatentur quidem sacra dona recte dici typos, & quidem excludentes realitatem corporis Christi, sed antequam consecrata sint, contendunt nempe post consecrationem, & dici, & esse, & credi proprium Christi corpus; *Antequam* (ajunt) *sanctificata fuerint vocata sunt typi; post sanctificatioonem autem corpus* PROPRIÆ *ac sanguis Christi dicuntur, sunt, & creduntur*. 3. Supponentes quod Iconomachi pariter & crederent, & docerent corpus Christi substantialiter in Eucharistia contineri, arguunt illos contradictionis quod dona consecrata, & Christi corpus, & imaginem Christi corporis dixerint: *Alia scilicet pro aliis phantastice passi, aliquando quidem imaginem dicentes sancti corporis Christi, aliquando vero positione corpus*. Idem plane definitum est a Latinis in secundæ Nicænæ Synodi consntatione, quæ snb Caroli Magni nomine post Concilium Francofordiense anno 794. habitum, prodiit. Consutationis authores rati ea quæ Iconomachi in sua Pseudo-Synodo, de Eucharistia dixerant esse ipsissima alterius Nicæni Concilii verba, asseruerunt 1. perabsnrde locutos fuisse qui Eucharistiam, corporis Christi imaginem appellassent. 2. Dixernnt Eucharistiam esse non imaginem, sed veritatem ipsiusmet corporis; Illum facti errorem Hadrianus Papa primus aperuit postea Imperatori Carolo, ac confirmavit quæ Nicænæ Synodi Patres de Eucharistiæ veritate per os Epiphanii Diaconi dixerant: *Quod magnæ sit temeritatis ingentisque absurditatis* (inquiebant consutationis authores) *sæpe memoratas imagines corpori, & sanguini Dominico æquiparare velle*. Sic vero Hadrianus Papa respondet: *Non æquipararunt, sed magis scripturaliter dixerunt:* Nullus enim aliquando turbarum spiritus... dixit imaginem corporis ejus.

3. Quænam nono sæculo Latinorum circa Eucharistiam esset fides, Paschasius primum Corbejensis monachus, & postea Abbas, clare expressit libr. de corpore, & sanguine Domini, quem anno 818. edidit in lucem, sic enim cap. 1. loquitur; *Et ideo nullus moveatur de hoc corpore Christi, & sanguine quod in mysterio vera sit caro, & verus sit sanguis dum sic ille voluit qui creavit .... Et quia voluit licet figura panis & vini hic sit, omnino nihil aliud quam caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt, unde ipsa veritas ad discipulos*, hæc (inquit) Caro mea est pro mundi vita. *Et ut mirabilius loquar non alia plane quam quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro*. Idem docuit in Commentariis in Matthæum, trigesimum post annum instante fato conscriptis, iis nimirum in operibus docuit ut superius dictum est, corpus Christi non in figura,

sed realiter in Eucharistia contineri. Eodem sæculo Hincmarus novitatis, & falsitatis arguit qui contra sentire viderentur, alludens (ut suo loco advertimus) ad Bertrammum, seu (ut alii putant) Joannem Scotum Erigenam. Græcos eo seculo non aliam a Latinis de Eucharistia fidem habuisse concluditur ex Theodoro Abucara Carum Episcopo; is opusculo 22. quod legere est tomo 16. maximæ Bibliothecæ Patrum Lugduni apud Anissonios editæ, Saraceno quærenti qua ratione fieri possit ut panis fit Christis Corpus, sic respondet, *Ponit Sacerdos panem super sanctam mensam, similiter & vinum, & precante eo precationem sanctam descendit Spiritus sanctus in ea, quæ proposita sunt & divinitate sua panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi mutat, non minus quam hepar cibum in corpus alicujus hominis: an, amice, non das, ut possit Spiritus sanctus perficere, quod hepar tuum potest?*

4. Decimi sæculi Latinorum de Eucharistia fidem S. Odo Cluniacensis Abbas sat exprimit, cum Paschasii de corpore & sanguine Domini librum tamquam maxime pium commendat. Ecclesiæ utriusque (Latinam dico, & Græcam) consensum in dogmate de quo agitur, demonstrant liturgiæ quibus tunc in celebrandis Divinis mysteriis utebantur. Erant nimirum illæ liturgiæ, in Oriente quidem aut Basiliana, aut Chrysostomiana, in Occidente vero, ea quæ Ordine Romano continetur. Eæ autem liturgiæ eadem omnino ratione de Eucharistia loquuntur, ut jam superius ostensum est.

5. Convenisse undecimo sæculo Orientales omnes cum Latinis circa Eucharistiæ veritatem, fidem faciunt, qui tunc Berengarium impugnarunt. Guitmundus Episcopus Aversanus lib. 3. de Eucharistiæ Sacram. hæc ait, *Notissimum est hoc tempore priusquam Berengarius insanisset hujusmodi vesanias numquam fuisse*: asserit præterea, ne vel exiguum in orbe oppidum, Berengarianorum dogma profiteri, *Berengariana vero portio* (inquit) *non fundatur exultatione universæ terræ; neque enim eis vel una civitatula, vel etiam una villula consensit*. Lanfrancus eumdem Berengarium provocat, ut vel unam in Oriente communionem laudet, quæ illius hæresi faveat; Lanfranci textus articulo superiore a nobis fuit descriptus.

§. II.

Demonstratur Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali circa Eucharistiam consensus a Berengario ad sæculum usque decimum sextum.

CLaudius apud Sacramentarios Gallos Pseudo-Evangelii aliquibus ab hinc annis minister asseruit Ecclesiam Orientalem, Berengarii tempore, & post Berengarium, professam fuisse Sacramentariorum de Eucharistia fidem: Illud Pseudo-ministri figmentum, author libri de perpetuitate fidei confutavit variis, & quidem demonstrativis argumentis, quæ hic exscribamus oportet.

1. Medio sæculo undecimo, quo Berengarius, & Romæ, & Vercellis solemniter damnatus fuit a Leone Papa IX. Michael Cærularius, Constantinopolitanus Patriarcha data ad Episcopum Tranensem Epistola, Occidentalium Ecclesiæ, de azymis, de omissione *Alleluja* per quadragesimam, ac de aliis hujusmodi ritibus gravissimam intentavit litem; at non vertit ei crimini, quod transubstantiationem crederet; articulum hunc, utpore maximi momenti, alioquin non prætermissurus vir, ut erat in Ecclesiam Romanam ira, furoreque percitus. Cærularii Epistolam Leo Papa multis confutavit, sed ne verbum quidem de transubstantiatione protulit; imo contestatus est Græcos inter, & Latinos unam esse fidem, licet ritus essent diversi, asseruitve ob id se nullum facescere negotium Orientalibus qui Græce Romæ viverent, *Scit namque* (ait Ecclesia Romana) *quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona, quæ potest uni Deo commendat*. Anno, qui Berengarii damnationem in Vercellensi Concilio proxime excepit, Humbertus Cardinalis Constantinopoli ubi Leonis legatum agebat, librum opposuit Epistolæ Cærularii, in quo sic loquitur. *Taliter præparatus azymus fideli invocatione totius Trinitatis fit verum, & singulare corpus Christi*, & quidem *substantialiter*, non in *virtute* tantum, ut Sacramentariis placet: Humbertus enim iis verbis idem intellexit, quod Concilium Romanum, sub Nicolao Papa II. in quo agente ipso Humberto, Berengarius anno 1059. iterum proscriptus est, Constantinopoli promulgata Humberti de realitate doctrina Cærularium latere non potuit; eam tamen nec ipsi, nec Ecclesiæ Romanæ unquam objecit, etiamsi per excommunicationem fuisset ab ea præscisus.

2. Græcorum duodecimi sæculi fidem Latinos latere non potuit: Istorum enim ingens multitudo in Orientem confluxit, ut sacra loca inviseret. 2. Innumeri Occidentales ex quibus plures erant Episcopi, Presbyteri, Monachi, Principes, in Orientem contra Saracenos profecti sunt, ibique non uno sed multis annis commorati. Hierosolymam, Antiochiam, multas alias provincias suæ ditioni subjecerunt. 3. Eo labente sæculo, Constantinopoli Latini tanto erant numero, ut Andronico, qui in juniorem Alexium Imperatorem rebellarat, armata manu diu obstiterint, ut per vim postea ejecti quadraginta triremes, multasque naves secum abduxerint; At tot Occidentalium millia nusquam conquesti sunt de Orientalium fide circa Eucharistiam; eamdem igitur cum Occidentalibus profitebantur. 4. Varii authores tum Latini, tum Græci sæculo duodecimo de causis scripserunt, propter quas Orientalis Ecclesia schisma fecerit ab Occidentali, sed ne unus quidem e Græcis transubstantiationis meminit, quam tamen a Latinis credi, ignorare non poterant. 5. Tantum abest ut 12. sæculi scriptores Græci Latinos propter transubstantiationis fidem arguerint, quin eam ipsimet conceptis terminis docuerint: sic enim loquitur Euthymius Zigabenus, in Commentariis in Matthæum capite 64. *Non dixit autem* (Christus) *hæc sunt signa corporis mei, & sanguinis mei: sed, Hæc sunt corpus meum, & sanguis meus*; (quibus quidem verbis a verbo substantivo *Est*, sensum metaphoricum Sacramentariorum excludit,) *oportet ergo non ad naturam* (præteritam) *eorum, quæ proponuntur aspicere, sed ad virtutem eorum*. Quam virtutem ex transubstantiatione oriri sic ostendit, *Quemadmodum enim supernaturaliter assumptam carnem deificavit, (si ita loqui liceat) ita, & hæc ineffabiliter* TRANSMUTAT IN IPSUM *vivificum corpus suum & in ipsum pretiosum sanguinem*, & IN GRATIAM *ipsorum*. Gratiæ nomine Eutymius corporis, sanguinis Christi virtutem intelligit, proindeque cum eam distinguat a mutatione, quam in *ipsum* corpus, & in *ipsum sanguinem* fieri docet, præcludit effugium quo Sacramentarii utuntur, quoties eis objicitur aliquis Pater, qui donorum in corporis, & sanguinis Christi transmutationem asseruerit. Idem author Panopliæ parte 2. tit. 21. Sancti Gregorii Nysseni, & Sancti Joannis Damasceni textibus, quos superius retulimus utitur, ut panis, & vini in corpus, & sanguinem Domini transmutationem probet; ii vero textus (ut dictum est) mutationem substantialem, non vero (ut fingunt adversarii) accidentalem, seu in corporis Christi virtutem, demonstrant. Nicolaus Methonensis, qui eodem sæculo multa scriptis in Latinos effutiit eos, *qui hæsitant, ajuntque consecratum panem & vinum non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi*, sic urget, *Mysticam hanc, & incruentam consecrationem qua panem, & calicem consecratos in corpus, & sanguinem Domini transmutare credimus, a quonam principio accepisse dicas? nonne ab ipso Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo, quemadmodum nos doceat sacra Evangelia*. Proponit vero Dei omnipotentiam, ut dubitantes confirmet, *Quid requiris causam, & ordinem naturæ, panis transmutationis in Christi corpus, & aquæ vinique in sanguinem? cum supra naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex Virgine sit natus*.

3. Orientalium cum Occidentalibus confessionem circa veritatem Eucharistiæ plurima argumenta demonstrat.

monstrat.

monstrat. 1. Ab anno 1204. Latini victis Græcis ad annum 1261. imperarunt Constantinopoli, eam Ecclesiam Latini Patriarchæ rexerunt; Græcos igitur, qui ea in urbe commorati sunt, Latinorum de Euchatistia fides latere non potuit: 2. Sæculo 13. plures provinciæ, communionis Græcæ, ad Ecclesiæ Romanæ sinum convolarunt. Anno 1294. Bulgari cum suo Rege, ac Episcopi ejurarunt schisma. Honorio III. Pontifice maximo, anno 1218. Theodorus Comnenus Epiri Rex ad unitatem rediit. Daniel Moscovitarum Dux anno 1247. cum tota gente cui præerat, Romanam communionem amplexus est: Ii vero tum Episcopi, tum Principes, tum populi postulati quidem fueront ut Spiritus sancti a Patre & Filio processioni subsctiberent, ut faterentur valere consecrationem in azymo pane, sed de Transubstantiatione ne verbum quidem habitum est in articulis quorum subscriptionem Romani præsules ab iis expetierunt; non erant igitur Berengariani hujusmodi Episcopi, Principes, populi. 3. Anno 1215. Transubstantiatio, conceptis terminis definita fuit in Synodo Oecumenica Lateranensi, sub Innocentio Papa III. Adfuerunt plurimi tum e Palestina, tum e Græcia Episcopi, ipse etiam Alexandrinus Patriarcha per legatum; tot igirur Episcopi, ubi in suas Ecclesias redierunt, non potuerunt non docere Orientales, quænam esset Occidentalium de Eucharistia fides, nullus vero Orientalium postea quidquam contra articulum illum effutiit; eum igitur singuli suo silentio comprobarunt. 4. Anno 1233. Gregorius Papa IX. Epistolam dedit ad Germanum Constantinopolitanum Patriarcham, in qua perspicuis verbis asserit panem sive azymum, sive fermentatum, consecrationis vi *transubstantiari* in verum Christi corpus: lecta fuit ea Epistola in Græcorum Concilio quod Germanus ineundæ pacis causa coegit; Legati Papæ eo missi hæc duo tantum expetierunt ab Orientalibus, ut Spiritus S. processionem a Patre & Filio admitterent, ut faterentur, *Christi corpus non minus in azymo quam in fermentato pane confici*. 5. In Concilio Lugdunensi anno 1274. Legati Imperatoris Michaelis Paleologi, & Episcopi Græci qui aderant subscripserunt huic fidei formulæ, quam Gregorius Papa X. prius ad Imperatorem miserat; *Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit Romana Ecclesia tenens & docens, quod in ipso Sacramento panis vere transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi*,

4. Unanimis consensus Græcos inter & Latinos circa corporalem Christi præsentiam in Encharistia, pro 14. sæculo, subsequentibus momentis ostenditur. 1. Commixti variis in regionibus Græci cum Latinis nullam unquam intenrarunt eis litem quod transubstantiationem profiterentur. 2. Qui ex schismate ad unitatem catholicam redibant, jubebantur subscribere formulæ, cui Græci in Concilio Lugdunensi subscripserant, id enim Urbanus Papa V. expressa constitutione edixit anno 1370. 3. Cabasilas Latinis, contra quos varios tractatus scripsit, infensissimus, liturgiæ expositionem edidit, in qoa multis in locis, transubstantiationem exprimit clarissime; Capite 24. eos arguens quia coram donis antequam consecrata sint procumbunt, hoc utitur argumento, *Hoc* (de ordinario sacrificio loquitur) *in ipso ingressu non sacrificata habet dona, & nondum perfecta. Illud autem* (sacrificium præsanctificatorum) *perfecta & sanctificata*. Capite 27. quod inscribitur. *De sanctificatione donorum & quæ eam præcedit gratiarum actione*, sic loquitur, *Hæc cum oravit & dixit, universum sacrificium peractum, perfectum est, & dona sunt sanctificata, & hostia integra, & perfecta effecta est, & magna hostia, & victima, quæ pro mundo mactata est supra sacram mensam sita cernitur: panis enim non amplius figura Dominici corporis, neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquam descriptionem ipsius servatoris passionum tamquam in tabula; sed ipsum verum donum, ipsum sanctissimum corpus Domini.. quod interfectum, quod colaphis appetitum, sputa passum est & fel gustavit; Similiter & vinum, ipse sanguis qui exiliit occiso corpore.*

Juenin de Sacram.

5. Quod Græci idem sæculo 15. de Eucharistia senserint quod Latini, sic ostenditur. 1. Joannes Paleologus Græcorum Imperator una cum Orientalibus Episcopis Florentiæ per biennium commorati sunt, adsuerunt Concilio quod in ea urbe Eugenio Papa IV. præside celebratum est: Pespectam igitur habuerunt Latinorum de transubstantiatione fidem; nec Latinos quoque latere potuit quid de ea ipsimet Græci sentirent: At nec Græci Latinis, nec Latini Græcis eo de articulo quidquam molestiæ crearunt. 2. Orientales sæpius intra missarum solemnia procubuerunt coram Eucharistia quam Latini consecrassent, *Adoraveruntque missam Romanæ Ecclesiæ more*, (inquit Andreas a Sancta Cruce in sua Concilii relatione) *Pontifice celebrante*. 3. Eo in Concilio, consentientibus omnibus, Græcos inter & Latinos unio sancita est, definitumque fuit *in azymo sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici*. 4. Marcus Ephesiorum Episcopus, ubi Florentia rediit in patriam, debacchatus est in sacram Synodum datis Epistolis *ad omnes ubique terrarum degentes Christianos*. At licet Concilii plures articulos scriptis exagitaverit, istum tamen, *de corporali nimirum præsentia Christi in Eucharistia*, intactum omnino reliquit; illum tamen, utpote præcipuum, nequaquam prætermissurus, si erroneum credidisset.

§. III.

Græcorum cum Latinis, a sæculo 16. ad hæc usque tempora, circa Eucharistiam consensus demonstratur.

NOnnulli extiterunt hac ætate Sacramentarii, qui negare ausi sunt unam esse jam temporis Orientales inter, Occidentales circa Eucharistiam fidem; sed quantum aberraverint, ostendi potest ex variis factis, quæ isto, & proxime elapso sæculo contigere.

1. Circa annum 1574. Theologi Tubigenses Augustanam Lotheranorum confessionem Constantinopolim miserunt ad Jeremiam Græcæ communionis Patriarcham; De articulo 10. in quo de Eucharistia agebatur hocce tulit judicium, *Docere Ecclesiam Catholicam, operante Spiritu sancto panem, modo tamen fermentatus sit, mutari in ipsum corpus, & vinum in ipsum sanguinem Domini*. Rationem reddit ex Evangelio, *quod nimirum Christus accepto pane non dixerit, Hoc est azymum, vel figura corporis mei. sed, est corpus meum*. Nec favet adversariis quod Jeremias subjicit, Christum nempe discipulis in ultima cœna non porrexisse quam gerebat carnem, nec ipsum jam e cœlis in dona descendere; non enim ea sententia aliud significatum voluit, quam quod ita non dederit quam gerebat carnem, ut eam desineret gerere, ita e cœlis oon descendat ut eos deserat; rejecta vero ea ratione qua quis vel impius, vel imperitus Eocharistiam concipere posset. Jeremias ipse modum explicat quo Christi corpus ex non præsenre fit præsens in Eucharistia: Addit scilicet id fieri, quod ad preces sacras, & ad Domini verba, operante Spiritu sancto panis muretur in ipsum corpus Domini, & vinum in ipsum ejus sanguinem. Idem Ecclesiæ suæ nomine altero & tertio responso, quod ad Tubigenses Theologos Lutheranos dedit Jeremias, confirmatum est.

2. Circa annum 1630. Quidam, Cyrillus Lucar nomine, irrepsit primum in Alexandrinam Ecclesiam, & deinceps accepta a Batavis pecunia, sedem Constantinopolitanam invasit, vix ea potitus Calvinianam confessionem fidei promulgaverit nomine suo; Sed Græci quibus præerat, coacta Synodo, eum ob id exauthorarunt, suffeceruntque ejus loco Cyrillum Beroensem, qui una cum Patriarchis Alexandrino, & Hierosolymitano, cum tribus supra viginti Orientalibus Episcopis, cum universo Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clero, ipsi Cyrillo qui anno 1641. jubente Turcarum Imperatore, morti traditus fuerat, & confessioni ab ipso editæ anathema dixerunt, & in primis illi articulo, quo negarat panem, & vinum·

Sacerdotis benedictione & virtute Spiritus sancti, mutari in *verum* corpus, & *verum* sanguinem Domini nostri Jesu Christi.

3. Paucis post annis Parthenii Episcopi Andriàoopolitani, insidiis & pecunia, Cyrillus e sede dejectus est: Parthenius vero ubi primum Constantinopolitanum Patriarchatum adeptus est, coacta Synodo, editam a Cyrillo Lucar professionem fidei damnavit, tamquam quæ orthodoxæ Græcorum fidei penitus adversaretur; edixit Cyrilli articulo de Eucharistia, tolli ipsummet Sacramentum; quod quidem assertum ex eo probavit, quod Christus non dixerit, *Hoc est figura corporis mei*, sed: *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*.

4. Anno 1667. Nicolaus Spadarius Moldavus Baro, ac olim Vvallachiæ Generalis, hocce de Græcorum, quorum erat communionis, cum Latinis circa Eucharistiam consensu, Illustrissimo D. De Pomponne Regis Christianissimi apud Svecos tunc Oratori extraordinario, testimonium scripto tradidit, *Credimus panem & vinum per verba Domini substantialiter, & vere mutari, ac transubstantiari in corpus, & sanguinem, ita ut post consecrationem non maneat substantia panis, & vini, sed loco ipsorum, corpus, & sanguis Christi per divinam operationem, & voluntatem succedat.*

5. Moscovitica gens, quæ Græcorum opera circa annum 867. religioni Christianæ dedit nomen, præsentiam corporalem Christi in Eucharistia, imo & transubstantiationem profitetur. 1. Nullus ex historicis qui de Moscovitarum religione scripserunt, hujus articuli, quod transubstantiationem negent, meminit licet alios articulos, in quibus dissident a nobis, historici recenseant. 2. Joannes le Fevre Archiducis Ferdinandi a confessionibus relationem conscripsit de ritibus Moscoviticis, quos ab Oratoribus Joannis Basilii ad Carolum V. diligenter quæsivit; ea vero in relatione conceptis terminis asserit, Moscovitas profiteri transubstantiationem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Idem asserit Olearius Lutheranus in relatione quam conscripsit; Narrationem illam nuper quidam Sacramentarii Galli falsitatis insimularant, sed ipsemet eam datis ad D. De Ponchastean litteris die 14. Januarii ann. 1667. his verbis confirmavit, *Quæ hac de re, Ruthenos credere transubstantiationem, scripsi, non fuerunt mea somnia, sed accepi ex ore eorum, qui hujus rei bene conscii erant, nempe a Pastoribus nostræ Ecclesiæ in ipsa Moscua. 2. quibusdam Zuaris interpretibus, qui a nostra religione decesserant in Ruthenicam. 3. ab ipsis Ruthenicis mercatoribus, imo ab ipsis sacerdotibus & monachis ... Si quis insuper meæ relationi non vult credere, ducat in considerationem epistolam, quam Joannes Metropolita Russiæ scripsit ad Papam, in qua Ecclesiam Romanam multorum errorum insimulat, de azymo in cœna &c. nec mentionem facit transubstantiationis*. Idem asserit Paysius Ligaridius Metropolita Gazæ in Epist. de Græcorum ac Moscovitarum fide & ritibus data ad D. de Lilienthal pro Sveciæ Rege Moscuæ residentem ann. 1666. ea vero in Epistola Moscuæ conscripta, & missa deinceps ad magnum Sveciæ Cancellarium si loquitur, *Manifeste constat nullatenus nos admittere impanationem auditam, & prædicatam in hoc ferreo nostro sæculo tantummodo, neque similiter amplectimur figuram symbolicam, & typicam repræsentationem, sed realem transubstantiationem tam Græci quam Latini fatemur.*

6. Anno 1668. Leucosiæ in Cypro insula plurimorum Episcoporum Græcorum coactum est Concilium, in quo hæc quæ ad præsentem causam spectant, definita leguntur, *Si quis igitur dixerit panem, & vinum a vero Sacerdote consecrata, postquam sanctificata fuerint certis quibusdam a Christo Domino constitutis verbis, non esse idem ipsum corpus, eumdemque ipsum sanguinem, re & substantia, Jesu Christi, Dei & hominis Salvatoris nostri, sed aut figuram aut symbolum.*

Non eæ modo, quæ Patriarchæ Constantinopolitano parent Ecclesiæ, sed & omnes aliæ Orientales, hæresi licet & schismate a Constantinopolitana divisæ, corporalem Christi in Eucharistia præsentiam profitentur.

1. Ab Armenis qui post Concilium Calcedonense Eutychianam hæresim professi sunt, transubstantiationem admissam fuisse septimo sæculo, probatur ex Anastasio Sinaita, qui (ut suo loco dictum est superius) supponit tamquam principium ipsis Armenis certissimum in Eucharistiam corpus Christi substantialiter contineri, & ex eo probat duplicem in Christo naturam, etiam post unionem. Quod idem senserint Berengarii tempore, demonstratum est ex Lanfranco, qui exprobrabat Berengario quod hæresi, quam tunc propalabat, nulla ex Orientalibus societatibus Christianis, inter quas Armenos recenset, patrocinaretur. Quod idem a Berengarii sæculo ad Synodum usque Florentinam crediderint, ex eo evincitur quod in variis unionibus quas variis temporibus, sub Innocentio nimirum III., sub Clemente IV., sub Joanne XXII. inierunt cum Ecclesia Romana, numquam postulati sint, ut errorem de corporali absentia Christi ab Eucharistia ejurarent. Quod a Concilio Florentino ad hanc usque ætatem idem senserint, & sentiant modo, concluditur ex multis Armenorum Patriarcharum testimoniis. *Orientales omnes istius temporis* (inquit quidam Armenus Episcopus, Aviadour nomine, in scripto quod ad calcem prioris tomi lib. *de Perpetuitate fidei circa Eucharistiam* legere est,) *in sacrificio missæ credunt fide indubitabili, & inhæsitabili panem vere transmutari in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi; imo numquam de hac re dubitaverunt. nec unquam habuerunt infidelitatem hanc, quam audivimus nunc a quibusdam nomine tantum Christianis, unde certum facimus quod nos Armeni habeamus ab antiquis Patriarchis nostris, a tempore Concilii Nicæni illum articulum fidei, habemusque in liturgia nostra, præter verba consecrationis, hæc*, Pater omnipotens emitte Spiritum tuum sanctum, & cooperante eodem, transmuta panem hunc in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & Dei Salvatoris. Hoc aliud testimonium Episcopi Armeni datum Lugduni Batavorum ann. 1667. ibidem legere est, *Credunt Armeni Christiani tam illi, qui Ecclesiæ Latinæ communicant, quam qui ab ejus communione alieni sunt, corpus & sanguinem Christi revera sumi a communicantibus sub speciebus panis & vini, ipsiusque panis & vini substantiam per consecrationem Sacerdotis verti in corpus & sanguinem Christi, ita ut post consecrationem non sit amplius panis & vinum, sed verum corpus & sanguis Christi sub speciebus aut signis panis & vini*. Nec alicujus est ponderis quod ex Guidone Carmelita profertur a nonnullis; Ille nimirum scriptor, cum asseruit Armenis non probari corporalem Christi præsentiam in Eucharistia, genti imposuit, deceptus haud dubie missa ad Benedictum Papam XII. nonnullorum articulorum relatione, inter quos 67. eam, de qua agitur, præsentiam negat; A Guidone fuisset advertendum singulos articulos non genti, sed aliquibus Armenis tantum, tribui a summo Pontifice, siquidem in constitutione in qua hujusmodi articuli recensentur, quamque Raynaldus describit ad annum 1341. expresse testetur, *Armenos vel aliquos ex eis*, articulos de quibus est quæstio, propugnasse. Confirmatur ex eo quod eadem in bulla errores plerique tum de peccato originali, tum de immortalitate animæ, tum de aliis capitibus Christianæ religioni essentialibus referantur, quos tamen nemo, nisi iniquus, Armenorum Ecclesiæ tribuet.

2. Nestoriani, qui quidem multi sunt in Orientalibus partibus, & antiquitus, & hac ætate non aliud de Eucharistia sentiunt, quam quod Occidentales. 1. Cyrillus Nestorii circa Eucharistiam fide utitur, ut naturæ humanæ cum Verbo substantialem unionem probet, sic enim in Epist. ad eumdem Nestorium, loquitur, *Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum redemptoris, effecti, non ut communem carnem percipientes, quod absit, nec ut viri sanctificati, sed ipsius Verbi propriam factam.* Futile fuisset illud S. Patris argumentum, si Nestorio

pe-

persuasum fuisset Christum non corporaliter, sed metaphorice tantum Eucharistia contineri. 2. Nullus ex authoribus tum Catholicis, tum Calvinistis, qui Nestorianorum errorum catalogum texuere, hunc eis adscripsit quod transubstantiationem inficiarentur, Nec dici potest quod eos authores latuerit Nestorianorum eo de capite fides, tum quod in Syria, alisve in locis, quos Latini occuparunt per aliquot secula, multæ sint Nestorianorum Ecclesiæ, tum quod ab Innocentii Papæ IV. temporibus ad hanc usque ætatem, missionarii ad omnes Orientis hæreticos frequenter missi sint. 3. Ex Nestorianis aliqui cum suis Patriarchis identidem ad Catholicos redierunt, sed nusquam postulati sunt, ut transubstantiationis articulum profiterentur, ac Berengarianum dogma ejurarent; Latinis igitur persuasum fuit Nestorianos credere corporalem Christi in Eucharistia præsentiam. 4. Petrus Srozza Julii Papæ III. a secretis, de dogmatis Caldæorum hancce refert fidei confessionem, quam Nestoriani Romæ ediderunt cum admissi sunt in Ecclesiæ sinum, *Credimus in sanctum Baptisma, & in sacrificium quod est corpus, & sanguis Christi, & in Sacerdotium, & in Matrimonium, & Oleum sanctificans*. Alia abjurationum exempla apud Raynaldum legere est.

3. Quæ mox de Nestorianis prolata sunt argumenta, vim habent in Jacobitis; 1. Nullus author sive Sacramentarius, sive Catholicus reperitur, qui scripserit eos negare realitatem corporis Christi in Eucharistia. 2. Joannes de Vitriaco asserit se a pluribus in Palæstina, ubi tunc frequentes erant, fidem quam profitebantur, exquisisse; errores quos tum in privatis sermonibus, tum in eorum libris deprehenderat, sigillatim recenset; eum tamen, qui ad Eucharistiam spectat, omnino prætermittit: Altum pariter est eo de capite silentium tum in Missionariis, qui nonnullos adduxerunt ad fidem, tum apud Raynaldum qui fidei professiones describit, quas Pontifices maximi ab eis, cum redirent, edi voluerunt. 3. Dionysius Barsabiby Amedensis Jacobitarum Episcopus (teste Echellensi in notis ad catalogum Hedebjesu Jacobitarum Patriarchæ) in commentariis in Jacobi liturgiam sic loquitur, *Dicimus panem hunc cælestem in veritate, & effecta esse corpus Filii Dei, & illud idem esse corpus persona ipsius, quod assumpsit ex Maria, & factum est sacrificium in cruce pro nobis*. Hæc iterum scribit cap. 13. *Sacramenta autem vocantur corpus, & sanguis, quoniam non illud quod videtur sunt: secundum speciem autem, panis & vinum sunt, sed agnoscuntur, atque sunt corpus & sanguis Dei*. Non inficiamur tamen quod scribit Joannes de Vitriaco, advertisse nimirum se in Palæstina quosdam Jacobitas flocci facere Eucharistiam Latinorum; sed reponimus ideo sic se gerere quod nonnulli Græcæ sint communionis, ac proinde judicent panem azymum, quo Latini utuntur, non esse materiam quæ valide consecrari possit: refert vero idem author cæteros Jacobitas assurgere solitos fuisse Sacramento quod Presbyteri, etiam Latini, ad ægrotos deferunt.

4. Quod Maronitæ, seu Christiani Orientales qui ad Libanum montem commorantur, idem credant, ex eo evincitur quod pluribus ab hinc seculis, communionis sint Romanæ; eos vero non aliud quondam sensisse colligitur ex eo quod nusquam ob aliud ante suam unionem male audierint quam propter Monothelitarum hæresim, qua Joannes Maro, labente seculo sexto, eos infecerant.

5. Cophtos & Ægyptios admittere transubstantiationem colligitur 1. ex eo quod Cophti, & Ægyptii sint Jacobitæ; proindeque, cum Jacobitæ credant corporalem Christi præsentiam in Eucharistia, eamdem ab Aegyptiis, & Cophtis credi necesse est. 2. Raynaldus ad annum 1441. asserit Ægyptiorum Abunam (sic Patriarcham vocant) ab Eugenio IV. in Ecclesiæ sinum admissum fuisse, nonnullam, quæ circa Eucharistiam apud eos invaluerat, superstitionem ita rejicit Engenius ut supponat eos ejusdem Sacramenti veritatem catholicam profiteri; *Panis vero triticeus in quo Sacramentum conficitur*, (inquit) *an eo die aut antea coctus sit, nihil omnino refert, dummodo enim panis substantia maneat, nullatenus dubitandum est, quin post præfata verba consecrationis, a Sacerdote cum intentione conficiendi prolata, mox in verum Christi corpus transubstantietur*. 3. Bartholdus Nihusius in programmate Moguntiæ excuso ann. 1651. hocce trium Æthiopum testimonium describit, *Nos Æthiopes in veritate attestamur gentem nostram venerari imagines Sanctorum, & credere corpus & sanguinem Jesu Christi præsentialiter adesse in sancta Eucharistia*. In liturgia quæ in maxima Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis tom. 27. sub hocce titulo refertur, *Missa, sive Canon universalis Æthiopum*, ex recitantur preces quæ corporalem Christi in Eucharistia præsentiam aut supponunt, aut exprimunt, hanc orationem quæ in omnibus Orientalium liturgiis, saltem secundum sensum, legitur, Sacerdos recitat, *Benedic, sanctifica, munda, & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum*; Ubi Sacerdos verba protulit, quibus panis consecratur, populus mox sic acclamat, *Amen, amen, amen, credimus, & confidimus, & laudamus te, o Domine Deus noster. Hoc vere corpus tuum est*. Similiter acclamat post calicis consecrationem, *Amen, amen, amen, credimus.... Hic vere sanguis tuus est*. Nonnullos quidem Sacramentarios reperire est, qui liturgiæ hujusmodi fidem detrahant, quod elevationem donorum, quæ consecrata fuerint, recenseat, quamvis (inquiunt) Alvares Goez, & Zagarabo, qui de Æthiopum ritibus scripsere, testentur ea nequaquam elevari: Sed nullius est roboris illud argumentum; cum enim Æthiopum Ecclesia quadraginta regnis constet, nihil impedit quin (fide remanente eadem) variis in regnis, varii ritus observentur.

Juenia de Sacram.

ARTICULUS SEXTUS.

An ex veterum ethnicorum de Eucharistia silentio quidquam contra corporalem Christi præsentiam concludi possit?

CONclusio. Ex veterum ethnicorum de Eucharistia silentio colligi non potest Christum in ea non esse corporaliter præsentem.

Probatur. Christianorum de Eucharistia fides per quatuor priora secula passim gentiles omnino latuit; Siquidem omnibus, quibus aliquis ad Patres aditus patuit, persuasum est scriptores quarti seculi diligenter cavisse, ne infideles, quibuscum tunc vivebant, aliquid de Eucharistiæ mysterio audirent; Legendus est hac de praxi Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quarta Mystagogica; perlustranda est Alexandrina Synodus apud Athanasium Apologia secunda; eo enim loci Ariani arguuntur: quod non modo catechumenis, sed & paganis sacra mysteria detexissent; Audiendus quoque ea de disciplina Epiphanius, quippe qui hæresi 42. Marcionitis crimini vertat quod coram catechumenis sacra mysteria obirent. *Mysteria autem* (inquit) *apud ipsum* (Marcionem) *perficiuntur videntibus his qui instruuntur*. Legendus est idem Epiphanius in Ancorato, ubi ne verba quidem, quibus Eucharistia consecratur, audet coram fidelibus proferre, ne scilicet in eorum notitiam veniant qui nondum sunt initiati, *Videmus* (inquit) *quod accepit Salvator in manus suas ... & cum gratias egisset, dixit*, HOC MEUM EST, HOC ET HOC. Consulendus est etiam Basilius Cæsariensis, qui non initiatos arceri jubet e templis cum Baptismus & Confirmatio conferuntur. Explorari potest & Chrysostomus, qui propter catechumenos, qui aderant, frequentes in suis homiliis de Eucharistia disserens, reticentias usurpat. Audiatur oportet & Augustinus, qui tractatu 11. in Joannem sic loquitur, *Nesciunt catechumeni quid accipiant Christiani*. Legi denique potest Ambrosius qui lib. *De iis qui mysteriis initiantur*, Cap. 1. rationem reddens cur de sacris mysteriis coram catechumenis siluisset, hæc scribit, *Nunc de mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem*

reddere , quam ante baptismum si putaremus insinuandam nondum initiati , prodidisse potius quam edidisse æstimaremur .

Usurpatæ autem a Patribus quarto & quinto sæculo circa Eucharistiam reticentiæ , Diligentia , qua curabant ne quidpiam eo de mysterio gentiles nossent , nulli omnino fuissent usui , si tertio sæculo Christianorum de Eucharistia fides apud ethnicos pervulgata fuisset : eam etenim fidem qui quarto sæculo vivebant gentiles , didicissent a suis majoribus , qui paulo ante , sæculo nempe tertio , floruerant . Præterea , tum tota ubique gentium Ecclesia Catholica , absque ullo alicujus Concilii decreto , eum ritum (Eucharistiam scilicet non initiatos celandi) quarto usurparet , facili negotio concludi potest eam agendi rationem Patres quarti sæculi per traditionem ab iis didicisse : qui tertio vixerant , istos vero ab ipsis Apostolorum discipulis hausisse , juxta celebrem hanc Augustini sententiam , Epistola 118. quæ est ad Januarium . *Illa autem quæ non scripta , sed tradita , custodimus , quæ quidem toto terrarum orbe observantur , datur intelligi vel ab ipsis Apostolis , vel plenariis Conciliis , quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas , commendata , atque statuta retineri* . Si vero ea , de quibus hucusque dictum est , cum veritate cohærent , ex ethnicorum , qui tribus prioribus sæculis vixere , circa Eucharistiam silentio nihil prorsus confici potest contra corporalem Christi in Eucharistia præsentiam .

Objicies . Christianorum circa Eucharistiam fides gentilibus , qui per tria priora sæcula vixerunt , perspecta fuit ac explorata , ut sequentibus argumentis ostenditur .

1. Eorum temporum Patres suam de hocce mysterio fidem , gentilium notitiæ subducere non solebant ; quippe qui reticentias ab authoribus quarti sæculi usurpatas adhibuisse non leguntur , imo nonnumquam perspicuis terminis suam de hoc Sacramento fidem expressere ; in altera nimirum pro Christianis apologia sic loquitur Justinus martyr , *Non enim ut communem panem neque communem potum hæc* (panem & vinum) *sumimus ; sed quemadmodum per verbum Dei , incarnatus Jesus Christus Salvator noster & carnem & sanguinem pro salute nostra habuit : sic etiam per preces Verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum , ex quo sanguis , & carnes nostræ per mutationem aluntur , illius incarnati Jesu , & carnem & sanguinem esse edocti sumus ,*

2. Iis sæculis , quibus persecutio sæviebat , multi a Christianis ad paganos deficiebant , a quibus quidem gentiles catholicam de Eucharistia doctrinam didicisse non est prorsus improbabile .

3. Gentiles plerumque diris cruciatibus Christianos vexabant , ut nonnihil de eorum mysteriis extorquerent . Irenæi textu , quem Oecumenius laudat , asseritur quod , cum ethnici quidam omni pœnarum genere extorsissent a nonnullis cathecumenis sacram communionem ipsummet esse Christi corpus & sanguinem , responsum illud ad litteram interpretati sint ac idem ex sancta Blandina martyre extorquere pariter licet frustra conati sint , rati nempe , si verum esset , satis esse ut morte plecterentur qui humana carne vescerentur .

Verum si gentiles Christianorum de Eucharistia fidem noverint , doctive fuerint eos credidisse Christi corpus ea contineri ; eo articulo uti debuerunt ut eis non leve facesserent negotium ; ea scilicet doctrina multa complectitur , quæ sensibus quidem certo , & rationi naturali , saltem in specie , repugnant , ex ea fide Gentiles deprompsissent argumenta Philosophica , quibus Christianos lacessivissent ; quibus tamen argumentis non usi sunt , quippe quæ in apologistis veteribus , Justino , Tertulliano , Athenagora , Minutio Felice , Arnobio , Lactantio non legantur .

Confirmatur argumentum ex Juliani apostatæ silentio circa hocce mysterium . Nemini dubium est quin ille Imperator singula , quæ ad Eucharistiam spectant , edoctus fuisset ; Lectoris enim gradu in Ecclesia Constantinopolitana donatus fuerat , frequenterque ad sacram synaxim , ante suam a Christianismo ad Paganismum defectionem , accesserat . Omnibus pariter exploratum est Julianum , postquam in apostasiam incidit , cætera Christianæ religionis capita , Verbi divinitatem , Trinitatem personarum , Evangeliorum in nonnullis dissonantiam , scriptis aggressum fuisse . Certum est quoque eum nullam omnino litem de Eucharistia Christianis intentasse ; Eum tamen articulum prætermissurus non fuisset , si (uti Catholici credunt) corporalem Christi præsentiam fuisset complexus , cum sic intellectus amplissimam argumentorum segetem luxuriantibus ingeniis præbent .

Resp. falsum esse quod passim priorum sæculorum Gentiles , Christianorum circa Eucharistiam fidem noverint , nec contrarium allatis argumentis evincitur .

1. Licet tertii sæculi Patres , cum de Eucharistia locuti sunt , usi non sint reticentiarum formulis , quas deinceps usurparunt quarti sæculi Scriptores ; eos tamen subobscuras sententias adhibuisse colligitur 1. ex Tertulliano , qui Apologetici cap. 7. docet omnibus id mysteriis proprium esse ut prophanis divulgari non debeant : *Unde* (inquit) *extraneis notitia ? cum semper etiam impiæ imitationes arceant prophanos ; & arbitris caveant nisi si impii minus metuunt* . Colligitur 2. ex eodem Scriptore qui libro secundo ad uxorem cap. quinto , ut mulieres Christianas a contrahendo matrimonium cum infidelibus deterreat , hanc præsertim rationem adhibet , iis nempe matrimoniis imminere periculum ne gentiles in fidei mysteriorum notitiam deveniant , *Hoc est igitur* (inquit) *delictum , quod gentiles nostra noverunt , quod sub conscientia istorum sumus : quod beneficium eorum est , si quid operamur ... Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes ? Et si scierit , panem , non illum esse qui dicitur* .

2. Ea , quæ de Blandina martyre nonnulisque catechumenis ex Irenæo refert Oecumenius , tantum abest ut adversariis faveant , quin potius plane sunt opposita . Primo enim ea historia patet gentiles , antequam ii catechumeni nostra detexissent , Eucharistiæ mysterium omnino latuisse ; patet 2. id quod ethnicis catechumeni de Eucharistia aperuerant , non germanam , sed adulterinam Sacramenti ideam , Capharnaiticam nempe , excitasse in illorum gentilium animis ; Eucharistiam eo , quo credebant , modo a Christianis manducari constanter inficiata est Blandina martyr .

3. Cum eadem sancta martyr mysterium quod prophani quæritabant , aperire detrectarit , exquisitis licet excruciata suppliciis , facile concluditur Christianos sæculo secundo in mandatis habuisse , ne nostram de Eucharistia fidem gentilibus panderent . Nam alia adducti ratione qui pro religione primas apologias conscripsere ; tantum mysterium ethnicis non reseravrunt , uno tamen excepto Justino martyre , qui illius explicationem necessariam esse duxit , ut impactam Christianis calumniam de infante quem in synaxibus manducarent , propulsaret .

4. Quod ex apostatæ Juliani silentio objectum est , nullius est momenti ; Nam 1. unus extat exaratus a Juliano liber , quem Cyrillus Alexandrinus confutavit , alii duo , quos , ex eodem Patre , conscripserat in Cristianam religionem , prorsus evanuerunt ; quis igitur scit an in duobus illis libris de Eucharistia siluerit ? 2. Cyrillus integrum non describit Juliani librum , quem confutavit , veritus (ut ipsemet ait) ne si ea describeret quæ spectant ad baptismum de quo Julianus multa dixerat , quemque Eucharistiæ participatio immediate subsequebatur , non initiati devenirent in nostrorum mysteriorum cognitionem . 3. Fieri potuit ut Juliano , qui scriptis religionem aggressus est cum mox profecturus esset in Persidem , in mentem non venerit argumentum , quod alioquin ex Eucharistia depromere potuisset : Nec id mirum est , cum authores qui etiam per otium scribunt , multa & quidem gravissimi momenti , & ad causam spectantia , non raro prætermittere soleant ; instar omnium sit Augustinus,

qui

qui quamvis sexcentis in locis de baptismate ab hæreticis dato disseruerit, asserueritve collata extra Ecclesiam Sacramenta valere quidem, sed tamen gratiam in recipientibus non producere, nusquam distinxit inter baptisma adultis datum, & baptisma collatum parvulis, quamvis tamen ea distinctio pernecessaria foret, ne ex eo S. Doctoris silentio, & ex universalibus propositionibus, quibus definiit Sacramenta ab hæreticis data Spiritum S. in recipientibus non producere, periculum esset ne concluderetur gratia vacuum esse baptisma, quod hæretici parvulis ante usum rationis conferunt; quamvis aliunde ipse Augustinus illationi hujusmodi plane repugnaverit.

4. Quæ ex ethnicorum circa Eucharistiam silentio Sacramentarii Catholicis objiciunt, hoece dilemmate in eos possunt retorqueri; vel Eucharistiæ mysterium gentiles penitus fugiebat, vel eis non nisi obscure perspectum fuit, vel tandem claram illius ideam consecuti fuerant; Si primum, mirabitur nemo, quod in religionam Christianam scribentes, de Eucharistia prorsus siluerint. Si alterum, idest, si ethnici intellexerint quidem Christum a Christianis in suis synaxibus manducari, sed ignorarint modum quo id fieret, in figura nimirum (ut volunt adversarii) cur primi apologistæ eum corporis Christi manducandi modum gentiles non docuerunt? ea enim haud difficili expositione occlusissent ora gentilium, apud quos majores nostri audiebant quasi in suis conventibus occisi hominis carnem ederent, & biberent effusum sanguinem, *Dicimur sceleratissimi* (inquit Tertullianus Apologetici cap. 7.) *de Sacramento infanticidii, & pabulo inde, & post convivium incesto*. Si tertium adversarii concedant, nempe gentilibus plane ac perspicue exploratum fuisse mysterium Eucharistiæ, ac proinde (in systemate Sacramentariorum) scivisse eos quod Eucharistiam Christiani habuerint tamquam nudam humani corporis figuram; cur eam doctrinam Gentiles suis dicteriis non lacessiverunt? quippe quod manducatio spiritualis, insulsa & perabsurda videri debuerit hominibus, qui carni serviebant, & se totos dabant sensuum libidini.

5. Addenda est hic alia ratio, qua Calvinistæ speciatim urgeri possunt. Si ethnicis notum fuisset Eucharistia Christum corporaliter quidem non contineri, sed in virtute morali; cur ea cognitione usi non sunt ut omnia argumenta enervarent, quibus Christiani Idolorum cultum impetebant? Reducebantur scilicet ea argumenta ad hæc duo præcipua; Primum, quod ethnici simulacris vitæ expertibus, & hominum manu elaboratis Divinum adorationis cultum exhiberent; Alterum, quod Deos colerent, qui a temporum injuriis, actione flammarum, putredine & furibus immunes non essent. Sed illa Apologistarum argumento plus æquo probassent, si ea circa Eucharistiam Christianorum fides fuisset, ut crederent eam non esse ipsum Christi corpus, sed figuram dumtaxat, & quidem efficacem, qua adumbraretur. Sic enim gentiles quos (ut supponitur ex adversariis) Eucharistiæ mysterium; etiam quoad modum non latuisset, a simili potuissent argumentari; *Latriæ cultum exhibetis Christo, qui per spiritualem virtutem in iis operatur, qui panem Eucharisticum recipiunt; cur igitur ægre fertis, quod Deos colamus, qui per simulacra a quibus substantialiter quidem absunt, sed adsunt tamen virtute, nostris miseriis consulunt. Idola contemptui habetis quod hominum manibus elaborata sint, quod temporum vicissitudinibus sint obnoxia, cum tamen panem vestris manibus confectum, vestro consecratum ore plurimi faciatis. Simulacra, quæ colimus, dii ipsi non sunt, sed eorum dumtaxat imagines; quemadmodum panis, quem Eucharistiam dicitis, non est ipsemet Christus, sed solum illius imago, efficax quidem, sed tamen quæ ipsius Christi substantiam excludat*. Atqui Philosophi gentiles ea argumenta prætermiserunt, quæ ex Calvinistici circa Eucharistiam dogmatis notitia veluti proprio ex fonte scaturiunt, licet saltem in speciem simulacrorum cultui plurimum faverent; Sacramentariis igitur mirum videri non debet, quod ethnici de argumentis ex catholicæ circa Eucharistiam doctrinæ notitia sponte emergentibus omnino siluerint, quamvis alioquin non levis futura fuissent roboris, ut probaretur Christianos religionem profiteri, quæ rerum, in speciem, absurdarum, sensibus & rationi repugnantium, imo & impossibilium fidem præciperet.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum corporalis præsentia Christi in Eucharistia possit argumentis philosophicis expugnari.

Conclusio. Corporalis præsentia Christi in Eucharistia non potest argumentis philosophicis expugnari.

Probatur ex eo quod valeant solutiones, quas Patres adhibuerunt ad argumenta, quæ contra Eucharistiam, intellectam secundum Ecclesiæ Romanæ fidem, ex naturali ratione desumi possunt, ut cuique ex mox dicendis patebit.

Objicies 1. Eucharistia ad Ecclesiæ Romanæ sensum explicata, plurimas, & quidem insolubiles difficultates complectitur: 1. quidem ex parte corporis Christi, quod in ea suppositione, oportet existat simul pluribus in locis, ut totum sub exigua hostia contineatur, ut speciebus, quibus tegitur, in frusta divisis, ipsum tamen integrum, & illæsum remaneat: 2. ex parte accidentium, quæ supponuntur existere sine subjecto, cui inhæreant; 3. ex parte sensuum quos panis consecratus afficit eadem ratione, qua prophanus. De iis vero difficultatibus non apud gentiles modo, sed etiam apud antiquos Patres qui sex prioribus sæculis scripsere, altissimum est silentium: igitur corporalem Christi in Eucharistia præsentiam non crediderunt; alioquin enim eas de quibus agitur, difficultates alicubi solvere debuissent, cum verisimile sit quod fidelium menti sæpius occurrerint; sponte siquidem sua corporalem Christi in Eucharistia præsentiam credenti sese objiciunt.

Resp. 1. non fuisse necesse, ut Patres, quibus eæ difficultates perspectæ fuerunt, iis solvendis darent operam: sat fuit quod fideles monuerint, ut spretis iis nodis, catholicæ de Eucharistia fidei firmiter ac constanter adhærerent; verum id Patres præstitisse certum est 1. ex Chrysostomo, qui hom. 83. in Matthæum hæc scribit, *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit; superet & sensum, & rationem nostram sermo ipsius: quod in omnibus rebus, sed præcipue in mysteriis faciamus, non illa, quæ ante nos jacent, solummodo aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes; nam verbis illius defraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ille dixit*, HOC EST CORPUS MEUM, *nulla dubitatione teneamur, sed credamus*: Colligitur 2. ex Cyrillo Alexandrino qui libro quarto in Joannem cap. 13. explicans illud Capharnaitarum, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* sic loquitur, *Firmam fidem mysteriis adhibentes, numquam in tam sublimibus rebus illud (Quomodo) aut cogitemus, aut proferamus.*

Resp. 2. negando quod Patres de relatis difficultatibus siluerint; Primo enim miraculum quo Christi corpus in Eucharistia absque propriæ integritatis detrimento, multiplicatur, Grægorius Nyssenus attigit Orat. Catech. cap. 37. *Cum autem (inquit) solum illud corpus quo Deum suscepit homo, hanc gratiam acceperit, oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.* 2. Nodum, qui ex Catholicorum sententia, Christum in cœlis simul & in terris constituente; sequitur, sensit Chrysostomus libro tertio de Sacerdotio, ubi sic exclamat, *O miraculum, o Dei benignitatem, qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus illum excipere, & amplecti*. Cætera quæ ad eas, de quibus agitur, difficultates spectant, hujusce de realitate quæstionis art. 11. §. 5. legere est.

Respond. 3. argumento in objectione relato, plus

æquo

æquo probari quam adversarii velint; eo enim, si valeat, ostendi potest 1. antiquos Parres SS. Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ mysteria non credidisse, antequam hæretici suis argutiis philosophicis ea impetiissent; neque enim Patres ante intentatas ab hæreticis Ecclesiæ lires, difficultates explicarunt, quæ iis dogmatis involvuntur, & quibus postea Catholica veritas ab antiquis gregalibus vexata est. 2. Eodem argumento, si vim habeat, evincitur innumeras Orientis societates Christianas non credere, his temporibus, transubstantiationem, nec credidisse antiquitus; qui enim ex illis Christianis, propter gravissima alia doctrinæ capita sese invicem anathemate damnantibus, de Eucharistia scripserunt, nullarenus recensuisse leguntur difficultates philosophicas, quas Sacramentarii identidem Catholicis opponunt.

Objicies 2. Constans est apud Patres, & in primis apud Augustinum axioma, *Unum corpus ab alio penetrari non posse*; Fixa est pariter apud eos regula, *Unum & idem corpus non posse simul esse in pluribus locis*. Iidem Patres multa alia principia statuerunt, quæ plane repugnant iis, quæ ex præsentia corporali Christi in Eucharistia consequuntur: Eam igitur non crediderunt.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est 1. quia philosophica Patrum principia, quæ ab adversariis objiciuntur, in ordine naturali, non autem in ordine supernaturali locum habent; Et sane Augustinus qui cæteris Patribus clarius docuisse videtur, unum & idem corpus non posso esse simul in pluribus locis, postquam lib. 22. de Civitate Dei, cap. 8. retulit miraculum, quo (ipso præsente) annulus integer exiit e circulo, cui insertus fuerar, asserit prodigium illud iis tantum futurum incredibile quibus non est persuasum quod Christus ex non reserato Virginis utero quondam exierit, aut quod, januis clausis, cœnaculum subierit. Gregorius Nyssenus miraculum, de quo agitur, expresse miratur in Eucharistia Orat. Catech. cap. 37. 2. quia, quamvis Catholici de Trinitate recte sentiant, in Philosophia tamen principium admittunt, quod illi mysterio penitus videtur repugnare, illud nimirum axioma logicum quo omnia nostra rariocinia nituntur, *Quæ sunt idem cum tertio, sunt idem inter se*. 3. Antiqui Patres effata, universalia quidem secundum terminos, sed tamen singularia secundum sensum, sæpius protulerunt, licet illum sensum non explicuerint statim, sed alias; data nimirum opportunitate, & cogente causa quæ deinceps accidit. Sic Augustinus postquam docuit peccatum esse malum ita voluntarium, ut alioquin non foret peccatum, agens postea contra Pelagianos qui ea sententia abutebantur, his verbis, illius sensum restrinxit, *Hoc velle dicitur propter proprium cujusque peccatum; non propter peccati originalis contagium*.

Objicies 3. Deus nihil incassum & frustra solet agere. Sed Christus frustra corporaliter & secundum substantiam adesset Eucharistiæ, sat nimirum est nobis ut illius præsentiam in signo, in figura, aut saltem in virtute habeamus: Christus, in symbolo tantum, existens in Eucharistia, non minus fidelium animos pasceret, quam si secundum substantiam sub panis & vini speciebus latitare supponatur: quid enim impedit quin fides, & charitas, quibus anima vivit & nutritur, Christum in cœlis existentem, eadem ratione complectatur, ac si in Eucharistia corporaliter esset præsens.

Resp. 1. eo argumento, si valeret, probatum iri Verbum incarnari non debuisse, quippe quod absque incarnatione, absolute loquendo, potuerit hominem perditum liberare.

Resp. 2. corporalem Christi in Eucharistia præsentiam, ad nostram sanctificationem, ex Dei ordinatione plurimum conducero; elegit nempe illud præ cæteris medium, ut summæ in homines charitatis testimonio, illos sibi devinciret, ut torpentem animum nostrum ad sui amorem excitaret, *Ut autem* (inquir Chrysostomus homil. 45. in Joannem) *non solum per dilectionem, sed reipsa in illam carnem convertamur, per cibum id efficitur quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem vellet indicare; per corpus suum se nobis commiscuit, & in unum nobiscum redegit, ut corpus suum* (mysticum) *cum capite uniretur, hoc enim amantium maxime est. Hoc Job indicavit de servis a quibus maxime amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant, Quis daret nobis ut ejus carnibus impleremur? Quod Christus fecit ut majori nos charitate astringeret, & ut suum in nos ostenderet desiderium, non se tantum videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & desiderio sui omnes impleri .... Parentes sæpenumero liberos suos aliis alendos dederunt; Ego autem mea carne alo*. Eant nunc adversarii, & infinitæ Dei in homines charitati limites præfigant, si possint.

Objicies 4. Ex corporali præsentia Christi in Eucharistia, varia sequuntur absurda, quæ Deum maxime dedecent; Christi scilicet corpus in humum aliquando decideret, attereretur dentibus, in ventrem & in secessum abiret, a muribus corroderetur, putresceret, acesceret, concremaretur: cum enim ea omnia speciebus accidant, accidere pariter debent Christi corpori, quod sub eis latitat.

Resp. 1. futilia omnino esse argumenta, quæ ea absurdis adversus nostræ religionis mysteria coacervari possunt; nihil siquidem a paganis objecta fecerunt antiqui Patres, ut patet ex Epist. 49. Augustini ad Episcopum, Deo gratias nomine, ubi sic loquitur, *In ipsum Christum non crederemus, si fides Christiana cachinnum metueret paganorum*. Eadem, in speciem, absurda contempserunt iidem Patres cum ab hæreticis objecta sunt, ut constat ex Tertulliano, lib. de carne Christi, ubi respondet Marcioniris incarnationem ideo negantibus quod concludi virginis utero, in præsepio collocari, & alia hujusmodi, Deum dedecere judicarent; Constat etiam ex iis qui Nestorium impugnarunt; quippe quod asserant Nestorio nibil magis movisse stomachum quam Cyrilli loca quibus Deum incarnatum, dici posse bimestrem trimestrem sequebatur.

Resp. 2. ea, de quibus objectio, improprie tantum de Christo prædicari; Christi nempe corpori eo sensu tribuuntur, quod speciebus conveniant, sub quibus contiuetur. Ratio vero cur proprie non prædicentur, petitur ex eo quod nonnisi dependenter a motu locali contingere possint: At motus localis in Christi corpus proprie exerceri non potest, eo quod in Eucharistia non contineatur secundum impenetrabilitatem aliasque proprietates naturales, quæ requiruntur ut aliquod subjectum motum patiatur; sic licet de corpore humano dicatur, quod in terram decidat, id tamen de anima cui conjunctum est, affirmari non solet, sic etiam Deus quamvis quemque locum repleat, non sordescit in sordibus, nec in flammis concrematur.

Resp. 3. non tantum esse absurdi quantum putant adversarii quod Christi corpus in hostia consecrara a vermibus corrodatur, & quod in animalculorum hujusmodi stomacho tandiu remaneat, quamdiu panis species conservantur; id vero paritate, quam Sacramentarii admittant oportet, potest confirmari. Dicant ergo num Christi sanguis Divinitati hypostatice unitus, in canis stomacho remansisset, si effusus e cruce ab eo fuisset haustus. Præterea licet cum de rebus ex imaginatione judicamus, quædam materia præ aliis Deum dedecere magis videatur; a parte rei tamen, quælibet coram Deo æqualis est dignitatis; Tandem si quid Deum dedeceat, est peccatum, quod tamen non impedit quin in impii corpus per communionem ingrediatur.

CAPUT SECUNDUM.

De modo realis præsentiæ Christi in Eucharistia.

TRibus tantum modis concipi potest substantialis præsentia corporis Christi in Eucharistia: 1. per impanationem: 2. per consubstantiationem: 3. per transubstantionem. Impanationis nomine intelligitur unio hypostatica verbi cum pane; ita ut in Eucharistia

Vet-

Verbum hypostatice uniatur cum pane, de quo sic unito, non autem de carne Christi, intelligantur hæc illius verba, *Hoc est corpus meum*, idest, *Hic panis per unionem hypostaticam est meum corpus*. Per Consubstantiationem intelligitur præsentia substantiæ carnis Christi cum substantia panis; ita ut substantia panis; & substantia carnis Christi simul vere existant in Eucharistiæ Sacramento. Tandem Transubstantiationis nomine intelligitur conversio substantiæ panis & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi; Ut igitur ea, qua par est, ratione explicetur modus realis præsentiæ Christi in Eucharistia, de Impanatione, Consubstantiatione, & Transubstantione dicamus oportet.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum corpus Christi sit in Eucharistia per Impanationem?

QUÆ ad impanationem spectant duobus paragraphis complectemur: 1. quæremus quinam authores ei faverint: 2. proferemus argumenta quibus a Catholicis confutatur.

§. I.

Quinam Impanationem docuerint.

IMpanationis dogma plerumque variis authoribus tribuitur, qui tamen ab eo distant quam maxime.

1. Blondellus Calvinista Gallus ægre ferens quod Paschasius Ratbertus nono sæculo aperte defenderit corporis Christi in Eucharistia realitatem, ab eaque Sacramentariorum figuram, ac virtutem (ut ajunt) efficacem, ablegaverit, pium illum monachum traduxit, quasi libro, *De corpore & sanguine Domini* impanationem, seu assumptionem panis a Verbo, defenderit; Sed erroris hujusmodi Paschasius ipsique insimulatur; Docuit nimirum 1. in Eucharistia solam panis, & vini figuram, seu speciem, post consecrationem remanere, contineri vero eam carnem & eum sanguinem quæ Verbum in utero Virginis assumpsit, *Licet* (inquit cap. 1.) *figura panis & vini hic sit, omnino nihil aliud quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt. Et ut mirabilius loquatur, non alia plane quam quæ nata est de Maria & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro*. Docuit 2. non esse habendam rationem sensuum, qui panem Eucharistia consecrata percipiunt, *Sed* (ait ibidem) *visa corporeo & gusta propterea non demutantur, quatenus fides exerceatur ad justitiam, & ob meritum fidei, merces justitia consequatur*. Ex Paschasio igitur panis & vinum secundum substantiam non remanent. 3. Variis Patrum textibus, in Epistola ad Frudegardum utitur, ut adstruat panis & vini conversionem in corpus & sanguinem Christi. 4. In eadem Epist. sic hanc Christi vocem, *Corpus meum*, non de alio corpore quam de carne, quæ pependit in cruce, intelligi debere contendit, *Ergo cum ait*, Hoc est corpus meum, vel caro mea, seu, Hic est sanguis meus, *non aliam puto insinuasse quam propriam, & quæ nata est de Maria virgine, & pependit in cruce, neque sanguinem alium quam qui profusus est in cruce, & tunc erat in proprio corpore*.

2. Idem Sacramentarius Conciliis omnibus, quæ contra Berengarium undecimo sæculo habita sunt, eamdem de Impanatione calumniam impingit: quippe qui Elucid. p. 441. conceptis terminis asserat, ad Vvaldenses usque, quorum hæresis 12. sæculo pullulavit, authores omnes qui realitatem substantialem docuerunt, asseruisse quod Verbum Divinum in Eucharistia panem assumpserit; Sed ab iis Conciliis crimen hujusmodi facile depelli potest; Illorum nempe Conciliorum verba, & varios Berengariani dogmatis status lectorum oculis subjiciendo.

Primum Concilium quo Berengarii dogma fuit proscriptum, sub Leone Papa IX. Romæ celebratum est; verba, quibus decretum conceptum est, non extant in Conciliorum collectione, sed sensum Lanfrancus sic aperit in commentario quem contra Berengarium edidit, *Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua* (Berengarium alloquitur) *ad Apostolicam sedem; Qui cum Synodo præsideret .... Jussum est in omni audientia recitari quas mihi de corpore & sanguine Domini litteras transmisisti... Igitur cum a quodam Clerico Rhemensi Romam perlatas recitator legeret, intellecto, quod Joannem Scotum extolleres, Paschasium damnares, communi de Eucharistia fidei adverso sentires: promulgata est in te damnationis sententia*. In eam vero Lanfranci de Romano Concilio sententiam hæc observare placet: 1. Probari Paschasii de Eucharistia doctrinam: 2. eam, quæ tunc communis esset. Ergo, cum Paschasius panis assumptionem non docuerit (ut probatum est) cum tunc eam communis fides non profiteretur, illam Romana Synodus nequaquam asseruit.

Alterum Concilium, quod contra Berengarium habitum fuit, est Vercellense ann. 1050. Kalendis Septembris, sub Leone Papa IX. Illius acta non extant nisi apud Guitmundum, & Lanfrancum; quænam autem sint, iste sic enarrat, *Dehinc* (nempe in Concilio Romano,) *declarata est Synodus Vercellensis .... ad quam vocatus non venisti ..... in qua, in audientia omnium, qui de diversis hujus mundi partibus convenerant, Joannis Scoti liber de Eucharistia lectus est, ac damnatus; Sententia tua* (Berengarium alloquitur) *exposita ac damnata; Fides sanctæ Ecclesiæ, quam ego teneo, & tenendam astruo, audita & concordi omnium sensu confirmata*. At Lanfrancus nusquam impanationem tenuit, sed transubstantiationem. Primo enim Berengarius hanc ipsi tribuit in scripto quod exaravit in Humbertum Cardinalem, quem vocat Burgundum quod ex Burgundia ortum crederet: *Erat autem* (inquit) *Burgundus in sententia, imo vecordia vulgi, Paschasii, atque Lanfranci, minime superesse in altari post consecrationem substantiam panis atque vini*. 2. Lanfrancus ipse toto libro, *De corpore & sanguine Domini*, transubstantiationem aperte profitetur, *Quod vero* (inquit cap. 4.) *sententiam qua panem in veram Christi carnem, & vinum in verum Christi sanguinem converti credimus, vecordiam nominas &c.*

Tertium Concilium, in quo Berengariana novitas proscripta fuit, est Turonense ann. 1055. sub Victore Papa II. qui illi præfuit per Hildebrandum, quem legatum in Gallias miserat; De ea autem Synodo non aliud extat quam quod Guitmundus Aversanus Archiepiscopus, & Lanfrancus Cantuariensis scripto reliquerunt. *Inde* (inquit Guitmundus lib. 3. de Sacram. (*Romana Ecclesia per beatum Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnavit: deinde per ipsum, qui nunc præest, Dominum Gregorium Papam tunc subdiaconum ejusdem Romanæ sedis, in Concilio Turonensi convicit: ipsumque Berengarium, ut videbatur correctum, ac propriæ manus Sacramento satisfacientem, clementer suscepit*. Hæc quoque de eodem Concilio habet Lanfrancus contra Berengarium agens: *Denique in Concilio Turonensi, cui ipsius Victoris interfuere legati, data est tibi optio defendendi partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non auderes, confessus coram omnibus communem Ecclesiæ fidem, jurasti te ab illa hora crediturum, sicut in Romano Concilio* (sub Nicolao Papa II.) *est superius comprehensum*. Quid, quæso, in istis tum Guitmundi, tum Lanfranci verbis impanationem redolet? Testantur communem fidem in Synodo Turonensi definitam fuisse, idem statutum quod postea sub Nicolao Papa II. Romæ statutum fuit; at communis fides, quod decretum fuit sub Nicola III. non est impanatio.

Quartum Concilium quod contra Berengarium fuit celebratum, est Romanum ann. 1059. sub Nicolao Papa II. De ea quidem Synodo hæc Lanfrancus lib. *De corpore & sanguine Domini* scribit: *A beatæ memoriæ Nicolao totius Christiani nominis summo Pontifice, & a centum tredecim Episcopis Romæ audita, examinata atque damnata sunt. Tu quoque* (Berengarium alloquitur) *inclinato capite, sed non humiliato corde, ignem accendisti, librosque perversi dogmatis in medio sancti Concilii in eum conjecisti, jurans per id, quod rebus omnibus incomparabiliter majus est, fidem a Patribus, qui præ-*

sentes

sentes erant traditam inviolabiliter servaturum, veteremque doctrinam tuam de corpore & sanguine Domini, ab illa die, aliis non prædicaturum. Ubi Berengarius audiit Concilii decretum, postulavit fidei formulam a summo Pontifice proponi cui subscriberet, Jubente Nicolao conscripta fuit ab Humberto Cardinale, his vero verbis concepta refertur a Lanfranco: *Ego Berengarius indignus diaconus Ecclesiæ sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram, & apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresim, præcipue de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, & non verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: nec posse sensualiter, nisi in solo Sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor, de Sacramento Dominicæ mensæ eam fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus authoritate Evangelica, & Apostolica tenendam tradidit, mihique formavit, scilicet, panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & sensualiter non solum in Sacramento, sed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, jurans &c.*

Berengarius tantum abest ut promissis postea steterit, quin liber dimissus, confessionem sibi a Concilio præscriptam impugnaverit quasi impanationem astrueret. In opere nimirum quod adversus eam adornavit, contendit 1. eam fidei confessionem supponere quod panis, & vinum post consecrationem remaneant. *Qui enim dicit* (inquit apud Lanfrancum) *panis, & vinum altaris solummodo Sacramenta sunt: vel panis, & vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus, & sanguis: modis omnibus panem & vinum superesse constituit.* Asserit 2. eadem confessione asseri quod panis, & vinum quæ supersunt, ipsum esse (non identitate quidem, sed hypostatice) corpus Christi, *Panis, & vinum sunt verum Christi corpus.* 3. Ea confessione dicitur, *quod corpus Christi tangatur manibus Sacerdotum, frangatur, & atteratur dentibus*; id vero, cum carneo Christi corpori non conveniat, panaceo tribuatur oportet.

Calumnias hujusmodi Lanfrancus, qui Concilio adfuerat, mox depulit. Respondet itaque 1. nusquam a Berengario postulatum fuisse, ut profiteretur quod supponit: *Nihil horum* (inquit) *Romana Synodus credendum esse decrevit... posterior sententia quæ enunciat, Panis & vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus & sanguis, nullius hominum est*, & quidem merito sic Lanfrancus respondet, hoc scilicet unum definitum fuerat in Concilio Romano, *Panem, & vinum post consecrationem non esse solummodo Sacramentum*, seu figuram corporis, & sanguinis Christi, ut Berengarius asseruerat, *sed etiam verum corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Respondet 2. corpus, & sanguinem Christi vocari panem, etiam post consecrationem, quod objecta vocari soleant nomine rerum, quarum servant externam speciem; aut ex quibus, tamquam ex causa materiali, facta sunt. *Quod vero* (inquit) *panis dicitur, consueto sacrorum codicum more id fit, qui res quaslibet sæpe vocant nominibus illarum rerum, ex quibus fiunt; seu quæ esse putantur, & non sunt, sive quibus aliquo modo similes existunt.* Respondet 3. præscriptæ Berengario confessionis verba, quibus corpus Christi dicitur *manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*, propria esse secundum unum sensum, tropica vero secundum alterum. Propria sunt quatenus iis significatur corpus Christi vere ac realiter tractari manibus Sacerdotum, communicantium ore substantialiter sumi; quod negabat Berengarius: tropica autem, quatenus divisionem in frusta significant; ea enim divisio, Christi corpori non convenit nisi in aliena specie, panis scilicet, & vini; nec erat quod Berengarius eum Concilii Romani loquendi modum culparet, frequens nimirum, & communi usu trita, est metaphora, qua id de subjecto prædicatur quod convenit tantum iis, quibus tegitur: sic humo dicitur madefactus, laceratus, licet id illius tantum vestibus conveniat; *Absit enim* (inquit Lanfrancus) *ut sic intelligamus manducari Christum, quemadmodum intellexerunt illi, qui cum audirent dicentem Dominum.* Nisi manducaveritis &c. *continuo responderunt*, Durus est hic sermo: *Putaverunt nempe quod in terris degentem Dominum in frusta essent conscissuri ... Sic in terris immolatum Christum manducamus, & bibimus ut in cœlestibus ad dexteram Patris integer semper existat & vivus.*

Quinta Synodus contra Berengarium, Romæ habita est sub Gregorio Papa VII. anno 1079. Eo in Concilio ii termini adhibiti sunt, quibus plane obstruitur os Blondelli contendentis ante Vvaldenses neminem præsentiam realem Christi in Eucharistia docuisse, qui impanationi patrocinatus non sit; quippe quod expresse definitum sit panem, & vinum post consecrationem non superesse, secundum substantiam, sed converti in verum Christi corpus. Synodo Berengarius, tunc octogenarius, adfuit, impietatem confessus est suam, juravitque (ajunt acta Concilii) sicut in consequentibus continetur, *Ego Berengarius corde credo, ore confiteor panem, & vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, & propriam ac vivificam carnem, & sanguinem Jesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de virgine, & quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram Patris, & verum sanguinem Christi, qui de latere ejus effusus est, non tantum per signum & virtutem Sacramenti, sed in proprietate naturæ, & veritate substantiæ, sicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis; sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

In eam fidei confessionem nonnulla velim, observentur. 1. Post Synodum Romanam sub Nicolao Papa II. & priorem Berengarii confessionem, aliquos hæresiarchæ discipulos admisisse quidem corporalem Christi præsentiam in Eucharistia, sed cum qua panis, & vini substantia remanerent, *Alii vero Berengariani* (inquit Guitmundus libr. 1. de corporis, & sanguinis Christi veritate) *rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus, & sanguinem Domini revera, sed latenter contineri, & ut sumi possint, quodammodo (ut ita dixerim) impanari, & hanc ipsius Berengarii esse sententiam ajunt*, Notandum est 2. hæc verba, *Quod natum est de virgine &c.* ideo præscripta fuisse Berengario quod verum Christi corpus, quod quidem in Eucharistia sub Nicolao Papa II. Romæ confessus fuerat, nonnumquam interpretaratur de corpore mystico, non autem de naturali. 3. Monitum velim lectorem nihil aliud hac in Synodo definitum fuisse quam quod in præcedentibus; sed addita fuisse verba, quibus æquivocationes omnes deinceps præcluderentur. Nonnulla quidem alia Concilia habita sunt, Pictaviense nimirum anno 1078 Placentinum sub Urbano II. anno 1095. Verum cum eæ Synodi de Eucharistia eodem modo loquantur quo superius relatæ, iis Blondellus abuti non potest ut Patres qui XI. sæculo de realitate scripserunt, tamquam impanatores traducat.

3. Algeri primum Scholastici Leodiensis, ac postea Cluniacensis monachi, ætate nimirum circa annum 1130. quidam impanatores visi sunt; hæc enim laudatus author scribit in prologo libri de Sacramento corporis, & sanguinis Dominici; *Alii autem dicunt, panem non solum Sacramentum, sed in pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in carne personaliter incarnatum:* Quinam autem sint ii, qui sic senserint, Algerus non apperit; Putant nonnulli, Berengarianos esse, apud quos, ex Guitmundo, undecimo sæculo *impanationis, & invinationis* nomen obinebat; Sed eorum pace dixerim, de iis nequaquam intelligi Guitmundi textum, quo nituntur: sic enim habet textus ille, *Alii vero dicunt ibi corpus, & sanguinem Domini revera, sed latenter contineri, & ut sumi possint, quodammodo, ut ita dicam, impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse sententiam ajunt*, quo quidem

ex

ex loco patet Berengarianos, de quibus Guitmundus loquitur, impanationis aut invinationis nomine, non intellexisse donorum assumptionem a Verbo, sed undam eorum cum Christi carne, & sanguine permanentiam ei similem, quam Lutherani propugnant. Confirmatur ex eo quod ejusdem Guitmundi contra impanatores, de quibus agit, argumenta omuia supponant ipsum Christi carnem in pane, & sub paue præsentem, *Quomodo enim* (inquit) *in solido corpore panis, alterum corpus latere possit, videri non potest*.

4. Cardinalis Bellarminus censet Rupertum Abbatem Tuitiensem, qui obiit circa annum 1111. primum extitisse authorem, qui impanationem, sumptam pro unione hypostatica panis cum verbo, docuerit: Sed doctissimi Cardinalis pace dixerim, Rupertum videri omnino Catholicum, quamvis nonnulla sint in eo loca quæ impanationi in speciè faveant. 1. In Epistola nuncupatoria commentariorum in Joannem, quæ extat in editione Coloniensi ann. 1526. sic impactas sibi a quibusdam calumnias depellit, *Illi autem quid dicant, quid pro argumento afferant, non habent; nisi quod aliqui ex eis, dum volunt Sacramentum corporis, & sanguinis Domini solummodo signum esse sacræ rei juxta errorem quondam Berengarii Turonensis, etiam dictum beatum Augustinum ita sentire putant; quod omnino falsum est. Ego autem verum corpus Christi quod pro nobis traditum est, & verum esse decerto sanguinem qui pro nobis effusus est, sicut Catholica Ecclesia tenet. Hæc quia probare conati sunt Beato me derogare Augustino contra illum sentiendo, quem in sui erroris patrocinium Berengarius citare consueverat, dicta ejus malo sensu diripiendo. Verum hæc jam fere nemo palam profiteri aut defendere audet, universa sentiente Ecclesia Catholica, quia verum corpus, & verus sanguis Christi est.* Eo loco Rupertus asserit Eucharistiam continere Christi corpus quod pro nobis traditum est, sanguinem qui effusus est pro nobis; ergo carneum corpus, cum panaceum pro uobis in cruce traditum non sit, hæc iterum ibidem addit, quibus omnis æquivocatio tollitur, *Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus, scilicet panem, & vinum in verum corporis, & sanguinis Domini* TRANSISSE *substantiam*. Ergo ex Ruperto panis, & vinum secundum substautiam in Encharistia non remanent. 2. Idem author lib. sexto in Joannem idem hisce verbis confirmat; *Veritas dicit, Hoc est corpus meum, & addit, quod pro vobis tradetur: Et tu dicis, non est idem corpus: nempe si non est idem corpus, si non est idem qui de cælo descendit panis vivus, non est hoc corpus quod pro vobis traditur. Cunctis figurarum vel similitudinum nebulis amotis, non corpus quodlibet, non corpus Christi quod est Ecclesia, sed illud corpus Domini quod pro nobis traditum est, nos manducare, & sanguinem illum, qui pro nobis fusus est in remissionem peccatorum, nos bibere indubitanter credimus.* 3. Eamdem veritatem lib. 2. de Divinis Officiis cap. 2. aperte iterum confirmat, *Panis, & vinum in verum corpus, & sanguinem Domini transferuntur. Multi fideles, oculos fidei non habentes, in sancto Sacrificio, præter panem, & vinum nihil amplius intuentes, cum diceretur eis, Corpus & sanguis Domini est, murmuraverunt dicentes, Quomodo est? ... Verum Dei Verbum, verum Dei Filium sancta Ecclesia Catholica offert creatori suo, credens corde, & ore confiteus, pariterque manibus panem, & vinum, sicut sibi tradidit ipse Salvator, offerens: nam pro quota suorum parte beneficiorum gratias ageret Ecclesia Creatori, Salvatori, & illuminatori suo, si nihil aliud et quam panem, & vinum offerret? ..... Non ergo solum panem, & vinum, quæ corporaliter videntur, sed, & quod non nisi fidei oculis aspicitur, verbum Dei, & Filium Dei offert sancta Ecclesia, novum, & verum immolans sacrificium ..... Si hujus verbi flumen super panem, & vinum effuderis, & ordine, qui ab ipso statutus est, veritatem hujus verbi protuleris, statim de sancto altari panem ipsum, & vinum in corpus, & sanguinem suum transferendo suscipis eadem virtute, eadem potentia, & gratia, quæ nostram de Maria virgine carnem suscipere potuit, quomodo voluit ..... Unum corpus est, & quod de Maria genitum in cruce pependit, & in sancto altari oblatum quotidie nobis ipsam innovat passionem Domini.* Ea Ruperti sententia omnes de modo, quo Christus est in Eucharistia, errores rejiciuntur. Primo quidem Berengariana figura, cum asserat *verum* Christi corpus in sacrificio offerri; Secundo excluditur consubstantiatio quorumdam Berengarianorum, de quibus Guitmundus lib. de corpore, & sanguine Domini loquitur, quosque *Impanatores* vocat; expresse uimirum profitetur panem, & vinum converti In Christi corpus, & sanguinem quæ pro nobis in cruce tradita sunt; Tertio Impanatio, seu assumptio substantiæ panis, & vini a Verbo, excluditur pariter, cum conceptis terminis doceat, idem corpus quod pependit in cruce, eumdem sanguinem qui effusus est, in sacro altari a nobis offerri, & immolari. Unde patet Vvicleffum 14. sæculo immerito sensum metaphoricum affinxisse Ruperto: patet etiam non habendam esse rationem Baronii ad annum 1111. hæc de Ruperto scribentis, *In errorem illum impegit incaute, quo asseruit in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento ita inesse vere ipsum integrum corpus, & sanguinem Christi, ut tamen substantia ipsa panis, & vini etiam integra remaneret; qui error damnatus est in Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa tertio.* Patet iterum immerito traduci a Bellarmino, quasi fuerit anthor Impanatorum, seu eorum qui dicerent panem, & vinum assumpta fuisse a Verbo, sicut caro in sinu virginis in unitatem personæ fuit assumpta.

Non diffitemur tamen quin Rupertus nonuullis in locis errori, cujus eum Bellarminus insimulat, in speciem faverit: Primo enim lib. 2. in Exodum cap 10. sub finem, ad hæc verba, *Sed comedetis assum igni*, sic loquitur, *Id est, totum attribuetis operationi Spiritus sancti, cujus affectus non est destruere vel corrumpere substantiam, quamcumque suos in usus assumit, sed substantiæ bono permanenti quod erat, invisibiliter adjicere quod non erat: Sicut naturam humanam non destruxit cum illam operatione sua ex utero Virginis, Deus Verbo in unitatem personæ conjunxit; Sic substantiam panis, & vini, secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam, non mutat aut destruit, cum eidem Verbo in unitatem corporis ejusdem quod in cruce pependit, & sanguinis ejusdem, quem de latere suo fudit, ista conjungit. Item quomodo Verbum a summo demissum; caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic panis, & vinum, utrumque ab imo sublevatum, fit corpus Christi, & sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem, sed assumendo invisibiliter utriusque, divinæ scilicet, & humanæ, quæ in Christo est, immortalis substantiæ veritatem. Proinde sicut hominem, qui de Virgine sumptus in cruce pependit, recte & catholice Deum confitemur, sic veraciter hoc quod sumimus de sancto Altari, Christum dicimus, agnum Dei prædicamus.* 2. Idem scribit lib. 2. do Divinis officiis cap. 2. quod, *de Offerenda*, inscribitur: *Nec duo corpora dicuntur, aut sunt, hoc quod de altari, & illud quod acceptum est de utero virginis; quia videlicet in unum, idemque verbum, unus idemque Deus, sursum est in carne, hic in pane.* 3. Idem author lib. 6. in Joannem hæc habet quæ idem innuunt, quod præcedentia, *Verbum, quod est panis Angelorum, caro factum est, non mutatum in carnem, sed assumendo carnem: sic idipsum Verbum jam dudum caro factum, panis visibilis fit, non mutatum in panem, sed assumendo, & in unitatem personæ suæ transferendo panem. Proinde sicut de carne nostra, quam Virgo Maria peperit, vere fatemur propter unitatem personæ, quia Deus est, sic nihilominus de pane illo visibili, quem ejusdem Verbi invisibilis Divinitas assumens, in carnem suam transfert, vere & Catholice confitemur, quia corpus Christi est.* Lib. 2. de Divinis officiis asserere videtur corpus Christi ab impiis non recipi, etiamsi species consecratas dentibus premant, & manducent; *Verbum Patris* (inquit) *carni, & sanguini, quam de utero Virginis assumpserat, & pani ac vino, quod de altari assumpsit, medium interveniens, unum sacrificium efficit, quod cum in ora fidelium Sacerdos distribuit, panis, & vinum absumitur, & transit; Partus autem virginis cum unito sibi Verbo Patris, & in cælo, & in hominibus integer permanet, & inconsumptus: Sed in illum in quo fides non est, præter visibiles species panis, & vini, nihil de sacrificio pervenit.* Ex iis vero locis (inquit Bellarminus) patet

Ru-

Rupertum affirmare quod facta consecratione Christus dicatur panis, sicut dicitur, & est homo per Incarnationem: patet iterum eum negare quod panis in carnem Christi muterur, sicut Catholici negant, io incarnatione aut Verbum aut carnem, in se invicem tranmutata fuisse; patet denique eum voluisse quod in piis dumtaxat, Verbum panem Eucharisticum sibi conjungat.

Non diffitemur (inquam) quin ea Ruperti loca, subobscura sint, verum qui ad texrus apertos atteoderit, quos ex ipso pro transubstantiatione laudavimus, benignum in sensum, difficilia alioquin loca quæ objecta sunt, interprerabitur. ne authori adscribaotur contradictoria. Dicendum est igitur 1. Rupertum, corruptionis aut destructionis nomine, intellexisse omnimodam destructionem, ita ut res, in quam Spiritus sanctus agit, aut plane desinat, aut in pejus convertatur; quo quidem in sensu certum est panem, & vinum altaris nequaquam destrui, aut corrumpi cum in ipsum Christi corpus, & sanguinem ea ratione mutentur, qua aqua, cujus exemplo laudatus author utitur, quondam in nuptiis Cana, operante Spiritu sancto, in vinum conversa est. Dicendum est 2. per *substantiam*, quæ post consecrationem remaneat, non internam intelligi a Ruperto, sed externam taotum quæ idem est cum accidentibus panis, & vini; unde eam noo simpliciter substantiam appellat, sed cum hoc addito, *Secundum exteriorem speciem quinque sensibus subactam*; addi potest quod cum ait panem non mutari in carnem, sumat carnem pro accidentibus carnis, non autem pro ipsa carnis substantia, *Utrumque* (inquit) *ab imo sublevatum sit corpus Christi, & sanguis, non mutatum in carnis saporem, sive in sanguinis horrorem*. Dicendum est 3. eum, cum asserit panem assumi in unitatem personæ, loqui de assumptione mediata, quæ scilicet panis in Christi carnem, & vioi io sanguioem mutationem præsupponat; seu voluit panem sic a Verbo assumi in unitatem personæ quod in Christi carnem Verbo hypostatice unitam convertatur. Dicendum est 4. Eucharistiæ cum Incarnationis mysterio comparationem, quam Rupertus adhibet, in eo valere quod sicut per unionem hypostaticam humana caro corpus Verbi, & est, & appellatur, ita panis mutatus in carnem Christi, & appellatur & est caro Verbi. Nec est quod quis urgeat, quod sicut in incarnatione duplex substantia remanet, ita duplex stare debeat in Eucharistia; Nam io comparationibus non omnimoda, sed aliqua tantum similitudo requiritur. Dicendum est 5. Ruperti verba, quibus asserit in impium *præter visibiles species nihil de sacrificio pervenire*, intelligi de sacrificio secundum fructum, non autem secundum substantiam sumpto. Ratio est, quia eum qui Eucharistiam indigne sumit comparat cum asino, qui lyræ sonum audit, sed nihil ex eo voluptatis percipit, *Quemadmodmodum* (inquit lib. 2. de Divinis officiis cap. 9.) *asinus ad lyram, cum irrationales aures arrigit, sonum quidem audit, sed modum cantilenæ non percipit*. Confirmatur ea responsio ex eo quod idem Abbas lib. 6. io Joannem expresse asserat impios Christi corpus manducare, & bibere ejus sanguinem, *Panis* (inquit) *semel consecratus, numquam postea virtutem sanctificationis amittit, aut Christi caro esse desinit; Sed non prodest quidquam indigno, cujus fides sine operibus mortua est.... Quo ergo devenit quod indignus manducat, & bibit? Hoc certe jam pium sit, & salutare credere per membra diffundi, ita ut non sit obnoxium secessui; Sed hoc plus habet dignus ab indigno, quia huic ad salutem, illi proficit ad judicium*.

Ex iis, quæ hucusque diximus manifesto patet 1. Paschasium, Synodos, quæ contra Berengarium coactæ sunt, Berengarii discipulos quorum Guitmundus, & Lanfrancus meminere, Rupertum Abbatem Tuitiensem, nusquam favisse impanationi sumptæ pro assumptione panis ad unionem hypostaticam. Patet 2. si Algero fides adhibenda sir nonnullos duodecimo sæculo *impanatores* proprie dictos extitisse; Sed lectorem monitum velim eos, qui *impanatores* tunc dicti sunt, forte non alios fuisse quam Berengarii discipulos, qui cum *impanationis, & invinationis* nominibus utereotur, judicati sunt hypostaticam Verbi cum pane, & vino unionem admisisse, quamvis iis terminis (ut ostensum est ex Guitmundo) solam consubstantiationem seu carnis Christi in pane præsentiam defenderent.

§. II.

Proferuntur argumenta, quibus impanatio rejicitur,

IMpanatores Scriptura, Patribus, & ratione confutari possunt.

1. Christus Joannis 6: cap. hæc habet quæ de Eucharistia intelliguntur, ut suo loco ostensum est, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*. Sed panis assumptus a Verbo, non esset Christi caro, quamvis esset illius corpus; nec enim per assumptionem speciem mutaret suam. Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, quæ habentur Matthæi 26. de corpore carneo, non autem de panaceo, intelliguntur; siquidem illi, non autem isti, conveniuot quæ Christus addidit, *Quod pro vobis tradetur*, cum certum sit hujusmodi panaceum corpus in cruce pro nobis traditum non fuisse.

Nec dici potest 1. ratione unionis hypostaticæ corpus panaceum, & carneum posse de se invicem prædicari, quemadmodum in Christo, homo prædicatur de Deo, & vicissim Deus de homine prædicatur: Siquidem (ut advertit Bellarminus) non valet naturarum de se invicem prædicatio, nisi in iis quæ siot tota quædam ac integra supposita, unde dici non potest quod in Christo corpus sit anima, aut quod ipse Christus sit aut anima aut corpus; proindeque quamvis (in adversariorum suppositione) valeant hæ propositiones, *Hic panis est Deus, Est Christus, Est homo*; ista tameo, *Hic panis est caro Christi*, admitti non debet.

Nec est etiam quod quis 2. respondeat, Christi carneum corpus esse in Eucharistia simul cum panaceo, saltem per concomitantiam; ac ea ratione panaceum corpus pro nobis in cruce traditum fuisse. Nam unio hypostatica, unius naturæ cum alia concomitantiam secum minime trahit; Alioquin subscribere oporteret Ubiquistarum errori, quo asserirur Christi humanitatem iis omnibus in locis reperiri, ubi verbum adest cum sua Divinitate.

2. Patres expresse docuerunt 1. fideles in Eucharistia recipere ipsum Christi corpus, quod natum est ex virgine, quod cruci affixum est, quod mandatum fuit sepulturæ, ac postea resurrexit e mortuis. At hujusmodi corpus non est panaceum, sed carneum. *Docuerunt* 2. Christi corpus quod in Eucharistia recipitur, corruptioni oon esse obnoxium, in secessum non abire, non lacerari, nec dividi: Ea vero soli carneo corpori, non autem panaceo conveniunt. Docuerunt 3. (ut supra ostensum est) neminem debere fidere sensibus, qui panem, & vinum in Eucharistia, etiam post consecrationem, remanere testantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Christi corpus sit præsens in Eucharistia per consubstantiationem?

COnsubstantiationis nomine, hic intelligitur præsentia duarum substantiarum in Eucharistia, panis nimirum, & corporis Christi; ac proinde quæritur, num in Eucharistiæ Sacramento panis, & vinum cum corpore Christi remaneant. Quid de ea quæstiooe fides doceat, quibus argumentis catholicum dogma confirmetur, subsequente articulo dicemus; hic sat est ut texamus eorum catalogum qui consubstaotiatiooi patrocinati suot.

1. Nemini dubium est qoin consubstantiationis doctrina, Berengarii discipulis, originem debeat suam. Convicti Catholicorum argumentis confessi sunt in Eucharistia esse quidem verum Christi corpus, & sanguinem, sed una cum pane, & vino; *Alii vero* (inquit Guitmundus) *rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec tamen a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse videantur, dicunt ibi corpus, & sanguinem Domini, revera. sed latenter, contineri, & ut sumi possint, quodammodo (ut ita dixerim) impanari. Et hanc ipsius Berengarii subtiliorem esse senteatiam ajunt*.

2. Inter Consubstantiatores, nonnulli eos referunt, de quibus idem Guitmundus hæc ait, *Alii vero*

non

non quidem jam Berengariani, sed acerrime Berengario repugnantes, argumentis tamen ejus, & quibusdam verbis Domini paulisper offensi, solebant olim putare, quod panis, & vinum ex parte mutentur, & ex parte remaneant. Sed hujusmodi Scriptorum pace dixerim eos Guitmundi mentem assecutos non fuisse; ii enim, de quibus loquitur, non asserebant Christi corpus contineri in ea panis parte, quæ superstes esset, imo conceptis terminis docebant Christum in ea nusquam extitisse, si indignis porrigenda foret; seu volebant partem, quam impii recepturi erant, nequaquam, etiam prolatis verbis Evangelicis, consecrari. *Ex his ergo una* (sententia) verba sunt Guitmundi *panis, & vini partem in carnem, & sanguinem Domini transmutari confirmant: partem vero propter indignos immutabilem retineri*,

3. Evidens est quoque inter Consubstantiatores recenseri non debere alios Berengarianos; de quibus idem Guitmundus hæc scribit, *Altera vero*, sententia, *totum quidem panem, & vinum altaris in carnem, & sanguinem Domini converti asserit; sed cum indigni ad communionem veniunt, in panem, & vinum iterum reverti*; In eum errorem, antequam Berengarius palam prodiisset, nunnullis authoribus, ineunte sæculo undecimo, lapsus fuisse videtur Leothericus Senonensis, de quo hæc scribit Helgadus in Epitome vitæ Roberti Regis, *Præsuli cuidam, Leotherico Senonensi Archiepiscopo, de Domino non bene sentienti, & quærenti pro quibusdam causis probationem in corpore Domini nostri Jesu Christi, indigne tulit Rex amator bonitatis, & scripsit ei in his verbis: Cum sit tibi nomen scientiæ, & non luceat in te lumen sapientiæ, miror qua ratione quæsieris, pro tuis iniquissimis imperiis, & pro infestato odio, quod erga servos Dei habes, examinationem in corpore, & sanguine Domini. Et cum hoc sit, quod a dante Sacerdote dicitur: Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animæ, & corporis; cur tu temerario ore & polluto dicas: Si dignus es accipe, cum sit nullus, qui habeatur dignus: Cur divinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris humani divinæ connectis naturæ. Juro Domini fidem, Princeps Dei privaberis* (inquit) *honore Pontificis, nisi ab his resipueris, & damnaberis cum eis, qui dixerunt Domino: Recede a nobis, & non communicabis his; quibus dicitur, Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. His verbis præsul non bene doctus, a Rege pio, & bono sapienter instructus quievit, quod erat contrarium omni bono, & jam elucebat in sæculo.*

4. Durandus in 4. Dist. 11. q. 3. ab antiquis consubstautiatoribus sat non recessit; eu nimirum loci asseruit formam quidem panis, & vini, non vero materiam converti in Christi corpus, & sanguinem; immerito de inadæquata, non autem de integra mutatione intellexit hunc cauonem quarti Concilii Lateranensis sub Innocentio Papa III. *Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse Sacerdos, & sacrificium Jesus Christus, cujus corpus, & sanguis in Sacramento altaris sub specibus panis, & vini veraciter continentur; transubtiatis pane in corpus, & vino in sanguinem.*

5. Tempore S. Thomæ nonnullos reperire erat, qui mux allatam Synodum Lateranensem intelligerent de mutatiune, nun quidem formæ, sed materiæ panis: ita ut vellent formam panis remanere licet illius materia in Christi corpus transmutetur, *Respondeo* (inquit S. Doctor 3. p. qu. 75. art. 6.) *dicendum, quod quidam posuerunt, quod facta consecratione non solum remanent accidentia panis, sed etiam forma substantialis illius. Sed hoc esse non potest, &c.*

6. Lutherus extinctam sua ætate consubstantiationis doctrinam, proxime elapso sæculo protulit in medium. Lib. quem de captivitate Babylonica anno 1520. conscripsit, asseruit 1. panem una cum Christi corpore post cousecrationem in Eucharistia remanere. 2. Transubstantiationem, aut uon transubstantiationem ex iis articulis esse qui ad fidem uon pertineut; sed non multo post tum in responsione ad Henricum VIII. Anglorum Regem, tum in Epistola ad Vvaldenses transubstantiationem rejecit quasi fidei fundamentum convellat; nec mirum, ea enim est Novatorum sors, ut sibi ipsis diu constare non possint.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Christi corpus sit in Eucharistia per transubstantiationem?

Conclusio 1. Fide Catholica certum est Christum esse præsentem in Eucharistia per transubstantiationem, seu per totius substantiæ panis, & vini conversionem in illius corpus, & sanguinem.

Probatur 1. Præsentia Christi in Eucharistia per transubstantiationem, tria dicit, 1. præsentiam illius substantialem. 2. mutationem panis, & vini in illius corpus, & sanguinem. 3. totius panis, & totius vini conversionem in corpus, & sanguinem. Sed ea tria fide Catholica certa sunt; primum sub Nicolao Papa II. in Concilio Romanu, quibus omues ubique Ecclesiæ subscripserunt, definitum fuit. Alterum in Concilio Romano sub Gregorio Papa VII. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Tertium prioribus Conciliis jam definitum, expressius explicatum fuit in Concilio Tridentino, Sessione nimirum 13. can. 2. hæc habentur, *Si quis negaverit mirabilem illam, & singularem conversionem* TOTIUS SUBSTANTIÆ *panis in corpus, & vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, anathema sit.*

Conclusio 2. Fides de corporali præsentia Christi in Eucharistia per Transubstantiationem, Scriptura, & Traditione nititur.

Probatur prima pars. Hæc Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, non obscure demonstrant panis, & vini substautiam converti in corpus, & sanguinem Christi. Nam 1. verbum substantivum, EST, non sumitur pro *significat*, (ut superius ostensum est contra Zuinglium.) 2. Non accipitur quoque pro realitate virtutis, (ut contra Calvinistas probatum est:) Ergo sumitur pro realitate substantiæ: proindeque Christi corpus sumptum secundum substantiam, prædicatur de pane, & vino, quæ Evangelicæ propositionis sunt subjectum. De pane autem, & vino, si secundum substantiam remaneant, Christi corpus, & sanguis prædicari non possunt; Alioquin enim essent panis, & vinum, & simul non essent; quod quidem contradictionem involvit. Dicendum est igitur panem, & vinum in Christi corpus, & sanguinem transubstantiari.

Nec audiendi sunt Lutherani, cum respondent corpus Christi in hac propositioue, *Hoc est corpus meum*, non prædicari de subjecto, cum quo identificetur, sed tantum de subjecto, in quo contineatur, non absimili nimirum ratiune, qua vinum vulgari in sermone de scypho dicitur. Non sunt (inquam) audiendi: Siquidem pronomen, *Hoc*, vel pro pane, vel pro corpore Christi supponit; Si pro pane, panis non potest esse subjectum, quo Christi corpus contineatur, fert scilicet humanæ locutionis regula, quam Christus in ultima cœna adhibuit, ut res contenta de continenter absolute, ac simpliciter uon prædicetur, nisi vel in rebus, in quibus usus invaluit, vel ubi prius moniti fuerunt auditores, coram quibus extraordinaria hujusmodi enuntiatio proferretur; sic de quercu, in qua homo latere supponitur, nemo absolute dixerit, quod sit homo, ut ea hominem includi significet: Si vero pronomen, *Hoc*, in verbis Evangelicis pro Christi corpore supponat, sensus propositionis Christi erit hujusmodi, *Substantia*, quæ in hoc pane concluditur, *est corpus meum*; At propter eamdem rationem absurdus est, & falsus hujusmodi sensus; iis siquidem Christus loquebatur, qui nec ex ratione, nec ex trito loquendi more, nec ex sensibus, nec ex aliquibus verbis, quæ aut præcessisseut, aut subsecuta fuissent, suspicari poterant panem esse locum, in quo Christus corpus suum vellet recondere. Si Christus id significatum vuluisset, quod Lutherani contendunt, oportuisset eum sic mentem suam aperuisse, *Hic est corpus meum*, non autem, *Hoc est corpus meum*; ea enim loquendi ratio, & illius scopo, & recepto apud homines usui convenisset maxime, cum e contra posterior, tum ab illius scopo tum a communi usu penitus sit aliena.

Probatur altera conclusionis pars, nempe fidem de transubstantiatione, Patrum traditione niti. Patres docuerunt 1. panem, & vinum converti in Christi corpus, & sanguinem: *Panis* (inquit Gregorius Nazianzenus Orat. 37. Catechetica) *statim verbum in corpus transmutatur, sicut dictum est a Verbo. Hoc est corpus meum.* 2. Utuntur variis mutationum exemplis, ut eam de qua agitur, astruant. *Aquam* (ait Cyrillus Hierosolymitanus) *aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galileæ sola voluntate, & non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem transmutaverit?* Exemplo petito ex mysterio incarnationis idem confirmat S. Joannes Damascenus lib. 4. de orthodoxa fide cap. 14. *Panis ipse* (inquit) *ac vinum in Corpus, & Sanguinem Dei immutantur. Quod si quo pacto id fiat exquiris, sat tibi sit audire quod per sanctum Spiritum id fiat, quemadmodum, & ex sancta Dei Matre per Spiritum sanctum Dominus sibi ipsi, & in se ipso carnem condidit.* 3. Asseruerunt non esse habendam rationem sensuum, qui panem, & vinum in Eucharistia, etiam post consecrationem, deprehendunt: *Hoc sciendum* (inquit Cyrillus Hierosolymitanus) *& pro certissimo habendum, panem hunc qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi, & vinum quod a nobis conspicitur, tametsi sensui vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.*

Nec alicujus est momenti quod reponitur a Lutheranis, eo nempe sensu Patres dixisse panem, & vinum mutari in Christi corpus & sanguinem, quo dolium mutari dicitur, cum vino aut aliquo alio liquore repletur. Nam 1. nemo qui præoccupationibus liber sit, quique usitatum inter homines loquendi modum adhibeat, dixerit vas aliquod vacuum mutari in liquorem ex eo, quod eumdem liquorem recipiat; dicant adversarii apud quas gentes obtineat hæc loquendi ratio, qua assereretur, dolium fuisse mutatum, conversum, transelementatum in vinum; eo quod vinum admiserit de novo. 2. Patres (ut superius ostensum est ex Cyrillo) panis & vini substantiam expresse excluserunt ab Eucharistia, *Hoc sciendum panem hunc &c. non esse panem, &c.*

Probatur 2. iterum eadem secunda conclusionis pars ex omnium orbis Ecclesiarum consensu; quæ enim tum in Oriente, tum in Occidente, tum apud hæreticos, tum apud Catholicos realitatem corporis Christi in Eucharistia credebant cum Lutherus consubstantiationem docuit, ipsam etiam transubstantiationem habebant tamquam articulum fidei, & nunc etiam habent, proindeque aut Ecclesiam ubique tunc periisse oportet, aut dicendum, falsum esse Lutheranorum de consubstantiatione dogma.

Probatur rursus eadem pars ex Præscriptione, quam superius contra Sacramentarios urgebamus. Assignari non potest tempus, quo Ecclesia Romana transubstantiationem credere cæperit: Eam igitur credidit quovis sæculo.

Reponunt quidem adversarii transubstantiationis dogma, in Ecclesiam, Innocentii Papæ III. in Concilio quarto Lateranensi, invectum fuisse; idque ex eo probare contendunt quod in ea Synodo, Transubstantiationis vox antiquitus inaudita, primum usurpari cœperit.

Sed adversarii, hujusmodi responso non probant se antiquitatis multum peritos: Patres enim priorum sæculorum (ut suo loco demonstratum est) substantialem panis & vini conversionem in Christi corpus, & sanguinem recensuerunt. Paschasius conceptis terminis eamdem mutationem nono sæculo tuitus est; eam pariter Synodus Romana sub Gregorio VII. professa est ann. 1079. definiit nempe, *panem & vinum per verba nostri Redemptoris substantialiter converti in carnem & sanguinem Christi*; ea autem substantialis conversio non aliud est quam mutatio de qua agitur, quamque Petrus Blesensis, Stephanus Æduensis, & Concilii Lateranensis Patres sub Innocentio Papa III. transubstantiationem appellarunt.

Quam Lutherani suæ responsionis confirmationem adhibent, sic in eos Catholici retorquent: Ante Nicænum primum Concilium, Ecclesia Verbi cum Patre consubstantialitatem credebat; Et tamen post illam tantum Synodum *Consubstantialis* vox vulgo cœpit usurpari: Obmurmurent licet adversarii, eos tamen compellabimus iisdem verbis, quibus olim Arium affatus est sanctus Athanasius. *Nomine ne offenderis novitate, en etiam rei ipsius veritate, quæ hoc est sortita vocabulum refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit, non vocabulo novæ rei veritas accessit.* Id juris habet Ecclesia ut inusitatis prius vocibus utatur, quibus fidem exprimat suam, præcludatque hæreticorum cavillationes; Non est igitur cur adversarii obtrudant Ecclesiæ, locum Apostoli jubentis devitare prophanas vocum novitates: quænam enim sint hujusmodi novitates his verbis quæ haud dubie transubstantiationis voci non conveniunt, explicat Vicentius Lirinensis Commonit. 1. cap. 33. *Quæ sunt prophanæ vocum novitates? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extraneas. Prophanas* (inquit *Apostolus*) *vocum novitates, idest dogmatum, rerum, sententiarum novitates: quæ sunt vetustati, & quæ antiquitati contrariæ.*

Solvuntur quæ Lutherani contra Transubstantiationem objiciunt.

Objicies 1. Patres Eucharistiam, non raro panem, & vinum, etiam post consecrationem, appellant ut patet ex S. Irenæo l. 4. c. 34. *Quomodo* (inquit de Valentinianis) *constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui?* Patet ex Cyrillo Hierosolymitano, qui Catechesi 3 Mystagogica hæc scribit. *Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem, non est panis communis, sed corpus Christi &c.* Patet denique ex omnibus liturgiis Græcis, in quibus peracta consecratione sic Sacerdos Deum Patrem exorat, *Mittas Spiritum sanctum tuum, qui hunc panem, corpus Christi tui, & hunc calicem, sanguinem Christi tui efficiat.* Ergo ex Patribus, panis, & vinum in Eucharistia cum Christi corpore remanent.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Patres enim Eucharistiam non ideo panem, & vinum appellarunt, quod in ea post consecrationem remaneant, sed quod ex iis tamquam materia, confecta fuerit, aut quod *sub eorum* accidentibus præcipua Sacramenti pars, nempe corpus Christi, contineatur: ea autem accidentia, cum sensus corporeos eadem ratione moveant, ac si adesset ipsa substantia panis, mirum non est quod Eucharistia, etiam post consecrationem, panis & vinum nonnumquam appelletur. Ita comparati sumus ne res iis nominibus appellemus quæ conveniunt rebus, non prout in se sunt a parte rei, sed prout per sensum relationem a nobis apprehenduntur. Responsum illud argumento a simili, illustrare, & simul confirmare placet. Lunam cum stellis comparatam non ob aliud sacri codices vocant luminare majus, quam quod, licet omnia sidera sua mole non superet, eodem tamen modo movet oculos, qua eos afficeret, si reipsa major esset illius quam stellarum moles. Id idem videre est in divitiis, voluptatibus, cæterisque rebus fluxæ ac labentis naturæ, quæ quidem in Scripturis bona vocantur, quod comparatæ ad dolorem, paupertatem, quæ quorumdam malorum instar perpendimus, bona a nobis judicentur. Sed quid aliunde exempla quæritantur, cum in subjecto de quo agimus, ipsa nimirum Eucharistia, reperiantur? Lutherani diffiteri non possunt quin Paschasius Ratbertus extiterit acerrimus Transubstantiationis defensor; At Paschasius Eucharistiam, panem vocitat, quod scilicet in ea panis accidentia remaneant; *Mysterium hoc* (inquit libro de Corpore & Sanguine Domini) *in pane celebratur.*

Objicies 2. Gelasius Papa lib. *de duabus in Christo naturis*, esserit 1. panis & vini substantiam in Eucharistia simul remanere cum corpore Christi: 2. ex eo principio quod sibi, & adversariis certissimum supponit, contra Eutychianos argumentatur ac probat duplicem in Christo naturam, etiam post unionem, remansisse; *Certa Sacramenta* (inquit) *quæ sumimus corporis, & san-*

& sanguinis Christi, divina res est, propter quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, ET TAMEN ESSE NON DESINIT SUBSTANTIA VEL NATURA PANIS ET VINI. *Et certe imago, & similitudo corporis, & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & sumimus; ut sicut in hanc, scilicet in divinam transeunt, sancto Spiritu perficiente, substantiam, permanere tamen in sua proprietate naturæ; sic illud mysterium principale, cujus nobis essentiam, virtutemque veraciter repræsentant, ex quibus constat, proprie permanentibus, unum Christum, quia integrum verumque permanere demonstrat.*

Respondet 1. Baronium ad annum 496. opusculum, *De duabus in Christo naturis*, non esse genuinum fœtum Gelasii Papæ. Nititur vero bis argumentis. 1. Ex Gennadio, *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, capite 14. opus quod Papa Gelasius adversus Eutychetem, & Nestorium adornavit, ingens erat volumen; cum e contra illud, de quo agitur, perbreve sit ac exiguum. 2. Ex Anastasio Bibliothecario, Gelasii volumen in Eutychetem, & Nestorium, quinque libros complectebatur; cum tamen opusculum, quod Gelasii nomine editum extat, unius libri periodo terminetur. 3. Verus opusculi, de quo est quæstio, author designari potest, is nimirum est Gelasius, cujus Photius in sua Bibliotheca meminit, seu, qui Nicænæ primæ Synodi acta, seu potius historiam, conscripsit. Ratio est, quia anthor opusculi de duabus naturis, de quo agitur; in ipso exordio testatur se propter recenter obortam de Eutychianismo controversiam suum opus exarasse; At idem, qui laudatur a Photio, Gelasius scripsisse se ait cum Entychiani, a quibus exagitatus fuisset, tempore Basilisci Imperatoris invalescerent.

Respondet 2. idem Baronius Lutheranos nihil posse colligere contra Transubstantiationem, etiamsi eis detur, quod opusculum, *De duabus naturis*, ipsius sit Gelasii, qui labente sæculo quinto Romanam rexit Ecclesiam. Et vero nomine *Substantiæ* panis, quam asserit in Eucharistia remanere, idem intelligit quod Theologi Catholici per *Accidentia*, aut *species* aliquibus ab hinc sæculis exprimunt. Nam 1. alioquin pugnantia eodem in loco locutus fuisset, quippe qui conceptis terminis fateatur panem substantialiter converti in Christi corpus. *Satis ergo*, (inquit) *nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine* (Eucharistia) *profitemur, celebramus, & sumimus; ut sicut in hanc, scilicet* IN DIVINAM TRANSEUNT, SANCTO SPIRITU PEREICIENTE, SUBSTAMTIAM, *permanente tamen in sua proprietate natura &c.* 2. apud Gelasium Papam non est quid novum, ac inauditum quod substantiæ nomen pro accidentibus accipiatur; Agens ipse aliquando contra Pelagianos in epistola quam dedit ad Episcopos Piceni provinciæ, ait, *substantiam* hominis originali peccato fuisse depravatam, cum tamen eadem substantia hominis, quæ prius erat, integra permanserit, solaque accidentia, ut sunt justitia originalis, aliaque dona vel deperdita, vel imminuta fuerint. 3. Gelasius eo in opere non agit ex professo de Encharistia; termini igitur, quibus utitur, proprie sumi non debent, cum ipsemet ibidem profiteatur negligi vocum proprictatem, cum de eis non potest principalis quæstio, attendi vero cum adversus dimicantes hostes est de is disserendum. 4. Non est cur doctissimo alioquin Pontifici quis facessat negotium, quod proprio nomine sacra symbola non appellarit, nondum enim tunc in usu venerat; ut sacra symbola specierum, aut accidentium nomine dicerentur: sicut quis temere dixerit errasse antiquos Patres, qui ante Nicænum Concilium in Filii Dei divinitate insinuanda, eumdem consubstantialem Patri dicere prætermiserint, cum nondum ea vox fuisset in usu recepta. 5. Non est necesse, ut inter ea, quæ ad invicem comparantur, omnimoda sit similitudo; sed satis est si aliqua tantum ex parte conveniant; in eo autem Eucharistia, & Incarnatio conveniunt, quod sicut Eucharistia constat duabus rebus a se invicem realiter distinctis, corpore scilicet Christi, & accidentibus panis; ita, & in Incarnatione duo sunt a se invicem realiter distincta, humana nimirum, & divina natura; proindeque stat, quod Gelasius libro de duabus naturis, susceperat probandum, nempe hypostaticam unionem, nullam in Christo peperisse naturarum confusionem.

Objicies 3. Theodoretus Dialogo 1. quem, *Impatibilis*, inscripsit, faictur in Eucharistia nominum quidem panis, & vini factam fuisse mutationem, cum Christi corpus, & sanguis appellentur, at contendit nullam mutationem in eorum natura, aut substantia contigisse. *Qui enim* (inquit) *corpus naturale, frumentum, & panem appellavit, & vitam rursus seipsum nominavit, is visibilia symbola corporis, & sanguinis appellatione honoravit*, NON NATURAM MUTANS, *sed naturæ gratiam addens.*

Idem Theodoretus dialogo, quem inscripsit, *Inconfusus*, ea docet, quæ Transubstantiationem excludunt. 1. Eranistem seu Eutychianum sic interrogantem inducit, *Post sanctificationem quomodo hæc* (Symbola) *appellas?* sic vero Orthodoxus, seu ipse Theodoretus respondet, *Corpus Christi, & sanguinem Christi.* 2. Sic eumdem Eutychianum ex illa confessione inducit argumentantem, ut Verbum per Incarnationem mutatum fuisse probet, *Sicut ergo symbola Dominici corporis, & sanguinis, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invationem vero mutantur, & alia fiunt: ita Dominicum corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est.* His vero verbis illi argumento Orthodoxus occurrit, *Retibus, quæ ipse texuisti, captus es: Neque enim symbola mystica, post sanctificationem recedunt a sua natura.* MANENT ENIM IN PRIORE SUBSTANTIA ET FIGURA, ET FORMA, ET VIDERI, TANGIQUE POSSUNT SICUT PRIUS: *intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.* Ex ea responsione, quam Theodoretus habet velut certissimum principium, hanc contra suum adversarium conclusionem elicit, *Confer igitur imaginem cum archetypo, & videbis similitudinem*, idest, sicut mystica symbola per consecrationem non mutantur; ita nec corpus Christi post ascensionem mutatum est (ut supponis) in divinam substantiam. *Oportet enim figuram similem esse veritati: Illud enim corpus priorem habet formam, & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam: Immortale autem post resurrectionem, & immune a corruptione factum est, sedemque a dextris adeptum, & ab omni creatura adoratur, quia Domini naturæ corpus appellatur.* Iis ex textibus patet 1. Theodoretum censuisse panem, & vinum, quæ quidem per symbola Eucharistica intelligit, retinere etiam post consecrationem, priorem suam substantiam, ac proinde non transubstantiari in corpus Christi: patet 2. eidem Theodoreto visum fuisse panem, & vinum non magis mutari in corpus & sanguinem Christi, quam Christi corpus post ascensionem mutatum sit in divinam substantiam.

Resp. 1. evidens esse, quod allati ex Theodoreto textus Sacramentariis, seu corporalem Christi in Eucharistia præsentiam negantibus, non faveant. Nam 1. Theodoretus expresse asserit intelligi, credi, adorari corpus Christi in Eucharistia, & ideo intelligi, credi, & adorari, quia panis Eucharistiæ, idest panis consecratus, est vere id quod intelligitur, creditur, & adoratur. 2. Non Theodoretus modo, sed etiam Eranistes supponit corpus Christi esse substantialiter in Eucharista, quippe qui ex eo principio, quod, & Orthodoxus concesserat, contra eumdem catholicum argumentetur.

Resp. 2. nihil quoque ex iis Theodoreti sententiis pro consubstantiatione Lutheranorum elici posse. Nam 1. Eutychiani argumentum demonstrat persuasum fuisse suæ sectæ hominibus panem & vinum per consecrationem substantialiter mutari in Christi corpus, & sanguinem; ex ea nimirum suppositione probare contendit corpus Christi post ascensionem immutatum fuisse in divinam substantiam. 2. Orthodoxus, quem Theodoretus loquentem inducit, eam hæretici, quem impugnat, suppositionem non inficiatur, alioquin pugnantia locutus fuisset, his nimirum verbis, *intelli-*

Juenin de Sacram. R 2 *guntur*

guntur autem quæ facta sunt, asseruisset mutationem, quam(ut placet adversariis) immediate post pernegasset. 3. Symbolorum nomine Theodoretus ipsam panis, & vini substantiam non intelligit, sed eorum accidentia, quorum essentia, & natura, quæ per voces Græcas *ϕύσιν* & *ὀσίαν*, iis teatibus expressæ] sunt, etiam post consecrationem, remanent. Et sane non quamcumque substantiam,& naturam remanere supponit, sed eam tantum, *quæ videri, tangique possit, sicut prius*. 4. Sat fuit Theodoreto, quod duæ res inconfusæ, & a se invicem distinctæ, ut sunt accidentia panis, & corpus Christi in Eucharistia reperirentur; ut elevaret argumentum, quo hæreticus ex hujusce Sacramenti natura, corporis Christi cum essentia Divina permixtionem, & confusionem conatus fuerat astruere.

Nec mox allatam solutionem enervant qui sic argumentantur. 1. Theodoretus Symbolorum nomine, idem intelligit, quod Eutychianus cui respondet: Sed Eutychianus ipsam, symbolorum nomine, panis & vini substantiam intelligit, cum asserat ea symbola in Christi corpus & sanguinem immutari. 2. Dato, quod Theodoretus symbolorum nomine, accidentia panis, & vini intellexerit, hinc, at constet sibi, debuit concludere ipsam panis, & vini substantiam remanere, cum ibidem concludat corpus Christi post ascensionem mutatum non fuisse in divinam essentiam, ut Eutychianus supponebat.

Non enervant(inquam) qui sic urgent. Nam 1. nonnullis videtur, quod Eutychiani idem senserint de Eucharistia, quod de Christo, id est quod sicut humanam naturam in verbo absorptam fuisse contenderent; ita & substantiam, accidentia panis, & vini in Christi corpus, & sanguinem mutata fuisse: si vera sit ea suppositio, evideus erit, quod Theodoretus, & Eutychianus pro eodem, Symbolorum nomen sumpserint. 2. Non est necesse, ut pro eodem sumpserint; sat nimirum fuit Theodoreto, quod accidentia panis in Eucharistia remaneant, ut Eucharistiæ Sacramentum sit imago duplicis in Christo naturæ, quam Eutychiani negabant. 3. Licet Theodoretus ex accidentibus, figura nimirum circumscriptione, quæ post ascensionem remanserunt in Christi corpore, concluserit ipsummet corpus remansisse; idem tamen de panis, cujus species in Eucharistia remanent, concludere non debuit; hac scilicet illatione se verbis Evangelicis, *Hoc est corpus meum*, vetari sensit; neque enim (ut suo loco diximus) iis verbis si de transubstantiatione non intelligantur, verum subesse potest.

Objicies 4. Sensus in Eucharistia, etiam post consecrationem, panem,& vinum percipiunt, eodem nempe modo speciebus Eucharisticis afficiuntur, ac si re ipsa adessent panis,& vinum, Ergo in ea vere(etiam secundum substantiam) continentur, quippe quod sensuum testimonio falsum subesse non possit, cum adsunt omnes conditiones requisitæ, medium scilicet non impeditum, objectum positum in debita distantia, organa quæ male affecta non sint. Nec id mirum est, cum Deus O. M. sensus homini concesserit tamquam instrumenta, quibus mens corpora percipiat. Confirmatur illud argumentum ea Patribus, qui testimonio sensuum usi sunt ut carnis & resurrectionis Christi veritatem contra Valentinianos, & Marcionitas assererent; unde Tertullianus lib. 4. contra Marcionem merito scribit non fuisse adhibendam fidem de sua substantia interiore loquenti, si sensus nostros per substantiam exteriorem fefellisset.

Resp. conc. ant. neg. conseq. ad cujus probationem dico tria distingui debere in testimonio sensuum, motam, quem organa ex objectis recipiunt, ejudem motus perceptionem, judicium, quod supposita hujusmodi perceptione intellectus fert de objecto, quo sensuum organa moventur; Duo priora a Deo ipso sunt, unde nusquam eis falsum subesse potest; nimirum semper verum est, quod organa sensuum ab objecto exteriori, hoc vel illo modo moveantur, quo mens illum motum percipiat si vehementiori aliquo motu distracta non sit alio; Tertium, si sumatur pro mera propensione quam habet intellectus ad judicandum de objecto pro modo quo sensuum organa afficit, non potest quoque esse falsum, cum Deus hanc unionis legem sanciverit, at quotiescomque hæc vel illa perceptio forent in mente, toties anima inclinaretur ad judicandum de objecto prout eam perceptionem excitat: Si autem illud tertium sit actuale judicium, aliquando est a Deo; ac proinde verissimum est, quando nempe scimus relatas in argumento conditiones adesse, sed præterea requiritur 1. ut certo sciamus perceptiones, quibus illud, quod ferimus, judicium innititur, nasci ex ideis, quibas actio sensuum est occasio, non autem ex ideis, quæ aliquando in imaginatione remanent, etiam abseutibus objectis: 2. necesse est, ut constet nobis motum in organis productum fuisse modo ordinario, & non ab aliqua substantia spirituali, quæ extra nos sit. 3. oportet, ut manifestum sit Deum ea parte objecti, modo extraordinario non agere, sicut revera non agit nisi propter causas gravissimas, & nisi vel antea, vel post, quibusdam indiciis & signis exterioribus ejusmodi miracula demonstret: E contra judiciam actuale est a nobis tantum, ac proinde errori obnoxium, cum ex illis tribus conditionibus, vel una defuerit, ut certissime scimus in materia, de qua est hic quæstio, deesse tertiam; quippe qui Scripturis doceamur Deum modo supernaturali agere ex parte hostiæ consecratæ; cum ipsemet Deas his verbis, *Hoc est corpus meum*, fideles monuerit id, quod panis videtar, post consecrationem non esse panem a parte rei, sed ipsummet Christi corpus: Idem pariter Patres sæpius monuerunt, *Hoc sciens* (inquit Cyrillus Hierosolymitanus) *& pro certissimo tenens panem hunc, qui a nobis videtur, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat*.

Ex dictis hactenus patet Deum O. M. fideles non inducere in errorem eum non impedit ne Eucharistia post consecrationem sensus nostros eodem modo moveat, eamdemque in nobis ideam excitet, patiaturque mentem eadem ratione inclinari ad ferendum de objecto judicium, ac si sabstantia panis adesset. Nec id mirum est cum mens expressa Christi revelatione prohibita sit, ne panem, peracta consecratione, superesse judicet.

Objicies 5. varias difficultates Scholasticas, quæ vix solvi possunt: Primo enim dici non potest quid fiat de pane, & vino, quæ in Christi corpus, & sanguinem mutari supponuntur: nonnulli asserunt *ipsa* redigi ad nihilum, negant vero cæteri. 2. *Explicari* non potest per quam actionem, Christi corpus producatur, an per physicam, an vero per moralem tantum, an per actionem eductivam, an per productivam. 3. Non constat an transubstantiatio fiat in instanti, an vero successive.

Resp. ad primum, panem & vinum, ex quibus Eucharistia conficitur, non redigi ad nihilum. Ratio est 1. quia panis, & vini accidentia remanent. 2. Actio, per quam panis, & vinum desinunt existere, non habet nihilum pro termino, sed Christi corpus, & sanguinem, in quæ vi verborum immutantur.

Respondent 1. nonnulli ad secundum nullam omnino actionem aut a Deo, aut a Sacerdote verba Evangelica proferente, in Christi corpus exerceri: unde (ajunt) nihil aliud per transubstantiationem de novo accedit quam istud, nempe quod Christi corpus acquirat novam sab panis, & vini speciebus præsentiam, quam prius non habebat. Sed vera non est ea responsio, eo quod corpus Christi sub speciebas panis, & vini ponatur per realem panis conversionem in ejusdem Christi corpus: realis autem conversio fieri nequit absque actione, quæ terminum(ut vocant) *ad quem* attingat. Eam actionem veteres indicarunt, cum asseruere cum Tertulliano Christum in ultima cœna panem fecisse suum corpus, cum dixere post Ambrosium, & Chrysostomum verba Evangelica prolata Sacerdotum ore, esse operatoria.

Respondent 2. ad idem quæsitum nonnulli Theologi corpus Christi per veram quidem actionem reddi præsens in Eucharistia, sed contendunt adductivam esse, non vero productivam actionem hujusmodi. Sed eorum Scholasticorum pace dixerim, illius actionis adductivæ nullam esse ideam, quæ clara sit; Nam 1. adductio supponit derelictionem termini *a quo*; quæ quidem derelictio hic admitti non potest, siquidem,

cum

cum Christi corpus sit præsens in Eucharistia nullum omnino locum deserit, in quo prius extitisset. 2. Adductio in suo conceptu formali includit medii pertransitionem; neque enim corpus ab uno loco in alium adduci potest impertransito medio; Christus vero medium illud non pertransit, seu spatium a cœlis ad terras expansum non percurrit.

Respondent 3. ad eamdem secundam quæstionem alii scriptores, actionem, de qua hic agitur, esse quidem in actu primo productivam corporis Christi, quod nempe ex seipsa par sit illi producendo, ac revera produceret, nisi aliunde impediretur; non esse vero in actu secundo productivam, eo quod Christi corpus jam actu productum sit; lux illi responso affulget ex paritate sumpta ex conservatione, cujus virtute res conservata, nisi jam educta esset ex nihilo, produci deberet, cum actionis conservativæ eadem sit vis quæ creativæ, conservationem enim Philosophi definiunt continuatam rei productionem. Sed illi responso non subscribimus, cum enim in pane Eucharistico mutatio realis per consecrationem contingat, necesse est ut nova actio realis accidat, per quam panis desinat esse panis, & in Christi corpus convertatur. Dicendum est igitur Christi corpus fieri præsens in Eucharistia per actionem realem, per quam, non absolute quidem, producitur, cum ante eam actionem jam in rerum natura existat, sed cum addito, *hic & nunc*, nimirum sub panis, & vini speciebus; Ita Ambrosium sensisse colligitur ex cap. 5. lib. 4. de Sacramentis, ubi hæc leguntur, *Ante verba Christi, calix est vini, & aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.*

Resp. ad tertium transubstantiationem unico momento peragi, eo nimirum quo ultimæ syllabæ formæ consecrativæ prolatio desit: Nec mirum: Primo enim partes corporis Christi non producuntur successive, seu una post alteram, sed collective, idest, omnes simul sub speciebus panis, & vini esse incipiunt. 2. Cum transubstantiatio fiat vi formæ, peragi non potest, nisi tota ac integra consecrationis forma simul simultate morali existat, proindeque tunc tantum, cum ultima illius syllaba prolata fuerit.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Corpus, & sanguis Christi in quæ panis, & vinum transubstantiantur, in Eucharistia quantitatem habeant?

CONclusio. Corpus, & sanguis Christi in Eucharistia quantitatem habent.

Probatur 1. ex eo quod singulæ corporis, & sanguinis Christi partes, in Eucharistia sint extra se invicem; alioquin enim nulla esset membrorum a se invicem distinctio, ac proinde nec caput, nec pectus, nec brachia remanerent, unde in Sacramento non esset corpus humanum, & consequenter nec corpus Christi. 2. Cum corpus Christi in cœlis vivat, vivens sit & oportet in Eucharistia, ac proinde donatum organis corporeis, quippe quo subjectum, quod eis destitutum sit, non possit animali vita vivere.

Objicies. Non potest concipi quomodo singulæ corporis humani partes, extra se invicem positæ, sub minima panis consecrati parte, modo sub sensus, contineantur; una nimirum extensio aliam oportet expellat ut illius locum occupare possit.

Respondent ii philosophi quibus placet extensionem localem, ac impenetrabilitatem actualem esse de essentia quantitatis, Respondent (inquam) Christi corpus habere in Eucharistia partes extra partes, & occupare locum quem panis superficies ante consecrationem replebat. Sed illorum, alioquin doctissimorum philosophorum pace dixerim, veram non videri eam responsionem; ex ea quippe sequeretur ipsum Christi corpus frangi cum hostia dividitur in partes, nec tantum habere substantiæ quantum habet in cœlis, proindeque non esse idem omnino corpus; quod est falsum. Sequeretur iterum ipsum non esse totum in qualibet parte hostiæ divisæ; quod quidem sacræ Tridentinæ Synodo repugnat.

Respondent Philosophi Thomistæ, negando extensionem in ordine ad locum, seu actualem impenetrabilitatem, esse de essentia quantitatis, siquidem (inquiunt) ad quantitatis essentiam satis est extensio partium in ordine ad se, seu per quam partes a se invicem quidem distinguuntur, sed tamen eumdem occupant locum. Axioma suum confirmant ex Patribus, qui docuerunt 1. Christum, cum humanas prodiit in auras, ex non reserato matris utero exisse, & consequenter Mariam non tantum ante partum, sed & in ipso partu virginem permansisse. Asseruerunt 2. Christum, ubi resurrexit, ex sepulchro, quod ingenti lapide obturatum esset, sine corporis læsione egressum fuisse. 3. Contenderunt per penetrationem, ipsum (ut narrat Joannes) januis clausis, cœnaculum subiisse, *Moli corporis* (inquit Augustinus tractatu 121. in Joannem) *ostia clausa non obstiterunt*. Unde sequitur, in ordine naturali, non autem in supernaturali, locum habere hanc ejusdem Augustini sententiam Ep. 57. *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt.*

Quæres, utrum Christi corpus, totum in qualibet vel minima, saltem sensibili, panis consecrati parte contineatur?

Resp. 1. de fide esse quod totus Christus sit sub quavis panis & vini parte post consecrationem; *Quapropter verissimum est* (inquit Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 3.) *tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim, & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit.* Id quod Synodus proxime elapso sæculo definit, Patres antiquitus docuerunt; quippe qui fidelibus imperatint ut darent operam ne vel minima panis consecrati particula e suis manibus in humum decideret. *Cave autem* (inquiebat Cyrillus Hierosolymitanus) *ne quid inde excidat tibi; quod enim amiseris, hoc veluti ex propriis membris amiseris*, quasi dixisset S. Pater, molestius id ferre debes, quam si e tuis membris aliquod amputatum fuisset; *Cum suscipitis corpus Domini* (verba sunt Origenis hom. 13. in Exodum) *cum omni cautela, & veneratione servatis, ne ex ea parum quid decidat; ne consecrati muneris aliquid dilabatur: reos enim vos creditis (& recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat*. Ratione eadem veritas evincitur: Cum panis consecratus in frusta dividitur, corpus Christi non desinit esse sub iis frustis, nec tamen in eis est membratim seu per partes; ita ut unum membrum una parte divisa, aliud altera contineatur; alioquin per specierum fractionem corpus Christi in frusta divideretur; quod est impium; sed totum sub qualibet parte divisa reperitur.

De dogmate de quo hactenus, Catholici omnes conveniunt quidem, sed non una est eorum sententia circa hanc quæstionem, nempe utrum, antequam species consecratæ dividantur, Christi corpus, totum ac integrum sub singulis specierum partibus, contineatur. Litem illam scholasticam sacra Tridentina Synodus dirimere noluit; Postquam enim Sess. 13. can. 3. definiit totum Christum sub qualibet speciei parte contineri; id de qualibet parte, separatione facta, intelligendum esse innuit, *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus*, SEPARATIONE FACTA, *totum Christum contineri, anathema sit.*

S. Thomas, cui Scolastici, paucis exceptis, subscribunt, docet, etiam ante separationem, totum Christum contineri in qualibet speciei parte. Nec immerito: cum enim totum Christi corpus in qualibet speciei parte, post divisionem, reperiatur, ipsum quoque integrum in parte qualibet, etiam ante divisionem extitisse necesse est: nam 1. per divisionem nulla in Christi corpus actio exercetur; ea igitur effici non potest ut sit in aliqua parte, in qua prius non extitisset. 2. Christi corpus non est in aliqua parte hostiæ nisi vi verborum, & per eorum prolationem. Atqui cum species consecratæ dividuntur, verba consecratoria rursus non proferuntur. Ergo &c.

Quæres 2. Utrum corpus Christi *definitive* aut *circumscriptive* sub qualibet speciei parte contineatur?

Resp. Negative. Nam 1. ex parte Christi corpus *definitive* non continetur, cum id definitive dicatur existere, quod ita est hic adæquate, ut alibi simul esse non possit. 2. Non est qu que *Circumscriptive*, eo quod destitutum sit extensione locali, quæ necessaria est, ut corpus loco circumscribatur. Dicendum est igitur Christi corpus esse realiter in Eucharistia modo quodam singulari, qui eaemplo careat, quemque Theologi Sacramentalem appellant.

Quæres 3. Utrum Christi corpus quidquam in Eucharistia aut agere, aut pati possit?

Resp. ad utramque quæstionem negative. Ratio est quia actio, aut passio supponunt corpus quod agit; aut subjectum, quod patitur modo naturali existere, seu habere extensionem localem; corpora enim non agunt nisi per contactum, nec patiuntur nisi causatum motum recipiant; eum vero recipere non possunt, si actuali extensione, & quidem impenetrabili destituta sint.

ARTICULUS QUINTUS.

Quænam sint in Sacramento vi verborum, quænam per concomitantiam,

Conclusio 1. Vi verborum, solum Christi corpus sub specie panis, & solus ejus sanguinis sub specie vini continentur in Eucharistia.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino Sess. 13. cap. 13. hæc leguntur, *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie, una cum ipsius anima & divinitate existere; Sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie* EX VI VERBORUM, *ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus inter se copulantur.* 2. Ex Theologis; Ea sunt tantum in Sacramento vi verborum, quæ per illius formam expresse significantur, Atqui solum Christi corpus per formam, qua panis consecratur, & solus sanguis per formam, qua vinum benedicitur, explicite, & diserte exprimuntur.

Objicies. Quantitas corporis Christi est in Sacramento vi verborum, quia corpus organicum in Sacramento vi verborum continetur; at corpus organicum absque quantitate concipi non potest, est enim de essentia corporis organici, ut habeat partes extensas, & a se invicem distinctas, quæ quidem extensio, & quæ distinctio uni quantitati debentur.

Resp. concedendo totum argumentum: Ratio est, quia corpus humanum est sub specie panis; ergo etiam & id quod absolute requiritur ut sit humanum, proindeque ipsa etiam quantitas sine qua corpus non censetur corpus humanum, cum corpus sit humanum per hanç, & illam partium dispositionem, quæ quidem sine quantitate non habetur.

Instabis. Mox allata responsio Angelico Doctori repugnat; quippe qui 3. part. quæst. 76. artic. 4. hæc scribat, *Respondeo dicendum: quod (sicut supra dictum est) dupliciter aliquid Christi est in hoc Sacramento. Uno modo ex vi Sacramenti, alio modo ex reali concomitantia. Ex vi quidem Sacramenti, quantitas dimensiva corporis Christi non est in hoc Sacramento: ex vi enim Sacramenti est in hoc Sacramento illud in quod directe conversio terminatur; conversio autem, quæ fit in hoc Sacramento directe terminatur ad substantiam corporis Christi, non autem ad dimensiones ejus.*

Respond. ideo S. Thomam censuisse quantitatem esse in Eucharistia per *Concomitantiam*, quod voces istas, *vi verborum*, restrinxerit ad id solum, quod primario, & directe per verba significatur; contra aliis Theologis videtur easdem voces, *vi verborum*, extendi debere ad id omne, quod est de essentia rei significatæ, cujusmodi est quantitas respectu corporis organici, licet directe, & primario non exprimatur.

Conclusio 2. Post resurrectionem, ubicumque est corpus Christi, ibi etiam est illius sanguis, sed per concomitantiam, & vicissim.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino, quo id de quo hic agitur, expresse definitum fuit, ut ostensum est superiori conclusione: 2. ex antiquis Patribus, qui cum Eucharistiam fidelibus sub una tantum specie dispensabant, certo credebant se totum illis Christum largiri, ac proinde partes omnes quibus constat. 3. Cum Christus (Apostolo teste) jam non moriatur, partes ex quibus constat, a se invicem non disjunguntur. Ergo ubicumque una reperitur, alias adesse oportet: At id non fit *vi verborum*, per quæ ex speciebus altera consecratur, cum omnes partes ex quibus Christus constat, per ea verba diserte non exprimantur; id igitur per *Concomitantiam* fiat necesse est, scilicet ratione naturalis connexionis, quam illæ partes cum se invicem habent extra Sacramentum. Eo argumento evincitur quoque Divininitatem, qualitates absolutas, quæ sunt independentes a loco, quasque Christus habet in cœlis, reperiri per concomitantiam sub qualibet speciei consecratæ parte: Eodem etiam argumento concluditur personas Patris, & Spiritus sancti esse in Eucharistiæ Sacramento; illæ enim personæ, licet a se invicem distinctæ, sunt idem cum essentia Divina, quam de fide est in Christo reperiri, cum corpus illius Verbo sit hypostatice unitum.

Nec valet, quod aliqui opponunt, contendentes personam Verbi alio modo esse in Eucharistia, quam sit persona Patris. Ergo (inquiunt) cum persona Patris sit in Eucharistia solum *per concomitantiam*; persona Verbi in ea debet esse *vi verborum*. Non valet (inquam) eo quod licet inter Verbum Divinum, & corpus Christi major connexio intercedat, quam inter idem corpus, & personam Patris: tamen cum Verbum expresse non significetur per formas quibus panis, & vinum consecrantur, nec ipsum Verbum, licet corpori, & sanguini hypostatice unitum, illis sit essentiale; *per concomitantiam* tantum, non autem *vi verborum*, in Eucharistia potest reperiri.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, colligitur 1. Christi corpus sine sanguine, sub specie panis, & sanguinem sine corpore, sub speciebus vini, futura fuisse in Eucharistia, si Apostoli consecrassent eo triduo, quo Christi corpus in sepulchro jacuit; nec mirum; non enim tunc corpus, & sanguis unita erant, imo erant actu separata; igitur, etiam per concomitantiam, sub una tantum specie reperiri non potuissent. Colligitur 2. veritate non niti eorum Theologorum sententiam, qui, cum in Philosophia doceant impenetrabilitatem actualem esse de essentia cujuslibet corporis, asserere coguntur corpus Christi non habere in Eucharistia tot materiæ partes, quot habet in cœlis; siquidem materiæ partes, quas habet Christus existens in Eucharistia, conjunctæ sunt realiter cum singulis materiæ partibus, quas habet in cœlis: Ergo necesse est, ut omnes illæ partes, simul cum aliis in Eucharistia, per concomitantiam reperiantur, quod tamen in suppositione principii Philosophici, de quo hic agitur, prorsus impossibile videtur.

ARTICULUS SEXTUS.

De iis quæ Christi in Eucharistia præsentiam corporalem consequuntur.

Quæ Christi corporalem in Eucharistia præsentiam consequuntur, ad varia capita reduci possunt. 1. quidem ad adorationem ipsi debitam. 2. ad Eucharistiæ consecratæ reservationem. 3. ad honorificam illius deportationem ad ægrotos. 4. ad festivitatem, quæ in honorem corporis Christi quibusdam ad hinc sæculis instituta est. 5. ad circumgestationem solemnem in publicis supplicationibus. 6. ad accidentia panis, & vini, quæ post consecrationem remanent. 7. ad communicationem idiomatum, seu ad regulas, quæ servari debent inter loquendum de pane. & de corpore Christi. Priores quinque Concilium Tridentinum his verbis sess. 13. complectitur, *Si quis dixerit* (ait can. 6.) *in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu*

latriæ,

latriæ, etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem, & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores esse idololatras, anathema sit. Hæc iterum habentur ejusdem Sessionis Canone 7. *Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema sit.* Accidentium, seu specierum panis, & vini eadem sacra Synodus canone 8. meminit, *Manentibus* (inquit) *dumtaxat speciebus panis, & vini.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Adoratione quæ Eucharistiæ debetur.

GEntiles, Philosophi, Judæi, variique deinceps hæretici adorationem Eucharistiæ debitam impugnarunt, quam quidem, ut nos hic astruamus operæ pretium est, ut illius hostium catalogum texamus; ac proferamus argumenta, quibus nititur.

§. I.

Hostium adorationis Christo in Eucharistia debitæ catalogus texitur.

1. GEntiles, quibus non aperta quidem (ut supra dictam est) sed confusa tantum, aderat cognitio Christianorum circa Eucharistiam fidei, adorationem quam ab illis exhiberi audierant, ipsis vertebant crimini. Maximus Madaurensis idololatra sic Epistola, quæ apud Augustinum est 43. hanc sancto Doctori quæstionem proponit, *Quæso vir sapientissime ..... ipsa re approbet, quis sit iste Deus, quem vobis Christiani, quasi proprium vendicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis*; Christianorum praxi, quibus per gentiles in eo oppido non erant erecta templa, Idololatrarum consuetudinem opponit, *Nos etenim Deos nostros luce palam ante oculos, atque aures omnium mortalium piis precibus adoramus, & per suaves hostias propitios nobis efficimus, & a cunctis hæc cerni, & probari contendimus.*

2. Philosophis displicuit idem Christi in Eucharistia cultus; causabatur quondam Averroes esse alioqui cur illi præ omnibus sectis placeret Christiana, *Sed quoniam* (inquit apud Espenceum) *Christiani Deum suum, quem adorant, etiam devorant, moriatur anima mea cum animabus Philosophorum.*

3. Judæis scandalo esse adorationem, de qua agitur, eos non latet, qui cum iis de Catholica religione nonnumquam congressi sunt; causantur nimirum Catholicos esse idololatras, quod procumbendo coram Eucharistia, creaturam (ut ajunt) adorent.

4. Arrianis, utpote in Christi Divinitatem blasphemis, probari non potuit Eucharistiæ adoratio: fatebantur quidem Christum ea substantialiter contineri, sed illi cultura latriæ, quod creaturam crederent, non concedebant. Nec contrarium ex eo evincitur, quod vasa sacra, & altaris supellectilia summo haberent in pretio, quippe qui calicis effractionem, cujus Athanasium insimulabant, tantum crimen reputaverint, ut in illud (licet fictum) animadverterint Athanasii depositione; hujusmodi nimirum honoris erat, quem creaturæ perfectissimæ, ac sanctissimæ exhiberent.

5. Nestoriani, qui de Dominica Incarnatione male senserunt, arbitrati Verbum inter, & hominem non substantialem, & hypostaticam, sed accidentalem tantum, seu per gratiam, & amorem, unionem reperiri, errarunt quoque circa præcipuum Oeconomiæ Sacramentum; cui ideo debitum latriæ cultum negarunt, quod Christo divinitatem abnegarent, *Audita* (inquit Nestorius apud Cyrillum) *attendentes verba*, Qui manducat carnem meam &c. *Memores estote, quod de carne sermo est, quod non a me carnis nomen adjectum est; ne videar sinistre interpretari. Non ait*, Qui manducat meam divinitatem. Et, qui manducat me; *Qui manducaturus? divinitatemne, an carnem?* In quæ quidem garrientis hæretici verba, sic habet mox laudatus Cyrillus, *Unionis modum destruit, ut commune inveniatur Christi corpus, non jam Verbi omnia vivificare volentis proprium .... Quoniam minime editur divinitatis natura, propter hoc commune dixerit quis sanctum Christi corpus? Scire autem operæ pretium est, quod proprium est corpus Verbi, quod omnia vivificat.*

6. Nonnulli Scriptores, Donatistas iis accensent, qui negarunt Christum in Eucharistia adorari debere: nituntur authoritate Optati Milevitani, qui lib. 2. contra Parmenianum Donatistam, hæc scribit, *Episcopis eorum* (Donatistarum) *jubentibus, & præsentibus, Catholici diaconi super altare occisi ..... Omnia sacrosancta ab eorum Episcopis violata, Eucharistia canibus fundi, projicique jussa, canes non sine divini judicii signo, accensi rabie, dominos suos, quasi latrones sancti Corporis reos, dente vindice ut ignotos, & inimicos dente laniarunt.* Sed eo Optati textu id non elicitur, quod iis scriptores supponunt; hoc unum ex eo possunt concludere, Donatistis ratam, ac validam non fuisse Eucharistiam quam Catholici confecissent; arbitrabantur enim ab iis, qui essent extra suam sectam, qua concludi credebant Ecclesiam Christi, nulla quæ valerent, confici posse Sacramenta.

7. Quidam Græci schismatici nonnullis authoribus visi sunt hostes adorationis, quæ Christo in Eucharistia exhibetur, quod nimirum Eucharistiæ a Latinis ad ægrotos deportatæ aliquibus in locis non assurrexisse legantur. Verum inane est illud fundamentum, Græcis enim schismaticis persuasum est irritam esse consecrationem quam Latini peragere tentarint, nempe quod azymo pane utantur, qui ex Græcis, apta non est Eucharistiæ conficiendæ materia; Legatis quos Gregorius IX. anno 1233. in Orientem misit, ut cum Græcis inirent concordiam, Latinorum nomine, teste Raynaldo, responsum est, *Dicimus, quod duæ sunt causæ discordiarum, una est de processione Spiritus sancti, alia de Sacramento altaris*; in quo autem posita esset posterior hæc de Sacramento altaris causa patet ex his Legatorum verbis, *Jam perpendimus quod male sentitis de Sacramento nostro in azymo.* Non ob aliud in Concilio Florentino, cui Græci interfuerunt definitum est tam in azymo, quam in fermentato pane consecrationem valere, *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi corpus veraciter confici.*

8. Berengarius, Zuinglius, Calvinus aliique omnes Sacramentarii Catholicos tamquam idololatras traduxerunt, quod Eucharistiæ consecratæ adorationem exhibeant; Nec mirum, cum ipsis persuasum fuerit, Christum Eucharistia substantialiter non contineri, sed merum panem, & merum vinum quę licet post consecrationem sancta sint, non magis merentur adorationem quam aqua, qua quis ad baptizandum utitur.

9. Luthero Eucharistiæ adoratio, primum quidem indifferens fuit, sed deinceps pia visa est, ac necessaria, quippe qui ann. 1545. in thesibus quas Lovaniensium articulis opposuit, Eucharistiam, *Adorandum Sacramentum* appellaverit; qua utique sententia idolum in Dei templo, a Luthero erectum fuisse Calvinus ad Bucerum scripsit. Sed advertat velim lector Luthero eam tantum adorationem probatam fuisse, quæ exhiberetur in liturgia, & quidem a consecratione ad communionem usque fidelium inclusive; toto nimirum eo tempore, & non alio, Christum corporaliter in Eucharistia contineri docuit. Nec illud assertum labefactant ii, qui objiciunt elevationem hostiæ consecratæ quam liturgia præscribit, anno 1543. a Luthero fuisse proscriptam; Nam 1. ad eum usque annum elevationem retineri voluerat. 2. Anno 1544. parva, quam edidit confessione, factitari posse asseruit, tamquam quæ præsentiæ realis testimonium includeret, cum non voce quidem, sed ipsomet facto Sacerdos fideles sic alloqueretur, *Videte, Christiani, Hoc est Christi corpus, quod pro vobis traditum est*. 3. Lutherus non ideo Eucharistiæ consecratæ elevationem deleri voluit ex liturgia, quod quid impium comple-

complecti crederet, sed (ut ipsemet ait in parva confessione) quod a Papistis servaretur, a quorum ritibus operæ prerium duxit quantum posset recedere.

10. Post Lutheri obitum Melancthoo dedit operam ut tolleretur adoratio, quam ad extremam usque vitæ periodum Lutherus constaoter defenderat, Ut iritum & tentatum antequam Lutherus obiisset consilium, ad optatum exitum perduceret, somniavit, Christum in pane non esse corporaliter præsentem, sed in fidelibus tantum; & quidem dum actu communionem sumerent. Melancthoni subscripserunt Theologi Vvitembergenses,& Lipsienses in conventu Dresdensi, anno 1561. Ea vero nunc est, quæ ubique ferme apud Lutheranos obtinet disciplina:

§. II.

Proferuntur argumenta, quibus adoratio Eucharistiæ consecratæ vindicatur.

Duplex pro veritate, de qua agitur, argumentum proferri potest. Prius sumitur ex eo quod ubique,& sempet adoratio a fidelibus Eucharistiæ exhibita sit, ac proinde sine insolenti stultitia denegari non possit juxta certissimum hoc Augustini effatum Epistol. 118. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Alterum argumentum petitur ex ipsis consecrationis verbis, quæ Christum præsentem, atque ideo adorandum innuunt, statim atque prolata fuerint.

Primum argumentum.

Ecclesia semper & ubique, Eucharistiæ coosecratæ adorationem exhibuit: Ergo ipsi adoratio debetur. Antecedens subsequentibus Patrum testimoniis demonstratur.

1. Eucharistiam in Ecclesia Orientali, prioribus sæculis adoratam fuisse fidem facit Chrysostomus variis in locis. *Tempore* (Sacrificii) inquit homil. 28. ad populum Antiochenum) *mi frater charissime, non solum homines clamorem illum tremendum reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in favore. Itaque ut homines ramos olearum gerentes movere Reges consueverunt, eoque arboris genere misericordiam humanitatemque commemorant: Sic Angeli tunc pro ramis oleaginis ipsum Domini corpus protendentes rogant pro genere humano, quasi dicant: Pro his, Domine, rogamus, quos tu adeo dilexisti, ut pro eorum salute mortem oppeteres, animam in cruce efflares; Pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.*

Idem his aliis verbis Sanctus Doctor homil. 1. in hæc Isaiæ verba, *Vidi Dominum*, repetit, *Non cogitas quod Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, & hanc cum reverentia circumvallant? verum tu ista non cogitas, quoniam ea, quæ in theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscurarunt, & ideo quæ illic geruntur, in Ecclesiæ ritus inducis.*

Idem lib. 6 de Sacerdotio capite 4. sic confirmat, *Quum ante ille* (Sacerdos) *& Spiritum sanctum invocaverit, sacrificiumque illud horrore, ac reverentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato ... Angeli Sacerdoti assident, & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est.*

Nec argumentum elevant adversarii cum reponunt Chysostomum somniasse ubi Angelos altari assistentes conspexit. Non elevaot (inquam:) Id enim alieno testimonio confirmat. *Ego vero* (ait ibidem) *& commemorantem olim quemdam audivi, cum diceret senem quemdam virum admirabilem, & cui multa revelationum mysteria divinitus fuissent detecta sibi. narrasse se tali olim visione dignum habitum a Deo esse, ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse* (*quatenus aspectus humanus ferre poterat*) *candidis vestibus indutorum, ut si quis milites præsente Rege stantes videat, id quod facile mihi persuadeo. Item & alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quod qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura, ac munda conscientia fuerint participes, Spiritum efflaturi, & ab Angelis ipsos satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc recta in cælum abducuntur.* Præterea Angeli sacræ mensæ adoraotes adsint, aut non adsiot, scopum attingimus nostrum, in Ecclesia oimirum Constaotinopolitana, cui Chrysostomus præerat, credidisse fideles cum sapientissimo suo Præsule, Eucharistiæ consecratæ adorationem deberi; audiisset quippe ut idololatra, si Angelos ob sui gregis oculos posuisset, tamquam qui adorarent, quod ex adversariis revera non erat adorandum.

Non Chrysostomus modo in Oriente, sed & plurimi alii Patres adorationi Eucharistiæ testes appellari possunt. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. Mystagogica jubet, ut Eucharistia reficientibus accodat *pronus & adorationis in modum*. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri, quam habuit in honorem germanæ suæ sororis Gorgoniæ asserit eam, cum fide coram altari procumbere solitam fuisse, *ipsumque qui super ipso honoratur cum ingenti clamore invocasse*. Theodoretus Cyrensis Episcopus, dialogo 2. quem *Inconfusus* inscribit, meminit ejusdem adorationis; sic enim loquitur, *Symbola mystica ... intelliguntur ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur.*

Non priscis modo temporibus, sed & hodiernis latriæ cultus Eucharistiæ a Græcis exhibetur; solemnibus nempe diebus Chrysostomi liturgia utuntur, in qua observare est Sacerdotem, & diaconum capitibus in terram inclinatis tremenda hæc mysteria sæpius adorare, ac præscribere fidelibus, ut idem factitent, *Sacerdos* (verba sunt liturgiæ) *sequitur diaconum, & vadit ad oblationem. Et capitibus in terram ter inclinatis, sumunt hic quidem corpus, ille sanguinem. Et paulo post diaconus exclamat, Capita vestra Deo inclinate; Sacerdos orat, Cælitus respice, Domine, ad servos tuos inclinantes tibi sua capita. Non enim inclinaverunt carni & sanguini, sed tibi metuendo & humano Deo. Et, Attende Domine Jesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, & veni ad sanctificandum nos, qui in excelsis una cum Patre sedes, & hic nobiscum invisibiliter ades &c.* Ad eum morem alludit idem S. Doctor homil. 3. in Epistolam ad Ephesios, ubi hæc habet, *Hic dum profertur sacrificium, aut elata est hostia, Christus, idest, ovis Dominica immolatur. quando audieritis* (*Oremus omnes communiter*) *cum vela videris & bifores adyti valvas subductis repagulis retrahi, & aperiri, tunc tecum reputa cælum superne deduci & reserari, & Angelos descendere cogita.*

2. Non in Ecclesia Orientali tantum, sed & in Occidentali quovis sæculo usus obtinuit, ut sacris donis latriæ cultus exhibeatur. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. in hæc Psalmi verba, *Adorate scabellum pedum ejus*, sic loquitur, *Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi* QUAM HODIE QUOQUE IN MYSTERIIS ADORAMUS, *& quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt*. Augustinus Epistol. 120. *De gratia novi Testamenti*, quæ est ad Honoratum, quod a suo catechista Ambrosio didicerat conceptis terminis postea docuit, haoc nimirum hujus propheticæ seotentiæ, *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ*, explicationem tradit capite 27. *Divites terræ superbos intelligere debemus, si recte superius pauperes, humiles intelligebamus ... Neque enim frustra ita distincti sunt, ut de pauperibus supra diceretur* (*Edent pauperes & saturabuntur*) *hic vero* (*Manducaverunt & adoraverunt omnes divites terræ*) *& ipsi quippe adducti sunt ad Mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine ejus,* SED ADORANT TANTUM, *non etiam saturantur, quia non imitantur*. Idem Sanctus Doctor in Psalm. 98. hæc ait, Nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Addendum, in omnibus tum antiquis, tum recentioribus liturgiis Latinis sacra dona, ubi consecrata fuerint, fideli populo proponi, ut adorentur.

Al-

Alterum argumentum.

Christi corpus hypostatice Verbo unitum est: Ergo debetur illi latriæ cultus, ubicumque extiterit; Ergo, cum substantialiter sit in Eucharistia, uon tantum dum liturgia celebratur, ut Luthero placuit, non tantum in actuali illius sumptione à fidelibus, ut docuit Melancton, sed donec panis & vini species conservantur, ipsi, donec hujusmodi species evanuerint, latriæ cultus exhibendus est. Tanti roboris visum est, etiam Melanctoni, illud argumentum, ut adorationem donis consecratis denegare non potuerit, quin Evangelica verba, *Hoc est corpus meum*, detorserit in hunc sensum, *Hoc erit corpus meum*, cum uempe quis ipsum actu sumet.

Objicies 1. Christus usum quidem Eucharistiæ his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem* fidelibus præscripsit; de adoratione vero siluit omnino: 2. Apostoli latriæ cultum non exhibuerunt accepto a Christo pani, Judæorum scilicet more in latus inclinati accumbebant mensæ, in qua Christus Eucharistiam eis porrexit; quem quidem situm nemo eum adoratione componere teutabit; vim etiam habet illud argumentum in iis fidelibus, quibus primi diaconi sacrum illum cibum mediis in epulis porrigebant.

Resp. ad primum, Christum directe quidem seu expressis verbis non præcepisse Apostolis ut Eucharistiæ exhiberent latriæ cultum, sed id indirecte eos mandatis habuisse colligitur ex eo quod panem per hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, in illius carnem fuissent mox immutatum intellexerint; ac scirent aliunde quod ubicumque existeret sanctissima illa caro, diviuus cultus ei, utpote Verbo substantialiter unitæ, deberetur.

Resp. ad secundum ex externo eorum situ qui ad Eucharistiam accedunt, nullum de re, de qua hic agitur, ferri posse judicium. Ratio est, quia fidelibus modo stantibus, uonnumquam genibus provolutis, aliquando etiam sedentibus porrecta fuit Eucharistia: ritum illum non ubique semper eumdem extitisse inferius dicetur ubi de hujusce Sacramenti ministro instituemus sermonem.

Objicies 2. Nestorius, quod Christi humanitatem adoraret, apud Cyrillum tamquam idololatra audiit. Ergo, quamvis Christi corpus substautialiter sit præsens in Eucharistia, latriæ cultus illi non debetur.

Resp. Cyrillum cum ageret contra Nestorium, supposuisse latriæ cultum exhiberi debere Eucharistiæ consecratæ; ex eo vero principio Nestorium tamquam idololatram arguit, si, ut Catholicis mos erat, sacrum illum cibum adoraret. Ratio est, quia accidentalem tantum, non autem substantialem cum Verbo unionem humanitati concedebat: E contra vero Catholici cum profiteantur Christi carnem ubicumque realiter extiterit, unitam esse substautialiter Verbo, immerito tamquam idololatræ ab hæreticis traducuntur; hic in Catholicorum gratiam operæ pretium est ut præclaram hanc S. Auaitasii contra Arianos scribentis sententiam usurpemus, *Non creaturam* (inquit in Epistola ad Adelphium) *absit: in Ethnicos & Arianos istiusmodi delirium competit: sed Dominum rerum creatarum incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum; attamen Dei corpus effecta est, neque hujusmodi corpus seorsim discriminatum a Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi, Verbum a carne longe seponimus, sed cum sciamus* (ut dictum est) *Verbum caro factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus.*

Objicies 3. Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 5. definit Eucharistiæ Sacramentum adorari debere, *Nullus* (inquit) *dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.* Ergo Concilium creaturæ adorationem imperat, siquidem terminus, *Sacramentum*, non solum supponat pro Christi corpore, sed etiam pro panis & vini speciebus, quæ haud dubie Verbo hypostatice uon uniuntur; eæ species meræ sunt creaturæ, accidentia uempe, quibus ante consecrationem, panis & vini substantia sensus afficiebat.

Confirmatur illud argumentum ex plerisque Scholasticis, & ipso etiam Bellarmino, qui asserit latriæ cultum speciebus deberi quatenus ut quid unum cum Christi corpore apprehenduntur; *Cultu autem latriæ dicimus per se & proprie Christum esse adorandum, & eam adorationem ad symbola panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum ipso Christo quem continent.* Hactenus mox laudatus Cardinalis lib. 4. de Euch. cap. 29.

Resp. Concilium Tridentinum, *Sacrameatum*, eo loci sumere pro præcipua illius parte, Christo nempe quem substautialiter continet, nou autem pro parte minus præcipua, cujusmodi sunt species panis & viui quæ in Eucharistia post consecrationem remaneut.

Ad argumenti vero confirmationem, dico eam hoc Augustini effato prorsus enervari; *Neque enim* (inquit Epist. 11. quæ est ad Fortunatianum) *quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis Ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Præterea dici iterum potest Scholasticos, de quibus objectio, Bellarminum in primis loqui de adoratione improprie sumpta, quæ quidem includit adorationem ei similem, quam Christi vestibus, si præsentes forent, exhiberemus. Patet ea responsio ex his ejusdem Bellarmini verbis, (Nullus Catholicus est qui doceat ipsa symbola externa, per se proprie esse adoranda cultu latriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore qui omnibus Sacramentis convenit.)

Objicies 4. Periculum est idololatriæ, cum quis coram pane consecrato procumbit; periculum enim est, ne cultus ille ad species referatur, aut ad panem, si ut voluit Lutherus, cum corpore Christi Eucharistia contineatur; ita ratiocinantur quidam nostrates Calvinistæ.

Resp. periculum, quod Calvinistæ timent, fictitium esse; quasi vero fideles non sint docti latriæ cultum, quem exhibent Eucharistiæ, ad Christum ipsum, non autem ad creaturam aliquam terminari; se habent panis & vini species sicut fasciæ quibus Christus in præsepio involutus erat; sicut vestes quibus induebatur; quemadmodum igitur uemo Magos qui Christum adorarunt in præsepio, Leprosum, qui (ut ait Matthæus) *veniens adorabat eum*, idololatras dixerit; ita uec eo nomine censeri debent, qui Christum (ut supponitur) in Eucharistia sub speciebus panis & vini realiter præsentem adoraverint. Audiendus est Chrysostomus qui adducto Magorum exemplo qui Christum in præsepio jacentem adorarunt, fideles hortatur ut ipsum sub panis & vini speciebus latitantem adorent, *Hoc corpus* (inquit in 1. ad Corinth.) *in præsepe reveriti sunt Magi, & viri barbari, longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adoraverunt. Imitemur ergo barbaros, nos cælorum cives. Illi cum præsepe tantum & tugurium, nec eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderent, summa cum reverentia & honore accesserunt: Tu vero id non in præsepe sed in altari: non mulierem quæ in ulnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, & spiritum perabunde super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simplex, aut simpliciter, ut illi, corpus intueris, sed & ejus potentiam, & omnem cognoscis administrationem .... Tu vero* (inquit idem S. Doctor in oratione de B. Philogonio) *ne brevi quidem spatium enixuri sustines, ut hoc fælici spectaculo perfruaris: Nam, si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus eum in præsepi jacentem; Hæc siquidem mensa vicem explet præsepis: Nam & hic ponitur corpus Domi-*

minicum, non quidem fasciis, sicut tunc, sed undequaque Spiritu sancto convestitum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Eucharistia, peracto sacrificio, reservari possit?

NON unus hac de quæstione fuit Novatorum error.

1. Sacramentarii omnes post Zuinglium & Calvinum asseruerunt Eucharistiæ Sacramentum non magis servari posse quam aqua per quam baptismus confertur.

2. Lutherus peracto sacrificio, Eucharistiam, aut ut ad ægrotos deferatur, aut ut ad fidelium communionem servetur, reservari non posse contendit: Idem visum est Kemnitio, sed cum eo discrimine quod velit ipsam, etiam peracta liturgia integram permanere modo ad infirmos immediate deferatur.

Nituntur Sacramentarii hoc principio, nempe quod velint Eucharistiæ Sacramentum non esse rem quæ permaneat, sed quæ in usu tantum posita sit, sicut (inquiunt) aqua baptismatis tunc solum est Sacramentum, cum actu catechumenum abluit. Luthero (ut superiore articulo dictum est) placuit Christi corpus, a consecratione usque ad eorum, qui adsunt, communionem inclusive, in pane & vino permanere; mirum igitur non est, quod ad aliud usque tempus reservetur. Melanctoni ac Theologis Vvitembergensibus & Lipsiensibus visum est Christi corpus esse in Sacramento in usu tantum, seu in ore fidelium a quibus sumitur. proindeque ab iis Lutheranis, qui illi doctrinæ subscripserunt, ne brevi quidem momento reservari debet.

Conclusio. Eucharistia, peracto sacrificio, vere & pie reservatur.

Prius argumentum, qua conclusio nititur, petitur ex Scriptura.

1. Contra Sacramentarios ac Melanctonianos Scripturis docemur Eucharistiam independenter ab usu, esse verum Sacramentum. Ergo & ante & post usum reservari potest. Probatur ant. Eo instanti Eucharistia est Sacramentum, quo verba Evangelica, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, prolata fuerunt, eo nimirum momento Christi corpus sub panis & vini speciebus existit, alioquin in ore Christi vera non fuissent; quippe quæ iis in præsenti tempore assertum fuerit, quod corpus esset præsens, *Hoc est corpus meum*, & tamen, ex adversariis, non adfuit nisi dum actu receptum est ab Apostolis.

Nec alicujus est ponderis, quod adversarii reponunt, Evangelica nimirum verba, de pane in actu existente, idest dum actu manducaretur, prolata fuisse. Nam 1. (ut advertit Concilium Tridentinum Sess. 13. cap. 3.) Apostoli nondum Eucharistiam de manu Domini susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod præbebat. 2. Licet ex Matthæo videatur quod Christus panem discipulis tradiderit antequam ipsum consecraret. *Accepit Jesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait, accipite & comedite, Hoc est corpus meum*: Tamen revera consecratio distributionem & usum præcessit, siquidem consecratio continebat rationem cur panis & vinum sumi deberent a discipulis, idque denotat particula causalis, ENIM, quam Matthæus refert cap. 26. *Hic est enim sanguis, &c.* Unde quamvis Matthæus res ipsas enarret, non servavit tamen ordinem rerum, sicut nec Marcus cum cap. 14. hæc ait de calice, *Et accepto calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait illis, Hic est sanguis meus novi Testamenti*, quasi vero de vino, cujus ne minima pars superstes esset, dici potuerit, quod esset Christi sanguis. 3. Apostoli ex eodem calice sanguinem hauserunt, ac proinde alter post alterum; necesse igitur fuit ut verba Evangelica fuerint prolata antequam singuli bibissent, atque ideo oportuit Christi sanguinem extitisse in calice antequam hauriretur, alioquin falsa fuissent Christi verba, *Hic est sanguis meus*, cum eodem instanti, quo prolata fuerunt, ex adversariis, vinum sanguis Christi non fuerit.

2. Eodem argumento urgentur Lutherus, Kemnitius & alii qui Sacramenti permanentiam astruunt, saltem a consecratione usque ad Sacerdotis & populi communionem. Si corpus & sanguis Christi, dum peragitur liturgia, & ante usum, sint in Eucharistia, non est cur, peracta tota liturgia, non permaneant, neque enim alicujus particulæ usus tollit consecrationem ab ea quæ in sacrificio non sumitur: Id Melanctoni tanti roboris visum est, ut nisi corporis & sanguinis Christi præsentia in solo usu admittatur, reservationem, sicut moris est in Ecclesia Romana, tolli non posse cum Theologis Vvitembergensibus professus sit.

Alterum pro conclusione argumentum petitur ex traditione, qua constat antiquitus, etiam peracto sacrificio, ubique gentium & quidem ob multiplices fines reservatam fuisse Eucharistiam.

1. Eucharistia olim Romæ a summis Pontificibus reservabatur, ut ad distantes Episcopos in signum communionis Ecclesiasticæ mitteretur; Ejus moris testis est Irenæus Lugdunensium Archiepiscopus, qui secundo sæculo usque ad tertii initium floruit. In epistola, quam suo & totius Ecclesiæ Lugdunensis nomine ad victorem Papam conscripsit, asserit summos Pontifices qui illum in Apostolica sede præcesserant, Anicetum nempe, Pium, Hyginum, Telesphorum, Xistum, licet in celebrando paschate & jejunii forma ab Asiaticis dissiderent, tamen pacem coluisse, ac misisse Eucharistiam quo mutua communio foveretur, & obligaretur, *Præcessores tui* (ait) *Romani Episcopi, aliter quam nos pascha licet observantes, nostratibus Episcopis* (de Asiaticis vir ex Asia oriundus loquitur) *suo more atque secus, quam vos, id observantibus, Eucharistiam tamen miserunt, ejusque illis ministerium pacis & honoris ergo Romæ permiserunt.*

2. Consecratam Eucharistiam in templis fideles domum asportabant, ut dum sæviebat persecutio, ea se quotidie reficerent; Piam illam consuetudinem Cyprianus Libro de Lapsis, his verbis confirmat, *Cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere; Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est Dominum recedere cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, quando gratia Salvatoris in cinerem sanctitate fugiente mutetur.*

3. Eucharistia quondam reservabatur, ut in itinere tamquam firmum præsidium a peregrinantibus deportaretur; Idque colligitur ex Ambrosio, qui in oratione funebri, quam habuit pro fratre Satyro sic loquitur, *Quid ejus observantiam erga Dei cultum prædicem, qui nondum perfectioribus initiatus mysteriis, in naufragio constitutus, cum qua vehebatur, navis scopuloso illisa vado, urgentibus hinc inde fluctibus solveretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysteriis e vita exiret, ab initiatis divinum illud fidelium poposcit Sacramentum, nec ut curiosos oculos arcanis inferret, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium: Etenim ligari fecit in Orario & Orarium involvit in collo, atque ita se dejecit in mare, non requireas de navis compage resolutam tabulam, cui supernatans juvaretur, quia fidei solius arma quæsierat: quibus se tectum munitumque satis credens, alia non desideravit auxilia ... Non deseruit spes, nec fefellit opinio. Primus servatus ex undis, & in portum terrenæ stationis evectus, præsulem suum, cui se crediderat, recognovit ... Dei requisivit Ecclesiam, ut ageret gratias liberatus & mysteria æterna cognosceret.*

4. Majores nostri Eucharistiam in sacris ædibus reservarunt ut eam præsenti populo dispensarent & ut ferrent ad absentes. Perantiquæ illius consuetudinis meminit Chrysostomus in priore ad Innocentium Papam epistola. Asserit quippe milites in sui occisionem ab Imperatore missos sanguinem effudisse asservatum ad neophytorum communionem; *Locum* (inquit) *in quo sancta condita servabantur, ingressi sunt milites, quo-*

rum

rum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant, quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contigit, in prædictorum militum vestes effusus est.

5. Ab Orientalibus reservata fuit Eucharistia ad missam præsanctificatorum singulis jejuniorum diebus celebrari solitam, & apud Latinos, semel in anno, feria sexta in parasceve. Illam præsanctificatorum missam injunxere Trullani Patres can. 52. ubi hæc habentur; *In omnibus sacræ quadragesimæ diebus, præterquam Sabbatho & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.* Disciplinam illam primi non invexerunt mox laudati Patres, quippe quam Laodiceni, ineunte quarto sæculo, canone 49. injunxissent. Ex his patet, eos, qui Ecclesiæ Romanæ vertunt crimini quod Eucharistiam peracto sacrificio reservet, ejusdem criminis insimulare antiquos omnes tum in Oriente tum in Occidente Pontifices.

Solvuntur tum Sacramentariorum, tum Lutheranorum contra Eucharistiæ reservationem argumenta.

Objicies 1. cum Calvino. Hæc verba, *Hoc est corpus meum*, promissionem continent: iis nimirum verbis Christus pollicetur quod carnis suæ virtutem iis largiturus sit, qui panem Eucharisticum sumpserint; unde ait, *Accipite & comedite, Hoc est corpus meum.*

Resp. negandum iis verbis promissionem contineri; Nam 1. iis si quidpiam Christus promisisset, usus fuisset verbo futuri, non autem præsentis temporis, cum ita se in aliis promissionibus gesserit, ut videre est Marci ultimo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* 2. Calvinus supponit esum panis præcedere Christi præsentiam; cum velit eum usum esse conditionem, qua mediante, corpus promittitur, ac proinde sequitur quod fideles non manducent Christi corpus, etiam in figura, cum non sit figura nisi post actualem esum, tunc enim tantum, ex Calvino, locum habent hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum.*

Objicies 2. Sacramentum baptismatis in actione consistit; ergo & Sacramentum Eucharistiæ, nec enim afferri potest disparitas. Præterea actionem ipsam Christus recensuit ubi instituit Eucharistiam, *Accipite, Manducate, Bibite, Hoc facite.*

Resp. neg. consequentiam; Nec enim in iis quæ ex mera Dei libertate pendent, valet conclusio unius ex altero. Dicendum est igitur Christum voluisse ut Eucharistia, Sacramentum esset permanens, quamvis cætera in usu tantum consistant; verba vero Scripturæ quæ objecta sunt, Sacramenti usum, non autem essentiam, significant.

Objicies 3. Duo argumenta, quæ Melanctonem determinarunt, ut, relicta magistri sui Lutheri doctrina, cum Wittembergensibus definiret corpus Christi non esse præsens in Eucharistia, ne momento quidem, antequam a fidelibus sumatur. 1. Cum Christus voluerit ut suum corpus esset realiter in Eucharistia ad usum fidelium, par est ut in ea non contineatur, nisi in ipso actuali usu, seu dum actu sumitur a fidelibus. 2. (inquiebat idem author apud Hospinianum) dedecet Christum pani alligari antequam fideles communicent; cum alligatione hujusmodi non stat liberum ejus arbitrium.

Resp. inane omnino esse duplex illud Melanctonis argumentum; primo, si valeat, concluditur aquas Maris de quibus Scriptura, dulcedinem tantum contraxisse cum iis actu Israelitæ potati sunt; concluditur iterum aquam in nuptiis Cana, non in hidriis, sed tantum in ore convivarum, mutatam fuisse in vinum; nec enim duplex illud miraculum magis propter solos homines patratum est, quam illud quo, fatente Melanctone cæterisque Lutheranis, Christus realiter in Eucharistia constituitur. Altero argumento evincitur Christum excidisse e libertate sua, cum aut fasciis involutus est a matre, aut funibus alligatus a Judæis, aut cruci affixus a militibus: quemadmodum igitur & in fasciis, & in funibus, & in cruce liber fuit quod fascias, funes, crucem prius elegisset; ita & in Eucharistia in qua existit ut stet promissis quibus se hominibus libere devinxit.

Objicies 4. Quondam mos obtinebat, ut hostiæ communioni fidelium superstites, consumerentur. 1. Epistolæ secundæ quæ Clementi Papæ I. adscribitur, can. 1. hæc habentur quæ ait se e Petro Apostolo accepisse, *Tribus gradibus commissa sunt divinorum secretorum Sacramenta, Presbytero, Diacono, & ministro Hypodiacono, qui cum timore ac tremore Dei Clericorum reliquias corporis Dominici custodiant, ne qua putredo in sacrario inveniatur, neu cum negligenter agitur, portioni corporis Domini gravis inferatur injuria: Communio enim corporis Domini nostri, si negligenter erogatur, & Presbyter minora non curet admovere officia, gravi anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certe tanta in altari holocausta offerantur, quanta in populo sufficere debent, quod si remanserint, in crastinum ne reserventur; sed cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur.* 2. Concilium Matisconense anno 588. habitum præcipit ut communionis reliquiæ parvulis innocentibus edendæ traderentur, *Quæcumque sacrificiorum reliquiæ* (inquit can. 6.) *post peractam missam in sacrario superfuerint, quarta vel sexta feria innocentes pueri ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant.* 3. Non tantum in Occidente, sed etiam in Oriente obtinebat olim mos de quo agitur. Nicephorus lib. 17. hist. Ecclesiasticæ cap. 25. asserit se, cum puer esset, sæpius in Ecclesia Constantinopolitana Eucharistiæ reliquias comedisse. Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria martyrum hocce miraculum refert, quo praxis illa mirifice confirmatur, *Judæi cujusdam vitrarii filius* (inquit cap. 10.) *cum apud Christianos pueros ad studia litterarum exerceretur, quadam die dum missarum festa in basilica B. Mariæ celebrarentur, ad participationem gloriosi corporis & sanguinis Dominici cum aliis infantibus infans Judæus accessit. Quo sancto assumpto gaudens ad domum patris revertitur: illoque operante inter amplexus & oscula, quæ acceperat cum gaudio refert: At ille Christo Domino inimicus, apprehensum puerum in os fornacis ardentis projecit. Quod cum Christiani didicissent concurrunt omnes ad tam iniquum spectaculum; quo extracto admirantur omnes illæsum .... Interrogantes autem infantulum Christiani, quale ei inter ignes fuisset umbraculum, ait, Mulier, quæ in basilica illa, ubi panem de mensa accepi in cathedra residens parvulum in sinu gestat infantem, hæc me pallio suo ne ignis voraret, operuit.* Iis textibus (inquiunt adversarii) nihil evidentius proferri potest, quo probetur nec Orientalem, nec Occidentalem Ecclesiam quondam Eucharistiam consecratam reservasse.

Resp. evidentissimis Patrum secundi, tertii, quarti & quinti sæculi textibus probatum fuisse superius Eucharistiam consecratam, in utraque Ecclesia, Occidentali nimirum & Orientali, peracto sacrificio, reservatam fuisse; unde cum Patres pugnantia locuti non fuerint, dicendum est 1. pseudo-Clementem loqui de reservatione quæ fieret in cœmeteriis, ubi, sæviente persecutione, Majores nostri sacra obibant; periculum nempe fuisset ne gentiles sic Eucharistiæ palam reservatæ illusissent; nullum tamen inde fideles tum sani tum ægroti, detrimentum patiebantur, penes quemque nimirum, etiam laicum, erat panis consecratus, quem e sacrificio in domum detulerat, & quo ante omnem cibum se se diebus singulis reficeret. Dicendum est 2. data Ecclesiis per Constantinum Magnum pace, in templis reservatam fuisse Eucharistiam, cum ea tamen cautela ut non plus servaretur quam fidelium & ægrotorum communioni necessarium esset; unde Matisconense Concilium & historiam Gregorii Turonensis explicare oportet de superabundanti. 3. Confirmatur ea solutio ex eo quod non quovis die fieret illa reliquiarum consumptio, sed solum feria quarta vel sexta, quando videlicet Sacramentum in pyxide renovabatur.

Objicies 5. ea Patrum loca, quibus præcipitur ut peracto sacrificio, quæ supersunt hostiæ comburantur.

tur, Hesychii Presbyteri Hierosolymitani tempore vigebat ille mos in quibusdam Orientalium Ecclesiis; quam pius esset, adducto ex antiqua lege testimonio confirmat lib. 2. cap. 8. in Leviticum, ubi sic loquitur, *Est locus sanctus altare, ibi enim Sanctus sanctorum requiescit. Quomodo ergo in his non admiranda sit sapientia Spiritus (nullam quippe dubietatem hujusmodi intellectus dereliquit, propterea carnes cum panibus comedi præcipiens Moyses, ut non intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est sicut corpus Christi panis vivi, qui de cœlo descendit ... Sed hoc quod reliquum est de carnibus & panibus in igne incendi præcepit ipse Moyses, quod nunc videmus etiam insensibiliter in Ecclesia fieri, ignique tradi quæcumque remanere contigerit inconsumpta.* Eamdem consuetudinem in nonnullis Ecclesiis Occidentalibus viguisse testatur Concilium quodam Aurelianense ex quo Yvo Carnotensis huncce canonem Decret. part. 2. cap. 59. describit, *Omnes sacrificium sordida vetustate perditum, igne comburendum est, & cinis juxta altare sepeliendus.*

Resp. Lutheranos nihil ex iis locis, quod sibi faveat, posse colligere. Nam 1. Hesychius expresse asserit in altari reservatum fuisse Sanctum sanctorum, ex cujus præsentia altare sanctitatem contraheret, *Est locus sanctus altare* (inquit:) *ibi enim Sanctus sanctorum requiescit.* 2. Eucharistiæ reservatio obtinet apud Græcos, etiam Schismaticos, qui proinde morem illum ab Eclesia Catholica sumpserant, antequam ab ea deficerent; Qua ratione autem fiat apud eos reservatio Arcudius lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ capite 17. his verbis describit, *Quod attinet ad Sacramentum, quod ægrotis inservit pro viatico, equidem optarem meliorem modum in eo conficiendo. Nam Græcorum Presbyteri primum multas majores particulas in præparatione liturgiæ, ad eum modum, quo & majorem illam præcipuam, quam consumunt in sacrificio, & iisdem verbis parant, quod fortassis ab imperitis Græcorum posteris introductum est, cum super centum & mille hostiis satis sit, semel eam cæremoniam adhibere, ac non iterare toties eadem verba: Eas deinde particulas suo tempore in eodem sacro consecrant; Post in frusta dividunt pro singulis ægrotis; tum sanguine tingunt; postremo contra tanti Sacramenti dignitatem, in furno vel sole exsiccant ... At quanto satius esset prius particulas pro infirmis præparare, neque semel in anno conficere, sed congruo tempore ante ullam specierum corruptionem renovare, quam in hæc absurda incidere.* Fatetur ibidem Arcudius perantiquum esse illum morem, sed contendit in alium esse mutandum, cum de eo nihil scriptum in Enchologiis legatur; *Neque* (inquit) *in omnibus antiquitas est sequenda; multa nempe facta sunt & permissa tempore persecutionum, & quæ aliis sæculis minus conveniunt.* 3. Concilium Aurelianense ab Yvone laudatum de Eucharistia tantum loquitur, cujus species propter Sacerdotum negligentiam, aut computruissent, aut factæ fuissent mucidæ; Confirmatur ex eodem Yvone apud quem legere est hæc quarti Concilii Aurelianensis verba, *Illud etiam annectendum videtur ut oblata, quæ in altari offeruntur, de Sabbato in Sabbatum semper innoventur, quia panes propositionis, qui super mensam Domini ponebantur, a Sabbato in Sabbatum mutabantur, ne diu servati mucidi fiant, & ut quidam sentiunt, igni concrementur.* Confirmatur iterum ex Algero qui lib. 2. de Sacramento Corporis & Sanguinis Dom. idem argumentum objectum a Berengarianis eadem qua nos ratione solvit, *Quod autem* (inquit) *etiam a religiosis incendio tradi & ibi disparere dicuntur ipsæ sacramentales species, non ad indignitatem Christi sit quasi ignibus exurendus tradatur, sed quoties aliqua talis indignitas ipsi Sacramento negligenter acciderit, ut horrorem sumendi incutiant ipsæ sensuales species, quas ibidem Deus altissimo suo consilio, post mutationem suæ substantiæ remanere voluit, ignibus traduntur.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Eucharistiæ ad absentes & præsertim ægrotos deportatione.

Consuetudinem deferendi Eucharistiam ad absentes, erroris insimulant. 1. Sacramentarii omnes: ut quid enim e sacrificio merus panis (ut est in eodem Systemate Eucharistia) deferretur ad absentes & ægrotos, quasi vero in domibus privatis obvius non sit panis communis, quo quisque, si id necesse foret, reficeretur, ac ipsum tamquam efficax carnis Christi signum perpenderet. Eamdem disciplinam damnant. 2. Ii omnes, quibus est persuasum Sacramentum Eucharistiæ in usu tantum positum esse, aut saltem non stare nisi dum ipsum sacrificium peragitur. E contra Ecclesia Catholica reservationem illam & probat & ubique gentium quovis tempore ad praxim redigit. Quam pius sit mos ille subsequenti conclusione declaratur.

Conclusio. Pia est admodum & sancta consuetudo Eucharistiam ad absentes, qui impediuntur ne præsentes sistant se in templis, necnon & ad infirmos deferendi.

Probatur prior pars ex Justino Martyre. Is in Apologia secunda, quam anno 150. Antonino Imperatori pro Christianis obtulit, sic priscam, de qua agitur, consuetudinem describit, *Distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ actæ sunt, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur.*

Probatur altera pars 1. ex variis canonibus infra, cum agetur de morientium communione, referendis; Iis enim præscribitur 1. ut infirmi in vitæ periculum adducti, Eucharistiam recipiant antequam animam exhalent; Præscribitur 2. Presbyteris ut ad infirmos hujusmodi, sanctissimum illud Sacramentum in templis consecratum deferant; id clare patet ex Dionysio Alexandrino, qui sæculo tertio floruit. Is in Epistola ad Fabium Antiochenum, quam Eusebius lib. 6. hist. cap. 44. describit, sic loquitur, *Erat in hac urbe Serapion quidam senex e numero fidelium, qui reliquo quidem anteacta vitæ tempore nulli culpæ obnoxius fuerat, sed in persecutione lapsus, sæpenumero veniam petierat, nec quisquam ei attendebat eo quod sacrificasset. Idem postea morbo correptus, vocis usu, sensuque omni carens triduo permansit: quarto demum die paululum recreatus, nepotem ex filia ad se vocat: Et quousque tandem* (inquit) *me detinetis? Properate, quæso, & me quantocius absolvite. Accerse mihi unum ex Presbyteris. Hæc cum dixisset, rursus illum vox destituit. Puer ad Presbyterum cucurrit, jam nox erat. Presbyter autem ægrotabat, sed quoniam in mandatis dederam ut morituris si peterent, & maxime si antea suppliciter postulassent venia indulgeretur, quo bonæ spei pleni ex hac vita migrarent, exiguam Eucharistiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam seni in os instillaret. Redit igitur puer buccellam afferens. Et cum appropinquaret, priusquam ingrederetur; recreatus iterum senex Venisti,* (inquit) *Fili, ac Presbyter quidem ipse venire non potuit. Tu vero fac citius, quod imperatum est, & dimitte me. Mox puer buccellam intinxit, & in os senis infudit, qui ea paulatim absorpta continuo animam exhalavit. At non igitur perspicue apparet, eum reservatum fuisse, ac tantisper in vita permansisse, quoad reconciliaretur, & deleto jam crimine pro multis, quæ gesserat, bonis operibus a Christo agnosci posset & prædicari.* 3. Si Christi corpus sit realiter præsens in Eucharistia ut contra Sacramentarios ostensum est; Si independenter ab usu in ea permaneat, ut contra Melanctonem demonstravimus; Si vetent canones ne in domibus privatis aut conficiatur, aut reservetur Eucharistia (ut dicemus suo loco;) Si jure Divino & Ecclesiastico quisque fidelis qui, ratione fruitur, teneatur ad communionem antequam exeat ex hac vita: pius sit oportet ac necessarius usus qui ab Ecclesiæ incunabulis obtinuit, nempe Eucharistiam in templis consecratam ad absentes, & ad infirmos deferendi.

AR-

ARTICULUS QUARTUS.

De festivitate in Christi corporis honorem instituta.

HIC dicemus 1. de ipso festo die instituto in honorem Corporis Christi. 2. de solemni circumgestatione ejusdem sacri corporis in publica processione. 3, agemus de illius expositione . 4. quæremus num ipsum ad restinguenda incendia deferre liceat .

§. I.

A quo, & quas ob rationes festivitas Corporis Christi instituta sit.

COnclusio 1. Festivitas corporis Christi ann. 1264. instituta fuit ab Urbano Papa IV. Non obtinuit tamen in omnibus Occidentalibus Ecclesiis ante annum 1311.

Probatur prior pars . Nullum de hocce festo decretum legitur editum ante ann. 1264 quo Urbanus Papa IV. die 8. Septembris bullam promulgavit , qua instituta legitur festivitas , do qua est quæstio ; bullam hujusmodi videre est lib. 3. Clement. Titul. cap. unico , *De reliquiis & vener. Sanct.*

Probatur altera pars conclusionis ex Durando Episcopo Mimatensi . Is in Rationali Divinorum officiorum, quod quidem conscribebat anno 1286. idest secundo supra vigesimum anno ab Urbani morte , is (inquam) ne verbum quidem facit de hocce festo , quamvis alia omnia intra anoum celebrari solita referat ac explanet ; Toto igitur in Occidente observatum est tantum post Concilium generale Viennense , quod in Galliis sub Clemente Papa V. annu 1311. celebratum est. Ea nimirum in Syoodo, Urbani Papæ IV. constitntio promulgata est, & a Clemente in juris Canonici corpus relata. Martinus Papa V. & Eugenius IV. eam postea confirmarunt, & auxerunt indulgentias , quas Urbanus Ecclesiasticis officiis per hujus festi octavas intersuturis impertitus fuerat. Cum vero proxime elapso sæculo festivitati hujusmodi , Sacramentarii & Lutherani oblatrarent , Sacrum Concilium Tridentinum, illius institutionem novo decreto confirmatam voluit.

Conclusio 2. Pia sunt ac religiosa momenta , quibus adductus Urbanus Papa IV. festivitatem corporis Christi instituit.

Probatur enumeratione illorum momentorum , quibus ad hujusce festi institutionem summi Pontifices adducti sunt.

1. Pontifices Maximos movit gratitudinis debitum ,quo Catholici omnes tenentur recolere immensam in nos charitatem , quam Christus Eucharistiam instituens pobavit : *In institutione bujus Sacramenti* (verba sunt Urbani Papæ) *dixit ipse Christus Apostolis , Hoc facite in meam commemorationem , ut præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii , quo nos dilexit , esset nobis hoc præcelsum , & venerabile Sacramentum, memoriale (inquam) mirabile ac stupendum, delectabile , suave , tutissimum, ac super omnia pretiosum, in quo innovata sunt signa , & mirabilia immutata ... Hujus memoriali debemus continuam celebrare memoriam, at illius, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus , semper memores existamus : quia cujus donum vel munus frequentius aspicitur, hujus memoria strictius retinetur.*

2. Conveniens fuit ut victoriæ , quam Ecclesia Catholica ex undecimi , & duodecimi sæculi hæreticis retulerat , permanens aliquod signum instituetur ; *Licet igitur* (ioquit jam laudatus Urbanus) *hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Missarum solemniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum , ut de ipso saltem semel in anno ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam , & insaniam, memoria solemnior & celebrior habeatur .*

3. Par fuit ut resarciendæ quotidianæ in Eucharistiam irreverentiæ quædam dies assignaretur, qua scilicet fideles ad hujusce Sacramenti cultum peculiariter excitarentur ; *Si nihil obstantibus festis Sanctorum* (verba sunt Urbani Papæ) *quæ quotannis celebrantur in Ecclesia , instituta est peculiaris solemnitas omnium sanctorum meritis consecrata , ut quidquid aliis in festis peccatum esset vel omissum, in illa resarciretur ; potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum Sacramentum corporis & sanguinis Jesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria & corona , ut festivitate ac celebritate præfulgeat speciali , quatenus in eo , quod in aliis Missarum officiis circa solemnitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur, & fideles festivitate ipsa instante , intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solemniis , secularibus forsitan agendis impliciti , aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene gesserunt , tunc attente in humilitate spiritus & animi puritate restaurent.*

Objicies . Urbanus Papa IV. sapientior non fuit cæteris summis Puntificibus, qui Ecclesiam Romanam ante ipsum rexerant: Ergo cum alii Pontifices Maximi peculiare festum io Christi corporis honorem non iostituissent , par non fuit ut ab ipso post tot sæcula institueretur. Confirmatur argumentum ex eo qnod non in fide tantum & moribus, sed etiam in ritibus antiquitati studendum sit: unde tempore Victoris Papæ hoc potissimum argumento Præsules Asiatici celebrationem Paschæ in quamcumque hebdomadæ feriam incideret , defenderunt , quod sic a suis majoribus celebratum fuisset.

Resp. 1. ante Berengarium non extitisse Christianos qui solemniter impugnarint Christi corporis veritatem in Eucharistia , ac proinde iis sæculis locum non habuisset potissima ratio , qua facta ab Urbano institutio nititur . 2. Plns æquo qnam adversarii velint probat argumentum , quod objiciunt ; probat nempe Græcis, quarto sæculo non licuisse festum nativitatis Domini nostri Jesu Christi instituere ; cum tunc temporis tantum Chrysostomo teste tom. 5. Serm. 31. in Christi natalem , Aotiochiæ prima illins institutio facta fit. Dicendum est igitur nihil quidem in fide & moribus asseri debere , quod antiquitate oon commendetur; Sed dispar est ratio de ritibus ; pro locorum enim & temporum varietate aut servari aut in alios mutari debent , cum id expedire Ecclesia judicaverit.

§. II.

De solemni circumgestatione corporis Christi in supplicatione publica.

SOlemnis circumgestatio corporis Christi in Eucharistia , multo magis hæreticis recentioribus stomachum movet quam festivitas , de qua paragrapho superiore dictum est. 1. Calvinus libro 4. Instit. capite 17. §. 37. sic ad eam alludens loquitur: *Nunc vero quo prætextu se Christum in illo pane honorare jactant , quam nullam habeant bujus rei promissionem? Consecrant hostiam (ut vocant) quam circumferant in pompa , quam spectandam , colendam, invocandam solemni spectaculo exhibeant .* 2. Cum Melancton ac sibi adhærentes Caroli V. *Interim* urgerentur, ut inter dies festos ab Ecclesia receptos , & hunc quoque , de Christi corpore , retinerent , causati sunt id fieri non posse , etiam non admissa Sacramenti circumgestatione ; satius est (inquiobant) habere sermonem de Eucharistiæ usu , quam processione in ejus honorem celebrare. Quæ tum Calvinus , tum Melancton hac in causa effutierunt , cohæret cum eorum principiis, cum enim ille contendat Christum nusquam esse corporaliter præsentem io Eucharistia, iste vero præsentiam astruat quidem, sed in usu tantum , mirum non est , quod tamquam idololatras tradncant eos , qui illnd populo adurandum cum pompa solemni circumgestant . De ea uero circumgestatione in processione publica unum quæremus , nempe a quo summo Pontifice, & quo sæculo instituta fuerit.

Conclusio 1. Urbanus Papa IV. institutor non est publicæ supplicationis , in qua Christi corpus solemniter circumgestatur.

Probatur 1. ex eo, quod in bulla, quæ incipit, *Tranfiturus*, ubi feftivitatis corporis Chrifti Urbanus Papa IV. meminit, ne verbum quidem habet de proceffione. 2. Peculiares indulgentias iis concedit, qui vel uni ex horis Canonicis, quas fpeciatim recenfet, interfuerint; nullas tamen iis annuit, qui interfuiffent proceffioni: 3. Authores, qui Urbano fupperes fuerunt, quique feftivitatem recenfent ab ipfo inftitutam, de proceffione penitus filuerunt; ut videre eft tum in Petro de Natalibus, qui feftivitatis meminit, filet vero do proceffione; tum etiam in S. Thoma, qui licet Urbani IV. juffu SS. Sacramenti officium compofuerit, proceffionem prætermifit omnino, eam tamen alioquin non prætermiffurus, cum res fit non levis momenti.

Conclufio 2. Nec a Martino Papa V. nec ab Eugenio IV. proceffio, in qua Chrifti corpus circumgeftatur, inftituta fuit.

Probatur. Martinus V. & Eugenius IV. de proceffione loquuntur quidem, ille in bulla quæ incipit, *Ineffabile Sacramentum*, data 26. Maji ann. 1429. ifte vero in fua conftitutione, *Excellentiffimo*, data die 26. Maji ann. 1433. fed ejus non meminerunt tamquam rei, quam de novo inftituerent; proindeque proceffio hujufmodi fuam illis non debet originem. Verifimile eft ritum illum cœpiffe poft Urbanum, fed ante Martini & Eugenii tempora; factitatum prius in aliquibus privatis Ecclefiis ex Epifcoporum & populi pietate, ufurpavit domum tota Occidentalis Ecclefia; nec mirum, ea enim quæ ad difciplinam fpectant, obtinent aliquando fine fcriptis legibus; ufurpata a privatis Ecclefiis fenfim fine fenfu poftea apud omnes invalefcunt. Efpenceus in fuo de Euchariftia libro conjicit proceffionibus illius ufum cœpiffe in Italia, ac deinde in alias orbis Chriftiani provincias invectum; nititur vero hac narratione, *Hiftoria* (inquit lib. 2.) *Mediolanenfis fic habet: Die Jovis 29. Maji anno 1404. Corpus Chrifti folemniter, ut poftea factitatum eft, per Papiam Urbem circumferri cœptum fuit, decem plus minus ceatum annis ante Concilium Conftantienfe, in quo creatus Pontifex Martinus V. indulgentias ab Urbano pro fefto datas, duplicans alias etiam addidit ejus fefti vigiliam jejunantibus, & in fefto communicantibus, & fequentibus eodem die Sacrameatum, & quando ad infirmum defertur, quas rurfum Eugenius IV. poft duplicavit*; Illius hiftoriæ Mediolanenfis authorem Efpenceus laudat Donatum Boffium.

Quæres 1. num in Ecclefia Latina nullum monumentum fit 13. fæculo antiquius pro circumgeftatione corporis Chrifti in proceffione publica.

Refp. 1. Gregorii Papæ I. tempore, in Ecclefiis Gallicanis Euchariftiam, peracto facrificio, delatam fuiffe folemniter ad oratorium Epifcopi, ad diem alium folemnem, quo iterum cum pompa deferebatur in templum; Rem Gregorio Magno æqualis Gregorius Turonenfi refert lib. 1. de gloria Martyrum cap 80. ubi ad eam confuetudinem alludens fic loquitur, *Dies paffionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagenfi vico civitatis Arverniæ ejus folemaia celebrabantur. Lecta igitur paffione cum reliquis lectionibus, quas canon Sacerdotalis invexit, tempus ad facrificium offerendum advenit, acceptaque turre Diaconus, in qua myfterium Dominici corporis babebatur, ferre cœpit ad oftium, ingreffufque templum, ut eam altari fuperponeret, elapfa de manu ejus ferebatur in aera, & fic ad ipfam aram accedens, numquam eam manus Diaconi potuit affequi, quod non alia actum credimus de caufa, nifi quod pollutus erat in confcientia; fæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admiffa.* Refp. 2. in Hifpaniarum Ecclefiis paulo poft Gregorii Turonenfis tempora morem obfervatum fuiffe, quo Chrifti corporis in proceffione circumgeftationi antiquitas (fecundum Efpenceum) conciliatur, hæc nimirum canone 5. tertiæ Synodi Bracarenfis habitæ circa annum 654. legere eft; *Bona quidem res eft, divina Sacerdotibus contrectare myfteria; fed cavendum ne hoc ad fuæ quifque pravitatis ufum detorqueat, unde foli Deo de bona confcientia placere debuerat. Ut enim deteftanda quorumdam Epifcoporum præfumptio noftro fe cœtui intulit dirimenda, quofdam ex iis agnovimus in folemnitatibus martyrum ad Ecclefiam progreffuros, reliquias collo fuo imponere, ut majoris apud homines faftus gloria intumefcant, & quafi fint ipfi reliquiarum arca, Levitæ albas induti, in fellulis eos deportant: Quæ deteftanda præfumptio abrogari per omnia debet, ne fub fpecie fanctitatis fimulata vanitas fola prævaleat, fi modum cujufque ordinis fuum reverentia non agnofcat; Et ideo antiqua hac in parte, folemnifque confuetudo fervabitur, ut in feftis quibufque diebus arcam Domini cum reliquiis non Epifcopi, fed Levitæ in humeris geftent, quibus & in veteri lege onus idem impofitum novimus effe præceptum. Quod fi Epifcopus reliquias per fe deportare elegerit, non a Diaconis ipfe vehatur in fellata, fed eo potius una cum populo pedeftri progreffione ad conventicula fanctarum Ecclefiarum procedente, fanctæ Dei reliquiæ per eumdem Epifcopum portabuntur; jam vero qui hac inftituta fciendo adimplere diftulerit, quando in officio fuerit, a facrificando ceffabit.* In eum Synodi Braccarenfis canonem obfervare eft 1. non novam cudi confuetudinem, fed antiquam, dempto tamen abufu, confirmari: 2. non agi de circumferendis Martyrum, fed Euchariftiæ reliquiis, cum quod de divinis myfteriis agatur, quorum nomine paffim Euchariftia intelligitur, tum etiam, quod reliquias, quas recenfet, *Arca Dei* contineri afferat, qua quidem voce nullus e veteribus ufus eft, ut vafculum, quo includantur Martyrum reliquiæ, fignificet.

Quæres 2. num in Ecclefia Græca fiat aliqua proceffio, qua Chrifti corpus circumgeftetur.

Refp. nullam apud Græcos fieri proceffionem, in qua Chrifti corpus circumgeftetur; nullius enim aut liturgiæ, aut Euchologiæ meminere; aliquid tamen Orientales obfervant, quod quamdam cum proceffionibus noftris fimilitudinem gerit; totius nimirum liturgiæ initio, recitatis pluribus fuper oblata precibus ea magno cum apparatu, e parvo altari ad maximum folemniter deferunt, *Et benedicti fumo incenfi diffufo fuper fancta munera*, (verba funt liturgiæ Chryfoftomi) *proficifcitur ad fanctam menfam Diaconus cum Sacerdote, & tribus vicibus fimul inclinans &c.* Totus populus ad genua provolutus, tunc Chriftum, non quidem præfentem, cum dona nondum fint confecrata, fed mox futurum, fupplex adorat: Catechumeni inclinato capite idem factitare mox jubentur in liturgia Bafilii, ubi hæc leguntur, *Diaconus; Orate fideles pro Catechumenis poftulantes, ut eis Dominus mifericors fit. Populus, Kyrie eleifon; Diaconus, Catechumeni, capita veftra Domino inclinate. Pontifex fecreto orationem Catechumenorum; Domine Deus nofter, qui in cœlis habitas, & refpicis in omnia opera tua, refpice in fervos tuos catechumenos, qui inclinaverunt cervices fuas in confpectu tuo: impone eis Domine leve jugum: fac eos membra Ecclefiæ tuæ, & idoneos eos fac lavacro regenerationis &c.*

§. III.

De publica corporis Chrifti expofitione.

QUÆ ad publicam Euchariftiæ expofitionem fpectant, ad hæc capita reducuntur; 1. Quæri poteft an pia fit praxis, qua Euchariftia confecrata nonnumquam omnium oculis exponitur; 2. Quo fæculo cœperit in Ecclefia factitari: 3. An frequens effe debeat. 4. Quo ritu profequi oporteat SS. Sacramentum palam expofitum.

Conclufio 1. Pia eft praxis, qua nonnumquam venerabile Sacramentum, omnium oculis exponitur.

Probatur. Ubique apud Occidentales ritus aliquibus abhinc fæculis invaluit SS. Sacramentum omnium oculis nonnumquam exponendi; pie igitur invectus eft ille ritus, cum Ecclefia fit veritatis columna & firmamentum.

Conclufio 2. Publica SS. Sacramenti expofitio, proceffioni in qua circumgeftatur, fuam habet originem.

Probatur 1. Antequam corporis Chrifti proceffio inftitueretur, nullibi legitur omnium oculis expofitum fuiffe. Neminem latet ipfum fuiffe fubductum

Cate-

Catechumenis, & pœnitentibus, quandiu artificiales Catechumenorum & Pœnitentium Classes fuerunt in usu; jubebantur nimirum e templis discedere antequam missa fidelium inciperet; ipsi etiam fideles apud Græcos nusquam illud intuentur, nisi cum facta consecratione, a Sacerdote proponitur adorandum. 2. Publica expositio corporis Christi tunc tantum in usu esse cœpit, cum primum adhibita sunt tabernacula portatilia, quæ vulgo Ostensoria dicuntur, quæque Monstrantiæ a Concilio Coloniensi an. 1452. celebrato vocantur; Ea vero tabernacula ante trecentos ab hinc annos in usu non fuisse omnes conveniunt, sed quo præcise tempore adhiberi cœperint, vix potest determinari.

Conclusio 3. Ut frequens sit Eucharistiæ expositio, variæ conditiones requiruntur.

Probatur enumeratione illarum conditionum. 1. Oportet ut causa gravis urgeat, quæ scilicet ad publicum bonum, religionis nempe conservationem pertineat, *Ne quavis causa Eucharistia palam, & aperte exponatur* (inquit S. Carolus Borromæus in XI. sua Synodo diœcesana) *sed publica tantum, eaque gravi, aliis vero de causis orationem licebit instituere, sed non Sacramento aperte exposito*. Idem in Synodo Provinciali Mechliniensi sub Pio Papa V. anno 1570. statutum est, *Sacrosancta Eucharistia* (inquit capite 7.) *pie, & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis supplicationibus defertur, potissimum vero in festo sacro Christi corpori proprie consecrato, ejusque octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non nisi in arduis causis pacis aut publicæ necessitatis: in illius autem processionibus ad quas populus non tam orandi, quam spectandi gratia confluere solet, abstineatur: in communibus autem supplicationibus circumgestari poterunt sanctorum reliquiæ*. In Comitiis generalibus Cleri Gallicani ann. 1525. & 1635 publicam causam ad Eucharistiæ expositionem requiri decretum est.

2. Palam exponi non potest venerabile Sacramentum sine expressa Episcopi diœcesani facultate; Eam nimirum conditionem non semel præscripserunt statuta Synodalia variarum provinciarum, Comitia generalia Cleri Gallicani, quibus Ludovicus Magnus Gallorum Rex tamquam constitutionum Ecclesiasticarum defensor robur addidit; Siquidem ex sanctiore ejus Consilio anno 1665. decretum exiit, quo prohibetur ne Sacerdotes tum sæculares tum regulares ineant contractus ad fundationes quibus certis diebus SS. Sacramentum exponere teneantur, nisi id causa publica, quæ prius a loci Ordinario probata sit, requirat; decretum vero sic Latine reddidit Merbesius Summæ Christianæ tertia parte; *Plurimi privata sua authoritate peculiaris cujusdam cultus studio suscipiunt, & accipiunt fundationes, quibus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum suis in Ecclesiis in aperto, & propatulo exponere teneatur. Quod quidem debitam tanto Sacramento reverentiam imminuit, & clevat. Ad coercendam hujusmodi licentiam, plenissime vetamus illud ipsum Sacramentum adopertum altari exponere, & in processionibus circumferre præterquam eo tempore quo Ecclesia officium corporis Christi celebrabit, vel iis diebus, quibus fideles incumbent in extraordinarias orationes susceptas pro causa publica, eaque ab Episcopo approbata; ita ut facultati ab ipso factæ prædicta expositio accepta referatur. Præterea non licebit deinceps Sacerdotibus, sive sæcularibus, sive regularibus qualicumque privilegio gavisis inire contractus aut conventiones, quibus sanctissimum Sacramentum adopertum exponere teneantur, aut admittere fundationes in eum finem factitatas, nisi illas Episcopus Diœcesanus suo mandato, vel consensu ratas habuerit*.

3. Ut frequens fiat expositio, necesse est, ut ita ferat laudabilis consuetudo, quæ nimirum, post Episcopi judicium, augendæ fidelium pietati conferat. Confirmari potest ea conditio ex regula, quam Sanctus Augustinus Epist. 118. ad Januarium his verbis tradit, *Totum hoc genus rerum, quæ per loca terrarum, regionesque variantur, liberas habet observationes; nec disciplina est in iis melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesia ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur societate servandum est*.

Juenin de Sacram.

Conclusio 4. Multa requiruntur, quibus venerabile Sacramentum palam expositum prosequi oporteat.

Probatur enumeratione. 1. Requiritur ut altaria, in quibus SS. Sacramentum exponitur, honeste ac decenter ornentur, *Quod* (inquit Sanctus Carolus in Concilio quarto Mediolanensi (*ut cum dignitate decore, religioseque agatur; altaris, vel capellæ, ubi exponetur* (SS. Sacramentum) *ornatus decens sit ac religiosus*.

2. Necesse est ut plures cerei in altari coram SS. Sacramento perluceant; quinam vero debeat esse cereorum numerus, una ratione non est ubique definitum. S. Carolus in quarto Concilio Mediolanensi huncce numerum præfigit, *Cerei præterea in altari accensi, ad summum, decem, minimum vero, sex, decenti crassitudine ac longitudine colluceant. Lampades item ne plures, quam duodecim, aut tredecim, nec vero pauciores quam tres. Licebit tamen Episcopo ob causas permittere, ut major luminum numerus aliquando adhibeatur*. Sed observatum velim eo loci Sanctum Carolum agere de expositione, quæ fiat iis diebus quibus quadraginta horarum oratio celebratur; alio enim tempore tantum cereorum ac lampadum numerum S. Præsul non requisiit. In pagis, & vicis ob locorum paupertatem nonnullis Episcopis visum est satis esse ut duo cerei in altari coram SS. Sacramento ardeanr.

3. Meminerint fideles, eos ritus externos adhiberi quidem, ut debitus Deo cultus exhibeatur, sed præterea ut ad fidem, ac pœnitentiam excitentur, Presbyteri dent operam oportet ut quisque situ ac modestia quam præseferat exterius, internam erga SS. Sacramentum reverentiam testetur.

§. IV.

Num ad restinguendum incendium Christi corpus deportari debeat?

Conclusio. Non extant monumenta, quibus probetur licere Eucharistiæ deportationem ad restinguenda incendia: imo nonnulla sunt, quibus hujusmodi deportationem probetur non expedire.

Probatur prima pars. Nulli omnino sunt canones, qui deportationis hujusmodi meminerint, quam tamen, utpote maxime utilem, & cujus sæpe daret se occasio, non prætermisissent omnium gentium Episcopi, qui de Eucharistia tum in Conciliis, tum in libris ritualibus tam multa dixere.

2. Nonnulla quidem exempla proferuntur, quibus constat a viris, alioquin piis, ad incendia extinguenda Eucharistiam deportatam fuisse; Legimus nimirum (Merbesio teste in Chronico Episcoporum Albigensium, & Abbatum Castrensium tempore Geraldi XVIII. Castriorum Abbatis, qui vivebat anno 1090. oblato Christi corpore extinctum esse incendium, quod igne cœlitus delapso Monasterium Castrense corripuerat, ut narratur Tomo 7. Spicilegii D. Lucæ d'Acheri p. 34. Idem contigit (ait mox laudatus Merbesius) die 31. Julii ann. 1638. quo Antissiodorum grassante incendio conflictatum est; Sed quæ nonnulli ex extraordinario S. Spiritus impulsu factitarunt, in regulam, & exemplum trahi non debent, alioquin enim liceret sacrum corporale in flammas injicere quo compescantur; quod tamen sub anathematis pœna prohibet Salegunstadiense Concilium celebratum anno 1023. sic enim loquitur, can. 6. *Conquestum est etiam in sancto Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, ut quando incendium videant, corporale Dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem projiciant; Ideoque decretum est sub anathematis interminatione, ne ulterius fiat*.

Probatur altera conclusionis pars. 1. SS. Sacramentum ad triplicem tantum finem institutum est, ut fidem exerceat nostram; ut in eo Christus Deo Patri offeratur in sacrificium; ut per esum sui, animas

nostras nutriat ac corroboret. De cæteris finibus silent tum Scriptura tum Patres.

2. Vetant Ecclesiasticæ leges ne deportetur ad arcendas imminentes tempestates, *Cum nimbi* (inquit S. Carolus in tertio Concilio Mediolanensi) *procellæ, turbines, aut grandines impendent; ne Sacerdos ad tempestatis procellam arcendam vasculum adhibeat, in quo sanctissimum Eucharistiæ sacramentum asservatur. Sed tabernaculum, ubi illud in altari reconditur, patefaciat: tumque in ejus conspectu litanias, aliasque religiosas preces, ejus rei causa institutas, pie, sancteque pronuntiet*. Ergo non probasset, ut deferretur ad restinguenda incendia; eadem enim procellæ, ac incendiorum videtur esse ratio.

3. Licet nonnumquam ad Eucharistiæ præsentiam, incendia extincta sint; contigit tamen aliquando, & iterum contingere potest, quod incendia extincta non fuerint, & quod non sint extinguenda; Tunc vero nonnihil fidei, & pietatis erga SS. Sacramentum detrahitur in mulierculis, cæterisque qui nonnumquam de rei sanctitate ex miraculis judicant; tunc etiam hæreticorum, & perditorum quorumdam exponitur ludibrio.

4. Periculum est ne deportatio Eucharistiæ ad incendia extinguenda, illicita sit Dei tentatio, de qua hæc habet S. Thomas 2. 2. quæst. 97. art. 1. in corpore, *Homo tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis; verbis, quando Deo colloquimur orando: Unde in sua petitione expresse aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid a Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem, vel voluntatem. Factis autem expresse aliquis Deum tentat, quando per ea, quæ facit, intendit experimentum de Deo sumere divinæ potestatis, sive pietatis, aut scientiæ, Sed quasi interpretative Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit, vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem. Quando ergo propter aliquam necessitatem, seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim in 2. Paralip. cap* 20. Cum ignoramus quid agere debeamus; hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te: *Quando vero hoc agitur absque necessitate, & utilitate, hoc est interpretative Deum tentare; unde super illud Deuteronomii 6.* Non tentabis Dominum Deum tuum, *dicit glossa*, 6. Deum tentat qui habens quod facit, sine ratione committit se periculo, experiens utrum possit.

CAPUT QUARTUM.

De accidentibus Panis, & Vini, quæ, facta Transubstantiatione, remanent in Eucharistia.

DE accidentibus panis, & vini quæri potest 1. utrum facta consecratione remaneant: 2. in quo posita sit eorum natura. 3. utrum ex iis per alterationem, aliqua substantia produci possit.

Conclusio 1. Accidentia panis & vini, post consecrationem, in Eucharistia sine subjecto remanent.

Probatur 1. ex Conciliis. Lateranensi sub Innocentio Papa III. cap. 1. definitum est *verum Christi corpus, & sanguinem in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter contineri*: a Concilio Constantiensi proscriptus fuit hic Vvicleffi articulus, *Accidentia panis non remanent sine subjecto in Sacramento altaris*. Concilii Tridentini Sess. 13. can. 2. Ii damnantur anathemate qui negaverint *mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem* MANENTIBUS DUMTAXAT SPECIEBUS *panis, & vini*.

Probatur 2. ratione. Propria experientia docemur panis ac vini quantitatem, colorem, saporem, post consecrationem in Eucharistia remanere. Præterea fide certum est nullam omnino superesse substantiam, cui, facta consecratione, inhæreant eæ qualitates, quas Concilium Constantiense *Accidentia* panis & vini, Tridentinum vero *Species* appellat: Ergo absque ullo subjecto remanent.

Quæres 1. utrum Conciliis Lateranensi, Constantiensi, Tridentino, definitum fuerit omnia accidentia Eucharistica sine omni prorsus subjecto remanere.

Resp. 1. iis Conciliis definitum quidem fuisse omnia accidentia Eucharistica remanere sine subjecto *substantiali*, idest sine substantia panis, & vini, non vero sine subjecto *accidentali*; neque enim damnarunt Thomistas, qui saporem, gravitatem, colorem panis & vini in quantitate superstite tamquam in subjecto immediato remanere contendunt. Resp. 2. quæstionem esse de nomine, si vera sit eorum Philosophorum doctrina qui asserunt corporum qualitates, quas accidentia dicimus, non esse aliquid realiter, & objective distinctum a quantitate; seu qui contendunt colorem, saporem esse ipsammet panis, & vini quantitatem, quæ, cum lucem reflectit, efficit colorem, cum sensuum organa hoc vel illo modo movet propter diversam suarum partium configurationem, hujus vel illius sensationis est occasio.

Quæres 2. in quo posita sit natura accidentium, quæ post consecrationem in Eucharistia remanent.

Resp. quidam recentiores Philosophi, nec accidentia, saporem nempe, colorem, nec ipsam etiam quantitatem esse aliquid, quod ex parte objecti, seu a parte rei existat, sed esse modificationes in sensibus factas immediate a Deo, qui ad occultandum transubstantiationis miraculum, eodem modo per se ipsum movet sensuum organa, ac si panis & vini substantiæ adessent; unde ii philosophi immediatum carnis Christi contactum in Eucharistia dari contendunt: Id vero sibi videntur probare 1. ex Chrysostomo qui homil. 83. sic loquitur, *Quot modo dicunt, vellem formam, & species ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre; Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta ejus desideras videre; ipse vero se ipsum tibi tradit, non ut videas solum ipsum, verum etiam ut tangas, & in te habeas*. Idem probare 2. sibi videntur ex Berengarii confessione in Concilio Romano sub Nicolao Papa II. Ea nimirum confessione Berengarius professus est, *verum Christi corpus, & verum ejus sanguinem sensualiter manibus Sacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri*.

Sed sic opinantium responsio graves patitur difficultates. 1. Cum Eucharistia sit Sacramentum permanens, necessario requiritur ut constet ex duabus rebus quæ simul permaneant, & quarum, saltem una, sit sensibilis. 2. Si species ex parte hostiæ consecratæ, nihil essent reale, grave sequeretur absurdum; nempe, quod cum hostia consecrata in varias partes frangitur, hujusmodi fractio cum realis sit, in ipsummet Christi corpus fiat, nihil enim aliud præter ipsum in adversariorum suppositione, reale esset, in quod posset fieri. Sed id perabsurdum est, quippe quod Augustinus cæterique Patres pro flagitio habuerunt Eucharistiæ manducationem in qua Christi corpus dilaniaretur, ac modo Capharnaitico dentibus attereretur. 3. In hostia consecrata vermes nonnumquam generantur, ut inferius experientia probabitur: Ergo in ea remanet aliquid, cujus corruptio illi generationi causam præbeat; Id vero non est corporis Christi substantia, cum nulli omnino corruptioni subjaceat; non est quoque substantia, panis cum post consecrationem non supersit: Ergo est aliquid reale, quod ante consecrationem simul cum pane existebat. 4. Patres, qui contra Eutychianos disputarunt, supposuerunt in Eucharistia remanere post consecrationem aliquod ens physicum, & reale a Christi corpore distinctum; eo nimirum principio nixi, argumentati sunt ut probarent duplicem in Christo naturam, etiam post unionem remansisse: *Qui enim* (inquit Theodoretus dialogo 1. quem *Impatibilis* inscripsit) *corpus naturale, frumentum, & panem appellavit, & vitem rursus se ipsum nominavit, is visibilia symbola corporis, & sanguinis appella-*

pellatione honoravit, non naturam mutans (Symbolorum) *sed naturæ gratiam*(substantialem, nempe per corporis præsentiam) *addeas*. Ergo a pari (concludit Theodoretus) nec Verbum assumens naturam humanam, mutavit eam in sui substantiam (ut docebant Eutychiani) ac proinde humana natura in Christo, etiam post unionem, remansit.

Quæ vero ex Chrysostomi authoritate, & ex confessione Berengarii celebres illi Philosophi proferunt, maximi non videtur esse ponderis: Siquidem propter intimam, & mirabilem specierum cum corpore Christi conjunctionem communicatio idiomatum aliquo modo locum habet in Eucharistia, ita ut actiones externæ quæ fiunt circa species, tribuantur rebus quæ sub iis continentur; quemadmodum (servata debita proportione) quæ humanæ tantum naturæ proprie conveniunt, de Filio Dei propter unionem hypostaticam dicuntur.

Conclusio 2. Ex speciebus Sacramentalibus aliqua substantia vere, & proprie produci potest.

Probatur experientia, qua compertum est ex humidis panis consecrati speciebus produci nonnumquam vermes, superstites esse post illarum combustionem cineres, & acetum post specierum vini corruptionem remanere; Ex præsupposito igitur aliquo subjecto fiunt, non quidem substantiali (ut fides docet:) Ergo accidentali.

Nec valet eorum responsio qui contendunt generationes illas non fieri ex accidentalibus Eucharisticis, sed ex aere circumstante. Nam 1. nulla fit alteratio in aere vicino, ac proinde ex eo nulla potest fieri generatio. 2. Ex aere qui passus sit alterationem, nec vermes, nec cineres generari solent. 3. Similis accideret generatio, etiamsi in vase vitreo aut aureo species consecratæ concluderentur.

Non est pariter admittenda singularis Guitmundi & Algeri, qui contra Berengarianos scripserunt, sententia, qua scilicet asseritur alterationem aut generationem quæ in speciebus Sacramentalibus nonnumquam videntur, non esse reales, sed imaginarias tantum, seu non se tenere ex parte objecti, sed esse tantum in oculis aut imaginatione eorum, qui species aspiciunt; *Mihi equidem* (inquit Guitmundus libro 2. de corpore Domini) *Sacramenta hæc nequaquam a muribus, vel aliquibus brutis animalibus videntur posse corrodi: Quod si aliquando velut corrosa videantur, quod tunc de hortulano, de peregrino vel leproso diximus; respondere potest, idest, non esse corrosa, sed vel ad puniendum seu corrigendum ministrorum negligentiam, vel ad probandum eorum qui sic viderunt, fidem, in tali specie posse videri*. Ea (inquam,) sententia admitti non debet, cum Thelogis passim adversetur, nec aliquo fundamento nitatur.

Quæres utrum productiones, quæ ex speciebus consecratis fiunt, sint generatio, vel conversio proprie dicta?

Respondent nonnulli Scholastici eam productionem esse generationem proprie dictam; eo quod (inquiunt) forma vermium, aut aliorum hujusmodi, educatur ex materia quam, panis consecrati corruptis speciebus, Deus de novo creat ac corpori Christi substituit. Alii volunt eam productionem esse veram conversionem; contendunt nempe panis quantitatem aut (secundum Nominales) quantitatem accidentium, per miraculum converti in illorum compositorum substantiam, de quibus est quæstio.



QUÆSTIO QUINTA.

De Ministro Eucharistiæ.

EUcharistia considerari potest vel ratione consecrationis, seu confectionis, vel ratione dispensationis. Cum agemus de Eucharistia prout est sacrificium, expendemus quis minister eam conficere, sive consecrare possit; hic igitur solum erit quæstio de ministro, penes quem est illius dispensatio; isque cum vel ordinarius sit vel extraordinarius, operæ pretium est ut de utroque disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De Ordinario dispensandæ Eucharistiæ ministro.

COnclusio. Soli Episcopi, & Sacerdotes sunt ordinarii dispensandæ Eucharistiæ ministri.

Probatur 1. Postquam Paulus primæ ad Corinth. 4. Episcopos, & Presbyteros appellavit Christi ministros, eosdem statim appellat dispensatores mysteriorum Dei *Sic nos* (inquit) *existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Licet autem Dei mysteriorum nomine quæque Sacramenta intelligantur, præcipue tamen Eucharistia intelligitur, cum inter ea principem teneat locum.

2. Ad eos tantum jure Divino Eucharistiæ dispensatio spectat, qui eam jure Divino conficiunt, cum confectio ex se ad dispensationem referatur. Atqui soli Episcopi, & Presbyteri Divino jure Eucharistiam consecrare possunt (ut suo dicemus loco;) Ergo &c.; Eam rationem his verbis exprimit S. Thomas 3. parte quæst. 82. artic. 3. ubi sic loquitur, *Ipse* (Sacerdos) *consecrat in persona Christi: Ipse autem Christus sicut consecravit corpus suum in cæna, ita, & aliis sumendum dedit: unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio*.

3. Hæc ait Concilium Tridentinum Sess. 3. cap. 8. (Semper in Ecclesia mos fuit ut Laici a Sacerdotibus (saltem apud Occidentales) communionem reciperent;) At ex ea constanti, & perpetua consuetudine evincitur Episcopos, & Sacerdotes ex officio, seu vi suæ ordinationis, Eucharistiam dispensare; ac proinde ordinarios esse illius ministros.

4. Solos Apostolos, legitimosque eorum, tum in Episcopatu, tum in Sacerdotio successores Christus alloquebatur, cum de Eucharistia quam mox eis distribuerat, hoc edixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quasi dixisset: Hoc vobis do in mandatis ut, tum in confectione, tum in distributione Eucharistiæ meipsum imitemini, seu facio vobis facultatem, & simul injungo ut Eucharistiam, & conficiatis, & distribuatis, quemadmodum me & conficientem, & dispensantem vidistis.

CAPUT SECUNDUM.

De extraordinariis Eucharistiæ dispensandæ ministris.

HOC in articulo dicemus 1. de antiqua, & hodierna Diaconorum tum in Ecclesia Græca, tum in Latina, ad Eucharistiam dispensandam potestate. 2. de jure, quod Laicis in eam committi potest.

ARTICULUS PRIMUS.

De antiqua, & hodierna Diaconorum tum in Ecclesia Græca, tum in Latina ad Eucharistiam dispensandam potestate.

COnclusio 1. Diaconi quondam tum in Ecclesia Græca, tum in Latina Eucharistiam dispensarunt.

Probatur prior pars. 1. Constans est Patrum traditio Diaconos quos Actorum 6. capite Apostoli elegerunt, Eucharistiæ mediis in conviviis dispensandæ propositos fuisse ab ipsis Apostolis, *Considerate ergo, Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto quos constituamus super hoc opus*, seu mensarum ministerium, de quo superiore versiculo Lucas dixerat. 2. Justinus Martyr in altera quam pro Christianis apologia conscripsit, morem de quo agitur, in Oriente sæculo secundo servatum fuisse his verbis testatur,

ſtatur, *Diſtributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ ſunt actæ, cuique præſenti, abſentibus autem per Diaconos mittitur*. 3. Concilium Nicænum primum, ineunte quarto ſæculo antiquam illam Orientalium praxim confirmat cannoe 18. ubi (Dionyſio exiguo interpiete) hæc habentur, *Pervenit ad ſanctum magnumque Concilium, quod in quibuſdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam ſacræ communionis Diaconi porrigant, quod nec regula, nec conſuetudo tradidit, ut ab his qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti corpus accipiant. Nec non, & illud innotuit, quod quidam Diaconi ante Epiſcopos ſacra oblata contingant. Hæc igitur omnia reſecentur, & in ſua Diaconi menſura permaneant, ſcientes, quod Epiſcoporum quidem miniſtri ſunt, inferiores autem Presbyteris habentur. Per ordinem ergo poſt Presbyteros gratiam ſacræ communionis accipiant, aut Epiſcopo eis aut Præsbytero porrigente:* Diaconi eo canone prohibentur, ne Presbyteris cum Epiſcopo concelebrantibus ac Diaconis Euchariſtiam diſpenſare præſumant; de cæteris vero filet omnino canon; uode ſequitur, & ante, & poſt Concilium, Laicos a Diaconis communionem apud Orientales accepiſſe.

Probatur altera concluſionis pars, nempe Diaconos apud Latinos Euchariſtiam antiquitus fidelibus diſtribuiſſe; 1. ex lib. 8. Conſtitutionum quæ Clementi Papæ tribuuntur, *De Chriſmatis, & Ordinationibus & canonibus Eccleſiaſticis*, capite 38. ubi hæc loguntur, *Oblatione vero ab Epiſcopo aut Presbytero facta, ipſe Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, ſed tamquam qui miniſtrat Presbyteris:* 2. ex authore libri de Divinis officiis quem Alcuinum dicunt; In capite jeiunii hæc habet, *Si neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem ac det ſanctam communionem.*

Hic velim lector obſervet Patres, Concilia, de quibus hactenus, nulla ratione diſtinguere inter Chriſti corpus ſub ſpecie panis, & ejus ſanguinem ſub ſpecie vini, cum agunt de facultate Diaconorum in Euchariſtiam; unde dicendum eſt alium morem ſæculo 13. invaluiſſe, cum S. Thomas 3. part. quæſt. 82. art. 3, hæc ſcribebat, *Ad primum ergo dicendum quod Diaconus quaſi propinquus ordini Sacerdotali aliquid participat de ejus officio* (in quantum nempe præ cæteris miniſtris aptius, & convenientius ab Eccleſia delegatur) *ut ſcilicet diſpenſet ſanguinem, non autem corpus, niſi in neceſſitate jubente Epiſcopo vel Presbytero*, quibus quidem verbis S. Doctor innuere videtur, Diaconos apud Occidentales diſpenſaſſe ſacrum calicem etiam extra neceſſitatem, & ſine ſpeciali Epiſcopi vel Presbyteri mandato.

Quæres 1, utrum io Euchariſtiam fidelibus diſtribuendam par eſſet in utraque Eccleſia, Latina ſcilicet, & Græca, Diaconorum jus, & poteſtas.

Reſp. negative. Nam 1. in Eccleſia Græca Diaconi ſolemniter, & in publicis ſynaxibus Euchariſtiam fidelibus diſtribuere ſolebant; ea nimirum praxis ex Juſtino, Concilio Nicæno jamjam relatis non obſcure colligitor; E contra in Eccleſia Latina, eam publicis in conventibus oon diſpenſabant; *Euchariſtiæ Sacramentum* (inquit Tertullianus lib. de Corona militis) *nec de aliorum manu, quam de præſidentium ſumimus*, Diaconi vero paſſim Chriſtianorum cœtibus non præſidebant, ſed taotum Epiſcopi aut Presbyteri. 2. Apod Orientales (ut ex laudatis ſuperius locis patet) Diaconi, etiam ubi Presbyteri aderant, Euchariſtiam Subdiaconis, minoribus Clericis, & Laicis porrigebaot. Apud Occidentales vero non niſi cum Epiſcopus, & Presbyter aberant, aut ſaltem erant impediti, *in Secretario Diacono inter Presbyteros ſedere non licet* (inquit can. 15. Concilii ſecundi Arelatenſis celebrati anno 452.) *vel Corpus Chriſti, præſente Presbytero, tradere non præſumat. Quod ſi fecerit, ab officio diaconatus abſcedat*. 3. Diaconi Græci paſſim extra neceſſitatis caſum SS. Sacramentum erogabant. Latini vero non niſi urgente neceſſitate, *Si neceſſitas evenerit* (ait Alcuinns) *Diaconus det ſanctam communionem*. 4. Apud Græcos Diaconis opus oon erat Epiſcopi aut Presbyteri ſpeciali mandato ut Euchariſtiam diſtribuerent, jure enim communi, licet per commiſſionem, ea poteſtate fruebantur ut ex can. 18. Nicæni primi Concilii demonſtratum eſt ſuperius; Apud Latinos autem etiamſi neceſſitas urgeret, id non poterant niſi ſpecialiter a Presbytero; ſi tamen adeſſet, juberentur, *Ut Diaconus* (ait IV. Concilium Carthag. can. 38. *præſente Presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.*

Quæres 2. utrum Diaconi, aut alii miniſtri, cum Euchariſtiam diſtribuebant, eam ori fidelium infunderent, an vero traderent in mauus?

Reſp. Diaconos cæteroſque miniſtros Euchariſtiam tradidiſſe in manus fidelium; Idque probatur 1. ex Cyrillo Hieroſolymitano qui Catecheſi v. Myſtagogica hæc habet, *Accedens ad communionem non expanſis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quamdam ſubjiciens dextræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe corpus Chriſti dicens, Amen*. 2. Idem evincitur ex Baſilio qui in epiſtola ad Cæſariam Patriciam hæc ait, *Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam cum omni libertate is qui accepit, & ſic ori admovet propria manu*. 3. Idem habetur ex Ambroſio qui ſic apud Theodoretum lib. v. hiſt. cap. 17. affatus eſt Theodoſium poſt cædem Theſſalonicenſem, *Qui quæſo, manus injuſta cæde, & ſanguine reſperſas extendere audes, & eiſdem ſacro-ſanctum Corpus Domini accipere? aut quomodo venerandum ejus ſanguinem ori admovebis qui furore iræ jubente tantum ſanguinem tam inique effudiſti?*

Hic monendus eſt lector in ſuſceptione Euchariſtiæ inter viros, & mulieres, hoc extitiſſe diſcrimen in Occidente, quod viri nuda manu mulieres vero ſubjecto linteolo, quod *Dominicale* dicebatur. *Non licet mulieri* (inquit Concilium Antiſſiodorenſe can. 36. *nuda manu Euchariſtiam accipere*, ejuſdem moris jam antea obſervati teſtis eſt Auguſtinus Serm. 252. *de tempore*, ubi hæc ſcribit: *Mulieres quando nitidum exhibent linteolum ubi Corpus Chriſti accipiant, ſic corpus caſtum, & cor mundum exhibeant*. Ejuſmodi conſuetudinem obtinuiſſe pariter apud Orientales teſtis eſt Maximus, egregius propugnator Catholicæ veritatis adverſos Monothelitas, quique claruit circa annum Domini ſexcenteſimum quinquageſimum, hæc enim ait apud Baronium ad annum Chriſti 51. *Omnes viri qui communicare deſiderant, prius lavent manus ſuas ut mente pura, & nitida conſcientia, Chriſti Sacramenta ſuſcipiant; Similiter, & mulieres nitida exhibeant linteamina ubi corpus Chriſti accipiant pura mente, & munda conſcientia*. Tempore quo habita eſt Synodus Quini-ſexta nonnullos reperire erat, qui ſub pietatis obtentu vaſcula quædam pretioſa exhiberent, quibus exciperent Euchariſtiam. Orientales Epiſcopi in eos animadverterunt laudatæ Synodi can. 101. ubi ſic loquuntur, *Corpus Chriſti, & templum, hominem ad imaginem Dei creatum divinus magna voce appellat Apoſtolus. Omnem ergo ſenſibilem creaturam ſuperans, is qui ſalutari paſſione cœleſtem dignitatem eſt aſſecutus, Chriſtum bibens vel comedens, æterna vitæ adaptatur; animam, & corpus divinæ gratiæ participatione ſanctificans. Quare ſi quis immaculati corporis in ſynaxis tempore eſſe particeps voluerit, & offerre ſe ad communionem, manus in crucis formam figurans ſic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui ex auro vel ex alia materia, quædam, loco manus, receptacula efficiant ad divini muneris ſuſceptionem, & per ipſa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam ſubjectamque materiam Dei imagini præferant. Si quis autem deprehenſus fuerit immaculatam communionem iis impertiens, qui ejuſmodi receptacula afferunt, & ipſe ſegregetur, & is qui affert*. Eo canone mulieres viris non æquantur, quaſi nuda manu Euchariſtiam excipere, ut viri ſolebant, jubeantur; ſed abuſus tollitur, quo nimirum pleriqoe tum viri tum mulieres non manum offerrent, ſed receptacula, quibus Euchariſtiam exciperent.

Concluſio 2. Si neceſſitas urgeat, Diaconi etiam his temporibus, Euchariſtiam fidelibus diſpenſare poſſunt,

Probatur 1. Canones diſpenſationem Euchariſtiæ Diaconis non prohibent, niſi cum adſunt, & Epiſcopus

pus & Presbyter, & non urget necessitas, ut patet ex altero Concilio Arelatensi, & quarto Carthaginensi, quorum textus supra laudati sunt: E contra cum absunt Episcopus, & Presbyter, & urget necessitatis casus, iidem canones Diaconis indulgent, ut Eucharistiam distribuant. *Si necessitas evenerit* (inquit Alcuinus) *& Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat pœnitentem, & det sanctum communionem*. Ii vero canones nullo posteriore, nullaque consuetudine contraria in non usum abierunt; proindeque Diaconi, urgente necessitate, antiqua delegata facultate potiuntur.

Caput Secundum.

Num Laicis Eucharistiæ dispensatio quondam commissa sit, & nunc etiam committi possit?

Conclusio 1. Ex Ecclesiæ indulgentia minores Clerici, & Laici quondam aliis, & sibi Eucharistiam privatim administrarunt.

Probatur prior pars ex Martyrologiis Bedæ, Adonis, Uiuardi, in quibus hanc historiam legere est, *Romæ via Apia in Cæmeterio Callisti, natale S. Tharsitii Acolythi, & martyris, quem Sacramenta corporis Domini deferentem pagani cum reperissent, cœperunt disquirere, quid gereret. Is indignum ratus margaritas porcis, hoc est, discussoribus prodere, ab eis tamdiu fustibus & lapidibus mactatus est, donec spiritum exhalavit: ut evoluto ejus corpore sacrilegi, nihil Sacramentorum Domini in ejus manibus aut vestibus invenientes, eo relicto fugerunt cum terrore*. Passus est vero Tharsitius octava persecutione sub Valeriano, & Galieno Imperatoribus; cum ergo sæviret persecutio, Acolyti, absentibus Presbyteris, & Diaconis, Eucharistiam fidelibus largiebantur.

Probatur altera pars, nempe Laicos olim Eucharistiam, urgente necessitatis casu, dispensasse, ex Dionysio Alexandrino, qui apud Eusebium lib. 6. histor. cap 44. refert Eucharistiam Serapioni seni traditam fuisse a puero, quem Presbyter ad eum miserat, cum ipse præ infirmitate, qua detinebatur, eum convenire non potuisset; asserit laudatus Pater puerum illum senis ori Eucharistiam, sed prius aquam delibutam infudisse manu propria.

Probatur tertia pars, scilicet Laicos sibi ipsis alias sacram communionem impertitos fuisse, 1. ex usu qui dum sæviret persecutio, obtinuerat, tunc nimirum Laici acceptum de Sacerdotum aut Diaconorum manibus panem consecratum, privatas in domos deferebant, ut eo sacro cibo quotidie se contra tyrannos munirent. De ea consuetudine extant plurima Patrum testimonia; Eam Tertullianus supponit, cum enumerans incommoda matrimonii viri gentilis cum muliere Christiana, istud recenset lib. 2. ad uxorem capite 5. *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? Etsi sciverit panem non illum credit esse qui dicitur. Et hæc ignorans quisque, rationem simpliciter sustinebit, sine gemitu, sine suspicione panis, an venens*.

2. Idem ostenditur, ex Basilio; quo teste, sedata etiam gentilium persecutione, Laici in Oriente seipsos communicare soliti erant, *Persecutionis temporibus* (ait in Epistola ad Cæsariam Patriciam) *necesse autem habere aliquem si non adsit Sacerdos, communionem propria manu sumere, minime esse grave, est supervacaneum ostendere? propterea quod longa consuetudine etiam per res ipsas probetur. Omnes enim, qui sunt in desertis monachi, ubi non est Sacerdos, illic habentes communionem, ex se ipsis eam sumunt. Alexandriæ autem, & in Ægypto unusquisque ex Laicis, qui illico degunt, maxima ex parte habent communionem domi suæ. Nam cum Sacerdos semel confecerit hostiam, & dederit, eam accipiens, & communicans; tamquam a Sacerdote sumptam participare se debet credere: Etenim in Ecclesia Sacerdos tradit particulam, & cum omni potestate, ac libertate eam tenet qui accipit, & sic sua manu ad os eam adducit*.

3. Quarto sæculo definente, quo scribebat Hieronymus, eamdem apud Occidentales consuetudinem obtinuisse ex ipso Hieronymo potest demonstrari. *Scio* (inquit in Apologia adversus Jovinianum) *Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant: quod nec reprehendo, nec probo; unusquisque enim in suo sensu abundat; sed eorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum, communicant; cur ad Martyres ire non audent, nec ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet*.

4. Ut semel, & quavis occasione cœpta, serius desinunt, plurimis Conciliis opus fuit, ut mos, qui propter persecutionem invaluerat, abrogaretur apud Latinos; Prohibitus primum fuit apud Hispanos. Hormisda Pontifice maximo habita est in Hispaniis Synodus Cæsaraugustana, quæ hocce tulit decretum canone tertio, *Eucharistiæ gratiam, si quis probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit*. Idem sancitum est in priore Concilio Toletano can. 14. *Si quis* (inquit) *acceptam a Sacerdote Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur*. Cum vero propter inopinatum casum fieri possit, ut quis acceptam Eucharistiam, involuntarie non consumat, casui illi occurrerunt Patres alterius Concilii Toletani can. 22. hæc habentur: *Cum & infidelis infideliter hæc agat, & fidelis fideliter accipiat, quod naturalis necessitas non sinit eum deglutire. Solet enim humanæ naturæ infirmitas in mortis exitu prægravata, tanto siccitatis pondere deprimi, ut nulla ciborum illatione refici, vix tantum illicui poculi gratia delectetur sustentari. Quod, & in multorum exitu vidimus, qui votis optatum sacræ communionis expetentes viaticum, collatam sibi a Sacerdote Eucharistiam rejecerunt. Non quod infidelitate hæc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent* (alteram speciem) *deglutire. Non ergo ii ab Ecclesiæ corpore separandi, qui necessitate non infidelitate hæc fecerunt. Placuit ergo definire, quod neque fideli noceat, neque infideli inultum existat. Quicumque ergo fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus, Eucharistiam perceptam rejecerit, in nullo Ecclesiasticæ damnationi subjaceat*. Lata ab iis Hispaniarum Synodis decreta omnes Ecclesiæ Occidentales amplexæ sunt, ita ut nulli Laico postea fas fuerit nec sibi, nec aliis, extra necessitatem, communionem impertiri.

Conclusio 2. His temporibus, Laici apud Latinos, etiam absentibus Presbytero, & Diacono, nec sibi, nec aliis Eucharisticam communionem impertiri possunt, licet urgeat mortis periculum; Id tamen nonnumquam factitant apud Græcos, idem & apud Latinos præstare valent, si tamen prius obtenta fuerit dispensatio Pontificia.

Probatur prior pars 1. ex Synodo Rhemensi, quæ refertur apud Gratianum De Consect. dist. 2. capite *Presbyter*, ubi habetur quod cum infirmitatis articulo, Presbyteri quidam aut Laico (ut in Serapione ante vidimus ex Dionysio Alexandrino) aut Fœminæ sacrum Domini corpus ad deferendum infirmis traderent, ita Divina parvi pendentes mysteria, ut quibus prohibetur, ne vel in sacrarium ingrederentur nec accederent ad altare; iis tamen Sancta sanctorum committerentur, Synodus id quam esset turpe cujuslibet privati prudentiæ expendendum permisit, interdixit vero ne quid simile Presbyteri deinceps præsumerent.

2. Ecclesiasticæ leges, quæ nunc apud Latinos sunt in usu, vetant ne quis, nisi sit subdiaconus, vasa sacra contingat: Ergo a fortiori prohibitum est Laicis ne Eucharistiam, ex qua vasa sacra suam habent consecrationem, manibus attrectent, ac proinde ne sibi, aut aliis eam præsumant dispensare.

3. Octingentis abhinc annis Subdiaconi prohibentur apud Occidentales ne Christi corpus manibus contingant, *Presbyteri, & Diaconi* (inquit Ordo Romanus) *osculando Episcopum corpus Christi ab eo manibus accipiant in sinistra parte altaris communicaturi, Subdiaconi autem osculando manum Episcopi, & ore accipiant corpus Christi ab eo*.

Probatur altera conclusionis pars, nempe apud Græcos, Laicos nonnumquam solitos esse sibi communionem impertiri: 1. ex Synodo in Trullo anno 692. habita, quæ quidem licet a Latinis nusquam recepta sit,

sit, satis tamen habet roboris, ut Græcorum septimi sæculi praxim confirmet Canone 58. hæc leguntur, *Nemo eorum, qui sunt in ordine Laicorum, divina sibi mysteria impertiat præsente Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono, qui autem tale quid ausus fuerit, ut præterea, quæ sunt constituta faciens una septimana segregetur, & ex eo doceatur non amplius sapere, quam sapere oportet;* Cum exceptio firmet regulam, invictissime ex eo canone colligitur Laicos, (absentibus Episcopo, Presbytero, Diacono) sibi ipsis apud Græcos septimo sæculo impertitos fuisse communionem; si urgeret necessitas.

2. Licet Laici in Græcia promiscue Eucharistiam privatas in domos non deferant, nec jam accipiant in manibus, (ut antiquitus) nonnulli tamen, & præsertim Monachi licet in ordine Laico consistentes, eam (Arcudio teste lib. 3. de Sacram. Eucharistiæ) secum solent portare dum longius peregrinantur; imo & in locis, quæ Turcarum Imperio subjacent, ad ægrotos latenter deferunt; *Et vero* (Arcudii verba sunt) *Græcorum populus non tam ut olim, in manibus accipit, neque defert amplius domum, sed Monachi tantum, idque in itineribus longioribus, Quod sane in locis Christianorum fieri absurdissimum esse videtur propter parvam reverentiam erga tantum Sacramentum. At vero in locis Turcarum, & Barbarorum infidelium alia est habenda hujus consuetudinis ratio.*

Probatur tertia conclusionis pars. 1. Quondam Ecclesia dispensarat, ut sæviente persecutione, Laici sibi ipsis communionem Eucharisticam impertirentur (ut superius demonstratum est.) Ergo eamdem facultatem potest simili in casu cuilibet laico indulgere. 1. Proximo elapso sæculo Pius Papa V. maxime piæ Scotorum reginæ Mariæ Stuart id juris fecit, cum ab Elizabetta Anglorum regina Catholicis infensissima in carcere detineretur, unde fertur, quod se ipsam SS. Sacramento, quod apud se ex Pii V. consilio permissa servabat, munierit, antequam capite plecteretur.

Objicies. Laici jure divino tenentur ad Eucharisticam communionem, cum imminet mortis periculum. Ergo si iis in angustiis absint ministri, sibimetipsis, imo, & aliis jam jam morituris, etiam non obtenta dispensatione Pontificia, eam omnibus in provinciis administrare licite possunt; Siquidem præceptum Ecclesiasticum, quo Laici Eucharistiæ contactu vetantur, non obligat cum impedit executionem divini præcepti, quod aliunde urgere supponitur. Et vero tritum est apud Theologos axioma, quod cum duo præcepta contraria simul occurrunt, quod majus est, seu latum a potestate superiori, minori, seu lato ab inferiori potestate, sit anteponendum.

Resp. Laicos, cum absunt ministri, divino communionis præcepto non teneri; eo nimirum in casu Eucharistia, qua par est reverentia recipi non potest; quas autem conditiones exigat exterior illa reverentia, Christus sapienti Ecclesiæ judicio determinandum permisit: similem ob rationem Sacerdoti non jejuno non licet hostiam consecrare ad hominis mox animam exhalaturi communionem; eodem pariter argumento concluditur Sacerdoti Latino non licere panem fermentatum, cum non adest azymus, consecrare ut Eucharistiam jam jam morituro dispenset.

QUÆSTIO SEXTA.

De Subjecto Eucharistiæ.

HIC subjecti nomine, ii intelliguntur, quibus Eucharistia potest administrari. Dubium vero potest esse de Infantibus, de Energumenis, de amentibus, de reis ultimo supplicio damnatis, de impiis, seu de iis qui jacent in statu peccati mortalis.

Caput Primum.

Utrum Eucharistia infantibus dispensari possit?

CONclusio 1. Infantibus tum apud Latinos, tum apud Græcos olim Eucharistia dispensata fuit.

Probatur prima pars 1. ex S. Cypriano qui Lib. de Lapsis, hocce miraculum recitat, quo praxim Eucharistiam infantibus administrandi tunc in Africa obtinuisse demonstratur; *Præsente ac teste me ipso, accipite* (inquit) *quid evenerit, Parentes forte fugientes, dum trepidi minus consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis, eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ, & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu fluctuabunda jactari, velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore atque ore violata Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas.*

2. Eumdem morem septimo ineunte seculo Romæ observatum fuisse colligitur ex S. Gregorio Magno. Is in Sacramentario, quod ejus nomine inscribitur, Titulo de Sabbato sancto hæc habet, *Qui etiam* (de infantibus loquitur) *non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit.*

3, Idem evincitur ex consuetudiue, quæ apud Latinos duodecim prioribus sæculis obtinuit; ferebat autem illa consuetudo, si præsens adesset Episcopus, ut Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia non adultis modo, sed etiam infantibus conferrentur; Sæculo octavo, nono & decimo liber, qui *Ordo Romanus* inscribitur, quique Gregorii Magni Sacramentario posterior est, obtinebat in omnibus fere Latinorum Ecclesiis: eo autem libro asseritur eodem die parvulos baptismate, Confirmatione, & Eucharistia solitos fuisse donari; refertur quoque jejunium naturale, quod in ipsis etiam infantibus communioni præmitti debebat; *Per illud autem* (inquit) *parvulis providendum est, ut postquam baptizati fuerint, neque lactentur sine summa necessitate antequam communicent Sacramento corporis Christi.*

4 Praxim de qua agitur, passim viguisse undecimo sæculo, & jam tunc alicubi prætermitti incœpisse fidem facit Hugo a sancto Victore, qui obiit circa annum 1049. De Sacramentis lib. 1. cap. 20. hæc scribit, quæ conclusionis nostræ veritatem dilucide confirmant; *Pueris recens natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter suggerere possunt.* Confirmat ex Augustino; *Augustinus* (ait) *ad Bonifacium contra hæresim Pelagianorum, In Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo dimittuntur peccata traxerunt. Nec illud cogitetis eos vitam habere non posse, qui sunt expertes corporis, & sanguinis Christi, dicente ipso Domino: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c. Ergo si sine periculo fieri potest, juxta primariam Ecclesiæ institutionem Sacramentum Eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris. Unde ignorantia Presbyterorum adhuc formam retinens, sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum. Quod penitus supervacuum arbitrare, si sine scan-*

dalo

dalo simplicium dimitti posset. Si autem vel servando sanguinem Christi, vel ministrando pueris immineat periculum, potius supersedendum videtur. Solvit postea adductum ex Augustino textum, de quo inferius, cum de hujusce Sacramenti necessitate dicetur, sermo redibit, *Nec terreant vos* (ait) *præmissa Augustini verba; ipse enim alibi quasi ea determinans dicit, Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium Corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in Baptismo membrum corporis Christi efficitur. Nec alienari ab illius panis consortio, etiamsi antequam illum panem comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo, in unitate corporis Christi constitutus, abscedat.*

Probatur altera pars conclusionis; nempe veteres Græcos Eucharistiam infantibus administrasse. 1. Author libri de Ecclesiastica Hierarchia, quem si non sit Dionysius Areopagita, ut doctiores censent, certum est desinente quinto sæculo scripsisse; Is capite 3. sic loquitur, *Illud vero, quod pueri quoque, qui non possunt intelligere divina, sacri baptismatis, altissimorumque communionis sacro-sanctæ signorum participes fiant.* 2. Euchologia omnia, ad quorum normam Græci sæculo nono Sacramenta conferebant, cuique baptismatis ministro præcipiunt, ut infantes mox a baptismate confirmatos pascant Eucharistiæ Sacramento.

Conclusio 2. Quadringentis ab hinc annis Eucharistia apud Latinos infantibus non porrigitur: Apud Græcos vero antiqua ptaxis, his etiam temporibus, observatur.

Probatur prima pars. 1. Conscripti a duodecimo sæculo apud Latinos libri rituales, nulllibi imperant infantium communionem. 2. S. Thomas qui sæculo 13. vixit hæc habet 3. part. quæst. 70. art. 9. quæ sui ævi praxim complectuntur; *Ad tertium dicendum, quod eadem ratio est de pueris recenter natis, & de amentibus qui numquam habuerunt usum rationis; unde talibus non sunt sacra mysteria danda, quamvis quidam Græci contrarium faciant.*

Probatur altera pars conclusionis. Hodierna Græcorum Euchologia infantium communionem præcipiunt: quippe quæ eadem sint, quibus ante annum millesimum utebantur. 2. Hæc ait Arcudius Græcorum rituum peritissimus, lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ cap. 11. *Communicare pueros, & infantes quod Græci faciunt, antiquum valde est, atque id veteres in usu habebant.* 3. Tam altas radices apud Græcos egit usus de quo agitur, ut ex iis nonnulli, sed Schismatici, Latinis praxim contrariam crimini vertetint, eorum authorum nomina, & textus, laudatus mox Arcudius cap. 40. describit.

Quæres num antiquæ Latinorum, ac hodiernæ Græcorum de infantium communione praxi censura debeatur.

Respondent nonnulli recentiores heterodoxi, praxim, de qua est quæstio, juri divino repugnare, quippe quod (ajunt) Apostolus Christi nomine a communicaturis exigat, ut se ipsos probent antequam accedant ad Eucharistiam; velitque præterea, ut sacrum illum cibum a prophanis secernere possint: At neutrum infantes possunt. Præterea (addunt iidem sectarii) si quem fructum infantes olim ex Eucharistiæ participatione perceperint, æquum non fuit ut ea in posterum, ut nunc fit apud Occidentales, privarentur.

Sed aliud de ea disciplina judicium tulit Tridentina Synodus Sess. 21. cap. 4. ubi hæc habentur, *Denique eadem sancta Synodus docet parvulos usu rationis carentes, nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem. Neque tamen ideo damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos nulla salutis necessitate fecisse, sine controversia credendum est.*

Nec alicujus sunt momenti, quæ contra objiciuntur ab hæreticis. Nam 1. ea discretio, ea probatio quas Paulus a communicaturis exigit, in eo præcipue sitæ sunt, ut nullus cum peccato mortali ad Eucharistiam accedat, ut nemo eo Sacramento pascatur, qui prius vestem nuptialem non induerit, seu qui ornatus non sit charitate, quam infantes per baptisma receperunt, quamque post baptismum lapsi, per absolutionem sacramentalem receperint. 2. Licet Eucharistia quondam parvulis ad augmentum gratiæ sanctificantis prodesset, Ecclesia tamen nunc patitur, ut sine eo augmento moriantur; eaque ratione debitæ tanto Sacramento reverentiæ consultum esse voluit.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum Energumenis Eucharistia dispensari debeat?

CONclusio 1. Energumenis tum apud Orientales, tum apud Occidentales Eucharistia non concedebatur olim nisi in ultima vitæ periodo: Sed multis abhinc sæculis in utraque Ecclesia iis dispensatur, qui fruuntur lucidis intervallis.

Probatur prima pars. Majores nostri in utraque Ecclesia quondam soliti erant energumenos cum catechumenis, & pœnitentibus eo tempore ejicere, quo tremendum sacrificium offerebatur; 1. Hæc habet canon 78. Apostolicus, Gentiano Herveto interprete. *Si quis dæmonem habent, ne fiat Clericus, sed neque cum fidelibus precetur.* 2. Hæc quoque libro 8. Constitutionum quæ tribuuntur Apostolis cap. 7. leguntur; *Et postea dicat Diaconus, Exite energumeni: Ac post exitum eorum dicat, Orate qui baptismum petitis.* 3. Chrysostomus homilia 111. *De incomprehensibili natura Dei*, sic loquitur, *Cum eos* (Energumenos) *una cum fratribus orare non liceat.* 4. Author libri de Ecclesiastica Hierarchia, quem labente sæculo v. floruisse Morinus asserit, eamdem disciplinam hisce verbis confirmat, capite 3. *Ad sacra opera, atque mysteria spectanda non eos* (Energumenos) *convocat.* 5. Latini Patres idem factitarunt. Concilium Eliberitanum canone 29. prohibet ne nomen quidem Energumenorum in altari recitetur; *Energumenum* (inquit) *qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut sua manu in Ecclesia ministret*, Iis vero quibus offerre non licebat, communio Eucharistica negabatur: *Episcopos* (ait mox laudata Synodus can. 28.) *placuit ab eo, qui non communicat, munus accipere non debere:* Excipiebatur tamen necessitatis casus; in ultima scilicet vitæ periodo Energumenis; licet sui compotes non essent, Eucharistia tradebatur; *Eos* (verba sunt Concilii Eliberitani can. 37.) *qui a spiritibus immundis vexantur; si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet: si vero fideles fuerint, dandam eis esse communionem.*

Probatur altera conclusionis pars. 1. Tempore S. Thomæ, Latini, etiam extra vitæ periculum, communionem iis energumenis largiebantur, qui interdum sua ratione fruebantur, *Ad secundum* (inquit 3. part. quæst. 80. art. 9.) *dicendum quod Dionysius loquitur ibi de energumenis nondum baptizatis, in quibus nondum est vis dæmonis extincta, quæ viget in eis per originale peccatum; sed de baptizatis, qui corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadem ratio, ac de aliis amentibus.* Non est opus, ut hic S. Doctoris pace dicatur non catechumenos modo, sed & baptizatos energumenes fuisse quondam prohibitos sacrorum mysteriorum conspectu, ac fuisse jussos e templis discedere, cum Missa fidelium incipiebat; satis est, ut ex iis S. Thomæ verbis disciplinam colligamus, quæ illius ævo obtinebat in Occidente. 2. Sæculo v. quo Synodus Arausicana prima celebrata est, usus qui his temporibus viget, prima fundamenta jacta fuerunt, & ab antiqua Illiberitanorum Patrum austeriore disciplina temperatum est: sancitum nempe fuit, ut Energumenis, qui in synaxibus subjecissent se purgativæ manuum impositioni, Eucharistia, etiam extra mortis periculum, administraretur. *Energumeni jam baptizati* (inquit Concilium canon. 14.) *si de purgatione sua curent, & se solicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimodo communicent, Sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu dæ-*

su dæ-

su dæmonum quo infestantur, vel purgandi, quorum jam ostenditur vita purgatior.

Inter eam, de qua mox diximus, Energumenorum speciem, seu inter eos, qui Clericorum sollicitudini se tradiderant, recenseri debet puella de qua hæc habet liber *De prædictionibus*, qui Prosperi Aquitanici nomine, sed falso, inscribitur; *Quadam juvencula* (ait author cap. 6.) *Araba natione, ancillæ Dei habitum gestans, cum in balneo lavans, simulacrum quoddam Veneris impudice respiceret, & seipsam eique consimulans, domicilium se diabolo præbuit. Statim ille leo, qui rugiens circuit, quem quærebat, invenit: Meatus igitur ipsius gutturis occupans, nullum cibum, nullumque potum trajiciens per septuaginta ferme dies, totidemque noctes, jejunium sibi diabolus ex capto possessoque vase exhibuit. Hoc monstrum parentes puellæ per tot dierum spatium auferri posse sperantes, dum juge malum ulterius tolerare non possent, simul cum filia sese ingesserunt Sacerdoti, quæ acta erant fideliter intimantes. Hoc tantum puella fatebatur, avem quamdam noctis medio apparere, quæ sibi ore nescio quid infunderet ... Per duas sane hebdomadas, nihil cibi, vel poculi sumens, in monasterio mansit. Accidit autem, ut quintus decimus dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum Sacerdote, ut matutinum illic sacrificium solito offerretur. Puellam præpositus ad altare perduxit. Peracto itaque sacrificio, cum eadem inter cæteras brevem particulam corporis Dominici tinctam a Sacerdote perciperet, semihora mandens trajicere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apostolus, Quæ consonantia Christi ad Belial? Manu igitur faciem ejus sustentante Sacerdote ne Sanctum projiceret, a quodam Diacono suggestum est, ut calicem salutarem gutturi ejus Pontifex applicaret; Quod ut factum est, statim ut locum illum, quem diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquit, Sacramentum quod ore gestabat, cum laude Redemptoris transglutisse puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod post octoginta, & duos dies, diabolo expulso, puella de potestate fuerat erepta inimici: Oblatio itaque rursum gratiarum actionis pro ea fit, sacrificiique percipiens certam partem, prisco est reddita usui.*

Quæ quinto sæculo apud Occidentales vigere incipiebat disciplina, a quibusdam etiam Orientalibus servatur; sic enim apud Cassianum Collatione 7. capite 29. & 30. Serenus Abbas loquitur de energumenis, *Communionem vero eis sacro-sanctam a Senioribus nostris numquam meminimus interdictam: quinimo si possibile esset, etiam quotidie eis impertiri eam debere censebant: nec enim secundum Evangelii sententiam, quam congrue hic sententiæ coaptatis, Nolite sanctum dare canibus, ad dæmonis escam sacrosancta communio, & non potius ad purgationem, ac tutelam corporis, animæque pervenire credenda est: quæ ab homine percepta, eum qui in membris ejus insidet spiritum, seu in ipsis latitare conatur, velut exurens fugat incendio: Hoc namque modo curatum, & abbatem Andronicum nuper aspeximus, aliosque quamplures. Magis namque, ac magis inimicus insultabit obsesso, cum eum a cœlesti medicina viderit segregatum: tantoque dirius, ac frequentius attentabit, quanto eum ab spirituali remedio longius senserit abdicatum.*

Sed quod illi monachi apud Orientales factitabant Orientalium Patrum canonibus, & paxi nequaquam consentaneum erat; nam editæ hac in causa leges, tunc temporis in Ecclesiis Orientalibus vigebant, ut videre est apud Cassianum loco jamjam laudato, ubi monachum Germanum sic Sereno loquentem inducit; *Et quomodo eos* (Energumenos) *non solum despici ab hominibus vel horreri, sed etiam a communione Dominica in nostris provinciis perpetuo vidimus abstinere, secundum illam Evangelii sententiam, Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, cum de illis, quemadmodum dicis, ita credendum sit, quod eis purgationis vel utilitatis obtentu, hujus tentationis humiliatio tribuatur.*

CAPUT TERTIUM.

Utrum Eucharistia possit amentibus dispensari?

CONclusio Amentibus in ultimo vitæ periculo constitutis, si non esset irreverentiæ periculum, olim Eucharistia porrigebatur; his vero temporibus nemini conceditur, nisi scintilla rationis appareat, aliquisque pietatis sensus demonstretur.

Probatur prima pars 1. ex canone XVIII. prioris Concilii Arausicani; *Amentibus* (inquit) *quæcumque sunt pietatis conferenda sunt.* 2. ex praxi, quæ quondam ferebat, ut Eucharistia, ipsis etiam infantibus, porrigeretur, quæque tum apud Latinos, tum apud Græcos per duodecim priora sæcula viguit, (ut suo loco superius ostensum est.)

Probatur altera conclusionis pars ex præsenti Ecclesiæ consuetudine, quæ quidem legis est loco: fert autem ea consuetudo, saltem apud Latinos, ut Sacramentum non detur nisi iis, qui actu sua ratione fruuntur, & aliquam pietatem erga SS. Sacramentum exterius demonstrant.

Objicies 1. authoritatem Concilii IV. Carthaginensis, *Is qui in infirmitate pœnitentiam petit* (verba sunt canonis 76.) *si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam: & si continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.*

2. Idem, quod mox ex Concilio Carthaginensi relatum est, sæculo 13. S. Thomas docuit, quippe qui 3. p. q. 80. art. 9. in corpore sic loquitur, *Respondeo dicendum, quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter; uno modo, quia habent debilem usum rationis. sicut dicitur non videns qui male videt, & quia tales possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum: alio modo dicuntur aliqui non habere totaliter usum rationis; aut igitur numquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt, & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit hujus Sacramenti devotio: aut non semper caruerunt usu rationis, & tunc si prius, quando erant compotes suæ mentis apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expuitionis: unde in Concilio Carthaginensi legitur, is qui in infirmitate pœnitentiam petit &c.*

Resp. ad 1. valere quidem illud argumentum pro quarto Ecclesiæ sæculo, quo habita est IV. Synodus Carthaginensis, non vero pro subsequentibus sæculis, quod nempe nova, & veteri opposita disciplina apud Occidentales invaluerit; Licet enim valeat argumentum quo colligitur doctrinam, quæ ad fidem aut mores spectet, hac ætate ideo admitti debere, quod prioribus sæculis admissa sit a Patribus, non valet tamen illud quo infertur, hoc tempore ritum aliquem observari debere, quod antiquitus observatus sit. Resp. ad 2. conditionem, quam S Thomas supponit, licet speculative possibilis sit, in praxi tamen nusquam accidere, semper enim est periculum vomitus aut expuitionis in amentibus, aut phreneticis; quo tamen imminente negat Angelicus Doctor dispensari eis posse Eucharistiæ Sacramentum; *Nisi forte* (inquit) *timeatur periculum vomitus vel expuitionis.*

Quæres quo sæculo amentibus ac phreneticis, etiam cum imminet vitæ periculum, Eucharistia negari cœperit.

Resp. amentibus, phreneticis, aliisque, qui sua ratione actu non fruuntur, Eucharistiam, etiam in exitu positis, negari cœpisse circa id tempus, quo Ecclesia infantes ea pascere desiit, seu circa sæculi duodecimi finem. Ratio est, quia pro phreneticis, & amentibus valet argumentum, quod Patres posteriorum temporum adduxerunt, ne SS. Sacramentum infantibus elargiretur, defectus nimirum pietatis ac reverentiæ, quæ tanto mysterio debentur.

CAP.

CAPUT QUARTUM.

Utrum reis ultimo supplicio damnatis Eucharistia conferri debeat?

Conclusio 1. Reis ultimo supplicio damnatis Eucharistia quondam administrari non solebat.

Probatur. Per quatuor priora sæcula reis quorumdam gravium scelerum absolutio Sacramentalis non impendebatur, si eam tantum in exitu vitæ peterent, ut agentes de Pœnitentia demonstrabimus, & ex variis Summorum Pontificum, Conciliorum & SS. Patrum textibus. Hic satis sit hocce S. Cypriani testimonium in Epistola ad Antonianum: *Idcirco, frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum*. Severiore illa disciplina non castigabantur tantum crimina publica, sed etiam quædam occultissima (ut docebitur inferius;) Ergo a fortiori, rigiditate hujusmodi animadvertebatur in ea, quæ per judicis sententiam, & rei convictionem palam innotuerant.

Conclusio 2. In Germania, & in Italia Eucharistica communio reis ultimo supplicio damnatis administratur.

Probat Merbesius hoc argumento. In Germania & in Italia vigent, quoad caput de quo agitur, decreta Conciliorum Moguntini primi habiti anno 481. Vvormatiensis celebrati ann. 868. Sed iis Conciliis præcipitur, ut rei morte damnati, Eucharistia ante suum exitum reficiantur, *Quæsitum est ab aliquibus fratribus* (verba sunt Concilii Moguntini can. 27.) *de his, qui in patibulo suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ & missæ celebrandæ, an non. Quibus respondimus; Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine secundum Canonicum jussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt*; Iisdem plane verbis idem canone 80. Concilii Vvormatiensis decernitur.

Sed Merbesii pace dixerim, efficax non esse hujusmodi argumentum. Siquidem Moguntina, & Vvormatiensis Synodi, communionis nomine non Eucharistiam, sed absolutionem Sacramentalem intellexisse videntur. Nam 1. iis respondent, qui dubitant an sine reconciliationis Sacramento dimittendi essent, qui in patibulo suspenduntur, & utrum excommunicatorum instar, Ecclesiæ precibus & canonica sepultura privandi essent; ut igitur Patres dubium hujusmodi solverent, sat fuit, ut dixerint ejus farinæ viros reconciliationi Sacramentali donari debere, ac proinde eorum cadavera sepulturæ Ecclesiasticæ mandanda esse, & eorum animas Deo, oblato jugi sacrificio commendari debere. 2. Eam esse Conciliorum illorum mentem probat ratio, qua utuntur, ajunt nimirum perditos illos homines in desperationem alioquin adduci, si in extrema vitæ periodo communione frustrentur; *Salutem ergo homini adimit* (inquit Synodus Vvormatiensis) *quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat, & desperat de misericordia Dei; qui eam ad subveniendum morienti sufficere vel in momento, non credit posse*. 3. Adducunt eædem Synodi exemplum Latronis, qui a Christo peccati remissionem obtinuit, licet eum pœnituerit jamjam moriturum: *Latro ergo* (inquit Concilium Vormatiense) *perdidisset in cruce præmium ad Christi dextram pendens si illum unius horæ pœnitentia non juvisset ... vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est æstimanda, quam tempore*.

Nec argumentis vim enervant, qui reponunt a Conciliis Moguntino, & Vormatiensi, patibulo propter crimina damnatos absolutione Sacramentali donari, proindeque Eucharistica communione, quam majores nostri a reconciliatione separare non solebant; Non est (inquam) quod quis sic respondeat; tum quia plerique quondam extiterunt casus, in quibus absolutione donati, Eucharistia non pascebantur, tum etiam quod (ut subsequenti conclusione dicetur) in Galliis & in Hispaniis, licet rei de quibus agitur per Sacramentalem absolutionem ante suum exitum Deo reconcilientur, Eucharistiam tamen non percipiunt, stante & perpetua lege, quam nemo ausus sit infringere.

Prætermissa igitur Merbesii probatione dicendum est 1. in Germania usum, de quo est quæstio, obtinere tum vi consuetudinis, quæ multis ab hinc sæculis altas radices egit, tum vi privatarum Synodorum, quæ iis in partibus celebratæ sunt: Dicendum est 2. eamdem disciplinam in Italia vigere; S. Carolus in V. Concilio Mediolanensi eam aperte supponit, cum hæc Titulo non decernit, (Reus, capitis damnatus, quo die pro viatico sanctissimum corpus Domini sumpsit, Christo Redemptori, qui pro illius etiam anima sanguinem in ara crucis profudit, a piis judicibus, magistratibusque illo ipso sanguine redemptis, tribuatur, ut ne eo die supplicio afficiatur, multis locis piæ & laudatæ consuetudinis est.) Cardinalis Toletus, qui in Italia scripsit, eidem mori suffragatur, asseritque dari debere operam, ut in provincias, in quibus nondum obtinet, invehatur, nec immerito id tentandum est (ait) cum in reis capite damnatis omnes conditiones ad pie communicandum reperiri possint; possunt scilicet hujusmodi homines debitam munditiam assequi per Sacramentalem confessionem, ac debite sese ad sacram Synaxim parare, tum per fidem, qua sacrum illum cibum a prophanis dijudicent, tum per iteratam, etiam venialium, peccatorum detestationem, tum per actus amoris, quo anima in Christi sponsi sui sacros amplexus feratur.

Conclusio 3. In Galliis & in Hispaniis Eucharistica communio rei ultimo supplicio damnatis, etiam debite confessis, denegatur.

Probatur prior pars. 1. Ante annum 1396. illis perditæ vitæ hominibus Absolutio Sacramentalis, quantumcumque eam enixe petissent, non conferebatur: *Primus* (inquit Morinus noster De administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 10. capite 1.) *hunc morem multorum procerum Ecclesiasticorum. & virorum principum precibus persuasus abrogavit Carolus VI edicto Parisiis dato 4. Non. Februaris ann. 1396. Edictum integrum refert Fontano Tom. 1. Edictorum & Constitutionum Regum Franciæ Titulo 68. Editionis anni* 1611. *pagin. 660*. 2. Post annum 1396. licet eis data fuerit absolutio, constanter tamen Eucharistia denegata est: Factum illud probant hæc verba Statuti XI. Concilii Rhemensis sub Sonnatio Episcopo habiti: *Et cur ad mortem condemnatis renuitur* (Eucharistia) *cum iis maxime conducat ad spem & securamen certi decessus & præsentis agonis? Nunc autem etiam denegatur silente Ecclesia & veluti consentiente, non obstantibus iis canonibus, qui vel numquam recepti. vel saltem per usum contrarium sunt abrogati*. 3. Hujusmodi esse Galliarum nostrarum usum demonstratur ex historia quam Claudius Espenceus lib. 2. de Eucharistiæ adoratione ex Gaguini libro 10. his verbis enarrat: *Sic Eucharistiæ hominibus supplicio extremo addictis dandæ permittendæve mos adeo non obtinuit in Gallia nostra, ut superiore proximo sæculo, Rege nobis Ludovico XI. Ludovicus Luxemburgus Comes stabuli, majestatis reus, capite damnatus, confessione Christiano more expleta, viaticum Christi corporis ministrari oraverit: Nec exoraverit, aut obtinuerit. Res tamen divina, sive Missa, coram illo facta, & panis benedictus oblatus, quem religiose manducavit. Decollati in Gravia corpus per Fratres Franciscanos elatum, & in eorum medio choro humatum anno* 1475. Tandem 4. sic ferre constantem Galliarum consuetudinem multis aliis argumentis probat Ysambertus quem lector adire poterit.

Probatur altera conclusionis pars; in Hispaniis nimirum Eucharistiam morte damnatis non administrari. 1. testimonio Dominici Soto in quartum Sentent

Dist.

Dift. 12. quæft. 1. art. 11. fic loquentis: *De illa autem Hifpanorum confuetudine, qui condemnatis ad mortem Euchariftiam non miniftrant, aliæ nationes obmurmurant, quoniam nulla apparet caufa cur fi fint vere pœnitentes, tanto beneficio priventur: præcipue cum fecundum canonum fanctiones, ut habetur 13. q. 2. cap. Quæfitum, eadem illis communio fit danda. Et revera forfan fatius effet, ut confuetudo hæc noftra non fervaretur, præfertim cum fæpe per hoc Sacramentum fiat homo ex attrito contritus, & fufcipiat gratiam, quam non recepit in pœnitentia: Atque adeo ufu fæpe venire poffet, ut defectu Euchariftiæ anima ejus periret, qui alioqui falvus fieret. Extra vero hanc confuetudinem per ignorantiam non poffumus, nam fatis Curia Hifpana canones novit. Sed dicere debent non afque adeo hujufmodi canones obligare, quin poffint per contrariam confuetudinem abrogari.* Fatetur igitur Dominicus Soto morem, de quo agitur, fua ætate, feu proxime elapfo fæculo apud Hifpanos viguiffe, eum licet mutatum cupiat in contrarium. 2. Apud eofdem Hifpanos eam confuetudinem non ita pridem obtinuiffe teftis eft Sylvius 3. p. qu. 80. art. 6. alium vero contrarium jam temporis obtinere nonnulli authores fcripferunt, penes quos de eo facto fit fides.

Quæres 1. quibus momentis Galliæ, & Hifpaniæ adductæ fuerint, ut reis ultimo fupplicio damnatis Euchariftiam negarent;

Refp. Francorum, & Hifpanorum Ecclefias his adductas fuiffe rationibus. 1. Ultimo fupplicio propter fcelera damnati, non amore juftitiæ, fed tantum timore pœnæ crimina, quorum rei funt, plerumque deteftantur; ac proinde eorum pœnitentia, non ad Euchariftiam modo, fed nec ad abfolutionem Sacramentalem fatis eft, quæ tamen abfolutio ipfis impenditur in extrema periodo, quod dubium fit an amore juftitiæ, aut tantum timore pœnæ eos pœniteat. 2. Illæ celebres Ecclefiæ judicant reos hujufmodi, morte brevi futura fere exanimatos, omni prorfus pietatis fenfu deftitutos effe, ac proinde ineptos qui inter facrum illum cibum, & prophanos, ut par eft, dijudicent. 3. Vel antequam lata fit in eos condemnationis fententia, communione donarentur: vel ubi prolata fuit. Si primum perditi illi homines cum parati fint, etiam cum juramento, admiffa a fe fcelera coram judicibus inficiari, gravis facrilegii periculo exponerentur fi tunc pafcerentur Euchariftia: Si fecundum, cum plerumque capite plectantur eadem die qua latum eft condemnationis decretum, facro Chrifti corpori irrogaretur injuria, quippe quod hominis rei corpus in quod intraffet, cum omni dedecore, & ignominia tortoris manu tractandum fit.

Quæres 2. unde Gallorum, & Hifpanorum mos, de quo agitur, originem traxerit fuam?

Refp. eam confuetudinem debere fuam originem 1. antiquorum Patrum praxi, qui reos quorumdam gravium fcelerum, etiam in exitu vitæ, arcebant non a communione modo, fed etiam a beneficio abfolutionis. 2. Orta eft alia difciplina, quæ quondam ferebat, ut ii infirmi per pœnitentiam non reconciliarentur, qui fani eam non petiiffent. 3. Hanc aliam originem, determinat Dominicus Soto: *Et fortaffis* (inquit loco fuperius laudato (*ortus hujufmodi confuetudinis fuit, quod cum damnati ad mortem a communione Reipublicæ abfcindantur, in fignum hujus abfciffionis negatur ei Sacramentum communionis tamquam Reipulicæ hoftibus.*

Caput Quartum.

An mortuis Euchariftia poffit adminiftrari.

Conclufio 1. Euchariftia mortuis difpenfari non poteft.

Probatur 1. ex eo, quod Euchariftia, ipfo edicente Chrifto, iis difpenfari non poffit, qui illam comedere non valent, quippe quod dictum fit: *Accipite & manducate*; Cadavera vero manducare non poffunt; ac proinde iis Euchariftia difpenfari non debeat. 2. Abufui, quo invalefcente, Euchariftia nonnullis in locis cadaverum ori infundebatur, occurrerunt Patres in Concilis: In Africa quidem damnatus eft tertio Carthaginenfi Concilio: *Placuit* (verba funt canonis VI.) *ut corporibus defunctorum Euchariftia non detur*. Ipfi pariter itum eft obviam in Oriente anno 792. quo habita eft Synodus Quini-fexta: *Nemo* (inquiunt illius Concilii Patres can. 83.) *mortuorum corporibus Euchariftiam communicet, Scriptum eft enim, Accipite & comedite; Mortuorum autem corpora non poffunt accipere nec comedere*. Idem abufus irrepferat in Gallias; verum mox in Concilio Antifiodorenfi can. 12. profcriptus eft.

Objicies nonnulla facta. 1. Amphilochius in vita Bafilii, fidem facit S. Præfulem, cum jam exhalaturus effet animam, Euchariftiæ parte fumpta, fervaffe fibi aliam, quam fecum fepeliri mandarit: 2. Hancce hiftoriam recitat Gregorius Magnus lib. 2. Dialog. capite 24. *Quadam die dum quidam puerulus monachus parentes fuos ultra quam deberet diligens, atque ad eorum habitaculum tendens, fine benedictione de monafterio exiiffet, eodem die mox, ut ad eos pervenit, defunctus eft. Cumque effet fepultus, die altera projectum foras corpus ejus inventum eft, quod rurfus tradere fepulturæ curaverunt. Sed fequenti die iterum projectum exterius, atque inhumatum ficut prius, invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris veftigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei fuam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu fua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ita, atque hoc Dominicum corpus fuper pectus ejus cum magna reverentia ponite, & fic fepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuiffet; fufceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit.*

Refp. 1. utrumque illud factum, fi tamen veritate nitatur) haud dubie extraordinarium effe, & præter tum Chrifti inftitutum, tum Ecclefiæ canones. 2. Pfeudo-Amphilochius, apud quem Bafilii factum legitur, dubiæ omnino eft fidei: quippe quod apud Patres, qui ipfa etiam Bafilii morientis verba fcriptis mandarunt, ut videre eft apud Gregorium Nazianzenum, altiffimum fit de re, quam enarrat Amphilochius, filentium. 3. Nemini ignotum eft plures in Gregorii dialogis reperiri hiftorias, de quorum veritate poteft dubitari citra tanti Doctoris contemptum; cum non eas tantum fcripferit, quarum ipfe fuiffet teftis, fed quas ex aliorum narratione didiciffet.

Caput Sextum.

Utrum morituris omnibus Euchariftia concedi poffit?

Conclufio. Non omnibus morituris ubique quondam Euchariftica communio concefsa eft; Multis tamen abhinc fæculis, iis omnibus difpenfatur, quibus impenditur abfolutio Sacramentalis, fi tamen furatione fruantur, nec propter crimina fint ultimo fupplicio damnati.

Probatur prior pars. Quædam Ecclefiæ reis quorumdam criminum, idololatriæ nimirum, adulterii, homicidii, abfolutionem Sacramentalem etiam in exitu negarunt, ut in differtatione de Pœnitentia demonftrabimus. Paffim tertio & quarto fæculo idem abfolutionis beneficium iis negabatur, qui tunc tantum illud expofcebant, cum effent ad ultimam redacti vitæ periodum. Si Petavio, Albafpineo, Morino, aliifque non paucis fcriptoribus habenda fit fides, iis quoque non conferebatur, qui poft actam pœnitentiam in eadem immania fcelera iterum lapfi fuerant. Ergo a fortiori Majores noftri Euchariftiam iifdem hominibus, in exitu licet pofitis, negarunt.

Probatur altera pars. 1. Tribus prioribus fæculis, aut faltem antequam inftitutæ fuiffent artificiales pœnitentium claffes, abfolutionem Sacramentalem femper Euchariftiæ participatio fubfequebatur, ut fequenti capite demonftrabimus:

2. Quamvis Euchariftiæ largitio, poft inftitutas pœnitentium claffes, aliquo temporis fpatio feparata fuerit ab abfolutione Sacramentali refpectu lapforum, fi tamen urgeret exitus, præmiffo Epifcopi examine,

ne, & non alias, ineunte IV. sæculo statim conferebatur: *De his* (ioqoit Concilium Nicænom primum can. 13. ex interpretatione Dionysii exigui) *qui ad exitum veniunt, etiam nunc antiqua lex servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore ultimo, & maxime necessario viatico* (Absolutione Sacramentali) *minime privetur. Quod si desperatus & consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos, qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratia tribui, Episcopus probabiter* (postquam probaverit) *ex oblatione dare debebit.*

3. Labente sæculo quarto, iis qui pœnirentiam in infirmitate petebant, & a fortiori iis, qui sani decurrebant nonnullos illins gradus, etiam non præmisso Episcopi examine, concedebatur Encharistia: *Is qui pœnitentiam in infirmitate petit ... Si coatinuo creditur moriturus; reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Encharistia*; Si in lapsis, sed pœnirenriam demonstraotibus ea praxis locum habuit, a fortiori respectu fidelium maodata est executiooi.

4. Iis temporibus, quibus nonnulli Eucharistia, quamdiu sani forent, vetati sunt, hic tamen usus obtinuit, ut iis in exitu positis dispensaretur. *De his vero* (inquit Siricius Papa Epist. 1. ad Himerium Tarraconensem, cap. 5.) *non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credit consalendam, qui acta pœniteatia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum & ludricas voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint: a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi ia se sua errata castigent, & aliis eaemplum tribuant, quatenus ab obscœnis voluptatibus retrahantur. Quibus tamen* (*qaoniam carnali fragilitate ceciderunt*) *viatici munere cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sabveniri.*

Scio *viatici* & *communionis* nominibus in canonibus antiquis noo semper intelligi Eucharistiæ participationem, sed cum certum sit Siricium decrevisse ut relapsis in exitu positis impenderetur absolutio Sacramentalis, nec eos tunc Eucharistica communione vetaverit; facile conjicitur censuisse eam ipsis debere dispensari. Eam disciplinam clarius expressit sæculo VII. Gregorius II. ad Bonifacium Episcopum scribens: *De his* (inquit) *qui patrem, matrem, fratrem, aat sororem occiderint, ut toto vitæ saæ tempore corpus Dominicum aoa suscipiant, nisi tempore exitus pro viatico*. Hac in causa cum jure antiquo plane novum concordat, hæc enim habet Innocentius Papa III. Extra de Pœnit. & Remiss. cap. *Quod in te*: *In illo verbo per quod pœnitentiam morientibus non aegamus, viaticum etiam quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum decedentibus denegetur*; Quo quidem loco Innocentius Viatici nomine Eucharistiam intelligit, ut jam novo jure semper intelligitur, & patet ex Epistola, qua idem Innocentius de Levionensibus recenter ad fidem conversis paulo ante scripserat.

Probatur tertia cooclusionis pars ex iis, quæ suo loco de amentibus, phræneticis, & reis ultimo supplicio damnatis dicta sunt.

CAPUT SEPTIMUM.

Utrum cuilibet impio, extra exitus casum, Eucharistia concedi debeat?

NON est hic quæstio de foro interno, seu oon quæritur utrum cuilibet impio confessarius communicandi facultatem concedere debeat; plusquam nimirum certum est, multos esse, qnod Presbyter in confessione tenetur arcere a sacra communione, cum multi sint, ut suo dicemus loco, quibus nec debet absolntionem Sacramentalem impendere: Difficultatis igitur nodns in hoc positus est ao cuilibet impio, qui Eucharistiam extra coofessionem petit, dispensari debeat. Cum vero impius possit esse vel publicus vel occultus, de utroque subsequentibus articulis est agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum publico peccatori Eucharistia possit administrari?

CONclusio. Peccatori publico oegari debet Eucharistia, donec publica pœnirentia suam emendationem probaverit.

Probatur 1. aothoritate Cypriani, qui epist. 10. ad Eucratium sic de histrione consultus respondet: *Pro dilectione tua, & verecundia matua consalendum me existimasti Frater charissime, quid mihi videatur de histrione quodam, qui apud vos constitutus in ejusdem adhuc artis saæ dedecore perseverat, & magister, & doctor non erudiendorum, sed perdeudorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat, an talis debeat communicare nobiscum. Quod puto ego nec majestati divinę, nec Evaagelicæ disciplinæ congruere, ut pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur*. Si cum Ecclesiæ membris ille histrio, quod esset peccator publicus, communicare nec debuerit, nec potuerit; a fortiori per Eucharistiam cum Christo Ecclesiæ capite communicare non potuit. 2. Idem demonstratur ex praxi, quæ quoodam viguit, & de qua io dissertatione de Pœnitentia, de confessione agentes dicturi sumus. Ferebat autem ea praxis nt a mensa Domini removerentur, imo & ad pœnitentinm classes, sub excommunicationis periculo, cogerentur ii quorum iniquum factum per testes innotuerat. 3. Est de jure naturali, & divino ut indignis Eucharistia non concedatur, juxta illud Christi in Evangelio: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: At publici peccatores, donec conversionem publica pœniteotia probaverint, canes censendi sunt: Licet enim forte in animo præteritum scelus detestentur, conversi tamen non judicantur, nisi Ecclesiæ, cui fueruot scandalo, palam satisfecerint.

Quæres quinam censendi sint publici peccatores?

Resp. 1. nonnullos peccatores pnblicos, qui infames sunt; hujusmodi vero sunt ii, qui propter artem quam profitentur, ut sunt histriones, vel propter iniqua qnædam, & gravia flagitia nominatim per excommunicationem ejecti sunt ex Ecclesiæ sinu.

Resp. 2. aliquos alios esse, qui infames quidem non sunt, sed in actuali, & publico peccaro versantur, cum ad sacram meosam accedunt, hujusmodi sunt eæ mulieres, quæ composito ad lasciviam, & immodestiam vultu, reserato sinu, nudatis cervicibus, ore depicto sacræ mensæ audent accumbere; undo Innocentius Papa XI. ouper Romæ prohibuit, ne illis mulieribus SS. Sacramentum dispensetur; Id quoque variis Gallicaoorum Præsulum statntis vetitum est, quibus præiverat S. Carolus in instructionibus, quas pro Confessariis edidit; Nec immerito; Reseratus nimirum sinus, composita ad lasciviam ora, vestes quæ Christianam modestiam dedecent, ornamenta quæ provocant ad libidem; sunt, ex S. Patribus, diaboli pompæ, quibus quisque fidelis in baptismare nuntium remisit.

Resp. 3. S. Thomæ eos visos fuisse publicos peccatores, quorum flagitia ita erupernnt in notitiam publicam, nt nulla possint tergiversatione celari; hujusmodi sunt, ii qui palam omnibus coocubinam ex qua notum est filios suscepisse, domi alunt, ac cum totius plebis scandalo, apud se retinent: *Respondeo dicendam* (inqnit S. Doctor 3. p. q. 80. art. 6.) *quod circa peccatores distinguendum est. Quidam enim sunt occulti, quidam vero manifesti, scilicet per evidentiam facti sicat publici usurarii, aat publici raptores*; imo idem Angelicus Doctor censuit publicam, & violentam flagitii suspicionem satis esse, ut quis a sacra mensa palam repellatur: *Dicendum* (ait in quartum Dist. 9. quæst. 1. art. 5. in solutione quæstiuoculæ 2.) *quod triplex est suspicio, quædam violenta ad cujus contrarium non*

admittitur probatio: sicut si inveniatur solus cum sola, nudus in lecto, loco secreto, & aptu ad commixtionem. Alia est probabilis, sicut si inveniatur solus cum illa colloquens in locis suspectis, & frequenter; Tertia est præsumptuosa, quæ ex levi conjectura ortum habet. Hæc autem ultima deponenda est. In secunda non debet denegari (communio) quia pœna non infligitur, ubi culpa ignoratur; sed de prima idem est judicium quod de peccato. Unde si sit suspicio procedens ex fama publica, non debet ei dari neque in occulto, neque in manifesto.

Resp. 4. quibusdam in locis speciales esse leges, quibus determinentur quinam peccatores publici, communionis respectu, censeantur; iis in praxi adhæreant oportet ministri, qui illis in regionibus versentur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum occulto peccatori Eucharistia dispensari possit?

Conclusio. Eucharistia negari non potest impio occulto, qui palam illam poscit.

Probatur 1. exemplo Christi Domini, qui Eucharistiam Judæ proditori dispensare, quam occultum illius crimen propalare satius duxit.

Neque audiendi sunt qui censent Judam e convivio discessisse, antequam Christus Eucharistiam Apostolis distribuisset; Evidenter nempe constat ex Marco *omnes* Apostolos ebibisse consecratum calicem; *Et biberunt* (inquit c. 14.) *ex illa omnes*, adfuisse vero tunc Judam proditorem Lucas innuit, cum ennarrata SS. Sacramenti institutione, & distributione mox cap. 22. sic loquitur, *verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.... Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset?* Unde concluditur hæc Joannis verba cap. 13. vers. 30. *Cum ergo accepisset ille buccellam exivit continuo*, sic intelligi debere ut quamvis Judas acceperit intinctum panem in cœna legali, quæ lotionem pedum & Evangelicam cœnam præcessit, exierit quidem ante prolixam orationem, quam Christus instituto jam SS. Sacramento ad Apostolos habuit, sed non nisi peracta tota cœna, quæ non modo agni Paschalis, sed etiam Eucharistiæ participationem complexa est.

Explicationi hujusmodi Augustinus aperte favet; Docet nimirum intinctam buccellam, de qua Joannes loquitur, subsecutam fuisse Eucharistiæ distributionem cui Judas adfuit, licet non fuerit Sacramentum: *Non* (inquit tractatu 62. in Joannem) *ut putant quidam, negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit: intelligendum est enim quod jam his omnibus distribuerat Dominus Sacramentum corporis & sanguinis sui, ubi, & Judas erat, sicut S. Lucas evidentissime narrat. Et deinde ad hoc eventum est, ut secundum narrationem Joannis, apertissime Dominus per buccellam intinctam atque porrectam, suum exprimat traditorem: fortasse per panis tinctionem, illius significans fictionem.* Rem eamdem S. Doctor asserit Epist. 163. *Traditorem enim suum* (inquit) *qui jam pretium ejus acceperat usque ad ultimum pacis osculum, inter innocentes secum esse perpessus est, quibus non tacuit esse inter illos tanti sceleris hominem, & tamen primum Sacramentum corporis & sanguinis sui, nondum illo excluso, communiter omnibus dedit.* Idem Chrysostomo, Hom. de proditione Judæ, Cyrillo Hierosolymitano catech. 1. & passim cæteris Patribus visum est.

Probatur 2. ex disciplina, quæ quondam in Ecclesia viguit, & de qua redibit sermo, cum de Confessione dicemus.

Ferebat vero hujusmodi disciplina: 1. ut quisque sua scelera vel occultissima Episcopo detegeret, idque sub gravioris pœnæ periculo, si ab aliis retegerentur. 2. Tenebatur quisque proximi sui peccata eidem Episcopo aperire; si enim aut non declarasset, aut declarationem diutius distulisset, pœnas dabat pro negligentia. 3. Si crimen ab aliis detectum, ipse peccator confiteretur, addicebatur pœnitentiæ laboribus; quos quidem si subire detrectaret, damnabatur excommunicatione si crimen illius juridice coram Episcopo probatum fuisset; si vero probari non potuisset servato juris ordine, & ipse peccator Sacramenta, ipsam etiam Eucharistiam poposcisset, dispensabatur perinde ac si fidelis fuisset. Augustinus praxis hujusmodi testis est variis in locis. Accusationis factitari solitæ meminit Homilia 49. & 50. cap. 4. & 5. Invehitur in laudem, quam mariti impudici tribuunt pudicis uxoribus, eo quod illorum impudicitiam æquo ferant animo; Ne vero tolerent deinceps, severe prohibet, injungitque, ut Episcopo illorum incontinentiam removeant: *Nolo* (ait) *talem patientiam habeant Christianæ mulieres; prorsus zelent viros suos, non propter carnem suam, sed propter animas illorum. Omnino ergo moneo, Ego præcipio, Ego jubeo, Episcopus jubet, Christus in me jubet.... Nolite viros vestros permittere fornicari. Interpellate contra illos Ecclesiam ... In cæteris omnibus ancillæ estote virorum vestrorum, subditæ ad obsequium &c. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Apostolus æquavit, dicens, uxori vir debitum reddat, similiter, uxor viro, clamate pro re vestra &c.* Accusatos vero, imo, & ab uxoribus convictos, sed extra judicii ordinem, monitos adulteros, idem Augustinus asserit se a sacra Synaxi non arcere, si palam ac cum cæteris fidelibus Christi mensæ accumbant: *Nos* (inquit hom. 49. & 50.) *a communione prohibere quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis nisi aut sponte, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere; ut cuiquam ipse sit accusator & judex.* Ea autem praxis, quam Augustinus servare se asserit, nititur jure, quod quisque ad propriam famam habet donec flagitium quod admissum est, in publicam notitiam devenerit.

Nec audiendi sunt qui reponunt satius esse, ut pœnitens excidat e sua fama, quam ut sacrilegii per indignam communionem reus fiat. Nam 1. ipsum sacrilegium impius admittit cum sacræ mensæ accumbit, & poscit Sacramentum, quippe quod per eum non stet quin actu carni Christi vim inferat. 2. Prohibet Augustinus, ne quis eligat malum, quale est alieni criminis propalatio, ut impediat ne proximus in aliud, licet gravius, incidat, *Periculosissimi* (inquit in lib. quæst. super Genesim q. 42.) *admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne alius gravius malum faciat.* Nostram hanc solutionem hausimus ex Angelico Doctore, qui in 4. Sent. Disti 9. quæst. 1. art. 5. sic loquitur: *Dicendum quod licet pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi quam infamari, tamen sacerdoti ministranti corpus Christi, pejus est peccare mortaliter infamando injuste peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet peccatum mortale committere, ut alium liberet a peccato.*

Argumento nostro non se liberant ii, qui respondent Presbyterum posse occulto peccatori hostiam, quæ consecrata non sit, porrigere. Siquidem praxim illam, quam in Ecclesiam quidam molliores casuillæ, nuper invexerant, proscripserunt sacri Concilii Tridentini Cardinales interpretes; proscripserat multis ante sæculis Angelicus Doctor, quippe qui loco proxime laudato hæc scribat: *Hostia tamen non consecrata nullo modo debet dari loca consecratæ, quia Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idololatrare eos, qui credunt hostiam esse consecratam, sive alias præsentes, sive etiam ipsum sumentem.*

Conclusio 2. Eucharistia Occulto peccatori privatim illam poscenti negari debet a ministro, qui aliunde quam per confessionem Sacramentalem novit illius crimen.

Probatur prior pars. Impius occultus, qui privatim & clanculum Sacramentum exposcit, nullum omnino jus habet ad sacram communionem, non quidem ratione status in quo versatur, cum per peccatum ex Dei Patris per Christum adoptione exciderit, non etiam ratione famæ; per occultam scilicet Sacramenti denegationem, illius periculum non incurrit: Unde in casu, de quo agitur, Eucharistiæ sanctitati minister consulere tenetur, ac illud Christi præceptum, *Nolite dare sanctum canibus*, executioni mandare. Ex his confutatum manet fundamentum, quo Dominico Soto ad-

du-

ductus, e priore ſua ſententia diſceſſit, ut contrariam amplecteretur, quamque in 4. Sent. Diſt. 12. quæſt. 1. art. 6. hiſce terminis exprimit: *Thomiſtæ ad litteram ſequantur opinionem communem qualiter eam D. Thomas* in quartum *declarat, videlicet quod peccatori occulto occulte petenti nunquam ſit dandum; Quos quidem Ego olim ſequebar; At vero nunc rem conſiderantius ſpeculatus, video S. Thomam in præſentiarum, ubi res oculatius ſcrutabatur, nihil de occultis peccatoribus diſtinxiſſe, utrum in occulto petant, an in publico, ſed ſimpliciter aſſeruiſſe quod non poteſt eis petentibus ſacra communio denegari; & profecto ita cenſeo, licet in occulto petant, ſi modo bonis verbis & citra ullam notam perſuaderi illis nequeat, ut a Sacramento abſtineant, dum tamen ille a quo petant ſit parochus, cui ex officio incumbit Sacramentum miniſtrare. Enim vero cauſa cur occulto peccatori non eſt denegandum Sacramentum non eſt illa, in qua iſti authores fundantur, ſcilicet ne prodatur crimen, ſed cauſa eſt quam S. Thomas affert, ſcilicet quod cum ille habeat jus petendi, injuria illi fit, ſine manifeſta cauſa non ei idem concedere jus, dum per occultam perſuaſionem non poteſt a propoſito dimoveri.*

Probatur altera pars, nempe miniſtrum non debere, etiam privatim, Euchariſtiam denegare occulto peccatori, cujus crimen per ſolam confeſſionem Sacramentalem noverit. Tam ſtricta eſt obligatio ſigilli confeſſionis Sacramentalis, ut nullo in caſu miniſtro liceat crimen retegere ipſi etiam ſuo pœnitenti ſine expreſſa illius licentia; id vero pernecesſarium videtur ne in ipſammet confeſſionem odium excitetur.

Objicies contra ſecundam concluſionis partem. S. Thomas docuit miniſtrum non poſſe Euchariſtiam concedere occulto peccatori, etiamſi per ſolam confeſſeſſionem Sacramentalem illius flagitia noverit, hæc nempe ſcribit in quartum Senten. Diſt. 9. quæſt. 1. art. 5. in ſolutione primæ quæſtiunculæ: *Dicendum quod ſi Sacerdos ſciat peccatum alicujus, qui Euchariſtiam petit, per confeſſionem; ſi eſt occultum & exigit in occulto, debet ei denegare, & monere ne in publico petat.*

Reſp. Angelicum Doctorem in eam quidem opinionem abiiſſe cum ſcriberet in Sententias; ſe ab ea receſſiſſe videtur cum Summam Theologicam edidit in lucem; quippe qui licet aliquid directe contrarium in ea non ſcripſerit, conjicitur tamen ipſi tunc probatam non fuiſſe quod eo de caſu ſiluerit omnino, quamvis hic articulo ſexto, quo ſcilicet agit de impiis, quibus communio denegari debeat, mentem aperiendi ſuam occaſio ſe ſe obtulerit.



QUÆSTIO SEPTIMA.

De Effectibus Sacramenti Euchariſt.

HAC in quæſtione tria præſtemus oportet: 1. Varios effectus Euchariſtiæ recenſebimus: 2. Dicemus de tempore quo per Sacramentum producuntur: 3. Agemus de obicibus, quæ Euchariſtiæ effectus impediunt.

CAPUT PRIMUM.

Referuntur varii effectus Sacramenti Euchariſtiæ.

S. Thomas 3. part. qu. 79. quatuor effectus Euchariſtiæ recenſet. 1. gratiæ & gloriæ collationem. 2. remiſſionem peccatorum. 3. præſervationem a futuris peccatis. 4. fructum quem quis etiam pro proximo colligat. Quæ ad ſingulos illos effectus ſpectant, hic ſigillatim exponemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Euchariſtia gratiam & gloriam conferat?

CONcluſio 1. Euchariſtiæ Sacramento gratia producitur.

Probatur 1. ex Scriptura. Chriſtus hæc habet Joannis 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*; At vitam ſpiritualem nemo niſi per gratiam habitualem adipiſcitur. Hæc iterum ait: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in illo*; Efficit igitur Euchariſtia ut Chriſtus in fidelibus maneat, non tantum per divinam ejus carnem, quæ a communicantibus ſumitur, ſed per charitatis diffuſionem, ad quam ſub panis & vini ſpeciebus latere voluit. Sic rurſus ibidem loquitur: *Qui manducat me, ipſe vivet propter me, ſeu per me*. Vivere vero per Chriſtum non aliud eſt, quam vivere per gratiam quam largiatur.

Probatur 2. authoritate Patrum. Docuerunt 1. carnem Chriſti ſuam vivificatricem vim in eos exercere, qui myſtica benedictione paſcuntur: *Neceſſario vivificantem* (inquit Cyrillus lib. 4. in Joannem) *Dei verbum uniens ſe ipſum propriæ carni, fecit ipſam vivificativam. Decebat ergo cum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram ejus carnem & pretioſum ſanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane & vino*. Aſſeruerunt 2. fidelem qui vitæ cupidus ſit, oportere ad Euchariſtiam accedere tamquam ad fontem ex quo ſcaturiat: *Qui vult vitam* (inquit Auguſtinus tractatu 26. in Joannem, *habet ubi vivat, habet unde vivat; accedat* (ad Euchariſtiam de qua eo loci loquitur,) *credat, incorporetur, vivificetur*. Huc referri debent quæ de realitate corporis Chriſti in Euchariſtia differentes diximus.

Probatur 3. rationibus S. Thomæ; 1. Par eſt ut Chriſtus eumdem effectum operetur cum inviſibiliter in hominem per Sacramentum venit, quem operatus eſt, cum in mundo viſibiliter apparuit; contulit vero tunc gratiæ vitam; eam igitur & nunc exiſtens in Sacramento operetur oportet. *Reſpondeo dicendum* (inquit S. Doctor 3. p. q. 79. art. 1.) *quod effectus hujus Sacramenti debet conſiderari primo quidem & principaliter ex eo quod in hoc Sacramento continetur quod eſt Chriſtus, qui ſicut in mundum viſibiliter veniens, contulit mundo vitam gratiæ, ſecundum illud Joannis* 1. (*Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*) *ita in hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur ſecundum illud Joannis 6. Qui manducat me, vivet propter me*. 2. Chriſti paſſio per Euchariſtiæ Sacramentum ad vivum repræſentatur, cum (ut ſuo loco diximus) verba quibus conſecratur, ſint ſicut gladius qui ſanguinem a Chriſti corpore veluti ſeparet; ita ut vi eorum quibus panis benedicitur, ſolum corpus ponatur ſub ſpecie panis, & vi aliorum quibus calix conſecratur, ſolus ſanguis ſub vini ſpecie reperiatur: convenit igitur ut Euchariſtia eum effectum operetur in homine, quem paſſio in mundo quondam operata eſt, ſeu ut gratiam conferat, quam illa merita eſt; *Secundo* (ait Angelicus Doctor) *conſideratur ex eo quod per hoc Sacramentum repræſentatur quod eſt paſſio Chriſti ... & ideo effectum quem paſſio Chriſti fecit in mundo, hoc Sacramentum facit in homine.* Confirmat authoritate Chryſoſtomi, qui aſſerit SS. Sacramentum eſſe oris adinſtar quo fideles profluentem ex Chriſti latere ſanguinem, ac proinde gratiam ſugant: *Unde ſuper illud Joannis* 19. (*Continuo exivit ſanguis & aqua*) *dicit Chryſoſtomus, quia hinc ſuſcipiunt principium ſacra myſteria cum acceſſeris ad tremendum calicem, ut ab ipſa bibiturus coſta ita accedas: unde & ipſe Dominus dicit: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*. 3 Cum ex corporeis ad ſpiritualia mens ut plurimum aſſurgat, ex pane & vino, ſub quorum ſpeciebus corpus Chriſti continetur, diſcamus oportet, quæ Euchariſtia in fidelibus operetur: Ergo cum vitæ corporeæ reſpectu, panis & vinum nutriant, augeant, delectent: Euchariſtia ad vitam ſpiritualem comparata alit, fovet ac vegetat fidelem. *Tertio conſideratur* (inquit S. Thomas) *effectus hu-*

jus Sacrameati ex modo quo traditur, per modum nempe cibi & potus: & ideo omnem effectum, quem cibus & potus materialis facit quantum ad vitam corporalem (quod scilicet sustentat, auget, reparat, delectat,) hoc totum facit hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem. Unde Ambrosius dicit in lib. de Sacramentis: Iste est panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit ... & ipse Dominus dicit Joannis 6. Caro mea vere est cibus & saaguis meus vere est potus. 4. Tandem S. Thomas gratiam hoc Sacramento conferri ex eo colligit, quod fideles mutuo inter se charitatis vinculo obliget, ita ut unus spiritus sint in Christo & unum cum eo corpus efficiant; ea vero charitas sine gratia, eui suam debeat originem, concipi minime potest. *Quarto consideratur effectus hujus Sacramenti ex speciebus in quibus traditur hoc Sacramentum. Unde Augustiaus dicit, Dominus noster corpus & sanguinem suum in eis rebus commendavit quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis: namque aliud scilicet panis, ex multis granis ia unum constat, aliud scilicet vinum, in unum ex multis aciais coasluit; & ideo ipse alibi dicit super Joaanem, a Sacramentum pietatis, o signum unitatis, a vinculum charitatis! Et quia Christus & ejus passio est causa gratiæ, & spiritualis refectio, & charitas sine gratia esse non potest, ex omnibus præmissis manifestum est, quod hoc Sacramentum gratiam confort.*

Quæres quæ gratia pee Eucharistiam producatur? an peima qua quis ex impio fiat justus; an secunda per quam præhabita justitia augeatur? si secunda, Actualisne est, an vero habitualis?

Resp. ad primum, Eucharistiam pee se secundam geatiam producere, quippe quæ, cum sit vivorum Sacramentum, vitam in subjecto a quo recipitue, præsupponat; Cujus vero speciei sit ea secunda gratia, colligitur ex modo quo coufeetur, oon enim se habet sicut gratia, quæ per confirmationem producitue, qua nempe neophytus veluti exterius armatur contra fidei hostes; sed se habet per modum cibi & potus, quibus resarcitur ac eeparatue charitas, quæ in vita spirituali, humido, ut vocant, eadicali vitæ corporeæ correspondet, quæquæ in dies pee cupiditatis calorem depascitur. Resp. ad secundum, gratiam quæ Eucharistia confertur, esse habitualem insusam, sed quæ conjuncta sit cum jure ad auxilia actualia, quibus hominis spiritualis vita & augetue & conservatur, nec mieum cum ex Apostolo charitas otiosa non fit, ad Dei nempe mandatorum praxim subjectum in quo dominatue, & movet & sollicitat.

Conclusio 2. Adoptio æternæ vitæ proprius est Eucharistiæ effectus.

Probatue. Æterna felicitas dicit & gloriam corporis, & animæ felicitatem. Sed Eucharistia utrumque operatur: 1. quidem corporis gloriam, cum sit immortalitatis & resurrectionis semen, dicente ipsomet Chisto, *Qui maaducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æteraam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ad quam quidem Salvatoris sententiam attendens Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joannem cap. 2. sic loquitue: *Fieri prorsus nequit, ut qui secundum naturam vita est, corruptionem aon superet ac vincat mortem. Proinde licet mors, qai per prævaricationem non invasit, humanum corpus corruptionis necessitati subjiciat: tamen quia Christus per suam ipsius carnem in nobis est, omniao resurgemus; incredibile enim est, imo vero impossibile ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet: Quemadmodum enim scintillam multis paleis inserimus ut semen ignis servemus: sic etiam Dominus aoster Jesus Christus per carnem suam in nobis vitam ingerit, ac velut quoddam semca immortalitatis inserit; quod totam, quæ in nobis est, corruptionem abolet.* Nec illi S. Pateis doctrinæ adversatur experientia, qua compertum est eos, etiam infideles, qui Christi corpus nusquam degustaeuot, resurrecturos; prævidit oempe sanctus Doctor illud argumentum: *Sed dicet forsan aliquis* (ait lib. 4. cap. 2.) *qui fidem in Christum non susceperunt, nec facti suat ejus participes, resurrectionis tempore non revivifcent.* Illi vero sic occurrit: *Resurgere ad pœnam, & ad sola supplicia encitari, morte ipsa longe acerbius esse judico.* Noo ergo qualemcumque resurrectionem, sed tautum quæ sit ad vitam, Eucharistiæ Cyrillus adscribit. 2. Animæ felicitatem in altera vita pariet Eucharistiæ Sacrameotum; juxta illud Christi in Evangelio; *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*; imo in ista ojusdem felicitatis aerha est & pignus, ut passim asserunt SS. Patres; Viaticum est datum in subsidium vitæ spiritualis, per quam fideles gloriam adipiscentue. Nec obstat quod multi, etiam ea qua pae est pietate, Eucharistiæ Sacramento pascantue, qui tameu eterna hæreditate in cœlis uusquam fruituri suut; id enim non accidit ex Eucharistiæ defectu, quæ ex se considerata satis habet virium ut hominem ad gloriam perducat, sed id oritur ex eorum a quibus sumpta est, infidelitate, qui parent postea cupiditati, qua charitas pee Eucharistiam comparata plane depascitur. Confirmatur responsio exemplo desumpto ex Christi passione, quæ quidem licet ex se satis sit ad hominum salutem, omnes tamen renitente nimirum concupiscentia, ad eam oon perducit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Eucharistia remissionem peccatorum operetur?

QUæremus hic 1. utrum peccata mortalia per Eucharistiam deleantur: 2. ao operetur venialium remissionem: 3. utrum pœoam cum culpa dimittat.

Conclusio 1. Eucharistiæ Sacramentum pee se, seu ex vi finis, ad quem institutum est, lethalium peccatorum remissionem non operatur.

Probatue 1. Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit, ut esset animæ cibus, juxta illud Christi in Evangelio, *Caro mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus.* Sed animæ cibus pee se mortem ab ea oon depellit, imo vitam in ea præsuppooit, cum cibi mortuorum non sint, sed viveutium taotum. 2. Per communionem Eucharisticam, fidelis cum Christo intime conjungitur; Conjunctio vero illa, peccati mortalis remissionem non operatur; sed potius ipsum jam eemissum supponit, neque enim intima secum conjunctione Christus eum donat in quo peccati affectus dominatue. 3. Is qui cum jacet in peccato mortali, sacræ accumbit mensæ, summæ in Christum irreverentiæ reus est; tantum abest ergo ut peccati remissionem consequatue, quio potius maximi sacrilegii reus efficiatur, dicente Apostolo: *Qui maaducat & bibit iadigne, judicium sibi manducat & bibit.*

Objicies 1. In forma qua calix consecratue, exprimitur ipsa peccatorum remissio, quam calicis usus operatue: *Hic est calin novi & æterni testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* Eodem spectat hæc oratio, quam acceptis sacris donis Sacerdos Ecclesiæ nomine fundit: *Hæc aos communio Domine purget a crimine. Purificent nos, quæsumus Domine, Sacramenta qua sumpsimus, & præsta ut hoc tuum Sacrameatum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sits ablutio scelerum, sit viverum atque mortuorum remissio omnium delictorum.* Criminum vero, Scelerum nomine, peccata mortalia intelliguutue. Censet igitur Ecclesia Eucharistiæ Saceameuto lethalia peccata dimitti.

Resp. 1. relatas Ecclesiæ preces non intelligi de Eucharistia ut Sacramentum est, sed prout est sacrificium; quod quidem offertue non pro justis modo; sed & pro pœnitentibus, quibus nondum remissum est peccatum; imo & pro impiis, qui non tantum in statu criminis versantue, sed & inteeuum ad illud affectum habent, seu illius amore detiuentur. Nec obstat quod iis in orationibus Eucharistia Sacramentum nominetue, *Ut hoc tuum Sacramentum &c.* Norunt scilicet omoes periti ipsum sacrificium a veteribus Sacramenti nomine non raro appellatum fuisse: *Notum est* (ioquit Augustinus lib. de sancta Vieginitate cap. 45.) *quo loca Martyres, & quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur.* Eadem loquendi ratione utitur tertium Concilium Carthaginense, hæc eoim de

tre-

tremendis ſacrificiis ait, *Nonniſi n jejunis hominibus celebreatur*. Is loquendi modus ita tritus erat apud antiquos, ut miſſarum, & liturgiarum Libri, *Sacramentaria* inſcriberentur; id in Sacramentario, quod Gregorio Magno tribuitur, videre eſt.

Reſp. 2. preces, de quibus in objectione, ſi Eochariſtiæ, prout eſt Sacrameotum, appliceotur, de ſpœnis peccato tum mortali, tum veniali etiam poſt culpæ dimiſſionem debitis intelligi, ita ut Sacerdos, & pro ſe ipſo, & pro cæteris juſtis, qui Sacramento aut in re aut in voto communicarunt, dimiſſionem pœnæ propter crimina debita veniam ac indulgentiam poſtulet.

Objicies 2. Plerique e Schola Theologi doceot Euchariſtiam, ſaltem per accidens, peccatorum etiam lethalium culpam dimittere: ſiquidem contendunt eum qui jacet in ſtatu criminis, ſi illius affectu vacuus ſit, atque conſcientia careat, peccati mortalis cujus reus eſt, veniam per Euchariſticam communionem adipiſci. Suum illud effatum confirmant 1. ex S. Thoma qui 3. part. quæſt. 79. art. 3. in corpore, ſic loquitur: *Poteſt tamea hoc Sacramentum operari remiſſionem peccati dupliciter, uno modo non perceptum actu, ſed voto, ſicut cum quis prius juſtificabitur a peccato* (per Baptiſmum, aut Pœnitentiam.) *Alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam, & affectum non habet: forte enim primo non fuit ſufficienter contritus, ſed devote ac reverenter accedens, conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet & remiſſionem peccati*. Confirmant 2. ex diſcrimine, quod reperitur inter animal mortuum, cujus ori alimenta infunduntur, & hominem lapſum, qoi Euchariſtiam ſumit. Illud omoi prorſus vita deſtitutum eſt, iſte vero, ſi eum ex Dei amore, ſaltem inchoato, pœniteat, imperfecta vita, per charitatem oimirum actualem, donatus eſt, ac proinde non eſt omoino incapax ſacræ nutritionis, quę per Euchariſtiam ſufficitur. Confirmant denique 3. ex eo quod Euchariſtiæ Sacrameotum ſit cæteris præſtantius, cum ipſummet gratiæ fontem contineat; ac proinde (inquiunt) aliorum omoium Sacramentorum virtutem eminenter complectatur.

Reſp. 1. Fidei dogma non eſſe quod Euchariſtia, etiam per accidens, peccata mortalia dimittat; Id ſcilicet oon paoci catholici, quos laudat, & ſequitur Vaſquez, inficiantur. Reſp. 2. illud, de quo agitur, dogma non pugnare cum noſtra concluſione; ea ſiquidem aſſeritur Euchariſtiæ Sacramentum ex vi finis, ad quem inſtitutum eſt, ſeu per ſe, peccata lethalia noo remittere.

Concluſio 2. Euchariſtiæ Sacramentum per ſe peccatorum venialium remiſſionem operatur.

Probatur 1. authoritate Ambroſii, qui hæc ſcribit lib. 5. de Sacram. cap. 4. *Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*. 2. Euchariſtia dat jus ad auxilia ſpecialia, quæ oeceſſaria ſunt, ut quis ferventes charitatis actus eliciat; Sed per charitatis fervorem peccata venialia dimittuntur; cum enim charitatis fervori opponantur, par eſt, ut ab eodem fervore expellantur, cum contraria contrariis excludi neceſſe ſit. Ex his patet 1. quod licet Euchariſtia venialium culpam ex opere operato dimittat; id tamen non fiat niſi mediante charitatis fervore. Patet 2. eos decipi, quibus perſuaſum eſt dimitti ſibi peccata venialia, quorum ipſum etiam affectum in corde fovent ac nutriunt. Patet 3. tuto ſibi eos non conſulere, qui Chriſti menſæ accumbunt parum curantes de peccatis venialibus, quibus oullo negotio, & data opera, aut ignavi ſocordia ſe ſe in dies obligaot, cum eoim fervori charitatis opponantur, uberem Euchariſtiæ fructum, niſi quis ea deteſtetur, impediunt, ut inferius dicetur.

Concluſio 3. Eochariſtia non directe quidem, ſed indirecte pœnam peccatis debitam dimittit.

Probatur 1. Quod Euchariſtia *directe* pœnam noo dimittat ex eo colligitur, quod eum ſolum effectum directe producat, ad quem per ſe fuit inſtituta; non fuit vero per ſe inſtituta, oiſi ut per modum cibi animam nutriat. 2. Quod indirecte pœnæ dimiſſio ex ea, etiam ut Sacramentum eſt, ſequatur, ex eo in-

Juenia de Sacram.

fertur, quod charitatis fervor, ad qoem aoxilia ſufficit, ſuperſtitem culpæ pœnam obtineat. Utramque illam ratiooem his verbis complectitur, & explicat S. Thomas: *Si igitur conſideretur* (inquit 3. part. quæſt. 79. art. 5.) *ut Sacramentum, habet effectum dupliciter; Uno modo directe ex vi Sacramenti, alio modo quaſi ex quadam concomitantia .... Ex vi quidem Sacramenti directe habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriſtum, & ad membra ejus; ſed quia hæc unio fit per charitatem, ea cujus fervore aliquis conſequitur remiſſionem non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ, inde eſt, quod ex conſequenti per quamdam concomitantiam ad principalem effectum, homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ devotionis, & fervoris.*

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Euchariſtia a futuris peccatis præſervet?

CONcluſio. Euchariſtia per ſe a peccatis futuris præſervat.

Probatur 1. ex Scriptura Joaonis 6. hæc habentur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; Quæ quidem ſeotentia (ioquit S. Thomas) cum de corporali vita intelligi non poſſiot, oeceſſario ſignificat præſervationem a morte ſpirituali, quæ homini per lethale peccatum infertur. Eodem Joannis capite Chriſtus Euchariſtiam opponit mannæ, quod quoodam Judæis pluit in deſerto: *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*. Ideo Judæi maona veſcentes mortui ſunt, quod manna ſuffectum fuiſſet in ſubſidium vitæ temporalis, quæ ex ſe tandem finitur: Ergo e cootra mori per peccatum non debent fideles, quod paſcantur Euchariſtia, quæ ad vitam ſpiritualem, ex ſe perpetuam, & per accidens tantum amiſſibilem ſubminiſtratur.

Probatur 2. rationibus Aogelici Doctoris. 1. Per Eochariſtiam ſpiritualis vita maxime roboratur, cum enim per modum cibi ſumatur, oon poteſt quin animæ corruptioni medeatur, ac proinde quin præſervet a peccatis, quæ ex naturæ corruptione proſiliuot, ſicut alimenta mortem corporalem eo ſeoſu removent, quod amiſſas oaturæ vires reſarciant. 2. Moritur quis quod ab hoſtibus exterius impugnetur: At Euchariſtiæ Sacrameotum arma præbet, quibus Chriſtiani ſe ſe adverſus exteriores inimicos tueantur; Unde contra diabolum pugnaturis in exitu ſubminiſtratur: iis pariter confertur, qui cum membris diaboli, gentiles dico, & hæreticos, pro fidei defenſione in arenam deſceodunt; *At vero* (inquit Cyprianus lib. de lapſis,) *nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio a nobis danda eſt, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus. Et cum ad hoc fiat Euchariſtia ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos contra adverſarium volumus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure communicationis admittimus.*

Objicies 1. Qui Euchariſtia donati ſunt, nonnumquam io graviſſima ſcelera prolabuntur: Ergo ejus non eſt virtutis, ut per illam futura peccata caveaotur.

Reſpondet S. Thomas, per accidens eſſe, quod per Euchariſtiam futura peccata non caveantur; id oimirum oritur non ex eo quod debilis ſit ejus virtus, ſed quod in ſubjecto defectibili recipiatur, quam quidem defectibilitatem oon tollit. *Ad primum ergo dicendum* (inquit S. Doctor) *quod effectus hujus Sacramenti recipitur in homine ſecundum hominis conditionem*;

ficut contingit de qualibet caufa activa, quod ejus effectus recipitur in materia fecundum modum materiæ. Homo autem in flatu viæ eft hujus conditionis, quod liberum arbitrium ejus poteft flecti in bonum, & malum; Unde licet hoc Sacramentum quantum eft de fe, habeat virtutem præfervativam a peccato, non tamen aufert homini poffibilitatem peccandi.

ARTICULUS QUARTUS.

An Eucharistiæ Sacramentum aliis quam fumentibus profit?

NON eft hic queftio an Euchariftia, prout facrificium eft, aliis profit quam fumentibus, eum enim nodum fubfequenti differtatione folvemus; fed difficultas eft utrum ex ea prout eft Sacramentum, ii fructus aliquos colligant, a quibus non fumitur.

Conclufio. Euchariftia, prout eft Sacramentum, aliis a fumente, non directe quidem fed indirecte prodeft.

Probatur prior pars. 1. Ea eft omnium Sacramentorum conditio, ut iis tantum a quibus fumuntur, directe profint, quippe quæ vim in eos folum exerant, fuamque virtutem ex opere operato in eos effundant, quibus exterior illorum ritus, nempe materia, & forma applicantur. 2. Euchariftia id habet fpeciale præ cæteris Sacramentis, ut effectum operetur fuum, cibi, & potus adinftar; quemadmodum igitur alimenta iis tantum per fe profunt, a quibus fumuntur; ita, & Euchariftiæ Sacramentum in eos tantum per fe agit, a quibus editur.

Probatur altera conclufionis pars. 1. Debita Euchariftiæ fumptio opus eft maxime pium: Ergo vi communionis Sanctorum, quam in Symbolo profitemur, iis etiam, a quibus non fit, prodeft quam maxime. 2. Ex S. Thoma, Euchariftiæ fumptio indirecte, & per quamdam concomitantiam ad effectum principalem, pœnæ peccato debitæ remiffionem operatur; Ergo idem præftat eorum refpectu pro quibus a communicantibus offertur; Quod enim quifque per laborem, feu per proprium actum comparaverit, per amorem ac oblationem poteft efficere, ut proximo commune fit. 3. Sacra Cardinalium Concilii Tridentini intrepretum congregatio profcripfit recentioris cujufdam opufculum, quo communionem pro mortuis factitari folitam damnarat tamquam *fordem non ferendam, veluti piam fraudem, efcam falfi fructus, ftropham prætextu pietatis tectoriam falfitatis.*

CAPUT SECUNDUM,

Quo temporis momento Euchariftiæ Sacramentum fuos effectus operetur.

FIde quidem certum eft Euchariftia ut Sacramentum eft gratiam produci: Sed quo temporis inftanti illum effectum operetur, non certo conftat inter Scholafticos. Nonnullis cum Becano placet, tunc Sacramenti gratiam conferri, cum hoftia ore fumentis excipitur, feu antequam in ftomachum per guftum diffluat; hoc autem principio nituntur, quod in ore alimentorum efus incipiat, & cibi fapor, & fuavitas deguftentur. Aliis poft Suarem perfuafum eft eo momento produci effectus Euchariftiæ, quo fpecies per guttur in ftomachum trajiciuntur, in hujufmodi enim trajectione manducationem præcipue pofitam effe contendunt: Dominicus Soto putat eo inftanti gratiam conferri, quo primum fpecies ftomacho excipiunt. Tunc nempe (inquit) verum eft cibum fuiffe manducatum. Excogitarunt aliqui nullam virtutem ex Sacramento exire, nifi cum fpecies in aliti fubftantiam tranfeunt, par fiquidem eft (inquiunt) ut tunc anima de Deo faginetur, cum corpus nutritur exteriori Sacramento. Cajetanus aliud placitum finxit, cenfuit nempe non unicum inftans affignari debere, quo Euchariftia vim fuam in fufcipientem exerat, fed plurima determinari poffe, ea nimirum omnia quibus fpecies Sacramentales in ftomacho confervantur. Tandem aliis videtur nullum inftans pro effectu Sacramenti præcise determinandum effe, fed effe quodvis ab eo momento, quo fpecies ore exceptæ in aliti fubftantiam convertuntur. Quam ex iis opinionibus tueamur, fubfequentes conclufiones breviter declarabunt; nec enim opus eft, ut quæftioni hujufmodi multum temporis infumatur.

Conclufio 1. Euchariftia ore tantum excepta fuum effectum non producit, nec eo inftanti, quo per guttur in ftomachum trajicitur.

Probatur prior pars. Gratia per Sacramentum non producitur; nifi cum quis eo utitur; Ufus vero Euchariftiæ in comeftione pofitus eft, *Qui manducat meam carnem & bibit meum fanguinem* (ait Chriftus Joannis 6) *habet vitam æternam*. Cibi autem comeftio non eft cum ore tantum excipitur, poteft enim expui; quo quidem in cafu non effet comeftio. Altera conclufionis pars ex eo colligitur, quod cibus eo inftanti comeftus non cenfeatur, quo e gutture ad ftomacum defluit.

Conclufio 2. Singula inftantia, quibus fpecies confervantur in ftomacho, immerito affignantur pro ductione gratiæ, quam Euchariftia confert.

Probatur 1. Iis inftantibus, quibus fpecies in ftomacho confervantur, eo fenfu gratia non producitur, quod fingulis augeatur, alioquin enim dici poffet uberiorem ac intenfiorem gratiam ei conferri, cui major hoftia porrigeretur, cum major hoftia diutius, quam minor in ftomacho confervetur; Idem quoque ferri deberet judicium de homine, qui ob ftomachi debilitatem tardius fpecies digereret; Sed hæc effe perabfurda nemo non videt. Ultimo inftanti quo fpecies exiftunt, effectus Sacramenti non producitur, quippe quod fequeretur, eum qui Euchariftiam in ftatu, & affectu peccati mortalis comedit, ejufdem Sacramenti virtute gratiam poffe recipere; poft efum fcilicet, ipfum tum peccati cujus erat reus, tum facrilegii quod per comeftionem admifit, pœnitere poterit antequam fpecies Sacramentales in aliti fubftantiam converfę fuerint. 3. Tempus, de quo hic agitur, omnia inftantia indeterminate non complectitur, in nonnulis enim ut in digeftione, actio mere naturalis, ac proinde Sacramenti ufui inepta, reperitur.

Objicies cum Cajetano. Cibus, & potus quamdiu funt in ftomacho, viventi profunt. Ergo, & Euchariftia, cum cibi ac potus adinftar fumatur.

Refp. neg. confeq. Ratio difparitatis eft, quia cibus corporeus non prodeft cum actu fumitur, fed tantum cum actu digeritur, tunc enim tantum in aliti fubftantiam convertitur; o contra prodeft Sacramentum cum fumitur, eo quod per fumptionem fubjecto, ut par eft, applicetur,

Conclufio. 3. Eo inftanti Euchariftia gratiam producit, quo verum eft dicere quod comefta fit, feu ex gutture ad ftomachum trajecta.

Probatur. Eo inftanti indivifibili, quo cibus eft in ftomacho, completum eft quod Chriftus circa Euchariftiæ ufum præcepit, *Accipite*, *Manducate*, *Bibite*, cætera fiquidem, ut digeftio, converfio in fubftantiam viventis fub præceptum cadere non poffunt, cum non fint penes hominis arbitrium.

Ex hactenus dictis colligitur 1. eum Sacramenti vi gratiam non recipere, in cujus ore hoftia confecrata liquefit; is enim eam manducaffe non cenfetur; Unde vetant canones ne iis detur, qui præ infirmitate eam deglutire non poffunt. Colligitur 2. eum, qui cum affectu ad peccatum lethale fumpfit Euchariftiam, effectum ex opere operato folitum produci non recipere, etiamfi eum immediate poft manducationis actum fceleris, & facrilegii pœniteat, & quamvis fpecies adhuc integræ in ftomacho perfeverent; ubi enim tranfiit, & completus eft Sacramenti ufus, nullam vim deinceps exerit, uno tamen excepto baptifmate, quod (ut fuo loco oftenfum eft,) fublata fufcipientis fictione, etiam poft multos annos revivifcit.

CA-

Caput Tertium,

De iis, quibus impediuntur Eucharistiæ effectus,

Hic expendemus 1. utrum conscientia peccati lethalis Eucharistiæ effectus impediat. 2. an idem de peccatis venialibus sit defioiendum. 3. utrum atteotionis actualis defectus illis sit obici. 4. num gravi se flagitio devinciant, qui Eucharistiæ effectibus obicem apponunt.

Articulus Primus.

Utrum conscientia peccati lethalis Eucharistiæ effectus impediat?

Inauditum doctrinæ portentum circa propositam quæstionem Lutherus sæculo decimo sexto protulit in medium: Docuit nempe conscientiam peccati lethalis nequaquam obesse SS. Sacramenti effectibus; imo ex Eucharistia eo uberiorem effectum recipi contendit quo plurium & graviorum scelerum quis conscius fuerit. In concione, quam de præparatione ad Eucharistiam habuit aono 1518. hisce verbis mentem apesit suam: *Optima dispositio est, nonnisi ea, qua pessime es dispositus, & e contrario tunc pessime es dispositus, quando optime es dispositus.* Assertum suum probat ex eo quod (ait) Christus etiam in hoc Sacramento non venerit justos vocare, sed peccatores; uode infert perniciose eos errare qoi bonæ conscientiæ testimonio nixi, sacræ mensæ accombuot; infert iterum fidelibus suadendum esse, ut pœnitentiæ opera oon præmittant communioni, sed differant donec peracta sit. Idem paradoxum tuitus est in libro de captivitate Babylonica, quem conscripsit anno 1520. Capite quod de Eucharistia inscribitur hæc habet, *Concludimus ex omnibus his quibusnam Missa parata sit, & qui digne communicent, nempe soli illi qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, & erroneas habent conscientias: Nam verbum divinæ promissionis hujus Sacramenti, cum exhibeat remissionem peccatorum, secure accedit quicumque peccatorum suorum vexatur, sive remorsu, sive titillatione.* In libro de abroganda Missa idem dogma multis coofirmat, addit vero iniqoo furore eos agi, qui confessionibus & orationibus munditiem sibi comparare oituntur antequam dooeotur sacra communione, cum (inquit) accedere non debeant, nisi qui egent peccatorum remissione.

Calvious fatetur quidem peccandi voluntatem obesse Eucharistiæ effectibus, sed contendit tamen peccati lethalis conscientiam nullo ipsis esse impedimento; *Meminerimus* (inquit lib. 4. Instit. cap. 18.) *has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem, quæ sanis justis & divitibus nullum adferrent operæ pretium*; Paulo post hoc iterum habet, *Cum in vitam detur, intelligimus nos sine ipso in nobis plane mortuos esse.* Cohæret illa doctrina cum Calvioi principiis, quippe qui tamquam palmarium axioma doceat, opera omoia, etiam justorum, lethalia esse peccata, quæ tamen prædestioatis Deus non impotet ad pœnam, unde consequitur fieri non posse, quin & ii, quos justos dicimus, plurium lethalium peccatorum conscientiam habeant.

Conclusio. Peccati lethalis conscieotia Eucharistiæ Sacramentum omni suo effectu frustratur.

Probatur 1. ex Scriptura. 1. Joanois sexto capite quo SS. Sacrameoti effectus describuotur, nihil est quo probetur Eucharistiam peccatorum mortalium consciis prodesse; imo multa sunt, quibus ostendatur in iis taotum operari qui vita spirituali vivunt; hujusmodi ea sunt, quibus dicitur cibus & potus, *Caro mea vere est cibus, Sanguis meus vere est potus.* 2. Paolus primæ ad Corioth. 11. hæc habet: *Probet seipsum homo & sic de pane illo edat; Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Probationis autem nomine quam Apostolus vult Sacramento præmitti, non intelligitur experimentum quo accessurus ad Sacramentum tentet an fidem habeat, qua credat sibi propter Christum peccata non imputari; illius enim noo imputationis ne vel levissimum est eo loci vestigium; Damnat quidem ibi Paulus nonnulla contra mores peccata, intemperantiæ oimirum, scandali, & irreverentiæ: *Alius esurit* (inquit eos carpens qui opipare post sacram cœoam epulabaotur) *alius ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Sed fidei quam adversarii *misericordiæ specialis* fidem appellant, ne apicem quidem Apostolus attingit, licet tamen, ut rentur, illius fidei privatio unus sit, & solus communionis obex.

Probatur 2. ex Traditione. 1. hæc Diaconorum verba mediis in sacrificiis omoium auribus insonabant, *Sancta Sanctis*; in quæ qoidem verba Chrysostomus hæc scribit homil. 17. in Epist. ad Hebræos: *Quando dicit Sacerdos* (Diaconi ore) *Sancta Sanctis, hoc dicit, Si quis non est sanctus, non accedat, non solum* (inquit). *a peccatis purus, sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia Spiritus & bonorum operum ubertas, & opulentia; Non solum* (inquit) *volo vos ab vitiorum cœno repurgatos, sed candidos esse & pulchritudine conspicuos.* Quot sunt verba io ea seotentia Chrisostomi, tot sunt fulmina, quibus dogma Lutheraoorum obruitur. 2. Noo catechumeni modo & Energomeni, sed & pœnitentes tunc ejiciebantur e templis cum tremendum sacrificium offerendom erat. *Excluduntur* (ait Dionysius libr. de Ecclesiast. Hierarchia cap. 3.) *a templo Dei & sacrificio: a cujus sublimi & Divina excelsitate nimirum absunt, primum qui mysteriis nondum initiati, eorum omnino expertes sunt; Deinde qui a sanctitate vitæ Christianæ desciverunt.* Ejusdem disciplinæ testis est Chrysostomus hom. 111. in capot primum Epist. ad Ephesios, *Audis* (inquit) *Diaconum stantem & proclamantem, Exeant quotquot sunt in pœnitentia.* Si ab Eucharistiæ conspectu ablegabantur pœnitentes: a fortiori ab ejus participatione removebantur tum iidem pœnitentes, tum alii, quos nondum perditæ vitæ pœnituerat. 3. Neminem lapsum Patres (ut inferius ostendetur) admittebant ad sacram Synaxim, qoio scelera diuturnis ac gravissimis pœnitentiæ laboribus eloisset. Hinc Cyprianus libr. de lapsis asserit, lapsos qoi pœniteotia non persuncti Eucharistiam ambiebant, *Corpori Christi & sanguini vim inferre*; miratur, quod eo prudentiæ progressi essent, *ut Sacerdotibus irascerentur, quod non statim Domini corpus inquinatis manibus acciperent; aut ore polluto Domini sanguinem biberent.* Patres igitur aberant quam maxime ab adversariis, ex quibus, gravissima scelera recipiendo communionis fructui oon sunt impedimento.

Ex iis oneribous patet antiquam Ecclesiæ fidem Tridentinam Synodum explicuisse, cum hisce verbis sess. 13. cap. 7. recentiorum hæreticorum de præparatione ad Eucharistiam dogma confixit: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus, qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse; ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris.*

Objicies 1. cum Lothero. Christus quamdio in terris versatus est, nomquam peccatores a se submovisse legitur, imo perquam familiariter cum iis collocutus est, eorum cooviviis excipi voluit, quod quidem cum Pharisæi ægre ferrent, hoc responso compressi soot; *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Ergo scelera ab in-

ineunda cum Christo in SS. Sacramento societate fideles non impediunt.

Resp. concesso ant. neg. conseq. 1. Si quidpiam probaret illud argumentum, eo evinci posset non Christianis modo, sed & ethnicis Eucharistiam porrigi debere; ethnicos quippe Christus, dum viveret, affatus est, sui contactum hujusmodi hominibus nonnunquam permisit. 2. Humano modo oportuit Christum inter peccatores versari, ut eos ad fidem, & justitiam vocaret. At in Eucharistia cum per modum cibi, & potus hominibus se tradat, vivant homines oportet, ut ex Divini illius cibi & potus participatione emolumentum consequantur.

Objicies 2. cum Calvino. Nullus est homo, qui innumerorum peccatorum sordibus non scateat; Ergo si peccata fideles ab Eucharistia communione prohiberent, universum humanum genus quasi generali quodam interdicto Sanctuarii aditu prohiberetur.

Resp. hominem in terris, saltem diu, esse non posse quin variis peccatis venialibus Divinæ justitiæ obnoxius teneatur; Unde a S. Augustino animadversum est neminem ad Episcopatum idoneum reperiendum esse, si Episcopum ut sine crimine, ita sine peccato esse debere Paulus statuisset: At vero quemque cum speciali per Christum auxilio, etiam per totam vitam, immunem posse esse a peccatis lethalibus, quæ uno ictu animam interimunt, Scriptura & Patres constantes asseruerunt. Augustinus eo nixus principio justi hominis officium in duobus positum esse contendit; *Primum* (inquit Epist. 84.) *ut a peccatis illis abstineat, quæ etiam crimina*, hoc est mortalia, *vocantur; Deinde, ut illa peccata, sine quibus hic non vivitur, idest venialia, mundare operibus misericordiæ, & piis operibus non negligat.* Eodem spectant quæ S. Doctor scribit Sermone 244. de iis qui matrimonio intemperanter ac extra procreandorum liberorum fines utuntur, *Sed dicis* (inquit) *peccatum quidem est, sed tamen parvum est. Nec nos dicimus quia capitale*, seu mortale, *peccatum est. Sed tamen si frequentius exerceatur, & jejuniis vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit.*

Quæres num peccata lethalia, sed quæ ignorentur, communionis fructum impediant?

Resp. 1. ea de quæstione nihil a sacra Tridentina Synodo definitum fuisse; licet enim edixerit peccata etiam lethalia, quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt, & ad quæ nullus effectus remanet, eadem includi confessione, per quam cætera Sacerdoti detecta sunt, ac proinde eadem absolutione remitti: omnino tamen siluit de iis, quæ post confessionem commissa supponuntur. Satis fuit Concilio Lutheranos damnare, qui peccati mortalis conscientiam communionis fructui nihil obesse contendebant.

Resp. 2. Scholasticos post S. Thomam passim docere, peccata de quibus agitur, modo tamen pœnitentis affectus illis non inhæreat, non reddere communionem sacrilegam, nec fructus illius impedire; ipsamet nimirum communione, ut articulo superiore dictum est, per accidens (ut ajunt) dimittuntur. Sed lectorem præmonitum velim 1. apud omnes constare immunes non esse a sacrilegio, qui sua culpa ignorantes, quod in statu peccati lethalis versentur, accedunt ad sacram Synaxim; *Ad quintum dicendum* (inquit S. Thomas 3. part. quæst. 80. art. 4.) *quod hoc quidem non habet aliquis conscientiam sui peccati, potest contingere dupliciter. Uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris, quæ non excusat, reputat non esse peccatum quod est peccatum (puta si aliquis fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale) vel quia negligens est in examinatione sui ipsius, contra id quod Apostolus dicit prima ad Corinthios undecimo: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; Et sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.*

Eo S. Doctoris axiomate concluditur non habituros apud Deum sacrilegarum communionum purgationem idoneam eos omnes, qui se ipsos ultro excæcantes, nihil aliud flagitiis obtendunt quam honestum nomen; hujusmodi vero sunt plures avari, qui turpissimas usuras lucri liciti specie obvelantes, sicut hominibus, ita & Deo se fucum facturos existimant. Iis quoque accenseri debent Clerici, qui occultæ cupiditati servientes, patrimonio pauperum pasci ac pinguescere amant, sexcentisque fraudibus ac technis impunitam Sacrorum nundinationem instituunt. Iis pariter annumerari debent Sacerdotes, qui nec levis quidem criminis se reos esse putant, quod a Christo non vocati, imperiti, improbi, una terreni commodi spe, Ecclesiastica ministeria obeant. Ejusdem, de qua agitur, ignorantiæ, consciæ sunt fœminæ, quæ licet innumeris sceleribus occasionem ultro præbeant, & vitam ducant Ethnicarum more, morum tamen innocentiam obtendunt. Illorum ac similium hominum tenebræ, perspicua sunt corrupti cordis argumenta, & supplicia Dei irati, qui (ut ait Augustinus lib. 1. confessionum capite 18.) *Spargit pœnales cecitates super illicitas cupiditates.*

Alterum, quod quisque menti suæ infigere debet, illud est, nempe probationem, quam Apostolus vult communioni præmitti, quamque S. Thomas loco proxime laudato examen appellat, in sola recensione peccatorum non esse positam; continet enim præterea scrutationem recessuum cordis; seu nemo, ut par est, probavit se, quin expenderit an liber sit a præteritorum peccatorum amore, vereque statuat cum baptismi legibus mores componere; *Quoniam aliter* (inquit Gregorius Papa VII. Epist. libr. 7. Epist. 10.) *simulatio dici potest, non pænitentia.* Hoc minus attente explorato non pauci sunt, qui veluti cæco impetu ad Eucharistiam ruant nescii se memoriam, non autem animum peccatis levasse; confessiones, quas vera & constans amplexandæ pietatis voluntas non comitatur, colloquia, confabulationes, non autem Sacramentales confessiones dici debere: *Qui enim* (ut ait Nicolaus Papa I. in epist. ad Regem Salomonem) *ore non corde confitetur; non confitetur, sed loquitur.* Confirmatur ex eo, quod cæci illi homines, de quibus est quæstio, experimento comprobent ex suis communionibus ac confessionibus nullam emendatioris vitæ frugem fluxisse. Quare cum is sit specialis Eucharistiæ effectus, ut cœlestis *antidoti vice* (prout ajunt Tridentini Patres) *a peccatis mortalibus preservet*, errare eum ac decipi necesse est, qui nullas unquam novas vires expertus, parique proclivitate ad eadem crimina revolutus, confidat tamen se pias ac fructuosas communiones obiisse; illi cæci homines judicium quod de suis communionibus ferunt, concilient, si possint, cum perspicuis his Christi verbis: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, in quam quidem sententiam Augustinus tractatu 27. in Joannem, hæc ait: *Signum quod quis hunc panem manducavit* (modo nempe quo Christus eum a fidelibus vult manducari) *hoc est, si manet, & manetur; si habitat, & inhabitetur, si hæret, & non deseratur.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum peccata venialia obsint effectibus Eucharistiæ?

IN quolibet veniali peccato duo distinguenda sunt, reatus & affectus; Primum in iis justis reperitur qui aut Sacramentis, aut piis operibus leves noxas non purgarunt; posterius in iis est, aut quibus præteritus actus inordinatus placet, aut qui non statuerunt ab illo temperare. Conveniunt omnes peccati venialis reatum nihil obstare sacræ communionis effectibus; potest enim contingere, ut quis post admissa pleraque venialia, ingenti cum pietate, ac fervore charitatis ad Sacramentum accedat, ac proinde *plenarie* (ut ait S. Thomas) illius effectum consequatur: Quæstio igitur est tantum de affectu ad peccatum veniale, quæritur nempe num deponi debeat necessario, ut Eucharistia in communicantem vim exerat suam.

Conclusio 1. Levis & subreptitius peccati venialis amor non ex toto, sed ex parte, Eucharistiæ communionis effectum impedit.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ; *Peccata venialia* (inquit S. Doctor 3. part. quæst. 80. art. 8.) *dupliciter accipi possunt; uno modo prout sunt præterita: alio modo prout sunt actu exercita. Primo quidem modo peccata venialia nullo modo impediunt effectum hujus Sacramenti...*

ti ... Secundo autem modo peccata venialia non ex toto impediunt hujus Sacramenti effectum, sed in parte. Dictum est enim, quod effectus hujus Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis. 2. Peccatorum venialium amor, charitatis fervorem imminuit, ac proinde auget cupiditatem, Augustino asserente incrementum cupiditatis esse decrementum charitatis, & e contra incrementum charitatis esse decrementum cupiditatis: At quo mioor est charitatis fervor, quo inteosior est cupiditas, eo minor est Eucharistiæ effectus, cum, ex Angelico Doctore, ejus quantitas, etiam quantum ad gratiam habitualem, ex charitatis gradibus desumatur.

Objicies 1. Antiquitus e templo, sacrificii tempore ejiciebaotur qui peccatis venialibus affectui inhærebaot, quamvis odissent mortalia; Qui enim venialia delicta amant, nondum ardent purissimo Dei amore, noo sunt omnino irreprehensibiles atque immaculati. Sed quondam prohibebantur a sacris mysteriis qui illo amore purissimo non flagrabant, qui noodum omnino eraot irreprehensibiles, ut evincitur ex his S. Dionysii verbis De Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. *Excluduntur præterea qui a deteriore quidem vita jam discesserunt, sed animos a pristinæ impuritatis phantasmatis nondum satis expurgatos gerunt habitu amoreque Dei purissimo ac simplici. Denique qui nondum soli Deo unice adhærent, quique (ut Scripturæ more loquar) nondum omnino irreprehensibiles sunt atque immaculati.* 2. S. Joannes Chrysostomus asserit Christum aquilas tantum vocare, quæ ad corpus suum cooveniant, juxta illud Evangelii oraculum: *Ubi corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*; Aquilas vero ioterpretatur eos homines, qui nullum habeant cum terris commercium, ac proinde qui quolibet affectu ad peccatum veniale vacui sint: *Ut ostendatur* (inquit) *ejusmodi animas sublimes & in cœlum erectas esse oportere, quæ nullum cum terra commercium habeant, neque deorsum trahantur, aut repant rerum creatarum cupiditate illectæ, sed quæ indesinenter sursum evolent, ipsumque justitiæ solem acutis ac perspicacibus mentis oculis intueantur. Hæc enim mensa aquilarum est, non gracculorum.* 3. Augustinus absolute asserit peccatorum venialium amorem esse veluti mentis scabiem, quæ illam a sacris sponsi amplexibus arceat; Monet nimirum S. Doctor homil. 50. metuendum esse *ne omnia illa peccata simul congregata velut scabies, nostrum decus ita exterminent, ut ab illius sponsi speciosi forma præ filiis hominum castissimis nos amplexibus separent.*

Resp. ad primum Dionysium eo loci non de peccatis venialibus, sed de lethalibus agere; siquidem obscœnorum phantasmatum nomine non intelligat impuras, subreptitias & involuntarias cogitationes, quæ viros etiam maxime innocentes exagitant; alioquin S. Pater a sacris altaribus removisset Apostolum, *Athletam Christi* (ut ait Augustious de Civitate Dei lib. 14. c. 9.) *doctum ab illo, unctum de illo, crucifixum cum illo, gloriosum in illo*: nam in membris suis legem experiebatur, quæ legi mentis repugnabat; Igitur per impuritatis phantasmata Dionysius intelligit eam mentis hebetudinem, quæ ex præteritis peccatis exoriatur, occultam ac deliberatam complacentiam, ad quam antiquarum libidinum memoria provocet. Amor purissimus, quem idem Dionysius vult communioni necessario præmitti, non est amor summe perfectus, is enim in cœlis tantum habebitur, sed est amor, qui Dei sit super omnia, seu qui cæteris omnibus cordis affectibus prædominetur; hujusmodi quippe dilectio purissima est, eo quod licet cum aliis inferioribus amoribus in hominis corde reperiri possit, oon magis tamen cum iis commiscetur quam oleum, quod liquoribus eodem vase contentis supematat. Ex his ergo consequitur S. Dionysium a sacris altaribus non removisse vel viros, qui baptismatis innocentiam intemeratam servarunt, aut lapsos qui admissum scelus purgarunt condignis pœnitentiæ laboribus, quamvis adhuc nonnullo, sed levi, creaturarum amore teneantur. Consequitur iterum nonnullos scriptores, qui intemperanter otio & litteris abutuntur, errare cum ajunt Alexandrum Papam VIII. Dionysii doctrinam proscripsisse cum die 7. Decembris 1690. hanc propositionem damnavit: *Arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.*

Resp. ad secundum non reptare super terram eum, cui ioest Charitas Dei super omnia, licet inferiori aliquo creato amore permixta; hujusmodi vir aquila est quod oculos tenui humore vitioso infuscatos, in justitiæ solem intendat; Nullum cum terra habet commercium, quod illi aut æquale sit, aut præpooderet, quod habet cum Christo. Eos igitur tantum Chrysostomus arcet ab Eucharistiæ participatione, qui terræ, qui voluntatis affectibus inhæreot, qui licet nonnullas divinæ charitatis scintillas nonnumquam experiantur, plus se ipsos, quam Deum amant.

Resp. ad tertium eo tendere Augustini sententiam, ut velit quod parum uberem ex Eucharistia fructum ii colligaot, qui ad eam accedunt cum peccatorum etiam venialium amore; miracula enim, quibus offuscatur sponsa, non sic sponso displicent, ut sui communionem absolute deneget. Vel potius (ut subsequenti conclusione dicetur) Augustinus verbis quæ objecta sunt, significavit peccatorum venialium amorem, nisi comprimatur & eluatur pœoitentiæ laboribus, hominem in sacrilegæ communionis periculum tandem aliquaodo adducere.

Conclusio 2. Peccata venialia quæ voluntarie sæpius committuntur, in communionis iodigne suscipiendæ discrimen adducunt.

Probatur 1. authoritate Augustini, qui Serm. 224. de iis qui matrimonio intemperanter abutuntur, seu extra fines procreandæ prolis, sic loquitur: *Sed dicis peccatum quidem est*, commisceri cum conjuge solius voluptatis causa, *sed tamen parvum est. Nec nos dicimus quia capitale peccatum est. Sed tamen si frequentius exerceatur & jejuniis vel eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua quia parva sunt. Nam & pluviarum guttæ sunt, sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis quia parvum peccatum est; velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis ... Cum enim ad imaginem Dei facti simus, quoties aliquid turpe aut loquimur aut facimus, toties Dei imaginem sordidamus ... Vere dico vobis, Fratres charissimi, quia non hoc Deus de nobis meretur, ut in nobis imago ipsius per malas concupiscentias injuriam patiatur. Et cum nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio qua conscientia cum anima per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere, non timens illud quod Apostolus dixit, Qui enim manducat Corpus & sumit Sanguinem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Si erubescimus ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere; plus debemus timere ipsam Eucharistiam intus in anima polluta suscipere.*

Probatur 2. testimonio Gregorii Magni; *Qui quotidie non exhaurit quod delinquit*, (inquit lib. 2. io 1. Regum cap. 1.) *etsi minima sint peccata quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ saturitatis ... Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait, Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid est enim hoc loco probare, nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad Dominicam mensam, & purum exhibere?*

Probatur 3. ex S. Bonaventura qui lib. de Præparatione ad Missam hæc scribit: *Proba te ipsum ex quanta charitate, & quali fervore accedis. Non solum enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata per negligentiam & otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem ac per distractionem dissolutæ vitæ & malæ consuetudinis, licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem & obnubilatum & indispositum & ineptum ad celebrandum, nisi dictæ pulveres, & stipulæ venialium per afflatum spiritus, & flammam charitatis ventilentur, & consumantur exardescente igne cordis & in consideratione propriæ vilitatis. Ideo cave ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconsideratus, quia indigne sumis, si non accedis reverenter*

cir-

circumspecte & considerate. Si S. Bonaventura veretur ne peccata venialia quæ per inconsiderationem, distractionem, fragilitatem commissa sunt, fidelem aliquando exponant indignæ communioni, quanto magis id periculi timendum est pro iis venialibus, quæ data opera, & ultro a plerisque sæpius committuntur. Sed hæc in præsentiarum satis sint, de illo enim argumento sermo recurret, cum de dispositionibus Eucharistiæ præmittendis dicemus.

Articulus Tertius.

Utrum defectus attentionis, sacræ communionis fructum impediat?

CAjetanus circa attentionem Eucharisticæ communioni prærequisitam duo docet, quæ hic enarranda sunt. Censet igitur 1. sine actuali attentione non percipi effectum Sacramenti. Asserit 2. in eo qui distractus accedit, si post sumptionem, superveniat devotio, Eucharistiam suum effectum producere.

Dominicus Soto sententiam Cajetano e diametro contrariam propugnat; Contendit quippe 1. Eucharistiam sine qualibet actuali mentis attentione receptam, suum effectum, primarium saltem in augmento habitualis gratiæ positum, consequi. Contendit 2. Sacramentum, si in ipsa sui collatione effectu vacuum fuerit, illum non producere deinceps, licet attentio debita superveniat.

Vincentius Contensonius media inter duos illos Scholasticos incedit via. Triplicem mentis evagationem distinguit, naturalem seu involuntariam, quæ fit sine culpa; venialem alteram, quæ oriatur quidem ex negligentia, sed quæ venialis sit, nec expressa voluntate fuerit suscepta. Tertia tandem, quæ ex objecto sit venialis, sed de industria & expressa voluntate electa fuerit. Docet priorem non obesse Sacramenti effectibus; altera impediri minus præcipuum, ineffabilis nempe dulcedo, qua animus demulcetur; tertiam tandem omnibus omnino effectibus esse impedimento.

Conclusio 1. Distractio naturalis, quæ Sacramenti sumptionem comitatur, non impedit præcipuum illius effectum.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ qui (ut superiore articulo jam observatum est) docet eum qui distractus accedit, non frustrari augmento gratiæ habitualis: *Si aliquis* (inquit) *accedat ad Sacramentum per peccata venialia mente distractus, non tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis*. Locus ille de distractione veniali intelligitur, (ut dicetur inferius.) Si autem quæ venialis est primarium Eucharistiæ effectum non impediat, a fortiori per naturalem, & involuntariam non impeditur. 2. Majores nostri per duodecim priora sæcula SS. Sacramentum infantibus, amentibus, aliisque actuali rationis usu destitutis largiebantur; Illis igitur persuasum erat distractionem actualem, quam culpa non præcessisset, primarium effectum Eucharistiæ non impedire.

Conclusio 2. venialis distractio, sed quæ expresse electa non fuerit, nec orta ex gravi negligentia secundarium quidem, non vero primarium communionis effectum impedit.

Probatur prima pars. Refectio dulcedinis spiritualis complectitur actum, quo degustetur; actus autem ille attentionem actualem præsupponit, non enim exercetur sensuum actus, nisi per perceptionem. Altera vero conclusionis pars ex eo colligitur, quod ejus generis distractio gravem non importet in SS. Sacramentum irreverentiam: nec vitam spiritualem extinguat, ac proinde non impedit Sacramenti actionem, quæ in nutritione, saltem habituali, posita est.

Objicies. S. Thomas censuit venialem distractionem, si Eucharistiæ sumptionem comitetur, totum & adæquatum effectum Sacramenti tollere, sic enim loquitur in quartum Sent. Dist. 2. quæst. 2. artic. 1. quæstion. 3. *Cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plene habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio. Et quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutum actus tollant, absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri, ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed forte reatum venialis peccati ex hoc quod imparatus accedat*. Ex iis vero verbis patet S. Doctorem asserere fideles propter distractionem venialem posse omni prorsus Sacramenti effectu frustrari. Constat 2. S. Thomam credidisse Eucharistiæ usum quem attentio non comitetur, posse quolibet effectu carere, licet non sit peccatum mortale; supponit nempe S. Thomas experimentum cuique obvium, alimenta scilicet, quæ propter stomachi debilitatem non nutriunt, non semper esse venena, quæ mortem inferant.

Resp. S. Thomam seniorem retractasse in Summa Theologica quod junior scripserat in Sententias. Ut enim mox dictum est, in Summa docuit peccata venialia, ipsam etiam distractionem cujus expresse meminit, non impedire præcipuum effectum Sacramenti. Nec valet effugium Contensonii contendentis S. Doctorem loqui de distractione naturali; Siquidem conceptis terminis asserat se de ea agere quæ ex peccatis venialibus orta sit. *Quæ quidem*, refectio spiritualis, (inquit) *impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, & charitatis*.

Conclusio 3. Mentis distractio, quæ Eucharistiæ sumptionem comitatur, totum ac adæquatum illius effectum impedit, si de industria, & expresse, electa fuerit.

Probatur 1. Distractio, de qua agitur, gravem in SS. Sacramentum irreverentiam importat; Eucharistiæ non interpretativum tantum, sed & formalem contemptum includit; unde licet ex objecto leve sit peccatum, tamen ratione circumstantiæ, non potest quin sit multum grave. 2. Conclusioni nostræ S. Bonaventura suffragatur: *Quoniam capacitas nostra* (inquit Brevil. part. 6. capite 9. tom. 1.) *ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu, non in ventre, sed in mente, & mens Christum non attingit nisi per cognitionem & amorem, per fidem & charitatem, ita quod fides illuminet ad recognitionem, vel recordationem, & charitas inflammet ad devotionem; ideo ad hoc quod aliquis digne accedat, oportet quod spiritualiter comedat, & sic Christum per recordationem fidei masticet, & per devotionem amoris suscipiat, per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius trajiciatur in ipsum mysticum corpus. Per quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote & inconsiderate accedit, judicium sibi manducat, & bibit, quia tanto Sacramento contumeliam facit*. Requirit igitur Seraphicus Doctor attentionem, ut communicans, Sacramenti effectum consequatur: idque probat ex eo quod Christus alimenti adinstar, per fidei recordationem manducare debeat: ea vero attentio si desit, oriaturque ex expressa & formali, (ut vocant) electione, asserit idem S. Doctor contumeliam irrogari Sacramento, Corpus & Sanguinem Christi, non modo non prodesse sumenti, sed etiam nocere quam maxime.

Articulus Quartus.

An gravi se flagitio devinciunt qui Eucharistiæ effectibus obicem opponunt.

NOn est hic quæstio de obice secundarii effectus Eucharistiæ, sed de primarii, qui in augmento gratiæ sanctificantis situs est. Non agitur quoque de primarii effectus impedimento, quod oriatur ex culpa veniali, quæ expresse, & de industria electa non fuerit, siquidem, ut articulo præcedente observatum est, S. Thomas scribens in Sententias censuit eum non peccare lethaliter, in quo ratione venialis distractionis SS. Sacramentum omni prorsus effectu vacuum est. Difficultas ergo de iis intelligitur, quorum communio propter fictionem seu affectum ad peccatum mortale, nullum prorsus effectum operatur, & quæritur 1. num hujusmodi communio grave sit peccatum: 2. an sit omnium gravissimum.

Conclusio 1. Communio, quæ propter sumentis fictio-

ctionem, seu affectum ad peccatum mortale, nullum effectum operatur, grave est peccatum.

Probatur 1. ex Scriptura, qua docemur eum, qui indigne communicat, reum esse Corporis, & Sanguinis Domini: *Quicunque manducaverit panem hunc* (inquit) Paulus primæ ad Corinth. 11. *vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*, idest eodem fere se flagitio devincit, quo se obligaret si Christo viventi inferret mortem. Docemur iterum fieri non posse ut is, qui indigno accedit gravis pœnæ debitor non fit, cum ejus pœnæ debitum in ipsius veluti naturam alimentorum adinstar transeat: *Qui manducat, & bibit indigne judicium sibi manducat, & bibit*. Cur judicium manducat sibi, quod in praxi non pluris faciat Christi carnem, quam cibum prophanum: *Non dijudicans corpus Domini*.

Probatur 2. ex Traditione. Basilius argumentatur ex comparatione Eucharistiæ cum figuris, quæ illam adumbrarunt in veteri testamento, quas quidem figuras si quis irreverenter pretractasset, legis maledicto subjiciebatur: *Gravissimum in lege* (inquit Basilius lib. 2. de Baptis. in responsione ad quæsitum 3.) *Deus adversus eos decrevit, qui cum sint immundi, sacra audent contingere.... Si tales minæ adversus eos positæ sint qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum de eo qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid hic est templo secundum Domini vocem, tanto gravius, & terribilius est in anima impuritate constitutam corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes vel tauros*. S. Joannes Chrysostomus indigne communicantes comparat cum Juda proditore, & quidem merito, dum enim Christum exterius osculantur, eum diabolo interius tradunt. S. Augustinus contendit eos aliqua ratione magis reos esse Judæis, qui Christum egerunt in crucem, utcumque enim Judæos ignorantia excusare potuit, a istis nihil omnino patrocinatur; ea Augustini aliorumque Patrum loca hic, ne prolixiores simus, & quod cuique sint obvia, non describimus.

Probatur 3. enarratione variarum pœnarum, quibus Deum in indigne communicantes animadvertisse Scriptura, & Traditione docemur.

Paulus primæ ad Corinth. 11. plurium morbos, calamitates, ipsam etiam mortem adscribit indignæ communioni: illi enim, quæ terrorem incutiat sententiæ: *Qui manducat, & bibit indigne judicium sibi manducat, & bibit*, hæc verba immediate subjicit; *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*. S. Joannes Chrysost. hom. 5. in cap. secundum primæ Epist. ad Timoth. hæc scribit, quibus laudatus ex Apost. textus mirifice illustratur: *Quoties morbi, quoties detrimenta, quoties luctus, calamitatesque contingunt, & alia quælibet hujusmodi, hujus rei gratia fiunt. Id Paulus quoque signanter expressit: Ideo* (inquit) *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Et quomodo, inquies, ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea Sacramenta sumamus. Hoc nempe est, quod universa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore constare meritum putas, & summam arbitraris reverentiam ac religionem esse, si non sæpius cœlestem illam adeas mensam; Ignoras quoniam indigne accedere, etiamsi semel tantum fiat, te supplicio tradit*.

S. Cyprianus libro de Lapsis varia refert exempla, quibus probat Deum sua ætate indignas communiones, ad impiorum terrorem, severius castigasse; nonnulla ex illo S. Doctore excerpta superius descripsimus, hic unum, & alterum satis sint: *At vero* (inquit) *ea*) puella) *quæ ætate provecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces, & pectus admittens, angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans, & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen, quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem*. Soliti erant fideles (ut superius observatum est) olim Eucharistiam privatas in domos deferre, ut ea se quotidie contra fidei hostes munirent: ea supposita praxi, Cyprianus hocce factum enarrat, quo ab indignis communionibus homines deterreantur: *Et cum quædam* (*mulier*) *arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere*; Idem S. Doctor asserit violatam Eucharistiam Deum ulcisci solitum fuisse non interna tantum, sed etiam externa obsessione: *Quam multi* (inquit) *quotidie immundis spiritibus adimplentur, multi usque ad insaniam mentis excordes dementiæ furore quatiuntur*.

Non prioribus tantum sæculis, sed etiam posterioribus insignia exempla visa sunt, quibus Deus testatus est quantum indignis communionibus offendatur; Tom. III. Conciliorum Galliæ ex Editione Sirmondi ad annum Christi 869. fol. 378. hancce historiam ex Rheginonis Chronico excerptam legere est. *Anno 869. Lotharius Romam profectus est. Quo cum pervenisset, ab Adriano Pontifice honorifice susceptus est. Qui ab eodem Præsule sciscitatus si monita pii Patris D. Nicolai, cum omni vigilantia hactenus observata haberet, & præstitum juramentum inviolato fœdere custoditum. Qui ab illo deceptus qui in veritate non stetit, respondit se ita omnia observasse ac si divinitus sibi essent imperata. Cumque Proceres & Optimates, qui cum eo erant, eadem testificarentur... universalis Papa talia prosequitur. Si vestræ testificationi veritas suffragatur, cum omni alacritate mentis omnipotenti Deo multiplices gratiarum actiones referimus. Restat ergo, fili charissime, ut ad confessionem S. Petri accedas. Ibi Deo propitio hostiam salutarem pro tua, non tam corporis quam animæ incolumitate immolabimus. Ex qua nobiscum te participare oportet, ut per hanc participationem membris Christi, unde abscissus esse videbaris, mereris incorporari: Finitis igitur Missarum solemnibus, invitat Summus Pontifex eumdem Regem ad Mensam Christi, acceptoque in manibus Corpore, & Sanguine Domini, ita eum alloquitur; Si innoxium te recognoscis; a prohibito atque interdicto tibi a Nicolao adulterii scelere, & hoc fixa mente statutum habes, ut numquam diebus vitæ tuæ Valdradæ pellici tuæ dudum a te repudiatæ miscearis, fiducialiter accede, & Sacramentum salutis æternæ tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe... Qui mente captus, obduratus, & obcæcatus absque retractatione communionem Corporis, & Sanguinis Domini de manu Pontificis sumpsit, non expavescens sententiam illam quæ dicit, Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit. Deinde conversus idem Præsul ad sequaces, & fautores Regis unicuique Communionem obtulit in hæc verba; Si Domino & Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine favorem non præstitisti, neque consensum tribuisti, & Valdradæ, & aliis ab hac sede Apostolica excommunicatis non communicasti, Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis se læsum sciens ausu temerario Communionem sub tali testatione porrectam sumere præsumpsit, divino judicio perculsus, ab hac luce subtractus est, antequam subsequentis anni rediret principium; perpauci qui se a Communione subtraxerunt, vix mortis periculum evaserunt. Porro Lotharius Roma egressus morbo corripitur, & Placentiam civitatem perveniens, diem clausit extremum sexto Idus Augusti*.

Nonnulli impii causantur, Deum, his temporibus: ejus generis suppliciis non animadvertere in eos, qui indigne communicant. Sed quis scit num morbi, prematuræ mortes, innumeraque alia mala per totum orbem terrarum diffusa, ex sacrilegis communionibus non oriantur? Qui inani illo clipeo se muniunt, compellandi sunt his Cypriani verbis: *Nec necesse est ire per exitus singulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna sit varia, quam delinquentium multitudo numerosa. Unusquisque consideret non quid alius passus sit, sed quid pati & ipse mereatur. Nec evasisse se credat, si eum interim pœna distulerit, cum timere plus debeat, quem sibi Dei judicis censura servavit*.

Conclusio 2. Sacrilega communio in se sumpta gravius est peccatum iis omnibus, quæ contra creaturas committuntur.

Probatur, & explicatur simul conclusio authoritate, & verbis S. Thomæ, qui 3. part. qu. 80. art. 5. sic loquitur; *Duplíciter aliquod peccatum potest dici gravius alio: uno modo per se: alio modo per accidens; per se quidem secundum rationem suæ speciei, quæ attenditur ex parte objecti: Et secundum hoc quanto id, contra quod peccatur est majus, tanto peccatum est gravius. Et quia Di-*

vi-

vinitas Christi est major humanitate ipsius, & ipsa humanitas est potior quam Sacramenta humanitatis, inde est quod gravissima peccata sunt, quæ committuntur in ipsam Divinitatem, sicut est peccatum infidelitatis, & blasphemiæ; secundario autem sunt graviora peccata, quæ committuntur in humanitatem Christi... Tertio autem loco sunt peccata, quæ committuntur contra Sacramenta, quæ pertinent ad humanitatem Christi, & post hoc sunt alia peccata contra puras creaturas. Per accidens autem unum peccatum est gravius alio ex parte peccantis, puta peccatum quod est ex ignorantia vel infirmitate, est levias peccato quod est ex contemptu vel ex certa scientia, & eadem ratio est de aliis circumstantiis. Et secundum hoc istud peccatum in quibusdam potest esse gravius; sicut in his, qui ex actuali contemptu cum conscientia peccati ad hoc Sacramentum accedunt, in quibusdam vero minus grave; puta in his qui ex quodam timore ne deprehendantur in peccato, cum conscientia peccati ad hoc Sacramentam accedunt. Sic ergo patet quod hoc peccatum est multis aliis gravius secundum suam speciem; non tamen est omnium gravissimum.

Ex eo principio. S. Doctor in responsione ad primum argumentum concludit peccatum eorum, qui Christum affixeruot cruci, secundum se, esse gravius quam sacrilegium eorum, qui cum conscientia peccati mortalis sacræ mensæ accumbuot: *Primo quidem* (inquit) *illud peccatum fuit contra corpus Christi in specie propria, hoc autem peccatum est contra corpus Christi, in specie Sacramenti. Secundo quia illud peccatum processit ex intentione nocendi Christo, non autem hoc peccatum.* Concludit 2. in responsione ad secundum fornicationem minus esse crimen quam sit indigna communio; idem pariter dici debet de homicidio, si secundum solam speciem consideretur, aliunde enim gravius est, ex damno scilicet quod tum occiso, tum illius consanguineis infert. Ea vero S. Thomæ tum principia tum conclusiones nequaquam pugnant cum iis sententiis, quibus Augustinus contendit minus deliquisse Judæos, qui Christum in terris mortalem crucifixerunt, quam nunc ii delinquant, a quibus regnans in cœlis, indigne sumitur; non dissident pariter a S. Cypriano, qui asserit plus reos esse, qui indigne communicant, quam qui abnegant Christi fidem: *Plus modo* (inquit lib. de Lapsis) *in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.* Ea (inquam) S. Thomæ tum principia tum conclusiones cum iis Patrum locis maxime cohærent, quippe quod Patres facinora quæ sacrilegæ communioni opponunt, non in seipsis & secundum objectum spectaverint, sed secundum nonnullas circumstantias extrinsecas, quibus ex commissi a Judæis deicidii, Lapsorum apostasiæ gravitate nonnihil detractum est; Siquidem Judæi, utcumque ob ignorantiam excusari possuot; lapsis de quibus Cyprianus, metus cruciatuum, & ipsius mortis, aliqua ratione patrocinatur.



QUÆSTIO OCTAVA.

De Dispositionibus recipiendæ Eucharistiæ prærequisitis.

Dispositiones ad recipiendam Eucharistiam necessariæ, perpendi possunt vel per respectum ad animam, vel per respectum ad corpus, seu nonnulla ex parte animæ, aliquæ vero ex parte corporis requiruntur; De utrisque seorsim agendum nobis incumbit.

Caput Primum.

Quæ dispositiones ad Eucharisticam communionem ex parte animæ requirantur.

Nemo catholicus revocat in dubium quin cuique ad Eucharistiam accedenti necessaria sit fides, seu moralis certitudo de propria sanctitate, quippe quod superius contra Lutheranos, & Calvinistas ostensum sit eum qui cum conscientia peccati mortalis sacræ mensæ accumbit, reum esse ingentis sacrilegii. Fidem illam in hæc Psalmi 85. verba: *Custodi animam meam quoniam ego sanctus sum*, Augustinus mirifice commendat, vindicatque ab recentiorum hæreticorum dicteriis: *Dicat* (inquit) *unusquisque fidelium. Sanctus sum; Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te, superbus es; rursus fidelis in Christo, & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Habere te agnosce, & ex te nihil habere, ut nec superbus sis nec ingratus. Dic Deo tuo, Sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quia habui, quia tu dedisti, non quia ego merui. Etenim ex alio latere incipis injuriam facere ipsi Domino nostro Jesu Christo. Si enim christiani omnes, & fideles baptizati in illo, ipsum induerunt; si membra sunt facti corporis ejus, & dicunt se Sanctos non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cujus membra sancta sunt.*

Sanctitas communioni prærequisita complectitur Dei amorem, qui omnibus cordis affectibus prædominetur, efficax desiderium proficiendi in hujusmodi amore, vigilantiam qua identidem insurgentes terreni affectus comprimantur. Non meri consilii, sed strictæ necessitatis esse dispositiones hujusmodi ex eo colligitur, quod nemo sanctus dici possit, quin paratus sit ad servanda divina præcepta, vult autem Deus ab omnibus super omnia diligi, jubet ut quisque ad amoris incrementum conetur, cuique prohibet ne terrenis affectibus præbeat consensum.

Doctrinam hanc confirmat, & explicat S. Thomas 2. 2. quæstione 184. art. 3. Quærit num perfectio in preceptis, an in consiliis posita sit; Respondet vero consistere in præceptis, quam responsionem ex eo probat, quod Christiana perfectio in Dei, & proximi charitate posita sit, quæ quidem charitas non sub consilium sed sub strictum præceptum cadit. *Respondeo dicendum quod perfectio dicitur in aliquo consistere dupliciter. Uno modo per se, & essentialiter: alio modo secundario, & accidentaliter. Per se quidem, & essentialiter consistit perfectio Christianæ vitæ in charitate, principaliter quidem secundum dilectionem Dei: secundario autem, secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divinæ legis.*

Pergit S. Doctor ad aliud membrum, seu probat cuique præcipi non quidem, ut in hac vita totam amoris perfectionem assequatur, idem enim proprium est alterius vitæ, sed ut ad eam perfectionem conetur. *Non autem* (inquit) *Dei dilectio, & proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram, ita quod id quod est plus, sub consilio remaneat, at patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; Totum enim, & perfectum idem sunt secundum Philosophum. Et cum dicitur; Diliges proximum tuum sicut te ipsum; Unusquisque enim se ipsum maxime diligit.* Hanc suæ conclusionis rationem reddit S. Doctor: *Et hoc Ideo est, quia finis præcepti charitas est: in fine autem non habetur aliqua mensura, sed solum in his, quæ sunt ad finem.*

S. Thomæ Bernardus præiverat; Ait enim, *Modus amandi Deum est amare sine modo* Bernardo præivit Augustinus, quippe qui de Spiritu, & littera capit. ultimo hæc scribat: *Hoc est primum præceptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde; & ex tota anima, & ex tota mente, quod in illa vita complebimus cum videbimus facie ad faciem... Neque enim si nondum potest esse tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, jam culpæ deputandum est. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est: ut admoneremur quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliviscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus.*

Amor prædominans, quem sacræ communioni necessario prærequiri mox ostensum est, non verbis, sed operibus comprobatur; Asserit nempe Christus Matthæi 7. homines non ex verbis, sed ex fructibus dignosci: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Eodem spectat hoc primæ Joannis tertio monitum: *Filioli non diligamus verbo neque lingua, sed opere, & veritate.* Qui ergo diligens mundum dicit se Deum amare, sibi ipsi mentitur, cum Spiritus sanctus

p rimæ

primæ Joannis tertin dicat: *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Sed cum) nt ait Gregnrins Magnus in libro Pastoralis) in dilectinne Dei facile possint sibi mentiri homines, quod nempe rarioribus tentationibus probetur fidelis, qui accessurus est ad Eucharistiam, expendat ante, suis in proximum beneficiis, num illius amore teneatur, & ex eo amore colligat, an flagret Dei Patris charitate. Unn verbo, quisquis sacræ mensæ accumbere præsumit, & vult probare, num Deum, nt par est, diligat, attendat oportet ad hanc Augustini sententiam Tractatu 5. in 1. Epist. Joannis: *Quomodo ergo te gloriaris esse Christianum? Nomen habes & facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus dicat te quisquam paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis te non ostendis Christianum, omnes te Christianum vocent. Quid tibi prodest nomen, abi res non invenitur?*

Charitatem de qna hactenus, & cujus necessitatem omnes liturgiæ tremendis his verbis, SANCTA SANCTIS, significant, nonnulli fideles habent, aut a Baptismate quo initiati sunt, aut a Sacramento pœnitentiæ, qnæ ex Patribus, altera est post naufragium tabula: E contra vero innumeri fere sunt, qui in gravia scelera lapsi, eam charitatem, eam sunctitatem nondum per pœnitentiam recuperarunt. *Facilius autem inveni* (inquit Ambrosins de Pœnitentia lib. 2. cap. 10.) *qui innocentiam servaverunt, quam qui digne egerint pœnitentiam*, De ntrisque ejus generis hominibus hoc in capite dissèremus; Quæremus itaqne 1. Quænam dispositiones in impiis requirantur antequam ad Euchatistiam accedant: 2. Quænam eidem Sacramento præmitti debeant a justis, qui vel baptismatis innocentiam servarunt, vel recuperatunt per Sacramentum pœnitentiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De dispositionibus in impio requisitis antequam ad Eucharistiam accedat.

HIc dicemus 1. de antiqua Patrum praxi ln admittendis ad sacram communionem iis, qui post baptismum lapsi sunt: 2. expendemus num eadem veterum disciplina his etiam temporibus erga lapsos servari debeat antequam Eucharistia pascantur.

§. I.

Recensetur veterum praxis in admittendis ad sacram communionem iis, qui post baptismum lapsi sunt.

COnclusio. Antiqui Patres passim & ordinarie nemini lapso nisi pœnitentiæ laboribus perfuncto Eucharistiam concedebant.

Probatur 1. ex Apostoln, qui Corinthium incæstuosum ad sacra mysteria non admisit, nisi anno integro purgatum durissimis pœnitentiæ laboribus, priore nimirum Epistola illum addixerat pœnitentiæ, altera vero, quæ annn post conscripta est, liberavit propter contritionis perfectionem: *Sufficit illi* (inquit 2. ad Corinth. 1. *objurgatio hæc, quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.*

Probatur 2. ex S. Joanne Evangelista, de quo ex Clemente Alexandrino hocce factum Eusebius historiæ lib. 2. cap. 17. describit; Joannes Apostnlus quemdam adolescentem cuidum Episcopo educandum & in disciplina Christiana instituendum tradiderat. Doctus fidei mysteria baptizatus, confirmatus, ac tandem Eucharistia donatus est adolescens ille, sed non multo post omni se vitiorum genere polluit, ac tandem prædonum dux factus est. Quod quidem, ut audivit Joannes, ad eum perrexit, & converso, ac perfuncto imposita satisfactione, communionem Ecclesiæ, cujus consummatio est Eucharistiæ lurgitio, concessit, *Senem ad se advenantem complectitur.* Prædo pœnitens, inquit Clemens apud mox laudatum Eusebium, *fletu & mærore, quoad poterat pro culpa satisfecit, & dextera sola occultata, lachrymarum unda secundo baptizatur. Apostolus rata & constanti asseveratione ei se a Servatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur, atque ad genua accidens, ipsam manum dexteram tamquam aqua pœnitentiæ ablutam, purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit, & crebris precibus Deum pro illo invocat, continuis jejuniis una cum eo se macerat variis divinæ sapientiæ sententiis ejus animum quasi quibusdam lenociniis mitigat tranquillatque; neque prius (ut fertur) inde discessit, quam illum Ecclesiæ restituisset.* Ex histnria evidenter docemur non statim illi prędoni licet converso, & pęnitenti concessam fuisse Eucharistiam, sed tantum ubi a Joanne imposita satisfactione perfunctus est.

Probatur 3. ex causa lapsorum cum Cypriann. Ingens Christianorum multitudo, qnos dira persecutio prostraverat, resurgere gestiens, postulabat a S. Episcopo Sacramentorum communionem, quam ut nbtineret, sanctos martyres deprecatores adhibeat, Cyprianns admittendos quidem duxit lapsos hujusmodi, sed nbi pœnitentiæ labores subiissent, & non alias: *Si judicium nostrum* (inquit Epist. 55. ad Cornelium) *voluerint experiri, veniant. Denique si quæ illis excusatio, & defensio potest esse, videamus quam habeant satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ fructum: nec Ecclesia istic alicui clauditur, nec Episcopus alicui denegatur..... Amplector prompta, & plena devotione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili, & simplici confitentes: Si qui autem sunt, qui putant se ad Ecclesiam non precibus, sed minis regredi posse, aut existimant aditum sibi non lamentationibus, & satisfactionibus, sed terroribus facere; pro certo habeant contra tales clausam stare Ecclesiam Domini.*

Itaque quantumlibet lapsi contenderent, ut restituerentur communioni antequam subiissent pęnitentiæ labores, id ab Ecclesiæ pastoribus extorquere nequaquam potuerunt: hoc nnum eis concessum est, ut functi pœnitentia, & quidem dura, & diuturniore, sacra communione donurentur: *Persecutione sopita* (ait idem S. Martyr. Epist. 52.) *cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros, & incolumes fides sua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communionis, & pacis lapsis denegaretur; ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia clauderetur secuti sæculum gentiliter viverent. Nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia.*

Ejusmodi lapsorum impatientia afferit S. Doctor *Corpori Christi & sanguini vim inferri.* Miratur eo impudentiæ progressos esse, *ut Sacerdotibus irascerentur, quod non statim Domini corpus inquinatis manibus acciperent, aut ore polluto Domini Sanguinem biberent.*

Vehementer idem S. Martyr exagitat Presbyteros, qui inconsulta facilitate lapsis hujusmodi, non præmissis pœnitentiæ laboribus, communionem indulgebant, eos Sacerdotes hoc esse lapsis contendit, *quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus: quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas*; Prava illa facilitate hoc effici conqueritur, *ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa, & plena patientia deprecetur.*

Nec est, quod quis reponat, iis locis Cypriannm de iis tantum agere, qui persecutionis terrore dejecti descivissent a fide, non autem de iis, qui in alia ab idololatria criminn lapsi fuerant. Nam illius responsionis vanitas facile aperitur, constat enim Cleri Romani, & S. Cypriani testimonin pœnitentia ante commnnionem persolvenda damnatos fuisse, non eos tantum, qui aut publice ejurassent Christianum nomen, qui sacrificassent idolis, qui degustassent immolatitios cibos, sed eos etiam, qui pretio dato emisent a magistratibus libellos, quibus tnti præstarentur a periculo persecutionis, quasi Imperatorum edictis paruissent: Docet vero Cypriannsad Antonianum scribens fornicatores, adulteros *Libellaticis* esse magis reos, ac proinde acerbiori pœnitentia plecti debere: *Quanto multo* (inquit Epistol. 52.) *& gravior, & pejor sit mœchi, quam Libellatici causa, cum ille necessitate, illa voluntate peccaverit: hic existimans sibi satis esse, quod non sacrificaverit, errore deceptus sit; ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus ad Cloacam, & cænosam voraginem vulgi,*

sanctificatum corpus & Dei templum detestabili colluvione violaverit; Quibus tamen & ipsis pœnitentia conceditur, & lamentandi, ac satisfaciendi spes relinquitur secundum Apostolum.

Probatur 4. ex institutione artificialium pœnitentiæ classium, quæ (ut suo loco dicetur) post Cyprianum, in Oriente præsertim obtinuit. Gravium quorumdam scelerum, etiam occultorum, rei illas pœnitentium classes decurrere cogebantur antequam non modo Eucharistica communione, sed & ipsa Sacramentali absolutione donarentur. Canones quibus ea disciplina præscribitur, legere est tum in Epistolis Basilii ad Amphilochium, tum in Conciliis Ancyrano, Nicæno primo, & aliis, quæ ineunte quarto Ecclesiæ sæculo variis in regionibus habita sunt. *Placuit eos* (inquit Concilium Ancyranum) *inter Audientes uno anno consistere, tribus autem aliis annis agere pœnitentiam, tertio autem anno reconciliari Sacramentis.* Alio in canone hæc quoque leguntur: *Biennio maneant in pœnitentia, tertio vero anno communicent, sed sine oblatione, in quarto vero anno perfectionem suam recipiant.*

Probatur 5. ex ordine, quem in subeunda a lapsis pœnitentia Patres statuerunt. Imperarunt 1. confessionem ac petitionem pœnitentiæ. 2. Determinarunt peragendæ satisfactionis & tempus & speciem. 4. Peracta pœnitentia contulerunt absolutionem, quam consistentia consequebatur, & tandem Eucharistica communio. *Cæterum* (ait Innocentius Papa I. in Epist. 1. decretali, quæ relata est in jus Canonicum) *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam Satisfactionem.* Qua quidem sancti Pontificis sententia compertum est actam fuisse quinto sæculo pœnitentiam antequam lapsus absolveretur, ac proinde a fortiori antequam ei Eucharistia porrigeretur. Apertissimis verbis eamdem disciplinam suo ævo servari solitam declarat Leo Papa I. Epist. 91. ad Theodorum Episcopum: *Mediator* (ait) *Dei & hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri Satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ita ubique tunc temporis invaluerat ea disciplina, ut ad sectarios referrentur, qui docerent eam servari non debere: *Jubente* (ait Theodoretus hæreticarum fabularum lib. 4. cap. 10. de Audianis agens) *unumquemque peccata sua confiteri, deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.*

Probatur denique 6. ex facta a Patribus divisione pœnitentiæ in tria genera. Patres tria pœnitentiæ genera agnoverunt; unum ante baptismum; geminum vero post baptismi susceptionem, quorum altero peccata venialia, altero mortifera expiarentur; isti separationem a Christi corpore semper conjunctam fuisse Traditio docuit. Augustinus explicatis duobus prioribus generibus, de tertio sic loquitur homil. 27. cap. 3. *Restat ergo pœnitentiæ tertium genus, unde aliquid breviter dicam, ut adjuvante Domino proposita & promissa persolvam. Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia pœnitentes, Remoti etiam a Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne, judicium sibi manducent & bibant.* Idem S. Doctor homil. 50. cap. 2. triplex illud pœnitendi genus clarissimis verbis exponit. Primum genus ait esse, quod *novum hominem parturit, donec per baptisma salutare omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum*; Alterum asserit esse *tota humilitate supplicantes divino adjutorio se exaudibiles præbeant*; cujus quidem vi venialia delicta, *quæ non lethali vulnere ferire sentiuntur*, elui ac expiari contendit; Tertium definit actionem pœnitentiæ, quæ pro lethalibus peccatis, quæ a regno cœlorum excludunt, imponitur; Hanc vero scribit complecti separationem ab Eucharistia: *In hac ergo pœnitentia* (inquit) *majorem quisque in sese veritatem debet exercere, ut a se ipso judicatus non judicetur a Deo ... Ascendat itaque homo adversum se tribunal mentis suæ ... Constituat se ante faciem suam ... Atque ita constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini. Ut qui separari a regno cœlorum timet per ultimam sententiam summi judicis, per Ecclesiasticam disciplinam a Sacramento cœlestis panis interim separetur.* Hujusmodi S. Præsulis sententiæ si quis tentarit lucem addere, ipsum solem illustrandum suscipiet.

Textibus, quos hucusque protulimus in medium, asserunt nonnulli 1. agi tantum de peccatis publicis. Sed decipiuntur, quod nempe (ut in dissertatione de Pœnitentiæ Sacramento dicemus) non tantum pro peccatis publicis, sed etiam pro occultissimis pœnitentia publica quondam injuncta sit. Contendunt 2. alii quæstionem esse tantum de quibusdam enormibus peccatis, ut sunt adulterium, homicidium, idololatria, non autem de omnibus mortalibus, quæ post baptismum committuntur.

Sed vana est ea responsio. Nam prætermissa quæstione, an pro omnibus omnino peccatis mortalibus pœnitentia publica quondam injuncta sit, quam quidem suo loco discutiemur; ratio quæ Patres adduxit, ut a lapsis pœnitentiæ impositæ executionem exposcerent antequam eis ad Eucharistiam pateret aditus, valet pro quolibet mortali crimine: Desumpta nimirum erat ea ratio ex eo, quod lapsi, essent rei violati baptismatis, ac proinde par esset, ut altero, sed laborioso baptismate abluerentur antequam donarentur Eucharistia. *Qui nondum accepit baptismum* (inquit Augustinus homil. 41.) *nondum violavit Sacramentum: Qui autem violavit Sacramentum male & perdite vivendo,* AT IDEO REMOTUS EST AB ALTARI, *ne judicium sibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat se & reconcilietur dum vivit, dum sanus est ... Ergo qui veraciter egerit pœnitentiam, & solutus fuerit a ligamento, quo erat obstrictus, & a Christi corpore separatus, quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit.* Sed quibuslibet peccatis mortiferis violatur Baptismatis Sacramentum: Ergo &c. 2. Augustinus non quædam tantum peccata maxime gravia, sed omnia, quæ lethalia sint, & contra Decalogum pugnent, asserit elui debere pœnitentiæ laboribus, ut solvatur censura, per quam reus Eucharistiæ participatione interdictus fuerat: *Tertia* (inquit homil. 50. cap. 52.) *est actio pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* 3. Patres separarunt ab Eucharistia, ac pœnitentiæ addixerunt propter ea omnia peccata, quæ sine Ecclesiæ clavibus remitti non possunt. *Sunt quædam* (ait August. Serm. 34. de diversis) *gravia, & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis & contritionis spiritus, & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur: hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ.* Atqui nulla omnino sunt crimina, seu peccata mortalia, quæ sine Ecclesiæ clavibus dimitti possint; proindeque nullum est, quod ab Eucharistia non separet, nullum est, quod per pœnitentiam, & quidem ab Ecclesia impositam, ante Eucharistiæ receptionem non purgaretur.

Objicies. Patres Eucharistiæ communionem impertiti sunt morituris, qui nullam ante pœnitentiam egissent. Illis igitur persuasum non fuit peccatorum mortalium per pœnitentiæ labores purgationem præmitti debere sacræ communioni.

Resp. 1. ante quartum sæculum ubique negatam fuisse reconciliationem morituris, qui dum sani essent, eam non petierant. 2. Patres petitam in extremis absolutionem non multi fecere, quippe qui lapsos in iis angustiis reconciliatos, si postea convaluissent, ad pœnitentiam classes dimitterent. Loca quibus duplex illa solutio nititur, in dissertatione de Pœnitentiæ Sacramento referemus. 3. Tantum abest, ut argumento de quo agitur, infirmetur nostra conclusio, quin potius corroboretur quam maxime; Exceptio enim (ut ajunt jura) confirmat regulam; Ergo cum Patres solum necessitatis casum recenseant, cum definiunt Eucharistiam concedi debere iis etiam, qui pœnitentiæ laboribus non sunt perfuncti, compertum est denegasse illam passim, ordinarie, & extra necessitatis articulum, quod unum in nostra conclusione defendimus.

§. II.

§. II.

Utrum, his etiam temporibus, reus peccati mortalis pœnitentiæ labores Eucharisticæ communioni præmittere debeat?

Conclusio 1. Pœnitentia sumpta pro satisfactione Sacramentali, non debet necessario sacræ communioni ab iis præmitti, qui lethalium peccatorum sibi conscii sunt.

Probatur 1. ex eo, quod nec Divinum, nec Ecclesiasticum jus hoc sæculo præscribant, ut satisfactio Sacramentalis Eucharisticæ communioni præmittatur. 2. Antiquæ leges, quæ vetabant ne quis a criminibus absolveretur, quin ante satisfactionem per claves Ecclesiæ sibi impositam obiisset, quatuor ab hinc sæculis abierunt in desuetudinem, nec aliæ sancitæ sunt, quibus omnes absolutione donati a sacris altaribus passim arcerentur. 3. Alexander Papa VIII. die 7. Decembris ann. 1690. hancce propositionem damnavit, qua continetur Petri Oxomensis error de improbandis absolutione, & communione, quas non antevertat satisfactio Sacramentalis: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem præcedunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

Conclusio 2. Pœnitentia sumpta pro pietatis operibus, quibus demonstretur interna cordis conversio, his etiam temporibus, a nonnullis lapsis Eucharisticæ communioni præmitti debet.

Probatur 1. exemplo petito ab homine, qui ex consuetudine mortaliter peccavit; Is enim cum absolvi non debeat, nisi prius contritionem suam operibus pœnitentiæ probaverit (ut cum Theologis ostendemus in nostra dissertatione de Pœnitentiæ Sacramento) a fortiori, nisi iis operibus perfunctus sit, admitti non potest ad Eucharistiæ participationem, nisi tamen mortis periculum immineat. 2. Idem evincitur exemplo altero, quod quidem sumitur ex homine, qui vel semel incidit in grave aliquod externum flagitium, ut sunt homicidium, adulterium, Sodomia, aliaque hujusmodi contra naturam peccata. Impius ille (ut suo loco dicemus) absolvi non debet nisi prius exploratum sit ministro, quod lachrymis ac jugibus precibus pœnitentiæ donum obtinuerit; quod quidem donum Deus reis, a quibus semel, & perfunctorie tantum petitur, statim non solet elargiri. Eo principio nixi Patres plurium annorum lachrymis lapsos damnarunt non tantum, ut Deo offenso satisfacerent, sed etiam, ut obtinerent singulare contritionis donum, quod quidem ubi pœnitentes receptum suo in exequendis impositis laboribus fervore probassent, humanius cum illis agebatur, ac citius donabantur reconciliatione.

Objicies. Concilium Tridentinum nihil aliud in lapsis quo digne communicent requirit, quam confessionem Sacramentalem. Sess. 13. cap. 7. agens de præparatione ad Eucharistiam sic loquitur: *Quare communicare voluti revocandum est in memoriam ejus* (Apostoli) *præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Ergo Christianus etiam in nefandissima scelera lapsus, sine præviis pœnitentiæ operibus potest ad Eucharistiam accedere, modo tamen confessionem Sacramentalem præmiserit.

Resp. 1. neg. conseq. Ratio est, quia prolatis ex Concilio verbis, definitur quidem illi, qui peccati mortalis conscius est, necessariam esse Sacramentalem confessionem antequam communicet, (quod quidem caput Lutherani, & Calvinistæ negabant) sed non definit eam confessionem cuique lapso satis esse, ut ad Eucharistiam accedat. Inter ea, quæ necessaria sunt, & ea, quæ sufficiunt, ingens est discrimen. Sine respiratione nemo vivere potest, nec tamen inde sequitur, quod ad vitam sufficiat. Scripturis docemur nemini, qui baptizatus non sit, patere cœlorum aditum; quis tamen logicus hinc concludet baptismum cuique satis esse, ut cœlum adipiscatur. Fides ad salutem absolute requiritur, præter eam tamen necessaria sunt pietatis opera.

Resp. 2. dato antecedente, seu quod Concilium definierit ad fructuosam, & piam communionem satis esse, cuique lapso Sacramentalem confessionem. Neg. conseq. Ratio est, quia Concilium supponit eam, quam præmitti vult, confessionem oriri ex sincera contritione. Sed plerumque non vera, sed larvata est contritio in peccatore, qui sæpius mortaliter peccavit ex consuetudine; in impio, qui extra necessitatis casum, paucis post grave flagitium horis ubi seipsum absolutioni Sacerdotali subjecit, insilit in Christi mensam.

Et sane 1. humilitas contritionis comes est individua; At quis aliquo humilitatis sensu cum hominem affici dixerit, qui post immane flagitium, statim se dignum judicat majori favore, quem Deus in terris amico suo concedere possit, honore sublimiori, quem homo viator possit ambire. Si in hujusmodi peccatore humilitatem reperiri quis contendat, fateatur oportet differre quamplurimum a publicani humilitate, quam Christus laudavit in Evangelio; Audet ille accumbere mensæ Domini, iste contra nec ad sanctorum cœtum audet accedere; Ille cœlorum Regem hospitio excipit, iste vero præ verecundia, qua suffusus erat propter scelera, ne oculos quidem in cœlum levare audet; Ille pectus suum idoneum arbitratur, ut sedem Christo præbeat; iste satis superque habet si Deum exorare liceat, ut *propitius sit misero peccatori*. Longe differt ea humilitas ab ea, quam præ se tulit mulier Cananæa, quæ canem se cogitans sic, ex Augustino Serm. 74. de tempore c. 6. Christum compellabat, *Medicum quoddam, & exiguum beneficium desidero*. Non Mansam Invado, Sed Micas Quæro. Alterius generis est impii illius humilitas ab humilitate Magdalenæ, quæ licet sua scelera ex vehementi in Deum amore detestaretur, non manum statim, non ora, sed pedes tantum exosculata est. Bernardus censet non duplicem, sed unam esse mulierem, quæ Christum (ut in Evangelio legitur) bis unguento perfuderit; addit vero duplici illa perfusione duplex pœnitentium genus adumbrari, eorum nempe, qui non ita pridem peccato renuntiarunt, & eorum, qui multis pœnitentiæ laboribus purgarunt sese: illis satis esse vult, ut ad Jesu pedes pervolvantur, idest, ut supplices exorent scelerum veniam, istis vero oris osculum, seu Eucharistiam permittit: *Est* (inquit Serm. de B. Magdalena) *unguentum bonum, quod Maria pedibus Salvatoris infudit. Est & melius, quod eadem (si tamen eadem) super caput recumbentis effudit... Notanda utriusque differentia, & secundi sublimitas attendenda, quoniam illud est sacrificium Deo spiritus contribulatus* (pœnitentia scilicet) *& istud sacrificium laudis, quod honorificat Deum.* (nimirum Eucharistia) *Pedes igitur ungimus Salvatoris, cum de peccatis compungimur. Ungimus caput, cum de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus* (quod quidem numquam perfectius, quam in sacra Communione præstamus.) *Interstitii tamen morositas inter pedes esse debet, & caput*, Quia Profecto Difficillimus, Et Præsumptuosus Saltus Est A Vestigiis Ad Verticem Domini Transvolare *Neque enim eadem, quæ unxit pedes, unxit & caput.. Unxit ergo Maria sanctum Domini verticem, profecto jam electa, jam familiaris effecta, longeque a peccatricis illius obvoluta vestigiis, quam infelix ille septenarius confundebat.*

2. Peccata, & præsertim si carnis sint, obscœnis speciebus imaginationem conspurcare solent, quæ quidem species plerumque mentis hebetudinem, ac distractionem cum pacis internæ dispendio pariunt. De fœdis illis speciebus loquitur Augustinus lib. 2. Confessionum, ubi hæc scribit: (*Exhalabantur nebulæ de limosa concupiscentia carnis, & scatebra pubertatis, & obnubilabant atque obfuscabant cor meum, ut non discerneretur serenitas dilectionis a caligine libidinis.*) Hebetudo autem hujusmodi, illa distractio, illud pacis internæ dispendium, cum sæpius cum occulta cordis complacentia conjuncta sint, sacræ communioni sunt impedimento.

3. In reverentiam SS. Sacramento debitam peccare videtur is, qui vix a flagitiorum cœno emersus ad Angelorum mensam festinus prosilit; Qui virginem Dei carnem commiscere non veretur cum corpore, quod paucis ante horis meretricis membrum extiterat. 4. Iis, qui sic se gerunt, peccatoribus aptissime con-

convenit hæc sententia Cypriani de lapsis, qui mox a sua defectione sacræ Christi mensæ accumbere præsumebant: *A diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini sordidis, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos Idolorum cibos adhuc pene ructantes exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt.*

Objicies 2. Multos Sacerdotes reperire est, qui hoc sæculo quoscumque impios, licet in gravissima scelera sæpius prolapsos, post datam absolutionem, mox Eucharistia pascunt, quamvis illi homines impii præviis pietatis operibus suam conversionem non probaverint. Confirmatur ea praxis 1. ex Molina Carthusiano, qui libro quem de Sacerdotio conscripsit, Presbyteros qui in Eucharistia dispensanda sic se gerunt, commendat quam maxime. Asserit nimirum capite 6. §. 1. Confessoribus id oneris incumbere, ut *maximis peccatoribus; licet in eadem flagitia iterato lapsis, sacram communionem semel in hebdomada concedant.* Hanc deinde sibi ipsi hypothesim proponit: *Sed si peccator ad me accederet undique onustus peccatis, ipsi author essem, ut singulis diebus Dominicis Eucharistiam sumeret, si tamen ipsum illorum pæniteret; ac statueret se ab illis deinceps temperaturum. Si subsequenti proxime Sabbato, tot quot præcedenti peccata mihi confiteretur, suaderem iterum, si videretur contritus, ut semel intra quamque hebdomadam sacræ mensæ accumberet; idque consilii darem, quamvis singulis hebdomadis in eadem flagitia laberetur, modo tamen præ se ferret contritionem, & emendationis propositum.* Confirmatur 2. eadem praxis ex axiomate, quod apud plerosque invaluit, impium nempe de quo agitur, in iteratis tum confessionibus, tum communionibus vires sumere quibus refrænet concupiscentiam, & vitia expugnet.

Resp. Sacerdotes qui sic se gerunt ut fert objectio, praxim inire omnium sæculorum traditioni contrariam; unde ab Innocentio Papa XI. damnati sunt, ut agentes de pœnitentia dicemus; Damnati fuerant antea a S. Carolo in Instructionibus, quas pro Confessariis conscripsit, quasque Clerus Gallicanus ab omnibus Sacramenti pœnitentiæ ministris executioni mandari voluit.

Ad priorem vero argumenti confirmationem dicendum est Molinæ Carthusiano laudem maximam deberi, quod priori parte libri quam conscripsit, Sacerdotii dignitatem, & verbis, & sententiis Patrum mirifice commendaverit; sed addendum est ipsum in altera parte scripsisse plurima, quæ iisdem Patribus e diametro opposita sunt, id vero accidit quod relicto principio, quod antea statuerat, (de rebus scilicet fidei, & morum ad Scripturæ, & Traditionis mentem ferri debere judicium) audierit, & laudaverit recentiores quosdam casuistas, qui nulla habita ratione Patrum, morum dogmata ex corrupta per peccatum mente definierunt.

Ad alteram confirmationem respondendum est infirmum per nova vulnera minime curari. Cum ergo iteratæ impii de quo agitur tum confessiones, tum communiones sacrilegia censeri debeant, tantum abest ut peccator iis corroboretur; quin potius non debilitetur modo, sed etiam omnino frangatur. Qui communiones iis hominibus indulgent; *hoc eis sunt* (teste Cypriano) *quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Solatium æternæ spei adimunt; arborem a radice subvertunt; sermone morbido ad lethale conjugium serpunt; navem ad scopulos, ne in portum perveniat, illidunt.* Indulgentiores, seu potius crudeles, illi medici praxim quam sequuntur, beneficium, pietatem vocitant, sed decepti cæteros decipiunt; unde contra eos intorqueri debent, quæ contra similes ministros, tertio Ecclesiæ sæculo, Cyprianus intorquebat: *Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere jugiter, & rogare Dominum suum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare se simulant?*

Conclusio 3. Pœnitentia sumpta tum pro pietatis operibus sponte electis, tum pro pœnis satisfactoriis injunctis ab Ecclesia, a quocumque post baptismum lapso, secluso tamen articulo necessitatis, laudabiliter sacræ communioni præmitti possunt.

Probatur 1. Is laude dignus est, qui ad communionem Eucharisticam eo modo se præparat, quem duodecim priorum sæculorum Patres, post baptisma lapsos ubique docuerunt; Doctrina enim, quæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ubique unanimi omnium Episcoporum consensu invaluit, non est humanum figmentum, sed traditio divinitus accepta, ac proinde non magis errori obnoxia est, quam principium cui suam debet originem. Atqui (ut superius probatum est) Patres, qui duodecim prioribus sæculis floruerunt, lapsos docuerunt pœnitentiæ etiam satisfactoriæ, & ab Ecclesia injunctæ executionem, optimam esse Eucharistiæ recipiendæ præparationem; Lapsus ergo, qui extra necessitatis casum, a communione secedit, ut ad eam per injunctæ satisfactionis executionem se præparet, laude dignus est maxima.

Nec argumentum enervant, qui respondent eo argumento plus probari, quam par sit; probatur nempe (inquiunt) servari debere, his etiam temporibus, externum illum agendæ pœnitentiæ ritum, quem Patres communioni Eucharisticæ præmitti quondam voluerunt. Non enervant (inquam.) Siquidem aliud est ritus qui ad meram disciplinam pertineat, aliud dogma quod ad fidem, aut mores spectet. Externa disciplina mutationi obnoxia est; Quæ uno sæculo servatur, altero non semper observatur, imo nec potest observari. Qui v. g. a missæ sacrificio per multos annos abscederet (ut lapsi quondam abscedebant) æquissimæ censuræ præberet locum, in abscessionem illam Pastores debitis pœnis animadverterent; E contra vero (ut hoc in opere sæpius observatum est) fidei aut morum dogma omnino immutabile est, expers est cujuslibet vicissitudinis. Porro quod executio pœnitentiæ, etiam quæ satisfactionis est loco, ad communionem præparet, ac proinde quod utiliter, licet non necessario, communioni præmittatur, ad judicium tamen docti, & prudentis pastoris, non ritus est externus, sed fidei dogma, quod impugnari quidem, sed expugnari minime potest, stabit nimirum donec cœlum, & terra transeant.

Probatur 2. Licet Ecclesia, frigidis his temporibus, non imperet ut tota pœna temporalis peccato debita, a quocumque lapso ante communionem persolvatur, probat tamen eorum praxim qui aliquandiu fletibus, jejuniis, eleemosynis, satisfactoriis pœnis sua scelera eluere conantur antequam sacræ mensæ accumbant. Pia illa mater quondam hortata est, & nunc etiam lapsos omnes monet, ut tempore quadragesimali, Sacerdoti sua crimina confiteantur; *Unde* (inquit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 6.) *jam in universa Ecclesia, cum ingenti animarum fidelium fructu, observatur mos ille salutaris confitendi, sacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadragesimæ: quem morem hæc sancta Synodus maxime probat, & amplectitur tamquam pium, & merito retinendum;* In quæ quidem sacri Concilii verba hæc ait Bellarminus: *Non in fine, ut abusus irrepsit; sed initio hujus temporis, ut olim recte constitutum fuerat.* Unde S. Carolus sacræ Synodi optimus interpres, tantum abest ut lapsos approbet, qui confessionem ad extremos Quadragesimæ dies protrahunt, quin vetet e contrario, ut tunc temporis a confessariis audiantur. Atqui, ideo quondam Ecclesia lapsis præcipiebat, & nunc eos hortatur, ut initio Quadragesimæ confiteantur quod judicaverit olim, & nunc judicet conferre plurimum ad Eucharistiæ reverentiam, & lapsorum utilitatem si scelera pœnitentiæ laboribus ante communionem purgentur, si sacræ communioni laboriosum baptisma præmittatur.

§. III.

Utrum peccatorum venialium reus communioni Eucharisticæ pœnitentiam præmittere teneatur?

QUid sentiendum sit de venialium peccatorum pœnitentia communioni præmittenda, si pro contritione sumatur, ex iis patet, quæ de Eucharistiæ effectuum impedimentis, superius disputata sunt. Hic igitur quæstio est tantum de pœnitentia sumpta pro pœnis expiatricibus, sive ultro electæ fuerint, sive ab Ecclesiæ ministris fuerint impositæ.

Con-

Conclusio. Justo utilis est aliqua communionis dilatio, ut delicta venialia pœnitentiæ laboribus eluat.

Probatur exemplo Patrum, qui ob causas a quibus aberat etiam culpa venialis, a solius reverentiæ causa, a sacris altaribus recesserunt.

1. S. Chrysostomus (ut in vita ipsius a Palladio conscripta memoratur) abstinuit a Divinorum celebratione, quod horrendis vocibus Episcopi Eusebii in Antoninum Ephesinum Antistitem agentis, istanre Sacrificii hora parum se commotum advertisset. Scriptura de more publice prælecta, rogato quodam Episcopo ut sui loco Sacris daret operam, protinus excessit e basilica, in qua Eusebii contestationes vel invitus audierat: *Animo* (inqnit Palladius) *commotiore Sacrificium offerre noluit*. S. Doctor ob rem, ut videbatur, levem & a quavis peccati suspicione immunem, sacris altaribus sese subducens, omnibus fuit documento utilem esse justo eam communionis dilationem, quæ fit, ut SS. Sacramento reverentia concilietur, & a fortiori, ut ea peccata sine quibus justorum vita non ducitur, satisfactione eluantur.

2. S. Hieronymus eamdem praxim amplexus est in Occidentali Ecclesia, quam Chrysostomus in Orientali; Hæc enim de se ipso profitetur adversus Vigilantium scribens: *Qaaado iratus fuera, & aliquid mali ia mea aaimo cogitavero, & me nocturnum phautasma deluserit, basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo pertremisea. Rideas forsitan & mulierculurum deliramenta subsaanes. Non erubesco earum fidem, quæ primæ viderant Dominum resargentem; quæ mittuntur ad Apostolos, quæ in matre Domini Salvatoris saactis Apostolis commendaatar*. An is qui ob subreptitium iracundiæ motum, ob nocturnam illusionem, quæ sæpius culpa vacat, ne in Martyrum quidem basilicas intraro audet, accessisset ad altare, nbi non servum, sed Dominnm ipsum, ore proprio eacepisset. Hieronymus igitur proprio exemplo docuit, laudem mereri eum, qui a sacra Christi mensa se nonnnmquam subducit, ut culparum venialium noxam piis operibus abstergat.

3. Historiæ Ecclesiasticæ monumenta fidem faciunt, Theodosium Magnnm post eam, quam putaverat æquissimam, sed tamen sanguinolentam ex Eugenio tyranno victoriam, pluribus diebus a Sacramentorum parcipatione secessisse, persuasum, fidelem, etsi justum, fructum nberiorem consequi ea communione, quam pœnitentia præcesserit. Eam Imperatoris ab Eucharistia secessionem his laudibus Ambrosius eaornat in funebri tanti viri oratione. *Dilexi virum qui magis arguentem quam adulantem probaret. Stravit omue qao atebatur insigae regiam. Deflevit ia Ecclesiis publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat.* (loquitur de cæde Thessalonica) *Quod privati erubescuut, non erubuit Imperator pablice agere pœnitentiam, neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præclaram adeptus victoriam, tamea quia hostes ia acie strati sunt abstinuit a consortio Sacramentorum, donec Domini circa se gratiam, filioram experiretur adventu*.

4. Quod Ambrosius in Theodosio laudavit, ipse in quodam suo Diacono mandari volnit executioni. Unus e Diaconis ipsius, Geruntius nomine, ministerio suo ad tempus prohibitus est, donec quædam verba levia quæ protulerat, domi pœnitentiæ laboribus eluisset. Rem Sozomenus hist. lib. 8. cap. 6. his verbis enarrat; *Hic* (de Geruntio loquitur) *cum sub Ambrosio Mediolaneasi Episcopo Diaconus esset, haud scio quare motus, utrumne præstigias molitus, an vero dæmonis instigationibus ac spectris, noctu indicabat se Onescelidem* (*est hoc dæmonam genus asininis cruribus appareas*) *apprehensam, capite raso, in pistrinum conjecisse. Qua de causa Ambrosius cum ut indigna miaisteria Dei locutum, præscripta tempore manere domi, & pœaitentia expiari jusserat.* Eaploratum igitur fuit Ambrosio cnmmunionem ad tempus posse protrabi, nt levia delicta eapientur.

5. S. Malachias a Bernardo laudatur, quod pœnitentiam damnasset Diaconum; qni licet præcedenti nocte illusionem passus, Sacris tamen altaribus ministrasset; His vero verbis, (Bernardo teste,) eum, cum imposuit pœnitentiam, affatus est: *Non debueras hodie ministrasse, sed verecunde te subtrahere Sacris, & deferre tantis tamque divinis Mysteriis ut hac humilitate purgatus, diguias exinde ministrares*. Aliud ergo S. Malachias de usurpata ad agendam pœnitentiam communionis dilatione censebat, quam ii qui piis vertunt errori, quod nonnumquam ab ea se subducant, ut purgati, ad eam postea majori cum sanctitate accedant.

6. Monumentis Ecclesiasticis proditum est S. Carolum Borromæum pœnitentiæ causa e sacris altaribus, pluribus diebus recessisse, quod in Missæ ritibus nonnihil vel incautus peccasset. Borromæo conjungi debet S. Franciscus Salesius, a quo probatum fuit interdictum, quo Sacerdos quidam Matronam pietate præstanrem ob quædam peccata levia damnarat. Rem ipsam & causam rei hic ipsius verbis enarremus oportet. *Quod Confessario* (inquit Epist. lib. 2. Epist. 39.) *morem gessisti, recte ac prudenter a te factam est, sive tibi frequentioris communionis solatium eripuerit, ut tui periculum faceret, sive quod impatientiæ fraagendæ, sanandæque non satis studeres. Imo vero atramque ob caasam, id ab illo factum, tibique ea in pœniteatia, quoad jusserit perstandum esse existimo*.

Probatur iterum conclusio ratione, quam superius de peccatorum lethalium pœnitentia differentes, urgebamus. Fide Catholica certum est animi puritatem esse præparationem, quæ ad dignam communionem requiratur; Id enim post antiquos Patres contra Lutheranos, & Calvinistas Concilium Tridentinum definiit. Ergo quo quisque fuerit purior, eo ad recipiendum Sacramentum paratior erit; Sed ad majorem illam puritatem maxime confert pœnitentiæ exercitium; Justo igitur qui illam sacræ communioni præmiserit, perutilis est, ac proinde laudem meretur, si ad confessarii prudentis, & docti, seu qui secundum Patrum regulas animas regat, communionem aliquandin protraxerit ut pœnitentiæ laboribus incumbat. Confirmatur illud argumentum ea eo, quod fidelis anima Christum in Eucharistiæ Sacramento tamquam Divinum sponsum amplexetur, adeat tamquam medicum a quo sanetur, recipiat ut fontem aquæ purioris, qua rerum temporalium sitim extinguat. Sed pœnitentiæ labor communioni præmissus, sponsam præparat ad sponsi cœlestis ampleaum; infirmum ad remedii vim; egenum ad gratiæ receptionem disponit.

Objicies 1. Justus, præsertim Sacerdotio inauguratus, qui ab Eucharistia, etiam ad tempus, recedit, viam init huic Bedæ venerabilis effato contrariam: *Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantam in ea est, privat Sanctam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio, & gratia, in purgatorio existeates refrigerio, Ecclesiam spirituali Christi beaeficio, & seipsum medicina, & remedio*.

Resp. effati authorem de iis loqui, qui ab Eucharistia præ segnitie, & socordia recednnt, non autem ea reverentia qua ad peccatorum, etiam venialium, præviam expiationem moveantur: illos antiqui Patres semper damnarunt, illos vero probarunt, & verbis, & exemplo. Veterum hac de re sententias ad brevissima hæc sed clarissima verba contraxit author libri qui *de Imitatione Christi* inscribitur: *Si quis* (inquit lib. 4. c. 10.) *interdum abstinet humilitatis gratia, laudaadus est de reverentia*. Sed ne quis censetur antiquis quidem probatam fuisse secessionem ab Eucharistia, quæ pietatis causa fieret a Laicis aut Clericis Sacerdotio non inauguratis, non vero a Sacerdotibus, de quibus Beda venerabilis expresse loquitnr, subjicienda est hic S. Bonaventuræ doctrina: *Circa Sacerdotes* (inquit de profectu Relig. cap. 77.) *potest hæc forma teneri; ut nec nimis raro, nec nimis coatinue celebrare, vel imprætermisse sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim continue celebrare aliquam videtur notare irreverentiam, cum vix aliquis sit tam devotus, qui semper eadem devotione ferveat, quod semper cum debita reverentia illud faciat, & cordis ardore, quin aliquando reperiat quantulumcumque, quod impediat*. At numqnid singularis reverentiæ argumentum sufficit, qui peccata venialia purgare sedulo curat, quod sciat Christo sponso purissimo displicere?

Objicies 2. Justus qui temperat ab usu SS. Sacramenti ut agat pœnitentiam, aliquid quidem emolumenti spiritualis ea pœnitentiæ laboribus colligit, sed non tantum, quantum esset recepturus si Sacramento sese ipsum reficeret, quippe quod Sacramenta singularem

habeant effectum, quo ii tantum donentur a quibus non modo in animi præparatione, sed actu recipiantur.

Resp. non aliam hic proferri debere responsionem, quam quæ ab authore libri de Imitatione Christi tradita est. Ait vero lib. 4. cap. 10. *Cum vero legitime præpeditus est, habebit semper bonam voluntatem & piam intentionem communicandi, & sic non carebit fructu Sacramenti.* Nec immerito sic respondet laudatus author; quamvis enim novæ legis Sacramenta gratiam producant ex opere operato; non ita tamen divina virtus illis signis est alligata; ut sine eis actu receptis, nusquam Deus aut impium justificet, aut justi gratiam adaugeat. Præterea (ut olim Patres docuerunt, & hoc etiam sæculo docent periti conscientiarum rectores, ex una communione, quæ cum puritate, ac fervore facta fuerit plus gratiæ recipi, quam ex pluribus aliis, quæ cum tepiditate, ac frigiditate peractæ fuerint.

Objicies 3. Cum nullus sit justus, qui multis peccatis venialibus non teneatur obstrictus, juxta illud Joannis: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est;* Nullus absque premissa pœnitentia accedere deberet ad Eucharistiam; Quod est falsum: alioquin enim nemini vel justissimo concedi posset quotidiana communio, quam tamen Majores nostri fidelibus, dum olim persecutio sæviret, indulgebant.

Resp. 1. argumentum esse de non supponente; quippe quod supponat, venialium pœnitentiam semper, ac necessario communioni præmitti debere: At id in nostra conclusione nequaquam assertum fuit: hoc enim unum definivimus, nempe viro, vel maxime pio, utilem esse quam communioni, ad sapientis ac docti animarum directoris judicium, pœnitentiam præmiserit. Eam veritatem docti veteres, cum per tempus licebat, non se reficiebant Eucharistia, quin vel leviores noxas pœnitentia castigassent, ut probat Sanctæ Paulæ exemplum, de qua hæc habet Hieronymus in illius Epitaphio: *Mollia, etiam in gravissima febre, lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat; Si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus pene orationibus dies noctesque jungebat, illud implens de Psalterio: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo, in qua fontes crederes lacrymarum. Ita* LEVIA PACCATA *plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos servaret Evangelicæ lectioni, ajebat; Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpe depinxi: Affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis; Longus risus perpeti compensandus est fletu: Mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda: Quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere desidero.* Expendant velim pleræque mulieres, quæ sæpius ad Eucharistiam accedunt, an præterita peccata mortalia iis castigent pœnis, quibus in levia mulier sanctissima; de qua Hieronymus; animadvertebat. Expendebat etiam omnes quibus inest aliquis pietatis sensus, num temeritatis, aut erroris insimulari debeant, qui ad exemplum sanctæ Paulæ venialium pœnitentiam sacræ communioni præmittunt.

Resp. 2. textum ex Joanne prolatum intelligi de peccatis, quæ ex ignorantia, infirmitate, aut subreptione nascuntur, pro quorum dimissione, ipsi etiam Apostoli jussi sunt a Christo, cum cæteris fidelibus sic Deum deprecari: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* non intelligi vero de iis in quæ quis ex advertentia rationis & ex deliberata voluntate lapsus fuerit: perutile est de utrisque pœnitentiam sacræ communioni præmittere, sed de illis præsertim, quæ dedita opera committuntur. *Sed dicis* (inquit Augustinus eum increpans, qui intemperanter utitur matrimonio, seu qui solius voluptatis causa illius actum exercent) *peccatum quidem est, sed tamen parvum est; Nec nos dicimus quia capitale peccatum est: Sed tamen si frequentius exerceatur, & jejuniis vel eleemosinis non redimatur, nimis immundam facit animam.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De dispositionibus ex parte corporis ad usum Eucharistiæ requisitis.

DUÆ sunt præcipuæ dispositiones, quæ ex parte corporis ad usum Eucharistiæ requiruntur, jejunium nimirum naturale, & puritas, de quibus subsequentibus paragraphis est agendum.

§. I.

De jejunio sacræ communioni prærequisito.

COnclusio 1. Apostolica est traditio, Eucharistiam nonnisi a jejunis sumi debere.

Probatur. Quæ in omnibus Ecclesiis semper observata sunt, & quorum institutio in Conciliis non reperitur, ad Apostolicam traditionem referenda sunt juxta certissimam regulam, quam Augustinus tradit lib. 4. de Baptis. contra Donatistas cap. 24. ubi sic loquitur: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Sed praxis de præmittendo sacræ communioni jejunio in omnibus Ecclesiis semper observata est, nec ejus institutio in aliquibus Conciliis reperitur, ut colligitur ex subsequentibus momentis.

1. In Oriente consuetudinem illam quarto sæculo obtinuisse demonstrant hæc, quæ Chrysostomus scribit homil. 27. in priorem Epist. ad Corinth. *Tu prius quam communices, jejunas, ut quomodocumque Communione dignus appareas.*

2. Eamdem disciplinam altero Ecclesiæ sæculo apud Occidentales obtinuisse fidem facit Tertullianus lib. 2. ad uxorem, ubi agens de Eucharistia, quam quisque fidelis in privatam domum deferret, sic loquitur: *Non sciet maritus* (infidelis) *quid secreto ante omnem cibum gustes?* Ejusdem moris testis est Cyprianus in Epist. ad Cæcilium; ea nempe contendit Sacrificium Eucharisticum aptius matutinis, quam vespertinis horis offerri: *Numquid ergo* (ait) *Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus.*

3. Nonnullæ tamen Ecclesiæ ab avita illa consuetudine de jejunio Eucharistiæ præmittendo, quondam recessisse leguntur; Ipsius Cypriani tempore ministros reperire erat, qui quod mane, ne ex odore vini deprehenderentur, aquam obtulissent, serotinis horis mixtum vinum consecrarent, ac proinde ipsi non jejuni sumerent, & non jejunis traderent, *An illa aliquis sibi contemplatione blanditur* (inquit Cyprianus Aquarios exagitans in Epist. ad Cæcilium) *quod etsi mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus?* Illum vero morem rejicit ibidem Cyprianus. *Sed cum cœnamus, ad convivium nostrum plebem convocare non possumus,* quod nempe tunc ab infidelibus prohibeamur, *ut Sacramenti veritatem fraternitate omni præsente celebremus.* Principium quo S. Doctor nititur mox illius verbis enarratum est, Ea disciplina etsi a Cypriano improbata, statim ex Africa non evanuit, nondum enim ea in regione penitus extincta erat sæculo quarto desinente; nonnullis Conciliis opus fuit, ut ex omnibus Africanis Ecclesiis eliminaretur; *Ut Sacramenta altaris* (inquit can. 29. tertia Synodus Carthaginensis habita anno Christi 397.) *non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum, pomeridiano tempore, defunctorum, sive Episcoporum, seu Clericorum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur.* Sozomeni ætate mos, quem tertia Synodus Carthaginensis proscripsit; in aliquibus Ægypti partibus adhuc obtinebat; Sed (ut idem author advertit) communi Ecclesiarum praxi contrarius erat: *Apud Aegyptios* (inquit Histor. lib. 7. cap. 19.) *multis in civitatibus ac pagis, præter consuetudinem communiter apud omnes consecratam, sub vesperum Sabbato convenientes; ac jam pransi mysteriorum participes fiunt.*

Objicies. Quæ Christus ipse peregit, licita sunt. Sed Christus non jejunis, sed cœnatis Apostolis Eucharistiam

riſtiam diſtribuit: Ergo, his quoque temporibus, licet eam fidelibus non jejunis diſpenſare.

Reſp. nego maj. Ratio eſt, quia Chriſtus multa peregit, quæ tamen, ſaltem quoad temporis circumſtantias, Eccleſiæ determmanda reliquit. Nixus eo principio Gregorius Nazianzenus Orat. in S. Baptiſma, multis adverſus eos invehitur, qui eo prætextu ſanctum baptiſma in annum ſuę ętatis trigeſimum differebant, quod Chriſtus eumdem annum agens voluerit baptizari.

Illi reſponſo lux affulget ex Auguſtino, qui Epiſt. 118. ſibi argumenrum de quo agitur, proponit: *Liquido apparet* (ait) *quando primum acceperunt diſcipuli Corpus & Sanguinem Domini; non eos accepiſſe jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur?* Reſpondet vero; *Et hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati Fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere.*

Hanc vero S. Doctor rationem reddit, cur poſt cœnam Chriſtus Euchariſtiam porrexerit: *Namque Salvator quo vehementius commendaret Myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit arctius infigere cordibus, & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat.* Contendit poſtea illud Chriſti factum, quoad temporis circumſtantiam, permiſſum fuiſſe prudenti Apoſtolorum ordinationi; *Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, ut Apoſtolis per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, ut poſt cibos alios ſemper acciperetur, credo quod eum morem nemo variaſſet.*

Addit denique, Apoſtolum data a Chriſto facultate uſum fuiſſe, ſeu jejunium, Euchariſtiæ præmittendum definiiſſe: *Cum vero ait Apoſtolus de hoc Sacramento loquens, propter quod Fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: Si quis eſurit, domi manducet, ut non ad judicium conveniatis, ſtatim ſubtexit: Cætera cum venero, ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia; ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur.*

Concluſio 2. Quamvis paſſim & ordinarie jejunium naturale ſacræ communioni præmitti debeat; nonnulli tamen ſunt caſus, quibus licet Euchariſtiam non jejunis diſpenſare.

Probatur enumcratione plurium caſuum, quibus Euchariſtiam fidelibus non jejunis licitum eſt recipere.

1. Conſuetudo olim invaluerat in Africa Euchariſtiam ſerotinis horis poſt cœnam conficiendi, & ſumendi: *Sed nonnullos* (ait Auguſtinus Epiſt. 118. cap. 7.) *probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit, tamquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri, & accipi liceat corpus, & ſanguinem Domini. Honeſtius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, poſt refectionem, quæ hora nona fit, ad abolitionem poſſit occurrere.* Morem illum non damnat Auguſtinus. *Quapropter* (inquit) *neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, ſed nulli etiam contradicere audemus.*

Ne quis ramen putet praxim illam a primis Eccleſiæ Africanæ exordiis obtinuiſſe, hæc S. Doctor ſubjicit, quæ illius originem demonſtrent: *Hoc tamen non arbitror inſtitutum, niſi quia plures & prope omnes in pleriſque locis eo die lavare conſueverunt. Et quia nonnulli etiam jejunium cuſtodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia ſimul & lavacra tolerare non poſſunt, ad veſperam vero propter jejunantes.*

Unde vero die cęnę lavandi conſuetudo ortum ſuum doceret, ſubſequentibus his verbis idem Auguſtinus enarrat. *Si autem quæris, cur lavandi mos ortus ſit, nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, niſi quia baptizandorum corpora per obſervationem quadrageſimæ ſordidata* (ducebatur nempe quadrageſimale tempus non in jejuniis modo, ſed etiam in ſacco & cinere,) *cum offenſione ſenſus ad fontem tractarentur, niſi aliqua die lavarentur; iſtum autem diem potius ad hoc electum, quo cœna Domini anniverſarie celebratur.* Sed cauſari quis poſſet cur fideles, utpote jam baptizati, corpus abluerent, quæ enim ratio ab Auguſtino affertur locum quidem habet in catechumenis, non autem in fidelibus; Illi quæſtioni ſic idem S. Doctor occurrit: *Et quia conceſſum eſt hoc baptiſmum accepturis, multi cum his lavare voluerunt, jejuniumque relaxare.*

Conſuetudo, de qua hactenus, aliquas Orientales Eccleſias pervaſerat; Sed ne deinceps ſervaretur, prohibuerunt Trullani Patres ann. 692. can. 29. ubi tertii Concilii Carthaginenſis decretum laudantes ſic loquuntur: *Carthaginenſis Synodi canon dicit, ut ſancta altaris non niſi a ſobriis hominibus peragantur, excepto uno die in anno, in quo cœna Domini peragitur; tunc ſortaſſe propter aliquas in iis locis occaſiones Eccleſiæ utiles ſanctis illis Patribus hac diſpenſatione uſis. Cum nihil ergo nos inducat, ut accuratam obſervationem relinquamus, ſtatuimus Apoſtolicas, ac paternas traditiones ſequentes, non oportere in quadrageſimæ poſtrema ſeptimana, quinta feria jejunium ſolvere, & totam quadrageſimam injuria afficere.*

2. Quondam, & his etiam temporibus Sacerdoti non jejuno Euchariſtiam ſumere licet, ut perficiat ſacrificium, quod facta aut unius, aut duplicis ſpeciei conſecratione, Sacerdos a quo fuerat incœptum, præ inopinata infirmitare, aut alio repentino caſu, ad exitum non valeat perducere; Ita ſcilicet ſancitum eſt canone 2. ſeptimi Concilii Toletani, ubi hæc habentur: *Cenſemus igitur convenire, ut cum a Sacerdotibus miſſarum tempore ſancta myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis accidat cujuslibet eventus quo cœptum nequeat conſecrationis expleri myſterium, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri conſecrationem exequi officii cœpti.* Ea indulgentia nonnulli miniſtri abuti potuiſſent, ſed abuſui ſic idem canon occurrit: *Nec tamen quod naturæ languoris cauſa conſulitur in præſumptionis crimen convertatur, nullus poſt cibi potuſve quamlibet minimum ſumptum miſſas facere, nullus abſque patenti proventu moleſtiæ, miniſter vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta officia præſumant omnino relinquere.* Hoc autem principio laudatum decretum nititur, nempe quod ſacrificii perfectio, ac conſummatio juris ſit divini, quod quidem Eccleſiaſtico præponderat.

3. Sacerdoti non jejuno injungitur, ut vinum conſecret & ſumat ſi in ipſa communione aquam per errorem infuſam fuiſſe calici deprehendat. Qua ratione ſimili in caſu ſeſe Sacerdos gerere debeat, hiſce verbis enarrat Miſſale Romanum: *De defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus* tit. 4. *Si poſt verba conſecrationis advertat vinum non fuiſſe poſitum, ſed aquam; depoſita aqua in aliquod vas, rurſum vinum cum aqua ponat in calice, & conſecret reſumendo a verbis prædictis:* SIMILI MODO. *Si hoc advertat poſt ſumptionem corporis, vel hujuſmodi aquæ, apponat aliam hoſtiam iterum conſecrandam & vinum cum aqua in calice offerat, utrumque & conſecret & ſumat, quamvis non ſit jejunus. Vel ſi miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra conſecrare, ac ſtatim ſumere & proſequi cætera.*

4. Particulas in patena aut in calice ſuperſtites Sacerdoti non jejuno, poſt ſumptam ablutionem, poſt diſpenſatam fidei populo communionem, imo poſt peractum omni ex parte ſacrificium, ſumere licitum eſt. Ratio eſt, quia hujuſmodi particularum ſumptio unam & eamdem cum ſacrificio moralem actionem conſtituit.

5. Contendit Major, antiquus Scholaſticus, Presbyterum ſumpto cibo poſſe elanculum, & abſque ſolemnitate panem etiam fermentatum conſecrare, ne infirmus ſine ultimo viatico excedat e vivis. Sed laudati Scholaſtici ſententia rejici debet, tum quod Sacerdotes divino jure vinum conſecrare jubeanrur ubi conſecrant panem ut inferius de communione ſub utraque ſpecie differentes oſtendemus, tum quod eodem jure, qui conſecravit, conſecratæ hoſtiæ particulam ſumere teneatur, tum denique, quod aliud ferat Eccleſiarum conſuetudo: Unde provecta jam die ſi in pixide nulla ſit hoſtia conſecrata; nec adſit jejunus Presbyter, infirmo etſi ad extrema redacto ſatis eſſe debet communio ſpiritualis; Nec enim par eſt, ut Euchariſtia contra præſcriptas ab Eccleſia leges, & inſtitutos ab ea ritus conſecretur.

6. Ægrotis hominibus, quamvis jejuni non ſint, licet Euchariſtiam ſumere, ſi tamen jejunum naturale ſine gravi incommodo ferre non valeant; Nec ut jejuni communicent curare tenentur, ut ſibi noctu SS.

Sa-

Sacramentum deferatur, tunc enim vix *Honorifice* (ut Concilii Tridentini verbis utar) deportari potest. Indulgentiam illam infirmis ab Ecclesia concessam Concilium Constantiense confirmavit. *Licet* (inquit Sess. 13.) *Christus post cœnam instituerit hoc venerabile Sacramentum, tamen sacrorum canonum authoritas & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit & servat, quod hujusmodi Sacramentum nec conficiatur post cœnam, nec sumatur a non jejunis nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso.* In eam vero sacræ Synodi concessionem advertere est eam indeterminatam esse, seu ad unam aut alteram vicem minime restringi; unde colligitur eidem infirmo periculose ægrotanti etiam non jejuno licere sæpius in eadem infirmitate SS Sacramentum porrigere, modo tamen inter utramque communionem sex vel octo dies fluxerint, nec pluries per modum viatici dispensetur; hanc ultimam cautionem adhiberi præcipit S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. Titulo IX. *Cum quis* (inquit) *periculose ægrotans, ac etiam pene in extremo spiritu sanctissimam Eucharistiam & Sacramentum Extremæ-unctionis susceperit, si postea aliquot dies superstes sacram communionem sibi ministrari petit, ejus pio, religiosoque desiderio parochus ne desit, modo ne pro viatico iterum in eodem morbo præbeat: cum id a sanctis Patribus olim fieri consuevisse traditum sit.*

Conclusio 3. Qui extra casus ab Ecclesia probatos non jejunus communicat, gravi se peccato devincit.

Probatur 1. ex eo, quod quisque fidelis ritus ab Ecclesia circa Sacramentorum confectionem aut usum præscriptos & ubique receptos servare teneatur: *Similiter etiam* (inquit Augustinus Epist. 118. de ritibus Eucharistiæ agens) *si quid horum tota per orbem frequentet Ecclesia. Nam & hinc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Atqui (ut superiori conclusione demonstratum est) Ecclesiasticæ leges ab Apostolis ad hanc usque ætatem ubique gentium observatæ, iis qui sunt communicaturi, jejunium naturale præscripserunt. Expendant ergo recentiores hæretici qua ratione ab Augustini censura eximent Lutherum Patriarcham suum, qui lib. de abroganda Missa cibum moderatum iis annuit qui ad sacram synaxim accessuri sunt, ut (inquit) os mundetur, sublevetur caput, halitus male olens expurgetur.

Probatur 2. nonnullis congruis rationibus, qua Sanctus Thomas 3. p. q. 80. art. 8. profert in medium. S. Doctor argumentatur tum ex hujusce Sacramenti sanctitate, tum ex devotione in communicantibus requisita, tum denique ex periculo vomitus qui plerisque ex leviorum etiam ciborum sumptione nonnumquam imminet. *Impeditur aliquis a sumptione hujus Sacramenti* (inquit) *post cibum & potum assumptum, tripliciter. Primo quidem (ut Augustinus dicit) in honorem hujus Sacramenti, ut scilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum. Secundo propter significationem, ut scilicet detur intelligi, quod Christus (qui est res hujus Sacramenti) & charitas ejus debet primo fundari in cordibus nostris. Tertio propter periculum vomitus & ebrietatis quæ quandoque contingunt ex hoc, quod homines inordinate cibis utuntur, sicut & Apostolus dicit primæ ad Corinth. 11. Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.*

Quæres 3. num quæcumque ex ore ad stomachum trajiciuntur, tollant jejunium naturale Eucharisticæ communioni prærequisitum?

Resp. per quodcumque sumptum per modum cibi & potus tolli jejunium naturale: ex quo principio S. Thomas sic ratiocinatur: *Et ideo neque post assumptionem aquæ vel alterius cibi aut potus vel etiam medicinæ, in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere: nec refert utrum aliquid hujusmodi nutriat, vel non nutriat, aut per se aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi vel potus:* Ex eodem quoque principio colligit ea quæ per modum salivæ casualiter transglutiuntur, non tollere naturale jejunium: *Reliquiæ tamen cibi* (inquit) *remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ, & eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest.* Idem plane ferri debet judicium de vino, vel condimento, quod qui in os ingerit & statim expuit, tunc enim non exercetur aut manducationis aut potus actio, quod nempe exiguum, quod trajectum est per modum salivæ censeatur acceptum. Sed idem de saccharo dici non potest, quippe quod distillantis pituitæ vim non temperet, nisi deglutiatur, ac proinde per modum cibi sumitur. Idem nonnulli cum Merbesio sentiunt de tabacco ori ingesto, si illius humor ex ore in stomachum trajiciatur, quod nempe (ajunt) tunc per modum medicinæ sumatur.

Quæres 2. num communicantes cibo, & potu mox ab Eucharistiæ sumptione prohibeantur, quemadmodum iis vetantur ante SS. Sacramenti sumptionem?

Resp. laudari apud Gratianum, de consecrat. Dist. 2. textum Clementis Papæ I. quo hæc decernuntur: *Si mane, Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri qui eam sumpserunt, & si 3. vel 4 hora acceperint, jejunent usque ad vesperum.* Sed Clementis non est illud decretum; constat nempe prioribus sæculis Majores nostros mox ab Eucharistiæ sumptione celebrasse charitatis convivia quæ Agapæ dicebantur. Præterea si simile aliquod decretum aliquando latum fuerit; jam non viget, cujus quidem abrogationis hanc rationem legere est apud S. Thomam: *Antiquitus rarius Missarum solemnia celebrabantur, & cum majori præparatione: nunc autem quia oportet frequentius sacra mysteria celebrare, non posset de facili observari, & ideo per contrariam consuetudinem est abrogatum.* Monitum tamen vult lectorem idem S. Doctor convenire, ut inter hujusce Sacramenti sumptionem & cæteros cibos aliqua mora intercedat, quod fidelis Ecclesiam imitetur, quæ Sacerdotis ore orationem que gratiarum actio dicitur, recitat post communionem.

Quæres 3. num inter cœnam & communionem, quæ summo mane fieri supponitur, necesse sit, ut somnus aliquis mediarit?

Respondent aliqui scriptores affirmative; nituntur vero textu Alexandri Papæ III. lib. 5. Decret. de accusat. Tit. 1. cap. *Si constiterit.* Sed ii scriptores longius absunt a summi Pontificis mente; Siquidem Sacerdos quem loco laudato suæ Ecclesiæ privatione mulctat, vino deditus erat, quippe qui noctem quæ Missam præcesserat, duxerat in tabernis, ut ex ipsiusmet Alexandri verbis pespicue demonstratur. *Si constiterit* (inquit) *quod D. Ecclesia non perpetuo concessa, sed ad tempus fuerit commendata & de vinolentia, & quod in taberna pernoctarit, ita quod altera die, nulla præmissa dormitione Missam cantasset. Si de hoc rationabiliter convictus fuerit in judicio ante Episcopum suum, sive accusatus, vel ad rationem positus sine coactione fuerit confessus: ei super eadem Ecclesia perpetuum silentium imponatis, ipsum ab impetitione desistere compellentes.*

§. II.

De puritate corporis sacræ communioni præmittenda?

CONclusio. Carnis puritas seu castimonia, ad sacram communionem requiritur.

Probatur 1. authoritate S. Augustini, qui Serm. 46. de verbis Domini in Evang. secundum Joannem cap. 4. hisce verbis eos qui carne immundi sunt, a sacra communione repellit. *Qui audiunt dicentem me, Quicumque non servatis castitatem, nolite accedere ad illum panem, contristantur. Et ego nollem hoc dicere, sed quid facio? Timebo hominem ut taceam veritatem?*

Probatur 2. ratione desumpta ex ipso Eucharistiæ Sacramento. Par non est ut is, qui agnus est sine macula, qui virginem gerit carnem, qui ex matre virgine genitus est, corpus subeat, quod impuritas conspurcarit. Ei rationi lux ex iis affulgebit quæ ad subsequentia quæsita dicturi sumus.

Quæres 1. quæ carnis impuritas fideles arceat a sacra communione?

Resp. 1. eam omnem carnis immunditiem, quæ ex peccato mortali oritur, fideles ad tempus arcere a sacra communione Responsionis veritas ex iis patte, quæ de sanctitate Eucharistiæ usui prærequisita superius dicta sunt; unde concluditur 1. par esse, ut is qui pollutionem vel diurnam vel nocturnam voluntarie passus est, vel cui liberam præbuit occasionem, vel obscœnis cogitationibus, quas ultro mente revolvit, aut colloquiis

quis eum perfonis fexu diverfis, aut voluptuofis in fe aut in alios contactibus, a Christi menfa repellatur, donec, & mentem,& cor orationibus, eleemofinis, aliifve pietatis operibus emundarit. Concluditur 2. piarum aurium offenfivam efse eorum cafuiftarum doctrinam, quos fcribere non puduit: *Sacerdotem* (etiam feclufo abfolutæ neceffitatis cafu)*poft fornicationem præcedenti nocte commiffam, vel gravius aliquod fcelus; poffe tuta confcientia facris dare operam proxime fequenti die, modo fibi contritus videatur, ac confeffionem Sacramentalem præmiferit*. De illa praxi aliter fentiunt authores, qui ex traditionis regulis de moribus judicant. Merbefius Covarruviam de jure Canonico optime meritum fic in Clement. *Si furiofus*, loquentem inducit; *Impium eft negare peccare mortaliter eum Sacerdotem, qui poft fornicationem præcedenti nocte commiffam, fequenti die celebrat,etiamfi confeffus, ac contritus fibi videatur*. Quantum ea praxis Patribus adverfetur colligitur ex difciplina, quam alias circa Presbyteros in peccata carnis prolapfos obfervarunt; eos nempe ex fuo gradu fine ulla reftitutionis fpe dejecerunt: ubi vero indulgentiore difciplina cœperunt uti, reftituerunt quidem priftinis gradibus, fed non antequam diuturnis ac gravibus pœnitentiæ laboribus fua crimina purgafsent. De duplici illa difciplina fermo recurret inferius cum de cenfuris agetur.

Refp. 2. pollutionem nocturnam, cui quis non confenfit, quæque nafcitur ex caufa, quæ peccatum fit veniale, cujufmodi eft levis negligentia, non ex neceffitate quidem, fed ex congruitate, impedire facram communionem. Nititur ea refponfio authoritate S. Th. qui 3. p. q. 80. art. 7. in corpore fic loquitur: *Et fi quidem fit fine peccato, vel cum peccato veniali; non ex neceffitate impedit fumptionem hujus Sacramenti: ita fcilicet, quod homo fumendo fit reus Corporis, & Sanguinis Domini*.

Refp. 3. pollutionem cui fidelis nullum omnino dedit locum, quæque oritur aut ex dæmonum illufione, aut ex infirmitate, aut involuntaria fuperfluitate naturæ, non efse facræ communioni impedimento, faltem ex neceffitate. Nec id mirum eft; fi enim (ut mox fuit obfervatum) nocturna pollutio, quæ exorta eft ab occafione quæ fuerit veniale peccatum, ab Euchariftiæ participatione non arceat, arcere non poteft ea quæ nafcitur ex caufa, cui ne leve quidem ineft peccatum. In eamdem fententiam abiit S. Thomas, quippe qui loco proxime laudato fic definiat: *Quandoque vero provenit ex fola nequitia dæmonum volentium impedire hominem a fumptione hujus Sacramenti. Unde legitur in Collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionem femper in Feftis, in quibus erat communicandum; Seniores comperto, quod nulla caufa ab ipfo præcefferat, decreverunt, quod propter hoc a communione non cefsaret, & ita cefsavit illufio dæmonum*. Idem S. Doctor mox de pollutione quæ ex naturæ infirmitate aut fuperfluitate nafcitur, fic difcurrit: *Similiter etiam, & caufa corporalis quandoque eft fine peccato, puta cum eft ex infirmitate naturæ. Unde, & quidam, etiam in vigilando, abfque peccato fluxum feminis patiuntur. Vel etiam fi fit ex fuperfluitate naturæ* (quæ tamen non oriatur ex nimia cibi & potus quantitate) *ficut enim contingit fanguinem fluere fine peccato, & ita femen, quod eft fuperfluitas fanguinis fecundum Philofophum*: hanc vero immunditiem afserit non ex neceffitate, fed ex congruentia communionem impedire, *quantum ad duo, quorum unum femper accidit, fcilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam Sacramenti non decet ad altare accedere (unde, & volentes tangere aliquid facrum, manus lavant) nifi forte talis immunditia fit perpetua vel diuturna, ficut eft lepra vel fluxus fanguinis, vel aliquid hujufmodi: Aliud autem eft evagatio mentis quæ fequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit*. Cautionem addit S. Doctor dignam quæ obfervetur: *Hoc tamen impedimentum* (inquit) *quod ex congruitate provenit, poftponi debet propter aliquam neceffitatem, puta ut Gregorius dicit, cum fortafse aut feftus dies exigit, aut exhibere minifterium pro eo, quod alius Sacerdos deeft, ipfa neceffitas compellit*.

Refp. 4. actum conjugalem nonnumquam recenferi inter carnis impuritates, quæ a participatione myfteriorum arceant. Unde infertur fuadendum efse fidelibus ut per aliquot dies communionem antegrefsos a conjugalis debiti petitione temperent. Refponfionem illam tradit S. Hieronymus Epift. 50. quæ eft apologia pro fuis libris adverfus Jovinianum. Hæc Apoftoli verba: *Nolite fraudare invicem nifi forte ex confenfu ad tempus, ut vacetis orationi*, laudatus doctor exponens, fic loquitur: *Si per coitum, quod minus eft impeditur, ideft orare: quanto plus, quod majus eft, ideft corpus Chrifti prohibetur accipere .... Durum eft & non ferendum, quis hoc fæcularium fuftinere poteft? Qui poteft fuftinere fuftineat; qui non poteft ipfe viderit. Nobis curæ eft non quod unufquifque poffit aut velit, fed quid Scripturæ præcipiant, dicere*. Eidem doctrinæ Auguftinus fuffragatur: *Quotiefcumque* (ait Sermone unico de Dom. 2. adventus) *aut dies Natalis Domini, aut reliquæ feftivitates adveniunt, ficut frequenter admonui; ante plures dies, non folum ab infelici concubinarum confortio, fed etiam a propriis uxoribus abftinete*. Eamdem difciplinam non in antiquioribus modo Conciliis, fed & in recentioribus commendatam legere eft: *Moneantur conjugati* (inquit Concilium Bituricenfe habitum anno Chrifti 1584. Tit. de Euchariftia can. 8.) *nonnifi præparati aliquot dierum continentia, ad Euchariftiæ fumptionem accedere: inftar Davidis, qui nonnifi accedente trium dierum continentia panibus propofitionis ufus eft*. Quantum Ecclefia cupiat, ut fideles praxim de qua agitur, mandet executioni colligitur ex Catechifmo Romano ad Parochos: *Alterum eft* (inquit part. 2. nu. 27.) *quod fideles docere oportet, ut Deum orandi & obfecrandi caufa a matrimonii officio interdum abftineant; inprimifque id fibi obfervandum fciant tribus faltem diebus antequam facram Euchariftiam percipiant*.

Verum hic admonendi funt fideles culpa vacare conjugatum qui debitum reddiderit etiam ea die qua aut acceffurus eft, aut acceffit ad Euchariftiam; imo nec eum qui petiit, modo tamen non explendæ libidinis, fed procreandæ prolis & ad Dei gloriam educandæ caufa petierit; Sed placet hic S. Thomam audire ex quo noftrum monitum haufimus: *Dicendum* (inquit) *quod actus conjugalis, fi fit fine peccato (puta fi fiat caufa generandæ prolis vel caufa reddendi debitum) non alia ratione impedit fumptionem hujus Sacramenti, nifi ficut dictum eft de pollutione nocturna quæ accidit fine peccato, fcilicet propter immunditiam corporalem & mentis diftractionem; ratione cujus Hieronymus dicit fuper Matth. Si panes propofitionis ab his qui uxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis qui de cœlo defcendit, non poteft ab his qui paulo ante vacavere amplexibus, violari atque contingi, non quod nuptias condemnemus, fed quod eo tempore, quo carnes agni manducaturi fumus, vacare carnalibus operibus non debemus. Sed quia hoc fecundum congruitatem & non fecundum neceffitatem eft intelligendum, Gregorius dicit, quod talis eft fuo judicio relinquendus. Si vero non amor procreandæ fobolis, fed voluptas dominatur in opere* (ut ibidem Gregorius fubdit) *tunc prohiberi debet*) fub pœna venialis peccati fi alioquin in gratiæ ftatu verfetur) *ne accedat ad Sacramentum*.

Merito S. Doctor hic laudat Gregorium; conceptis quippe terminis idem ab Auguftino Anglorum Epifcopo confultus refpondit; Hancce nimirum quæftionem Auguftinus Gregorio propofuerat: *An vir fuæ conjugi permixtus poffit ad myfterium facræ communionis accedere*; Sic vero folvit Gregorius: *Oportet itaque legitima carnis copula ut caufa prolis fit, non voluptatis, & carnis commixtio creandorum liberorum fit gratia, non fatisfactio vitiorum. Si quis ergo fua conjuge non cupidine voluptatis captus, fed folummodo liberorum creandorum gratia utitur, ifte profecto five de ingreffu Ecclefiæ, feu de fumendo Corporis Dominici Sanguinifque myfterio, fuo eft relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere qui in igne pofitus nefcit ardere. Cum vero non amor procreandæ prolis fed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent conjuges, etiam de fua communione, quod defleant*.

QUÆSTIO NONA.

De Proprietatibus Sacramenti Euchariftiæ.

INter Varias Sacramenti Euchariftiæ proprietates illius neceffitatem feligemus. Expendemus nempe 1. an

an communio Euchariftica fit ad falutem neceffaria neceffitate medii. 2. Utrum faltem neceffitate præcepti neceffaria fit. 3. An illius ufus debeat effe frequens. 4. Utrum fub utraque panis, & vini fpecie fieri debeat:

CAPUT PRIMUM.

Utrum communio Euchariftica fit ad falutem neceffaria neceffitate medii?

Conclufio. Euchariftica communio nemini ad falutem eft neceffaria neceffitate medii.

Probatur 1. Ecclefia quovis fæculo credit parvulos, qui mox a baptifmate moriuntur, æternam falutem confequi quamvis Euchariftiam non receperint. 2. Tritum fuit apud Patres axioma, ideo Chriftum voluiffe ut urgente neceffitatis cafu quilibet, etiam laicus, baptifma, non autem Euchariftiam, conficere ac difpenfare poffit, quod illud, non autem ifta, neceffitate medii ad falutem neceffarium fit. 3. Nullo Scripturæ textu, nullo Traditionis loco evinci poteft neceffitas de qua agitur; unde Concilium Tridentinum Seff. 21. cap. 4. merito fic loquitur: *Eadem fancta Synodus docet parvulos ufu rationis carentes nulla obligari neceffitate ad Sacramentalem Euchariftiæ communionem; fiquidem per Baptifmi lavacrum regenerati, & Chrifto incorporati; adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poffunt.*

Objicies 1. celebrem hanc Chrifti apud Joannem cap. 6. fententiam: *Nifi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus fanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Cujus quidem fententiæ particula exclufiva, *Nifi*, non minus eft univerfalis quam ifta, qua baptifmatis abfoluta neceffitas concluditur, *Nifi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu fancto, non poteft introire in regnum cœlorum.*

Refp. prætermiffa Janfenii Gandavenfis, nonnullorumque aliorum Evangelii interpretum fententia, qua afferitur fextum Joannis caput de Incarnatione, non autem de Euchariftia, intelligi debere, dici poffe Euchariftiæ efum, omnibus hominibus, etiam parvulis, neceffarium effe non quidem actu, & in re, fed in voto implicito, quod in baptifmatis fufceptione continetur, ut hifce verbis S. Thom. declarat 3. part. quæft. 73. art. 3. *Per baptifmum ordinatur homo ad Euchariftiam; Et ideo ex hoc ipfo, quod pueri baptizantur, ad Euchariftiam ordinantur per Ecclefiam, & fic ficut ex fide Ecclefiæ credunt, fic ex fide Ecclefiæ defiderant Euchariftiam.* Hinc idem S. Doctor quæft. 79. art. 1. ad primum concludit parvulos Ecclefiæ voto, Chrifti corpus, & fanguinem manducare, dum baptizantur.

Objicies 2. aliquos Summorum Pontificum, & Auguftini textus, quibus conftat eos de Euchariftiæ neceffitate eodem modo, quo de baptifmate locutos fuiffe. Innocentius Papa I. Epift. 93. Milevitano Concilio contra Pelagianos habito refpondens fic loquitur: *Quod eos veftra Fraternitas afferit prædicare parvulos æternæ vitæ premiis etiam fine baptifmatis gratia poffe donari, præfatum eft. Nifi enim manducaverint carnem filii hominis, & biberint fanguinem ejus, non habebunt vitam in femetipfis. Qui autem hanc eis fine regeneratione defendunt, videntur mihi Baptifmum etiam ipfum caffare velle, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nifi baptifmate conferendum.* Iis verbis exploratum eft Innocentium ex Euchariftiæ neceffitate, Baptifmi, tamquam illius præcurforis, neceffitatem ad vitæ æternæ confecutionem colligere. Sic laudatum Pontificem intellexiffe videtur Auguftinus Epift. 106. qua afferit Pelagianos, quod contendant infantes non baptizatos poffe vitam æternam adipifci, difputare contra fententiam Domini dicentis: *Nifi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis; & contra Apoftolicæ fedis authoritatem, ubi de hac ipfa re cum ageretur, hoc teftimonium adhibitum eft Evangelicum, ne parvuli non baptizati vitam poffe habere credantur.*

Gelafius Papa non minus perfpicue quam Innocentius ex verbis Evangelicis: *Nifi manducaveritis carnem filii hominis &c.* colligit Euchariftiæ neceffitate teneri ipfos parvulos, caufatus alioquin eos vita æterna fruftrandos. *Ipfe Dominus Iefus Chriftus* (inquit in Epiftola, quam ad Epifcopos per Picenum fcripfit) *cœlefti voce pronuntiat, Qui non manducaverit carnem &c. ubi utique neminem videmus exceptum; nec opus eft aliquem dicere parvulum fine hoc Sacramento falutari ad æternam vitam poffe produci; fine autem illa vita in perpetua futurum morte non dubium eft.*

Auguftinus totus eft in fuis contra Pelagianos libris, ut ex Euchariftia abfoluta neceffitate, abfolutam in parvulis baptifmatis neceffitatem adftruat. Præ innumeris locis quæ ex S. Doctore laudari poffunt hunc ex lib. 1. de peccatorum meritis c. 10. recitabimus, quo fuos adverfarios inter vitam, & regnum cœlorum diftinguentes fic confutat: *Nova quadam, & mirabili præfumptione quafi falus, & æterna vita poffet effe præter Chrifti hæreditatem, præter regnum cœlorum? Dominum audiamus, non quidem hoc de Sacramento fancti lavacri dicentem, fed de hoc Sacramento facræ menfæ fuæ, quo nemo rite nifi baptizatus accedit: Nifi manducaveritis &c. An vero quifquam hoc dicere audebit, quod ad parvulos hæc fententia non pertineat, poffintque fine participatione corporis hujus, & fanguinis in fe habere vitam, quia non ait, Qui non manducaverit, ficut de baptifmo, Qui non renatus fuerit, fed ait, Si non manducaveritis, velut eos alloquens qui audire, & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli: Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nifi omnes fententia ifta teneat, ut fine corpore & fanguine filii hominis, vitam habere non poffint, fruftra etiam ætas major id curat: poteft enim (fi non voluntatem, fed verba loquentis attendas) eis folis tunc videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur, quia non ait, Qui non manducaverit, fed, fi non manducaveritis. Et ubi eft quod eodem loco de hac ipfa re ait, Panis quem ego dedero, caro mea eft pro fæculi vita: Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando illa dicebat quia non poffumus dicere ad fæculum nos non pertinere, pro cujus vita Chriftus carnem fuam dedit. Quis autem ambigat fæculi nomine homines fignificatos effe qui nafcendo in hoc fæculum venimus. At etiam pro parvulorum vita caro data eft, quæ data eft pro fæculi vita, & fi non manducaverint carnem filii hominis, nec ipfi habere poffunt.* Auguft. igitur perfuafum fuit hæc Chrifti verba, *Nifi manducaveritis &c.* ad parvulos pertinere, ac proinde certo credidit vitam æternam eos non confequi nifi Euchariftiam manducaverint.

Refp. Innocentium, Gelafium, Auguftinum Chrifti verba, *Nifi manducaveritis &c.* interpretatos fuiffe de Euchariftia, non actu quidem recepta, fed in voto implicito, quod in iis omnibus reperitur, qui per baptifmum myftico Chrifti corporis conjunguntur: Hæc igitur fuit Innocentii, Gelafii, Auguftini contra Pelagianos argumentatio: Nemo vitam æternam, quam vos a regno cœlorum diftinguitis, confequitur, nifi Chrifti carnem manducaverit: Atqui parvuli, quos baptifma non abluit, Chrifti carnem nec in actu nec in voto manducarunt, proinde excludi eos oportet non tantum a regno cœlorum, ut fatemini, fed etiam a vita æterna, cum Chriftus expreffe afferuerit neminem vitam æternam confequi, qui ejus carnem fe manducaturum non voverit.

Eam vero effe Auguftini mentem ex variis illius textibus poteft evinci. Lib. 3. *de peccatorum meritis* c. 4. hæc habet, quibus clare fignificetur carnis, & corporis nomine eum intellexiffe fidelium fub Chrifto capite focietatem: *Quid autem apertius tot tantifque teftimoniis divinorum eloquiorum, quibus dilucidiffime apparet, nec propter Chrifti focietatem ad vitam falutemque æternam poffe aliquem injufte damnari, hoc eft, ab illa vita ac falute feparari? Unde fit confequens, ut quoniam nihil tale agitur aliud cum parvuli baptizantur, nifi ut incorporentur Ecclefiæ, id eft Chrifti corpori, membrifque focientur; manifeftum fit eos ad damnationem, nifi hoc eis collatum fuerit, pertinere .... Numquid etiam illud, Nifi manducaverint homines carnem ejus, hoc eft participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam? Nonne veritas fine ulla ambiguitate proclamat, non folum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non poffe, fed nec vitam æternam poffe habere, nifi Chrifti corpus, cui ut incorporentur, Sacramento baptifmatis inducuntur.* Idem S. Doctor clariffime mentem aperit fuam tractatu 26. in Joannem; ad hæc Evangelii verba, *Qui manducat meam carnem &c.* fic loquitur: *Qui hanc fumit habet vitam, & hanc utique æternam. Hunc itaque cibum, & potum focietate vult intelligi corporis, & membrorum fuorum, ficut rei Sacramentum, id eft virtu-*

tem

tem corporis, & sanguinis Cristi. Alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa præparatur, & de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitum: res vero ipsa cujus Sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitum, quicumque ejus particeps fuerit. Quibus quidem verbis August. virtutem corporis Christi ab ipso naturali corpore distinguit, virtutem vero illam docet satis esse ad salutem, additq; ab iis recipi, qui Christi membra per baptismum efficiuntur.

Quid de Eucharistiæ necessitate senserit Augustinus, non tantum ex ipso Augustino, sed etiam ex germanis illius discipulis colligi potest. S. Fulgentius Epist. ad Ferrandum de baptismo Æthiopis c. 11. expresse asserit. 1. virum, quem unda baptismalis abluerit, salute non frustrari, quamvis actu Christi carnem non manducarit: *Nullus* (inquit) *debet moveri fidelium in illis, qui etsi legitime sana mente baptizantur, præveniente velocius morte, carnem Domini manducare & sanguinem bibere non sinuntur propter illam sententiam Salvatoris, qua dixit, Nisi manducaveritis &c. Quod quisque non solum secundum veritatis mysteria, sed secundum mysterii veritatem considerare poterit, in ipso lavacro sanctæ regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur Sacramento sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri Jesu Christi fiant, & ad compagem corporis ejus Ecclesiastica unitate pertineant?* Asserit 2. idem sensisse August. hoc est, ipsi fuisse persuasum Evangelica verba, *Nisi manducaveritis &c.* intelligi debere de manducatione in voto, quæ quidem fiat, cum quis societati fidelium per lavacrum regenerationis inseritur. *Qui ergo* (inquit) *membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit, quod ipse fit, quando utique illius fit verum corporis membrum, cujus corporis est in sacrificio Sacramentum? Hoc ergo fit ille regeneratione sancti baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus Altaris. Quod etiam sanctos Patres credidisse ac docuisse cognoscimus. Beatus quoque August. de hac re sermonem fecit admodum luculentum, & aptum ædificationi atque instructioni fidelium, quam sermonem totum Epistolæ malui subjungere.* Integrum vero sermonem ibidem Fulgentius describit, in quo inter cætera hæc habentur: *Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum dicentem audi, dicentem* (inquam) *fidelibus; Vos estis corpus Christi, & membra: si ergo vos estis corpus Christi, & membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes, Amen. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit, Amen. Quare ergo in pane? nihil hic de nostro afferamus; ipsum Apostolum item audiamus; Cum ergo de isto Sacramento loqueretur, ait, Unus panis, unum corpus multi sumus... Qui accipit mysterium, & non servat vinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Arbitror, Sancte Frater,* (verba sunt Fulgentii allatam ex Augustino sententiam ponderantis) *disputationem nostram præclari Doctoris Augustini sermone firmatam, nec cuiquam esse aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisq; Dominici participem fieri, quando in baptismate membrum corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis calicisve consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat Sacramenti, quippe illius participatione ac beneficio non privatur, quando ipse hoc quod illud Sacramentum significat, invenitur.*

Objicies 3. Tota Ecclesia duodecim prioribus sæculis, & hac etiam ætate, Orientalis, Eucharistiam non adultis modo, sed etiam parvulis statim post baptismum contulit. At praxim eam non ob aliud amplexa est, quam quod ei persuasum fuerit neminem absque Eucharistiæ receptione salutem posse consequi. Ergo &c.

Resp. 1. hujusmodi argumento, si valeat, probari Confirmationem esse necessariam necessitate medii, ut quisque fidelis salutem consequatur: Nam (ut ostendimus suo loco) Majores nostri eam a baptismo non sejungebant olim in Occidente, nec jam temporis in Oriente separant. 2. Falsum eodem argumento supponitur, ubi enim non aderant aut Presbyteri aut Diaconi, qui, urgente mortis periculo, baptizarent; neophytus Eucharistia non pascebatur. 3. De disciplina, de qua est quæstio, sic Tridentina Synodus loquitur: *Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Probabilis autem illa Patrum causa non alia fuit, quam quod exploratum eis esset parvulos Eucharistiæ vi augmento gratiæ sanctificantis donari, quo quidem augmento, utpote ad salutem absolute ac simpliciter minime necessario, Ecclesia Latina parvulos privari voluit, ut majori erga SS. Sacramentum reverentiæ consuleret.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum communio Eucharistiæ sit adultis necessaria necessitate præcepti.

CONCLUSIO 1. Fideles divino præcepto tenentur ad Eucharisticam communionem.

Probatur 1. ex his Christi verbis Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, qua quidem sententia Christus non solum Apostolis injunxit, ut sacrificium offerrent, sed etiam ut fidelibus Eucharistiam dispensarent, quemadmodum ipsi ab eo dispensatam receperant. Probatur iterum. Hæc alia Christi verba, Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, idem demonstrant; is enim est eorum sensus, Sub æternæ damnationis periculo, Divini legislatoris qua fungor authoritate, injungo vobis, ut edatis meum corpus, ut bibatis meum sanguinem. Nec obstat, quod nonnulli veteres, quibus Jansenius Gandavensis adhæsit, allatum ex Joanne textum de fide incarnationis exposuerint: Siquidem (ut fuse probatum est a nobis cum de veritate corporis Christi in Eucharistia diceremus) unanimis fere fuit Patrum consensus, ut sextum Joannis caput de Eucharistia explicarent; iis Patribus Trident. Syn. Sess. 13. adhærere visa est, quippe quæ multa loca ex 6. Joannis capite laudet, quibus Eucharistiæ mirabiles effectus asserat.

Probatur 2. ex Patribus, quorum ut (præcedente articulo dictum est) hoc fuit assertum, Neminem posse consequi salutem quin in voto, saltem implicito, Christi carnem manducet: At votum exequi, juris est divini, si per tempus aliasque circumstantias liceat; proindeque cum quisque fidelis cum initiatus est Sacramento regenerationis, Eucharistiæ receptionem voverit, ad eam suo tempore recipiendam jure Divino tenetur. Ea ratio desumpta est ex S. Thom. qui 3. part. q. 8. art. 11. sic loquitur: *Respondeo dicendum quod (sicut supra dictum est) duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet spiritualis & Sacramentalis: manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare, quia hoc est Christo incorporari (ut supra dictum est:) Spiritualis autem manducatio includit votum seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum, ut supra dictum est, & ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum non potest homini esse salus, frustra autem esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset; & ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Lucæ 12. Hoc facite in meam commemorationem.*

Objicies. Christus nullum determinavit tempus, quo Eucharistia reciperetur: Nullam igitur de ea actu recipienda legem sancivit.

Resp. 1. unanimem esse Patrum ac Theologorum sententiam a Christo pro Eucharistia actu recipienda, implicite determinatum fuisse imminens vitæ periculum. Id vero colligitur ex eo, quod viri pii constituti in extrema vitæ periodo, in Eucharistia spem collocaverint suam, anxie, & solicite eam habuerint in desideriis, ut patet ex Serapione sene, de quo cum egimus de hocce Sacramento morituris dispensando, plura post Eusebium diximus. Colligitur iterum ex diligentia, quam veteres adhibuerunt, ne quisquam absolutione donatus absq; Eucharistia dimitteretur ex hac vita, ut patet ex Cypriano, qui sedulo curandum asseruit ut martyrium passuris, imo & lapsis quos, dum sani essent, pœnituisset, dispensaretur.

Resp. 2. adultos divino jure sæpius in vita teneri ad Eucharistiæ participationem. Nec enim vero simile est, semel tantum in vita urgere præceptum recipiendi Sacramentum, quod non modo pro morituris, sed etiam pro sanis institutum est, quippe qui indigeant alimento, quo sustententur, & viribus quibus rebellem concupiscentiam refrænent: Quænam autem sint illa tempora Christus sapienti Ecclesiæ judicio determinandum permisit.

Con-

Conclusio 2. Fideles adulti Ecclesiæ præcepto tenentur ad Eucharisticam communionem.

Probatur 1. ex Decretali adscripta Fabiano Papæ, quam Gratianus in corpus juris Canonici retulit, ea scilicet Epistola quisque fidelis jubetur, ut ter in anno, in Paschate nimirum, Pentecoste, & die natali Domini ad Eucharistiam accedat. 2. ex Concil. Lateranensi IV. sub Innocentio Papa III. Can. *Omnis utriusque sexus*, præcipitur fidelibus, ut in Paschate Eucharistiam recipiat, quem canonem sacra Tridentina Synodus confirmavit: *Si quis dixerit*, (inquit Sess. 13. can. 9.) *omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, non teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum juxta præceptũ sanctę matris Ecclesię, anathema sit.*

Quæres 1. quo sæculo Ecclesia legem de Eucharistia sumenda primum sanciverit?

Resp. prioribus sæculis fideles ab Ecclesia permissos fuisse, ut pro sua pietate vel accederent ad Eucharistiam, vel ab ea recederent. Ratio est, quia nullum in monumentis septem priorum sæculorum mandatum legitur, quo sumendę Eucharisticę communioni tempus aliquod determinate præcipiatur. Nec est, quod quis opponat Epistolam decretalem adscriptam Fabiano Papę; siquidem apud peritos omnes exploratum sit eam esse octavi sęculi fętum, quem illius authores Fabiani nomine inscripserunt, ut aliquod ei pondus conciliarent. Sacra Eucharistiæ fames, ejusque recipiendæ ardor, quæ visa fuerant in prioribus Christianis, circa sæculum octavum in plerisq; fidelibus penitus elanguerant: Ea Christianorum negligentia Ecclesiam adduxit, ut cuique sacram communionem, saltem ter in anno, frequentandam præciperet: id nempe colligitur ex Epistola decretali, quam ex Fabiano, De Consecrat. Dist. 1. Gratianus laudat; cum enim circa id tempus exarata sit, complecti videtur disciplinam, quam ea ætate fideles servarent; sic autem habet illa decretalis: *Et si non frequentius saltem in anno ter, laici homines communicent, nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur, in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.* Circa sæculum 13. eo progressa fuerat aliquorum Christianorum erga SS. Sacramentum tepiditas, ut parum curarent de moribus emendandis, quo illud reciperent, illi desidiæ Ecclesia consultum voluit in Concil. Lateranensi IV. Can. *Omnis utriusque sexus*, sub excommunicationis pœna injunxit ut quisque fidelis, saltem semel in anno, Paschali nimirum tempore, ad Eucharistiam accederet.

Quæres 2. quo in templo quisque fidelis communione paschali donari debeat?

Resp. 1. edicere canonem: *Omnis utriusque sexus fidelis*, ut a proprio Sacerdote paschalem communionem recipiat. Idem injunxerunt Galliarum Ecclesiæ, sic enim habet Concilium provinciæ Burdigalensis habitum anno Christi 1584. Titul. de Eucharistia: *Statuimus, ut prædicto tempore Paschæ, nemo extra suam parochiam absque rectoris sui facultate, alio se conferat hoc Sacramentum percepturus. Sed & quibus dabitur ea facultas, parochum certiorem faciant, quo loco sacram Eucharistiam sumpserint.* Idem legere est in altera Burdigalensi Synodo habita anno 1624. *Sacris canonibus insistentes* (verba sunt Concilii, Titul. de Eucharistia,) *statuimus, eo tempore omnes Christi fideles tum ad confessionem peccatorum, proprio parocho, aut alii de ejus licentia faciendam, tum ad sacram Eucharistiam in eadem Ecclesia percipiendam teneri, & obligari, nullosque alias præcepto Ecclesiæ satisfecisse.* Eamdem disciplinam præscribunt aliæ Synodi provinciales, quæ in Galliis post Concilium Tridentinum celebratæ sunt.

Resp. 2. nullum fidelem ipso Resurrectionis die posse in aliis a propria parochia templis communionem recipere, quamvis hebdomada sanctiore jam annuæ communionis Ecclesiastico præcepto fecerit satis. Ratio est 1 quia Leo Papa X. qui privilegiaris facultatem fecit Eucharistiam quovis anni die fideli populo distribuendi, ipsam excepit Resurrectionis diem 2. Congregatio Cardinalium interpretum sacri Concilii Tridentini; idem, quod ante Leo X. decrevit (si tamen resolutiones quæ congregationis nomine circumferuntur, illius sint.) 3 Constantissime viget ea lex in Galliis, *Nemo* (inquit can 1x. Tit. de Euchar. Concilium Bituricense habitum ann 1584.) *ad diem Paschę Eucharistiam ab alio, quam a proprio parocho seu curato sumere præsumat: qui contra fecerit excommunicetur: Sacerdos qui contra hoc decretum, administrarit, cujuscumque gradus, & ordinis fuerit, extraordinarie puniatur.* Singulis annis illustrissimus Episcopus Dux Lingonensis innovat statutum Lingonensi rituali præscriptum, quo decernitur, ne quis præterquam in parochianis Ecclesiis Eucharistiam a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive, aut recipiat aut dispenset.

Quæres 3. num is qui prævidet se propter legitimum impedimentum non communicaturum Paschali tempore, ipsum antevertere teneatur; An is qui nec eo tempore, nec antea communicare potuit, lege Ecclesiastica paschalem communionem præcipiente ligetur postea.

Resp. ad utrumque quæsitum affirmative. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum duo præcipit, annuam nimirum communionem injungit, & paschale tempus determinat: Ergo licet ultimum, præ casu aliquo, executioni mandari non possit; non ob id prioris robur desinit. Præterea qui debitum aliquod statuto tempore creditori non solvit, non ob id a solutione alio tempore præstanda liber censetur. Nec valet, quod nonnulli objiciunt ex jejunio, aut ex horarum canonicarum recitatione, quæ quidem (inquiunt) si statuta die non serventur, non obligant postea, Non valet (inquam) eo quod hujusmodi onera sic certæ diei affixa sint ut ipsamet dies sit obligationis ratio: Communio vero Eucharistica non est diei alicujus onus, nec tale in individuo tempus est ratio propter quam injungitur, sed est ipsummet jus divinum, cujus executioni Ecclesia determinatum tempus præfixit, ne fideles præ desidia impositum sibi a Christo communicandi præceptum ulterius differant.

Quæres 4. utrum præcepto Ecclesiastico de communione paschali fiat satis per communionem sacrilegam?

Resp. negative. Ratio est, quia filius non censetur patris mandato facere satis, cum præceptum exequitur quidem sed eo modo, quo patri summa irrogetur injuria. 2. Cum præceptum Ecclesiasticum de annua communione sit divini præcepti quædam explicatio ac determinatio, non est dubium, quin Ecclesia eam, quam Christus injunxit, communionem, idest piam, & religiosam fidelibus præscribat; unde Concilium Lateranense can. *Omnis utriusque sexus fidelis*, sic loquitur: *Suscipiens reverenter ad minus in pascha Eucharistiæ Sacramentum.* 3. Vitæ conservandæ præceptum is non adimplet, qui cibo vescitur, quem sibi noxium fore certo aut noverit, aut nosse debuerit. Nec audiendi sunt, qui hoc axiomate nixi, quod nempe Ecclesia de internis non judicet, contendunt actus internos ab ea præcipi non posse; falsum est nempe hujusmodi principium, cum actus interni absolute ad debitam externorum executionem requiruntur, ut revera requiruntur, non tantum ut quis digne communicet, sed etiam ne gravi se sacrilegio devinciat. Ex iis argumentis invictissime colligitur merito ab Innocentio Papa XI. proscriptam fuisse novam hanc, & Patribus omnino contrariam recentiorum quorumdam, qui se casuistas dicunt, propositionem: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Caput Tertium.

Utrum expediat frequens Eucharistiæ communio?

Hocce caput claritatis causa partiemur in tres articulos. in priore quæremus utrum apud antiquos Christianos frequens esset Eucharistiæ communio? 2. An his etiam temporibus expediat? 3. Quænam regulæ pro usurpanda frequenti communione statui debeant?

Articulus Primus.

Utrum apud antiquos fideles frequens esset Eucharistiæ communio?

Conclusio. Apud antiquos fideles frequens erat Eucharistiæ communio.

Probatur 1. Lucas Act. 2. de prioris sæculi Christianis hæc scribit, quæ Patres intellexerunt de Eucharistica communione: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, & orationibus.*

2. Ju-

2. Justinus qui altero Ecclesiæ sæculo vixit, in Apologia secunda, quam pro Christianis Antonio Imperatori obtulit, hæc enarrat quæ suæ ætatis morem adstruant: *Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit... Precibus peractis, panis effertur & vinum & aqua, & Præpositus identidem quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit; & populus fauste acclamat, dicens, Amen. Et distributio, communicatio que fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ,* CUIQUE PRAESENTI, *absentibus autem per Diaconos mittitur.*

3. Cyprianus qui Ecclesiæ Carthaginensi circa annum 250. præerat, Eucharistiam suo sæculo singulis diebus a fidelibus sumptam fuisse, in expositione orationis Dominicæ his verbis asserit: *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ut qui in Christo sumus, & Eucharistiam* QUOTIDIE *ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum absenti & non communicantes a cælesti pane probibemur, a Christi corpore separemur.*

4. S. Hieronymos Epist. 50. asserit hunc labente sæculo quarto Romæ morem observatum fuisse, ut quique fideles quotidie se se Eucharistia reficerent: *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod non reprehendo, nec probo.* Eidem mori, saltem pro Occidente, suffragatur æqualis Hieronymo Ambrosius: *Si quotidianus est panis* (inquit lib.45. de Sacramentis cap. 4. si tamen libri de Sacramentis illius sint) *cur post annum illum sumis quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt. Accipe quotidie quod quotidie tibi profit: sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere* (si mores non mutet.

5. Basilius in Epistola ad Cæsariam Patriciam asserit tulisse suo sæculo, quarto nimirum, Orientalium piorum non vero segnium de quibus mox Ambrosius, consuetudinem ut pluries in Hebdomada fieret sacra communio: *Communicare* (inquit) *singulis diebus & sanctum Christi corpus percipere præclarum est & utile cum ipse dicat: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis igitur ambigne vitam assidue participare, nihil aliud esse quam multifariam vivere. Nos autem quater in singulas hebdomadas Divina Sacramenta participamus, Dominica die, quarta feria in Parasceve, & in Sabbato, & aliis diebus, si quando Dominica memoria vel Sancti alicujus fuerit.*

6. Non pauci Orientales piæ illi, de qua mox laudatus Basilius, praxi præ segnitie & socordia, jam Chrysostomi tempore adhærere desierant; Epiphaniorum nimirum die, in Paschate, & in Natali Domini tantum sacræ mensæ accumbebant, abusum Illum S. Doctor ferre non potuit, in eum hisce verbis invehitur homil. 61. ad populum Antioch. *O consuetudinem!* (inqoit) *o præsumptionem? sacrificium frustra quotidianum. Incassum assistimus altari, nullus qui communicetur. Hæc non ut temere communicemini dico, sed ut vos dignos reddatis. Non es hostia dignus vel communione; igitur nec oratione.* Et postea alludens ad disciplinam Ecclesiæ, quæ pœnitentes & catechumenos ejiciebat a templis sacrificii tempore, sic prosequitur: *Cum omnibus confessus es de dignis esse, cum indignis non secedendo: quomodo mansisti non participans de mensa?*

Post Chrysostomi ætatem plures reperti sunt ita tepidi ac frigidi, ut de Eucharistia recipienda minime curarent. Tantæ desidiæ itum est obviam ab Ecclesia, quæ (ut jam superius observatum est) circa sæculum octavum legem tulit, qua ad sacram communionem ter in anno singuli fideles tenerentur; Sed aliquibus post sæculis (in Concilio nimirum Lateranensi IV.) propter corruptos hominum mores satis esse duxit, si vel semel intra annum ex præcepto, Christi carne se se reficereot.

Quæres an quotidiana aut saltem frequens communio prioribus sæculis aliqua positiva lege præscripta fuisset?

Resp. 1. observatum fuisse superius ante sæculum octavum nullum in specie tempus pro peragenda communione ab Ecclesia determinatum fuisse. Respond. 2. unumquemque fidelem, qui aut ex baptismali gratia non excidisset, aut amissam recuperasset diuturnis pœnitentiæ laboribus, permissum fuisse, ut vel raro vel sæpius accederet. Colligitur ea responsio ex S Chrysostomo, qui licet cum cæteris Patribus ad frequentem Eucharistiæ usum fideles hortatus sit, strictæ tamen legis qua ad eum tenerentur nusquam meminit; imo nonnullos probat qui sacræ mensæ non accumbebant, ut præmissa vitæ integritate, purgatis per pœnitentiam levioribus peccatis, paratiores accederent; Siquidem hom. 17. in Epist. ad Hebræos explanato Eucharistiæ sacrificio, hæreticorumque recentiorum in pietate multo ante præfocata, hæc deinceps addit: *Sed quoniam Sacrificii mentio incidit, vobis, qui initiati estis, pauca dicere cupio, pauca quidem, si verba numerentur, sed præclara ac maxima, si utilitas ac pondus attendatur. Neque enim dicta nostra, sed Spiritus sancti dictata sunt. Quid igitur illud est? Multi semel in anno sacrificii hujus participes fiunt, alii bis, alii sæpius: Ad hos ergo omnes mea convertitur oratio: Nec solum ad eos, qui hic adstant, sed ad eos etiam, qui in Eremo degunt, quippe qui semel tantum in anno, plerumque etiam post duos annos sacra Communione impartiuntur. Quos igitur potissimum laudabimus? An qui semel? An qui frequentius? An qui rarius Communionem adeunt? Neque hos; Neque illos; Sed eos demum, qui cum puræ mentis conscientia, qui mundo corde, ac vita integra atque inculpata, Christi corpore reficiuntur. Tales semper accedant. Cæteri nec semel accedant. Quid ita! quia judicium sibi sumunt & condemnati & pœnam & supplicium. Quod sane mirum videri non debet. Nam quemadmodum alimentum quod natura sua nutriendi vim obtinet, si in ventriculum nauseantem atque impurum ingestum fuerit, ipsum gravat, damnis auget, atque adeo invecta multiplici corruptela morbos creat, idem quoque iis accidit qui male affecto animo tremenda illa perinde, ac veneranda Sacramenta manducant.*

Nec mox adhibitæ responsioni repugnant Apostolici canones, inter quos decimus, ex Dionysii exigui interpretatione, sic habet: *Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam & Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari.* Non repugnant (inquam) ii canones; Nam qui mox laudatus est, cuique nonnulli scriptores post Baronium innituntur, ut probent quotidianam, aut saltem frequentissimam Communionem prioribus sæculis ab Ecclesia præceptam fuisse; de Eucharistiæ participatione (teste Binio) non intelligitur; Duplex est enim expositio hujus canonis. Prima est Concilii Antiocheni, can. 2. non excommunicari vel damnari eos, qui simpliciter & absolute extra legitima & constituta certa tempora non communicant, sed eos dumtaxat qui certa de causa, nimirum ob aliquam superstitionem, aut pravam opinionem, scripturas quidem audiunt, sacram autem communionem aversantur. Verba laudati canonis 2. ex Concilio Antiocheno hæc sunt. (Qui sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam aversantur.) Confirmatur hæc expositio in decretis, collectis a S. Martino Bracarensi, tom. 2. in Concilio Bracarensi II. extantibus decreto 83. ubi sic expressius legimus; (Si quis intrat ad Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit & pro luxuria sua avertit se a communione Sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, illum talem projiciendum esse de Ecclesia Catholica decernimus.) Altera expositio hæc est, Eos nimirum non excommunicari qui in missa quam audiunt, non communicant, sed illos dumtaxat qui ex sacrificio exeunt antequam consummatum fuerit. Huic secundæ expositioni lux affulget ex alia lectione canonis Apostolici de quo agitur, sic enim habet ex Gentiani Herveti interpretatione: *Quicumque fideles ingrediuntur & Scripturas audiunt, in precatione autem & sacra communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem afferentes, segregari oportet.*

Juenin de Sacram. K ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum his temporibus fideles debeant fæpius ad Eucharistiam accedere?

CONclufio 1. Ecclefia in votis habet, ut fideles poftremis his temporibus fæpius communicent.

Probatur authoritate Conciliorum, quæ non ita pridem habita funt 1. Anno 1437. Synodus Bafileenfis fic fuam de Communione frequenter ufurpanda judicium aperuit: *Quod autem fæpe accedere ad Eucharistiam percipiendam digne, & devote, & cum difcuffione debita fit utile & valde proficuum, immo fumme neceffarium cupienti, & defideranti in via Domini non regredi fed progredi, omnes Doctores Catholici laudant, hortantur, admonent, & obfecrant inceffanter fidelem populum.*

2. Concilium Tridentinum duo edicit quibus demonftretur optare fe ut frequenter, imo & quotidie fideles Euchariftiam fumere poffent. *Paterno affectu admonet fancta Synodus* (Seffione 13. cap. 8.) *Hortatur, rogat & obfecrat per vifcera mifericordiæ Dei noftri, ut omnes & finguli qui Chriftiano nomine cenfentur... hæc facra myfteria Corporis, & fanguinis ejus ea fidei conftantia, ea animi devotione, ac pietate & cultu credant, & venerentur, & panem illum fuperfubftantialem frequenter fufcipere poffint.* Votum quo idem facrum Concilium tenebatur, nempe, ut fideles morum fanctitate, & piis operibus dignos fe redderent qui quotidie fruerentur facra communione, hifce verbis aperit Seff. 22. cap. 6. *Optaret quidem facro-fancta Synodus, ut in fingulis Miffis fideles adftantes, non folum fpirituali affectu, fed Sacramentali etiam Euchariftiæ perceptione communicarent, quo ad eos fanctiffimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret.*

3. Synodi Provinciales, quæ poft Oecumenicam Tridentinam habitæ funt, non minus clare frequenti Euchariftiæ communioni patrocinantur. Concilium Rhemenfe celebratum ann. 1583. Titul. *De Eucharistia*, fic loquitur: *Cum nihil habeat Christiana religio Sacramento Euchariftiæ præftantius, & auguftius, nihilque ad fancte & inculpate vivendum efficacius ejufdem frequentiffima participatione, dolemus tantam effe Chriftianorum hujus temporis incuriam, ut femel tantum in anno fumant tam falutaris Sacramenti fubfidia. Quare Parochi, & qui ad Divini verbi prædicationem afcifcuntur, deinceps de frequenti communionis antiquo ufu, ejufdemque miris fructibus, & utilitate differant, & fidelibus perfuadere nitantur nullum effe modum aptiorem, & compendiofiorem, quo fopitis, & extinctis hærefibus, Ecclefiæ Apoftolicæ facies noftro fæculo redeat. Nos quoque fideles omnes hortamur, & per vifcera mifericordiæ Dei noftri obfecramus, ut quam fæpiffime, faltem vero diebus folemnibus communicent, & quotiefcumque poftulaverit urgens aliqua neceffitas, quæ vitam humanam in difcrimen, & periculum adducat.* Eadem plane ratione loquitur Concilium Burdigalenfe habitum anno 1624. Titul. *de Sacramentis* cap. 3. *Sæpiffime* (inquit) *fideles ad facratiffimæ Euchariftiæ fumptionem cum omni devotione, & compunctis cordibus accedere peroptamus.*

4. Ecclefia hifce poftremis temporibus non aliud de frequenti Euchariftiæ ufu fentire poteft, quam quod fenfit vetus Ecclefia, eodem enim quo illa, fpiritu ducitur. Sed (ut articulo fuperiore demonftratum eft) vetus Ecclefia frequentem ufum Euchariftiæ probavit, hortata eft fideles ut dignos fe præberent, qui etiam quotidie SS. Sacramento fe fe reficerent; Idem igitur probat hujufce ætatis Ecclefia, idem habet in votis.

Conclufio 2. Licet Ecclefia frequentem Euchariftiæ participationem, ex parte ipfius Sacramenti fumptam, probaverit femper, & nunc etiam probet, fumptam tamen ex parte fumentis, aliquando non expedire judicavit antiquitus, & nunc etiam judicat.

Probatur 1. Patres (ut fuo loco demonftratum eft) lapfos poft baptifmum, omni Euchariftiæ non participatione modo, fed & confpectu interdixerunt donec admiffa crimina, pœnitentiæ laboribus eluiffent. Iis, fi tandem de fua reconciliatione curarent, propofuerunt exemplum filii prodigi, cujus quidem verba ad patrem: *Jam non fum dignus vocari filius tuus, fac me ficut unum ex mercenariis tuis*, explanans Chryfoftomus tom. 6. in Parab. de Prodigo, fic loquitur: *Ne me abigas a caufa tua, Domine ut ne rurfum me inventum hoftis errantem velut captivum abducat. Neque me ad tremendam & myfticam menfam tuam accedere compellas. Non enim aufim impuris oculis Sancta Sanctorum intueri. Patere me tantum cum Catechumenis in ima Ecclefiæ parte ad fores confiftere, ut myfteria contemplans quæ in ea celebrantur, eorum rurfus particeps fenfim fieri concupifcam, ut facris divini verbi laticibus, perfufus fordes abftergam, quas aures meæ fpurcarum cantilenarum audita turpitudine contraxerunt, ut cum margaritas tuas a fanctis viris pie rapi videro, ego quoque tanti muneris fufceptione dignas manus habere ftudeam.*

2. Non omnibus innocentibus, & juftis frequentem SS. Sacramenti ufum idem Patres concefferunt, fed iis tantum, quorum affectus liber effet ab omni peccato veniali: *Quotidie Euchariftiæ Communionem percipere nec laudo nec reprehendo* (inquit Gennadius author libri de Dogmatibus Ecclefiafticis cap. 53.) *Omnibus tamen Dominicis diebus communicare fuadeo, & hortor,* SI TAMEN MENS SINE AFFECTU PECCANDI SIT. *Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, gravari magis dico Euchariftiæ perceptione quam purificari. Et ideo quamvis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus fatisfaciat lacrymis, & orationibus, & confidens de Domini miferatione, qui peccata piæ confeffioni donavit, accedat ad Euchariftiam intrepidus, & fecurus.* SED HOC DE ILLO DICO QUEM CAPITALIA, ET MORTALIA PECCATA NON GRAVANT.

3. Si ad eos in fpecie attendamus, quibus antiqui Patres quotidianam aut frequentem communionem concefferunt, occurrent homines non fegnes, & tepidi, fed qui eximia charitate flagrarent.

Primi fideles quos Scriptura refert *perfeverantes fuiffe in doctrina Apoftolorum, & communioni fractionis panis* mox cum Baptifmate, & Confirmatione plenitudinem Spiritus fancti acceperant; fide elucebant, quam innumera miracula confirmarent, ea in fe invicem charitate ardebant, ut eorum omnium (Scriptura tefte) *cor effet unum, & anima una*, ita expediti erant ab terreftrium amore, ut facultates omnes ad pedes Apoftolorum abjicerent.

Chriftiani qui (Juftino tefte) altero Ecclefiæ fæculo, facrificii, quoties aderant; fiebant participes mores ad Evangelii præfcriptum componebant; proindeque & pœnitentiæ, & innocentiæ, & charitati promovendæ ftudebant ardentius: *Nemini licet* (inquit S. Martyr in Apologia 2.) *Euchariftiæ participem fieri, quin prius Chriftianæ fidei fufceperit veritatem, & regenerationis lavacro in peccatorum remiffionem ablutus, confentaneam Chrifti præceptionibus vitam agat.*

Ii quibus Cyprianus panem quotidianum, five Euchariftiam concedit, aut tentationibus graviffimis minime proftrati, in innocentia fteterant, aut fi ex ea excidiffent, gemitibus, lamentis, pœnitentia priorem charitatis ardorem recuperaverant. Fideles quos Chryfoftomus vult frequenter ad Euchariftiam accedere, *aquilas* vocat & *animas fublimes, quæ nullum cum terra habeant commercium*, viros qui animæ integritate ac innocentia floreant; *Si Quadragefimæ tempus inftet* (inquit) *aut Epiphaniæ celebritas, qualefcumque tandem illi fuerint, Sacramentorum participes fieri volunt. At certe temporis ratio tempeftivum ad ea acceffum non facit. Neque enim Quadragefima, neque Epiphaniæ dies nobis conferunt, ut digne accedamus,* SED ANIMÆ INTEGRITAS ATQUE INNOCENTIA. *Hæc fi adfit femper accedito.*

4. Patres qui floruerunt pofterioribus fæculis, idem docuerunt, quod ii qui prius vixerant, feu afferuerunt Euchariftiæ frequentem participationem, licet in fe fumpta fit perutilis, ex parte tamen communicantium non femper expedire: *Circa hujus Sacramenti ufum* (inquit S. Thomas 3. part. quæft. 80. artic. 10.) *duo poffunt confiderari, unum quidem ex parte ipfius Sacramenti, cujus virtus eft hominibus falutaris, & ideo utile eft quotidie ipfum fumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat. Unde Ambrofius dicit in lib. de Sacramentis. Si quotiefcumque effunditur Sanguis Chrifti, in remiffionem peccatorum effunditur, debeo femper accipere,*

qui

qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione, & reverentia ad hoc Sacramentum accedat, & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat; Unde Augustinus cum dixisset, Accipe quod quotidie tibi prosit, subjungit; Sic vive ut quotidie merearis accipere: Sed quia multoties pluribus hominum, multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter indispositionem corporis vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum. Unde in lib. de Eccles. Dogmatibus dicitur, Quotidie Eucharistiæ communionem accipere, nec laudo nec vitupero.

S. Thomæ responsum cum ratione cohæret: Eucharistia siquidem cibus est, quo animæ fidelium nutriantur; igitur quæmadmodum licet ad corporalis vitæ sustentationem frequens ciborum usus per se plurimum conducat, tamen propter stomachi debilitatem in aliquibus non expedit; ita quamvis ex parte ipsius Sacramenti perutile sit sæpius Eucharistiam sumere, nihilominus ex parte sumentis id quoque non convenit.

In eamdem sententiam abiit S. Bonaventura, quippe qui in 4. Sentent. Dist. 12. p. 2. q. 1. sic loquatur: *Si ergo quæritur utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui; Dicendum, quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare; Si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum est quod raro: Si autem in medio modo, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere ut inflammetur amore.* Igitur circa quæstionem, *An his temporibus frequens Communio fidelibus expediat.* Seraphicus, & Angelicus Doctor inter se penitus conveniunt, hoc est, uterque censet, quod licet sumpta ex parte Sacramenti, seu per se, multum utilis sit; tamen non expediat omnium omnino fidelium respectu.

Quæres quinam ex duobus fidelibus, qui æquali charitate præditi sint, plus laudis mereatur, an is qui singulis diebus accedit ad Eucharistiam, aut is qui reverentiæ & majoris præparationis causa nonnumquam ab ea recedit?

Respondent nonnulli nullam ei laudem deberi, qui præ sua in SS. Sacramentum reverentia aliquando temperat ab illius usu. Sed aberrant qui sic censent, ut ostendimus de iis agentes, quæ hujusce Sacramenti effectum impediunt. Quod eo loci scripsimus, S. Thomæ, & ratione, & authoritate hic confirmatum volumus. Sic igitur loquitur S. Doctor. 3. part. quæst. 80. artic. 10. *Ad tertium dicendum quod reverentia hujus Sacramenti habet timorem amori conjunctum (unde timor reverentiæ ad Deum, dicitur timor filialis, ut in secunda parte dictum est) ex amore enim provocatur desiderium sumendi, ex timore autem consurgit humilitas reverendi, & ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus Sacramenti, & quod quotidie sumatur, & quod aliquando abstineatur.*

Respondet ad eam quæstionem Augustinus Epist. 118. cap. 3. utrumque Dominicæ mensæ æqualem exhibere reverentiam, eumdem omnino fructum colligere; Accedens, Zachæum æmulatur qui gaudens Christum excepit domo sua; Recedens autem, Centurionem qui fide plenus Christo dixit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.*

Sed hic ipsamet S. Doctoris verba adjicienda sunt: *Dixerit aliquis non quotidie accipiendam Eucharistiam: Quæsieris quare? Quoniam (inquit) eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiusque vivat quo ad tantum Sacramentum dignius accedat. Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat, & bibit; Alius contra. Imo* (inquit) *si tanta est plaga peccati atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, authoritate Antistitis debet quisque ab Altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Hoc est enim indigne accipere si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo cum libet vel auferat se Communioni, vel reddat. Cæterum si peccata tanta non sint, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet a quotidiana medicina Dominici corporis separare.*

Ubi S. Augustinus utrinsque tum accidentis, tum recedentis rationes proposuit, sic litem dirimit. *Rectius inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet ut præcipue in Christi pace permaneant.* Utrumque S. Doctor proprio judicio permittit: *Faciat autem unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum.* Tantum abest ut Augustinus recedentis praxim damnet cum nonnullis hujusce ætatis scriptoribus, quin accedenti penitus coæquet: *Neuter enim eorum* (inquit) *exhonorat Corpus, & Sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt.*

Zachæi, & Centurionis exemplo suum responsum confirmat, *Neque enim* (ait) *litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum; Alter dixerit, Non sum dignus ut intres sub tectum meum. Ambo Salvatorem honorificantes diverso, & quasi contrario modo; Ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.*

Altero exemplo ex manna petito suam sententiam Augustinus iterum confirmat: *Valet etiam ad hanc similitudinem, quod in primo populo unicuique manna secundum propriam voluntatem in ore sapiebat. Sic in ore cujusque Christiani Sacramentum illud quomodo sumatur, æstimandum. Nam & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut Manna fidelium.*

ARTICULUS TERTIUS.

De regulis, ob quas frequentem Communionis usum exigere oporteat?

CUM varii sint hominum status, diversaque merita, non una pro frequentis Communionis usu regula singulis præfigi debet. Eucharistia instar est cibi, cujus copiam spiritualis medicus, pro animæ aut sanæ, aut ægrotantis viribus, sufficiat oportet. Quamquam id apud omnes exploratum sit, nonnulla tamen axiomata statui possunt, quæ ad omnes omnino fideles pertineant.

Conclusio 1. Qui in sua flagitia sæpius relabuntur, frequenti Communionis usu donari non debent.

Probatur. Ex iis quæ superius de dispositionibus Communioni prærequisitis dicta sunt, certo constat homines, qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, quique constanti pietatis praxi, & pœnitentiæ laboribus veram cordis sui conversionem non probarunt, ne semel quidem, nisi tamen mortis periculum immineat, sacra Communione pasci posse. Ergo a fortiori, nec frequenti ejus usu, licet confessi, & ut sibi videntur, contriti, donari debent.

Conclusio 2. Ii qui licet in externa flagitia non prolabantur, gentiliter tamen vivunt, arcendi sunt a frequenti Communione.

Probatur. Ii homines licet honestatem philosophicam, & moralem præseferant, ad præscriptum tamen Evangelii mores suos non componunt; unde voluptati servientes oderunt pœnitentiam, humilitatem habentes despectui mundanum honorem ambiunt; tantum abest, ut spiritu pauperes sint, quin toti sint in coacervandis divitiis. Hujusmodi homines exterius quidem obeunt Christianæ religionis officia, sed ab ejus spiritu prorsus alieni sunt; unde in conviviis, ludis, spectaculis, aliisque ejus generis oblectamentis eos reperire est. Nonnulli molliores Casuistæ iis Christianis, si tamen eo nomine censeri debeant qui sic se gerunt, frequentem Communionem concessere, contendentes, frequentem Eucharistiæ usum in iis esse prædestinationis signum; Sed debita censura in eos animadvertit Innocentius Papa XI. a quo merito hæc propositio, tamquam quæ scandalosa sit, & vergat in detrimentum animarum, proscripta fuit: *Frequens Confessio & Communio, etiam in iis, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.*

Conclusio 3. Ad frequentem Communionem non satis est, ut quis illius desiderio teneatur.

Probatur 1. Eucharistiæ desiderium in iis aliquando

reperitur, qui licet gravius lapsi, nec de pœnitentia curam, nec de Dei mandatorum observatione solliciti sunt: nemo tamen homines hujusmodi ad Communionem admittet, nisi cum recentioribus hæreticis peccati lethalis statum effectibus Eucharistiæ nihil obesse contendat. Diabolus (Tertulliano teste) Dei simia est: quemadmodum ergo Spiritus sanctus sacram Eucharistiæ famem in plerisque piis excitat, quo degustato illo cibo suis infirmitatibus medeantur: ita, & diaboli instigatione impœnitentes Divinam mensam nonnumquam esuriunt, imo, & eam invadunt, vulnera vulneribus conjungentes. 2. Patres docent in viris, etiam justis, Eucharistiæ desiderium, non esse semper divini illius alimenti appetentiam, quippe quod ex charitatis fervore non semper oriatur, sed ex externa quapiam causa, quæ fallacem illam ac adumbratam famem excitet. In eam suspicionem adducuntur multarum mulierum, quas devotas vocant, communiones; siquidem nullum ex eis fructum colligant, non minus enim post iteratas communiones, vanitati, impatientiæ, detractioni, inertiæ serviunt, quam si raro divinæ mensæ accubuissent. Eucharistia instar est corporei alimenti, cujus cupiditas a noxio humore proficiscitur, cum corpus ex illius copia nihil virium, nihil firmitatis accipit. Ad nudum igitur Eucharistiæ desiderium Communio frequens exigi non debet, sed ad emolumentum, ad fructum, quem quis ex ea perceperit.

Conclusio 4. In præfiniendis Communionis temporibus non satis est, ut cujusque hominis status, & vitæ generis habeatur ratio.

Probatur. Licet nonnulli sint vitæ status, in quibus plura quam in aliis ad pietatem media suppetunt; in iis tamen vitæ generibus nonnulli sunt homines, quibus inest major cupiditas, quam iis, qui negotiis sæcularibus implicatam vitam ducunt; ac proinde minus sunt idonei quibus Communio frequens indulgeatur, cum illius concessio ex interna præsertim mentis, & cordis dispositione definiri debeat. Nixi illo principio Apostoli, & proximi illorum successores, nascentis Ecclesiæ Christianos, quamvis rerum domesticarum curæ, familiæ administrationi, labori manuum, negotiisque sæcularibus implicatos, admiserunt ad quotidianam Communionem, quam tamen plerisque etiam in monasterio agentibus, hoc corrupto sæculo periculosum esse indulgere,

Conclusio 5. Iis tantum, octavo quoque die, concedi debet Communio, qui & a peccati mortalis reatu, & ab effectu venialium liberi sunt.

Probatur 1. ex iis quæ dicta sunt iis locis in quibus actum est de impedimento, quod peccatorum venialium amor, licet transiens, & subreptitius: præstat effectibus Eucharistiæ.

Probatur 2. authoritate S. Francisci Episcopi Genevensis, qui multa scripsit, quæ hic describam oportet, quod contractam veterum Patrum hac de quæstione doctrinam complectantur. 1. S. Præsul asserit inter peccatum veniale, & ejus effectum ingens esse discrimen: *Longe differunt* (inquit in Philotea, prima parte cap. 22.) *peccatum veniale, & affectus peccati venialis. Venialia enim, & levia peccata omnino vitare nunquam possumus, ab ipsorum vero affectu cavere omnino possumus.* 2. Docet *affectum illum ex animo penitus evelli debere*, hanc vero rationem reddit, *quod nempe veræ pietati contrarius sit, animamque gravissime sauciet quamvis lethaliter non conficiat.* Id autem ut explicet clarius peccatum veniale cum ea unguenti parte, quam muscæ delibaverint, comparat affectum ipsum cum unguento cui muscæ morientes inhæreant: *Muscæ morientes* (*inquit Sapiens*) *perdunt suavitatem unguenti, hoc est, muscæ si in unguento minus hæreant, illudque obiter delibent, nihil fere ex illo nisi quod abstulerint inficiunt. Si vero in unguento ipso immoriantur, præstantiam eius, & dignitatem extinguunt, atque id in contemptum adducunt. Ita leviores culpæ cum in animam piam inciderint, si in illa diutius non hæreant, haud magnopere lædent; Quod si in ea studio quodam, & affectu permanserint, unguenti hoc est sacræ devotionis suavitatem procul dubio extinguent.* 3. Cum S. Antistes stragem, quam venialium affectus infert pietati, tam clare perspectam habuerit, mirum non est, quod in Philotea, 1. part. cap. 20. ab Octiduana communione eos deterruerit, quibus inest venialium affectus: *Quotidie* (inquit) *Eucharistiæ communionem percipere nec laudo nec reprehendo, & omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor*, SI TAMEN MENS SINE AFFECTU PECCANDI SIT, *utor ipsi B. Augustini verbis* (censuit nempe illum, non vero Gennadium authorem esse libri de Dogmatibus Ecclesiasticis) *quem sequens, quotidianam Communionem nec laudo nec vitupero &c. At certis Philotea B. Augustinum* (Gennadium) *vehementer suadere atque hortari, ut die quoque Dominico Eucharistia percipiatur; hoc ergo quoad poteris facito*, CUM ENIM TE AB OMNI TUM MORTALIS, TUM VENIALIS PECCATI AFFECTU ALIENAM EXISTIMEM; *eam plane quam requirit Augustinus*, (Gennadius) *animi affectionem, & præparationem es adepta.*

Idem S. Præsul docet lib. 2. Ep. 38. Ad fœminam nimirum maxime piam scribit non probari sibi quod ejus filia decimo quintoquoque die Eucharistiam sumat, nisi magno ardeat Communionis desiderio, ac leviora teneræ ætatis vitia diligenter evellere studeat: *Nolo* (inquit) *filiam tuam ad frequentem adeo Communionem adducas, nisi antea quid sit Communio frequens recte perpendere noverit. Aliud est Communionem ab aliarum rerum perceptione; aliud frequentem Communionem a rariori Communione secernere: Si tenella illa anima satis perspicit ad hoc mysterium crebrius adeundum magna mentis puritate, magnaque flagrantia opus esse; si ad eam enitatur, si ea se se ornare studeat, tum vero sæpius, hoc est, decimo quinto quoque die eam ad illud admovendam assentior. Sin Communionis tantum percipiendæ, non levium puerilis ætatis macularum eluendarum studio tenetur confiteri eam octavo quoque die, & una tantum intra mensem communione uti, commodius censeo.* Consilium cujus author est S. Præsul, hocce argumento confirmat: *Sacra communio, charissima filia, summo, ut mihi quidem videtur, ad perfectionem comparandam adjumento est. Sed eam ita a nobis adiri oportet, ut quidquid Deo, quem recipere volumus, displicet, vellendi atque amovendi studium acre ac diligens afferamus.*

Sed (inquies) unde fideles se cujuslibet peccati venialis affectum vacuos esse colligent? Respond. id debere colligi ex mortificatione sensuum, ex occasionum fuga, ex studio mutuæ charitatis conservandæ, & mox redintegrandæ, si vel minimum læsa fuerit.

Probatur 3. authoritate Innocentii Papæ XI. qui quidem die 12. Februarii anno 1679. circa frequentem Communionem hæc edixit. 1. Christi ministris, ut quotidianam aut frequentem Communionem idulgeant non satis esse, ut status gratiæ sanctificantis habeant rationem, sed præterea requiri 1. *ut ad conscientiæ puritatem, frequentiæ fructum, pietatis argumentum attendat.* 2. *ut in conjugatis hoc amplius animadvertant; Cum Beatus Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admonendos esse tanto magis ob debitam Eucharistiæ reverentiam, continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœlestium epularum communionem esse conveniendum.* 3. Vult populi doceantur par esse ut ii, *Qui se minus paratos senserint, abscedant a Communione, quo per pietatis opera ipsi deinceps se paratos magis exhibeant.*

Caput Quintum.

Utrum Communio sub utraque panis, & vini specie fieri debeat?

De Communione sub utraque panis, & vini specie quæremus 1. An fidelibus etiam laicis, jure Divino sit necessaria. 2. Utrum prioribus sæculis adhibita fuerit. 3. An Ecclesia eam nonnumquam injunxerit. 4. Quas ob causas Calicis usum Ecclesia Laicis abstulerit. 5. An cum illis hoc etiam sæculo, dispensare valeat.

ARTICULUS PRIMUS.

An communio sub utraque panis, & vini specie fidelibus, etiam Laicis, jure Divino sit necessaria.

HUncce articulum partiemur in quadruplicem paragraphum; In priore Sectariorum errores recensebimus; In altero proferemus Ecclesiæ Catholicæ fidem; In tertio proponentur argumenta, quibus nititur; In quarto tandem solventur heterodoxorum argumenta.

§. I.

Sectariorum errores de Communione sub utraque panis, & vini specie recensentur.

COnclusio 1. Nullus inter Christianos ante sæculum 14. asseruit Communionem sub utraque panis, & vini specie esse Laicis jure Divino necessariam.

Probatur 1. argumento negativo; Nullus scilicet laudari potest author, qui ante sæculum 14. dogma, de quo agitur, in medium protulerit. 2. Idem ostenditur argumento positivo. Qui primus asseruit Communionem sub utraque specie Laicis jure divino necessariam esse, vixit sæculo decimoquarto desinente. Is nimirum est Petrus Dresdius Pragæ in Bohemia Ludimagister. Cum incidisset in hæc Domini verba: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis*, miratus est, quod contra tam apertam Domini sententiam, Laici omnes calicis usu defrauderentur. Itaque (Ænea Sylvio teste in hist. Bohemorum cap. 35.) author fuit Jacobello Misnensi, qui tunc Pragæ agebat concionatorem, ut populum doceret eum consequi non posse salutem, nisi de Calice Domini biberet.

Quæres num Vvicleffo, cujus doctrinam, Bohemi præsertim, amplexi fuerant, Petri Drosdii, & Jacobelli dogma de necessitate Communionis sub utraque specie probatum fuetit.

Resp. nihil extare qua probetur Vvicleffum sic sensisse. Et vero nec in litteris Gregorii Papæ XI. nec in triplici Synodo Londinensi, nec in Concilio Romano sub Joanne Papa XIII. nec in Concilio Constantiensi, nec in aliquibus aliis monumentis Ecclesiasticis, in quibus Joannis Vvicleffi errorem Catalogus texitur, aliquid reperire est quo probetur eum rejecisse Communionem sub una specie.

Conclusio 2. Post sæculum 14. non pauci Sectarii contenderunt communionem sub utraque specie jure Divino Laicis esse necessariam.

Probatur enumeratione. 1. Eorum qui post sæculum 14. docuere Communionem sub utraque specie præceptam fuisse a Christo, agmen ducit Joannes Hus. Is quod Eucharistiam sub una tantum specie in veteti Ecclesia, sæpius porrectam fuisse, fidelibus exploratum haberet, quod a sæculo 12. ubique apud Occidentales morem invaluisse perspiceret, Communionis sub duplici specie necessitatem absolutam statim non est ausus asserere; satis nimirum esse duxit, ut populis tamquam licita, & utilis distribueretur, verum en ex capite ad aliud tandem progressus, addit Christum ministris præcepisse, ut eam cuilibet fideli dispensarent.

2. Post mortem Joannis Hus, duæ Hussitarum sectæ mox in Bohemia visæ sunt, Taboritarum nempe, & Calixtinorum, isti sic appellati sunt, quod calicis usum ad salutem ex Christi institutione necessarium esse contenderent: Id ex variis articulis, qui Synodo Basileensi ex parte Bohemorum sæpius oblati sunt invictissime colligitur.

3. Carlostadius anno 1521. in Ecclesia Vitembergensi, in qua Lutheranismus primas egerat radices, Communionem sub utraque specie restituit in usum, ratus eam ex Evangelii præscripto servari debere, ac iniquos esse Ecclesiæ Romanæ Sacerdotes, qui eam populis subtraherent.

4. De necessitate Communionis sub utraque specie, varia variis temporibus Lutherus sensisse videtur. 1. Eam habuit inter ritus, qui ex se ad divinum cultum, & populorum salutem parum conferant; unde Carlostadium insimulat, quod per restitutionem Communionis sub utraque specie, ad res quæ parvi, imo nullius essent momenti, Christiani summam reduxisset. 2. Non multo post suam ab Ecclesia defectionem, conceptis terminis scripsit calicis concessionem non esse penes quemque privatum Episcopum, sed penes solam Ecclesiam, & quidem ad Concilium generale congregatam: *Non dixi* (inquit in quadam declaratione in sermonem a se de Eucharistia habitum) *neque consului, nec est intentio mea, ut unus aut aliquot Episcopi propria authoritate incipiant alicui utramque speciem porrigere, nisi ita institueretur in aliquo generali Concilio.* Sed diu non fuit quin suum illud assertum in aliud mutaret: *Consultum mihi videtur nunc*, (inquit in assertione art. 16.) *ut non modo per Concilium, sed per quamque diœcesim quilibet Episcopus etiam invito Papa, Christum secutus in Evangelio, rursum utramque speciem laicis daret.* Ea vero ratione contendit eam facultatem penes esse quemlibet privatum Episcopum, ut eam Concilio abnegare videatur, *Si quod Concilium statueret* (inquit in formula Missæ) *aut permitteret utramque speciem nos nequaquam utraque uti vellemus, sed in despectum Concilii, ejusque statuti aut una, aut neutra, & minime utraque, uti vellemus, maledicturi universos, qui ex potestate aut statuto Concilii utraque uterentur.* 3. Eodem progressu circa ipsos communicantes laicos usus est, quippe quod in libr. de captivitate Babylonica probet Sacerdotes quidem jure Divino præcipi, ut utramque speciem porrigant, si a laicis exposcatur, sed addit cuique laico, citra peccati periculum, liberum esse, ut eam petat aut non petat. Verum in assertione 16. articuli, eos plane damnat, qui cum eam a suis pastoribus impetrare non valeant, sincero ac expresso illius desiderio non teneutur; Sed tandem in libr. de Saxonica visitatione communionem, quæ sub una tantum specie facta fuerit, prorsus rejicit tamquam, quæ divinæ institutioni sit contraria.

5. Calvinus libr. 4. Institutionum capit. 17. §. 47. scripsit, ex officina diaboli prodiisse constitutionem, quæ dimidiam cœnæ partem Dei populo vel furata est, vel eripuit, Symbolum nempe Sanguinis, quod laicis interdictum, Clericis in peculium cessit. Ibidem Summos Pontifices suggillans sic loquitur: *Edictum æterni Dei est ut omnes bibant; Quod homo nova, & contraria lege antiquare, & abrogare audet edicens ne omnes bibant.*

§. II.

Quid de Communione sub utraque specie fides Catholicæ doceat?

TRibus in Conciliis Ecclesiæ Catholicæ de Communione sub utraque specie fides elucet.

Concilium Constantiense contra Joannem Hus, & Hieronymum a Praga, Sess. 13. definiit 1. consuetudinem laicis sub sola panis specie *ad evitandum aliqua pericula, & scandala esse rationabiliter introductam.* Definiit 2. eam consuetudinem pro lege, quam infringere non liceat, haberi debere: *Cum hujusmodi consuetudo* (inquit) *ab Ecclesia, & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito mutare.* Definiit 3. errare eos, qui morem illum, sacrilegii insimulare ausi fuerint: *Quapropter dicere quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegium, aut illicitum, censeri debet erroneum.* Definiit 4. in eos, qui contrarium pertinaciter asseruerint, tamquam hæreticos animadverti debere: *Pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tamquam hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi per diœcesanos locorum.* 5. Jam aute, quasi horum omnium fundamentum, sacra Synodus declaraverat totum Christum sub una tantum specie contineri: *Cum firmissime credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus, & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri.* 6. Denique injungit Episcopis, ut sedulo curent ne

Juenin de Sacram. X 3 quis

quis minister Communionem sub utraque specie Laicis aut Clericis non sacrificantibus dispenset: *Effectualiter puniant eos contra hoc decretum excedentes qui communicando populum sub utraque specie panis, & vini exhortati fuerint, & sic faciendum esse docuerint.*

Concilium Basileense contra Taboritas, Callixtinos, quibus Fratres Bohemi suam debent originem, eadem fere statuit, quæ prius in Concilio Constantiensi contra Joannem Hus, & Hieronymum a Praga decreta fuerant. Declarat nempe 1. *Quod fideles laici, sive Clerici communicantes, & non conficientes non adstringuntur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie panis scilicet & vini sacrum Eucharistiæ Sacramentum.* Declarat. 2. *quod Ecclesia, quæ regitur spiritu veritatis secum manente in æternum, & cum qua Christus manet usque ad consummationem sæculi (sicut ait divina scriptura) ordinare habet quomodo ipsis non conficientibus ministretur, prout pro reverentia ipsius Sacramenti, saluti fidelium viderit expedire.* Declarat. 3. *Quod Eucharistia sive quis sub una specie sive sub duplici communicet, proficit digne communicantibus ad salutem.* Declarat. 4. *sub qualibet specie Christum integre contineri.* 5. Denique decernit quod *consuetudo communicandi populum laicum sub una specie .... jam a longo tempore commendata pro lege habenda est, nec alicui licitum est eam reprobare, aut sine authoritate Ecclesiæ eam immutare.*

Sacra Tridentina Synodus Constantiensi & Basileensi inhærens Lutheranos, Calvinistas, cæterosque sæculi 16. sectarios his canonibus confixit, quibus Ecclesiæ fides clare continetur. 1. *Si quis dixerit ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere anathema sit.* 2. *Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.* 3. *Si quis negaverit totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem, & authorem, sub una panis specie sumi, Quia (ut quidam falso asserunt) non secundum ipsius Christi institutionem sub utraque specie sumatur, anathema sit.*

§. III.

Proponuntur argumenta, quibus nititur Ecclesiæ fides circa Communionem sub una tantum specie.

Conclusio. Gravissimis argumentis nititur Ecclesiæ fides circa Communionem sub una tantum specie.

Probatur. Ecclesiæ fides circa Communionem sub una tantum specie, tria (ut præcedente paragrapho dictum est) complectitur. 1. Laicos, & Clericos non conficientes, nullo Divino præcepto ad utramque speciem teneri: 2. totum Christum non minus contineri sub una specie quam sub duplici; 3. fideles per subtractionem unius speciei, nulla gratia, quæ ad salutem necessaria sit, defraudari. Atqui tria illa capita gravissimis rationibus nituntur.

1. Fideles aut Clericos, qui non conficiunt ad communionem sub utraque specie, Divino præcepto non teneri, & negativis, & positivis argumentis ostenditur.

Divinum præceptum, quod adversarii supponunt, nec Scripturis, nec traditione continetur, ut ex iis patebit, quæ mox ad objectiones dicentur. E contra Scriptura, & Traditio argumenta positiva sufficiunt, quibus probetur fideles a Christo permissos fuisse, ut unam aut duplicem speciem sumerent.

Actorum cap. 2. hæc ait Lucas de prioribus Christianis. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, & orationibus.* Eo loci agi de Eucharistica communione ipsi Lutherani, & Calvinistæ profitentur, & quidem merito, cum sic antiqui Patres senserint, inferaturque ex ipso Lucæ contextu, quo si de conviviis communibus ageretur, priores Christiani commendati fuissent, quod in prandiis, & cœnis corporalibus perseverantes fuissent; quod est absurdum. Sed ea in Communione, non duplex, sed una tantum adhibeatur species, nec enim Lucas duplicis meminit.

Nec valet quod adversarii reponunt, Lucam nimirum eo in loco per Synecdochen de Eucharistia locutum fuisse. Nam gratis adhibetur ea responsio, cum Scriptura non nitatur, quam tamen heterodoxi definiunt unam ac solam esse regulam, ad quam fidei, & morum dogmata exigere liceat. Præterea non omni probabilitate caret eorum sententia, qui contendunt mensis, de quibus Lucas agit, vinum passim appositum non fuisse, ut nempe Nazaræis consuleretur, qui ex voto in Sinagoga emisso, a vino temperabant. Nec inde sequitur (ut adversarii objiciunt) solum panem ab Apostolis consecratum fuisse; non enim eo in loco Lucas describit, quid Apostoli conficientes agerent, sed quid fideles, qui sacri cibi sumendi causa conveniebant ad mensas, quibus, ex Apostolorum præscripto, Diaconi præficiebantur.

Paulus 1. ad Corinth. 11. sacram Communionem sub una tantum specie peragi posse supponit cum sic loquitur: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*: Ut quid enim particula disjunctiva, VEL, usus fuisset si (ut volunt adversarii) nulli Sacramentum, nisi sub duplici specie, sumere liceat. Nec argumenti vim enervant, cum respondent particulam, VEL, eo loci non disjunctivam, sed conjunctivam esse, ita ut pro, ET, sumatur. Nam quamvis hujusmodi particulæ VEL, ET, nonnumquam in scripturis convertantur, dici non potest pro eodem hic sumi. Cum Apostolus utramque de industria eodem in versiculo adhibeat, magni momenti veritatem populum fidelem doctum voluit, eum nempe, qui unam speciem indigne sumpserit, non corporis tantum aut sanguinis, sed utriusque simul reum esse, quod nempe utriusque unica specie contenti sanctitatem violaverit.

Quamvis ex scriptura probari non posset fideles sub Apostolorum oculis, uni tantum speciei aliquando communicasse: non inde tamen colligeretur id nequaquam fuisse factum; præsertim si post Apostolorum tempora praxim illam in Ecclesia viguisse demonstretur: neque enim, in ea suppositione, ab aliis quam ab ipsis Apostolis oriri potuit. Sed (ut patet ex sequenti articulo) demonstrari potest praxim aliquando communicandi uni tantum speciei, statim post Apostolorum tempora in Ecclesiis omnibus obtinuisse; Est igitur ex Apostolica traditione: eam igitur primi fideles nonnumquam executioni mandarunt, aut saltem mandare permissi sunt.

In confesso est apud ipsos adversarios, praxim sumendi unam tantum speciem, etiam in publicis conventibus, sæculo 14. in omnibus Occidentalibus Ecclesiis obtinuisse, ut patet ex Conciliis Constantiensi, & Basileensi, quæ ob id definierunt eam legis esse loco. Qua vero ratione obtinere potuisset in omnibus fidelibus, saltem posterioribus, persuasum fuisse ea praxi mutilari SS. Sacramentum, communicantes frustrari effectu communionis, infringi divinum præceptum; Alicubi visi fuissent Episcopi, Parochi, Doctores, qui hujusmodi disciplinæ contradixissent, res delata fuisset ad Concilia, agitata in accademiis, sicut in aliis fidei capitibus contigit, quoties adversus ea quidpiam novi tentatum est. Nec adversariis hic patet effugium, quo utuntur cum urgentur circa tempus, quo doctrina de præsentia corporali Christi in Eucharistia orbem pervasit, factum id scilicet fuisse decimo sæculo, quo in Ecclesiæ faciem tenebræ, & scelus exundarant? Nam sæculis 13. & 14. innumeri ubique gentium doctissimi ac maxime pii Præsules visi sunt, qui nequaquam fuissent passi, ut in Ecclesias quibus præerant, novitas invalesceret, qua Sacramentorum sanctissimum contra divinam legem mancum fieret ac mutilum.

2. Aliud Catholicæ fidei caput, seu quod totus ac integer Christus non minus sub una specie contineatur quam sub duplici; ex doctrina de corporali præsentia Christi in Eucharistia invictissime sequitur; Et sane Christus in Sacramento carnem a Divinitate separatam nobis non sufficit, cum caro quæ non sit divinitati conjuncta (teste Cyrillo contra Nestorium) non prosit quidpiam; ea enim tantum caro nos vivificat

quam

quam Deo Patri Chriſtus obtulit in cruce, quæ proinde cum verbo in unitatem perſonæ conjuncta ſit. Ea autem caro cum non ſit cadaver, anima informetur oportet; Cum deinceps Chriſtus mori non poſſit, illius caro non eſt expers ſanguinis, toties quippe non funditur divinus ille ſanguis quoties una ſpecies ſumitur. Per concomitantiam itaque, quam Calviniſtæ in Lutheranis non rejiciunt, tamquam fundameotalem (ut ajunt) errorem in fide, qui vel uni ſpeciei communicat, Chriſti carnem, ſanguinem, Divinitatem ſumat neceſſe eſt.

4. Poſtremum caput, quod fides catholica circa Communionem ſub una ſpecie complectitur, ſeu per unius ſpeciei ſubtractionem communicantes gratia quæ ad ſalutem neceſſaria ſit, minime defraudari, ſic Concilium Tridentinum demonſtrat ex Scriptura, quæ gratiæ productionem uni ſpeciei conceptis terminis adſcribit: *Qui dixit* (inquit ſacra Synodus Seſſ. 21. cap. 1.) *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, dicit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Et qui dixit, qui manducat meam carnem & bibit meam ſanguinem habet vitam æternam, dixit etiam: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Is denique qui dixit: Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Nec audiendi ſunt Calviniſtæ, cum reponunt Synodum Tridentinam immerito laudare ſextum Joannis caput, quo Euchariſtiæ effectum uni ſpeciei adſcribnt; de ſola enim (inquiunt) Incarnationis fide intelligitur. Non ſunt (inquam audiendi eo quod iterata ſæpius eo in capite actus manducandi ab actu bibendi diſtinctio, aliam a ſpirituali, quæ per ſolam communicantis fidem fiat, manducationem importet. Sed detur adverſariis, quod ex ea diſtinctione id evinci non poſſit, negare tamen non poſſunt antiquos Patres, quos agentes de realitate retulimus, ſic ſenſiſſe, ac proinde, certo conſtat gratiæ ſanctificantis productionem uni ſoli ſpeciei a veteribus adſcriptam fuiſſe.

§. IV.

Solvuntur heterodoxorum argumenta contra Communionem ſub unica ſpecie.

OBjicies 1. hæc Chriſti verba, Joannis c. 6. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; Quibus verbis Chriſtus ſuæ carnis & ſui ſanguinis ſumptionem injungit ſub æternæ damnationis periculo, & quidem per duas actiones diſtinctas, eſum ſcilicet & potum: Si enim habuiſſet in animo, ut per unam dumtaxat actionem ſumerentur, fruſtra hiſce verbis, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis*, hæc alia, *Et biberitis ejus ſanguinem*, addidiſſet. Atqui illa duplex actio, eſus nempe & potus, exerceri non poteſt, cum unica ſpecies porrigitur; Duplex ergo jure Divino fidelibus diſpenſari debet.

Reſp. 1. a Calviniſtis Joannis ſextum caput adhiberi non poſſe contra Communionem, quæ ſub una tantum ſpecie fiat; quippe qui (ut in hoc opere multoties obſervatum eſt) ipſum de Euchariſtia non exponant, quod nempe ſic expoſitum orali manducationi corporis Chriſti plus faveat quam ipſi velint.

Reſp. 2. nec Huſſitis nec Lutheranis idem caput favere, quamvis perſuaſi Chriſtum eſſe corporaliter præſentem in Euchariſtia, oralem ejus manducationem admittant; ſiquidem falſum ſit eo capite præcipi, ut carnis & ſanguinis Chriſti ſumptio, fiat per duas actiones diſtinctas. Ratio eſt, quia ipſemet Chriſtus uni actioni, eſui nempe, præcipuum effectum adſcribit, propter quem inſtituit Euchariſtiam, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Nec obſtat quod poſtquam his verbis: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* manducationem injunxit, addiderit hæc alia, *Et biberitis ejus ſanguinem*, quibus potus præſcribi videtur: Nam cum Chriſtus (ut mox dictum eſt) ibidem uni ſpeciei effectum Sacramenti tribuat, neceſſe eſt ut particula, VEL, pro conjunctione ET ſumatur; ita ut is ſit ſententiæ ſenſus, fidelis qui nec meum corpus ederit nec biberit ſanguinem, vitam æternam non conſequetur. Confirmatur ea ſolutio ex multis Scripturæ locis, in quibus particula, ET, disjunctive ſumitur: *Argentum & aurum non eſt mihi* (inquit Petrus claudo cui reſtituit ſanitatem) id eſt: *Nec aurum eſt mihi, nec argentum*; Exodi 21. eodem ſenſu particula, AT, ſumitur; damnatur nimirum morte: *Qui percuſſerit patrem & matrem.* 1. ad Corinth. 11. eadem ratione ſumitur ab Apoſtolo: *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit*; Cum enim ejuſdem capitis verſu 27. conceptis terminis aſſeruerit ſub disjunctione eum qui *aut* manducat *aut* bibit indigne reum eſſe corporis Domini, neceſſe eſt ut eodem ſenſu intelligantur quæ verſu 29. ſcribit, *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit.*

Objicies 2. hæc alia Chriſti verba, Matthæi 26. *Bibite ex hoc omnes*, qua quidem in ſententia cum terminus, OMNES, ſit univerſalis, omnes omnino fideles ſive Laici ſint ſive Clerici complectitur. Ergo jure Divino omnibus omnino fidelibus uſus calicis præcipitur, quemadmodum per hanc aliam ſententiam, utpote definitam ac proinde formaliter univerſali æquivalentem: *Hoc facite in meam commemorationem*, cunctis Chriſtianis divinitus injungitur carnis manducatio.

Reſp. 1. ab ipſis etiam adverſariis, Calviniſtas dico & Lutheranos, parvulos & amentes excipi ab ea univerſalitate quam his verbis, *Bibite ex hoc omnes, Hoc facite*, expreſſam fuiſſe contendunt: Exceptionem tamen ſuam ex Scriptura quam dictitant, unam ac ſolam eſſe fidei regulam, probare non valent: Quod enim reponunt, infantes ideo Euchariſtia donari non debere, quod capaces non ſint probationis, quam Apoſtolus Euchariſtiæ uſui præmittendam eſſe conceptis terminis aſſerit: *Probet autem ſe ipſum homo; & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*; Ea (inquam) reſponſio, non cohæret cum eorum principiis, quippe qui infantibus baptiſma conferant, quamvis haud idonei ſint documento quod his terminis, *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Chriſtus baptiſmo præmitti voluit.

Reſp. 2. axioma eſſe apud adverſarios maxime tritum, Abſtemios, ſeu qui vinum haurire non poſſunt, univerſalitate per terminum, OMNES, expreſſa nequaquam comprehendi; Et tamen ab effectu Sacramenti non excluduntur. Igitur adverſarii fateantur oportet terminum univerſalem, OMNES, reſtringi debere; Quinam vero ſint ii ad quos reſtringi debeat, traditione docemur, credidit autem ſolos Sacerdotes cum offerunt, ea lege comprehendi; unde (ut articulo ſubſequenti demonſtrabitur, ſub una tantum ſpecie Euchariſtia ab Apoſtolorum tempore ad hanc uſque ætatem variis in caſibus fideli populo diſpenſata eſt. Confirmatur illud reſponſum ex Marco, qui univerſalitatem termini, OMNES, de ſolis Apoſtolis intelligit, ait nempe impletum in eis fuiſſe quod Chriſtus præceperat: *Et accepto calice* (inquit cap. 14.) *gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes.*

Objicies 3. Chriſtus hiſce verbis, *Hoc facite*, Apoſtolis, eorumque ad finem uſque ſæculorum ſucceſſoribus præcepit, ut id deinceps agerent, quod ipſe peregerat cum Euchariſtiam inſtituit. Sed ipſe tunc non unam tantum ſpeciem, ſed duplicem diſtribuit; Apoſtolis igitur, eorumque in Sacerdotali miniſterio ſucceſſoribus injunxit ut utramque, panis & vini, ſpeciem populo fideli diſpenſarent.

Reſp. 1. ſi vera ſint Calviniſtarum principia probari non poſſe in his Chriſti verbis, *Hoc facite*, eſſe aliquid quod ad ſolos miniſtros ſpectet, aliud vero quod ad Laicos; nihil enim legitur in Scripturis, quo id diſcriminis determinetur. Præterea cum, in eorum ſyſtemate, hæc alia, *Bibite ex hoc omnes*, ad ſingulos, etiam Laicos, pertineant, unde iſta, *Hoc facite*, ſecundum totam ſui latitudinem miniſtris tantum dicta fuiſſe colligent.

Reſp. 2. Chriſtum ne ipſis quidem miniſtris præcepiſſe, ut id totum agerent quod actum eſt. Cum in SS. Sacramenti inſtitutione Euchariſtiam cœnatis diſtribuit; an propterea injunxit ut poſt cœnam tantum diſpenſaretur? Acceptum de menſa calicem ſibi ipſis Apoſtoli diſtribuiſſe videntur, juxta hæc Chriſti verba

ba Lucæ 22. *Et accepto calice gratias egit & dixit: Accipite & dividite inter vos*. An ob id Laici eum sibi ipsis porrigere possunt? Asserendum est igitur, ex usu Ecclesiæ disci debere quænam ex iis, quæ in ultima cœna peracta sunt, Christus præceperit, quænam vero permiserit ministrorum prudentiæ; At perpetuo Ecclesiæ usu docemur calicem non semper Laicis porrectum fuisse, ac proinde concludendum est ministros jure divino non teneri, ut eum Laicis dispensent.

Objicies 4. Christus cuique fideli præcepit, ut Eucharistiam sumeret tamquam suæ passionis Sacramentum: *Et accepto pane* (inquit Lucas cap. 22.) *gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem*. Idem 1. ad Corinth. 11. præcipitur: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Atqui Eucharistia sub una tantum panis specie non est Dominicæ passionis sacramentum, seu signum, cum in ea nihil sit quo adumbretur: Duplex ergo species jure divino præcipitur etiam in eorum doctrina, quibus Christum esse in Eucharistia corporaliter præsentem persuasum est.

Resp. 1. unaquaque in individuo specie, Christi passionem adumbrari, cum unaquæque peculiari benedictione consecretur; Nam (ut agentes de sacrificio dicemus) verba quibus species seorsim consecrantur, sunt gladii spiritualis adinstar, quo Christi corpus & sanguis a se invicem mystice separantur. 2. Non est necesse quod Eucharistia sit Sacramentum, ut perfecte exterius repræsentet passionis mysterium: Satis est ut fideles, a quibus sumitur, ejusdem mortis meminerint, quod quidem, sumpta etiam sola panis specie, exequuntur, persuasi se corpus recipere, quod pro se ipsis cruci confixum fuisse credunt; unde Christus non præcipit sui memoriam tantum post completum mysterium, seu post sumptionem utriusque speciei, sed seorsim post sumptionem panis, & seorsim post sumptionem vini, id in Apostoli narratione videre est: *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine; Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem*. 3. Substantia Sacramenti in eo posita est, ut ex divina institutione sit signum, & causa gratiæ; At id, vel uni speciei convenit, ut supra ex Evangelio demonstratum est; externa nempe, & perfecta passionis repræsentatio non requiritur in signo, quo sit verum legis novæ Sacramentum. Confirmatur ex eo, quod Baptismus per infusionem, aut per aspersionem datus, sit verum Sacramentum, quamvis passio, sepultura, & resurrectio Salvatoris eo imperfectissime repræsenteutur, nec enim perfecte adumbrantur, nisi in immersione, quam adversarii non adhibent, & ad quam alludens Apostolus sic loquitur ad Rom. 4. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in veritate vitæ ambulemus*. Non obstat, quod heterodoxi objiciunt, inutilem nempe futuram fuisse utriusque speciei institutionem, si perfecta mortis Christi repræsentatio in Eucharistia non requiratur. Non obstat (inquam:) nam licet ad Sacramenti rationem necessaria non sit, requiritur tamen ad sacrificium, vel tamquam pars essentialis, vel tamquam pars integralis, ut suo loco dicetur.

Articulus Secundus.

Utrum prioribus sæculis fideles communicaverint sub duplici specie?

Hic oportet expendamus 1. Utrum passim, & ordinarie publicis in conventibus duplex panis, & vini species, a fidelibus, etiam Laicis quondam sumeretur? 2. An unicam tantum sumerent extra publicos conventus.

§. I.

Utrum Laici passim, & ordinarie publicis in conventibus Eucharistiam sub duplici specie sumerent?

Conclusio. Ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ad 12. usque sæculum, fideles etiam Laici publicis in conventibus passim, & ordinarie sub duplici panis, & vini specie communicarunt.

Probatur. 1. Certum est, Christum in ultima cœna duplicem, panis, & vini, speciem Apostolis porrexisse: *Cœnantibus autem eis* (inquit Matthæus cap. 26.) *accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus, &c.*

2. Post Christi in cœlos ascensionem fideles utramque speciem passim usurpasse supponit Apostolus 1. ad Corinth. 11. cum enarrata SS. Sacramenti institutione sic loquitur: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*.

3. S. Justinus Martyr in altera Apologia, quam pro Christianis scripsit, eidem disciplinæ, tamquam quæ suo sæculo, secundo nimirum, observaretur, aperte suffragatur: *Qui apud nos* (inquit) *vocantur diaconi, atque ministri distribuant unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt panem, vinum, & aquam*. Idem paulo post sic iterum enarrat: *Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ cuique præsenti*.

4. Cypriani ætate non panis modo, sed vini speciem singulis fidelibus porrectam fuisse evincetur ex S. Martyris libro de lapsis; Asserit enim datum fuisse 1. Sanctum panem, id enim supponit hocce miraculum, quod ab eo refertur: *Et quidam alius, & ipse maculatus sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris latenter accipere, Sanctum Dei edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus* (quibus tunc excipiebatur panis species) *invenit*; 2. Oblatum quoque fuisse calicem recenset; *Ubi vero* (inquit de puella agens, quam nutrix insciis parentibus ad Idolorum sacrificia detulerat) *solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit*.

5. Ambrosius consuetudinem illam quarto sæculo viguisse supposuit, cum (ut habetur lib. 9. hist. tripartitæ cap. 30.) Theodosium post cædem Thessalonicensium sic allocutus est: *Quomodo hujusmodi manibus recipies sanctum Domini corpus? qua temeritate sacrati sanguinis poculum ore tuo suscipies?* Pro eodem sæculo eidem mori Cyrillus patrocinatur Catech. 5. Mystag. ubi sic neophytum alloquitur: *Suscipe corpus Christi, subjiciens, Amen. Tum vero post communionem corporis Christi accede, & ad calicem sanguinis*. Chrysostomus ejusdem Disciplinæ testis est hom. 83. in Matthæum, ubi Diaconos distribuentes calicem sic alloquitur: *sanguis* (Christi) *ex manibus requiretur vestris... Nunc cum non aquæ, sed sanguinis, & spiritus fons commissus tibi sit, cum nonnullos videas accedere, qui fœdiora peccata ipsa terra, & luto habeant, nos indignaris, neque coerces; Et quænam tibi venia danda?* Hæc etiam scribit Sermone primo de jejunio: *Tu & puer, corpus ipsius communiter de mensa sumitis, poculi similiter participes estis*.

6. Leo Papa I. & Gelasius I. decretis, quæ subsequenti articulo referentur, cunctis fidelibus antea pro libito permissis, ut sacrum calicem una cum specie panis reciperent, aut ab eo temperarent, sæculo 5. injunxerunt, ut utramque panis, & vini speciem deinceps in publicis synaxibus acciperent: *Integra Sacramenta recipiant* (ait Gelasius) *aut ab integris arceantur*.

7. Non tantum sanis hominibus, sed etiam infirmis iis saltem, qui statim peracto sacrificio communicandi erant, utraque species porrecta fuit sæculo 7. Hæc enim leguntur in Concilio Toletani XI. anno 675. habiti can. XI. *Quod etiam in multorum exitu vidimus, qui, optatum suis votis sacræ communionis expetentes viati-*

ticum, collatam sibi a Sacerdote Eucharistiam rejecerunt, non quod infidelitate hoc agerent, sed quod præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent Eucharistiam deglutire.

8. Ordo Romanus, ad cujus præscriptum toto fere in Occidente, septimo, octavo, nono, & decimo sæculo Divina peragebantur, variis in locis meminit. Communionis, quæ intra Missarum solemnia sub utraque specie fieret non a Clericis modo, sed & a Laicis; *recepto calice* (ait Titulo qualiter celebrandum sit officium Missæ) *Archidiaconus confirmat omnes sanguine Dominico, quos communicaverit Pontifex corpore Dominico ... Deinde descendit Pontifex cum Primicerio Notariorum, & Primicerio Defensorum, ut communicet principes populorum, & matres-familias eorum, & sicut Archidiaconus confirmat, quos Pontifex communicat, sic reliqui Diaconi confirmant, quos Episcopi, sive Presbyteri post Pontificem communicant.*

9. Sugerius Abbas sancti Dionysii, illustre communionis sub utraque specie pro sæculo 12. exemplum sufficit in vita Ludovici VI. vulgo Crassi, Francorum Regis, sic enim describit illius exitum, qui ann. 1136. contigit. *Qui ut erat consilio providus, sibi ipsi consulens ... quærit coram devotissime confiteri, & securissimo Dominici Corporis, & sanguinis viatico exitum suum muniri. Cum ipsum præparare festinant, Rex ipse inopinate se levans, & præparans, vestitus cameram cunctis admirantibus obviam corpori Domini Jesu Christi exiit.. His igitur exoneratus, & Dei misericordia perfusus, humillime flexis genibus ante sacratissimum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. (Qui enim mox Missam celebraverant illuc, & cum processione devote attulerant) in hanc oris, & cordis Catholicæ confessionis vocem erumpit. Ego peccator Ludovicus confiteor unum Deum, &c...., Hanc autem sacratissimi Corporis ejus Eucharistiam illud idem credimus corpus, quod assumptum est de virgine... Hunc sacratissimum Sanguinem illum eumdem, qui de latere ejus defluxit, & firmissime credimus, & ore, & corde confitemur ... Cum autem cunctis admirantibus facta primum peccatorum confessione, devotissime Corpori, & Sanguini Jesu Christi communicasset, tamquam illico convalescere incipiens, ad cameram rediit, &c.* Si etiam extra templa, duplex panis, & vini species ubi id commode fieri poterat, infirmis nonnumquam conferebatur, non est dubium, quin idem sanis intra missarum solemnia erga sanos observaretur.

10. Cum S. Thomas extremam diem clausit, anno nempe 1274. paucis quidem, sed tamen in aliquibus Occidentalium Ecclesiis adhuc obtinebat mos publicis in conventibus communicandi sub utraque specie, S. Doctor 3. p. q. 80. art. 12. quærit, *Utrum liceat sumere Corpus Christi sine Sanguine.* Affirmativam sententiam tuetur hoc argumento, *Sed contra est* MULTARUM *Ecclesiarum usus, in quibus populo communicanti datur Corpus Christi sumendum, non autem Sanguis.* In omnibus igitur Ecclesiis ætate S. Thomæ nondum vigebat consuetudo Laicis unam tantum speciem porrigendi. In corpore articuli praxim sufficiendi utramque in aliquibus locis observatam fuisse his apertis verbis innuit: IN QUIBUSDAM ECCLESIIS *observatur, ut populo sanguis sumendus non detur, sed solum a Sacerdote sumatur.*

11. Post Concilium Constantiense habitum ineunte sæculo 15. nullis in Ecclesiis Latinis, sine obtenta speciali dispensatione, Laicis, tum intra, tum extra Missarum solemnia utraque panis, & vini species porrecta fuit. Ne prioris disciplinæ, vel umbra superstes esset, eo quod hæretici eam jure Divino necessariam esse contenderent, cautum est in Conciliis, quæ post Tridentinum habita sunt, ne vas purificatorium, quod post communionem Laicis sufficiebatur, calicis in quo consecratio peragitur, formam exhiberet: *In exhibenda Laicis sacra communione* (inquit Concilium Provinciæ Bituricensis habitum 1584. can. 12.) *paratum sit vas, quod formam calicis non præ se ferat, ex quo sumatur ablutio post communionem Eucharistiæ.* Idem sancitum fuit in Concilio Aquensi, ano. 1585. titulo *de iis, quæ ad Eucharistiam pertinent*: sic enim habet: *Clericus, qui confessionem recitavit, accepto vase purificationis, quod tamen non sit calix ad consecrationem paratus, sed cyathus, & mappa purgata; alia manu teneat aliud vas, in quo vinum sit pro purificatione communicantium.*

Quæres, Utrum iis sæculis, quibus Laici communicabant sub utraque specie, quælibet species eis separatim, an vero permixta porrigeretur.

Resp. septimo sæculo nonnullos Sacerdotes intinctam sacro sanguine speciem panis cœpisse porrigere; Sed praxim eam tamquam abusum, qui per ministrorum ignorantiam irrepsisset, quarta Synodus Bracarensis ann. 675. habita, capitulo 2. confixit. *Illud vero* (inquit) *quod pro complemento Communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium recepit, ubi Apostolis corpus suum, & sanguinem commendavit: Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illi tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ Sacramenti hujus institutionem signaret.*

Licet ea praxis sæculo septimo proscripta fuisset, prodiit tamen iterum undecimo; Sed Paschalis Papæ II. decretis compressa mox evanuit ex Occidente præterquam in infirmorum, & parvulorum communione; *In sumendo Corpore, & Sanguine Domini* (inquit laudatus Summus Pontifex Epist. 32. quæ est ad Pontium Cluniacensem Abbatem) *juxta Cyprianum, dominica traditio servetur, nec ab eo, quod Christus magister, & præcepit, & gessit, humana, & novella institutione discedatur: Novimus enim per se panem, per se vinum ab ipso Domino traditum. Quem morem sic semper in sancta Ecclesia conservandum docemus, atque præcipimus, præter in parvulis, ac omnino infirmis, qui panem absorbere non possunt.* Eodem spectant, quæ paucis ante annis edixerat Concilium Claromontanum, sub Urbano Papa II. quod anno 1095. habitum est: *Ne quis* (inquit cap. 28.) *communicet de altari nisi corpus separatim, & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, & cautelam.* Quæ tamen disciplina, apud Occidentales obtinere non potuit, septingentis abhinc annis viget, apud Orientales; fideli nempe populo utramque speciem in cochleari commixtam exhibere consueverunt.

12. Quæ hucusque de communione sub utraque specie diximus, semper apud Græcos observata sunt, & nunc etiam observantur; Hoc est, non Clerici modo, sed & Laici, qui communicant, dum liturgia celebratur, utramque speciem sumunt. Hieremias in epilogo censuræ, qua Augustanam Lutheranorum confessionem perstrinxit, sic describit Orientalium usum. *Primum utriusque speciei participes esse oportere, dicitis* (Lutheranos alloquitur) *& recte quidem. Nam & nos hoc idem tremenda mysteria participantes facimus, illi* (inquam) *qui his digni sumus.*

§. II.

Utrum antiquitus majores nostri Eucharistiam sub una tantum specie fidelibus aliquando dispensaverint.

CONclusio. Majores nostri multis in casibus Eucharistiam sub una tantum specie dispensarunt.

Probatur enumeratione. Patres passim, & ordinarie infirmis, & infantibus propria in domo communicantibus, imo & aliquando publicis in conventibus Eucharistiam sub una tantum specie dispensarunt. Ergo &c. Antecedens, in quo posita est difficultas, subsequentibus momentis ostenditur.

1. Infirmis Eucharistiam sub una panis specie passim dispensatam fuisse evincit exemplum Serapionis senis. Is (Dionysio Alexandrino teste in Epist. ad Fabium Antiochenum, quam Eusebius hist. lib. 6. c. 44. describit) enarrat Presbyterum, qui præ infirmitate, qua detinebatur, senem, licet ad extremas angustias redactum, convenire non potuit, puero Eucharistiam ad ipsum deferendam tradidisse, quam puer cum aqua diluisset, ori senis infudit: *Mox puer buccellam intinxit, & in os senis infudit* (verba sunt Dionysii) *qui ea paulatim absorpta continuo animam exhalavit.* Una in illius senis Communione recensetur panis species, solidam Eucharistiæ partem Presbyter puero tradidisse dicitur, solidam puer liquore diluit,

soli-

solidam liquore intinctam senex absorpsit, sub una igitur panis specie Communione donatus est.

Nec audiendi sunt, qui respondent, Serapionem eo in casu defraudatum fuisse Sacramento. Nam Dionysius presbyteri, & pueri factum probat, ipsum tamquam rem sua ætate, tertio nimirum sæculo, usu communi receptam, refert ad celeberrimum Orientis Episcopum. Senem a Deo servatum fuisse scribit, donec per sacrum illum cibum peccatorum remissionem consecutus fuisset; *An non igitur perspicue apparet* (inquit) *eum reservatum fuisse, ac tantisper in vita permansisse, quoad reconciliaretur, & deleto jam crimine pro multis, quæ gesserat, bonis operibus, a Christo agnosci posset, & prædicari*. Senex non conquestus est, quod dimidiato, & mutilo Sacramento donaretur, quod per specierum vini subtractionem gratia aliqua, quæ ad salutem foret necessaria, defraudaretur: Imo qui prius multam animi anxietatem præ se tulerat, ut probant hæc ejus verba: *Et quousque tandem me detinetis? properate, quæso, & me quantocius absolvite*; ubi buccellam absorpsit cum pace migravit ad Dominum.

Non plus habet roboris, quod ab aliis reponitur, Serapionem panis, & vini speciebus communicasse; Vino consecrato (inquiunt) buccella panis, quam puer detulerat, intincta fuit, ut nunc fit in ordinaria Græcorum communione, & olim factum est a Latinis infirmorum respectu. Nam 1. ex nullo veterum monumento probari potest, fideles ante sæculum septimum consecratum panem sanguine intinctum sumpsisse. E contra morem illum ex prioribus sæculis non esse ex eo demonstratur, quod ubi primum prodiit, proscriptus sit in Concilio Bracarensi, vixque (ut ostensum est superiore paragrapho) undecimo sæculo apud Occidentales obtinuit. 2. Presbyter, cujus jussu Eucharistia ad Serapionem delata est, puero non injunxit, ut duas ipsius species commisceret, sed ut solidiorem, quam unam acceperat, madefaceret, quo a sene deglutiri posset, *Jubens, ut in aqua intinctam seni in os instillaret*, seu ut fert alia versio, quam Baronius laudat, *præcipiens, ut eam madefactam in os senis infunderet* (ut habet Rufinus) *parum Eucharistiæ infusum jussit seni præberi*; Eadem loquendi ratione usi sunt Patres tertii Concilii Carthaginensis, cui Augustinus subscripsit, *Si continuo creditur moriturus... infundatur ori ejus Eucharistia*.

Majores nostros passim sub sola specie panis infirmos communicasse probari potest ex Ambrosii vita, quam Paulinus ejus diaconus conscripsit. Ea nimirum perhibetur, Ambrosium in ultima periodo constitutum solo consecrato pane, non vino donatum fuisse ab Honorato Episcopo Vercellensi. Res verbis ipsius enarranda est. *Honoratus autem Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis cum in superiora domus sequi eum composuisset; tertio vocantis se vocem audivit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit sancto Domini corpus. Quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum*.

Argumenti vim non enervant adversarii cum reponunt, Paulinum per synecdochen locutum fuisse; ac proinde utramque speciem ab Ambrosio fuisse receptam. Nam 1. gratis fingitur hujusmodi responsio, cum in Paulini textu nihil omnino sit, quo nitatur; nec in re tanti momenti proferri debet, nisi aut ex ipso Paulino, aut ex aliis monumentis Ecclesiasticis probetur. 2. Si Ambrosius utrique speciei communicavit, cur Paulinus Christi corpus potius, quam Sanguinem asseruit fuisse datum Ambrosio. 3. Cum scripsit, S. Præsulem efflasse animam, ubi *deglutivit Christi corpus*; Si sumpto pane consecrato ebibisset vini speciem, satius fuisset asserere excessisse eum e vivis sumpto Christi sanguine. 4. Sæculo quarto, quo diem extremam Ambrosius clausit, apud Scriptores invaluerat usus utramque speciem exprimendi; cum de sanis erat quæstio, quibus porrigi solebat; cur ergo cum agitur de Communione morientium, nec Paulinus, nec alii scriptores utriusque meminerunt?

Praxis unam tantum speciem infirmis porrigendi potest demonstrari non exemplis modo (ut mox factum est in Serapionis, & Ambrosii Communione) sed etiam ex eo, quod panis, non vinum, peracto sacrificio servaretur ad morientium viaticum.

1. In veteribus monumentis solius Corporis, non vero Sanguinis fit mentio, quoties de eo agitur, quod ad infirmorum Communionem ex Ecclesiasticarum legum præscriptu servabatur; hæc habet canone 3. alterum Concilium Turonense, quod habitum est anno 567. *Ut Corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub Crucis titulo componatur*.

2. Veteres cum de vasis loquuntur, in quibus peracto sacrificio servabatur Sanctum Domini, non calicum meminerunt, sed vel pixidum, vel vasorum, quæ vel in turrium, vel in columbarum speciem elaborata essent. *Lecta igitur passione* (inquit Gregorius Turonensis Miraculorum lib. 1. cap. 86.) *tempus ad sacrificium offerendum advenit, acceptaque turre Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum, ut eam altari superponeret elapsa de manu ejus ferebatur in aera, &c.* Columbarum, in quibus Eucharistia asservari consueverat illustre est testimonium in Synodo Constantinopoli celebrata sub Menna ann. 536. adversus Anthimum, Severum, & alios Acephalorum principes Actione V. Clerici, & monachi Antiocheni de Severo hisce verbis conqueruntur: *Neque utique sanctis altaribus pepercit, neque sacris vasis parcens, alia autem conflans, similibus suis erogat. Præsumptum est autem ab ipso, & hoc, o Beatissimi; nam columbas aureas, & argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra, & altaria appensas una cum aliis sibi appropriavit, dicens, non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare*. De pixide, in qua sacra oblatio ad morientium viaticum concludebatur agit nono sæculo Hincmarus Rhemensis art. 8. Constitutionum.

3. Vini species acescit, & corrumpitur si vel aliquibus diebus servetur, ut tamen servatum est olim morientium viaticum, ut ex Serapionis senis communione patet, & nunc etiam servatur apud Græcos, qui semel, tantum in anno, pro infirmis communionem parant: *Conficiunt Græcorum Presbyteri Eucharistiam* (inquit Arcudius lib. 3. de Sacramento Eucharistiæ cap. 55.) *feria quinta sanctioris hebdomadis in memoriam cœnæ Domini, ut habeant viaticum pro infirmis per totum annum*.

Nec obest, quod his temporibus Græci, cum parant infirmorum viaticum, illud in crucis formam consignent sacro sanguine. 2. Nam præterquam quod ex paucis illis sacri sanguinis guttulis nihil omnino post annum supersit, eo ritu Christi Sanguinem per modum potus sumendum non porrigunt: quod tamen omnes sectarii recentiores jure Divino requiri contendunt.

Iis vero, quæ hucusque de sola, tum apud Latinos, tum apud Græcos panis consecrati ad morientium viaticum reservatione dicta sunt, non officiunt quædam exempla, quæ proferuntur ab adversariis, & quibus constat utramque panis, & vini speciem infirmis aliquando fuisse dispensatam; Id nempe contigit cum mox a sacrificio peracto, infirmi viatico donati sunt; nec mirum; tunc enim non fuit opus, ut species vini diu servaretur. De iis loquitur Justinus in apologia secunda, cum hæc ait: *Qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt; panem, vinum, & aquam, & ad absentes* (tum sanos tum infirmos) *perferunt*. Mox ab oblato sacrificio ii quoque infirmi quarto sæculo Tolosæ viaticum recipiebant, ad quos Exuperius Episcopus Christi sanguinem deportabat in vitro, ut his verbis Hieronymus ad Rusticum scribens enarrat: *Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil illo ditius, qui Corpus Domini canistro vimineo, Sanguinem portat in vitro*. Iis pariter accenseri debet Ludovicus VI. cognomento Crassus, Francorum Rex, qui teste Abbate Sugerio, Corpore, & Sanguine Domini pro viatico munitus est. *Qui enim* (ait Sugerius) *mox Missam celebraverant, illuc sacratissimum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi attulerant*. De iis etiam infirmis intelligi potest canon, qui a Burchardo, & Yvone Carnotensi, sub Concilii Turonensis nomine, laudatur, & quo præcipitur, ut asservatus panis intingatur sanguine antequam infirmo

porri-

porrigatur? Ratio est quia injungit præterea hujusmodi Synodus, ut octavo quoque die innovetur oblatio sacra; id vero de sola panis specie intelligitur, quam veteres oblationis nomine designarunt, quæque sola, non vero vinum, per octo dies incorrupta servari potest. Unde eo canone, panis, non vini speciem pro infirmorum viatico in templis asservatam fuisse concluditur. Hic tamen monitum velim lectorem non obtinuisse postea novam illam, & singularem disciplinam, cujus Burchardus, & Yvo meminerunt.

2. Alter casus, quo Majores nostri Eucharistiam sub una tantum specie dispensarunt, est Infantium respectu, quos mox a baptismate, & quoties publicis conventibus aderant, sola sanguinis specie donarunt.

S. Cyprianus libro de lapsis agens de puella, quæ Communionem traditam retinere non potuit, Deo sic permittente, quod idolothyta degustasset in Gentilium fano, ad quod inscia matre, nutrix eam detulerat, unius calicis meminit: *Ubi vero* (inquit) *solemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris, locus ejus advenit... Calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, reluctanti licet de Sacramento Calicis infudit... Sanctificans in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit.*

Quæ adversarii quærunt effugia, ut vim argumenti declinent, facile præcluduntur. Scilicet, quod ad eos spectat, qui respondent, puellam, de qua Cyprianus, solam vini speciem degustasse, eo quod præ ætate speciem panis deglutire non valeret, nostræ rationis vim non enervat; Siquidem cum ex traditione constet, Eucharistiam singulis infantibus olim dispensatam fuisse, nec (ut ajunt illi) possunt panem deglutire, necessario sequitur unam vini speciem eis fuisse porrectam. Præterea falso supponunt, puellam, de qua est quæstio, non potuisse panem, saltem intinctum sanguine, deglutire, quippe quæ mero mixtum in Idolorum fano prius sumpsisset. *Illi* (inquit Cyprianus) *Idolum, quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt.*

Non plus habet soliditatis, quod aliqui reponunt contendentes, panem consecratum, mixtum vini specie, puellæ traditum fuisse: Nam intinctus panis nullibi ante sæculum 7. traditus legitur. Diaconus eumdem puellæ calicem admovit, quem adultis porrexerat: *Ubi vero calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, &c.* At in confesso est, etiam apud Adversarios calicem seorsim a speciebus panis fuisse sumptum ab adultis. Puella deglutiit Eucharistiam licet renitenti infusam, *Et reluctanti licet de Sacramento calicis infudit.* Sed panis particulam per vim ori infusam puella protinus expuisset, nec diaconi vi ad deglutiendum facile potuisset cogi.

Non majoris est ponderis, quod respondent alii, puellam panis specie fuisse donatam cum cæteris fidelibus, antequam calix ori illius admoveretur; In Cypriano scilicet, ne apex quidem est, quod hujusmodi asserrioni fundamentum præbeat. Solius calicis, solius sanguinis, meminit, cum e contra panem recenseat, ubi de adultorum Communione loquitur. Si puella cum cæteris fidelibus consecratum panem (ut ii fingunt) degustarat; Cur oblatum, lubens sumpsit, & ultero deglutiit, horruit vero ad calicem? Cur non expectato calice, panem mox non evomuit? cur Cyprianus unum sanguinem, non panem, de pollutis visceribus erupisse scribit? *Sanctificatus* (inquit) *in Domini Sanguine potus de pollutis visceribus erupit.*

Inane est omnino, quod quidam alii scribere ausi sunt, mutilum fuisse Sacramentum, quod illi puellæ porrectum est. Id enim licet supponatur, litem obtinemus nostram, scilicet majores nostros infantibus solam vini speciem dispensasse: Sed addendum est, hujusmodi suppositionem esse falsissimam, cum nihil causæ fuerit, qua veteres adducti sint, ut Sacramentum ad salutem absolute non necessarium mutilaverint. Calvinistæ id quidem juris arrogant sibi, ut in abstemiis, quibus solum panem præbent, mutilent Sacramentum, quod, ex eorum principiis, jure Divino, duplici ex parte, pane, & vino, essentialiter constat: At id non sumpserunt sibi Patres; unde cum constet, sæpius eos unam tantum speciem porrexisse, dicendum est ratos fuisse stare in unica etiam specie totam Sacramenti substantiam.

Cyprianus, pluresque alii Patres (inquiunt adversarii) putarunt, infantes licet baptizatos salutem non consequi, si exirent sine Eucharistia, unde unicam speciem porrigebant iis, qui duplicem sumere non poterant: verum ea responsio triplicem errorem immerito Patribus affingit; quod nempe Eucharistiam crediderint necessitate medii necessariam ad salutem; quod censuerint Sacramentum (ut heterodoxi putant) ex duabus partibus jure divino constans, posse mutilari; quod sic mutilatum, infantibus baptizatis prodesset. Præterea Patres insimuleotur triplicis illius erroris cum sic velint adversarii, nihil inde conficietur in casu puellæ, de qua Cyprianus agit; Ea nimirum puella Eucharistia donata fuerat; obtinebat enim mos Cypriani ætate (ut agentes de infantium baptismate demonstravimus) ut statim post Baptismum, & Confirmationem infantes omnes Eucharistia donarentur.

Non Cypriani tantum tempore, sed & posterioribus sæculis, infantes sub una vini specie, sacra Communione donati sunt, tum in Occidente, tum in Oriente. Jobius monachus, qui sexto sæculo floruit, de Verbi incarnatione lib. 3. cap. 18. de Sacramentis agens, quæ sua ætate parvulis conferebantur. Baptismum, Unctionem sacram, & *Christi pretiosum sanguinem* nulla Corporis facta mentione recenset. Labente undecimo sæculo obtinebat apud Latinos hujusmodi consuetudo; Quamvis enim (ut superius dictum est) Paschalis Papa II. indulsisset, ut panis species Sanguine intincta parvulis dispensaretur, passim tamen una vini species porrigebatur: *Pueris recens natis* (inquit Hugo a sancto Victore; de Sacr. lib. 1. cap. 20.) *idem Sacramentum in specie Sanguinis est ministrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt.* Constantet apud Græcos ea praxis permansit, Allatio teste, multisque aliis authoribus, qui de Græcorum ritibus scripsere, Orientales solam vini speciem infantibus mox a baptismate, & confirmatione dispensant.

Sacramentum, quod sub sola vini specie infantibus, quondam ubique datum est; & nunc etiam datur apud Græcos, in utraque Ecclesia pueris ratione fruentibus sub sola panis specie aliquando dispensatum est; Id enim demonstrat praxis, de advocandis parvulis, qui superstites fidelium Communioni particulas certis diebus in templis ederent; Morem illum, tum apud Occidentales, tum apud Orientales quondam viguisse hujusce operis pag. 216. variis monumentis Ecclesiasticis demonstravimus.

Iis Evagrii, qui sæculo sexto floruit testimonium adjungamus oportet, sic igitur loquitur historiæ libro 4. cap. 35. *Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, ut si quando multæ admodum particulæ puri, & immaculati Corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent.* Ea vero verba de sola panis specie intelligi possunt, tum quod (ut superius ostensum est) vini species, peracta fidelium Communione non servaretur, tum quod Evagrius de Sanguine omnino sileat, tum denique, quod eam Communionem, *Immaculati corporis Christi particulas* appellet.

Si reponant adversarii mutilam, ac contra institutionem Divinam extitisse Communionem hujusmodi, ex eo possunt confutari, quod nulla Synodus, nullus Episcopus, nullus author eam aliquando damnaverit. Revinci quoque possunt ex miraculo, quo Deus eam confirmatam voluit in puero Hebræo, qui in fornacem ardentem injectus a Patre, quod cum cæteris pueris Christianis sacras particulas edisset, divinitus servatus est incolumis. Tantum miraculum mox laudatus Evagrius recitat, illud nos pag. 216, ex Gregorio Turonensi, a quo etiam describitur, recitavimus,

3. Communio domestica, quæ tum in Oriente, tum in Occidente pluribus sæculis jugiter observata

est,

est, invictissime probat veteres Christianos, extra Sacrificii tempora, sub sola panis specie sumpsisse SS. Sacramentum. Nam 1. Patres cum hujusmodi Communionis meminerunt, solum exprimunt panem. *Non sciet maritus* (inquit Tertullianus lib. 2. ad uxorem) *quid secreto ante omnem cibum gustet? Etsi sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur*. Cyprianus lib. de lapsis asserit impium quemdam Christianum asservatam domi Eucharistiam, nec edere, nec contrectare potuisse, apertisque manibus, illius loco cinerem invenisse; *Et alius* (inquit) *qui, & ipse maculatus, sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus, invenit*. Quod vero fideles manibus contrectabant, non erat vini species, sed panis tantum. 2. Speciem, quam Christiani ad domos deferebant, in templis porrectam a Sacerdote nuda manu excipiebant, ut suo loco ex Cyrillo Hierosolymitano demonstratum est, & hic etiam potest ex Basilio demonstrari. *Illud autem* (inquit in Epist. ad Cæsariam Patriciam) *persecutionis temporibus cogi quempiam absente Sacerdote, aut Ministro (idest Diacono) Communionem propria manu accipere, minime esse grave, supervacaneum est demonstrare*. At id uni panis speciei potest convenire. 3. Patres speciem in privatas ædes a fidelibus deferri solitam, *particulam* appellarunt: *Etenim* (inquit) *Basilius in Ecclesia Sacerdos particulam tradit, detinet autem eam eam omni libertate is, qui suscipit, ac ita ori admovet manu propria. Idem igitur est potestate. sive unam particulam quis a Sacerdote accipiet, sive multas particulas simul*. Sed particularum nomine non vini, sed solius panis species intelligi possunt. 4. Cum, sæviente persecutione, plures in hebdomada fideles convenire non possent ad sacrificium, ac nihilominus diebus singulis communicarent, detulissent oportet speciem, quæ toto illo tempore incorrupta permaneret: At id de vino dici non potest, præsertim si quis attenderit modicissimam illius quantitatem asportari potuisse. 5. Primo, & secundo Ecclesiæ sæculo soliti erant Pontifices Romani ad Episcopos Asiæ in mutuæ communionis signum Eucharistiam mittere. *Præcessores tui Romani Episcopi* (inquit Irenæus Lugdunensis Episcopus in Epist. ad Victorem Papam) *nostratibus Episcopis* (Asiaticis) *Eucharistiam miserunt*. Verum quis vini specie Roma in Asiam fuisse missam asseret? quis vinum tanto tempore integrum servari posse contendet? Non diffitemur tamen, quin ad breve tempus servari posset; Unde etiam tradebatur fidelibus in ædes deportandum, si non multo post sumendum esset, illudve a Presbyteris in templo petiissent; ut patet ex Gorgonia, de qua germanus ejus frater Gregorius Nazianzenus scribit, quod corporis Christi, aut Sanguinis antitypa lacrymis suis domi in oratorio domestico solita esset perfundere.

Ad praxim, qua tam clare demonstretur obtinuisse morem communicandi nonnumquam sub unica specie, adversarii nihil habent, quod reponant, nisi hoc unum; domesticam Communionem abusum fuisse, quem Concilia Cæsaraugustanum, & Toletanum 1. proscripsere.

Sed 1. Ea responsione, erroris, & impietatis tota secundi, tertii, & quarti sæculi Ecclesia insimulatur, quippe quod, & qui iis temporibus visi sunt Martyres, & qui floruerunt Episcopi morem illum, aut probarint, aut mandarint executioni. 2. Concilium Cæsaraugustanum, & Concilium Toletanum primum potuerunt antiquam disciplinam abrogare, quamvis eam (prout antea fiebat a fidelibus) nequaquam damnaverint. Tempore Synodi Cæsaraugustanæ in domesticam Communionem abusus irrepserant, quibus per priora sæcula propter pietatem fidelium, locus non fuerat; sub illius nimirum Communionis obtentu impios reperire erat, qui (ut explicat Concilium Toletanum XI.) superstitione, infidelitate nihil de Eucharistia (ut verisimile est) degustantes in templis, eam in privatas ædes deportabant, ut ea abuterentur: Ii vero (ut advertit Doctissimus Jacobus Benignus Bossuetius, illustrissimus Episcop. Meldensis) erant Priscillianistæ, qui apud Hispanos, iis temporibus Ecclesiam vexantes in cœtus fidelium ne tamquam hæretici detegerentur, obrepebant.

4. Antiquos fideles, non tantum in privatis domibus, sed etiam in conventibus publicis, & intra Missarum solemnia nonnumquam sub sola panis specie sumpsisse SS. Sacramentum pluribus argumentis potest demonstrari.

In Ordine Romano, ad cujus præscriptum divina officia octavo sæculo, & subsequentibus apud Occidentales celebrabantur, injungitur, ut feria quinta majoris hebdomadæ in cœna Domini, toto Sanguine consumpto Christi corpus in diem Parasceves reservetur, quo, sine sanguine, omnes communicent, *Tunc* (inquit) *Pontifex lavet manus, & diaconi vadant ad altare, & discooperiant Sancta: Et Pontifex veniens ad altare dividat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine suo, & sumat de ipsis oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves: De quibus communicent absque Sanguine Domini, Sanguis vero eadem die penitus consumatur*. Idem Ordo, ubi Officium diei Parasceves describit, communionem recenset ad quam feria quinta panis species reservata fuerat: *Cum vero* (inquit) *dixerint, Amen, sumit de Sancta, & ponit in calicem*, (cui vinum non consecratum infusum est) *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem, & communicant omnes cum silentio*. Subsequente Sabbato sancto nullum eo sæculo offerebatur sacrificium, nulla donorum fiebat consecratio: *Feria sexta in Parasceves* (ait idem Ordo Romanus) *missa non cantatur, sed neque in Sabbato sancto usque ad vigilias noctis*: Et tamen, & Cleri, & populi Communio recenseur, *Et postquam omnes communicaverint &c.* Nec, ut vis argumenti declinetur, dici potest iis diebus communionem, quæ porrigitur, esse sub utraque specie, quod nempe (ut ait Ordo Romanus) vinum non consecratum per sui cum pane sanctificato mixtionem sanctificetur, seu consecretur, si non re ipsa, saltem in eorum opinione, qui illum Ordinem conscripserunt. Id (inquam) dici non potest, tum quod vini sanctificationem, de qua loquitur, expresse distinguat a consecratione, tum quod iis authoribus, aliisque, qui idem sanctificationis nomen usurparunt, persuasum fuerit realem consecrationem non fieri, nisi hæc Evangelica verba, *Hic est sanguis meus*, proferantur. *Canitur hic* (inquit Amalarius de Divinis Officiis lib. 3. cap. 24.) *Accipiens panem, & reliqua*, in quibus continetur forma, seu Evangelica verba, *Hic credimus naturam simplicem panis, & vini mixti verti in naturam rationabilem, scilicet Corporis, & Sanguinis Christi*. Dicendum est igitur Ordinem Romanum loqui de imperfecta sanctificatione, quam quælibet res ex sacrarum specierum contactu contrahat, eique similem, de qua hæc dicit Bernardus Ep. 69. de Sacerdote agens, in cujus calicem vini loco aquam minister immiserat: *Deinde, quod comperta sero licet negligentia vinum fudisti in calicem super hostiæ sacratæ particulam, laudamus; nec sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem etsi non ex consecratione propria, atque solemni in Sanguinem Christi mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu Corporis sacri*.

Quod semel, aut bis unoquoque anno fiebat antiquitus in Ecclesia Latina circa octavum sæculum, nunc fit, & factum est antiquitus in Græca toto quadragesimali tempore; Consecratam die Dominica, aut die Sabbati panis speciem reservant, quam cæteris hebdomadæ diebus offerunt in missa, quam ob id præsanctificatorum missam appellant: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus* (inquit Concilium in Trullo. can. 52.) *præter quam Sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat sacrum præsanctificatorum mysterium*. Peractis precibus ritibusque variis, quæ in hujusmodi præsanctificatorum Missa præscribuntur, ipse Sacerdos, tum ministri, & postea populus sacram Communionem accipiunt, utique sub una specie cum sanguis consecratus non fuerit, nec in iis missis consecretur: *Sacerdos autem* (verba sunt liturgiæ, ex interpretatione Genebrar-

di M. Bib. Patrum Tom. 27.) *ad tecta divina dona manum mitteas attingit vivificum panem cum reverentia ... Alte Sacerdos ait, Sancta sanctis ...... Non enim modo panem elevat. Porro ubi ipsum detexit Communionem sacrarum reliquiarum perficit. Faciunt autem, dicuntque Sacerdos, & Diaconus, & chorus eadem, quæ in Chrysostomi liturgia.* Græci igitur multis ab hinc sæculis, singulis Quadragesimæ diebus Eucharistiam sub una tantum specie, panis nimirum, reficiuntur; nec mutilant tamen Sacramentum; alioquin a mille annis, & amplius in errore, & in impietate totam Græciam versari concludendum esset.

Nec tueri se possunt adversarii hodierno Græcorum ritu, quo pane ad officium præsanctificatorum consecrato, adhibito pretioso Sanguine, crucis formam imprimunt. Nam 1. in veteribus Euchologiis ritus hujusmodi non legitur. 2. Fert Græcorum disciplina, ut subjecto igne, gnttulæ sanguinis, quibus panis intinctus est, mox ita exsiccentur, ut ipsæ panis species in varias particulas dividantur; non remanent igitur in pane, saltem tertio die ab ipsa intinctione, ac proinde vere dici non potest, quod tunc sanguinis species a communicantibus ebibantur.

Quæ fuse hactenus disputata sunt, clarissime demonstrant veritatem factorum, de quibus agebatur in nostra conclusione, nempe Majores nostros ab ipsis Ecclesiæ exordiis ad hanc usque ætatem infirmis, infantibus, privatim communicantibus in propria domo, ac solemniter præsanctificatorum diebus, Eucharistiam sub una specie ordinarie, ac passim porrexisse. Iam vero duo expendamus necesse est, num Ecclesia quondam præcepisset in iis casibus, ut una tantum specie sumeretur, & utrum duplicem iis injunxisset, qui solemniter, & ordinarie in Ecclesiis communicabant?

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Ecclesia quondam legem tulerit de Communione sub una, aut duplici specie sumenda.

CONclusio 1. Licet infirmis, infantibus, & communicantibus in domibus privatis Eucharistia ordinarie, & passim sub una tantum specie porrigeretur, nulla tamen Ecclesiastica lege prohibebantur, no duplicem acciperent, ubi id citra SS. Sacramenti irreverentiam fieri poterat.

Probatur prima pars ex iis, quæ art. 2. §. 2. dicta sunt.

Altera pars demonstratur 1. ex Justino Martyre, qui (ut jam observatum est) asserit in Apologia secunda diaconos ad absentes, tum sanos, tum infirmos panis, & vini species detulisse. 2. ex Paschali Papa II. qui (ut etiam suo loco observatum est) indulsit, ut panis vino intinctus parvulis, & infirmis porrigeretur, quem etiam nunc Orientales iis porrigunt. 3. ex Abbate Sugerio, qui scribit utramque sacri viatici speciem delatam fuisse ad Ludovicum VI. cognomento Crassum, periclitantem de vita. 4. ex Gregorio Nazianzeno, qui in Oratione funebri, quam habuit de sorore Gorgoniæ scribit eam propriis lachrymis, *aut* Christi corpus, *aut* Sanguinem sæpius perduxisse; supposuit igitur ipsi creditum fuisse pretiosum sanguinem in privatas ædes deportandum, & non multo post ab ea sumendum. 5. (ut ratiocinatur Illustrissimus, ac Doctissimus Episcopus Meldensis) si Patres fidelibus panis speciem quondam crediderint, non erat, cur negarent speciem sanguinis mox sumendam privatis in ædibus, præsertim si illum sacrum Sanguinem fideles poscerent, ut rarissime contingebat, quod populi persuasi essent, & carnem, & sanguinem sub una specie contineri, nullaque gratia ad salutem necessaria eos defraudari, qui unicam sumpsissent.

Conclusio 2. Quamvis Laici publicis in conventibus communicantes, quondam Eucharistiam passim, & ordinarie sumpserint sub duplici specie; permissi sunt tamen quatuor prioribus sæculis, ut vel unam, vel duplicem pro libito reciperent.

Juenim de Sacram.

Probatur prior pars ex dictis §. 1. superioris art. 2.

Probatur altera pars ex eo, quod in monumentis Ecclesiasticis quatuor priorum sæculorum non extet lex; quæ fideles adigat, ut dum solemniter, & intra Missarum solemnia communicarent, utramque sumerent speciem.

Probatur iterum eadem secunda conclusionis pars ex facto, quod Constantinopoli contigit sedente Chrysostomo in sede Constantinopolitana; illud vero factum, ipsius Sozomeni verbis enarrandum est, antequam ex eo argumentum colligamus. *Vir quidam sectator hæresis Macedonianæ* (inquit hist. lib. 8 cap. 5.) *ejusdem sectæ uxorem habebat. Hic cum Joannem de sincera religione disserentem forte audisset, doctrinam amplexus, & uxorem quoque, ut sibi consentiret, hortatus est. At illa quoniam notarum mulierum solita consuetudine captiva teneretur, at maritus quamvis admonuisset sæpe, nihil tamen proficeret. Nisi* (inquit ille) *in religione mihi consors fueris, nec in vitæ quidem communione posthac eris. Ibi mulier, data fide se id facturam, cum ancilla quadam, quam fidelem arbitrabatur, de hac re communicat, eamque sibi ad fraudem faciendam marito sociam adjungit. Itaque tempore communicationis* (*intelligunt autem, qui Christo sunt initiati, quid dicam*) *illa, quod acceperat, continens, velut oratura procubuit. Famula autem interim astans furtim porrigit, id quod manibus adveniens ferebat. Quod quidem simul atque dentibus admotum fuit, in lapidem induruit. Tam mulier timore consternata, ne quid sibi gravius eveniret, ob tantum miraculum in se divinitus editum, cum festinatione ad Episcopum accurrit, se ipsam indicat, ac lapidem ostendit, qui manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam, & insolitum quemdam colorem referebat. Cumque profusis lacrymis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit.* Si sæculo, quo tam insigno miraculum contigit obtinuisset lex Ecclesiastica, quæ fideles ad utriusque speciei communionem adegisset, Macedoniana illa mulier non potuisset communionem simulare; Qua enim arte declinasset calicem, quem diaconus offerebat, ubi primum fideles exceptum manibus panem ori admovissent. Si vero quis Sozomenum falsitatis insimulet, audiat hæc laudati historici verba; *Si cui autem hæc verisimilia esse non videntur, testis est ipse lapis, qui etiam nunc hodie inter Constantinopolitanæ urbis cimelia conservatur.* Præterea, licet factum illud veritate non niteretur, certum esset tamen Sozomeni respectu, ac proinde persuasum illi fuit Chrysostomi tempore nullam viguisse legem, quæ fideles ad utramque speciem adigeret: Si enim extitisset hujusmodi lex, aut si extare credidisset, non ausus fuisset historiam scribere, qua manifesto destruitur.

Probatur 3. eadem secunda conclusionis pars: Manichæi, qui quinto sæculo grassabantur in Occidente, at Catholicorum invidiam, & Imperatorum iram declinarent, irrepebant in cœtus fidelium, cum iis sistebant se præsentes divinis mysteriis, recipiebant Sacramenta, ipsam etiam Eucharistiam, sed sub una tantum panis specie rati, quod vinum esset a principio nequam: *Cumque* (inquit Leo Papa I. Serm. 4. in Quadragesima) *ad tegendum infidelitatem suam, nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant: ut interdum tutius lateant, ore indigno Christi Corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant.* Eadem utebantur simulatione, dum Romæ sederet Gelasius Papa I. *Comperimus* (ait de ejusmodi impiis agens) *quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant.* Si autem ante tempora Leonis, & Gelasii, fideles omnes lata lege adstricti fuissent ad sumendam utramque speciem, dum solemniter in templis communicarent, Manichæi receptione solius corporis Christi, impietatem suam tegere non potuissent, imo elegissent medium, quo eam aperte prodidissent, quippe qui palam infringentes Ecclesiasticam legem, qua ex adversariis, utriusque speciei sumptio præcipiebatur, in infidelitatis suspicionem venissent, sicut venirent modo apud Calvinistas, & Lutheranos, qui in eorum Synagogis post sumptum Eucharisticum panem a vino temperarent.

X Con-

Conclusio 3. Quinto sæculo apud Latinos cuncti fideles Ecclesiæ legibus jussi sunt utramque panis, & vini speciem publicis in synaxibus sumere.

Probatur 1. his verbis Leonis Papæ I. Serm. 4. in Quadrag. *Quod* (id est Manichæorum simulationem) *ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut nobis hujuscemodi homines ex his manifestentur indiciis: & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati, & proditi a sanctorum societate Sacerdotis auctoritate pellantur*. Cum inter signa, quibus Manichæi deprehendantur, summus Pontifex communionem sub sola panis specie recenseat, præcepisse videtur fidelibus, ut duplicem sumerent; ac proinde prohibuisse, ne in publicis conventibus antiquo de una tantum sumenda jure uterentur. 2. Illud Leonis decretum, quod circa annum 443. latum est, Gelasius Papa I. Anno 496. confirmavit; quippe qui præceperit, ut ejicerentur ex Ecclesia, qui deinceps in publicis synaxibus a calice temperarent; *Aut* (inquit apud Gratianum, De consecr. Dist. 2. 2. Cap. Comperimus) *integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur*. Manichæi cogi non potuissent ad utriusque speciei sumptionem, etiam post Gelasiii decretum, si fuisset penes quemque fidelem uni tantum speciei publicis in synaxibus communicare.

Quæres quamdiu lati a Gelasio decreti vis obtinuerit?

Resp. decreti, de quo agitur vim desiisse, ubi Manichæorum hæresis, cujus detegendæ causa latum fuerat, apud Occidentales evanuit. Quo autem præcise tempore id contigerit vix definiti potest: Hoc unum certo constat, nempe illud in desuetudinem abiisse contraria fidelium praxi, cui Præsules non obstiterunt, quod scirent a Gelasi fuisse latum disciplinæ tantum, & Oeconomiæ causa.

ARTICULUS QUARTUS,

Quas ob causas Ecclesia calicis usu Laicos interdixerit?

Conclusio 2. Ecclesia potuit Laicos, imo, & Sacerdotes actu non celebrantes, usu calicis interdicere.

Probatur. Calicis usus, ex iis est rebus, quæ ad meram disciplinam pertinent, cum (ut ostensum est) jure Divino nemini, qui actu sacrificet, præscriptus fuerit. Ea vero, quæ sunt solius disciplinæ, ab Ecclesia, aut præcipi, aut abrogari possunt pro variis locorum, aut personarum circumstantiis, ut his verbis docet Concilium Tridentinum Sess. 21. cap. 2. *Præterea declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*. Eam sibi facultatem factam fuisse a Christo probat ex Apostolo. *Id autem* (inquit) *Apostolus non obscure visus est innuisse cum ait; Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa illius usum, Cætera* (inquit) *cum venero disponam*.

Objicies 1. Gelasius Papa I. cap. *Comperimus* decretum a se latum de communione sub utraque specie a quovis fideli sumenda; hac ratione confirmat: *Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*. Supponit igitur penes Ecclesiam non esse, ut mysterium dividat, seu ut unam concedat speciem, alteram vero deneget.

Resp. merito adverti a Cardinale Baronio non dictum esse a Gelasio: *Non potest perfici*, *Non potest sumi*, sed, *Non potest pervenire sine grandi sacrilegio*, in iis nempe, qui calicis haustum exhorrerent sicut Manichæi, quibus ratum erat nemini licere vinum, vel attingere labiis, utpote (inquiebant) non a Deo, sed a principio nequam productum. Confirmatur ea solutio, ex eo, quod Gelasius conceptis terminis asserat eos, quos perstringit, ex quadam superstitione a vino Eucharistico temperare solitos fuisse: *Qui procul dubio* (inquit) *quoniam nescio qua superstitione docentur astringi &c*. Perutile vero fuisse ejusmodi Gelasii decretum eventus comprobavit. Legitur scilicet apud Anastasium Bibliothecarium, Manichæos sub ejus Pontificatu detectos, in exilium deportatos fuisse, eorumque codices publice concrematos.

Objicies 2. Qui Eucharistia sub utraque specie reficitur, majus recipit augmentum gratiæ, quam is, qui unica tantum specie donatur. Nam 1. nemo dixerit calicis sumptionem Sacerdoti sacrificanti nulli omino esse fructui. 2. Plures e Schola Theologi contendunt plus gratiæ percipi ex duplici specie, quam ex una tantum; Inter veteres, qui hujusmodi dogmati patrocinati sunt, laudari solet Alexander Alensis in 4. parte Summæ Quæst, 53. Memb. 1. Inter recentiores vero Ruardus, Gabriel Vasquez, aliique non ultimi ordinis authores numerantur.

Resp. 1. nego antecedens, ad cujus priorem probationem dico calicis usum ad Sacrificii quidem, non autem ad Sacramenti integritatem requiri. Unde (ut suo dicemus loco) Sacerdotes, dum obeunt, Divina, tenentur illum sumere, non autem fideles dum communicant. Sed addendum est hujusmodi usu non augeri gratiam, quæ jam per panis consecrati comestionem producta supponitur, quod nempe, & esus, & potus unam tantum refectionem, & spiritualem, & significent, & constituant. Vini species quam in Sacrificio Sacerdos sumit, se habet gratiæ producendæ respectu, sicut ejusdem vini guttula sumpta post aliam: Quemadmodum igitur non minus gratiæ recipitur a Sacerdote, qui modicam vini quantitatem consecrat, & sumit, quam qui majorem, ita nec ab eo, qui hostiæ sumptioni superaddit calicis usum.

Resp. 2. dato antecedenti, nempe majus gratiæ augmentum ab eo recipi, qui utramque speciem sumit, quam qui unicam tantum; neque enim in Concilio Tridentino, aut in aliqua alia Synodo Oecumenica definitum fuit non plus gratiæ recipi per duplicem speciem, quam per unicam, sed hoc unum: *Nulla gratia ad salutem necessaria, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt*. Dato (inquam) antecedenti negatur consequentia. Ratio est, quia Ecclesia satius esse duxit fideles privari gratiæ augmento, quod alioquin compararent per plures communiones sub una panis specie, quam Sacramentum exponi cujusdam irreverentiæ periculo.

Conclusio 2. Ecclesia Catholica justis causis, & rationibus adducta fuit, ut Laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret.

Probatur enumeratione ejusmodi causarum, atque rationum. Prima petitur ex eo, quod jam ante finem sæculi XIV. ubique apud Occidentales invaluisset usus unam tantum speciem, etiam publicis in synaxibus, sumendi; quem quidem usum, cum ubique probasset Ecclesia, par fuit, ut deinceps esset legis loco: *Unde* (inquiunt Sess. 13. Constantienses Patres) *cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, habenda est pro lege*. Illud vero Constantiense decretum ex eo confirmatur, quod Orientales ipsum Latinis non objecerint, imo tacite probasse videantur. Cum enim paucis post annis Florentinæ Synodo sub Eugenio Papa IV. adfuerint, sæpiusque populorum communionis testes fuerint, nec Constantiensem constitutionem, quam Basilense Concilium confirmavit postea, nec illius executionem nescire non poterunt.

Altera ratio petitur ex incommodis, quæ ex ejusmodi communione nascebantur; Periculum nimirum erat, ne pretiosus sanguis effunderetur; quantamcumque enim diaconi, qui calicem porrigebant, diligentiam adhibuissent, vix præ communicantium copia solemnioribus præsertim festis, præ plurimorum senum, debilium, rusticorum parum cauto concursu effusionem poterant impedire, cui quidem malo, si accidisset, nullum poterat apponi remedium. Igitur Patrum Constantiensium ea mens fuit in calicis subtra-

tractione, ut debitæ SS. Sacramento reverentiæ consulerent, vitarentque, quæ quondam luxerat Chrysostomus ad Innocentinm Papam I. hilce verbis scribens: *Locum, in quo sancta servabantur, ingressi sunt milites, quorum aliquos scimus nullis initiatos mysteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant, quin & sanctissimus Christi sanguis, sicut in tali tumultu contingit in prædictorum militum vestes effusus est.*

Tertium argumentum sumitur ex abstemiis, aut aliis, qui non sine nausea vinum hauriunt ex calice, qui pluribus jam oblatus sit. Hoc unica quidem specie Calvinistæ donant: Sed ejusmodi praxis cum eorum principiis non cohæret: si enim (ut ajunt) sine utraque simul specie, Sacramentum non stet, quo jure disciplinam invehunt, quæ divinæ institutioni repugnet & aqua ipsummet Sacramentum mutiletur.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Ecclesia, his temporibus, calicis usum Laicis concedere possit?

CONclusio 1. His etiam temporibus, Ecclesia calicis usum Laicis potest concedere.

Probatur 1. ex Concilio Constantiensi, quod potestatem illam in Ecclesia aperte agnoscit, cum sic loquitur: *Consuetudo habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare.* 2. Eodem plane modo Synodus Basileensis Sess. 30. loquitur. *Nec alicui* (inquit) *licitum est eam* (legem de communione sub una specie) *reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiæ ipsam immutare.* 3. Concilium Tridentinum jus, de quo agitur, agnovit in Ecclesia. *Duos vero articulos* (inquit Sess. 21. can. 4.) *alias propositos, nondum tamen excussos, videlicet, an rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes, sub una tantum panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus, & an si honestis, & Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui, vel nationi, vel regno calicis usus videntur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam sint illæ: Eadem sancta Synodus in aliud tempus, oblata sibi, quam primum occasione, examinandos, atque definiendos reservat.* Eos vero articulos Sess. 22. in decreto finali Summi Pontificis prudentiæ commisit: *Decrevit* (inquit) *integrum negotium ad Sanctissimum Dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Christianæ, & salutare petentibus usum calicis fore judicaverit.*

Confirmantur dicta hactenus ex usu Ecclesiæ, quæ etiam post definitionem Constantiensem calicis usum nonnumquam Laicis indulsit. Dum patres Basileæ sederent, tentata fuit sæpius, ac tandem perfecta Bohemorum cum Catholicis unio, ea tamen lege, ut Bohemis quatuor articuli concederentur, quorum prior sic habet, *ut Communio Eucharistiæ sub utraque specie universis Christi fidelibus in Regno Bohemiæ, & locis ei adhærentibus per Sacerdotes libere administraretur.* Ad eum vero articulum sacra Synodus per suos Legatos, qui rem egerant cum Bohemis, & Moravis in Egra oppido, hocce dedit responsum: *Ut quoniam generalis consuetudo Ecclesiæ communicandi sub una tantum specie multis de causis rationabiliter introducta non posset reprobari, aut sine Ecclesiæ authoritate pro libito immutari; posset autem suadentibus rationabilibus causis Communio sub utraque specie ab eadem Ecclesia concedi: Si id omnino Bohemi contenderent, sacrum Concilium Sacerdotibus eorum, facultatem concessurum sub utraque specie populum, eos videlicet, qui in annis discretionis constituti essent, atque id reverenter postularent, communicandi: Hoc semper observato, quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicerent, debere eos firmiter credere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer Christus totus.* In Concilio Tridentino sæpius actum est, an ad Gallorum, & Germanorum preces pacis causa calix Laicis concedendus esset: Res, ut mox dictum est Summi Pontificis prudentiæ, & charitati commissa est. Pius Papa IV. eo jure usus anno 1563. Germanis Episcopis indulsit, ut servatis legibus, quas Patres Basileenses Bohemis præscripserant, calicem concederent; quæ quidem concessio, infœlici licet exitu, Viennæ in Austria aliquandiu mandata fuit executioni.

Conclusio 2. licet penes Ecclesiam sit calicem Laicis concedere: ea tamen concessio passim non expedit.

Probatur variis rationibus. Vix præcaveri potest periculum effusionis sanguinis, quod Patres Constantienses adduxit, ne facultatem, de qua agitur, passim Laicis annuerent. 2. Synodus Tridentina calicem, etsi postulatum sæpius, nusquam tamen concessit. Hæc habebantur in instructione a Carolo IX. Francorum Rege, data Cardinali a Lotharingia anno 1562. Curet, ut calix, etiam Laicis, concedatur, quod nempe maxima spes affulgeat, fore ut heterodoxi si eum Synodus indulserit, ad unitatem redeant. Idem in Imperatoris, multorumque Principum Germanorum litteris ad Concilium, legebatur, sed hujusmodi petitionum sacra Synodus rationem non habuit. 4. Periculum est, ne facultate, de qua est quæstio, si passim concedatur, abutantur hæretici, ut Ecclesiæ conflent invidiam; Sub obtentu ejusmodi concessionis, quam charitas a Pio Papa IV. pro Germanis extorserat, Lutherani mox causati sunt agnovisse tandem Ecclesiam Romanam se contra jus Divinum populis subtraxisse calicem; unde ne incautos deciperent, concessio Germanis facta mox fuit revocata.

QUÆSTIO DECIMA.

De ritibus Eucharistiam ad prout est Sacramentum, pertinentibus.

RItus ad materiam Eucharistiæ spectantes reducuntur ad varias qualitates panis consecrandi, & ad aquæ cum vino permixtionem. Hujusce operis pag. 139. ex veterum monumentis probatum fuit, panem consecrandum olim fuisse selectum ex fidelium oblationibus. Pagina 139. ostensum est obvium quemque panem consecratum fuisse, dum sæviret persecutio; studio vero præparatum, ac figuræ orbicularis, ubi Ecclesiis Constantini Magni opera pax affulsit. Pag. 146. assertum est Ecclesiam Græcam quovis sæculo fermentatum panem consecrasse; Pagina vero 147. Latinos sex prioribus sæculis azymum, aut fermentatum indifferenter, & indiscriminatim adhibuisse, usum azymi apud Hispanos septimo sæculo usurpatum, apud alias Occidentales Ecclesias ita invaluisse ante Photii tempora, ut panis fermentatus plane exclusus fuerit.

Cæremoniæ, quæ ad Eucharistiæ formam pertinent, sunt 1. quod submissa voce proferatur. 2. quod nonnulla explicationis causa addi soleant, ut sunt hæc, quæ in forma calicis proferuntur. *Novi, & æterni Testamenti, &c.* Ea enim ad substantiam Sacramenti non pertinere pag. 162. multis argumentis ostendimus.

Circa ministrum, qui fidelibus Eucharistiam porrigat; pag. 223. diximus tulisse antiquos mores, ut Diaconi, etiam publicis in synaxibus, SS. Sacramentum dispensarent; extra vero sacrificii tempora minores Clericos, imo & Laicos idem ad absentes nonnumquam detulisse.

Ritus, qui ad Eucharistiæ subjectum pertinent, sunt personæ, quibus olim, vel negata, vel concessa fuit, situs, quo fideles ad eum accesserunt, locus, in quo ea donati fuerunt. Pag. 225. & sequentibus demonstradum est infantibus mox a baptismate per duodecim priora sæcula, tum apud Latinos, tum apud Græcos

fuiſſe conceſſam. Pag. 226. Energumenis in ultima tantum vitæ periodo conſtitutis porrectam fuiſſe, idem de amentibus pag. 227. aſſertum eſt. Pag. 228. variis argumentis probatum eſt, antiquos hocce Sacramento non muniiſſe reos ultimo ſupplicio damnatos; alium morem, licet in Italia, & in Germania aliquibus ab hinc ſæculis vigeat, apud Gallos tamen, & Hiſpanos hac etiam ætate non obtinere Fideles, pronos & adorationis in modum in Eccleſia Hieroſolymitana ad ſacram menſam acceſſiſſe docuimus pag. 223. in Eccleſia vero Conſtantinopolitana ſtantibus diſtributam fuiſſe ſcribit Chryſoſtomus Tom. 1. Hom. 22. Ibidem probatum eſt, miniſtros Eucharistiam ori non ſolitos fuiſſe infundere octo prioribus ſæculis, exceptam nimirum nuda manu viri, fœminæ vero manu cooperta linteolo, quod Dominicale dicebatur, ori admovebant. Quique fideles per duodecim priora ſæcula publicis in ſynaxibus paſſim utramque Euchariſtiæ ſpeciem recipiebant, ita tamen, ut quatuor ſaltem prioribus ſæculis, tum in Oriente, tum in Occidente pro libito temperarent a vini ſpecie etiam publicis in ſynaxibus: Paſſim quoque ad infirmos ſola panis ſpecies deferebatur, nonnumquam etiam utraque donabantur. Seorſim corpus a ſanguine ſumpſerunt ſemper, niſi infirmi eſſent, tunc enim circa ſæculum undecimum fas fuit, ut intinctum in cochleari panem reciperent; qui mos apud Orientales, etiam dum ſani ſolemniter in templis communicant, aliquibus ab hinc ſæculis obſervatur.

FINIS DISSERTATIONIS QUARTÆ

De Euchariſtia ut Sacramentum eſt.

DISSER.

DISSERTATIO QUINTA.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

EUCHARISTIA prout est sacrificium variis apud Ecclesiasticos Scriptores nominibus appellatur. 1. Patres Græci eam sæpius *Liturgiam* vocant, quæ quidem vox per publicum, & sacrum mysterium a Latinis redditur; Idque per antonomasiam, quod nempe in religione Christiana nulla sit actio præstantior, nulla magis publica, quam ea, per quam Christi corpus, & Sanguis conficiuntur, quippe quæ omnium fidelium nomine, Sacerdotis publici ministri, & ore, & manibus Deo Patri offeratur. Non sine mysterio idem sacrificium *Mystagogiam*, seu secretam actionem, antiqui authores Græci nominarunt; Nec enim Gentilibus, Catechumenis, aut pœnitentibus publicis ad sacram eam actionem aditus patebat: Patres sedulo dederunt operam, ne mysterium hoc in eorum, qui nondum sunt initiati, notitiam deveniret: *Verumtamen* (inquit author libri de Ecclesiastica Hierarchia cap. 1.) *ne ipsæ quidem symbolorum rationes omnibus sunt revelatæ, ac notæ, sed viris sanctis, quibus non licet eas exponere iis, qui adhuc sunt Catechumeni*. Non raro ab iisdem Orientis Patribus *Synaxis* vocatur; cujus quidem vocis ea vis est, ut populi fidelis cum Christo unionem significet. Eucharistia, ut est Sacrificium nonnumquam dicitur *Anaphora*, seu sursum elatio; nec ejusmodi appellatio mysterio vacat; Ea nimirum docemur sacrificium nostrum ferri sursum, ad Deum nempe, cujus cœlum est sedes, Sacerdotis, & populi corda ad ipsum attolli, ita ut quisque pius inclamanti Presbytero, *Sursum corda*, vere cum Ecclesia respondeat, *Habemus ad Dominum*. Sæpius a Scriptoribus Græcis appellatur Φρεφορα, idest *Oblatio*: Illud vocabulum usurpatum est ab Eusebio Cæsariensi, ubi enim jusjurandum refert, quod Novatianus extorquebat a suis gregalibus, dum sacram Communionem largiebatur, utitur *Oblationis* nomine; sic enim Cornelium Papam hisce verbis scribentem ad Fabium Antiochenum inducit: *Cum fecisset* OBLATIONES, *& singulis partem Sacramenti distribuisset, porrexissetque, miseros homines, & infelices pro benedictione, & gratiarum actione jusjurandum dare coegit, atque suis utrisque manibus manus accipientis prehendens, non prius dimisit, quam hoc jurejurando eum obstrinxisset, (illius enim verbis utar) Jura mihi per Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te numquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum. Atque miser homo non ante degustavit, quam ita illi se devovisset, & qui illum acceperat, pro, Amen, quod dicere debuerat, hoc dixit, Non deinceps ad Cornelium revertar*. Idem Oblationis nomen eodem in sensu sumitur in Concilio Nicæno I. can. 18.

2. Idem Eucharistiæ Sacrificium, *Collecta* nuncupatum fuit a Latinis, quod nempe populi, ut intersint sacrificio, in unum colligantur. *Confitebantur* (inquit Augustinus contra Donatistas agens) *se Collectam egisse*. Ipsum in Ecclesia Occidentali Majores nostri *Dominicum* nonnumquam appellarunt. *Numquid* (inquit Cyprianus Aquarios urgens Epist. 62. quæ est ad Cæcilium) *Dominicum post cœnam celebrare debemus*? Nonnumquam a Latinis dictum est *Agenda*, lib. 7. Capitul. cap. 165. hæc habentur: *Si quis Presbyter inconsulto Episcopo* AGENDAM *in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit*. Sicut a Græcis oblatio dictum est, ita etiam & a Latinis. *Felix Matrimonium* (inquit Tertullianus lib. 2. ad Uxorem) *quod Ecclesia conciliat, & confirmat* OBLATIO, *& obsignat benedictio*. Tandem ab Ambrosio ad Marcellinam sororem scribente, a Victore Uticensi lib. 2. Vvandalicæ persecutionis, ab aliisque Latinis scriptoribus, Eucharistia, prout est Sacrificium, *Missæ* vocabulo passim designatum est; Cujus quidem nominis vim, & energiam opere pretium est ut hic explicemus.

Monitum igitur velim lectorem, Missæ nomen a Latinis scriptoribus sæpius pro multis usurpatum fuisse; quæ ab Eucharistiæ Sacrificio longe absunt. 1. Ea voce usi sunt, ut Catechumenorum a liturgia dimissionem significarent. *Episcopus* (ait canon 84. quarti Concilii Carthaginensis) *nullum prohibeat usque ad* MISSAM *Catechumenorum*. Nec aliud, his etiam temporibus significatum vult Ecclesia, cum peracto sacrificio per os Diaconi hæc edicit: *Ite missa est*. 2. Missæ nomen sumpserunt pro ea Liturgiæ parte, quæ ab Offertorio ad finem usque Sacrificii protrahitur, soletque proprio nomine, *Missa fidelium* appellari: *Non tunc fiunt Missæ* (inquit S. Cæsarius Arelatensis homil. 12. *quando Divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, & Corpus, vel Sanguis Domini consecratur*. 3. Eamdem vocem adhibuerunt pro *Collectis*, sive pro iis orationibus, quæ in ipsa sacrificii celebratione a Sacerdote recitantur. *Placuit* (inquit secundum Concilium Milevitanum capite 12.) *ut preces, vel orationes seu* MISSÆ, *quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur*. 4. Eodem termino

Latini Patres usi sunt, ut Sanctorum memorias, seu solemnitates significarent; sic in Capitularibus, festum S. Martini, MISSA S. Martini nuncupatur. 5. Eo vocabulo Patres Latini significatam voluerunt totam liturgiam, sive integrum sacrificii offerendi ordinem, quatenus nempe, tum Catechumenorum, tum fidelium Missæ complectitur.

Hic rursus Lectorem monitum velim circa hujus vocis, MISSA, originem non unam, eamdemque esse Scriptorum Latinorum sententiam. Nam 1. nonnulli nomen Hebraicum esse censent, quippe quod (inquiunt) desumptum sit ex Deuteronomii capite 16. ubi vox MISSA pro oblatione sumitur, quam Hebræi offerebant Domino, ut pro acceptis fructibus terræ gratias rependerent, quaque vescebantur in templo in præteritæ servitutis, ac divinæ per Moysen liberationis memoriam. Sed ita licet senserit doctissimus Baronius, in eam tamen opinionem ne abeamus, obstat Apostolorum de ea voce silentium. Quamvis enim natione Hebræi fuerint, nusquam tamen ea usi sunt, nec primi Christiani, qui ex Oriente in Occidentem Catholicam fidem invexerunt; licet hæc alia nomina, Amen, Alleluja, Sabaot, Sabbatum retinuerint.

Nonnullis placet Missæ nomen oriri a vocabulo Græco *μύησις* a verbo *μυέω*, quod per *doceo* Latine redditur; Nec mirum (inquiunt) Christianum enim sacrificium mysticam, ac sublimem doctrinam complectitur. Sed illorum authorum pace dixerim, opinionem, quam tuentur, omni carere verisimilitudine, cum vox, MISSA, Græcos omnes fugiat, nec inter eos aliquis ejusmodi termino usus sit, ut Eucharisticum sacrificium exprimeret.

Doctissimus Albaspinæus *Missam* dici autumat a nomine *Mess*, quo (inquit) apud Septentrionales populos festum, aut ad festum congregatio, significantur. Cum vero populos, ut sacrificio intersint, in unum adunari oporteat, ideo (addit laudatus author) nomen, *Missæ*, sacrificio Eucharistico a Latinis inditum est. Verum vir, alioquin omni eruditionis genere conspicuus, potest ex eo confutari, quod Septentrionales populi non ante decimum sæculum religioni Christianæ nomen dederint, ac proinde fideles ab eis nomen mutuari non potuerunt, quo jam quarto Ecclesiæ sæculo utebantur: *Ego mansi in munere* (inquit Ambrosius Epist. 33. de Basilicis tradendis agens) MISSAM *facere cœpi, orare in oblatione Deum, ut subveniret*. Aliquibus post annis eadem voce usus est Leo Magnus: *Nec publice* (inquit Epist. 88.) *in* MISSA *quemquam pœnitentem reconciliare &c. Necesse est* (ait idem S. Doctor Epist. 81.) *ut quædam pars populi sua devotione privetur, si unius tantum* MISSÆ *more servato, sacrificium offerre non possunt, nisi qui prima diei parte convenerint*.

Eminentissimo Cardinali Bona visum est, *Missam* Latinum esse vocabulum, quod quidem a *mittendo* dictum sit; tum quod sacrificium ex oblatis a populo missis olim fieret; tum quod Ecclesia Sacerdotum ore, ac manibus preces suas in sacrificio ad Deum transmittat; tum etiam (inquit Magister Sententiarum) quod Angelus mittatur, ut tremendo intersit sacrificio. Addit laudatus mox Cardinalis, probabilem sibi videri illorum opinionem, qui nomen illud ortum putant a solemni plebis dimissione, qua quondam peractis divinis precibus fieri solebat. Sed hæc de Christiani sacrificii nomine satis sint, ejus vero substantiam explicemus oportet.



QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Eucharistia sit verum legis novæ sacrificium?

HANC priorem de Eucharistiæ sacrificio quæstionem, methodi causa in tria capita partiemur. In priore texemus catalogum Sectariorum, qui negarunt, Eucharistiam esse verum legis novæ sacrificium: In altero proferemus argumenta, quibus Ecclesiæ Catholicæ fides nititur. Tandem in tertio solventur heterodoxorum argumenta.

CAPUT PRIMUM.

De variis sacrificii Missæ hostibus.

EX solutionibus, quas capite tertio adhibebimus ad argumenta, quæ contra Eucharistici sacrificii veritatem ab heterodoxis objiciuntur, patebit clare nullum e Christianis, qui Manichæismo, aut Berengariano errore non laborarit, ante duodecimum sæculum negasse Eucharistiam esse verum legis novæ sacrificium. Satis igitur est, ut eorum catalogum hic texamus, qui post ea tempora sacrificio bellum indixere.

1. Nullus fere est e recentioribus hæreticis, qui non contendat, Vualdenses damnasse Ecclesiam Romanam, quod credat, Eucharistiam esse verum legis novæ sacrificium. Sed id fingunt, ut inter Christianos duodecimi sæculi errores sui patronos inveniant. Nam 1. nullus ex historicis, qui duodecimo, & decimotertio sæculo texuerunt catalogum errorum, quos Vualdenses profitebantur, hunc eis affingit, quod negarent, Eucharistiam esse verum legis novæ sacrificium. Nec enim Reynerius, qui scripsit circa annum 1250. cuique accurate perspecta fuerunt Vualdensium dogmata, nec Phlicdorsius, qui centum post annis eorum reliquiis bellum indixit, nec Emericus Inquisitor, qui contra illos egit sæpissime, nec Claudius Seyssellius Archiepiscopus Taurinensis, qui anno 1517. de Vualdensium in quibusdam Taurinensis Diœceseos angulis latitantium dogmatis inquisiit, asserunt, eos Eucharisticum Sacrificium rejecisse. 2. E contra Reynesius, Phlicdorsius, Seyssellius scribunt, Vualdenses Eucharisticum sacrificium admisisse, sed confectum a piis suæ sectæ hominibus licet Laicis, non vero ab Ecclesiæ Romanæ Presbyteris, quibus, cum ex ipsis impii essent, nulla erat consecrandi potestas. 3. Post annum 1530. aliud quidem senserunt, qui in Sabaudiæ, & Delphinatus montes ducentis ante annis sese receperant; Sed neminem fugit tunc a Bucero, & Helvetiis Calvinianam reformationem accepisse; unde ex fide, quam illi Vualdenses postea professi sunt, nihil pro anti-

antiquorum Vvaldensium doctrina concludi potest.

2. Dubitatum est a quibusdam, an Joannes Hus Missæ sacrificii hostis extitisset, quod nempe Vviclefus apud eum summo semper in pretio fuerit. Sed jam temporis extra controversiam est Joannem Hus in nullo dogmate dissensisse ab Ecclesia Romana quam in articulo de Communione sub utraque specie; ratum est quoque, eum, licet interdicto ligatum, Constantiæ quoad potuit, celebrasse Missam. Argumenta quibus assertum hujusmodi nititur, Larroquius Calvinianæ sectæ minister apud Gallos, abunde sufficit in historia, quam de Eucharistia scripsit, part. 2. cap. 19.

3. Lutherus Eucharistiæ sacrificio infensissimum bellum indixit: Anno 1523. in formula Missæ, quam edidit pro Ecclesia Vvitembergensi, sic loquitur de ea liturgiæ parte, quam majores nostri Missam fidelium appellarunt: *Sequitur* (post Symboli recitationem) *tota illa abominatio, cui servire coactum est quidquid in Missa præcessit; unde & Offertorium vocatur, & ab hinc omnia fere sonant ac olent oblationes*. Paulo post sic iterum prosequitur: *Proinde omnibus illis repudiatis, quæ pura, & sancta sunt*. Anno 1528. in confessione, quam tunc edidit, asserit, *se supra omnes abominationes habere Missam, & nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Missas celebrarit Catholicorum more*. In variis libris, quos identidem edidit in lucem, contestatur sæpius, nihil nos offerre Deo, quam orationes, additque quod tantum abest, ut Deo Eucharistiam offeramus, quin potius ipsa nobis a Deo offeratur tamquam signum, quo factas nobis promissiones obsignet.

4. Apud Helvetios agente Zuinglio, Magistratus civilis sacrarum litterarum scientia vacuus, Missam penitus abrogavit, tamquam quæ peracto in cruce sacrificio maxime esset injuriosa. Nec mirum est, quod eo in capite Zuinglio obsecuti sint, cum id ex ejus doctrina de Eucharistiæ Sacramento, necessario consequatur.

5. Calvinus idem egit apud Genevenses, quod Zuinglius apud Helvetios, in Sacramentorum ministrandorum formula diligentissime cavit, ne ipsum oblationis nomen appellaretur.

6. In Anglia licet Henricus VIII. ab Ecclesia Catholica discessisset, & primatum Ecclesiasticum arrogasset sibi, nihil tamen immutatum voluit in Liturgia, præter Romani Pontificis, S. Thomæ cantuariensis, nonnullorumque aliorum sanctorum memoriam, quam ex Missalibus expunxit. Verum, Regnante Eduardo VI. antiqua Liturgia penitus fuit abrogata. Circa annum 1549. a regni Proceribus ad Comitia generalia adunatis definitum fuit, Eucharistiam Sacramentum quidem esse, non vero sacrificium novæ legis.

CAPUT SECUNDUM.

Defenditur Ecclesiæ Catholicæ fides circa veritatem Sacrificii Missæ.

Ecclesiæ fides circa veritatem Eucharistiæ prout sacrificium est, nititur Scriptura, & Traditione. Duplex illud argumenti genus seorsim hic a nobis est proponendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Proferuntur argumenta petita ex Scripturis pro veritate Eucharistici Sacrificii.

Hic tria ex sacris codicibus argumenta proferemus: Ostendemus nimirum, Eucharistiam verum esse sacrificium. 1. ex Sacerdotio Melchisedech 2. ex Malachiæ Prophetia. 3. ex novo Testamento.

§. I.

Utrum ex Sacerdotio Melchisedech demonstretur, Eucharistiam verum esse Sacrificium.

Conclusio. Ex Sacerdotio Melchisedech demonstratur, Eucharistiam esse sacrificium vere, & proprie dictum.

Probatur ex Scriptura. Christus in ultima cœna, quam cum suis Apostolis habuit, verum, & proprie dictum sacrificium obtulit Deo Patri: Ergo, etiam hac ætate offertur a Sacerdotibus cum Eucharistiam consecrant; nec mirum, idem enim suis Apostolis, futurisque eorum successoribus faciendum injunxit, quod ipse tunc peregit, ut ex his Evangelicis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, perspicuum est. Antecedens, in quo difficultas est posita, sic ostenditur: Christus secundum Melchisedech ordinem Sacerdos inauguratus fuit, id quippe apertis hisce terminis asserit Scriptura Psal. 9. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Ergo ipsummet sacrificium, quod olim Melchisedechianum adumbrarat, ab eo offerri oportuit. Sed solam Eucharistiam adumbravit sacrificium Melchisedechianum, quippe quod non secus, ac Eucharistia ex pane, & vino constiterit. Genesis 14. *Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi*. Necesse igitur fuit, ut Christus Eucharistiam obtulerit tamquam verum sacrificium, & revera sic ab eo oblatam fuisse hisce Cypriani verbis ad Cæcilium scribentis docemur. *Qui magis Sacerdos Dei Summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit. Et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest, panem, & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem*.

Eo argumento non se liberant adversarii cum reponunt Melchisedech panem, & vinum *protulisse* quidem, ut tum Abrahami, tum copiarum ex prælio redeuntium vires refocillaret, non *obtulisse* vero in sacrificium.

1. Nihil fuit causæ, cur Abraham, & ejus militibus panis, & vinum ad refectionem corpoream sufficerentur, redierant nempe cum ingenti præda, in qua (ut habetur versu 11.) ea erant *quæ ad cibum pertinent*, quibusque milites se ipsos refecerant, antequam Melchisedech accederet: *Non accipiam* (inquit Abraham Regi Sodomorum versu 24.) *ex omnibus, quæ tua sunt, exceptis his, quæ comederunt juvenes*.

2. Ubi scriptura retulit Melchisedech panem, & vinum *protulisse*, hanc reddit rationem, quæ panem & vinum in sacrificium prolata fuisse demonstrat: *At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi*. Cur enim Spiritus sanctus ex Melchisedechiano Sacerdotio prolati panis, & vini rationem deprompsisset, si Melchisedech, dum ea protulit, non obierit munus Sacerdotale? Nec obstat, quod in Hebræis Codicibus loco causalis, ENIM, legatur conjunctiva, ET; Siquidem conjunctio, ET, apud Hebræos sæpius pro causalibus, ENIM, QUIA, sumatur, ut patet ex Genesis 20. *Morieris propter mulierem, quam tulisti, & ipsa habet virum*: idest, *habet enim virum*. Isaiæ 64. *Tu iratus es, & peccavimus*, quo quidem in loco conjunctiva, ET, pro causali, QUIA, ponitur. Præterea si hæc Scripturæ verba, *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, ad panis, & vini prolationem non referrentur, idest si rationem non continerent, propter quam Melchisedech panem, & vinum protulit ad subsequentia verba, *Benedixit ei*, referrentur, huncque, quem Calvinus finxit, redderent sensum, *Et erat* (seu cum esset) *Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*. Sed præterquam quod e veteribus nullus sic reddiderit inanis fuisset ea ratio, petita ex Sacerdotio, cum sacri Codices fidem faciant non Sacerdotes modo, sed etiam Principes, utpote majores, benedictionem impertitos fuisse; quippe quod Salomon 3. Regum 8. benedixerit populo. Idem antea præstiterat David 2. Regum 6. Idem quoque multo antea Josue cap. 8. & 22. Unde Apostolus ex benedictione, quam Melchisedech Abrahæ impertitus est, non conclusit Melchisedech extitisse

Sa-

Sacerdotem, sed hoc aliud, ipsum nempe Abrahamo fuisse majorem: *Sint autem ulla contradictione quod minus est, a meliore benedicitur.*

3. Tota veterum Patrum traditio panis, & vini prolationem a Melchisedech factam, de prolatione ad sacrificium, seu de oblatione Deo exhibita intellexit. *Melchisedech* (inquit Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum non procul a fine) *Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, qui vinum, & panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ*. Panis a Regibus non sanctificatur, sed a Sacerdotibus tantum, ipsum igitur Melchisedech, Sacerdotis nomine protulit. Panis sanctificatus non datur in ventris alimentum; ipsum igitur Melchisedech Abrahamo, & ejus copiis porrexit, tamquam oblati sacrificii reliquias; Ea erant panis, & vinum, quæ Melchisedech protulit, ut essent Eucharistiæ typus. Igitur non erant quid prophanum, quo (ut adversariis placet) Abrahami milites refocillarentur.

Cyprianus in Epistol. ad Cæciliom tria asserit, quibus hactenus dicta clarissime confirmentur; Expresse nimirum testatur oblata fuisse a Melchisedech panem & vinum; Contestatur virum illum sanctissimum in ea oblatione gessisse se, tamquam Sacerdotem; Contendit ejusmodi oblatione mysticum Christi sacrificium, quod Ecclesia offert in pane, & vino, ad vivum adumbratum fuisse: *In Sacerdote* (inquit) *Melchisedech sacrificii Domini Sacramentum videmus:* Cujus vero sacrificii? an ejus, quod oblatum est in cruce? minime gentium, sed illius, quod in pane, & vino oblatum est in cœna, quodque nunc in Ecclesia consecratur: *Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, procedit ante imago sacrificii Christi, in pane, & vino scilicet constituta, quam rem perficiens, & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.*

Cypriano concinit Eusebius Cæsariensis lib. 5. de Demonstratione Evangelica. Eo scilicet loci nititur prolatis a Melchisedech pane, & vino, ut probet præfiguratum fuisse Christianorum sacrificium multo ante quam institueretur, indeque concludit, Divinam esse religionem Christianam, per cujus mysteria tam accurate prophetarum oracula completa fuerint: *Et sane* (inquit cap. 3.) *oraculi exitus admirabilis ei qui complectur: Quemadmodum Salvator noster Jesus qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille qui Sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: Ita sane primus ipse Salvator, ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt Sacerdotes, in omnibus gentibus spiritnale secundum Ecclesiasticas sanctiones Sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane corporis illius, & salutaris sanguinis mysteria repræsentant, quæ sane mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat.* Melchisedech igitur, ex Eusebio, functus est Sacerdotio cum panem & vinum protulit; Igitur ex eodem authore, Christus Sacerdotale munus obiit, cum consecravit panem, & vinum in ultima cum discipulis cœna; Igitur eodem munere Sacerdotes funguntur cum in panis & vini speciebus, Corporis & Sanguinis Christi mysteria repræsentant. Igitur, ex eodem scriptore, in Ecclesia Catholica, verum per Eucharistiæ celebrationem Deo sacrificium offertur.

S. Ambrosius (aut saltem illi æqualis author librorum de Sacramentis qui Ambrosii nomine inscribuntur) expresse docet oblatum fuisse a Melchisedech sacrificium in pane & vino: *Cognovimus* (inquit lib. 5. cap. 1.) *Sacramentorum istorum figuram, Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium S. Melchisedech.* Hæc addit paulo post: *Diximus quod in altari constituatur calix & panis, in calice mittitur vinum, & quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis; Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? quid sibi vult admixtio aquæ?*

Hæc etiam ait idem Ambrosius lib. 5. de Sacram. *Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? quid sibi vult admixtio aquæ?*

S. Hieronymus non minus aperte quam cæteri Patres qui præcesserant, panem a Melchisedech prolatum explicat de oblatione qua tunc Eucharistiæ sacrificium adumbratum fuerit: *Recurre* (inquit in Epist. ad Marcellam) *ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem hujus principem invenies civitatis, qui iam tunc in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum Salvatoris Sanguine & Corpore dedicavit.*

Innumera sunt apud Augustinum loca quibus clare observatur Melchisedech Deo Summo panem, & vinum in Sacrificium obtulisse, cujus quidem mysterii Abrahamum participem reddiderit, & quo aliud Dominicæ nimirum cœnæ sacrificium adumbrarit: *Dominus noster Jesus Christus* (inquit libro 83. quæstionum, quæst. 61.) *ostenditur Rex noster: Ipse est etiam Sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, & ejus sacrificii similitudinem celebrandam in sua passionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchisedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.*

Objicies 1. In Codice Regio, Septuaginta pro *Obtulit*, habent, *Protulit*, idest Abrahæ panem & vinum porrexit.

Resp. 1. verbum, *Proferre*, plerumque sumi pro *ponere supra*; si vero sic Genesis 14. sumatur, vim habebit eamdem ac *Obtulit*, proindeque sensus erit Melchisedech altari panem, & vinum imposuisse quo Deo per eorum oblationem gratias rependeret pro victoria quam Abrahamus ex hostibus retulerat. 2. Cyprianus, Eusebius, Augustinus, Hieronymus, ut ex locis jam laudatis patet, verbum *protulit* per *obtulit* reddiderunt. 3. Dato quod verbum *Protulit*, distributionem significet, nihil inde tamen adversarii conficient, siquidem Melchisedech peracto sacrificio, idest juxta morem sacrificiorum pacificorum, panis parte cremata & vini parte libata, quo profiteretur summum Dei in creaturas omnes dominium, quod supererat sanctificati panis & sanctificati vini Abrahæ, & copiis ejus protulit ut epularentur. Quippiam simile postea a Davide factitatum est lib. 1. Paralipom. cap. 16. ubi dicitur pacifica & holocausta obtulisse, benedixisse populo & divisisse universis per singulos a viro usque ad mulierem, tortam panis, & partem assæ carnis, bubulæ & similam frixam oleo.

Objicies 2 Apostolus ad Hebræos 7. accurate exponit omnem analogiam quæ Melchisedech inter & Christum reperitur, istius tamen, quod panis & vinum quæ obtulerit, typus fuerint sacrificii Missæ, nequaquam meminit, eam tamen eum tanti sit momenti, alioquin non prætermissurus is qui minima quæque excussit.

Resp. 1. ideo Paulum analogiæ de qua est quæstio, non meminisse quod nihil ad ejus scopum conferret. Hoc unum eo in capite probandum sibi Apostolus proposuerat, nempe Christi Sacerdotium multo præstantius esse Aaronico Sacerdotio. Id vero Paulus tribus argumentis exequitur quibus Levitas de suo Sacerdotio sese plus æquo efferentes comprimit. Prima Apostoli ratio ex eo desumitur quod Abrahæ ac proinde Aaroni in illius lombis concluso benedixerit. *Sine autem ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicitur.* Altera ex eo petitur, quod Melchisedech ab Abrahamo atque ita ab Aarone decimas acceperit: *Per Abraham & Levi, qui decimas accepit,* (Aaron) *decimatus est, adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.* Tertia tandem sumitur ex eo, quod quamdam æternitatem Melchisedech habuisse videatur, cum in Scripturis altissimum sit de illius progenitoribus silentium, e contra Aaronici Sacerdotes ut homines mortales recenseantur, eorum enim parentes enarrantur: *Sine patre, Sine matre, Sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in æternum.* Quarta ratio petita ex pane & vino quæ Melchisedech protulit, aut ad Melchisedech, aut ad Christi excellentiam, saltem perspicue, non contulisset, quid mirum igitur, si ab Apostolo prætermissa sit.

Resp. 2. dedita opera Paulum siluisse de panis & vini sacrificio quod Melchisedech obtulit. Nam scribe-

bebat ad Judæos, qui aut nondum Christianæ religioni dederant nomen, aut ad eos, qui mysteris nostris jam essent initiati. Si primum, par non fuit ut de sacrificio loqueretur, quod infidelium captum omnino superat; satis fuit ut illud indicaret subobscure, ut subindicavit revera cap. 5. cum hæc ait: *De quo* (Melchisedech) *grandis nobis sermo, & interpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Et sane cum Paulus omnia explicuerit, quæ de Melchisedech in Genesi dicuntur, excepta oblatione panis & vini, non videtur posse dubitari, quin ea quæ mox relata est, sententia illam subintellectam esse voluerit. Si secundum, id est, si Judæis ad fidem conversis in Epistola, quæ Ad Hebræos inscribitur, locutus sit; par quoque non fuit, ut Eucharistiæ mysterium panderet; quippe quod sperarit fore, ut a Judæis adhuc Judaismum profitentibus eadem Epistola legeretur, quo persuaderentur Christum vere esse filium Dei ac proinde audiendum esse tamquam Doctorem, cui universus orbis parere debeat.

Objicies 3. Non valent argumenta, quæ e figuris pro dogmatis stabiliendis proferuntur, si ratio qua figura cum veritate cohæreat, in Scripturis explicata non sit. Ergo cum Scriptura siluerit de comparatione panis & vini, quæ Melchisedech protulit, immerito ex ea colligitur argumentum, quo probetur Christum, dum Eucharistiam consecravit, verum obtulisse sacrificium.

Resp. antecedens esse verum in iis figuris, quas nec Scriptura nec Patres exposuerunt. At Sacerdotii Melchisedech cum Sacerdotio Christi similitudinem petitam ex pane & vino quæ protulit, & Scriptura & Patres exposuerunt, Scriptura quidem ubi asserit Christum esse Sacerdotem *secundum ordinem Melchisedech*, ea enim loquendi ratione significatum vult esse quidpiam Christum inter & Melchisedech peculiare; id vero non est quod ejus genealogia in Scripturis prætermissa sit, cum id quoque conveniat sancto Job, quem Scriptura testatur plura obtulisse sacrificia; Non est etiam quod Melchisedech unctus non fuerit oleo materiali, ut Aaronici Sacerdotes, quippe quod Abel nullo quoque perfusus sit. Non est etiam quod Melchisedech decimæ persolutæ fuerint; acceptæ scilicet quoque fuerunt ab Aaronicis Sacerdotibus; id igitur singulare est in Christo & Melchisedech, quod uterque solum panem & vinum ad sacrificandum adhibuerit, nam Sacerdotes Aaronici cum offerebant panem, plerumque cum eo immolabant animalia. Patres (ut supra ostensum est) apertis terminis asserverunt in hoc Christum & Melchisedech convenire, quod in utriusque sacrificio solus panis, & solum vinum adhibita fuerint.

§. II.

Utrum ex Malachia demonstrari possit Eucharistiam esse verum Sacrificium.

Conclusio. Ex Malachia demonstrari potest Eucharistiam esse verum sacrificium.

Probatur. Malachiæ cap. 1. sic Deus loquens inducitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quo quidem in loco tria nos Malachias edocet. Primum, Deum antiquæ legis sacrificia repudiaturum esse. Secundum, Institutum iri in nova lege alterum sacrificium ex hostia pura & sancta. Tertium, alterum illud sacrificium in toto terrarum orbe offerendum esse. Atqui tria illa uni Eucharistiæ conveniunt. Ergo ex Malachia, Eucharistia est vere & proprie sacrificium novæ legis.

Major syllogismi propositio ex ipso Prophetæ contextu evidens est. Minor vero, in quam vertitur difficultatis cardo, sic ostenditur. Sacrificium, quod prædicitur a Malachia, non est cruentum sacrificium quod in cruce Christus obtulit, cum ejusmodi sacrificium non offeratur realiter omni in loco, sed semel tantum Hierosolymis oblatum sit a Christo; nec sufficit ad implendum Prophetæ vaticinium, quod ubique spiritualiter offeratur; Nam sic oblatum, non est novum sacrificium, cum in ipso etiam naturæ & legis statu sic, seu spiritualiter, a viris piis & antiquis prophetis oblatum sit. Sacrificium, de quo Malachias vaticinatur, non est sacrificium laudis & orationis, tum quod ejusmodi sacrificia pios apud homines, legis tempore essent in usu, proindeque non debebant Aaronicis succedere; tum etiam quod sacrificium, de quo est quæstio, sit oblatio munda. At in Sectariorum (saltem Calvinistarum) systemate, preces, aliaque pietatis opera nihil nisi inquinamenta sunt & sordes, quæ si sua dignitate pensentur, nihil præter pœnam merentur; tum quod laudis sacrificia, non simpliciter, sed cum addito, sacrificia in Scripturis appellentur: *Sacrificium laudis honorificabit me*: tum denique quod vox Hæbrea, *Mincha*, qua Malachias usus est, oblationem sensibilem significet, oblationem nimirum farinæ & panis, quam oleum, thus & sal comitabantur. Ergo illud sacrificium, de quo Propheta vaticinatur, unum est Eucharistiæ sacrificium.

Probatur 2. conclusio authoritate Patrum, qui Malachiæ textum, de quo agitur, de Eucharistia unanimi consensu ab ipsis Ecclesiæ incunabulis interpretati sunt.

S. Justinus Martyr, qui altero Ecclesiæ sæculo vixit, sic in Dialogo cum Triphone Judæo loquitur: *De sacrificiis a vobis tum oblatis Deus*, (*sicut supra dixit*) *per Malachiam unum ex duodecim* (Minoribus Prophetis) *ait*, *Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus exercituum &c. De nostris vero gentium quæ in omni loco offerantur sacrificiis, hoc est pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ jam tum locutus, prædixit nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem prophanare.* Ex iis verbis patet S. Justinum appellare Eucharistiam *Sacrificium*, docere ipsummet esse sacrificium, de quo Malachias vaticinatus est, asserere illud sacrificium esse, *novum*, seu in veteri lege nusquam fuisse Deo exhibitum.

Irenæus Lugdunensis Archiepiscopus, & Martyr eadem ratione, qua Justinus Malachiæ vaticinium interpretatur: *Eum* (inquit S. Præsul libro 4. adversus hæreses capite 32.) *qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit dicens, Hoc est copus meum & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam obtulit oblationem; quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias præsignavit; Non est mihi voluntas in vobis &c... Manifestissime significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo.* In eum S. Martyris textum observare est 1. asseri Christum panem & vinum *obtulisse* in ultima cum discipulis cœna. 2. idem nunc in orbe terrarum fieri, quod tunc Christus peregit. 3. de eadem Eucharistia vaticinatum fuisse Malachiam.

Tertullianus libro 3. contra Marcionem, de Eucharistia Malachiæ vaticinium interpretatur: *In omni loco* (inquit) *offertur sacrificium nomini meo & sacrificium purum, gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni, quæ omnia cum in te deprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum Sacramenta, & mundities sacrificiorum, debes jam erumpere ut dicas spiritum creatoris tuo Christo prophetasse.* Ab omni ævo hymni, orationes laudis, gratiarum actiones ante Eucharistiæ confectionem a Christianis adhibita sunt, ut videre est tum in Justini Martyris Apologia secunda, tum in antiquissimis liturgiis; Hymnos vero hujusmodi, orationem laudis & gratiarum actionem persolvi (ut prædictum fuerat a Malachia) docet Tertullianus, *Sacrificium purum, gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni*: Preces subsequitur ipsa sacrificii seu mundæ oblationis celebratio, quam idem Tertullianus hisce verbis, *Munditiem sacrificiorum* designat. Cum enim eam sacrificiorum munditiem, de qua loquitur, hymnis & rationibus opponat, necessa est, ut quidpiam sit ab eis distinctum, ac proinde ipsummet sit Eucharistiæ sacrificium,

Augustinus lib. 18. sed civit. Dei cap. 35. hæc habet, quibus omnia adverariorum effugia præcluduntur: *Hoc sacrificium per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech, cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo*

jam

jam videant offerri; sacrificium Judæorum de quibus dictum est : Non est mihi voluntas in vobis , jam cessasse negare non possunt , aut alium Christum expectant . De sacrificio visibili distincto a sacrificio crucis loquitur Augustinus, cum asserat eum offerri non ab omnibus Christianis , sed tantum a Sacerdotibus proprie dictis , seu qui secundum ordinem Melchisedech consecrati fuerint.

S. Joannes Chrysostomus idem antea in Oriente docuerat quod postea Augustinus in Occidente ; ubi in Comment. Ps. 95. Malachiæ vaticinium protulit . aperte profitetur vatem de Eucharistia locutum fuisse , ipsamque ait esse incruentum sacrificium , cujus oblationem preces subsequuntur : *Vide* (inquit) *quam luculenter atque dilucide mysticam interpretatus est mensam , quæ est incruenta hostia. Thymiama autem purum vocat sacras preces , quæ post hostiam offeruntur* . Prophetiam Malachiæ de precibus tantum , aut de sacrificio , quod oblatum est in cruce , Chrisostomus cum iis quos repugnamus , nequaquam interpretatur , sed de incruenta hostia quæ in sacra mensa , seu in altari, immoletur de Ecclesia.

Tot tantorumque testium nubes invictissime demonstrat , Apostolos Malachiæ vaticinium de quo est hic quæstio , de Eucharistia intellexisse ; non ab aliis enim quam a primis Apostolorum discipulis Justinus , & Irenæus doctrinam illam haurire potuerunt , ii vero discipuli ab ipsismet Apostolis eam docti sunt , Apostoli autem ab ipsomet Spiritu sancto . Si explicatio , quam protulimus , humanum esset figmentum , qua ratione primas tum Orientis tum Occidentis Ecclesias continua ad Lutheranos , & Calvinistas usque successione , pervasisset . Hic adversarii verissima hac Tertulliani sententia libro 4. contra Marcionem compellari possunt : *In summa , si constat id verius quod prius , id prius quod & ab initio , ab initio quod ab Apostolis , pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum* . Si ad id decimo sexto sæculo attendissent adversarii , nusquam convitiati fuissent sacræ Tridentinæ Synodo , quod Sess. 22. cap. 1. sic de Eucharistia locuta sit : *Et hæc quidem illa munda oblatio est quæ nulla indignitate , aut malitia offerentium inquinari potest , quam Dominus per Malachiam nomini suo , quod magnum futurum esset in gentibus , in omni loco offerendum prædixit* .

Objicies 1. Justinus in Dialogo cum Tryphone , recitato Malachiæ vaticinio , asserit Eucharistiam de qua illud intelligit , esse memoriam Passionis Domini , & actionem gratiarum. 2. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem asserit simplicem orationem esse sacrificium spirituale , de quo Malachias vaticinatus est . 3. Chrysostomus homil. 2. contra Judæos , ubi Malachiæ verba protulit , explicuitque de Eucharistia , subjicit Eucharistiam esse sacrificium spiritnale , & in hoc a Judaicis differre. Ergo Patres Malachiæ vaticinium , non de sacrificio sensibili , sed spirituali tantum interpretati sunt .

Resp. ad primum , Justinum , ubi ipsam Eucharistiæ sacrificii veritatem adstruxit ex Malachia , recensere finem propter quam offertur , in memoriam scilicet Dominicæ passionis , & in gratiarum actionem de innumeris Christi in nos beneficiis : *Porro* (inquit agens contra Tryphonem qui Malachiam interpretabatur de precibus Judæorum , non qui Hierosolymis essent , sed in dispersione gentium) *supplicationes simul , & gratiarum actiones , quæ a dignis peraguntur , solas perfectas esse , & Deo caras victimas , ipse quoque affirmaverim . Has vero sola facere Christianis didicerunt in ipsius etiam alimoniæ suæ recordatione , aridæ juxta , & liquidæ , in qua passionis , quam pertulit propter ipsos Deus , Dei meminit* .

Resp. ad secundum , Tertullianum , ubi *Sacrificium* nominat , non exponere testimonium Malachiæ per orationem , sed tantum ubi nominat *incensum* , quæ quidem vox (ait Bellarminus) in Græco , & in Hebræo textu a sacrificio distinguitur : *Incensum offertur nomini meo , & sacrificium mundum* . Ita ut ex Tertulliano Malachias Christianum puras orationes , & sacrificium mundum , seu Eucharistiam , ubique oblaturum prædixerit .

Duplex illud sacrificii genus , orationis nempe , & Eucharistiæ , clare post Tertullianum aliquibus post sæculis distinxit Gregorius Nazianzenus in Orat. 1. Apolog. in qua rationem reddit cur abdicarit se Episcopatu : *Cum hæc igitur nossem* (ait) *& illud præterea , neminem dignum esse magno Deo , & Sacrificio , & Pontifice , nisi qui se ipsum prius obtulerit Deo hostiam viventem , Deoque sacrificium laudis immolarit , & spiritum contritum , quod solum a nobis omnium sacrificium postulat ; quonam pacto sacrificium illud externum , magnorumque Mysteriorum Antitypoa habens offerre ipsi , non metuerem , aut quomodo Sacerdotis habitum , & nomen subirem , antequam sanctis operibus manus consecrassem* .

Resp. ad tertium , Eucharistiam dici sacrificium spirituale 1. quod hostiam contineat quæ sub panis , & vini speciebus realiter quidem , sed spirituali modo existit , 2. quod spirituali virtute Spiritus sancti , Christus in ea præsens sistatur . 3. quod victima spiritualiter immoletur , vi scilicet verborum solum corpus sub speciebus panis , & solus sanguis sub speciebus vini ponuntur .

§. III.

Utrum ex novo Testamento probari possit Eucharistiam esse verum sacrificium ?

Conclusio. Ex novo Testamento probari potest Eucharistiam esse verum sacrificium .

Probatur 1. ex locis in quibus enarratur Eucharistiæ institutio . Forma per quam Christus panem consecravit , apud Lucam præsentis est temporis : *Hoc est corpus meum , quod pro vobis datur* , vel (ut habetur in Græco textu 1. ad Corinth. xt.) *Quod pro vobis frangitur* . In forma per quam vinum consecratum fuit , verbum in eodem Græco textu est quoque præsentis temporis apud Lucam cap. 22. *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo , qui* (calix) *pro vobis funditur* ; addit vero Matthæus . *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* . Illa fractio , illa effusio non intelliguntur de pane fracto , & vino effuso ad manducandum , & bibendum , cum Matthæus referat fractum panem , & vinum effusum non pro Apostolis tantum , sed etiam pro aliis multis qui non aderant , & quidem in remissionem peccatorum . Ergo intelliguntur de fractione , & de effusione ad sacrificium . Tunc igitur Christus verum obtulit sacrificium ; Verum igitur offert Ecclesia dum Eucharistiam conficit cum id agat , quod Christus in ultima cœna peregit .

Nec est quod adversarii respondeant , verba quæ in Græco sunt præsentis temporis , sumi posse pro futuro , ut in vulgata editione leguntur apud Paulum , & apud Matthæum , sicque non significare fractionem , non effusionem , quæ in ultima cœna factæ fuerint , sed quæ non multo post fieri debebant in cruce . Nam 1. licet in Scripturis nonnumquam præsens , imo & preteritum pro futuro sumantur , ut patet in hac sententia , *Agnus occisus est ab origine mundi* , tamen adversarii nullo Scripturæ textu nituntur , ut hoc in capite utantur hujusmodi regula , cum editionis vulgatæ , ipsorum principiis nulla debeat haberi ratio . 2. Verba futuri temporis , quæ habentur in vulgata referri possunt ad effusionem , & fractionem mysticam in sacrificio frequentandam ab Ecclesia quæ tunc , juxta Chrysostomum , ipsum Christum deinceps offerre jussa est . *Pro brutorum cæde* (inquit Hom. 24. in priorem ad Corinth.) *se ipsum offerendum præcipit* . 3. Pronomen relativum , *Qui* , in forma calicis ad sanguinem non refertur , sed ad calicem , ut ex Græco Lucæ textu evidens est : Calix autem in cruce fusus non est . Lucas igitur locutus est de effusione , quæ in cœna facta fuerit .

Probatur 2. ex primæ ad Corinth. 10. ubi sic Apostolus loquitur : *Fugite ab Idolorum cultura . Ut prudentibus loquor : vos ipsi judicate quod dico . Calix benedictionis cui benedicimus , nonne communicatio Sanguinis Domini est ? & panis quem frangimus , nonne participatio corporis Domini est ? ... Videte Israel secundum carnem , nonne qui edunt hostias , participes sunt altaris ? Quid ergo ? dico quod idolis immolatum sit aliquid , aut quod idolum sit aliquid ? Sed quæ immolant gentes dæmoniis immolant , & non Deo : nolo autem vos socios fieri dæmoniorum . Non potestis calicem Domini bibere , & calicem dæmoniorum . Non potestis mensæ Domini participes esse , & mensæ dæmoniorum* .

Ex

Ex eo textu multiplex argumentum conficitur. 1. Eo loci Apostolus mensam Domini comparat cum mensa Gentilium, & Judæorum. Ergo quemadmodum per Gentilium, & Judæorum mensam intellexit alrare in quo victimæ immolabantur; ita & per Christi mensam intellexit altare in quo Christus immoletur, ac proinde in quo offeratur in sacrificium. 2. Idem Apostolus asserit Christianos eodem modo e mansa Domini sumere Christi corpus, & sanguinem quo Gentiles, & Judæi e suis altaribus sumebant hostias. Ergo cum gentiles, & Judæi hostias sumerent tamquam oblatas in sacrificium: ita Christiani, corpus, & sanguinem Christi, ex ejus mensa sumunt, tamquam quæ in sacrificium oblata sint. 3. Paulus fidelium cum Christo societatem comparat cum societate Gentilium cum suis Idolis. Ergo quemadmodum rei sunt idololatriæ, quod idolorum altaribus communicent, ita Christiani Latriam Deo exhibent, quod altari communicent, seu in Christi oblationem consentiant.

Ex his patet adversarios immerito sacrum Concilium Tridentinum traducere, quod explicatam hactenus Apostoli sententiam adhibuerit, quo Eucharistici sacrificii veritatem probaret. *Quam* (inquit Sess. 22. cap. 1. mundam oblationem, de qua Malachias vaticinatus est). *non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens cum dicit, non posse eos qui participatione mensæ demoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri, per mensam utrobique altare intelligens.*

Probatur 3. ex Actis Apostolorum capite 13. hæc habentur de ordinatione Pauli, & Barnabæ: *Ministrantibus illis Domino, & jejunantibus dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Atqui ministerium quod tunc exhibebant Apostoli, non aliud erat quam sacrificium quod offerebant. Idque ostenditur 1. ex verbo Græco *Liturgia*, quo Lucas nusquam usus est, nisi ut sacrificium exprimeret, ut patet ex Lucæ primo capite ubi de Zachariæ Sacerdotis ministerio loquitur. 2. Non potest intelligi de docendi officio cui tunc (ut adversariis placet) Apostoli darent operam: Ut quid enim jejunium cum docendi officio Lucas conjunxisset, quippe quod Apostoli licet non jejunarent, passim tamen docebant. Lucas igitur per hanc vocem, *Ministrantibus*, intelligit ministerium singulare ac ritum peculiarem, quibus Apostoli ad Dei Spiritum advocandum, cum jejunio se se disponerent. Illud vero ministerium singulare, ille ritus peculiaris, & sacer ipsummet est sacrificium, unde Erasmus vertit *Sacrificantibus autem illis*.

Confirmatur ex eo, quod traditione primorum Christianorum ad nos usque perseverante doceamur, sacrificii administrationem, liturgiarum nomine fuisse nuncupatam, ut hac enumeratione probat Claudius De Saintes in præfatione ad Basilii, & Chrysostomi liturgias. Hæc habet canon 28. ex iis, qui Apostolis tribuuntur. *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus ob manifesta crimina juste dispositus, ausus fuerit, ἅψασθαι τῆς ποτὲ ἐγχειρισθείσης αὐτῷ λειτουργίας, contingere suam de sacrificio administrationem, deponitur*, hoc pacto genus illud dicendi ex Apostolis per patres Gangrensis Concilii repetitum est. *Presbyteros qui matrimonia contraxerunt sperni debere dicunt, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ γινομένων μὴ ἀπτέσθαι, nec sacrificia, quæ ab eis conficiuntur attingi.*

Jacobus Missam suam, Chrysostomus, Basilius, atque alii rem divinam tractarunt: *Liturgiarum* vocabulo expresserunt. Quoties de sacro hoc ministerio habetur oratio, patres nullius nominis frequentius quam, Liturgias, meminerunt. Ignatius ad Trallianos Cap. 4. diaconos ad Angelorum exemplar huic sacrificio quasi Deo in cœlis λειτουργοῦντας τὴν λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον inservire pure, & immaculate, ostendit. Ita quoque patres Gangrensis Synodi: *Si quis existimat de presbytero, qui aliquando uxorem duxerit*, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν. *Id est quod non oporteat sacrificante ipsius oblationi communicare, anathema sit.* Multa hujus generis occurrunt, quæ in legendis veteribus observabit Christianus. Post hunc potissimum significatum novimus nostros per λειτουργεῖν & per λειτουργίαν, non tantum sacrificium faciendi munus complexos fuisse, sed omnia, ad quæ constituitur omnis Pontifex, ut offerat dona ac sacrificia atque omnem cultum Deo pro populo: cujusmodi sunt etiam preces statis horis publicæ, quas vocamus Horarias, Sacramentorum ministeria atque alia: ita ut totum contineatur sacrum, quod vulgo dicitur Officium, sed maxime ut rem sacrificii attingit, & ad illud refertur: sic enim apud Gregorium Nazianzenum est: *Si cuncti ad sacerdotii principatum aspirent, ac nemo subjici sustineat, æque confusum erit, ut si omnes τὴν εἴτε λειτουργίαν χρὴ λέγειν εἴτε ἡγεμονίαν, sive ministerium, sive principatum vocemus, detrectaverint. Sic enim maxima ex parte claudicabit, & jam non amplius honestatem suam honesta Ecclesiæ consuetudo retinebit. Quo facto quomodo posthac aut a quibus coletur Deus, aut ea quæ mystica sunt ac sursum ad cœlestia ducunt, dispensabuntur non existente rege, non principe, non sacerdotio, non sacrificio, non existentibus omnibus, quorum olim tamquam maximorum bonorum privatione propter gravia scelera immorigeri puniti sunt, ac damnati. Sic* (Ancyranum Concilium:) *Presbyteros, qui immolaverunt, &c. placuit honorem sedis retinere. Offerre autem, & sermonem apud populum facere, ἢ ὅλως λειτουργεῖν, idest, aut aliquibus sacerdotum officiis fungi non liceat.* Novimus etiam non ad solos sacerdotes λειτουργεῖν in hoc sensu pertinere, sed ad omnes ordines, qui ad sactum ministerium consecrati publice sunt, & addicti, interim cum id ingenue fateamur, impii sunt, qui suo more inde sublatum volunt præcipuum significatum, quia ad alia possit transferri. Hactenus laudatus author.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum ex traditione demonstrari possit Eucharistiam esse verum sacrificium?

Conclusio. Ex traditione demonstrari potest Eucharistiam esse verum sacrificium.

Probatur. Ecclesiæ traditio Conciliis & SS. Patrum sententiis continetur. Sed ex utroque capite demonstrari potest Eucharistiam esse verum sacrificium. Ergo &c.

1. Aperta sunt quæ ex Conciliis petuntur testimonia. Nicoena prima Synodus Oecumenica hæc habet can. 18 ex interpretatione Dionysii Exigui: *Pervenit ad sanctum magnumque Concilium, quod in quibusdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ Communionis diaconi porrigant; quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non, & illud innotuit quod quidam diaconi ante Episcopos sacra oblata contingant: Hæc igitur omnia resecentur, & in sua diaconi mensura permaneant.* Eo canone vetantur diaconi ne deinceps audeant Christi corpus Presbyteris concelebrantibus dispensare, ut arrogarant sibi; nititur vero ea prohibitio quod Presbyteris non autem Diaconis conveniat potestas Eucharistiam offerendi: Supponit igitur Synodus Eucharistiam esse verum sacrificium, cum sacrificium in eo positum sit quod in Eucharistia Christi corpus offeratur. Causantur adversarii Melchisedech non obtulisse in sacrificium panem, & vinum quæ Abrahamo reverenti ex prælio porrexit, quod Scriptura (inquiunt) non asserat Melchisedech *obtulisse* panem, & vinum, sed *protulisse*. Ergo Nicænum canonem in quo verbum *offero* sæpius repetitur, de vero sacrificio intelligere tenentur, si non velint loqui pugnantia.

Concilium Ephesinum primum in declaratione XI. Anathematismi 11. hæc habet quæ effugia omnia præcludunt. *Sanctum ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis peragimus sacrificium, Corpus quod proponitur, similiter, & pretiosum Sanguinem non communis, nobisque similis hominis cujuspiam esse credentes, sed potius tamquam proprium corpus effectum, & sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat.* Utitur sacra Synodus *Sacrificii* nomine, atque ipsum in eo positum esse, quod corpus, & sanguis Christi proponantur, seu reddantur præsentia, & offerantur. Asserit *incruentum* esse illud sacrificium, quod non materiali quidem gladio, sed spirituali, Christi nimirum verbis, peragatur.

Synodus Chalcedonensis Oecumen. non minus aperte

te Ecclesiæ fidei de Encharistiæ sacrificio patrocinatur. Ischyrion Alexandrinæ Ecclesiæ diaconus in libello quem Concilii Patribus adversus Dioscorum Alexandrinum Patriarcham obtulit, conquestus est quod præ viri avaritia incruentum sacrificium in Libyæ partibus aliquandiu oblarum non fuisset: *Tanta autem* (inquit) *perpetrare ausus est, ut etiam & frumentum, quod a piissimis nostris Imperatoribus Ecclesiis Libyæ propter ariditatem illius provinciæ, & quia ibi omnino triticum non nascitur, præstitum est, in primis quidem ut* INCRUENTA EX IPSO HOSTIA OFFERATUR, *deinde ut & peregrini, necnon etiam & Provinciales pauperes aliquod mereantur solatium, non permitteret suscipere sanctissimos Episcopos illius provinciæ; sed adæraret, & coemeret memoratum frumentum largissimis pecuniis, ipsum vero in tempore famis, gravissimis æstimationibus venundaret*: ET EX HOC NEQUE TERRIBILE, ET INCRUENTUM SACRIFICIUM CELEBRATUM EST. Eo in libello omnes termini reperiuntur, quibus in Concilio Tridentino Ecclesia Romana suam fidem expressit, & quos horreut adversarii: *Incruenta hostia, Terribile, & incruentum sacrificium, Offerre, Celebrare*. Ischyrion igitur ac proinde toti Synodo persuasum erat Eucharistiam verum esse sacrificium.

Apertissima est etiam sententia Concilii Toletani XII. habiti anno 681. *Relatum nobis est* (inquit can. 5.) *quosdam de Sacerdotibus non toi vicibus Communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre: sed in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a Communione suspendant, & in sola tantum extremi sacrificii oblatione Communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi non sit toties illi* VERO ET SINGULARI SACRIFICIO PARTICIPANDUM, QUOTIES CORPORIS, ET SANGUINIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI IMMOLATIO FACTA CONSTITERIT. *Nam ecce Apostolis dicit: Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris. Certum est quod hi qui* SACRIFICANTES *non edunt rei sunt Dominici sanguinis. Quicumque ergo &c.... Nam quale erit* ILLUD SACRIFICIUM CUI NEC IPSE SACRIFICANS PARTICIPASSE COGNOSCITUR.

Adversarii detorqueant, si possint, eum canonem ad sacrificium aut laudis, cujusmodi est simplex oratio, aut crucis quod Christus quondam visibiliter obtulit. Appellent, si velint *metaphoricum sacrificium*, ritum quem Synodus *verum sacrificium* nominat. Asserant, si lubet, a sacerdotibus in Eucharistiæ celebratione *non immolari* Christi corpus, & sanguinem, quæ tamen Concilium testatur immolari. Contendant, si placet, iis (Sacerdotibus) non inesse *sacrificandi* potestatem quos Synodus *sacrificantes* appellat. Reponant (si ita videbitur) nihil esse, quod sacrificium redoleat in mysterio in quo Concilium deprehendit: *Hostiam, Immolationem, Ministros qui offerant, Altaria ubi oblatio celebretur; Oblatorum participationem ab iis qui obtulerunt*. Reponant tandem, si velint, Concilium Toletanum XII. non Oecumenicam, sed privatam Hispaniarum esse Synodum; Negate tamen non potuerunt eam Synodum expressisse omnium Hispanarum Ecclesiarum fidem, quippe quod 35. Episcopi Hispani ad eam convenissent. Insimulent, si placet, aut erroris aut ignaviæ cæteras totius orbis Ecclesias, quæ Patres Hispanos non arguerunt, quod tantam, ea adversariis, evomuissent blasphemiam, qua (ut ajunt) virtus crucis evacuetur, ac summa Christo injuria irrogetur.

2. Quod traditio circa Eucharistiæ sacrificium in Conciliis definiit, id Patres in omnibus orbis regionibus seorsim docuerunt.

Achajæ Presbyteri, qui descripsere S. Andreæ Apostoli martyrium; eum, cum urgeretur ut diis immolaret, in has erupisse voces referunt: *Ego omnipotenti Deo qui unus, & verus est* IMMOLO *quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem posteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus*. Sectarii actis hujusmodi detrahant fidem, si velint, hoc tamen nobis eripere non poterunt, in plerisque antiquissimis Ecclesiis publice perlecta fuisse, ac proinde illis Ecclesiis fuisse ratum, quod Eucharistia verum sit sacrificium.

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica meminit transmutationis quam Sacerdos in vino & pane per consecrationem operatur, ritum, quo immolatur hostia, incruentum cultum appellat, ipsam etiam sacrificii vocem adhibet, recenset finem, propter quem celebratur: *Dum benignissimum oramus* (inquit) *ut super illa proposita sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat Corpus Christi, vinum vero Sanguinem Christi. ... Deinde vero postquam confectum est illud spirituale Sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace.*

S. Augustinus serm. 11. de Sanctis hæc ait, quæ Eucharistici sacrificii, & veritatem, & virtutem confirment, *In altari Corpus Domini offertur, Sanguisque Christi pro peccatoribus effunditur*. Hæc quoque scribit Epist. 50. *Christus in altari jacere dicitur, utpote qui in ipso veluti mortuus exhibeatur.*

Basilio, Chrysostomo, & aliis qui Liturgias scripsere, persuasum fuit Eucharistiam esse verum sacrificium, quippe qui in iis liturgiis, oblationis, immolationis, sacrificii, sacerdotum, Altarium, sacrorum vasorum millies meminerint. Idem quoque ratum fuit toti Ecclesiæ, Græcæ, quæ a mille annis, & amplius ad earum liturgiarum normam Divinorum celebrationem exigit. Idem pariter crediderunt Latini, qui cum sacra obirent sæculis 8. 9. & 10. Ordine Romano utebantur.

3. In Patribus quoque qui liturgias non scripsere, nihil frequentius occurrit quam memoria Altarium, Sacerdotum, instrumentorum, quæ ad sacrificium requiruntur. S. Irenæus libro 4. adversus hæreses capite 34. agens de sacrificiis, & oblationibus, hæc ait: *Nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione*. S. Cyprianus ea omnia recenset in Epist. 66. quæ est ad Clerum, & Furnitanorum plebem: *Episcopi*, (inquit) *Antecessores nostri censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes, & Ministros voluerit avocare*. S. Optatus Milevitanus libro sexto ea iis quos contra Donatistas adornavit, sic loquitur: *Quid est tam sacrilegum quam Altaria Dei, in quibus aliquando, & vos obtulistis, frangere, radere, removere? in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus... Altaria (inquam) in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator poni, nisi quæ esseat de pace condita... Quid est enim Altare, nisi sedes & Corporis, & Sanguinis Christi?* S. Chrysostomus libro sexto de Sacerdotio, hæc ait: *Per id tempus* (quo liturgia celebratur) *& Angeli Sacerdoti assideat ... & locus Altari vicinus in illius honorem angelorum choris plenus est.*

Si Patres (ut adversariis placet) altaria, Sacrificia, Sacerdotes spiritualiter tantum intellexerint, cur sensum illum nusquam exposuere, cum aliunde persuasum eis fuerit, aut saltem esse debuerit, plerosque ea iis qui eorum scripta perlecturi essent, per altaria, sacrificia visibilia, Sacerdotium externum intellecturos esse. Præterea certo certius est Optatum, & Chrysostomum locutos fuisse de altaribus quæ essent externa. Ergo locuti sunt quoque de sacrificio externo; Exterius enim altare, & sacrificium visibile correlativa sunt. Nec obest quod ejusmodi *Altaria* nonnumquam *Mensam* appellent, nam cujusmodi sit ea mensa statim determinant, asserendo verum in eis offerri sacrificium, immolari Christi corpus, & sanguinem, & quidem non a promiscua plebe, cui ex Scriptura spirituale Sacerdotium convenit, sed a Sacerdotibus ad id muneris ordinatione visibili quam describunt, ordinatis. Supponant adversarii Patres, de quibus hactenus, fidem quam nunc Ecclesia Romana profitetur, professos fuisse, an clarioribus terminis uti potuissent ut verum, sensibile, externum sacrificium, in Eucharistia celebrari significarent.

4. Hic urgeri potest duplex argumentum petitum ex præscriptione, & ex omnium Ecclesiarum consensu, quod urgebamus in superiori dissertatione agentes de corporali præsentia Christi in Eucharistia. In confesso

est

est octavo seculo totam Ecclesiam Occidentalem credidisse Eucharistiam esse verum Sacrificium; Tunc enim eodem canone utebatur quo jam temporis utitur. Ergo prius eumdem articulum profitebatur; non enim assignari possunt authores qui novum (ut supponunt adversarii) dogma in Ecclesias invexerint; Determinari quoque non potest tempus, quo mutatio in re tanti momenti contigerit. Non est verisimile omnes orbis Episcopos sine ulla omnino contradictione admisisse canonem, qui apertam (ut inquiunt adversarii) hæresim contineret. Ergo quovis sæculo persuasum fuit fidelibus Eucharistiam verum esse sacrificium. Non Occidentales modo, sed etiam Orientales articulum, de quo est hic quæstio, profitentur. Enim vero post Photii tempora ab Occidentalibus non hauserunt, quippe quod ab eis schismate divisi fuerint. Ergo eum credebant antequam schisma fecissent; Qua quidem in suppositione redit argumentum, quod mox Latinorum respectu fuit propositum.

CAPUT TERTIUM.

Solvuntur argumenta, quæ sectarii adversus Eucharistici Sacrificii veritatem objiciunt.

OBjicies 1. Per sacrificium in pane & vino quod offertur in communione Romana, ei quod Christus obtulit in cruce, summa infertur injuria; perinde est enim ac si cruentum Christi sacrificium non fuisset satis ad humani generis redemptionem; quod quidem dogma tamquam maxime impium, Paulus ad Hebræos 10. his verbis proscribit: *In qua voluntate*(Patris æterni) *sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu semel. Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpe offerens hostias quæ numquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

Resp. sententia ex Paulo allata hoc unum probari, nempe, crucis sacrificium, de quo loquitur, ex se, idest quantum ad magnitudinem pretii, & quantum ad actionem cruentam per quam oblatum est, satis esse ad omnium hominum redemptionem, ita ut non sit opus, ut ad promerendas gratias, quibus homines ad salutem indigent, Christus aliud pretium offerat æterno Patri, aut secundam in cruce mortem patiatur: Et in hoc differt a Judaicis sacrificiis quæ tum ratione victimarum, quæ immolabantur, tum ratione actionis per quam fiebat ejusmodi immolatio, delendis peccatis imparia erant omnino: unde licet quotidie oblata, nusquam operabantur peccatorum remissionem: Sed laudata Apostoli sententia non evincitur oblatum semel in cruce sacrificium satis esse ad applicationem actualem redemptionis quam Christus per suam mortem quondam nobis promeritus est. Et sane si id ex divina Christi ordinatione sufficeret, frustra ipse Christus in cęlis nunc Dei vultui pro nobis apparet, idest incassum pro nobis offerret Patri mortem quam pertulit in cruce; frustra præcepisset ut initiaremur Sacramentis; frustra mandasset ut peccatorum veniam hac instituta ab ipso oratione, *Dimitte nobis debita nostra*, posceremus. Quemadmodum ergo preces quas Christus in cælis dirigit ad Deum patrem, populi fidelis orationes, Sacramentorum participatio nihil ex cruenti sacrificii virtute detrahunt; Ita nec quod offertur in Ecclesia, missæ sacrificium. E contra sicut per nostras orationes, per Christi preces in cęlis, per Sacramenta quibus initiamur, virtus, & efficacia sacrificii in cruce quondam oblati, tamquam per instrumenta quædam nobis applicantur ita; & per incruentum missæ sacrificium, cruenti virtus ad nos defluit. Hujusmodi responso lux affulgebit ex iis quæ de hujusce sacrificii virtute dicentur inferius.

Objicies 2. Christus non temporali, sed æterno fruitur Sacerdotio ut his verbis docet Paulus ad Hebræos 7. *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes; idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium.* Ergo nulli sunt Sacerdotes qui Christi Sacerdotio successerint, ac proinde nec qui verum in lege nova sacrificium offerre valeant.

Resp. argumentum esse de non supponente, quippe quod supponat eos qui Eucharistiam consecrant, Christi Sacerdotio succedere; Quod est falsum, cum successio in iis locum non habeat quæ perpetuo vigent, ut est Christi Sacerdotium. Verum licet Christus nullos habeat sui Sacerdotii successores, habet tamen ministros, juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ministros (inquam) qui illius vices in terris agant, quorum manibus, & ore seipsum hostiam viventem summus, & præcipuus Sacerdos offerat. Confirmatur responsio ex eo quod licet Christus unicus sit & æternus hominum Doctor, & pastor, *Nec vocemini magistri* (inquit ipse apud Matthæum cap. 23.) *unus est enim Magister vester*, alios tamen Doctores constituit, qui ejus nomine populum fidelem doceant, & pascant. Sed (ajunt adversarii) Apostolus excludit absolute multiplicationem Sacerdotum; Id quidem verum est si de Sacerdotibus intelligitur qui eadem dignitate, eadem potestate fruantur, non autem si de iis sit quæstio, qui ministeriale Sacerdotium exerceant.

Objicies 3. Sacrificium definitur, Oblatio rei sensibilis cum illius immutatione facta Deo, & legitima institutione in signum supremi illius in creata omnia dominii. Atqui hujusmodi definitio non convenit Eucharistię: Ergo non est verum legis novæ sacrificium.

Resp. neg. min. Nam 1. Corpus, & Sanguis Christi, non quidem per se, sed per panis, & vini species sensibus subjacent. 2. In Eucharistia reperitur hostiæ transmutatio, non quidem per mortem veram & realem, sed per mysticam, quæ nempe contingit vel per specierum consumptionem quæ fit a sacerdote, vel per hoc quod ex vi verborum per quæ oblata consecrantur, sanguis solus sub vini speciebus, & solum Corpus sub speciebus panis constituatur, quamvis per concomitantiam utrumque sit sub una tantum specie: satis vero est ad sacrificium ut ex vi actionis per quam fit, hostiæ sanguis effundi debeat, quamvis tamen actu non effundatur, Deo nimirum effusionem impediente, aut obsistente ipso hostiæ statu; Idque patet in Abrahamo, qui teste Chrysostomo, Isaacum vere in sacrificium obtulit, quamvis actu non fuderit illius sanguinem: *Abraham* (inquit Hom. 52. in Eustath. Antioch.) *non gladium cruentavit, non altare rubefecit, non Isaac jugulavit, sed tamen sacrificium perfecit? Quis hoc ait? ille ipse qui sacrificium suscepit. Non pepercisti enim* (inquit) *filio tuo dilecto propter me. Atqui vivum eum recepit, & incolumen reduxit: quomodo igitur non pepercit? quod non ex factorum exitu, sed ex animi sententia* (inquit) *de ejusmodi sacrificiis judicare soleam. Non mactavit manus, sed voluntas mactavit, non gladium, pueri jugulo immersit, non cervicem incidit*, SED EST SACRIFICIUM ETIAM SINE SANGUINE: SCIUNT ILLI QUI MYSTERIIS INITIATI SUNT QUID DICAMUS. *Propterea, & illud* (Isaaci) *sacrificium sine sanguine perfectum est, quoniam illius figura esse debuit: Vides in veteri testamento imaginem multo ante adumbratam, noli veritati fidem denegare.* 3. In Eucharistiæ sacrificio legitima institutio reperitur, ut colligitur ex his Christi verbis, *Hoc facite*; quorum (ut superius ostensum est) is est sensus, Me sub panis, & vini speciebus præsentem offerte Deo Patri, quemadmodum memetipsum nunc offero. Ex suppositione quod Christus fuerit corporaliter præsens sub speciebus panis, & vini, quibus usus est in ultima cœna, par fuit ut semetipsum offerret Deo Patri, quid igitur impietatis in iis est qui persuasi, ipsum ad verba Sacerdotis realiter, & substantialiter in Eucharistia contineri, eum offerunt Deo Patri, rogantes ut per illius merita, crucis fructum, seu remissionem peccatorum consequantur.

Objicies 4. Missæ sacrificium 1. unam Christi mortem obliterat, cum toties moriatur oportet quoties missa celebratur, nam (Apostolo teste) sine sanguinis effusione non offertur sacrificium in remissionem peccatorum. 2. Idem missæ sacrificium excutit ex me-

moria sacrificium crucis, quippe quod efficiat ut homines de cruce non cogitent, sed de missa tantum, cujus virtute sperant consecuturos se remissionem peccatorum. Ergo &c.

Resp. ad 1. Apostolum loqui de Mosaica lege, in qua nullum erat sacrificium pro peccato sine sanguinis effusione, hæc enim habet ad Heb. 9. *Omnia pene in sanguine mundantur secundum legem, & sine sanguinis effusione non fit remissio*, Addi potest, etiam in lege nova non fieri remissionem peccatorum sine sanguinis effusione, non quidem quæ actu fiat, sed quæ præcesserit, ita ut nemini peccata condonentur nisi in virtute sanguinis, quem Christus quondam effudit in cruce. Præterea in Missæ sacrificio mystice (ut superius observatum est) sanguis Christi funditur, *Hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effunditur*; Ea vero effusio mystica, tantum abest ut crucis sacrificium obliteret, quin potius tamquam viva illius imago, ipsum veluti ponat ob oculos.

Ea responsio confirmatur authoritate Chrysostomi qui hom. 17. in Epist. ad Heb. omnia solvit, quæ heterodoxi nobis objiciunt; Contendit enim 1. iteratam oblationem sacrificii Eucharistiæ nihil officere unicæ morti, quam Christus pro nobis passus est. Contendit 2. eam oblationem, quantumcumque iteretur, unum tum ex parte hostiæ, tum ex parte principalis offerentis, sacrificium cum crucis sacrificio constituere; Contendit 3. iteratis illis oblationibus, Christi passionem revocari in fidelium memoriam: *Propterea* (inquit) *Deus jussit semper offerri* (*Hostias legales* (*propter infirmitatem, & ut peccata revocarentur in memoriam. Quid vero nos non quotidie offerimus? offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam, & ipsa una est non multæ: Quomodo una est non multæ? quoniam semel fuit oblata, illa illata fuit in Sancta Sanctorum. Hæc est figura illius, & ipsa illius. Eumdem enim semper offerimus; non nunc quidem alium, sed semper eumdem; quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem. Quomodo multis in locis offertur? Multine sunt Christi? nequaquam, sed unus ubique Christus, qui & hic est plenus, & illic plenus, unum corpus: quomodo ergo multis in locis oblatus unum est corpus, & non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus quod tunc factum est. Hoc enim facite* (inquit) *in meam commemorationem. Non aliam hostiam sicut Pontifex* (*veteris testamenti*) *sed eamdem semper offerimus, vel potius hostiæ, seu sacrificii facimus recordationem.*

Resp. ad 2. fideles eo sensu sperare se per Missæ sacrificium consecuturos peccatorum remissionem, quod credant per oblationem Christi in Eucharistia realiter præsentis, sibi applicatum iri meritum sacrificii quod in cruce peractum est; nec mirum, ejusmodi enim oblatio sanctissimum est opus, tum ex parte rei oblatæ, tum ex parte præcipui offerentis, tum ex parte Ecclesiæ, quæ in Sacerdote celebrante exhibetur. Qui negant per missæ sacrificium applicari nobis in remissionem peccatorum, virtutem sacrificii crucis, asseruntque e contra eamdem virtutem obscurari, erroris, & impietatis insimulent oportet totius antiquitatis viros sanctissimos, & doctissimos, qui liturgias conscripsere; quippe qui doceant altaris sacrificio obtineri peccatorum veniam: *Deus dator gratiæ* (inquit Basilius in ipso suæ liturgiæ exordio) *salutis author, atque omnium conditor, in omnibus concede nobis, ut sit accepta coram se hæc nostra oblatio pro peccatis meis, & præcipue pro iniquitatibus populi sui, quia pura est sicut donum Spiritus sancti per Jesum Christum Dominum nostrum*, Eodem spectat hæc oratio, quam ante divinorum celebrationem Sacerdos ex præscripto liturgiæ S. Gregorii Nazianzeni recitare jubetur. *Mitte Domine, super me Spiritum sanctum tuum ut assistam altari tuo sancto, neque id mihi proveniat in judicium, sed offeram tibi hanc oblationem, rationalem, incruentam, cum conscientia pura in remissionem peccatorum, & iniquitatum mearum, veniam delictorum populi tui, requiem & refrigerium patrum nostrorum, qui requieverant in fide orthodoxa, & gratia*. Perspecta erat eadem veritas Chrysostomo quippe qui sic in sua liturgia loquatur; *Idoneos nos redde ad inferenda tibi dona, & sacrificia pro peccatis nostris, & populi ignorantiis*. Eadem erat imbutus sententia S. Hieronymus qui in caput 1. Epist. ad Titum, hæc scripsit. *Quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* Idipsum persuasum erat Gregorio Magno qui hom. 37. in Evangelia hisce verbis populum fidelem hortatur; *Mittamus ad hunc legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo: Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitate membris, sacri altaris hostia suffragatur: quia is qui in se, resurgens a mortuis, jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum* (in figura) *patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus.*

Objicies 5. Externi sacrificii oblatio nequaquam cohæret cum hac sententia Christi mulierem Samaritanam alloquentis apud Joannem cap. 4. *Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate*. Eo enim loci quidquid externum est, & sensibile Christus removet ab Evangelica lege, sub eo nimirum respectu Evangelium opponit legi.

Resp. eo argumento plusquam adversarii velint, probari; eo enim, si valeat, evincitur usum Sacramentorum, cum res quædam sint sensibiles, a religione Christiana exulare debere. Dicendum est igitur Christum laudato ex Joanne textu nec omnem externum ritum, nec omne sacrificium exterius ab Evangelio exclusisse, sed antiquas tantum ceremonias, & legalia sacrificia, de quibus a muliere Samaritana interrogatus fuerat; *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet*. Addendum est præterea sacrificium quod in Eucharistia offertur a Catholicis, spirituale esse ac insensibile secundum præcipuam sui partem, habita nimirum ratione hostiæ, quæ in eo immolatur, & virtutis quam operatur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Essentia Sacrificii Missæ.

UNA est quidem Catholicorum sententia, Missam esse verum legis novæ sacrificium; Sed in quo posita sit illius essentia, non conveniunt. Prætermissis variis hac de controversia Scholasticorum opinionibus, hic quæremus 1. utrum essentia sacrificii Missæ posita sit in vini, & panis oblatione, quæ fit ante consecrationem, quæque apud Latinos hisce verbis incipit. *Suscipe Sancte Pater, omnipotens æterne Deus hanc immaculatum hostiam &c.* 2. an consistat in consecratorum oblatione quæ sic habet; *Unde & memores nos Domine &c.* 3. & 4. utrum in consecratorum fractione, distributione aut consumptione. 5. an in actione consecrativa unius speciei. 6. utrum Sacerdotes jure Divino utramque speciem consecrare teneantur.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Essentia sacrificii Missæ posita sit in oblatione, quæ consecrationem præcedit, aut in ea quæ eam subsequitur.

CONclusio 1. Essentia sacrificii Missæ non est posita in oblatione vocali quæ præcedit consecrationem.

Probatur 1. De fide est Christum cum Eucharistiam instituit, verum celebrasse sacrificium; Non legitur tamen quod aliquam panis, & vini consecrationi vocalem oblationem præmiserit. 2. Oblatio quæ fit ante consecrationem, nuda est ac mera ad sacrificium præparatio; unde in Latinis liturgiis eam hæc oratio subsequitur: *Benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini* præ-

præparatum. 3. Res quæ in sacrificio novæ legis offertur, est ipsummet Christi corpus, in hoc enim Eucharisticum nostrum sacrificium differt a sacrificiis legalibus, quod in istis creaturæ offerantur, in illo vero ipsemet creator; nnde Concilium Tridentinum asserit post antiquos Patres missæ sacrificium non discrepare a sacrificio crucis, nisi penes solam offerendi rationem. Atqui in priori oblatione, ea nimirum qnæ consecrationem præcedit, nuda panis, & vini substantia offertur. Ergo &c.

Conclusio 2. Oblatio vocalis quæ fit post consecrationem non est de essentia sacrificii Missæ.

Probatut 1. ex eo qnod ejusmodi oblatione nulla fiat mutatio in victima sacrificii; ac proinde ad illius essentiam non pertinet. 2. Eam oblationem Apostoli sacrificantes non adhibuerunt, quippe quod (teste Gregorio Magno (nonnumquam, urgentibus nimirum temporis angustiis, consecrationi solam orationem Dominicam addiderint.

Quæres, si neutra ex oblationibus vocalibus quæ in Missa adhibentur ad illius essentiam pertineat, cur ergo in omnibus tum Latinis, tum Græcis liturgiis præscribitur.

Resp. cum S. Thoma varias orationes in liturgiis præscribi quod aut ad consecrationem præparent, aut explicent peractam. Priori oblatione, panis, & vinum e profanis fiunt sacra, secernuntut nempe ad consecrationem; per posteriorem vero Ecclesia exposcit ut fidelibus consecrata prosint.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum specierum fractio, distributio, consumptio sint de essentia sacrificii Missæ.

CONclusio 1. Fractio non est de essentia Sacrificii Missæ.

Probatur 1. ex eo quod si casu aliquo dum Sacerdos cum SS. Sacramento super calicem exprimit crucis signnm, hostia in calicem decidat, frangi minime possit, & tamen nemo dixerit eo in casu nullum extare sacrificium. 2. S. Thomas de ea fractione loquitur, tamquam quæ ad sacrificii ritum non antem substantiam, pertineat: *Dicendum* (inquit 3. part. quæst. 83. art. 6. ad 6.) *quod fractio hostiæ consecratæ, & quod una sola pars mittatur in Calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aquæ significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificii, at propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem hujus Sacramenti.*

Quæres num Christus panem consecratum fregerit, quemadmodum a Sacerdotibus nunc ex antiquissimarum liturgiarum præscripto frangitur.

Respondent nonnulli Christum panem fractum consecrasse, non fregisse vero consecratum. Respondemus nos Christum jam consecratum fregisse ut Apostolis sumendum distribueret; id aperte indicare videntur verba, quibus ad consecrationem usus est, *Hoc est corpus meum qaod pro vobis frangitur*, ut habetur in Græco textu, qnibus quidem verbis superius usi sumns ut probaremus Christum in ultima cœna non Sacramentum tantum, sed etiam verum sacrificium instituisse.

Conclusio 2. Oblatorum distributio non est de essentia sacrificii Missæ.

Probatur 1. Licet consecrata non distribnantut populo, sacrificium tamen non est mutilum, sed integrum; qnippe quod (ut suo loco dicemus) etiamsi nulli adsint qui communicent, sactificium nulla essentiali, imo nulla integrali parte defraudatur. 2. Soli Sacerdotes aliquid possunt in sacrificii essentiam; in distributionem vero Diaconi nonnihil habent juris, saltem ex Ecclesiæ commissione, possunt enim Eucharistiam distribuere, si urgeat necessitatis casus; imo publicis in synaxibus, saltem apud Orientales, SS. illud Sacramentum quondam distribuisse leguntur. 3. Qui victimas edunt (Apostolo teste primæ ad Corinth. 10.) participes quidem sunt altaris, sed victimas non offerunt, ac proinde non concurrunt ad sacrificii essentiam,

Conclusio 3. Oblatorum consumptio, quæ a sacrificante fiat, ad sacrificii essentiam nequaquam pertinet.

Probatur 1. Est de fido Christum, cum Eucharistiam instituit, sacrificium obtulisse. Atqui Christum tunc sumpsisse confectam a se Eucharistiam, non est certum fide catholica, quamvis Theologi post S. Thom. id multum esse probabile censeant. 2. Res oblata, cum sumitur, nonnisi localiter immutatut. Sed localis mutatio, constituendæ essentiæ sacrificii satis non est. Nec valet qnod reponit Bellarminus, Christum per Sumptionem specierum eo sensu mutari quod corruptis speciebus, sub eis existere desinat. Non valet (inquam) eo qnod præcipua actio, per quam fit sacrificium debeat in altari perfici. Præterea si casu aliquo Sacerdos species evomeret, mancum, & mutilum, imo, secundum adversariorum principia, nullum esset sacrificium; quod tamen est absurdum.

Conclusio 4. Sola oblatorum consecratio prout dicit ordinem ad eorum consumptionem tamquam ad finem, & terminum extrinsecum, constituit essentiam sacrificii Eucharistiæ.

Probatur 1. Quod consecratio ad essentiam sacrificii pertineat ex eo patet, qnod consecrandi potestas sit de essentia Sacerdotii, ac proinde consecratio quæ illius potestatis est exercitium ad sacrificii essentiam pertineat. Præterea per consecrationem res oblatæ seu Christi corpus, & sanguis mystice immutantur, cum in consecratione sanguis a corpore separetur eo in sensu quod *vi verborum* solum corpus sub speciebus panis, & solus sanguis sub vini speciebus existant; unde (ut jam alias observatum est) nonnulli Patres verba quibus peragitur consecratio, mysticum gladium appellarunt. 3. Quod sola consecratio sacrificii essentiam constituat, ex eo colligitur, quod præter mutationem quam operatur in hostia, ejus quoque oblationem essentialiter importet, quatenus nempe (ut Tertulliani verbis utar) sacrificii victimam *repræsentat*, seu Deo reddit vere præsentem: non alia enim ratione quam per consecrationem Christus in ultima cœna Deo patri se sub panis, & vini speciebus præsentem exhibuit. 4. Tandem quod consecratio sacrificii essentiam constituat prout ad sumptionem, tamquam ad terminum refertur, evincitur ex eo quod Eucharistia sit adinstar convivii spiritualis constantis ex sacro cibo, & sacro potu; cibus autem, & potus ad usum, & sumptionem referuntur.

Confirmantur quæ hucusque prolata sunt argumenta authoritate S. Gregorii Nysseni: Oratione prima in Christi resurrectionem docet oblatum in cœna sacrificium fuisse peractum antequam Christus discipulis oblata dispensasset. *Qui potestate sua cuncta disponit, non ex proditione impendentem sibi necessitatem, non Iudæorum quasi prædonum impetum, non iniquam Pilati sententiam expectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium, & causa: sed consilio suo antevertit, & arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat, sacerdos simul existens, & Agnus Dei ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id præstitit? Cum Corpus suum discipulis edendum, & sanguinem bibendum præbuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium jam esse peractum.* Docet 2. ideo tunc sacrificium fuisse jam peractum, quia corpus illius jam erat per consecrationem immolatum. Nam (inquit) *victimæ corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, & sanguinem bibendum Discipulis exhibuit, jam arcana, & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat.*

Objicies 1. Consecrativæ actionis vi Christus, ne quidem repræsentative moritur; quod tamen requiritur ad sacrificium. Ergo essentia sacrificii Eucharistiæ non consistit in sola donorum consecratione.

Resp. ad sacrificium, etiam proprie dictum, nequaquam requiri ut victima actu moriatur. Nam satis

est ut illius mors ex modo, quo offertur, naturaliter consequi debeat, ut patet in antiqui testamenti hostiis, in quibus verum extitisset sacrificium, si post illatum læthale vulnus, Deus eorum mortem per miraculum impedisset.

Objicies 2. In Ecclesia Latina die Parasceves ad Pascha, necnon in Græca singulis jejuniorum diebus, verum sacrificium offertur: Et tamen nulla tunc fit consecratio. Ergo consecratio non pertinet ad essentiam Sacrificii.

Resp. iis, de quibus agitur, diebus nullum sive in Ecclesia Latina sive in Græca fieri sacrificium, quippe quod ejusmodi ritui, qui passim appellatur missa præsanctificatorum, consecratio desit: *Feria sexta Parasceves*, inquit Ordo Romanus) *quæ, & sexta Sabbati dicitur, Missa non cantatur, sed neque in Sabbato sancto usque ad vigilias noctis.*

Caput Tertium.

Utrum Sacerdos celebrans, utramque speciem consecrare jure Divino teneatur?

Conclusio. Sacerdos celebrans jure Divino tenetur utramque panis, & vini speciem consecrare.

Probatur. Christus Apostolis eorumque in Episcopatu futuris Sacerdotibus id injunxit, quod ipsemet sacrificium offerens, in ultima cœna præstitit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Atqui Christus cum sacrificium obtulit in ultima cœna, utramque speciem consecravit, ut Evangelistæ testantur. Ergo &c.

Idem demonstrant hæc S. Cypriani ad Cæcilium scribentis verba: *Nam si in sacrificio, quod Christus est, nonnisi Christus sequendus est, utique id nos obaudire, & facere oportet, quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit, cum ipse in Evangelio suo dicat, si feceritis, quod mando vobis; jam non dicam vos servos, sed amicos:* Agit vero Cyprianus contra quosdam Presbyteros, qui ne ex odore vini, quasi Christiani detegerentur, vini loco aquam tantum in sacrificiis matutinis adhibebant. Censuit ergo S. Martyr, ministros dum sacrificium offerunt, jure Divino teneri ad utriusque speciei consecrationem.

Aperta est in eumdem sensum Concilii Tridentini sententia: *Sacerdotem* (inquit Sess. 22. cap. 1.) *secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans: corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis; Apostolis quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit per hæc verba, Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Tandem necesse est, ut sacrificium expressius quam Sacramentum, Christi mortem exhibeat; Sic vero in utriusque speciei consecratione exhibetur: iis enim separatis speciebus separatio sanguinis a Christi corpore ita clare repræsentatur ut fidelium veluti ponatur ob oculos.

Objicies. Si Raphaeli Volaterrano fides adhibenda sit, Innocentius Papa IV. cum Norvegis aliisque populis septentrionalibus dispensavit, ut propter vini penuriam, calicem intra missarum solemnia non consecrarent. Ergo laudatus summus Pontifex non credidit Sacerdotes dum obeunt Divina, jure Divino teneri ad utriusque speciei consecrationem; nec enim Ecclesia, cum Deo major non sit, in iis dispensare valet, quæ juris sunt divini.

Resp. Volaterranum pergratum facturum fuisse Theologis si commentaria protulisset, ex quibus factum de quo agitur, exscripserit; nec enim aliquod ejus vestigium in decretis Innocentii Papæ IV. legere est. Præterea ratio, qua ejusmodi dispensatio nixa fuisset, vini nimirum penuria, fictitia est omnino, cum, ut experimento quotidiano docemur, ingens vini copia per mare in Septentrionales regiones facili negotio transvehatur.

Conclusio 2. Quamvis jure divino utriusque speciei consecratio ad sacrificium requiratur; non est tamen apud omnes certum fide catholica, quod ad essentiam sacrificii pertineat.

Probat eam conclusionem Estius, ex eo quod licet sit de essentia sacrificii, ut Christi mortem exhibeat, non requiritur tamen sub sacrificii periculo ut clare, & perfecte eam repræsentet; sed sufficit imperfecta, & obscura illius imago, quæ vel in una specie reperitur eo sensu, quod *vi verborum*, solum corpus sub speciebus panis, & solus sanguis sub vini speciebus existant; ea vero mystica separatione mors Christi, tacite saltem, adumbratur.

Alii Scholastici sic argumentantur ex Cypriano. Cyprianus eximit a culpa quosdam Episcopos, qui metus causa, in sacrificiis matutinis non vinum, sed aquam consecrabant. *Si quis* (ait in Epist. ad Cæcilium) *de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc observavit, & tenuit quod nos Dominus facere exemplo, & magisterio suo docuit, potest simplicitati ejus de indulgentia Domini, venia concedi.* Sed si S. Martyri persuasum fuisset duplicis speciei consecrationem ad sacrificii essentiam requiri, Episcopos de quibus agitur, a culpa propter earum ignorantiam aut simplicitatem eximere non potuisset, quippe quod ignorantia iis non patrocinetur, qui in iis peccant quæ ex officio callere tenentur: ministri qui propter imperitiam suam vero sacrificio Deum, & populum defraudant, non possunt non esse maxime rei. E contra si censuerit Cyprianus utriusque speciei consecrationem jure divino, requiri quidem ad integritatem, non autem ad essentiam sacrificii, ea ratione Episcopos illos excusare potuit, quod crederent affirmativum de utraque specie consecranda præceptum non obligare, cum ex illius observatione gravissimum detrimentum sequitur, vitæ nimirum periculum, quod illi Episcopi sibi adire videbantur, si in sacrificiis matutinis vini speciem adhiberent. Ii Theologi suum assertum ex eo confirmant, quod sub una specie totus Christus Deo Patri sistatur realiter præsens, ac proinde a Sacerdote, & populis offeratur.



QUÆSTIO TERTIA.

De Materia & forma Sacrificii Missæ.

Diabolus nihil antiquius habuit, quam ut Christianæ religionis SS. Mysterium aut impietatibus macularet, aut obscuraret additionibus, aut necessariis partibus mutilaret.

1. Circa annum Christi 120. homines quosdam evomuit ex orco, qui se Gnosticos, seu peritissimos dicerent, ac insuper Christiano nomine gloriarentur, Scelestissima illa membra diaboli sic ex Epiphanio suas synaxes agebant. *Suam Synaxim* (inquit hæresi 26.) *turpitudine multiplicis coitus polluunt, immunditiam in manus habentes dicunt, offerimus tibi hoc donum &c. Porro ubi invicem coeunt liberorum generationem aversantur, & interdicunt. Si præter sententiam acciderit, ut prægnans facta fuerit mulier, detrahunt fœtum; quocumque tandem tempore id aggressi fuerint, accipiunt, & in mortario quodam pistillo tundunt, & admixto melle, & pipere, & aliis quibusdam aromatibus, ac unguentis ad avertendam nauseam, sic congregati omnes porcorum ac canum horum sodales participes fiunt contusi pueri; atque sic humanæ carnis esu peracto, deinde preces fundunt ad Deum, & hoc perfectum pascha vocant.*

Ad nefanda illa scelera diabolus Gnosticos impulerat, ut Gentilibus ansam præberet sacro-sancto Dei verbo petulanter impieque obtrectandi; cum enim scelestissimi illi homines Christiani haberentur, eorum flagitia in Christianam religionem refundebantur: *Unde certe accidit* (inquit Eusebius hist. lib. 4. cap. 7.) *ut nefaria quædam opinio de nobis concitata, eaque ab omni ratione alienissima, per infidelium animos longe lateque pervaderet, quod videlicet tum nefando concubitu matres & sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti* gene-

gentre ati non veretremur. Sed id consilii ex sententia diabolo non cessit; quippe, quod Apologistæ Christiani Justinus Athenagoras, Theophilus Episcopus Antiochenus, Tertullianus, Minutius Felix, calumniam illam a Christi Ecclesia, conscriptis libris manifeste depulerunt.

2. Nonnulli Montanistas insimularunt quasi nefanda sacrificia Gnosticorum imitati fuissent. Verum Theodoretus hæreticarum Fabularum lib. 3. id revocat in dubium: *De mysteriis* (inquit) *nonnulla quidem jactitant, sed illi non fatentur, & sui accusationem calumniam appellant*. Imo certum videtur, quod Montanus ipse nusquam ejusmodi flagitiorum reus fuerit, tum, quod nullus ex antiquis scriptoribus ei tantam impietatem adscripserit, licet plerique (ut testis est Eusebius hist. lib. 5. cap. 18.) cęteros illius errores impugnaverint: tum etiam, quod Montanismo dederit nomen Tertullianus qui probatæ vitæ vir ubique semper habitus est. Fatendum est tamen Pepuzianos, (sic dicebantur ii Montanistæ qui Pepuzæ in Phrygia sedem fixeranr) apud veteres audiisse quasi divinum sacrificium Gnosticorum non immunditia quidem, sed infanticidio maculassent: *In hac vero hæresi* (inquit Epiphanius hæresi 48.) *aut in cognata ejus Quintilianorum, seu Priscillianoram, & Pepuzianorum appellatn, horrendum ac nefarium, quoddam facinus fieri dicunt. Puerum enim quemdam valde infantem in festivitate quadam per totum corpus æreis aciculis compungentes sanguinem ipsius sibi ipsis comparant, ad apparatum videlicet sacrificii*. De iis, quoque (Pepuzianos dico non autem antiquiores Montanistas) idem scribit Augustinus lib. de hæresibus cap. 24. *Post sanguinem* (inquit) *e punctiuris infantis emunctum, si ille ex eo mortuus fuerit, apud illos celebretur pro martyre, si autem vixerit pro magno Sacerdote*. Pepuziani in ejusmodi sceleris suspicionem venerant apud Hieronymum, sed an revera illius rei essent, S. Doctor noluit definire: *Prætermitto* (ait Epist. 54.) *scelerata mysteria, quæ dicuntur de lactente puero, & de victaro martyre conserrata. Malo* (inquam) *non credere, sit falsum omne, quod sanguinis est*.

3. Ut diabolus in nostra mysteria concitaret odium & horrorem, Ophitis persuasit ut serpentem introducerent ad benedicendam Eucharistiam. *Habent naturalem serpentem* (inquit Epiphanius hæresi 37.) *quem in cista quadam alunt, quem circa tempus ipsorum mysteriorum latibulo efferentes, & alios panes in mensa disponentes, serpentem provocant. Aperto autem latibulo procedit, & sic progressus juxta ipsorum stultitiam ascendit in mensam, & panibus involvitur. Et hoc perfectum sacrificium esse volunt. Unde etiam velut a quodam audivit, non solum frangunt panes, in quibus idem serpens obvolutus est, & accipientibus tradunt; sed etiam unusquisque salutat serpentem, ac osculatur ex ore sive per præstigias quasdam serpente ad mansuetudinem incantato, sive ex alia diaboli operatione ad hos decipiendos, ipso animalculo blandiente. Adorant autem hunc, & hanc gratiarum actionem dicunt, quæ per ipsum involutam facta est. Et rursus per ipsum* (ut ajunt) *superno patri hymnum sursum mittentes, sic mysteria sua perficiunt*.

4. Marcitæ, a Maren Valentini discipulo, præstigiis quibusdam viris pariter ac mulieribus illudentes miraculosam quamdam Eucharistiam adstantium oculis exhibebant: Sed Irenæum ea de impietate differentem placet audire: *Pro calice vino mixto* (inquit adversus hæreses lib. 1. cap. 9.) *fingens* (Marcus) *se gratias agere, & in multum extendens sermonem invocationis, purpureum, & rubicundum apparere facit, ut putetur ea gratia ab iis quæ sunt super omnia suum sanguinem stillare in illius calicem per invocationem ejus, & valde concupiscere præsentes ex illo gustare poculo, & ut in eo stillet quæ per magnum hunc vocatur gratia*, sive unus ex diis, quos Valentinus finxerat. Quod suboscure Irenæus enarravit de Marcitis, hisce perspicuis verbis describit Epiphanius hæresi 34. *Ajunt tria pocula ex vitro albo apud ipsos parari, mixta vino albo; & in ea quæ perficitur ab ipso incantatione, & gratiarum actio esse putatur, statim transmutari, unumque fieri rubrum velut sanguinem, alterum purpureum, tertium cæruleum.*

Juenis de Sacram.

5. Circa annum 172. prodierunt Artotyritæ, sic dicti, quod caseum cum pane consecrarent, *Artotyritas autem ipsos appellant* (ait Epiphanius hæresi 49.) *eo quod in mysteriis suis opponunt panem, & caseum, & sic mysteria sua faciunt*. Encratitæ, seu Tatiani discipuli iis circiter temporibus visi sunt: sub impiæ religionis obtentu temperantes a vino, quod ejus usum illicitum esse contenderent, meram aquam in mysteriis adhibebant, ob idque a Patribus passim Aquarii dicti sunt, de iis pluribusque aliis Aquariis hujusce operis pag. 149. col. 2. multa diximus, quæ studiosus Lector adire poterit.

6. Cum missæ sacrificium non alia essentiali forma consecretur, quam Eucharistia prout est Sacramentum, Sectarii qui circa Eucharistiæ prout est Sacramentum, formam erraruntt, errarunt quoque circa essentialem formam, qua Missæ sacrificium perficitur. Quinam vero sint ii Sectarii, diximus pag. 159. ubi eorum catalogum texuimus.

Tum vini tum panis, quæ adhibentur in sacrificio; qualitates varias, ritus qui quondam, & his etiam temporibus, in iis offerendis servati sunt, multaque alia, quæ aut ad dogma aut ad disciplinam spectant, Dissertationis quartæ quæstione prima, & quæstione secunda, scilicet a pagina 130. ad pag. 156. fuse pertractavimus. Unde cum hic de iis nihil nobis dicendum superst, de ministro sacrificii Missæ agamus oportet.



QUÆSTIO QUARTA.

De Ministro Eucharistiæ prout est sacrificium.

HÆC quæstio tria capita complectetur. In primo tum veterum tum recentiorum hæreticorum circa Eucharistiæ conficiendæ ministrum errores proponentur. In altero defendetur Ecclesiæ fides. In tertio expendetur an plures Presbyteri simul Eucharistiam consecrare valeant.

CAPUT PRIMUM.

De Sectariorum erroribus circa Eucharistiæ conficiendæ ministrum.

COnclusio. Varie variis temporibus erratum est circa Eucharistiæ conficiendæ ministrum.

Probatur enumeratione 1. Duabus fœminis Quintillæ, & Priscillæ quondam Montanistas sacrificandi facultatem fecisse scribit Augustinus lib. de hæresibus ad Quodvult Deum, hæresi 27. *Pepuziani* (inquit) *a loco quodam nominati sunt...... tantum dantes mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorentur*.

2. Irenæus adversus hæreses lib. 3. cap. 3. Marcitis qui Marco Aurelio imperante prodierunt, eumdem errorem adscribere videtur: *Rursum* (ait, de Marci in SS. Eucharistiam præstigiis agens) *mulieribus dans calices mixtos, ipsas gratias agere jubet præsente se; & ubi hoc factum est, ipse alium calicem multo majorem, quam est ille, in quo illa seducta Eucharistiam facit proferens, & transfundens a minori, qui est a muliere Eucharistia factus, in illum qui est ab eo allatus multo majorem, statim dicens &c.*

3. Eo etiam jure fœminas apud Collyridianos fuisse potitas enarrat Epiphanius hæresi 79. *Quædam mulieres,* (inquit) *carrum quemdam, sive sellulam quadratam ornantes, expanso super ipsum lintto, in die quadam illustri anni per aliquot dies panem proponunt, & offerunt in nomen Mariæ, omnes autem pani participant.*

4. Vvaldenses cuilibet Laico, modo vir esset frugi, idem concesserunt. *Item dicunt* (ait Reynerus libro contra Vvaldenses cap. 5.) *quod omnis laicus bonus, sit*

Sacerdos. Ex eo autem principio concludebant esse penes unumquemque laicum, qui probatis esset moribus, Eucharistiam consecrare, e contra vero irritam esse, quæ confecta fuisset ab iniquo Sacerdote: *Item de Sacramento Eucharistiæ dicunt, quod Sacerdotes in mortali non possint conficere. Item dicunt, quod transubstantiatio non fiat in manu indigne conficientis, sed in ore digne sumentis.*

Lutherus asseruit non modo piis laicis (ut Vvaldenses docuerant) sed etiam impiis inesse potestatem Eucharistiam conficiendi, idque juris competere ex baptismate, quo initiati sunt, licet (inquit) ejusmodi munere fungi non debeant, nisi legitime fuerint vocati, excepto tamen necessitatis casu: Quæ de hocce argumento scripsit, legere est tum in lib. de captivit. Babyl. cap. de Ordine; tum in libro de abroganda missa aliisque permultis in locis. Iis omnibus erroribus opposita est e diametro Ecclesiæ Catholicæ fides, quam subsequenti capite defendemus.

CAPUT SECUNDUM.

Defenditur Ecclesiæ fides circa Eucharistiæ conficiendæ ministrum.

Conclusio. Soli Sacerdotes sunt Eucharistiæ conficiendæ ministri, seu nulli alii præter eos, qui per impositionem manuum Sacerdotes inaugurati sunt, valide possunt Eucharistiam consecrare. Ita Concilium Tridentinum Sess. 22. can. 2. his verbis definiit: *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent, anathema sit.*

Probatur 1. authoritate Scripturæ. Hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ Christus in ultima cœna protulit, Eucharistiæ conficiendæ præceptum complectuntur, ut suo loco superius ostensum est. Atqui ea verba secundum totam suam amplitudinem sumpta solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dicta fuere. Si enim (ut Luthero placet) ad singulos fideles spectent; singuli fideles Eucharistiam, & consecrare, & distribuere jure Divino tenerentur; quod tamen nec ipsi adversarii fatebuntur.

Probatur 2. authoritate Conciliorum. Concilium Nicænum primum Diaconos, qui Presbyteris Eucharistiam dispensandi jus arrogant sibi, hac ratione comprimit, quod penes Sacerdotes, non vero Diaconos, esset offerendi, seu consecrandi potestas: *Pervenit ad sanctum magnumque Concilium* (inquit sacra Synodus can. 18.) *quod in quibusdam locis, & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant; quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant*. Idem postea definiit Lateranense Concilium sub Innocentio Papa III. *Hoc utique Sacramentum* (ait) *nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas concessit Apostolis eorumque successoribus Jesus Christus*. Ante earum Synodorum tempora idem jam docuerat Concilium Arelatense primum: *De Diaconis* (inquit) *quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.*

Probatur 3. authoritate Patrum, qui extra Synodos populum fidelem docuerunt. Justinus Martyr in altera Apologia, quam pro Christianis scripsit; sæpius testatur penes solos præpositos esse consecrationem Eucharistiæ: *Deinde* (inquit) *ei qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam, rerum universarum Patri, per nomen Filii, & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur. Atqui ubi ille preces, & gratiarum actionem absolvit, populus qui adest omnis, fausta approbatione acclamat dicens, Amen, Amen autem voce Hebræa, Fiat, significat*. At præsidentium nomine eos tantum antiqui intellexerunt, qui Sacerdotes per manuum impositionem inaugurati fuissent.

Tertullianus in lib. de Præscriptionibus, Marcionitis crimini vertit, quod Laicis Sacerdotalia munera committerent. Cyprianus in sua contra Stephanum Papam de hæreticorum baptismate controversia profitetur aperte, nullos, qui Sacerdotes non sint, posse Eucharistiam consecrare: ex eo autem principio colligit non esse Eucharistiam in hæreticorum synagogis, quod nempe nullum in iis verum esse Sacerdotium supponat. Athanasius in secunda Apologia, quam contra Arianos scripsit, ex eo probat Ischyram Arianum non potuisse Eucharistiam conficere, quod in Sacerdotem nusquam fuisset ordinatus, quippe qui a simplici Presbytero recepisset Alexandriæ manuum impositionem.

Ea veritas tanta certitudine, & tanta evidentia nititur, ut ipsi hostes fidei, quorum tamen contrarium dogma pluris intererat, eam perspectam habuerint, ut constat de Hilario Luciferianorum principe; Is licet præesset sectæ, quæ destituta erat Sacerdotibus, nusquam tamen ausus est obire Divina; *Eucharistiam* (inquit Hieronymus adversus Luciferianos agens) *non poterat conficere, quia Diaconus tantum erat*. Patres dignitatem Presbyterorum Imperatoriæ potestati sæpius anteposuisse leguntur: *Purpura* (inquit Ambrosius apud Theodoretum lib. 15. hist. cap. 17.) *Imperatores facit non Sacerdotes*; eo autem nixi fuerunt principio, quod Imperatores licet baptizati, Deum inter, & hominem mediatores non essent, quod pro fidelibus sacrificium offerre non possent, unde lib. 2. de Sacerdotio sic Chrysostomus loquitur: *Non homo nec Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne ministerio fungi præstitit Angelorum. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis, quam Reges, aut judices, sed etiam nobis magis honorabiles erunt, quam parentes*. At si singulis fidelibus ex vi baptismatis Sacerdotium conveniret (ut placet Lutheranis) irrita essent argumenta, quibus Patres usi sunt, ut Sacerdotum dignitatem anteponerent Imperatoribus.

Iis, quæ hucusque dicta sunt robur maximum addi potest ex variis Ecclesiæ veteris usibus. Majores nostri rarum admodum, aut potius nullum, sacrum conventum celebrarunt, cui Sacerdotes per manuum impositionem consecrati non præessent. Eucharistiam acceptam in templis de manu præsidentium omnes laici deferebant in privatas domos, ut eam vel quotidie, vel saltem pro necessitate sumerent. Episcopis curæ erat, ut Presbyteris in odium fidei occisis, aut fugatis alios substituerent. Vetabant districtius sacri canones ne Presbyteri persecutionis tempore relictis creditis sibi gregibus aufugerent, idque non tantum ut lapsis absolutionem impenderent, sed etiam, ut confessoribus reliquoque fideli populo Eucharistiam dispensarent. Atqui tot disciplinæ capita incassum præscripta, ac observata fuissent, si singuli laici Eucharistiam non modo sumere, sed etiam consecrare potuissent.

Objicies 1. ex Scriptura 1. Petr. 2. Quicumque baptizati fuerint, dicunt, *Genus electum, regale Sacerdotium*. Apocal. 2. hæc etiam habentur, *fecit nos regnum, & Sacerdotes*. Matthæi 26. hæc Christi verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, ad omnes promiscue fideles dicta fuisse videntur; Ergo potestas Eucharistiam consecrandi omnibus omnino fidelibus convenit.

Resp. ad primum singulos fideles interno quidem, & spirituali Sacerdotio, de quo Petrus loquitur, insignitos fuisse, quippe quod singulis incumbat munus offerendi Deo spirituales hostias, orationem nimirum, eleemosynas, jejunium, aliaque pietatis opera; At non sunt insigniti externo Sacerdotio, cui uni convenit potestas consecrandi hostiam, quæ in aliena specie sensibus subjacet. Ratio solutionis ex eo petitur, quod regia dignitas, qua Petrus eo loci cunctos fideles asserit insignitos fuisse, de spirituali, & interna potestate tantum intelligatur, quæ specialem, & externam Regum potestatem non excludat, ita, & Sacerdotium, quod a Petro cuique Christiano tribuitur, non excludit Sacerdotium speciale, quod iis tantum con-

conveniat, qui ab Epiſcopis per manuum impoſitionem ordinati fuerint.

Reſp. ad ſecundum. Hæc Chriſti verba, *Hoc facite*, ſumpta ſecundum totam ſuam amplitudinem ſingulis fidelibus non convenire (ut ſuperius oſtenſum eſt) ſed tantum ſecundum aliquam ſui partem, nempe prout injungunt, ut Euchariſtia ſumatur, ac Chriſti memoria ab iiſdem ſumentibus recolatur. Nec objiciant adverſarii verba, de quibus eſt quæſtio, indefinite prolata fuiſſe a Chriſto, ac proinde ad omnes omnino fideles ſpectare. Nam (ut ait Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 17.) *Erit etiam hoc in obſervationibus intelligendarum Scripturarum, ut ſciamus alia omnibus communiter præcipi, alia ſingulis quibuſque generibus perſonarum*; Quænam autem ea ſint, quæ aut omnibus, aut quibuſdam tantum perſonis injunguntur, cum non habetur in Scriptura, repeti debet ex traditione, cujus ſenſum fuſe ſuperius enarravimus.

Objicies 2. ex Traditione 1. Hæc habentur in Concilio Ancyrano can. 2. ex interpretatione Dionyſii Exigui. *Diaconi ſimiliter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant: ceſſare vero ab omni ſacro miniſterio, ſive a pane, ſive a calice offerendo vel prædicando. Quod ſi quidam Epiſcoporum conſcii ſunt laboris eorum, & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, penes ipſos erit poteſtas*. Eo canone flagitioſi diaconi amoventur ab offerendis tum pane, tum calice: Ea igitur poteſtate probatæ vitæ diaconi fruebantur. Sed offerre panem, offerre calicem, verba ſunt quibus veteres Euchariſtiæ conſecrationem plerumque ſignificarunt. 2. Tertullianus in libro de exhortatione caſtitatis quoſvis fideles a ſecundis nuptiis deterret, quod cuique competat Sacerdotium, quod bigami, utpote irregulares, ſperare non poſſunt: *Nonne* (inquit) *& laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt: Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo fecit*. Ne quis vero Sacerdotium illud de ſpirituali tantum interpretetur obſtant hæc, quæ idem author ſubjungit: *Differentiam inter ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ authoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus, adeo, ut ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi ſolus, ſed ubi tres, Eccleſia eſt licet laici: unuſquiſque enim ſua fide vivit. Igitur ſi habes jus Sacerdotii in temetipſo ubi neceſſe eſt, habeas etiam oportet diſciplinam Sacerdotis*. Ergo Tertullianus credidit quemque fidelem, ſaltem ubi neceſſitas urget, hoc eſt, ubi deeſt Sacerdos ab Eccleſia per impoſitionem manuum ordinatus, poſſe Euchariſtiam conficere.

Reſp. ad 1. Concilio Ancyrano a Diaconis lapſis auferri ordinis exercitium, quod quidem in eo poſitum erat, ut Sacerdoti dum ſacris daret operam, miniſtrarent, ac panem, & vinum a fidelibus oblata exciperent, deferrentque ad ſacrum altare, in quo in tres partes dividi ſolebant; Ex priore, Euchariſtia ab Epiſcopo, aut Presbytero conficiebatur; altera cedebat in pauperum uſum; tertia vero Clericorum ſuſtentationi deſtinata erat.

Reſp. ad 2. verbum illud *Offers*, a Tertulliano ſumi pro panis, & vini oblatione, quam abſentibus ob ſævientem perſecutionem miniſtris, fideles privatis in domibus litare conſueverant; Eo nimirum pane, eo vino communium Eulogiarum ad inſtar Deo conſecratis reficiebantur Epiſcopi, Presbyteri, & reliqui altarium miniſtri, quos Gentiles carceribus mancipaverant, iis etiam egeni plerumque nutriebantur. Ratio ſolutionis ex ipſomet Tertulliano petitur, apud quem verbum, *Offerre*, de quo eſt quæſtio in objectione, non raro pro mera panis, & vini oblatione ſumitur; In eum ſenſum ſic loquitur de vidua, quæ ſingulis annis offerebat pro defuncto marito. *Et offert annuis diebus dormitionis ejus*: In eumdem ſenſum libro *de exhortatione*, hæc ſcribit de marito pro defunctis uxoribus offerente. *Et offeres pro duabus, & commemorabit per Sacerdotem*.

Objicies 3. quædam facta. 1. Frumentius cum adoleſcens in Indiis commoraretur, Chriſtianos mercatores, natione Italos, qui illuc appulerant, ad divinorum celebrationem invitaſſe legitur apud Theodoretum lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 23. quamvis tamen nec ipſe, nec aliquis ex iis advenis mercatoribus Sacerdotio emineret. 2. In actis Sanctæ Petronillæ legitur, quod obierit in carcere *celebratis Dominicæ oblationis myſteriis*. 3. Joannes Moſchus in Prato ſpirituali cap. 25. refert Monachum laicum panes quoſdam prolatis verbis Evangelicis conſecraſſe, conſecrationem vero ratam ab Angelo denunciatam fuiſſe: *Frater quidam* (verba ſunt authoris) *erat in cœnobio Cuziba, qui ſanctæ oblationis verba ritumque didicerat. Die ergo quadam, ut benedictiones ferret, cum jam rediret ad monaſterium, verba ſanctæ oblationis quaſi verſus aliquos caneret, dixit. Eaſdem vero benedictiones impoſuerunt Diaconi ſancto Altari, quas cum Abbas Joannes Presbyter offerret, qui poſtea Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus fuit, non vidit (ut ſolitus erat) ſancti Spiritus adventum. Contriſtatuſque valde, & cogitans ne quid fortaſſe peccaſſet in mente, atque ideo ſe Spiritus ſanctus avertiſſet, ingreſſus eſt ſacrarium plorans, corruitque in faciem ſuam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens: Quoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba ſanctæ oblationis in via dixit, ſanctificata jam, ac perfecta ſunt; Et tunc igitur ſtatuit ſenior, ut nullus deinceps addiſceret ſanctæ oblationis verba, niſi qui ordinatus ad hoc eſſet, neque paſſim ea quiſpiam diceret quocumque tempore abſque loco conſecrato*.

Reſp. ad 1. nomine liturgiæ, quam facti author ſcribit a Frumentio, Italiſque mercatoribus fuiſſe peractam, intelligi poſſe preces ſacras, quas ſimul in Dei honorem, Chriſtianorum more recitarunt; unde Rufinus hiſt. lib. 1. c. 9. ex quo Theodoretus, Sozomenus, & Nicephorus factum illud & ſcripſere ſolius orationis ab advenis hujuſmodi fuſæ meminit. Præterea incertum eſt num Frumentius, qui poſtea Indorum Epiſcopus conſecratus fuit a S. Athanaſio, tunc eſſet Presbyter. Addi poteſt mercatores illos forte ſecum adduxiſſe Presbyterum, ut plerumque fit in longinquis, ac periculoſis navigationibus. Ad 2. reſpondendum eſt celebrata fuiſſe myſteria a Sacerdote, qui (ut moris erat) carcerem inviſerat, non autem a S. Petronilla. Ad 3. vero, dicendum eſt 1. multa, quæ in Joannis Moſchi ſpirituale Pratum irrepſerunt, dubiæ eſſe fidei. Quæ ſunt præter legem, ac miraculoſe fiunt, in regulam trahi non debent, ac proinde, admiſſo etiam ejuſmodi facto, nihil evincitur contra concluſionem, qua aſſertum eſt ex inſtitutione Divina penes ſolos Sacerdotes eſſe Euchariſtiæ conſecrationem.

Caput Tertium.

Utrum Euchariſtia a pluribus ſimul Sacerdotibus conſecrari poſſit.

Concluſio, Plures Presbyteri Euchariſtiam ſimul conſecrare poſſunt.

Probatur 1. ex conſuetudine, quæ, his etiam temporibus, obtinet apud Græcos. In urbibus ubi unum duntaxat eſt templum, Sacerdotes quantus ſit eorum numerus, Epiſcopum celebrantem hinc, & inde cingunt, unaque cum ipſo totam liturgiam recitant, ac tandem communionem ſub utraque ſpecie ab ipſo recipiunt. 2. Ex praxi, quæ apud Latinos viget cum Presbyter inauguratur Epiſcopus is ſimul cum Epiſcopo conſecratore profert verba Evangelica, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, deguſtat quoque particulam hoſtiæ conſecratæ, hauritve in ſacro calice pretioſi ſanguinis guttulas ſibi ab Epiſcopo conſecratore porrectas. 3. Idem oſtenditur ex ritu ordinationis Diaconorum in Presbyteros; Ii ſiquidem jam, aut per impoſitionem manuum, aut per ſacrorum vaſorum contactum inaugurati Sacerdotes, ſimul cum Epiſcopo celebrante integram conſecrationis formam proferunt, ac tandem ſub panis ſpecie communionem ab ipſo recipiunt.

Quæres num ritus, de quo in concluſione, & apud Græcos, & apud Latinos antiquitate commendetur?

Reſp. 1. apud Græcos eſſe perantiquum ejuſmodi morem. Canone 18. primi Concilii Nicæni comprimuntur Diaconi, quod Euchariſtiam Presbyteris diſtribuendi jus arrogaſſent ſibi. Ii vero Presbyteri ex iis non erant, qui propter crimina dejecti fuiſſent e ſuo gradu, quippe quod dejecti ad laicorum ſortem ſolerent amandari, ac proin-

proinde communione, laicorum adinstar, a diaconis donatos fuisse in Ecclesia Orientali. Idem Nicænus canon explicari non potest de Sacerdotibus præ infirmitate decumbentibus in lectulo, aut in templis minime sacrificantibus, cæterorum enim more, pane Eucharistico reficiebantur; necesse igitur est, ut intelligatur de Sacerdotibus cum Episcopo, aut Parocho sacra mysteria obeuntibus ad altare, damnantur nimirum Diaconi, qui ejusmodi Presbyteris concelebrantibus, reliquorum ministrorum adinstar, tentarant Eucharistiam porrigere. Ita canonem illum de sacris Ordinationibus exercitatione 8. Morinus noster exponit.

Resp. 3. octavo sæculo usum, de quo agitur, apud Latinos invaluisse. Ordo Romanus, quo tunc plerumque utebatur Ecclesia Latina, morem illum innuit sub hocce titulo, *Ordo processionis ad Ecclesiam sive Missam*; recenset nimirum Episcopos, Presbyteros, qui simul stantes ad altare cum summo Pontifice, liturgiam cum ipso peragant, ac tandem ex ejus manibus sacra communione donentur: *Accedunt* (inquit) 1. *Episcopi ad sedem, ut communicent de manu Pontificis secundum ordinem. Sed & Presbyteri omnes ascendunt, ut communicent ad altare*.

Quæres 2. An Presbytero cum Episcopo concelebranti adscribi debeat consecratio, si ante Episcopum verba consecratoria protulerit?

Respondet 1. Durandus abrogari debere ritum, quo mox consecrati Sacerdotes jubentur verba consecrationis una cum Episcopo proferre, periculum est enim (inquit) ne Episcopus nihil efficiat, si quis e Sacerdotibus verba quibus consecratio peragitur, protulerit, antequam fuerint ab Episcopo prolata. Sed audiri non debet Durandus, cum ritus, quem vellet abrogari, multis abhinc sæculis non modo apud Orientales, sed etiam apud Occidentales obtineat.

Respondent 2. nonnulli alii Scholastici tunc Episcopum non vero assistentes Sacerdotes consecrare, licet consecrationis verba proferant. Nec mirum (inquiunt) cum non habeant consecrandi propositum, nec habere debeant. Sed eorum Scholasticorum pace dixerim, ejusmodi responsum nullo prorsus niti fundamento. Nam 1. nusquam Ecclesia præcipit verborum prolationem, quin simul injungat ministro, ut ea reverenter proferat, ac proinde cum intentione id efficiendi, quod significant. 2. Sacerdotes illi, Missalis rubricis, morose, distincte, attente, consecrationis verba proferre jubentur; Ergo & cum intentione, quæ prolationes ejusmodi comitari debet.

Respondent 3. alii Theologi, in casu de quo agitur, Episcopum nihil prorsus efficere. Quod quidem incommodum, ut vitetur, rubricæ vetant ne assistentes Presbyteri ante Episcopum, sed una cum ipso proferant consecrationis formam. Æquius censere nobis videntur, qui docent multorum illorum Sacerdotum actionem, licet physice diversam, unicam tamen, ex Ecclesiæ legibus, moralem actionem efficere: unde concluditur tunc tantum oblata consecrari cum tota, ac integra moralis actio peracta est.

QUÆSTIO QUINTA.

De Subjecto Sacrificii Missæ.

Hic subjecti nomine personas intelligimus, pro quibus a Sacerdote offerri potest sacrificium; Illæ vero personæ vel vita fruuntur, vel extremam clauserunt diem; de utriusque duplici subsequente capite dicemus.

Caput Primum.

Utrum pro omnibus viventibus offerre liceat Missæ sacrificium.

Conclusio. Licet offerre Missæ sacrificium pro omnibus, qui inter viventes agunt, gentiles sint licet, hæretici, aut excommunicati.

Probatur 1. ex Scriptura, Apostolus 1. ad Timoth. 2. sic loquitur, (Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & pro omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, ut tranquillam, & quietam vitam agamus in omni pietate, & castitate,) Voces illius *pro omnibus hominibus* non esse pro fidelibus tantum sumendas demonstrant, quæ Paulus addit de Regibus; *Neque enim* (ait Chrysostomus hom. 6. in 1. ad Timoth.) *Reges Deum colebant, verum multis postea temporibus in infidelitate, quam per seriem successionis acceperant, perstiterunt*.

Eum vero Pauli textum immerito nonnulli detorquent ad preces, quæ funderentur extra sacrificium, cum Apostolus loquatur de precibus, quæ fieri solebant in conventibus publicis, in quibus (teste Justino ad Antoninum Imperatorem scribenti) Eucharistia ab Episcopis, aut Sacerdotibus qui aderant, semper consecrabatur: *Nos autem* (inquit S. Martyr) *secundum hujusmodi lavationem, credentem jam a nobis adscitum, ad fratres, qui dicuntur; eo adducimus ubi illi congregati sunt ad communes preces, & supplicationes, cum pro se ipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus, animo intento peragendas: ut digni idoneique simus, qui veritate agnita, per opera etiam ipsa boni, atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inveniamur: atque, ut salute salvemur sempiterna. A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exequitur*.

Probatur 2. ex Traditione, Tertullianus ad Scapulam cap. 2. hæc scribit: *Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicujus*. Hæc pariter habet Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. histor. cap. 11. *Huic* (Deo) *continuas preces offerimus pro imperio illorum* (de Imperatoribus Gallieno, & Valeriano loquitur) *ut stabile, & inconcussum permaneat*. Eodem spectant textus, quibus Sanctus Augustinus Vitalem Semi-pelagianismo laborantem docet infideles, ut credant indigere Christi gratia, quam pro eis Ecclesia mediis in sacrificiis exposcere solet: *Quando audis* (inquit Epist. 117.) *Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, subsanna pias voces, &c.* Ante Augustinum Athanasius praxim illam probarat, quippe qui in Apologia ad Constantinum scribat, in Ecclesia Alexandrina cui præerat, Imperatoris licet hæretici, nomen mediis in liturgiis recitatum fuisse.

His quoque temporibus, in Latinis liturgiis ante, & post consecrationem plures orationes leguntur pro Ecclesiæ hostibus, seu pro iis a quibus persecutionem patitur. Reperiuntur etiam nonnullæ, quibus petitur eorum conversio, quos Ecclesia propter publica scelera evomuit ex suo sinu. Nititur vero ea praxis hoc principio, quod inter infideles, & inter excommunicatos plerumque nonnulli sint e prædestinatorum numero, multique quibus, licet reprobis, Deus velit justitiam conferre, quam tamen usque in finem per singulare perseverantiæ donum in eis non est conservaturus.

Objicies 1. Excommunicatis, utpote positis extra Ecclesiam, Ecclesiæ preces non magis prosunt, quam alimenta prosint membro, quod abscissum est a reliquo corpore. Si pro Gentilibus, Judæis, Hæreticis, Excom-

communicatis, qui nominatim, & expreſſe denunciati ſint, Miſſæ ſacrificium offerre liceat, nullum (quoad illud caput) eos inter, & fideles diſcrimen intercederet; quod eſt abſurdum.

Reſp. ad 1. eas preces, quæ pro ſocietate fidelium offeruntur, excommunicatis, aliiſque qui ab Eccleſia ſunt extortes, non prodeſſe, quippe quod cum fidelibus nullo prorſus vinculo teneantur; at nihil obſtat, quin emolumentum colligant ex iis, quæ ſpecialiter pro eis offeruntur. Ad 2. vero dicendum eſt inter fideles, & excommunicatos duplex reperiri diſcrimen: Illi (ut mox fuit obſervatum) participes non ſunt orationum, quæ pro fidelibus ab Eccleſia funduntur. 2. Fert hodierna praxis, ut eorum, qui ſunt extra Eccleſiam nomina publice non recitentur, nec privatim in ea liturgiæ parte, quam *Memento* nominamus; hoc enim in capite non obtinet veterum diſciplina; ſed nihil obſtat, quin de iis mentaliter Sacerdos cogitet dum Sacris dat operam, poſtuletque, ut Deus Pater propter Chriſtum, qui in altari præſens ſiſtitut converſionis, ac reſipiſcentiæ donum largiatur.

Ex iis, quæ hucuſque dicta ſunt, evidenter colligitur Miſſæ ſacrificium offerri pro omnibus, qui ſunt in Eccleſiæ ſinu, ſive juſti ſint, ſive impii; Utrorumque liturgiæ omnes meminerunt; nec mirum, quippe quod fideles, ſive juſtitia fruantur, ſive jaceant in peccato mortali, ſunt membra illius myſtici corporis, quod nondum perfecte cum Chriſto capite conjunctum eſt.

Caput Secundum.

Utrum Miſſæ Sacrificium pro mortuis omnibus offerri poſſit.

MOrtui, triplicis ſunt generis: nonnulli torquentur in Purgatorio, alii addicti ſunt æternis ſuppliciis, aliqui vero cœleſti beatitudine fruuntur.

Concluſio 1. Pie admodum, & ſancte pro fidelibus mortuis Miſſæ ſacrificium offertur.

Probatur 1. ex Scriptura. 2. Machabæorum 12. hæc de Juda Machabæo leguntur: *Facta collatione, duodecim millia argenti miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium bene, & religioſe de reſurrectione cogitans, niſi enim eos reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et quia conſiderabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam, &c.* Eo textu docemur Judæos obtuliſſe ſacrificia pro mortuis. Ergo Chriſtiani Miſſæ ſacrificium, quod Moſaicis adumbratum eſt, pie pro fidelibus mortuis offerunt.

Nec eſt, quod quis Judæ Machabæi factum erroris inſimulet, cum Scripturæ illud probent, ut patet ex his verbis, quæ præcedentibus ſubjiciuntur: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.*

Non valet quoque, quod Sectarii objiciunt illum nempe Machabæorum librum inter Canonicos non recenſeri; Si quidem Divinam illius authoritatem Catholici de fide diſputantes demonſtrant, quod, & nos paucis quidem, ſed magni ponderis argumentis præſtitimus Tom. 1. libri quem inſcripſimus: *Inſtitutiones Theologicæ ad uſum Seminariorum.*

Probatur 2. ex Traditione Sacrificii pro defunctis offerri ſoliti, non tamquam rei novæ, ſed antiquæ, & ubique receptæ, deſinente ſecundo Eccleſiæ ſæculo.

Tertullianus meminit lib. de Corona militis cap. 3. *Oblationes* (inquit) *pro defunctis annua die facimus.* Hæc iterum ſcribit lib. de exhortatione Caſtitatis cap. 11. loquens de viro precante pro uxore defuncta: *Pro cujus ſpiritu poſtulas, pro qua oblationes annuas reddis.* Hæc rurſus de Monogamia cap. 10. *Offert annuis diebus dormitionis ejus.* Verba *Offerre, Oblationes*, ſacrificium externum, non autem internas tantum preces, ut aliquibus ſectariis placet, ſignificant.

Cyprianus teſtatur morem illum tertio ſæculo invaluiſſe in tota Eccleſia Catholica; ſic enim loquitur in Epiſtol. ad Presbyteros, & Diaconos, & plebem Furnis conſiſtentem: *Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt: ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & miniſtros ſuos Levitas avocare voluit. Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus ſit actorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur.*

Cyrillus Hieroſolymitanus, qui vixit quarto ſæculo eidem veritati ſuffragatur: *Maximum* (inquit Catecheſi 5. Myſtagogica) *eſſe credimus animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius, & tremendi, quod in altari poſitum eſt ſacrificii.*

Eamdem praxim adſtruit Auguſtinus variis in locis: *Orationibus* (inquit de verbis Apoſtoli Serm. 32. cap. 2.) *ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis miſericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum, univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in Corporis, & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur.* Idem Sanctus Doctor in libris Confeſſionum laudat Monicam piam matrem, quod in ultimo vitæ articulo vehementer exoptarit, ut ſui memoria in peragendis myſteriis fieret ad Altare.

Quod Patres in ſuis Eccleſiis docuerant, idem ad Synodos adunati aſſeruerunt: *Pœnitentes* (inquit can. 79. Concilium IV. Carthaginenſe habitum labente ſæculo quarto, ſeu anno 398.) *qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis ſubveniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.*

Non eſt opus, ut hic laudemus authores, qui poſt quartum ſæculum ſcripſere. Adverſariis nimirum perſuaſum eſt omnes ad unam tum in Oriente, tum in Occidente fidem, de qua eſt hic quæſtio, & diſciplinam de qua agitur, credidiſſe ac mandaſſe executioni: In Sacramentario Sancti Gregorii leguntur orationes, & collectæ pro mortuis intra Miſſarum ſolemnia fieri ſolitæ; Ordo Romanus, quique illum octavo, & nono ſæculo commemorati ſunt, earumdem pro mortuis precum meminerunt; eas pariter antiquiſſimæ Græcorum liturgiæ recenſent; unde conſtat ſemper, & ubique Miſſæ ſacrificium pro fidelibus mortuis oblatum fuiſſe, ac proinde æquiſſimum eſſe anathema, quod Concilium Tridentinum intorſit in Lutheranos, & Calviniſtas, qui illud dogma pertinaciter inficiati ſunt. *Si quis dixerit* (inquit ſacra Synodus Seſſ. 22. Can. 3.) *pro defunctis offerri non debere Miſſæ ſacrificium, anathema ſit.*

Objicies. Mortui nec Chriſti corpus manducare, nec ejus ſanguinem bibere poſſunt. Non poſſunt igitur Euchariſtiæ ſacrificii fieri participes, ſiquidem ii tantum ex ſacrificio fructum percipiunt, qui illius fiunt participes dicente ipſo Domino: *Manducate, & bibite.*

Reſp. eo argumento probari quidem mortuos communicare non poſſe Euchariſtiæ prout eſt Sacramentum, non vero prout habet rationem ſacrificii. Et ſane ſacrificia pro abſentibus oblata fuiſſe, & Scripturis, & Traditione docemur.

Quæres 1. unde tum Orientis, tum Occidentis Patres hauſerint praxim de offerendo pro mortuis ſacrificio.

Reſp. niti eam praxim 1. authoritate Scripturæ, ſecundi nempe libri Machabæorum, cujus textum ſuperius deſcripſimus: 2. traditione Apoſtolorum; idque facile concluditur ex hoc Auguſtini principio lib. 4 de Bapt. contra Donatiſtas cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Quod vero per illationem colligimus ex Auguſtino, conceptis terminis Chryſoſtomus aſſerit: *Non fruſtra hæc* (inquit hom. 3. in caput 1. Epiſt. ad Philippenſes) *ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta, ut inter tremenda myſteria, eorum qui deceſſerunt, memoria*

ria

ria recolatur. Noverant hire iagens lucrum, & magnam utilitatem ad illos.

Quæres 2. an quondam pro uno tantum defuncto Missæ sacrificium offerretur?

Resp. 1. oblatum fuisse aliquando pro uno tantum. Nam. 1. id colligitur ex laudato superius Cypriani textu de Victore, qui monens Geminium Faustinum ad tutelam nominaverat. 2. ex Ambrosio, in orationibus de obitu Theodosii, Valentiniani, & Satyri, in iis enim omnibus se pro eorum animabus sacrificaturum pollicetur. 3. ex Gregorio Magno, qui in suo Sacramentario hanc orationem pro uno defuncto recitari præcipit: *Absolve Domine animam famuli tui N. vel N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos tuos resuscitatus respiret.* Resp. 2. oblatum etiam fuisse pro pluribus simul: *Stabis ergo* (ait Tertullianus lib. de exhortatione castitatis cap. 11.) *Ad Deum cum tot uxoribus, quot illas oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per Sacerdotem.* Gregorius Magnus in lib. Sacramentorum, Missæ pro pluribus simul defunctis offerri solitæ meminit. *In agenda mortuorum* (inquit) *oratione: Inclina Domine &c.*

Quæres 3. quibus diebus Missa pro defunctis quondam offerretur.

Resp. 1. ipso die obitus majores nostros pro mortuo sacrificium obtulisse; *Scio fœminam quondam vernaculam Ecclesiæ* (inquit Tertullianus lib. de anima capite 51.) *forma, & ætate integra functam, post unicum, & breve matrimonium, cum in pace dormisset, & morante adhuc sepultura, interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis, manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque, condita pace, situi suo reddidisse.* Centum, & amplius post Tertullianum annis hæc scripsit Eusebius Cæsariensis lib. 4. de vita Constantini: *Corpus ter beatæ animæ* (ait agens de illius funere) *Apostolorum nomine, quoniam in eorum templo sepeliebatur, fuit gloriosum; populoque pio comitatum, divinisque cæremoniis, & liturgia mistica dignum habitum, communioneque precum sanctorum fruebatur.* Sanctus Augustinus ejusdem disciplinæ testis est lib. 9. confess. cap. 12. *Ecce corpus elatum est* (inquit agens de Sanctæ Monicæ matris suæ pompa funebri) *imus, & redimus sine lachrymis. Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precibus ego deflevi.*

Resp. 2. Missam pro mortuis tertio die post obitum olim in Ecclesia fuisse frequentissimam: *Peragatur* (inquit author Constitut. Apostol. cap. 48.) *dies tertius mortuorum in Psalmis, in lectionibus, atque orationibus, propter eum, qui tertia die resurrexit.* Alcuinus, seu (ut alii loquuntur) Albinus Flaccus lib. de Divinis officiis, meminit consuetudinis de qua hic agitur: *Tertia dies* (inquit) *specialiter pro animæ absolutione celebratur.... Sacrificium tertia die peragitur, ut si quid temulentum ea carnis cohabitatione contraxit, obliteretur, & sanctæ Trinitatis similitudo reparetur.*

Resp. 3. die quoque septimo a defuncti obitu, quondam oblatum fuisse pro eo Missæ sacrificium: *Quia dudum dies mortis inter lachrymabiles aspectus debuit animum inclinare fraternum* (inquit Ambrosius Orat. de fide Resurrection. alludens ad illum morem) *qui totam tenebat; nunc quoniam die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum fraternæ quietis est, a fratre paululum ad communem humani generis cohortationem juvat derivare mentem.* Idem mos multis post sæculis adhuc obtinebat, sic enim loquitur Amalarius lib. 3. de Ecclesiasticis Officiis cap. 44. *Non opinor, ut aliquis velit dicere, quod non liceat nobis orare quotidie, & sacrificare Deo pro mortuis; Sed quod agitur in tertia, septima, & trigesima die, publice agitur.*

Resp. 4. antiquos, expleto ab obitu anno, Missæ sacrificia celebrasse, quæ vocarunt *Anniversaria.* Ejusmodi disciplinæ Tertullianus meminit, lib. de corona militis cap. 3. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Præter recensitas hactenus pro mortuis Missas, celebres sunt, quæ postridie Kalendas Novembris celebrantur. Earum originem Sancti Odiloni Abbati Cluniacensi Petrus Damianus, & Sigebertus Gemblacensis adscribunt.

Conclusio 2. Nusquam oblatum est, nec offertur modo Missæ sacrificium pro fidelibus, quos Ecclesia beatitudine perfrui credidit.

Probatur 1. Beatorum animæ nostris suffragiis non indigent, cum beatitudo qua fruuntur, nec augeri nec minui possit. 2. Augustinus tractatu 54. in Joannem, disserens de memoria in honorem martyrum fieri solita, quid hoc in capite veteres factitarint his verbis edocet: *De his quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus.*

Objicies. In liturgia qua Occidentales utuntur, Sacerdos postulat, ut quod offert Missæ sacrificium, Sanctis prosit ad honorem: Supponit igitur beatos aliquem ex eo fructum colligere.

Resp. honorem, quem Sacerdos supplex in liturgia petit, positum esse in virtutum praxi, quam pro viatoribus deprecatur. Nec obstat, quod reponi potest, ex eo nempe sequi plerasque Missas frustra de Sanctis inscribi. Non enim sic inscribuntur, quod Sancti aliquod emolumentum ex iis percipiant, sed alia duplici de causa. 1. *Quod* (ut ait Chrysostomus hom. 21. in Acta) *sit magnus honor nominari Deo præsente dum mors illa perficitur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia Sacramenta.* 2. *Quod* (ut docet Augustinus lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.) *ea celebritate, & Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum atque palmarum, eodem invocato in auxilium, ex eorum memoriæ renovatione adhortemur.*

Conclusio 3. Impium est Missæ sacrificium pro damnatis offerre.

Probatur 1. authoritate Augustini qui lib. 3. de anima, & illius origine cap. 12. sic loquitur: *Noli credere, nec dicere nec docere sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse Catholicus.* 2. Perpetua esse, ex Dei immutabili decreto, damnatorum supplicia contra Origenistas, & Scriptura, & Traditione docemur. Ergo frustra pro iis Missæ sacrificium offerretur.

QUÆSTIO SEXTA.

De effectibus sacrificii Missæ.

Hic quæremus 1. quid, & qua ratione Missæ sacrificium operetur. 2. an infinitus sit illius valor.

CAPUT PRIMUM.

Quid, & qua ratione Missæ sacrificium operetur?

Conclusio 1. Missæ sacrificio peccati culpa, & pœna dimittuntur.

Probatur 1. Missæ sacrificium est idem cum eo, quod Christus obtulit in ultima cœna: Sed oblatum in ultima cœna vim habuit, ac virtutem remittendi peccata, ut probat forma, quam Christus inter consecrandum adhibuit: *Hic est calix qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum;* cujus quidem formæ sensum hujus dissertationis quæstione 1. fuse exposuimus. Ostenditur. 2. Traditione (ut observavimus præcedenti quæstione) docemur veteres ab ipsis Ecclesiæ exordiis ad hæc usque tempora, Missæ sacrificium obtulisse pro viatoribus tum impiis, tum justis, & pro mortuis, qui igne Purgatorio torquentur. Sed pro prioribus, sacrificii oblatione petiit culpæ dimissionem, pro aliis augmentum justitiæ, pro cæteris vero pœnæ temporalis peccato debitæ relaxationem: credidit igitur Ecclesia peccata tum quoad culpam, tum quoad pœnam oblato Missæ sacrificio dimitti. 3. Antiquorum Patrum fidem Tridentina Synodus, & confirma-

firmavit, & explicuit Sess. 22. cap. 2. ubi definiit: *Illud Sacrificium vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Definiit rursus, *ipsum rite juxta Apostolorum traditionem offerri non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus; sed, & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis.*

Conclusio 2. Missæ sacrificium non immediate, sed mediate peccata remittit?

Probatur 1. ex Synodo Tridentina quæ Sess. 22. capite 2. sic loquitur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit;* Ex quibus verbis patet, Concilium censuisse vim dimittendi peccata eo sensu competere sacrificio, quod impetret actualia auxilia ad actum pœnitentiæ necessaria, qui quidem actus cum Sacramento, aut in voto, aut reipsa, recepto impium justificat. 2. Missæ sacrificium non majorem habet vim, quam sacrificium crucis, cum ab eo totam suam virtutem hauserit. Sed sacrificium crucis non immediate justificat impium, sed mediate tantum, quatenus nempe dona impetrat, quæ conversionem operentur: Et in hoc positum est discrimen, quod sacrificium inter, & Sacramenta reperitur: Ista scilicet, proxima sunt, immediata, & instrumentalis causa justificationis. 3. Efficientia sacrificii ad genus orationis reducitur. Ergo cum in eo sita sit orationis vis, ut peccata impetratorie tantum, & mediate dimittat, sacrificium Missæ non alia ratione eam remissionem operatur.

Conclusio 3. Missæ sacrificium nec culpam, nec pœnam peccati remittit ex opere operato, sed tantum ex opere operantis.

Probatur 1. Missa (ut superiori conclusione dictum est) solum per modum impetrationis operatur; At efficientia, quæ est tantum per modum impetrationis, non est ex opere operato, sed solum ex opere operantis (ut merito Bellarminus advertit.) 2. Effectus qui ab aliqua causa ex opere operato producitur, infallibiliter suum effectum consequitur in iis, qui non apponunt obicem. Sed Missæ sarificium etiam oblatum cum pietate, ac reverentia non semper suum effectum consequitur in iis pro quibus offertur, ut patet in impio cui donum conversionis licet in Missa a Sacerdote petitum, sæpissime denegatur; patet etiam in aliquibus justis, quibus Deus non semper elargitur singulare perseverantiæ donum, quamvis pro iis sacrificium Missæ multoties oblatum fuerit.

Objicies 1. Si Missæ sacrificium non remitteret peccata, nisi ex opere operantis, illius oblatio effectu suo præ Sacerdotis iniquitate frustraretur: Quod quidem videtur absurdum. 2. In Missæ sacrificio eadem numero est hostia, idemque præcipuus Sacerdos, qui seipsum in ara crucis obtulit: *Et quoniam* (inquit Concilium Tridentinum) *in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit &c.* Ergo idem est operandi modus; ac proinde sicut crucis sacrificium ex opere operato, peccata dimittit, ita, & Missæ sacrificium.

Resp. ad 1. Sacerdotem non tantum nomine proprio, sed etiam nomine Christi, cujus vices agit, & nomine Ecclesiæ, quam exhibet in altari, offerre sacrificium: Iniquus ergo sit licet, non impedit quin Deus O. M. Christi vocem per os sui ministri loquentis agnoscat, quin turturis, Ecclesiam dico per inhabitantem Spiritum sanctificatam, gemitum exaudiat. Ad 2. vero dicendum est cum Bellarmino, ipsum crucis sacrificium prout fuit actio seu oblatio, operatum fuisse remissionem peccatorum ex infinita dignitate offerentis, ac proinde ex opere operantis; mirum igitur non est, quod Missæ sacrificium licet ex parte hostiæ infinite Deo placeat, ex parte tamen offerentis, sive sit Christus, sive sit Ecclesia, sive sit Sacerdos, agat tantum ex opere operantis.

Caput Secundum.

De valore sacrificii Missæ.

Conclusio 1. Valor sacrificii Missæ est infinitus secundum sufficientiam, finitus vero secundum efficaciam.

Probatur prima pars. Sacrificium Missæ est idem cum sacrificio crucis, nec enim (ut ait Concilium Tridentinum) per se ab eo differt nisi sola offerendi ratione. Atqui sacrificium crucis infiniti fuit valoris, quoad sufficientiam, cum a persona infinita pretium, infinitum, ac proinde ad infinitorum hominum redemptionem sufficiens, oblatum fuerit. Ergo &c.

Probatur altera pars. Valor secundum efficaciam sumptus, est infinita vis operandi. Sed virtus operandi infinita, Missæ sacrificio non convenit, alioquin frustra multoties offerretur ad unam eamdemque rem obtinendam. Id vero confirmatur argumento, quod petitur ex sacrificio crucis, quod quidem ideo non iteratur, quod justificandi vim infinitam habeat, nec enim exhauriri potest ab iis, qui justitiam aut consequuntur aut consequi possunt.

Quæres unde fiat, ut Missæ virtus finita sit, cum e contra virtus sacrificii in cruce peracti sit omnino infinita.

Resp. id oriri ex mera Christi voluntate. Nam etsi per unam incruenti sacrificii oblationem sive per se ipsum, sive per ministros peractam, quælibet a Deo, & pro quibuscumque impetrare possit, vult tamen, ut certa mensura fructus applicetur sive ad peccatorum remissionem, sive ad alia beneficia quibus indigemus: id vero voluit, ut per iteratas oblationes frequentius recoleremus memoriam mortis, quam pro nobis passus est in cruce; tum etiam, ut quotidiana per ministros suos oblatione nostrum amorem demereretur.

Conclusio 2. Applicatio, intensio, seu quantitas fructus, qui ex Eucharistiæ sacrificio percipitur, desumitur ex triplici capite, nempe ex absoluto Dei beneplacito, ex intentione ministri, & ex devotione personæ pro qua specialiter offertur.

Probatur prima pars. Sacrificium Missæ nonnumquam offertur pro impiis, qui tantum abest, ut de sua in Deum conversione cogitent, quin potius ei expresse reluctentur, & actu peccatum ament: Sed in iis hominibus applicatio fructus Missæ pendet ex sola Dei voluntate; non raro nimirum accidit, ut impii de quibus agitur, nullum ex Missa emolumentum percipiant, Deus scilicet illius fructum sæpius applicat alteri homini pro quo specialiter non fuit oblata.

Probatur altera pars, nempe ex speciali Sacerdotis intentione tamquam ex causa inadæquata desumi quantitatem fructus sacrificii Missæ. Nonnumquam contingit, ut sacrificium specialiter pro iis offeratur, qui de Deo cogitant, ac vero sensu pietatis afficiuntur; Sed tunc quantitas fructus inadæquate petitur ex speciali Sacerdotis intentione, siquidem reducatur ad genus orationis, specialis autem oratio magis prodest quam communis, ut patet 1. ex eo, quod Christus pro Petro specialiter oraverit Lucæ 22. *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ostenditur 2. ex exemplo Ecclesiæ; quæ (ut habetur Actorum 12.) specialiter, & sine intermissione precabatur pro Petro, quem Herodes carceri mancipaverat. 3. ex Apostolo, qui postquam Ephesiis præscripsit, ut pro omnibus orent, speciales pro se preces exposcit. 4. Vvicleffi articulus numer. 19. proscriptus est a Concilio Constantiensi: *Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos, vel religiosos non plus prosunt eidem, quam generales cæteris paribus.*

Probatur tertia pars, seu quantitatem fructus, qui ex Missa percipitur, desumi etiam ex devotione personæ pro qua offertur; Probatur (inquam) 1. authoritate S. Thomæ qui 3. part. quæst. 79. artic. 5. sic loquitur: *In quantum vero* (Eucharistia) *est sacrificium, habet vim satisfactivam, sed in satisfactione* (quæ fit per mo-

modum impetrationis) *magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis. Unde & Dominus dicit Lucæ 21. de vidua, quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus misit*. Ex præjacto vero ejusmodi principio idem sanctus Doctor hanc elicit conclusionem: *Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna*. Ostenditur 2. ex modo, quo Missa operatur; agit nempe (ut superius dictum est) per modum orationis; sed major vel minor quantitas fructus, qui percipitur ex oratione, petitur ex majori vel minori orantis fervore. Ergo &c.



QUÆSTIO SEPTIMA.

De proprietatibus Sacrificii Missæ.

PRætermissis variis proprietatibus Missæ, de illius necessitate tantum disseremus; quæ quidem considerari potest vel per respectum ad Sacerdotes, vel per respectum ad fideles. Quæri igitur potest 1. Utrum Sacerdotes teneantur ad offerendum Missæ sacrificium. 2. Utrum fideles illi se aliquando præsentes sistere debeant.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Sacerdotes teneantur offerre Missæ sacrificium.

CErtissimum est, cuilibet Sacerdoti sacrificandi debitum divino jure incumbere. His enim verbis apud Matthæum cap. 28. *Hoc facite in meam commemorationem*, continetur strictum præceptum id agendi, quod egit Christus in ultima cœna. Ergo cum Salvator in ultima cœna non modo Sacramentum confecerit, sed etiam (ut superius ostensum est) obtulerit sacrificium, præcepit Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, ut idem deinceps agerent.

Confirmatur ex Concilio Tridentino, quod Sess. 22. cap. 2. eamdem Christi sententiam de præcepto, quod tunc impositum sit, interpretatur: *Corpus* (inquit) *& sanguinem suum* (Christus) *sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit*.

Verum quæstio est 1. an illud debitum Sacerdotibus sub pœna peccati lethalis incumbat; 2. quoties una die, & qua diei hora unicuique sacrificare liceat: 3. num licitæ sint Missæ in quibus præter Sacerdotem nullus est qui communicet. 4. utrum sacerdos sine ministro celebrare possit. 5. an possit pro Missis recipere stipendium.

ARTICULUS PRIMUS.

An & quoties sub pœna peccati lethalis Sacerdotes Missæ sacrificium offerre teneantur?

COnclusio 1. Sacerdotes qui numquam, aut saltem raro celebrent, gravi se peccato devinciunt.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ, qui in 4. Sent. Dist. 13. Quæst. 1. art. 2. sic loquitur: *Ambrosius dicit, Grave est quod ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus. Sed gravius est, si dum peccatum metuimus, etiam sacrificium non reddamus. Sed primum est mortale: ergo, & secundum*. 2. Qui raro admodum per segnitiem, & socordiam sacris dat operam, Deum in quantum in se est, quam maximo defraudat honore, peccatoribus adimit auxilium, quo indigent ad conversionem, justis uberem subducit applicationem passionis Christi; ac proinde in re, quæ non levis est momenti, divinum præceptum infringit. 3. Hanc aliam rationem, quæ ad eos etiam Sacerdotes spectat quibus non incumbit animarum cura, loco laudato sufficit S. Thomas. *Respondeo dicendum, quod secundum quosdam non peccat, qui dimittit celebrationem, nisi populum habeat commissum, vel ex obedientia celebrare teneatur. Sed quia secundum Gregorium, cum crescunt sive augentur dona, rationes crescunt donorum, cum Sacerdoti data sit nobilissima potestas, reus erit negligentiæ, nisi illa utatur ad honorem Dei, & salutem suam, & aliorum vivorum, & mortuorum*. 4. Pio Papæ V. ita persuasum fuit S. Thomam in ea fuisse sententia de qua agitur, ut ex Cajetani in illum S. Doctorem commentariis deleri jusserit opinionem, qua laudatus commentator asseruerat solius peccati venialis reum fore Sacerdotem, qui nusquam sacris daret operam.

Conclusio 2. Optaret Ecclesia, ut is esset quilibet Sacerdos, qui quotidie posset celebrare.

Probatur ex eo, quod quique Presbyteri, aut quotidie singulis, aut saltem diebus Dominicis, prioribus sæculis sacrificarent: *Verbum* (inquit S. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 37. *dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut disceret Deo servire. Sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione*. S. Justinus Martyr in secunda Apologia testatur sui ævi fideles etiam, qui ruri degerent, quolibet die Dominico ad sacrificium convenire solitos fuisse: *Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit... precibus peractis panis offertur, & vinum & aqua*. Imo, quoties per tyrannos licebat, primitivæ Ecclesiæ tum Episcopi, tum Sacerdotes Missæ sacrificium singulis diebus offerebant. *Episcopatus nostri honor grandis, & gloria est* (inquit Cyprianus Epist. 54. quæ est ad Cornelium Papam) *pacem dedisse martyribus, ut Sacerdotes, qui sacrificia Dei quotidie celebramus, hostias Deo, & victimas præparemus*. De quotidiano illo sacrificio intelligendi sunt antelucani cœtus, de quibus memoria sæpius occurrit apud Tertullianum; intelligenda est etiam quotidiana fractio panis, de qua Lucas in actis loquitur. Nec obstat, quod superius dictum est, in templis unam tantum Missam diebus etiam festivis olim oblatam fuisse. Nam id aut de solemnibus Missis intelligitur, vel dicendum est alios quosque Sacerdotes cum Episcopo, aut Parocho celebrasse, ita ut ad altare recitantes liturgiam, cum præposito suo consecrarent. Videantur quæ hac de disciplina diximus pag. 290.

Conclusio 3. Multoties in anno sub periculo gravis peccati, quilibet Sacerdos Missæ sacrificium offerre tenetur.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ, qui ubi 3. part. quæst. 83. art. 10. hanc quæstionem sibi proposuit: *Utrum liceat Sacerdoti omnino a consecratione Eucharistiæ abstinere*, sic loquitur, *Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod Sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, & populo Sacramenta præbere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data cum fuerit opportunum. Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti sacrificium offertur. Unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum non licet omnino a celebratione cessare: sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, & maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt*. Ponderent velim ea S. Doctoris verba illi Sacerdotes, qui in principum curiis agentes, aut Senatoriis officiis functi, non dant operam, ut parati sint ad offerendum sacrificium præcipuis anni festis. Sunt autem dies solemnes, de quibus Sanctus Thomas loquitur, ii quibus Christus prodiit in mundum, a mortuis resurrexit, conscendit cœlos, Spiritum sanctum ad Apostolos e cœlis misit. Numerantur etiam inter eos dies, festivitates Corporis Christi, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis beatæ Virginis Mariæ.

Probatur 2. ex Tridentina Synodo, quæ tum de Presbyteris, quibus incumbit animarum cura, tum de cæteris hæc habet Sess. 23. cap. 14. *Curet Episcopus, ut*

iis

is saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. In eam sacri Concilii sententiam observare est 1. verbum *Curet*, præceptum designare, neque enim adhiberetur Episcopalis authoritas ad procurandam executionem rei quæ merum consilium complecterctur. 2. Quæ meri sunt consilii sacra Synodus per verbum, *Decet*, plerumque solet exprimere ut hujusce Sess. cap. 13. ubi de Diaconis agitur, perspicuum est: *Sciant* (inquit) *maxime decere, si saltem diebus Dominicis, & solemnibus, cum altari ministraverint, sacram communionem perceperint.* 3. S. Carolus in priore Concilio provinciæ Mediolanensis, Titulo *de frequenti divini sacrificii oblatione*, Tridentinæ Synodi sententiam exponit de præcepto quod ad omnes Sacerdotes pertineat, sic enim loquitur. *Cum Pontifices (ut inquit Apostolus ex hominibus assumpti, pro hominibus constituantur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerant dona, & sacrificia pro peccatis, Episcopus dominicis & reliquis festis diebus, nisi jure impediatur, Missam celebret. Tridentini etiam Concilii authoritatem secuti præcipimus Sacerdotibus reliquis, cujuscumque gradus, conditionis, & dignitatis illi sint, ut iisdem diebus Missam celebrare ne omittant. Curatis vero ut præterea ter in hebdomada, aut etiam sæpius, quo vel loci consuetudo vel necessitas crebriorem divini sacrificii usum postulaverit.* Cum tamen nec Concilii Tridentini Patres, nec S. Carolus in Cuociliu Mediolanensi definierint Sacerdotem, cui non incumbit animarum cura, peccare lethaliter si singulis dominicis ac reliquis omnibus festivis diebus, non celebraverit; neque etiam nos audemus definire.

Observet hic velim lector a sacrificandi debito, de quo hactenus, excipi Sacerdotes qui legitime fuerint impediti: hujusmodi vero sunt 1. ii, qui aliquibus censuris innodati existunt: 2. qui ob grave aliquod scelus quod admiserunt, pœnitentiæ laboribus dant operam, ut revera diuturnis incumbant oportet antequam accedant ad altare, iique præsertim qui sacrum ordinem carnis flagitiis polluerunt. Quod si propter necessitatem populorum qui illius curæ crediti sunt, coactus sit sacris dare operam, non ob id tamen liberum se putet a diuturniore pœnitentia quæ præter labores, includit præterea humilem, per aliquod tempus, a sacris altaribus recessum, præsertim si Episcopus præ manibus ministros habeat quos substituat lapsi loco, quique populo Sacramenta dispensent. Sed de his satis cum illud argumentum agentes de dispositionibus ad celebrandam Missam requisitis, fusius simus pertractaturi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quoties una die, & qua diei hora cuique Sacerdoti Missam celebrare liceat?

CONclusio 1. Antiquitus Majores nostri multoties eadem die, non solum exigente causa, sed etiam ex sola devotione, Missæ sacrificium obtulerunt.

Probatur 1. authoritate Concilii Toletani XII. quod habitum est anno 681. *Relatum est nobis* (inquit can. 5.) *quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre.* Vetat quidem canon ne quis offerat quin communicet, sed iteratam una die Missarum celebrationem cujus meminit, quæque apud Hispanos tunc erat in usu, nequaquam prohibet.

2. Vualfridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 21. hæc ait de Leone Papa III. qui labente sæculo septimo, ineunte octavo Ecclesiæ Catholicæ præerat: *Fidelium relatione virorum ad nostram usque pervenit notitiam, Leonem Papam (sicut ipse fatebatur) una die septies vel novies Missarum solemnia sæpius celebrasse; Bonifacium vero Archiepiscopum, & Martyrem semel tantum per diem Missas fecisse, qui & non longe ante nostra fuerunt tempora, & ambo tam scientia quam gradu præcipui.* At quæ de iis ipse sentiat, hisce verbis aperit: *Itaque unusquisque in suo sensu abundet, dum fides concordet, ut nec sæpius offerentes æstiment Deum aliter non posse petitiones discernere; nec semel hostias per diem immolantes putent suæ fidei subtili-*

Juemin de Sacram.

tatem potius quam superiorum devotionem divinis acceptam conspectibus.

3. Praxim qua cuique Presbytero multoties in die offerendi liceret obtinuisse sæculo XI. demonstrant hæc verba Concilii Salegunstadiensis habiti ann. 1022. *Item decretum est* (inquit can. 5.) *ut unusquisque Presbyter in die non amplius quam tres missas celebrare præsumat.*

4. Petrus Damiani lib. 5. Epist. 18. hæc sub finem undecimi sæculi scribebat ad Ubertum Sacerdotem: *Hanc consuetudinis regulam in disciplinatis Ecclesiis & didicimus & tenemus, ut calicem desieramus in Missarum fine perfundere, si nosmetipsos eodem die sacrificium denuo speramus offerre.* Hic calicis nomine non intelligatur calix consecratus, in unaquaque enim Missa jure divino debet hauriri, sed Damiani loquitur de calice ablutionis, seu de vino non consecrato, quod tum ad digitorum tum ad oris ablutionem post sacri sanguinis porum sumitur.

Conclusio 2. Multis ab hinc sæculis vetant canones ne quis eadem die multoties sacrificet.

Probatur ex Alexandri Papæ II. decreto quod extat apud Gratianum, *De consecrat.* Dist. 1. Cap. *Sufficit* Illud decretum sic habet: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, & valde felix est qui unam digne celebrare potest.* Obiit vero Alexander Papa II. circa ann. 1702. Illi subscripsit postea Innocentius Papa III. cap. *Noluisti, de celebratione Missarum*, ubi sic loquitur: *Respondeo quod excepto die nativitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Ea autem necessitas, cujus Innocentius meminit, intelligitur per respectum ad populum, qui quidem vel totus contineri non potest in Basilica in qua sacrificium offertur, vel satis non habet copiarum ut duos simul Sacerdotes sustentet; Judicium similis casus, penes est Episcopum aut Vicarium ejus generalem.

Conclusio 3. Circa diei horam qua licitum est Missam celebrare, non una eademque disciplina ubique quondam obtinuit.

Probatur 1. Persecutionis tempore & ante lucem, & orto jam sole & vespere post diem expletam nostri Majores offerebant sacrificium. Ejusmodi praxi suffragatur Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. ubi hæc scribit: *Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus.* Eidem mori patrocinatur Cyprianus in Epistola ad Cæcilium ubi quorumdam Episcoporum aquam solam matutinis horis offerentium excusationem & recenset, & confutat: *An* (inquit) *illa sibi aliquis contemplatione blanditur, quod si mane aqua sola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus.* Ex duobus laudatis testibus quisque facile concludet suppostitium esse hocce decretum adscriptum tum Telesphoro Papæ: *Hic fecit ut in Natali Domini Jesu Christi noctu Missæ celebrarentur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum, seu finem proindeque non ante meridiem, nullus præsumeret Missas celebrare, quia ea hora Dominus noster Jesus Christus ascendit in crucem.*

2. Sedata persecutione, solemni sacrificio obeundo variæ olim horæ assignatæ fuerunt, Tertia nimirum festivis diebus, Nona in jejuniis per annum, Vespertina vero per quadragesimam, veteres offerre consueverant. *Solent plures qui se jejunare putant* (inquit Burchardus lib. 19. decret. cap. de contemptu jejunii) *in Quadragesima, mox ut signum viderint, ad horam nonam manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, & vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est.* Sed operæ pretium est ut lector advertat horas de quibus hactenus fuisse horas artificiales seu inæquales pro dierum inæqualitate.

3. De Missis privatis nihil antiquis canonibus definitum est. Consuetudo tamen quæ legis est loco, invaluit ut ab aurora usque ad meridiem celebrentur: *Ad quartum* (inquit S. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 2.) *dicendum quod regulariter Missa debet celebrari in die & non in nocte ... ita tamen quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu solis, idest quando*

substantia solis apparet super terram, sed quando incipit apparere aurora; tunc enim quodammodo dicitur sol ortus in quantum claritas radiorum ejus apparet.

4. Ab ea consuetudine excipi debere jejuniorum dies, undecimo sæculo Græci contendebant, causati sacrarum specierum usu solvi jejunium; sic enim Latinorum consuetudinem Nicetas cognomento Pectoratus sugillabat: *Quin etiam* (ait in libello quem contra Latinos edidit, quemque Apocrisariis Apostolicæ sedis Constantinopoli obtulit) *oblationem perfectissimæ Missæ per omnem diem facere in sacris diebus jejuniorum, sicut Sabbato & Dominico die, unde assuevistis, & a quo Doctore accepistis? Ex Apostolis? nullatenus; Apostoli enim ex hoc posuerunt canonem sic loquentem: Si quis Episcopus aut Presbyter, vel Diaconus, vel Lector aut Cantor sanctam non jejunaverit Quadragesimam, quartamque & sextam feriam, deponatur, nisi infirmitate corporis impediatur. Ministrantes ergo atque complentes ministrationem sacræ Missæ circa tertiam horam diei, in qua & promulgatum est offerri sacrificium, quomodo jejunium usque ad horam diei nonam observatis, solventes hoc in tempore ministrationis Missæ?* Quæ tunc Pectoratus in Latinos effutiit, sic ab Humberto Cardinale confutata sunt: *Sed o perfide Stercoranista* (ait in responsione quam Baronius ad undecimi tomi Annalium Ecclesiasticorum calcem describit) *qui putas fideli participatione Corporis, & Sanguinis Domini, Quadragesimalia, atque Ecclesiastica dissolvi jejunia, omnino credens cœlestem escam velut terrenam per aqualiculi fœtidam, & sordidam egestionem in secessum demitti; plane sentis cum Ario, qui cum pro aliis blasphemiis in Filium Dei, tum etiam pro ista foveam delapsus in atram, visceribus fusis, vacuus quoque ventre remansit.* Idem Cardinalis confutata ex absurdis, Nicetæ sententia de soluto per Eucharistiæ sumptionem jejunio, Latinorum praxim ex eo confirmat quod Scriptura, cum sacrificii offerendi meminit, unam præ aliis horam non determinet: *Quod autem quotidie* (inquit) *& quantacumque hora diei, non autem sola tertia, perfectam Missam agimus; authoritatem tenemus ex verbis ipsius Domini, juxta beatum Paulum dicentis: Hoc facite quotiescumque sumitis in meam commemorationem... Putasne alicubi dixerit Dominus, Hoc facite hora tertia in meam commemorationem? Non utique, sed nullam horam aut tempora excipiens dixit: Quotiescumque. Nec ipse Paulus jejunia aliqua, aut certam quamlibet evolutionem annorum attendens ait; Quotiescumque per tot annos hora nona manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, sed indifferenter; Quotiescumque, & donec veniat.*

Articulus Tertius.

An liceat offerre Sacrificium, etiamsi nullus adsit qui communicet?

Lutherani multa effutierunt in Missas, in quibus præter Sacerdotem nullus est qui communicet. Causati sunt nempe ejusmodi Missas, & institutioni Divinæ & antiquæ Ecclesiæ praxi contrarias esse, ac proinde debere abrogari. Eam vero Sectariorum doctrinam Concilium Tridentinum Sess. 22. canone 8. hisce verbis proscripsit: *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos communicat, illicitas esse, adeoque abrogandas anathema sit.* Quam merito sic sacra Synodus definierit, subsequenti conclusione demonstrabitur.

Conclusio. Licet offerre sacrificium, etiamsi præter Sacerdotem nullus adsit qui communicet.

Probatur 1. Ad essentiam sacrificii sumpti in genere, non requiritur ut populus fiat particeps hostiæ quæ oblata fuerit; quippe quod Levitici 6. & 7. cum sacrificia offerebantur pro peccato, populo prodessent quamvis nihil ex iis degustaret. 2. Id quoque non requiritur ad sacrificium novæ legis, cum per ipsum, etiamsi nullus præter Sacerdotem communicet, exhibeatur supremum Dei in creaturam dominium, recolatur Christi passio, & petantur auxilia quibus Ecclesia indiget. 3. Conjecturis quibusdam assequimur veteres aliquando Missam obtulisse, in qua solus Sacerdos communicaret. Concilium Agatense sexto sæculo habitum præcipit quidem fidelibus ut singulis diebus Dominicis Missæ sacrificio sistant se præsentes, sed ad communionem non adigit nisi diebus Dominicæ nativitatis, Paschatis, & Pentecostes. Concilium Toletanum XII. can. 5. conqueritur de Presbyteris qui offerentes non communicabant: *Quale* (inquit) *erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur?* De aliorum vero qui adessent communione prorsus silet, supposuit igitur non fuisse necesse ut aliquis ex iis qui aderant, communicaret. Sed ante ea Concilia S. Chrysostomus praxim de qua agitur supponit cum hisce verbis homil. 3. in Epist. ad Ephesios populum fidelem compellat: *Frustra habetur oblatio quotidiana* (per respectum nempe ad communionem ad quam ordinatur tamquam ad secundarium finem, non autem per respectum ad auxilia, quæ per illius oblationem obtinentur) *cum nemo sit qui simul participet.*

Objicies 1. Christus his verbis, *Hoc facite*, injunxit discipulis ut quoties offerrent sacrificium, toties fideli populo distribuerent Eucharistiam. Vetuit igitur ne sacrificarent ubi nullus communicaret.

Resp. iis verbis contineri præceptum affirmativum, quod quidem, ut præceptorum affirmantium moris est, pro semper non obligat, sed eo tantum tempore & loco, quibus fideles qui adsunt sacrificio, Sacramentum sibi dispensari legitime postulant.

Objicies 2. Apostolus 1. ad Cor. 11. Dominicam cœnam opponit privatæ, asserit nempe eum qui privatim manducat, non celebrare Dominicam cœnam. Ergo illud sacrificium rejicit, ubi nemo communicat præter Sacerdotem. Confirmatur ex eo, quod Missæ sacrificium sit publicum, ac proinde necesse est ut multi fiant illius participes.

Resp. Paulum de Eucharistia non loqui, agit nimirum de conviviis ante Eucharisticam communionem fieri solitis, exagitat divites qui a sua cœna pauperes excludebant, asseritque in ejusmodi conviviis contra charitatem ac temperantiam passim peccatum fuisse; unde eorum usum abrogari peroptat: *Numquid* (ait) *domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent?* Ad confirmationem sic respondet Synodus Tridentina Sess. 22. c. 6. *Nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat: Si quidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Christi corpus pertinent, celebretur.*

Objicies 3. Canone decimo Apostolico omnibus fidelibus qui adsunt sacrificio, sub anathematis pœna præcipitur ut Eucharistiam recipiant: *Omnes fideles* (verba sunt canonis, ex interpretatione Dionysii Exigui) *qui ingrediuntur Ecclesiam, & scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam Communionem percipiant, velut inquietudines Ecclesiæ Commoventes, convenit communione privari.* Ergo Sacerdoti præcipitur, ut non celebret nisi adsint fideles qui communicent.

Resp. dici posse 1. non excommunicari eos, qui in Missa quam audiunt, non communicant, sed potius illos damnari, & communione privari qui usque ad consummationem, integro sacrificio non assistunt. Ita haud dubie sumendus est canon in Gentiani Herveti lectione, quæ sic habet: *Quicumque fideles ingrediuntur & Scripturas audiunt, in precatione autem, & sacra communione non permanent, ut Ecclesiæ confusionem afferentes, segregari oportet.* Dici potest 2. eos tantum damnari qui superstitionis causa recedunt, seu quod male ac temerario sentiant de ministri sacrificantis fide, non vero eos qui cum se paratos non judicent, extra constituta tempora non communicant. Ita canonem de quo agitur exponit secundus canon Concilii Antiocheni, ait enim hujusmodi homines, eos esse, *qui sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam aversantur.* Duplicem illam explicationem paulo fusius hujusce operis Dissert. 6. Quæst. 4. tradidimus. Dici potest 3. quod licet adversariis detur antecedens argumenti, falsa tamen sit consequentia: Ex eo nempe quod fideles jubeantur communicare quoties sacrificio

ficio sistunt se præsentes, non sequitur quod vetitum sit Presbyteris ne sacrificent, si populus communicare detrectet: unde Chrysostomus qui non raro conqueritur, quod nulli communicarent dum offerrent, a quotidiana tamen oblatione non destitit.

Objicies 4. Non licet offerre sacrificium quod mancum sit & mutilum; quippe quod omne sacrificium jure divino debeat esse integrum. Atqui veteres mancum & mutilum illud dixere in puo populus fidelis non communicaret: *Quamvis autem* (inquit Vualfridus Strabo de rebus Eccl. cap. 12.) *cum soli Sacerdotes Missas celebrant, intelligi possit illos ejusdem actionis esse cooperatores pro quibus tunc ipsa celebrantur officia, & quorum personam in quibuslibet responsionibus Sacerdos exequitur: tamen fatendum est illam esse legitimam Missam, cui intersunt Sacerdoti respondentes, offerentes atque communicantes; sicut compositio precum evidenti ratione demonstrat.* Quod laudatus author scribebat medio sæculo 9. undecimo confirmatum est ab Humberto Cardinale contra Nicetam Pectoratum pro Latinis agente. *Et vos qui estis qui dicitis duobus tantum diebus Missam perfectam fieri debere, reliquis vero imperfectam?* (alludit ad morem Græcorum qui Sabbato tantum & Dominico die in Quadragesima consecrant; cæteris vero diebus utuntur præsanctificantis) *Nempe hic in panis fractione, & communicatione nonnisi perfectam actionem debemus Missæ accipere, quemadmodum & ipsum Dominum legimus non imperfectam, sed perfectam commemorationem sui discipulis tradidisse in pane a se benedicto & mox ab eo distributo ... Quodlibet horum trium sine reliquis fiat, scilicet aut benedictio sine distributione, aut fractio sine benedictione, & distributione; perfectam memoriam Christi non repræsentat, sicut distributio nulla sine benedictione, & fractione.*

Resp. illos Scriptores velle non esse in casu de quo agitur missam perfectam perfectione sumpta quoad finem secundarium, spiritualem nempe populi fidelis nutritionem: sed non negant eam esse perfectam perfectione essentiali, cum per eam Deo supremus cultus exhibeatur, & preces fundantur pro populo, ad quem finem præcipue institutum est sacrificium; Unde Vualfridus Strabo non absolute asserit quod Missa non sit cum non adsunt qui communicent, sed addit *perfectam* non esse, ea nimirum perfectione quæ utrumque finem, ad quem fuit instituta, complectatur.

ARTICULUS QUARTUS.

An Sacerdoti sine ministro sacrificare liceat?

CONclusio. Sacerdoti non licet sacrificare, si nullus sit qui ministret.

Probatur 1. Sæviente persecutione Majores nostri sine ministro sacrificium non offerebant. *Tu* (inquit S. Laurentius, Sixtum properantem ad Martyrium alloquens) *numquam sine ministro sacrificium offerre consueveras.* Idem evincit hæc Tertulliani sententia: *Postremo si colligere interdiu non potes, habes noctem. Non potes discurrere per singulos, sit tibi & in tribus Ecclesia.*

2. Post aliquot annos a sedata persecutione, Missæ, quas solitarias dicunt, primo quidem in desertis, & postea etiam in urbibus, celebrari cœperunt. Ejusmodi mori suffragatur Ordo cameracensis qui ad hæc canonis verba: *Et omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, & nota devotio*, sic loquitur: *Cum primitus Missæ sine collecta non fierent postea mos inolevit Ecclesiæ, solitarias & maxime in cœnobiis fieri, ubi cum non habeant quam pluraliter collectam salutent, nec plures mutare possint salutationes, convertunt se ad Ecclesiam dicentes se Ecclesiam* (absentem) *in Ecclesia* (materiali) *salutare, & in corpore totum corpus alloqui, virtute totius communionis in Ecclesia confici sancta mysteria per Dei gratiam, nec esse quemquam alicubi fidelium, qui vivificorum non fiat particeps sacrorum dum in Ecclesiæ corpore velut membrum capiti adhæret.*

3. Morem illum sine ministerio sacrificandi, ex indulgentia Anachoritis concessum, Concilia deinceps abrogarunt: *Nullus Presbyter* (inquit Concilium Mo-

Juemn de Sacram.

guntinum habitum anno 813. Leone III. summo Pontifice) *ut nobis videtur solus Missam cantare valet recte: Quomodo enim dicet, Dominus vobiscum, vel sursum corda admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit.* Sic quoque de eadem consuetudine loquitur Synodus Parisiensis sub Gregorio Papa IV. *Provideat unusquisque Episcoporum, ne in sua Parochia quisquam Presbyterorum Missam solus celebrare præsumat.* Idem teste Reginone cap. 19. de Ecclesiast. discipl. in quodam Concilio Nannetensi sancitum est: *Definit* (inquit sanctum Concilium) *ut nullus Presbyter præsumat solus Missam cantare; cui enim dicit, Dominus vobiscum, aut Sursum corda, aut gratias agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit qui respondeat? aut in canone: Et omnium circumstantium, cum nemo adsit? aut quem invitat ad orationem, cum dicit, Oremus, cum nullus sit qui secum oret? Aut igitur ista penitus reticenda sunt, & non solum non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret quisquis est ille, terribilem illam sententiam; Si quis tulerit de hoc, tollet Dominus partem ejus de libro vitæ: aut si ista muri aut parietibus insusurraverit, ridiculosum erit.* Ex iis rationibus includit etiam in monasteriis, Missam sine ministro offerri nequaquam debere: *Quapropter* (*illa consuetudo*) *maxime a monasteriis monachorum exterminanda est.*

4. Idem decretum est in Conciliis quæ Tridentinum subsecuta sunt. Mediolanense est, hæc habet Titulo 5. de iis quæ pertinent ad celebrationem Missæ: *Celebranti Sacerdoti unus saltem minister adsistat, isque clericus, ubi possit; & talari veste, & superpelliceo indutus.* In Concilio Mediolanensi VI. ii qui Sacerdoti Sacrificanti ministrant, docentur qua ratione ejusmodi ministerium exequi debeant: *Clericus* (inquit Titul. 14. de iis quæ ad Missam pertinent) *qui in missæ sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neve aliud quidquam de libro, aliove officio recitet; sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc pie religioseque exequi debet.* Concilium Rhemense habitum 1583. hæc adjicit Titulo *de Eucharistia*, quæ disciplinam de qua agitur confirment: *Ministrorum vero nomine censemus etiam eos hoc loco, qui sacrificanti respondent, & inserviunt: quos non pauciores duobus* (*si fieri commode potest*) *volumus adhiberi, eosque vel clericos, vel saltem idoneos laicos.* Idem sanxit Concilium Tolosanum habitum ann. 1590. *Qui celebranti Presbytero inserviet* (inquit cap. 6.) *clericeam quoad fieri poterit, seligetur. Is superpelliceo vesteque talari instructus, antequam sacrificia celebraturus egrediatur presbyter, rebus ad Missam necessariis, qua poterit venustate, & munditie, altare instruat, & exornet.* Concilium Provinciæ Narbonensis habitum ann. 1609. cum antiquis canonibus fœminas excludit a ministerio de quo est hic questio: *Ministrantes celebrantibus* (inquit cap. 29.) *induantur toga talari, nec ad id admittantur fœminæ, quibus nec est licitum parare altare, eam filero debeant in Ecclesia, & propter Sacerdotes faciem velare; illis ideo prohibemus ut ad altare propius accedant, dum divina peraguntur.*

ARTICULUS QUINTUS.

De Missarum stipendiis.

COnclusio. Circa stipendia Missarum, varia a summis Pontificibus decreta manarunt.

Probatur enumeratione. 1. Congregatio Sacra Tridentinæ Synodi expositioni præposita, annuente & confirmante Urbano Papa VIII. ann. 1626. decrevit: *Sacerdotes quibus diebus teneatur Missas celebrare ratione beneficii seu capellæ, legati aut salarii, si eleemosynas etiam pro aliis missis celebrandis susceperint, non posse eadem missa utrique obligationi satisfacere.* Ex quo quidem decreto colligitur, quod cum Parochi, saltem festivis diebus pro plebe sibi commissa sacrificium offerre teneantur, & ad eum finem stabili stipendio, beneficio scilicet, potiantur, non possint pro ejusmodi Missarum celebratione aliud stipendium accipere, ac proinde teneri eos ad restitutionem ubi se aliud recepisse animadverterint.

2. Idem Urbanus Papa VIII. anno 1625. die 21. Julii proscripsit eorum Sacerdotum praxim: *Qui Missam susceperunt celebrandam cum certa eleemosyna, eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam commiserint.* Æquitate nititur judicium ejusmodi. Siquidem illis sacerdotibus nullum omnino jus parrocinatur; 3. Illi non favet gratuitus titulus, cum a vero Domino ei non fiat donatio partis quam sibi retinet. 2. Non potest se tueri titulo oneroso, sibi imposito, cum missæ celebrandæ onus non subierit. Excusationis quoque loco eis esse non potest opera quam in conquirendo alio Sacerdote navaverit, quippe quod ultro illi labori, (si tamen labor dicendus sit) vacaverit; præterquam quod tanti momenti non sit idem labor, ut aliqua merces debeatur. Secus tamen dicendum foret si æditùus alium committens sacerdotem, sufficeret cereos & vestes quæ ad sacrificium requiruntur: eo enim in casu si ex fundatione aut aliunde proventus ad vestes, cereos, aliaque ejusmodi non suppeterent, æditùus æquo titulo quidpiam de oblato sibi stipendio retinere posset. Idem ferendum est judicium de Beneficiario, qui committit Presbyterum ad Missas, quas ratione beneficii celebrare tenetur: cum enim præter Missas alia onera beneficio annexa sint, & præsertim horas canonicas persolvendi debitum, non est consonum æquitati ut commisso Sacerdoti tribuat stipendium quod beneficii redditus exæquet: Ita Sacra Congregatio Concilii interpres resolvisse fertur in decretis de celebratione Missarum dubio octavo.

3. Eadem Sacra Congregatio hoc aliud de stipendiis decretum promulgavit: *Deinde pro pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua sive ab una sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum, sacerdotibus Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: alioqui graviter peccant, & ad restitutionem tenentur.*

4. Paulo V. Pontifice Maximo, ab eadem Sacra Congregatione proscripti sunt nonnulli Presbyteri quod anticipate Missas pro iis celebrarent, qui stipendia oblaturi erant: legitur nimirum laudati Pontificis rescriptum ad nuntium Apostolicum in Hispania quo ejusmodi praxis prohibetur tamquam quæ pluribus nominibus periculosa, sit fidelium scandalis & offensionibus obnoxia, atque a vetusto Ecclesię more nimium abhorrens.

5. Anno 1659. die 25. Januarii, Sacra Congregatio eos scriptores damnavit qui docebant posse Sacerdotem post acceptum pro sua Missa stipendium aliud iterum accipere pro speciali sacrificii parte quæ sibi ministro contingit.

6. Ea Sacræ Congregationis decreta non impedivere quin nonnulli recentiores præfatas ejusmodi praxes, quamvis sæpius proscriptas, in conscientiæ foro licite contenderent. Sed temerario eorum conatui itum est obviam ab Alexandro Papa VII. scilicet anno 1665. tulit decretum quo tres sequentes propositiones ad minus tamquam scandalosas prohibuit ac damnavit. 1. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicanda petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* 2. propositio: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* 3. propositio: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram.*

Objicies. Missæ sacrificium pro pluribus specialiter oblatum non minus cuique prodest quam si pro uno tantum specialiter oblatum fuisset. Ita nimirum censent nonnulli Theologi, inter quos sic loquitur Cajetanus in 3. part. quæst. 79. artic. 5. *Ex secundo autem dicto*, S. Thomæ sic loquentis, (Quamvis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna) *habes quod una Missa non perdit vim satisfactionis suæ pro primo offerente ex hoc quod pro secundo, tertio, quarto, quinto &c. offertur: sicut quantitas devotionis unius nihil tollit de quantitate devotionis alterius.* Id Cajetano ita persuasum fuit ut hanc conclusionem eliciat: *Unde arguendi, instruendique sunt simul homines ignoranter petentes, vel exigentes pro sua eleemosyna totam sibi Missam dari aut suo defuncto: nihil enim minus ipse habebit, si mille alii petant eamdem Missam pro se ipsis, & aliis defunctis, quam si pro ipso solo celebrari dicatur: imo ex hujusmodi in devotione sic petentis, damnum videtur incurrere quod minus sibi proderit.*

Idem dogma Gammachæus Sorbonicus Doctor confirmat ex absurdis quæ ex opposita sententia sibi videtur elicere. Sequitur 1. (inquit) Parochum qui præest numerosæ plebi, & pro quibus ex justitia diebus festivis, & dominicis specialiter offerre tenetur, minus prodesse cuique, Parochiano, quam si haberet pauciores, ac proinde potiorem esse eorum conditionem qui habitant in minori Parochia, quam eorum qui in ampliori. Sequitur 2. ex Missa Episcopi singulos diœcesanos minorem fructum colligere quam singuli Parochiani colligant ex Missa sui Parochi, illa enim pro pluribus, ista vero pro paucioribus specialiter offertur. Sequitur 3. uberius emolumentum ex iis Missis percipi, quibus pauci fideles adsunt, quam ex iis quibus adest ingens fidelium numerus, siquidem pro præsentibus sacrificium specialiter offeratur. *Memento Domine famulorum famularumque* (inquit Sacerdos ex liturgiæ præscripto) *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* Sequitur 4. sacrificii effectum esse tum intensive tum extensive finitum, quod quidem falsum est (inquit laudatus author) se habet nimirum sacrificii virtus sicut lux solis, quæ nequaquam minuitur in uno licet plures alii ea fruantur; imo magis vel minus participatur secundum majorem vel minorem dispositionem subjecti in quo recipitur. Atqui si ea Cajetani pluriumque aliorum Scholasticorum opinio veritate nitatur, licebit Sacerdoti pro una Missa multiplex stipendium recipere, nec receptum restituere tenebitur; ei nempe qui stipendium prior obtulerit, nulla fit injuria per acceptionem alterius stipendii, eum nullum inde passurus sit detrimentum, quippe quod sacrificium æque ipsi proderit ac si pro illo tantum specialiter fuisset oblatum; Unde consequens erit corruere penitus quæ Urbanus VIII. & Alexander VII. de Missarum stipendiis definiere.

Resp. 1. Scholasticos sibi invicem hoc in capite graves censuras inurere. Dominicus Soto lib. *de Justitia & jure*, contendit sententiam, qua asseritur Missæ sacrificium specialiter pro pluribus oblatum, æque prodesse singulis, ac si pro uno tantum oblatum fuisset, contendit (inquam) esse scandalosam, ac populos avertere ab offerendis eleemosynis quas a prioribus sæculis hucusque in subsidium sacrificantium contulere. E contra sententia negans traducitur ab aliis tamquam quæ Sacerdotum charitati limites præfigat, quippe quod (ajunt) efficiat ne specialiter pro pluribus orent, ne fidelium vota & commendationes admittant, ejusmodi nimirum admissione sibi, amicis, consanguineis, benefactoribus nocerent quam maxime.

Resp. 2. hic opus non esse ut eam Scholasticorum litem dirimamus; cum utraque, sive affirmante sive negante sententia, Urbani & Alexandri decreta facile concilientur. Nam 1. praxis Sacerdotum qui plurima stipendia in unum sacrificium conjungunt, avaritiam redolet. 2. contraria est justitiæ, cum opposita sit conditioni, sub qua plura stipendia collata sunt. Fert autem ea conditio ut Sacerdos tot Missas celebret quot accepit eleemosynas, idque ut per iterata sacrificia cultus divinus augeatur, & seu vivorum, seu mortuorum animæ multiplicatis precibus ac suffragiis adjuventur.

Quæres quænam pecuniæ quantitas ad justum stipendium requiratur.

Resp.

Resp. Stipendii mensuram determinari non posse, per respectum ad effectum ant valnrem sacrificii, cum enim omnino spirituales sint, pretin æstimari nec possunt nec debent. Dicendum est ergo mensuram, de qua agitur, peti debere vel ex lege Ecclesiastica, vel ex rationabili eonsuetudine loci ubi Missa celebratur. Sed monitum velim lectorem rationi cnnsonam non esse eonsuetudinem quæ illud stipendium definit ex snmma quæ satis sit Sacerdotis in unam diem sustentationi. Ratin est, quia stipendia non conferuntur ad integram Piesbyteri sustentatinnem, sed ad illius adminiculum: Nec mirum; quippe quod sæculares Sacerdotes fruantur aut titulis patrimonialibus, aut beneficiis quæ teneant eorum locum; vetant nempe canones ne sæculares ordinentur, quin suffulti ad vitam titulo; Mendicantes vero, a populn fideli supponuntur recipere eleemosinas quibus vescantur, nec enim ad mnnasterium admitti debent plures quam consuetæ eleemosynæ snstentare valeant: Ut a fortiori concluditur veritate non niti eorum opinionem qui stipendii mensuram definiunt nnn solum ex sustentatione Sacerdoti necessaria, sed etiam ex iis quæ ad vestitum, vitæ humanæ subsidia, ut sunt supellectilia, famuli, imo ad debitorum solutionem requiruntur.

Articulus Sextus.

De dispositionibus ad Missæ celebrationem requisitis.

Dispositinnes quæ requiruntur ad celebrationem Missæ redncuntur, primo ad animæ sanctitatem, secundo ad puritatem corporis, tertin ad jejunium naturale. Triplicem illam dispositionem fuse explicuimus præcedentis dissertationis tota quæstione octava idest a pagina 228. ad pag. 238. Eas lector adire poterit; hic tamen moneatur nportet licere Sacerdoti debite contrito, cum urget necessitas celebrandi, & deest copia confessoris, cum conscientia peccati mnrtalis, sacris dare nperam, ea nihilominus lege postea quamprimum confiteatur: *Quod si necessitate urgente* (inquit Tridentinnm) *Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Ab ea vero lege nnnnulli Casuistæ presbyteros de quibus agitur eximere tentarant, causati Synodi verbis cnnsilium, nnn autem præceptum contineri; sed ab Alexandro Papa VII. proscripti sunt, quippe qui hanc propositionem damnaverit: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium non præceptum.* Sed cum quidam alii recentiores in Concilii Tridentini verbis præceptum agnoscerent, vim illius fictis explicationibus eludere conati sunt. Obligat quidem Concilinm ad confessionem quamprimum faciendam, (inquiebant) sed illud, *quamprimum* non debet intelligi de quærenda statim confessnris copia, nec de ea quæ paulo post sese ultro offerat, sed dum Sacerdos sun tempore confitebitur. Vanum illud commentum explosit idem Alexander Papa VII. a qua proscripta fuit hæc propositio numero 39. *Illa particula* QUAMPRIMUM *intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Hoc in articulo expendendum esset num majores nostri lapsos in flagitia Sacerdotes, licet postea pœnitentes, ab altaribus in perpetuum excluserint, & qua cautela his temporibus Eucharistiæ confectio iis indulgeri possit, sed aptior erit eo de argumento dicendi locus in dissertatione de Censuris, quam ad calcem dissertationis de pœnitentiæ Sacramentn legere est.

Caput Secundum.

De præcepto audiendi Missam.

Triplex erit hujusce capitis articulus. In priore dicemus de lege qua quique fideles tenentur sistere se præsentes sacrificin; in altero de Missa Parochiali; & in tertio de dispositionibus ad audiendam Missam requisitis.

Juenin de Sacram.

Articulus Primus.

An fideles lege aliqua teneantur sistere se præsentes sacrificio?

Conclusin. Fideles jure Ecclesiastico, quod in Divino fundatur, tenentur festivis diebus, & singulis Dominicis sistere se præsentes Missæ sacrificin.

Probatur 1. ex Concilio Agatensi quod anno Christi 506. habitum est: *Missas* (inquit can. 47.) *die Dominico a sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus*. Idem sancitum est in Concilin IV. Carthaginensi. Quæ ab iis provincialibus Synodis decreta sunt, admiserunt omnes Ecclesiæ, proindeque vim habent quæ ubique fideles nbliget. 2. Legem illam fundari in jure divino ex eo evincitur, quod sit hujusce legis, *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, quædam specialis determinatio; sanctificatin enim Sabbati pietatis officia, ac praxim injungit, quænam vero esse debebant ejusmodi officia, Christus prudenti Ecclesiæ judicio determinandum commisit. 3. Jam ante Agathensis Concilii tempora vigebat ea lex apud fideles; non enim novæ institutionem sed cnnfirmationem veteris, redolet Agathensis cannn 4. Apostolorum ætate singulis diebus Dominicis fideles ad sacrificium conveniebant, ex ea cnnsuetudine manarat disciplina, quam describit S. Justinus Martyr in secunda Apologia, quam pro Christianis exaravit altero Ecclesiæ sæculo: *Solis* (inquit) *qui dicitur die, omnium qui in oppido vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit ... precibus peractis, panis offertur & vinum & aqua &c.* Quare vero ea die potius quam altera fideles ad sacrificium convenirent idem authnr paulo post his verbis edocet: *Solis autem die communiter omnes conventum agimus quandoquidem is primus dies est quo Deus tenebris, & materia, quam creaverat, versa mundum effecit; & Jesus Christus servator noster eo ipso die a mortuis resurrexit.*

Quæres 1. Quinam Ecclesiasticæ legi de audienda Missa non faciant satis?

Resp. 1. non fieri satis ab iis qui toti liturgiæ non intersunt: *Missas* (ait canon Agathensis) *totas teneri præcipimus*. Quandonam autem eo in capite quis mortaliter peccet, dijudicandum est ex parte quam omittit; gravem vero ecnsemus esse partem, quæ est ab introitu ad Evangelium usque, cum & orationes & hymnum cherubicum, & Apostnlorum aut Prophetarum lectionem complectatur; unde a fortiori colligitur non niti veritate eorum sententiam qui contendunt satisfacere præcepto fidelem, modo adsit cum peragitur offertorium: in eam enim partem tamquam quæ magni esset momenti Majores nostri quondam liturgiam diviserunt, unde speciali ratione eam appellarunt Missam catechumenorum.

2. Ab iis non adimpletur præceptum Ecclesiasticum qui statim post communinnem discedunt; non levis enim est pars quam nmittunt; in ejusmodi discessionem gravi pœna animadvertendum esse Patres Agathenses definiunt: *Ita ut* (inquiunt canone 47.) *ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat, Qui si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.* In Gallias nostras irrepserat abusus exeundi ex Basilicis ante liturgiæ finem, sed a Cnncilius provincialibus itum est ipsi obviam: *Nec nisi absoluto post benedictionem Evangelio discedent* (inquit Concilium Tolosanum quod anno 1590.) habitum est. Idem antea decretum fuerat in Italia a S. Carolo in priore Concilio Mediolanensi: *Ne prius discedant* (inquit Tituln de iis quæ pertinent ad celebrationem Missæ) *quam Sacerdos Evangelium quod post benedictionem dicitur, absolverit.*

3. Præceptum de quo est hic quæstio ab iis non adimpletur, qui plures Missæ partes a diversis Sacerdotibus simul audiunt: falsa nimirum est hæc recentiorum qnnrumdam Casuistarum propositio, qnam nuper proscripsit Innocentius Papa XI: *Satisfacit præcepto*

Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas hujus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. Non adimpleretur quoque ab iis qui duas partes etiam successive, a duobus Sacerdotibus audiret: nec mirum, eæ siquidem partes unum, & idem sacrificium non constituunt.

4. Infractæ Ecclesiasticæ legis rei sunt qui per gravem aliquam liturgiæ partem voluntarias patiuntur evagationes mentis. Qui nullo pietatis sensu afficiuntur. Qui ad templa se conferunt ut curiosis ac lascivis obtutibus suorum oculorum libidinem expleant. Qui tantum abest ut cogitent de obtinenda peccatorum contritione, quin potius expresse & actu in amore scelerum cor obfirment suum; sed hæc impresentiarum satis sint, de iis recurret sermo cum agetur de dispositionibus quæ necessariæ sunt, ut quis eo quo par est modo, sacrum audiat.

Quæres 2. quænam eximant ab audienda Missa? Resp. eximere primo impotentiam, qua nimirum fiat ut omnino aut moraliter alicui sit impossibile sistere se præsentem sacrificio, aut saltem quin aliquod grave detrimentum incurrat. 2. Excusat charitatis exercitium, ut si quis suam opem conferat ægrotanti, a quo sine illius periculo discedere non possit. 3. A debito audiendi Missam officium aliquando liberat, ut videre est in milite, qui dum peragitur sacrificium, excubias agit; idem quoque patet in ovium pastoribus, quorum loco pastores alii substitui non possunt. Sed ubi id fieri potest, parochi moneant oportet. *Patresfamilias ut filios, & famulos quos in bestiis pascendis occupant, saltem diebus festis Missæ jubeant interesse.* Verba sunt prioris Concilii Mediolanensis sub S. Carolo habiti. Idem Concilium propter consuetudinem quæ in aliquibus Italiæ locis obtinuerat, de viduis sic decernit: *Viduæ ob maritorum mortem ad summum ne mense amplius sint sine Missæ auditione: qua in re nulla valeat excusatio cujusvis consuetudinis, quam irritam decernimus; Eas item Episcopi, etiam censuris Ecclesiasticis, id facere cogant.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De Missa Parochiali.

Ut cum methodo pertractentur quæ ad Missam Parochialem pertinent, quærendum est 1. utrum jus Canonicum vetus fidelibus debitum imposuerit audiendi Missam Parochialem: 2. an jure novo eadem lex confirmata fuerit: 3. num Summi Pontifices fideles ab ejusmodi onere liberarint per aliquas Bullas, aut posteriora Brevia, 4. utrum leviter peccent qui numquam aut saltem raro sistunt se præsentes Parochiali Missæ.

§. I.

Utrum jus Canonicum vetus Missam Parochialem audiendi debitum fidelibus imposuerit?

Conclusio. Jus Canonicum vetus fidelibus Missam Parochialem audiendi debitum imposuit.

Probatur. Quæ quindecim prioribus sæculis viguerunt Ecclesiasticæ leges, fidelibus injunxerunt ut Dominicis, & festis diebus sisterent se præsentes Missæ Parochiali. Ergo jus Canonicum vetus, debitum imposuit audiendi Missam Parochialem. Antecedens in quod difficultatis cardo vertitur, demonstratur subsequentibus argumentis.

1. Prioribus sæculis Regularium templa laicis nequaquam patebant: Privata nimirum erant oratoria, e quibus plerumque exibant festivis diebus, ut cum populo in Cathedralibus Ecclesiis adessent tremendo sacrificio, & Eucharistiam e manibus Episcoporum reciperent, aut si tunc privatim offerebant, cavebant in primis ne ad suas Missas populum fidelem admitterent. *Missas publicas* (inquiebat labente sexto sæculo, Gregorius Magnus ad Castorinum Episcopum Ariminensem scribens) *in cœnobiis fieri omnino prohibemus, ne in Dei servorum recessibus, & eorum receptaculis ulla popularis præbentur occasio conventus.*

2. Iisdem sæculis cautum erat iis, quibus incumbebat animarum cura, ne dum offerretur sacrificium, in suis Ecclesiis alienum Parochianum festivis diebus paterentur: *Ut Dominicis, & festis diebus* (inquit canone primo Concilium Nannetense, quod Christi anno 895. habitum est, quodque Gratianus retulit in jus Canonicum) *Presbyteri antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Missa sit, qui proprio contempto Presbytero ibi Missam velit audire. Quem si invenerint, statim ab Ecclesia ejiciant, & ad suam Parochiam redire compellant.*

In eum Nannetensis Synodi canonem velim lector observet his verbis: *Proprio contempto Presbytero*, non significari formalem (ut vocant) Parochi contemptum, sed interpretativum dumtaxat positum in mera Parochiæ omissione; ita ut idem sit sensus ac si canon hisce aliis verbis; *Proprio omisso Presbytero*, constaret. Ratio est 1. quia eo canone præscribitur, ut dum offertur sacrificium, alienus Parochianus eliminetur e templo; At statutum illud inane fuisset, si verba, de quibus agitur, de contemptu formali intelligerentur; non enim potuisset executioni mandari, quippe quod formalis ille contemptus, utpote in Parochiani mente latitans, ab alieno Parocho detegi non potuisset. Confirmatur ex eo quod nulla patuisset via qua Parochus internum illum contemptum nosceret; non enim est verisimile quod interrogante Sacerdote, num adesset alienus Parochianus, ipse se ipsum proditurus fuisset, certus aliunde fe facta ejusmodi confessione mox turpiter eliminatum iri. Non est quoque probabile quod eum fideles interioris in proprium Presbyterum contemptus insimulaturi fuissent, tum quod latuisset eos, tum etiam quod si in illius suspicionem venisset, factum inficiando purgasset se ipsum, ac proinde facili negotio Synodalis decreti executionem impedisset. Ratio datæ solutionis est secundo, quia idem Nannetense Concilium duos tantum casus recenset, quibus alienum Parochianum ad Missam admittere licuisset: *Ut nullus Presbyter* (inquit canone 2.) *alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat;* Cum exceptio firmet regulam, necessario consequitur locum non habuisse tertium casum, quo nempe Parochianus proprium Presbyterum non habuisset despectui, ac proinde quo potuisset ad Missam admitti. Illi rationi robur ex eo additur quod casus de itinere, & de placito raro admodum contingerent, cum e contra tertius de quo agitur obvius esset, & occurreret singulis ferre hebdomadis, unde si locum habuisset, a Patribus Nannetensibus non debuisset prætermitti.

3. A Concilii Nannetensis temporibus ad sæculum usque decimum quartum dubitavit nemo quin fideles Ecclesiasticis legibus ad Missam Parochialem diebus festis audiendam tenerentur. Verum medio eodem sæculo nonnulli ex inclytis Mendicantium ordinibus contestati sunt ejusmodi leges vim amisisse suam per privilegia, quibus a summis Pontificibus donati fuerant. Parochi coram Innocentio Papa VI. anno 1357. ejusmodi religiosis Avenione litem intentarunt. Egit Parochorum causam Richardus Archiepiscopus Armachanus. Sed præoccupatus morte, ad ultimam usque definitionem eam perducere non valuit, ob id tamen fideles ab avito suo more non discesserunt, nec Parochi suo juri cessere, imo ubique eo potiti sunt, ac proinde Ecclesiasticæ leges per non usum non abierunt in desuetudinem.

4. Sub finem sæculi xv. intentata coram Innocentio Papa VI. lis diremta est a Sixto Papa IV. assumpto ex fratrum Minorum ordine: Edidit nempe Constitutionem quæ incipit, *Vices illius*, & in qua hæc verba ad caput de quo agitur spectantia legere est. *Fratres mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus festis, & Dominicis: cum jure sit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia: nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.*

In eam Sixti Papæ IV. constitutionem, quæ relata est in jus Canonicum, ac proinde vim habet

juris

juris communis, observari potest 1. ea non condi jus aliquod novum, sed antiquum confirmari: *Cum* (inquit) *jure cautum sit &c.* 2. Jus quod supponit ut Mendicantibus prohibeat ne prædicent Parochianos non teneri audire Missam diebus festis, & Dominicis in eorum Parochiali Ecclesia, jus (inquam) illud vetare fidelibus ne etiam secluso proprii Presbyteri contemptu, absint a Parochiali missa: Nam si de casu quo Parochianus proprium Presbyterum contemneret, intelligeretur, hoc unum definiisset Papa, honorem a Parochianis proprio Presbytero exhiberi debere, quod est absurdum: neque enim id negabant Mendicantes qui suis concionibus ac scriptis, Summi Pontificis constitutioni dederant locum, hæc nimitum erat eorum mens; hæc opinio quod ex vi privilegiorum, quæ Benedictus XI. Bonifacius VIII. Gregorius IX. Clemens V. Mendicantium Ordinibus concesserant, fideles a Missæ Parochialis debito liberati fuissent: Unde laudatus Pontifex ad suæ constitutionis calcem definiit nullam, quoad caput de quo erat quæstio, habendam esse rationem privilegiotum hujusmodi: *Non obstantibus* (inquit) *constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac privilegiis, eisdem Fratribus in genere, vel in specie concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Sensum quem Sixtinæ constitutioni mox adscripsimus, nonnulli conantur enervare ex eo quod Summus Pontifex hanc clausulam addat: *Nisi forsan ex honesta causa, ab ipsa Ecclesia se absentarent.* Et sane (inquiunt) semper occurrit honesta illa causa, quæ ex Sixto, fideles eximit a Parochiali debito; in templis scilicet privilegiatorum Divina reverenter peraguntur, concionibus maxime piis ac doctissimis populi moventur ad virtutis exercitium, Eucharistica communio decenter admodum dispensatur; Adsunt viri religiosi qui ardentes zelo, & præditi scientia quorumcumque fidelium confessiones excipiunt.

Verum nullius est ponderis ejusmodi responsio. Si enim valeret, sequeretur 1. repugnantia locutum fuisse Sixtum Papam IV. quippe qui definiisset fideles jure obligari ut missæ Parochiali sistant se præsentes, *Cum jure sit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia.* Non teneri vero quod privilegiatorum templa frequentare possint. 2. Sixtus Papa sua constitutione damnavit eos qui tunc in Germania concionati fuerant fideles posse subducere se a Parochorum Missa, ut templa privilegiatorum adirent, ubi (inquiebant) Divina, majori cum reverentia peragebantur, quam in Ecclesiis Parochialibus: Sub eo nimirum obtentu, & aliis similibus, fidelem populum a Parochiis avocabant. 3. Canones vetant, nedum Missa Parochialis celebratur, conciones, congregationes, aliaque ejusmodi in privilegiatorum templis habeantur, ac proinde sub eorum exercitiorum obtentu fideles a debito Parochiali non liberantur. 4. Aliis horis ab ea qua Parochialis Missa peragitur, fidelis populus potest adire privilegiatorum templa, ubi (inquiunt adversarii, quod & nos fatemur) Divina reverenter peraguntur, confessarii tanta pietate ac scientia præditi excipiendis fidelium confessionibus præponuntur. Tandem fideles meminerint oportet quæ consilii sunt, iis quæ legibus præcipiuntur, præferri non debere.

§. II.

Quid jus novum de Parochiali Missa statuerit?

Conclusio. Jure novo diebus festis ac Dominicis, fideles tenentur se ipsos sistere præsentes Parochiali Missæ.

Probatur. Jus novum continetur Concilio Tridentino, & Synodis Provincialibus, quæ post ipsum habitæ, confirmatæ fuerunt a Summis Pontificibus: Atqui Concilii Tridentini, Synodorum Provincialium decretis, fideles festis diebus, & Dominicis tenentur sistere se præsentes Missæ Parochiali. Ergo &c. Antecedens in quo posita est difficultas subsequentibus argumentis ostenditur.

1. Concilium Tridentinum duobus in locis Missæ Parochialis meminit. Sess. 22. *Decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, sic loquitur: *Moneant* (locorum Ordinarii) *etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant.* Sess. 24 capite 4. de reformatione hæc leguntur: *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum verbum Dei*; ac proinde ipsis debitum incumbere ut sistant se præsentes Parochiali Missæ, inter cujus solemnia, Parochorum concio haberi solita fuit semper; *Mandat Sancta Synodus* (inquit Tridentini Patres Sess. 21. cap. 8) *Pastoribus, & singulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis & festis.* Idem repetit Sess. 24 de reformat. cap. 7. *Curabunt* (inquit) *ut inter Missarum solemnia aut divinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita, eadem vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.* Non postremis tantum sæculis, sed etiam prioribus, prius ille mos obtinuit: *Solis qui dicitur die* (inquit in secunda Apologia Justinus Martyr, sæpius hoc in opere laudatus) *omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit: & Commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde Lectore quiescente, præsidens orationem, qua populum instruit, & ad imitationem tam pulchrarum rerum cohortatur, habet.*

In allata ex Concilio Tridentino decreta duo observanda sunt, quibus adversariorum effugia præcluduntur. 1, Observandum est per terminum, TENERI, quo sacra Synodus utitur, intelligi strictum debitum, nun vero quod *deceat* tantum. Nec mirum, nullo enim in canone, nullo in decreto, nullo in Parre, imo apud nullum vel prophanum, qui latine scripserit, verbum, TENERI, pro re sumitur quæ sit tantum ex decentia: Major igitur est illius vis, quam verborum *Oportet*, *Debet*, hæc quippe non semper accipiuntur pro stricto debito, sed pro opere quod decet ac convenit, ut cum dicitur quod Sacerdos *debet* singulis diebus Missam celebrare. Confirmatur ex eo quod si verbum TENERI, quod Concilium adhibet in meram decentiam detorqueatur, eo pariter inflecti poterit cum erit quæstio de aliis tum veterum tum recentiorum locis, in quibus ipsum pro stricto præcepto sumi, ipsi etiam adversarii confitentur. Confirmatur iterum ex eo quod eadem sacra Synodus Sess. 22. in calce decreti de observandis injungat Episcopis, ut ad debitum Parochiale fideles, etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus sit, compellant. Ubi enim de ejusmodi onere populum moneri debere asseruit, hæc immediate post subjicit: *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponantur, ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint; ipsi pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam, ut delegatis Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant; atque ad ea inviolate servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, consuetudinibusque quibuscumque.* 2. Observandum est adverbium, COMMODE, quod idem Concilium adhibet, oppositum non esse debito seu præcepto stricte sumpto, quod per verbum, TENERI, expressit: neque enim aliud significat quam istud, nempe populum teneri sistere se præsentem Parochiali Missæ, ubi id poterit absque detrimento valetudinis, rerum, negotiorum, vel charitatis officiorum quæ proximo impendenda sint; Ea additio in omnibus humanis legibus licet non exprimatur semper, subintelligitur tamen, cum, secluso scandalo, leges Ecclesiasticæ, si tamen in naturali aut in divino jure non fundentur, sub ingenti rerum propriarum detrimento fideles non ligent.

2. Omis-

2. Omiſſis hic variorum Conciliorum Provincialium textibus, quos hujuſce capitis paragrapho tertio deſcribemus, quique Synodum Tridentinam de debito ſtricte ſumpto interpretantur, laudanda ſunt Comitia generalia Cleri Gallicani, quæ habita ſunt Pariſiis anno 1655. Quinque ſupra triginta Epiſcopi præter multos ſecundi ordinis doctiſſimos ac maxime pios Sacerdotes, qui ad illa Comitia convenerant, de præcepto ſtricte ſumpto, Concilii Tridentini textus jam jam relatos interpretati ſunt. *Fideles* (inquiunt) *feſtis diebus ac Dominicis, aut ſaltem ex tribus Dominicis altera, jure tenentur ſiſtere ſe præſente Parochiali Miſſæ; ad ejus vero legis obſervationem, adhibitis etiam Eccleſiæ cenſuris ab Epiſcopis compelli poſſunt. Nuſquam Tridentina Synodus populum fidelem exemit a frequentandæ Parochiæ debito, ſive ut adſit Parochiali Miſſæ, ſive ut in ea Dei verbum audiat: Sed potius Epiſcopos adhortata eſt ut creditos ſibi populos debitum illud doceant ac moneant.*

Quidam, cujus inſtitutum & nomen hic prætermittimus, nuper in famoſo contra nos conſcripto libello, de quo ſermo brevi occurret, aſſerit laudata mox Cleri Gallicani Comitia de iis tantum fidelibus agere, qui religionis rudimenta non calleant; non autem de cæteris quibus perſpecta ſint. Sed quam aliena ſit a mente Patrum Gallicanorum ea interpretatio multis momentis demonſtrari poteſt. 1. Ei quæ mox relata eſt definitioni locum dederant nonnulli qui anno 1654. adverſus Illuſtriſſimi Epiſcopi Andegavenſis de audienda Miſſa Parochiali ſtatutum publice exaratis ſcriptis ac theſibus inſurrexerant: Sed nec Illuſtriſſimus Epiſcopus, nec ii qui illius ſtatutum impugnarunt, de iis tantum locuti ſunt, quos fugerent religionis elementa: Ergo nec Patres Gallicani ad Comitia generalia Pariſiis anno 1655. adunati. 2. Iidem Patres Tridentinam Synodum exponunt; De iis igitur loquuntur de quibus ſacra Synodus agit; At Synodus docet: *teneri unumquemque* fidelem *Parochiæ ſuæ intereſſe*. 3. Terminus, *Fideles*, quo eadem Gallicana Comitia utuntur, indefinitus eſt; Ergo, ſi veræ ſint logicorum regulæ, æquivalet univerſali termino, *Omnes*, ac proinde cum definiunt *fideles* teneri ſiſtere ſe præſentes Miſſæ Parochiali, idem eſt ac ſi aperte profeſſi fuiſſent omnibus fidelibus ejuſmodi debitum incumbere.

3. Anno 1659. Alexandro Papæ VII. oblata fuit hæc propoſitio Andegavi typis mandata: *Nullus in foro conſcientiæ Parochiæ ſuæ intereſſe tenetur, nec ad annuam confeſſionem, nec ad miſſam, nec ad audiendum verbum Dei*. Hocce vero judicium de ea tulit laudatus Summus Pontifex: *Illa propoſitio, quoad primam, & ſecundam partem accepta, eſt erronea, & temeraria: Et quoad tertiam, ſervetur diſpoſitio Concilii Tridentini*. Nec obeſt conditio, quæ illi definitioni ſubjicitur ab eodem Pontifice: *Suppoſitis vero privilegiis Apoſtolicis, nullam meretur cenſuram*. Nam eſt hic quæſtio de jure, nempe an jus novum fidelibus præſcribat ut ſiſtant ſe præſentes Miſſæ Parochiali, paragrapho vero ſequenti expendemus an ſint aliqua privilegia Apoſtolica, quæ fideles eximant a jure, ſive a lege de audienda Miſſa Parochiali.

4. Anno 1689. promulgatam a nobis Veſuntione apud Sequanos hoc de argumento diſſertationem quidam conſcripto libello aggreſſi ſunt, ac conteſtati. 1. nec vetus nec novum jus fidelibus præſcribere ut audiant Miſſam Parochialem: 2. eam legem, dato quod olim extiterit, non vigere modo propter privilegia Mendicantibus conceſſa: 3. nullum admitti peccatum ab iis qui, ſecluſo Parochorum contemptu, abſunt a Miſſa Parochiali: 4. neminem cenſuris Eccleſiaſticis poſſe compelli ad audiendam Parochialem Miſſam. Conſcriptam a nobis diſſertationem ſuo Chyrographo munierat vir perilluſtris D. D. FRANCISCUS BONAVENTURA JOBELOT, Eccleſiæ Byſuntinæ Vicarius Generalis, & Canonicus Archidiaconus, quem præter virtutes ſingulares, quibus eminet, ſingularis eruditio commendat. Tanti tamen viri ſuffragium non impediit, quin aſſertæ a nobis doctrinæ articulos mox relatos oppoſuerint. Verum Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D.D. ANTONIUS PETRUS DE GRAMMONT Archiepiſcopus Byſuntinus, zelo quo ardet, ſanctiore diſciplina, quam apud Sequanos invexit, exædificato propriis ſumptibus Seminario, erecta etiam Miſſionariorum domo, qui diœceſim perluſtrent, de Eccleſia optime meritus in eoſdem articulos ac eorum authores animadvertit cenſura, cujus exemplar ad futuram rei memoriam hic deſcribendum cenſemus: ſic autem habet.

ANTONIUS PETRUS DE GRAMMONT, Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopus Byſuntinus, ſacri Imperii Princeps &c.

Omnibus ac ſingulis Diœceſeos noſtræ fidelibus ſalutem in Domino.

CUM *vigilantis ſit Paſtoris creditum ſibi gregem non bonis, & utilibus tantum alimentis recreare, ſed etiam a malis noxiiſque ſubtrahere ac revocare; Curam omnem, ſtudiumque adhibendum eſſe duximus, ut huic laborantis Eccleſiæ parti occurreremus, dando operam ne edita paucis ab hinc diebus Epiſtola, libri ſpeciem gerens, diœceſanorum noſtrorum manibus teratur: hujus autem libri Titulus aut ſuperſcriptio hæc eſt*. EPISTOLA ANNO 1691. CONSCRIPTA PER T. A. C. D. B. THEOLOGIÆ CANDIDATUM AD AUTHOREM DISSERTATIONIS DE MISSA PAROCHIALI, QUÆ BYSUNTII EVULGATA EST ANNO 1689. *Eoque exitioſus eſt libellus ille, quo caſtigatos Parochorum mores, ad momenta officiorum omnium diligenter exactos, diſciplinæ Eccleſiaſticæ regulis, noſtræque diœceſeos inſtitutis maxime congruos commaculet ac deturpet. Eo (inquam) exitioſus quo totum acriter Clerum appetit, & populis occaſionem ſcandali præbet; quippe qui eos a Parochiarum ſuarum officiis dimoveat, ſubtrahat a regimine Paſtorum, quorum curæ ac ſolicitudini redempta Chriſti ſanguine animas Spiritus ſanctus credidit. Eo temeritatis progrediuntur libelli authores, ut puriori Parochorum doctrinæ injuſtam inurant hæreſeos labem. Itaque præmiſſo diligenti examine, adhibito etiam plurium Theologorum conſilio, neceſſarium eſſe duximus iſtius libelli lectionem ac diſtributionem in diœceſi noſtra inhibere utpote erroneam doctrinam continentis, ſacri Concilii Tridentini decretis contrariam, quod ſiquidem Concilium Epiſcopis injungit ut populos admoneant, quo frequenter Parochiis, ſaltem Dominicis, feſtiſque præcipuis interſint, facitque facultatem, ut etiam tamquam delegati ab Apoſtolica ſede, pœnis ac cenſuris ad id officii eos compellant, nulla privilegiorum, immunitatum, appellationum, conſuetudinum habita ratione, Decreti vero Tridentini hæc ſunt verba*, Moneant &c. *Quo vero muniti ſacræ Synodi mandato, ſancita ea de re Archiepiſcoporum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta innovamus ac reſtituimus, volumuſque ut in poſterum obſerventur tamquam lex, & præceptum, quæ jamdiu in Eccleſia ſancita ſunt, quæque obtinent in Germania, Flandria & præſertim in Galliis ut pluribus in Conciliis, quæ variis in regni provinciis habita ſunt, videre eſt, nec non etiam in Sixti Papæ IV. conſtitutione, quæ incipit*, Vices illius, *quaque religioſi Mendicantes prohibentur prædicare populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis diebus feſtis, & Dominicis, niſi ipſis legitima, & honeſta cauſa ſuppetat. Cum vero in ea Conſtitutione laudatus Summus Pontifex anathema in eos intorſerit, qui huic legi non paruerint, eoſque non niſi poſt debitam ſatisfactionem abſolvi poſſe ſanciverit, Epiſtolæ, ſeu libelli authores, necnon cooperatores in Excommunicationem latæ ſententiæ prout laudata conſtitutione decernitur, incidiſſe declaramus; ac tum authoritate ordinaria, tum etiam tamquam delegati ſedis Apoſtolicæ, eidem pœnæ ſubjicimus Typographos, Librarios, Mercatores, cæteroſque tum Regulares tum Sæculares, qui librum illum aut edere, aut vendere, aut diſtribuere, aut legere, aut apud ſe retinere maluerint: noſtroque Promotori injungimus ut ea in re muneris ſui vices impleat, recurratque, ſi opus fuerit ad brachium ſæculare, quæ executioni mandetur hocce noſtrum decretum; quod quidem in præcipuis noſtræ diœceſeos Eccleſiis promulgatum volumus, ut cujuſque citius veniat in cognitionem.*

Signatum, ANTONIUS PETRUS Archiepiſcopus Byſuntinus.

Da-

Datum Vesuntione in nostro Palatio Archiepiscopali die 7. Julii an. 1691.
De mandato D. D. mei J. G. Amey.

Ex iis quæ hactenus dicta sunt, evidenter patet, jure novo præscriptum esse fidelibus, ut Dominicis & festis majoribus sistant se præsentes Parochiali Missæ. Vacillant scilicet omnino cavillationes eorum qui contendunt Tridentinam Synodum locis mox laudatis exponi debere non de præcepto, sed de consilio; non de lege audiendi Missam in Parochia, sed de mandato audiendi verbum Dei; illam vero legem non ad omnes fideles spectare, sed ad eos tantum, quos fugiunt prima Christianæ religionis elementa. Nullius etiam est ponderis quod alii reponunt; nempe Concilium Tridentinum receptum non esse plerisque in Provinciis, in Gallis præsertim; nam quoad illud caput sæpius in Francia tum a Generalibus Cleri Comitiis, quorum textus superius relati sunt, tum a Conciliis Provincialibus, quæ paragrapho quarto laudabuntur promulgatum est.

§. III.

An Summi Pontifices per aliquas Bullas aut aliqua Brevia populum fidelem liberaverint a debito audiendi Parochialem Missam?

Conclusio. Summi Pontifices nusquam per Bullas aut per Brevia quæ vim habeant, populos liberarunt a debito audiendi Parochialem Missam diebus a jure statutis.

Probatur. Quæ ab adversariis laudantur constitutiones sunt primo Bullæ per quas ordinibus Mendicantium Summi Pontifices ad Sixtum usque Papam IV. multa privilegia concesserunt. Secundo Bulla Leonis Papæ X. quæ incipit *Intelleximus*: Tertio Constitutio, *Etsi Mendicantium* Pii Papæ V. Quarto Breve *Significatum* ad Episcopos Belgas missum a Clemente Papa VIII. Quinto Constitutio, *Ex plenitudine potestatis*, quam laudat Jacobus De Vemant. Atqui per ejusmodi Bullas, Constitutiones, Brevia fideles liberati non fuerunt a debito audiendi Missam in Parochia diebus a jure statutis. Minor propositio ex iis constabit quæ de earumdem Bullarum, Constitutionum, Brevium germano sensu seorsim dicenda sunt.

De Bullis ad Sixtum usque Papam IV. editis pro Mendicantium Ordinibus.

Gregorius Papa IX. ann. 1227. Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis cæterisque animarum regimini præpositis injunxit, ut inclytos Fratres Prædicatores ad concionandum Dei verbum admitterent: *Populos* (inquit) *sibi commissos ex ore ipsorum verbi Dei semen devote suscipiant, sedulo admonentes pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia*. Bonifacius VIII. circa ann. 1295. eamdem potestatem prædicandi Christi Evangelium confirmavit: *Libere valeant* (ait) *Clero & populo prædicare ac proponere verbum Dei, hora illa dumtaxat excepta in qua locorum Prælati prædicare voluerint*. Clemens Papa V. facultatem a Bonifacio Mendicantibus concessam confirmavit in Concilio Viennensi, quod in Galliis receptum est.

Sed nihil ex iis concessionibus concluditur quo fideles a suis Parochiis avocentur. Nec enim in ejusmodi privilegiis quidquam legitur quod vel indirecte legem, de qua agitur labefactarit. Summi nimirum Pontifices supposuerunt ea tantum hora concionaturos fuisse Mendicantes, quo fidelis populus audiendæ Missæ Parochiali debito non vacaret. Nec est quod quis reponant Mendicantes per Bonifacii decretum prædicare permissos fuisse qualibet diei hora, ea dumtaxat excepta, qua ipsi locorum Ordinarii prædicare vellent; Siquidem hic loquendi modus, *Quacumque hora*; sic intelligi debet, ut fideles tunc debito aliquo persolvendo impediti non essent: Si enim ea in amplitudine sumeretur, quæ omne omnino tempus complectatur, privilegiatis licuisset ea etiam hora concionari qua Missa & quidem in plerisque locis unica, celebrata fuissent; Quod est absurdum.

Præterea. Dato quod nonnulli ex Pontificibus Maximis qui Romæ sederunt ante Sixtum Papam IV facultatem fecerint fidelibus, ut omissa Parochiali Missa, conferrent se ad templa Regularium; concessionum hujusmodi nulla jam temporis habenda esset ratio; quippe quod omnes, & singulæ rescissæ fuerint a Sixto Papa IV. per Bullam quæ incipit *Vices illius*, quæque ubique recepta est: *Non obstantibus* (inquit mox laudatus Pontifex) *Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac Privilegiis, eisdem Fratribus in genere, vel in specie concessis contrariis quibuscumque*. Iis vero verbis suam bullam conclusit, quod Mendicantes contenderent vi privilegiorum quæ suis Ordinibus concessa fuerant, fideles esse liberos a jure quod Missæ Parochialis auditionem præceperat.

De Bulla Intelleximus *Leonis Papæ X.*

Leo Papa X. in Constitutione quæ incipit, *Intelleximus*, data Romæ anno 1517. sic loquitur: *Auctoritate Apostolica notum facimus omnes Christi fideles utriusque sexus, qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali, in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis & festis diebus, Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec aliquam labem peccati incurrere*.

Sed primo. De Missa Parochiali silet omnino laudata Leonis Constitutio, definit tantum non peccare eos qui in Ecclesiis Fratrum Mendicantium, Dominicis & festis diebus Missas audiunt; quod ultro concedimus. Definit iterum eosdem facere satis præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, quod & nos fatemur; sed aliud est præceptum quod diebus Dominicis, & majoribus festis urget, audiendi nempe Parochialem Missam, cujus quidem præcepti Leo X. in sua constitutione non meminit. 2. Licet daretur Leonem antiquo juri derogasse, adversarii causam non obtinent, eo quod Concilium Tridentinum, hac in parte ubique fere promulgatum, hujusmodi constitutionem revocaverit; Ubi enim Sess. 22. in decreto *de observandis* varia præscripsit quæ ad tremendum sacrificium spectant, & in primis debitum de audienda Missa Parochiali, sic loquitur: *Hæc igitur* omnia *quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis proponuntur, ut non solum ea ipsa sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta Synodo potestate ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris Ecclesiasticis aliisque pœnis quæ eorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant*, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus et consuetudinibus quibuscumque.

Nec evadunt qui respondent per *non obstantiam* communem ac generalem cujusmodi est ea, quæ mox laudata est ex Concilio Tridentino, non derogari privilegiis in corpore juris clausis. Nam 1. Leonis Bulla de qua hic agitur, non continetur in corpore juris, quod quidem clauditur Extravagantibus communibus, quæ ante Leonis X. Pontificatum editæ sunt. 2. Falsum est quod assumitur ab adversariis, seu per clausulam generalem non derogari privilegiis specialibus: constat quippe Concilium Tridentinum revocasse facultatem de audiendis fidelium confessionibus non obtenta Ordinarii approbatione, a Clemente Papa V. Mendicantibus concessam in Concilio Viennensi: Et tamen ejusmodi facultatis laudata Tridentina Synodus specia lite non meminit.

De Bulla Etsi Mendicantium *Pii Papæ V.*

Anno 1567. Pius Papa V. Constitutionem: *Etsi Mendicantium*, promulgavit, ubi definiit quod *Christi Fideles audiendo Missas in Ecclesia Fratrum hujusmodi, diebus Dominicis aut festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur*. Nec dici potest eum non agere de Missa Parochiali, cum expresse asse-

rat suam Constitutionem esse declarationem, seu expositionem sacri Concilii Tridentini, quod haud dubie de Missa Parochiali intelligitur: *Insuper* (inquit) *Sessionis 22. decretum quod populum sæpe ad suas Ecclesias, saltem Dominicis & majoribus festis convenire debere monet, insequendo volumus &c.*

Non diffitemur quin Bulla, *Etsi Mendicantium* agat de Missa Parochiali, sed contendimus vim non habere constitutionem hujusmodi; non tantum quod in orbis Christiani regionibus specialiter promulgata non fuerit, sed etiam quod a Gregorio Papa XIII. per Bullam quæ incipit. *In tanta rerum, & negotiorum mole* revocata sit; Eo nimirum loci Gregorius definit nullam habendam esse rationem aut concessionum aut declarationum quæ constitutione, *Etsi mendicantium* continentur, quæque opposita sunt sacro Concilio Tridentino: *Quin etiam* (inquit) *tollimus & abrogamus omnia irritantia, & alia decreta; necnon prohibitiones, declarationes, mandata, & quæcumque alia ipsis litteris, & constitutionibus opposita ... Quibuscumque illa sit concepta formulis, declarationibus, modificationibus, aliisque efficacissimis inviolabilibusque clausulis.*

Nec mirum videri debet quod Gregorius Papa XIII. declarationes Pii V. irritas fecerit; Neque enim a Pio editæ fuerant ut starent semper; quod quidem ex eo conjicimus, quod nonnullæ ex iis declarationibus ab ipsomet per posteriores constitutiones, rescissæ fuerint. Instar omnium sit ea declaratio per quam in laudata constitutione, *Etsi Mendicantium*, definierat decretum Concilii Tridentini de obtinenda ab Ordinario approbatione pro audiendis fidelium confessionibus, ad ordines Mendicantium non spectare; Ea enim ipsamet revocavit postea per Bullam, *Romani Pontificis*, quam anno 1571. promulgavit: *Declaramus* (inquit ibidem) *decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium audiendis confessionibus sæcularium, præpositorum, ab Episcopis facienda observari debere etiam in omnibus Regularibus quorumve ordinum Etsi Mendicantium, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac nostris litteris prædictis* (de Bulla *Etsi Mendicantium*, loquitur) *& aliis postea quibuscumque regularibus concessis, & forsan extensis.* Igitur certo certius est ex Bulla *Etsi Mendicantium* nihil posse concludi, quo latum in jure canonico de audienda Parochiali Missa præceptum infirmetur.

De Brevi, Significatum, *Clementis Papæ VIII.*

Clemens Papa VIII. in Brevi quod incipit, *Significatum fuit nobis* dato ann. 1592. hæc statuit: *Præsenti nostro decreto sancimus sæcularibus universis libere Missas diebus Dominicis, & aliis majoribus festis audire in Ecclesia tam Fratrum Prædicatorum quam aliorum Mendicantium nec non etiam Societatis Jesu, licite posse, dummodo in contemptu Parochialium Ecclesiarum non faciant.*

Nemo est qui decreto prout sonat sumpto, libenter non pareat; sed si quis inde concluderet posse quemque fidelem abesse pro libito a Missa Parochiali, ut eam in templis Mendicantium Dominicis, & festis diebus audiat, similis esset ei qui sic argumentaretur: *Canonicus licite ac libere potest sistere se præsentem Missæ in Mendicantium templis: ergo non tenetur adesse solemni Missæ, quæ canitur in Ecclesia, cui per beneficium est adscriptus.*

Verum (reponunt adversarii) status controversiæ Parochos inter, & Mendicantes Belgas non erat utrum liceret fidelibus Missam festivis diebus audire in templis regularium, sed in hoc positus erat, an sic audientes Canonibus Missam Parochialem præcipientibus facerent satis; ac proinde cum litem illam Clemens Papa VIII. diremerit, ejus Breve quod incipit, *Significatum*, de Missa Parochiali intelligi debet.

Fatemur quidem Parochos Belgas de Missa Parochiali dimicasse cum privilegiatis; sed addimus eosdem privilegiatos germanum controversiæ statum non exposuisse Summo Pontifici; arbitrati nimirum se causam obtenturos facilius, conquesti sunt quasi Belgarum Parochi asseruissent fidelibus non licere diebus festis, sistere se præsentes Missæ in Regularium Ecclesiis. *Significatum fuit nobis* (verba sunt Clementis VIII. factum enarrantis quod illius Brevi occasionem præbuerat) *nuper in oppido Duaceno Atrebatensis diœcesis nonnullos Parochos maximo cum fidelium scandalo, tum & dicendo & concionando, tum omnes reprehensionibus, & censurarum Ecclesiasticarum comminationibus perterrendo, Christi fideles avertere ne festis diebus ad Ecclesias Fratrum ordinis Mendicantium, atque collegii Societatis Jesu pro Missis audiendis accedere, affirmantes ipsis tam de jure quam de consuetudine prohibitum esse in aliis quam Parochialibus Ecclesiis Missas diebus festis audire.*

Sed (inquiunt iidem adversarii) si Clemens Papa hoc unum definierit, licere fidelibus audire Missam festivis diebus in Ecclesiis privilegiatorum, cum Belgarum pastores illius Breve executioni mandare detrectarunt? cur hisce verbis de illius subreptione conquestus est Archiepiscopus Cameracensis in sua ad Clementem Epistola? *Ita ut obnubilata veritate & suggesta falsitate, Episcopis & Pastoribus non auditis, Presbyteri Societatis Jesu obtinuerint quidquid voluerunt.*

Ad hujusmodi quæsitum ipsa se offert responsio; Conquesti sunt Parochi Belgæ, quod privilegiati tunc abuterentur illo Brevi, sicut & abutuntur modo; Ex eo nempe concludebant, sicut & nunc concludunt, liberos esse a debito audiendi Parochialem Missam, qui Dominicis aut Festis diebus sisterent se præsentes in Ecclesiis Ordinis Mendicantium; quod tamen a Clemente definitum non fuerat, tum quod (ut jam observatum est, id non ferant verba quibus utitur; tum quod in suo Brevi injungat debitum Parochiale: *Ipsis vero privilegiatis* (inquit) *eadem authoritate præcipimus, ut in concionibus, & catechesibus populum ipsum, tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Missas præsertim Dominicis, & Festis diebus audiendas, tum ad decimas, resque alias Ecclesiis debitas solvendas frequenter moneant & adhortentur.* Tum denique quod post Brevis *Significatum*, promulgationem in Belgio, Episcopi sedulo curarint ut fideles præceptam jure Parochialem Missam audirent: *Insuper expressissime & serio*) ait illustrissimus Archiepiscopus Cameracensis in decreto quod pro sua diœcesi tulit anno 1594. *verbi Dei in diœcesi nostra prædicatoribus inhibemus prædicare aut docere ad id* (loquitur de Parochiali Missa) *populum non teneri, neque obligari, cum de jure, & per dictam consuetudinem immemorialem ac decreta Synodalia, ad id* (Missam in Parochia Dominicis, & Festis diebus audiendam) *notorie ac indubitate teneatur, sub pœna suspensionis officii prædicationis, atque aliis quas discretioni nostræ reservamus.*

Iis quæ circa Breve *Significatum*, hucusque dicta sunt, addi potest quod, etiamsi daretur per ipsum juri communi de Missa audienda in Parochiis, Dominicis ac Festis diebus, derogatum fuisset in Belgio; idem tamen pro cæteris orbis Christiani provinciis dici non deberet; Nec enim valet hoc argumentum: *Clemens Papa VIII. Belgas exemit a debito audiendi Parochialem Missam. Ergo exemit pariter cæteras orbis Christiani provincias.* Et sane cum ejusmodi facultas esset privilegium seu exceptio a jure communi, de iis tantum intelligi potest, quibus specialiter fuit concessa.

De Constitutione, Ex plenitudine potestatis, *Urbani Papæ VIII.*

Jacobus de Vernant in libro quem Gallice inscripsit *La defense de l'authorité du Pape contre les erreurs de ce tems*, seu Latine: *Defensio authoritatis Pontificiæ contra hujusce etatis errores*, refert Bullam ab Urbano Papa VIII. editam 3. Idus Martii ann. 1625. quæque incipit, *Ex plenitudine potestatis*; Ea vero in Bulla sic idem Jacobus de Vernant loquentem inducit Summum Pontificem: *Populus libere potest in diebus Dominicis, aut aliis festivis accedere ad Ecclesias Regularium pro audienda Missa, neque in hoc Ordinarii valent aliquod impedimentum Regularibus vel populo præstare.*

Sed 1. de ejusmodi Constitutione idem ferri debet judicium ac de Brevi Clementis Papæ VIII. seu dicendum est ea definiri quidem licere populo Dominicis ac Festivis diebus adire Regularium templa ut Missam audiat, non definiri vero per Missam apud eosdem Regulares auditam fieri satis juri Canonico, quo Missa Parochialis præscribitur. 2. Addendum est constitutionem, *Ex plenitudine potestatis*, fuisse suppositam a Jacobo De Vernant: Nec enim in aliquibus Bullariis re-

pe-

peritur, nec in iis etiam quæ post ejusdem Constitutionis tempora prodierunt in lucem. Mirum non est, quod author de quo agitur eam constitutionem pro vera obtruserit, quippe quod neminem lateat librum quem inscripsit, *La defense &c.* seu *Defensio &c.* tum factis omnino fictitiis, tum multis erroribus scatere; adeo ut Sacra Facultas Parisiensis ann. 1664. judicaverit tot tantosque esse *at sicat numerum, ita & censuræ modum excedant*.

§. IV.

An leviter peccent fideles qui numquam, aut saltem raro intersunt Parochiali Missæ.

ANtequam solvatur difficultas, quæ vertitur in controversiam, lector monendus est ea, quæ hic dicturi sumus, ad fideles tantum spectare qui in illis versantur orbis Christiani regionibus, in quibus canones qui Parochialem Missam præcipiunt, abrogati non sunt per consuetudinem iis suffultam conditionibus, quæ, secundum jus Canonicum, rescindendæ humanæ legi sufficiant.

Conclusio. Non leviter peccant qui numquam, aut saltem raro, sistunt se præsentes Parochiali Missæ.

Probatur ex gravitate pœnæ qua Canones castigarunt eos qui statutis jure temporibus, non intersunt Parochiali Missæ.

Primo Concilium Eliberitanum medio sæculo tertio celebratum, Sardicense circa medium quartum, aliæque non paucæ veteres Synodi decernunt excommunicatione mulctari debere fidelem, qui per tres Dominicos dies continuos sine causa a publicis conventibus abfuerit. Eorum Conciliorum vestigiis inhærens Tridentinum declarat penes quemque Episcopum esse eadem pœna in fideles animadvertere, qui officio de quo agitur, parere contumaciter detrectaverint: *Censuris Ecclesiasticis* (inquit Sess. 22. in decreto de Observandis) *aliisque pœnis quæ eorum arbitrio constituerentur, fidelem populum compellant*. Concilium Provinciæ Burdigalensis sub Cardinale De Sourdis Archiepiscopo Burdigalensi habitum ann. 1624. hæc habet Titulo De Officiis Divinis cap. 3. *Patrum ultimi Provincialis vestigiis inhærentes, decernimus, vetus illud decretum* (de Eliberitano & Sardicensi loquitur) *quo proposita excommunicationis pœna præcipitur, ne quis tribus continuis Dominicis a Parochialis Missa celebratione absit, singulis quibuscumque Dominicis denuntiari populo, & publicari: ac, ut accuratius observetur, Confessarios quoscumque, sive sæculares, sive regulares scrutari pœnitentes, an huic officio satisfecerint, proposita eisdem gravitate peccati, obligatos esse declaramus, iisdem omnibus & singulis concionatoribus & confessariis præcipientes, ut inter concionandum, consulendumque privatim, exhortentur & moneant populum ut Missæ Parochiali intersit devote, & ad verbum Dei & divina officia audienda & cætera quæ cujuslibet officium pertingunt, ediscenda. Si quis autem concionator, confessarius aut Theologiæ Professor, eo temeritatis devenisse reperiatur, ut contra hoc decretum aliquid prædicare, consulere & docere publice, vel privatim ausus fuerit: eum ipso facto suspensionem, & interdictum incurrere decernimus, nulloque eum in loco provinciæ, utpote contumacem, & sacris canonibus adversantem, ad functiones suas inquam admittendum esse mandamus*. Eadem pœna decernitur in Synodo Turonensis provinciæ habita ann. 1583. *Sanctorum Patrum* (inquit) *antiqua decreta renovantes & omnibus & singulis Christi fidelibus, suis Missis Parochialibus interesse districte præcipimus: a quibus si per tres dies Dominicos continue sequentes illos abesse contigat, nisi legitimo impedimento retineantur, pœnas a sacris canonibus indictas incurrere declaramus*. Non possum hic prætermittere quæ de hoc argumento statuta sunt in Synodo Lingonensi ann. 1679. quæque ex Ritualis Lingonensis præscripto singulis diebus Dominicis leguntur, sic autem Gallice habent: *Nous denonçons pour excommuniés tous ceux, qui sans excuse legitime manquent pendant trois Dimanches consecutifs d'assister a leur Messe Paroissiale*; quæ quidem verba sic Latine redduntur: *Excommunicatos denuntiamus eos, qui per tres dies Dominicos continue sequentes a Missa Parochiali abfuerint*. Sed excommunicatio, quæ omnium censurarum est gravissima, infligi non potest iis, qui leviter tantum peccarunt juxta hæc antiqui cujusdam Concilii Meldensis verba: *Anathema est æternæ mortis damnatio, & nonnisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non poterit corrigi*. Ergo ex mente tum Concilii Tridentini, tum plurium Synodorum Provincialium, tum Ritualium, non leviter peccant qui numquam aut saltem raro sistunt se præsentes Parochiali Missæ.

Probatur 2. ex veteribus libris ritualibus. Antiquum Provinciæ Senonensis vetat ne ad Communionem Paschalem admittantur, qui sine causa honesta abfuerint a Missa Parochiali tribus Dominicis continue sequentibus. Rituale quod erat in usu in provincia Rothomagensi reponi inter casus Episcopos reservatos eorum peccatum, qui vel directe vel indirecte a frequentanda Parochia fideles avocaverint. Atqui propter leve peccatum denegari non potest Paschalis communio; Levem culpam sibi reservare non possunt locorum Ordinarii, cum fideles eam confiteri non teneantur. Merito igitur Concilium Burdigalense, cujus textum jamjam retulimus, Sacramenti Pœnitentiæ ministris injungit ut pœnitentes scrutentur an legi de audienda Parochiali Missa fecerint satis: *Proposita eis* (inquit) *gravitate peccati si ab ea tribus Dominicis continue sequentibus abfuerint*.

Probatur 3. ex eo quod ii qui numquam aut raro Missas in Parochia audiunt, contemnere videantur Matricem Ecclesiam, & Parochum propositum illius regimini. At fideles reverentiam singularem Parocho & Ecclesiæ matrici pluribus nominibus exhibere tenentur; quod etiam ipsa ratione docemur, quodque S. Carolus de Missa Parochiali agens hisce verbis explicat: *Perpendant Parochum etiam Sacerdotum sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colant atque observent: Hoc sibi proponentes illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum internuncium ac deprecatorem esse, Divinæ legis interpretem, dispensatorem mysteriorum Dei, Christianæ vitæ, & morum disciplinæ magistrum a quo omnes petant pie, recteque agendi consilium, ac denique ministrum fere omnium, quæ ad salutem eis necessaria sunt*.

Probatur 4. ex detrimentis quæ sequuntur ex absentia frequenti a Parochia: sunt autem detrimenta hujusmodi: Ignorantia Divinæ legis, proclamationum matrimonialium, litterarum monitorialium, vitandorum excommunicatorum, dierum quibus servilibus operibus vacare non licet, quibus præcipiuntur abstinentia a cibis vetitis, jejunium &c. Ea vero detrimenta cum non solum spectent privatum cujuscumque fidelis bonum, sed etiam ad publicam Ecclesiæ utilitatem pertineant, levis momenti esse non possunt. Qui igitur ultro sese tantis malis exponit (ut revera exponit se qui absque honesta causa frequenter abest a Parochiali Missa) non leviter peccat.

Solvuntur Objectiones,

Objicies 1. Præcipua ratio qua asseritur non leviter eos peccare qui numquam aut raro intersunt Parochiali Missæ, petitur ex censuris quibus innodari possint. Atqui ea ratio nulla est: Siquidem teste Zerola, verbo, *Missa*, Congregatio Concilii Tridentini interpres, fertur hanc declarationem promulgasse: *Circa excommunicationem ferendam in eos, qui diebus Dominicis non accedunt ad Matricem vel Parochialem Ecclesiam pro Missa audienda, Congregatio censuit hanc pœnam excommunicationis, etiam in casu notabilis negligentiæ aut contumaciæ nullo decreto Concilii impositam fuisse*. Ergo &c.

Resp. 1. ementitiam esse ac suppostitiam ejusmodi declarationem. Nam 1. expressis Concilii Tridentini verbis contraria est: ita judicavit Sacra Facultas Parisiensis, quæ hanc propositionem excerptam ex libro Jacobi De Vernant, *Le Peuple ne peut en vertu du Concile de Trente etre contraint par censures, & peines Ecclesiastiques d'aller a la Paroisse les jours de Dimanche*, seu *Populus ex vi Concilii Tridentini, censuris Ecclesiasticis cogi non potest ut diebus Dominicis sistat se præsentem in Parochia*, eam (inquam) propositionem hac censura perstrinxit: *Hæc propositio est falsa, & decreto Concilii Tri-*

Tridentini contraria: ac proinde declaratio quam adverfarii objiciunt, non tam declarationis quam abrogationis loco haberi deberet. 2. Ea declaratio omnia præ fe fert inftrumenti falfi indicia: Nullius eft temporis; Nec Secretarii, nec præfecti Sacræ Congregationis chyrographo munita eft; Nullibi fuit promulgata, nec iis etiam in locis in quibus admittitur Sacræ Congregationis jurifdictio; Aperte repugnat alteri ejufdem Sacræ Congregationis declarationi ad Archiepifcopum Calaritanum infcriptæ. Audierat apud Congregationem laudatus Præful quafi prætermiffo juris ordine quod anathema intorfiffet in Diœcefanos, qui abfque honefta caufa fubtraxerant fe a Miffa Parochiali; ob idque monetur ut fideles ab hujufmodi anathemate folvat; ea tamen lege ut fi in contumacia perftiterint, tunc fervatis fervandis, cenfuris utatur: *Cum omne cohortationis, & admonitionis genus, ut Parochias frequentent, vehementius adhibuerit amplitudo tua Reverendiffima, Ejufdem etiam prudentiæ & pietatis erit illud anathematis remedium non nifi ex gravi caufa adhibere.*

Nec obftat quod aliqui reponunt, verifimile non effe quod Illuftriffimus Zerola falfam declarationem Sacræ Congregationi adfcribere voluerit. Nam Zerolæ potuit accidere quod viris etiam peritioribus nonnumquam accidit, facile nimirum decipi potuit falfo inftrumento, quod tamen verum exiftimarit: Unde non afferit fe vidiffe authenticum ejufmodi declarationis; forte etiam haufit ex collectionibus quæ cum Concilio Tridentino Lugduni prodierunt in lucem: earum vero collectionum nullam rationem haberi debere ex eo concluditur quod annuente Gregorio Papa XV. die 29. Aprilis ann. 1621. librorum prohibitorum indici infertæ fuerint.

Refp. 2. dato quod fert ejufmodi declaratio, nempe excommunicationem *nullo decreto Concilii* impofitam fuiffe; inde tamen non colligetur Synodo Provinciali, Epifcopos in fuis Diœcefibus non poffe per excommunicationem in eos animadvertere, qui ftatutis diebus in Parochia audire Miffam detrectarint. Et fane Summi Pontifices probarunt Concilia, quæ legis de qua agitur, infractores ejufmodi pœna mulctarunt. Gregorius XIII. poft Sacræ Congregationis examen, Concilium Rhotomagenfe fub Cardinale Borbonio habitum ann. 1581. fpeciali refcripto anno 1582. confirmavit, Rhemenfe fub Cardinale a Guifia celebratum ann. 1583. ab eodem Gregorio anno 1584. probatum eft; Idem Pontifex Maximus prævio ejufdem Sacræ Congregationis examine, Apoftolicis litteris muniit Burdigalenfe primum, quo verbis apertis anathema in eos intorquetur, qui tribus Dominicis continue fequentibus fe fe ab officio Parochiali fubtraxerint.

Objicies 2. In rebus quæ ad meram difciplinam pertinent, pofterior confuetudo legem contrariam abrogat. Atqui fere ubique per conftantem ufum firmata eft confuetudo non audiendi Miffam Parochialem: Ergo lex qua fideles prius tenebantur, nullam omnino vim habet.

Refp. de juris quæftione quam major propofitio continet, nullam a nobis moveri litem, nobis enim perfuafum eft fideles non teneri intereffe Parochiæ in iis provinciis, in quibus lex canonibus injuncta, legitima præfcriptione abrogata eft: Sed de quæftione facti, quam minor propofitio complectitur, nempe contrariam legi confuetudinem ubique invaluiffe, plurimum dubitamus, imo abfolute & univerfaliter fumpta, veritate non nititur. Nam 1. de hoc argumento in Comitiis generalibus Clerus Gallicanus fic patrio idiomate loquitur. *On ne peut pretendre qu'il y ait en France, ou qu'il y puiffe avoir une coutume contraire* hoc eft, *In Galliis nec eft, nec effe poteft confuetudo contraria.* 2. Non obtinere pariter eam confuetudinem in Belgio, aut apud Sequanos, fuperius demonftratum eft. 3. Ei confuetudini, quam adverfarii objiciunt, obftitit Ecclefia, tum Conciliis Provincialibus, tum Synodalibus ftatutis, tum libris ritualibus. 4. Iis etiam, quorum alioquin intererat populos a Parochis avocare, perfuafum fuit vigere adhuc in Galliis legem de qua agitur. Anno 1640. quidam cujus nomini & inftituto parcimus, delatus eft ad illuftriffimum Archiepifcopum Rhotomagenfem quafi publica in concione afferuiffet fideles diebus jure ftatutis non teneri fe præfentes fiftere Miffæ Parochiali; Ille factum conftanter pernegavit, tum domus, cui adfcriptus erat, præpofitus Rector palam conqueftus eft de iniqua in fui ordinis concionatorem accufatione; & quo fuam erga canones reverentiam teftatam faceret, fchedulam fuo chyrographo munitam illuftriffimo Archiepifcopo porrexit, quæ & impactam fodali fuo calumniam depulit, & fuam de Miffa Parochiali fententiam his verbis Gallicis aperuit: *Il n'eft pas permis de detourner les Fideles d'affifter a leur Meffe de Paroiffe: Mais il eft du devoir des Religieux de les y porter comme y etant obligez nommement par le S. Concile de Trente*, hoc eft, *Non licet avocare fideles a Miffa Parochiali: Sed onus incumbit Regularibus, ut eos utpote juffos a Concilio Tridentino, ad id officii hortentur.* Qui de facto quod mox relatum eft, plura noffe voluerit, alterum Tomum Commentariorum Cleri Gallicani poterit confulere.

ARTICULUS TERTIUS.

De Difpofitionibus ad audiendam Miffam requifitis.

UT qui cum fructu interfit Miffæ facrificio, nonnulla tum ex parte corporis, tum ex parte mentis requiruntur; quænam autem ea fint, duplici Paragrapho exponemus.

§. I.

Quænam ex parte corporis difpofitiones ad audiendam Miffam requirantur?

COnclufio. Is, qui Miffæ intereft, externum corporis fitum decenter componat oportet.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino quod quidem fefs. 22. in decreto *de Obfervandis*, fic loqoitur: *Neve patiantur* (locorum Ordinarii) *fanctum hoc facrificium peragi, nifi prius, qui interfint, decenter compofito corporis habitu, declaraverint fe mente etiam, ac devoto cordis affectu, non folum corpore adeffe.* Vult igitur facra Synodus ut quifque fidelis, qui facro intereft, externo corporis fitu mentis attentionem, & pium cordis affectum probet.

2. Concilium Mediolanenfe IV. fub S. Carolo Titulo 10. de iis, quæ pertinent ad fanctiffimum Miffæ facrificium hæc habet: *Cum Sacerdos ad altare accefferit, Miffæ facrificium facturus, Clericus, qui tunc illi miniftraturus eft, ubi alius non fit qui tunc hoc officium præftare poffit, circumfpiciat modefte aftantes; & fi quempiam animadverterit marem vel fœminam incompofito corporis habitu, aut alias contra præfcriptas regulas Provincialibus noftris Conciliis, cum injuria vel irreverentia fanctiffimi illius Sacrificii intereffe, moneat graviter ut opus erit, neque Sacerdos ante, Miffæ initium faciat, quam omnes, qui adfunt decenter compofito corporis habitu declaraverint fe mente etiam ac devoto cordis affectu, non folum corpore adeffe.* Idem S. Carolus in priore Concilio Mediolanenfi habito anno 1565. Titul. V. hæc jam ante fanciverat: *Fideles cum Miffæ interfunt, eodem veftitu fint, quo in publicum prodire folent, & ita fe componant ut corporis habitu animi religionem præ fe ferant.* Ipfa igitur veftium munditie S. Præful vult ut fideles fuam in tremendum facrificium reverentiam teftentur.

3. Quæ in Galliis poft Tridentinum habita funt Concilia, compofitum quoque ad modeftiam, corporis fitum fidelibus, qui facrificio adeffent injunxere, explicueruntque qua in re pofitus effet ille fitus.

Turonenfe habitum ann. 1583. vetat ne quis deambulet in Ecclefia, dum Divina peraguntur: *Prohibemus laicis* (inquit Titulo 15.) *ne in Ecclefia, potiffimum durantibus Divinis officiis, deambulent, fub pœna excommunicationis, quam contra eos, qui moniti non deftiterint, per Ordinarios pronunciari volumus, & mandamus.* Prohibet quoque inanes confabulationes: *Jubemus quoque* (ait ibidem) *ut Sacerdotes Chrifti fideles moneant, quando ad Ecclefiam conveniunt, fine ftrepitu*

ac

ac tumulta eam ingrediantur , in qua Ecclesia , quandiu orationis causa morantur , nequaquam inanes inter se habeant confabulationes ; illo enim tempore , divis Chrysostomo , & Ambrosio auctoribus , quo Missarum solemnia celebrantur , non solum ab otiosis , & inutilibus verbis , verum etiam perniciosis cogitationibus prorsus est abstinendum. Mundanum in mulicribus ornatum interdicit. *Cum* (inqnit) *nos doceat Apostolus mulierem non velato capite orantem, deturpare caput suum, nec minus esse turpe, non velari quam tonderi, aut decalvari, minimeque eam deceat tortos habere crines, & pectus suum nudare, non tantum virgines , sed etiam mulieres, ne sui decoris, & officii omnino oblitæ videantur , intortis crinibus , ac non velatis capitibus , & pectore , potissimum in Ecclesia incedere probibemus. Indignum est enim mulieres Christianas , quas decet cum verecundia , & sobrietate ornatas , pietatem per opera bona profiteri, meretricio more, intortis crinibus, nudatis capitibus , & pectore, se velut nundinatitias populo exponere.* Quem in mnlieribus insectatur mundannm vestium ornatum mox arguit in viris: *at* (ait) *cum mollis corporis cultus, in fœmina Christiana damnandus sit , multo certe magis in viro, qui caput mulieris est, damnari debet. Ideoque ex Concilii generalis Constantinopolitani , in Trullo habiti, decreto excommunicationi subjacere eos omnes definimus , qui capillos ad videntium detrimentum scite excogitatis nexibus adornant , & componant , & infirmis animis escam ea ratione objiciant .*

Utinam ad eos canones attenderent Presbyteri, qui absolutionem iis mulieribus , ac adolescentibus impendunt qui eodem cum apparatu , eodem immodesto vestinm, & capitis ornatu sistunt se præsentes sacrificio, ac si in choreis, ludis, mundanisque cœtibus versarentnr; faxit Deus O. M. ut eæ regulæ observentur oculis eorum præpositorum, qui turpis lucri spe illecti, patiuntur ut subditi snæ jurisdictionis Sacerdores celebrent paulo ante meridiem licet sciant eo confluere tum mulieres, tum adolescentes qni composito ad lasciviam cultu , consabulationibus , obtutibus mutuo invicem sibi sunt scandalo .

4. Concilia non in genere tantum de externo corporis sitn loqnuntur , sed etiam explicant in specie quinam esse debeat dnm tremendum sacrificium offertur. Concilium Tolosæ habitnm anno 1590. cap. 6. hnnc in Missis privatis, corporis situm injungit : *Qui Missæ fideles intererunt* (inquit) *si non solemnis illa sit , toto illius tempore aperto semper capite , flexisque genibus precabuntur.* Rhemense, quod anno 1483. celebratum est, Titulo de Eucharistia nu. 20. hæc habet quibus probetur fideles stando quondam intersnisse sacrificio: *Quoniam autem* (ait) *apud omnes fere Catholicos usus modo obtinuit , ut procumbentes adorent Divinam Eucharistiam, sancta Synodus hortatur, ut si qua Ecclesia altero modo adhuc utatur , & stando Christi corpus in hoc sacrificio adoret , procumbat deinceps dum sancta mysteria proponuntur adoranda.* In Missis vero solemnibus satius est , ut fideles situm externum componant ad chori normam, qui modo sedet , modo assurgit , modo procumbit , *Dum legitur Evangelium* (verba sunt Rhemensis Concilii) *vel præfatio , omnes assurgant .*

Si quis vero roget , qnis veterum esset habitus corporis dum interessent sacrificio ; respondendum erit sedisse eos dum is, qui præerat, intra liturgiam concionaretur; qua quidem concione finita assurgebant , nt hymnos Deo persolverent , & offerrent sacrificium: *Commentaria Apostolorum , aut scripta Prophetarum* (inqnit Justinus Martyr describens in Apolog. 2. veterem in celebrandis Synaxibus ritum) *quoad tempus fert leguntur. Deinde Lectore quiescente præsidens orationem , qua populum instruit habet . Sub hac consurgimus communiter omnes , & precationes profundimus : & sicuti retulimus , precibus peractis , panis offertur , & vinum , & aqua.* Verum advertere oportet Justinum loco proxime laudato loqui de sacrificio , qnod offerretur die Dominica : *Solis qui dicitur die , &c.* nam feriis , quæ non essent a Paschate ad Pentecosten , si veteres convenirent, solebant precari flexis genibus ; In eam disciplinam sic apud eumdem Justinum lib. quæst. & responsionum ad Orthodoxos quæst. 115. quidam author inquirit : *Si genuum inclinatio in precationibus , magis peccatores Deo commendat , quam si stantes orent , magisque ea res divinam permovet commiserationem ? Quapropter diebus Dominicis , & a Paschæ feriis ad Pentecosten usque , peccantes genua non flectunt ? Unde autem talis etiam in Ecclesias pervenit consuetudo ?* Hisce vero verbis propositam sibi quæstionem Justinus solvit : *Quia utriusque nos oportuit jugem obtinere memoriam , & ipsius per peccata lapsus nostri, & gratiæ Christi nostri, per quam a lapsu resurreximus : ea propter genuum per sex dies inclinatio, symbolum & nota est lapsus per peccata nostri. Quod vero die Dominico genua non inflectimus , signum est , & designatio resurrectionis . . . A temporibus autem Apostolorum consuetudo talis accepit initium , prout ait beatns Irenæus Martyr & Episcopus Lugdunensis , in libro de Paschate , ubi quoque mentionem fecit Pentecostes , in qua genua non inflectimus , quoniam pari est cum die Dominico potestate , juxta eam , quæ de illa est dicta , causam .*

Stratos etiam in terra, si qua sæva urgeret calamitas , Fideles precari consnevisse , tota exemplo est Christianorum legio , quæ snb Marco Anrelio Antonino (ut ejusdem Epist. ad Senatum testatur) sic Deum precata , hostibus internecionem , & Romanis militibus ultimo laborantibus discrimine salntem obtinuit. Solebant etiam Christiani veteres expandere manus , & in altum tollere cum precarentur : idque non aliunde , quam ex institntione Apostolica ; Paulns enim ad Timotheum scribens hæc ait : *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus .* De eodem ritu hæc habet Tertullianus de corona militis capite 11. *Nos vero non attollimus tantum , sed etiam expandimus , & Dominica passione modulantes , & orantes confitemur Christo . . . . Atqui cum modestia , & humilitate adorantes , magis condemnamus preces nostras , ne ipsi quidem manibus sublimius elatis , sed temperate , & probe elatis , ne vultu quidem in audaciam erecto : Addit idem author sedendo adorare extra disciplinam esse .*

Quæres , qua in templi parte stare oporteat laicos , qui Missæ sacrificio intersunt ?

Resp. cuique antiquitatis perito persuasum esse , nemini laico , dum Divina peragerentnr , sive apud Latinos , sive apnd Græcos quondam chori aditum patuisse . Verum postremis hisce , corruptisque sæculis , Sacerdotum sedilia invadunt multis in locis tum viri, tum mulieres , ipsique etiam Sanctuario cum altaris ministris sese immiscent . Concilium Turonense ann. 1583. ne id deincops fieret , districte prohibuir ; sancivit nimirum primo ne mulieres ad chorum admittantur : secundo ne laici intra cancellos altaris remaneant : tertio ne iis etiam altaribus , quæ minime septa sunt , hæreant : *Mulieres* (inquit Titulo 15. de Christi fidelibus laicis) *ab ingressu chori , non tantum Cathedralium , sed etiam Collegiatarum , Monasteriorum , & aliarum quarumcumque Ecclesiarum arcentes .* Paulo ante sic edixerat mox landata Synodus : *Ut vero in Ecclesia , sessionum decens ordo servetur : sancimus , Laicis dum divina peraguntur officia , non licere chorum præcipue Cathedralium Ecclesiarum ingredi , & inter Ecclesiasticos sedere . Minusque dum Sacerdos Sacris operatur , altaris ambitum cancellosque ingredi , aut aliis altaribus minime septis , & ambitis hærere .* Idem decretum est ann. 1585. in Concilio Aquensi : *Nec vero quis* (inquir Titul. de celebratione Missæ) *vel vir , vel mulier gradibus altaris hæreat, aut prope altare sit , dum sacrum fit : Ideo Sacerdos celebraturus hærentes inde longius abscedere jubeat : quo celebrante , id ministrans clericus præstet .*

§. II.

De dispositionibus , quæ ex parte mentis ad Missam audiendam requiruntur .

HOC in paragrapgo expendemus 1. num status gratiæ requiratur , ut quis Missam cum fructu audiat : 2. an necesse sit , nt immunis sit ab affectu cujuscumque peccati mortalis ; 3. an & qua attentione sit opus .

Conclusio 1. Status gratiæ sanctificantis non requiritur, ut quis Missam audiat cum fructn; Unde impiis hominibus non tantum licet sistere se præsentes sacrificio ,

sed præterea monendi sunt, ut ei frequenter intersit.

Probatur 1. ex natura sacrificii Missæ, quod quidem (ut Concilium Tridentinum Sess. 22. definiit) vere propitiatorium est, seu per ipsum fit, ut quis peccati tum culpæ, tum pœnæ dimissionem obtineat; licet autem reo ei mysterio interesse, cujus beneficio veniam sceleris consequi potest. 2. Quamvis Pœnitentes antiquitus ejicerentur e templis dum tremendum hoc sacrificium offerretur; tamen Patres nonnullos homines patiebantur quos sciebant versari in peccati mortalis statu: Ejusmodi erant mulieres adulteræ, quas ne a viris detegerentur, non ad Prostratorum, sed ad Consistentium pœnitentium classem dimittebant; Consistentibus vero cum fidelibus interesse licebat Missæ sacrificio.

Objicies 1. Dicente cæco nato, cui Christus visum restituit, *Deus peccatores non audit*: Ergo Missæ sacrificium, quod per modum orationis offertur, iis non prodest, qui jacent in statu peccati mortalis.

Respondet his verbis August. tract. 44. in Joannem, illam Evangelii vocem, *Deus peccatores non audit*, hominis esse, *qui oculos corporis jam quidem restitutos habebat, sed ei oculi cordis nondum patebant. Adhuc inunctus loquitur, nam & peccatores exaudit Deus: Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret; Deus propitius esto mihi peccatori, & ista confessio meruit justificationem.*

Objicies 2. Celebre est apud Patres axioma hominem gratia destitutum nihil efficere posse, quod Deo gratum sit. Ergo qui non est in statu gratiæ, cum fructu non adest Missæ sacrificio.

Resp. illud Patrum axioma intelligi de gratia actuali, non autem de gratia sanctificante. Confirmatur ea solutio 1. ex Concilio Tridentino, quod quidem post alias antiquiores Synodos impium per actus fidei, spei, & charitatis ad justificationem se ipsum disponere definit: 2. ex adversariis, quos Patres impugnarunt, ii vero erant Pelagiani, & Semi-Pelagiani qui (teste Augustino, De gestis Pelagii capite 14.) negarunt necessitatem gratiæ, *quæ subministratione Spiritus sancti datur, ut ad actus singulos adjuvemur*: quamque idem Augustinus ad Bonifacium lib. 4. cap. 5. definit, *Inspirationem dilectionis, ut cognita sancta amore faciamus*: At impios, seu eos quibus peccati culpa nondum dimissa est, nonnunquam gratiæ actualis auxilio moveri docet fides catholica: *Declarat præterea* (inquit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 5.) *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur*. Itaque maxime distinguendi sunt subsequentes termini, unde aliqui occasionem scandali sumunt, *Status gratiæ, & auxilium gratiæ; Esse in gratia & operari ex gratia*. Status gratiæ spectat ad gratiam sanctificantem, quam Patres appellant; *Gratiam remissionis peccatorum; Gratiam regenerationis: Gratiam adoptionis: Gratiam sanctificationis, Gratiam inhabitationis*. Gratia vero, qua ad bonum indigemus *est auxilium transiens, & effectus Spiritus sancti, moventis quidem sed nondum inhabitantis*; Illa, sive sanctificans, non reperitur in impio; ista vero, idest gratia actuali, nonnunquam ad conversionem, & ad opera pietatis movetur.

Objicies 3. Antiqui Patres ex basilicis dum offerretur incruentum sacrificium, eliminarunt Energumenos, Catechumenos, Pœnitentes: *Porro Catechumenos* (inquit author lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3.) *& Energumenos, eosque qui pœnitentia ducuntur, sacrosanctæ Hierarchiæ mos patitur quidem audire sacram psalmodiam, divinamque sacrarum Scripturarum recitationem; verum ad eam, quæ deinceps sequuntur sacrificia, spectaculaque, nequaquam hos convocat, sed perfectos perfectorum oculos*. Ejusdem moris meminit Chrysostomus hom. 3. in Epistolam ad Ephesios, ubi eos exagitans, qui cum adessent mysteriis, præ socordia, & segnitie communicare nollent, hoc argumento compellat, quod ii qui non communicant, non differant a Pœnitentibus, & Catechumenis, qui Præconis sive Diaconi voce a mysteriis abigebantur; *Audis* (inquit) *Præconem stantem & proclamantem*: EXEANT QUOTQUOT SUNT IN POENITENTIA. Sed ideo Patres a mysteriis solemniter abigebant Pœnitentes, quod crederent gratiæ statum in iis requiri, qui adessent sacrificio; id Chrysostomus innuit cum ait neminem esse sacrificio idoneum, qui ad sacræ communionis perceptionem paratus non sit, *Non es dignus* (inquit) *sacrificio, neque participatione: Ergo nec precum communione*. Idem quoque docet mox laudatus author libri de Ecclesiastica Hierarchia: *Ubi demum* (ait) *divino templo sacrisque, quæ capacitatem eorum superant, exclusi sunt illi, qui nullis adhuc Sacramentis initiati omnino rudes existunt, & cum iis apostatæ vitæ sanctioris, & his conformiter illi, qui adversariorum terroribus, visisque præ ignavia facile moveantur... Deinde cum his ii quoque, qui contrariæ quidem illi vitæ nuntium miserunt, nondum tamen a visis habitu, amoreque divino, eoque purissimo purgati sunt, atque secundum hos ii, qui non omnino uniformes, & (ut Legis phrasi utar) non omnino immaculati, & incontaminati sunt*.

Resp. Patres, sic se gessisse) ut fert argumentum) non ex necessitate, cum (ut jam observatum est) multos gravium scelerum reos passi sint in templis, dum sacrosancta mysteria peragerentur; sed disciplinæ tantum causa, ut nimirum lapsi intelligerent se, nisi perfungerentur pœnitentiæ laboribus, exclusum iri in altero sæculo a Dei conspectu quemadmodum in isto arcebantur ab illius Sacramentis. Nec obstant Chrysostomus, & author libri de Eccles. Hierarch. in objectione laudati, quippe qui ad consuetudinem alludant, quæ eorum ætate in Ecclesiis servabatur.

Conclusio 2. Justitiæ amor, qui cordi dominetur, non requiritur absolute, ut fidelis cum fructu Missam audiat.

Probatur. 1. Justitiæ amor, qui cordi dominetur, perfectam, saltem extensive, contritionem complectitur. At ejusmodi contritio non requiritur, ut quis Missæ effectum percipiat; ea scilicet contritio ipsemet est sacrifici effectus: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus* (verba sunt Concilii Tridentini Sess. 22. cap. 2.) *gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia. dimittit*. Confirmatur ex eo, quod nemo Theologus asserere ausit viro implicato peccandi consuetudine non prodesse Missæ sacrificium, cui se præsentem sistit, ut auxilium obtineat, quo solvat vincula quibus constringitur; nec mirum, vir enim ille testatur se non corpore tantum, sed (ut Concilii Tridentini verbis utar) & mente, & devoto licet inchoato tantum, cordis effectu, tremendo adesse sacrificio. At ille idem vir nondum habet contritionem extensive perfectam, seu suum peccatum nondum super omnia detestatur, cum adhuc dominante ad lethale peccatum affectu laboret.

Objicies 1. Qui ex Missæ sacrificio fructum aliquem sperat, necesse est, ut illud cum Sacerdote offerat Deo Patri in remissionem peccatorum; unde in liturgia sic ipsum minister alloquitur: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerant hoc sacrificium laudis*. Atqui impius, qui peccata quorum reus est, nondum super omnia detestatur, sacrificium offerre non valet cum Sacerdote, quippe quod offerri tantum possit ab Ecclesia, cujus membra saltem, quæ vita spirituali fruantur, non sunt impii quorum cordi affectus ad peccatum lethale habitualiter dominetur: *Hoc est* (inquit Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 6.) *sacrificium Christianorum, multi unum corpus sumus in Christo, quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi eidem demonstratur, quod in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur*.

Resp. Viro, cui peccata vel habitualiter placent, satis esse debere, quod Ecclesia illius meminerit, dum per os manusque Sacerdotis offert sacrificium; nec requiritur, imo nec decet, ut ipse, cum membrum sit vita destitutum, sacrificium offerat cum Sacerdote: imitetur oportet pium latronem, qui licet adesset crucis sacrificio, ipsum tamen non legitur obtulisse cum virgine Deipara, quæ tunc justorum omnium agebat personam; publice quidem confitetur peccata: *Et nos quidem juste*, (inquit apud Lucam cap. 22.) *nam digna*

factis

factis recipimus: supplicio quo damnatus est ab hominibus, lubens subjicit sese, ut Deo satisfaciat; præteritis iniquitatibus contrarios virtutum actus opponit, innocentem nimirum,& justum ab impii socii calumniis vindicat: *Hic vero nihil magi gessit*; sed quod spectat ad sacrificium, quod peragitur eo præsente, nihil audet in ejus oblarionem; sibi satis esse ducit eum qui (ut ait Augustinus de Civit. Dei lib. 10. cap. 20.) Sacerdos, est offerens & oblatio, sic humiliter deprecari: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*.

Objicies 2. Ut quis ex Missæ sacrificio fructum percipiat necesse est, ut corpori Christi spiritualiter communicet. Id enim supponere videntur hæc verba sacræ Tridentinæ Synodi Seff. 22. cap. 6. *Missæ vero* (de iis agit, in quibus solus Sacerdos communicat) *communes censeri debent: partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro pro omnibus fidelibus celebrentur*. Atqui spiritualiter is communicare non potest, cujus cordi affectus ad peccatum lethale dominatur; quippe quod ad spiritualem communionem prærequiratur peccati odium; quod quidem in eo non est, qui nondum liber est a peccandi consuetudine.

Resp. 1. loqui sacram Synodum de Ecclesia prout justos complectitur; ii enim cum Sacerdote offerente semper communicant. 2. Communio spiritualis, quæ in voto fiat, & quidem conditionato, satis est impio, ut pie Missam audiat, seu si communionem sub hac conditione desideret, indignus sum qui reficiar Eucharistia, peroptarem tamen eo sacro pane vesci, nisi obstarent peccata, in quæ miser incidi.

Objicies 3. Concilium Tridentinum Seff. 22. cap 2. sic de dispositionibus ad Missam audiendam requisitis loquitur: *Docet sancta Synodus sacrificium istud vero propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vere corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. Sed nemini possunt adesse cor verum, recta fides, reverentia, contritio, pœnitentia, quin liber sit ab habituali affectu peccati; non enim sunt cor verum, recta fides, contritio, & pœnitentia, nisi a charitate imperentur, quæ quidem charitas peccati mortalis amorem, etiam habitualem excludit.

Resp. contritionem, & pœnitentiam quorum meminit sacra Synodus, debere quidem imperari a charitate, saltem imperfecta, & inchoata, cum dicente Augustino, non sit fructus boni operis, qui de charitatis radice non surgit, sed non est necesse, ut ea charitas sit perfecta etiam extensive, seu ut sit Dei super omnia. Nec mirum, nam ejusmodi pœnitentia, est medium quo impetretur pœnitentia, per quam impius peccatum super omnia detestetur (ut superius observatum est ex Concilio Tridentino) ac proinde, per quam obtineatur charitas, quæ singulis animæ affectibus dominetur: Ea vero inchoata, & imperfecta, etiam extensive, charitas cum dominante peccati amore componitur: unde impius potest se Missæ sacrificio præsentem sistere ex aliquo in Deum reverentiali metu ac proinde, qui ex charitate procedat, quamvis nondum satis virium, seu charitatis habeat, ut omnibus illius mandatis obtemperet.

Conclusio 3. Ut impius cum fructu Missam audiat, in eo inchoata saltem pœnitentia requiritur.

Probatur 1. Concilium Tridentinum in fidele, qui Missam audit, requirit devotum cordis affectum: ille vero pius affectus esse non potest in impio, qui de peccatis nulla ratione conteritur. 2. Sacra Synodus iis tantum pollicetur sacrificii fructum, qui contriti, ac pœnitentes ad Deum accesserint. 3. Impius, qui non est sollicitus de obtinenda contritione, propitiationi quæ Missæ sacrificio ex Dei ordinatione essentialis est ultro impedimentum opponit; mirum igitur non est, quod illius fructu plane frustretur. 4. Sacrificium Eucharistiæ, non operatur nisi per modum orationis: Sed is vere non orat, cui nulla ratione peccatum displicet: *Qui* (inquit Scriptura Proverbiorum cap. 28.) *declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*. Cujus quidem sententiæ hanc rationem reddit Gregorius Nissenus oratione secunda de oratione Dominica: *Improbi atque scelesti hominis oratio, quandiu in improbitate fuerit* (seu permanere voluerit) *diaboli invocatio est*. Præterea hypocrisim maximam præ se fert impius, qui cum in peccato permanere velit, statueritque externum illius actum complere, ubi se dederit occasio, audet sanctissimum religionis opus, quasi ipse pius esset, peragere. De ejusmodi homine vere dici potest, quod Propheta regius de plerisque Judæis quondam asseruit: *Dilexerunt eum in ore suo, & lingua mentiti sunt ei, cor enim eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus*.

Juenin de Sacram.



QUÆSTIO OCTAVA.

De Missæ ritibus.

Missæ ritus revocemus 1. ad dies quibus Ecclesia sacrificium offerre consuevit: 2. ad templa, & altaria in quibus peragitur: 3. ad instrumenta quibus minister indiget, ut ei det operam: 4. ad vestes quas sacrificaturus induit: 5. ad ea, quæ in illius celebratione recitantur: 6. ad idioma, quod adhibetur in liturgia: 7. denique ad varias partes ex quibus constat Missæ sacrificium.

Caput Primum.

Quibus diebus Ecclesia solita sit offerre Missæ sacrificium.

Conclusio 1. Apud Græcos Missæ sacrificium non offertur jejuniorum diebus.

Probatur. Græci jejuniorum diebus utuntur liturgia, quæ *De præsanctificatis* inscribitur; ea vero liturgia complectitur ritus omnes inter sacrificandum adhiberi solitos, una excepta consecratione, quæ per Quadragesimam bis tantum in hebdomada, Sabbato nimirum, & die Dominica peragitur: *Præsanctificatum autem ministerium* (inquit Theodorus Balsamon ad canonem 52. Trullanum) *incruentam sacrificium non dicimus, sed oblationem prius oblati, & perfecti sacrificii, sacrique mysterii*.

Quæres 1. num ille Præsanctificatorum usus apud Græcos multa antiquitate commendetur?

Resp. affirmative 1. Certum est ritum illum undecimo sæculo apud Græcos obtinuisse; Illius enim sæculi scriptor Nicetas cognomento Pectoratus meminit in libello, quem tunc in Latinos conscripsit: *Nos* (inquit Præsanctificatorum ritum describens) *Sabbato, & Dominica die secus tertiam diei horam, in qua, & Spiritus sanctus descendit super discipulos, immolantes, in ipsis sanctificamus munera, ex quibus sufficientia in tota hebdomada conservamus. In aliis autem diebus hebdomadis juxta tempus horæ nonæ diei concludentes omnem ministrationem in consummationem Completorii, agimus nos Sacerdotes cum diaconibus ingressum, thuribulum solum ferentes: & post lectionem prophetarum constitutas orationes, & Magno Basilio facientes appositionis altario, & orantes cum ipsis. Insuper autem, & traditam nobis a Domino orationem dicentes exaltamus præsanctificatum panem, & dicimus per sanctificata: Sancta Sanctis, & uniti communicamur pane, & calice mysteriorum Christi. Et ita agentes gratias Deo, relinquimus eos, atque dimittimus ex congregatione*.

2. Præsanctificatorum ritum sæculo VII. jam apud Orientales obtinuisse demonstrant hæc verba Canonis 52. Concilii in Trullo, quod anno 692. habitum est: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam & Sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die fiat sacrum præsanctificatorum ministerium*.

3. Ineunte quarto sæculo Laodicenum Concilium eumdem ritum præscribit: *Non oportet* (inquit can. 49.) *in Quadragesima panem offerri, nisi Sabbato, & Dominica tantum*. Vetat scilicet ille canon ne in Quadragesima offeratur sacrificium; sacrificium enim panis

oblatione veteres significatum voluere: *Si quis Episcopus vel Diaconus, vel ex Sacerdotali catalogo facta oblatione non communicaverit*, (ait Canon VIII. Apostolicus) *causam dicat*. Haud dubie eo in canone Apostolico, *Oblatio*, pro sacrificio sumitur: Ergo, & in quadragesimo nono Laodiceno. Eodem in sensu sumitur prioris Concilii Nicæni canone XVIII. ubi hæc habentur: *nec regula, nec consuetudo tradit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi illi, qui offerunt, corpus Christi accipiant*. eo nempe loci comprimuntur Diaconi, qui Presbyteris cum Episcopo concelebrantibus Eucharistiam porrigendi jus sibi arrogarant. Eadem ratione vox, *Oblatio*, de qua agitur, sumitur a Cornelio Papa apud Eusebium lib. 6. hist. Eccles. cap. 33. ubi describitur jusjurandum, quo Novatianus sibi adhærentes obligabat: *Cum fecisset* (inquit) *oblationes, & singulis partem Sacramenti distribuisset ... Jura mihi per hoc corpus, & hunc sanguinem Domini nostri Jesu Christi te numquam me deserturum*. Sed alienis testimoniis opus non est cum eadem Laodicena Synodus canone 58. oblationis nomen pro sacrificio usurpet: *Non oportet in domibus Oblationes ab Episcopis, sive Presbyteris fieri*, in quem canonem Zonaras hæc scribit, *Deo supplicare, precationibusque intentos esse, ubicumque tum in domibus, tum in agris, tum in omni loco dominationis ejus, fidelibus concessum: Oblationem vero præterquam in Templo, & altari peragi nequaquam oportet. Proinde ea facultate pariter Episcopis, & Sacerdotibus interdictum esse Canon decernit*.

4. Nonnulli Præsanctificatorum usum apud Græcos arbitrantur, si non ab Apostolis, saltem ab eorum discipulis institutum fuisse. Idque conjiciunt tum ex eo, quod mox laudata Laodicena Synodus non novum ritum instituere, sed veterem confirmare videatur, ac proinde jam ante quartum sæculum vigebat: tum etiam ex eo, quod natus videatur ex quotidiana fidelium, etiam laicorum communione: cum enim jejuniorum diebus fieret communio, nec offerretur sacrificium, antiqui, ut communicaturos ad devotionem excitarent, liturgicas preces recitarunt. In eam sententiam abiit Leo Allatius; nam in dissertatione de Missa præsanctificatorum numer. 15. sic loquitur: *Etsi ex eadem liturgia de ejus antiquitate conjicere licet, fatendum est tam esse antiquissimam, & eo ipso tempore fuisse in usu, cum non tantum Sacerdotes celebrantes, & Clerici, sed universus populus, non in solemnitatibus, & celebritatibus Sanctorum, & diebus Dominicis, sed singulis diebus, cum nulla erat peculiaris ratio, communicabant. Deprecatur namque Sacerdos in ea, Et dignos fac nos potenti tua manu participes fieri immaculati Corporis tui, & pretiosi sanguinis, & ministerii nostri universum populum. Ergo tunc quotidie, etiam dum præsanctificata absumebantur, universus populus communicabat, ne frustra Sacerdotem orare pro iis, quæ non erant futura, dicere cogamur. Ergo circa Apostolorum vel discipulorum subsequentium tempora, cum omnes communicare solebant, Liturgia ista præsanctificatorum peragebatur*.

Quæres 2. utrum præsanctificatorum Missæ censura aliqua debeatur.

Resp. Humbertum Cardinalem in sua responsione ad libellum Nicetæ Pectorati, usum Missæ præsanctificatorum duobus argumentis impugnare. 1. (inquit) *ipsum Dominum legimus non imperfectam, sed perfectam commemorationem suis discipulis tradidisse in pane a se benedicto, & mox ab eo distributo. Non enim benedixit tantum, & servavit frangendum in crastinum, nec fregit tantum, & reposuit, sed fractum statim distribuit*. 2. Hac alia ratione Humbertus urget Nicetam Pectoratum: *Si autem, ut dicis panem jam pridem oblatum, & sanctificatum iteratis altera die, unam oblationem videmini bis offerre*. Id vero contendit Clementis Papæ I. decreto repugnare: *Et cur non attendistis in Epistola Papa Clementis, cujus traditiones (ut putatis) contra nos defenditis, quod ubi promulgasse putatur? Certe (inquit) tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: Quod si remanserint, in crastinum non reserventur; sed cum timore, & tremore, Clericorum cautela, & diligentia consumantur*. Sed Cardinalis Humberti pace dixerim nullius omnino esse ponderis, quæ contra Nicetam Pectoratum urget argumenta; Nam 1. quæcumque Christus egit, ab eo præcepta non fuere; proindeque quamvis totum panem consecratum Apostolis statim distribuerit, inde non colligitur, quod totum quoque Ecclesia statim distribuere teneatur; Ea responsio nititur authoritate Cypriani Epistola 63. quæ est ad Cæcilium sic loquentis: *At enim non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus, num id ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus?* Nititur quoque authoritate Gregorii Nazianzeni, qui oratione in sanctum Baptisma sic contra eos argumentatur, qui baptisma ad annum usque trigesimum protrahebant causati, quod Christus ea tantum ætate baptizari voluisset: *Tibi autem, quid necesse est, ut dum exempla, quæ te sublimiora sunt sequeris, malum consilium capias, præsertim cum multa quoque alia ex iis, quæ tum ab eo gesta esse historiæ proditum est, a nostro ritu discrepare, ac tempore dissidere constet? Verbi causa, Christus paulo ante tentationem jejunavit: nos ante Pascha ... Ille Paschatis mysterium discipulis in cœnaculo tradidit, & a cœna, & unico ante passionem die, nos in templo, & ante cœnam, & post resurrectionem... Quid igitur mirum, cum quamvis salutis nostræ causa baptismum susceperit, temporis tamen ratione a nobis differre? Id quod tu mihi, velut magnum aliquid, & admirandum adversus tuam ipsius salutem opponere videris. Quare si quid me audiendum putatis, hujusmodi rationes valere jubete, atque ipsi ad bonum hoc prosilite, ac duplex certamen inite*. Quod igitur consecrata ad Missam Præsanctificatorum jejuniorum diebus peragendam serventur, aut non serventur, res est, quæ nec ad fidem, nec ad mores, sed ad meram disciplinam pertinet. Cuique igitur Ecclesiæ, aut ea servare, aut non servare liberum fuit, nec enim diversi ritus diversam fidem, aut diversos mores arguunt: *Cur cum una fides* (verba sunt Gregorii Papæ primi in Epist. ad August. Anglorum Episcopum) *sint Ecclesiarum consuetudines tam diversæ, & altera Missarum consuetudo est in Romana Ecclesia atque altera in Galliarum tenetur? Mihi placet, ut sive in sancta Romana Ecclesia, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesiam infundas*. 2. Quod idem Cardinalis ex iterata oblatione desumit argumentum sponte sua corruit; Quamvis enim idem panis, & idem vinum bis consecrari nec debeant, nec possint; nihil tamen vetat quin consecrata multoties offerantur. Humbertus ea ratione, si valeat, non Ecclesiam modo Græcam, sed & Romanam impetit quippe, quæ die parasceves ad Pascha pridie consecratis utatur in liturgia, quam tunc celebrat. Si iterata oblatio contra Christi institutionem pugnet, a Concilii Laodiceni temporibus ad hanc usque ætatem Ecclesia Græca, & a septimo sæculo ad præsens usque, Latina pessimo in errore versatæ sunt: Quod quidem nec ipse Humbertus admittere poterit,

Quidam altero argumento Præsanctificatorum Missam impugnant; eam scilicet ajunt eamdem esse cum Missa, quæ Sicca passim appellata est. Missa autem Sicca erat, in qua tota liturgia solebat recitari, iis tamen verbis exceptis, in quibus posita est consecrationis forma, quod nempe celebraretur aut in mari, aut in fluminibus, in quibus propter continuum motum, periculum fuisset ne pretiosus sanguis effunderetur; aut quod a non jejunis Sacerdotibus fieret: Eam vero Missam Siccam plerique post Estium Theologi illicitam esse censuerunt, Sed ingens est inter Missam Siccam & Missam Præsanctificatorum discrimen, si quidem dum illa celebratur non adest Corpus Christi, ac proinde nullus, ne quidem Sacerdos communicat; e contra in ista præsens est Christi corpus, Sacerdos, & plerique fideles communicant; unde ante Cardinalem Humbertum hancce Missam nullus scriptor traducere ausus est.

Quæres 3. cur Græci jejuniorum diebus non celebrent Missam perfectam, seu quæ præter preces, & communionem, consecrationem complectatur?

Resp. ritum illum ex eo ortum duxisse, quod Missa, hilaritatis, & gaudii celebritas quovis sæculo apud Græcos habita sit, jejunia vero mœrorem, & luctum importent, unde Orientalium Conciliis cautum fuit semper ne festi dies in Quadragesima peragerentur:

Non

Non oportet (inquit Concilium Laodicenum can. 51.) *in Quadragesima Natales Martyrum peragere, sed sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis, & Dominicis*, quibus quidem diebus, uno excepto privilegio Paschatis, nusquam jejunarunt.

Quæ mox allata est ratio hisce verbis a Zonara in canonem 52. Trullanum traditur; *Jejuniorum tempora, mærori potissimum dicata, expiandisque intimo animi dolore, cujusque criminibus constituta sunt. Deo porro sacrificare, festivæ celebritatis est; ea vero celebritas hilaritatis atque letitiæ. At quo pacto mærori quispiam, ac lachrymis indulgere, idemque simul exultare lætitia, ac triumphare gaudio queat? Proinde aliis quidem Quadragenarii jejunii diebus celebrari ex præsanctificatis sacra mysteria consuevere; neque ullus tunc quidem sacrificii incruenti usus admittitur, sed eorum, quæ jam consecrata semel atque altari admota sunt, oblatio iteratur. Sabbatis vero, ac Dominicis diebus, per quos exerceri jejunia per leges haud suevere, & sacrificium offerre, & undique suis partibus absolutum Liturgiæ munus exhibere concessum est. Idem anniversario quoque cælestis nuncii ad Virginem missi die licere decretum: eam quippe lucem, qua nempe nostræ salutis exordia primæque incolumitatis fundamento inchoata sunt, veneramur, solemnique totius populi conventu pompaque celebramus. Atque id etiam causæ fuit, cur Sanctorum quoque memoriam publice colere, quotiescumque jejunii tempore inciderit, Sabbatis Dominicisque diebus exceptis, quinquagesimo primo Laodicenæ Synodi Canone vetitum sit. Habet siquidem Sanctorum commemoratio jucunditatem, & lætitiam: jejunii vero dies, omni abdicata remissione, mærore ac luctu transigere par est.* Integrum Zonaræ textum descripsimus, quod clarissime Græcorum de præsanctificatis ritum explicet, ac ex canonibus confirmet rationem, propter quam Patres eum adhiberi voluerunt.

Morinus noster lib. 7. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 14. ex Scripturis adstruit morem non jejunandi festivis diebus, ac proinde non offerendi incruentum Missæ sacrificium: Sacri nempe codices cum sanctæ viduæ Judith austeritates c. 8. enumerant, festos dies excipiunt: *Jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel.* Nehemias quoque populum Israel sic alloquitur cap. 8. *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: Nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus, cum audiret verba legis, & dixit eis, ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est.* Huic autem consuetudini in hunc usque diem Judæi mordicus adhærent: Nulla enim in Sabbato jejunia celebrant, sed quæcumque in eum diem incidunt, ut jejunium Godoliæ, jejunium Esther, ab eis in alium diem transferuntur, uno excepto Expiationis jejunio, quod cum præ cæteris celebritate emineat, in Sabbato observatur.

Conclusio 2. Apud Latinos, exceptis diebus parasceves, & Sabbato sancto, singulis anni diebus oblatum fuit semper, & nunc etiam offertur incruentum Missæ sacrificium.

Probatur 1. Ordo Romanus parasceves, & Sabbati sancti dies excipit a sacrificandi ritu. Ergo, cum exceptio firmet regulam, aliis omnibus, etiam Quadragesimæ, diebus in Ecclesia Occidentali septimo sæculo sacrificium offerebatur. 2. Gregorius Magnus tum in Antiphonario tum in Sacramentario describit singulas præfationes, & orationes, quæ singulis jejuniorum diebus in Missa recitarentur. 3. Pelagius Papa II. Epist. ultima Præfationem recenset, quæ in Missa Quadragesimalibus diebus decantari debeat: *Sacrum Ordinem Romanum* (inquit) *sacraque constituta nostrorum antecessorum solerter relegentes, invenimus has novem præfationes in sacro catalogo tantummodo recipiendas, quas longo retro veritas in Romana Ecclesia hactenus servavit: Unam in Albis Paschalibus, aliam de Ascensione, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione Domini, sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octavam de Cruce, & nonam de jejunio, & Quadragesima tantummodo dicendam.*

Objicies. Quondam apud Occidentales nulla festa celebrantur jejuniorum diebus: Ergo nec offerebatur sacrificium; quæ enim pro festo valet ratio, valet etiam pro sacrificio, utrumque scilicet ingentis est lætitiæ argumentum, cui jejuniorum diebus, & præsertim in Quadragesima, vacare non licet. Itaque probatur antecedens ex Canone 1. decimi Concilii Toletani, ubi hæc habentur: *Quoniam die qua invenitur Angelus Virgini Verbi conceptum, & nuntiasse verbis, & indidisse miraculis, eadem festivitas non potest celebrari condigne, cum interdum Quadragesimæ dies, vel Paschale festum videtur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum solemnitatibus ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari &c. Sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus.* Gallis ita quondam persuasum fuit festivitates Sanctorum cum jejuniis componi non posse, ut concluserint non esse jejunium, quod alicujus Sancti festivitas celebraretur: *In Augustino* (inquit Concilium Turonense habitum anno 567. de Monachis agens) *quia quotidie Missæ Sanctorum sunt, prandium habeant.* Paulo post hæc etiam leguntur: *Et quia inter Natale Domini, & Epiphania omni die festivitates sunt, itemque prandebunt.*

Resp. concesso ant. nego conseq. Quamvis enim sacrificium sit argumentum lætitiæ, prout victimam sufficit cujus oblatione placetur Dominus, ac moveatur ad impertiendam peccatorum remissionem; tamen alia ex parte, seu prout ad vivum Dominicam passionem adumbrat, revocatque in fidelium memoriam peccata, quæ vere hujusmodi passioni causa extiterunt, non potest quin ad mœrorem, & tristitiam offerentes excitet, ac proinde facili negotio, cum jejunii luctu conciliatur.

Quæres 1. an Sacerdos, qui feria VI. in Parasceve offerret sacrificium, graviter esset peccaturus?

Resp. affirmative; præscriptum enim ab Ecclesia ritum, in re magni momenti infringeret. Audiendus est Innocentius Papa I. ea de disciplina disserens, in Epistola decretali ad Decentium: *Feria sexta* (inquit capite 4.) *propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo isto & in mærore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari: quæ utique forma* (jejunandi) *per singulas tenenda est hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius semper est observanda.* Sæculo octavo eumdem morem apud Occidentales viguisse fidem faciunt hæc Ordinis Romani verba: *Feria sexta Parasceves, quæ & sexta Sabbati dicitur, Missa non cantatur, sed neque in Sabbato sancto usque ad vigilias noctis.* Qui mox laudatum Ordinem Romanum commentati sunt, eamdem consuetudinem confirmant. *Hic* (inquit Amalarius Fortunatus lib. 1 de Eccles. Officiis c. 13.) *dicendum ex decretalibus Innocentii Papæ quare Missa non cantetur in feria sexta, & septima*; Ubi vero laudavit ipsamet Innocentii verba, sic prosequitur, *Orationes tantum leguntur. Ob hoc quoque non cantatur Missa, quia in hac die Dominus se ipsum obtulit, & ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium.* Tandem consuetudo, quæ ubique nunc viget, habet vim strictæ legis, ac proinde reus esset infracti præcepti Sacerdos, qui die, de qua agitur, sacrificium offerret.

Quæres 2. num die Parasceves ad Pascha liceat communionem fideli populo dispensare.

Resp: 1. apud Græcos id nequaquam vetari: imo fidem facit Nicetas Pectoratus adversus Latinos scribens, iis diebus quibus offertur præsanctificatorum Missa, fideles Eucharistia refici: *In aliis autem diebus hebdomadis* (inquit agens de feriis Quadragesimalibus) *exaltamus præsanctificatum panem ... & uniti communicamur pane, & calice mysteriorum Christi.* 2. Apud Latinos eadem disciplina quondam erat in usu: *Communicant* (inquit Ordo Romanus ritum Parasceves describens) *omnes cum silentio.* 3. aliquibus ab hinc sæculis contrarius mos obtinuit, ut videre est in Missalis Romani rubrica in feria V. in cœna Domini, sic enim habet: *Hodie reservat Sacerdos in loco honesto, & convenienti unam Hostiam consecratam pro die sequente in quo non conficitur, vel etiam plures si necesse fuerit, pro infirmis.* Unde concludendum est id, seclusa necessitate, non licere, quod olim erat licitum.

Caput Secundum.

De Templis in quibus Missæ sacrificium offertur.

HOC in capite quæremus 1. utrum in lege nova perantiquns sit templorum usus: 2. quænam esset antiqua eorum forma: 3. utrum aliquandn extra templa sacrificare liceat: 4. an polluta reconciliari possint.

Articulus Primus.

Utrum antiquus sit apud Christianos Templorum usus?

COnclusio. Quovis sæculo apnd Christianos extitere templa Deo sacra, in quibus fideles orarent, audirent Dei verbum, Synaxim agerent.

Probatur 1. ex Tertulliano, qui lib. de Pudicitia capite 4. de gravissimorum scelerum reis agens, ait submntos fnisse *non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto*. 2. Eusebius lib. 8. hist. cap. 9. describit edictum de evertendis Christianorum templis latum ab Imperatore Diocletiano ann. Christi 302. *Anno* (inquit) *decimo nono Imperii Diocletiani, mense Dystro (qui a Romanis Martins nominatur) cum salutaris Passiouis Dominicæ festum iam pro foribus esset; omnibus in locis per Imperatoris litteras palam indictum fuit, ut tum deturbarentur Ecclesiæ, soloque æquarentur*. Ergn antequam Diocletianus imperaret, Christianis templa erant, ad quæ orationis, communionis, sacrificii cansa convenirent. 3. Idem Eusebius in vita Constantini Magni lib. 2. refert edicta quibus ubique gentium, data Ecclesiis pace, templa propriis sumptibus exædificari jussit, *Quibuscumque igitur Ecclesiis* (ait apud mox laudatum authorem Imperatnr datis ad ipsum litteris) *vel ipse præsis, vel alii Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ubique terrarum quos nosti, præficiantur: vobis omnibus videndum est, ut earum ædificia sedulo accurentur, quo vel ea, quæ remanent reficiantur, latioraque fiant; vel, ubi necessitas postularit, de integro exædificentur. Quæ vero res ad ædificationem necessario requiruntur, eas quidem cum ipse, tum alii tuo nomine a præfectis, & magistratibus provinciarum petent: Hisce enim per litteras a me significatum est, ut omni studio, & propensione animi ea, quæ fuerint a tua sanctitate præscripta subministrant.*

Objicies. Apud Minutium Felicem, Cæcilius Gentilium nnmine hiscet verbis Christianos cnmpellat, *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla tota simulacra?* Cui qnidem derisioni non aliud Christiani reponebant, quam illud: *Dei templum esse nniversum hoc, quod cernitur, vel quæ latiores complectitur ambitus, mentem humanam: nec aliquod his dignius posse Deo optimo maximo templum erigi*. Ergn altero Ecclesiæ sæculo qun suam apologiam Minutius exaravit, Christianis nulla erant templa in quibus religionis ritus peragerent.

Resp. nos inficias nnn ire caruisse veteres Christianos basilicis templnrum instar erectis: Templa antem a Romanis non dicebantur quæcumque ædes facræ, sed tantum ingentes illæ ædinm mnles atque amplissima delubra: *Non omnes ædes sacræ* (inquit M. Varro apud Gellium lib. 14. capite 7.) *templa fuut, ac ne ædes quidem Vestæ sacræ templnm est*. Ab hujusmodi vero amplissimis ædificiis nec religionis humilitate, nec impensarum parcitate veteres Christiani remperarunt; sed quod Gentilinm conflara in eos invidia, ac frequenti persecutione non permitterentur.

Quæres utrum Christiani veteres extra ædes Deo sacras nonnumqnam offerrent?

Resp. affirmarive, cum nempe sæviebat persecutio: *Cum ab omnibus persecutione exagitati essemus, & morte mulctati* (inquit Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Hieracem apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 17.) *festum lætis animis celebravimus, & singula loca, & singula afflictionum genera nobis præstituta, ut ager silvestris solitudo deserta, navis fluctibus jactata, diversorium publicum, & horridus carcer opportuna videbantur, in quibus celebres conventus maximo cum gaudio ageremus.*

Articulus Secundus.

De antiquorum templorum forma.

UT forma templorum, in quibus veteres Divina peragebant, explicetur, expendendnm est 1. in quam figuram ejusmodi templa desinerent: 2. quinam esset eorum situs ad snlem comparatus: 3. quibus ex partibus constarent.

Conclusio 1. Incertum est in quam figuram tribus prioribus sæculis Christiannrum templa desinerent.

Probatur. Authores sive Gentiles, sive Christiani qni de templis de quibus agitur locuti sunt, nihil mandarunt scriptis ex quo eorum figura colligi possit. Eorum quidem Lampridius in Alexandrum Imperatorem meminit, cnm hæc ait: *Cum Christiani quemdam locum, qui publicum fuerat, occupassent; contra Popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse, ut quomodocumque illic Deus colatur, quam Popinariis dedatur*. Sed de eorum figura silet omnino. Eusebius de iis pariter agit, cnm ait diruta fuisse a Diocletiano, verum ne apicem quidem scripsit, unde possit concludi in quam figuram desinerent. Doctissimus Baronius ad annum Christi 57. ea ejusdem formæ fuisse, quæ in exædificatis postea a Constantinn Magnn visa est, inde conjicit, quod in priorum Christiannrum templis eadem essent nfficia obeunda, exercendæ functiones, ac mysteria peragenda. Conjecturam ex eo confirmat, quod post Constantinum Magnum, dara Ecclesiis pace, tum in Oriente tum in Occidente ubique locorum in iis eadem omnino forma servata fnerit.

Conclusio 2. ejusmodi erat templorum omninm situs, ut prioribns sæculis ad orientem solem verterentur.

Probatur 1. Hæc legnntur apud authorem Constitutionum, quæ Clementis Papæ I. nomine inscribuntur libro 2. capite 61. *Primum* (inquit agens de Ecclesiæ forma) *sit longa, & ad Orientem conversa*. 2. Tertullianus libro adversus Valentinianns capite 2. sic loquitur: *Nostræ columbæ domus simplex, etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem, amat figuram Spiritus sancti, Orieutem Christi figuram*. 3. Idem ostenditur ex antiqno Christianorum more, ferebat autem ille mos, ut ad Orientem conversi precarentur; *Inde suspicio* (inquit idem Tertullianus in Apolnget. capite 16.) *quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari*. Tertulliani aliorumque veterum testimnniis persuasus Isidorus hæc scripsit libro 15. Originum cap. 4. *Antiqui quando templum construebant, Orientem spectabant æquinoctialem, ut qui deprecaretur, rectum aspiceret Orientem.*

Conelusio 3. Veteres Ecclesiæ quatuor constabant partibus, Porticu nimirum, Navi seu Narthece, Ambone, Sanctuario.

Probatur ac simul explicatur conclusio. Porticus tectnm erat hnmilioris situs, ab Ecclesiæ tecto, quod sublimius erat distinctum, non muris quidem, sed arcnbus, aut columnis suffultum: Hinc patebat solaribus radiis, ventis, aerisque injuriis erat pervium. In eo stabant ii Pœnitentes quos antiqui *Flentes* vocarunt: *Fletus* (inquit Gregorius Neocæsariensis canone 11.) *extra januam Oratorii est*. Nonnulli censent priorem templorum partem merum fuisse atrium, spatium scilicet muris clausum, amplum, & quadratum, cujus medium aperto pateret aeri: Verum præter illud atrinm, erat porticus templo adjacens, iis similis, quæ Rnmæ ante plerasque sacras basilicas cernuntur.

Navis, seu Narthex, pars illa est, quæ a templi foribus expansa erat ad editiorem locum, quem antiqui *Ambonem* vocarunt. In hac vero parte a foribus occurrebant Pœnitentes, qui *Audientes* dicti sunt: *Auditio* (inquit Gregorius Neocæsariensis) *intra portam in Narthece*. Post Andientes occurrebant *Prostrati*, ii nempe quibus ad emundationem criminnm, in synaxibus manns imponebantur, quique ante Offertorium edicente Diacono, *Sancta Sanctis*, cum Energumenis, & Catechumenis e templi limine pellebantur. Prostratos proxime *Consistentes* excipiebant, seu Pœnitentes quibus absolutione donati ad sacrificium quidem,

dem, non autem ad Eucharistiæ participationem admittebantur. Tandem immediate post Consistentes Sanctuarium versus, fideles, seu (ut loquitur Basilius) *Participantes* videbantur.

Antiquorum monumentis proditum est viros a mulieribus, cum sacri conventus agerentur, in Ecclesiæ navi seu Narthece ab invicem separatos fuisse, ad aliquot nimirum cubitos a primis Ecclesiæ foribus ad Ambonem usque tabulatum, aut murus, assurgebant. Id Philo Judæus lib. de vita contempl. ab Essenis in Ægypto, quos Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis, affirmat fuisse Christianos, observatum fuisse his verbis tradit: *Commune Semneum, in quod septimo quoque die conveniuat, septo clauditur duplici, separatis virorum, & muherum cœtibus. Medius autem paries a solo surgit tribus quatuorve cubitis in modum loriculæ. Superiore usque ad tectum patent: unde gemina provenit commoditas, & quod pudori feminei sexus consulitur, & quod verba doctoris exaudiunt facile absque ullis obstaculis quæ vocem ejus intercipiaat.* Anthot Constitutionum, quas Clementi Papæ I. adscribunt, eamdem, quam mox Philo, virorum a mulieribus separationem describit, lib. 2. cap. 57. *Sit autem* (ait) *horum* (de Diaconis loquitur) *cura at laici in altera parte, ordine, & decore, & quiete sedeaat, item ut sedeant mulieres separatim, ac cum sileutio.* Ambrosius ad virginem lapsam scribens ejusdem consuetudinis meminit: *Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ, & nobiles certatim currebaat, tua oscula petentes, quæ sanctiores, & meliores te erant?* Ex utraque parte janua occurrebat, cujus præfectura, ex parte feminarum, ostiariæ Diaconissæ incumbebat; ex parte autem virorum, januæ custodia penes erat Clericos Ostiarios. Adeo mirabilis erat ordo ut in hisce sexuum separationibus non solum Pœnitentes a fidelibus distincti essent, sed etiam virgines, & viduæ a nuptis, Monachi a cæteris; Virgines scilicet, ex parte mulierum, stationem occupabant Sanctuario proximiorem, sicut, & ex parte virorum, Monachi, cum nondum ipsis fuisset indultum, ut in privatis oratoriis soli synaxes agerent: *Virgines autem, & viduæ* (ait Constitutionum author. lib. 2. cap. 57.) *& anus primæ omnium steut aut sedeaat.*

Tertia Ecclesiæ pars quæ *Ambon* dicebatur, locus erat muro circumseptus, quem nunc chorum appellamus: ad eum aliquot gradibus ex paululum subjecta navi ascendebatur. Medius erat Navim inter, & Sanctuarium. Ex eo psallebant minores Clerici ut probant hæc Concilii Laodiceni can. 15. verba: *Quod non oporteat amplius, præter eos qui regulariter cantores existunt, qui, & de codice canuut, alios iu pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere.* In eo Diaconus intra Missarum solemnia concinebat Evangelium; Edicta, & Jussiones Episcoporum proclamabantur, denuntiabantur excommunicati, recitabantur ex diptychis, fidelium tum viventium tum defunctorum nomina; Sacri libri perlegebantur a Lectoribus; Episcopus aut Presbyteri sermones habebant ad populum.

Plerumque quatuor erant in Ambonibus portæ; geminæ ex quibus ad navim patebat aditus; speciosæ vocabantur; geminæ vero Sanctuarium spectantes, dicebantur *Portæ sanctæ*: Horum custodia subdiaconis erat credita; *Ministrum*, hoc est subdiaconum, *non oportet orario uti* (inquit Concilium Laodicenum can. 22.) *nec ostia deliaquere.*

Quarta demum Ecclesiæ pars, vel, *Sanctuarium*, vel, *Secretarium*, vel, *Tribunal*, vel, *Sancta Sanctorum*, vel, *Presbyterium*, dicebatur, cancellis divisum erat a reliqua templi parte: *Residentibus* (ait Concilium Chalcedonense, actione prima) *magnificentissimis, & gloriosissimis judicibus in medio ante cancellos sanctissimi Altaris.* De iis cancellis loquitur Eusebius lib. 10. Hist. Eccles. capite 4. agens de basilica, quam Paulinus Episcopus Tyri consecravit: *Locus erat Sanctuarii in speciem quadratam columnis sublimibus undique circumseptus, quarum media intervalla interstitiis ex ligno instar retis aut transennæ cancellatis in mediocrem, & æquabilem longitudinem circumclusa.*

In Sanctuarii meditullio Altare primarium sub Apside seu fornice, eminebat. In eo Sacerdos facie ad populum versa sacris dabat operam. Eodem situ altaria præcipua in quinque basilicis Patriarchalibus (teste nostro Cabassutio) etiam nunc Romæ visuntur; Eæ vero basilicæ Patriarchales sunt Lateranensis, Petri in Vaticano, Pauli in via Ostiensi, Sanctæ Mariæ Majoris in Esquiliis, & Laurentii in agro Verano.

Præter intermedium Altare, geminæ hinc inde mensæ collocatæ erant; in ea quæ erat ad lævam recondebantur vasa sacra cum suis velis, panis, & vinum consecrationi, & communioni fidelium destinata; in altera vero quæ erat ad dexteram, sacra Episcopi aut Sacerdotis sacrificaturi vestimenta reponebantur: earum autem mensarum accessu subdiaconos prohibitos fuisse probat Cabassutius ex canone 21. Concilii Laodiceni: *Quoniam non oportet Subdiaconos licentiam habere in Secretarium, quod Græci diaconicon appellant, ingredi, & contingere vasa Dominica.* Sed canon ille rectius de Pastophoriis, ut vocat Clemens in Constitutionibus, hoc est, de Secretariis seu (ut ajunt Latini) de sacristiis in Sanctuarii Frontibus positis, intelliguntur. Prius Pastophorium locus erat vasorum sacrorum ac vestium, quæ ad sacrificium adhibebantur; in posteriore vero recondebantur Ecclesiastici libri. Paulinus testatur se pastophorium, quod ad lævam erat hoc disticho inscripsisse.

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas
Hic poterit residens sacris intendere libris

Asserit vero alterum, quod ad dexteram erat situm hoc alio disticho se inscripsisse.

Hic locus est veneranda penus, quo conditur, & quo
Promitur alma sacri pompa ministerii.

In interiori Sanctuarii circuitu Clericorum, & Presbyterorum subsellia pro cujusque gradu, & dignitate visebantur: Episcopalis Cathedra in medio ac intimo sanctuarii hemyciclo editior eminebat; ita ut sedens Episcopus, & altare, & populum recta prospiceret: *Quomodo vinitori altior locus fit ad custodiendam vineam* (inquit Augustinus in Psal. 126.) *sic, & Episcopis altior locus factus est; & de isto loco periculosa redditur ratio.* Ex ea vero Cathedra, quæ divinis officiis usui erat, Episcopus non solitus erat habere sermonem ad populum; ei nempe mobilem Cathedram supra excelsiorem Altaris gradum e regione Ambonis ac Navis majores nostri parabant, ut colligitur ex Gregorii Nazianzeni Orat. 150. ubi ait Sanctuarii cancellos vim passos fuisse dum concionaretur: nonnumquam tamen conscendebat Ambonem, ut de Chrysostomo, quo facilius a populis audiretur, Socrates prodidit.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum his temporibus extra templa sacrificare liceat?

CONclusio. Extra templa, aut Oratoria Deo dicata, non licet offerre Missæ sacrificium.

Probatur 1. ex jure antiquo cap. *Nullus Presbyter*; eo scilicet edicitur offerri non debere sacrificium, nisi in Ecclesia, quæ consecrata sit: 2. ex Decretalibus ubi indulgetur ut offeratur in Ecclesia saltem benedicta, aut in oratorio ex Episcopi approbatione; quod quidem oratorium nulli usui prophano destinatum sit: 3. ex Concilio Tridentino, quod Sess. 22. in decreto *de Observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, hæc habet: *Ne patiantur* (Episcopi) *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi.*

Ex iis verbis patet, Concilium, illis in locis ubi promulgatum fuit, abstulisse ab Episcopis facultatem qua alias fruebantur, concedendi nimirum, ut, etiam extra necessitatis casum, in privatis ac domesticis oratoriis sacrificium offeratur. Patet iterum oratoria stabilia, in provinciis in quibus receptum fuit idem Concilium, erigi non posse sine speciali dispensatione Summi Pontificis: ejus vero concessionis hic exemplar describendum ducimus, ut cuique perspectum sit, quas, dum id indulgent Summi Pontifices, conditiones requi-

quirant; est autem ejusmodi: *Alexander Papa VII. tibi N. diœcesis N. qui (ut asseris) de nobili genere procreatus existis ut in privato domus tuæ solitæ habitationis oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, seu extruendo & ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum, sæcularem, seu de suorum superiorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio ac Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, nec aliis solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, & familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum nobilium præsentia celebrare facere, libere, & licite possis, & valeas indulgemus. Non obstantibus &c. Volumus autem, quod familiares servitiis tuis non necessarii, ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto, minime liberi censeantur.*

Quæ a Concilio Tridentino de offerendo in Ecclesia, & non alibi sacrificio sancita sunt, admiserunt Synodi Provinciales in Galliis habitæ: *Extra Ecclesiam* (inquit Concilium Rhemense ano. 1583. habitum) *& oratoria divino cultui dicata nemini rem sacram facere liceat*. Idem edixit Concilium Bituricense, quod anno 1584. celebratum est: *Missa* (ait Titul. 23. can. 5.) *neque in prophanis locis, neque in privatis domibus celebretur*. Si tamen urgeat causa, Episcopis in Galliis facultatem de qua agitur, concedere possunt: *Missæ* (inquit Concilium Tolosanum, quod habitum est anno 1590. capite sexto, de Missarum celebratione) *in Ecclesiis tantum publice, non privatim in ædium oratoriis, ab Episcopo non temere unicuique concedendis, nisi pernecessarium sit, accedatque Episcopi venia, celebrentur*.

ARTICULUS QUARTUS.

De Templorum pollutione, & reconciliatione.

CONclusio 1. Variis modis Templa polluuntur, seu auferuntur consecratio, ac benedictio, ac proinde celebrandi, aliaque spiritualia peragendi facultas.

Probatur enumeratione. Templi consecratio tollitur primo per injuriosam humani sanguinis effusionem, aut per homicidium, etiam absque sanguinis effusione peractum, per venenum v. g. strangulationem &c. Id nimirum Cap. *Unico de Consec. Eccles. in sexto* decernitur. Observet lector hocce termino, *Injuriosam*, excludi homicidium aut effusionem sanguinis, quæ casu fortuito contigerint: Excluduntur quoque injusti aggressoris occisio, vulnus ipsi illatum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Observet iterum vocem hanc, *Effusio*, copiam denotare: si ergo sanguinis ex percussione licet injuriosa parce fluxerit, locus sacer nequaquam polluitur, ut Cap. *Cum illorum videre est*. Rursus observet sanguinis effusione aut vulnerati hominis morte templum nequaquam pollui, nisi vulnus in ipso templo inflictum fuerit; unde si aliquis intra sacri loci ambitum existens injurioso lapidis v. g. jactu hominem foris existentem vulneret, isque cui vulnus inflictum fuerit, ingrediatur in templum ac in eo moriatur, locus consecrationem aut benedictionem non amisit: e contra si vulnere accepto in sacris ædibus saucius foras exeat, ibique moriatur, ædes sacras pollui jura decernunt.

2. Sacer locus polluitur per voluntariam humani seminis effusionem, etiamsi contigerit ex copula inter conjuges habita Cap. *Finali de Consec. Eccles.* 3. Ecclesia polluitur, si in ea, idemque asseri debet de cœmeterio, paganus, vel hæreticus, vel excommunicatus notorius, & publice denunciatus sepeliantur. Ita Cap. *Ecclesiam, de Cons. dist.* 1. statuitur: eo autem in casu templum reconciliari non potest, nisi pagani, aut hæretici, aut excommunicati cadaver exhumatum fuerit, si tamen ab aliis potuerit discerni. Hic Canonistæ observant polluta Ecclesia, pollui quoque cœmeterium adjacens, non vero, quod distat longius: e contra ex cœmeterii pollutione, contiguum templum nequaquam pollui. Observant quoque polluto cœmeterio, aliud, quod ipsi adjacet minime pollui.

Conclusio 2. Pollutum templum variis modis potest reconciliari.

Probatur. Potest reconciliari primo per novam consecrationem, secundo per alteram benedictionem. Per consecrationem quidem ab Episcopo diœcesano, aut altero de ejus licentia; Per benedictionem vero a Presbytero, qui ad id officii specialiter ab Episcopo commissus sit. Ita canones definiunt, quæ tum in Decreto tum in Decretalibus legere est.

Quæres utrum in templo quod occulte pollutum fuerit, Divina, nulla præmissa reconciliatione, celebrari possint.

Resp. affirmative. Nam ut sacer locus reconciliatione indigeat, necesse est, ut illius pollutio non uni aut duobus testibus solum; sed etiam multis aliis innotuerit, ita ut nulla tergiversatione celari possit. Ita docet Abbas in Cap. *Significasti*, nn. 2. Sed hæc satis sint; Qui plura nosse voluerit, Cabassutium nostrum in sua Theoria, & praxi juris Canonici poterit consulere.

CAPUT TERTIUM.

De Altaribus, in quibus offertur Missæ sacrificium.

CONclusio 1. Perantiquus est Altarium usus.

Probatur. Cum sacrificium, & altare correlativa sint, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis altaria extitisse necesse est. De Altari, in quo Christi corpus, & sanguis consecrantur, Doctores Catholici exponunt hæc Pauli verba ad Hebræos 13. *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*. De Altari quoque loquitur Tertullianus lib. 1. ad uxorem cap. 7. *Aram Dei mundam proponi oportet*. Illius etiam Cyprianus meminit in Epistola ad Cæcilium, multique alii Patres, quorum textus hujusce operis pag. 264. col. 2. legere est.

Quæres qua ex materia Altaria constare debeant?

Resp. 1. incertum esse an Altaria prioribus sæculis lignea fuerint aut lapidea. Verisimile est utraque, dum sæviret persecutio, indiscriminatim adhibita fuisse, prout nempe rerum locorumque opportunitas ferebat. 2. Utrisque pariter quarto sæculo Majores nostri utebantur; Altaris lapidei meminit Gregoris Nyssenus orat. in baptismum Christi: ligneum recenset Athanasius in Epist. ad Solitarios, ubi hæc de Arianis scribit: *Cum rapuissent subsellia, & Cathedram, & Mensam, erat enim lignea &c.* Multis ab hinc sæculis Ecclesia præcepit ut Altaria solum lapidea sint. Nonnulli scriptores illud decretum Sylvestro Papę adscribunt, sed assertum hujusmodi nullo veterum testimonio nititur.

Conclusio 2. Altaribus, ex perpetua, & costanti Ecclesiæ consuetudine, martyrum reliquiæ concludi debent.

Probatur anthoritate Patrum. Primo Hieronymus sic loquitur scribens adversus Vigilantium, qui cultum martyrum reliquiis exhiberi solitum impugnarat: *Male ergo facit Romanus Episcopus, qui supra mortuorum hominum Petri, & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te, vilem pulviculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum, Christi arbitratur Altaria*. 2. Veteris moris de quo agitur meminit etiam Augustinus lib. 20. contra Faustum Manichæum: *Populus Christianus* (inquit cap. 21.) *memorias Martyrum religiosa celebritate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur atque orationibus adjuvetur. Ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus altaria*. 3. Hoc etiam sæculo eamdem praxim obtinere docet hæc oratio quam inter sacrificandum Sacerdos profert: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt ut indulgere digneris omnia peccata mea*. 4. Doctissimus Cardinalis Bona censet illum ritum traxisse originem ex Christianorum more, qui dum ab ethnicis fidei causa vexarentur, in cœmeteriis in quibus quiescebant Martyrum corpora, synaxes peragebant data

nimi-

nimirum per Constantinum Magnum Ecclesiis pace publica templa in iis locis erexerunt, ubi prius furtim & clanculum sacris operam dare consueverant.

Quæres an in una Ecclesia pluria altaria quondam erigerentur.

Resp. affirmative. Nam 1. Ambrosius in Epistola ad Marcellinam sororem suam, lætitiam describens qua cives Mediolanenses affecti fuerant sedata Justinæ Arianæ Imperatricis in ipsum Ambrosium persecutione, asserit: *Milites ipsos irruentes in Altaria, osculis significasse pacis indicia*. Igitur (inquit Cabassutius noster agens de veterum Ecclesiarum situ) non unicum stabat intra templum Altare, sed plura hinc inde dispersa videbantur. Præterea majus Altare, quod in ipso Sanctuario erectum erat, non erat pervium militibus, quippe quod cancellis circumseptus esset; hujusmodi igitur Altaria, quibus ex Ambrosio milites figebant oscula, in variis templi partibus extra Sanctuarium erecta erant. 2. Gregorius Magnus lib. 1. Epist. 50. ad Palladium, meminit cujusdam Ecclesiæ in qua tredecim altaria eminebant.

Caput Quartum.

De instrumentis ad offerendum Missæ sacrificium requisitis.

INstrumenta, de quibus est hic quæstio, sunt Calix, Patena, Corporale, Purificatorium, Velum, Candelabra, Crux, Lintea, seu Mappæ.

Articulus Primus.

De Calice, & Patena.

COnclusio 1. Perantiquus est calicis, qui ex pretioso metallo constet, usus ad sacrificium.

Probatur prior pars. Primo Calicis usus ad offerendum sacrificium a Christo incœpit, qui (ut habetur in Evangelio) pane consecrato, vinum calice contentum consecravit: Secundo ipsum ab Apostolis, & deinceps a Patribus adhibitum fuisse certo certius est, quippe quod jure Divino præceptum sit, ut in sacrificii oblatione vinum consecretur; ac proinde necessarius fuit calix, quo contineretur.

Probatur altera pars 1. Vicecomes lib. 6. de Missæ apparatu censet ligneos calices ab Apostolis adhibitos fuisse, quod nimirum (inquit) priores Christiani summa rerum omnium penuria laborarent; addit sæculis, quæ Apostolorum ætatem proxime subsecuta sunt, Sacerdotes nonnumquam eis usos fuisse, quod quidem confirmat ex Concilii Triburiensis cap. 18. ubi hocce S. Bonifacii Martyris responsum laudatur: *Vasa quibus sacro-sancta conficiuntur mysteria, calices sunt, & pateuæ, de quibus Bonifacius Martyr, & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit, Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus*. Doctissimus Cardinalis Bona contrariam amplectitur sententiam; contendit nempe verisimile esse Apostolos nos fuisse calicibus qui pretioso ex metallo constarent; Idque ex eo conjicit, quod fidelium oblatis pretiosa vasa comparare potuerint.

Nobis probabilius censere videntur, qui asserunt priores Christi discipulos, ad sacrificium adhibuisse obvios calices quacumque ex materia constarent; cum enim orbis regiones peragrarent, vix concipitur, quod secum calices pretioso ex metallo constantes deferre potuerint. Confirmatur ex eo, quod Tertulliani tempore, in calice vitreo consecratio plerumque perageretur; ad eum nempe usum alludit lib. de pudicitia cum ait. *At ego Pastoris ejus picturam haurio quæ non potest frangi*, hoc est, *Non terreni calicis, in quo Christus sub pastoris specie depingitur, qui vae quod vitreus sit, facile frangi potest, sed cum ambio, qui cœlestis est ac immortalis*. Imo multo post Tertulliani tempora Patres nonnumquam vitreis calicibus usos fuisse testatur Hieronymus, qui ad Rusticum scribens, de S. Exuperio Tolosano Episcopo sic loquitur: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro viminco sanguinem portat in vitro*. Iidem, quoque sæculis ligneos adhibitos fuisse probat textus, quem ex Concilio Triburiensi laudavimus. Tandem constantes ex pretioso metallo inservisse sacrificio colligitur ex fidelis populi reverentia in Christi sanguinem, probabile nimirum est eos aliquibus in locis, etiam Apostolorum ætate, pecuniam contulisse, qua argentei calices compararentur.

Sed quidquid sit de Apostolorum ætate, de qua hoc in capite nihil nisi per conjecturas assequi possumus, certum est tertio sæculo Ecclesias ingenti affluisse copia sacrorum vasorum, quæ ex auro aut argento constarent; In actis Proconsularibus, quæ ab Augustino contra Cresconium lib. 3. cap. 29 describuntur, legitur impium quorumdam Clericorum factum, qui sacros Calices, & Ecclesiæ supellectilia magimagistratui gentili, ex iniquo Diocletiani edicto, tradiderunt, at inter ea supellectilia, *duo calices aurei, & sex argentei* recensentur. Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, agens de Mensurio Episcopo Carthaginensi qui ann. Christi 303. Romam ab Imperatoribus evocatus est, hæc scribit: *Rescriptum venit, ut, si Mensurius Felicem Diaconum non reddidisset, ad Palatium dirigeretur. Conventus non leves patiebatur angustias. Erant enim Ecclesiæ ex auro, & argento quamplurima ornamenta quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat*. Idem evincitur ex his ejusdem Optati verbis lib. 6. *Fregistis* (Donatistas alloquitur) *calices Christi sanguinis peccatores quorum species* (utpote ex pretioso metallo constantes) *revocastis in massas mercem nefariis procurantes*. Optato adjungendus est Hormisdæ Papæ testimonium, quodquidem extat Epist. 73. *Suscepimus* (inquit) *calicem aureum, gemmatum, patenam argenteam, & alium calicem argenteum, & vela duo ministerio Basilicæ B. Petri Apostoli profutura, a charitate tua directa*.

Non in Occidente tantum, sed etiam in Oriente, quondam fuit ingens copia calicum, qui ex pretioso metallo constarent. S. Joannes Chrysostomus increpans illos, qui pietati Christianæ se fecisse satis arbitrarentur, quod pretiosa dona Altaribus consecrassent, sic homil. 51. in Matthæum loquitur: *Ne putemus satis nobis esse ad salutem, si eum viduas, & pupillos spoliaverit, aureum calicem, & gemmis ornatum huic Mensæ offeras ..... Quænam utilitas est, si, cum mensa hæc multis calicibus aureis ornatur, ipsemet (pauper) media pereat? calicem aureum facis; calicem aquæ frigidæ non porrigis?* In locis ubi summa est rerum inopia, licet Sacerdotibus, sed ex expressa Episcopi facultate, in stanneis calicibus consecrare: *Suos vero calices stanneos*, (ait Titul. de celebratione Missæ, Concilium Aquense habitum ann. 1585.) *ubi ex necessitate Episcopus concesserit, gravi aliqua de causa (nam sine Episcopi facultate ejusmodi calicibus uti non debent) ut toti intus, & extra niteant, singulis hebdomadis lineo, atque etiam cinere cum aqua ne negligant detergere, quam in piscinam, aut alium sacratum locum effundant*.

Quæres 1. utrum plures calices quondam in Missa adhiberentur.

Resp. 1. ipso nascentis Ecclesiæ exordio unicum adhibitum fuisse calicem, ex quo tum Sacerdos, tum populus Dominicum sanguinem haurirent; id innuunt hæc Pauli verba primæ Corinth. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est .... Omnes qui de uno pane participamus &c.* Numerus singularis, quo eo loci Paulus utitur, unicum adhibitum fuisse calicem significat. 2. Non multo post Apostolorum ætatem plures calices adhibiti sunt; plurium scilicet meminerunt antiquorum liturgiarum authores; idque fuit necesse, ut ingens populorum multitudo sub vini specie, ut moris erat, communicaret. Verum praxis de qua agitur, a Greg. Pap. III. circa annum 731. alicubi abrogata est: *In Missa*

Missarum solemniis (inquit in Epist. ad Bonifacium) *observandum est, quod Dominus noster Jesus Christus sanctis suis tribuit discipulis. Accepit namque calicem, & dixit eis: hic est calix novi Testamenti in meo sanguine: Unde congruum non est duos vel tres calices in altari ponere, cum Missarum solemnia celebrantur.*

Quæres 2. num in calicibus nonnullæ figuræ pingerentur?

Resp. solitos fuisse priores Christianos, pastoris qui ovem humeris gestaret, figuram calicibus effingere, scilicet ut Sacerdotes dum sacris darent operam, ut fideles dum haurirent divinum sanguinem, Christi in homines charitatis meminissent: *A parabolis*, (ait Tertullianus libro de pudicitia cap. 10. ubi perperam interpretatur parabolam illam de Ethnico ad Ecclesiam inducendo, non de lapso in eam per pœnitentiam revocando) *licebit, incipias, ubi est ovis perdita a Domino requisita, & humeris ejus revecta. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano, an Ethnico peccatori de restitutione concliniet*. Sic rursus paulo post mox laudatus author loquitur, *Patrocinabitur pastor, quem in calice depingitis*. Velim ad antiquum illud testimonium attendant Sectarii, qui sacrarum imaginum usum proxime elapso sæculo a templis omnibus abstulerunt.

Conclusio 2. Patenæ ad sacrificium quovis sæculo adhibitæ fuerunt.

Probatur 1. Nonnulli, ut patenis antiquitatem concilient, laudant hocce Zephirini Papæ decretum: *Fecit constitutum de Ecclesia ut Patenas vitreas ministri ante Sacerdotes portarent, dum Episcopus Missam celebraret*. Cum liber Pontificalis, qui Damaso Papæ tribuitur, & ex quo desumptum est illud testimonium, dubiæ sit fidei, hujusmodi argumentum hic prætermissum volumus. 2. Patenæ tamquam rei, quæ diu ante esset in usu, meminit Concilium Carthaginense IV. can. 5. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipit vacuam, & calicem vacuum*. Patenæ multis post sæculis inter sacra altaris vasa recensitæ sunt ab authore Ordinis Romani: Titulo, *Qualiter celebrandum sit officium Missæ*, hæc leguntur: *Curæ erit Acolytorum ut sacri mysterii vasa deferantur... quæ sunt Aquamanile, hoc est, Vas manuale, Patenæ, calices &c.* 3. Apud Græcos patenæ quondam ad sacrificium adhibitæ sunt, & nunc etiam adhibentur. Qui liturgiam, quæ Jacobi nomine inscribitur, germanum ejusdem Apostoli fœtum esse judicant; haud difficili negotio patenæ apud Orientales usum esse antiquissimum demonstrant: *Cum autem* (liturgiæ verba sunt) *attollunt Diaconi discos* (qui quidem idem sunt cum patenis) *& calices ad impartiendum populo, Diaconus ait &c.* 4. Patenarum, sub discorum nomine, Evagrius meminit Hist. lib. 6. cap. 20. *Dedi mandatum* (inquit Cosroes Rex apud eumdem Evagrium) *ut ex pretio discus unus, & unus calix fierent, qui divinis mysteriis celebrandis inserviret*.

Quæres 1. qua ex materia patenæ quondam constarent, hisque temporibus constare debeant?

Resp. idem de patenis ad sacrificium adhiberi solitis ferri debere judicium, quod de calicibus ac proinde cum Ecclesia nonnumquam ligneis, vitreis, stanneis, argenteis, aureis calicibus usa sit, usa est quoque patenis, quæ pro fidelium aut penuria aut copia, *iis* ex materiis constarent.

Quæres 2. an una tantum patena, an vero plures ad sacrificium adhiberentur.

Resp. 1. apud Orientales, duplices patenas semper adhibitas fuisse, Liturgiæ scilicet cum de iis agunt, plurali numero utuntur; *cum autem tollunt Diaconi discos &c.* 2. Idem dicendum est de Occidentalibus ubi ingens olim fuit fidelium numerus qui communicarent; cum enim panis patenæ impositus consecraretur, necesse fuit ut plures sufficerentur, cum ingens panis copia consecrata fuit. 3. A veteribus patenæ distinguuntur in quotidianas, & ministeriales. Priores erant eæ, quibus Sacerdos ad consecrationem utebatur; posteriores vero, quibus Diaconi, ut fideli populo Eucharistiam largirentur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Corporali, Purificatorio, & Velo.

Conclusio 1. Corporalis usus multa antiquitatē commendatur.

Probatur 1. Verisimile est (inquit Cardinalis Bona) Apostolos non in nudo Altari, sed quod pannis seu linteis ornatum esset, Christi corpus, præ summa ipsum reverentia consecrasse. 2. Corporalis expresse meminit Ordo Romanus Titulo, *De ordine processionis ad Missam*, sic enim loquitur: *Tunc venit Subdiaconus ferens in brachio dextro patenam, & in sinistro calicem, in quo recipiuntur amulæ populorum, & super calicem Corporale*. 3. Alcuinus seu (ut alii ajunt) Albinus Flaccus de Divinis Officiis Cap. *De celebratione Missæ*, hæc habet de Corporali: *Corporale cui superponitur corpus Dominicum, non aliud quam lineum esse oportet*. Quibus quidem verbis non modo *Corporalis* usus, sed etiam illius materia designatur, quam, Pseudo-Damasus a Sylvestro Papa determinatam ac præscriptam his verbis asserit: *Constituit ut sacrificium Altaris non in serico neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini in sindone munda sepultum est*.

Quæres num Corporalia, quibus veteres utebantur, ampliores essent, & longiores iis, quæ modo a nobis adhibentur?

Resp. affirmative: Ratio 1. est, quia antiquis Corporalibus totum altare tegebatur: *Tunc venit Subdiaconus* (verba sunt Ordinis Romani, Titulo de ordine processionis ad Ecclesiam) *ferens in brachio dextro patenam, & in sinistro calicem, in quo recipiuntur amulæ populorum, & super calicem Corporale, id est sindonem, quod accipiens diaconus ponit super altare a dextris, projecto capite altero ad diaconum ut expandatur*. 2. Antiquitus (ut superius observatum est) multi erant calices, plures patenæ, & quidem nostris multo ampliores; proindeque, ut Corporali complicato obtegerentur (ut obtegebantur revera) necesse erat ut nostra, & longitudine, & latitudine superarent. De ampliore illo Corporali exponi debet *Palla*, de qua Gregorius Turonensis lib. 2. de gloria Martyrum cap. 25. loquitur: *Inter hæc dum sancta solemnia agerentur, oblatis super altare sacris muneribus, mysterioque corporis, & sanguinis Christi palla ex more cooperto, molliuntur contracturæ nervorum &c*, Neque enim breviores nostræ pallæ fatis fuissent ut patentes multos calices, appositosque ad plurium fidelium Communionem panes obtegere potuissent. 3. Cartusiani, dum sacris dant operam; non nihil hoc in capite de vetere disciplina observant, quippe qui non palla, sed corporali, Christi corpus, & sanguinem cooperiant.

Conclusio 2. Incertum est an linteolum, quod *Purificatorium* dicitur, olim fuerit in usu.

Probatur 1. testimonio Josephi Vicecomitis Doctoris Collegii Ambrosiani, qui libro septimo, de Missæ apparatu cap. v. hæc scribit: *Quid vero sentire oporteat de linteo, quod Purificatorium vulgo nuncupatur, plane ignoro...... Quod apud nullum veterem scriptorem ejus mentio reperiatur*. 2. Doctissimus Cardinalis Bona asserit illud Linteolum a Græcis non adhiberi, quippe quod calicem, & discum, seu patenam, spongia detergant: Addit vero quosdam Monachos Latinos olim non aliud purificatorium adhibuisse, quam linteolum in cujusque altaris cornu appensum, ubi etiam exigua piscina jacebat, in quam altera calicis ablutio projiceretur.

Conclusio 3. Velum, quo Calix cooperitur, multa antiquitate commendatur.

Probatur 1. Canone 72. Apostolico districte præcipitur ne quis sanctificatum velum in usus suos convertat: *Vas aureum* (verba sunt Canonis ex interpretatione Gentiani Herveti) *vel argenteum, vel velum sanctificatum nemo amplius in suum usum convertat: Hoc fit enim præter jus, & contra leges*. Canones autem Apostolici (ut sæpius hoc in opere fuit obser-

observatum) disciplinam complectuntur, quæ tribus prioribus sæculis servaretur. 2. Græci multis ab hinc sæculis sacra dona tribus velis contegunt, priore quidem discum, altero calicem, tertio quod cæteris latius est, utrumque simul, illudque quod tenuius sit aerem vocitant.

Hic monendus est lectnr, veli nomine sæpius in antiquis monumentis intelligi peristromata, quibus ornamenti causa, templorum parietes exornantur, aliquando vero specialem cortinam, quæ Sanctuari foribus a Græcis appenditur, ad illam autem veli speciem referendæ sunt orationes, quæ in Jacobi, Basilii, Chrysostomi liturgiis, *Orationes velaminis* inscribuntur: In iis nimirum orationibus Sacerdns Deo pro suo in Sanctuarium ingressu gratias rependit: *Gratias tibi o Domine Deus noster, agimus*, verba sunt liturgiæ quæ Jacobo tribuitur) *quod fiduciam dederis ad ingressum sanctorum tuorum: Quam renovasti nobis viam recentem & viventem per velamen carnis Christi tui*. Apud Latinos aliud velum, præter illud quo calix operiretur, quondam erat in usu; in iis nempe locis in quibus chorus in medio templo ante altare erectus erat, velum expandebatur, quo Sanctuarium a choro divisum esset, idque etiam nunc observatur Bisuntii apud Sequanos dum intra Majorem hebdomadam, Christi passio solemniter decantatur.

Quæres qua ex materia constaret olim velum, quo Calix & sacra dona obtegebantur.

Resp. constitisse primum ex lino, tum serica, & aurea adhibita fuisse: *Calicem aureum facis* (inquit Chrysostomus hom. 51. in Matthæum) *& calicem aquæ frigidæ non porrigis: Velamina mensæ Dominicæ auro nitent, & ipsi* (Christo, cujus pauperes sunt sacramentum) *velamina necessaria negas &c.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Candelabris, Cruce, Linteis vulgo Mappis, quæ ad sacrificium requiruntur.

CONclusio 1. Candelabrorum usus perantiquus est in Ecclesia.

Probatur 1. ex subsequenti conclusione, qua asseritur ab ipsis Ecclesiæ incunabulis cereos accensos fuisse dum incruentum sacrificium offerretur. Ergo, & candelabra adhibita sunt, quippe quæ sustentandis cereis supponi debeant. 2. Veteres conceptis terminis candelabrorum meminere, ut videre est tum in Concilio Carthaginensi IV. ubi Acolythorum ordinatio describitur; tum etiam apud Atanasium qui in Epist. ad ubique Orthodoxos de vi illata Ecclesiæ Alexandrinæ a militibus, sic loquitur: *Cum, & isti obvia diriperent, illi in cellis reposita dividerent, & candelabra inibi ad parietem deponerent, cereosque Ecclesiæ idolis adolerent.* 3. In antiquis monumentis duo candelabrorum genera recensentur; alia quæ in altari collocarentur; alia vero, quibus Sacerdos a sacrario ad aram, vel ab ara ad sacrarium, suggestumve aut alio solemniter deduci solebat. Priora Majores nostri, *Candelabra* simpliciter appellarunt; posteriora, *Cantharos*, *Cerostratos* dixerunt:

Conclusio 2. veteres, dum offerebant sacrificium lumina accendere solebant.

Probatur 1. Ab ipso Christianæ religionis exordio extitit in Ecclesia Ceroferariorum clericorum, seu Acolythorum ordo (ut enim suo loco dicemus) ejusmodi ordinis Cyprianus, Cornelius Papa, Concilium Carthaginense IV. meminerunt. Eorum vero Clericorum officium erat ferre accensos cereos dum sacra mysteria celebrarentur. Celebrabantur autem non tantum nocte, ut in vigiliis, sed etiam clara diei luce, ut superius demonstratum est: proindeque soliti erant majores nostri lumen adhibere ad sacri cultus illustrandam celebritatem. *Absque martyrum reliquiis* (inquit Hieronymus contra Vigilantium agens) *per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accendunt luminaria, jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum*. 2. Vigilantius fidei desertor hanc, de qua agitur, disciplinam, Catholicis quarto sæculo vertebat crimini quasi Catholici sic se gererent ad illustrandos Martyres: Verum ubique tamquam hæreticus, & calumniator habitus est. *Cereos* (ait mox laudatus Hieronymus Catholicis impactam calumniam depellens) *non clara luce accendimus sicut frustra calumniaris*, nimirum, ut hoc pietatis officio putemus martyres e tenebris vindicari, quorum lucerna est agnus, *sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus*, noctis (inquam) illius de qua hæc habet Apostolus, (Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.) Addit postea quorumdam imperitiam, & superstitionem, eorum scilicet qui putarent cereis accensis Martyres illustrari, toti Ecclesiæ non debere tribui, ut tamen a Vigilantio tribuebatur. 3. Hæc habet canon tertius ex iis qui Canones Apostolorum inscribuntur: *Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis*. Ardebat ergo luminare dum offerretur sacrificium.

Nec alicujus est momenti, quod heterodoxi objiciunt ex Lectantio, qui Divinarum Institutionum lib. 6. cap. 2. loquitur: *Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori, & datori luminis candelas ac cereorum lumen offert pro munere?* Nam Lactantius eo loci Ethnicos sugillat, qui Deo tamquam in tenebris degenti, & indigenti luce, cereos accendebant.

Non plus habet roboris argumentum, quod nonnulli petunt ex canone 34. Eliberitano ubi hæc habentur: *Cereos per diem placuit in cœmeteriis non incendi: inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt. Qui hæc non observaverint, arceantur ab Ecclesiæ communione*. Non plus (inquam) habet roboris: siquidem Patres Eliberitani ea constitutione non prohibent generaliter, seu simpliciter, & absolute, cereos in cœmeteriis accendi; id enim cum ex natura sua sit indifferens, si justo, & pio religionis zelo accendantur, pium erit ac religiosum, sin minus, profanum, & impium; hujusmodi autem extitisse iis de quibus canon, ratio quam subjicit demonstrat: *Inquietandi enim Sanctorum spiritus non sunt*; perinde enim est ac si dixissent Patres, *Cereos placuit in cœmeteriis non incendi, ad inquietandos Sanctorum spiritus*. non quod Hispani illi Præsules crediderint Sanctorum animas inquietari posse, sed ut penitus abolerent impiam eorum superstitionem, qui cereis hujusmodi animas Sanctorum inquietari, idest evocari posse contendebant; inquietari enim, seu inquietare velle Sanctorum spiritus, idem est prorsus, quod velle e quiete, in qua morantur, educere, & ad præsentis usuram lucis revocare. Dici potest præterea prohibuisse Eliberitanam Synodum ne per diem cerei in cœmeteriis accenderentur, quod nempe tot lucentibus luminibus gentiles de martyrum sepulchris certiores redderentur, & inde corpora Sanctorum abducerent; sicque inquietudinem clericis, quorum curæ credita erant parerent maximam. Illi duplici Canonis expositioni tertiam Garcias Loaysa subjicit, ait nempe: *Sanctos* hic intelligi *Fideles*, qui (ut variis Scripturæ testimoniis demonstrari potest) *Sancti* sæpius appellantur. Hos vero Concilium prohibet cereos per diem in cœmeteriis accendere, ne ipsorum Spiritus dum orationis causa ad Ecclesiam accedunt, inquietentur frequentia, & cura immodica cereorum ardentium. Quocumque vero ex allatis sensibus sumatur canon, nulla ratione recentioribus Sectariis patrocinatur.

Quæres an his temporibus liceat absque cereis offerre Missæ sacrificium?

Resp. non licere. Nam 1. sic fert hodierna omnium orbis Christiani Ecclesiarum consuetudo quæ quidem antiquarum hac de disciplina sanctionum confirmatio est. 2. Missalis rubricæ inter Missæ defectus recensent defectum luminis ex cereo. 3. Plura Concilia Provincialia vetant ne absque cereis Sacerdos rei sacræ det operam: *in posterum decernimus* (inquiunt Patres Concilii Aquensis habiti an. 1584.) *in sacrificio Missæ adhiberi ab omnibus candelas duas cereas, ita ut quævis unciæ unius sit ad minimum, nec ultra quis Missæ sacrificium sine talibus candelis celebrare audeat*. Si tamen instet summa necessitas lux, quæ ex oleo sit aut sevo potest adhiberi.

Con-

Conclusio 2. Crux, dum offertur sacrificium, inter candelabra, collocata sit oportet.

Probatur. 1. Ad disciplinam, de qua agitur alludit Concilium Turonense habitum ann. 570. *Ut corpus Domini* (inquit can. 3.) *non in imaginario ordine*, seu inter imagines, *sed sub crucis titulo componatur*. 2. Sic fert Ecclesiarum omnium consuetudo, cujus quidem cum in Conciliis aut in Patribus initium non reperiatur, ad ipsos Apostolos, juxta Augustini principia, lib. 5. de Bapt. refundi debet. 3. Decuit ut ritus, de quo agitur, obtineret: par enim est, ut Christi passio Sacerdotis sacrificantis oculis observetur, quam Missa ad vivum exhibet. Sed monendus est lector praeceptum non celebrandi, quin in altari crux emineat, non ita obligare, ut secluso contemptu, illius omissio peccatum sit lethale.

Objicies Morinus in tractatu de Pœnitentiæ Sacramento censet Eliberitanam Synodum circa medium tertium sæculum habitam fuisse. Sed ea Synodus vetat ne picturæ ac proinde ne crucis usus in Ecclesiis obtineat: *Placuit* (inquit can. 36.) *picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur in parietibus depingatur*. Ergo prioribus sæculis crux dum offerretur Missæ sacrificium, in altari collocari non solebat.

Resp. Eliberitani canonis duplicem esse interpretationem. Doctissimus Albaspineus Episcopus Aurelianensis censet non humanitatis Christi, aut Sanctorum picturam vetari, sed Dei ipsius, seu SS. Trinitatis: *De picturis* (inquit in huncce canonem) *& tabulis, non vero de signis aut statuis hic agitur: & de picturis quidem, non quibus Sancti, & Martyres, sed quibus Deus ipse, ipsaque Trinitas repræsentaretur: Illi siquidem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus dipingi, ne scilicet, quem Gentilibus, & Catechumenis immensum, omnipotentem, invisibilem, æternum, incomprehensibilem, spiritualem, corporis, & materiæ expertem, & immunem prædicarent, eum ipsi Gentiles, & Catechumeni in ipsorum ecclesiis lineis, & coloribus circumscriptum, & comprehensum cernerent. Ne igitur divini numinis majestas minueretur, & aliud de Deo depingeretur quam prædicarent, & quem supra homines extollerent, humana specie depictum objicerent; vetant ne in Ecclesiis, Dei imagines suspendantur. Ad hæc en apologeticis pro Christianis; en Tertulliano, & Minutio discimus, varios deos, deorumque formas Christianis Gentiles finxisse, ut quisque ex eorum ritibus aliquid hausisset, aut aliquid in eorum Ecclesiis adnotasset. Ita vulgatum solem eos adorare, quod diebus solis frequenter in Ecclesias convenirent: res turpes eosdem colere suspicio fuit, quod ad pedes Episcoporum volverentur pœnitentes. Ne igitur in mentem fidelibus veniret Christianos, Deum humanæ speciei similem adorare, Deum vetant in eis depingi*. Aliis authoribus videtur nec ipsius etiam Divinitatis picturam absolute prohibitam fuisse, sed tantum ne id fieret in parietibus; qua quidem cautione debito imaginibus cultui consultum voluere; timuerunt nempe Eliberitani Patres ne parietum decrustatione, debita sanctorum imaginibus reverentia detraheretur, aut (ut aliis placet) ne sæviente persecutione, ludibrio ethnicorum, & Judæorum expositæ relinquerentur; portatiles imagines voluisse Episcopos Hispaniæ, non parietibus pictas, contendunt. Vide quæ ad calcem Tomi IV. nostrarum institutionum Theologicarum fuse de eo argumento dicta sunt.

Conclusio 3. Mappæ usus, quæ altare sternitur, apud antiquos receptissimus fuit.

Probant 1. nonnulli ex constitutione Pii Papæ I. quam Gratianus de Consecr. Dist. 2. Cap. *Si super*, hisce verbis describit: *Si super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat: si super linteum altaris, & ad aliud stilla pervenerit: quatuor diebus pœniteat: Si usque ad quartum viginti diebus pœniteat; & linteamina, quæ tetigerit stilla tribus vicibus minister abluat*. Verum cum, fatentibus doctis omnibus, ea constitutio falso Pio Papæ I. adscribatur, prætermittendum est argumentum, quod ex ea pro Mapparum antiquitate desumitur. 2. Usum de quo agitur ubique quarto sæculo receptum supponunt hæc Optati Milevitani verba lib. 6. contra Parmenianum: *Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine operiri!* 3. Verisimile est Apostolos præ sua in pretiosum Christi corpus, & sanguinem reverentia, non in nudo altari, sed quod linteamine coopertum esset Missæ sacrificium obtulisse.

Quæres quot Mappis altare quondam cooperiretur, & nunc cooperiri debeat.

Resp. plures olim adhibitas fuisse demonstrat adscripta Pio Papæ I. constitutio Cap. *Si super*. Idem supponit Ordo Romanus, hunc enim in eo Titulum, *De benedictione linteaminum*, legere est: is vero titulus invicte probat perantiquum esse morem benedicendi hujusmodi linteamina antequam ad Missam adhibeantur. His temporibus tres Mappæ, quæ prius per benedictionem consecratæ fuerint, requiruntur, aut saltem duæ, quarum una simplex sit; altera vero sic complicetur, ut duplicis locum teneat; ita enim Missalis Romani regulæ definiunt.

Caput Quintum.

De vestibus quas sacrificaturus induere tenetur?

Conveniunt omnes Christum, cum Missam instituit, quotidianis tantum ac vulgaribus vestibus usum fuisse. Certum quoque videtur Apostolos, cum Hierosolymis primum sacris dederunt operam, non alias adhibuisse vestes, quam quæ erant in usu quotidiano: *Vestes etiam Sacerdotales* (ait Walfridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap 24.) *per incrementa ad eum qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas agebant*. Verum Apostolos dum sacrificarent, non multo post peculiaribus vestibus usos fuisse, censet doctissimus Cardinalis Bona lib. 1. rerum Liturgicarum cap. 24. quod quidem hisce argumentis probare contendit: *Huc* (inquit) *pertinet penula a Paulo Troade relicta; huc lamina, seu mitra Episcopalis, quam gestasse Joannem Evangelistam Polycrates Ephesi Episcopus author est apud Eusebium hist. l. 3. c. 31. huc infulæ quarum meminit Tertull. l. de Monogamia. c. 12.*

Sed quidquid sit de Apostolorum ætate, certo certius est, quarto sæculo Sacerdotes ubique gentium aliis a communibus vestibus usos fuisse dum incruentum offerrent sacrificium. *Vestibus lineis* (ait Hieronymus in cap. 44. Ezechielis) *utuntur Ægyptii Sacerdotes, non solum intrinsecus, sed, & extrinsecus*: Nec id Ægypto fuisse peculiare mox laudatus Pater asserit: *Porro religio Divina alium habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi*. Chrysostomus initio liturgiæ describit orationes, quæ a Græcis Sacerdotibus recitari debent dum induunt vestes sacras. Basilius suam liturgiam hisce verbis auspicatur: *Primum Patriarcha, cum sequentis ordinis Clero, Ecclesiastici vestimentis induto, offeruntur in sacrario ab oblationariis mundatæ, & compositæ oblatæ &c.* Non Sacerdotes modo, sed etiam inferiores ministros vestes minime communes induisse dum suis officiis fungerentur, demonstrat canon 41. Concilii Carthaginensis IV. *Ut Diaconus tempore oblationis tantum vel lectionis, alba utatur*.

Indumenta vero quibus tum Episcopi, tum Presbyteri utuntur apud Latinos, sunt Amictus, Alba, Cingulum; Manipulum, Stola, Planeta.

Qui de divinis officiis sæculo octavo, & nono scripserunt, eas vestes sigillatim recensent: *Amictus* (inqui Amalarius Fortunatus lib. 2. de Ecclesiast. officiis cap. 17.) *est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus: in collo namque est vox; ideoque per collum loquendi usus exprimitur, per Amictum intelligimus custodiam vocis. Amictus vero dicitur, quia circumjicitur. In isto primo indumento admonetur castigatio vocis*. Duodecimo sæculo amictus Sacerdotes collum obnubebant, dimittebantque postea in os casulæ, ut nunc Monachis in usu est: *Amictus autem* (inquit Innocentius III. lib 1. mysteriorum Missæ cap. 35.) *quo Sacerdos caput suum obnubit &c.* Id tamen apud omnes non erat receptum: *Quidam* (verba sunt Ruperti lib. 1. de divinis officiis cap. 19.) *amictu caput suum obnubit, donec super eos casulæ illum revolvat, aut velut caput aut coro-*

nam

nam illi coaptet: vox illa, *Quidam*, demonstrat non universalem fuisse morem, de quo est hic quæstio.

Alba, quam Sacerdos induit, alterum est vestimentum quod ad sacrificium offerendum requiritur: *Secundum* (inquit Rubanus Maurus de Institutione Clericorum lib. 1. cap. 16.) *vestimentum est linea tunica, quæ Græce ποδήρης, Latine talaris dicitur, eo quod ad talos usque descendat.* Hujusmodi vestis meminit Gregorius Nazianzenus Orat. tertia quam habuit ubi post suum e fuga reditum inauguratus fuisset Episcopus: *Me Pontificem ungis, & podere cingis, capitique cidarim imponis, atque holocausti spiritualis altari admoves, & initiationis vitulum mactas, manusque spiritui consecras.* Quid autem Alba significet his verbis declarat Innocentius III. cap. 36. *Alba lineum vestimentum, longissime distans a tunicis pelliceis, quæ de mortuis animalibus fiunt, quibus Adam vestitus est post peccatum, novitatem vitæ significat, quam Christus & habuit, & docuit, & tribuit in Baptismo;* quæ quidem novitas sacrificaturo in primis necessaria est, unde cum per mortis Christi merita tribuatur, sic orat Sacerdos dum Albam induit: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in sanguine agni dealbatus gaudiis merear perfrui sempiternis.*

Cingulum quo Sacerdos Albam cingit, perantiquum est. *Sequitur Zona* (inquit Alcuinus de divinis Officiis capite, Quid significent vestimenta, *quæ cingulum dicitur: qua restringitur poderis ne laxe per pedes diffluat;* id vero mystice fit, ut nempe de castitate Sacerdos moneatur. *Debet igitur Alba* (ait Innocentius III. lib. 1. myst. Missæ cap. 52.) *circa lumbos Zona præcingi; ut castitas Sacerdotis nullis incentivorum stimulis dissolvatur, in lumbis enim luxuria dominatur.*

Manipulus quartum est sacrificaturi Sacerdotis indumentum, quod apud veteres Fano, Mappula, Mantile, Sudarium dicitur. Mysticam illius significationem, & primævum usum his verbis aperit Honorius Augustodunensis Episcopus in Gemma animæ de antiquo ritu Missæ lib. 1. cap. 208. *Sacerdos Fanonem in sinistrum brachium ponit, qui & Mappula, & Sudarium vocatur, per quod olim sudor, & narium sordes extergebantur, per hoc pœnitentia intelligitur qua quotidiani excessus labes extergitur: Hoc in sinistro brachio gestatur, quia in præsenti tempore tantum pœnitentia vita nostra mundatur.*

Stolæ, quæ, & Orarium dicitur, Ordo Romanus meminit Titulo de consecratione Sacerdotum, ubi enim de ritibus consecrandi Presbyteri sermonem instituit, sic loquitur: *Hic reflectat Orarium super humerum ejus dextrum, dicens ad eum. Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve.* Ejus pariter meminit tertium Concilium Bracarense cap. 3. *Quoniam* (inquit) *antiqua, & Ecclesiastica institutione novertimus præfixum, ut omnis Sacerdos cum ordinatur, Orario utroque humero ambiatur, scilicet ut qui semper imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, adversa, virtutum semper ornamento utroque circumseptus appareat humero, qua ratione tempore sacrificii non assumat quod in se Sacramento accepisse non dubitat? Proinde modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat, & in oblatione vel perceptione suæ salutis; scilicet, ut cum Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat quam Orario utroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus: ita ut de uno eodemque Orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens, signum sub pectore præparet crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat:*

Sextum, & ultimum Sacerdotale indumentum est Casula; *Casula* (inquit Alcuinus de divinis Officiis cap. Quid significent vestimenta) *quæ super omnia indumenta ponitur, significat charitatem quæ alias virtutes excellit.* Apud veteres nonnumquam *Planeta* dicitur; *Subdiaconus regionarius* (verba sunt Ordinis Romani, Titul. Qualiter celebrandum sit officium) *referens ad Pontificem qui debeat legere aut cantare; ponit Mappulam in sinistro brachio Pontificis super Planetam &c.*

Jucma de Sacram.

Antiquitius Casula ad latus aperta non erat, omni enim ex parte obtegebat sacrificantis corpus: *Est autem integra* (ait Rupertus lib. 1. de divinis officiis cap. 22.) *& undique clausa, ut unitatem vel integritatem veræ fidei demonstret.* Hinc sequitur necessario Planetam seu casulam olim multo fuisse longiorem ac latiorem quam nunc sit; nec enim alioquin omnes corporis partes obtegere potuisset. Ejusmodi vero veteris figuræ hoc apud nos vestigium remanet, quod ubi hostia consecrata, a Sacerdote elevatur, minister sacrificantis casulam complicet aut extollat, ne Sacerdoti genua flectenti sit impedimento.

Antequam huic Capiti quarto finem imponamus, monendus est lector primo non licere recensitis hactenus vestibus uti ad sacrificium, nisi prius ab Episcopo, aut a Sacerdote, de Episcopi licentia, benedictæ fuerint: veterem ejusmodi benedictionis formam in Ordine Romano legere est sub hisce Titulis, *Benedictio ad Albas, Planetas, Stolas, & Cingula &c.* Monendus est secundo vestes, de quibus hactenus, consecrationem amittere cum amittunt priorem formam, ac ita deteruntur, ut ad usum cui destinatæ sunt, aptæ esse desinant: unde, si ex Alba v. g. revellatur pars aliqua notabilis, denuo benedicenda est; Cingulum fractum eget quoque nova benedictione, si neutra ejus pars ad cingendum adhiberi possit, priorem tamen benedictionem non amittit, si partes quæ frangendæ conspiciuntur, consuantur filo ante suam fractionem: non amittit quoque eu cinguli pars quæ ad cingendum satis est. Monendus est 3. eum peccare graviter qui ejusmodi vestibus quandiu benedictionem retinent, in usus profanos adhibuerit, unde Sacerdotes antiqui jure jubebantur, ut, amissa benedictione comburerent. *Altaris palla*, (Distinct. 1. de consecrat.) *cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur, cineres quoque eorum in baptisterio inferantur, aut in pariete, aut in fossis pavimentorum jactentur ne introeuntium pedibus inquinentur.* Tandem monendus est 4. censere omnes Theologos reum fieri lethalis peccati Sacerdotem qui voluntarie, & cum advertentia rationis unam ex iis vestibus induere detrectarit; eo nimirum in casu Ecclesiæ universalis usum, qui vim legis obtinet, in materia gravi infringeret.

Quæres utrum Sacerdos detecto capite celebrare teneatur!

Resp. affirmative: ita enim statuisse dicitur Zacharias Papa de consecrat. Dist. 1. Cap. *Nullus*, ubi sic eum loquentem Gratianus inducit: *Nullus Episcopus aut Presbyter aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire aut velato capite altario Dei assistere, quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, & qui temere præsumpserit, communione privetur.* Vim ubique habet ea lex, & præsertim in Galliis, ubi Concilia provincialia solemniter eam promulgarunt; *Sacerdotes non celebrent operto capite*, (inquit Concilium Bituricense Titul. 23. De Missa) *nisi infirmitas urgeat.* Idem multo ante decreverat S. Carolus in Concilio Mediolanensi 1. *Ut operto capite* (ait Titul. 5. de iis quæ pertinent ad Missam) *celebrare non audeant.* In observatione illius Ecclesiasticæ legis Summus Pontifex, ex causa, nonnumquam dispensat. Sylvius in 3. part. quæst. 83. Summæ S. Thomæ narrat senem sibi notum, & conflictatum adversa valetudine Urbanum Papam VIII. consuluisse an decretum de quo agitur, vim haberet hoc etiam sæculo, petiisse vero dispensationem ex suppositione quod vigeret, quam quidem dispensationem hocce Papæ rescripto obtinuit: *Urbanus Papa VIII. &c. Tibi, ut de tui Ordinarii Atrebatensis, & quatenus ad illum tutus non pateat accessus, Ordinarii vicinioris licentia dum sacro Sanctum Missæ sacrificium hujusmodi celebras caput birotino (Gallice* Callotte*) tectum, non tamen a præfatione usque ad peractam sacram Communionem, habere licere, & licite, ac absque alicujus pœnæ vel censuræ Ecclesiasticæ incursu possis, & valeas, licentiam Apostolica authoritate tenore præsentium concedimus, & impertimur, non obstantibus Apostolicis,*

ficis, ac in universalibus, Provincialibusque Conciliis, editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 16. Febr. 1641. An vero in ea lege dispensare possint Episcopi, dubium est inter eos qui de ritibus scripsere. Gavantus explicans Missalis Romani rubricas, part. 2. titul. 1. nu. 2. affirmat sacram Cardinalium congregationem super negotia Episcoporum præpositam respondisse die 2. Jan. ann. 1590. dispensationem de qua agitur, Papæ reservatam esse, alii vero id negant. Nam censemus in Galliis ubi Cardinalium, qui Episcoporum negotiis præpositi sunt, congregationis jurisdictio non admittitur Episcopos in casu de quo est quæstio, posse dispensare, nulla enim aut de jure, aut de consuetudine, hoc in capite, videtur facta fuisse Summo Pontifici reservatio? Unde cum dispensat ex causa, seu (ut loquitur Concilium Bituricense) ex infirmitate, jure communi fruuntur.

CAPUT SEXTUM.

De iis quæ in celebratione Missæ recitanda sunt.

Conclusio 1. Seclusa necessitate, nulli Sacerdoti licet sacris dare operam, qui prius Matutinum & Laudes recitaverit.

Probatur. Fert præsens Ecclesiæ consuetudo, quæ vim legis habet, ut nemo, extra necessitatis casum, Sacris det operam, quin Matutinum, & Laudes persolverit: Peccant igitur qui eam legem infringunt, & quidem graviter, si plures hujusce ætatis doctissimi ac sapientissimi Theologi audiantur. Addita sunt hæc verba, *Seclusa necessitate*, quippe quod omnibus exploratum sit licere Parocho etiam qui preces, de quibus agitur, non recitarit, Divina obire, si pro periculose ægrotante hostia consecranda sit, aut sit charitatis officiis deditus, excipiendis v. g. ovium suarum confessionibus, festiva aliqua celebritate vacaverit.

Conclusio 2. Fert consuetudo, ut Missæ, quædam orationes præparatoriæ præmittantur.

Probatur ex rubricis Missalis Romani, quæ eas orationes sigillatim recensent: sed observandum est eam consuetudinem vim præcepti non habere, unde in ipso Missali, Sacerdotis devotioni, & opportunitati permittuntur sicut & in Conciliis Provincialibus quæ in Galliis post Tridentinum habita sunt: *Nos* (inquiunt Patres Concilii Narbonensis habiti ann. 1609. Tit. de Missæ sacrificio) *primum illum candorem videre cupientes in Sacerdotibus, statuimus ut celebraturi purgata primum conscientia se in Sacrarium recipiant, ubi repertis his, & in Missali perfectis quæ in Missa sunt recitaturi, orationes ab ordinario Romano præscritas, pro sua devotione fundent, & pronuntiabunt &c.* Idem judicium nonnulli ferunt de iis orationibus quæ, ex rubricarum præscripto, recitantur dum sacræ vestes induuntur: Sed immerito. Nullus enim est in rubricis terminus ex quo rubricas ea in re solum directivas, non vero præceptivas esse concludi possit.

Conclusio 3. Quisque Sacerdos tenetur ea omnia recitare quæ continentur libris liturgicis, quibus utitur Ecclesia cui fuerit adscriptus.

Probatur 1. Apud Latinos quisque Sacerdos jubetur ad normam Missalis Romani Eucharistiæ sacrificium offerre, ubi tamen non reperitur Missale particulare diœceseos: In virtute nimirum S. Obedientiæ Pius Papa V. singulis Latinis Sacerdotibus injunxit, ut rubricas, & ordinem Missalis, quod singulas ejus partes observent: Pii Papæ decretum Concilia provincialia promulgarunt, *In celebratione Missæ*, (inquit Concilium Bituricense habitum ann. 1584.) *omnes ritus, & ceremoniæ quæ in Missalibus præscribuntur, exacte, & religiose observentur, nec quicquam addatur aut detrahatur*. Idem præceptum latum fuit ann. 1583. in Concilio provinciæ Burdigalensis: *In celebratione vero* (ait Titul. 5. de iis quæ in sacro sancto Missæ sacrificio observanda vel cavenda sunt) *omnes ritus ac ceremoniæ quæ in Missali Romano præscribuntur exacte, & religiose observentur, nullis prætermissis, nullisque omnino adjectis*. 2. Apud Græcos præcipitur Sacerdotibus ut diebus ferialibus ad normam Liturgiæ a S. Basilio conscriptæ, solemnibus vero ad amussim liturgiæ Chrysostomianæ, quæ Basiliana multo amplior est, Missæ sacrificium celebrent. Non est opus ut hic moneatur lector peccare lethaliter Sacerdotem, qui ultro omiserit insignes aliquas Liturgiæ partes; ut sunt Epistula, Evangelium, Præfatio, aut plures alias minores, quæ simul sumptæ insigniorem exæquent,

Quæres 1. num Sacerdos aliqua secreto, alia vero clara voce recitare teneatur?

Resp. affirmative. Ratio est 1. quia id Liturgiæ omnes antiquæ tum Latinæ tum Græcæ præscribunt. v. Idem Conciliis edicitur: *Præcipimus*, (inquiunt Patres prioris Concilii Mediolanensis sub S. Carolo) *ut Sacerdotes quæ palam pronuntianda sunt, distincte, & clara voce dicant; Ut secreta, quæ vocantur, secreto etiam pronuntient*. Simile decretum in Concilio Burdigalensi habito ann. 1583. legere est: *Quæ clara voce recitanda sunt, ea distincte & intelligenter pronuntientur, quod fiet, si neque tardius, neque celerius quam par sit, verba proferantur: Secreto pronuntianda, submissa voce recitentur*. 3. Mysterio non vacat hujusmodi ritus, quippe quod submissa Sacerdotis voce tum ipse tum populus ad singularem attentionem excitentur. Addunt alii sic sancitum fuisse ut silentium quod Christus cruentum in cruce sacrificium offerens, servavit, populorum revocetur in memoriam. Ex iis momentis patet quosdam Presbyteros qui tum (ut ajunt) excitent se ad pietatem, tum ut fideles ad eorum quæ recitantur, contemplationem moveant, totius liturgiæ verba clara voce recitant; patet (inquam) iis Sacerdotibus zelum quidem esse, sed qui non sit secundum scientiam.

Quæres 2. num absque libro Litorgico liceat offerre Missæ sacrificium?

Resp. negative; Qui enim sic se gereret, exponeret se periculo errandi in re gravi ac proinde lethaliter peccaret. Præterea Concilia prohibuere ne quis, etiam dum adest liber Liturgicus: Missæ canonem memoriter recitet: *Præcipimus* (verba sunt prioris Concilii Mediolanensis) *ut propter erroris casum, qui in omni parte Missæ gravis, in canone gravior, in ipsa vero consecratione gravissimus est, Missam legant, non memoriter dicant, aut canant*. Concilium prius Burdigalense hæc etiam habet: *Neque memoriter quicquam, sed in libro omnia legantur*. Ne cæcis quidem indulgetur ut Missa memoriter recitetur: *Non memoriter dicatur Missa* (inquit Concilium Bituricense quod ann. 1584. habitum est) *nec a cæcis*.

CAPUT SEPTIMUM.

Quo idiomate Missæ sacrificium offerri debeat?

Elapso proxime sæculo recentiores omnes hæretici Ecclesiæ crimini verterunt, quod Liturgiam ignota populis lingua celebraret: causabantur nimirum 1. praxim illam Apostolicæ institutioni repugnare: 2. eo ritu populos defraudari Liturgiæ fructu; qui quidem (inquiebant) una est instructio quæ ex ejusdem liturgiæ verbis colligitur. Ea tamen Sectariorum momenta, licet etiam Principum Catholicorum fulta commeodatione, nihil immutarunt in Ecclesiæ usu, quem sacra Tridentina Synodus Sess. 22. cap. 8. hisce verbis confirmavit: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique utriusque Ecclesiæ antiquo, & a S. Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre, & magistra, probato ritu, &c.*

Conclusio 1. Triplici ut plurimum idiomate liturgiam Patres quondam celebrarunt.

Probatur 1. ex eo quod antiquiores Liturgiæ nulla

alia

alia quam Chaldaica, Græca, & Latina lingua conscriptæ reperiantur: Iis ergo tantum linguis Majores nostri usi sint cum incruentum Missæ sacrificium obtulerunt. 2. Apostoli primum Hierosolymis Chaldaice, aut Siriace, Antiochiæ, ac in reliquis Græcorum civitatibus Græce; Romæ autem, & in toto Occidente Latine locuti sunt cum Sacris operam darent. 3. His etiam temporibus Græci, & Melchitæ Græce loquuntur cum liturgiam celebrant. 4. A Maronitis, Nestorianis, Iacobitis lingua Chaldaica semper adhibita fuit, & nunc etiam adhibetur. 5. In Occidente Sacerdotes dum sacrificarent, sola lingua Latina usi sunt.

Conclusio 2. Nec licet nec expedit ut liturgia passim vulgari lingua celebretur.

Probatur 1. Lingua Latina, qua Sacerdotes inter sacrificandum semper in Occidente usi sunt, nec Francis, nec Germanis, nec Polonis, nec reliquo Europæ populo passim ac promiscue cognita fuit: Et tamen id ex veteribus nemo per tot sæcula praxim illam Majoribus nostris crimini vertit. 2. Cuique exploratum est Græcum, & Chaldaicum quæ in liturgiis leguntur, prorsus ignota esse populis Orientalibus qui Græco vulgari, & Arabico passim loquuntur; Ejusmodi tamen populorum imperitiæ nullam hactenus Græci rationem habuere. 3. Petierunt nonnunquam Principes ut Patrio idiomate sacra mysteria celebrarentur; verum repulsam passi sunt semper; id videre est in Uratislao Bohemorum duce ad quem sæculo XI. hæc scripsit Gregorius Papa VII. *Quia nobilitas tua (inquit) postulavit, quo secundum Sclavonicam linguam apud vos divinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ nequaquam posse favere .... Unde ne id fiat quod a vestris imprudenter exposcitur, authoritate B. Petri inhibemus, teque ad honorem omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis resistere præcipimus.*

Probatur iterum conclusio ex gravissimis incommodis, quæ ex usu linguæ populis vulgaris ac tritæ in sacris mysteriis usu consequuntur. 1. Cum linguæ vulgares frequentissimæ vicissitudini obnoxiæ sint, periculum esset ne fides ipsa quæ Missæ canone continetur ac exprimitur, cum vocibus mutationem pateretur; præsertim cum aliquando vel unius syllabæ detractio aut additio ipsam convellere possit, ut patet tum in Arianis tum io Nestorianis: Illi unius jota additione Ομοιουσ, verbi consubstantialitatem tollebant de medio; Isti vero unius apicis seu accentus mutatione incarnationis mysterium omnino destruebant; quippe qui contenderent Virginem appellari oportere Θεοτοκον id est a Deo genitam, non autem Θεοτόκον id est Dei genitricem. 2. Si unumquodque regnum, patrio ac vulgari sermone Divina mysteria celebret, facile impediretur Ecclesiarum inter se commercium; neque enim Italus sacerdos in Gallis, nec Gallus in Italia, nec Italus aut Gallus in Germania Sacris operam dare possent. 3. Ex usu linguæ vulgaris in qualibet regione, sequeretur & hoc incommodum: Ob frequentem nimirum vulgarium linguarum immutationem vel corruptelam, res tandem aliquando eo deveniret, ut antiquas ac primævas liturgias nemo post aliquot annos intelligeret ac proinde nec mysteria quæ liturgiis ejusmodi continentur: id in veteri Francorum idiomate videre est, quod quidem fere nemo Gallus jam intellexerit.

Objicies 1. Si Liturgia vulgari sermone celebraretur, populi majori in sacrosancta mysteria pietate afficerentur, una cum Sacerdote funderent preces quarum sensum caperent. Par est igitur ut Divina trito idiomate peragantur, quo populi fidelis pietati ac profectui consulatur.

Resp. incommodo, quod adversarii objiciunt, occurrisse sacram Tridentinam Synodum Sess. 22. cap. 8. ubi hæc habentur: *Mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim dominicis, & festis.* Præterea dato quod incommodum quod ab adversariis urgetur, sequatur ex constanti Orientalium, & Occidentalium praxi, non inde tamen colligitur liturgiam celebrari debere vulgari lingua, quippe quod ex illius usu sequantur incommoda quæ multo graviora sint eo quod ab heterodoxis objicitur.

Objicies 2. Paulus 1. ad Corinth. 14. totus est, ut ignotæ linguæ usum ableget a sacris fidelium conventibus. Nam asserit 1. se nihil eis profuturum fuisse, si ignota ipsis lingua usus fuisset: *Nunc autem, Fratres, si venero ad vos linguis loquens; quid vobis prodero? nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia.* Asserit 2. incassum eos loqui si adhibent ignotum idioma. *Ita, & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.* Asserit 3. ignotæ linguæ usu idiotas, aut imperitos impedire ne in conventibus prolato suo assensu (ut tamen decet) confirment: *Cæterum si benedixeris spiritu*, (ignotam nimirum linguam adhibendo) *qui supplet locum idiotæ quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas nescit.* Persuasum igitur fuit Apostolo in Christianis conventibus ac precibus publicis, cujusmodi est liturgia, linguam quam quisque noverit adhiberi debere.

Resp. Apostolum non loqui de lingua quæ inter orandum adhiberi debeat, sed de ea tantum qua quemque ad aliorum ædificationem seu instructionem uti oporteat. Confirmatur ea responsio 1. ex eo quod Apostolus doceat prodesse orationem, quæ lingua ipsi etiam oranti incognita, facta fuerit. *Nam (inquit) si orem lingua* (incognita) *spiritus meus orat.* Confirmatur 2. ex scopo quem sibi Apostolus proponit. Corinthii plus æquo quam par esset, ignota, & infusa a Spiritu sancto dona linguarum æmulabantur, ex iisque nonnihil captabant inanis gloriolæ, quam quidem, ut Paulus retunderet, non opus fuit, ut assereret liturgiam nota cuique fideli lingua celebrari debere; sed oportuit, ut aliud donum præstantius, Prophetiam nimirum, seu scripturæ aut sermonum spiritualem interpretationem efferret supra dona linguarum; quod, & præstitit hoc argumento, nempe quod Prophetia maxime conferat ad ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, seu ad promovendam fidelium salutem; cum e contra donum linguarum infidelibus tantum profit, utpote concessum ad eorum conversionem, unde sic concludit idem Apostolus: *Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat quam qui loquitur linguis: nisi forte interpretetur ut Ecclesia ædificationem accipiat.*

CAPUT OCTAVUM.

De variis Missæ partibus.

Missa generaliter dividitur ab antiquis in Missam Catechumenorum, & in Missam fidelium. *Ecce post sermonem* (inquit Augustinus serm. 37. de Tempore cap. 8.) *fit Missa Catechumenorum. Manebunt fideles, venietur ad locum orationis.* De utraque ea Missa subsequentibus Articulis differendum nobis incumbit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Missa Catechumenorum.

Quærendum est hic 1. quibus ex partibus constaret Missa Catechumenorum. 2. Quibusnam hominibus ei adesse liceret. 3. An a Presbyteris aut Diaconis fieret. 4. Quandonam desierit.

Conclusio 1. Apud Latinos, Catechumenorum Missa iis omnibus constabat ritibus, qui ab introitu ad Offertorium usque peraguntur.

Probatur 1. ex eo quod iis tantum peractis ritibus, fieret Missa, seu dimissio Catechumenorum. *Post sermonem* (inquit Augustinus loco proxime laudato) *fit Missa Catechumenorum.* Sermo autem paulo ante Offertorium habebatur. 2. Ritibus omnibus qui sunt

ad Offertorium usque, adfuisse quondam Catechomenos fidem facit Concilium Valentinum Hispaniæ can. 1. *Antiquos canones* (inquit) *relegentes censuimus ut sacrosancta Evangelica ante munerum illationem in Missa Catechumenorum post Apostolum legantur.* 3. Ibi desinebat Catechumenorum Missa, ubi incipiebat Missa fidelium; Incipiebat vero Missa fidelium ab Offertorio, saltem apud Latinos: *Solet vulgus indoctum requirere* (verba sunt Amalarii lib. 3. de divinis Officiis cap. 36.) *a quo loco totius officii Missa inchoatur; ut si forte ad totum non occurrerit, possit scire quibus officiis se præsentare debeat sine retractatione. Nobis videtur Missa vocari ab eo loco, quo incipit Sacerdos sacrificium offerre Deousque ad ultimam benedictionem, idest ab offerenda usque ad Ite Missa est.* Suam autem sententiam Amalarius confirmat authoritate S. Isidori Hispalensis: *A tempore sacrificii Isidorus officium Missæ deputat inquiens in libro Etymologiarum; Missa tempore sacrificii est, quando Catechumeni mittuntur foras clamante Levita, Si quis Catechumenus remansit, exeat foras. Et inde Missa, quia Sacramentis altaris adesse non possunt qui nondum regenerati noscuntur.* Idem confirmatur ex antiquiore scriptore nempe ex S. Cæsario Arelatensi, qui eos increpans qui Mysteriorum celebrationem ad finem usque noo expectant, hom. 12. sic loquitur: *Si diligenter attenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ quando divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, & Corpus, & Sanguis Domini consecratur.* Idem testatur, & authoritate canonis Missæ probat Micrologus cap. 51. *Sciendum est* (inquit) *juxta antiquos Patres quod soli Communicantes divinis Mysteriis interesse consueverunt. Unde & ante oblationem juxta canones jubebantur exire Catechumeni, & Pœnitentes &c.*

Hic obiter monendus est lector, quod quamvis prima Liturgiæ pars Missa Catechumenorum appelletur, debuerint tamen fideles festivis diebus illi præsentes se sistere, unam enim perfectam Missam cum Offertorio reliquisque sequentibus partibus constituit: *Missas* (inquit Concilium Agathense can. 47.) *die Dominico sæcularibus totas*, hoc est, prout Catechumenorum, & fidelium Missam complectitur, *tenere speciali ordine præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat.* Unde corrigendus est Amalarius, qui loco proxime laudato contrarium iouuere visus est.

Conclusio 2. Apud Græcos Missa Catechumenorum citius quam apud Latinos olim desinebat, & nunc etiam desinit.

Probatur 1. Post Psalmorum cantum, post Apostoli, & Evangelii lectionem, post Episcoporum sermones, oratio super Catechumenos habebatur; tum iis ab Ecclesia pulsis, & postea solemniter Pœnitentibus, fidelium preces longe ante Offertorium recitari quondam solebant: *Oportet* (inquit Coocilium Laodicenum) *seorsum primum post Episcoporum sermones, Catehumenorum orationem peragi, & postquam exierint Catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt fieri orationem, & cum ii sub manum accesserint, & recesserint, fidelium preces sic ter fieri, unam quidem scilicet primam silentio; secundam autem, & tertiam per pronunciationem impleri; Deinde sic pacem dari, & sic sanctam oblationem perfici.* 2. His etiam temporibus, ejectis Diaconi ore Catechumenis non statim apud Græcos fit offertorium; mox enim incipiant duæ fidelium orationes, quibus recitatis incipit Cherubicus Hymnus quem Latini post præfationem recitant, tum solemni cum pompa ex prothesi ad majus altare sacra duna Sacerdos, & Diaconus cum Clero deferunt; nudata vero super altare sacra dona, Deo solemniter efferuntur:

Conclusio 3. Aotiqui Patres a Catechumenorum Missa neminem arcebant.

Probatur 1. ex Concilio Carthaginensi IV. *Episcopus* (inquit can. 48.) *nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad Missam Catechumenorum.* 2. Disciplinæ quam mox allata Synodus præscribit, hanc rationem reddit Concilium Valentinum in Hispania; *Sic enim* (ait can. 1.) *Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus.* 3. Eam disciplinam cæteri Patres suis temporibus obtinuisse supponuot, cum in concionibos quas habuerunt intra Missarum solemnia, interdum Gentiles, modo Hæreticos, sæpe etiam Judæos compellant.

Quæres 1. cur Missa, cui tot adessent hominum genera, Missa Catechumenorum appellaretur?

Resp. sic appellatam esse quod prioribos Ecclesiæ sæculis maxima esset Catechumenorum copia, non modo recens advenientium ex gentilitate, sed etiam veteraoorum; plerosque nimirum videre erat qui totam ferme vitam ducebant in Catechumenatu; e contra pauci aderaot, imo aliquando nulli aut Gentiles, aut Hæretici, aut Energumeni, aut Pœnitentes. Merito igitur apud Christianos Occidentales mos invaluit, ut Missæ pars de qua agitur, a Catechumenis potius quam a Pœnitentibus aut aliis qui adesse poterant, nomen sortiretur.

Quæres 2. num Christianis, qui propter crimen excommunicati fuissent, liber esset accessus ad Missam Catechumenorum?

Resp. affirmative; in iis nimirum hominibus locum habet ratio, quam ex Concilio Valentino protulimus. Præterea confirmatur nostra responsio ex Gregorio Turonensi, qui in vita Patrum scribit quod cum Theodebertus Fraocorum Rex Ecclesiam ingressus esset cum quibusdam Magnatibus quos propter crimen Nicetius Episcopus Trevirensis communione privaverat, idem Nicetius, Missa ad Offertorium completa, publice denuntiarit Missam celebratum non iri, nisi communione privati secederent. *Advenit dies Dominicus* (inquit) *& ecce Rex cum his qui ab hoc Sacerdote communione abesse jussi fuerant, Ecclesiam est ingressus. Lectis igitur lectionibus quas canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait Sacerdos; Non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur, nisi communione privati prius abscedant.* Eo exemplo invictissime demunstratur Majores nostros noo ejecisse a Missa Catechumenorum eos etiam, qui propter crimina excommunicati fuissent.

Quæres 3. An Gentiles, Judæi, Hæretici, Pœnitentes Audientes, non ante exirent e basilicis quam cum Diaconi voce Catechumeni dimittebantur.

Resp. ejectis Gentilibus, Judæis, Hæreticis, Excommunicatis, imo & Pœnitentibus, qui, *Audientes* dicebantur, Catechumenos aliquandiu remansisse, quod manuum impositionem cum oratiooibus conjunctam reciperent. Id vero probatur ex Concilio Carthaginensi IV. & ex Concilio Ilerdensi quæ in duas partes Missam Catechumenorum dividunt; priorem quidem quæ Gentilibus, Judæis, & quibusvis aliis communis sit, seu quæ Psalmorum, & Hymoorum cantus, lectionem sacrarum Scripturarum, & Episcoporum tractatus sive sermones complectatur. Posteriorem vero, quæ Catechumenis propria sit, seu quæ manuum impositionem, & orationes contineat: *Episcopus* (ait Concilium Carthaginense IV.) *nullum prohibeat ingredi Ecclesiam..... usque ad Missam Catechumenorum*, seu usque ad illud tempus, quo Missa fit specialiter pro Catechumenis.

Conclusio 4. Soli Episcopi aut Presbyteri sunt ministri Missæ specialis Catechumenorum.

Probatur ex eo quod soli Episcopi aut Presbyteri manus Catechumenis imponerent, soli supra eos recitarent preces, quæ manuum impositionem comitabantur: nusquam nimirum canones Diaconorum, sed Episcoporum tantum, & Presbyterorum meminerunt, cum de ea manuum impositione aut de iis precibus agunt. In Liturgia Basilii ubi Diaconus clamavit; *Catechumeni capita vestra Domino inclinate*, & respoodit populus, *Tibi Domine*, hæc leguntur: *Pontifex secrete orationem Catechumenorum, Domine Deus qui in cœlis habitas respice in servos tuos Catechumenos.... idoneos fac lavacro regenerationis &c*

Objicies. Cassianus lib. 11. Institut. cap. 15. hancce historiam refert qua probetur Diaconos non autem

Sacer-

Sacerdotes celebrare solitos fuisse Catechumenorum Missam: *Visitabat senex quidam Monasterii cellas: ad ostium cujusdam cellæ accedens, obmurmurantem aliquid intus subaudit Monachum. Subsistit, quid diceret audire gestiens, deprehendit Monachum Cenodoxiæ vitio ita tentatum, ut in Ecclesia facere se crederet exhortatorium plebis sermonem; Cumque subsistens senex audisset eum fuisse tractatum, & mutato rursum officio, celebrare velut Diaconum Catechumenis Missam, tum demum pulsavit ostium.* Iis vero ex verbis Morinus lib. 7. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. x. num. 3. conjicit forsan id in Ægypto observatum fuisse, ut Diaconi Catechumenis, & manum imponerent, & preces supra ipsos publicis in synaxibus recitarent.

Resp. verbis illis, *Celebrare velut Catechumenis Missam*, non significari precum supra Catechumenos genuflexos recitationem, sed solemnem eorum dimissionem, quam omnes liturgiæ Diaconis adscribunt. In Basilii liturgia ubi Sacerdos recitavit orationem, quę Catechumenorum oratio dicitur, hæc leguntur: *Diaconus alta voce, Omnes Catechumeni procedite; Cathecumeni procedite*]; *Omnes Catechumeni procedite; Nemo de Catechumenis remaneat.*

Conclusio 5. Catechumenorum Missa specialis seu quæ in manuum impositione, & orationibus posita est, ac præterea solemnem hanc dimissionem, *Procedite Catechumeni, Exite Catechumeni*, complectitur, circa annum 700. in Ecclesia Occidentali desiit; in Orientali tamen, saltem in Liturgiis, his etiam temporibus peragitur.

Probatur prior pars primo. Nec in Conciliis quæ post annum septingentesimum habita sunt, Nec in Ordine Romano, qui post Gregorii Magni tempora conscriptus est, nec in authoribus qui octavo, & nono sæculo ac cæteris, de Divinis Officiis scripserunt, aliquod vestigium Missæ specialis Catechumenorum reperire est. 2. Post septimum sæculum frequentes non erant qui ex Ethnicismo aut Judaismo conversi, Ecclesiæ Catholicæ darent nomen, omnes fero baptizandi ex Christianis progeniti erant, adhuc infantes baptismate donabantur, ac proinde nulli Catechumeni adulti publicis in conventibus videbantur.

Probatur altera conclusionis pars. Licet multis abhinc sæculis nulli sint apud Grecos Catechumeni, semper tamen post recitatam Catechumenorum orationem Catechumenos dimiserunt, & nunc etiam solemniter dimittunt: *Hac expleta oratione*) verba sunt Liturgiæ Chysostomi qua solemnibus festis utuntur) *Diaconus qui facit postulationes; Quicumque Catechumeni, recedite: Tribus vicibus. Deinde extra cancellos dicit; Nullus Catechumenorum, sed soli fideles remaneant.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De Missa fidelium.

EA liturgiæ pars, cui fideles, & Pœnitentes qui *Consistentes* dicebantur, aderant, complectebatur Offertorium, Præfationem, Hymnum Cherubicum, Canonem, Orationem Dominicam, Communionem, Postcommunionem. De iis omnibus, nonnullis tamen de Symbolo præmissis, aliquid hoc in capite dicemus.

§. I.

De Symbolo.

DE Symbolo, quod immediate post Evangelium in liturgiis Latinis locum habet, quæremus 1. utrum a Græcis intra Missarum solemnia recitetur: 2. utrum quovis sæculo perlectum fuerit a Latinis. 3. Cur & quandonam particulam *Filioque*, Occidentales ei inseruerint.

Conclusio 1. Græci Symbolum recitant inter Missarum solemnia.

Probatur 1. ex eo quod sic præscribant antiquæ Græcorum liturgiæ, basilianam dico, & Chrysostomianam. Paulo ante consecrationem hæc leguntur in Liturgia Basilii: *Diaconus, Intendamus, & canamus symbolum. Et cantant omnes symbolum, incipiente Archidiacono. Post symbolum tollitur linteum desuper muneribus*. In Liturgia Chrysostomi ubi clausæ sunt Cancellorum januæ, *Clerus, & populus dicunt, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem*. Moris hujusmodi a Græcis usurpati meminit Reccaredus Rex in tertia Synodo Toletana habita anno 589. in ea nimirum sic Episcopos allocutus est: *Hoc adhuc necessario pro firmitate fidei Catholicæ nostra Deo supplex instituere decrevit authoritas, ut propter roborandam gentis nostræ novellam conversionem, omnes Hispaniarum, & Gallæciæ Ecclesiæ hanc regulam servent, ut omni sacrificii tempore ante communicationem corporis Christi & sanguinis juxta Orientalium partium morem, unanimiter clara voce sacratissimum fidei recenseant symbolum; ut primum populi, quam credulitatem teneant, fateantur, & sic corda fide purificata ad Christi corpus, & sanguinem percipiendum exhibeant.*

Quæres utrum a Græcis Symbolum, ante Basilii, & Chrysostomi tempora inter sacrificandum recitatum fuerit.

Resp. 1. id prorsus incertum esse. Justinus de ritu Missæ agens sub finem secundæ Apologiæ quam pro Christianis scripsit, Symbolum non recenset; altum est quoque de eo silentium apud authorem libri de Ecclesiastica Hierarchia, quem nonnulli dicunt Dionysium Areopagitam. 2. Verisimile est morem, de quo agitur, apud Orientales invaluisse tantum post habitum prius Concilium Constantinopolitanum; par nempe fuit ut tunc Ecclesia Orientalis publicis in synaxibus profiteretur fidem, quam Orientales hæretici impugnarant. 3. Laudant nonnulli Lectorem Theodorum quasi lib. 2. Collectaneorum asseruerit morem recitandi symbolum quotidianis in sacrificiis, sexto tantum sæculo ubique apud Orientales obtinuisse ex decreto Timothei qui circa annum 510. Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit.

Conclusio 2. Circa annum 589. Ecclesiæ Occidentales Symbolum inter Missarum solemnia recitare cœperunt. Ea tamen disciplina ubique statim non obtinuit, sed tantum multis post sæculis.

Probatur prior conclusionis pars. Tertia Synodus Toletana, quæ regnante in Hispaniis Reccaredo, ann. 589. habita est, disciplinam de qua agitur, primum apud Occidentales invexit, hæc nimirum habet capitulo 2. *Pro reverentia sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi, & gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis, sancta constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Gallæciæ, secundum formam Orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum fidei recitetur; ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur; quo & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus, & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.* In ea Synodi verba observare est nullam pro disciplina, de qua agitur, laudari Ecclesiam Occidentalem, sed Orientales tantum, *Secundum formam Orientalium Ecclesiarum*. Nullibi igitur tunc apud Occidentales vigebat praxis de qua Toletani Patres loquuntur; Primum itaque ab iis in Occidentem invecta est.

Probatur altera pars. 1. In Galliis sancita a Toletanis Patribus disciplina obtinuit quidem sed tantum octavo sæculo desinente, nimirum (ut Vualfridus Strabo testatur, de rebus Ecclesiast. capite 32.) post Felicis, & Elipandi Episcoporum Hispanorum solemnem condemnationem: id tamen non sumpserunt sibi Ecclesiæ Gallicanæ, quin prius a Leone Papa III. permissæ fuissent, ut patet ex collatione, quam laudatus Pontifex anno 809. habuit cum Bernardo Episcopo Vuormatiensi, Jesse Ambianensi, Adelhardo Abbate Corbeiensi, Legatis Aquisgranensis Concilii; Ubi enim illi legati

fummum Pontificem fic allocuti fuiffent: *Numquid non a te idipfum Symbolum eft data in Ecclefia cantandi licentia? Numquid a nobis huc ufus ille cantandi proceffit? Hinc etenim illuc, mos idem cantandi non a nobis huc advenit: & quomodo illum ufque hodie cantamus?* Hocce refponfum a Leone datum eft: *Ego licentiam dedi cantandi, non autem cantando quippiam addendi, minnendi, feu mutandi*. 2. Veteris ritus tenacior fuit Romana Ecclefia, quamvis enim Galli, & Germani publicis in Synaxibus Symbolum canendi praxim ab Epifcopis Hifpanis fancitam, annuente Leone III. amplexi fuiffent, Romæ tamen cantatum non fuit: *In noftra fancta Ecclefia* (inquit mox laudatus Leo Aquifgranenfibus legatis refpondens) *non cantatur*.

Probatur tertia conclufionis pars ex Bernone Augienfi, qui libro de rebus ad Miffam fpectantibus fidem facit Benedicti Papæ VIII. decreto Symbolum anno 1014. Romæ intra Miffarum folemnia cantari cœpiffe poft Evangelium: *Cum Romanorum Presbyteri* (inquit laudatus author cap. 2.) *ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur non poft Evangelium (ut in aliis Ecclefiis fiebat) Symbolum canerent; Me affiftente audivi eos ejufmodi refponfum reddere, videlicet quod Romana Ecclefia non fuiffet aliquando ulla hærefeos fæce infecta, fed fecundum fancti Petri doctrinam in foliditate Catholicæ fidei permaneret inconcuffa, & ideo his magis neceffarium effe illud Symbolum fæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hærefi potuerunt maculari: At Imperator domino Benedicto perfuafit ut ad publicam Miffam illud decantarent*. Eo vero lubentius Benedictus Papa ceffit, quod (ut ait Baronius) intellexiffet periculum effe ne ea, quæ a Romana Ecclefia accepta Hifpani, Franchi, & alii omnes Boreales populi prædicarent, ipfa Romana Ecclefia refpuere videretur, perinde ac fi ante prædicatæ doctrinæ, & aliis traditæ effet prævaricatrix, & confiteri publica confeffione renueret, quæ aliis ad convincendas hærefes, & detegendos ac confutandos hæreticos, atque probandos Catholicos Leo Magnus tot ante fæcula Hifpaniarum Epifcopis tradidiffet.

Conclufio 3. Circa annum 411. hæc particula *Filioque*, ab Hifpanis addita fuit Symbolo Conftantinopolitano: Labente fexto fæculo Patres tertii Concilii Toletani additionem probarunt: nec non Galli, & Germani octavo, & tandem Ecclefia Romana ineunte undecimo.

Probatur prior pars ex primo Concilio Bracarenfi, quod quidem (fi Conciliorum editioni Labeanæ fides adhibenda fit) habitum eft anno 411. Eo fcilicet in Concilio Prifcillianiftis, qui tunc Hifpanarum Ecclefias devaftabant, oppofitum eft fidei Catholicæ Symbolum cum additione de qua agitur: *Credo* (verba funt Pancratii Epifcopi qui Synodo præfuit) *in Spiritum fanctum procedentem a Patre, & Verbo, unicum in Deitate cum ipfis*. Id minime poftea alii Hifpani tentarunt; quippe qui ea verba excerpfiffent ex data a Leone ad Turibium Epifcopum Afturicenfem Epiftol. in qua cum damnantur Prifcillianiftarum errores, hæc capite primo ponuntur. *Primo itaque capitulo demonftratur, quam impie fentiant de Trinitate divina, qui, & Patris, & Filii & Spiritus fancti unam atque eamdem afferunt effe perfonam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus fanctus nomiaetur, nec alius fit qui genuit, alius qui genitus eft, alius qui de utroque proceffit*.

Probatur altera pars ex Concilio Tolerano III. cujus textum fuperius retulimus. Anno 633. Toletanum VI. fubfcripfit: *Spiritum vero fanctum* (inquit cap. 1.) *nec creatum, nec genitum, fed procedentem ex Patre, & Filio profitemur*. Toletanum VII. ann. 638. eamdem fidei profeffionem confirmavit; probata quoque fuit ann. 653. in Toletano VIII. *Credimus* (verba funt facræ Synodi cap. 1.) *in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem*. Synodis Toletanis fubfcripfit Forojulienfis anno 791. admifit nempe fidei formulam in qua expreffe afferitur; *Spiritum Sanctum a Patre fimul Filioque procedere*.

Probatur tertia pars ex iis quæ ad probationem præcedentis conclufionis dicta funt de Legatis Aquifgranenfis Concilii ad Leonem Papam III. qui quidem licet ejufdem Concilii Aquifgranenfis fidem de proceffione Spiritus fancti probaverit, factam tamen Symbolo additionem ferre minime potuit, quippe qui (Anaftafio Bibliothecario tefte) non folum quid fieri vellet patefecerit; fed indelebile monumentum erexerit quo pofteris innotefceret facro Symbolo nihil prorfus effe addendum: *Hic vero* (inquit mox laudatus Anaftafius) *(pro amore, & cautela Orthodoxæ fidei, fecit ubi fupra* (fcilicet in Bafilica S. Petri) *fcutos argenteos duos, fcriptos utrofque Symbolo* (ubi nulla effet additio) *unum quidem litteris Græcis, & alium Latinis, fedentes dextera, lævaque fuper ingreffum Corporis, penfantes argenti libras nonaginta quatuor, & uncias fex*.

Probatur tandem quarta conclufionis pars ex iis, quæ fuperius de Benedicto VIII. dicta funt. Is vero licet factam Symbolo additionem admiferit, jufferitque folemniter Romæ in Synaxibus poft Evangelium decantari, non invexit tamen aliam fidem ab ea quam Leo Papa II. cui non probata fuerat additio, profiteretur; ipfe enim Leo Legatis Aquifgrano ad fe Romam miffis hocce dedit refponfum: *Ita fentio* (fcu Spiritum fanctum a Patre Filioque procedere) *ita teneo cum his authoribus & Scripturæ facræ authoritatibus. Si quis aliter hac de re fentire, vel docere voluerit defendo: & nifi converfus fuerit, & fecundum hunc fenfum tenere voluerit, contraria fentientem funditus abjicio*. Vide quæftionem de additione particulæ *filioque* fufius pertractatam in tertio Tomo inftitutionum noftrarum Theologicarum fecundæ Editionis.

§. II.

De Offertorio.

Offertorii nomine intelligitur 1. munerum oblatio quæ ftatim poft Evangelii lectionem, & Epifcopi concionem, fi aliqua haberetur, a populo quondam fieri folebat, quamque comitabatur cantus alicujus Pfalmi, cujus unus aut alter verficulus, qui in hodierna liturgia fupereft, Offertorium appellatur. Intelligitur 2. oblatio tum panis tum vini, quæ ex populi muneribus felecta effent ad confecrationem; ea autem fpecialis oblatio fiebat a Sacerdote, & nunc etiam fit per orationem, *Sufcipe quæfumus Domine hanc immaculatam hoftiam, &c.*

De Offertorio in ultimo fenfu fumpto, nihil dicemus; fed de eo prout in priore fenfu accipitur multa funt quæ hic explicemus oportet; Quæremus nimirum 1. An populi dum liturgia fieret, munera offerrent: 2. utrum omnibus promifcue offerre licitum effet: 3. quinam effet ejufmodi oblationis ritus: 4. quo in loco fieret: 5. quandonam ille offerendi mos defierit.

Conclufio 1. Quondam dum fieret liturgia, fideles panem, & vinum offerebant.

Probatur 1. ex S. Cypriano qui ferm. de opere, & eleem. fœminam prædivitem fic increpat: *Locuples es; Dives es; & Dominicum celebrare te credis qua in Dominicum fine facrificio venis?* 2. ex Auguftino: *Oblationes* (inquit de tempore Serm. 15.) *quæ in altario confecrentur, offerte. Erubefcere debet homo idoneus, fi de aliena oblatione communicaverit*. 3. ex Concilio Matifconenfi II. quod habitum eft ann. 585. *Refidentibus nobis in fancto Concilio* (inquiunt canone IV. laudatæ Synodi Patres) *cognovimus quofdam Chriftianos, relicto fratrum cœtu a mandato Dei aliquibus locis deviaffe, ita ut nullus eorum legitimo obfecundationis parere velit officio deitatis, dum facris altaribus nullam admovent hoftiam. Propterea decernimus ut omnibus dominicis diebus, altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis quam vini; ut per has immolationes, & peccatorum fuorum fafcibus careant, & cum Abel, vel ceteris juftis offerentibus promereantur effe confortes. Omnes autem qui definitiones noftras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur*. 4. ex Nicolao Papa I. ad confulta Bulgarorum, circa annum 839. *Igitur* (inquit cap. 35.) *cum in prælium proficifci difponimini, quod ipfi commemoraftis, agere in Dei nomine non ommittere, ideft, ad Ecclefias ire, orationes peragere, peccantibus indulgere. Miffarum folemniis intereffe, oblationes offerre, &c.* Ex iis vero textibus invictiffime patet id moris quondam obtinuiffe in Ecclefia ut fide-

fideles pro facultate dum fieret liturgia, panem & vinum offerrent. Cedebant oblata hujusmodi tum in fidelium communionem, tum in ministrorum ac pauperum sustentationem: *Quæ secundum Dei mandatum tribuuntur*, (inquit Clemens libr. 2. Constitut. cap. 25.) *insumat Episcopus ut homo Dei. Impartite igitur Episcopi cum justitia omnibus egentibus, & vos utimini ex parte bonis Domini, sed non abutimini, edite ex eis, sed ne soli ea devorate.*

Conclusio 2. Non omnibus promiscue licebat panem, & vinum offerre ad sacrificium.

Probatur 1. A numerum oblatione rejiciebantur hæretici; unde (teste Gregorio Nazianzeno in Basilii oration. funebri) Clerici santo Basilio sacrificanti adsistentes, Valentis Ariani Imperatoris oblationem admittere non ausi sunt. Rejiciebantur 2. peccatores; ideo Sanctus Ambrosius Theodosii Imperatoris oblationes noluit recipere, quamvis illius Comites id iniquo animo ferrent: *Causa commotionis hæc fuit* (inquit Paulinus in ejus vita) *quia munera Imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur.* Rejiciebantur 3. qui dissidiis laborabant; *Oblationes dissidentium fratrum* (verba sunt Concilii Carthaginensis IV. can. 93.) *neque in sacrario, neque in Gazophilacio recipiantur.* Rejiciebantur 4. Pœnitentes, etiam quarti gradus, quos consistentes appellabant; Nec id mirum est; nullius enim oblatio recipiebatur qui Christi corpori non communicaret. *Episcopum* (ait Concilium Eliberitanum can. 28.) *placuit ab eo qui non communicat, munus accipere non debere.* Unde in veteribus canonibus ista sunt æquipollentia, communicare precibus sine oblatione, & non communicare Corporis Christi. Id Balsamon adnotavit in 4. canonem Ancyranum: *Divinis Sacramentis digni non habebuntur, id enim est, sine oblatione suscipi.* Id etiam clare significat antiqua ejusdem Ancyrani canonis versio: *Si compleverint pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, id est, ut ipsi oblationem non offerant.*

Conclusio 3. Multa in oblationis ritu quondam observabantur.

Probatur enumeratione. Ubi Cantores incœperant Offertorium: 1. masculi, deinde fœminæ panem & vinum offerebant: *Deinde* (verba sunt antiqui Ordinis processionis ad Ecclesiam sive Missam) *transit Sacerdos ad recipiendas oblationes. Interim Cantores cantant Offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, id est, panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde fœminæ.* 2. Sacerdotes & Diaconi offerebant: sed solum panem, & Cantores aquam solam: *Novissime vero Sacerdotes & Diaconi offerunt, sed solum panem, & hoc ante altare.* 3. Datos Sacerdoti sacrificanti panes oblatos a populo subdiaconus recondebat in sindone quam duo Acolyti habebant præ manibus: *Oblationes autem a Pontifice suscipit subdiaconus, & ponit in sindonem quæ eum sequitur, quam tenent duo Acolyti.* 4. Subdiaconi Archidiacono porrigebant panes quos ille imponebat altari: tum idem Archidiaconus infundebat calici oblati vini partem, necnon aquam, quam e Subdiaconis alter acceperat a primario Cantore. *Tunc Subdiaconi levantes oblatos de manu Subdiaconi sequentis, porrigunt Archidiacono, & ille componit altare. Ornato vero altari Archidiaconus sumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit super colum in calicem, deinde descendit Subdiaconus sequens in scholam, & accipit fontem de manu Archiparaphonistæ, & defert Archidiacono, & ille in amula infundit, faciens crucem in calicem, & ascendunt Diaconi ad Pontificem.* 5. Selecta ex oblatis quæ consecrari debebant, Archidiaconus dabat in manus Pontificis qui ubi thus adolevisset, & conversus ad populum innuisset ut oraret, secretam orationem super oblata proferebat; *Deinde Archidiaconus suscipit oblatas duas de oblationario, & dat Pontifici: quas dum posuerit Pontifex in altare, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi, & ponit eam super altare juxta oblationes Pontificis a dextris involutis ansis, cum Offertorio suo, quod etiam ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super altare, & Pontifex inclinans se paululum ad altare, respicit scholam, & annuit ut sileant, & convertit se ad populum, dicens, Orate,* hactenus Ordo Romanus.

Conclusio 4. Laici nusquam permissi sunt munera offerre in sanctuario.

Probatur 1. Apud Græcos, Laici omnes, uno excepto Imperatore, munera extra sanctuarium offerebant, & nunc etiam offerunt: *Nulli omnium liceat qui quidem sit in laicorum numero* (Verba sunt canonis 69. Concilii in Trullo, habiti ann. 692.) *intra septa sacri altaris ingredi, nequaquam tamen ab eo prohibita potestate & auctoritate Imperiali, quandoquidem voluerit creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.* 2. Apud Latinos antiquitus eumdem morem observatum fuisse hæc Ordinis Romani verba demonstrant: *Pontifex, dum cantatur Offertorium, a Presbytero, & Archidiacono ad locum, ubi oblationes a fidelibus laicis, sive viris sive fœminis, offeruntur, easdem accepturus ducatur.* Demonstrant Capitularia Caroli Magni; Lib. 5. cap. 19. hæc leguntur: *ut per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerant, & ut ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.* Demonstrat etiam testimonium Theodulphi Episcopi Aurelianensis qui ann. 797. in Capitulari quod pro suæ diœceseos Sacerdotibus conscripsit, sic capitulo VI. loquitur: *Fœminæ, missam Sacerdote celebrante nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores enim esse debent fœminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis: & idcirco sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam Laici viri pertimescere debent, ne Ozæ pœnam subeant, qui dum arcam Domini extraordinarie contingere voluit, Domino percutiente interiit.* Nec illi disciplinæ obstat Canon. IV. Concilii Turonensis quod ann. 570. habitum est, licet enim, ipsis etiam fœminis, ad communicandum, Sanctuarii ingressum nonnullis authoribus indulsisse videatur; non indulsit tamen pro offerendis muneribus, altum est nempe eo in canone silentium de oblationis officio, sic enim habet: *Ut laici secus altare, quo sancta Mysteria celebrantur, inter Clericos tam ad vigilias quam ad Missas stare penitus non præsumant. Sed pars illa quæ a cancellis versus altare dividitur, Choris tantum psallentium pateat Clericorum: ad orandum vero & communicandum laicis, & fœminis, sicut mos est, pateant Sancta sanctorum.* 3. Post sæculum decimum mos obtinuit in Occidente, ut in Solea quæ plerumque interjacet inter Ambonem, & Sanctuarii cancellos, laicorum oblationes reciperentur.

Conclusio 5. Post sæculum decimum evanuit antiquus oblationum usus ad Eucharistiam comparatus. Remansit tamen si absque ordine ad Eucharistiam consideretur.

Probatur prior conclusionis pars. Cum post sæculum decimum pauci essent fideles qui in Missa communicarent, opus non fuit, ut panis & vinum ad Eucharistiæ confectionem offerretur. Confirmatur ex Synodo Romana, quæ undecimo sæculo sub Gregorio Papa VII. habita est; Ea in Synodo præcipitur quidem fidelibus ut aliquid intra Missarum solemnia Deo offerant, sed panis & vinum in specie non determinantur: *Omnis Christianus* (inquit can. 13.) *procuret ad Missarum solemnia aliquod Deo offerre .... Etenim in collectis sanctorum Patrum liquido apparet, quod omnes Christiani offerre aliquid Deo ex usu sanctorum Patrum debeant.*

Probatur altera conclusionis pars ex eo quod in Missis quæ pro mortuis offeruntur, pluribus in Ecclesis Occidentalibus, Gallicanis præsertim, panis & vinum a fidelibus offerantur: imo & in aliis Missis solemnioribus nempe festivis anni diebus, id Bisuntii apud Sequanos ter vel quater in anno fieri solet; singulis vero Dominicis, panis & vini loco in Missa Parochiali pecunia offertur, quæ in Parochi bonum cedit juxta canonem XIII. Concilii Bituricensis, quod ann. 1031. habitum est: *Ut Presbyteri, oblationes* (inquit) *vel luminaria quæ eis ad manus offeruntur, tamquam propria sua habeant.*

§.III. De

§. III.

De Præfatione, & Hymno Cherubico.

Nomine Præfationis intelligitur proloquium quo fideles, qui tremendis adsunt mysteriis excitantur ac disponuntur ad canonem, consecrationem, & communionem quæ præcipuum in sacrificio locum tenent.

Conclusio. Præfationis usus multa antiquitate commendatur.

Probatur 1. ex Cypriano qui libr. de Orat. sic loquitur: *Quando stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, ne quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo, Sursum corda, ut dum respondet plebs, Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere.* Probatur 2. ex Augustino, qui Epist. 55. quæ est ad Dardanum, sic loquitur: *Nosti in quo sacrificio dicatur, Gratias agamus Domino Deo nostro.* 3. Præfationem esse institutionis Apostolicæ censent ii omnes qui Liturgiam Jacobi nomine inscriptam, ejusdem Apostoli germanum esse fœtum arbitrantur; ea nimirum in liturgia præfationem ei non absimilem qua nunc utimur, legere est.

Conclusio 2. Usus Hymni Cherubici, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*, antiquissimus est.

Probatur ex eo quod in omnibus omnino liturgiis tum Græcis tum Latinis legatur. Verum monendus est lector hunc Hymnum, victoriosum dictum, distingui debere ab alio quod Trisagion appellatur. Quodque sic habet, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nostri.* Ille immediate ante canonem in liturgiis Latinis, & in Græca Basilii recitatur; Istius vero usus apud Latinos nullus apparet, præterquam in officio feriæ sextæ ante Pascha in qua solemniter decantatur, cum e contra Græcis quotidianus sit, ac canatur ipso liturgiæ initio. Quid autem Græcos moverit ut illum Hymnum Trisagion ubique post annum 446. usurparint, colligitur ex antiquo ipsorum Menologio ubi hæc habentur: *Die 24. Septembris, imperante Theodosio, terræ motus factus est magnus, & talis qualis numquam antea factus fuisse commemoratur. Quo factum est ut totus populus una cum Imperatore, & Patriarcha exierit extra urbem in locum qui dicitur, Campus, propterea quod sine cessatione aliqua erat illa terrarum commotio. Cum igitur Imperator ipse Theodosius, & Proclus Patriarcha, & totus populus litaniis, & supplicationibus divinam opem implorarent: repente puerulus quidam de media turba in aerem raptus est. Omnibus autem præ timore clamantibus, Kyrie eleison, descendit puer & voce magna populum compellans, petit ut Trisagion in hunc modum decantaret, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nobis. Quæ cum dixisset, animam Deo reddidit, & terræ motus quievit.* Idem factum enarrat Felix Papa III. in epistol. ad Petrum Cnaphæum Antiochenum Patriarcham, qui eidem Hymno clausulam hanc addiderat: *Qui crucifixus es pro nobis miserere nostri*, quamque Ecclesia proscripsit in sensu quem Cnaphæus intendebat, nempe in sensu Eutichianorum: nec immerito, cum enim illi hæretici censerent tertiam in Christo naturam resultasse ex commixtione naturæ divinæ cum humana, concludebant, aut saltem ex eorum principiis sequebatur, Divinitatem in cruce vere fuisse passam, proindeque asserebant unam de Trinitate personam, non tantum ratione humanitatis cui esset hypostatice unita, sed etiam per se dolores ac mortem pertulisse.

§. IV.

De Canone.

Hic canonis nomine intelligitur regula ad quam novi Testamenti sacrificium celebrari debeat. Gregorius Magnus lib. 7. Ep. 63. scribit authorem canonis esse quemdam Scholasticum seu virum doctum (sic enim periti quondam vocabantur) id tamen sic intelligi debet ut ipsa substantia canonis sit (ut ait Concilium Tridentinum) ex Apostolorum traditionibus, institutionibus Summorum Pontificum. Post Gregorium Magnum nullam apud Occidentales additionem aut imminutionem passus est; ubique enim eodem modo legitur quo laudatus Pontifex eum in suo Sacramentario descriptum reliquit.

De veritate orationum ex quibus canon constat, nihil dicimus quod nempe Doctissimus Bellarminus eam a Lutheranorum dicteriis vindicavit: sed occasione duplicis *Memento*, vivorum scilicet & mortuorum, quod in eo legitur, de antiquis diptychis nonnulla dicenda sunt.

Diptycha tabellæ erant, in quibus descripta quorumdam fidelium tum vivorum tum mortuorum nomina ex ambone legebantur: Sic vero appellabantur a ptychis seu plicis, quibus inscripta erant fidelium nomina. Cartarum ejusmodi meminit author de Ecclesiast. Hierarch. lib. 3. *Cum se mutuo omnes salutaverint* (inquit) *mystica sacrarum tabellarum recitatio fit.* Eodem spectat hæc Cypriani expostulatio Epist. 10. de præcipiti quorumdam lapsorum reconciliatione: *Ad communionem admittuntur, & offertur eorum nomen nondum pœnitentia facta.* De iis etiam loquitur Hieronymus in Comm. in cap. 18. Ezechielis: *Publice Diaconus in Ecclesia offerentium nomina recitat, tantum offert ille, tantum ille pollicitus, placentque sibi ad plausum populi torquente conscientia, damusque materiam miseris ut gaudeant ad ea quæ tribuunt: & non lugeant ad ea quæ rapuerunt.* De iis quoque hæc habet Innocentius Papa I. in Epist. ad Decenrium: *Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tum eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur; non inter alia quæ antea præmittimus, ut ipsis ia mysteriis viam futuris precibus aperiamus.* Iis Patrum textibus adjungi debet Concilium Emeritense: *Proinde* (inquit can. 19.) *salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum nomina a quibus Ecclesiæ constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ. Quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine.*

Eorum qui excommunicatione innodati fuerant, nomen a diptychis solebat obliterari: ejus vero praxis insigne exemplum videre est in Acacin Constantinopolitano Patriarcha. Is Zenoni Augusto edictum suggesserat quod vocabatur Henoticum, quodque ea omnia quæ contra Eutychianam hæresim in Concilio Calcedonensi decreta fuerant, penitus abrogabat. In eum Felix Papa III. animadvertit anathemate, deditque operam ut nomen illius e sacris diptychis eraderetur; id quoque ab illius successoribus, licet incassum, tentatum est; sed obtinuit tandem Hormisda Papa, Justino imperante; sicque Orientalem inter & Occidentalem Ecclesiam schisma conflatum evanuit. Aliud ejusmodi erasionis e sacris diptychis, exemplum sufficit Chrysostomus; Innocentius nempe Papa I. nusquam cum Orientalibus pacem iniit, quin sacris tabulis Chrysostomi inique a Theophilo Alexandrino eique adhærentibus Episcopis e sede Constantinopolitana deturbati, & agente Eudoxia Augusta deportati in exilium, nomen inscripsissent, illudque intra Missarum solemnia recitassent cum eorum Episcoporum nominibus, qui in Ecclesiæ communione extremam diem clauserant.

Diptycha triplicis fuisse generis asserit Doctissimus Car

Cardinalis Bonæ. Primum erat Episcopis mortuis peculiariter consecratum, iis præsertim qui rexissent Ecclesiam in qua offerebatur sacrificium, modo tamen sanctis moribus claruissent. Alterum erat diptychum vivorum. In eo descripta legebantur eorum nomina qui humana luce fruebantur, quippe aut dignitate aliqua, vel collatis beneficiis, vel aliquo alio titulo de Ecclesia optime meriti fuissent; unde consequens est primum locum debitum fuisse Romano Pontifici, Episcopo diœcesano, cæterisque primi ordinis Clericis: Recensebantur postea Imperator, Principes, Magistratus, ac reliquus populus fidelis, communi saltem facta commemoratione; Tertium diptychum erat mortuorum; eorum scilicet, qui obiissent in Ecclesiæ pace, nomina e suggestu a Diacono recitabantur: unde ii homines censebantur post mortem excommunicatione mulctari quorum nomina e sacris tabulis canonice eradebantur.

Hic observet lector nonnullorum quos Ecclesia in Sanctorum catalogum retulit, nomina e sacris diptychis recitata quondam fuisse; ac pro eis fusas fuisse preces. Sed monendus est id fuisse factum quod Ecclesia per quinque priora sæcula solis martyribus publicum, & solemnem cultum soleret exhibere, vixque aliquem (ut nunc loquimur) confessorem, catalogo Sanctorum inscripsisset. Unde mirum non est quod Leonis Magni, Athanasii, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi nomina e sacris diptychis post mortem solemniter recitata fuerint.

§. V.

De Oratione Dominica.

Conclusio. In canone Missæ oratio Dominica locum habuit semper.

Probatur 1. ex antiquissimis liturgiis quibus oratio Dominica Sacerdotibus inter sacrificandum recitanda præscribitur. Basilianam, Chrysostomianam, eamve quæ Jacobo tribuitur, lector consulere poterit. Probatur 2. testimoniis Patrum. Hieronymus lib. 3. adversus Pelagianos sic loquitur: *Sic docuit Apostolos suos ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui, Pater noster &c.* Hæc habet Augustinus homil. 42. inter quinquaginta: *In Ecclesia ad altare Dei quotidie dicitur oratio Dominica, & audiunt illam fideles.* Gregorius Magnus libr. 7. Epistol. 64. hæc quoque scribit: *Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo rationem, oblationis hostiam consecrarent.*

Mox laudata ex Gregorio sententia nonnulli abutuntur ut probent absque ullis aliis orationibus, imo & sine his Evangelicis verbis: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, Apostolos liturgiam absolvisse. Sed ruit fundamentum quo utuntur: quippe quod illud adverbium *Solummodo*, quo Gregorius utitur, aut in ejus textum irrepserit (ut doctis quibusdam videtur) aut ad alias orationes quæ consecrationem antecedunt & subsequuntur, restringi debeat, ita ut S. Pontificis sensus sit Apostolos per solam horum verborum, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, ac per Dominicæ orationis recitationem liturgiam celebrasse. Confirmatur ex eo, quod de ritu quem Apostoli in liturgiis observarunt, judicandum sit ex iis, quæ Justini Martyris tempore, adulto jam sæculo secundo, observabantur, tuto nimirum ac certo, usurpatus ab Apostolis ritus ad Justinum usque integer conservari potuit: At Justini ævo sola oratione Dominica liturgia absolvi non solebat, multæ enim preces Eucharistiæ, tum consecrationem, tum receptionem & præcedebant & subsequebantur. *Sub hæc* (finita Episcopi concione) *consurgimus communiter omnes* (inquit sub finem Apologiæ secundæ) *& precationes profundimus: & sicuti retulimus, precibus peractis, panis offertur, & vinum & aqua: & Præpositus itidem quantum pro virili sua potest preces & gratiarum actiones fundit &c.* Confirmatur iterum ex Augustino qui in Epistol. ad Paulinum his Apostoli verbis: *Obsecro primum fieri obsecrationes &c.* Quatuor Missæ partes denotatas fuisse censet: *Sed* (inquit) *eligo in his verbis hoc intelligere quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut Precationes accipiamus dictas quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa, incipiat benedici; Orationes, cum benedicitur & sanctificatur, & ad distributionem comminuitur, quam totam petitionem omnis Ecclesia oratione Dominica concludit. Ideo in hujus sanctificationis præparatione existimo Apostolum Paulum jussisse proprie fieri orationes. Interpellationes autem fiunt cum populus benedicitur ... Quibus peractis & participato tanto Sacramento Gratiarum actio cuncta concludit.* Apostoli igitur, ex Augustino, sola oratione Dominica non utebantur dum tremendum sacrificium offerrent.

Chrysostomus cum Gregorio cohærere non videtur; homilia 27. in 1. Epistol. ad Corinth. hæc ait: *Cum sacras illas cœnas accipiebant Apostoli quid tum faciebant? Nonne in preces convertebantur & hymnos? Nonne in sanctas vigilias? Nonne in illam longam doctrinam & multæ Philosophiæ plenam.* Sed tum Gregorii tum Chrysostomi oppositæ in speciem sententiæ haud difficili negotio conciliari possunt; si nimirum Apostoli utramque formulam & brevem & prolixam variis temporibus adhibuisse dicantur; Brevem quidem cum periculum imminebat ne inter sacrificandum a persecutoribus deprehenderentur; Prolixam vero cum per tempus variasque alias pro Christi Ecclesia curas eis liceba[t].

Quæres utrum omnibus olim orationem Dominicam recitare liceret?

Resp. negative, eam enim facultatem Majores nostri solis initiatis concesserant: *Qui nondum initiatus est* (inquit Chrysostomus homil. 21. in Matthæum) *non potest Patrem appellare Deum.* Praxis, de qua mox Chrysostomus non tantum in Oriente, sed etiam in Occidente quondam viguit; ex antiquo scilicet Ordine Romano solos Catechumenos qui *Competentes* dicebantur, orationem Dominicam Feria iv. post Dominicam iv. Quadragesimæ edoctos fuisse compertum est.

§. VI.

De Communione.

Quibus hominibus, quo ordine, quo in templi loco, quo ritu, Eucharistiæ Sacramentum tum Clericis tum Laicis olim dispensaretur, dissertatione præcedenti agentes de Eucharistiæ subjecto fuse enarravimus. Hic igitur de duobus tantum dicendum superest, nempe 1. de pacis osculo quod fideles Eucharistiæ communioni præmittere solebant. 2. de Agapis quas celebrabant iis diebus quibus ad Eucharistiam accedebant.

De Pacis osculo.

Conclusio. Pacis osculum fideles antiquitus Eucharistiæ communioni præmittebant.

Probatur. Osculi pacis nomine, Patres sacrum illud osculum intellexere, quo fideles mutuam inter se charitatem obsignabant, quo suum in divina mysteria consensum testabantur, quo mutuam in Christo unionem significabant. Atqui sacri illius osculi praxis apud antiquos Patres non raro commendatur. 1. Hæc habet Justinus Martyr ad calcem alterius Apologiæ, quam scripsit pro Christianis, & in qua sui ævi Liturgiam copiose proponit: *A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus.* 2. Ejusdem osculi Tertullianus de oratione cap. 14. hisce verbis meminit: *Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra? Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur?* 3. Cyrillus Hierosolymitanus initio Catechesis 3. hæc etiam ait, ad liturgiam alludens: *Clamat Diaconus, Complectimini, & osculamini vos invicem: atque tunc mutuo nos osculo salutamus.* 4. Eam disciplinam obtinuisse in Africa Augustinus hisce verbis testatur Sermon. 83. de diversis: *Ecce ubi peracta est sanctificatio dicimus orationem Dominicam, quam accepistis, & redi-*

didistis. Post ipsam dicitur pax vobiscum, & osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis. 5. Castum illud & pium oris osculum adhuc erat in usu tempore Innocentii Papæ IV. idest labente sæculo XIII. quippe quod libr. 6. mysteriorum Missæ cap. 5. illius meminerit. 6. Post Innocentii Papæ IV. tempora antiqua fidelium simplicitate mutata in malitiam, necesse fuit ut usus de pacis osculo tolleretur, cujus quidem loco successit consuetudo fidelibus imo & Clericis sacrificio adstantibus porrigendi tabellam, cui imago Christi aut insculpta esset aut depicta: eam vero tabellam posteriorum temporum authores qui de divinis Officiis scripsere, *Osculatorium* vocarunt.

Quæres 1. qua in Liturgiæ parte quondam fideles se invicem mutuo pacis osculo salutarent?

Resp. in Oriente osculum pacis datum fuisse ante consecrationem. Ea responsio nititur 1. authoritate Justini martyris, qui osculi de quo agitur, praxim consecrationi præmittit: *A precibus finitis* (inquit Apologia secunda) *mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei qui fratribus præest offertur panis & poculum aquæ & vini &c.* Nititur 2. liturgiis Basilii & Chrysostomi quibus olim utebantur, & ad quas Missam his etiam temporibus Græci exigunt; iis autem in liturgiis ritus osculi pacis multo ante donorum consecrationem refertur. Post hæc verba, *Diligamus invicem*, quæ profert Diaconus ante Præfationem, hæc habentur in liturgia Basilii, *Et dant omnes pacem*. Idem ordo servatur in Chrysostomi liturgia, seu ante præfationem præscribitur pacis osculum. Post hæc Diaconi verba: *Diligamus invicem*, quæ immediate ante recitationem symboli proferuntur, hæc leguntur, *Et Sacerdos deosculatur sanctum altare, & reliqui similiter accedentes deosculantur sanctum altare, & Sacerdos, & Diaconi osculantur se invicem. Et post datum pacis osculum, innuit Archidiaconus extra stanti Diacono ut introitus cancellorum januas claudat &c.*

Resp. iterum ad quæsitum, in Occidente pium pacis osculum post donorum consecrationem, & paulo ante sacram communionem datum fuisse semper. Tertullianus lib. de oratione cap. 14. voluntario jejunio vacantes arguit quod post fusas cum fratribus preces, pacis osculum subtraherent: *Alia jam consuetudo invaluit*, (inquit) *jejunantes, habita oratione cum fratribus, subtrahunt osculum pacis quod est signaculum orationis*. Innocentius Papa I. Idem conceptis terminis præscribit in Epistola ad Decentium a quo de disciplina de qua agitur consultus fuerat: *Pacem ergo* (inquit laudatæ Epistol. capit. 1.) *ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere, cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse, pacis concludentis signaculo demonstrentur.*

Quæres 2. an pacis osculum esset dispositio ad sacrificii effectum, an vero præparatio ad communionem.

Respondet Doctissimus Albaspineus, Episcopus Aurelianensis sacrum pacis osculum fuisse institutum potius ad significandum effectum sacrificii quam ad populum disponendum ad communionem Eucharisticam. Responsionem suam probat laudatus author 1. ex praxi Græcorum qui mutuum osculum consecrationi præmittunt. 2. ex Innocentio Papa I. qui (ut mox fuit observatum) ad Decentium scripsit pacis osculum dari debere tamquam signum, quo fideles suum in confecta mysteria consensum demonstrent. Sed admissa Albaspinei suppositione, dubium occurrit, quæri nimirum potest quem tremendi sacrificii effectum pacis osculum obsignaret. Ille effectus haud dubie non erat panis, & vini consecratio, cum exploratum sit eam ab adstantis populi consensu fuisse prorsus independentem. Propterea in Missis quæ pro mortuis offerebantur, nullum pacis osculum dari consueverat. Dicendum est igitur illum sacrificii effectum, qui pacis osculo obsignabatur, non alium extitisse quam mutuam populi fidelis inter se, & cum Christo unionem. Nec id gratis fingitur quippe quod Tertullianus asserto hujusmodi patrocinetur libro de oratione, ubi exponens hanc orationis Dominicæ petitionem, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, sic loquitur: *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & individuitatem a corpore ejus*. Paulo post vero idem author asserit cum illa petitione, sive cum perpetuitate, & individuitate cum Christo, conciliari non posse eorum praxim qui diebus, quibus voluntario vacabant, jejunio, a pacis osculo temperabant. *Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax?*

De Agapis.

Conclusio. Antiqui Agapas celebrarunt.

Probatur Agaparum nomine intelliguntur convivia quæ in Ecclesia statis diebus fieri solebant ad mutuam charitatem fovendam, & ad refocillandos pauperes. Atqui ea convivia quondam in usu fuisse docemur 1. ex Apostolo qui 1. ad Corinth. 11. regulas præfigit ad quas ejusmodi convivia exigere oporteat; vult nimirum ut communitas servetur, fideles expectent se se invicem, una discumbant, studeantque frugalitati: eas vero regulas si quis observare detrectarit, persuadet satius esse ut domi comedat: *Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent.* Docemur 2. ex S. Joanne Chrysostomo qui in caput 11. primæ ad Corinth. hæc scribit de primis fidelibus: *Statis diebus mensas faciebant communes, & peracta synaxi, post Sacramentorum communionem, inibant convivium divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus.* Docemur 3. ex Hieronymo qui in Epistolæ primæ ad Corinth. caput 11. (si tamen Hieronymi sint commentaria quæ inscribuntur illius nomine) hæc habet: *In Ecclesia convenientes, oblationes suas offerebant, & post communionem quæcumque eis de sacrificiis superfuissent, illic in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant.* Idem quoque docemur 4. ex Tertulliano, Conciliis Laodiceno, Gangrensi, de quibus mox plura dicturi sumus.

Quæres 1. an matutinis an vero serotinis horis Agapæ quondam celebrarentur?

Resp. 1. fideles nonnumquam matutinis horis Agapas celebrasse. Ratio est, quia subsequebantur Eucharistiæ communionem ut ex laudatis Chrysostomi & Hieronymi textibus patet. Eucharistia vero, ex Apostolica traditione, non nisi a jejunis hominibus recipiebatur. Resp. 2. fideles sub vesperam aliquando easdem Agapas celebrasse: Idque probatur ex Tertulliano qui in Apolog. capit. 39. sic loquitur: *Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim A'γαπα id quod est penes Græcos dilectio. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: Siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed quia penes Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta est causa convivii, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimante quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde disceditur, non in catervas cæsionum, neque in Classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint,* quam

quam disciplinam. Hæc coitio Christianorum. Ex prolixa illa Tertulliani sententia Albaspineus concludit cœnam de qua agit idem Tertullianus sub vesperam celebrari solitam fuisse. Conclusionem suam probat 1. hisce terminis, *Ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse.* Ut quid enim Tertullianus orationis nocturnæ meminisset, si cœna de qua agebat, nocti proxima non fuisset; quasi vero convivium cui quis matutinis horis adfuerit, orationem nocturnam impedire valeat. Probat 2. his aliis vocibus; *Inde disceditur non in catervas cæsionum neque in Classes discursantium, nec in eruptiones lasciviarum.* Ea siquidem plena luce non fiunt, quippe quod sint nocturnæ ebriorum, ac temulentorum obvios quosque pulsantium & cædentium grassationes. Nec obstat quod aliqui objiciunt, Agapas nempe subsecutas fuisse Eucharistiæ sumptionem, quam quidem fideles ad noctem usque non differrent, fiebat enim in cœtibus antelucanis ad quos conveniebant. Nam cum eis præ tyrannorum violentia super matutinis horis conventus agere non liceret, sæpius communionem, proindeque & jejunium ad vesperam usque protrahebant: *Eucharistiæ Sacramentum* (ait Tertullianus libro de corona militis) *& in tempore victus, & in omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus.* Prætetea quamvis Agapæ Eucharistiæ sumptionem aliquando subsequerentur: id tamen non fiebat semper; unde Tertullianus in loco quem hic expendimus, Eucharisticæ communionis quæ hujusmodi charitatis conviviis prætermitteretur, nequaquam meminit: eam tamen nequaquam prætermissurus si nusquam factitata fuissent convivia nisi Eucharistiæ sumptio præcessisset.

Quæres 2. quibus ex causis Agapæ quondam celebrarentur:

Resp. antiquos fideles Agapas celebrasse multiplici de causa: Inibant nimirum ejusmodi convivia 1. ut sua in pauperes charitate præberent se memores immensæ Christi in se ipsos charitatis quam ipsi per Eucharisticam communionem probassent, ita Chrysostomus in hæc Pauli verba, *Oportet hæreses esse*, ratiocinatur: *Fideles* (inquit) *omnes in conventibus suis postquam audissent doctrinas, post preces, post Sacramentorum communionem, soluta concione, non mox domum conscendebant; sed divites & abundantiores alimenta & edulia domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communesque faciebant mensas, communia prandia, communia convivia in ipsa Ecclesia. Atque ita a communione mensæ & pietate loci undequaque ad charitatem accendebantur non absque summa voluptate, utilitateque maxima. Pauperes enim tum fruebantur consolatione, qualis obtingebat: divites vero fructum benevolentiæ & ab his quos pascebant, & a Deo, propter quem illos pascebant, assequebantur; sicque tandem domum redibant. Multa hinc igitur eis proveniebant bona.* Fideles inibant 2. convivia de quibus agitur, in Martyrum natalitiis. *At illos* (Deos scilicet Gentilium) *Deus cassos gloria vanosque reddidit* (inquit Theodoretus Evang. verit. ad calcem libri 8.) *suis autem martyribus honorem illum dedit. Pro prandiis enim, & Diosiis, ac Dionysiis, hoc est, Jovis Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Mauritio aliisque sanctis martyribus solemnitatis populari epulo peraguntur: proque illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate atque impudentia, fiunt modestæ, castæ ac temperantia plenæ festivitates, non illæ quidem mero delibutæ, non comessationibus leves, non cachinnis soluta, sed vivis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ.* Celebrabantur 3. Agapæ in mortuorum funerali pompa: *Sic itaque nos diem nativitatis celebramus quia in perpetuum vivunt hi qui moriuntur* (inquit Origenes in Job lib. 3.) *Celebramus nimirum religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles una cum clero invitantes, adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu æterni Dei.* Fiebant vero Agapæ funerales in ipsis basilicis, saltem in Occidente, ut Paulinus ad Aletium scribens hisce verbis docet de funere uxoris Rufinæ, filiæ S. Paulæ: *Itaque patronos animarum nostrarum pauperes, in aulam Apostoli congregasti ... video congregatos ita distincte per accubitus ordinarii, & profluviis omnes saturari cibis, ut ante oculos Evangelicæ benedictionis ubertas eorumque populorum imago versetur, quos quinque panibus, & duobus piscibus, panis ipse verus & aquæ vivæ piscis Christus explevit.* Agapæ celebrabantur 4. in dedicationibus Ecclesiarum; unde Gregorius Magnus dedicaturus oratorium Beatæ Mariæ, convivium parari mandat, hæc scribens ad Petrum Subdiaconum Regest. lib. 1. Epist. 14. *Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit debere nos in ipsa diei festivitate concurrere, propterea volumus ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verveces duodecim, gallinas centum, quæ tuis possint rationibus postmodum imputari.* Agapæ tandem celebrabantur 5. eo die quo fideles nubebant. Earum sicut & præcedentium quas præcensuimus, meminit Gregorius Nazianzenus de vitæ different. *Non insuper ad sacrum aliquod epulum, vel natalitium vel funebre vel connubiale cum pluribus currens.* Ad connubiales Agapas, quæ prioribus illis temporibus castissimæ erant ac frugales, Episcopi aut Presbyteri vocabantur: id nempe supponit Concilium Neocæsariense cum prohibet Presbytero ne convivetur in Bigamorum nuptiis, cum enim exceptio firmet regulam, inde colligitur adesse solitos fuisse castis eorum nuptiis qui non essent bigami: *Presbyteris* (verba sunt canonis VII ex interpretatione Dionysii Exigui) *in nuptiis bigami prandere non convenit: quia cum potentia bigamus egeat, quis erit Presbyter qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum.*

Quæres 3. quamdiu Agapæ seu charitatis convivia apud Christianos perdurarint?

Resp. pluribus sæculis exhibitas fuisse Agapas hujusmodi. Tanti momenti labente tertio sæculo visæ sunt Patribus Concilii Gangrensis ut anathema in eos intorserint, quibus fuissent despectui: *Si quis* (inquiunt canone XI. ex interpretatione Dionysii Exigui) *despicit eos qui fideliter agapas, idest convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei convocant fratres, & noluerint communicare hujuscemodi vocationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit.*

Resp. iterum, post quartum sæculum aliaque plurima, exhiberi solita fuisse ejusmodi charitatis convivia, nonnullis tamen in usu veteri immutatis. Nam primo prohibitum fuisse ne mox post communionem Eucharisticam fierent: *Ab hac lege* (inquit Chrysostomus in hæc Pauli verba, Oportet hæreses esse,) *inolevit in Ecclesiis consuetudo quædam admirabilis. Fideles omnes in conventibus suis ... faciebant mensas; communia convivia in ipsa Ecclesia &c.* Prohibitum fuit secundo ne in basilicis celebrarentur: *Quod non oporteat* (inquit Laodicena Synodus ineunte quarto sæculo habita, *in domiciliis divinis, idest in Ecclesiis, convivia, quæ vocantur agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accubitus sternere.* Idem in Occidente tertia Synodus Carthaginensis, quæ anno 397. habita est, vetuit quod Laodicena prohibuerat in Oriente: *Ut nulli Episcopi* (inquit canone 30.) *vel Clerici in Ecclesia conviventur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.* Quæ semel invaluerunt consuetudines, prima canonum prohibitione non evanescunt, opus est ut iteratis legibus prohibeantur: unde ann. 692. praxis de qua est hic quæstio, quod in Oriente prorsus non desiisset, vetita est in Concilio quod habitum est in Trullo: *Quod non oportet* (inquit canone 74.) *in dominicis locis vel Ecclesiis eas quæ dicuntur, agapas, idest, charitates, facere & intus in æde comedere, & accubitus sternere. Qui autem hoc ausi fuerint, vel cessent, vel segregentur.* Ambrosius in Ecclesia Mediolanensi idem multo ante prohibuerat ut testatur Augustinus lib. 6. Confess. cap. 2. ubi agens de Matre Monica hæc ait: *Itaque cum ad memorias Sanctorum, sicut in Africa solebat, pultes & panem & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum vetasse cognovit, tam pie atque obedienter*

am-

amplexa est ut ipse miraretur quod tam facile accusatrix potius consuetudinis suæ, quam disceptatrix illius prohibitionis effecta sit. Expedit nonnumquam ut relaxentur Ecclesiasticæ leges quæ ad meram disciplinam pertinent, cum multitudinis infirmitas id expolcit, nixus eo principio Gregorius Magnus Anglis recenter ad fidem conversis indulsit, ut non in Ecclesia quidem, sed in tabernaculis juxta Ecclesiam positis Agapas celebrarent: *Qui boves* (ait libro 9. epist. 71. ad Mellitum) *solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitio sanctorum Martyrum quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitatem celebrent.*

Quæres 4. num Christus, & Apostoli ea omnia quæ hucusque de Missæ ritibus dicta sunt, servaverint.

Resp. ad primum nemini dubium esse quin Christus cum Missam instituit ac celebravit, eo tantum ritu usus sit qui ab Evangelistis describitur; *Cœnantibus autem eis* (inquit Matthæus capit. 26.) *accepit Jesus panem & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum: Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Resp. ad secundum censere plerosque Scriptores, Jacobum, Petrum & Marcum scripsisse Liturgias quæ illorum Apostolorum nomine inscribuntur ac leguntur priore tomo Maximæ Bibliothecæ Patrum Lugduni editæ apud Anissonios: inde vero inferunt Apostolos eum omnem in celebranda Missa servasse ritum qui nunc servatur apud Græcos, cum (inquiunt) Liturgiæ Basilii & Chrysostomi quibus utuntur, nihil aliud sint quam ipsamet Jacobi liturgia, sed quæ propter populorum tepiditatem ab iis SS. Patribus contracta fuerit.

Sed primo Iacobi liturgiæ nemo meminit ante Proclum qui circa medium quintum sæculum præerat Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Secundo ea in liturgia reperiuntur termini: Ομουσιος Θεοτόκος, Hymnus, *Gloria Patri, & Filio &c.* quæ multo post Apostolorum tempora fuerunt in usu. Iisdem argumentis evincitur supposititias esse pariter Liturgias, quæ Marco, & Petro tribuuntur.

Respondendum est igitur, Apostolos Missam, ubi liceret eis per tempus, celebrasse ad ritum quem Justinus Martyr in altera pro Christianis Apologia descripsit, quemque hac in Dissertatione sæpius enarravimus.

FINIS DISSERTATIONIS QUINTÆ.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

DIS-

DISSERTATIO SEXTA.

De Sacramento Pœnitentiæ.

POENITENTIÆ nomen triplici in sensu sumitur in Scripturis. Sumitur nempe primo pro pœna qua quis admissum scelus castigat: sic intelligi debet hæc Christi sententia Matthæi 11. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere Pœnitentiam egissent*: Eodem modo accipitur hæc alia Lucæ 11. *Pœnitentiam egerunt*, Ninivitæ, *ad prædi ationem Jonæ*, norunt enim omnes eam Pœnitentiam positam fuisse in laboribus gravissimis quibus Ninivitæ in se ipsos animadverterunt. Sumitur secundo pro odio ac detestatione vitæ veteris; *Pœnitentiam agite* (inquit Petrus Actorum 2.) *& baptizetur unusquisque vestrum*: Id est detestamini deicidium quod admisistis in Christi morte; *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis*. Sumitur tertio pro resipiscentia, seu pro mutatione iniquæ vitæ veteris in novam aliam quæ pia sit ac sancta: *Quæ secundum Deum tristitia est* (inquit Paulus 2 ad Corinth 7.) *Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*; Cujus quidem pœnitentiæ seu novæ vitæ hæc sunt argumenta.... *Quantam in vobis operatur sollicitudinem: sed defensionem r sed indignationem: sed timorem: sed desiderium: sed æmulationem: sed vind ctam*.

Triplicem illum *Pœnitentiæ* sensum novum Testamentum Græce conscriptum expressit Μετανοίας nomine. Illum quoque complexus est Lactantius Institutionum lib. 6. cap. 24. ubi sic loquitur: *Is quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoque Greci melius & significantius* Μετανοίας, *dicunt, quam nos possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim ac mentem suam quasi ab insania recipit quem errati piget, castigatque se ipsum dementiæ & confirmat animum ad rectius vivendum; tum illud ipsum maxime cavet ne rursus in eosdem laqueos inducatur.*

Quamvis vera & proprie dicta pœnitentia, vitæ veteris odium, vindictam, & novæ propositum includat (ut mox ostensum est) nomen tamen habet suum præsertim a pœna qua quis, quod deliquerit, animadvertit in se ipsum: *A punitione Pœnitentia nomen accepit* (inquit Isidorus libro 6. Originum) *quasi pœnitentia, dum ipse homo punit pœnitenda quod male admisit*. Sed licet a punitione Pœnitentia sic appelletur, nihilominus punitio non est id primum quod in ea repetitur, sequitur nimirum ex facti odio quod importat; *Nihil aliud agunt* (inquit Augustinus Epist. 54.) *quos veraciter pœnitet, nisi ut id quod male fecerint, impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus, ille parcit cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadet.*

Preter triplicem illum sensum quæ Pœnitentiæ nomini Scriptura & Patres tribuunt, accipitur etiam pro vero ac proprie dicto Sacramento novæ legis, quo peccata post baptismum commissa delentur: *Si quis dixerit* (inquit Concilium Tridentinum Sess. 14.) *Pœnitentiam non esse vere ac proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit*. Vocis Græcæ Μετανοίας, idem est sensus apud Orientales, seu sumitur ab eis pro novæ legis Sacramento ut videre est in censura, qua Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus proxime elapso sæculo Augustanam Lutheranorum fidei confessionem perstrinxit, in ea enim pœnitentia τῆς Μετανοίας μυστήριον, appellatur.

De Pœnitentia eo in quarto sensu sumpta, seu prout est Sacramentum, dicemus in hac Commentarii nostri dissertatione sexta, dicturi quoque sumus de ea in triplici priore significatione, eo quod sic considerata constituat Pœnitentiæ virtutem, quam Theologi pœnitentiæ ut est Sacramentum, & dispositionem & materiam esse contendunt.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

CONCLUSIO. Pœnitentia recte definitur, Sacramentum quo lapsis post baptisma, contritis, confessis ac satisfacere proponentibus absolutio a peccatis impenditur.

Explicatur conclusio. 1. Pœnitentia quatenus dicitur *Sacramentum*, convenit cum cæteris Sacramentis novæ legis. 2. Per hæc verba *Lapsis post baptismum*, designatur subjectum; cui ex institutione Divina conferri debet. 3. Hisce terminis, *Impenditur absolutio a peccatis*, continetur discrimen Sacramenti Pœnitentiæ ab aliis omnibus, quæ licet gratiam producant, eam tamen per modum actus judicialis nequaquam conferunt. 4. Denique verba, *Contritis, Confessis ac satisfacere proponentibus* designant conditiones, quæ ad actus judicialis valorem, aut saltem effectum requiruntur. Quæ hic breviter perstringimus, patebunt clarius ex iis quæ tum de materia, tum de forma, tum de subjecto, tum de virtute hujusce Sacramenti fusius a nobis suo loco dicentur.

Juenin de Sacram.

QUÆSTIO SECUNDA.

De existentia Sacramenti Pœnitentiæ.

TRIA hic examini subjicientur. Quæremus nimirum primo, Quinam tum ex veteribus, tum ex recentioribus sectariis Pœnitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis expunxerint. Secundo, proponemus ac defendemus Ecclesiæ hac de quæstione fidem,

Tertio expendemus num Pœnitentia unum sit cum Baptismate Sacramentum.

CAPUT PRIMUM.

Quinam tam ex antiquis tum ex recentioribus Sectariis Pœnitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis expunxerint?

NOnnulli Montanistas, & Novatianos proferunt quasi qui negarint pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis. Idem error Vvaldensibus & Vviclefistis a quibusdam recentioribus affingitur. Lutherus, Zuinglius, Calvinus passim audiunt tamquam Sacramenti Pœnitentiæ hostes infensissimi: an ea omnia veritate nitantur, hoc in capite paucis est expendendum.

Conclusio 1. Montanistæ Pœnitentiam non expunxerunt ex albo Sacramentorum novæ legis.

Probatur. Illi non negarunt Pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis, qui asseruerunt multa esse peccata, quæ per claves Ecclesiæ creditas remittantur; in illarum nempe clavium virtute, quæ verbis sacerdotalibus exprimantur, & in actibus pœnitentis, positum est Pœnitentiæ Sacramentum. Atqui Montanistæ asseruerunt multa esse peccata quæ per claves a Christo Ecclesiæ creditas remittantur; Ergo non negarunt Pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis.

Minor propositio in qua posita est difficultas ostenditur ex Tertulliano, qui ubi Montanistarum novitatibus suscripsisset, contra Catholicos edidit librum, quem inscripsit, *De Pudicitia*. In eo autem libro peccata distinguit primo in remissibilia & irremissibilia: *Causas Pœnitentium* (inquit cap. 2.) *delicta condicimus. Hæc dividimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irremissibilia.* Ejusdem libri cap. 9. delicta irremissibilia vocat Capitalia & Inconcessibilia: *Cæterum* (ait supponens Zephirinum Papam, & Catholicos non dedisse veniam Idololatris, & homicidis, etiam in exitu positis,) *Si in hoc gestit diversa pars ovem & drachmam, & filii luxuriam Christiano peccatori configurare, ut mœchiam & fornicationem pœnitentia donent, aut & cætera delicta pariter* CAPITALIA *concedi oportebit, aut paria quoque eorum mœchiam & fornicationem* INCONCESSIBILIA *servari.* Ibidem c. 16. delicta remissibilia vocat sordes, irremissibilia, maculas. Cap. 20. vitia quædam vocat immundabilia, & cap. 22. alia vocat donabilia. Tertullianus præmissa ea distinctione asserit peccata remissibilia, donabilia, sordes remitti per claves Ecclesiæ, cum e contra crimina irremissibilia, Capitalia, immundabilia, maculas a Deo solo dimitti posse contendat: *Quod si* (inquit cap. 18.) *elementia Dei ignorantibus adhuc & infidelibus competit, utique & pœnitentia ad se elementiam invitat, salva illa pœnitentiæ specie post fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Episcopo consequi poterit, aut majoribus, & irremissibilibus a Deo solo.*

Idem asserit cap. 3. ubi solvens hocce Catholicorum contra Montanistas argumentum: *Frustra agitur pœnitentia, si caret venia. Omnis autem pœnitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agatur.* Solvens (inquam) illud argumentum docet non omnia, sed aliqua tantum, esse peccata, quæ Deus solus remittere possit, & in quæ Ecclesia per claves nihil omnino possit: *Merito ita opponunt, quoniam hujus quoque pœnitentiæ fructum, idest, veniam in sua potestate usurpaverunt. Quantum enim ad illos, a quibus pacem humanam consequitur; Quantum autem ad nos qui solum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa, & illi exinde prostrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam a solo Deo exorat, quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod Ecclesia mavult erubescere quam communicare.*

Capite 7. ubi occurrit argumento quod Catholici desumebant ex ove perdita, de qua Lucas cap. 15. loquitur, conceptis terminis docet per eam ovem aut non intelligi peccata Capitalia, aut si intelligantur, ovem illam non Christianum significare, sed infidelem cui vel nefandissima scelera in baptismo dimittantur: *Licet enim* (inquit) *perisse dicatur, erit & de perditionis genere retractare, quia & ovis non moriendo,* (morte nimirum quæ fugari non possit) *sed errando, & drachma non intereundo, sed latitando perierunt.* Inde vero colligit mirum non esse quod pastor ovem illam in ovile reduxerit, quod & præstat Ecclesia dum absolvit lapsos in peccata remissibilia, quorum has species Tertullianus subjicit: *Ita licet dici perisse quod salvum est. Perit igitur & fidelis elapsus in spectaculum quadrigarii furoris & gladiatorii cruoris, & scenicæ fœditatis Mysticæ vanitatis in lusus, in convivia sæcularis solemnitatis, in officium, in ministerium alienæ idololatriæ; aliquas artes adhibuit curiositatis; in verbum ancipitis negotiationis impegit, ob tale quid extra gregem datus est; vel & ipse forte ira, tumore, emulatione, quod denique sæpe fit, dedignatione castigationis abrupit, debet requiri atque revocari. Quod potest recuperari non perit, licet forte perseveraverit. Bene interpretaberis parabolam, viventem adhuc revocans peccatorem. Mœchum vero & fornicatorem quis non mortuum statim admisso pronuntiavit.* Eadem ratione solvit argumentum petitum ex drachma Evangelica, ait nempe per eam significari peccata quæ Ecclesiæ clavibus subjacent; indeque concludit per eam drachmam minime probari quod Capitalia scelera ab Ecclesia dimitti possint: *Juxta quod drachmæ exemplum* (inquit) *etiam intra domum Dei Ecclesiam, licet esse aliqua delicta pro ipsius drachmæ modulo ac pondere mediocria, quæ ibidem delitescentia, mox ibidem & reperta, statim ibidem cum gaudio emendationis transigantur. Mœchiæ vero & fornicationis non drachma sed talentum, quibus exquirendis non lucernæ spiculo lumine, sed totius solis lancea opus est.* Persuasum igitur fuit Montanistis quædam esse peccata quæ per Ecclesiæ claves, atque ita Pœnitentiæ Sacramentum dimitterentur. Non erraturt ergo quod pœnitentiam ex albo Sacramentorum expunxerint, sed quod vim illius ac virtutem ad Idololatriam, Mœchiam, Homicidium & ejusmodi scelerum ramos & surculos extendere detrectarint: *Sunt autem* (ait Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 19.) *contraria & illis, peccatis remissibilibus, ut graviora, & exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negotio, blasphemia utique & mœchia & fornicatia, & si quæ alia violatio templi Dei: horum ultra exorator non erit Christus.*

Conclusio 2. Novatiani nusquam negarunt Pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis.

Probatur primo ex eo quod Novatiani omnes semper confessi sint quod antea Montanistis probatum fuerat, nempe quædam esse peccata ex iis quæ nunc mortalia dicimus, quæ per Ecclesiæ claves dimitti possint: *Sed ajunt* (inquit Ambrosius lib. 1. de Pœnitent. cap. 2. Novatianorum cavillis occurrens) *se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus*, hoc est, quæ minora essent Idololatria, Mœchia, & Homicidio.

Secundo ipsi Novatiani cum egerunt de peccatis quorum veniam Ecclesia, (ut ajebant) indulgere nun posset, de Idololatria tantum, Mœchia, Homicidio, ejusque generis sceleribus locuti sunt: *Omnibus ubique Ecclesiis scribit litteras* (inquit Socrates ipse Novatianus, lib. 4. cap. 23. ubi describit occasionem schismatis Novatiani) *uti eos qui simulacris immolassent, minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemque permitterent Deo qui potest & habet auctoritatem remittendi ... Nam quia erat a Novato significatum eos qui post Baptisma peccatum ad mortem commiserunt, ad mysteria non esse recipiendos, ejusmodi canonis promulgatio quibusdam acerba, & severa nimis visa est.* Mox laudatus Socrates describens collationem quam Atticus Episcopus Constantinopolitanus habuit cum Asclepiade Episcopo Novatiano, sic loquentem inducit Asclepiadem, ut ex ejus verbis facile conjici possit quædam esse scelera minus gravia, quæ, in ipso etiam Novatianorum systemate, ab Ecclesia per claves sibi a Christo creditas dimitti possint: *Ego* (inquit Atticus apud Socratem lib. 7. cap. 15.) *illum* (Novatianum) *laudo quod cum illis qui idolis sa-*

sacrificasset, communicare recusavit: Nam istud ipsum ipse equidem fecissem. At Novatianos minime probo quod Laicos qui leviter (hoc est peccatis Idololatria, Mœchia, Homicidio minoribus) *deliquerint communione excludant. Ad hæc respondet Asclepiades. Præter idolis sacrificandi peccatum sunt alia multa* (non omnia igitur) *peccata ad mortem, uti ex sacris litteris perspicuum est, ob quæ vos solum Clericos, nos Laicos etiam communione excludimus, potestate soli Deo illis ignoscendi relicta.* Catholici propter omnia peccata mortalia Clericos depositione non mulctabant. Ergo nec Novatiani perpetua damnabant excommunicatione; Nonnullis igitur peracta debita satisfactione absolutionem impendebant, ac proinde pro iis saltem sceleribus admittebant Pœnitentiæ Sacramentum.

Objicies. Plures antiqui Patres in enarranda Novatianorum opinione, sæpius eam ita explicant quasi omnibus omnino peccatis post Baptismum commissis veniam ab Ecclesia negari debere contenderint.

Philastrius lib. de hæresibus, hæresi 34. hæc de Novatianis habet: *Præsumptione ducti atque superbia, vanam doctrinam conati sunt seminare, separantes se ab Ecclesia Catholica, atque a Christi bonitate ac misericordia dissonantes, atque non esse fideli post baptismum locum aliquem pœnitentiæ.*

Epiphanius hæresi 59. eorumdem Novatianorum hæresim referens, universim ac sine ulla exceptione asserit eos lapsis post baptismum, pœnitentiam negasse: *Cæterum* (inquit) *ob occasione eorum qui in persecutione lapsi sunt, arrogantia elatus* (Novatianus) *cum sociis sibi allectis, noluit societatem habere cum pœnitentiam agentibus a persecutione & ad hanc hæresim conversus est, dicens non esse salutem, sed unam pœnitentiam. Post lavacrum autem, non amplius posse misericordiam assequi lapsum.*

Ambrosius ubi lib. 1. de Pœnitent. cap. 2. hanc Novatianorum sui temporis exceptionem retulit: *Sed ajunt se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus*, sic loquitur, *Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus ait, qui nemini dandam Pœnitentiam putavit;* Ipsi postea exprobat quod distinctione quam excogitarunt a Patriarchæ sui sententia discesserint, *In eo igitur Patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis quæ solvenda a vobis putetis, & quæ sine remedio esse arbitremini*. Ex Ambrosio igitur, si non Novatiani, saltem ipse Novatianus expunxit Pœnitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis.

Concilium Tridentinum simpliciter & nulla facta distinctione, asserit Novatianos negavisse penes Ecclesiam esse facultatem remittendi peccata: *Novatianos* (inquit Sess. 14. cap. 1.) *remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam hæreticos explosit, atque condemnavit.* Ergo Novatiani, ex Philastrio, Epiphanio, Ambrosio & Concilio Tridentino, Pœnitentiæ Sacramentum visi sunt sustulisse de medio.

Resp. ad primum & secundum ipsis Novatianis quos ad nostræ conclusionis probationem laudavimus, magis perspectam fuisse Novatianorum doctrinam quam Philastrio & Epiphanio; ac proinde dicendum est Philastrium & Epiphanium, cum ajunt Novatianos lapsis post baptismum negasse locum aliquem pœnitentiæ, aut non intelligi de omnibus omnino lapsis, aut Novatianorum mentem & systema nequaquam assecutos fuisse.

Ad tertium dicendum est ipsum Novatianum nullo scripto quidem tradita distinctione lapsis negasse veniam, sed subintellectam fuisse ac verbo traditam ejusmodi distinctionem ex eo colligitur, quod omnes illius discipuli ubique eam distinctionem, & supposuerint & admiserint, ut superius probatum est.

Ad quartum respondeodum est stare Concilii Tridentini sententiam cum hoc facto, nempe quod Novatiani aliquibus peccatis mortalibus veniam ab Ecclesia concedi posse confessi sint: cum enim aliunde assererent omnium dimissionem penes eam non esse, dici potuit a Concilio Tridentino quod peccatorum remittendi potestatem, Ecclesiæ pertinaciter negaverint.

Conclusio 3. Apud Vvaldenses Pœnitentia habita est pro Sacramento novæ legis.

Probatur 1. Nullus ex iis qui Vvaldensis quondam impugnarunt, hoc eis dogma affinxit quod Pœnitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis expungerent. 2. E contra iidem authores conceptis terminis asseruerunt Vvaldenses agnovisse in Ecclesia potestatem peccata dimittendi contritis, confessis, ac satisfacere proponentibus. Sed circa ejusmodi potestatis usum hos illis errores Reinerus tribuit, *De Sacramento pœnitentiæ* (inquit cap. v. libri quem contra Vvaldenses adornavit, quemque legere est tomo 25. Maximæ Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis) *dicunt quod nullus possit absolvi a malo Sacerdote. Item quod bonus Laicus potestatem habeat absolvendi. Item quod ipsi per manus impositionem peccata dimittant, & dent Spiritum sanctum. Item quod confitendum sit potius bono Laico quam malo Sacerdoti. Item quod non gravis pœnitentia sit imponenda, exemplo Christi: Vade & jam amplius noli peccare. Item publicas pœnitentias, ut catenas reprobant, maxime in fœminis. Item quod generaliter confessio non sit singulis annis facienda.*

Conclusio 4. Plures e Lutheranis inter Sacramenta proprie dicta Pœnitentiam recensuerunt: Nonnulli vero negarunt eam esse Sacramentum proprie dictum.

Probatur prior pars. Lutherani qui in apologiam confessionis Augustanæ jurarunt, non potuerunt quin inter Sacramenta novæ legis Pœnitentiam admitterent; sic enim habet ejusmodi confessio in capite de numero & usu Sacramentorum: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare quæ sint proprie Sacramenta: non est enim authoritatis humanæ promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes doceut aut admonent aliquid. Vere igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ: nam hi ritus habent mandatum Dei & promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti. Certo enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur corpore Domini, cum absolvimur, quod vere nobis ignoscat Deus propter Christum.* Ex iis Apologiæ verbis constat 1. Pœnitentiam a Lutheranis appellatam fuisse Sacramentum vere & proprie dictum: 2. eam divinitus institutam fuisse ac habere annexam sibi promissionem gratiæ: 3. conjungi eam cum Baptismo & Eucharistia, quæ ab omnibus Sectariis recentioribus Sacramenta proprie dicta vocantur: Constat denique 4. pœnitentiam in apologia distingui a ritibus humanis, qui omnium consensu Sacramenta nec sunt, nec appellantur. Persuasum igitur fuit Augustanæ confessionis apologistis Pœnitentiam esse verum ac proprium novæ legis Sacramentum.

Probatur altera pars 1. Melancthon in locis communibus editis anno 1522. aperte professus est Pœnitentiam non esse Sacramentum novæ legis: sic enim tit. *de Pœnitentia*, loquitur: *Pœnitentiam non esse signum, nihil obscurum est: est enim Pœnitentia vetustatis nostræ mortificatio & renovatio spiritus. Sacramentum ejus vel signum non aliud nisi Baptismus est: atque hic omnium rectissime vocetur Sacramentum Pœnitentiæ*, 2. Kemnitius in 2. part. Exam. pag. (ut refert Bellarminus) 903. conceptis terminis inficiatur Pœnitentiam esse Sacramentum vere ac proprie dictum: idem pariter Matthiæ Illirico in Apologia confessionis Antuerpiensis cap. 18. visum est.

Quæres qui fieri poterit ut Lutheri discipuli circa quæstionem, An Pœnitentia sit Sacramentum, in oppositas sententias abierint?

Resp. id accidisse quod ipse Lutherus sibi hoc in capite non constiterit; modo enim confessus est Pœnitentiam esse Sacramentum proprie dictum, modo vero id inficiatus est. Libro de Captivitate Babylonica non procul ab initio hæc ait: *Principio neganda mihi sunt septem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda, Baptismus, Pœnitentia, Panis.* Sed ad ejusdem libri calcem, a priore illa sententia hisce verbis recedere videtur: *Proprie ea Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt: quo fit ut si rigide loqui volumus, tantum duo sint in Ecclesia Dei*

Sacramenta, Baptifmus & Panis; Cum in his folis & inftitutum divinitus fignum, & promiffionem remiffionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum quod ego his duobus accenfui, figno vifibili & divinitus inftituto caret, & aliud non effe dixi quam viam ac reditum ad Baptifmum.

Parriarchæ fui inconftantiam imitatus eft Melancthon; fiquidem in locis communibus ann. 1543. editis, Tit. de numero Sacramentorum, hæc fcribat; *Cum autem vocabulum Sacramenti de ceremoniis intelligitur inftitutis in prædicatione Chrifti, numerentur hæc Sacramenta, Baptifmus, Cœna Domini, Abfolutio, quæ funt externi ritus, & funt figna totius Evangelii, & quidem proprie funt teftimonia remiffionis peccatorum, feu reconciliationis, de qua præcipue dicitur in definitione afitata: Sacramentum eft fignum gratiæ, ideft, reconciliationis gratuitæ, quæ propter Chriftum donatur, & in Evangelio prædicatur.*

Quamvis priores Lutherani modo (ut oftenfum eft) Pœnitentiam expunxerint ex albo Sacramentorum novæ legis, modo eidem albo eam inferuerint, his tamen temporibus paffim tamquam proprie dictum Sacramentum apud eos habetur; uruntur nimirum catechifmo quem Lutherus edidit, & in quo (tefte illuftriffimo Epifcopo Meldenfi, Variationum lib. 3. art. 48.) minifter audita confeffiune omnium peccatorum quorum pœnitens meminit, hifce verbis eum abfolvit: *Ego ex Chrifti mandato remitto tibi peccata tua, In nomine Patris & Filii, & Spiritus fancti.*

Conclufio 4. Proxime elapfo fæculo plures Sectarii negarunt Pœnitentiam effe Sacramentum novæ legis.

Probatur enumeratiune. Primo Zuinglius in libro de vera & falfa religione Cap. *De Sacramentis*, & Zuingliani omnes Pœnitentiam ex albo Sacramentorum novæ legis expunxerunt. Secundo Joannes Calvinus lib. 4. Inftit. cap. 19. §. 15. & fequentibus, pœnitentiam inter Sacramenta recenferi nun debere variis argumentis oftendere conatur. 3. Ex iis etiam, qui Lutheranifmum prufeffi funt, nonnulli hac in caufa Calvini partes amplexi funt, ut Nicolaus Selneccetus in fecunda parte fuæ Pedagogiæ, ubi differit de numero Sacramentorum: Juannes Vvigandus in Methodo doctrinæ Ecclefiæ Magdeburgenfis, cap. 14. Matthias Illiricus in præfatiune libri qui, *De fectis & diffidiis Pontificiorum*, infcribitur,

---

Caput Secundum.

Defenditur Ecclefiæ fides circa exiftentiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Ecclefiæ fides circa exiftentiam Sacramenti Pœnitentiæ his Concilii Tridentini verbis continetur; *Si quis dixerit in Catholica Ecclefia Pœnitentiam non effe vere ac proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties poft Baptifmum in peccata labuntur, ipfi Deo reconciliandis, a Chrifto Domino noftro inftitutum, anathema fit.* Priorem canonis partem hic defendamus oportet, dicturi de cæteris cum de Pœnitentiæ authore, miniftro, & fubjecto inferius differetur.

Conclufio. Pœnitentia eft vere ac proprie dictum Sacramentum novæ legis.

Probatur 1. ex Scriptura. Chriftus Joannis 20. fic Apoftulus eorumque in minifterio Ecclefiaftico fucceffores allocutus eft; *Quorum remiferitis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta funt.* Atqui per ea verba Pœnitentiam inftituit tamquam vere & proprie dictum Sacramentum novæ legis, Ergo &c. Probatur minor propofitio. Ad vere & proprie dictum Sacramentum tria requiruntur, primu ritus externus; fecundo præceptum divinum; tertio promiffio gratiæ, quæ illi externo ritui conjuncta fit. Sed in relatis Chrifti verbis tria illa reperiuntur. Ritus externus quidem, cum enim poteftas peccata dimittendi in hominum gratiam conceffa fit, oportuit ut aliquo figno externo exerceretur, alioquin homines qui corporales funt, peccata fibi remitti non intelligerent, nifi adhibito exteriori ritu dimitterentur. Reperitur quoque divinum præceptum: *Sicut mifit me vivens pater* (ait Chriftus Apoftolis) *& ego mitto vos, Accipite Spiritum fanctum. Quorum remiferitis peccata &c.* Reperitur tandem promiffio gratiæ; neque enim peccata dimittuntur quin gratia fanctificans infundatur.

Refpondent adverfarii primo eam peccata dimittendi facultatem intelligi de prædicatione Evangelii, non autem de judiciaria poteftate. Et vero (inquiunt) minifter iis remittit peccata in quibus, prædicando, excitat fidem qua ipfa remiffio apprehenditur. Refpondent fecundo Chrifti fententiam, de qua eft hic quæftio, explicari debere de remiffione in Baptifmate comparanda; ita ut non de fidelibus agatur, fed de infidelibus tantum, qui peccatorum remiffionem confequuntur, cum per Evangelii prædicationem ad fidem converfi, baptifmate initiantur. Refpondent tertio iis Chrifti verbis *Quorum &c.* non dari poteftatem dimittendi peccata, fed tantum authoritate divina declarandi quod remiffa fint.

Verum primu licet Chrifti fententia de peccatorum remiffione per Evangelii prædicationem intelligeretur, quod tamen eft falfum (ut de abfolutionis effectu differentes probabimus) inde non culligeretur quod in executione poteftatis ejufmodi Sacramenti ratio non reperiretur.

Et fane, ex adverfariis, Sacramentorum forma non aliud eft quam concio qua minifter fidem excitet. Quemadmodum igitur afperfio aquæ cum verbo, *Ego te baptizo*, Sacramentum conftituit, licet (ut Sectariis placet) totus ille ritus non alio fpectet quam ad excitandam hominis fidem: ita abfolutio exterius prolata, quæ pœnitentis actibus fupervenit, conftituit Sacramentum, quamvis ad fidem excitandam referatur. 2. Quamvis remiffio de qua agitur explicaretur de remiffione quam infidelis in baptifmate confequitur, id non impediret quin fit verum Sacramentum, hoc enim unum inde probaretur, nempe quod non fit Sacramentum a baptifmate diftinctum. Quam autem id falfum fit proxime fequenti capite demonftrabimus. 3. Etfi detur, quod tamen tamquam hæreticum negamus, poteftatem dimittendi peccata meram effe prius remiffi peccati declarationem; inde tamen non conficeretur Pœnitentiam non effe Sacramentum proprie dictum, quippe quod in Lutheranorum & Calviniftarum fyftemate, nullo Sacramento peccata dimittantur, fed tantum per fidem prius dimiffa declarentur aut obfignentur. 4. Verba illa, *Quorum remiferitis &c.* funt executio iftius Chrifti promiffionis, *Quæcunque ligaveritis fuper terram erunt ligata & in cœlis.* Verba vero illa, *Quæcunque &c.* poteftatem judiciariam continent; igitur nec de Evangelii prædicatiune nec de baptifmate intelligi poffunt, cum nec in prædicatiune Evangelii, nec in baptifmate jurifdictio exerceatur juxta illud Apoftoli, *Quid mihi de iis qui foris funt judicare?*

Probatur 2. ex Traditione qua docemur Evangelica verba, *Quorum remiferitis peccata, remittuntur eis &c.* ab Ecclefiæ incunabulis ad hanc ufque ætatem intellecta fuiffe a Catholicis de poteftate dimittendi peccata, non per prædicatiunem Evangelii (ut adverfarii fingunt) nec per baptifmatis collationem (ut nonnumquam refpondent) fed per Sacramentum proprie dictum.

Primo Montaniftæ fæculo fecundo, & Novatiani tertio tamquam hæreriei profcripti funt quod verba, de quibus agitur aut reftringerent ad quædam peccata quæ Idololatria, Mœchia, & Homicidio minura effent, aut exponerent de remiffione comparanda per baptifmum, non autem per claves quas Chriftus Ecclefiæ fuæ credidit.

Secundo fpecialia proferri poffunt Patrum loca quibus probetur eos crediffe præter peccatorum remiffionem quam miniftri per baptifma largiuntur, effe aliam quæ datur per pœnitentiam. Tertullianus libro quem adhuc Catholicus infcripfit de Pœnitentia, fic loquitur: *Hæc venena providens Deus claufa innocentiæ janua, & intinctionis fera obftructa, aliquid adhuc permifit patere: collocavit in veftibulo pœnitentiam fecundam, quæ pulfantibus patefaciat.* Ecclefiæ in fidelium

lium, qui lapsi sunt peccatis per claves sibi creditas dimittendis potestatem evidenter supponit decretum Zephirini Papæ, quod quidem Tertullianus lib. de Pudicitia quem factus Montanista conscripsit, hisce verbis & refert & subsannat: *Audio edictum esse propositum, & quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dixit, Ego & Mœchiæ, & Fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.*

Cyprianus Epist. 52. fuse contra Novatianos probat reconciliatione, seu Sacramentali absolutione donari posse lapsum in idololatriam, mœchiam, aut homicidium, modo legitima pœnitentia perfunctus fuerit: *Neminem* (inquit) *putamus a fructu satisfactionis, & spe pacis arcendum &c. O frustrandæ fraternitatis irrisio, o miserorum lamentantium caduca deceptio &c. hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam; dicere fratribus nostris, Plange, lacrymas funde, & pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter, & frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris; quæcumque ad pacem pertinent facies; sed nullam pacem quam quæris accipies.* Pacis nomine, eo loci Cyprianus intelligit absolutionem ab Ecclesia concedendam, nam de peccatorum remissione per pœnitentiæ labores obtinenda a Deo nusquam fuit quæstio Catholicos inter, & Novatianos, ut superius ostensum est.

Eadem potestas peccata post baptismum commissa dimittendi supponit controversia, quæ Cypriani tempore lapsos inter & Episcopos orta est. Lapsi reconciliationem & pacem, seu peccatorum remissionem statim & ante actam legitimam pœnitentiam sibi reddi importune efflagitabant: persuasum igitur erat eis penes Ecclesiam fuisse facultatem eam concedendi: Episcopi fatebantur quidem concedi debere eam remissionem, sed tantum ubi lapsi pœnitentiæ laboribus perfuncti fuissent: *Cum in minoribus peccatis* (ait Cyprianus) *agant peccatores pœnitentiam, justo tempore, secundum disciplinæ ordinem, ad Exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi, & Cleri, jus communicationis accipiant.* Invehitur idem S. Doctor in Sacerdotes, non quod absolutionem ejusmodi lapsis concederent, sed quod eam impertirentur, etiamsi pœnitentiæ labores non præcessissent: *Concilio frequenter acto* (inquit Epist. 54. quæ est ad Cornelium Papam) *non consensione tantum nostra, sed, & comminatione decrevimus ut Pœnitentiam fratres agerent, at pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret.* Quod quidem decretum si quis minister infringat, gravis sceleris reum esse contendit. *Datur* (ait) *opera ne satisfactionibus, & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Pax vera falsæ pacis mendacio tollitur. Sublata pœnitentia, nec ulla exomologesi criminis facta, despectis Episcopis atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicatur.*

Eodem spectant antiquissimi Concilii Eliberitani canones quibus post criminis confessionem lapsis injungitur satisfactio, præcipiturque, ut ea satisfactione peracta reconciliatio concedatur. *Si quis Diaconus* (inquit can. 76.) *se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit; si sponte fuerit confessus, placuit, eum acta legitima pœnitentia, post triennium accipere communionem: quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta pœnitentia accipere communionem laicam debere.* Communionis vero nomine canon intelligit absolutionem a peccatis, ut suo loco probavimus: Ergo Concilii Patres crediderunt Lapsorum peccata per absolutionem Sacramentalem ab Ecclesia dimitti posse. Idem de cæteris Conciliis, quæ deinceps habita sunt, idem de libris ritualibus ferendum est judicium, cum post actam pœnitentiam definiunt pacem reconciliationem, absolutionem, communionem impendi debere.

S. Augustinus lib. 5. de Baptis. cap. 20. hæc ait, quibus invictissime probetur eum credidisse per reconciliatoriam manus impositionem, quæ idem est cum Sacramento Pœnitentiæ, peccata post Baptismum commissa dimitti: *Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur.*

S. Joannes Chrysostomus Ecclesiæ potestatem in dimittendis peccatis, quæ quis post Baptismum commiserit aperte astruit libro tertio de Sacerdotio ubi sic loquitur: *Neque enim solum, cum non regenerant* (Sacerdotes) *sed etiam postea, condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent.* Ejus autem potestatis dignitas quanta sit, ibidem multis ostendit: Contendit nempe primo nusquam Angelis datam fuisse: *Qui terram incolunt* (inquit) *atque in ea versantur, his commissum est, ut ea quæ in cælis sunt, dispensent. Iis datum est, ut potestatem habeant quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est, Quæcumque alligaveris in terra, erunt alligata & in cælo, & quæcumque solveris in terra, erunt soluta & in cælo.* Contendit secundo eamdem potestatem supra eam eminere, quæ terrenis principibus concessa fuit quod ista ad corpus tantum, illa vero ad animam spectet: *Habent quidem, & terrarum Principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit; usque adeo ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet.* Contendit tertio datam alias Judaicis Sacerdotibus potestatem multo fuisse minorem ea qua Sacerdotes Evangelici perfruuntur: *Corporis lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare Judæorum Sacerdotibus solis licebat. Neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio ac concertatione Sacerdotalis dignitas per id temporis acquireretur. At vero nostris Sacerdotibus, non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Quare judicio quidem meo qui istos despiciunt, contemnuntque, multo sceleratiores ac majori supplicio digni fuerint, quam fuerit Dathan &c.* Contendit quarto illam potestatem aliquo modo ei esse similem quam Pater æternus Filio suo incarnato contulit: *Pater omnifariam filio potestatem dedit: Cæterum video ipsam eamdem omnifariam potestatem a Deo filio illis traditam. Nam quasi jam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt.* Contendit quinto amplissimam illam potestatem Apostolos tunc accepisse, cum Joannis 20. sic Christus eos allocutus est: *Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata &c.* Inde vero concluditur Chrysostomo ratum fuisse iis Evangelicis verbis institutum fuisse Pœnitentiæ Sacramentum: *Etenim quidnam hoc aliud esse dicas nisi omnem rerum cælestium potestatem illis a Deo concessam? Quorumcumque, ait, peccata retinueritis retenta sunt. Quænam, obsecro, potestas hac una major esse queat?*

Gregorius Magnus in eum Joannis locum, de quo hic agitur, potestati dimittendi peccata post Baptismum commissa evidentibus verbis astruit. *Ecce* (inquit) *non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienæ obligationis potestatem relaxationis accipiunt, principatumque superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. Sic sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari* (de Apostolis loquitur.) *Ecce qui districtum Dei judicium metuunt, animarum judices fiunt, & alios damnant vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent: ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius honoris. Durum quippe est ut qui nescit moderamina vitæ suæ, judex vitæ fiat alienæ.*

Ex dictis hactenus patet eum toti Ecclesiæ veteri gravissimum errorem impingere, qui contenderit: his verbis Evangelicis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt,* non aliam Apostolis eorumque successoribus factam fuisse potestatem quam annunciandi Dei verbum aut Baptismum conferendi: Quippe quod vetus illa Ecclesia (ut ex relatis Patrum textibus constat) censuerit iisdem verbis concessam fuisse facultatem aut retinendi aut dimittendi peccata, in quæ fidelem quemque post baptismum labi contigerit.

Objicies 1. Aliqua verborum prolatio a Christo Joannis 20. præcepta non fuit; hoc enim unum imperatum fuisse videtur, ut Apostoli, Christi nomine peccatorum veniam indulgerent. At per actum mere internum ejusmodi venia potest indulgeri: proindeque nullus est in Pœnitentia ritus sensibilis, qui Sacramentum constituat: Ita Calvinus ratiocinatur.

Resp. neg. ant. Christus enim voluit ut illa remissio per actum judicialem fieret: in actu vero judiciali sententia a judice exterius proferri debet. Præterea Christum præcepisse ministris ut absolutionem adhibitis exterioribus verbis proferrent, colligitur ex Ecclesiæ praxi, qua docemur ipsam a sui exordio, in lapsorum reconciliatione verba quidem adhibuisse quibus Sacramenti effectum exprimeret: ea autem verba in antiquis omnibus tum Pœnitentialibus tum Sacramentariis, tum Ritualibus legere est. Ad eam praxim Cyprianus alludit Epist. 10. ubi invehitur in quosdam Sacesdotes, qui pacem dabant lapsis, *nondum manu eis ab Episcopo & Clerico imposita*, idest precibus reconciliatoriis nondum supra eos (ut ferebant canones) recitatis. Alludit pariter Augustinus lib. 5. de Baptismo: *Quomodo* (inquit cap. 20.) *exaudit homicidam deprecantem vel super aquam baptismi, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?*

Objicies 2. Pœnitentiam esse novæ legis Sacramentum, non fuit inter authores, etiam Catholicos, perpetua traditione firmatum: siquidem plerique per absolutionem nullam omnino gratiam produci contenderint. In ea opinione fuisse videntur ii omnes Scholastici, qui post Magistrum Sententiarum docuerunt Sacerdotem nihil aliud agere in pœnitentem confessum quam declarare peccata per contritionem, & satisfactionis propositum ipsi dimissa esse. Ergo &c.

Resp. 1. Lutheranos, & Calvinistas ea ratione uti non posse nt Pœnitentiæ Sacramentum impugnent; quippe qui (ut jam fuit observatum) Sacramenta, in eorum systemate nullam gratiam producant, sed jam productæ signa sint ac sigilla. Resp. 2. referri quidem a Richardo, & Hugone Victorino scriptores aliquos qui docuerint datam a Sacerdotibus absolutionem, jejunam esse ac nudam peccati prius remissi declarationem: Sed eo in capite errasse asserunt iidem Richardus, & Hugo præcipui Theologiæ Scholasticæ parentes. Resp. 3. Magistro Sententiarum visum quidem fuisse quod per sinceram cordis contritionem peccata lapsis dimittantur; Sed ea in contritione votum absolutionis includi censuit; requisivit enim ut ejusmodi contritio votum confitendi ac satisfaciendi propositum complecteretur: Unde sequitur quod licet juxta Magistri Sent. principia, absolutio cum actu datur, sit modo judiciali declarativa peccati prius remissi; peccatum tamen independenter ab ea, saltem in voto recepta, non dimittatur. Verum de ea Magistri Sent. doctrina fuse agemus, cum de contritione inferius differetur.

CAPUT TERTIUM.

An Pœnitentia unum sit cum Baptismate Sacramentum.

Digna est, quæ hic referatur Bellarmini observatio. Hæretici (inquit lib. 1. de Pœnitentia capite 12.) qui Sacramentum Pœnitentiæ de medio sustulerunt, ex hoc errore in alium prolapsi sunt, cum enim non censuerint esse negandum quod post Baptisma lapsi Deo reconciliari possint, crediderintque eam reconciliationem aliquo Sacramento obsignari debere, contenderunt illud Sacramentum esse ipsummet Baptisma, cujus non quidem iterata receptione, sed recepti memoria fides, quæ justificent, obsignetur. Primus illius erroris author Lutherus est, qui in libro de captivit. Babilonica sic loquitur: *Præbuit his opinionibus occasionem verbum periculosum D. Hieronymi, sive male positum, sive male intellectum, quo Pœnitentiam appellat secundum tabulam post naufragium, quasi Baptismus non sit pœnitentia. Hinc enim ubi in peccatum lapsi fuerint, de prima tabula seu navi desperantes, velut omissa, secundæ tantum incipiant niti, & fidere tabulæ, idest pœnitentiæ.* Eam sententiam, in qua (ut observatum est præcedenti capite) Lutherus constanter non permansit, postea Calvinus amplexus est. lib. 4. Institut. cap. 19. §. 17. Hieronymi dictum sic insectatur: *Sed dictum est Hieronymi*, (Pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam) *Cujuscumque sit, quia plane impium sit, excusari nequit, si ex eorum sensu exponitur: quasi vero per peccatum deleatur Baptismus, & non potius in memoriam revocandus sit peccatori, quoties de remissione peccatorum cogitat, ut illinc se se colligat, animumque recipiat, & fidem confirmet ... Apertissime itaque dixeris, Si Baptismum vocaveris Pœnitentiæ Sacramentum, cum in confirmationem gratiæ & fiduciæ sigillum, iis datus sit, qui pœnitentiam meditantur.*

Ex eo vero dogmate tria quædam Sectarii deduxerunt. 1. fidelem qui lapsus sit, æque facile posse reconciliari cum Deo, ac infidelis qui nusquam initiatus fuit Baptismate. 2. Non minus integre hominem in sua post Baptismum reconciliatione renovari quam cum primum per baptisma justificatus est. 3. Post Baptisma quærendum non esse symbolum exterius quo Christi merita Pœnitentibus applicentur, cum id præstet Baptismus quem quis per fidem apprehenderit ac revocarit in memoriam.

Conclusio. Pœnitentia est Sacramentum a Sacramento Baptismatis realiter distinctum.

Probatur 1. Pœnitentiæ Sacramentum a Baptismate differt in quatuor, primo ratione materiæ. 2. ratione formæ. 3. ratione ministri. 4. ratione effectus. Quadruplex illud discrimen explicat, & probat Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 2. ubi hæc leguntur: *Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismate differre dignoscitur. Nam præterquamquod materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet, constat certe Baptismi ministrum judicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi* (inquit Apostolus) *de iis qui foris sunt judicare? Secus est de domesticis fidei ... Nam si se postea crimine aliquo contaminaverint ... ante hoc tribunal* (Pœnitentiæ) *tamquam reos* (Christus) *sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam possint liberari. Alius est præterea Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in eo efficimur creatura plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus* (divina id exigente justitia) *pervenire nequaquam possumus.*

Probatur 2. ex constanti veteris Ecclesiæ doctrina. Tria nimirum vetus Ecclesia docuit, quæ nulla ratione stare possunt cum sententia, quæ Pœnitentiam cum Baptismo confundit. Asseruit primo curari fidelium peccata remedio quod plane diversum sit ab eo, quo peccata Catechumenorum curantur: *Si a Catechumeno factum est homicidium* (ait Augustinus lib. 2. de Adulterinis conjugiis cap. 13.) *Baptismate abluitur: Si a Baptizato, Pœnitentia & reconciliatione sanatur.* Asseruit secundo fidelium peccata difficilius dimitti quam eorum peccata qui nondum regenerati sint quod nempe graviora sint iis, quæ Baptismum præcesserint. *Qui nondum accepit Baptismum* (inquit Augustinus hom. 41. libri 50. homiliarum) *nondum violavit Sacramentum. Qui autem violavit Sacramentum, male & perdite vivendo, & ideo remotus est ab altari, ne judicium sibi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur dum vivit, dum sanus est.* Illud vero veteris Ecclesiæ principium plane corrueret si staret hoc in capite Novatorum doctrina: quippe quod cuique facillimum, sit de accepto baptismate cogitare ac initum cum Deo fœdus in memoriam revocare. Asseruit tertio lapsos non ad Baptismi memoriam, sed ad Pœnitentiæ labores dimittendos esse ut peccatorum indulgentiam consequantur. Cyprianus totus in id est tum in libro de lapsis, tum in Epist. ad Cornelium Papam: *Concilio frequenter acto* (inquit S. Martyr ad Cornelium scribens) *non consensione tantum nostra, sed & comminatione decrevimus, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret.* Verum cur

Pa-

Patres durissimis pœnitentiæ laboribus lapsos addixerunt, si per unam baptismatis prius recepti apprehensionem crimina vel gravissima (ut adversarii finguot) deleaotur?

Objicies primo. Patres antiqui hæc Evangelii verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, exposuere de potestate conferendi baptismum, quo quidem Sacramento omnia prorsus peccata delentur. Ergo eadem verba a Catholicis Theologis ad Pœnitentiæ Sacramentum immerito detorquentur. Ergo inutile est Pœnitentiæ Sacramentum, quod a Sacrameoto Baptismatis distinctum sit.

Resp. Patres dedisse quidem Mootanistis, & Novatianis Evangelica verba, *Quorum remiseritis &c.* intelligi posse de remissione peccatorum Catechumenis per Sacrameotum Baptismatis cooferenda: sed præterea contra eosdem Montanistas, & Novatianos addiderunt intelligi debere de potestate remittendi per claves Ecclesiæ creditas peccata quæ post baptismum commissa fuerint, ut videte est in operibus qoæ ab Ambrosio, & Paciano contra Novatianos exarata sunt.

Objicies secundo. Idem prorsus est effectus Baptismatis, & Pœnirentiæ, productio nimirum gratiæ quæ vitam spiritualem mortuo per crimen peccatori conferat. Ergo Pœniteotia iocassum a Baptismate distingueretur.

Resp. per utrumqoe illud Sacramentum eamdem quidem gratiam eotitative sumptam produci, sed non eodem modo: siquidem in Baptismo per regenerationem, in Pœniteotia vero per suscitationem e mortuis conferatur. Uode sicut regeoeratio, & resurrectio ex diverso modo quo vitam tribuuot, differunt specifice: ita etiam Baptismus, & pœniteotia differunt specie ratione modi diversi quo gratiam justificaotem impio conferunt.



QUÆSTIO TERTIA.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

MAteria a Logicis dividitor in materiam *Circa quam*, & io materiam, *Ex qua*. Prior idem est cum objecto circa quod res aliqua versatur: posterior vero est pars ex qua constat. De utraque illa materia, hac in quæstione differemus.

CAPUT PRIMUM.

De Materin Circa quam *Sacramenti Pœniteatiæ.*

COnclosio, Peccatum Originale non est materia *circa quam* Sacramenti Pœnitentiæ; sed tantum actualia commissa post Baptismum, Mortalia quidem principaliter, Venialia vero minus præcipue.

Probatur prior pars. Materia *circa quam* Sacrameoti Pœnirentiæ debet esse actus propria voluutate commissos, cum illios hominem pœoitere debeat, & aliude actionum quæ ab aliena voluntate fiunt, neminem pœnitere possit. Se habent enim aliena peccata respectu hominis a quo commissa non sunt, sicut defectus oaturales qui ab illius libertate nequaquam pendent. At peccatum originale propria ooltra voluntate commissum non fuit; ideo scilicet oostrom est quod voluntas nostra in Adami voluntate aliqoo modo ioclosa fuerit.

Probatur altera conclosionis pars ex Concilio Tridentino, quo definitum est pœnirentiæ Sacramentum pro lapsis institutum fuisse a Christo: lapsorum autem nomine intelliguntur ii qui crimina, seu peccata mortalia perpetrarunt. Ergo ad ea delenda Pœnitentiæ Sacrameotum præcipue institutum est, ac proinde circa ejusmodi peccata in primis versatur.

Probatur tertia pars primo ex Patribus. Iis nimirum persuasom fuit peccata venialia aliis a Pœnitentiæ Sacramento remediis curari posse. Augustinus Eochiridii cap. 7. asserit deleri ea per piam orationis Domioicæ recitationem: *De quotidianis autem brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit: eorum est enim dicere, Pater noster qui es ia cœlis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu S. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiaaa peccata: Delet, & illa a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit.* Secundo Concilium Tridentioum idem docet Sess. 14. cap. 5. ubi ait peccata venialia aliis temediis quam Pœoitentiæ Sacramento curari posse: *Multisque* (inquit) *aliis remediis expiari possunt.*

CAPUT SECUNDUM.

De Materia ex qua constat Pœaiteatiæ Sacramentum.

FIde certum est tres pœnitentis actus, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem esse materiam Sacramenti Pœoitentiæ. Id enim definiit 1. Eugenius IV. io decreto pro instructione Armenorum, obi sic loquitur: *Quartum Sacramentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertiaet ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia satisfactio pro peccato secundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemosynam.* 2. Id idem definitum fuit a patribus Tridentinis Sess. 14. cap. 3. his verbis: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœaitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruatur, pœaitentiæ partes dicuntur.* Ejusdem Sessionis can. 4. iidem Patres anathemate feriunt sentientes contrarium: *Si quis negaverit* (inquiunt) *ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus ia pœaiteate quasi materiam Sacramenti pœniteatiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, qua tres pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.*

Lata sunt ea Concilii Trideotini decreta contra recentiores hæreticos qui negarant tres illos pœnitentis actus divioo jure reqoiri ad consequendam peccatorum remissionem: *Pœnitentia* (inquit Lutherus in refutatione articulorum Lovaniensium, propositione 37.) *a Lovaaiensium Synagoga tradita (scilicet quod sit Contritio, Confessio, & Satisfactio) est nulla nisi Judæ proditoris, & similium; ideo ut hæretica est damnanda.* Nititur ea sanctæ Synodi definitio variis tum Scripturæ, tom Traditionis textibus ioferius referendis cum de iis actibus in specie differemus: in præsentiaruoi vero satis sit hæc Cypriaoi seotentia lib. de Lapsis: *Denique quanto, & fide majore, & timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quia tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter coafitentur, Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui poadus exponuat, salutarem medelam parvis licet, & medicis vulneribus exquirunt.*

Iis in verbis tres Pœnitentiæ actus, de quibus Catholicos ioter, & Heterodoxos agitur, legere est. Contritio prodit se se hac una voce, *Dolenter*, Confessio exprimitur hac altera, *Confitentur*, Satisfactio hisce aliis terminis clare designatur, *Salutarem medelam vulneribus exquirunt*. Cypriano subscripserunt qui postea floruerunt Patres. Augustious in hæc Psalm. 146. verba, *Qui sanat contritos corde*, sic loquitur: *Sanat contritos corde, sanat confiteates, sanat seipsos punientes.* Si Catholicorum hac in parte fides a Synagoga Sataoæ (ut Luthero placet) prodierit, eidem Synagogæ Cypriaoum, Augustinum, cæterosque Patres præficiat necesse est.

Certum est igitur apud omnes Catholicos, tres actus

actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ. Sed quæstio est Scotistas inter, & Thomistas de qua materia loquantur post Eugenium Tridentini Patres; Illi contendunt loqui sacram Synodum non de materia *ex qua* constet pœnitentiæ Sacramentum, sed de materia *circa quam* proxime versetur, ita ut (inquiunt) Concilium contra Lutheranos definierit tres pœnitentis actus requiri, ut Sacramentum sit integrum integritate effectus, non vero integritate substantiæ, seu non definierit illos actus intrinsece ipsum Sacramentum componere sicut ex aqua constat Baptismus. Isti e contra, Thomistæ scilicet, docent loca ex Eugenio, & Concilio Tridentino relata intelligenda esse de materia ex qua Sacramentum substantialiter constet. In eam, quam retulimus abierunt sententiam Scotistæ, ne recederent a mente subtilis sui doctoris Dist. 16. quæst. 1. nu. 7. sic loquentis. *De Pœnitentiæ Sacramento dico quod ista nullo modo sunt partes ejus, quia (ut dictum est dist. 14.) Pœnitentiæ Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis &c. Hujus autem nulla pars est Contritio, quæ est quoddam spirituale in anima; Neque confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacerdotis; sed actus rei accusantis se, neque satisfactio, sed sequitur illam absolutionem Sacramentalem .... Hæc tamen tria ad Sacramentum pœnitentiæ ad hoc, ut digne recipiatur, requiruntur, vel prævia, vel sequentia.* Ubi Claudius Frassen non ultimus e subtili schola scriptor eam protulit Scoti sententiam, sic in suo tractatu de Pœnitentia loquitur: *Quibus verbis, ut fit evidens, Doctor non negat tres actus pœnitentis esse necessario requisitos ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantum quod non sint partes essentiales ex quibus illud constet.* Quodnam nos de illa Scholastica controversia feramus judicium, proxime sequenti conclusione declarabitur.

Conclusio. Tres pœnitentis actus sunt propria materia *ex qua* constat Pœnitentiæ Sacramentum.

Probatur 1. authoritate Eugenii IV. sic in decreto pro instructione Armenorum loquentis: *Hæc omnia Sacramenta, tribus perficiuntur; videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* At cum ea Eugenii sententia Scotistarum doctrina non cohæret. Si enim (ut contendunt) Absolutio totum Sacramentum essentialiter constituat, nulla in eo erit materia essentialis, cum ex Concilio Tridentino absolutio sit illius forma.

Nec audiendus est Maldonatus, hac in controversia Scotistis adhærens, cum ait absolutionem sub diverso respectu sumptam in pœnitentia tenere materiæ, & formæ locum; Materiæ quidem quatenus sensibus percipitur; Formæ vero prout significat peccatorum remissionem. Non est (inquam) audiendus tum quia forma Sacramenti non minus debet esse sensibilis quam materia; tum etiam quod Eugenius aperte distinguat verba a materia cujuslibet Sacramenti.

Probatur 2. authoritate Concilii Tridentini. Definiit sacra Synodus actus Pœnitentis esse Sacramenti partes; At partium nomine eas intellexit ex quibus constat pœnitentia. Primo enim asserit pertinere eas partes ad Sacramenti integritatem: Ex iis igitur intrinsece componitur Sacramentum, siquidem partes integrales totius ipsum intrinsece componunt ut patet in digito respectu manus. 2. Docet eas esse *quasi materiam*. At quæ enti alicui extrinseca sunt, eo nomine non solent appellari: Nec enim similis loquendi modus usurpatur ut significentur objecta extrinseca in quæ composita tendunt. Opponit actus pœnitentis absolutioni, quam dixit esse formam Sacramenti: Ergo quemadmodum loquitur de forma intrinseca Sacramento, ita & de materia, cum omne compositum, sive sit naturale, sive artificiale quale est Sacramentum, non minus constet ex materia intrinseca, quam ex forma.

Respondent adversarii actus pœnitentis dici partes integrales Sacramenti Pœnitentiæ, primo quod sine eis integrum non sit Sacramentum, non quidem integritate substantiæ, sed tantum integritate effectus. Iis enim qui non sunt contriti, nec confitentur, nec satisfaciunt, non confertur peccatorum remissio. Secundo vocari *quasi materiam* eo modo quo Philosophi vocant materiam omnes dispositiones, quæ præcedunt formam, quia omnes referuntur ad genus causæ materialis. Unde (inquit Maldonatus hac in controversia Scotistis adhærens) ideo tres dicti actus vocantur *materia* quod sint dispositiones ad Sacramentum. Tertio Concilium opponere formam materiæ improprie dictæ, seu dispositionibus quæ se tenent ex parte subjecti, non autem materiæ proprie sumptæ, & ex qua componitur Sacramenti substantia.

Sed ejusmodi effugia facile præcluduntur. Primo. Si valeret prior solutio, dici etiam posset actus fidei, spei, charitatis, contritionis, esse partes integrales Sacramenti Baptismatis; cum sine ipsis in adulto Baptisma non sit integrum integritate effectus. Non est verisimile quod Concilium Tridentinum proponens Ecclesiæ fidem circa Sacramentum Pœnitentiæ, usurparit obscurum illum, & æquivocum Philosophorum loquendi morem, cujus altera solutio meminit. Confirmatur ex eo quod agens de aliis a Pœnitentia Sacramentis, & recensens requisitas ad eorum effectum recipiendum dispositiones, nusquam eas dispositiones nominet illorum Sacramentorum *quasi materiam*. Confirmatur iterum, Sacra Synodus supponit actibus pœnitentis vim quamdam sacramentalem inesse cum hæc ait Sess. 14. cap. 3. *Docet præterea sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua* PRÆCIPUE *ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse. Ego te absolvo &c.* Ergo proprie sumit materiam cum sic vocat actus pœnitentis. 3. Non potest assignari ratio cur Synodus docens absolutionem esse formam, loquatur de forma proprie dicta, non loquatur vero de materia proprie sumpta, cum asserit tres actus pœnitentis esse Sacramenti materiam.

Solvuntur Scotistarum objectiones.

Objicies 1. Eugenius IV. & Tridentini Patres non dicunt simpliciter pœnitentis actus esse materiam Sacramenti pœnitentiæ; sed *quasi materiam*. Locuti sunt igitur de materia improprie sumpta, seu de dispositionibus ad recipiendum effectum Sacramenti, non autem de materia proprie sumpta, quæ cum absolutione Sacramentum intrinsece componat.

Resp. conc. ant. neg. cons. *Neque enim hi actus*, Quasi materia *a sacra Synodo appellantur, quod veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint quæ extrinsecus adhibeatur ut aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione.* Verba sunt catechismi Romani ubi de materia pœnitentiæ num. 17. disserit.

Objicies 2. Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. asserit pœnitentis actus disponere ad recipiendam gratiam in Sacramento: *Fuit autem* (inquit) *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Ex iis sacræ Synodi verbis patet contritionem esse dispositionem ad recipiendam gratiam in Sacramento; Ergo dici non potest quod sit ejus pars intrinseca; Neque enim dispositiones ad compositum dici possunt ejusdem compositi partes intrinsecæ.

Resp. neg. conseq. Ad cujus probationem dico 1. Concilium non asserere (ut supponitur in argumento) Contritionem esse dispositionem ad Sacramentum, sed tantum ad effectum Sacramenti, seu ad remissionem peccatorum. Dico 2. quod etiamsi Concilium assereret contritionem esse dispositionem ad Sacramentum, non sequeretur tamen ipsam illud intrinsece non componere; siquidem in illa suppositione Sacramentum non acciperetur adæquate nimirum pro omnibus suis partibus, sed tantum inadæquate, pro præcipua scilicet parte, quæ est absolutio, & quæ a ministris impenditur.

Objicies 3. Tridentina Synodus Sess. 14. cap. 6. definiit Sacerdotem ministrum esse Sacramenti Pœnitentiæ. At id falsum esset si pœnitentis actus intrinsece constituerent penitentie Sacramentum; Neq; enim Sacerdos totum efficeret Sacramentum. E contra ipsum

majori

majori ex parte a pœnitente conficeretur: proindeque Sacerdos totius Sacramenti minister nec esset, nec appellari deberet.

Resp. neg. min. Ad cujus probationem dico ut Sacerdos unicus sit pœnitentiæ minister, satis esse quod formam applicet materiæ quam pœnitens suffecerit; Nec id mirum videri debet: Primo enim per solam applicationem formæ Sacerdos exercet potestatem clavium, ex quibus ad peccati remissionem Sacramentum vim habet suam. 2. Agens naturale, ut patet in igne mutante lignum in suam substantiam, dicitur producere compositum præcise eo quod in ipsum introducat formam, quamvis illius materiam nequaquam producat. Ergo a pari Sacerdos, cum Sacramenti formam pœnitentis actibus applicet, dici debet unicus Sacramenti minister, quamvis ipse materiam non sufficiat.

Objicies 4. Sacramentum producit effectum ad quem a Christo institutum est, non tantum ratione formæ, sed etiam ratione materiæ ex qua constat. Unde Theologi, ut probent aquam, unctionem olei, impositionem manuum esse materiam baptismatis, Extremæ Unctionis, Sacræ Ordinationis, ostendunt Patres productionem gratiæ adscripsisse, aquæ, impositioni manuum, unctioni olei. Atqui actus pœnitentis non producunt effectum Sacramenti pœnitentiæ; Alioquin pœnitens dici posset sibi ipsi conferre remissionem peccatorum, dare sibi gratiam sanctificantem, imo, & se ipsum absolvere. Quod quam absurdum sit nemo non videt.

Resp. concessa maj. neg. min. Ad cujus probationem dico 1. absurdum esse quod pœnitens sibi ipsi gratiam per modum causæ principalis conferat, non autem per modum causæ instrumentalis agentis non quidem propria virtute, sed aliena. Dico 2. non tamen sequi quod pœnitens seipsum absolvat; Non enim ideo præcise Sacerdos dicitur vere, & proprie absolvere pœnitentem quod in causalitate gratiæ habeat se se per modum instrumenti, quo Deus utitur ut operetur gratiam, sed præterea quod per modum judicis causet remissionem peccatorum; id vero pœnitenti nullo modo potest convenire, cum in tribunali pœnitentiæ non sit judex, sed rei tantum, & testis qui se ipsum accuset, personam gerat.

Quæres unde actus pœnitentis habeant virtutem concurrendi ad productionem gratiæ.

Resp. illam virtutem illis inesse non quidem in se consideratis, sed ex relatione quam dicunt ad absolutionem. Solutio illa est S. Thomæ 3. p. quæst. 86. articulo 6. ubi sic loquitur: *Actus humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in Sacramento Pœnitentiæ: Omne autem Sacramentum producit effectum suum, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, ex utroque enim unum est Sacramentum; unde sicut remissio culpæ fit in baptismo non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ, scilicet aquæ, principaliter tamen virtute formæ, ex qua ipsa aqua virtutem recipit; Ita etiam & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ principalis quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc Sacramento: Secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ.*

Objicies 5. Contritio non est sensibilis, nec per se; cum sit actus internus voluntatis, nec per confessionem, saltem semper, aliquando enim eam subsequitur, ut patet in impio, qui solum (ut par est conteritur) multis a sua confessione diebus, & immediate ante absolutionem. Ergo Contritio non potest esse materia *Ex qua* Sacramenti pœnitentiæ, cum materia cujuslibet Sacramenti debeat esse quippiam sensibile juxta illud Augustini axioma, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Ita ratiocinatur Durandus apud quem contritio Pœnitentiæ Sacramentum intrinsece non componit.

Respondent nonnulli negando consequentiam; Nec enim (inquiunt) necesse est ut quælibet pars compositi sensibilis, cujusmodi est Sacramentum, sensibus subjaceat, ut patet in homine, cujus præcipua pars, anima scilicet est spiritualis, & incorporea. Respondemus nos contritionem in casu, de quo in argumento, esse sensibilem vel per signa quæ ipsam subsequantur; ut est externa petitio absolutionis, vel per confessionem quæ illam præcessit: Confessio enim præterita remanet virtualiter, & moraliter donec absolutioni conjungatur.

Objicies 6. Præscribunt Concilia, quibus cohæret disciplina præscripta in rituali edito jussu, & authoritate Pauli Papæ V. ut detur absolutio homini, qui Sacerdotem petiit, cui tamen postea non potest peccata confiteri eo quod præ morbi iniquitate usum rationis amiserit. Imo, si vera sit nonnullorum Theologorum doctrina, impendi debet viro pio, qui præ subito morbo, quo correptus est, obmutescens, nec per se nec per alium petit aut petiit reconciliationem. Ergo Confessio non est pars intrinseca Sacramenti pœnitentiæ.

Respondet Dominicus Soto, in duplici illo casu absolutionem, quæ confertur, non esse Sacramentalem, sed ceremonialem tantum; Ratio (inquit) est quia sola confessio vocibus expressa jure divino pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ, cum per eam solam Sacerdos causæ, de qua judicat, cognitionem habere possit. Sed docti illius alioquin Theologi vera non videtur solutio. Nam 1. absolutio quæ ex canonum ac ritualium præscripto conferri debet morituro, qui eam petiit, antequam præsens adesset Sacerdos, iisdem omnino constat verbis, ex quibus constat absolutio Sacramentalis, nempe, *Absolvo te &c.* 2. Reconciliatio quæ iis impenditur, qui ante subitum morbum, quo correpti sunt, advocarunt Sacerdotem, vim habet producendi gratiam: idque colligitur ex diligentia quam canones adhiberi volunt a Sacerdote, ut reconciliationis verba proferat antequam infirmus exeat e vivis; colligitur etiam ex eo quod Patres post mortem cum impiis sic in extrema vitæ periodo reconciliatis communicaverint, ac pro ipsorum requie incruentum Missæ sacrificium obtulerint.

Respondendum est igitur ad argumentum, in eo qui Sacramentum petiit, signa esse verborum loco, sicut nutus in Matrimonio quod elingues contrahunt; ac proinde locutio virtualis eo in casu reperitur, quæ quidem cum urget necessitas, satis est ad Sacramentum, & ad manifestandum Sacerdoti eum, qui jam jam moriturus est, reum esse peccatorum: in eo autem qui nec præsente Sacerdote, nec antequam adesset, reconciliationem petiit, docent Theologi, qui censent eum esse absolvendum, probatam quam duxit vitam fuisse postulationem implicitam Sacramenti, & confessionem interpretativam, quæ satis est (inquiunt) cum explicata, & formalis fieri non potest. Verum de eo argumento fusius agemus, cum de subjecto absolutionis suo loco dissaretur.

Objicies 7. Valet Pœnitentiæ Sacramentum datum morituro, cui nulla omnino imponi potest satisfactio, cum & sensuum, & mentis impos supponatur. Ergo satisfactio non est pars intrinseca Sacramenti Pœnitentiæ.

Respondent nonnulli hominem illum ratione, & sensibus destitutum habere votum satisfaciendi licet actu non satisfaciat: Volunt autem illud votum partem esse Sacramenti Pœnitentiæ, non vero actualem satisfactionem. Sed non valet ea responsio eo quod satisfaciendi propositum sit omnino idem cum contritione, est enim illius pars, cum nemo debite conteratur, nisi proponat ulcisci in semetipsum injuriam quam Deo per peccatum intulit. Respondemus nos ad argumentum concesso antecedente neg. conseq. Ratio est quia sicut digitus est pars intrinseca corporis, quamvis sine digito possit esse humanum corpus, ita & satisfactio est pars intrinseca Sacramenti Pœnitentiæ, quamvis sine ea idem Sacramentum esse possit: verum quemadmodum mancum est, & imperfectum humanum corpus cui digitus defuerit: ita Penitentiæ Sacramentum est imperfectum, cum satisfactio penitentis non injungitur.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt colligitur 1. contra Sco-

Scotistas, Pœnitentiæ Sacramentum non supponere pro sola absolutione, quæ a ministris impenditur: unde adæquata non est definitio quam hisce verbis apud Doctorem subtilem legere est. (Pœnitentiæ Sacramentum est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis a Sacerdote, & ex institutione divina peccati remissionem significantibus.) Colligitur 2. Sacramentum Pœnitentiæ nusquam valere, etiam quoad substantiam sumptum, quin etiam secundum effectum valeat, seo quin operetur remissionem peccatorum. Nec mirum; nam toties Sacramentum peccata remittit, quoties absolutio contritis, confessis ac satisfacere proponentibus impeditur; at valet tantum, etiam quoad substantiam absolutio, cum sic dispositis confertur. Colligitur 3. Pœnitentiæ Sacramentum datum ficto, seu habenti dominantem affectum ad peccarum mortale, non reviviscere postea, ubi ejusmodi fictio pes contritionem sublata fuerit. Ratio est, quia Sacramentum ficto datom, defectu debitæ materiæ, invalidum omnino fuit ac irritum etiam secundum substantiam; ac proinde reviviscere non potest Baptismatis adinstar quod valet secundum substantiam, etiamsi habenti affectum ad peccatom mortale collatum fuerit, Colligitur 4. quod licet tres actus Pęnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio ex institutione divina intrinsece (secundom Thomistarum principia) Sacramentum constituant; singuli tamen actus non sint essentiales eidem Sacramento, ut in Satisfactione videre est, Imo & in confessione, si vera sit nonnullorum Scholasticorum doctrina, quam tamen nos non amplectimur. Hæc satis sint de actibus pęnitentis in genere, jam operæ pretium est ut de eisdem in specię disseramus.

QUÆSTIO QUARTA.

De Contritione.

Contritionis nomen est mere Ecclesiasticum: quippe quod Latinis scriptoribus prophanis plane sit inauditum. Oritur vero a verbo *Contero*, quod duri alicujus corporis comminutionem in varias partes significat; itaque per metaphoram dicitur de peccatoris corde, quod quidem cum divinæ gratiæ motibus obsistit, durum appellatur in scripturis; *Induratum est cor Pharaonis &c.* Prout vero dolens eosdem motus admittit ac iis obtemperat, contritum nuncupatur: *Cor contritum* (inquit Psaltes regius) *& humiliatum Deus non despicies.* Dolor quem Theologi *Contritionem*, passim appellant, nonnumquam *cordis compunctio* vocatur: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Nec immerito; quemadmodum enim ulcus ferro pungitur, ut ex ulcere virus exeat: ita & cor dolore pungitur, ut foras pellatur peccatum. Idem dolor solet etiam vocari cordis scissio: *Scindite corda vestra* (ait Deus Joelis 2.) *& non vestimenta vestra.* Habet vero nomen illud ex eo quod per contritionem cor vetus resecetur tamquam membrum putrefactum, ut illius loco novum aliud generetur.

Caput Primum.

De essentia Contritionis.

Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. sic contritionem definit: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Ex illa definitione paulo post Sacra Synodus hanc conclusionem elicit: *Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* De hujusmodi aotem vitæ veteris detestatione, de melioris proposito proxime sequentibus articulis differamus necesse est.

Articulus Primus.

De odio ac detestatione vitæ veteris.

Hic duo subjiciemus examini: 1. an odium seu detestatio vitæ veteris essentiale sit contritioni. 2. quantum esse debeat hojusmodi odium.

§. I.

Utrum odium vitæ veteris sit essentiale contritioni?

Lutherus ubi primum a Catholicis defecit, rejecit a contritione vitæ veteris odium. *Plus tibi* (inquit in sermone de Pœnitentia) *discutiendum est confessuro, quantum diligas justitiam, quam quantum odias peccatum: multoque majore, imo solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo odias, aut deseras præterita mala. Verissimum est enim proverbium, & omni doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, Optima pœnitentia nova vita.* Idem innuit circa primam conclusionem suarum resolutionum: *Non ergo* (inquit) *in usu Scripturæ sacræ Pœnitentia dolor dicitur, sed mutatio mentis, & consilii.* Verum Lutheri sectatores eo in capite a suo Patriarcha recessisse videntur. Instar omnium sit Martinus Kemnitius qui in 2. parte Examinis hæc scribit: *Hinc sequitur dolor conscientiæ graviter dolentis se peccasse, & peccatis offendisse Deum; Incipit igitur peccatum odisse, & detestari.* Hæc etiam habet Calvinus lib. 3. Instit. cap. 4. §. 2. *Equidem sedulo, & acriter instandum esse fateor ut quisque amare deflendo sua peccata, se ad eorum displicentiam, & odium magis acuat.* Quæ igitur hic dicturi sumus, Lutherum, non ejus discipulos urgebunt.

Conclusio. Vitæ veteris odium est essentiale contritioni.

Probatur 1. ex Scriptura. Deus tum per se, tum per Prophetas, tum per Apostolos, peccata impiorum ob oculos frequenter posuisse legitur. Genesis 3. mulieri quæ Adamum pertraxerat in prævaricationem, dixit. *Quare hoc fecisti?* Idest cogita quo te ipsam crimine devinxeris. Isaiæ cap. 18. præcipit: *Annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.* Petrus Actorum 2 Judæos monet ut deicidium in Christo commissum revocent in memoriam. Quorsum vero ita se Deus gessit, nisi ut impios ad peccatorum odium ac detestationem excitaret? Voluit igitur ut contritio peccati odium includeret.

Probatur 2. exemplo sanctorum Pœnitentium quos Scriptura laudat. Ii vero Pęnitentiæ suæ partem in odio sceleris ac detestatione posuerunt: *Unum verbum locutus sum* (inquit Job de se ipso cap. 39. v. 35. & cap. 42. v. 6.) *idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Ezechias apud Isaiam cap. 38. sic loquitur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Propheta regius Psal. 50. hæc ait: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci.* Et alibi: *Laboravi in gemitu meo, Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Lucæ 22. Petrus ob apostasiæ scelus a se commissum flevit amare. Ergo sancti illi Pœnitentes judicarunt præteritorum scelerum detestationem contritione ad justificationem requisita complecti. Conclusionem illam intulit sacra Synodus Tridentina: *Et certe* (inquit Sess. 14. cap. 4.) *qui illos Sanctorum clamores consideraverit ... facile intelligit eos eu vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Probatur 3. ex Patribus. Cyprianus ad calcem libri de Lapsis, sic loquitur: *Vos vero fratres, quorum timor in Deum promus est, & in ruina licet animus constitutus mali sui memor est,* Poenitentes ac dolentes *peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vendicantes.* Clerus Romanus ad Cyprianum scribens Epist. 31. non in lapsis tantum qui sanitate fruuntur, sed, & in iis quibus præ morbo imminet vitæ periculum, peccatorum odium ac detestationem re-

requirit: *Quorum* (inquit) *vitæ suæ finem urgens exitus dilationem ferre non potest, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum: si lacrymis, si gemitibus, si fletibus, dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute, & solicite subveniri.* Augustinus Enchiridii cap. 65. idem odium necessarium esse definit: *In actione Pœnitentiæ* (inquit) *non tam mensuranda est measura temporis quam doloris: cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit.* Odium de quo est hic quæstio, adeo necessarium censuit Gregorius Magnus, ut crediderit sine ipso non stare pœnitentiæ essentiam; unde hom. 34 in Evangelia sic eam definit: *Pœnitentia est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.*

Objicies 1. Patres sæpe ajunt Pœnitentiæ virtutem, quæ idem est cum contritione, novam esse vitam: unde, ut probetur num vera sit impiorum conversio, ad manus & pedes, seu ad eorum opera, docent esse attendendum.

Resp. 1, Patres, cum protulerunt effatum hujusmodi, perpendisse Pœnitentiam inadæquate, idest secundum aliquam sui partem, non autem adæquate, seu secundum id totum quod importat: quippe qui conceptis terminis (ut mox ostendimus) peccati odium contritioni essentiale esse docuerint: *Pœnitentiam certam* (inquit Augustinus Sermone 7. de Tempore) *non facit nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites ut tibi amarum sapiat in animo quod ante dulce fuit in vita, & quod prius te delectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, jam tunc bene ingemiscis apud Deum, & dicis, Tibi soli peccavi.* 2. Dici potest Patres, cum ajunt Pœnitentiam esse novam vitam, non perpendere Pœnitentiam seu contritionem ut in se est, sed tantum prout elucet in effectibus, seu operibus piis quibus probetur sincerum esse vitæ novæ propositum: *Tunc bene peccatorem conversum cernimus* (ait Gregorius Magnus in 1. Regum cap. 15.) *cum digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur... in fructu non in foliis aut ramis Pœnitentia cognoscenda est.*

Objicies 2. Concilium Tridentinum videtur supponere odium, & detestationem peccati esse idem cum dolore quem quis ex eo percipit, quod Deum læserit; sic enim definit Contritionem, *Animi dolor ac detestatio de peccato comisso.* Atqui dolor non est pars intrinseca Contritionis, siquidem contritio sit animi virtus, dolor vero sit passio sensus.

Resp. Concilium Tridentinum sumere dolorem, non *Formaliter* (ut vocant) seu pro sensatione, quæ animam cruciat; sed *Causaliter*, nimirum pro ipsomet peccati odio, quod quidem hic in terris mœrorem parit ac tristitiam, non autem in cœlis: neque enim Beati tristitia afficiuntur, quamvis summe peccatum oderint; unde secundum hanc partem, *Animi dolor*, Contritionis definitio non est essentialis, sed descriptiva.

Objicies 3. Is qui peccatum a se commissum detestatur, optare, ut admissum nequaquam fuisset: Peccat igitur contra sapientiæ regulas: vetat nempe sapientia ne quis velit id quod est impossibile: Detestatio præteriti peccati est causa volitionis hujusmodi, non potest igitur esse essentialis contritioni.

Resp. hominem qui peccatum detestatur, non velle absolute ipsum peccatum non fuisse commissum, sed tantum sub conditione, nimirum si id foret possibile: quod vero videat id non esse possibile, tristitia ac mœrore afficitur: At rei volitio sub conditione alioquin impossibili non est contra sapientiæ regulas: quippe quod ejus generis volitio in Christo fuerit respectu mortis quam ex absoluto, & stricto Patris mandato passus est, ut probat hæc ad eumdem Patrem oratio; *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.*

§. II.

Quantum debeat esse peccati odium quod includitur in contritione?

CONclusio 1. Peccati odium quod est essentiale contritioni, debet esse summum extensive.

Probatur. Charitas in Deum debet esse summa extensive; idest, præcepto charitatis quisque jubetur Deum rebus omnibus anteponere, juxta illud Christi in Evangelio: *Qui diligit patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam:* Ergo odium in peccatum debet pariter esse summum extensive; seu ut impius justitiam consequatur, debet ita esse dispositus, ut pro nullo commutabili bono peccare velit: mensura enim charitatis in aliquod objectum, est mensura odii in illius oppositum: Sive in tantum quis rem aliquam odit, in quantum oppositam amat; nec mirum, quippe quod odium ex amore nascatur.

Conclusio 2. Eo intensius debet esse peccati odium, quo graviora sunt crimina quæ quis perpetrarit.

Probatur 1. authoritate Scripturæ quæ cujusque impii ponit ob oculos incestuosi Corinthij pœnitentiam, ut eam imitari conetur: ita vero intensus fuit illius dolor, ut criminis gravitati responderit; periculumque fuerit ne ipse tanto eo dolore exanimaretur: *Ne forte* (inquit Apostolus) *abundantiori tristitia absorbeatur.*

Probatur 2. ex Traditione Cyprianus ad calcem libri de Lapsis hæc ait: *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit.* Vult igitur S. Martyr ut pro gravitate criminum interior animi dolor augeatur. S. Augustinus eidem dogmati suffragatur Sermone 34. de diversis: *Omnia erga* (inquit cap. 12.) *præterita conversis dimittuntur: cætera autem hujus vitæ sunt quædam gravia, & mortifera quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus, & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur.* S. Cæsarius Episcopus Arelatensis eidem axiomati subscribit: *Hæc* (inquit hom. 1.) *principalia mala ingenti rugitu, & gemitu, & fonte indigent lachrymarum; atque per lachrymas clamandum est cum propheta, Rugiebam a gemitu cordis mei &c. Oportet itaque sicut super mortuum conclamatum, ita magnos super extinctam animam dare ploratus: Et quomodo solet mater orbata super amissione unici filii sui, fracto pectore lamentari: ita convenit super unicam suam sed cum spe reparationis affligi.*

Quæres an majus vel minus incrementum odii pro majori vel minori gravitate criminum sit de præcepto aut de consilio tantum?

Respondent eruditi quidam Theologi, quibus favet Morinus noster, De administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 1. cap. 14. respondent (inquam) incrementum illud ita esse necessarium ut absque eo impius peccatorum remissionem non consequatur. Responsionem suam probant tum ex eo quod strictam necessitatem, non autem merum consilium innuere videantur proxime laudati Patrum textus: tum etiam ex eo quod contraria sententia peccatoris ignaviam foveat: ubi enim intellexerit se non teneri ad augendum odium pro criminum gravitate, ejusmodi incremento operam dare non curabit. Alii e Scola Theologi censent augmentum illud non esse simpliciter necessarium: Nituntur autem hoc principio, quod ad peccati remissionem in Sacramento consequendam satis sit odium summum appretiative; seu quod sit super omnia: unde concludunt in illo odio non requiri certum intensionis gradum. Confirmant 1. ex Scriptura quæ nullum in ejusmodi odio determinatum gradum præfigit. Confirmant 2. ex eo quod sic occurratur scrupulis qui alioquin conscientias excruciarent, cum nemo scire valeat quot sint sui in peccatum odii gradus. Confirmant 3. ex eo quod si vera foret opposita sententia, sequeretur impium, qui peccatum super omnia detestaretur, sed non eo in gradu qui ejus gravitati respondeat, ac præterea Deum super omnia diligit,

non

non ſufficienter eſſe diſpoſitum ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam; ac proinde eum damnatum iri ſi cum ea diſpoſitione, recepto Sacramento, moreretur; quod quidem perabſurdum eſt. Reſpondemus nos, quidquid ſit de ea controverſia ſpeculative ſumpta, in praxi hortandos monendoſque eſſe fideles ut ſæpius habeant præ oculis criminum ſuorum gravitatem, conenturque ad eum odii gradum quod ejuſmodi gravitati reſpondeat; deponantque ſcrupulos, ubi impenſius, & ſæpius debitam contritionis intenſionem a Deo poſtulaverint.

ARTICULUS SECUNDUS.

De novæ vitæ propoſito quod Contritio complectitur.

DE novæ vitæ propoſito quod continetur in definitione contritionis, quærendum eſt 1. an ipſi ſit eſſentiale: 2. an debeat eſſe explicitum, & formale, an vero virtuale ſufficiat.

§. I.

Utrum vitæ novæ propoſitum ſit eſſentiale Contritioni?

COnclusio. Vitæ novæ propoſitum eſt eſſentiale Contritioni.

Probatur 1. ex Scriptura quæ propoſiti de quo agitur, meminit, quoties de converſione inſtituit Sermonem. Amos 5. hæc leguntur: *Odite malum, & diligite bonum, & conſtituite in porta judicium, ſi forte miſereatur Dominus Deus exercituum.* His verbis, *Diligite bonum*, Propheta clare ſignificat novæ vitæ propoſitum quod quidem poſitum eſt in dilectione boni, ſeu in animo qui paratus ſit ad legis obſervationem. Idem propoſitum legere eſt in hac Iſaiæ ſententia: *Lavamini*, (inquit cap. 1.) *mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, quieſcite agere perverſe, diſcite bene facere.* Illi autem propoſito, *Diſcite bene facere*, juſtificatio non minus tribuitur quam odio peccati; hæc enim mox ſubjiciuntur, *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Eodem modo vera converſio deſcribitur, Ezechielis 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non morietur, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Hæc verba, *Cuſtodierit omnia præcepta mea*, non intelliguntur de actuali mandatorum obſervatione; ſed de propoſito ea ſervandi: neque enim juſtificatio differtur in impio, donec actu omnia mandata ſervaverit, cum apud eumdem Ezéchielem cap. 5. ſit conſecuturus indulgentiam eodem momento quo, ut par eſt, eum pœnituerit. *Quocumque die peccator converſus fuerit &c.*

Probatur 2. authoritate Patrum. 1. Patres, ut videre eſt apud Ambroſium, ſic pœnitentiam definiunt, ut ex æquo vitæ novæ propoſitum, & veteris odium complectatur. *Pœnitentia eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* 2. Concilium Tridentinum antiquis Patribus inhærens cum odio vitæ veteris conjungit novæ propoſitum: *Contritio* (inquit) *animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*, hæc iterum paulo poſt ſubjicit, *Declarat igitur ſancta Synodus, Contritionem non ſolum ceſſationem a peccatis, & vitæ novæ propoſitum, ſed etiam veteris odium continere.* Patribus igitur, & Conciliis contritionem ex odio vitæ veteris, & propoſito novæ eſſentialiter conſtare perſuaſum fuit. Merito ſane tum Scriptura tum Patres novæ vitæ propoſitum definierunt pœnitentia contineri: ſiquidem neceſſe ſit ut is qui ex animo peccata deteſtatur, ſtatuat ſe deinceps ab illis temperaturum, ac proinde ut novam vitam proponat.

Objicies. Cum Scriptura loquitur de pœnitentia Davidis, odii tantum vitæ veteris meminit, *Peccavi Domino.* Illi autem odio Auguſtinus adſcribit juſtificationem quam David mox conſecutus eſt: *Tres ſyllabæ ſunt* (inquit S. Doctor) PECCAVI, *ſed de his tribus ſyllabis flamma ſacrificii coram Domino aſcendit in cœlum.* Ergo Contritio non includit eſſentialite vitæ novæ propoſitum.

Reſp. eo loci Davidis contritionem inadæquate non autem adæquate deſcribi. Confirmatur ex eo quod ipſe teſtetur in Pſalmis ſe, cum Nathan dixit, *Peccavi Domino*, habuiſſe ſincerum ac conſtans vitæ novæ propoſitum.

§. II.

An propoſitum melioris vitæ quod includitur in Contritione, debeat eſſe formale, & explicitum?

QUamvis apud omnes Catholicos de fide certum ſit vitæ novæ propoſitum includi in Contritione, non conſtat tamen an illud debeat eſſe explicitum, & formale, an vero ſatis ſit implicitum, & virtuale. Joannes Major, Jacobus Almaynus in 4. Sent. diſt. 14. quæſt. 1. & Andreas Vega lib. 13. in Concilium Tridentinum cap. 21. docuerunt ſatis eſſe propoſitum implicitum, & virtuale quod quidem ſemper includitur in odio veteris vitæ, cum nemo ſumme odiſſe poſſit factum aliquod, quin implicite ſtatuat ſe deinceps ab illo temperaturum. Adrianus Papa VI. in quinto quodlibeto, Cajetanus in additionibus ad 3. part. S. Thomæ quæſt. 1. art. 1. Dominicus Scoto in 4. diſt 17. quæſt. 1. art. 1. pluresque alii Scholaſtici contendunt novæ vitæ propoſitum, ſi ſit tantum virtuale, & implicitum non eſſe ſatis ad contritionem, ſed præterea explicitum & formale requiri. Nonnullos reperire eſt qui oppoſitas ſententias ſic inter ſe concilient, ut formale, & explicitum propoſitum novæ vitæ paſſim, & ordinarie requiratur; virtuale vero, & implicitum ſatis ſit urgente neceſſitatis caſu.

Concluſio. Formale, & explicitum novæ vitæ propoſitum quovis in caſu ad contritionem requiritur.

Probatur 1 ex Scriptura, quæ quidem (ut ſuperiore paragrapho dictum eſt) quoties de Pœnitentia ſeu de Contritione agit, ubi recenſuit odium vitæ veteris ſtatim recenſet novæ propoſitum: *Projicite a vobis iniquitates veſtras in quibus prævaricati eſtis* (inquit Deus Ezech. 1.) *& facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* 2. Patres quibus adhæſit Concilium Tridentinum, data opera poſt odium vitæ veteris addiderunt propoſitum novæ: *Contritio animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero.* 3. Eodem modo propoſitum non peccandi includitur in contritione quo vitæ veteris odium. Atqui formale, & explicitum odium neceſſario requiritur: Non enim ad juſtificationem impii ſatis eſt charitatis actus, licet virtuale vitæ veteris odium ſemper includat: alioquin Concilium Tridentinum Lutheranos immerito damnaſſet quod pœnitentiam in nova tantum vita poſitam eſſe contenderent, cum (ſecundum illos ſectarios) nova vita oriatur a fide miſericordiæ ſpecialis, qua nempe quis ſibi per Chriſtum remiſſa eſſe peccata certo credat: & charitas ejuſmodi fidei (ut ajunt) comes ſit individua.

Nec audiendus eſt Andreas Vega cum reponit *propoſitum vitæ novæ* a Scriptura, Patribus, & Concilio Tridentino additum fuiſſe *vitæ veteris odio*, non neceſſitatis, ſed uberioris explicationis cauſa. Siquidem 1. inde ſequeretur dici etiam poſſe *vitæ veteris odium*, propoſito novæ additum fuiſſe explicationis cauſa; quod tamen adverſarius non admittit: 2. Si hæc verba, *Cum propoſito non peccandi de cætero* de propoſito virtuali, & implicito intelliganrur, non erat neceſſe, ut a Concilio Tridentino odio vitæ veteris adderentur, cum implicitum illud votum ſit prorſus idem quod odium vitæ veteris.

Objicies 1. Ezechielis 1. hæc habentur: *Convertimini, & agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Eo in loco nulla ſit mentio propoſiti ſervandi legem, & tamen promittitur remiſſio peccatorum. Ergo ſatis eſt implicitum propoſitum quod in peccatorum deteſtatione continetur.

Reſp. Voces illas, *Convertimini, agite Pœnitentiam*, mox a Propheta explicari tum de odio vitæ veteris,

tum

tum de proposito novæ; *Projicite* (inquit) *a vobis omnes iniquitates vestras in quibus prævaricati estis; & facite vobis cor novum, & spiritum uovum*: unde per pœnitentiam Propheta non minus iotellexit explicitum novæ vitæ propositum quam explicitum odium vitæ veteris.

Objicies 2. Pœnitentia si cum fide, spe, & charitate actuali coojuocta sit, satis est ad justificationem iu Sacrameoto consequendam. Sed Pœniteotia explicite, & proprie non respicit nisi actum præteritum, est enim virtus per quam impius nollet Deum offeodisse, nec formaliter tendit ad futurum actum, seu ad propositum vitandi peccata, eum illud propositum proprie ad virtutis eharitatem pertineat.

Resp. neg. min. Siquidem evidens sit ex Concilio Tridentino pœnitentiam, & præteritos, & futuros actus ex æquo respicero. Ad probationem dico in impio qui cum Deo vult amicitiam redintegrare, vitæ novæ propositum esse actum elicitum a virtute pœoitentiæ, & ut inferius dicetur, ab iochoata saltem charitate imperatum: in justis vero illud propositum aut a charitate aut ab obedientia immediate elicitur.

Objicies 3. Potest contingere, ut quis constitutus in ultima vitæ periodo, præteritorum peccatorum meminerit ac ubi ea fuerit detestatus, excedat e vivis antequam incat propositum servandi legem. At eo in casu impius consequeretur remissionem peccatorum, ut consecutus est latro qui pependit in cruce, & in quo vitæ veteris odinm visum est quidem, sed absque formali melioris proposito.

Resp. argumentum esse de non supponente: quæ enim eharitas movet ad actum odii in præterita peccata, eodem temporis instanti movet ad melioris vitæ propositum; quod quidem non in pii latronis corde tantum, sed in operibus mox se ipsum prodidit: quippe qood fidem eximiam, patientiam mirabilem, singularem pro Christo zelum præ se tulerit dum io eruce penderet.

CAPUT SECUNDUM.

De proprietatibus Contritionis.

QUæremus hic 1. otrum contritio sit actus bonus & liber? 2. Ad debeat esse vera, supernaturalis, & universalis? 3. Utum sit necessaria tum necessitate medii, tum necessitate præcepti?

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Contritio sit actus bonus, & liber?

ANno 1518. Luthero visum est contritionem actum esse intrinsece malum, hæe nimirum ait Sermone 2. de Pœnitentia quem tunc conscripsit: *Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis (ut dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudiuem, deinde amissiouem beatitudinis, & æternæ damnationis acquisitionem, & alia quæ possunt tristitiam, & dolorem excitare, spe satisfaciendi per bona opera, facit hypocritam, imo magis peccatorem.* Nitebatur vero Lutherus triplici principio: 1. Illi persuasum erat ea omnia quæ ante justificationem fiunt, esse peccata: *Ego* (inquit Lutherus io assertione articuli sexti ex Sermone de pœnitentia) *peccatum assero quidquid ante gratiam fit iu homine, tantum abest ut præparet ad gratiam.* Contendebat 2. justificationem fieri per fidem misericordiæ specialis, seu per actum quo quis certo credir sibi per Christum remissa esse peccata: unde eoncludebat ea omnia quæ illi actui contraria sunt, gravia esse peccata ac proinde gehennæ timorem noxium esse, quod cum certitudine justificationis non cohæreat, neque enim is cui persuasum est sibi peccata esse remissa, metuere potest oe æternis cruciatibus addicendus sit. Contendebat 3. gehennæ timorem pertinere ad legem Mosaicam, contrarium vero esse Evangelio quod quidem per promissionem remissionis peccatorum impium consolatur, tantum abest, ut ei per gehennam metum incutiat, unde inferebat Judæos esse, non Christianos qui a peccato temperant ex formidine pœnæ quam contendebat esse non posse cum amore justitiæ, saltem ante justificationem. Iis nixus fundamentis calumniabatur Catholicos quasi assererent impium sine bono motu, per contritionem nempe, se se ad justificationis gratiam præparare. Idem Lutherus docuit contritionem non esse actum liberum, sed extortum ac coactum; proindeque nihil omnino conferre ad peccatorum remissionem. Erroris hujusmodi fundamentum ex eo desumpsit quod crediderit contritionem nihil aliud esse quam terrorem ex minis legis cooceptum, qui quidem terror nullo modo est liber, cum fieri oon possit quin terrore concutiatur reus cui proponuntur gravissima, quibus damnatus est, supplicia.

Patriarchæ sui doctrinam rigidi Lutherani tale explicarunt in Colloquio Altemburgensi; nam in collatione quarta, ubi respondent ad tertium scriptum Vvitembergensium, sive mollium Lutheranorum in argumento 21. sic (teste Bellarmino (loquuntur: *Tam Lex quam Evangelium ad conversionis doctrinam pertinent: quæ tamen confundenda non sunt. Lex quidem ad contritionem pertinet, ad Rom. 3. sed Evangelium ad secundam partem conversionis, nempe ad fidem* (misericordiæ specialis qua quis eerto credat sibi per Christum remissa esse peccata) Paulo post sic prosequuntur: *Contritio non est opus nostrum, est potius passio nostra qua conterimur, & concutimur.* Sic iterum loquuntur: *Nos passivi tantum sumus, nos nihil agimus, sed patimur, ipse Deus nos conterit, non ipsi nos.* Hæc rursus ajunt: *Proprietates contritionis sunt hominem, vel pertinacem vel hypocritam exuere, & expoliare ab omnibus suis bonis operibus, eumque replere innumerabilibus peccatis, hoc est cognitione peccatorum, concutere eum timore, horrore.*

Hæc tum ex Luthero, tum ex illius diseipulis retulimus, ne ii Lutherani, quibus jam ea dogmata displiceot, causentur sacram Tridentinam Synodum chymeram confinxisse eum subsequentem canonem edidit: *Si quis dixerit, eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: Demum illum esse dolorem coactum, & non liberum ac voluntarium, anathema sit.* Eum vero sacri Concilii canonem duplici conclusione explicemus oportet.

Conclusio 1. Contritio est actus pius, & bonus.

Probatur ex Scriptura quæ asserit 1. contritionem sacrificium esse quod Deo acceptum sit. *Cor contritum* (inquit David Ps. 50.) & *humiliatum Deus non despicies.* Asserit 2. Deum ad eos accedere qui tribulato, idest contrito suot corde. *Prope est Dominus* (inquit Isajas cap. 66.) *iis qui tribulato sunt corde.* Asserit 3. contritionem impiis a Deo præcipi: *Scindite corda vestra.*

Probatur 2. ratione. Ut actus sit pius, & bonus tria requiruntur: 1. ut secundum substantiam sit honestus, 2. ut habeat finem rectum; 3. ut fiat ex auxilio gratiæ. Atqui tria illa io contritione reperiuntur. Primo quidem actus contritionis est hooestus secundum substantiam, cum in detestatione vitæ veteris, & in proposito novæ totus occupetur. Secundo habet finem rectum, cum contritio, de qua loquitur Concilium Tridentinum, præcipue nascatur ex inchoato amore justitiæ seu ex eharitate quæ, ex Apostolo, finis est legis. Nec obstat quod plerumque illi charitati admixtus sit gehennæ timor; ille nimirum timor in se ac secundum speciem, bonus est, & utilis cum a Christo probatus fuerit. *Timete eum qui potest, & animam & corpus perdere in gehennam*, & cum in actu contritionis, amori justitiæ ad quem viam pandit, subordinetur. Tertio, Actus contritionis elicitur ex impulsu Spiritus sancti non quidem inhabitantis, sed moventis: neque enim (ut suo loco dicemus) liberum arbitrium per se potest, ut oportet, odisse vitam veterem, & novam propoo:re.

Objicies. Gehennæ timor qui in contritione continetur proprius est legi veteri, ac proinde Judæos, seu hypocritas facit, non autem Christianos qui Deum adorent in spiritu, & veritate. 2. Justificationis causæ, seu fidei specialis misericordiæ, omnino contrarius est, cum importet salutis ac justitiæ incertitudinem, quam misericordiæ specialis fides essentialiter excludit. Ergo, &c.

Resp. ad 1. gehennæ metum ad utramque legem spectare cum in utroque testamento Deus gravissimas pœnas impiis minetur; unde gehennæ metus per se, seu si aliunde non adsit mala circumstantia, hypocritas non facit, imo viam parat ad justitiam: *Si nullus est timor* (inquit Augustinus tract. 5. in Epist. Joannis) *non est qua intret charitas*. Nec adversarii solutionem enervant, cum reponunt timorem gehennæ esse timorem servilem qui Euangelium dedecet, cum sit inordinatus (utpote ajunt) magis timens pœnam quam culpam. Non enervant (inquam). Siquidem (ut observat Bellarminus) servilitas illa per se non convenit timori, sed per accidens tantum, ratione nimirum subjecti in quo reperitur. Doctissimi Cardinalis verba quod traditionis mentem circa timoris naturam clare explicent, hic describemus. *Respondeo*, (inquit lib. 2. de Pœnit. cap. 18.) *argumentum recte probat eos qui timorem servilem habent, inordinatos ac malos esse, non tamen ipsum timorem inordinatum esse ac malum. Nam timor servilis non dicitur servilis ab aliqua forma servilitatis sibi intrinseca, & essentiali, sed a forma servilitatis extrinseca sibi, intrinseca autem subjecto suo. Dicitur enim timor servilis quia reperitur in servis, quasi diceretur timor servorum, quomodo fides informis est fides hominum peccatorum, sed ipsa non est peccatum, quia infirmitas est conjuncta cum fide, sed non est illi intrinseca. Itaque qui serviliter timet, malus est, quia pluris facit pœnam quam culpam, sed timor ipse non est malus, sed bonus: quia non ideo ille est malus quia vehementer timet pœnam, sed quia non vehementius timet culpam: quod autem non vehementius culpam timeat, non oritur ex timore pœnæ, sed ex defectu charitatis.*

Resp. ad 2. argumentum esse de non supponente; neque enim impius (ut supponunt adversarii) per misericordiæ specialis fidem, justificationem consequitur. Rationes, quibus ea responsio nititur, legere est in alio nostro opere quod aliquibus abhinc mensibus publicam in lucem prodiit sub hocce titulo, *Institutiones Theologicæ ad usum Seminariorum*.

Conclusio 2. Actus contritionis non est extortus, & coactus, sed maxime liber.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ contritionis actum impiis præcipit, ut his in locis videre est: *Scindite corda vestra*. *Pœnitentiam agite*. *Nunc annunciat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant*. At sub præceptum non cadunt quæ non sunt libera. 2. Ratio, & experientia docent eum, cui pœna proponitur, posse aut temperare a malo propter quod minæ intentantur, aut illud amplecti. 3. Inane est Lutheri fundamentum; neque enim (ut ipsi visum est) Contritio est actus ex legis minis compositus, qui proinde necessarius sit, sed est vitæ veteris odium, & novæ propositum quæ ex illo metu libere concipiuntur: unde Apostolus 2. ad Corinth. 7. metum illum a Pœnitentia seu contritione distinguit: *Gaudeo* (inquit) *non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*.

Articulus Secundus.

Utrum Contritio debeat esse vera?

Nonnulli censent contritionem fictitiam satis esse ut quis Sacramenti gratiam recipiat, modo invincibiliter (ut ajunt) existimetur vera contritio. Contrariam sententiam propugnant ii Theologi qui ad Scripturæ, & Traditionis regulas sua dogmata exigunt.

Conclusio. Ad consequendum effectum Sacramenti requiritur vera ac sincera contritio.

Probatur 1. ex eo quod Scripturæ ei tantum indulgentiam polliceantur, quem vere ac sincere pœnituerit. *Cum averterit se impius ab impietate sua* inquit Deus Ezech. 18.) *ipse animam suam vivificabit*. Non avertit vero is in quo affectus ad impietatem dominatur, licet charitatem dominari putet. *Et vidit Deus opera eorum* (inquit Scriptura de Ninivitis Jonæ 3.) *quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus est ut faceret eis & non fecit*. Locus ille *veræ* conversioni, non quæ vera tantum existimata fit a Ninivitis, peccatorum remissionem adscribit. *Convertimini ad me ex toto corde vestro in jejunio, & fletu & planctu* (inquit Deus Joelis 2.) *& scindite corda vestra &c.* At quis eam coversionem ex toto corde dixerit quæ tantum in impii apprehensione non in illius corde sedem habeat? 2. Sententia quam impugnamus sacri Concilii Tridentini expressæ definitioni repugnat. Non est dubium quin Sessione 14. cap. 4. de vera Contritione disserat: At contritionem, de qua agit, definit quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam remissionem peccatorum: *Fuit autem* (inquit) *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. 3. Impius de quo hic agitur vel effectum Sacramenti consequeretur vi actualis receptionis Sacramenti, vel ex ejus Voto, vel ex divina promissione. Sed neutrum dici potest: Non primum, saltem in Systemate Thomistarum, quibus placet actus pœnitentis esse materiam ex qua constet Pœnitentiæ Sacramentum: Quemadmodum ergo apparens, & ficta materia non satis est, ut alia Sacramenta etiam quoad substantiam valeant, ut in baptismo videre est; ita nec in Pœnitentiæ Sacramento putata, sed falsa contritio non satis est, ut Sacramentum valeat. Alterum quoque dici non potest; siquidem ex Concilio Tridentino perfecta contritio ordinarie requiratur, ut impius cum Sacramenti voto gratiam justificationis adipiscatur. At quæ ratione perfecta erit contritio quæ non re, sed nomine tantum est contritio? Neque tertium potest asseri; cum (ut jam fuit observatum) nemini Deus veniam pollicitus sit, nisi vere converso sit; unde in Scripturis de iis conqueritur qui externam pietatis speciem præ se ferentes, veritatem ejus abnegarunt: *Populus iste labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me*.

Objicies. Dogma de necessitate veræ contritionis ad recipiendum, saltem cum fructu Sacramentum Pœnitentiæ multos scrupulos generat. Quantumcumque enim quis de peccato doleat, cum non valeat propriam suam dispositionem cognoscere, dubitare semper poterit, num vera sit ac sincera contritio quam experiri sibi videtur. Ergo dicendum est putatam contritionem, (licet in se fictam) satis esse, ut Sacramenti effectus habeatur.

Resp. pœnitentem debere deponere anxietatem animi circa veritatem suæ contritionis, cum experitur se adhibuisse moralem diligentiam ad habendam veram contritionem. Signa autem adhibitæ moralis diligentiæ varia sunt quæ hic enarremus oportet.

1. Peccator attendere debet an contritionis donum humili, & perseveranti oratione a Deo poposcerit: nisi enim Deus cor peccatoris potentissima sua gratia ad contritionem emolliat, cassi sunt, & inutiles illius conatus, unde in Scripturis dicitur: *Post quam convertisti me, egi pœnitentiam*.

2. Cavere debet impius ne velleitates seu inefficacia conversionis desideria accipiat pro integra conversione. Velleitates hujusmodi cum affectu ad peccatum mortale sæpius in hominis corde reperiuntur, ut suo exemplo hisce verbis docet Augustinus lib. 8. Confessionum cap. 5. *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*. In eo vero statu S. Doctor asserit se velleitates illas expertum fuisse: *Voluntas autem nova quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roborandam*.

3. Expendat necesse est an laboraverit ad obtinendum divinum amorem, qui quidem (ut infra dicemus) si in voluntate non dominetur, non aderit suffi-

ciens

ciens contritio. Cogitet an occasiones quæ ad peccatum pelliciunt, sedulo declinaverit seu executioni mandarit illud Christi præceptum in Euangelio: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.*

4. Si lethalium peccatorum consuetudine irretitus fuerit, meminerit difficillimam esse sui curam; ac proinde concludat se eam assecutum non fuisse si illi comparandæ breve tempus, leves labores insumpserit. *Si alicui pes frangatur aut manus* (inquit Augustinus Sermone 58. de Tempore) *cum labore solet ad pristinum officium revocari. Si vero secundo & tertio & adhuc frequentius in eodem loco membra ipsa franguntur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt, & tamen post longas & multas tribulationes, vix erit antequam ad pristinum statum membra ipsa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis seu vulneribus esse credenda est. Si semel aliquis vel secundo peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad Pœnitentiæ medicamentum confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate recipiet. Si vero peccatis peccata cœperint addi, & animarum vulnera magis tegendo vel defendendo putrescere, quam confitendo & pœnitendo curari, timendum est ne in illo impleatur quod ait Apostolus, An ignoras quia benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiem cordis tui, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram &c.*

5. Si impius suam contritionem diuturniori & constanti pietatis praxi nondum probaverit, expendat an ab eo qualicumque tempore quo scelera detestari sibi visus est, cum bonorum aut vitæ periculo generosum aliquod opus propter Christum susceperit; quod quidem si deprehenderit, non temerario conjiciet se esse contritum. Sic enim judicavit S. Cyprianus a Caldonio Episcopo & aliis interrogatus de nonnullis fidelibus qui post lapsum iterum tenti, Christum confessi fuerant: *Cum* (inquit) *abluerint omne delictum & maculam primam assistente sibi Domino, posteriore virtute deleverint, jacere ultra sub Diabolo quasi prostrati non debent, qui extorres facti & bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se & cum Christo stare cœperunt. Atque utinam sic & cæteri post lapsum pœnitentes in statum pristinum reformentur,*

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum Contritio debeat esse supernaturalis?

CONclusio. Actus contritionis necessario debet esse supernaturalis.

Probatur. Contritio, licet imperfecta, ex Concilio Tridentino, impium disponit ad recipiendam gratiam in Sacramentis tum Baptismatis, tum Pœnitentiæ. Ergo debet esse supernaturalis: siquidem hæreticum est asserere actum ordinis naturalis præparare ad gratiam sive actualem sive habitualem. Huc pertinent ea omnia Scripturæ loca quæ Augustinus olim Pelagianis & Semipelagianis objecit: Huc quoque refertur aperta Concilii Tridentini definitio Sess. 6. cap. 6. ubi hæc habentur: *Declarat præterea* (sancta Synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse.* Ejusdem Sess. can. 3. hæc etiam leguntur: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, atque pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Audiendi non sunt recentiores quidam, qui ut vim argumenti eludant, respondent non satis esse quidem contritionem naturalem sic cognitam, ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, secus vero, si a pœnitente supernaturalis existimetur. Non sunt (inquam) audiendi. 1. Quantumcumque probabiliter pœnitens judicet suam contritionem esse supernaturalem, si a parte rei non sit hujusmodi, aut nullum erit Sacramentum, aut saltem nulla peccati remissio; Nam cum partes Sacramenti, aut saltem dispositiones ad ipsum cum fructu recipiendum necessariæ sint ex institutione divina, si non sint hujusmodi, quales Christus per suam institutionem esse voluit, nihil omnino a ministro conficitur, aut saltem pœnitens nullam omnino gratiam consequitur. 2. Se habet Deus respectu peccatoris sicut creditor respectu debitoris: Ergo quemadmodum creditor non remittit debitum homini qui pro vero auro, quod debebat, præberet auricalcum, quantumvis crederet esse verum aurum: Ita nec Deus remittit scelus reo, qui pro actu supernaturali, qui exigitur, naturalem tantum elicit, eum esse supernaturalem arbitretur.

Quæres quibus indiciis pœnitens possit conjicere suam contritionem esse supernaturalem?

Resp. præcipuum indicium esse motivum, quod quis sibi in suo dolore proponit. Debet nimirum pœnitens perpendere an doleat ex amore justitiæ, & ex odio offensæ Dei, an solo timore pœnæ: Si primum sentiat, vel prudenter ex conjecturis judicet; Certus erit moraliter dolorem suum esse supernaturalem; Si secundum advertat; de suæ contritionis supernaturalitate cum fundamento dubitabit. (Ut enim summi Pontifices collegerunt ex Augustino, redegeruntque in Axioma juris canonici, titulo de regulis juris in sexto,) *Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debet facit, & ideo jam non facit.*

Ex allata responsione infertur alienam esse a veritate doctrinam recentiorum quorumdam, qui asserunt satis esse ad recipiendam gratiam in Sacramento ut impius de suo peccato doleat, quod Deus in illius vindictam temporali quadam calamitate sævierit, non satis esse vero si doleat sine ullo ad Deum respectu, seu si non crediderit calamitatem illam temporalem a Deo esse ut a causa. Ratio cur ea doctrina falsa sit, petitur 1. ex Augustino, qui conceptis terminis illam rejicit; hæc enim scribit in Psalm. 77. de Judæis loquens: *Qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant, quia eo modo, timore servili non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur, hoc enim colitur quod diligitur.* Porro falsissimum est actum, per quem diliguntur temporalia, & per quem Deus non colitur, esse supernaturalem. Præterea idem Augustinus capit. 15. de gestis Pelagii, sic loquitur: *Qui propter illa terrena suscipit legem Dei, ipse est hæres veteris testamenti: Ea quippe secundum vetus testamentum promittuntur, atque tribuuntur, quæ secundum veterem hominem concupiscuntur.* Atqui dici non potest actum qui pertinet ad veterem hominem & ad vetus testamentum, prout opponitur novo, esse supernaturalem. Petitur 2. ex eo quod dolor, qui solum ex inflicto aliquo malo temporali nascitur, communis sit bonis & iniquis vel potius peculiaris videatur iis, qui mundum & ea, quæ sunt in mundo depereunt. Eo enim magis homines afficiuntur amissione rerum terrenarum, quo mundum intensiori cupiditate prosequuntur. Econtra viri pii, vel nequaquam dolent ubi temporale detrimentum passi sunt, vel saltem ejusmodi detrimento non perturbantur, quod nimirum bona fluxæ ac labentis naturæ ipsis minime sint cordi. At dolor, qui ex mundi amore præcipue nascitur; nec est nec dici potest supernaturalis.

Rationum illarum vim non enervat quod nonnulli reponunt, asserentes ad conciliandam actui seu dolori, de quo est quæstio, supernaturalitatem, necessarium esse, ut pœnitens illas temporales pœnas perpendat tamquam immissas aut immittendas a Deo propter commissum peccatum aut committendum. Non enervat (inquam) Nam 1. viri sæculo maxime addicti norunt satis, cum fidem non amiserint, se a Deo castigari in vindictam suorum scelerum: Sic avarus, qui dolet propter amissas opes, certo judicat se illis opibus a Deo fuisse spoliatum in pœnam peccatorum, quorum reus est. Atqui impium est asserere avari illius dolorem esse supernaturalem. Ergo, &c. 2. Dæmones dolent de peccato a se commisso; non quod Deo displiceat, sed quod causa sit cur durissimos cruciatus patiantur, advertunt quoque infligi sibi a Deo cruciatus hujusmodi in peccati vindictam: Et tamen dæmonum dolorem nemo supernaturalem dixerit.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Contritio debeat esse universalis?

DUO hic quæri possunt 1. utrum Contritio debeat se extendere ad omnia crimina, quæ admissa sunt ab impio. 2. Utrum tot in individuo debeant esse actus contritionis quot sunt peccata specie aut numero diversa.

Conclusio 1. Contritio ita debet esse universalis, ut se se extendat ad omnia crimina, quæ admissa sunt ab impio.

Probatur 1. authoritate scripturæ, Ezechielis 18. hæc Deus ait: *Si impius egerit pœnitentiam ab* OMNIBUS *peccatis suis, quæ operatus est,... omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor... Convertimini & agite pœnitentiam ab* OMNIBUS *iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ex iis verbis patet Deum, ut impio peccata dimittat, exigere pœnitentiam, (quæ quidem idem est cum Contritione) non tantum de uno aut altero peccato, sed quæ ad omnia, nullo excepto, se se extendat.

Probatur 2. ratione. Pœnitens non potest ut oportet, unum peccatum mortale detestari, quin omnia, quorum reus est, detestetur; Siquidem ut detestetur peccatum, ut oportet ad justificationem consequendam, debet illud detestari, quatenus est Dei offensa; Ergo cum offensa Dei omnibus peccatis sit communis, detestando unum, ut oportet, necesse est ut cætera detestetur.

Objicies. Nonnulla sunt peccata, quæ ita sunt occulta, ut pœnitentem, etiam post diligens examen, lateant: ergo contritio ad ea non se extendit: Et tamen tunc satis est ut impius gratiam in Sacramento recipiat.

Resp. concesso ant. neg. conseq. Ratio est quia in casu allato Contritio virtualiter se extendit ad peccata, quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt. Eodem enim modo de Contritione, ac de Confessione ratiocinandum est. Sed, ex Concilio Tridentino, peccata, *Quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum: eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine.*

Conclusio 2. Ut Contritio sit universalis, non requiritur, ut tot sint numero Contritionis actus, quot sunt peccata specie, aut numero diversa: Sed satis est unicus actus, qui ad omnia se se extendat.

Probatur prima pars. 1. Nonnumquam (licet per accideas) periculosum est revocare in memoriam singulos in individuo actus peccaminosos. Nam (ut advertit Estius) meretrix, quæ per decem annos v. g. sui ipsius fecit copiam, cogitando de singulis in individuo actibus ad novum consensum induci posset. Ergo saltem in illo casu, non est necesse ut numerus actuum contritionis peccatorum numero respondeat; voluntas enim ea tantum sigillatim detestari tenetur de quibus intellectus tenetur sigillatim cogitare. 2. Id quoque non est necessarium, cum tempus propter imminens vitæ periculum, non suppetit: quippe quod tunc satis sit generalis contritio de peccatis universim & confuse sumptis; hæc enim habentur Ezechielis 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die* (id est secundum interpretationem Patrum in quocumque momento) *conversus fuerit.* At unico illo instanti impius non potest peccata omnia sigillatim in memoriam revocare. Satis est ut tunc interno cordis affectu generatim dicat PECCAVI. 3. Nullo Scripturæ aut Patrum loco probari potest tot in individuo requiri actus contritionis, quot in individuo extiterant actus peccaminosi. Ergo jugum illud, alioquin durum, & innumerorum scrupulorum fons & origo, non debet fidelibus imponi.

Probatur altera pars. Unus numero contritionis actus se se potest extendere ad ea omnia peccata, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, ita ut omnia simul & singula detestetur, non absimili ratione qua oculus corporeus per unicum actum visionis multa & specie & numero objecta præsentia simul intueri potest.

Objicies 1. hæc verba Catechismi Romani secunda parte numero 39. *Maxime autem hortandi, & monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant.* Censent igitur authores laudati Catechismi tot necessarios esse actus contritionis, quot sunt peccata specie & numero distincta.

Resp. voce, *hortandi sunt*, qua Catechismus utitur, significari praxim quæ recensetur, consilium esse non vero præceptum.

Instabis. Catechismus probat adhibendum esse proprium contritionis actum ad singula peccata mortalia, probat (inquam) his verbis Ezechiæ apud Isaiam; *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sed illa verba præceptum continent. Nam Concilium Tridentinum Sessione 14. cap. 4. iis verbis utitur ut odium vitæ veteris ad justificationem requiri contra Lutheranos demonstret.

Resp. laudata verba præceptum simul & consilium continere; præceptum quidem, quatenus singulorum in numero & specie peccatorum detestationem præscribunt; consilium vero, quatenus suadent, ut exemplo Regis Ezechiæ, pœnitentes tot actus contritionis eliciant, quot admiserunt peccata. Merito igitur iis verbis usa est Sacra Synodus ut probaret odium vitæ veteris esse necessarium ad impii justificationem; Catechismus vero Romanus, ut quod dabat consilium, firmaret.

Objicies 2. Peccator tenetur jure divino in memoriam revocare singula in specie & numero peccata; modo illi per tempus liceat, nec novi consensus periculum immineat: debet enim & species & numerum delictorum suorum confiteri: unde liber de vera & falsa religione, qui tribuitur Augustino, hæc habet: *Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in veritate, in persona.* Ergo pariter necesse est ut ea tum secundum speciem, tum secundum numerum confiteatur ac detestetur.

Resp. verum esse totum argumentum; At dico, ut quis singula peccata & secundum numerum & secundum speciem detestetur, non requiri ut tot in individuo actus contritionis eliciat quot admisit peccata, sed satis est ut eliciat unicum qui ad peccata & secundum numerum & secundum speciem cognita se se simul extendat.

Quæres, utrum ex sola Christi ordinatione ad impii justificationem requirantur peccatorum & secundum speciem, & secundum numerum examen nec non detestatio, quæ omnia sic sigillatim cognita respiciat.

Resp. Cajetanus affirmative: censent nimirum non tantum in lege Mosaica, sed etiam in nova satis esse contritionem de peccatis in communi extra actualem Sacramenti Pœnitentiæ receptionem quamvis (inquit) in ipso Sacramento satis non sit. Resp. Dominicus Soto negative. Idque videtur nobis probabilius, quia ante legem Euangelicam, discussionem illam singularem, odiumque particulare fuisse necessaria docere videtur Scriptura Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis vita vivet.* Ezechias apud Isaiam, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Igitur non ex sola ordinatione Christi, sed & ante ejus adventum, illud examen & illa detestatio erant ad justificationem impii absolute necessaria.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Contritio sit necessaria necessitate medii?

NEcessitas medii considerari potest vel per respectum ad peccata mortalia, vel in ordine ad venialia; unde duo hic explicanda sunt. 1. Utrum contritio sit necessaria necessitate medii ad justificationem impii. Alterum, utrum ad peccatorum venialium remissionem eadem necessitate requiratur.

§. I.

Utrum Contritio, sit necessaria necessitate medii ad peccatorum mortalium remissionem?

CONclusio. Contritio impio necessitate medii necessaria est ad justificationem. Ita definit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4 His verbis: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.*

Probatur. Contritio duo dicit, odium vitæ veteris, & propositum novæ. Atqui utrumque impio semper necessarium fuit necessitate medii ad justificationem, Ergo &c. Probatur prima pars Minoris. Ezechielis 18. hæc habentur: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet, & non morietur.* Ergo si eam non egerit, nequaquam vivet, ut aperte Christus ipse exponit in Euangelio, cum ait: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Secunda pars ejusdem Minoris ostenditur 1. ex eo, quod esse non possit necessarium odium vitæ veteris, quin etiam amor novæ requiratur; Siquidem (ut jam supra diximus) odium rei alicujus fundatur in amore rei oppositæ. 2. Justificatio duo dicit, aversionem a bono commutabili, & conversionem ad bonum incommutabile juxta illud Zachariæ primo cap. *Convertimini ad me, & Ego convertar ad vos.* Atqui conversio ad bonum incommutabile est idem cum vitæ novæ proposito, siquidem est ipsum Deum super omnia diligere, ac proinde constans est voluntas servandi latam ab eo legem: *Qui habet mandata mea, & servat ea,* (inquit Christus apud Joannem) *ille est qui diligit me.*

Cyprianus ad calcem libri de Lapsis, eam de qua agimus, contritionis necessitatem hisce verbis probat & exponit: *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum &c. Convertamur ad Dominum mente tota & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat, illi mæstitia satisfaciat, illi spes omnis incumbat, Rogare qualiter debeamus dicit ipse, Revertimini (inquit) ad me ex toto corde vestro, simulque & jejunio & fletu & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Ad Dominum toto corde redeamus. Si precem toto corde, quis faciat, si veris Pœnitentiæ lamentationibus & lacbrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat; misereri talium potest &c. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere.*

Non positiva tantum Christi lege, sed & naturali cuique impio ad justificationem contritio necessaria est: Fieri enim non potest, ut qui Deum per sui conversionem ad creaturam mortaliter offendit, in gratiam cum eo redeat, nisi prius sese avertat a creatura, & ad Deum convertatur. Naturali reconciliationis legi repugnat, ut quis cum eo reconcilietur dum adversus eum, inimicum animum gerit.

Objicies 1. Scriptura fidei cum baptismo conjunctæ salutem adscribit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* (inquit Christus Marci ultimo) *salvus erit.* Eam pariter eleemosynæ tribuit, Lucæ 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Confirmatur ex eo, quod Baptismus gratiam in parvulis absque ullo pœnitentiæ motu operetur. Ergo & in adultis; Non enim istorum respectu minor est Sacramenti virtus, quam illorum.

Resp. fidem, de qua Christus Marci ultimo, esse fidem, quæ per dilectionem operatur: Ea autem dilectio movet impium ad pœnitentiam, qua quidem dispositive justificetur. Idem est de eleemosyna dicendum, cum hoc tamen discrimine, quod sit tantum remota ad impii justificationem dispositio, quatenus scilicet est medium aptissimum, quo singulare donum Contritionis a Deo obtineatur. Ad Confirmationem dico paritatem non valere: quemadmodum enim divinam decet bonitatem, ut parvuli, qui sine actu proprio peccaverunt; etiam sine prævia actuali dispositione justificentur; Ita exigit divina justitia, ut adulti, qui per actus proprios facti sunt rei, per actus etiam proprios justitiam consequantur. *Per fidem Ecclesiæ* (inquit Augustinus sive author libri de vera, & falsa pœnitentia capite 8.) *sola remittuntur peccata, quæ contraxit homo in origine: Ut sicut a patre peccante damnationem accepit, ita per matris Ecclesiæ fidem consequatur remissionem. Sed qui per se peccavit: per dolorem proprium & fidem Ecclesiæ, indulgentiæ acquisivit.*

Juenin de Sacram.

Objicies 2. Potest contingere, ut peccator sine sua culpa, peccati, cujus reus est non meminerit: & tamen poterit a Deo veniam illius obtinere; si nempe actum charitatis Dei super omnia eliciat; alioquin homo in illo statu esset sine possibili ad justificationem consequendam remedio: quod quidem absurdum videtur. Ergo pœnitentia, prout odium vitæ veteris includit, non est necessitate medii ad salutem necessaria.

Respondent aliqui veram esse consequentiam in solo casu, de quo argumeotum. Id (inquiunt illi authores) patet exemplo baptismi, quem si quis invincibiliter ignoret, cognoscat tamen explicite Trinitatis & Incarnationis mysteria, sine expresso illius Sacramenti voto justitiam consequi potent; quamvis illud idem Sacramentum in nova lege catechumeno necessitate medii ad justificationem sit necessarium. Respondent alii Theologi negando antecedens argumenti; In illo enim casu (inquiunt) contritio virtualis, in eo posita est, quod peccator ille actu detestetur id omne, quod Deu displicet, sive illud noverit, sive non noverit; Consulantur eo de argumento, quæ superius de essentia contritionis differentes diximus.

Objicies 3. Actus charitatis Dei super omnia satis esse videtur ad justificationem impii: Siquidem 1. Petri 1. *operit multitudinem peccatorum:* Efficit, ut diligamur a Deo: *Qui diligit me* (inquit Christus) *diligetur a Patre meo.* Reddit nos Dei filios: *Omnis, qui diligit* (ait Joannes) *ex Deo natus est.* Atqui quod operit peccatorum multitudinem; quod efficit, ut homo a Deo diligatur, quod hominem reddit Dei filium, satis est ad justificationem impii. Ergo vitæ veteris odium non requiritur: ac proinde nec contritio, quæ illud odium essentialiter includit.

Resp. charitatem eos omnes effectus, de quibus argumentum, in impio parere, eo quod eum ad pœnitentiam moveat; non parere vero si sola, & in se tantum consideretur. Nam 1. Lutherus a Leone X. & a Concilio Tridentino damnatus fuit, quod doceret explicitam vitæ veteris detestationem ad justificationem impii non requiri, contenderetque satis esse novæ vitæ propositum. Ergo cum actus charitatis, quantumcumque sit perfectus, explicitam illam detestationem non includat, per se solum non potest esse sufficiens dispositio ad impii justificationem.

Instabis. Charitatis actus est pœnitentia virtualis; proindeque virtualiter includit præteritorum peccatorum detestationem. Sed virtualis pœnitentia est sufficiens dispositio ad justificationem. Ergo &c.

Resp. concessa majore, negando minorem. Ratio petitur ex iis, quæ superins dicta sunt de essentia contritionis, ostendimus nempe explicitum odium vitæ veteris, & explicitum propositum novæ in ea essentialiter requiri. Respondet Dominicus Soto: neg. maj. quia (inquit) charitas ex se nullam dicit ordinem ad vitam præteritam, sed tantum ad præsentem, & ad futuram; Idque patet in viro, qui inimicum suum injuria affecit; quamvis enim eum postea sincere diligat, & proponat se eum deinceps dilecturum; ea tamen præsens in eum charitas non complectitur præteritæ injuriæ pœnitentiam, siquidem cum illa dilectione, & cum illo proposito stet, ut ejusmodi injuriæ nequaquam eum pœniteat: fieri potest, ut non doleat quod alias suæ libidini lædendo inimicum fecerit satis, quamvis ab inferenda deinceps injuria temperare proponat.

§. II.

Utrum Contritio sit justo necessitate medii necessaria ad venialium remissionem?

CONclusio. Contritio est homini justo necessitate medii oecessaria, ut venialium remissionem consequatur.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ ubi asserit contritionem esse necessitate medii necessariam ad remissionem peccatorum, inter mortalia & venialia non distiuguit. Ostenditur 2. his Augustini verbis Epistola 48. *Ne quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque sive magno, sive parvo peccato ad correctionem sinepœnitentia posse transire.* Probatur 3. hac ratione. Peccatum veuiale positum est, inordioato amore creaturæ: Ergo ut remittatur necesse est ut ille præteritus amor tollatur: non tollitur autem, uisi displiceat: non displicet vero nisi per contritionem. Ergo &c.

Objicies 1. vel cum contritione ad remissionem peccati venialis requiritur actualis receptio Sacramenti, aut salrem illius votum: vel non requiritut: Si primum, Deus æque difficilem reconciliationis modum pro veuialibus iustituit ac pro mortalibus; quod quidem videtur falsom; uec enim Princeps tantum exposcit ab amico, a quo leviter læsus est, quantum ab eo a quo proditus fuit; Si secundum; qui reus est venialium tantum, frustra accederet ad Sacramentum, quippe quod jam per contritionem adeptus eorum veniam nihil omnino per Sacramentum reciperet.

Resp. 1. ad venialium remissionem, satis esse contritionem sine ullo ordine ad Sacramentum, cum (ut superius dictum est) aliis remediis quam Sacramento curari possint. 2. Dici potest ei qui venialium indulgentiam per contritionem obtinuit, inutile non esse Sacramentum: auget enim habitum gratiæ sanctificaotis, & dat jus ad auxilia actualia, quibus veniales noxæ deinceps vitari possint.

Objicies 2. Ad remissionem venialium ea contritio satis est, qua impius suum peccatum mortale detestatur; quod enim remittit gravius, a fortiori minus grave dimittit. Ergo saltem in eo casu, non est uecessaria cootritio, quæ se ad venialia peccata extendat.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia peccatum veniale non tollitur nisi per actum ei formalirer oppositum, sed Contritionis actus, qui versatur circa peccata mortalia, oon est oppositus peccato veniali: nam affectus ad peccatum veniale stat com contritione per quam quis ctimina detestatur: oec mirum cum stet cum ipsa etiam gratia saoctificante, ut olim Ecclesia definiit contra Pelagianos, apud quos palmarium erat axioma, hominem justum sine privilegio speciali posse diu esse absque ullo peccato veniali. Eadem ratiooe conficitur omnia peccata venialia iis tantum simul remitti qui omnia & singula detestantut: Nec mirum, unius enim peccati venialis pœnitentia non excludit cujuslibet alterius amorem, ut patet io eo qui verbis otiosis delectatur quamvis vanam gloriam oderit.

Objicies 3. Aug. lib. 50. hom. 1. hom. 28. asserit peccata venialia dimitti per recitationem orationis Dominicæ: *Propter ipsa peccata humana & tolerabilia* (inquit) *& tanto crebriora, quanto minora, constituit Deus in Ecclesia tempore misericordiæ prærogandæ quotidianam medicinam, ut dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, ut his verbis læta facie Corpore Christi & Sanguine communicemus.* Nixus eo principio S. Doctor asseruit, duplicem esse baptismum in Ecclesia, unum qui semel confertur, alterum, qui singulis diebus iteratur. Hac doctrina Catechumenos imbuit lib. 1. cap. 7. de Symbolo ad Catechumenos; *Propter omnia peccata* (inquit) *Baptismus inventus est; propter levia sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra. sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione.* Idem sic repetit Serm. 119. de tempore: *Quoniam victuri sumus in isto sæculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola absolutione sacri Baptismatis, sed etiam in oratione Dominica & quotidiana, quam post octo dies accepturi estis. In illa invenietis, quasi quotidianum baptismum vestrum, ut agatis Deo gratias, qui donavit hoc munus Ecclesiæ suæ.* Ergo, ex Augustino, ad venialium remissionem cootritio oon est necessaria necessitate medii.

Resp. Augustinum supponere recitari orationem Dominicam com aliqua præteritorum peccatorum displicentia. Et sane concipi uequaquam potest debito modo hæc verba recitari, *Dimitte nobis debita nostra*, nisi ab iis quibus debita displicuerint. Sicut in humaois non recte petitur veuia nisi petentem delicti exterius pœniteat: ita nec a Deo exposcitur, quo par est modo, oisi qui petit, peccatum suom quantumcumque leve sit, interius detestetur.

Objicies 4. Scholastici quidam asserunt peccata venialia condonari per usum Sacramentalium, cujusmodi suut benedictio, quam impertiuntur Episcopi, applicatio cerei qui sacra aliqua ceremonia consecratus fuerit, aspersio aquæ lustralis, & cætera hujusmodi. Ergo ad remissionem venialium cootritio non est absolute necessaria.

Resp. ab iis Scholasticis qui docent peccata veoialia ex opere operato per Sacramentalia deleri, eo in capite propugnari doctrinam, quæ Traditionis authoritate non nititur. Et vero, cum Sacramentalia, non a Christo, sed ab Ecclesia instituta fuerint, promissio gratiæ com eis conjuocta non fuit, seu Deus nullo promisso adstrinxit se ad gratiam conferendam iis, qui Sacramentalibus uterentur. Dicendum est igitut Sacramentalia ad venialiom remissionam concurrere per modum impetrationis; Ecclesia scilicet iis orationibus, quibus ad Sacramentalium consecrationem utitur, a Deo exposcit ut iis, qui Sacramentalia adhibituri sunt, conferantur auxilia actualia, quæ justos moveant ad venialium detestatiouem: sed Ecclesia non obtinet semper pro omnibus ejusmodi auxilia, eo quod (ut dictum est) uon sit Dei promissio ei similis, qua Deus obstrinxit se ad gratiam elargiendam iis, qui debite usuri essent, Sacramentis, quæ ab eo fuernot iostituta.

Quæres utrum contritio, quæ pro venialium remissione requiritur; sit prorsus ei similis qua opus est ad mortalium indulgentiam.

Resp. negative. Nam 1. non requiritur contritio singularis de singulis in individuo aut in specie peccatis venialibus, hoc est, non est oecesse, ut iu mente singularis eorum discussio fiat, quæ tamen pro lethalibus requiritur. 2. Venialium Contritio non includit confessionis propositum, sine quo tamen mortalia in Evaugelica lege noo dimittuntur. 3. Non est opus, ut venialium odium sit explicitum & formale, siquidem virtuale satis sit juxta S. Thomam qui 3. part. q. 87. art. 1. in Corpore, sic loquitur: *In eo, quod aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum & res divinas, ut quidquid sibi occurrat, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se hoc commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret; quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.*

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum Contritio sit necessaria necessitate præcepti?

NEmo Catholicus dubitat, quin Contritio impiis sit necessaria necessirare specialis præcepti Naturalis, Divini, & Ecclesiastici. Siquidem 1. ipso ratioois lumine docemur impium ex triplici capite ad Pœnitentiam teneri: Ex lege nimirum justitiæ, quam infregit dum Deo per suum peccatum intulit injuriam: Ex lege charitatis, qua quisque uaturali jure tenetur Deum super omnia diligere, ac proinde dare operam, ut Dei amicitiam ex qua peccans excidit, recuperaret. Ex lege etiam charitatis iu se ipsum, seu amoris proprii boui, cui consulere non potest oisi eum criminum pœniteat. 2. Deum jure positivo contritionem impiis præcipere demonstrant Scripturæ textus, quos articolo superiore laudavimus. 3. Tandem idem debitum Ecclesiasticis legibus præcipi non dubitabit, qui attenderit ad præceptum semel iu auoo confitendi quod fideli cuique canones imponunt. Hoc igitur in

arti-

articulo, supposito contritionis præcepto, quo impii obstringuntur, dicemus de tempore, quo tum per se, tum per accidens urget idem contritionis præceptum.

§. I.

Quo tempore contritionis lex per se impium urgeat?

HIC expendemus 1. utrum contritionis præceptum per se urgeat impium in articulo mortis: 2. utrum extra mortis periculum peccet si contritionem protrahat.

Conclusio 1. Contritinnis præceptum *per se* urget impium in articuln mortis: ita ut peccet lethaliter si in ultima vitæ periodo non conteratur.

Probatur. Quisque in ultima vitæ periodo sibi tutn consulere tenetur: agitur enim de summa rei, seu de damnationis, aut beatitudinis æternitate: Igitur graviter peccatur, si quæ ad salutis certitudinem spectant, imo necessaria sunt, ut est contritio, impii respectu, prætermittantur. Id ita certum est, ut de eo non dubitent ii etiam authores, quibus placet attritionem mere servilem, seu cujuslibet etiam inchoati amoris expertem, satis esse impio, ut justificationis gratiam in Sacramento recipiat: sic enim loquitur Suarez in 3. part. S. Thomæ quæst. 90. Disputat. 25. art. 4. sect. 4. num. 17. *Licet sit probabilis opinio attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa; & potest esse falsa. Quod si fortasse in re ita est, probabilis illa existimatio non sufficit, ut homo salvetur. Ergo qui sciens & volens, ita se mori permittit, exponit se periculo morali æternæ damnationis. Nam ubi est morale dubium, est morale periculum, cum illa opinio nec valde antiqua, nec multum communis sit. Neque habet hic locum distinctio de dubio practico vel speculativo: Quando dubium est de re ipsa, seu effectu an fiat necne, tam dubium speculativum, quam practicum sufficit ad rem ipsam in periculo constituendam.* Eodem modn loquitur Philippus Gammachæus Tnm. 3. Summæ Theologicæ cap. 8. *Jure divino naturali* (inquit) *tenetur homo diligentissime sibi tunc consulere, nihilque prætermittere ad salutis certitudinem & securitatem spectans*: Cujus quidem asserti hancce rationem reddit, *Quia etiamsi agnoscamus Sacramentum Pœnitentiæ revera facere ex attritis contritos, non tamen id omnino indubitatum est, neque ex professo ab Ecclesia definitum tanquam de fide, & ab aliis aliter explicatur.* Idem sensit Sanchez, hæc enim scribit prima part. Summæ de casibus conscientiæ. Lib. 1. c. 9. num. 34. *Hoc tamen intelligerem* (dandam esse absnlutionem) *nisi pænitens esset in mortis articulo, atque habere posset contritionem: tunc enim esset mortale recipere, & ei Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione cognita ministrare propter grave damnationis periculum cui illi exponeretur, si forte hæc sententia non esset vera.* Eodem argumento demonstratur contritionis præceptum per se urgere non tantum in articulo mortis; sed etiam in morali vitæ periculo, in quo scilicet mors plerisque snlet accidere, ut in prælin, quod initur contra patriæ hostes, in locis ubi pestis grassatur, in longa ac periculosa navigatione.

Conclusio 2. Præceptum contritionis *per se* obligat impium ne in multum tempus suam Pœnitentiam differat.

Probatur 1. Peccat graviter contra justitiam, qui diutius quam par sit, protrahit restitutionem pecuniæ, quam furatus est. Ergo graviter quoque peccat cnntra justitiam, qui in multum temporis differt suam contritionem, cum per peccatum summam divinæ majestati injuriam intulerit, ac ab ea, quantum in se ipsn fuit, abstulerit rationem ultimi finis, dum ipsi creaturam anteposuit. Nec argumenti vim enervant qui reponunt non valere paritatem, ideo nempe (inquiunt) latro restituere tenetur ablatas pecunias, quod earum legitimus Dominus, ex earum iniqua detentione multum detrimenti pati possit, Deus vero nullum patiatur, licet debita prnpter injuriam satisfactio in plurimum tempus protrahatur; Non enervant (inquam) eo quod dilatio restitutionis sive rapti honoris, sive ablatæ pecuniæ, per se ipsam personæ læsæ & legitimo Domino noceat, quam plurimum, ac sit omnino per accidens, quod Deo non noceat: Ut quis autem reus sit infractæ justitiæ satis est, ut aliquid agat vel prætermittat ex quo, spectata rei natura, grave detrimentum consequi possit, idque in eo patet, qui de viro detrahit, cujus fama, utpote multoties probata, in periculum adduci non potest.

Probatur 2. Peccat graviter contra charitatem sibi debitam, qui in dies conversionem procrastinat; Morale nimirum periculum imminet ne in statu peccati lethalis, cujus est reus, extremam diem claudat, cum intra multum temporis, ut plurimum mors obvenire solita sit. Audiendus est eo de discrimine Gregorius Magnus hnm. 12. in Evangelia, ubi sic loquitur: *Si sciret quisque de præsenti sæculo quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, aliud pœnitentiæ aptare posset. Sed qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper ergo extremum diem debemus metuere, quem numquam possumus prævidere. Ecce hunc ipsum diem ad inducias conversionis accipimus, & tamen mala, quæ fecimus, flere recusamus.*

Objicies 1. Præcepta Fidei, Spei, Charitatis non sic quemque fidelem obligant, ut peccet graviter differendo illorum praxim: etiam in multum temporis spatium: Ergn nec sub gravi peccato præceptum contritinnis vetat ne impius in multum tempus suam conversionem differat.

Respond. 1. neg. ant. Siquidem sæpius per annum quemque fidelem urgeant præcepta specialia Fidei, Spei, & Charitatis. Rationes quibus nititur ea responsio fusius explicatas legere est in Institutionibus Theologicis, quas ad Seminariorum usum paucis ab hinc mensibus edidimus in lucem. Resp. 2. dato antecedente, neg. conseq. Ratio est, quia præcepta quibus virtutum Theologicarum praxis imperatur sunt ex iis præceptis, quæ apud Scholasticos affirmativa vocantur; præceptum vero quo Pœnitentia injungitur aliqua saltem ex parte, præceptum negativum est: eo nimirum præcepto vetamur ne Deo simus inimici, cum status ille intrinsece sit malus: unde hæc verba Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem, subito enim venit ira ejus*, non simplex & nudum consilium, sed strictam & proprie dictam legem complectuntur. Præterea (ut inquit Gregorius Magnus) *peccatum, quod per Pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.* Alterius igitur peccati periculo morali exponit sese, qui suam contritionem differt in multum tempus.

Objicies 2. cum Dominico Soto: Impius non tenetur intra certum aliquod tempus deserere statum peccati mortalis ex vi specialis præcepti Pœnitentiæ, sed tantum ex vi aliorum præceptnrum, quæ violarit: sic fur per præceptum, *Non furaberis*, tenetur abjicere furandi voluntatem, ita ut ea in voluntate permanens peccet quidem contra mandatum, quo furtum prohibetur, cum sui furti malitiam augeat; nnn peccet vero contra speciale Pœnitentiæ præceptum. Ergo impius, qui diu remanet in statu peccati mortalis, auget quidem malitiam peccati, per quod excidit ex Dei amicitia, sed aliud speciale peccatum non committit: proindeque cnntritionis præceptum *per se* non vetat, ne quis diu suam conversionem protrahat.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia licet impius, qui ex Dei gratia excidit, omnia alia legis præcepta servare supponeretur, non desineret tamen esse Dei inimicus, si actum contritionis non eliceret: siquidem distincta a contritione præcepta, quamvis vetent ne quis gerat peccandi voluntatem, per se tamen præteriti peccati displicentiam nun injungunt: unde ex vi illorum præceptorum impius non tenetur deserere statum peccati mortalis, cum non nisi per odium vitæ veteris deseri possit: Id ergo muneris est solius specialis præcepti pœnitentiæ. Peccat igitur per omissionem contra idem speciale præceptum, qui in illn statu voluntarie permanet, & quidem graviter, si in moras longiores suam conversionem procrastinet.

Conclusio 2. Impius, qui contritionis actum differt in breve tantum tempus, non peccat lethaliter, sive peccata quorum reus est, occurrant memoriæ, sive non occurrant.

Probatur. Rationes qnibns mox oftenfum eft enm peccare lethaliter, qui in multum rempus protrahit fuam converfionem, probant eum non peccare graviter, quem fui fceleris ftatim non pœnitet. 1. Qui aliquibus momentis, & aliqnot diebus pro illata proximo injuria fatisfactionem differt, aut qui extemplo rem alienam non reftituit, non fit reus novi peccati lethalis: Ergo neque impius, qui brevi tantum eft tempore abfque qnod injuriam Deo illatam refarciat, ipfique reftituat ablatum honorem. 2. Licet is grave fibi detrimentum pariat, quidum periculofe ægrotat, multum differt ufum medicinæ: ita e contra, ut plurimum non nocet fibi maxime, qui ftatim & illico remedium non adhibet. Ergo neque is, quem mox non pœnitet, grave detrimentum per fe non infert fibi: ac proinde mortaliter non peccat. 3. Ideo impius, qui per infigne aliquod tempus remanet in ftatu peccati mortalis, graviter peccat, quod lubens committat fefe morali æternæ falutis periculo: at ei non fe exponit, qui moa a peccato non conteritur cum intra breve tempus mors viro, qni alioqnin fanitate fruitur, accidere non foleat.

Objicies 1. Impius tenetur affectum peccati deponere ftatim, atque admiffum fcelus memoriæ occurrit: Ergo etiam debet ipfum per contritionem deteftari, ftatim atque illius meminerit.

Refp. concedendo argumentum, nec enim quidquam probat contra noftram conclufionem. Et fane, qnemadmodum is non peccat lethaliter, qui mox a peccato, illius affectum non deponit, modo tamen ipfi novum confenfum non præbeat, nec illo delectetur, fed circa ipfum alio divertens mentem, mere negative fefe habeat: Ita neque is lethaliter peccat, qui non conteritur, ubi primum admiffa crimina occurrunt illius memoriæ.

Objicies 2. Eo brevi inftanti, quo impius in ftatu peccati mortalis lubens remanet, exponit fefe æternæ damnationis periculo, cum tunc mori poffit. Ergo peccat lethaliter contra charitatem, quam debet animæ.

Refp. neg. confeq. Ratio eft, quia illud periculnm non eft morale, nec enim fæpius, aut fecundum prudentum æftimationem, mors intra breve tempus accidere folet: unde dicendum eft periculum, qnod objicitur effe metaphyficum, qnippe quod abfolnte loquendo, mors intra vel breviffimum inftans contingere poffit. At non eft multum reus, qui fe periculo metaphyfico exponit: Alioquin enim nemo tuta confcientia fe ipfum flumini, etiam vectus nave, committere poffet; abfolute quippe illa navis hifcere poteft, vel vento, qui fubito exoriatur, aut cafu aliquo extraordinario, plus æquo in unam partem inclinati, quam in aliam & fic aquam admittere ea qua fequatur naufragium.

Objicies 3. Plerique primi nominis anthores cenfent impium fub pœna peccati lethalis teneri ad contritionem, ubi primum peccata commiffa illius memoriæ occurrunt. 1. Hæc habet Sanctus Thomas in 4. Sent. dif. 17. quæft. 3. art. 1. quæftiuncula 4. *Refpondeo dicendum, quod cum propofitum confitendi fit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propofitum, quando ad contritionem tenetur, fcilicet quando peccata occurrunt memoriæ*. Ne quis vero caufetur, fic quidem fenfiffe juniorem S. Thomam dum fcriberet in Sent. non autem fenem cum Summam Theologicam confcripfit, laudanda funt hæc ejus verba 2. 2. quæft. 62. art. 8. *Manifeftum eft, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, fed quilibet tenetur peccatum* STATIM *deferere*. 2. S. Bonaventura contendit eum fe novo peccato devincere, qui mox a peccato non confitetur: Ergo a fortiori is graviter peccat, qui non conteritur, ubi peccati nondum remiffi meminerit. 3. S. Antoninus in Summa 3. part. Tit. 14. cap. 18. §. 2. fic loquitur. *Quantum ad peccata mortalia, de quibus quis nondum habuit contritionem, videtur, quod femper teneatur, quando peccatum menti occurrit ad actu odiendum, & deteftandum peccatum: alias peccat mortaliter peccato omiffionis quoufque conteratur*. Opinionis, quæ moa relata eft, hancce rationem reddit idem canonifta celeberrimus; *Nec enim per momentum licet ftare in peccato: imminet enim maximum periculum: cum nulla neceffitas excafet a contritione, fi moriatur (impius) ante contritionem, etiamfi non potuit conteri, quia fubito moritur, nihilominus damnatur*. Iis igitur fanctis Doctoribus perfuafum fuit impium peccare lethaliter, fi vel ad unicum inftans fuam contritionem differat.

Refp. ad 1. & 2. a S. Thoma & a S. Bonaventura adverbium *ftatim* non fumi metaphyfice, fed moraliter: ita ut crediderint peccare lethaliter impios, qui non conteruntur intra tempus, quo fecundum prudentum æftimationem, mors ut plurimum folet accidere, aut quod grave judicari foler. Confirmatur ex eo, quod S. Bonaventura non afferuerit (ut paffim nonnnlli dictant) quemque lapfum fnb gravis peccati periculo teneri ftatim provolvere fe ad genua Sacerdotis, ut admiffum fcelus confiteatur: fuo nimirum loco oftendemus S. Doctorem probare eum, qni confeffionem fuam aliquandiu protrahit, ut paratiorem adhibeat animum nberiorique cum fructu abfolutionem recipiat. Quod vero ad 3. fpectat non diffitemur qnin S. Antoninus eam, quæ objicitur, fententiam defenderit, cum expreffe afferat propter maximum periculum, quod femper imminere fnpponit, non effe licitum vel brevi momento in ftatu peccati mortalis permanere. Sed aliud cenfent eximii Doctores, nec quemqnam inter antiquos reperire eft, qui docuerit eum peccare lethaliter, qui mox de admiffo fcelere non conteritur. Veteres irregularitate quidem mulctarunt eos, qui in mortis lectulo baptifma reciperent; afferuerunt reos effe, qui in extrema tantum vitæ periodo præ fe ferrent pœnitentiam, fed nullus docuit eum æternos cruciatus demeritum fuiffe, qui ad breve aliquod tempus converfionem fuam protraxiffet. Obfervet hic lector monendos effe fideles, ut in confeffione Sacramentali tempus accufent, quod in peccati mortalis ftatn jacentes duxerint fine pœnitentia; fi enim judicio prudentum infigne fit ejufmodi tempus, rei erunt, quod aut fpeciale pœnitentiæ præceptum infregerint, ant faltem (nt vult Dominicus Soto) quod circumftantiam addiderint, qua præteriti peccati malitia multum intra eamdem fpeciem augeatur.

§. II.

Quo tempore præceptum Contritionis per accidens obliget?

TUNC per accidens obligat præceptum contritionis cum urget ratione alterius præcepti, hoc eft, quando ad alterius præcepti debitam obfervationem contritio requiritur: Sic vero, feu per accidens, contritionis actum impio neceffarium effe multis in cafibus ratum eft apud omnes Theologos: conveniunt enim impinm ad contritionem teneri primo, cum urget lex recipiendi aliquod Sacramentum vivorum, feu quod gratiæ fanctificantis ftatum præfupponit in fubjecto cui confertur: fecundo quoties onus incumbit adminiftrandi, faltem ex officio, nonnulla Sacramenta, quippe quod tunc minifter debeat in fanctitate fefe Chrifto principali agenti conformem exhibere: tertio, cum inftat annuæ confeffionis mandatum: fiquidem Pœnitentiæ Sacramentum non valeat ubi contritio defuerit.

Verum duo funt alii cafus, in quibus dubium eft apud Theologos, an fnb pœna peccati mortalis præceptum contritionis urgeat. Prior cafus eft cum juftus fola peccata venialia accufet in confeffione Sacramentali: Pofterior, cum ex Ecclefiæ mandato aliquis feftus dies agendus eft. De duobus illis cafibus feorfim differemus,

Utrum Contritionis præceptum obliget fidelem, qui fola peccata venialia confitetur?

Conclufio 1. Probabilis eft eorum Scholafticorum opinio, qui contendunt juftum, qui fola venialia confitetur, peccare graviter fi de nnllo conteratur.

Probatur. Qui fua culpa impedit, ne forma Sacramenti

menti debite prolata valeat, quoad ſubſtantiam, is peccat graviter: nec enim ob aliud reus eſt gravis peccati, qui jam baptizatus alteri ſe baptiſmo ſubjicit; aut mulier, quæ ſub virili veſte ab Epiſcopo recipit ordinationis ritum. Atqui juſtus, qui peccatorum, quæ accuſat contritione vacuus eſt, ſua culpa impedit ne valeat forma Sacramenti Pœnitentiæ, licet debite prolata fuerit a miniſtro; ſubtrahendo nempe contritionem, ſubtrahit Sacramento materiam: quæ ex inſtitutione Chriſti eſt abſolute neceſſaria, ut Sacramenrom Pœnitentiæ valeat, ut ſuo loco demonſtratum eſt.

Objicies 1. Qui non adimplet ſatisfactionem ſibi ob peccata venialia impoſitam in tribunali Pœnitentiæ, non fit reus gravis peccati. Ergo neque juſtus, quem nullius venialis pœnitet, dum Sacramentaliter abſolviror.

Reſp. prætermiſſo antecedentis examine, quod ſuo loco recurret, nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia in priori caſu Sacramentum non fit irritum, quoad ſubſtantiam, nec adæquato effectu fruſtratur: at in poſteriore caſu contrarium accidit, ſaltem ſecundum Thomiſtas, quibus Contritio eſt eſſentialis materia *ex qua* conſtat Sacramentum Pœnitentiæ; ſecundum Scotiſtas vero cum ſit materia *circa quam* verſatur, tunc in ſuſcipientibus nullum prorſus effectum operatur.

Objicies 2. Nonnulla peccata, quæ ex ſe ſunt mortalia, nonnumquam fiunt venialia per accidens, nimirum aut propter defectum deliberationis, aut propter materiæ levitatem. Ergo, quamvis peccatum quo Sacramentum redditur nullum, ex ſe ſit mortale, per accidens tamen ſit veniale, ratione nimirum levitatis materiæ: ſiquidem, abſolute loquendo, contritio de venialibus ad ſalutem non requiratur.

Reſp. Extra Sacramentum de venialibus non conteri eſſe quidem materiam levem, ſecus vero in Sacramento, ajunt plerique Scholaſtici hoc nixi principio, quod ex defectu contritionis gravis in Pœnitentiæ Sacramentum irreverentia conſequatur, efficitur enim, ut forma a miniſtro irriſorie proferatur.

Objicies 3. Viri pii rati ſe deteſtari venialia, nonnumquam ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, ut per clavium efficaciam vires recipiant, quibus identidem inſurgentes concupiſcentiæ æſtus comprimantur. At perdurum eſt aſſerere pios alioquin illos fideles tunc peccare lethaliter, ſi de nullis venialibus conterantur.

Reſp. eos ſolum peccare mortaliter, qui confitentur vel cum determinata & expreſſa voluntate iterum committendi venialia quæ accuſant, vel cum certa ſcientia ſe nullum eorum odiſſe, vel cum ſupina negligentia excitandi ſe ad aliquorum contritionem. Verum inficiamur hominem juſtum cujus objectio meminit, reum fieri gravis ſacrilegii in caſu de quo agitur, idque ad ſubſequentia momenta attendenti clariſſime patebit.

Et quidem primo nemo lethaliter peccat quin creaturam anteponat Creatori, ſeu quin amor creaturæ cordi dominetur. Atqui pius ille vir de quo eſt quæſtio, non anteponit creaturam Creatori, hoc eſt amor creaturæ, illius cordi non dominatur: Siquidem nihil vetet quin in uſu Sacramenti Pœnitentiæ regnans Dei amor conſiſtat cum aliqua adhæſione ad res, quæ fluxæ ſunt, ac labentis naturæ, quemadmodum extra uſum ejuſdem Sacramenti conſiſtit; perrarum enim eſt, ut homo vacuus ſit quolibet ad creaturam affectu cum ad eum affectum indeſinenter perliciatur a concupiſcentia de qua hæc habet Auguſtinus Serm. 45. de Tempore, *Ipſa concupiſcentia, cum qua nati ſumus, finiri non poteſt quamdiu vivimus. Quotidie minui poteſt, finiri non poteſt.*

Secundo. Grave ſequitur abſurdum ex ſententia, quæ aſſerit peccare lethaliter virum juſtum, qui ſpe majoris puritatis ad Euchariſtiam afferendæ confitetur ſine ullius venialis contritione: Sequitur nempe virum pium qui, etiam cum contritione, confitetur in ultima vitæ periodo peccare lethaliter: Siquidem ex Auguſtino, ille lethaliter peccat, qui in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, certis incerta præponit: Atqui vir ille, (alioquin pius, ut ſuppono) in allato caſu certis incerta præponeret, quia ſi eo in articulo non confiteretur, ſalutem certo conſequeretur poſt obitum: e contra ſi confiteatur neſciens (ut revera neſcit) an expeditus ſit ab amore venialium, quæ accuſat, ſeſe ſacrilegii periculo exponit, ſeu periculum eſt ne defectu contritionis Sacramenti formam reddat nullam, ac irriſoriam.

Tertio. Ideo juſtus, de quo hic agitur, mortaliter peccaret, quod aut efficeret ne Sacramentum pœnitentiæ ſuum effectum operaretur, aut quod non apponens debitam materiam, illud etiam quoad ſubſtantiam, irritum facerer. Sed ex neutro capite peccaret lethaliter. Siquidem primo falſum eſt quod uſus Sacramenti, quod ſine utilitate recipitur, lethalem noxam ſemper afferat animæ, ſecluſo tamen contemptu, qualis in eo reperitur, qui ſciens & volens abſque requiſitis diſpoſitionibus ad Sacramentum acceſſerit. Et ſane Sacramenta ſunt veluti cibi aut medicamenta; quemadmodum igitur cibi & medicamenta non enecant corpus quoties ei non proſunt; ita nec Sacramenta occidunt animam quoties vires illius non augent. Peccat adverſariorum argumentum, quod ſupponat inter prodeſſe & lethaliter obeſſe medium non intercedere, intercedit nimirum nec prodeſſe, nec obeſſe, vel ſaltem parum obeſſe. 2. Quoties, (ſecluſo contemptu tum actuali, tum interpretativo) qui ſane non reperitur in viro juſto, qui vires quærit in Sacramenti receptione. Quoties (inquam) defectu materiæ efficitur ne forma valeat, non admittitur peccatum lethale, ut videre eſt in eo, qui per errorem & non ex ſupina negligentia, aquam vini loco formæ Euchariſticæ ſupponeret.

Cæterum fideles qui ſæpius peccata venialia clavibus Eccleſiæ ſubjiciunt, monendi ſunt 1. ne id factitent ex perſuaſione, quod per abſolutionem tamquam per arcanam virtutem magna donentur ſanctimonia, quamvis tamen a rerum tranſeuntium affectu cor ſuum expedire non ſatagant, nec ad Chriſti crucifixi exemplum curent mores ſuos componere.

Monendi ſunt 2. eos ſocordiam ſuam tueri non poſſe exemplo Sancti Petri Luxemburgenſis, qui ſæpius uno die leviores offenſas Sacerdoti confitebatur, nec praxi Sancti Caroli Borromæi, qui numquam Sacro dabat operam quin prius, apud Sacerdotem noxas vel leviſſimas depoſuiſſet, quem quidem Cardinalem ſanctiſſimum alter virtutis eximiæ Cardinalis Petrus de Berulle Oratorii Gallicani fundator, hoc in capite, multiſque aliis imitatus eſt. Nihil ſcilicet ſegnibus illis, ac frigidis fidelibus exempla SS. illorum virorum patrocinantur. Illi etenim viri SS. ex ingenti peccatorum odio & ardentiſſimo ſanctitatis amore peccata venialia ſæpius confitebantur. Non advolvebantur Sacerdotum genibus niſi prius tenuiores concupiſcentiæ fuligines orationis luce fugaſſent, niſi in noxas leviores animadvertiſſent gravibus pœnis. Toto igitur cœlo ab iis diſtant, qui ter quaterve in ſeptimana recurrunt ad Sacramentum Pœnitentiæ non ex peccati odio, nec ex deſiderio puritatis, ſed ut copioſa Chriſti merita ſine ſtudio illum perfectius imitandi ſibi comparent & acquirant; ſeu potius, ut peccatorum venialium ſtimulo liberent ſeſe, & faciliori molliorique via illorum veniam conſequantur.

Monendi ſunt 3. illi mollioris devotionis ſectatores, qui ſibi ipſis blandiuntur de magna meritorum copia dum numerant quot vicibus ſua peccata fuerint confeſſi; Monendi ſunt (inquam) periculum eſſe ne in eos ſcriptum ſit, quod Apocalypſeos tertio Angelo, ſeu Epiſcopo Laodiceæ ſcriptum legimus: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis, quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*, quamvis ſæpiſſime abſolutione Sacerdotali & Chriſti corpore donatus fueris. Segnibus illis devotis in confeſſionum frequentia confidentibus inculcandum eſt illud Chriſti ad Epiſcopum Laodicenum: *Suadeo tibi* (inquit ibidem) *emere a me* (orationum pretio & eleemoſynarum largitare) *aurum ignitum probatum pœnitentis amoris, ut locuples fias & ve-*

& vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ (coram oculis Dei, cui nihil est occultum) *& collyrio* (dolentium lachrymarum) *inunge oculos tuos, ut videas* perfectionem vitæ Christianæ non esse positam tantum in externo Sacramentorum usu, sed etiam imo & præcipue, in praxi virtutum, quæ in me salvatore, ac redemptore tuo visæ sunt.

Conclusio 2. Certum est non peccare justum, qui contritus de aliquo ex venialibus, quæ confitetur, accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum quamvis omnia non detestetur.

Probatur. Ideo ex Scholasticis quorum sententiam expendimus conclusione prima, justus qui subjicit sese Sacramento absque ulla venialium contritione, ideo (inquam) peccat graviter, quod impediat ne valeat Sacramenti forma, *Ego te absolvo*, ac Sacramentum frustret toto suo effectu. Atqui non valet ea ratio in casu de quo est quæstio: per contritionem enim vel unius e venialibus apponitur debita materia, ac proinde forma non redditur irrisoria, nec tunc Sacramentum Pœnitentiæ toto suo effectu frustratur, cum affectus ad aliquod peccatum veniale non impediat ne Sacramentum alia venialia remittat, quæ justus pœnitens & cum debita contritione confessus est.

Objicies. Unum peccatum mortale remitti non potest quin omnia alia lethalia, quorum pœnitens reus est, remittantur. Ergo neque unum peccatum veniale dimitti potest sine aliis.

Resp. conc. ant. neg. conf. Ratio disparitatis est, quia gratia sanctificans cum Dei prædominantem amorem includat, stare non potest cum affectu ad aliquod peccatum mortale, quia affectus ad peccatum mortale positus est in eo, quod voluntas plus creaturam quam Deum amet: e contra gratia sanctificans stare potest & revera stat in homine qui affectu, sed qui non sit summus appretiative, alicui creaturæ inhæret: unde illa gratia augeri potest per applicationem Sacramenti.

Utrum præceptum Contritionis singulis festivis diebus impium urgeat?

Tres sunt circa difficultatem, quæ proponitur, Scholasticorum Sententiæ. Plerisque Thomistis inter quos Joannes Medina, Canus, Dominicus Soto recensentur, visum est impium festivis diebus sub pœna gravis peccati non teneri ad actum contritionis. Sylvius, cui adhærent plures alii, censet satis esse, quod impius iis diebus affectum ad peccatum mortale deponat, nec requiri vitæ veteris explicitam detestationem, quæ quidem (ex dictis superius) essentialis est contritioni. Scotus ad lib. 3. Sent. dist. 17. docet hominem, quem nondum admissi peccati mortalis pœnituit, singulis festivis diebus sub pœna novi criminis teneri ad contritionem: Quid vero nos sentiamus subsequenti conclusione declarabitur.

Conclusio. Argumenta, quibus Scotistæ probant impium ad contritionis actum teneri singulis festivis diebus, non sunt insolubilia.

Probatur ex eo, quod ea Scotistarum argumenta clare simul & solide solvi possint; id vero non verbis tantum sed facto demonstremus oportet proponendo, ac solvendo adversariorum objectiones.

Objicies 1. Judæi quondam tenebantur conteri singulis festivis diebus, ut colligitur ex his verbis Levitici 16. *Sabbatum requietionis est, affligetis* (contritione) *animas vestras*. Ergo a fortiori festis diebus Christiani impii ad ejusdem contritionis actum tenentur.

Resp. 1. voces istas, *Affligetis animas vestras*, intelligi de jejunio, quod Moyses Dei jussu expiandis peccatis determinarat. Resp. 2. dato, quod eædem voces de contritione intelligantur, nihil tamen hinc concludi: siquidem hæc verba, *Sabbatum requietionis*, exponi possunt de solo festo expiationis, quod quidem semel tantum in anno celebrabatur: *Mense septimo* (inquit Moyses) *decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena, qui peregrinantur inter vos. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini: Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetua.* Unde si per hac voces, *Affligetis animas vestras*, Deus Moysis ore præcepisset contritionis actum, ex iis inferri tantum posset Judæis semel quidem in anno, non autem (ut Scotistæ contendunt) singulis festivis diebus contritionis actum eliciendi debitum incubuisse.

Objicies 2. Singuli fideles quovis die festo tenentur elicere actum amoris Dei super omnia. Sed amor Dei super omnia includit, saltem implicite, actum contritionis: non enim quis potest Deum super omnia diligere, quin id omne implicite detestetur, quod Deo displicet. Ergo &c.

Resp. neg. maj. Quamvis enim lex qua actus amoris Dei super omnia præcipitur, obliget sæpius in vita, imo & sæpius in anno, festis scilicet præcipuis, quæ ritu solemniori in Ecclesia celebrantur, seu in quibus fideles communicare consueverunt, non urget tamen pro singulis aliis festis minus solemnibus. Rationes quibus ea responsio nititur Lector tom. 6. Institutionum nostrarum Theologic. Edit. Parisiensis pag. 464. pertractatas reperiet.

Instabis: Festorum celebratio reducitur ad virtutem religionis. Atqui opus, quod ad religionis virtutem pertinet, non potest fieri, *ut oportet*, nisi ex motivo charitatis; dicente Augustino: *Non est fructus boni operis, qui de charitatis radice non surgit*. Confirmatur primo ex eo, quod festorum sanctificatio non aliud sit quam Dei cultus: Nemo autem Deum colit nisi eum diligat, *Hoc colitur* (inquit Augustinus in Psal. 77.) *quod diligitur*. Confirmatur secundo ex eo, quod Sabbati ac cujuslibet alterius festi sanctificatio posita sit in spirituali requie, qua scilicet mens a terrenis concupiscentiis vacans in Deo quiescat: Non quiescat vero nisi Deo delectetur, non potest autem eo delectari nisi illum amet; Nam (ut ait Augustinus tractatu 87. in Joannem) *Quis bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet*. Ergo quisque fidelis tenetur, quovis festo die elicere actum amoris Dei. Ergo tenetur quoque si sit impius, seu si reus sit peccati mortalis, elicere actum contritionis, saltem virtualiter & implicite.

Resp. concesso toto argumento, nego secundam consequentiam, nempe impium obligari ad eliciendum actum contritionis ex eo, quod teneatur singulis festis elicere actum charitatis.

Ratio est, quia ille charitatis actus, quem quisque tenetur elicere festis diebus, ut præscripta pietatis opera pie perficiat, non debet esse necessario super omnia, satis est quod ejusmodi sit, ut imperet opera, quæ lex præscribit; imperat vero quamvis non sit super omnia, ut patet in impio, qui consuetudine peccandi implicatus largitur eleemosynam, ut obtineat Dei amorem, qui cordi prædominetur excludatque affectum habitualem ad peccatum, quo adhuc teneri se miser experitur. Nihil igitur vetat quin aliquis ex motivo charitatis festos dies celebret, quamvis peccata sua nondum super omnia detestetur; imperfecta ac debili charitate, seu quæ minor sit amore sæculi, aguntur ii peccatores, qui conversionis velleitates experiuntur, quas dominans libido mox vincit, ac superat. *Non erat* (inquit Augustinus lib. 8. Confessionum capite 5. agens de pugna charitatis cum concupiscentia, quam in se ante conversionem expertus est) *quod tibi responderem dicenti mihi: Surge qui dormis & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus: Et undique ostendenti vera te dicere, non erat omnino, quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta & somnolenta: Modo, ecce modo, sine paululum: Sed modo & modo non habebant modum, & sine paululum ibat in longum.*

Objicies 3. Fideles festivis diebus debent sistere se præsentes Missæ sacrificio. Atqui illi præcepto non fit satis ab impio, qui de peccatis non conteritur. Ergo &c.

Et sane primo. Deus in scripturis rejicit sacrificia, quæ Judæi, gerentes affectum ad peccatum offerebat: *Nec offeratis ultra sacrificium frustra* (inquit

quit Deus Israel) *incensum abominatio est mihi, Neomeniam & Sabbatum & festivitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri &c.* Quæ quidem verba exponens Hieronymus hæc ait, quæ plane dirimunt litem de qua hic agitur. *Omnis conventus, qui non offert hostias spiritales nec audit illud quod in quinquagesimo Psalmo canitur*, SACRIFICIUM DEO SPIRITUS CONTRIBULATUS, COR CONTRITUM ET HUMILIATUM DEUS NON DESPICIT; *abominabilis est Deo*.

Secundo. Christus Matthæi 5. ei, qui oblaturus est sacrificium, præscribit ut antea redintegret læsam charitatem quam fratri debet: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Ergo a fortiori præcipit, ut impius, prius, quam cum Sacerdote offerat Missæ sacrificium, Deum ipsum quem læsit placare studeat, redeatque cum ipso in amicitiam: Quod quidem cum absque contritione fieri non possit, sequitur ad audiendum ut par est, Missæ sacrificium, contritionem in impio necessario requiri.

Tertio. Externum sacrificium est, ex Augustino lib. 10. de Civit. Dei, *invisibilis sacrificii Sacramentum*, hoc est, Externum sacrificium est ceremonia, qua exterius profitemur, quod Deum agnoscimus tamquam nostrum summum bonum, quod ei nostri cordis affectus consecremus, quod in illius amore & vivere & mori velimus. Sed ejusmodi professio non potest sincere fieri ab impio, quem peccatorum non pœnitet, ac proinde nec sine contritione; Imo exosa est Deo ejusmodi professio, si eam nulla contritio comitetur, nec tam ad pietatem, quam ad impietatem pertinere videtur, juxta præclaram hanc Bernardi sententiam: *Quis magis impius* (inquit in Apologia ad Guillelmum Abbatem) *an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne is, qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?* Quisque igitur impius qui tremendo adest sacrificio, debet peccata sua detestari, ut sancito de audienda festivis diebus Missa præcepto faciat satis. Debitum hujusmodi expressis hisce verbis Gregorius Magnus exponit & probat: *Necesse est* (inquit lib. 4. Dial. cap. 59.) *ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerimus.*

Quarto. Festivis diebus singuli fideles tenentur orare, tum ubi offertur tremendum sacrificium, tum ubi officiis Ecclesiasticis sistit se præsentem: Fundi vero non potest oratio nisi ex amore, cum sit illius effectus: *Amore petitur* (ait Augustinus lib. de morib. capite 17.) *amore quæritur, amore pulsatur*. Idque Sancto Doctori ita fuit certum, ut dixerit orationem nostram, modo amemus, esse continuam, licet lingua nostra sileat, licet manus pedesque circa opera huic vitæ sustentandæ necessaria occupentur; & e contra contenderit intermitti orationem cum desinimus amare, quamvis aliunde verba orationis affectum denotantia proferamus: *Quidquid aliud agis* (inquit in Psalm. 37.) *si desideras illud Sabbatum*, (*nempe æternam in Deo quietem*) *non intermittis orare. Noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum est: Quoniam abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum. Frigus charitatis, silentium cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras; si desideras, requiem recordaris.* Verum quis dixerit Deum ab eo diligi, cui peccata mortalia non displicent, qui de iis non conteritur, quasi vero amor Dei & amor peccati in ejusdem hominis corde sedem simul habere possint.

Resp. iis omnibus, quæ objecta sunt, probari quidem necessitatem alicujus displicentiæ, seu nonnullam contritionem in impio requiri, ut præcepto de festis celebrandis faciat satis: verum iis non evincitur, quod requiratur contritio, qua peccatum suum *super omnia* detestetur. Siquidem externa pietatis opera, quæ ab Ecclesia festivis diebus peragenda præscribuntur, impius exequi possit ex charitatis motu, quæ tamen charitas sit imperfecta etiam extensive, seu quæ non sit super omnia, quæque cum dominante ad peccatum affectu in ejusdem hominis corde componatur.

Judæus est, qui nullo exstimulatus conversionis desiderio externa peragit religionis officia; non est Christianus cui admissa scelera nullo modo displicent: e contra vero devotus est, qui cum nondum peccati pondus excusserit, nec per se excutere valeat, festa celebrat, adest Missæ sacrificio, preces fundit quibus integram suam conversionem impetret, seu quibus obtineat, ut contritionis desideria ita roborentur, ut immutentur in contritionem per quam suum peccatum super omnia detestetur; Id sibi volunt Tridentini Patres sess. 22. c. 2. ubi sic loquuntur: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Adeat lector pag. 290. ubi actum est de dispositionibus, quæ ex parte mentis ad Missam audiendam requiruntur.

CAPUT TERTIUM.

De Effectu Contritionis.

HIC tria examini subjiciemus, primum utrum remissio peccatorum sit effectus contritionis. Secundum, Utrum per contritionem ita dimittantur, ut per subsequens scelus non redeant. Tertium, An merita justi per peccatum mortificata, reviviscant per contritionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum remissio peccatorum sit effectus contritionis?

LUtherani quibus placet contritionem nihil aliud esse, quam terrorem illum, quo mens ad pœnarum apprehensionem concutitur, docent eam non esse causam remissionis peccatorum, confirmant ex eo, quod quisque sine hujusmodi terrore absolute loquendo, justitiam consequi possit, ut expresse Lutherus docet in assertione articuli 12. ubi sic loquitur: *Dixi autem per impossibile* (fidem justificare sine contritione) *quia satis supra dictum est fidem sine contritione esse non posse, cum gratia non infundatur sine magna concussione animæ; volui enim fidei virtutem declarare, & commendare quam sola faciat ad remissionem peccatorum, & justificationem pacis. Quod dico, ne quis me putet contritionem, per perturbationem illam cordis, in cognitione peccatorum suscitatam negare. Volo eam: sed dico eam non operari justificationem, aut remissionem peccatorum; fides enim in verbum Dei, justificant & purgant.*

Iis quoque ex Sectariis, qui contritionem a terrore supplicii nonnumquam distinxisse visi sunt, persuasum fuit, contritionem non esse causam remissionis peccatorum: *Diximus & nos quodam loco* (inquit Calvinus lib. 3. Instit. cap. 4. §. 3.) *numquam sine pœnitentia obvenire peccatorum remissionem, sed simul adjecimus Pœnitentiam non esse causam remissionis peccatorum.*

Nec mirum est, quod recentiores hæretici in eam opinionem abierint, siquidem doceant primo omnia opera, quæ justificationem præcedunt esse peccata, quod (inquit Lutherus) tunc ex amore Dei non procedant, neque enim (addit) impius potest eum vel imperfecte diligere, quem sibi scit iratum esse: doceant secundo solam fidem misericordiæ specialis, qua quis certo credat sibi per Christum remissa esse peccata, esse unicam conditionem, quæ ad impii justificationem necessaria sit.

Theologi Catholici hoc in dogmate conveniunt, nempe Contritionem esse causam remissionis peccatorum, sed hoc in altero dissident, nempe utrum sit mera ad remissionem peccatorum dispositio, an vero ejusdem remissionis sit meritoria, non de condigno quidem, sed de congruo. Omne siquidem, cujuscumque sit nominis, meritum a contritione actibusque cæteris, qui justificationem præcedunt, Dominicus Soto lib. 2. de natura & gratia cap. 4. multique alii

alii scriptores ablegarunt: concesserunt vero cæteri meritum de congruo.

Conclusio 1. Actus contritionis est causa gratiæ, ac remissionis peccatorum.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ contritioni verum in gratiam sanctificantem influxum adscribunt: *Cum averterit se impius ab impietate sua* (inquit Deus Ezechielis cap. 18.) *ipse animam suam vivificabit*. Jonæ cap. 3. idem bis verbis asseritur: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est Deus super malitia, quam locutus est ut faceret eis, & non fecit.* Eo in textu venia, quam Deus Ninivitis concessit, in eorum conversionem, seu contritionem tamquam in causam refunditur, *Quia conversi sunt &c.* Multa alia similia loca in Scripturis legere est, quæ quidem, quod cuique obvia sint hic prætermittimus.

Probatur 2. ex Traditione. Primo. Patres nemini umquam quem scelerum non pœnitetet, absolutionem impenderunt; unde ut probarent lapsorum pœnitentiam varias ipsis stationes, varias classes decurrendas præscripserunt: Indicarunt igitur contritionem nonnihil conferre ad consequendam remissionem peccatorum.

Secundo. Soliti erant Patres iis absolutionem negare, qui tantum eam petiissent in exitu positi; ideo autem sic se gerebant, quod censerent infirmos hujusmodi non pœnitere prout oportet; Ubi vero contrarius usus invaluit, seu ubi cœptum est eos reconciliare, qui infirmi Sacerdotem advocassent, dubitatum est de eorum salute si morerentur ante recuperatam valetudinem; ideo vero Patres tenuit hujusmodi dubium, quod præsumerent infirmos illos non pœnituisse ex animo: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur* (inquit Augustinus Serm. 57. de Tempore) *infirma est. Pœnitentia quæ a moriente tantum petitur, timeo ne & ipsa moriatur*. Idem asserit homil. 41. inter 50. ubi sic loquitur. *Si quis positus in ultima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit; sed non præsumimus, quia bene hinc exit... Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Vis te dubio liberare, age pœnitentiam dum sanus es; tene certum, dimitte incertum*. Persuasum igitur fuit Patribus Pœnitentiam ad peccatorum remissionem concurrere, ac proinde peccatorum remissionem non præcedere pœnitentiam, ut Lutherani fingunt.

Tertio. Iidem Patres conceptis terminis docuerunt peccata per contritionem deleri: *Vide* (inquit Athanasius in lib. de Virginitate) *quale remedium in lacbrymis: specta, quæso, quam iniquitatem deleverint. Quid enim tetrius hoc vitio? quippe qui* (*Petrus*) *ter jure jurando Dominum abnegaverit; tantum tamen scelus per lachrymas delevit*.

Quarto. Veteres contritionis in peccatis delendis vim compararunt cum ignis actione in subjectam sibi materiam: *Sola est cordis compunctio* (ait Chrysostomus in secundo libro de Compunctione cordis) *quæ sicut ignis, omne animæ vitium perurit, & adimit, & quantacumque in ea reperit mala, abstergit universa, & penitus delet*.

Qaæres ad quod genus causæ reducatur contritionis actio in justificationem?

Resp. contritionem esse dispositionem ad consequendam remissionem peccatorum: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam* (inquit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 6.) *dum peccatores se esse intelligentes... moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet*. Dispositiones vero ad formam, nonnumquam a Logicis reducuntur ad genus causæ materialis, & nonnumquam ad genus causæ efficientis, aut moralis, aut physicæ.

Conclusio 2. Contritio meretur de congruo justificationem.

Probatur ex Patribus qui actibus ab impio elicitis ex auxilio gratiæ moventis, meritum aliquod tribuunt.

Primo. De actu fidei hæc habet Augustinus Epistol. 105. ubi ex professo Semipelagianorum dogmata confutat. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat*, illud autem assertum probat Sanctus Doctor exemplo Publicani: *Neque enim nullum est meritum fidei: qua fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus*. Nec alicujus est ponderis, quod reponit Dominicus Soto, meritum publicani fuisse de condigno, quod nempe antequam oraret in templo, præ summa humilitate, quam gerebat in corde, jam esset justificatus, ac proinde per orationem suam de condigno justitiæ augmentum promeritus fuerit. Nullius (inquam) est ponderis, tum quod Augustinus utatur exemplo publicani ut fidei meritum ad consequendam peccatorum remissionem adstruat, tum etiam, quod publicani justificationem Evangelium adscribat humili orationi, quam fudit in templo, *Descendit hic justificatus in domum suam*, subintelligens fuisse impium antequam oraret. Non plus habet roboris, quod objicitur ex 1. 2. quæst. 114. art. 5. ubi S. Thomas contendit Augustinum retractasse hanc propositionem: *Fides meretur justificationem*; Siquidem loquitur Sanctus Thomas de fide, quæ ex liberi arbitrii viribus habita sit, quamque Augustinus, dum Semipelagianismo ante Episcopatum laboraret, nonnulli ad justificationem conferre crediderat.

Secundo. De Pœnitentia quæ justitiam præcedit, hæc scripsit Cyprianus ad calcem libri de Lapsis: *Qui sic Deo satisfecerit: Qui Pœnitentiam facti sui, Qui pudore delicti plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adjutus a Domino, quam contristaverat, lætam faciet Ecclesiam, nec jam solum Dei veniam* MEREATUR, *sed coronam*, auxilia nempe, quæ ad martyrium pro fidei causa subeundum necessaria sunt. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 3. docet filium prodigum per pœnitentiam meruisse tum peccatorum veniam, tum ut patet illi occurrens, osculum pacis impertiretur; *Tam cito veniam* MERETUR, *ut venienti & adhuc longe posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod in signum est sacræ pacis*. Idem lib. 10. in Lucam asserit de Petri lacrymis, quod lib. 2. de Pœnit. asseruerat de contritione. *Lacrymæ veniam non postulant, sed* MERENTUR... *Et tu, si veniam vis* MERERI, *dilue culpam lacrymis tuam*.

Objicies cum Dominico Soto. Primo Patres nullum videntur agnovisse meritum nisi illud cui ex justitia præmium debeatur. Sed ante peccatorum remissionem nulli operi, ei etiam, quod ex auxilio gratiæ factum fuerit, debetur præmium; Nulla enim est operis dignitas, nisi prius, saltem natura, operans dignus sit per gratiam, quæ justificet juxta illud Genesis 4 *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*, idest, munerum ideo rationem habuit, quod Abel justus esset. Secundo. Dici non potest in quo fundetur meritum de congruo. Ergo rejiciendum est.

Resp. ad 1. neg. maj. Idem enim Patres, qui asseruerunt hominem nihil mereri antequam justificetur, fidei tamen, quæ per dilectionem operatur, & pœnitentiæ, quæ justificationem præcedit, quandam merendi vim adscripsere, ut mox eorum verbis ostensum est; meritum igitur agnoverunt aliud ab illo, cui ex justitia præmium debeatur. Resp. ad 2. meritum de condigno fundari in justitia, cum e contra sola Dei liberalitate meritum de congruo nitatur: unde illud gratuito dono opponitur, non autem istud; De priore non autem de posteriore intelligenda est hæc Concilii Tridentini definitio Sess. 6. cap. 8. *Gratis autem justificari ideo dicamur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur*.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrum per Contritionem omnia peccata deleantur?

HIC quæstionem facti, & quæstionem juris expendemus: quæremus nimirum primo utrum Novatiani contenderint (ut Bellarminus asserit de Pœnitent. lib. 2. capite 15.) gravissima quædam scelera, nusquam a Deo remitti, quamvis authores sincere & ut oportet, eorum pœnituerit. Quæremus se-

secundo an probabile tantum sit (ut Richardo Armachano lib. 9. quæstionum Armenorum, cap. 27. visum est) omnia peccata ei quem vere pœnituerit a Deo dimitti.

Conclusio 1. Novatiani nusquam asseruerunt scelera quædam esse, quæ Deus pœnitentibus prout oportet, non dimitteret.

Probatur 1. Veteres qui Novatianorum circa Pœnitentiam erroris meminere, scribunt in eo tantum positum fuisse quod contenderent quædam esse peccata gravissima quæ clavibus Ecclesiæ remitti non possent: Textus quibus hæc assertio nititur superius pagina descripsimus secunda. Asseruerunt iidem scriprores Novatianis probatum fuisse hoc axioma; Deum omnibus pœnitentia functis dimittere peccata, quorum indulgentia penes Ecclesiam non esset: *Sed ajunt* (inquit Ambrosius de iis agens libro 1. de Pœnit. capite 2.) *se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent: imo nulli majorem injuriam faciunt quam qui ejus volunt mandata rescindere*, (quibus nempe præcepit Ecclesiæ ut quælibet peccata pœnitentibus dimitteret) *Quorum remiseritis peccata &c.* Socrates cui perspecta esse oportuit Novatianorum dogmata, cum ipse Novatianus esset, sic caput in quo ab Ecclesia dissiderent, enarrat hist. libro 4. capite 13. *Scripsit* (Novatianus ad omnes Ecclesias) *ut lapsos minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest, & habet auctoritatem peccata remittendi*.

Objicies cum Bellarmino, Ambrosius lib. de Pœnit. cap. 7. sic Novatianum alloquitur: *Quid autem injustius, quam ut velis tibi dimitti peccata tua, cum roganti ipse non putes remittenda?* Sic iterum loquitur libro 2. cap. 4. *Perlatum est tamen ad nos etiam illud vos objicere solere quod dicatis scriptum esse, Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* Ambrosio igitur visum est quædam esse peccata quæ Novatiani pœnitentibus, in altero etiam sæculo a Deo nequaquam dimitti censerent.

Resp. priori loco Ambrosium loqui de remissione quæ per claves ab Ecclesia fiat, non autem quæ a Deo immediate concedatur. Ratio est primo, quia caput septimum sic S. Doctor inscribit: *De multiplici potestate data discipulis a Christo cum reprehensione Novatianorum, qui remissionem in Baptismo concedunt, sed pœnitentiæ lavacrum negant, cum nihil intersit inter utrumque Sacramentum*. Ea vero capitis superscriptio sat ostendit Ambrosium eodem in capite agere de indulgentia per Ecclesiæ claves concedenda. Ratio est secundo, quia hocce argumentum, quod sane de sola remissione per hominem tribuenda intelligitur, in Novatianos ibidem intorquet: *Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo utique remissio peccatorum omnium est. Quid interest utrum per Pœnitentiam an per lavacrum hoc jus sibi datum Sacerdotes vindicent?* Idem eorum sensus est quæ ex lib. 2. cap. 4. opposita sunt, siquidem Ambrosius ibidem arguat Novatianos quod, cum pro blasphemia in Spiritum sanctum pœnitentiam imponerent culpam ipsam peracta pœnitentia Ecclesiæ clavibus non solverent: *Cur* (inquit) *ligatis vincula quæ non solvitis? Cur nodos nectitis quos non relaxatis?*

Conclusio 2. Non tantum probabile, sed fide certum est, nullum esse peccatum quod per contritionem (qualem imperavit Christus) non expietur.

Probatur primo ex iis Scripturæ locis quæ pœnitenti omnium omnino iniquitatum veniam pollicentur: *Si impius egerit pœnitentiam in omnibus peccatis suis* (inquit Deus Ezechielis cap. 18.) *omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Secundo. Ex iis textibus qui salutem pollicentur iis omnibus qui Dei nomen invocaverint: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini* (ait Joel. cap. 2.) *salvus erit*, invocant autem impii quos vere pœnitet omnium peccatorum. Tertio. Patres hæreticis adscripserunt Montanistas & Novatianos, quod contenderent aliqua esse peccata quæ dimitti non possent ab Ecclesia. Ergo a fortiori eos tamquam hæreticos habuissent qui ausi fuissent affirmare immania quædam scelera nec a Deo ipso immediate pœnitentibus dimitti. Quarto. Iisdem Patribus persuasum fuit neminem esse in hac mortalium vita, cujuscumque flagitii reus sit, pro cujus salute orare non possimus. Adeodum fuit (inquit Augustinus agens de peccato quod lib. 1. de Serm. Domini in monte dixerat remitti non posse lib. 1. Retract. cap. 19.) *Si in hac tam scelerata mentis perversitate finiunt hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto, non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur de quo non desperatur*. Quinto. Patres docuerunt quemque impium corripi debere, dum in sæculo degit: Censuerunt igitur cuique posse, si resipuerint, veniam indulgeri. *Quis est fructus correptionis* (ait Augustinus Serm. 11. de verbis Domini) *sine ulla spe remissionis*. Sexto. Tandem (ut suo loco dicemus) licet Patres omnibus lapsis quamvis pœnitentia functis absolutionem in omnibus Ecclesiis olim non annuerint, docuerunt tamen se posse hujusmodi veniam concedere, ac pœnitentiam quam disciplinæ causa absolutio Sacramentalis non consequeretur, suo fructu coram Deo non carituram.

Objicies 1. hæc leguntur 1. Regum 2 *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Deum peccaverit vir, quis pro eo orabit?* At irremissibile est peccatum ad cujus indulgentiam nihil coram Deo conferunt virorum etiam sanctissimorum preces.

Resp. Novatianos olim argumentum illud intorsisse in Ecclesiam Catholicam ut probarent penes eam non esse potestatem a quibuslibet peccatis absolvendi; sic enim laudatum Scripturæ textum interpretabantur: Si quis inciderit in levia crimina proderunt ei Ecclesiæ preces, seu absolutio quam eis impertietur, si autem enormia commiserit, incassum ab Ecclesia exorabit absolutionem. Sed eumdem textum schismaticis eripit Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 8. ubi sic loquitur: *Non enim scriptum est; Nullus orabit pro eo, sed quis orabit? hoc est, quis ille sit qui in tali causa orare possit, quæritur, non excluditur*. Responsionem suam probat S. Doctor 1. Psalmo 14. *Denique* (inquit) *habes in Psalmo 14. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Non enim nullus, sed probatus habitabit. Nec hoc dicit quod nemo requiescat, sed requiescat electus .... Similiter igitur accipiendum: Quis orabit pro eo? hoc est singularis vitæ aliquis debet orare pro eo qui peccavit in Dominum, quia quo major culpa, eo majora sunt quærenda suffragia*. Probat 2. Exodi capite 31. ubi non quicumque Judæus, sed ipse Moyses oravit pro populo qui vitulum aureum adorarat. *Non enim quicumque de vulgo pro Judæorum populo, sed Moyses rogavit, quando vituli caput, fidei immemores adoraverunt*. Huc ergo reducitur Ambrosii solutio, quod laudato textu Scriptura rei difficultatem, non impossibilitatem, innuere voluerit.

Objicies 2. Proverbiorum cap. 1. sic Deus loquitur: *Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret ... Tunc invocabunt me & non exaudiam, mane consurgent & non invenient me*. Confirmatur exemplis Esau & Antiochi, qui licet pœnitentiam egerint, indulgentiam tamen nusquam consecuti sunt: *Orabat hic scelestus Deum* (inquit Scriptura de Antiocho 2. Machab. 9.) *a quo non esset misericordiam consecuturus*; Hæc vero habentur de Esau ad Heb. 12. *Scitote, quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam*.

Resp. Proverbiorum textum de iis intelligi quos post hanc vitam tantum & quidem invitos, scelerum pœnitebit: *Tunc dicent inter se* (inquit Scriptura Sapient. 5.) *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes &c.* Ad priorem confirmationem S. Thomas in 4. Sent. dist. 20. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 1. sic respondet: *Dicendum, quod veniam consecutus fuisset Antiochus, si vere pœnituisset, sed non habuit veram pœnitentiam quia non ex amore justitiæ de peccatis commissis dolebat, sed timore pœnæ quam expectabat, vel dolore pœnæ quam sustinebat: Et hoc etiam multis in fine pœnitentibus contingit, quia non est facile, ut affectus quem homo toto vitæ suæ tempore inclinavit in aliquid, subito ad contrarium retrahatur*. Ad alteram confirmationem idem S. Thomas sic respondet: *Dicendum quod Esau vere non pœnituit: quod patet ex hoc quod dixit,*

Veniat dies luctus patris mei & occidam Jacob fratrem meum.

Objicies 3. Dantur quædam peccata in Spiritum sanctum quæ sunt prorsus irremissibilia: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis* (inquit Christus Matth. 12.) *remittetur ei*; *Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittuntur ei neque in hoc sæculo neque in futuro*. Ergo omnia peccata contritione non delentur. Confirmatur argumentum primo ex 1. Joannis 5. *Est peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis*. Confirmatur secundo ex Apostolo ad Hebræos 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati & prolapsi sunt, iterum renovari ad pœnitentiam*. Ejusdem Epistolæ capite 10. hæc quoque leguntur: *Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccato*.

Resp. 1. non convenire Patres quinam sint ii actus qui proprie dicuntur peccata in Spiritum sanctum. Origeni visum est omnia peccata quæ baptismum subsequuntur, esse peccata in Spiritum sanctum de quibus Christus apud Matthæum loquitur, quod nempe iis omnibus injuria fiat Spiritui sancto qui in baptizatis omnibus tamquam in templo sacro sedem habet suam.

Sed vera non est ea sententia: tum quod Christus Pharisæos, qui haud dubie non erant templum Spiritus sancti, hujusmodi peccati reos esse prædicet: tum quod peccatum in Spiritum sanctum opponatur peccato quod quis in filium hominis commiserit, peccatum vero in filium hominis, quamvis a baptizato committatur, remissibile sit. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei*; tum denique quod alioquin omnia peccata Christianorum justorum forent peccata in Spiritum sanctum; quod tamen falsum est, cum nonnullis venia concedatur, ut patet ex Apostolo qui Corinthio incestuoso, Dei nomine absolutionem impertitus est.

S. Augustinus censuit, nullum esse peccatum in Spiritum sanctum nisi finalem impœnitentiam, qua quidem in opinione S. Doctor ad obitum usque stetit ut patet ex lib. 1. Retractationum cap. 19. ubi de antiqua sua explicatione in hæc Joannis verba, *Est peccatum ad mortem &c*, sic loquitur: „ Loco alio peccatum
„ fratris ad mortem, de quo dicit Joannes Apostolus: *Non pro illo dico ut roget quis; ita definivit ut dicerem*; Peccatum fratris ad mortem puto esse cum
„ post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu
„ Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur. Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit; Si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam, quoniam de quocumque
„ pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur de quo
„ non desperatur.

Verum, licet certum sit finalem impœnitentiam esse peccatum quo Spiritus sanctus afficitur injuria: tamen non videtur esse illud in specie peccatum quod Christus definit esse in Spiritum sanctum, tum quod finalis impœnitentia sit circumstantia quæ cuique peccato accidere possit; peccatum vero in Spiritum sanctum sit quædam peccati species quæ apud Marcum blasphemia dicitur: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti; quoniam dicebant; Spiritum immundum habet*. Tum quod (ut ex mox laudatis Marci verbis patet) Christus peccato in Spiritum sanctum accusarit Pharisæos qui tamen nondum erant in extremis.

S. Thomas 2. 2. quæst. 14. docet peccatum in Spiritum sanctum esse illud quod fit ex malitia; dicitur vero peccatum in Spiritum sanctum prout opponitur peccato ex infirmitate, quod est peccatum in Patrem cui tribuitur omnipotentia, & prout opponitur peccato ex ignorantia quod vocant peccatum in filium, cui sapientia adscribitur.

Sed cum omne peccatum ex malitia non sit blasphemia, nec species, sed genus peccati, ideo contendunt alii peccatum in Spiritum sanctum illud esse quo cognita veritas impugnatur, ac opera quæ manifesto Dei sunt, dæmoni tribuuntur; dicuntur autem peccata in Spiritum sanctum, non quod non sint etiam in Patrem, & Filium, sed quod donum miraculorum, illustratio mentis, passim in Scripturis Spiritui sancto tribuuntur.

Illi expositioni subscribit Hieronymus in caput 12. Matthæi, ubi monet peccatis in Spiritum sanctum non accenseri cognitæ veritatis oppugnationem quæ vi tormentorum a tyrannis extorquetur, sed eam tantum quæ ex malitia & ultro contingit. Eidem explicationi robur additur ex eo quod Christus peccatum in Spiritum sanctum appellet peccatum Pharisæorum, Pharisæi vero Christi miracula dæmonibus tribuebant: *Quoniam dicebant* (inquit Marcus) *spiritum immundum habet*. Robur iterum additur ex eo, quod Christus peccatum in Spiritum sanctum distinguat a peccato in filium hominis: peccatum autem in filium hominis eorum erat, qui cum existimarent Christum esse merum hominem, illius opera calumniabantur dicentes: *Ecce homo vorax & potator vini*. Peccatum igitur in Spiritum sanctum eorum erat, qui persuasi Christum, Dei nomine ac virtute patrare miracula, tamen ex invidia ac malitia, divina illa opera non Spiritui sancto, sed dæmonibus adscribebant: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*.

Resp. 2. præmissa idea peccati in Spiritum sanctum, illud peccatum dici *irremissibile*, non absolute quidem, cum miraculose Deus per suam efficacem gratiam cor peccatoris emollire possit ad pœnitentiam, sed moraliter tantum, seu quod difficile remittatur, cum ut plurimum peccatorem illius non pœniteat. Ratio vero propter quam ut plurimum sit irremissibile, hisce verbis a S. Thoma traditur: *Sicut aliquis morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, per quam tollitur id, per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit fastidium cibi, vel medicinæ, licet talem morbum Deus curare possit: Ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum* (auxilia nimirum divinæ gratiæ quorum largitio Spiritui sancto specialiter tribuitur) *per hoc tamen non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose specialiter sanantur*.

Nec cuiquam mirum videri debet, quod peccatum quod absolute quidem remitti potest licet non ordinarie, dicatur peccatum irremissibile; quippe quod Scriptura soleat de rebus loqui prout ordinarie fiunt; unde ubi Christus dixisset facilius esse ut camelus transeat per foramen acus, quam ut dives ingrediatur in regnum cœlorum (qua quidem sententia visus fuerat regni cœlestis aditum divitibus omnino interclusisse) protinus addidit: *Quod impossibile est apud homines, apud Deum possibile est*.

Ad priorem argumenti confirmationem dici potest cum Ambrosio, cujus verba superius retulimus, Joannem non dixisse ut nemo pro iis oret qui peccarunt ad mortem, seu qui inciderunt in immania quædam scelera, sed solum ut non orent homines vulgares; sanctissimorum enim suffragiis opus est ut pro hujusmodi reis impetrentur auxilia quibus emolliantur ad pœnitentiam.

Dici etiam potest cum Hieronymo Joannem hoc unum significasse, nempe quædam esse peccata ita gravia, ut viri etiam sancti difficulter exaudiantur cum orant pro eorum remissione; qui quidem sensus ex eo confirmatur, quod Joannes immediate ante verba de quibus est quæstio, dixerit: *Scimus quoniam audit nos, quidquid petierimus ab eo*, ne autem quis inferret hoc intelligi in quibuslibet petitionibus, subdit: *Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, petat & dabitur ei*; idest petat cum fiducia, exaudietur nimirum. Si vero peccatum est ad mortem, hoc est, gravissimum, *Non dico ut roget quis*, seu non prohibeo quidem ne oret, sed non audeo polliceri, quod facile postulata impetraturus sit; nonnumquam enim Deus ea non concedit quæ pro nefandissimis hominibus poscuntur, juxta illud Hierem. 7. *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te*. Tandem dici potest Joannem loqui de peccatis in quorum affectu quis moritur: ita sensit Augustinus lib. 1 Retract. c. 19. Textum S. Doctoris superius retulimus.

Ad

Ad alteram confirmationem respondent nonnulli termino, *Impossibile*, quo Paulus ad Hebræos 6. utitur, non absolutam & metaphysicam, sed morale tantum impossibilitatem designari: Contendunt alii Apostolum de absoluta etiam impossibilitate loqui; sed qui sic sentiunt, totum locum intelligunt de renovatione per baptismum, non per contritionem quæ ordinem dicat ad Sacramentum Pœnitentiæ: ita ut Paulus significare voluerit eos qui peccant post baptisma, quod ex Patribus, est Sacramentum illuminationis, justitiam non posse consequi per aliud baptisma quo renoventur & regenerentur; Chrysostomi est ea expositio, quam hujusce nostri Commentarii pagin. 83. fuse enarravimus.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum peccata per contritionem dimissa, redeant per subsequens aliquod scelus?

CONclusio. Peccata per contritionem remissa, per subsequens scelus non redeunt quidem simpliciter, sed redeunt secundum quid.

Probatur prior pars primo. Peccata semel dimissa non redeunt secundum esse physicum: nam peccatum mortale quod prioris dimissionem subsequitur, non efficit ut idem numero actus per quem quis peccavit, iterum a voluntate producatur. Secundo. Non redeunt quoad esse morale, sive quoad culpam aut pœnam; tum quod dona Dei (dicente Scriptura) sint sine pœnitentia, tum quod Deus asserat se dimissi peccati non recordaturum iri: *Si impius egerit pœnitentiam* (inquit Ezech. 18.) *omnium iniquitatum ejus non recordabor*: tum denique quod pœnitenti concedatur peccatorum remissio sine ulla conditione de futuro, ut videre est in Sacramentorum formulis; ac proinde independenter a peccato, in quod quis post obtentam veniam prolapsus fuerit.

Probatur altera conclusionis pars. Peccatum redire, *secundum quid*, est culpam quæ sequitur remissionem peccati, reddi graviorem. Atqui reipsa fit gravior, ratione nimirum ingratitudinis in hoc positæ, quod pœnitens rursum eum offenderit a quo misericorditer fuerat veniam consecutus.

Objicies primo. Matth. 18. legimus, quod quamvis Dominus servo iniquo totum debitum remisisset; tamen audita illius in conservum immanitate, concessam prius dimissionem revocarit, ac tantum exegerit quantum debebat ante remissionem: *Iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum.*

Resp. dimissum servo debitum rediisse, *secundum quid*, seu æquivalenter; quatenus nempe immanitas qua sævit in conservum, exæquavit malitiam omnium peccatorum quæ prius dimissa fuerant: Unde Jacobus Epist. Can. cap. 2. merito hæc scribit: *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.*

Objicies secundo. Merita per peccatum mortificata reviviscunt cum hominem pœnitet admissi sceleris. Ergo a pari iniquitas remissa redit per peccatum subsequens: idque videtur Jacobus docuisse cum capite 2. Epist. Can. hæc ait: *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est primo, quia Deus cum sit summa bonitas, proclivior est ad benefaciendum quam ad puniendum. Secundo. Mortificatio meriti (inquit S. Thomas) est opus hominis; remissio vero peccati est opus Dei: unde ad illam quidem, non autem ad istam, homo actionem suam potest extendere.

Objicies tertio. Contingit nonnunquam ut quis in statu peccati mortalis admissi post acceptam in Sacramento Pœnitentiæ remissionem moriatur antequam pro peccato per absolutionem dimisso satisfecerit. Atqui, eo saltem in casu, peccatum prius remissum redit, castigabitur nimirum in inferis pœna eterna, cum in inferis nulla sit pœna temporalis. Ergo &c.

Respondent nonnulli, peccatum illud remissum, pœna æterna castigatum iri per accidens, non autem per se. Verum hoc ex reditu peccati dimissi non provenit, sed ex eo quod inferi non sunt locus ubi remissio aliquem locum habeat. Respondent alii neg. min. Infligetur enim in infernis (inquiunt) pœna temporalis quæ in hac pro peccato quoad culpam dimisso exsoluta non fuerit. Confirmant authoritate S. Thomæ qui in 4. Sent. dist. 22. quæst. 1. art. 1. ad 5. asserit non esse inconveniens, *Quod quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur ex consortio damnatorum.*

ARTICULUS QUARTUS.

De meritorum reviviscentia per contritionem.

DUO hic perpendenda sunt. 1. Res ipsa, seu an merita justi per crimen subsequens mortificata, aliquando reviviscant. 2. Modus rei, sive ad quem gradum gratiæ & gloriæ reviviscant.

§. I.

Utrum merita per peccatum subsequens mortificata reviviscant?

COnclusio. Merita per peccatum subsequens mortificata, de facto per contritionem reviviscunt.

Probatur 1. ex Scriptura, qua docemur ita Deum peccata remittere ut eorum amplius non recordetur. Recordaretur tamen (inquit Estius) si merita non reviviscerent, cum propter dimissum peccatum, quod merita hominis justi subsecutum est, priora opera mercede, alioquin eis debita, privanda essent.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino. Sacra Synodus sessione 6. cap. 16. docet ad opus meritorium, cui in fine gloria æterna debet rependi, tria tantum requiri. 1. Ut sit hominis justificati. 2. ut Dei auxilio fiat. 3. Ut ipsemet operans in statu gratiæ moriatur. Atqui tria illa contingunt, quando virum pium sui lapsus postea pœnitet, ut oportet: Ergo tunc præcedentia illius merita reviviscunt.

Objicies 1. Sunt aliquæ virtutes, quæ per pœnitentiam redire non possunt v. g. virginitas, juxta illud Hieronymi Epist. 22. ad Eustochium: *Audenter loquor, cum omnia possit Deus, virginem suscitare non potest post ruinam.* Ergo merita per peccatum mortificata non redeunt per subsequentem contritionem.

Resp. locum ex Hieronymo allatum probare Deum non posse restituere virginitatem secundum esse materiale sumptam, seu prout posita est in integritate corporis, & immunitate a venereæ delectationis carnalis experimento; Non autem sumptam secundum esse formale; quia sic accepta nihil aliud in suo conceptu formali includit, præter firmum propositum temperandi deinceps a quolibet actu venereo, & nolitionem præteritæ voluptatis, si id esset possibile.

Objicies 2. Merita in homine, qui in peccatum mortale labitur, nullo modo remanent. Siquidem peccatum lethale meritis hujusmodi formaliter opponitur, peccatum enim demeritum secum importat, & peccantis cum Deo inimicitiam includit; Merita igitur per crimen subsequens omnino destruuntur: Ergo per subsequentem contritionem reviviscere non possunt.

Resp. allato argumento probari quidem merita non remanere in homine, qui in peccato mortali jacet, sed contendo eo non evinci quod in acceptione divina non remaneant. Quamvis enim proximum meritorum principium, quod est charitas habitualis, omnino per peccatum subsequens exinanitum fuerit; non tamen destructa fuit primitiva eorum origo, Christum dico; propter cujus dignitatem Pater æternus rationem habet meritorum, quibus justi antequam laberentur in peccatum, enituerent.

Objicies 3. Quando contractus est conditionatus, ubi deficit conditiō, ille contractus rescindatur oportet. Atqui contractus, quo Deus justorum operibus mercedem pollicitus fuit, est conditionatus, hanc enim conditionem præsupponit, nimirum, quod ex parte merentis obex non adveniat, qui quidem obex non est aliquid aliud quam peccatum lethale: Ergo quando obex ille accidit, tunc contractus omnino rescinditur proindeque meritis, quæ peccatum præcesserunt, nulla omnino merces debetur.

Resp. conditionem contractus, de quo objectio, non esse eam, quæ in argumento refertur, sed istam, si peccatum justi cum morte conjunctum non sit, seu si justus lapsus, ante pœnitentiam e vivis non excedat.

§. II.

Ad quem gratiæ & gloriæ gradum merita justi per peccatum mortificata reviviscant?

TRiplex est circa propositam quæstionem sententia. Prima est Nominalium, qui contendunt hominem in sua resurrectione spirituali gratiæ gradum recipere qui suæ contritioni respondeat, & præterea donari tota sanctitate, qua præditus erat ante suum peccatum. Altera opinio est Dominici Soto asserentis pœnitentem, ut unum verbi gratia novum gradum gratiæ præteritæ, & unum novum ratione suæ contritionis præsentis recipere, & tandem omnes antiquos, si eum summe pœniteat; Ita ut, si ante viginti gradus gratiæ habuerit, eos omnes recepturus sit cum novis qui summæ suæ contritioni præsenti respondeant. Tertia sententia est Sylvii multorumque Thomistarum docentium hominem per pœnitentiam ad eum solum gratiæ sanctificantis gradum resurgere, qui præsentis suæ contritionis intensioni conveniat. Quam nos ex iis opinionibus amplectamur sequentes conclusiones declarabunt.

Conclusio 1. Homo per contritionem non semper resurgit ad totum gratiæ gradum, quo ante suum lapsum eminebat.

Probatur 1. Si homo semper ad totum gratiæ gradum quo eminebat ante lapsum, resurgeret, sequeretur virum, qui postquam per sexaginta annos sanctissime vixit, in mille immania scelera labitur, sequitur (inquam) totam suam priorem sanctitatem per remissæ admodum contritionis actum recuperare. Sed hoc videtur absurdum; ut enim is, qui arctissima amicitia cum Rege conjunctus fuit, & postea multis injuriis illum affecit, non quacumque levi pœnitentia, sed intensa dumtaxat & variis experimentis probata pristinum amicitiæ gradum recuperat; ita nec peccator in totam suam cum Deo veterem amicitiam per remissam quamcumque contritionem redire potest.

Probatur 2. Justi, qui in varia flagitia lapsi sunt, post suam conversionem difficultates non leves in exercendis pietatis operibus experiuntur. Ergo omnes eam charitatem semper non recipiunt, qua prius eminebant. Magna enim charitas, cum ex Apostolo non sit otiosa, ingentes illas difficultates superaret, Ergo &c.

Probatur 3. Si tanta foret cujuscumque veræ resurrectionis sanctitas, quanta ante peccatum extiterat; Gratia per Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis data, toties redire deberet, quoties peccator suo sceleri remitteret nuntium. At id gratis assereretur; Nam licet ex antiquis Patribus colligatur Sacramenta, quæ characterem imprimunt, si ficto, seu habenti ad crimen affectum, dentur, sublata postmodum fictione, suum effectum, gratiam scilicet sanctificantem producere: ex nullo tamen alicujus nominis antiquo scriptore colligi potest quod ea Sacramenta sæpius reviviscant, & quod Deus illorum actionem multoties suppleat.

Objicies 1. Hæc ait Deus Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Capite 33. hæc habentur: *Impietas ejus non nocebit ei, si egerit pœnitentiam.* Atqui si Deus non restitueret cuilibet vere pœnitenti singulos pristinos gratiæ gradus, recordaretur iniquitatum illius, impietas, quamvis dimissa, ei noceret; gloriæ etenim qua alioquin in cœlis esset fruiturus, intensionem impediret.

Resp. significari priori loco peccatorum, de quibus justus conteritur, Deum ita non recordari, ut ea castiget. Posterior eumdem quoque sensum patitur nempe significat, quod impietas contrito non noceat ad damnationem, non significat autem quod nullum ex ea patiatur detrimentum. Et vero pravi quidam habitus, seu propensiones ad malum post peccata, etjam dimissa, remanent, quibus quidem habitibus charitatis fervor impediatur, quibusque justus in pietatis operibus, quibus antea alacri se dabat animo, segnior ac tardior efficiatur.

Objicies 2. Se habent respectu gradus gratiæ, merita quæ peccatum præcedunt, sicut causa se habet respectu sui effectus: Ergo quemadmodum Causa, cum omnino sublatus est obex, totum suum effectum producit: ita etiam merita totam priorem gratiam habitualem producant oportet, quando peccatum, quod illius gratiæ solus erat obex, penitus per contritionem, ac Sacerdotis absolutionem deletum est.

Resp. causam totum suum effectum producere quidem cum ad hujusmodi effectus productionem nihil aliud quam causæ existentia requiritur: At in casu, de quo est quæstio; sive in meritis recuperandis, præter ablationem obicis, aliqua conditio, contritionis nimirum intensio, necessaria est; quemadmodum enim illa eadem intensio ad novam gratiam disponit, ita etiam & ad antiquæ vivificationem præparat.

Conclusio 2. Homo per pœnitentiam ad eum solum gratiæ gradum resurgit qui suæ præsentis pœnitentiæ intensioni respondet, non vero ad aliquem alium gratiæ præteritæ gradum.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ, qui 3. part. q. 89. art. 2. sic loquitur: *Secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior, vel remissior; secundum hoc pœnitens consequitur majorem, vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quam fuerat illa, a qua ceciderat per peccatum, quandoque vero minori; & ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia, quam prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori*. Ex eo S. Doctoris loco patet gratiæ intensionem, ad quam pœnitens resurgit, ex sola intensione contritionis, quæ reperitur in pœnitente desumi, solius enim illius intensionis, non autem graduum meritorum qui præcesserint, S. Thomas meminit.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. hæc ajunt Patres: *Vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem*. Ea Patrum Tridentinorum sententia docemur gratiæ gradum desumi ex majori vel minori, & quidem præsenti subjecti dispositione & cooperatione, non autem ex perfectiore, vel imperfectiore statu, in quo justus ante suum lapsum extitit: Sed illa dispositio, illa cooperatio, illa mensura sunt ipsamet pœnitentis contritio, quæ quidem in lapsis ultima est ac proxima ad justificationem præparatio. Ergo &c.

Nec est quod quis reponat Concilium Tridentinum de prima infusione gratiæ loqui, non autem de ea, quæ fit in justificatione post lapsum. Nam 1. Concilium inter primam, & secundam justificationem nullo modo distinguit, nec in Patribus qui ante sacram illam Synodum scripsere sic distinguendi aliquod reperitur fundamentum: 2. Eadem ratione secunda & prima justificatio fiunt, easdem quippe dispositiones, quæ ad recuperandam amissam justitiam requiruntur, Concilium Tridentinum cap. 6. sess. 6. requiri docuit ad justificationem, quam Catechumeni consequuntur in baptismate.

Objicies 1. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 10. hæc habet: *Justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino: Non enim injustus est Deus ut obliviscatur operis vestri, & di-*

& dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius. Illis sacræ Synodi verbis ntuntur Theologi nt osteodant antiqua merita per contritionem reviviscere. At illis eisdem verbis probatur parirer per quamcumque pœnitentiam, vel maxime remissam, impium redire in totam suam veterem justitiam, quippe quæ demonstrent, nullum antiquæ justitiæ gradum in cœlis mercede vacuum fore; Deus siquidem, cum maxime justus sit, nullius gradus potest oblivisci.

Resp. Deum remuneraturum in cœlis essentiali beatitudine singulos justitiæ gradus quibus pœnitens anto lapsnm præditus fuit: Sed hinc non sequitur pœnitentem per quamcumque contritionem omoes illos antiquos justitiæ gradus in terris recipere. Ratio est, quia eadem merces, quæ rependitur in cœlo contritionis intuitu, rependetur pariter propter omnes charitatis gradus qui justi peccatum præcessere. Nec mirum videri debet quod duplici titulo res aliqua conferatur, tum quia Christus corporis sui gloriam connaturalitatis titulo sibi debitam, snæ tamen passionis merito comparavit: Tnm etiam quia S. Thomas 3. part. quæst. 89. asserit meritnm contingere tripliciter 1. Quando aliquis præmium de non debito facit debitum. 2. Quando facit magis debitum; quod contingit in eo, in quo charitas augetur. 3. Quando facit debitum uno modo, quod antea alio modo debebatur.

Instabis 1. Sequitur ex illa responsione nihil gloriæ in cœlo justis accrescere propter merita, quibus ante lapsum enituerunt. Nam etiamsi quolibet ante lapsum merito vacui fuissent, eadem donareotur beatitudine: Quod tamen absurdum videtur.

Resp. nihil quidem gloriæ essentialis jnsto, de quo argumentum, in cœlis accrescere, sed major ei obvenit accidentalis beatitudo, quam si ejus lapsum nulla merita præcessissent. Solutionem illam tradit S, Thomas 3. part. quæst. 89. art. 5. ad 3. ubi sic loquitur. *Dicendum quod ille, qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale secundum quantitatem charitatis, in qua invenietur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quæ in secunda charitate fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.*

Instabis 2. Absurdum est asserere hominem, qui tamquam alter Joannes multis annis pie in eremo vixit, ac postea in unum dumtaxat peccatum mortale lapsus est, cujus deinceps eum pœnituit, non plus gloriæ essentialis in cœlo recepturum, quam latro quem in nltima periodo constitututum pœnituit vitæ quam per sexaginta annos in homicidiis, flagitiisque atrocioribus duxerat; illud tamen absurdum ex præcedenti responsione consequitur. Ergo &c.

Resp. negando id, qnod tamquam absurdnm objicitur, revera quidpiam absurdi continere. Ratio est (inquit Contensonius) quod sicut non fuit inconveniens Patremfamilias novissimos in vinea laborantes pares eis fecisse, qui portaverant pondus diei, & æstus, quod nempe fervore, & instantia laboris, id quod de tempore deerat, supplevissent: ita non est mirum quod flagitiosus ex omni scelerum colluvie emersus eamdem obtineat gratiam, & gloriam, quam is, qui ante suum peccatum sanctissime per multos annos vixit, si tamen eodem conatu ad gratiam, & gloriam se disponat, quod pius ille qui tandiu suam iononcentiam servavit, & postea lapsus est: *Nam* (ut optime monet Hieronymus) *apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris.* Effatnm illud confirmat S. Chrysostomus libro de reparatione hominis, ubi sic loquitur: *Non temporis longitudine, sed affectus sinceritate pœnitudo censetur: Latro ille, qui pendebat in cruce non eguit prolixitate temporis nt ingressum paradisi meretur.*

Objicies 2. Si quis post baptisma, ficte receptum conteratur, gratiæ gradum recipit qui suæ contritioni respondeat, & alium gradum qui baptismatis effectui conveniat: Ergo a pari quando justus, qui peccavit, conteritur, eo gratiæ gradu donatur qui respondeat suæ cotritionis intensioni, & præterea alios recipit qui antiquæ suæ justitiæ conveniant.

Resp. N. conseq. Ratio disparitatis est, qnia baptismus ficte susceptus, recedente postea fictione, ex vi operis prius operati, suum effectum, antea propter fictionem nequaquam productum sortitur: Unde mirum non est, quod duplicem gratiæ gradum contritus recipiat, unum quidem per baptismum, & alterum per sacramentum pœnitentiæ: At idem de justitia quæ peccatum præcessit, dici non potest; Illa enim præterita justitia cum io subjecto nec physice nec moraliter remaneat, sed tantum in acceptatione divina, qnæ pœnitenti est omnino extrinseca, quidpiam operari non valet.

Caput Quartum.

De divisione Contritionis.

PErcelebris est divisio contritionis in perfectam, & in imperfectam. Concilium Tridentinum utriusque meminit sess. 14. c. 4. ubi definitur primo. Contritionem charitate perfectam (seu, ut ait catechismus Romanns, acris, vehemens, & incensa) hominem Deo reconciliare (ordinarie quidem secundum nos, aliquando vero sen extraordinarie tantum, nempe cum urget necessitas, ut placet Estio qnem inferius consntabimus) priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur, non tamen sine Sacramenti vnto quod in ea includitur. Definitur secundo. Contritionem imperfectam quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ metu communiter concipitur, esse (in se ipsa, & secundnm objectum seu secundnm speciem cum timor gehennæ in se utilis sit, & bonus) Dei donum, & impulsum Spiritus sancti moventis, (imo & secundum individnum, hoc est, si ex parte hominis attriti nulla parva circumstantia vitietur, seu (ut ait Concilium) si voluntatem peccandi exeludat cum spe veniç.) Definitur tertio. Contritionem illam imperfectam disponere (remote tantum si inchoato Dei amore super omnia vacua sit) ad recipiendam gratiam in Sacramento: proxime vero, (ut infra ostendemus) si præter timorem gehennæ, inchoatum amorem Dei super omnia complectatur. Ex iis vero definitionibus Concilinm concludit, immerito qnosdam calumniari Ecclesiam quasi doceat Pœnitentiæ Sacramentum absque bono motu suscipienrium, gratiam conferre; placet hic Sacræ Synodi verba subjicere: *Docet* (Sacra Synodus) *etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam: Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitnr, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam Dei donum esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem queat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit: Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus Pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidem calumniantur Catholicos scriptores quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod numquam Ecclesia Dei docuit nec sensit, Sed & falso docent Contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam.*

Superius, pag. nimirum 322. ostensum est Contritionem qnæ ex gehennæ metu concipitur esse actnm liberum, imo & pium si nulla prava circumstantia ex parte peccatoris vitietur. Unde sequitur quod ad gratiam in Sacramento recipiendam disponat. Igitnr ut quod mox relatum est Concilii decretum adæquate explicetur, quærendum est. 1. Utrum Contritio charitate perfecta homioem Deo reconciliet prius-

quam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur ? 2. Utrum Contritio imperfecta satis sit ad gratiam in Sacramento recipiendam ?

Articulus Primus,

Utrum Contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliet priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur ?

Charitas actualis per quam Contritio perfici concipitur, vel est perfecta tum extensive tum intensive; vel perfecta quidem extensive, sed imperfecta intensive, hoc est, charitas illa vel est Dei super omnia in gradu intenso, vel est Dei super omnia in gradu remisso. Contritionis actus qui priore charitate informatur, absolute dicitur Contritio perfecta; qui vero informatur posteriore seu qui præcipue concipitur ex amore Dei qui sit quidem super omnia, sed in gradu remisso, appellatur Contritio imperfecta, ut inferius suo loco dicetur.

§. I.

Proferuntur tum hæreticorum errores tum variæ Catholicorum sententiæ ?

Lutherus censuit contritionem nusquam hominem Deo reconciliare, sive in actuali receptione Sacramenti Pœnitentiæ, sive priusquam actu recipiatur. Nitebatur vero duplici principio. 1. Ratum ipsi fuit (ut pag. 327. a nobis observatum est) neminem, qui justificatus non sit, posse elicere contritionis actum qui ex perfecto aut imperfecto Dei amore concipiatur. Persuasum illi fuit 2. Contritionem quæ charitate aut perfecta aut imperfecta efformatur, effectum esse justificationis, quæ prius habita sit per fidem misericordiæ specialis, seu per hunc actum quem impius elicuent. *Certe credo mihi per Christum remissa esse peccata.*

Martinus Kemnitius in secunda parte Examinis pag. 960. Concilio Tridentino vertit crimini quod declararit Contritionem, quæ est charitate perfecta, hominem Deo reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur: Utitur autem hic ratione quod per absolutionis verba annuncietur Dei verbum, quo impius ad specialis misericordiæ fidem excitetur.

Estius in 4. Sent. Dist. 17. §. 2. fatetur quidem Contritionem charitate perfectam, de qua Concilium Tridentinum loquitur, hominem Deo reconciliare priusquam ipsum Pęnitentiæ Sacramentum actu recipiatur, sed id raro fieri contendit. *Cum secundum fidem Catholicam* (inquit) *dubitandum non sit quin Contritionem aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum ipsum actu suscipiatur .... Quæri potest utrum id quod aliquando contingere supponit ac fatetur Synodus Tridentina, contingat semper, an ordinarie, an frequenter, an raro: Nihil enim horum Synodus expresse determinat. Unde quod Navarrus cap. 1. sui Manualis num. 24. dicit post Concilii declarationem non esse dubitandum quin frequenter fiat, parum circumspecte dictum est ab illo. Non enim Concilium agnoscit frequenter id fieri, sed aliquando; quæ duo sunt maxime diversa.* Sic explicatus difficultatis sensus mox ab eodem Estio hisce verbis solvitur: *Ad quæstionem itaque probabiliter respondetur: neque ordinarie, neque frequenter, ac multo minus semper, sed raro fieri, ut ante actualem Sacerdotis solutionem peccator sit absolutus coram Deo.* Cum idem author fateatur id aliquando contingere, quærit postea quibus in casibus id fiat: *Jam vero* (inquit) *si quæritur quando id contingat quod non ordinarie, sed raro contingere fatemur, idem hic respondendum videtur quod de Baptismo, cum sit utriusque Sacramenti quantum ad effectus consecutionem par ratio. Primum igitur non est dubium quin urgente articulo mortis, quando Sacerdos haberi non potest, in homine vere contrito votum Sacramenti suppleat quod ex parte Sacramenti deest: idque juxta certissimas Dei promissiones has, & similes; Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit &c Sed præter hunc casum alias id contingere non est dubitandum, nimirum quando occurrit casus scandali aut alterius peccati incurrendi, si absolutio petatur: Item quando quis omnino non potest, aut certe difficillime potest, opportuno tempore adire Sacerdotem, a quo absolvatur, velut si habitet inter infideles aut teneatur in vinculis, aut simili quopiam impedimento prohibeatur. Quamvis enim nondum mortis periculum instet, non tamen verisimile est ejus reconciliationem, atque in statum gratiæ restitutionem apud Deum differri, qui non est in culpa nec in mora quominus a Vicario Christi absolutionem petat, præsertim si fervor contritionis desiderium quoque Sacramenti accenderit.*

Doctissimus ac maxime pius Joannes De Neerkassel, primum Oratorii Gallicani Presbyter, postea Illustrissimus Episcopus Castoriensis, & apud Batavos Summi Pontificis Vicarius, censuit Contritionem, vel imperfectam, seu quæ ex remista quidem, sed tamen prædominante charitate, præcipue concipitur, hominem Deo *semper* reconciliare antequam Pęnitentiæ Sacramentum actu recipiatur. Eam sententiam in Appendice quam addidit libro 2. operis quod inscripsit, *Amor pœnitens*, conatur ostendere variis argumentorum generibus, quæ quidem hisce verbis concludit: *Hæc mihi certo videtur esse mens S. Thomæ, juxta quam non difficulter intelligitur, remissionem peccatorum ministerio clavium præcipue tribui debere, quamvis a Contritione per amorem Dei super omnia dilecti non appareat eam posse separari.* Ab ea opinione non recessit Illustrissimus Præsul in altera sui operis editione, licet (prout optarat Alexander Papa VIII.) in ea explicuerit quo in sensu in priore editione sumpsisset nonnulla quæ propter terminorum æquivocationem in pravum sensum detorqueri posse Romanis Inquisitoribus visa fuerant: adeat lector Epistolam ad Clerum num. 14. quam alteri de qua loquimur editioni præfixit.

Plures alios Scriptores reperire est qui doceant Contritionem imperfectam, seu quæ concipitur ex charitate perfecta quidem extensive, seu quæ sit super omnia, sed imperfecta intensive, hoc est, quæ sit in gradu remisso, ordinarie hominem Deo non reconciliare priusquam Pęnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur; id tamen præstare extraordinarie, in iis nimirum casibus quos ex Estio mox retulimus: Quid nos in ea opinionum varietate sentiamus, triplici conclusione aperietur.

§. II.

Confutatur Lutheranorum error.

Conclusio. Hæreticum est dogma quo asseritur contritionem perfectam nusquam hominem Deo reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur. Est contra Lutherum.

Probatur 1. Dogma de quo agitur, repugnat expressæ definitioni sacri Concilii Tridentini, ut patet ex verbis quæ ex eo laudavimus. 2. Non cohæret cum ipsius Lutheri principiis, quippe qui doceat impium consequi justitiam per fidem misericordiæ specialis: ea vero fides extra Pœnitentiæ Sacramentum concipi potest, nimirum vel ex lectione Sacræ Scripturæ, vel (ut adversarii volunt) ex memoria baptismi, vel ex auditu verbi Dei. 3. Ruit plane fundamentum quo Lutherus nititur: ideo enim negat impium per contritionem perfectam justificari posse priusquam Sacramentum actu suscipiatur, quod censeat contritionem ex Dei amore concipi non posse ab eo qui jacet in statu peccati mortalis. 4. Huc adduci possunt Scripturæ textus quibus venia iis promittitur quos perfecte pœnituerit: *Si impius averterit se ab injustitia sua* (inquit Deus Ezech. cap. 18.) *omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Recordaretur vero si (ut ex adversariorum syllemate concluditur) cruciatibus æternis eum addiceret, qui perfecte contritus ante receptam actu Sacerdotalem absolutionem exiret e vivis. Idem habetur Isaiæ 30. *Si reversus ingemueris tunc salvus eris.* Ex qua sententia S. Leo Magnus hancce conclusionem elicit

Epist.

Epist. 91. quæ est ad Theodorum Forojulii Episcopum: *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera* (& perfecta) *conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*. 5. Hnc quoque referri possunt tum Scripturæ tum Traditionis textus, quos quarto hujusce articuli paragrapho referemus.

§. III.

Impugnatur Estii sententia.

Conclusio. Perfecta Contritio, non aliquando tantum, sed semper hominem Deo reconciliat priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino, quod sess. 14. cap. 4. docet aliquam Contritionem, eam nimirum, quæ perfecta est charitate, hominem Deo reconciliare priusquam Sacramentum actu recipiatur. Censet igitur Contritionem tum extensive, hoc est, appretiative, tum intensive perfectam in eodem subjecto componi non posse cum statu peccati mortalis.

Nec audiendus est Estius cum reponit Sacram Synodum uti adverbio, *Aliquando*, quo quidem innuat perfectam Contritionem, non semper, & ordinario, sed *aliquando* tantum, cum nimirum urget necessitas hominem Deo reconciliare antequam Sacramentum actu recipiatur: Non est (inquam) audiendus. Nam adverbium, *Aliquando*, non cadit in reconciliationem impii, de qua Concilium loquitur, sed in hos terminos, *Charitate perfectam*; ita, ut sensus sit contingere *aliquando* Contritionem esse charitate perfectam; non vero Contritionem charitate perfectam reconciliare *aliquando* impium, antequam Sacramentum actu recipiat, sensus ille offert se cuique Sacri Concilii textum legenti ac præoccupationibus libero. *Docet* (inquit Sacra Synodus) *etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur &c.*

Probatur 2. authoritate Pii Papæ V. a quo proscripta fuit hæc propositio quæ nu. 31. inter eas legitur quæ Michaeli Bayo adscriptæ fuerunt: *Charitas perfecta* (quæ in Contritione perfecta semper includitur) *quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, in Catechumenis, & pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum*. Damnatæ quoque fuerunt trigesima secunda, & trigesima tertia, quæ sic habent: *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non semper est conjuncta cum remissione peccatorum, Catechumenus juste, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam peccatorum remissionem, quæ in Baptismi Sacramento demum recipitur*. Ex earum propositionum damnatione, illæ contradictoriæ inferri debent, Charitas perfecta, ac proinde perfecta Contritio, *nusquam* potest esse in catechumenis, & pœnitentibus sine remissione peccatorum. Charitas illa quæ est plenitudo legis (quod nimirum tum extensive, tum intensive perfecta sit,) *semper* est conjuncta cum remissione peccatorum. Vidit Bayus ipse consequentias hujusmodi; unde in Apologia quam in sui defensionem conscripsit contestatus est se duas posteriores propositiones nempe 32. & 33. nusquam protulisse in medium, *Hæ duæ sententiæ* (inquit) *in meo libello non habentur*. Priorem vero propositionem pro sua quidem habuit, sed reposuit se perfectæ charitatis nomine eam intellexisse, quæ extensive quidem perfecta esset, seu Dei super omnia, sed non intensive, seu (ut ait Catechismus Romanus) quæ esset acris, vehemens, & incensa: *Hoc dixi* (inquit) *adversus eos qui in catechumenis, & pœnitentibus ante remissionem peccatorum, contra Concilium Tridentinum, nullum omnino charitatis initium agnoscunt*. Addit se de ea charitate tantum locum fuisse quam Augustinus passim appellat boni cupiditatem: *Quanta potui diligentia* (ait) *ostendere conatus sum bonum animi motum, qui ante remissionem peccatorum a Christi dono in peccatoribus reperitur, etiam in Scripturis Sacris nomine dilectionis, seu charitatis intelligi. Hoc etiam docet Augustinus libro secundo contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 9. ubi loquendo de imperfecta boni cupiditate ait: Quid enim est boni cupiditas, nisi charitas?* Sic paulo post idem author admittit veritatem propositionis contradictoriæ illi quam Pius proscripit: *Quod quia collector proponere damnandam non audebat, licet forte displiceret, ideo ut adversum nos aliquid dicere videretur, hanc propositionem, quæ & falsa est, & a sensu nostro prorsus aliena, nobis affinxit, quasi vero unquam somniassemus perfectam charitatem ex corde puro, & conscientia bona in iis reperiri, qui peccatorum remissionem nondum sunt consecuti*. Ideo Apologiæ verba retuli ut ii qui Estio adhærent, intelligant propositionem qua asseritur contritionem perfectam posse esse *aliquando* sine remissione peccatorum, debita censura perstrictam fuisse. Eam jam multis ante sæculis Chrysostomus rejecerat, quippe qui hom. 7. in posteriorem Epist. ad Timotheum hæc scribat: *Sicut ignis absylvam occupaverit, omnia purgare consuevit; ita & charitatis* FERVOR, *quocumque inciderit, omnia perimit atque perrumpit. Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala*.

Probatur 3. ex judicio doctrinali Sacræ Facultatis Parisiensis. Anno 1560. illius examini oblata fuit hæc propositio: *Per Contritionem* (utique perfectam tum intensive tum extensive) *non adhibito realiter Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra casum martyrii, & necessitatis*. Eam vero propositionem Sacra Facultas hac censura perstrinxit, *Hæc propositio est hæretica*; quam quidem censuram ad Estii notitiam pervenisse non videtur, cum illi non responderit, imo ne meminerit quidem iis in locis ubi contendit contritionem perfectam de qua Concilium Tridentinum loquitur, non semper hominem reconciliare, priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur.

Objicies cum Estio 1. Si Contritio perfecta ordinarie hominem Deo reconciliaret, priusquam Sacramentum actu recipiatur, non satis apposite videretur esse dictum a Patribus, quod sententia Petri præcedit sententiam cœli, ut a Bernardo Serm. 1. in Festo Apostolorum Petri, & Pauli. 2. Non est dicendum quod ante perceptionem Eucharistiæ fideles illius Sacramenti effectum ordinarie recipiant: Ergo nec de Sacramentis Baptismi Pœnitentiæ id statuendum est. 3. Huc concurrunt (inquit Estius) argumenta fere omnia quibus probatur necessitas Sacramentalis Confessionis, & Absolutionis: eam nimirum necessitatem Patres tradunt in ordine ad peccatorum remissionem, non quæ prius habita fit, sed quæ sit habenda. 4. Augustinus tractatu 13. in Joannem hæc scribit: *Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum*.

Resp. ad 1. perfectam Contritionem de qua Concilium Tridentinum loquitur, quæque ad gratiam in Sacramento recipiendam non est absolute necessaria, paucis in pœnitentibus reperiri, ac proinde (ut inferius docebitur) ordinarie Petri seu Sacerdotis sententia, præcedit (ut vult Bernardus) sententiam cœli. Ad 2. dicendum est quoque, ideo ante actualem Baptismatis aut Pœnitentiæ susceptionem, ordinarie non haberi illorum Sacramentorum effectum, quod nempe perraro perfecta contritione catechumeni, & pœnitentes ardeant. Ad 3. respondetur rem dici necessariam necessitate medii cum sine illius voto, ejus effectus nulla ratione haberi potest, quamvis sine ea actu recepta aliquando, & non ordinarie habeatur. Ad 4. tandem dicendum est Augustinum loqui de iis catechumenis qui secundum viam ordinariam proficiunt, ac proinde qui ordinaria ardeant contritione non extraordinaria, & a paucis habita, cujusmodi est perfecta contritio. Ex his patet falso principio niti omnia, quæ congerit Estius argumenta; supponunt scilicet perfectam Contritionem, cujus Sacra Synodus meminit cum ait eam hominem Deo reconciliare antequam Sacramentum

actu

actu fuscipiatur, abfolute ac neceffario requiri, ut impius in Pœnitentiæ Sacramento juftificationis gratiam confequatur: Quod eft falfum. Nam (ut infra dicetur) quamvis ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem, & efficaciam requitatur Contritio, quæ concipiatur ex Dei amore fuper omnia, non requiritur tamen perfecta contritio, eo quod inchoatus tantum (utpote in gradu remiffo) Dei amor fuper omnia fatis fit ut Sacramentum Pœnitentiæ valeat, & ut peccatorum remiffionem operetur.

Quæres unde oriatur incompoffibilitas perfectæ Contritionis cum ftatu peccati mortalis?

Refp. 1. eam non oriri ex natura ipfius charitatis: quamvis enim charitas ex fe non fit compoffibilis cum affectu ad peccatum mortale; tamen, quantumcumque fit intenfa, ftare abfolute poffet cum macula quam anima peccando contraxit. Refp. 2. eam incompoffibilitatem oriri ex mero beneplacito Dei, qui præ fua in hominem mifericordia ftatuit fe culpam creaturę deleturum vel per fe ipfum immediate (ut fiebat in antiqua lege) vel per Sacramentum in voto fufceptum (ut fit in Evangelio) quoties creatura ad eum fe fe converfura effet per dolorem ex charitate perfecta conceptum.

§. IV.

Impugnatur illuftriffimi Epifcopi Caftorienfis opinio.

Conclufio. Contritio imperfecta licet ex inchoato Dei amore fuper omnia concepta fit, ordinarie hominem Deo non reconciliat, priufquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur.

Proatur ex Scripturis noftra conclufio, cui repugnat illuftiffimus Epifcopus Caftorienfis.

Scriptutis docemur 1. inchoatum Dei amorem fuper omnia, fen charitatem *extenfive* quidem perfectam, fed imperfectam *intenfive*, ordinarie fatis non fuiffe in lege veteri, ut hominem Deo reconciliaret. Nemo revocat in dubium quin Magdalena inchoatam illam in Deum charitatem probaverit, cum ad Chrifti pedes provoluta, eos rigavit lachrymis, crinibus terfit, perfudit nngnento: iis nimirum actibus vanæ apud homines famæ nuntium remifit, ea omnia dimifit quæ prius deperierat: eo agendi genere palam teftata eft fe de criminibus per veram pœnitentiam delendis effe follicitam. Atqui tunc Magdalena nondum peccatorum fuorum remiffionem confecuta fuerat: eo nempe beneficio tunc primum donata eft cum charitate jam adulta, & per eos pietatis actus plurimum aucta, hæc Lucæ 7. verba audiit a Chrifto: *Remittuntar ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ita fenfiffe videtur Auguftinus homilia 23. inter quinquaginta, ubi fic de pia illa muliere loquitur: *Acceffit immnnda* (feu in ftatu peccati mortalis licet jam illius affectu libera) *ut rediret munda; acceffit ægra, ut rediret fana. Nam quare fecit illa omnia nifi nt fibi dimitterentur peccata?* Quod de Magdalena Auguftinus afferuit, eam fcilicet non nifi per charitatem multo fervore perfectam, juftificatam fuiffe, Carechifmus Romanus ad Parachos de aliis omnibus Jndæis afferuiffe videtur, cum hæc ait agens de inftitutione Sacramenti Pœnitentiæ: *Ut hoc concedamus Contritioae peccata deleri, quis ignorat eam adeo vebementem, acrem, & incenfam effe oportere, at doloris acerbitas cum fcelerum magnitndine æquari conferrique poffit? Et quoniam pauci ad hunc gradum* (in antiqua lege) *pervenirent; fiebat etiam ut a pauciffimis hac via peccatorum veaia fperanda effet: Quare neceffe fuit ut clementiffimus Dominus faciliori ratione hominum faluti coafuleret, qnod qaidem admirabili confilio effecit, cam claves regai cæleftis Ecclefiæ tradidit.*

Docemnr 2. eundem inchoatum Dei amorem fuper omnia, ordinarie fatis non effe in lege nova, ut impius extra Sacramenta Baptifmatis aut Pœnitentiæ juftificationem confequatur. Extra controverfiam eft Paulum Apoftolum fincere converfum fuiffe ac ex imperfecto Dei amore fuper omnia peccata tunc deteftatum fuiffe, cum hifce verbis ad omnia fe paratum exhibuit, *Domine, quid me vis facere*, aut faltem cum ab Anania, Actorum 9. poft triduum a converfioae inventus eft vacans orationi: Nihilominus ab Anania peccatis purgatus habitus non eft, oifi cum actu donatus fuit Baptifmate. *Et nunc, quid moraris* (inquit idem Ananias Paulum alloquens Actorum 22.) *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipfius.*

Probatur iterum noftra conclufio ex antiqua Patrum Traditione.

1. Cyprianus confultus a Caldonio Epifcopo quid difciplinæ io eos fervari deberet, qui, ut refarcirent illatam nomini Chriftiano injuriam per illius abnegationem, fteterantque poftea coram tyrannis, idemque nomen cum bonorum difpendio, periculo vitæ palam confeffi fuerant, nec exquifitis tormentis adduci potuerant ut priorem apoftafiam altera confirmareot; Confultus (inquam) Cyprianus refpoodit lapfos hujufmodi abfque mora donari debere abfolutione Sacramentali, ratus æquum non effe ut ii diutius fub diaboli poteftate, hoc eft in peccati mortalis ftatu, jacere fiocreotur, qui gloriofa confeffione crimen fuum eluerant: *Recte fenfifti* (inquit Epift. 20.) *circa impertiendam fratribus noftris pacem, quam fibi vera pœnitentia, & dominicæ confeffionis gloria reddiderunt. Cum ergo abluerint omne delictum, & macalam primam, affifteate fibi Domino, pofteriore virtnte deleverint*, JACERE ULTAA SUB DIABOLO QUASI PROSTAATI NON DEAENT. Idem S. Martyr docuit Epift. 54. quæ eft ad Cornelium Papam ubi S. Pontificem monet decretum quod in Concilio Carthaginefi latum fuerat de pace feu de abfolutione iis conferenda qni lapfum fnum, hoc eft apoftafiam, nondum plena purgarant pœnitentia: imminere fcilicet perfecutionem aliam Dei fpiritu noverat S. Cyprianus, ad quam fideles Sacramentorum difpenfatione corroborandi erant, nec io ftatu relinquendi io quo expooerentur æternæ falutis periculo: *Quomodo* (ioquit) *poteft ad confeffionem nominis Chrifti paratus aut idoneus inveniri, qui non prius pace accepta receperit Spiritum Patris qui corroborans fervos fnos ipfe loquitur & confitetar in nobis? Tum deinde fi relictis omaibus rebus fuis fugerit, & in latebris atque in folitndine conftitutus ia latrones forte incurrerit, aut in febribus aut in langaore deceffcrit, nonne nobis inputabitur qnod tam bonus miles, qui omnia fua dereliquit, & contempta domo, pareatibus ac liberis, fequi Dominum malait*, (ac proinde qui inchoato faltem Dei amore fuper omnia flagrarit) *fine pace, & communione decedat? Nonne nobis vel negligentia fegnis, vel dnritia crudelis adfcribetur ia die judicis quod Paftores creditas, & commiffas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? Nonne ingeretar nobis a Domino quod per Prophetam fuum clamat, & dicit, Ecce lac coafumitis &c.* Perfuafum igitur erat Cypriano, & toti Carthaginenfi Concilio cui præfuit, ejuimodi pœnitentes non fufcepto actu Pœnitentiæ Sacramento, fuiffe coofecutos per contririonem imperfectam peccatotum fuorum remiffionem.

2. Auguftinus ea ratione qua de Catechumeoorum fanctificatione per Baptifma locutus eft, fuppofuiffe videtur inchoatam charitatem Dei fuper omnia, de qua hic agitur, parem oon effe homini juftificando priufquam Baptifmi Sacramenrum actn fufcipiatur. *Quantumcamqne* (inquit tractatu 13. in Joannem) *Catechnmenus*) fecundum viam ordinariam) *proficiat, adhac farcinam fuæ iniquitatis portat. Non ei dimittitnr nifi cum venerit ad Baptifmum*. Suum illud affertum S. Doctor illuftrat egregia comparatione: *Quomodo* (ait) *non caruit populas Ifrael populo Ægyptiorum nifi cam veniffet ad mare rubrum, fic preffuris peccatorum nemo caret* (ordinarie, feu extra neceffitatis cafum) *nifi cum ad fontem Baptifmi pervenerit*. Idem conceptis terminis affefit lib. 3. de Symbolo ad Catechumenos, ubi conteftatur tunc tantum Catechumenis peccata dimitti cum actu baptizantur; eos peccatorum pondere non effe liberos nifi cum unda baptifmatis abluuntur: *Deus* (inquit) *Non dimittit peccata nifi baptizatis. Ipfa peccata tunc primum dimittit. Noa nifi baptizatis dimittit. Quando? quando baptizantur. Peccata quæ poftea omnibus dimittuntur, & pœ-*

miten-

nitentibus quibus dimittit, baptizatis dimittit. Nam quomodo dicunt, Pater noster, qui nondum nati sunt? Catechumeni quamdiu sunt, super illos sunt omnia peccata eorum.

Respondet illustrissimus Episcopus Castoriensis, Augustinum in locis, quæ relata sunt, agere de iis Catechumenis, qui baptismum aut negligerent aut contemnerent: *Si* (inquit in Appendice quam tomo secundo sui operis adjecit) *loca Augustini ex tractatibus in Evangelium Joannis desumpta attendimus, patebit clarissime ex illis, quæ ea loca præcedunt, Augustinum non ibi loqui de excellentia, & profectu Catechumenorum in charitate, sed de profectu & de excellentia in honestate morum externorum. Loquitur enim ibi de catechumenis qui baptismum tamquam sibi inutilem fastidiebant, quia in se ipsis videbant majora morum ornamenta quam animadverterent in baptizatis.*

Sed viri, cujus memoria in benedictione est quod in Evangelii prædicatione, in frequenti Catholicorum in Hollandia visitatione vires exhauserit suas, & triginta fidelium millibus, & amplius collato Sacramento Confirmationis, in ipso laboriosæ missionis exercitio diem ultimam clauserit; Tanti (inquam) viri pace dixerim, non stare datam solutionem cum prolatis ex Augustino sententiis.

Et sane 1. S. Doctor terminis indefinitis ac proinde æquivalenter universalibus utitur: *Deus peccata non dimittit* (ordinarie) *nisi baptizatis*, & ideo asserit solos baptizatos esse ac dici filios Dei ac posse eum Patrem appellare; *Nam quomodo dicunt, Pater noster qui nondum nati sunt?* Comparat (ut dictum est) baptismum cum mari rubro, asseritque neminem (qui secundum viam ordinariam profecerit) liberum esse ab inimicis seu a peccatis nisi ubi illud mare rubrum, antiquorum Israelitarum instar pertransierit. 2. Augustinus ibidem loquitur de Catechumenis in operum justitia proficientibus, de Catechumenis qui charitate flagrarent, quique diligentia quam in obeundis Catechumenatus exercitiis, probabant zelum quo ardebant & suum in ipsum baptisma desiderium. 3. Esto quod Augustinus baptismi neglectores iis in locis perstrinxerit: inde tamen non conficitur quod non asseruerit cæteris Catechumenis in Dei justitia proficientibus peccata ordinarie non remitti nisi dum baptismus actu recipitur: utitur nempe hoc argumento. (Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, non ei dimittitur nisi cum venerit ad baptismum. Ergo a fortiori neglectores baptismatis suis peccatis irretiti sunt donec ab baptismum venerint.) 4. Ipse Augustinus post suam conversionem non ex iis erat Catechumenis qui baptismum aut contemnerent aut negligerent; peccata nimirum (ut ipsemet ait l. 8. Conf. cap. 12.) deflebat *amarissima contritione cordis:* Divinæ charitatis in se ipsum vim experiebatur: *Sagittaveras tu* (inquit cap. 9. Deum alloquens) *cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus*. Davidis psalmos assiduus decantabat in villa in quam cum Alipio pietatis causa secesserat. *Quas tibi Deus meus* (ait l. 9. cap. 4.) *voces dedi cum legerem psalmos David, cantica fidelia & sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo Catechumenus, in villa cum Catechumeno Alipio feriatus. Quas tibi voces dabam in psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem, toto orbe terrarum adversus typhum generis humani:* Eximia cum fide invocabat Dei numen: *Gaudens* (ait ibidem) *in fide laudavi nomen tuum*. Sed Augustino, licet tunc totus piis operibus vacaret, licet arderet inchoata Dei super omnia charitate, quamvis Baptismatis desiderio teneretur, nondum dimissa erant peccata: *Ea fides* (inquit ad calcem capitis quarti) *me securum esse non sinebat de præteritis peccatis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant*. E contra securus quievit ubi donatus fuit Baptismate, anxietatem omnem ex præteritis peccatis ortam deposuit omnino: *Baptizati sumus* (ait cap. 6.) *& fugit a nobis sollicitudo vitæ præteritæ*. Sancto igitur Doctori persuasum fuit inchoatam Dei charitatem super omnia Catechumenos, etiam minime segnes & pigros, Deo passim non reconciliare priusquam Baptismatis Sacramentum actu suscipiatur.

3. Concilium Tridentinum videtur supposuisse contritionem quæ ex imperfecto, seu remisso Dei amore super omnia præcipue concipitur, licet cum Sacramenti Pœnitentiæ voto conjunctam, Deo peccatorem non reconciliare ante actualem ejusdem Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem. Prohibet nimirum Sacra Synodus ne, qui sibi peccati mortalis conscius est, absque præmissa Confessione Sacramentali ad Eucharistiam accedat, quantumcumque sibi contritus videatur: *Ne tantum Sacramentum* (inquit sess. 13. can. 11.) *indigne, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat*. Ut quid enim Sacra Synodus declarasset ab impiis etiam contritis, Confessionem Sacramentalem Eucharistiæ participationi necessario præmitti debere, si censuisset eum ordinarie justificari per contritionem, quæ præcipue concipiatur ex imperfecto Dei amore super omnia, præsertim si pœnitens eam contritionem se habere conjiciat ex occasionum fuga, restitutione æris alieni, assiduo operum pietatis exercitio.

Confirmatur ex testimonio Melchioris Cani qui interfuit Sess. 13. de qua hic agitur: Asserit laudatus author canonem mox relatum conditum fuisse ut iretur obviam sententiæ Cajetani qui docuerat quemlibet actum charitatis Dei super omnia, ac proinde quamcumque contritionem ex ea charitate conceptam, satis esse ut impius justificetur ac digne ad Eucharistiæ Sacramentum accedat: *Quod sententia Cajetani* (inquit de locis Theologicis lib. 5. cap. 5.) *non fuerit pro hæretica condemnata & nos testes sumus qui Concilio interfuimus & contextus ipse demonstrat:* Ne tantum Sacramentum, &c. *Ubi vides Cajetani sententiæ anathema non dici, sed quoniam non solum falsa, sed noxia etiam erat, reprobari.*

4. Eadem veritas, nempe contritionem conceptam ex inchoato Dei amore super omnia lapsum cum Deo *ordinarie* non reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, iterum ostenditur ex germana justificationis notione quam Tridentina Synodus sufficit.

Docet nimirum 1. nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fidem, sive opera, ac proinde nec actum charitatis, justificationis gratiam promereri: *Gratis autem justificari ideo dicimur* (inquit sess. 6. cap. 8.) *quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia, jam non ex operibus: alioquin* (*at idem Apostolus inquit*) *gratia jam non est gratia*. Docet 2. Christum Jesum unicam esse meritoriam causam justificationis impii: *Meritoria autem* (causa) (inquit cap. 7.) *Dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus, qui cum essemus inimici propter nimiam charitatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis justificationem meruit & pro nobis satisfecit*. Docet 3. Baptismi Sacramentum esse instrumentalem causam per quam impiis Salvatoris merita applicentur: *Instrumentalis item Sacramentum Baptismi &c.* Idem asserit de Pœnitentiæ Sacramento sess. 14. cap. 1. *Sacramentum Pœnitentiæ* (inquit) *quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur*. Ex his vero sequitur per actum inchoatæ charitatis Dei super omnia, sanguinem Christi, ordinarie impio non applicari ad justificationem nisi cum aut baptismi aut pœnitentiæ Sacramentum actu recipitur.

Objicies 1. ex Scriptura. Actus inchoatæ charitatis Dei super omnia stare non potest cum statu peccati mortalis. Ergo neque Contritio quæ ex illa imperfecta charitate concipitur: ac proinde ejusmodi contritio justificat impium priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur. Probatur antec. 1. Proverbiorum octavo hæc Deus ait: *Ego diligentes me diligo*. Deus vero non diligit nisi justificatos, cum sit impiorum inimicus. 2. Is non jacet in statu peccati mortalis qui dicitur, & est vere Filius Dei, sed qui

sta-

flagrat inchoato Dei amore super omnia, dicitur & est vere Dei filius: *Videte* (inquit Scriptura 1. Joannis 3.) *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*. 3. Amor Dei super omnia est totius legis perfectio juxta illud ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*. Verum ea perfectio separari non potest a justificatione, cum ea perfectio includat, saltem in præparatione animi, omnium mandatorum observationem: *Vos* (ait Christus Joannis 15.) *amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*.

Resp. ad 1. neg. min. hæc enim ait Joannes: *Cum adhuc inimici essemus, ipse prior dilexit nos*. Præterea, quamvis Deus eo instanti nos diligat quo eum per amorem creaturis anteponimus, non illico elargitur nobis omnia sua dona, ac proinde nec justificationem quæ inter ea primum locum obtinet; ut hisce verbis docet Bellarminus de justificatione agens cap. 13. *Deus prior diligit nos, & diligendo facit justos, sed paulatim, & per certa media; Quos enim diligit, primum vocat ad fidem, tum spem & timorem & dilectionem inchoatam inspirat, postremo justificat & charitatem perfectam infundit*, Ad 2. dicendum est Joannis textum intelligi de charitate tum extensive seu appretiative, tum intensive seu secundum gradus, perfecta, extraordinariam nimirum esse charitatem illam hisce verbis, *Videte qualem charitatem*, &c. non obscure significatur. Addi potest nomine charitatis eo loci intelligi non charitatem hominis in Deum, sed charitatem Dei in hominem, ita ut sensus sit: *Expendite quanta sit Dei in hominem charitas ex adoptivæ Dei filiationis dignitate quam per dona, & per Sacramenta contulit vobis Deus pater*. Ad 3. eadem adhiberi debet solutio; agitur nempe ad Rom. 13. de charitate perfecta, neque enim inchoata seu quæ sit in gradu remisso, licet sit super omnia, est plenitudo legis, ut hisce verbis innuit Augustinus tract. 5. in Joannem: *Numquid mox ut nascitur charitas jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur nascitur, cum fuerit nata nutritur: cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectionem venerit quid dicit? Mihi vivere Christus est & mori lucrum*.

Objicies 2. ex Patribus. 1. Augustinus totus est ut asserat impium justificari charitate, ac proinde contritione, quæ ex ejus motivo præcipue concipiatur: *Dilectio* (inquit tract. 5. in Epist. Joannis) *sola discernit inter filios Dei & filios Diaboli*. Lib. 15. de Trinit. cap. 18. hæc iterum ait de charitate: *Nullum isto dono excellentius. Solum est quod dividit inter filios regni æterni, & filios damnationis æternæ*. Lib. de gratia Christi cap. 21. eamdem doctrinam confirmans docet per charitatem nos ex Deo nasci: *Secundum istam charitatem, melius intelligitur dictum. Qui natus est ex Deo non peccat; & quia non potest peccare, quia charitas secundum quam natus ex Deo est, non agit perperam, nec cogitat malum*. Tractatu 5. in Epist. Joannis jubet ut quisque ex sua in proximum charitate judicet an peccatorum remissionem consecutus sit: *Si quis in corde suo invenerit charitatem, securus sit, quia transiit a morte ad vitam, jam in dextera est*. 2. Et qui ardet inchoata charitate Dei super omnia, non inest propria voluntas, igitur a subeundis in altera vita æternis pœnis liber est omnino, quippe quod, dicente Bernardo, in inferis non punitur nisi propria voluntas, imo futurus non esset infernus, si nulla propria foret voluntas: *Quid enim* (inquit serm. 3. de resurrectione) *odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet nisi in propriam voluntatem?* Propriæ vero voluntatis nomine Bernardus intelligit eam quæ opposita est charitati. *Quæ* (inquit) *non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est*. Ratum igitur fuit Bernardo qualibet charitate Dei super omnia impium consequi remissionem peccatorum etiam priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, cum ante Sacramenti receptionem, jam abjecerit voluntatem propriam. 3. S. Petrus Chrysologus absolute pronuntiat peccata omnino deleri per charitatem, nec distinguit inter perfectam, & imperfectam, aut inter eam quæ cum actuali susceptione Sacramenti conjungitur, aut quæ eamdem susceptionem præcedit: *Absolvi vis* (inquit serm. 94) *ama, dilectio Dei delet, & abluit universa delicta*.

Resp. 1. certum esse Augustinum locis de quibus agitur, non loqui de qualibet charitate, ipsi enim Augustino & cuique catholico exploratum est, quamdam esse in impiis charitatem, quæ ipsos non efficiat filios Dei, eam nimirum quæ nondum est super omnia, seu infirmam boni cupiditatem, quæ eodem Augustino teste est, & appellatur charitas. *Quid est boni cupiditas* (inquit lib. 2. Ad Bonifacium cap. 9.) *nisi charitas?* De ea charitatis scintilla quæ nonnumquam cimicat etiam in iis, in quibus affectus ad peccatum mortale dominatur, hæc habet lib. 3. de Quadripartita justitia cap. 23. Gaspar Casalius qui interfuit Sacræ Tridentinæ Synodo: *Non quæcumque peccata faciunt homines filios diaboli, sic neque omnis inchoata justitia facit homines filios Dei, ordinatos ad regnum cœlorum secundum præsentem justitiam, sed est aliqua quæ sufficit, & aliqua quæ non sufficit, aliqua quæ sustinet Dei judicium, aliqua quæ non sustinet*. Ex his patet non absolute, & universim intelligi debere textus quibus Augustinus asserit, charitate effici ut quis sit Dei filius; distinguendi igitur sunt illi textus: Exponuntur ab adversariis de qualibet charitate, modo sit super omnia; a nobis vero de ea tantum quæ sit etiam secundum gradus intensionis perfecta, seu (ut ait Catechismus Romanus) quæ sit acris, vehemens & incensa, sive quæ ea sit de qua sic loquitur Augustinus lib. de gratia & lib. arbitr. cap. 17. *Quando Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna* (tum intensive tum extensive) *charitate fecerunt. Nunquamvis parva & imperfecta, seu invalida non deerat* (Petro) *quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam, putabat enim se posse, quod se velle sentiebat, &c.*

Resp. 2. dato quod locis quæ ex Augustino objecta sunt, S. Doctor loquatur de charitate imperfecta intensive, asseratque ea remissa charitate impium fieri Dei filium mox ubi illius cordi dominatur: non inde tamen adversarii conficient ea charitate peccatum impio dimitti antequam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur: siquidem dici possit Augustinum intelligi de discretione inchoata, de justificatione imperfecta, hoc est de via seu de dispositione ad justificationem in Sacramento recipiendam: per eam vero dispositionem pœnitentes discerni incipiunt a filiis diaboli in quibus affectus ad peccatum mortale dominatur, certoque sperare debent se peccatorum remissionem consecuturos aut in actuali receptione Sacramenti, aut in ejus voto si Sacerdotalem absolutionem propter intercurrentem articulum necessitatis recipere non potuerint. Deus nimirum (inquit Augustinus) complebit quod non ex voluntate, sed necessitate defuerit. Quæ ex Bernardo & Chrysologo objecta sunt patiuntur eumdem sensum quem Augustini sententiis assinximus.

Objicies 3. S. Thomas 3. part. quæst. 70. art. 4. in corpore hæc scribit; *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis. Minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri & argenti*. Ergo ex S. Thoma minima charitas, seu quæ est quidem super omnia sed in gradu remisso, delet ex anima quodlibet peccatum, ac proinde impium justificat priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.

Resp. S. Thomam nomine charitatis intelligere habitualem infusam quæ est idem cum gratia sanctificante. Id patet ex scopo quem eo loci sibi S. Doctor proponit: Articulum quartum ex quo desumptus est textus qui objicitur, sic inscribit: *Utrum Circumcisio conferebat gratiam sanctificantem*. Ad eam vero quæstionem respondet enumerando varias authorum sententias, inter quas istam recenset: *Alii* (inquit) *dixe-*

xerunt, quod in circumcisione conferebatur gratia etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus: quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis, quod etiam aliquando mihi visum est. Eam autem opinionem S. Doctor hoc argumento refellit; *sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ*, hoc est, tollere quodlibet peccatum. Verum ea ratio nullius esset roboris si S. Thomas charitatis nomine non intelligeret gratiam formaliter sanctificantem; eam enim gratiam intelligebant authures, quos eo loci refellit, cum supponerent impium per eam fieri dignum vita æterna: *Dixerunt quod in circumcisione conferebatur gratia etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est facere dignum vita æterna.*

Objicies 4. Amor Dei super omnia licet inchoatus, seu remissus tollit id omne quo peccator reus effici potest, Nam 1. excludit affectum ad peccatum; 2. excludit quoque habitualem inordinationem voluntatis, ordinata nimirum est voluntas quæ Deum creaturis anteponit; Excludit 3. voluntatem implicitam infringendi divina mandata; quippe quod is qui Deum diligit super omnia, serio proponat se divinam legem observaturum. Nihil ergo est quod hominem de quo agitur, reum ac iniquum constituere possit; ac proinde justus est, etiam antequam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.

Resp. 1. illud argumentum, si quid probet, non modo contra nos, sed etiam contra eos militare, qui contendunt impium non justificari per actum amoris concupiscentiæ, priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiat; siquidem per illum amorem (ut illi authores fatentur) tollitur conversio ad creaturam & ponitur conversio ad Deum. Negotium pariter facessit idem argumentum iis Scholasticis, quibus persuasum est attritionem vacuam Dei amore non modo benevolentiæ & charitatis, sed & spei ac concupiscentiæ hominem cum Deo non reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur: Nam (ut illi Scholastici contendunt) attritio mere servilis & expers vel inchoati Dei amoris, peccati tum actum & effectum excludit: unde si in peccatore præter actum & effectum peccati, nihil sit quod eum coram Deo iniquum, ac reum æternæ pœnæ constituat, per conversionem ortam ex attritione mere servili justitiam consequetur antequam Sacramentum actu recipiat.

Resp. 2. peccatum, si sumatur aut secundum actum, aut secundum affectum tolli quidem per actum, licet remissum, amoris Dei super omnia, non autem si accipiatur secundum reatum, seu secundum maculam quam anima peccando contraxit: Id clare patet in rebus humanis in quibus nec rebellionis reatus seu dedecus quod ex ea sequitur, nec debitum patiendi pœnam qua lex in prævaricatores animadvertit, tolluntur statim atque reus illam rebellionem detestatur: Imo quemadmodum illud dedecus, illud debitum tunc tantum tolluntur cum princeps speciali diplomate rebellem prius dejectum, restituit in pristinum gradum: ita tunc tantum ordinarie coram Deo peccati reatus dimittitur; cum impio detestanti, ut par est, suum scelus Christus applicat suum sanguinem, applicat vero cum catechumenus initiatur baptismate, aut lapsus donatur absolutione Sacramentali. Nostra hæc solutio ita certa fuit Augustino ut eam supposuerit tamquam principium quo contra Pelagianos peccati originalis propagationem per generationem carnalem, & dimissionem per baptismum probavit: *Sicut idolis immolatio* (inquit S. Doctor lib. 6. contra Julianum cap. 19.) *quæ jam nec in actione est, quia præteriit, nec in voluntate, quia error quo fiebat, absumptus est; manet tamen reatus ejus donec in lavacro regenerationis, peccatorum omnium remissio solvatur; sic e contrario quamvis reatus malæ concupiscentiæ eodem baptismate sit solutus, manet tamen ipsa, donec ab eo qui post ejecta dæmonia perficit sanitates, medicina perficiente sanetur.*

Instabis. Explicari non potest qui fieri possit ut peccati reatus remaneat in homine qui peccatum odit quam maxime; non enim est quidquam aut in illius intellectu, aut in voluntate, aut in anima quod pœnam mereatur, fugatus est quippe error intellectus, ut supponitur, depositus est amor peccati, anima antiqua in creaturam conversione libera est omnino. Ergo &c.

Resp. illud argumentum ipsummet esse quod Pelagiani contra peccati originalis existentiam quondam objiciebant Augustino, illud vero ex ipsis Pelagianorum principiis sic convellit Augustinus: *Sed, quæso te* (verba sunt S. Doctoris Julianum alloquentis) *cum & ipse concedas peccati* (actualis) *facti atque transacti reatum remanere, nisi sacro fonte diluatur. Dic mihi reatus iste quis sit, & ubi maneant jam homine correcto recteque vivente, nondum tamen peccatorum remissione liberato? Subjectum est reatus iste, id est substantia sicut spiritus, sicut corpus? an in subjecto sicut febris aut vulnus in corpore, sive avaritia vel error in animo?* Ubi autem S. Doctor ostendit neutrum ex iis tribus responderi posse a Juliano, sic ipse quæstionem solvit: *Ubi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei quæ conscriptæ sunt quodammodo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis mediatoris expiaverit, cujus signo crucis consecratur unda baptismatis, ut ea diluatur reatus tamquam in chirographo scriptus, in notitiam spiritualium potestatum, per quas pœna exigitur peccatorum? Huic Chirographo nascuntur omnes obnoxii in carne, de carne carnaliter nati; ejus ab hoc debito sanguine liberandi, qui in carne quidem & de carne, non tamen carnaliter, sed spiritualiter natus est.*

Objicies 5. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. docet quod priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur peccator Deo semper reconcilietur per Contritionem charitate perfectam. Sed per quamcumque charitatem, modo sit super omnia, Contritio censetur perfecta. Ergo Concilium docuit charitatem, etiam in gradu remisso, modo sit Dei super omnia, hominem Deo semper reconciliare antequam Sacramentum actu recipiatur.

Resp. concedo major. neg. min. Ratio est 1. quia (ut sæpius observatum est) Catechismus Romanus docet Contritionis perfectionem, de qua Concilium Tridentinum loquitur, sumi debere a gradibus intensionis quos debet includere, non autem ab extensione, seu ex eo quod sit Dei amor super omnia. *Ut enim hoc fateamur* (inquit de Pœnit. §. 46.) *contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeo vehementem, acrem & incensam esse oportere ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine & gravitate æquari, conferrique possit. At quoniam perpauci erant, qui ad hunc usque gradum pervenirent &c.* Ratio est 2. quia his verbis Concilii Tridentini, *Etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*, idem subest sensus ac istis aliis, *Intellectus scientia perfectus*: Verum ista non significant per quamcumque scientiam intellectum esse perfectum, sed tantum per scientiam eminentem: Ergo neque ista alia, *Contritio charitate perfecta* significant Contritionem esse perfectam per quamcumque charitatem quæ sit Dei super omnia, sed per charitatem eximiam, seu quæ plures intensionis gradus complectatur. Ratio est 3. quia veteres Scholastici perfectam Contritionem non distinxerunt ab imperfecta nisi penes intensionis gradus quos importet. *Contritio* (inquit S. Thomas in 4. Sent. dist. 17. quæst. 2. art. 5.) *habet duplicem dolorem; unum rationis qui est displicentia peccati commissi, & hic potest esse adeo parvus quod non sufficiat ad rationem Contritionis, ut si minus ei displiceat quam debeat ei displicere separatio a fine. Alium habet dolorem in sensu &c.* Sylvester Prieras Magister Sacri Palatii idem colligit ex Contritionis & Attritionis etymologia: *Contritio* (inquit in Summa, verbo, Contritio) *a Con & Tero secundum nomen importat confractionem & comminutionem alicujus frangibilis usque ad minima, quasi simul ex toto tritio, & metaphorice significat destructionem perfectam malæ voluntatis appetentis peccata, quæ conteri dicitur quando ab eis perfecte resiliit per displicentiam. Attritio vero secundum nomen importat comminutionem aliqualem alicujus*

fran-

frangibilis, & metaphorice significat destructionem malæ voluntatis, ut cum dolet de peccatis, sed imperfecte, idest cum dolet de peccatis SED NON TANTUM QUANTUM *requiritur ad gratiam divinam acquirendam*. Scotistæ hoc in capite Thomistis consentiunt, sic enim eorum sententiam exprimit Andreas Vega in Conc. Trid. lib. 9. cap. 17. *Scotistæ ajunt ad justificationem peccatoris non quemvis dolorem de peccatis etiam propter Deum sufficere, imo necessariam esse aliquantam intensionem & fervorem in ipso dolore, aliquantique temporis & quidem nobis ignoti continuationem*.

§. V.

Defenditur vera sententia circa Contritionis vim ad obtinendam peccatorum remissionem priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.

CONclusio. Licet Contritio, quæ concipitur ex motivo inchoatæ charitatis Dei super omnia, ordinarie impium Deo non reconciliet priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, id tamen præstat in articulo necessitatis si cum voto Sacramenti conjuncta sit.

Probatur 1. ex antiqua Ecclesiæ praxi qua constat fusas olim fuisse preces pro pœnitentibus qui diem extremam clauserant priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipere potuissent. *Pœnitentes* (inquit canon. 79. quarti Concilii Carthaginensis) *qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur*. Censuit igitur vetus Ecclesia eos pœnitentes per contritionem ex imperfecta charitate Dei super omnia conceptam justificatos fuisse priusquam morerentur.

Probatur 2. iis omnibus argumentis quibus in nostra dissertatione de Baptismo ostensum est omnes Ecclesias tum in Oriente tum in Occidente quondam communicasse cum catechumenis, qui obierant priusquam Sacramentum regenerationis actu suscepissent: non censebant vero illæ Ecclesiæ catechumenos de quibus agitur, alioquin debite dispositos ad baptisma recipiendum, ac proinde qui inchoata charitate Dei super omnia flagrarent, extra casum necessitatis sine actuali Baptismatis receptione justificationem consecutos fuisse. Lector qui plura nosse voluerit hujusce nostri Commentarii pag. 81. 82. 83. 84. consulerere poterit.

Objicies 1. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. hæc habet: *Verumtamen pie admodum; ne hac ipsa occasione* (loquitur de quorumdam casuum reservatione) *aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur ut ad Superiores & legitimos judices pro beneficio Absolutionis accedant*. Atqui si Contritio concepta ex inchoata, & imperfecta charitate Dei super omnia hominem in articulo necessitatis Deo reconciliaret, frustra Ecclesia timeret ne quis absolutionis defectu pereat. Nam vel pœnitens jamjam moriturus habet Contritionem quæ ex imperfecta illa charitate concipitur, vel ea destitutus est: si primum, justificabitur quamvis actu non recipiat absolutionem Sacramentalem, cum (ut supponitur) Contritio quæ concipitur ex inchoata charitate, modo sit super omnia, in articulo necessitatis peccatorem justificet. Si secundum, seu si pœnitens ex inchoata charitate Dei super omnia destitutus sit, peribit in æternum etiamsi absolutione actu ante mortem donatus fuerit, in eorum saltem Theologorum sententia quibus placet nullum dolorem satis esse ad gratiam in Sacramento recipiendam nisi ex inchoata charitate Dei super omnia præcipue conceptus sit.

Resp. 1. non esse de fide quod Attritio mere servilis, seu expers etiam inchoati amoris Dei super omnia, aut quod amor spei quem passim vocant amorem concupiscentiæ, non sint satis ut impius gratiam recipiat in Sacramento Pœnitentiæ: unde cum possit contingere ut quis in articulo mortis sit tantum attritus attritione servili, vel dolorem conceperit ex motivo amoris concupiscentiæ, incertum est, saltem apud aliquos Scholasticos, an tunc, ut par est, sit dispositus ad recipiendam gratiam in actuali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ: ac proinde merito provisum fuit a Patribus Tridentinis ne ulla esset casuum reservatio ubi articulus necessitatis urgeret.

Resp. 2. quod licet veram putemus tritam in Scholis santentiam qua docetur remissam, & inchoatam charitatem Dei super omnia quæ votum Absolutionis includit, justificare impium in articulo necessitatis, Deo nimirum præ summa in homines bonitate, supplente Sacramenti defectum: dubitent tamen plerique authores num res ita se habeat, & utrum in Contritione certi gradus requirantur, qui si defuerint, reconciliatio etiam in necessitatis casu non habeatur. Inter eos authores doctissimus Christianus Lupus hanc sibi proponit quæstionem capite octavo dissertationis quam conscripsit de necessitate imperfectæ saltem Dei super omnia charitatis ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, proponit (inquam sibi hanc quæstionem,) *An illud deficientis Sacramenti supplementum divina miseratio per statam atque infallibilem legem faciat omni contritioni imperfectæ*, adductisque pro sententia affirmativa pluribus argumentis, sic tandem concludit: *Quidquid sit; pium hunc de divina in nos clementia sensum* (de Sacramenti supplemento) *nos* (Lovanienses) *hodie tenemus*.

Objicies 2. Ex Catechismo Romano fide certum est dolorem aliquem esse qui cum actuali receptione Sacramenti Pœnitentiæ, non autem cum illius voto, satis sit ad justificationem impii: *Ex fidei Catholicæ doctrina* (inquiunt Catechismi Romani authores part. 2. de Pœnitentia num. 47.) *omnibus credendum & constanter affirmandum est, si quis ita animo affectus sit, ut peccata admissa doleat, simulque in posterum non peccare constituat, etsi ejusmodi dolore non afficiatur qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen, cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clavium scelera omnia remitti & condonari*. Atqui dolor quem catechismus censet necessario requiri, ut quis in actuali receptione Sacramenti, gratiam recipiat est dolor, qui præcipue, ex inchoata saltem, in Deum charitate super omnia concipiatur, cum docuerit virtutem Pęnitentiæ esse materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ, virtus vero Pœnitentiæ versetur circa destructionem peccati ut est offensa Dei ac proinde ex imperfecto saltem Dei amore super omnia nascatur. *Si ergo* (inquit S. Thomas 3. p. qu. 75. art. 2. ad 1.) *in actu pœnitentis consideratur solum displicentia peccati, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de præteritis bonis: sed intensio operandi ad destructionem peccati præteriti requirit virtutem specialem sub charitate*.

Resp. objecta ex Catechismo Romano verba intelligi debere in casibus ordinariis, seu frequenter contingentibus, non autem in iis qui raro occurrunt: ita ut sensus sit dolorem de quo catechismus, passim & ordinarie hominem Deo non reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur. Eodem in sensu sumi debent Scripturæ loca, quibus adstrui videtur absoluta necessitas actualis receptionis baptismatis aut absolutionis Sacramentalis ut catechumenus aut pœnitens justificationis gratiam recipiant.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Contritione imperfecta quæ Attritio dicitur.

DE imperfecta Contritione quæ passim *Attritio* dicitur quatuor quæremus. 1. Utrum ex suppositione quod concipiatur ex sola consideratione turpitudinis peccati satis sit ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat. Quæremus 2. utrum ex suppositione quod considerationi turpitudinis peccati conjungatur solus gehennæ metus, si sufficiens dispositio

tio ut impius gratiam in Sacramento recipiat. Quæremus 3. utrum debeat oriri ex aliquo Dei amore ut sit proxima & sufficiens dispositio ad gratiam baptismatis aut Pœnitentiæ. Expendemus denique 4. an ille amor ex suppositione quod requiratur, necessatio debeat esse amor charitatis aut benevolentiæ; an vero satis sit amor spei aut concupiscentiæ.

§. I.

Utram Attritio quæ concipitur ex sola consideratione turpitudinis peccati, satis sit ut quis gratiam recipiat in Sacramento Pœnitentiæ.

CONclusio. Attritio, seu dolor qui nascitur ex sola consideratione turpitudinis peccati, non est satis ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Probatur. In peccato triplex tantum turpitudo distingui potest. Prior, quæ adversetur pulchritudini humanæ famæ. Altera quæ opponatur pulchritudini mentis. Tertia, quæ contraria sit pulchritudini justitiæ.

De tertia turpitudine nulla hic movetur quæstio: omnes quippe Catholici fatentur eam non tantum piam, sanctam & laudabilem esse dispositionem ad gratiam in Sacramento recipiendam, sed etiam satis esse ut impius in Sacramento justificetur. Nec immerito sic omnes sentiunt, cum illa justitia (Augustino teste) sit Deus ipse; ac proinde odisse peccatum eo quod justitiæ opponatur, idem sit ac ipsum detestari, quod ipsi Deo adversetur & sit illius offensa, qui vero peccatum odit prout est offensa Dei, prout Deo adversatur, Deum ipsum diligit: *Ad eamdem virtutem* (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 113. artic. 1. ad 1.) *pertinet prosequi unum oppositum, & refugere aliud, & ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita & detestari peccata per quæ anima separatur a Deo.*

De duplici ergo tantum priori turpitudine hic potest esse difficultas; Verum facile solvitur ex principiis Augustini. Docuit nempe S. Doctor 1. actum elicitum ex sola consideratione turpitudinis peccati prout opponitur pulchritudini famæ apud homines, esse peccatum; lib. 5. de Civit. Dei multis insectatur quædam præclare facta Romanorum, eaque damna quod ea retulissent ad solam gloriam, & ostentationem suæ gentis. Docuit 2. ejusdem libri cap. 20. superbiisse Philosophos Stoicos qui virtutem solum sectabantur quod humanæ menti ornamento esset, & decori: unde asserit ob id eos peccasse: *Cum anima* (inquit) *in se ipsa delectatur, nondam re incommutabili delectatur, & ideo adhuc superbia est, quia se pro summo habet, cum sit superior Deus,*

§. II.

Utrum Attritio quæ ex solo gehennæ metu concipitur, satis sit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam?

HIC expendemus 1. utrum sit aliquid in Patribus aut antiquis Scholasticis quod faveat dogmati de Attritionis ex solo pœnarum metu conceptæ sufficientia, ut quis gratiam in Sacrameno Penitentiæ recipiat. 2. Solventur nonnulla quæ indirecte ex Patribus objiciuntur. 3. Quæremus num idem dogma cum Sanctorum Patrum principiis cohæreat.

Utrum sit aliquid in Patribus aut antiquis Scholasticis quod faveat dogmati de sufficientia Attritionis ex solo pœnarum metu conceptæ?

Conclusio 1. In Patribus & Doctoribus qui ante Concilium Tridentinum vixere, nihil reperire est, quod faveat dogmati de Attritionis ex solo gehennæ metu conceptæ sufficientia ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam.

Probatur 1. Nullus pater, nullus Doctor ante sæculum decimum tertium Attritionis nomine usus est, ut dolorem Sacramento prærequisitum significaret. Nec Hugo, nec Richardus a S. Victore, nec Gratianus, nec Petrus Lombardus Magister Sententiarum, nec ii Scholastici qui eumdem Lombardum audierant, termini Attritionis meminerunt.

2. Ubi Attritionis nomen cœpit usurpari, eo non fuit significatus dolor ex solo gehennæ metu conceptus; sed dolor propter Deum assumptus, qui tamen aut esset in impio ante gratiam habitualem, aut qui saltem esset in gradu remisso, quamvis amorem Dei super omnia tamquam præcipuum motivum complecteretur. Id videre est in Guillelmo Parisiensi, Alexandro de Hales, & Alberto Magno a quibus sæculo decimo tertio terminus ille primum adhibitus est: *Si quis quærat* (inquit Guillelmus Parisiensis de Sacram. Pœnit. pagin. 444.) *quæ sit differentia inter Attritionem & Contritionem, dico quod Attritio ad Contritionem sic est sicut vulneratio non lethalis ad occisionem, & gratia præveniens & præparans ad gratiam gratum faciendum (seu sanctificantem) sicut calefactio ad arsionem, & sicut illuminatio quæ est umbra ad irradiationem, hoc est sicut lumen crepusculi ad radium (seu meridiens.)* Ergo sicut vulnus lethale & non lethale, calefactio & arsio, illuminatio, & irradiatio ejusdem sunt speciei, nec differunt nisi secundum magis & minus, seu secundum intensiores aut remissiores gradus; ita nec Attritio de qua Guillelmus Parisiensis loquitur, a Contritione differt secundum speciem: ac proinde ex eodem motivo præcipuo, in Deum nempe charitate, concipitur, cum actus ex motivo præcipuo specificentur. Alexander de Hales lib. 4. in Sent. hanc affert rationem cum Attritio nusquam informari possit habitu charitatis seu habitu gratiæ sanctificantis: *Quia* (inquit membr. 2. artic. 1. §. 3.) *potest esse dolor nimis parvus nec sufficiens ut gratia Contritionis informetur. Si enim alicui displiceret quod Deum offendisset per peccatum, & illa displicentia non excederet displicentiam unius oboli, nulli est dubium quin illa displicentia insufficiens esset dolor Contritionis.* Cur autem quisque gradus doloris Contritio esse non possit, repetit ex eo quod censeat ad hoc requiri certum gradum numerum qui soli Deo notus sit: *Dolor enim certam habet mensuram qui Contritionis dici debet: Quæ autem sit illa, ille novit quem mihi latet.* Ergo Attritio de qua loquitur Alexander de Hales, concipitur ex motivo charitatis, cum ex illo sit dolor, seu displicentia quod quis Deum offenderit, cum per additionem graduum fieri possit Contritio. Causam, de qua agitur, eodem modo definit Albertus Magnus: *Dicendum* (inquit in 4. Sent. Dist. 16. art. 10.) *meo judicio quod unus & idem dolor in substantia potest esse Attritionis & Contritionis.* Actus vero quorum unus ex solo gehennæ metu, alter vero ex charitate præcipue concipitur, ejusdem substantiæ esse minime possunt.

3. Theologi qui paulo ante Concilium Tridentinum contra Lutherum conseruerunt manus, Attritionis nomine usi sunt quidem ut dolorem ex solo metu conceptum significarent, sed nullum ex iis reperire est qui asseruerit eam satis esse ut quis gratiam in Sacramento recipiat. Lutherus asserebat Catholicos docere Attritionem vi clavium fieri Contritionem, ac proinde satis esse cum Sacramento ad justificationem impii: *Hic audaciores, & pejores facti* (inquit lib. de cap. Babyl. cap. de Pœnit.) *finxerunt quamdam Attritionem, quæ virtute clavium* (*quam ignorant*) *fieret Contritio.* Verum Chrysostomus Javellus illud Lutheri assertum hisce verbis confutavit. *Quinto* (inquit Christianæ Philosophiæ part. 5. De Sacr. Pœnit.) *eisdem Ecclesiasticis imponit quod dixerunt Attritionem fieri Contritionem*; Ubi vero mox laudata ex Luthero verba retulit: *Hic audaciores &c.* sic prosequitur; *Lutherus & hoc ex eodem imperitiæ fonte traxit.* Nam Sacri Theologi in 4. Sent. dist. 17. *Determinant id penitus esse impossibile* (scilicet Attritionem fieri Contritionem) *Quia quorum sunt principio diversa, unum non potest fieri alterum, nam distinctarum causarum distincti sunt effectus; sed Attritionis principium est timor servilis, Contritionis autem est timor filialis.*

Ne verò causentur adversarii Scholasticos non docuisse (ut Lutherus eis affingebat) Attritionem vi clavium fieri Contritionem, sed hoc unum tantum,

Soto) saltem secundum judicium pœnitentis, detestatio peccati pront est offensa Dei; oportet ut ad eam detestationem ac proinde ad veram Contritionem pœnitens conetur, antequam absolvatur a Sacerdote. Idem monitum probat Comitolus: *Quocirca* (inquit loco superius relato) *Sacerdotis partes præcipuæ esse debent veræ Contritionis motum in corda pœnitentis auxiliante Deo elicere, ardentique eum cohortatione urgere, ut propter Deum peccata admissa execretur omnia*. Cautionem de qua mox laudatus Sotus Suarez suæ Theologiæ inseruit: *Videtur autem* (ait) *profecto charitas obligare hominem ne sit adeo negligens suæ salutis æternæ ut eam tanto periculo exponat. Ergo obligat illum ad faciendum quod in se est, & conandum ad habendam Contritionem*.

Quod mox recensuimus monitum displicuit Gregorio de Valentia: Tom. 4 disput. 7. quæst. 8. de Contritione, puncto 4. §. *Secundo potest*, hocce argumento convellit Soti opinionem, qua asseritur requiri in Sacramento Pœnitentiæ dolorem, qui a pœnitente existimetur vera Contritio: *Contritio in reipsa non est necessaria ad effectum primarium ejusmodi Sacramentorum* (de Baptismo loquitur & Pœnitentia) *percipiendam: Imo obstat potius quominus ille sequatur: igitur absurdum esset præceptum, quod Contritionem ad eam rem requireret, ut convenienter & fructuose illa Sacramenta suscipiantur. Quemadmodum absurde certe faceret medicus, qui ægroto præciperet, ut non susciperet medicamentum nisi prius conatus esset absque medicamento morbum depellere*. Ex eo autem argumento, si verum sit, facile concluditur Sacerdotem impertinenter hortari pœnitentem, ut se ipsum adversus peccata per contritionem acuat, cum, docente Valentia, Contritio, quæ ex charitatis motivo concepta sit, sit impedimento effectui Sacramenti Pœnitentiæ. Concluditur iterum pœnitentiæ præpostere conari ad ejusdem Contritionis actum. Eam conclusionem exprese elicit ipsemmet Gregorius de Valentia, eamque supponit tamquam principium, quo suum adversarium urgeat: *Quod si* (inquit) *ad recte suscipiendum hæc Sacramenta non requiritur conatus ad Contritionem, consequens est, ut neque ad id requiratur opinio*. Concluditur rursus Sacerdotem, cum confitentem ad Contritionem efficaciter hortatur, damnum inferre ipsi confitenti, inferre pariter injuriam Sacramento, ac suo Sacerdotio anctoritatem detrahere, siquidem vera Contritio, ex Valentia, impediat primarium effectum Sacramenti, sed ipsemet author audiendus est: *Nisi aliquando contingeret* (inquit) *ut sine vera Contritione in re Sacramentum conferret gratiam, exiguum admodum, vel potius nullam beneficium fuisset, quod Christus instituerit, contuleritque Ecclesiæ auctoritatem remittendi peccata per potestatem clavium regni cœlorum: imo fuisset id potius quoddam quasi onus & detrimentum fidelium*.

Verum licet illud monitum ægre ferat Gregorius de Valentia, non eorum tantum est quibus præsente ac proxime elapso sæculo Attritio mere servilis, & expers cujuslibet, eriam inchoati, amoris Dei super omnia, satis visa est, ut valeat Pœnitentiæ Sacramentum ac suum effectum producat, sed est ipsius etiam Ritualis Romani, quod Pauli V. jussu editum est; Injungit nimirum Sacerdoti, ut audita confessione, & peccatis mature, ac diligenter expensis: *Opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit paterna charitate adhibeat, & ad dolorem & Contritionem efficacibus verbis adducere conetur, atque ad vitam emendandam, ac melius instituendam inducat, remediaque peccatorum tradat*.

Monuerunt 3. iidem Scholastici impio qui per dolorem ex solo gehennæ metu conceptum, quem vel sic cognoverit, vel bona fide crediderit Contritionem, onus incumbere eliciendi postea (saltem si urgeat mortis articulus) actum charitatis Dei super omnia: neque enim (inquiunt) per actum Attritionis mere servilis fit satis præcepto, quod quemque vel justum, naturali jure urget cum imminet ultima vitæ periodus: *Nihilominus vero* (verba sunt Suaris tom. 4. in 3. p. q. 90. art. 4. disp. 15. sect. 4. num. 10.) *existimo eum ex charitate Dei quam propria, teneri ejusmodi hominem majorem dispositionem procurare ad æternam salutem consequendam, graviterque peccare, si voluntarie ita* (hoc est, cum sola Attritione mere servili seu concepta absque aliquo actu vel inchoatæ charitatis Dei super omnia) *se mori sinat. Nam in primis tenetur homo diligere Deum super omnia priusquam moriatur: quia* (*ut dixi*) *actus per se necessarius est, & non tantum ratione peccati. Nec satis est, quod talis homo prius aliquando in vita Deum super omnia dilexerit: tam quia hoc præceptum non tantum semel obligat, sed etiam sæpius: & tempus maxime necessarium est articulus mortis; tum etiam quia postquam homo priorem dilectionem per subsequens peccatum mortale virtualiter retractavit, tenetur denuo illum diligere, & se, & omnia in eum referre, non secus ac si denuo procreatus esset. Hæc ergo obligatio, cum sit per se, & intrinseca charitati etiam nunc manet*.

Monuerunt 4. ei quem per Attritionem de qua agitur, in Sacramento Pœnitentiæ justificatum fuisse supponunt, onus incumbere divino ac naturali jure non tantum eliciendi actum amoris Dei super omnia, si exitus urgeat, sed etiam eliciendi actum Contritionis, non per accidens tantum, nempe ratione charitatis quam sibi debet, quaque jubetur, ut tuto sibi in illa periodo consulat, sed etiam per se, nimirum ratione specialis virtutis pœnitentiæ, qua quisque lapsus tenetur non tantum novam vitam proponere (ut fit per charitatem) sed etiam veterem odisse pront offensa Dei, etiam extra vitæ periculum. Datur in primis monitum hujusmodi ab Andrea Vega lib. 3. in Concil. Trid. capite 20. Differit eo loci contra quosdam Scholasticos, qui docent nullum speciale virtutis Pœnitentiæ præceptum datum esse hominibus, contendit vero eam sententiam non niti veritate, additque eos, qui extraordinario modo absque actu virtutis Pœnitentiæ, vel per dilectionem ferventem (ut ipse supponit) vel per religiosam Christi confessionem, ad actum specialem Pœnitentiæ seu Contritionis qua peccatum detestetur pront est offensa Dei: unde a fortiori colligitur ad id eum teneri, qui post ingentia crimina, absque aliquo dilectionis actu, nulla præcedente Christi publica confessione, sed una Attritione, quæ ex solo gehennæ metu concepta fuerit: *Oportet quippe rescindere* (inquit) *& involuntaria facere, quæ dum fuimus in peccato male placuerunt. Et argumentum hujus rei est, quod justificati per Sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ cum solo dolore suorum peccatorum ob metum inferni, tenerentur postea de illis dolere quia offensæ fuerunt Dei, si hoc eis constaret, quod nunquam ea ratione de illis doluerint*.

Inter Scholasticos, qui aut negarunt, aut affirmarunt Attritionem ex solo gehennæ metu conceptam, seu vacuam inchoato seu remisso amore Dei super omnia, satis esse, ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, controversia ita incaluerat paulo ante annum 1667. ut gravibus notis ac censuris sese invicem perstringerent; Qui asserebant eam sufficere, aliquos qui contendebant præterea requiri amorem Dei super omnia traducebant, quasi virtutem Sacramenti Pœnitentiæ reducerent ad meram peccati remissi declarationem; sic enim argumentabantur. (Amor Dei super omnia, sive sit in gradu remisso sive in gradu intenso, est Contritio perfecta, quam Concilium Tridentinum definit hominem Deo reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur; ac proinde Absolutio superveniens semper peccatum prius remissum supponit: Non est igitur aliud, quam mera remissi peccati declaratio.) Addebant eos, qui docebant Attritionem mere servilem non sufficere ad recipiendam gratiam in Sacramento, incidere in sententiam Lutheri, qui quidem (inquiebant) damnatus est in Concilio Tridentino Sess. 14. capit. 4. quod censeret Attritionem de qua agitur, satis non esse, ut impius in Sacramento justificetur. Ii vero Theologi, qui inficiabantur eamdem Attritionem mere servilem, hoc est expertem cujuslibet, etiam inchoati amoris Dei super omnia, contrarium opinantes novitatis insimulabant, hocque in eos argumentum intorquebant: Novitas in rebus, quæ ad fidem aut mores pertinent, certum

eſt erroris indicium, & præſertim cum de re agitur quæ eſt aut Sacramenti materia, aut diſpoſitio jure divino neceſſaria ad recipiendum illius effectum. Præterea (inquiebant) vel Patres & authores quindecim priorum ſæculorum latuit Attritionem, quæ ex ſolo gehennæ metu concepta ſit, ſatis eſſe ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ; vel non latuit; Si primum, falſum ſit oportet eam Attritionem eſſe materiam aut diſpoſitionem ſufficientem, ut quis gratiam in Sacramento recipiat. Erroneum enim eſt (addebant) aſſerere Eccleſiam neſciſſe quindecim prioribus ſæculis, quænam ſit materia ſufficiens Sacramenti, quod quidem ſingulis diebus fideli populo conſerebat, quodque ex ordinatione divina lapſo neceſſarium eſt, ut juſtificationem conſequatur. Si ſecundum: Cur eam doctrinam Paſtores ſibi creditis ovibus non tradiderunt? Cur articulum tantæ alioquin neceſſitatis prætermiſerunt? Cur tam ſedulo curarunt, ut fideles noſſent Baptiſmatis materiam; de materia vero Sacramenti Pœnitentiæ ſiluerunt omnino? Cur Cyprianus fideles, qui ſęviente perſecutione lapſi fuerant; veritatem illam, ei in primis neceſſariam non edocuit? Cur Sanctus Petrus Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus, Baſilius, cæterique Patres, qui agendæ Pœnitentiæ normam præſcripſerunt, eo de dogmate nihil prorſus locuti ſunt? Cur Concilia, quæ definierunt Contritionem eſſe quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, non addiderunt eſſe aliam alterius ſpeciei materiam ſufficientem, Attritionem nempe, quæ ex ſolo gehennarum metu concepta ſit? Cur tot ſancti Epiſcopi per tantum temporis ſpatium veritatem, quam noverant, in injuſtitia detinuerunt?

3. Graves illæ cenſuræ quibus Scholaſtici aut negantes, aut affirmantes ſeſe invicem cum Eccleſiæ ſcandalo proſcindebant, Alexandrum Papam VII. moverunt, ut die v. Maii 1667. decretum ferret hiſce verbis conceptum: *Sanctiſſimus Dominus noſter Alexander Papa VII. cum acceperit non ſine gravi animi mærore Scholaſticos quoſdam acrius, nec abſque fidelium ſcandalo inter ſe contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat inſuper aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus aliis, & invicem adverſam ſententiam cenſurantibus: Sanctitas ſua enixe cupiens pacis vinculum inter fideles ſervari, omnemque ſciſſuræ fomitem extingui, auditis votis Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum D. D. Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, nec non D. D. Conſultorum & Qualificatorum ſive Congregationis ejuſdem Generalis Inquiſitionis hoc præſenti Decreto in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententię huic ſanctę Sedi reſervatæ aliiſq; pœnis ejuſdem ſanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit omnibus & ſingulis fidelibus quocumque gradu & dignitate, Epiſcopi & majori, imo & Cardinalitia fulgentibus, ut ſi deinceps de materia Attritionis præfatæ ſcribent, vel libros aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pœnitentes aut Scholares, cæteroſque erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur: ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Statuitque præterea Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe, & in acie Campi Floræ affixum omnes ubique exiſtentes arctare & afficere, ac ſi unicuique perſonaliter fuiſſet intimatum.* Optandum foret, ut quique Scholaſtici ad ejuſmodi Decreti normam ſenſa ſua de ſufficientia, aut non ſufficientia Attritionis mere ſervilis expreſſiſſent: ei Decreto, licet in his oris nequaquam promulgato, nos hac in quæſtione lubenter morem geremus.

Solvitur duplex argumentum petitum ex honeſtate, ſupernaturalitate, & utilitate doloris concepti ex gehennarum metu.

Objicies 1. Patres docuerunt dolorem conceptum ex ſolo timore pœnæ eſſe laudabilem & honeſtum. Ergo crediderunt eum ſatis eſſe, ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Reſp. ratum eſſe apud omnes Catholicos dolorem conceptum ex timore pœnæ eſſe honeſtum, & laudabilem in ſe, ſeu ſecundum ſpeciem conſideratum, quod nempe in ſe bonum ſit, ac rectæ rationi conſonum inferni pœnas timere: unde concluditur Alexandrum Papam VIII. jure ac merito hanc propoſitionem damnaſſe: *Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.* Verum aliqui Theologi in eo dolore, ſi ſumatur in individuo, volunt præterea requiri, ut ex parte operantis referatur ad Dei gloriam, quam quiſque ultimo in quolibet opere ſibi proponere teneatur juxta (inquiunt) hæc Apoſtoli principia. *Omnia in gloriam Dei facite. Omnia veſtra in charitate fiant.* Confirmatur ex Doctore Subtili, qui in 4 Sent. Diſt. 20. qu. unica ſic loquitur: *Ad hoc, quod diſplicentia valeat & ſit ordinata, oportet quod debite ſit circumſtantionata, & maxime circumſtantia finis & principii activi principalis, ut ſcilicet ſit voluntaria propter Deum.* Sed cum huc non ſpectet controverſia de fine debito actui, ut omni ex parte, ſeu & ſecundum ſpeciem, & ſecundum individuum, rectus ſit & bonus; nec id neceſſe ſit definire, ut objectum nobis argumentum ſolvatur; abſolute reſpondemus neg. conſ. Ratio eſt, quia fidei actus, laudabilis eſt, honeſtus, ſanctus, ſupernaturalis, etiam in individuo: & tamen nemo Catholicus aſſeruerit fidei actum ſatis eſſe impio, ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat: id nimirum dogmatis, quod Lutheranorum eſt Concil. Trid. ſeſſ. 6. Can. 9. hiſce verbis proſcripſit: *Si quis dixerit ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit.* Ergo ex eo preciſe, quod ſupponatur dolorem conceptum ex ſolo gehennæ metu eſſe pium, laudabilem, ſupernaturalem, etiam in individuo male concluditur, quod ſatis ſit, ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Objicies 1. Patrês hortantur impios, ut extremum judicii diem volvant ſæpius animo: *Aſcendat homo* (inquit Auguſt. hom. 50. inter quinquaginta) *adverſus ſe tribunal mentis ſuæ, ſi timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Chriſti, ut illic recipiat unuſquiſque quod per corpus geſſit, ſive bonum, ſive malum. Atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor, inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas fluat.* Iidem Patres non raro monent peccatores, ut ſi amore juſtitiæ a peccato nondum valeant temperare, temperent ſaltem gehennarum metu: *Fac* (ait Auguſtinus in Pſal. 117. *fac timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ.* Ergo (Argumentum eſt quorumdam recentiorum) ſanctis Patribus perſuaſum fuit dolorem ex ſolo gehennæ metu conceptum ſatis eſſe, ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Reſpond. 1. illud argumentum nimis probare: eo enim ſi valeat, concludetur fidem & ſpem ſatis eſſe ad peccatorum remiſſionem: quippe quod Patres non raro peccatores hortati ſint, ut tum fidei, tum ſpei actus elicerent.

Reſp. 2. conceſſo ant. neg. conſeq. Ratio eſt, quia perutilis eſt peccatori dolor ex gehennæ metu conceptus: eſt enim via qua in cor hominis ordinarie intrat charitas: *Si nullus timor* (ait Auguſtinus tractatu 9. in Epiſt. Joannis) *non eſt qua intret charitas.* Unde idem S. Doctor gehennæ metum comparat cum acu, quæ infigitur panno, indeque concludit quod quemadmodum vulnus, quod acus panno infigit via eſt qua ducitur linum, quod eidem panno inſeritur: ita dolor quo anima

ma ex metu pungitur, via sit qua in eam intrat charitas. Sed sicut ad tapetem elaborandum non satis est acum infigere panno, imo requiritur præterea, ut acui linum succedat: ita ut quis in Pœnitentiæ Sacramento justificationem consequatur, non satis est dolor ex solo metu conceptus, sed insuper requiritur, ut illi dolori charitas, inchoata quidem, sed tamen quæ sit super omnia, succedat. Resp. 3. impium ex timore etiam mere servili, varias utilitates colligere, licet ipsi non satis sit, ut consequatur peccatorum remissionem: *Pœna corporis* (inquit Augustinus Epist. 144.) *etsi non a voluntate peccandi, tamen revocat ab opere peccati*. Metus gehennæ quo efficitur ne mens in actum externum peccati prorumpat, efficit ne impius sibi catenas nectat insolubiles, seu ex quibus postea non nisi miraculose liberare se ipsum poterit, siquidem ex frequenti commissione peccatorum externorum præsertim, tenax quædam consuetudo gignitur, quam Augustinus non dubitat appellare necessitatem: *Ex voluntate perversa* (inquit lib. 1. Confessionum c. 5.) *facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*. Ex his patet Patres merito peccatores hortati, ut saltem timore pœnæ temperent a peccato, quamvis crediderint dolorem ex solo gehennarum metu conceptum satis non esse, ut in Sacramento Pęnitentię justificationis gratiam consequantur.

Solvitur argumentum ex eo desumptum, quod Patres crediderint Pœnitentiam esse Sacramentum mortuorum.

Objicies. Constans est Patrum traditio Pęnitentiam esse Sacramentum mortuorum. Ergo apud eos pariter constat Attritionem, quæ mere servilis sit, seu concepta ex solo gehennæ metu, ac expers cujuslibet vel inchoati amoris Dei super omnia, sufficientem esse dispositionem ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ; siquidem (ajunt non nulli Scholastici) si requireretur Contritio, quæ Dei amorem super omnia, etiam imperfectum, includeret, supponere oporteret impium semper consequi justitiam antequam actu absolutione Sacramentali donetur: unde consequeretur absolutionem nusquam, cum actu datur, conferre primam gratiam, seu gratiam quæ ex impio faciat justum; sicque Pęnitentiam Patres immerito Sacramentum mortuorum appellassent, quemadmodum irrisorie ægrotis sanitatem restituere diceretur medicus, qui ad neminem accederet, quin prius non frueretur sanitate.

Respondent aliqui Scholastici concesso ant. neg. conseq. Nam (inquiunt) argumentum nimis probat; probat nempe 1. Sacramentum Pœnitentiæ datum justo non esse Sacramentum mortuorum; quod tamen falsum est: Probat 2. datum impio, qui perfecte contritus sit, non recte appellari Sacramentum mortuorum, cum ex Concilio Tridentino, is qui perfecte contritus sit, justificetur antequam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiat: Probat 3. Patres docuisse de ratione Sacramenti mortuorum esse, quod tunc tantum justitiam conferat cum actu a pœnitente recipitur. At id graves alioquin, & doctissimi Theologi inficiantur: quippe qui plures reperire sit, qui contendant satis esse ad Sacramentum mortuorum, ut per se justificet, aut in voto, aut in re susceptum: Idque confirmant exemplo, quod desumunt ex Christi morte, quæ longe antequam peracta esset Hierosolymis, spiritualem vitam iis omnibus contulit, qui ab Adami lapsu justi extiterant. Confirmant rursus authoritate veterum quorumdam Theologorum, qui docuerunt contritionem natam ex casto Dei amore requiri, ut Sacramentum Pœnitentiæ valeat, ac eam cum includat absolutionis votum, semper hominem Deo reconciliare priusquam absolutio actu recipiatur.

Gratianus, qui medio XII. sæculo floruit hanc versat quæstionem distinctione prima de Pœnitentia: Utrum sola cordis Contritione, & secreta satisfactione absque oris confessione, & impositis a Sacerdote pœnis impius justificari possit. Ubi vero plurima tum Scripturæ tum Patrum loca retulit; quorum aliqua innuunt peccatorem redire in Dei gratiam mox atque animo Contritionem conceperit, alia vero probare videntur neminem Deo reconciliari, quin injunctis a Sacerdote laboribus perfunctus fuerit, ait duas esse ea de quæstione sententias; quarum illa uni Contritioni, ac Sacramenti voto reconciliationem tribuit, altera vero non Contritioni modo, sed etiam Confessioni & executioni injunctæ Satisfactionis eam adscribit: neutram ipse amplectitur, satis habet asserere utrique opinioni sapientes, & religiosos viros patrocinari. Persuasum igitur fuit Gratiano nihil de virtute Sacramenti mortuorum detraxisse, qui contenderunt absque actuali confessione, & absolutione impium per illius votum in Contritione inclusum cum Deo redire in gratiam.

Petrus Lombardus, seu Magister Sententiarum, eamdem tractat quæstionem: *Hic* (inquit lib. 4. Distinct. 17. lit. A.) *oritur quæstio multiplex. Primo enim quæritur, Utrum absque satisfactione, & oris confessione, per solam cordis Contritionem peccatum alicui dimittatur*. Ubi vero pro opinione tum affirmativa, tum negativa varios Patrum textus proposuit, sic littera B. loquitur. *Quid ergo super his sentiendum? quid tenendum?* Cui quidem quæstioni mox hisce verbis respondet: *Sane dici potest, quod sine confessione oris, & solutione pœnæ exterioris peccata delentur per Contritionem, & humilitatem cordis: ex quo enim proponit mente compunctus se confessurum, Deus dimittit, quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima interius mundatur a macula, & contagione peccati commissi, & debitum æternæ mortis relaxatur.*

Guillelmus Antisiodorensis, qui floruit ineunte sæculo XIII. in eamdem, in quam antea Petrus Lombardus, opinionem abiit: Hæc nimirum scribit lib. 4. Summæ de Sacramento Pœnitentiæ: *Deus inchoat solutionem dimittendo culpam, & pœnam eternam; Sacerdos vero consummat dimittendo aliquid de pœna, vi clavium per impositionem manuum*. Adducto exemplo Lazari, qui prius resuscitatus fuit a Domino, quam juberetur solvi ab Apostolis hanc conclusionem elicit: *Per hoc patet, quod Dominus inchoat solutionem, & Sacerdos consummat: ergo ubi Dominus non inchoat, Sacerdos non consummat.*

Guillelmo Antisiodorensi adhæsit Albertus Magnus. *Remisit Deus culpam in Contritione* (inquit in 4. Sent. Dist. 18. art. 15.) *& relaxavit debitum æternæ mortis, & post completionem remanet id, quod commissum est ministris Ecclesiæ, scilicet relaxatio pœnæ purgatoriæ.*

Alexander Alensis, qui æqualis fuit Alberto, exigit ut reus per contritionem interius solvatur a peccatis, seu justificetur, antequam per absolutionem Sacerdotis exterius solvatur: *In forma absolutionis* (inquit parte 4. Summæ quæst. 8. Membr. 1.) *præmittitur oratio per modum deprecativum, subjungitur absolutio per modum indicativum; & deprecatio gratiam impetrat, & absolutio gratiam supponit: numquam enim Sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret, quod esset absolutus a Deo*. Sic iterum idem author alibi loquitur. *Dico igitur, quod in Contritione dimittitur culpa & reatus, idest debitum mortis æternæ, & hoc ex sententia sive misericordia judicis; hujus autem sententiæ promulgator est Sacerdos, qui est quasi os Domini, de quo Jerem. 25. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Ex hoc est, quod sicut os judicis quasi subditum sibi promulgat sententiam judicis, & est unitum judici; sic Sacerdos secundum habitudinem subjectionis, quam habet ad Deum, est promulgator sententiæ, & ei unitus; sic enim Sacerdos loquitur & promulgat sententiam judicis, quasi in persona ejus, dicens: Excommunico te, vel Absolvo te, idest, judico te absolutum, scilicet a culpa.*

Sanctus Bonaventura eamdem sententiam iisdemque fere verbis propugnat: *In forma absolutionis* (inquit in 4. Dist. 18. art. 2. quæst. 1.) *præmittitur deprecatio per modum deprecativum, & deprecatio gratiam impetrat, & absolutio gratiam præsupponit: numquam enim Sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret, quod esset absolutus a Deo.*

Ex sancto Raymundo religioso inclyti Dominicanorum Ordinis, qui a prima sui institutione ad hæc usque tempora doctissimorum virorum quasi Seminarium extitit; clare colligitur eam, de qua est hic quæstio, sententiam sæculo XIII. multis Doctoribus fuisse communem. Ubi celebris ille Canonista, ac Theologus tres enarravit opiniones de virtute Contritionis, tertiam amplectitur, quæ docet sola cordis Contritione cum voto confitendi, quod in ea inclndi-

tur, dimitti peccatum: *Hæc* (inquit lib. 3. de Pœnit. & remiss. §. 11.) *ultima opinio celebrior est* (*Verum non intelligas, quod Contritio dimittat peccatum, proprie loquendo; sed ipse Deus in Contritione.*) Hoc postquam plurium aliorum sui ævi Theologorum more, resuscitati Lazari, & ab Apostolis deinde, jubente Christo, soluti exemplo comprobavit, sic prosequitur: *Dicendum est fere secundum omnes, quod pure, vere ac proprie solus Deus dimittit peccata, & debitum æternæ pœnæ... De Sacerdotibus autem non est dubium, quin habeant potestatem dimittendi, & retinendi peccata:* in quo autem consistat ea potestas sic mox exponit. *Dicuntur autem Sacerdotes ligare, & solvere tribus modis: Primo ligant, & solvunt, idest ostendunt aliquem solutum vel ligatum:* (Non quidem prædicando Evangelium, ut finxerunt Lutherani, sed per veram judicis potestatem.) *Unde Dominus leprosos prius restituit sanitati. deinde ad Sacerdotes misit, quorum judicio ostenderentur mundati. Item Lazarum primo resuscitavit, deinde mandavit discipulis solvere suscitatum. Nam etsi aliquis apud Deum sit absolutus, non tamen in facie Ecclesiæ absolutus habetur, nisi per judicium Sacerdotis .... Secundus modus ligandi est, cum satisfactionem Pœnitentiæ confitentibus imponunt; vel solvendi, cum de ea aliquid dimittunt. Unde Leo Papa: Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Tertius modus est, qui fit per excommunicationem*. Scholastici, & Canonistæ de quibus hactenus, censebant, Pœnitentiam sicut quovis sæculo credidit Ecclesia, esse Sacramentum mortuorum: docuerunt tamen ratione absolutionis voti, quod in Contritione includitur, impium semper Deo reconciliari antequam Sacramento actu percipiatur: Non est igitur (inquiunt authores de quibus agitur) de ratione Sacramenti mortuorum, quod tunc tantum primam gratiam, hoc est justificantem conferat, cum ipsum subjecto actu applicatur.

Verum prætermissa ea Scholasticorum, de quibus hactenus solutione, quæ cum nostris principiis non cohæret; respondemus nos ad argumentum, quod tamquam palmarium, & Achilleum objiciunt adversarii, respondemus (inquam) concesso ant. neg. conseq. seu negamus ex eo, quod Pœnitentia sit Sacramentum mortuorum recte colligi, quod dolor ex solo gehennæ metu conceptus, & expers cujuslibet, etiam inchoati Dei amoris super omnia satis sit, ut quis gratiam in Sacramento recipiat. Ideo enim eam conclusionem eliciunt adversarii, quod supponant impium qualibet vel imperfecta, & inchoata Dei charitate super omnia Deo semper reconciliari. Verum falsa est ea suppositio: variis quippe tum ex Scriptura, tum ex Patribus; tum ex Conciliis, rationibus superius ostensum est, pag. 350. actum imperfectæ, & inchoatæ charitatis Dei super omnia, qui satis est, ut cum absolutione actu recepta justificet; ordinarie, seu extra casum necessitatis, hominem Deo non reconciliare priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.

Solvitur argumentum ex hoc antiquorum Scholasticorum, IMPIUS EX ATTRITO FIT CONTRITUS. *axiomate desumptum.*

Objicies. Plures ex antiquis Scholasticis docuerunt Attritionem fieri Contritionem per actualem Sacramenti Pœnitentiæ receptionem, seu (ut quidam ajunt) asseruerunt impium ex Attrito fieri Contritum in Sacramento. Ergo veteres illi Scholastici censuerunt Attritionem, quæ mere servilis sit, hoc est, ex solo gehennarum metu conceptam, & absque ullo, vel inchoato amore Dei super omnia, sufficientem esse dispositionem ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Confirmatur ex eo, quod illud axioma, hunc tantum sensum pati possit, nempe hominem attritam per Sacramenti actualem susceptionem reddi contritum, hoc est habitualiter amantem Deum super omnia, ac proinde justum habitualiter.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia hoc veterum Scholasticorum axioma, *Impius ex Attrito fit Contritus*; quadruplicem tantum potest habere sensum: ac neuter sufficientiæ Attritionis mere servilis patrocinatur.

Potest scilicet significare 1. per preces quæ absolutioni Sacramentali a Sacerdote, ex ritualium præscripto, præmittuntur, aut per ipsammet absolutionem intendi seu augeri Attritionis gradus, & sic transire in Contritionem perfectam, a qua non differat, nisi quod dolor propter Deum assumptus quem includit, tantus non sit, quantus est Contritionis dolor: *Si quis quærat* (verba sunt superius relata ex Guillelmo Antisiodorensi) *quæ sit differentia inter Attritionem, & Contritionem? Sic est sicut vulneratio non lethalis ad occisionem, sicut calefactio ad arsionem, sicut lumen crepusculi ad meridiem*. Idem axioma, *Impius ex Attrito fit Contritus*, significare potest Attritionem per Sacramentum recipere formam, quæ perficere solet actus & habitus, qui in impio absolutionem Sacramentalem præcesserunt. Illa vero forma est ipsamet gratia sanctificans, quæ fons est, & origo meriti de condigno, & sine qua reliquæ virtutes a Scholasticis dictæ sunt olim, & nunc etiam dicuntur informes, & qua posita dictæ sunt alias, & nunc quoque dicuntur formatæ: ita philosophati sunt ii Theologi, qui Contritionis nomine non intellexerunt id quod nunc intelligimus, dolorem nempe assumptum propter Deum ex motivo charitatis etiam perfectæ, seu plurimum intensæ, sed dolorem ipsa gratia justificante informatum, & perfectum: *Contritio* (inquit Scotus in lib. 4. Sent. Dist. 4. qu. 2.) *sumitur duobus modis; uno modo pro actu formato, & sic quilibet dolor antecedens infusionem gratiæ erit Attritio quantumlibet perfectus: Idem autem continuatus infusa gratia, erit Contritio, sive perfectus sit sive imperfectus*: hoc est, sive intensus, sive remissus. Quod ab adversariis objicitur axioma, sic 3. exponi potest, quod Attritio mere servilis, seu expers cujuslibet, etiam inchoatæ, & imperfectæ charitatis in Deum, per Sacramentum intrinsece mutetur in Contritionem, seu in dolorem, qui ex motivo charitatis oriatur. Denique illud axioma significare potest 4. Attritionem ex virtute absolutionis Sacramentalis fieri Contritionem extrinsece, seu conjungi cum Dei amore, non actuali quidem sed habituali, & quidem infuso, qui nempe per Pœnitentiæ Sacramentum actu receptum producatur, quemadmodum in impio fides, adveniente gratia sanctificante, ex statu fidei informis transit in statum fidei, per charitatem infusam formatæ.

Nemini dubium esse potest axioma Scholasticum, *Impius ex attrito fit contritus aut in Sacramento, aut independenter a Sacramento*, acceptum in duplici priore sensu non favere opinioni, qua asseritur Attritionem mere servilem, hoc est, expertem cujuslibet, etiam inhoatæ charitatis in Deum super omnia, satis esse, ut impius gratiam recipiat in Sacramento Pœnitentiæ. Siquidem nomine Attritionis, quam juxta duplicem priorem sensum veteres Scholastici dixerunt fieri Contritionem, Attritio mere servilis intellecta non fuerit, sed dolor qui ex motivo charitatis in Deum præcipue conceptus fuisset. Ratio est 1. quia (ut patet ex textibus Guillelmi Antisiodorensis) ii Scholastici asseruerunt Attritionis actum esse ejusdem speciei ac actus Contritionis in quem mutari voluerunt. Ratio est 2. quia iisdem Scholasticis persuasum fuit Attritionem de qua locuti sunt, hominem Deo reconciliare, priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur: unde (ut ex plurium textibus superius relatis perspicuam est) concluserunt absolutionem illi Attritioni supervenientem nihil aliud efficere, quam augmentum gratiæ sanctificantis jam productæ per votum Sacramenti in illa Attritione inclusi, & esse præterea juridicam declarationem remissionis, quam impius per illam Attritionem cum voto Sacramenti conjunctam adeptus fuisset. Ita ratiocinati sunt plures e Scholasticis, qui Concilium Tridentinum præcesserunt, imo & aliqui ex iis, qui cum laudatæ Synodo interfuissent, hoc de argumento postea scripserunt.

Cuique pariter exploratum est, axiomatis de quo agitur, tertium sensum adhiberi non posse ab adversa-

riis

riis in patrocinium illius ſufficientiæ quam reſpectu gratiæ in Sacramento recipiendæ, actui Attritionis mere ſervilis adſcribunt: Impoſſibile nimirum eſt ut actus diverſæ ſpeciei, cujuſmodi, ex adverſariorum doctrina, ſunt Attritio, & Contritio, in ſe invicem mutentur. Solus igitur axiomatis, de quo agitur, quartus ſenſus favet adverſariis. Verum a nullo authore traditus eſt ante Franciſcum a Victoria Dominicano, & in Academia Salmanticenſi Sacræ Theologiæ Profeſſore, qui obiit circa annum 1546. ac proinde ex eo ſenſu colligi non poteſt veteres Scolaſticos faviſſe opinioni, qua nonnulli poſt Melchiorem Canum labente ſæculo XVI. & plures adulto hoc ſæculo XVII. aſſeruerunt Attritionem, ex ſolo gehennarum metu conceptam ſatis eſſe impio, ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Utrum dogma quo aſſeritur Attritionem mere ſervilem ſatis eſſe ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam cum SS. Patribus cohærat?

Concluſio. Dogma quo aſſeritur Attritionem mere ſervilem ſeu conceptam ex ſolo gehennarum metu ac omni amore Dei vacuam, ſatis eſſe ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ difficile cum SS. Patribus conciliatur.

Probatur. Patres docuerunt. 1. Attritionem, ſeu dolorem requiſitum in impio, ut gratiam in Sacramento recipiat, debere excludere voluntatem peccandi. Docuerunt 2. neceſſe eſſe ut pœnitens vere oderit peccatum. Docuerunt 3. quemque teneri in rebus quæ ad ſalutem pertinent certa incertis præponere. Docuerunt denique 4. Sacramentorum miniſtros, relicta opinione probabili de valore Sacramenti, in praxi teneri ſequi tutiorem. Atqui cum quadruplici illo principio ſtare non videtur ſententia quæ aſſerit Attritionem cujuslibet etiam inchoati amoris Dei ſuper omnia ſatis eſſe, ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat. Ergo &c. Minor propoſitio, in quam difficultatis cardo vertitur, ipſis SS. Patrum textibus aſſerenda eſt.

Oſtenditur ex Patribus Attritione mere ſervili non excludi peccandi voluntatem.

Patres aſſeruiſſe voluntatem peccandi non excludi per Attritionem mere ſervilem oſtendunt 1. hæc Auguſtini loca: *Qui* (inquit lib. de natura & gratia cap. 57.) *timore ſupplicii quod lex minatur, non amore juſtitiæ ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber eſt, nec alienus a voluntate peccandi*. 2. Idem hiſce verbis docetur lib. 2. contra adverſarium Legis, Prophetarum: *Deſiderium peccandi non extinguitur niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur, non extinguitur per jubentem litteram timore pœnæ, ſed per juvantem ſpiritum dilectione juſtitiæ*. 3. Idem clare traditur Epiſtol. 144. ubi hæc ait S. Doctor: *Inaniter putat victorem ſe eſſe peccati qui pœnæ timore non peccat, quia etſi foris non impletur negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis*. 4. Concione 25. in Pſalm. 18. S. Auguſtinus eum, qui ſolo gehennarum metu temperat a peccato, comparat cum ſerpentibus qui dum ſævit hyems, præ frigoris acerbitate ſic torpent, ut mortui videantur; impune nimirum palpantur, nemini nocet venenum quod intus latet. Verum ubi rediit æſtas, & calor eos pervaſit in priſtinam formam redeunt, ac palpantibus mortiferos morſus infigunt. 5. Sermone 19. de verbis Apoſtoli cap 9. abſtinentem a peccato ſolum timore pœnæ, & abſque inchoato ſaltem, amore juſtitiæ, confert cum lupo, qui licet præ vigilantis paſtoris metu ovem non rapiat ex ovili, lupus tamen interius remanet, & licet tremens fugiat, lupus tamen ſeu cum lupi rabie diſcedit. Tract. 9. in Epiſtol. Joannis hominem de quo agitur, comparat cum muliere, quæ licet amet adulterium, temperat tamen ab externo illius opere, ne deprehenſa a marito trucidetur. 6. Auguſtino conſentit Bernardus: *Habent* (inquit) *homines triformem ſtatum vivendi, non delinquere quod agit timor ſervilis, nolle delinquere quod exhibet filialis; non poſſe delinquere quod ſola confert beatitudo perennis*.

Nec audiendi ſunt qui reponunt Auguſtinum intelligi debere de homine qui temperat a peccato propter metum pœnæ temporalis, non autem timore ſuppliciorum alterius vitæ. Non ſunt (inquam) audiendi. Nam 1. cum Patres definiunt temperantem a peccato ex ſolo pœnarum metu, internam adhuc gerere voluntatem peccandi, non diſtinguunt inter æternas, & temporales pœnas. 2. Auguſtinus conceptis terminis id aſſerit de pœnis æternis: *Qui gehennas metuit, peccare non metuit, ſed ardere*. Sermone 15. de verbis Apoſtoli cap. 6. ſic peccatorem alloquitur: *Hoc intereſt inter timorem tuum, timoremque latronis, quod latro timet leges hominum, & ideo facit latrocinium, quia ſperat ſe fallere leges hominum. Tu autem eius pœnam times, quem fallere non potes: nam ſi fallere poſſes, quid non feciſſes? Ergo, concupiſcentiam tuam malam non amor tollit, ſed timor premit*. Præterea (ut ſuperius obſervatum eſt) eum qui temperat a crimine, unam veritum extremi judicii diem, comparat cum muliere adultera quæ abſtinet ab externo criminis opere ne a marito deprehendatur: Sed pœna quæ poſt extremi judicii diem infligetur non eſt temporalis ſed æterna: proindeque Auguſtinus textibus mox relatis loquitur de pœnis in inferno infligendis.

Facile pariter præcludi poteſt aliud effugium quod plerique ex adverſariis commenti ſunt, contendentes laudatos tum Auguſtini tum Bernardi textus exponi non debere de timore ſervili ſimpliciter & abſolute ſumpto, ſed de ſervilitate illius timoris; quæ quidem ſervilitas (inquiunt) in eo poſita eſt quod is qui propter ſolum pœnæ timorem a peccato temperat, eliciat actum hunc poſitivum, *Si non eſſent pœnæ impiis paratæ, reipſa peccarem*: Illud (inquam effugium facili negotio præcluditur. Nam 1. Auguſtinus conſtanter docuit ea omnia, quæ ex ſolo timore pœnæ fiunt ſerviliter fieri: *Timendo qui facit*, (ait S. Doctor in Pſalm. 67.) *ſerviliter facit*. Idem aſſerit lib. de ſpiritu, & littera cap. 24. *Mandatum ſi fit timore pœnæ non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter, & ideo non fit: non enim fructus eſt boni operis qui de charitatis radice non ſurgit*. 2. Qui ſolo metu ſupplicii adductus, a peccato temperat, licet non eliciat poſitivum hunc actum: *Peccarem ſi lex pœnam non minaretur*, interpretative tamen eum elicit: Et ſane ſe habet homo ille reſpectu peccati ſicut ſe habet mercator reſpectu mercium, quas, ſæviente tempeſtate, projicit in mare, ne pereat ipſe: Ergo quemadmodum ille mercator, interpretative elicit hunc actum, *Non projicerem ſi tempeſtas non ſæviret*: Ita peccator, de quo agitur, ſimilem actum elicit, *Peccarem, ſi poſſem impune*. Conſequens illud advertit Auguſt. cum hæc ſcripſit, Conc. XI. in Pſ. 118. *Qui timore pœnæ, non amore juſtitiæ, opus legis facit, profecto invitus facit, quod autem invitus facit, ſi poſſet fieri, mallet utique non juberi, ac per hoc legis, quam vellet non eſſe, non eſt amicus, ſed potius inimicus; nec mundatur opere qui immundus eſt cogitatione, & voluntate*. Tertio, Servilitas in eo poſita eſt quod quis pluris faciat pœnam quam culpam, quæ quidem in cordis diſpoſitione non levis eſt inordinatio. Sed qui ex ſolo timore pœnæ non peccat, pluris facit pœnam peccato debitam quam ipſam peccati culpam, cum illud logicorum axioma, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*, veritate nitatur.

Sed (inquiunt nonnulli) cum metus gehennæ excludat malum opus, cur ipſam voluntatem peccandi non excludit? Reſpondeo id eſſe quod voluntas externis potentiis per ſe ipſam imperet abſolute: ſibi vero, hoc eſt, affectibus terrenis non dominetur niſi contrariis affectibus, ſeu niſi ex amore Dei qui ſolus oppoſitus eſt amori terreno.

Verum (ajunt aliqui alii) voluntas non patiendi æternos cruciatus qui peccatori impendent, efficax eſt in Attrito mere ſerviliter & nullum omnino amorem concipiente; cur ergo ipſum peccati amorem non excludit, ſiquidem voluntas efficax finis ea omnia excludat, quæ obſunt hujuſmodi fini comparando; Reſpondeo primo dici poſſe non eſſe efficacem hujuſmodi

di voluntatem. Ratio est, quia voluntas non censetur efficax nisi assumat media apta ad vitandum malum quod timet, sicut voluntas longioris vitæ non est efficax in eo qui non vult recedere a via, in qua si permaneat libere, certo scit, se a latronibus occisum iri. Porro medium sufficiens ad vitandos cruciatus æternos non est Attritio mere servilis: ac proinde in attrito mere serviliter, non est vera & efficax voluntas, sed velleitas tantum vitandi cruciatus æternos. Respondeo secundo, dato quod voluntas non patiendi sit efficax in intentione peccatoris de quo agitur, dici posse quod non sit efficax in executione, quod nempe non assumatur amor justitiæ supe romnia, qui solus incompossibilis estcum desiderio peccandi. Solutio illa clare patet in actuquo speratur futura beatitudo, qui quidem quantumcumque efficax supponatur, a voluntate dominantem pecti amorem non excludit. Respondeo tertio, dici posse quod per voluntatem non patiendi excludatur peccatum prout oppositum proprio peccatoris commodo: sic autem abjicere peccatum non est excludere voluntatem peccandi, cum peccatum ut peccatum est, ea operantis intentione minime deponatur: nec mirum, siquidem actus imperati prout imperati, ab operantis fine præcipue specificentur: Unde tritum est axioma quod qui furatur ut adulteret, adulter potius quam fur appellari debeat,

Ostenditur ex Patribus impium per Attritionem mere servilem, seu conceptam ex solo pœnarum metu, vere non odisse peccatum.

Patribus persuasum fuisse impium vere non odisse peccatum per Attritionem mere servilem ostenditur primo ex Augustino; hæc nimirum ait Epistol. 144. *Tantum quisque odit peccatum, quantum justitiam diligit.* Ergo qui ne imperfecte quidem, ut in Attrito mere serviliter contingit, amat justitiam, nulla ratione peccatum odit.

Secundo. Qui peccatum odit quod per illud fiat gehennæ reus, non ipsam peccati malitiam, sed gehennam tantum odit: Unde similis est viro qui odit cibos quod morbos pariant, ad vivum repræsentatur in homine qui jejunat, ut postea epuletur lautius. Quemadmodum ergo vir ille nec cibos odit nec amat jejunium; ita nec dolens de peccato solum quod gehennas pariturum sit, peccati malitiam odit: *Magnum opus jejunium* (inquit Augustinus in Psalm. 86.) *noli cito laudare: quære causam; negotium ventris agitur, non religionis.*

Tertio. Odium alicujus mali nascitur ex amore boni oppositi. Sed qui odit peccatum, tantum eo quod futurum sit gehennæ causa, non amat bonum malitiæ peccati oppositum: amat nempe solam sui corporis integritatem, & quietem animæ quæ suppliciis violaretur, & perturbaretur doloribus: *Timor pœnarum* (verba sunt Augustini Sermon. 214. de tempore cap. 3.) *propterea pungit animam, ut amittatur aliquid quod in creatura diligitur, vel ipsa salus, & requies temporalis, aut tale aliquid post mortem: propterea enim timeatur, & apud inferos pœnæ.* Sed corporis integritas, & quies animæ non sunt bona quæ peccati malitiæ opponantur; ejusmodi nimirum bona cum peccati malitia in eadem hominis voluntate non raro componuntur.

Ostenditur dogma de sufficientia Attritionis mere servilis, vix cum hoc Patrum Axiomate, TENE CERTUM DIMITTE INCERTUM, *conciliari posse.*

Augustino cæterisque Patribus visum est hoc axioma, TENE CERTUM DIMITTE INCERTUM, regulam esse quam quisque prudens in dirigendis moribus sequi debeat. S. Doctori libr. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 3. hic casus propositus fuit: Quidam Donatista meditabatur ad Ecclesiam Catholicam redire; fatebatur vero sibi certo persuasum esse Baptismum recte suscipi in Ecclesia Catholica, sed aliquibus rationibus adducebatur ut crederet licite quoque recipi posse apud Donatistas. Qua autem ratione casum hujusmodi solvit Augustinus? *Si dubium haberes, non illic recte accipi, quod in Ecclesia Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret.* Capite 5. ubi illud argumentum fusius versavit, sic concludit: *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum; Quis dubitet certum esse peccatum non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Aliam casus speciem sibi idem Augustinus proponit. Non movet jam quæstionem de homine cui incertum sit an Baptismus recte apud Donatistas suscipiatur, sed de eo quem id omnino fugiat, & nullo cum conscientiæ scrupulo illud Sacramentum apud eos suscipit. Quid de illo homine definit? *Illi vero* (inquit) *qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipsam esse Ecclesiam Christi, in illorum quidem comparatione* (hoc est, eorum quibus incertum est an baptismus apud Schismaticos licite suscipiatur) *minus peccant, sacrilegio tamen Schismatis vulnerantur: non ideo non graviter, quia alii gravius.* Idem argumentum S. Augustinus tractat in alia specie libro de fide & bonis operibus cap. 19. ubi tandem sic colligit. *Quamobrem quæ manifesta sunt impudicitiæ crimina, omnimodo a Baptismo prohibenda sunt, nisi mutatione voluntatis, & Pœnitentia corrigantur. Quæ autem dubia, omnimodo conandum est, ne fiant tales conjunctiones.* Cujus quidem definitionis tradit hoc principium, *Tene certum, dimitte incertum*, sic enim loquitur, *Quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?* Si autem illæ dubiæ conjunctiones, seu matrimonia dubia facta fuerint; an qui sic nupserint ad baptismum admittendi sint, non definit S. Doctor: *Nescio* (inquit) *utrum ii qui fecerint similiter ad baptismum non debere videantur admitti.* Illud idem principium accurate servarunt Summi Pontifices cum casus sibi propositos solvere aggressi sunt. Capite, *Ad audientiam*, hæc casus species Clementi III. proponitur; Presbyter iratus castigat servum cingulo cui vagina cum cultello adhærebat, cultellus e vagina elapsus servum in dorso ferit: Vulneratus aliquandiu post a vulnere convalescit: postmodum vero graviore infirmitate correptus decumbit & moritur: Interrogatus Clemens an Presbyter ille censendus sit irregularis, hanc tradit responsionem, qua principium de quo est hic quæstio, confirmatur: *Quia vero utrum occasione vulneris decessisset, dubium habetur, tuæ discretioni duximus respondendum, quod cum in dubio semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret, & eidem injuncta pœnitentia congruenti, sibi poteris concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus.* Plures alias rationes, quibus nititur illud principium, cum incertum est, an actione nostra violetur lex divina, aut electione nostra periclitetur æterna salus, legere est Tomo 2. nostrarum Institutionum Theologicarum, ubi de opinione probabili differitur.

Jam vero demonstrata veritate illius axiomatis, *Tene certum, dimitte incertum*, probandum incumbit nobis difficile cum eo conciliari opinionem qua asseritur, Attritionem mere servilem, seu sine omni amore Dei conceptam, satis esse ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Qui opinionem illam in praxi sequitur, certis incerta præponit: certum est scilicet recte recipi absolutionem Sacramentalem ab eo, quem ex amore Dei admissorum criminum pœnitet; incertum est e contra an recte recipiatur ab eo qui illi se subjicit quolibet, vel inchoato Dei amore vacuus, seu cum Attritione mere servili, non recte quippe eam accipi asserunt ii omnes Theologi, quibus placet dolorem non esse satis ad gratiam recipiendam in Sacramento Pœnitentiæ, nisi ex inchoato saltem, & imperfecto Dei amore super omnia nascatur.

Movit ea ratio præcipuos defensores opinionis de sufficientia Attritionis mere servilis, movit (inquam) ut assererent cum ea sola Attritione Sacramentum non recte, seu licite suscipi cum urget vitæ exitus: *Ubi id morale dubium* (inquit Suarez) *est morale periculum, cum illa opinio*) de sufficientia Attritionis mere servilis ac expertis cujuslibet Dei amoris) *nec valde antiqua, nec multum communis sit.* Verum negant iidem

iidem authores Sacramentum recte seu licite non suscipi cum attritione, seu quolibet Dei amore vacua, cum non urget vitæ periculum. Sed scriptorum illorum pace dixerim id non cohærere cum ratione qua probant ab impio constituto in periculo mortis non recte suscipi Sacramentum cum sola Attritione de qua hic agitur; Ideo enim (ut fatentur) impius tenetur iis in angustiis elicere actum Contritionis quod dubium sit num per solam Attritionem mere servilem effectum Sacramenti, seu gratiam sanctificaotem consequatur: *Quando dubium est* (inquit Suarez) *de re ipsa, seu effectu, an fiat nec ne, tam dubium speculativum quam practicum sufficit ad rem ipsam in periculo constituendam*. Atqui idem est dubium extra mortis periculum, cum (ut patet ex adversariorum confessione) certa non sit opinio qua asseritur Attritionem mere servilem satis esse, ut impius gratiam in Sacramento recipiat: Ideo vero Sacramentum cum eo dubio non recte suscipitur, quod vetet religionis virtus ne Sacramentum aut nullitati exponatur, aut propter suscipientis culpam toto suo effectu frustretur.

Ostenditur opinionem de sufficientia Attritionis mere servilis vix conciliari posse cum hoc Patrum principio, Est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem Probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.

Sancti Patres, nisi urgeret necessitas, sedulo caverunt semper ne in Sacramentis conficiendis materia aut forma dubiæ adhiberentur. Usi sunt ea cautione in ipso de quo agimus, Pœnitentiæ Sacramento: variis nimirum artibus explorarunt an lapsos vere pœniteret, antequam eos donarent reconciliatione: voluerunt a lapsis præmitti pietatis opera quibus certi fierent adesse Contritionem, cui tamquam materiæ, applicarent absolutionem, quæ vera est Sacramenti forma. Ministros qui aliam viam inirent, asseruerunt reos fieri, & violatæ charitatis in proximum quem effectus Sacramentalis privationi exponunt, & reverentiæ in Sacramentum, quod sic se gerentes exponunt nullitati. Utrumque crimen hisce verbis exprimit Cyprianus libr. de Lapsis: *Si quis præ propera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini praeceptum rescindere* (quo reverentiæ in Sacramentum consulitur) *dans scilicet pacem nondum pœnitentia functis*, (ex qua peccatoris Contritio cognoscitur) *non tantum nihil prodest; sed, & obest lapsis* (ac proinde peccat in charitatem quam debet proximo) *provocasse est iram, non servasse sententiam: nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate præsumere*. Antiquis Patribus eo in capite subscripsit Innocontius Papa XI. cum hanc quorumdam recentiorum propositionem damnavit: *Non illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*.

Verum cum iis Patrum sententiis difficile conciliatur eorum opinio, qui contendunt Attritionem ex solo gehennæ metu conceptam satis esse ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Et sane qui lapsum ea tantum, qua dictum est, ratione attritum absolveret, extra casum necessitatis in conferendo Sacramenro uteretur materia dubia, probabilem tantum materiam adbiberet relicta tutiore: dubium est scilicet, ac ad summum probabile, quod Attritio cujuslibet Dei amoris expers, sit sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ: cum e contra cuiqun certum sit Contritionem præcipue conceptam ex amore Dei super omnia, satis esse ut Sacramentum valeat, & operetur.

Nec argumenti vim enervant qui reponunt, Innocentium ac antiquos Patres loqui de Sacramentis quæ constent ex materia externa, ut in Baptismo, Confirmatione, Ordinatione sunt aqua, chrismatio, impositio manuum: non vero de Sacramento cujus materia sint interni recipientis actus, ut in Pœnitentiæ Sacramento contingit. Non enervant, (inquam) hujusmodi scilicet exceptio nullo videtur niti fundamento: cum enim Patres, & post eos Innocentius, indefinite locuti sint, eorum effatum non minus de Sacramentis in quibus materia interna est, quam in iis, in quibus est externa, intelligi debet. Præterea si valeret exceptio quam adversarii supponunt, dici posset Patres prohibendo ne in Sacramentis conferendis adhiberetur mataria dubia, consuluisse quidem debitæ in Baptismum, Confirmationem, Extremam unctionem, & Ordinationem reverentiæ, non curasse vero de reverentia quæ debetur Pœnitentiæ Sacramento, quod non una vice, sicut baptismum, & alia, sed sæpissime conferebant: Addi potest Patres de ipsamet in specie Pœnitentia locutos fuisse, quippe qui curarint sedulo ne ministri eam dispensarent temerario, idest iis de quibus esset dubium an sincere peccata detestarentur.

Aliam argumenti nostri solutionem tentavit Vasquez in primam secundæ quæst. 19. artic. 6. disp. 63. Contendit nempe Patrum axioma, quod mox urgebamus, non intelligi de obligatione sumpta ex parte religionis erga Sacramentum, sed tantum de obligatione, quæ petitur ex parte charitatis, quæ naturali jure debetur proximo, & quidem in iis, quæ minister ex se debeat apponere; non autem in iis, quę pendent ex eo qui recipit Sacramentum.

Ut Vasquesii mens pateat clarius, ac si suo robore argumentum nostrum permaneat, ejusdem Vasquesii sententiam paulo uberius pertractemus oportet. Igitur loco mox laudato quærit, *An in conferendis Sacramentis uti liceat opinione probabili*. Eam vero quæstionem ut solvat, duplicem in ministris obligationem distinguit; unam quidem quæ oritur ex reverentia qua per virtutem religionis, Sacramentum prosequi debet, alteram quæ nascitur ex charitate quæ debetur proximo. Quod ad priorem obligationem spectat, asserit non obstare quominus minister, nisi contrarius sit Ecclesiæ usus, opinione minus tuta, & minus probabili utatur in administratione Sacramentorum, seu docet eum in virtutem religionis non peccare qui in alicujus Sacramenti collatione sequitur opinionem quæ simul minus sit tuta ac minus probabilis. Quod autem spectat ad posteriorem obligationem, censet ministrum peccare, si relicta opinione tutiori, sequatur opinionem probabilem, imo & probabiliorem, sed minus tutam, in iis quæ ipse debet ex se adhibere ut sunt in Baptismate ablutio, & prolatio verborum; secus vero in iis quæ se tenent ex parte recipientis Sacramentum, ut revera ex ipsius parte se tenet Contritio. *In hoc casu* (inquit agens de iis quæ ex ministro pendent) *existimo neminem satisfacere huic obligationi charitatis, si sequatur opinionem probabilem, imo etiam probabiliorem minus tutam, cum potest tutam eligere, & sequi*. Postquam variis rationibus eam assertionem confirmavit, hoc sibi argumentum objicit: *Si hæc doctrina vera esset, sequeretur non posse Pœnitentem aliquem absolvi cum sola Attritione cognita ab ipso Pœnitente, & Confessario: Sic enim non adhiberetur ei remedium sine periculo, sed remedium quod adhuc in opinione positum est*. Ad illud argumentum respondet eo in casu ministro licere sequi probabilem opinionem, idque hac ratione confirmat: *Nam* (inquit) *doctrina in hoc capite tradita de sequenda tutiori opinione propter obligationem charitatis, & misericordiæ, intelligenda est ex parte eorum quæ adhibet ex se minister Sacramenti ut ea sint certa, & sine ullo periculo in re. At vero dolor est aliquid requisitum ad Sacramentum ex parte ipsius qui recipit Sacramentum*. Hactenus Vasquez.

Sed Vasquesii pace dixerim solutionem, quam tradit, esse merum effugium. Et sane primo. Cum Patres quibus adhæsit Innocentius Papa XI. definierunt in Sacramentis conferendis certa incertis, seu tuta probabilibus anteponi debere, nequaquam distinxerunt inter ea quæ ipse minister ex se adhibere debet, & inter ea quæ is qui Sacramentum recipiens adhibere tenetur. Secundo. Cyprianus libro de Lapsis, Ambrosius, Augustinus, aliique veteres asseruerunt sacrilegii reos esse ministros qui Lapsos temerario absolvunt, seu antequam eorum Contritionem operibus probaverint: Sacrilegii vero reos esse dixerunt, quod contra quod præscribit religionis virtus, Sacramentum nullitati exponi videtur, cum minister, extra casum necessitatis,

tis, probabili taotum, & non certæ materiæ formam applicat, sive eam materiam minister per se adhibeat, sive ex parte pœnitentis requiratur. Tertio Vasquez fatetur, impium qui Attritionem quolibet Dei amore vacuam, sic cognitam, subjicit absolutioni Sacramentali, peccare quod materiam probabilem tantum, & non certam adhibeat: *Qui* (inquit n.6.) *ad Sacramentam accedit eam sola Attritione scita, licet non se exponat* (Vasquesii est sententia) *periculo efficiendi irritum Sacrameatum, exponit se tamen periculo frustrandi Sacramentum effectu suo, in quo non minor est irreverentia contra religionem, quam in efficiendo ipsum Sacrameutum irritum defectu partis essentialis*. Hujusmodi tamen impio cooperabitur minister, si (ut vult Vasquez) illi absolutionem impendat extra casum necessitatis; ac proinde videtur quod ejusdem cum ipso sacrilegii, violatæ nimirum religionis in Sacramentum, fiet particeps. Quarto, Ipso Vasquesio teste, impius qui cum sola Attritione mere servili sic cognita se se absolutioni subjicit, peccat in charitatem quam sibi ipsi debet, incerta nempe certis præponens, probabilia eligens omisso eo quod plane securum est. Ergo, & minister peccat in charitatem, quam debet proximo, præscribuot nempe charitatis leges, ne volenti se ipsum perimere arma sufficiantur quibus propositum suum exequatur. Confirmatur ex eo quod Sacerdos sit confitentis respectu Pater, Pastor, & Medicus, ac proinde iis oominibus maxima in confitente charitate teneatur.

Nonnullos aliquando publicis in disputationibus audii qui petitum ex Patribus argumentum sic solverent. Equidem (inquiebaot) vetuerunt Patres ne quis minister extra casum oecessitatis in conferendis Sacramentis probabilia sequatur relictis tutioribus; verum (addebant) id habet locum tantum, cum probabile est tuoora requiri ut Sacramentum valeat; oequaquam vero (ajebant) probabile est dolorem conceptum ex aliquo Dei amore super omnia, requiri, ut Pœnitentiæ Sacramentum aut valeat aut operetur. Sed primo, quod illi improbabile asserunt, probabilo visum est Alexandro Papæ VII. qui (ut superius observatum est) prohibuit ne quis alicujus censuræ Theologicæ, alteriusve injuriæ aut contumeliæ nota perstringeret alterutram sententiam, sive negaotem, sive affirmantem necessitarem aliqualis dilectionis Dei ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam. Secundo. Pababile quoque judicarunt Episcopi qui eamdem inchoatæ Dei dilectionis super omnia necessitatem in catechismis, & ritualibus populos sibi creditos docuerunt. Tertio. Probabile pariter visum est Sacræ Facultati Parisiensi, quippe quæ sæpius probarit theses, quibus ea necessitas propugnaretur, instar omnium sit ea quam defendit Clarissimus Abbas de Noailles nunc illustrissimus Catalaunensium Episcopus; sic autem habet: *Contritio imperfecta nisi adjunctum babeat amorem Dei super omuia, saltem inchoatum, & initialem, ac quidem ad remissionem peccatorum etiam cum Sacramento consequendam sufficit*. Quarto. Huc adduci possunt argumenta omnia quæ inferius pro ejusdem dilectionis necessitate pro erentur. Quinto tandem, probabile definitur id quod nititur rationibus, quæ ad assensum movere possunt viros pios ac doctos. Atqui opinio qua asseritur necessitas inchoatæ, & initialis dilectionis Dei super omnia determinare possunt viros pios ac doctos ad sensum, cum reipsa quovis sæculo determinarint. Certo igitur certius est opinionem qua docetur Attritionem mere servilem, seu conceptam ex solo gehennæ metu, sine aliquo vel inchoato amore Dei super omnia satis non esse, multum esse probabilem, ac proinde videtur quod qui, sive minister, sive pœnitens, eam in praxi sequeretur, difficile admodum solveret aoöquorum Patrum textus, quibus cautum est oe quis in Sacramentis conferendis sequatur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.

§. III.

Utrum Contritio imperfecta ut satis sit ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, oriri debeat ex incboato Dei amore saper omnia.

CONclusio. Contritio imperfecta debet oriri ex inchoato Dei amore super omnia, ut satis sit ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ.

Probari potest conclusio primo ex Scriptura; secundo ex traditione quiodecim priorum sæculorum; tertio ex Concilio Tridentino. Singula illa probationum capita seorsim propooenda sunt,

Ex Scripturis ostenditur Contritionem imperfectam oriri debere ex incboato Dei amore super omnia, at satis sit, quod quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Triplex argumentorum genus pro causa de qua bic agitur, Scripturæ sufficiunt. Prius ex iis locis sumitur, quibus asseritur inutilitas operum quæ Dei amore vacua fuerint. Alterum petitur ex iis, quibus dicitur quod mortua sit anima, in qua Dei amor non dominatur. Tertium tandem ex iis, quæ nonnisi conversis peccatorum veniam indulgent.

PRIMUM ARGUMENTUM. Sine amore Dei, secundum Apostolom, homo coram Deo nihil est: nihil ei prosunt aut eloqnentia Angelica, aut recondita mysteriorum cognitio, aut copiosa eleemosynarum largitio, aut ipsum martyrium quo nullum est opus sublimius in religione Catholica: *Si linguis bominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non babeam, factus sum* (verba sunt Pauli 1. ad Corinth. 13.) *velut æs sonans, aut cymbalum tinuiens. Et si babuero propbetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si babuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non babuero nibil sum: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita at ardeam, charitatem autem non babuero, nibil mibi prodest*. Sed qui nihil est coram Deo, cui nihil opera prosunt, non est sufficienter dispositus, ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat: Ergo neque qui afficitur dolore qui sit expers cujuslibet etiam inchoati amoris Dei super omnia.

Nec alicujus est ponderis quo nonnolli reponunt, Apostolum loqui de charitate in proximum, non autem de charitate in Deum. Agit nimirum Apostolus de proximi amore, qui ordinatus sit ac rectus, & qui prophetiæ, scientiæ, martyrio meritum ac dignitatem conferat. Rectus autem non est amor in proximum nisi ex motivo charitatis in Deum oriatur: id enim debemus in proximo diligere, quod Deus in eo diligit, quodque Christus in nobis dilexit, cum pro nobis oppetiit mortem: Quid vero Deus in proximo diligit nisi illios salutem æternam; *Elegit nos, ut essemus sancti*; Quid Christus in oobis amat, nisi æternam justitiam? *Nolite itaque putare, Fratres mei*, (inquit Augustious Tract. 65. in Joannem) *in hoc quod ait Dominus*: MANOATUM NOVUM OO VOBIS UT VOS INVICEM DILIGATIS, *illud magis prætermissum fuisse mandatum, quo præcipitur ut diligamus* DOMINUM DEUM NOSTRUM EX TOTO CORDE, EX TOTA ANIMA, ET EX TOTA MENTE, *tamquam enim hoc prætermisso, videtur dictum* UT DILIGATIS INVICEM, *velut hoc ad illud alterum non pertineat, quod dictum est* DILIGES PROXIMUM TAMQUAM TE IPSUM, IN HIS ENIM DUOBUS PRAECEPTIS (inquit) TOTA LEX PENDET ET PROPHETAE. *Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis. Nam, & qui diligit Deum, non eum potest contemnere præcipientem ut diligat proximum, & qui sancte ac spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addit Dominus*, SICUT DILEXI VOS. *Quid enim nisi Deum dilexit in nobis? Non quod babeamus, sed ut baberemus, ut perducat nos, sicut paulo ante dixi, ubi sit* DEUS OMNIA IN OMNIBUS. *Sic etiam medicus recte dicitur ægros diligere: Et quid in eis nisi salutem diligit quam cupit utique revocare, non morbum quem venit expellere; Sic*

ergo

ergo, & invicem diligamus; ut quantum possumus ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamur. Hanc dilectionem nobis donat ipse, qui ait; SICUT DILEXI VOS, UT ET VOS DILIGATIS INVICEM, *Ad hoc ergo nos dilexit, ut & nos diligamus invicem, hoc nobis conferens diligendo nos, & tam dulci vinculo connexis membris corpus tanti capitis simus.*

Non plus habet soliditatis quod alii respondent, Apostolum loqui de charitate habituali justificante, ita ut sensus sit fidelem nihil plane mereri posse, nisi gratia sanctificante donatus sit. Ratio est primo, quia Apostolus agit de charitate, sine qua ne ipsum quidem martyrium prosit; sed prodest tamen sine gratia habituali quæ impium formaliter (ut ajunt) justificet, si nempe ex Dei amore super omnia illud patiatur. Secundo Apostolus loquitur de amore quo Christus dilexit nos: Ille vero dilexit nos, non amore qui sit instar habitus otiosi, sed amore actuali quo tamquam flamma concitatus fuerit ad orandum pro nobis ad patiendum, & ad promerendam nostram salutem. Tertio. De ea charitate versibus primo, secundo, & tertio loquitur, de qua tractat versu quarto. Sed versu quarto non agit de charitate habituali, cum recenseat opera, ad quæ charitas impellit: *Charitas* (inquit) *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur &c.*

ALTERUM ARGUMENTUM EX SCRIPTURIS PETITUM. *Qui non diligit* (inquit Joannes) *manet in morte*; quæ quidem sententia intelligi debet de charitate quæ ad agendum impellat, cum (teste ipsomet Joanne) efficere debeat ut fratrem non diligamus, *verbo neque lingua, sed opere, & veritate*, variis nempe dilectionis officiis. *Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum* (ait Paulus) *anathema sit*: qui autem est anathema vere coram Deo mortuus est. Sed quamdiu homo plane mortuus est, non est sufficienter dispositus, ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat. Nam primo ex Gregorio Magno homil. 26. in Evangelia: *Illos non debemus per pastoralem authoritatem solvere, quos authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam non vivificare.* Idem secundo ostenditur exemplo Lazari, quem non nisi viventem Apostoli solvere jussi sunt a Christo: *Ecce* (inquit mox laudatus Gregorius) *illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister suscitaverat mortuum: Si enim Discipuli Lazarum mortuum solverent, fœtorem magis ostenderent quam virtutem.*

Objiciunt aliqui ex iis qui nobis adversantur; Si necesse sit, ut impius vivat antequam absolvatur, concludetur eum donatum esse debere gratia justificante antequam ei Sacerdos impertiatur absolutionem: non enim vivit impius nisi per gratiam quæ justificet, seu quæ illum ex impio justum efficiat. Verum facile revincuntur adversarii. Duplex nimirum est vita spiritualis; imperfecta, quæ per Dei amorem actualem habetur. Perfecta altera quæ sequitur ex charitate habituali infusa quæ est idem cum forma inhærente, quæ hominem formaliter (ut ajunt) justificat. Ista in pœnitente non debet absolutionem necessario præcedere, sed illa tantum quæ non tam vita est, quam via ad vitam. Illi distinctioni lux affulget ex Ambrosio qui lib. 1. de Pœnit. cap. 10. lapsum qui reconciliationem exposcit, comparat cum homine quem Hierosolymis in urbem Hierico profectum, vulnerarunt latrones, & postea curavit Samaritanus qui pertransiit. *Potest fieri* (inquit S. Doctor) *ut aliquem de Hierusalem in Hierico, hoc est, de Martyrii certamine relapsum, in istius vitæ cupiditate, sæcularique gratia vulneratum a latronibus, hoc est, a persecutoribus, & semivivum relictum Evangelicus ille Samaritanus inveniat.... & non prætereat eum sed curet & sanet: Fortasse ideo non præterit eum, quia aliquid in eo vitale agnoscit, unde possit vitam resumere. Nonne vobis videtur ille qui lapsus est, semivivus esse si vitale aliquid fides spiret? Si semivivus est, infunde vinum, & oleum &c.* Eidem etiam distinctioni, vitæ nimirum inchoatæ per aliquem charitatis actum, & perfectæ per charitatem infusam, quæ justificet, patrocinatur S. Cyprianus Epistol. 52. ubi asserit homine, quem latrones semivivum reliquerant, adumbrari impium cui reconciliatio per Ecclesiæ claves indulgeri debeat. *Non est opus* (inquit) *sanis medicus, sed male habentibus. Quam potest exercere medicinam qui dicit, Ego solos sanos curo, quibus medicus necessarius non est. Opem nostram, medelam nostram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos esse,* (quamvis jaceant in statu peccati mortalis) *sed magis semianimes jacere eos quos persecutione funesta sauciatos videmus; Qui si in totum mortui essent* (hoc est quolibet vel inchoato Dei amore vacui) *numquam de iisdem postmodum Confessores, & Martyres fierent. Sed quoniam est in illis quod Pœnitentia sequente revalescat, ad fidem, & virtutem de Pœnitentia robur armatur.* Ex iis tum Cypriani, tum Ambrosii verbis constat primo in pœnitente antequam absolvatur, vitam esse quidem sed imperfectam qua minime justificetur. Constat secundo, post acceptam absolutionem esse aliam qua a peccati reatu liberetur. Constat tertio Sacerdotis ministerium priorem vitam supponere, cum subjectum, in quod tamquam medicus agit, non sit homo mortuus, alioquin frustra ei mederetur, sed circa posteriorem exerceetur, seu justificatio nativus est ministerii Sacerdotalis effectus.

TERTIUM ARGUMENTUM. Scripturis docemur conditionatam esse Dei de remittendis peccatis promissionem: *Convertimini ad me* (inquit Deus Zachariæ 1.) *& ego convertar ad vos*, hoc est, Per remissionis gratiam non convertar ad vos, nisi prius vos ad me conversi fueritis. Eamdem conditionem apud Isaiam perspicuis his verbis expressam legere est: *Si conversus fueris & ingemueris, salvus erit.* In quam Prophetæ sententiam hæc ait Fulgentius lib. 1. de remiss. peccat, cap. 6. *In hoc testimonio conditionali Deus, & præcepto utitur, & promisso, Dicens quippe: Si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris, ostendit ex conversionis conditione promissionem saluti omnino pendere.* Ea vero conversio non in eo tantum posita, quod impius a peccatis membra cohibeat, sed præterea requirit ut eorum deponat affectum: Qui enim apud Isaiam dicit; *Quiescite agere perverse, discite benefacere*, apud eumdem Prophetam ait: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Illa iniquorum affectuum depositio Joelis 2. hisce verbis traditur: *Convertimini ad me dicit Dominus in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu.* Sed primo ex solo timore pœnæ cor iniquos affectus non deponit, ut superius probatum est ex Augustino: *Quia* (inquit Epistol. ad Anastasium) *etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* Secundo. Iniqui affectus positi sunt in eo quod voluntas id amet quod non est amandum, & illud non amet quod est amandum, aut tantum non amet quantum est amandum: *Si amantur* (inquit Bernardus Sermon. de diversis) *quæ amanda sunt; si magis amantur, quæ magis amanda sunt; si non amantur, quæ amanda non sunt, amor purgatus erit. Quid ergo nisi fœdus, nisi turpis erit, si Deus qui super omnia, imo solus propter se ipsum amandus est, æquali vel minori amore diligatur.* Tertio. Anima non potest esse sine aliquo amore qui illi prædominetur. Ergo si Deum super omnia non diligat, necesse est ut creaturam amet super omnia: *Duo amores sunt* (ait Leo Magnus Serm. de jejunio septimi mensis) *ex quibus omnes prodeunt voluntates: Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi.* Perabsurdum vero est asserere eum vere esse conversum qui vel actu vel habitu creaturam super omnia diligit: immerito igitur asseritur quod quis sine Dei dilectione vere conversus sit, ac proinde quod recipiendæ in Sacramento Pœnitentiæ remissioni peccatorum idoneus sit.

Ex traditione quindecim priorum sæculorum ostenditur Contritionem imperfectam, ut satis sit ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, debere oriri ex imperfecto saltem Dei amore super omnia,

Patres qui vixere quindecim prioribus Ecclesiæ sæculis, cum egerunt de mediis quæ absolute requiruntur ad obtinendam remissionem peccatorum, meminerunt doloris, qui præcipue ex inchato saltem Dei amore nascatur.

Primo,

Primo. Laudari potest Cyprianus qui ad calcem libri de Lapsis, sic eosdem Lapsos alloquitur: *Convertantur ad Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur. Illi se anima prosternat. Illi mæstitia satisfaciat. Illi spes omnis incumbat*. Eam vero conversionem, eamque pœnitentiam requirit S. Doctor quam olim legis tempore ab impiis Deus exquisiit: *Rogare qualiter debeamus dicit ipse, Revertimini* (inquit) *ad me ex toto corde vestro, simulque, & jejunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta. Ad Dominum toto corde redeamus*. Verum legis tempore dolor obtinendæ remissioni peccatorum necessarius, erat dolor præcipue conceptus ex amore Dei super omnia: Ejusdem igitur speciei dolor, ex Cypriano, requiritur in nova lege, ut quis obtineat peccatorum remissionem.

Nec argumenti vim declinant qui respondent eo loci Cyprianum agere de peccatorum remissione quam impius absque actuali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ consequatur. Nam effugium illud præcludunt hæc verba quæ mox laudatis a S. Martyre immediate præmittuntur: *Confiteantur singuli, quæso vos Fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est. Convertantur &c.*

Secundo. S. Ambrosius hæc habet scribens ad virginem lapsam cap. 8. *Sed quanta putas, & qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat?* Ubi autem illi virgini lapsæ tartareos cruciatus posuit ob oculos, ubi descripsit corporis afflictationes quas subire debeat, argumentum concludit, & probat verbis propheticis quæ, fatentibus adversariis, intelliguntur de Contritione quam Dei amor generet: *Convertimini in toto corde vestro in jejunio, & fletu, & planctu*.

Si quis vero causetur Ambrosium de justificatione loqui quæ fiat extra receptum actu Sacramentum, facile revincetur. Siquidem primo ne verbum quidem est apud Ambrosium ex quo ea responsio colligi possit. Secundo. S. Doctor hortatur virginem lapsam ut reconciliationi secundum Christi institutionem obtinendæ det operam: ac proinde agit de dispositionibus quæ requiruntur, ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat. Tertio. Perabsurdum est asserere S. Ambrosium præscripsisse virgini lapsæ quid facto opus esset, ut peccati remissionem consequeretur via extraordinaria, ut est, ex adversariis, Contritio quæ extra Sacramentum actu receptum justificet, omnino vero siluisse de dispositionibus, quæ secundum viam ordinariam, in Sacramento nempe actu suscepto, requiruntur.

Tertio. S. Augustinus Serm. 7. de Tempore hæc ait quæ causam dirimerent si studium partim desineret: *Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei*. Utitur S. Doctor exceptione generali, *Non facit... Nisi &c.* Censet ergo certam, seu veram, non esse Pœnitentiam quæ ex Dei amore non oritur, ex quocumque alio motivo procedere supponatur. Idem S. Pater Serm. 34. de diversis cap. 12. hæc scribit: *Sunt quædam gravia, & mortifera quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus, & tribulationis Pœnitentiæ non relaxantur*. Vehementissima autem humiliationis molestia, Contritio spiritus, ex amore Dei nascuntur: in hoc enim adversarii Attritionis, quæ opposita sit Contritioni, naturam positam esse contendunt quod cum illa detestetur peccatum prout est Dei offensa, ista vero illud oderit prout pœnam infligit.

Observabit Lector adversarios non posse enim Augustini textum detorquere ad justificationem, quæ via (ut ajunt) extraordinaria, nempe extra Sacramentum fiat: nam verbis laudatis hæc alia S. Doctor immediate subjicit: *Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ*.

Quarto S. Joannes Chrysostomus ad finem homiliæ quartæ in secundam Epist. ad Corinthios creditum sibi populum ad Pœnitentiam Davidis exemplo sic hortatur. *Peccatum alio modo abstersit, nempe per humilitatem, per cordis contritionem, per animæ compunctionem. Dum etiam illud cavet, ne in eadem relabatur &c. Cor nempe contritum, & humiliatum habebat, quod ipsius peccata maxime abstergebat*. Ex eo Prophetæ regis dolore concludit cujusnam naturæ dolor noster ubi Deum offenderimus, esse debeat: *Cum peccaveris ingemisce, non quod pœnas daturus sis*: NICHIL ENIM HOC EST; *sed quod Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, ut filium quoque suum tua causa tradiderit. Ingemisce igitur, nec unquam hoc facere intermitte*. Contendunt ii, qui nobis adversantur dolorem ex solo gehennæ metu conceptum satis esse, ut quis justitiam consequatur in Sacramentis mortuorum; Chrysostomus vero ait, *Nihil hoc esse*. Asserunt opus non esse, ut impius peccatum detestetur, prout est offensa Dei; contra autem Chrysostomus docet id absolute requiri: *Ingemisce quod Dominum tuum offenderis tam benignum &c.* Volunt nullum amorem requiri in pœnitente; Chrysostomus vero docet eo opus esse; unde argumenta subjicit ex quibus quisque sese ad illum amorem acuat.

Quinto. Gregorius Magnus in caput vigesimum septimum Job asserit cordis conversionem incipere plerumque a gehennæ metu: Verum addit eo metu, si Dei amor non accesserit, hominem a peccato minime liberari: *Sancta Ecclesia* (inquit) *simplicitatis suæ, & rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consummat. Cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bono agit, a malo penitus non recessit*. Si Gregorius cum ea scripsit, id habuisset in animo quod nunc probandum aggredimur, requiri nempe Dei amorem, ut quis peccatorum remissionem consequatur, clarioribus verbis mentem suam aperire non potuisset: asserit scilicet eum, qui solo timore bona agit, implicatum adhue gerere peccandi affectu, *A malo penitus non recessit*. Docet tunc tantum voluntatem peccandi affectu liberam esse cum peccatum ex Dei amore detestatur. *Tunc est funditus a malo recedere cum ex amore Dei cœperit jam nolle peccare*.

Sexto. Inter Scriptores qui post annum millesimum scripsere profertur Petrus Blesensis qui labente sæculo duodecimo diem clausit extremam. Libro de Confessione Sacramentali docet primo non quovis dolore, sed vehementissimo tantum, obtineri posse peccatorum remissionem: *Non sine dolore cordis acerbissimo* (inquit) *& anxia cordis afflictione sanantur quæ longo usu inolita*, & intimis animarum medullis infixa sunt. Docet secundo peccata non redimi levi contritione: *Nec horaria, & levi Contritione redimi possunt quibus mors æterna debetur*. Docet tertio dolorem aut aliam piam alioquin affectionem non promereri salutem æternam, seu non esse satis ad justificationem, nisi ex Dei amore nascatur: *Nulla affectio pia meritoria est ad salutem, nisi ex Christi dilectione procedat*.

Septimo. Theologiæ Scholasticæ primi parentes, Petrus Lombardus, seu Magister Sent. Guillelmus Antisiodorensis, Alexander Halensis, S. Bonaventura, Raymundus constanter docuerunt iis tantum impendi debere Sacramentalem absolutionem, quibus prius per Contritionem cum Sacramenti voto, dimissa sint peccata. Theologorum illorum textus lector superius paginis 353. 354. descriptos reperiet.

Octavo. Si (ut hactenus ostensum est) Patribus quatuordecim priorum sæculorum persuasum fuit, nullum dolorem qui ex inchoato saltem Dei amore super omnia non concipiatur, satis esse ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ; quisque concludere poterit idem visum fuisse scriptoribus sæculi decimi quinti, cum Catholici fidei dogmata ex Scriptura, & Traditione definiant. Unum ergo illius ævi authorem hic satis sit appellare. Is vero est Joannes Nider ex Ordine Dominicanorum cujus quidem Ordinis hæc laus est, quod electus videatur cui in Sancto Thoma, in cujus verba jurat, depositum fidei creditum sit. Ille igitur author in tertium decalogi præceptum cap. 8. sic loquitur; *Si homo solum detestaretur peccata propter timorem pœnæ, & amissionem vitæ æternæ, in quantum illud esset sibi ad incommodum sine ulteriori relatione in Deum, tunc homo solum quæreret suum commodum, & fugeret suum incommodum, & nullo modo quæreret Deum, & illius honorem, contra illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. sive manducatis, sive bibitis &c.*

Osten-

Oſtenditur omnes fere ſæculi 16. Scriptores cenſuiſſe Contritionem imperfectam oriri debere ex inchoato Dei amore ſuper omnia ut ſatis ſit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam.

Nonnulli ex anthoribus ſæculi decimi ſexti ſcripſerunt ante Synodum Tridentinum, ſeu ante annum 1545. quo ſuit incœpta: nonnulli vero paulo poſt ejuſdem Synodi concluſionem: operæ pretium eſt ut de utriſque hic dicamus.

Primo. Anno 1540. Albertus Pighius in collatione Ratiſponæ Catholicos inter & Lutheranos habita apertis verbis patrocinatur opinioni quam tuemur. Controverſia 7. folio 139. aſſerit 1. ſe totius Eccleſiæ ſenſa exprimere: *Hæc eſt* (inquit) *Catholicæ Eccleſiæ & noſtra doctrina de Pœnitentia a Baptiſmo peccantium*. 2. Declarat quibus ex partibus conſtet Pœnitentiæ Sacramentum: *Cujus ſi partes quærantur, has aſſignare poſſumus, cordis Contritionem, Confeſſionem Sacerdoti factam &c.* 3. Explicat in quo poſita ſit natura Contritionis. *Contritionem intelligimus diſplicentiam vehementem & dolorem de commiſſis a nobis peccatis ex corde ſincero & intimo, atque eo reſpectu quod divinam illis majeſtatem offendimus.* 4. Profitetur ortum ex gehennę metu dolorem non eſſe Contritionem quæ Sacramenti partem conſtituit: *Non omnem cordis pęnitudinem, & de peccatis diſplicentiam ac dolorem etiam magnum & vehementem, Contritionem intelligimus qualis in Pęnitentia ſalutari requiritur: Qui enim ex ſui tantum amore, ſui commodi reſpectu, nempe ob gehennæ metum de peccatis dolor procedit, etiam quantumvis vehemens & incenſus ſit, non eſt qui cor contritum facit & veniam impetrat.* 5. Tandem docet alium non ſatis eſſe dolorem quam qui ex Dei amore præcipue conceptus ſit, *Contritio ergo quam Deus in nobis reſpicit, eſt dolor offenſæ, non noſtri tantum, imo illius præcipue cauſa quem offendimus, cujuſmodi ut ſit, neceſſarium Dei amorem requirit.*

Secundo. Circa eumdem annum 1540. Joannes a Deventria in reſponſione Catholica ad art. 1. Confeſſionis Auguſtanæ, docet Lutheranos falſo calumniari Catholicos quaſi tradidiſſent Sacramentum Pœnitentię abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre: id vero ut probet, aſſerit, docuiſſe ſemper ac docere Catholicos præter fidei & ſpei actus requiri actum dilectionis ut quis, etiam in Sacramento Pœnitentiæ, gratiam recipiat. *Ideo tradunt* (*Catholici*) *non ſufficere ad peccati remiſſionem ſi peccator tantum timeat & peccatorum remiſſionem ſperet, ſed quod oporteat eum ex toto corde dolere & converti ad Deum; ita ut non tantum timeat, ſed & diligat Deum.*

Tertio. Petrus Soto Dominicanus paulo ante Concilium Tridentinum cui adſuit Auguſtanę Lutheranorum confeſſioni aſſertiones Catholicas oppoſuit: Titulo, *De Pęnitentia Catholica*, declarat Contritionem quæ pars eſt ex qua integretur & conſtet Sacramentum Pęnitentiæ, eſſe dolorem ex motivo charitatis præcipue conceptum, nullumque alium dolorem ſatis eſſe ut in Sacramento gratia recipiatur, *Contritionem* (inquit folio 34.) *vocat Catholica Eccleſia perfectum animi dolorem de peccato voluntati illi qua peccare libuit oppoſitum, frangentemque duritiam cordis, qua peccantes divinis præceptis & bonitati reſiſtimus: Dolor ſiquidem peccati imperfectus eſt, ex quantacumque fide procedens, & quantaſcumque lachrymas & ſenſus doloris habeat quouſque ex Dei charitate dilectioneq; illius ſuper omnia bona & amabilia procedat, atque ita peccata tamquam Dei oppoſita ſuper omnia quæ odio habet deteſtetur, idque in divinis oraculis.* Velim lector obſervet primo Petrum Soto nullius alterius doloris quam Contritionis quæ ex charitate procedit, meminiſſe cum adverſus fidei hoſtes agit de partibus, quæ Pœnitentię Sacramentum conſtituunt. Velim obſervet ſecundo laudatum author. *perfecti* doloris nomine non intelligere perfectum *intenſive* dolorem ſed eum qui ſatis ſit ad ſuperandam præſentem peccandi voluntatem, explicat nimirum ipſe mentem ſuam cum his verbis, *Perfectum animi dolorem*, hæc alia immediate poſt ſubjicit, *Frangentem duritiam cordis*; unde concluditur quod cum poſtea aſſerit alium quemcumque dolorem eſſe *imperfectum*, velit ipſum ſatis non eſſe quo cordis duritia frangatur, ac proinde qui ſufficienter diſponat ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam.

Quarto. Tempore quo celebrata fuit Tridentina Synodus, hoc eſt ab anno 1545. ad annum 1563. nullum theologum reperire eſt qui extra Concilium vel in Concilio propugnavit alium a Contritione quę ex Dei amore naſceretur, dolorem ſatis eſſe in ipſo etiam Sacramento: imo (Cardinale Pallavicino teſte in ſua Concilii Hiſtoria) nemine contradicente ſeſſionis ſextæ capiti ſexto inter actus juſtificationi etiam in Sacramento recipiendæ prærequiſitos actus amoris hiſce verbis inſertus fuit; *Ipſumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere* incipiunt: *Quod attinet* (inquit mox laudatus Cardinalis hiſt. Concil. lib. 4. cap. 13.) *ad id quod dicitur de dilectione Dei; advertendum eſt per tenorem decreti prius delineati, nullam fieri dilectionis mentionem, ſed Salvatorem Alepium Archiepiſcopum Turritanum, Claudium Jajum Societatis Jeſu, Lipomanum Veronenſis Adjutorem, & Pium Franciſcanorum præſidem monuiſſe ut aliquis charitatis actus inſereretur. Cumque ad id omnium Patrum judicium relatum fuiſſet, cum aliis præcipuis notis, ut indicavimus, viginti tres ex ipſis diſerte illud comprobaſſe, adeoque inſertum decreto.*

Quinto. Poſt celebratum Concilium innumeri omnium gentium Epiſcopi, plerique etiam ex iis qui Concilio adſuerant, ac proinde quibus Sacræ Synodi mens perſpecta eſſet, docuerunt populos ſibi creditos neceſſitatem, inchoati ſaltem, amoris Dei ſuper omnia ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam. 1. Fedricus Nauſea Epiſcopus Viennenſis in Auſtria poſt ſuum e Sacra Synodo reditum in Germaniam, Catechiſmum edidit in lucem in quo hęc ait de Contritione: *Cum in omni peccato mortali ſit averſio voluntatis a Deo per peccatum, & ipſa quoque contraria curentur contrariis, conſequens eſt ut e diverſo in omni remiſſione peccati mortalis actualis ſit converſio a peccato ad Deum: quæ quidem converſio, ſi vera fuerit & perfecta, dici cępit Contritio, quam Deus nimirum gratioſe acceptat, Propheta dicente, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Nec eſt ut abſque hujuſmodi Contritione Sacerdos quemquam vere poſſit abſolvere, cum ipſe reum non abſolvat, niſi reus in ſe debito modo diſpoſitus, ſit capax abſolutionis.* Mox laudatus Præſul cenſet abſolvi non poſſe impium qui non habet Contritionem de qua loquitur Propheta, *Cor contritum &c.* Ergo credidit neceſſarium eſſe Dei amorem ſuper omnia, cum certo certius ſit Contritionem cujus Propheta meminit ex hujuſmodi amore fuiſſe conceptam. 2. Franciſcus Sonnius Epiſcopus Antuerpienſis, biennio poſt ſuum ex Concilio Tridentino reditum, anno nimirum 1565. opus de Sacramentis adornavit, Tractatu 4. de Pœnit. cap. 6. de Contritione, ſic loquitur, *Quæ ſane ſi faciat* (hoc eſt peccatum deteſtetur cum propoſito melioris vitæ) *prorſus ex amore ad bonum Deum cum fiducia inveniendæ reconciliationis per Chriſtum, eſt Contritio; Sin autem remiſſe vel ſolo metu pęnæ evadendæ, eſt Attritio non efficiens veram pęnitentiam, attamen ad illam præparans.*

Sexto. Authores omnes qui ſæculo decimo ſexto, etiam poſt habitam Tridentinam Synodum ſcripſere duobus tamen aut tribus exceptis, ſcilicet Melchiore Cano, Henrico quodam Salmanticenſi, Ludovico Lopez, docuerunt neminem qui Deum, ſaltem imperfecte, ſuper omnia non diligat, Deo poſſe, etiam in Sacramento, reconciliari. Inter eos authores numerari debet Cardinalis Toletus e Societate Jeſu, cujus quidem hac de controverſia ſententiam operę pretium eſt, ut hic expendamus, cum nonnulli ex iis qui nobis adverſantur, in ſuam de Attritione mere ſervili, hoc eſt, abſque omni, vel inchoato, Dei amore concepta, opinionem detorqueant. Author de quo agitur inſtructionis Sacerdotalis lib. 3. cap. 4. nu. 2. aſſerit Contritionem eſſe deteſtationem peccati prout eſt offenſa Dei. *Contritio* (inquit) *eſt peccati præteriti, ut eſt Dei offenſa, voluntaria ſupra omnia deteſtatio cum propoſito futura ſupra omnia vitandi & commiſſa confitendi.* In hujuſmodi definitionis explicationem hæc addit, *Secunda pars definitionis, eſt, ut* EST DEI OFFENSA, *quia non ſufficit nolle peccaſſe quia malum aliquod peccatum ſecum affert; ſed oportet hac ratione,* QUIA OFFENSA DEI EST, *peccatum deteſtari: Eſſentialiter enim Contritio eſt actus quo homo nollet peccaſſe quatenus eſt offenſa Dei.* Ubi alias Contri-

tionis quam definiit, condition es exposuit, num. 5. loqoitur, *Advertendum est quoties aliqua pars eu prædictis deest, tunc non Contritio, sed quædam alia imperfecta species sit quæ Attritio dicitur, quasi imperfecta Contritio quæ maxime modis his contingere potest. 1. eu parte objecti, quando detestatur peccatum cum aliquibus conditionibus, sed non ut est Dei offensa, verum aut quia est quoddam malum animam fœdans & deturpans, faciensque servam diaboli, aut quia ei debetur pœna æterna aut quia eo secutum est malum aliquod temporale; quacunque ratione harum detestatar peccatum, Attritio est &c.* Postquam autem alias Attritionis species recensuit, de priore sic loquitur, n. 8. *Prima qaidem Attritio, si talis sit ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum* UT EST DEI OFFENSA, *sed tantum ut est alicujus mali causa &* POENÆ INFERNI, *quamvis bonus actus iste sit, tamen* NON SUFFICIT AD SACRAMENTUM, *imo qui sic accederet, peccaret denuo & non impleret præceptum, sed esset repetendum Sacramentum.* Nihil illis verbis clarius quo demonstretur Toletum censuisse Atritionem ex solo gehennę æternæ metu conceptam satis non esse ad Sacramentum, sed Dei amorem requiri. Verum alia addit quæ non minus sunt evidentia: concludit nempe ex principiis quæ mox allata sunt, Sacerdotes absolvere non posse pœnitentes quos constat non detestari peccata prout sunt offensa Dei: *Unde* (inquit) *Confessores debent maxime considerare qualiter pœnitentes admittant ad Confessionem: non enim sunt admittendi nisi qui peccata detestantur ut* OFFENSA DEI SUNT: *unde antę Confessionem mihi videtur de tali dispositione fore interrogandos.* Ex iisdem principiis capite 10. concludit iterare debere Pœnitentiæ Sacramentum cum quis ad illud accessit agnoscens se non esse Contritum, sed Attritum tantum: *Tertius casus est* (ait) *cam habet conscentiam se non accedere Contritum, sed solum Attritum; peccat enim sic accipiendo absolutionem, nec valida est Confessio.*

Respondent primo adversarii in iis quæ nunc omnium manibus teruntur Toleti editionibus, capite 4. oumero 8. non legi hæc verba, *Pœnæ inferni*, ubi de prima Atttitionis specie loquitur, sed immediate post ista, *Alicujus mali causa*, hæc reperiri, *Mali temporalis*: unde (inquiunt) laudatus Cardioalis hoc unum voluit, *attritionem ea solo metu mali temporalis conceptam satis non esse ad Sacramentum.* Respondent secundo in capite 10. his verbis, *Nec valida est Confessio*, ista immodiate subjici, *Quod intelligendum est de Attritione quæ est imperfectus dolor præteriti & imperfectum propositum futuri: nam si sit vera detestatio culpę preteritę & propositum cavendi ob pęnas inferni, puto quod licet sciat homo se esse tantum Attritam, est vera confessio, & accedentibus hoc modo dat gratiam absolutio, at colligitur ea Concilio Tridentino sess. 14 cap. 4.* Confirmant ex cap. 4. num. 19. ubi postquam Toletus hæc scripsit: *Cum sibi constat se non esse vere Contritum debet prius vere Conteri*, hęc addit, *ut aliqui dicunt, quamvis opposita sententia sit probabilior ut infra dicam rursus cap. 10.*

Sed anthorum, qui sic respondent, pace dixerim, verba quæ in adhibitis solutionibus proferuntur, quibusque adversarii nituntur, non esse Toleti; addita nempe fuerunt & inserta Toleti libro post mortem authoris. Nec fingendo id asserimus, nam nullum ex iis verbis legitur in prioribus editionibus an. 1599. 1600. 1601. excusis Antuerpiæ, aut Coloniæ Aggripinæ: Extat in nostra Bibiliotheca Oratorii Parisiensis in vico a S. Honorato, extat (inquam) exemplar editum anno 1600. in quo ne apex quidem est verborum quibus adversariorum responsiones nituntur. Franciscus Fervaques Religiosus Augustioensis in quæstione Quodlib. quæst. 22. laudat editionem anni 1601. qua desunt eadem verba, *Extat* (inquit) *in Bibliotheca nostra* (loquitur de Religiosis Augustinensibus Insulæ urbis in Belgio) *Summa Toleti excusa Coloniæ ann.* 1601. *quæ manuscripto Authoris juxta Romanam postremam Editionem excusa, & ab omnibus mendis expurgata dicitur, eu qua desumpta sunt verba quæ in Vindiciis attulimus.* Aothor libri de Contritione editi Lovanii an. 1676. laudat Editiooem quæ anno 1599. fuit excusa, & in qua asserit de esse verba de quibus est hic quæstio. Præterea supposititia esse verba, quæ in suæ opinionis defensionem laudant ii qui Attritionis mere servilis ac vacuæ qualibet dilectione Dei, sufficientiæ patrocinantur, ea (inquam) verba supposititia esse, seu non esse ipsius Toleti, ex eo demonstratur quod cum principiis quæ Toletus iis in locis statuit minime cohæreant. Siquidem (ut ex dictis patet) postquam asseruit Contritionem esse materiam proxima Sacramenti Pœnitentiæ, addit eam Contritionem essentialiter includere detestationem peccati, *Prout est offensa Dei*, quod quidem non convenit Attritioni mere servili seu quæ quovis Dei amore vacua sit. Idem author conceptis terminis docet Sacerdotes non posse absolutionem iis impendere qui non detestantur peccata prout sunt offensa Dei: Ergo Toleti oon sunt hæc verba quæ adversarii nobis ex cap. 10. objiciunt; *Quod intelligendum est de Attritione &c.* Nam vel ignarus omnioo, vel maxime impius fuisset Toletus, vir alioquin doctus & pius, si arbitratus (ut voluerunt ii qui illius operi privatas suas opiniones ioseruerunt) si (inquam) arbitratus Conciliom Tridentinum docuisse Attritonem cujuslibet amoris Dei expertem impio satis esse ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, scripsisset (ut scripsit tamen) Presbyteros non posse eos absolvere qui peccata non detestantur prout sunt offensa Dei; *Non enim sunt admittendi nisi qui detestantur peccata, ut sunt offensa Dei.* Ex dictis evidentet colligitur, hæc verba, *Ut aliqui dicunt, quamvis opposita sententia sit probabilior, at infra dicam rursus cap.* 10. quæ laudantur ex numero nono capitis quarti, Toleti textui inserta fuisse pariter ab iis qoi nobis adversantur. Operæ pretium est ut hic lector observet, quod licet in causa de qua agitur Toleti doctrinam collaudemus, inoffenso tamen pede Instructio Sacerdotum ab eo edita, in aliis omnibus capitibus deccurri non possit, quippe quæ de homicidio aliquibusque aliis rebus ad moralem spectanribus nonnullas propositiones contineat quas Innocentius Papa XI. proscripsit,

De mente Concilii Tridentini circa necessitatem inchoati amoris Dei super omnia ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Quæ hactenus tum de insufficientia Attritionis mere servilis; tum de necessitate inchoati amoris Dei super omnia, ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, dicta sunt, redacta in compendium leguntur io thesi quam die 13. Junii an. 1676. propugnavit in Sorbona doctissimus Abbas Colbertus, nunc illustrissimus Archiepiscopus Rothomagensis: sic autem habet ea thesis, *Contritio alia perfecta, quæ extra Sacramentum, dummodo illius votum includat, justificationem præstat; alia imperfecta quæ hanc vim non habet, nisi Sacramentum accesserit: alio quoque nomine Attritio dici solet, quæ ut ad gratiam in Sacramento recipiendam par sit, ex amore Dei sincero, saltem inchoato proficisci debet, neque ea sufficeret, si ea solo pœnæ æternæ, aut alio motu oriretur: Quæ opinio profectam ex metu solo Attritionem ut sufficientem & proximam ad Sacramentum dispositionem propugnat, si consulatur Antiquitas, & inter Recentiores non postremi Theologi audiantur, recens est a paucis inventa: imo nonnulli eu iis qui in ea sunt opinione, iique magni nominis Teologi, hanc etiam minus tutam arbitrantur.*

Ex laudata Thesi eruemus pariter quæ pro ejusdem inchoati amoris necessitate hic ex Concilio Tridentino dicturi sumus; *Opinioni* (verba sunt Theseos) *quæ ut proximam ac Sacramentum dispositionem tuetur Attritionem eu metu, non favet Concilium Tridentinum; de cujus mente, neutri licet opinioni inter Catholicos monte præjudicatum voluerit, si conjicere liceret, in gratiam Contritionis eu amore Dei saltem inchoato profectæ omnino id propendisse videretur.*

Iis vero verbis asseritur primo Concilium Tridentinum exprese non definisse quod inchoatus amor Dei super omnia requiratur aut non requiratur in pœnitente ut gratiam in Sacramento recipiat. Asseritur secundo Sacram Synodum in affirmatem sententiam propendisse. Asseritur tertio nihil plane reperiri eo in Concilio quod opinioni ejusdem amoris necessitatem neganti patrocinetur. Sed triplex illud

The-

Theseos asserrum, quod & nostrum est, argumentis confirmemus oportet.

Ostenditur Concilium Tridentinum non definiisse expresse aut requiri aut non requiri in pœnitente amorem Dei super omnia ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam.

Author libri cujus titulus Gallice sic habet: *Eclaircissement de cette celebre, & importante question si le Concile de Trente a decidé ou declaré, que l'Attrition concue par la seule crainte des peines de l'Enfer, & sans aucun amour de Dieu, soit une dysposition suffisante pour recevoir la remission des pechez, & la grace de la justification au Sacrament de Penitence*, hoc est, *Elucidatio celebris hujus & magni momenti quæstionis, Utrum Concilium Tridentin. definierit aut declararie Attritionem conceptam ex solo inferni penarum metu, & absque aliquo Dei amore sit dispositio sufficiens ad recipiendam remissionem peccatorum, & justificationis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ*, varia profert argumenta, quibus invictissime colligit Tridentinam Synodum neutri opinioni, sive affirmanti, sive neganti expresse præjudicatum voluisse: Ex iis argumentis, quæ præcipua sunt hic recenfebimus.

1. Non difficili negotio colligitur Synodum Sacram non definiisse Attritionem, quolibet, etiam inchoato amore Dei vacuam satis esse, ut quis gratiam in Sacramento recipiat. Nam 1. (ut jam observatum est) magni nominis Theologi Catholici ubique gentium, & ante Concilium, & in ipsomet Concilio, & post Concilium amoris hujusmodi necessitatem propugnarunt. 2. Concilium hanc regulam statuerat nihil se definiturum, quod ex Scriptura aut Traditione non peteretur. *Hæc ratio* (inquit Palavicinus hist. Conc. Trid. lib. 12. c. 1.) *in dicendis sententiis Theologis fuit præscripta, ut illa e Sacris Litteris, ex Apostolicis Traditionibus, ex Conciliis approbatis, & ex Constitutionibus, ex authoritate summorum Pontificum, e sanctis Patribus, ex communi Ecclesiæ Catholicæ consensu colligerentur.* Idem statutum innovarunt Patres paulo antequam haberetur Sessio 14. in qua de Pœnitentiæ Sacramento actum est: *De fundamentis* inquit mox laudatus Historicus) *supra, quæ stabiliendæ erant sententiæ, idem repetebatur, quod ante præcedentem sessionem injunctum fuerat, nimirum, ut ea forent Sacræ Litteræ, Apostolicæ Traditiones, Concilia comprobata, Constitutiones, authoritatesque Romanorum Pontificum ac Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ consensio.* Cujus quidem sanctionis, cum actum est de Sacramentis, innovatæ hanc idem author rationem subjicit: *Etenim non modo in cunctis fidei Sanctionibus loca maxime propria & intima sunt, quæ ab authoritate petuntur, sed præcipue in rebus, quæ tunc tractabantur de Sacramentis, in aperto erat cuncta pendere ab arbitraria Dei institutione, nulla fere humanæ ratiocinationi relicta opera, quæ certas ipsa per se consecutiones efficeret.* Atqui (ut abunde superius fuit ostensum) dogma de sufficientia Attritionis mere servilis, seu quæ vacua sit omni Dei amore, nec Scriptura, nec Conciliis nec Patrum, imo nec veterum Scholasticorum traditione nititur, ac proinde a Sacro Concilio Tridentino minime definitum fuit. 3. Nullo in Concilii loco hujusmodi definitionem reperiri inferius demonstrabitur.

2. Expresse pariter a Concilio declaratum non fuisse io pœnitente necessario requiri actum amoris Dei, ut gratiam in Sacramento recipiat, colligitur ex prudenti cautione, quam ubique idem Concilium servavit; quamque his verbis Palavicious expressit in hist. Conc. Trid. lib. 4. cap. 10. *Patrum* (inquit) *consilium fuit in recensitis definitionibus se prorsus abstinere a supervacaneis articulis, ab illis nimirum, qui Catholicas inter scholas in dubitatione versantur.* Cautionis hujusmodi ad praxim redactæ exemplum videre est in articulis de Conceptione immaculata B. Virginis Mariæ, de natura peccati Originalis: *Idcirco* (ait ibidem Palavicinus) *semper obstitere legati ne quid de Conceptione sanciretur. Hic ergo admonuerunt ne quid certi statuerent de natura ipsa Originalis culpæ, de qua Scholastici discordant, nec enim Synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones, sed ad errores recidendos.* Exemplum aliud reperitur in historia sessionis 13. Contendebant plerique decreto de communione sub utraque specie inseri debere eum qui

Juenim de S acram.

sub duplici specie communicat, non majorem gratiam recipere, quam qui sub unica. Volebant etiam nonnulli ut declararetur totum Christi corpus esse sub qualibet hostiæ parte etiam ante divisionem: *Sed* (ait laudatus Palavicinus) *His omnibus restitit Episcopus Bituntinus, qui unus e selectis Patribus erat, admonuitque solas hæreses, non item Scholasticorum sententias definiendas.* Atqui opinio de sufficientia Attritionis mere servilis ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, tempore quo Concilium habitum est, non habebatur tamquam hæresis; Illam igitur Sacra Synodus expresse non confixit.

3. Iis, quæ hucusque dicta sunt, robur additur ex Cardinale Palavicino, qui in hist. Conc. Trid. part. 2. libro 12. cap. 10. recensitis articulis qui in Sess. 14. propositi fuerant, ut examinarentur, refert primu eorum Theologorum sententiam, qui in Concilio pugnarunt pro necessitate dilectionis inchoatæ, ut salutaris sit ac fructuosus dolor de peccatis: *Didacus Lainius* (inquit) *qui primo loco inter minores Theologos sermonem habebat, damnans posteriorem secundi articuli partem, dixit Sacramento esse necessariam pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem: Dilectionem pariter tamquam necessariam enumeravit Jacobus Ferrusius Hispanus, Segoviensis Episcopi Theologus, & per hoc eumdem articulum improbavit, causatus solis terroribus minime contineri dilectionem, quæ absolute necessaria est, cum Christus pronuntiaverit, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: Et dilexit* (inquit) *per præteritum, quia dilectio remissionem antecessit .... Idcirco exigebat is ante omnia primam quamdam motionem in Deum ... postea vero actum fidei ... Hinc oritur* (ajebat ille) *in homine peccatorum detestatio, assurgitque in spem animus, & amoris initium habetur; inde vero primam gratiam Deus infundit... At Melchior Avosmedianus, tunc Pacensis Episcopi Theologus, postea vero regressus ad Pii Concilium Guadicensis Episcopus, dixit, prius nos propter pœnæ metum dolere, deinde propter Deum, postea vero* (ajebat) *peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus Foroliviensis Episcopi Theologus tamquam necessaria numeravit, timorem, detestationem ac fidem, ex qua spes oriatur, & ab hac dilectio.* Refert secundo paucorum opinionem contendentium dolorem ex solo metu conceptum satis esse, ut quis gratiam in Sacramento recipiat: *Aliquod* (inquit) *dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris, in iis quæ Granatensis disputavit.* Refert tertio eorum doctrinam qui contenderunt cuique, ut gratiam in Sacramento recipiat, opus esse Contritione perfecta: *At vero* (ait) *Joannes Æmilianus Hispaniensis, Tudetanus Antistes, extremum oppositæ sententiæ tenuit: Hoc est, opus esse Contritione perfecta; nec tamen hinc argui per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ Sacramentum jam invenit remissa, præeuntis Contritionis efficacitate; siquidem* (ajebat) *ipsa Contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in ea continetur.* Eodem in capite in quo disputatas illas in Concilio opiniones refert, sic ipse mentem suam aperit: *Et revera, quantum ex actis conjicio Theologorum mens erat, ut error hæreticorum damnaretur, tamquam inhonestum improbantium pœnæ timorem; non item ut ferrent sententiam de Scholastica quæstione, an hujusmodi timor non solum absque Contritione animi perfecta (de quo controversia vix fuit, sicuti patebit) sed etiam absque eo quod ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem in Sacramento. Id vero clare liquet ex ipsa probatione Concilii qua hujus articuli doctrinam firmat capite quarto; nimirum Ninivitarum pœnitentiam en timore profectam eis profuisse; cum certum esset eo tempore quo Sacramentum pœnitentiæ adhuc non extabat, eam formidolosam pœnitentiam minime suffecisse per ipsam ad peccatum delendum, sed vim tantummodo habuisse ad impetrandam novam gratiam, cujus ope adjiceretur charitatis affectus, quem omnes necessarium fuisse fatentur ante novam legem ad justitiam recipiendam.*

Proferuntur argumenta quibus suadetur Concilium Tridentinum propendisse in sententiam. qua asseritur in pœnitente necessario requiri actum amoris Dei ut gratiam in Sacramento recipiat.

Ex Concilio Tridentino erui possunt viginti, & amplius argumenta pro necessitate inchoati amoris Dei

super omnia, ut pœnitens gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat: verum pluribus prætermissis, quæ lector apud authorem libri cui titulus est *Eclaircissement*, *&c.* Hoc est, *Elucidatio &c.* fusius pertractata reperiet; hic tria tantum, sed quæ maximi sint roboris, seligemus.

Primum argumentum ea Concilio Tridentino petitum.

Concilium Tridentinom describens modum, quo peccatores ad gratiam justificantem præparantur, dicit eos 1. fide imbui, 2. concuti timore, 3. spe erigi, 4. diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem, 5. propterea adversus peccatum moveri per aliquod odium, ac detestationem, hoc est per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet, 6. proponere baptismi susceptionem ac novam vitam per observationem mandatorum: *Disponuntur autem* (inquit sess. 6. cap. 6.) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitas revelata, & promissa sunt, atque illud in primis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: & dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum, propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliqaod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet; denique dum proponunt suscipere baptismum, incboare novam vitam & servare divina mandata.* Ejusdem Sessionis canone 3. hæc habentur quibus plane obstruatur Lutheranorum, qui calumniabantur Ecclesiam, quasi doceret hominem per actus ordinis naturalis sese ad gratiam posse disponere: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicat oportet, ut ei gratia justificationis conferatur, anathema sit.* Iis vero in locis Sacra Synodus conceptis terminis asserit inchoatum Dei amorem in adultis requiri, ut justificationem in Sacramento baptismi consequantor: censuit igitur eodem amore opus esse, ut in Pœnitentiæ Sacramento justitia donentur, cum non minor requiratur dispositio in lapsis, ut justitiam in Pœnitentia recipiant, quam in catechumenis, quorum peccata minus gravia sunt, ut in baptismo justificationem adipiscantur.

Nonnulli, ut argumenti vim infringant, reponunt actum dilectionis requiri quidem necessario, sed necessitate convenientiæ, & congruitatis, non autem necessitate absoluta quæ medii sit, aut præcepti divini.

Verum inanis est prorsus ea solutio. Nam primo Concilium non alia ratione loquitur de actu dilectionis, quam de actu fidei, de actu spei, de actu pœnitentiæ. Ergo non minus necessarium censuit actum dilectionis, quam actus fidei, spei, & pœnitentiæ. Secundo. Sacra Synodus cum agit de actibus, quibus impius præparatur ad justificationem in Sacramento recipiendam, capite sexto utitur verbo *Oportet*; Eo vero loci non significat oudam convenientiam, aut meram congruitatem, sed necessitatem absolutam, sicut & canone tertio quem laudavimus. Tertio. Idem Concilium, ut probet in catechumeno pœnitentiam ad baptismum prærequiri, utitur hisce Petri verbis Actorum secundo: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum*; sed ea Petri verba denotant absolutam necessitatem. Ergo, & peccati detestatio ex Dei amore, cum ad ejusmodi detestationis probationem a Concilio proferantur; *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod &c.* Quarto. Sessionis sextæ capiti sexto, quod inscribitur, *Modus præparationis*, Amoris actus insertus fuit, quod (teste Palavicino) Patres Tridentini judicarint infructuosam fore pœnitentiam, si tota esset ex timore sine amore justitiæ: *Sed postea* (inquit mox laudatus Cardinalis hist. lib. 8. cap. 13. postquam retulit decretum de inferendo actu amoris inter eos, qui ad justificationem disponunt) *aliis haud probatum, verum a Theologis strenue propugnatum, & per hæc verba retentum, Non est sermo eo loco de babita charitatis, sed cum in particula, quæ loquitur de pœnitentia nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide, & spe jungere aliquem dilectionis actum, quia si* POENITENTIA TOTA ESSET EX TIMORE SINE AMORE JUSTITIÆ, *& dolor esset propter pœnam tantum, & non propter Dei offensam, infructuosa esset.* Igitur Tridentini Patres censuerunt actum amoris necessario necessitate stricte sumpta ad justificationem requiri.

Alii Scholastici ut argumento, quod protulimus, sese expediant, respondent dilectionis actum necessitate quidem medii necessarium esse ad justificationem, sed quæ extra actualem Sacramenti susceptionem fiat, non autem in ipso Sacramento: unde (inquiunt) cum Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. agit de modo præparationis ad justificationem, non loquitur de justificatione, quæ ordinarie fit in actuali ipsius Sacramenti susceptione, sed extraordinarie tantum, nempe extra actualem illius usum, seu per illius votum; idque probare sibi videntur ex eo, quod Sacra Synodus laudatæ sessionis capite sexto agat de Catechumenis, non qui baptisma suscipiant, sed qui suscipere proponant: *Denique* (ait Concilium) *dum proponunt suscipere baptismum.*

Sed quantum a veritate distet ea solutio, gravissimis momentis ostenditur. Primo. Tridentini Patres hocce proœmio sessionem sextam auspicati sunt: *Cum hoc tempore sine multarum animarum jactura, & gravi Ecclesiasticæ unitatis detrimento, erronea quædam disseminata sit de justificatione doctrina .... Sacrosancta œcumenica, & generalis Tridentina Synodus ..., exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam Sol Justitiæ Christus Jesus ... docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit.* Atqui justificatio, quam Christus docuit, tradiderunt Apostoli, & Ecclesia perpetuo retinuit, est ea, quæ ordinarie fit, in actuali nimirum Sacramenti receptione. Secundo. Concilium de ea justificatione agit, quam Lutherani, & Cavinistæ impugnabant; *Cum hoc tempore* (inquit) *non sine multarum animarum jactura, erronea quædam disseminata sit de justificatione doctrina &c.* Sed Lutherani, & Calvinistæ impugnabant præsertim justificationem, quam Catholici docent in Sacramento fieri. Tertio. Sacra Synodus cum ait actum fidei, spei, amoris, ac pœnitentiæ requiri, aperte profitetur se de iis dispositionibus agere, quæ baptismo recipiendo prærequiruntur: *Moventur* (inquit) *adversum peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet*; Agit igitur de dispositionibus, quæ ad gratiam in ipso Sacramento recipiendam necessario requiruntur; id vero expresse asseri videtur hisce verbis quibus priorum veritas adstruitur: *De hac dispositione scriptum est, Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Et, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Quarto. Ubi Concilium capite sexto descripsit dispositiones baptismo recipiendo prærequisitas, capite septimo docet ipsum baptismum esse justificandis Catechumenis causam instrumentalem: *Hujus justificationis causæ* (inquit) *sunt finalis quidem gloria Dei, & Christi, ac vita æterna; efficiens, misericors Deus; meritoria Dominus noster Jesus Christus; instrumentalis item Sacramentum baptismi, quod est Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Ergo Sacra Synodus loquitur capite sexto de justificatione, qoam in ipsomet Sacramento impius consequitur. Quinto. Theologi, qui adfuerunt Concilio, textum de quo agitur, explicuerunt de justificatione, quæ in ipso Sacramento recipitur: *Duo definita de pœnitentia hic video*, (inquit Vega in Concilium Tridentinum lib. 6, capite 28.) *Primum est pœnitentiam esse odium, & detestationem peccatorum, propter Deum: Secundum est oportere pœnitentiam agi ante baptismum.* Sexto. Perabsurdum videtur asserere Tridentinos Patres sermonem instituisse de modo extraordinario, qui raro contingat, consequendi justificationem, non curasse vero de via ordinaria per quam comparetur; quamque tamen fideles præcipue docendi fuerunt.

Alterum argumentum ex Concilio Tridentino petitum.

Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 4. sic definit

nit Contritionem: *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* De eadem Contritione, sic definita hæc immediate subjungit: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius;* Quibus quidem verbis hæc addit, quæ ad gratiam per Sacramenta in lege nova recipiendam pertineant; *Et in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Atqui iis Sacræ Synodi sententiis innuitur necessitas inchoati amoris Dei super omnia.

1. Nemo potest vitam veterem detestari, quin execretur veterem amorem, sive rerum caducarum cupiditatem dominantem: non potest vero veterem amorem odisse, quin novo alio sit incensus, seu qui creatori cor suum non devoverit, ac interius, & sincere cum Propheta regio dixerit; *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.*

2. Propositum non peccandi de cætero, quod Contritio, ex Concilio, essentialiter includit, complectitur propositum non amplius trasgrediendi primum Decalogi mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Verum propositum non transgrediendi primum illud mandatum dicit constantem, & firmam voluntatem Deum diligendi super omnia: Haberi autem non potest ea voluntas, quin actu Deus super omnia diligatur: velle nimirum constanter, & efficaciter Deum diligere, est revera, & actu eum diligere. Quemadmodum velle fortiter esse castum, sobrium, humilem, ac justum, est revera esse castum, sobrium, humilem, ac justum, juxta hanc Augustini sententiam Epist. 45. *Justa vita cum volumus adest; quia eam ipsam plane velle justitia est: nec plus aliquid perficienda justitia, quam perfectam voluntatem requirit;* Ita sincera ac vera voluntate velle amare, est actu, & revera amare. Confirmatur ea ratio ex eo quod illud sit discrimen inter actus elicitos, & imperatos voluntatis, quod illi ut existant nihil requirant aliud, quam ipsum efficax voluntatis propositum, isti vero præter illud propositum pendeant ab organis exterioribus, quæ semper expedita non sunt ad exequendum voluntatis imperium; unde quamvis visio, & alii actus externi non semper sequantur, quoties voluntas vult illos actus, sequitur semper actus amoris, quoties voluntas sincere, & efficaciter vult amare: quod si amare velit, nec tamen amet, non ex toto vult, sed ex parte tantum, seu habet vellcitatem, sed non sinceram voluntatem amandi: *Imperat animus* (inquit Augustinus lib. 8. Confess. cap. 9.) *ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Quare istud? Imperat (inquam) ut velit, qui non imperaret, nisi vellet: & non fit, quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat: nam in tantum imperat, in quantum vult, & in tantum non fit, quod imperat, in quantum non vult, quoniam voluntas imperat, ut sit voluntas, nec alia, sed ipsa. Non utique plene imperat, & ideo non est, quod imperat: Nam si plena esset; nec imperaret ut esset, quia jam esset.*

Nec audiendi sunt, qui reponunt prius Decalogi mandatum non esse mandatum specialo, sed generale tantum: seu eo non præcipi affectum internum erga Deum, sed solum ne quis flagitiis, aut facinoribus Deum offendat: Non sunt (inquam) audiendi, cum (ut in nostris Institutionibus Theologicis, Tomo tertio demonstravimus) pugnet illud responsum cum Evangelio, & constanti ac unanimi Patrum traditione; unde Alexander Papa VII. merito proscripsit hanc propositionem: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum ad eas virtutes pertinentium.* Merito pariter triplicem hanc aliam damnavit Innocentius Papa XI. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. Probabile est ne singulis, quidem rigorose, quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.*

3. Sacra Synodus asserit Contritionem, quæ ante Evangelium necessaria fuit ad impetrandam remissionem peccatorum, nunc requiri, ut hominem præparet ad gratiam in Sacramento baptismatis recipiendam. Sed Contritio, quæ ante Evangelium fuit necessaria, includit Dei amorem super omnia: Fide scilicet certum est nec tempore legis naturæ, nec tempore legis Mosaicæ, quemquam amissam justitiam recuperasse, quin eum ex charitatis motivo pœniteret peccatorum.

Confirmatur ea ratio ex eo, quod Christus per Evangelii promulgationem nihil in iis immutarit, quæ necessaria erant in lege naturæ: Sic, cum instituit Sacramentum Matrimonii, in eo reliquit partis utriusque consensum, quovis præterito tempore in matrimoniali contractu requisitum, & hoc unum effecit, ut esset Sacramenti mareria. Ergo, cum quovis præterito tempore Contritio ex amore Dei præcipue concepta, fuerit necessaria ad obtinendam peccatorum remissionem, id non immutavit Christus instituendo Sacramentum Pœnitentiæ, sed effecit tantum, ut eadem Contritio esset Sacramenti novæ legis materia. Confirmatur iterum ex Angelico Doctore cujus hoc axioma 3. p. q. 85. art. 2. de omni lege intelligitur: *Dicendum, quod impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti loquendo de pœnitentia, quæ est virtus.* Virtus autem pœnitentiæ peccatum ex amore Dei detestat: *Actus virtutis pœnitentiæ* (ait idem S. Doctor 3. p. q. 85. art. 6.) *est contra peccatum ex amore Dei.*

Confirmatur rursus ex Catechismo Romano, qui conceptis terminis asserit virtutem pœnitentiæ, qua quondam cuique lapso opus fuit ad reconciliationem, nunc in nova lege constituere, ex parte, Pœnitentiæ Sacramentum: *Docendum est* (inquit part. 2. de Pœnit. Sacram.) *multiplicem esse hujus hominis*) Pœnitentiæ) *significationem. Primum enim Pœnitentia dicitur de iis, quibus aliquid displicet, quod ante placuerit, nulla habita ratione hujus cogitationis bonum an malum fuerit, sic omnes pœnitet, quorum tristitia secundum sæculum est, non secundum Deum, cujusmodi pœnitentia non salutem affert sed mortem. Altera est pœnitentia, cum quis ex scelere admisso, quod quidem antea placebat, dolorem non Dei, sed sui ipsius causa concipit. Tertia est cum non solum admissi sceleris causa intimo animi sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei causa in eo mœrore sumus .... Verum inter has pœnitentiæ significationes magnum discrimen observare oportet, prima enim in vitio ponenda est, altera est, quædam commotio, & perturbati animi affectio; tertiam tum ad virtutem pertinere tum Sacramentum esse dicimus, quæ significatio hujus loci propria est.*

4. Concilium Tridentinum, ut probet ea quæ asseruit de Contritione. quam agnovit olim fuisse necessariam, & nunc pariter esse, etiam cum Sacramento, iis Scripturæ locis utitur, quæ dolorem ex Dei amore præcipue conceptum adstruant, sic enim loquitur: *Declarat igitur sancta Synodus hanc Contritionem, non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem; sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite a vobis omnes iniquitates vestras in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alios hujus generis facile intelligit, eos ex vehementi, quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.*

Tertium argumentum ex Concilio Tridentino petitum.

Sacra Tridentina Synodus sessione 14. cap. 3. hæc habet: *Sunt autem quasi materiæ hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hic ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.* Idem sub anathematis pœna credendum proponitur ejusdem sessionis can. 4. *Si quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum*

remissionem requiri tres actus, in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur ... anathema sit. Iis locis definitur Contritionem esse, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ: Ergo ubi deest Contritio, irritum est Sacramentum, aut saltem, si (ut volunt Scotistæ) nomine materiæ Concilium non intelligit materiam *ex qua*, sed tantum, *circa quam*, Sacramentum effectu ad quem institutum est, frustratur: ac proinde dolor, qui cujuslibet, etiam inchoati, amoris Dei super omnia expers est, satis non est ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, cum ille dolor a Contritione specifice differat.

Illud argumentum multum illos torquet qui nobis adversantur. Nonnulli ut eo se expediant, respondent Contritionem esse quidem (ut vult Concilium) materiam Sacramenti Pœnitentiæ, sed non cum exclusione alterius materiæ, Attritionis nimirum mere servilis.

Verum variis rationibus impugnari potest ea solutio. 1. In adversariorum suppositione dici posset, quod Concilium Tridentinum non proposuerit adæquatam materiam Extremæ unctionis, cum definit esse oleum ab Episcopo benedictum: non enim asseruit oleum esse solam illius materiam, seu (ut loquuntur adversarii) particulam exclusivam non adhibuit. Idem quoque ferri deberet judicium de Eugenio IV. in decreto Instructionis Armenorum: ubi enim tum hujus tum cæterorum Sacramentorum materiam tradit, particula exclusiva non utitur, sed simpliciter cum de Pœnitentia agit, docet Contritionem esse, quasi illius materiam. 2. Synodus Tridentina sessionis 14. caput tertium, de quo est hic quæstio, sic inscribit, *De partibus, & fructu hujus* (Pœnitentiæ) *Sacramenti*. Ergo illo in capite proponit omnes, & singulas partes, quæ satis sint ad Sacramenti valorem: alioquin dicendum esset mancam esse, & imperfectam sacri Concilii definitionem; vel potius dicendum foret Sacram Synodum proposuisse fidelibus materiam, quæ perrara est (difficile scilicet habetur Contritio) prætermisisse vero obviam, Attritionem nimirum mere servilem, quæ habetur facili negotio: Imo dicendum esset Ecclesiam a suis incunabulis ad hæc usque tempora nusquam fidelibus proposuisse adæquatam Sacramenti Pœnitentiæ materiam. Non enim aliam proposuit quam Contritionem, præterquam tamen ex adversariis, est alia, nempe Attritio mere servilis, seu dolor ex solo gehennæ metu conceptus, & quolibet Dei amore vacuus.

Aliqui ex adversariis rejecta solutione, quam mox impugnavimus, fatentur quidem Concilium Tridentinum locis relatis tradidisse adæquatam Sacramenti Pœnitentiæ materiam; sed contendunt Contritionis nomen sumptum fuisse generice, pro quovis dolore supernaturali, seu prout sub se continet Attritionem mere servilem, & Contritionem filialem, quæ cum ex diversis specie motivis oriantur, actu sunt diversæ speciei.

Sed quam vana sit ea responsio multipliciter ostenditur. 1. Verum est hoc Logicorum axioma: *Analogum simpliciter prolatum, sumitur tantum pro præcipuo Analogato*. Nixi eo principio Theologi ex Evangelio concludunt Sacramenti Eucharistiæ materiam esse solum panem triticeum, non autem hordeaceum: Sic enim discurrunt: Ille solus panis est materia Sacramenti Eucharistiæ, quem Christus in ultima cœna consecravit. Atqui consecravit solum panem triticeum: Siquidem constat ex Evangelio Christum consecrasse panem. At analogo panis nomine cum simpliciter profertur, præcipua ejus species, seu panis ex tritico confectus intelligitur: *Salvatoris verba* (inquiunt authores Catechismi Romani, de Eucharistia cap. 10.) *ostendunt panem ex tritico confici oportere, communi enim loquendi consuetudine cum panis absolute dicitur, panem ex tritico intelligi satis constat*. Sed præcipua species Contritionis, quæ ex adversariis est nomen genericum, & analogum, est dolor conceptus ex Dei amore; Ergo illo dolore intelligendi sunt Tridentini Patres ubi definiunt Contritionem esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ. 2. Eo tantum sensu Concilium Tridentinum sumpsit Contritionis nomen, quo illud usurparant Scriptura, Patres, imo & Scholastici, qui usque ad Sacram Synodum scripserant; Statuerat nempe Concilium sua decreta, suos canones ad normam, & verba Scripturæ, & Traditionis conficere. Atqui Scriptura, Patres, & Scholastici, qui usque ad Synodum Tridentinam scripsere, Contritionis nomen sumpserunt pro dolore, præcipue concepto ex amore Dei super omnia: Scriptura quidem, cum ejusmodi contritionis actui justificationem adscribat, in veteri præsertim testamento, *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*; Patres quoque, cum, ut superius observatum est in Cypriano, loca in quibus Prophetæ de contritione loquuntur, laudaverint, quod Christianos lapsos contritionis necessitatem edocerent. Veteres pariter Scholastici, cum ut suo loco dictum est, censuerint per contritionem, de qua loquebantur, si tamen Sacramenti votum includeret, impium justificari, antequam Sacramentum actu susciperet.

Non aliud Contritionis nomine, quam dolorem de peccatis prout sunt offensa Dei, intelligebant Theologi tempore quo celebratum est Concilium Tridentinum: *Nomine Contritionis*, inquit lib. 2. de Natura, & gratia cap. 14. Dominicus Soto, qui eidem Concilio adfuit, *universis tum Patribus, tum Theologis Scholasticis venit intelligendus actus pœnitentiæ perfectus* (specifice) *quo peccata remittantur*: hanc vero reddit rationem; *Ut enim hactenus commonstratum est, pœnitentis*, quæ idem cum Contritione, *sacra pagina tribuit remissionem peccatorum, tamquam proximæ ex parte nostra dispositioni: proxima autem dispositio, ut habemus etiam hucusque constitutum, actus debet esse charitatis. Porro actus charitatis non est in genere suo Attritio, nam qui peccata abominatur tantum ea ratione quia nocent, non tam Deum diligit quam pœnas odit, Ergo Contritio solum est detestatio peccatorum quatenus offensa sunt Dei, quæ sane amor quidem est ejus: uterque enim est actus amicitiæ, scilicet lætari de bonis amici, & de illatis ipsi injuriis dolere*. Eadem ratione loquitur Andræas Vega in Concil. Trident. lib. 13. cap. 17. *In usu est Contritio non tantum apud Scholasticos authores, sed, & in translatione communi Scripturæ, & apud graves, & antiquos Ecclesiasticos Doctores, eoque utuntur persæpe Gregorius, Bernardus, Cassianus, & Augustinus: Et non sine causa apud Scholasticos non qualiscumque dolor de peccatis, sed perfectus tantum* (specifice) *& sufficiens ad justificationem*, in Sacramento recipiendam, *Contritio dicitur. Sic usurpare videtur Gregorius 3. part. Pastoralis cap. 31. Chrysostomus, & Augustinus in illa verba, qui sanat contritos corde*. Petrus Soto non ultimum Scholasticæ Theologiæ lumen, qui in fide, & moribus elucidandis suam in concilio Tridentino navavit operam, hæc habet in Scholiis ad Confessionem Vvittembergensem, Titulo *de Contritione Catholica: Contritionem vocat Catholica Ecclesia*, observet quæso lector voces illas *perfectum* (specifice) *animi dolorem de peccato voluntati illi qua peccare libuit oppositum.... Dolor siquidem imperfectus* (specifice) *ex quacumque, & qualicumque fide procedens, & quantascumque lachrymas, & sensus doloris habeat, ex Dei charitate quæ veram fidem prærequirit, sine qua impossibile est placere Deo, charitate, inquam, dilectioneque illius super omnia bona, & amabilia procedat, atque ita peccata tamquam Deo opposita, super omnia quæ odio habet, detestetur; idque vere in divinis oculis*.

Non Catholicis modo, sed etiam hæreticis persuasum fuit Contritionis nomen sumi pro dolore, qui præcipue conceptus sit ex amore Dei super omnia. Kemnitius in examine Concilii Trid. part. 2. cap. 4. contendit Catholicos, dum asserunt sine Contritione peccata non dimitti, rem impossibilem requirere, Dei nimirum dilectionem super omnia, cum nemo viator eam habere possit. Ubi Catholici occurrerunt illi argumento, factum admiserunt, nempe Contritionem, quæ Dei amorem super omnia complectitur, necessariam esse impio, ut peccatorum suorum veniam consequatur, sed inficiati sunt, quod assumebat Kemnitius post Calvinum nempe, impossibilem esse homini viatori

tori amorem Dei super omnia: *Quæ sit vera seriaque Contritio* (inquit Bellarminus lib. 2. de Sacram. Pœnit. cap. 10.) *sine qua peccata non remittuntur, non possumus aliunde melius ac tutius discere, quam ex litteris sacris. Porro litteræ sacræ ubique requirunt Contritionem ex toto corde, qualis est etiam vera Dei dilectio, ex qua Contritio vera procedit. Deuteronomii 4. Cum quæsieris Dominum invenies eum, si toto corde quæsieris eum & tota tribulatione animæ tuæ. Deuteronomii 20. Si ductus pœnitentia reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & tota anima tua, miserebitur tui. 3. Regum 8. Si peccaverint tibi, & reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua, propitiaberis populo tuo.* Ex iis vero locis hanc pro Catholicis conclusionem Bellarminus contra Kemnitium cæterosque similes sectarios elicit: *Debent igitur* (inquit) *adversarii, velint nolint, admittere sine Contritione perfecta*, specifice, *& quæ ex toto corde fit, non remitti peccata.*

Ex adductis hactenus momentis evidens videtur Concilium Tridentinum, cum definit Contritionem esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, Contritionis nomine intellexisse dolorem, qui præcipue ex amore Dei super omnia conceptus sit, ac proinde eo nomine Attritionem mere servilem non complexum sit: unde sequitur censuisse idem Concilium dolorem ex amore Dei super omnia conceptum, adæquatam esse Sacramenti Pœnitentiæ materiam: unde ulterius sequitur, quod nullus alterius speciei dolor satis sit ut quis gratiam in Sacramento recipiat.

Sed (ajunt adversarii) Concilium Tridentinum non obscure innuit sessionis 14. capite 4. se capite tertio & canone quarto de adæquata Sacramenti Pœnitentiæ materia locutum non fuisse; quippe quod eo loci Attritionem mere servilem appellet imperfectam Contritionem, definiatque eam ad gratiam in Sacramento recipiendam disponere.

Quam vana sit ejusmodi solutio, multis argumentis ostenditur. 1. Supponant velim adversarii sacram Synodum ea quæ mox ex capite quarto objecta sunt, prætermisisse; in ea vero suppositione caput tertium & canon quartus, cum definiunt Contritionem esse Sacramenti Pœnitentiæ quasi materiam, intelligi deberent de sola Contritione, quæ ex amore Dei præcipue concipiatur. Ergo Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum, cum Attritionis mere servilis nusquam meminerit, intelligi debet de sola Contritione filiali ubi simpliciter asserit Contritionem esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ. De eadem igitur Contritione tantum intelligendi sunt quoque antiqui Patres, cum Attritionis mere servilis nulla facta mentione, absolute contenderunt, neminem impium sine Contritione salutem posse consequi. Si autem id fateantur adversarii (ut revera fateri coguntur) consequens erit Tridentinos Patres cum ea de Attritione servili addiderunt quæ sess. 14. cap. 4. leguntur, Pœnitentiæ Sacramento assignasse materiam aliam, seu diversæ speciei ab ea, quam Patres assignaverunt: ac proinde dicendum erit eos novum fidei articulum proposuisse fidelibus absque ulla præcedentis traditionis authoritate, imo & contra sensum ejusdem traditionis: quod est falsissimum. 2. Non ignoti nominis Theologi Sessionis 14. caput quartum cui uni innituntur adversarii, non exponunt de Attritione mere servili, sed de filiali, quæ quidem imperfecta Contritio vocetur a sacra Synodo; quod remissum tantum Dei amorem includat: imo & qui, ut aliquibus authoribus placet, non sit super omnia; cum e contra Contritio perfecta & dominantem & intensum Dei amorem complectatur. 3. Dato, quod Concilium Contritionis imperfectæ nomine dolorem, quolibet Dei amore vacuum intellexerit, inde tamen non colligetur eum dolorem, seu Attritionem mere servilem, esse materiam, quæ satis sit ut cum absolutione Sacerdotali Sacramentum Pœnitentiæ componat. Non enim sacra Synodus asseruit eam Attritionem *Satis esse* ad gratiam in Sacramento recipiendam, sed hoc unum definit, *disponere* eam ut quis in Sacramento gratiam recipiat: quæ duo maxime differunt, nusquam scilicet verbum *Disponit* simpliciter prolatum pro verbo *Sufficit*, sumitur. 4. Concilium capite tertio & Canone quarto clare omnino definiit Contritionem esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo ut fidelibus daret locum judicandi *Contritionis* vocem, quam adhibet, non sumi tantum in usu communi, seu pro dolore concepto præcipue ex motivo charitatis, capite quarto, ubi de Attritione agit, debuisset clare definire eam esse sufficientem materiam Sacramenti Pœnitentiæ: id tamen non definiit, imo ne id definisse videretur, delevit verbum, *Sufficit*, quod capitis quarti confectores ei privatim, seu extra publicam Patrum sessionem, inseruerant. Verum operæ pretium est Palavicinum eo de facto differentem audire; sic ergo hist. Conc. Trid. lib. 12. cap. 10. loquitur: *Præterea oportet scire postea Decretis doctrinam complexis verba hæc fuisse adjecta; illam Contritionem, quam Theologi Attritionem vocant, quod imperfecta sit.* ET SOLUM *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu*, QUI SERVILIS TIMOR *dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de delictis commissis exprimat, statuit hæc Sancta Synodus & declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur) verum etiam* SUFFICERE *ad Sacramenti hujus constitutionem, ac donum Dei esse, ac Spiritus sancti impulsum verissimum, non adhuc quidem inhabitantis; sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus (cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat) viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur. Sed laudatus Episcopus Joannes Æmilianus Hispaniensis Tudetanus Antistes monuit falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse &c. Quod autem hæc Attritio* SATIS ESSET SACRAMENTO CONSTITUENDO, *ita ut homini Attritio deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare Authorum sententias*, ADEOQUE ID ESSE TOLLENDUM: *quamobrem decretum sicut nunc extat reformatum est.* Quæ paucis hic de capite quarto sess. 14. perstrinximus, subsequenti titulo susius exponentur.

Ostenditur nihil esse in Concilio Tridentino, quod faveat opinioni neganti necessitatem actus amoris ut quis gratiam in Sacramento recipiat.

Qui Attritioni mere servili, seu cujuslibet, etiam inchoatæ Dei dilectionis experti plus æquo, quam par sit patrocinantur, unum ex Concilio Tridentino textum laudant. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4 hęc habet de Attritione: *Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ declarat non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam Dei donum esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit.* Ex iis Sacræ Synodi verbis sic adversarii discurrunt: *Imperfectæ Contritionis* nomine Tridentini Patres intellexerunt Attritionem mere servilem, seu quolibet Dei amore vacuam, & per verbum, *Disponit*, intellexerunt idem ac si hoc alio verbo, *Sufficit*, usi fuissent; Ergo Concilium definiit illam Attritionem mere servilem satis esse ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat. Tanto roboris tantæque perspicuitatis illud argumentum visum est aliquibus ex iis, qui nobis adversantur ut evidentissimum judicaverint: *Quibus verbis* (inquit D. Abely Medullæ Theologicæ p. 2. de Sacram. Pœnit. sect. 9. *apertissime declarat* (Concilium) *Attritionem illam, quam ibidem communiter concipit vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, pœnarumque metu, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ esse dispositionem* SUFFICIENTEM *ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.*

Ad illud argumentum, quo uno nituntur adversarii, duplex solet adhiberi responsio. Prior eorum est, quibus est persuasum Concilium Attritionis nomine intelli-

telligere dolorem, qui expers sit cujuslibet amoris Dei, ac ex sola consideratione turpitudinis peccati aut ex solo gehennarum metu, aut ex utroque simul conceptus sit. Altera ab iis Theologis defenditur, qui censent Sacram Synodum Attritionis nomine non intelligere dolorem mere servilem seu absque omni amore Dei conceptum. Priores negant verbum *Disponit*, quo Concilium utitur, sumi debere pro *Sufficit*: Posteriores e contra idem verbum *Disponit* reddunt per *Sufficit*. Verum (ut mox observatum est) contendunt Attritionem, de qua Sacra Synodus loquitur, esse dolorem ex metu quidem conceptum, sed in quo tamen inchoatus saltem, seu remissus amor Dei super omnia prædominetur. Utraque responsio, qua prorsus enervatur herculeum adversariorum argumentum, nititur gravissimis momentis, quæ hic describamus oportet.

Proferuntur argumenta, quibus suadetur verbum DISPONIT *sess. 14. cap. 4. Concil. Trident. non sumi pro verbo* SUFFICIT.

1. Ea omnia quæ Concilium Tridentinum tribuit Attritioni, conveniunt actui fidei, est enim sicut & Attritio, *donum Dei, impulsus Spiritus sancti, disponitque impium ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam*: Et tamen ex iis concludi non potest, quod satis sit ut impius in Sacramento justificetur.

2. Tantum abest ut Concilium per verbum *Disponit*, intellexerit id quod per verbum *Sufficit*, significatur, quin de industria verbum *Sufficit* deleverit ex capite quarto cui privatim insertum fuerat ab iis, quibus caput conficiendi cura demandata fuerat: *Quod autem hæc Attritio satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini Attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare authorum sententias: adeoque id esse tollendum*. Verba sunt Joannis Æmiliani Episcopi Tudetensis: quæ quidem determinarunt Patres Tridentinos ut decretum prout nunc jacet reformarent: *Quamobrem* (inquit Palavicinus ubi mox laudati Episcopi verba descripsit) *Decretum sicut nunc extat, reformatum est*.

3. Si quis rimatus fuerit scopum, quem in edendo decreto de quo agitur, sibi proposuere Tridentini Patres, haud difficili negotio perspiciet non fuisse necesse, ut Attritionis de qua est quæstio, sufficientia definiretur. Scopus nimirum Concilii erat damnare Lutheri errorem in eo positum, quod vellet Attritionis actum esse malum, & iniquum, tum quod gehennæ timor, quem includit, oppositus sit certitudini de obtenta per fidem misericordiæ specialis peccatorum remissione; tum quod justificationem præcedat, antequam (inquiebat idem Lutherus) quilibet actus est peccatum, tantum abest ut ad eam, etiam in Sacramento, recipiendam præparet: *Peccatum assero quidquid ante gratiam fit in homine, tantum abest ut præparet ad gratiam*. Verba sunt Lutheri in assertione articuli sexti in Sermone de Pœnitentia. Adeat lector hujus operis pag. 321. ubi alios Lutheri textus descriptos reperiet. Ut igitur Concilium intentum assequeretur suum, sat fuit ut definiret actum Attritionis, modo nulla prava circumstantia ex parte operantis vitietur, impium disponere ad justificationem in Sacramento recipiendam, quamvis ad eam etiam in Sacramento, satis non sit. Confirmatur ea ratio ex Canone 5. sess. 14. qui quidem canon est veluti compendium eorum, quæ de ejusdem sess. cap. 4. tradita fuerant. Eo vero canone non dicitur, quod Attritio satis sit ad gratiam in Sacramento recipiendam, sed tantum quod sit dolor, verus, liber, utilis, præparans ad justificationem: *Si quis dixerit* (verba sunt canonis) *eam Contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem fœditatum, amissionem æternæ beatitudinis & æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum & non liberum, ac voluntarium, anathema sit*.

Confirmatur iterum ex eo quod hæretici, qui scripserunt contra Tridentinam Synodum illius de Attritione decretum de dispositione remota tantum & insufficiente intellexerint, hæc enim ait Kemnitius in suo Concilii Examine part. 2. cap. 4. *Ut Leonis Bulla, quæ doctrina Lutheri damnata est, aliqua ratione patrocinentur dicunt Contritionem, quæ ex agnitione peccati & gehennæ metu & impulsu Spiritus sancti concipitur, si excludat voluntatem peccati, viam & gradum esse ad conversionem*.

4. Eodem modo Concilium Tridentinum voluit Attritionem præcipue ortam ex gehennæ metu disponere ad justificationem, quo id Catholici Doctores contra Lutherum agentes docuerant. Atqui Catholici Doctores nunquam docuerant actum illum Attritionis proxime & sufficienter disponere ad justificationem in Sacramento recipiendam, sed remote tantum & insufficienter: *Volumus solum impetrare*, (inquiebat Estius contra Lutherum agens) *quod timor valeat ad parandam pœnitentiam, quia timore concipitur, & ita timor sit initium pœnitentiæ, is est scopus negotii*. Id unum tunc sensisse Catholicos ex ipsomet Luthero colligitur, sic enim refert eorum hoc in capite doctrinam: *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, hæc illa est quam ipsi* (Catholici) *vocant extra charitatem non meritoriam, alii vocant Attritionem proxime disponentem ad Contritionem; sic enim opinantur; quam opinionem errorem ego judico*.

5. Concilium ut probet veritatem eorum, quæ de efficacia Attritionis definierat, adhibet exemplum Attritionis, qua Ninivitæ quondam concussi sunt ad Jonæ prædicationem. *Hoc enim timore* (inquit) *utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt & misericordiam a Domino impetrarunt*. Atqui certo certius est Attritionem illam satis non fuisse Ninivitis ut justificationem consequerentur, cum sit de fide nullum adultum ante Evangelii promulgationem impetrasse peccatorum remissionem absque actu amoris Dei super omnia. Ergo quemadmodum Attritio ex pœnis concepta Ninivitas eo sensu disposuit ad justificationem, quod eos ad Contritionem præparaverit; ita etiam eo tantum sensu disponit Christianos ad gratiam in Sacramento recipiendam, quod eos præparet ad Contritionem, seu ad dolorem præcipue conceptum ex inchoato seu remisso Dei amore super omnia, cui quidem contritioni ubi forma applicatur, pœnitens justificatur.

Objicies 1. cum D. Abely in sua Medulla Theologica. Ubi Concilium Tridentinum definit Attritionem disponere impium ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, illi efficaciam in Sacramento tribuit, quam extra Sacramentum non habeat. Non haberet autem illam efficaciam si in Sacramento satis non sit ad justificationem, cum extra Sacramentum non minus ad eam præparet, remote nimirum & insufficienter. Resp. neg. maj. Nam 1. dici potest de fide, quod pœnitentem disponat ad gratiam in Sacramento recipiendam: & tamen (ut jam superius observatum est) non sequitur, quod in Sacramento vim habeat aliam ab ea, quam habet extra Sacramentum. Dici 2. potest eam efficaciam, quam Attritio habet in Sacramento, in eo esse positam, quod per orationem, *Misereatur tui &c. Indulgentiam &c.* quam minister absolutioni præmittit, & propter humilitatem confessionis, Deum aliquando largiatur auxilia actualia, quæ excitando pœnitentem ad Dei amorem super omnia, eum sufficienter ad absolutionem præparent: ita philosophari visus est Alexander De Hales 4. parte summæ quæst. 21. mem. 1. ubi hæc scribit: *In forma absolutionis præmittitur oratio per modum deprecativum, subjungitur absolutio per modum indicativum, & deprecatio gratiam impetrat, & absolutio gratiam supponit*. Idem innuit S. Thomas opusculo 22. ubi asserit Sacerdotem orare antequam absolutionem impendat. *Ut impetretur idoneitas ad suscipiendum effectum Sacramenti*.

Objicies 2. & simul instabis. Si Concilium Tridentinum Attritioni in Sacramento consideratæ noluisset ad-

adscribere aliam efficaciam ab ea, quam habet extra Sacramentum, nihil erat causæ cur meminerit, insufficitiæ, quam habet extra Sacramentum: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentis per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*, eamque insufficientiam opposuerit virtuti, quam habet in Sacramento; *Tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Resp. 1. argumentum esse de non supponente, neque enim (ut adversariis placet) sacra Synodus Attritionis extra Sacramentum consideratæ insufficientiam opponit virtuti, quam habeat in Sacramento: id autem a pari colligitur; si Concilium sic de fide locutum fuisset; *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ fides per se ad justificationem peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit*, nemo inde concluderet fidem satis esse ut impius gratiam in Sacramento recipiat: ita nemo, qui præoccupatum non habeat animum, debet concludere, quod Attritio sufficiat, ex eo quod disponat ad gratiam in Sacramento recipiendam. Sacræ Synodi mens ex terminis, quibus usa est facile intelligitur, quæro nimirum ab adversariis cur Concilium, postquam definiit Attritionem sine Sacramento per se ad justificationem peccatorem non perducere, dixerit postea eam *disponere*, non vero *perducere* ad gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum, ut tamen dicere debuisset si censuisset Attritionem satis esse ad recipiendam gratiam in Sacramento: verum tantum abest, ut sacra Synodus dixerit Attritionem *perducere aut sufficere*, quia, ut jam superius observatum est, expunxerit verbum, *Sufficit*, quod Theologi quibus cura conficiendi decretum demandata fuerat, eidem decreto privatim, & ante solemnem sessionem inseruerant.

Resp. 2. afferri posse rationem cur Concilium ubi asseruit Attritionem satis non esse ad justificationem extra Sacramentum dixerit, quod ad gratiam in Sacramento recipiendam disponat: Sic se gessit, ut huic tacitæ objectioni occurreret, Attritio extra Sacramentum per se non sufficit ad justificationem: Ergo inutilis est ante ejusdem Sacramenti receptionem; In nimirum extra Sacramentum non est inutile ad justificationem, quod peccatorem disponit ad gratiam in Sacramento impetrandam, seu quod est via ordinaria ad aliam dispositionem, nempe ex Dei amore præcipue conceptam, quæ satis est ut impius gratiam in Sacramento recipiat.

Proferuntur argumenta, quibus suadetur Concilium Trid. Attritionis nomine intelligere dolorem præcipue conceptum ex inchoato Dei amore super omnia.

1. Sacra Synodus in exemplum Attritionis de qua loquitur sess. 14. cap. 4. profert Attritionem, qua Ninivitæ ad Jonæ prædicationem concussi fuerant; unde sic conficitur argumentum: Vel Attritio, cujus Concilium meminit, satis fuit Ninivitis ad impeteandam remissionem peccatorum; vel non fuit satis. Si non fuit satis: Ergo adversarii frustra contendunt propositam fuisse a Tridentinis Patribus, quo probarent similem Attritionem satis esse, ut impius gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiat: perinde enim ratiocinati fuissent laudati Patres ac si quis diceret (Attritio in Ninivitis non fuit sufficiens ad justificationem: ergo in Christianis est sufficiens.) Si secundum, hoc est, si Attritio, de qua Concilium loquitur, fuit satis in Ninivitis ad impetrandam remissionem peccatorum, concepta erat præcipue ex amore Dei super omnia, cum fide certum sit nemini adulto, qui illo amore vacuus esset, justificationem aote Euangelium promulgatum obvenisse; Eumdem igitur amorem includit ea Attritio ad quam adstruendam profertur Attritio Ninivitarum. Adversarii, qui consequentiam illam inficiantur sic, si suis tamen principiis stare velint Synodum Tridentinam argumentantem inducunt: Attritio, quæ in Ninivitis includebat amorem Dei super omnia in eis satis fuit ad impetrandam remissionem peccatorum: Ergo Attritio, quæ nullum omnino includit amorem, satis est in Christianis, ut Sacramento Pœnitentiæ gratiam consequantur: Eum vero ratiocinandi modum esse perabsurdum nemo vel in logica maxime rudis non videt.

2. Ut Attritio satis sit, ut volunt adversarii, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, non ab actu doloris tantum, sed ab ipsa etiam voluntate debet cujuslibet peccati mortalis affectum habitualem excludere. Atqui (ut supra fuit ostensum ex Augustino) id præstare non potest solus gehennæ metus: vera siquidem erit semper hæc S. Doctoris sententia: *Qui timore supplicii, quod lex minatur, rem alienam non concupiscit, puto quia concupiscit*, si non actu saltem in affectu habituali.

3. Quidquid Concilium Tridentinum ad Contritionem requisierat; Attritioni postea tribuit. Sacra Synodus duo ad contritionem necessaria esse definiit, Animi scilicet dolorem de peccato commisso, & propositum non peccandi de cætero. Contritio (ait) animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Atqui sacra Synodus utrumque disertis verbis Attritioni tribuit: sess. nimirum 14. cap. 4. postulat, ut voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, *Si* (inquit) *voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*. Canone 5. ei adscribit propositum vitæ melioris: *Si quis dixerit eam Contritionem &c cum proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem &c. anathema sit*. Ergo attritio eamdem amoris licet in diverso gradu speciem, quam Contritio complectitur.

Objicies 1. Attritio, concipitur ex solo gehennæ metu aut ex sola consideratione turpitudinis peccati, aut ex utroque simul: *Quoniam* (inquit sacra Synodus sess. 14. cap. 4.) *vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, &c.* Contritio vero concipitur ex motivo charitatis: *Etsi* (ait ibidem mox laudata Synodus) *Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*. Ergo in Attritione de qua Concilium Tridentinum loquitur, nullus omnino amor includitur.

Resp. Argumentum esse de non supponente: supponit nimirum Synodum Tridentinam dixisse Attritionem, cujus meminit sess. 14. cap. 4. concipi ex *sola* consideratione turpitudinis peccati; aut ex *solo* gehennæ metu: quod tamen est falsum: Imo, Palavicino teste, cujus textum descripsimus pagina 367. hunc terminum *Solum*, & istos alios, *qui timor servilis dicitur*, Patres in publica sessione deleri curarunt ex decreto, cui privatim insertum fuerat a Theologis, quibus decretum conficiendi cura demandata fuerat: Iis igitur Patribus persuasum fuit Attritionem, de qua Concilium loquitur, non concipi *Solum* ex metu gehennæ, aut ex *Sola* consideratione turpitudinis peccati; sed etiam ex alio motivo præcipuo, scilicet ex Dei amore licet adhuc imperfecto, & inchoato tantum.

Objicies 2. Ex scopo, quem sibi Concilium Tridentinum proposuit in iis, quæ de Attritione definiit, facile concluditur ipsum loqui de Attritione mere servili: is enim scopus fuit, ut eam Attritionem declararet bonum esse motum, quam Lutherus asseruerat esse malum motum. Atqui Lutherus nusquam asseruerat Attritionem, quæ ex amore Dei præcipue concipitur esse malum motum, sed eam tantum, quæ ex solo timore servili, seu ex mero gennæ metu concipitur, Ergo Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. non loquitur de Attritione, qaæ præcipue concepta sit ex amore Dei super omnia.

Resp. primo. Luthero exosum fuisse actum omnem qui includeret æternæ gehennæ metum, eo quod adversetur certitudini, quam quis, ex ejusdem principiis, habere debet de obtenta remissione peccatorum per actum fidei misericordiæ specialis; secundo (ut probatum est pag. 321.) Luthero visum est nullum amorem actualem posse in impio reperiri antequam justificetur, unde concludebat, quemcumque de peccatis dolorem esse peccatum in impio, tantum abest, ut ad justificationem præparet. Oportuit igitur ut Concilium Tridentinum declararet Attritionem in impio præcipue oriri posse ex Dei amore, & bonum esse motum, qui ad justificationem in Sacramento recipiendam

præ-

præparet: imo & sufficiat, si Peccandi voluntatem tum actualem tum habitualem excludat, seu si Dei sit super omnia.

Objcies 3. Palavicinus hist. Conc. Tribentini lib. 12. cap. 10. narrat Patres Tridentinos ex capire Concilii, ubi agitur de attritione, delevisse vocem *Sufficit*, quam Theologi decreto privatim inseruerant, ejusque loco hanc aliam, *Disponit*, substituisse. Atqui non delevissent, si ratum eis fuisset Attritionem de qua loquebantur, includere amorem Dei super omnia: Non enim dubitare poterant, quin hujusmodi Attritio satis sit ut impius justificationis gratiam in Sacramento recipiat.

Resp. conc. maj. neg. min. ideo enim Concilium verbum, *Sufficit*, ex decreto deletum voluit, ne damnare videretur, quosdam veteres Scholasticos, quibus visum est amorem, licet sit super omnia, non satis esse nisi intensus sit ac fervens, hoc est, nisi plures charitatis gradus complectatur: unde concludebant ii Scholastici opus esse tempore, ut amor ex remisso fieret intensus: ideo vero intensum illum ac ferventem amorem requirebant, quod censerent eum requiri, quo ante actualem Sacramenti receptionem impius justificaretut, *Quod autem hæc Attritio*, (sive concepta ex Dei amore, sive ex alio motivo concepta) *satis esset Sacramento constituendo, ita ut homini Attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare authorum sententias; adeoque id esse tollendum*: Verba sunt Joannis Æmiliani Episcopi Tudetani, quæ ex Palavicino, Concilium determinarunt ut decretum, sicut nunc extat, reformaret.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, evidentissime patet nihil reperiri in cap. 4. sess. 14. Conc. Trid. quod faveat opinioni, qua asseritur Attritionem mere servilem, seu quæ expers sit vel inchoati amoris Dei super omnia, satis esse impio ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat: Si enim nomine Attritionis de qua Concilium loquitur, intelligatur dolor conceptus ex solo gehennæ metu aut ex sola consideratione turpitudinis peccati, verbum *Disponit*, quo idem Concilium utitur, intelligi debet de dispositione remota, non autem proxima & sufficiente: Si vero eodem Attritionis nomine intelligatur dolor, qui ex inchoato saltem Dei amore super omnia conceptus sit, non est ad rem Concilii locus, quo nituntur ii, qui Attritionis mere servilis sufficientiæ patrocinantur.

§. IV.

Utrum amor requisitus ad recipiendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ sit amor charitatis?

NON est hic quæstio de charitate perfecta seu quæ non tantum sit super omnia, sed quæ præterea sit acris, vehemens & intensa, sive (ut loquuntur Scholastici) quæ non solum sit perfecta extensive, aut, ut alii dicunt, appretiave, sed quæ perfecta sit etiam intensive, idest, secundum gradus, quos includit: conveniunt quippe passim Theologi, quibus hoc in capite subscribimus, charitatem extensive & intensive perfectam, absolute loquendo, non requiri ut pœnitens gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiat nec immerito: Nam primo per charitatem Dei super omnia, licet imperfectam intensive, pœnitens præ omni alio modo odit peccatum, quatenus est Dei offensa, excluditque a se ipso omnem voluntatem peccandi lethaliter, cum sincerum ac constans divina mandata servandi propositum includat. Secundo, Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. describens dispositiones justificationi prærequisitas, recenset quidem actum charitatis, sed quæ inchoata tantum sit, non vero perfecta: *Ipsumque* (inquit) *tanquam omnis Justitiæ fontem diligere incipiunt*. Tertio Huc referri potest judicium doctrinale sacræ Facultatis Parisiensis: Anno 1638. die 1. Jul. tamquam quietis animarum perturbatricem, communi & omnino tutæ Ecclesiæ praxi contrariam, temerariam & erroneam proscripsit cujusdam recentioris propositionem his verbis Gallicis expressam, *L'acte de charité parfaite, c'est-à-dire, ce qu'on appelle vraye & parfaite contrition, est absolument necessaire pour obtenir la grace du Sacrament de penitence, & l'absolution donnée par le Pretre n'est qu' une declaration Juridique, que le peché est deja remis & pardoné*; hoc est, *Actus charitatis perfectæ, seu is qui vera & perfecta contritio dicitur, absolute necessarius est ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, & absolutio Sacerdotis nihil aliud est, quam mera, sed juridica tamen, peccati jam remissi declaratio*. Quæ ergo hoc in paragrapho dicemus de necessitate charitatis ut pœnitens gratiam in pœnitentiæ Sacramento recipiat, de inchoata tantum & imperfecta charitate intelliguntur.

Conclusio. Amor in pœnitente requisitus ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat, est amor charitatis, non autem amor concupiscentiæ.

Probari potest conclusio 1. ex Scriptura & traditione Patrum, qui a Christo usque ad Concilium Tridentinum floruere: 2. ex ipso Concilio Tridentino: 3. ex authoribus, qui post Concilium ad hæc usque tempora scripsere: 4. Ex facili solutione argumentorum, quæ contra necessitatem charitatis objiciuntur.

Ex Scriptura & traditione sexdecim priorum sæculorum ostenditur amorem requisitum in pœnitente esse amorem charitatis.

1. Scripturæ loca, quibus superius pag. 359. fuit ostensum impium absque inchoato amor Dei super omnia non esse sufficienter dispositum ad recipiendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ, intelligi non possunt de amore spei, qui a charitate Dei super omnia non imperetur, desumuntur nempe tum ex conversione, quam Deus in antiqua lege exigebat a Judæis, tum ex his tribus Apostolicis sententiis: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Qui non diligit manet in morte. Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit*. Atqui conversio, quam Deus in antiqua lege exigebat a Judæis, ut justificationis gratiam consequerentur, oriri debebat præcipue ex motivo charitatis, cum certum sit ante promulgatum Evangelium actum charitatis Dei super omnia impio necessarium fuisse necessitate medii ad justificationem.

2. Priorum sæculorum Patres, quos pagina 360. laudavimus pro necessitate actus amoris ut gratia in Sacramentis Baptismatis aut pœnitentiæ recipiatur, eumdem amorem requisierant a pœnitente, quem Prophetæ in Mosaica lege & Apostoli in Evangelica, ut patet ex textibus, quos ex Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo, Gregorio Magno protulimus.

3. Nonnulli ex antiquioribus Scolasticis senserunt ut patet ex pag. 355. charitatem habitualem seu infusam, quæ formaliter justificat, præsupponi debere absolutioni Sacramentali; seu voluerunt impium semper justificari ante actualem Sacramenti susceptionem; At charitas, quæ formaliter ante Sacramenti actualem susceptionem justificat, non habetur nisi actus charitatis Dei super omnia præcesserit.

4. Plerique alii ex Scholastici, qui floruerunt a decimo tertio sæculo usque ad tempus, quo Tridentina Synodus fuit coacta, scripserunt Attritionem & Contritionem esse ejusdem speciei, ac differre tantum secundum magis & minus; eorum Scholasticorum textus pag. 354. legere est.

5. S. Thomas; qui eodem vixit sæculo, quo laudati mox Scholastici, variis in locis docuit actum amoris ad justificationem requisitum esse amorem charitatis.

Er sane, cum S. Doctor 1. 2. qu. 113. art. 3. docuisset ad justificationem impii necessarium esse liberi arbitrii motum, quo a peccato ad justitiam accedit, ejusdem quæstionis articulo quarto asserit requiri, *ad justificationem impii motum mentis, quo convertitur ad Deum*. Eum vero motum contendit fieri per fidem: *Prima* (inquit) *conversio in Deum fit per fidem secundum illud ad Hebræos II. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*. Addit eum fidei motum sine actu charitatis non fieri; *Dicendum* (ait in responsione ad primum) *quod motus fidei non est perfectus nisi sit charitate informatus. Unde simul in justificatione impii cum motu fidei est etiam motus charitatis*. Et pergens in explicatione ejusmodi

motus

motus fidei & charitatis sic interum loquitur, *Movetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc, at ei se subjiciat: unde etiam concurrit actus timoris filialis & actus humilitatis.*

Idem S. Doctor ejusdem quæstionis articulo quinto asserit ad justificationem impii requiri desiderium justitiæ, & odium peccati: *Dicendum* (inquit) *quod justificatio impi est quidam motus, quo humana mens movetur a Deo a statu peccati in statum justitiæ. Oporet igitur quod humana mens se habeat ad utrumque extremorum secundum motum liberi arrbitrii, sicut se habet corpus localiter motum ab aliquo movente ad duos terminos motus. Manifestum est autem in mota locali corporum, quod corpus motum recedat a termino, A quo, & accedit ac terminum, Ad quem. Unde oportet, quod mens humana dum justificatur, per motum liberi arbitrii recedat a peccato & accedat ad justitiam: Recessus autem & accessus in motu liberi arbitri accipitur secundum detestationem & desiderium: dicit enim Augustinus super Joannem, exponens illud: Mercenarias autem fugit: Affectiones nostræ motas animorum sunt: Lætitia, animi diffusio, timor animi fuga est, progrederis animo, cam appetis, fugis animo, cum metuis. Oportet igitur, puod in justificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex. Unus, quo per desiderium tendat in Dei justitiam, & alias, quo detestetur peccatum.* At nemo amat justitiam, nemo tendit ad justitiam, nisi per actum charitatis, ac proinde nemo peccatum odit, ut requiritur ad justificationem, nisi illud prout est offensa Dei detestetur.

Idem S. Thomas 3. part. qu. 85. art. 2. asserit pęnitentiam ex se tendere in destructionem peccati, quatenus est offensa Dei. Ejusdem quæstionis articulo tertio, in pœnirentia duo distinguit, propositum injuriam Deo per peccatum illatam resarciendi, & dolorem de peccato commisso; Docet illud ad justitiæ virtutem pertinere, istum vero ad charitatem: *Dicendum* (inquit) *quod pœnitentia non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret charitas, sed ex hoc quod pœnitens dolet de peccato comisso in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito.* In eadem quæstione articulo quinto ubi recensuit actum fidei, timoris servilis, ac spei a quibus pœnitentia incipit, sic prosequitur: *Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, & non jam propter supplicia. Sextus vero est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam* (hoc est peccati vindictam) *voluntarius offert. Sic igitur potest, quod actus pœnitentiæ a timore servili procedit, sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali, sicut ab immediato & proximo principio.* Ibidem articulo sexto conceptis terminis asserit neminem adultum justitiam consequi nisi charitatis actus præcesserit; *Actus* (inquit) *& habitus charitatis simul sunt tempore cum actu & habitu pęnitentię & cum habitibus aliarum virtutum. Nam sicuti in secunda parte habitum est, in justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei per charitatem formatus, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pęnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secandum: nam actus virtutis pęnitentiæ est contra peccatum ex amor Dei, unde primus actus est ratio & causa secundi.*

6. Hic laudari possunt Dominicus & Petrus Soto, Adreas Vega, aliique permulti, qui paulo ante Concilium cum Luteranis conseruerunt manus, ac ipsi Concilio adsuorunt: ii enim omnes asseruerunt neminem etiam in Sacramento justificari, nisi peccatum detestetur prout est offensa Dei, aut saltem nisi putet se illud sic consideratum detestari. Eorum Theologorum textus hujusce operis pag. 361. lector descriptos reperiet.

Ostenditur ex Concilio Tridentino amorem pęnitenti ad justificationem necessarium, esse amorem imperfectæ saltem charitatis.

1. Sacra Synodus Sess. 14. cap. 4. docet, Contritionem fuisse quovis tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum. Atqui Contritio, quæ quovis tempore necessaria fuit, non ex amore concupiscentiæ, sed charitaris & benevolentiæ præcipue concipitur, ut superius ostensum est.

2. Eadem sessione cap. 3. & can. 4. definitum est Contritionem esse quasi materiam Sacramenti pœnitentiæ: Contritionis autem nomine sacra Synodus intelexit dolorem, qui ex charitate pręcipue nascitur, juxta tritam hanc Logicorum regulam, *Analogum simpliciter prolatum sumitur pro præcipuo analogato* Argumentum illud lector p. superiori fuse pertractatum reperiet.

3. Mox laudata Sinodus sess. 6. cap. 6. inter actus quos asserit ad justificationem in Sacramento recipiendam prærequiri, recencet actum, quo Deus tamquam fons omuis justitiæ diligatur: *Ipsamque* (inquit) *tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Sed amor Dei tamquam justitiæ fontis est amor charitatis: Nam 1. iis terminis Deus ut in se est sub quo respectu est objectum charitatis, clarissime exprimitur: unde Augustinus eum amore charitatis amori debere contendit, ac diligi debere non in donis suis, sed prout est fons hujusmodi donorum. *Deus* (inquit) lib. de catechizandis rudibus cap. 27. *amandus est, non sicut aliquid, quod videtur oculis, sed sicut amatur sapientia & veritas, & sanctitas, & justita, & charitas, & si quid aliud tale dicitar; non quemadmodum sunt in hominibus, sed quemadmodum sunt in ipso fonte incorruptibilis & incommutabilis sapientiæ.* Eodem modo Deum, prout est objectum charitatis exprimit scribens in Psalm. 61. *Respice ergo* (ait) *& transcende creaturas, vade illuc ubi semel locutus est Deus, & ibi invenies fontem justitiæ, ubi est fons vitæ.* Nec obstat, quod ab illo fonte rivuli justitiæ ad nos dimanent: neque enim hæret animus illis rivulis sed eos amat, quod ud fontem ipsum, quem in hac eremo sitimus viam pandant: unde ut inflammetur illud desiderium, illi rivuli nobis a Deo conceduntur: *Nemo* (ait Concilium Arausicanum secundum can. 22.) *habet de suo nisi mendacium & peccatum: si quid autem habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, at ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.* 2. Concilium aperte distinguit amorem spei ab amore charitatis cum actus recenset obtinendæ justificationi prærequisitos. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam,* (inquit sess. 6. cap. 6.) *dum .... fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitur revelata & promissa sunt .... dum peccatores se esse intelligentes a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concatiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.*

Quid per amorem Dei tamquam omnis justitiæ fontem Tridentini Patres intellexerint, docemur ex historia Concilii, ea nimirum constat verba de quibus agitur, inserta fuisse capti sexto sessionis sextæ, quod nonnulli tum Præsules tum Theologi argumentis probassent actum charitatis non minus requiri: quam actus fidei & spei, quorum privatim delineatum decretum, & sessionis publicæ examini oblatum meminerat: *Quod attinet* (inquit Palavicinus hist. Conc. Trid. lib. 8. cap. 13.) *ad id quod dicitar de dilectione Dei, advertendum est per tenorem decreti prius delineati, nullam fieri dilectionis mentionem, sed Salvatorem Alepium Archiepiscopum Turritanum, Claudium Jajum Societatis Jesu, Lipomanum Veronensis adjuterem & Pium Franciscanorum Presidem monuisse ut* ALIQUIS CHARITATIS ACTUS INSERERETUR, *cumque id ad omnium Patrum judicium relatum fuisset, cum aliis præcipuis notis, ut indicavimus, vigintitres ex ipsis diserte illud comprobasse, adeoque insertum decreto.*

Nonnullis quidem additio displicuit causatis, charitatem esse effectum Sacramenti non autem dispositionem ad Sacramentum: sed argumenti ab iis Patribus adhibiti nulla est habita ratio: *verum* (ait ibidem Palavicinus) *a Theologis strenue propugnatum & per hæc verba retentum, Non est sermo eo loco de habitu charitatis, sed cum in particula, quæ loquitur de pęnitentia, nulla fiat mentio amoris, visum est cum fide & spe jungere aliquem dilectionis actum; quia*

quia si pænitentia tota esset ex timore, sine AMORE JUSTITIÆ, (quiquidem est actus charitatis) *& dolor esset propter pænam tantum, & non propter Dei offensam*, ac proinde non conceptus ex motivo imperfectæ saltem charitatis, *foret infructuosa*. Sic iterum prosequitur idem Cardinalis : *Et in actis legitimis servatis in Ælia arcæ S. Angeli, ubi fit mentio de quodam cætu Patrum Theologorum, hæc leguntur: Pariter propositum fuisse an peccatorum detestatio in præparatione spem præcedat, & post rem exactissime expensam conclusum fuisse: Quantumvis aliqua peccatorum detestatio spem præcedat ; tamen illam detestationem, quæ ad justificationem disponit (de qua in sexto decreti capite dicitur) quoniam non potest fieri sine aliqua spe, & dilectione, postea sequi.*

4. Huc spectant ea Scripturæ loca, quæ proferuntur a Concilio, ut adstruatur necessitas Contritionis : ea etenim loca cum a prophetis dicta sint de justificatione comparanda antequam sancita fuisset lex nova, intelliguntur de contritione, quæ ex charitatis motivo concipitur. Huc etiam pertinet propositum servandi divina mandata, quod essentiale est dolori ad justificationem requisito; illud nempe propositum extendit sese ad prius Decalogi mandatum, quo charitatis amor super omnia præcipitur; adeat lector paginas superiores ubi illa, & similia argumenta susius petractata repetiet.

Quæres cum Concilium censuerit requiri inchoatam Dei charitatem super omnia an vero satis esse ut doloris actus ex amoris quidem motivo eliciatur, sed qui non sit super omnia.

Resp. ex sacra Synodo facile posse colligi requiri in pœnitente inchoatam Dei charitatem super omnia, ut gratiam in Sacramento recipiat : Nam 1. Concilium veram conversionem in impio requirit: At is vere non est conversus, quandiu creaturarum amor in illius corde dominatur, licet nonnullis divini amoris motibus, sed imbecillibus agitetur ; alioquin dicendum esset Augustinum vere conversum fuisse cum non ferro alieno, sed ferrea sua voluntate vinctus erat, cum voluntas nova, quæ ei per actualem Dei gratiam esse cœperat, nondum erat idonea ad superandum mundi amorem antiqua consuetudine roboratum ; uno verbo cum is erat, quem semeripsum exhibet lib. 8. conf. cap. 5. ubi sic loquitur: *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi ansulis, quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus: Voluntas autem nova, quæ mihi esse cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem Deus sola certa jucunditas nondum idonea ad superandum priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipso experimento id quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, & spiritus adversus carnem : Ego quidem in utroque, sed magis ego in eo, quod in me improbam .... Militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri quemadmodum impediri timendum est ... Ita sarcina sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conantibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.* 2. Sacra Synodus requirit in quolibet, quem verè peccatorum pœniteat, propositum non peccandi de cætero, ac proinde firmam, ac sinceram voluntatem servandi omnia divina mandata, inter quæ præceptum de charitate Dei super omnia priorem, & principem locum tenet, ut patet ex Evangelio, & ut advertit Aug. serm. 7 de verbis Apostoli, ubi postquam asseruit amari debere justitiam, hoc est, Deum, atque in hac justitia amanda gradus esse varios (ait) *primum gradum*, esse ut amori *justitiæ non præponantur omnia quæ delectant, ipse est primus gradus :* Is vero primus justitiæ gradus, si cui defuerit, justificationem non conferri docet ibidem S. Doctor, *Justitia* (inquit) *sic delectet, ut vincat non solum illicitas ; sed etiam licitas delectationes, & ei delectationi, qua licite delectaris, præpone justitiam* ; 3. Ejusdem charitatis, quæ cordi dominetur, necessitatem probant omnia Scripturæ loca, quæ Concilium tum sess. 6. cap. 6. tum sess. 14. cap. 3. & cap. 4. protulit, ut Contritionis necessitatem, variasque illius partes adstrueret.

Nec mox datæ ad quæsitum responsioni obstat sacra Synodus cum de dispositionibus Catechumenis, ut in Sacramento justificentur, necessariis agens sic loquitur, *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt* : Non obstat (inquam) nam 1. vox illa *Incipiunt* non significat amorem, qui non sit super omnia, quippe quod non referatur ad justitiæ dilectionem, de qua loquitur Concilium, sed ad ordinem, qui reperitur inter motus timoris, spei, & dilectionis, ita ut sensus sit impium primum concuti timore, postea in spem erigi, & tandem Deum diligere tamquam omnis justitiæ fontem : Ille sacri Concilii loquendi modus similis est ei quo quis uteretur si hæc de Paulo diceret; *Posteaquam Paulus fuit a Christo prostratus, & perculsus cæcitate, Christum incœpit diligere*. 2. Licet detur, quod verbum, *incipiunt*, ad charitatem referatur ac significet illius imperfectionem in pœnitente, ita ut Concilio mens fuerit, quod inchoata charitas absque perfecta satis sit in impio ut in Sacramento justificetur (ut & nos censemus) hinc tamen inferri non poterit charitatem illam non debere esse super omnia ; siquidem in charitate, quæ est super omnia, varii sunt intensionis gradus ad quos eadem charitas comparata, potest dici aut inchoata, aut perfecta, plerumque vero inchoata est tantum, & imperfecta in catechumenatu, quod nempe ille status sit veluti Christianismi infantia, aut potius religionis Christianæ tyrocinium, & probatio. Confirmatur ex Augustino quæ sæpius asserit neminem reconciliari posse justitiæ, quin ipsam justitiam ordinata charitate diligat ; non diligitur vero ordinata charitate nisi super omnia diligatur. *Bona sunt omnia* (inquit Augustinus Epistol. 120. ad Honoratum) *quæ creavit Deus, ab ipsa rationali creatura usque ad infimum corpus. Ita bene in his agit anima rationalis, si ordinem servet, & distinguendo, eligendo, pendendo, subdat minora majoribus, corporalia spiritualibus, temporalia sempiternis, ne superiorum neglectu, & appetitu inferiorum, quoniam hinc fit ipsa deterior, & se & corpus suum mutet in pejus, sed potius ordinata charitate, & se & corpus suum convertat in melius. Cum enim sint omnes substantiæ naturaliter bonæ, ordo scilicet amoris, in eis laudatur, honoratur, perversitas culpata damnatur* · Nihil autem magis amoris ordini repugnat, quam si æterna justitia quæ Deus est, super omnia non diligatur.

Ex authoribus qui post Concilium Tridentinum scripsere, ostenditur amorem pœnitentis ad justificationem necessarium, esse amorem charitatis.

1. Catechismus Romanus (ut jam superius observatum est) docet 1. actiones pœnitentiæ prout est virtus, esse materiam Sacramenti pœnitentiæ : Docet 2. impium ad eam virtutem his gradibus ascendere. *Primum* (inquit) *Dei misericordia nos prævenit, cordaque nostra ad se convertit : deinde illustrati per fidem ad Deum animo tendimus ; preterea motus timoris consequitur, & suppliciorum acerbitate proposita animus a peccatis revocatur : huc deinde accedit spes impetrandæ a Deo misericordiæ, qua erecti vitam, & mores emendare statuimus. Postremo charitate corda nostra accenduntur : atque ita illud unum veriti ne qua in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus. Hisce igitur gradibus ad hanc præstantissimam pœnitentiæ virtutem pervenitus.*

2. Cardinalis Toletus e Societate Jesu expresse asserit

ferit (ut pag. 368. observatum est) absolvi non posse pœnitentem nisi peccatum detestetur prout est offensa Dei : Supponit igitur peccati odium quod in pœnitente absolvendo requiritur, oriri debere ex motivo charitatis; nec enim quis potest odisse peccatum prout Deum lædit quio Deum in se ipso consideratum, seu (ut ait Concilium Tridentinum) prout est fons omnis justitiæ, dilexerit.

3. Estius universitatis Duacensis Cancellarius, qui ineunte sæculo 16. scripsit in Sententias, hæc habet in lib. 4. Sent. Dist. 16. §. 9. *Quamvis enim timor gehenaæ donum Dei sit, non tamen sufficienter hominem præparat ad peccati remissionem per Sacramentum Pœnitentiæ consequendam, quia per se non sufficit ad excludendam omnino voluntatem peccandi, quemadmodum patet ex his quæ tertio libro de timore servili dicta sunt: quare nisi accesserit* AMOR JUSTITIÆ ET DILECTIO DEI SUPER OMNIA *ac detestatio peccati suscepta propter Dei offensam, non poterit timor ille hominem perducere ad amicitiam Dei.*

4. Sacra Lovaniensis facultas postulata a Pastoribus civitatis Gandavensis, qui anno 1662. insurrexerant adversus librum, cujus titulus sic habebat; *Nova instructio pro eradienda juventute ad rite suscipienda Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ*; postulata, (inquam) fuit ut suum doctrinale judicium proferret circa articulum quo asserebatur, *Attritionem quæ ex solo gehennaæ, aut pœnarum a Deo infligendarum metu concipitur, sine interventu alicujus saltem imperfecti amoris benevolentiæ erga Deum non sufficere ad justificationis gratiam in Sacramento impetrandam.* Pastorum votis annuit Sacra Facultas hoc oempe tulit judicium : *Die ultima Maji anni 1662. in Curia Academica sub juramento convocata, & congregata Facultas Theologica Lovaniensis a R.R.D.D. Pastoribus Civitatis Gandavensis per litteras hisce junctas requisita proferre judicium suum super hoc articulo, Attritionem quæ ex solo gehenaæ &c. & simul super hoc scripto eidem Epistola per eosdem adjuncto, per quod doctrina ista probatur: unanimi consensu censuit doctrinam dicti articuli esse sanam, securam, veram, nulli reprehensioni obnoxiam, & merito fidelibus esse prædicandam, & inculcandam, & insuper fundamenta quibus doctrina ista per idem scriptum confirmatur, solida esse.*

5. Eximius Doctor Genetius nunc illustrissimus Vasionensium in Comitatu Avenionensi Episcopus, amorem requisitum ad justificationem in Sacramento recipiendam interpretatus est de amore charitatis tractatu sexto voluminis quarti cap. quinto libri quem Gallice sic scripsit, *Theologie morale &c.* hoc est, *Theologia moralis, &c.* ubi quæsivit utrum omnis dolor qui concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu, sit vera & salutaris Attritio, respondet negative, quia (ioquit) ut Attritio sit sufficiens ac salutaris ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam : oportet ut sit supernaturalis ac in se ipsa includat amorem Dei tamquam omnis justitiæ fontis. Ubi vero responsionem illam probavit ex capite sexto sessionis sextæ Concilii Tridentini, ex capite quarto primæ Epist. S. Joannis, ex cap. 13. 1. ad Corinth. elicit conclusionem quam hisce verbis Gallicis exprimit : *Tout cela nous fait voir evidemment que la penitence ne sçauroit etre veritable, ni servir a nous justifier devant Dieu, quand meme elle nous feroit souffrir le martyre, si elle est* SANS CET AMOUR ET CETTE CHARITE' *qui convertit le cocur en lui faisant aimer Dieu plus que toute creature:* Ea autem verba Gallica sic latine redduntur ; *Ex his evidenter patet pœnitentiam non posse esse veram nec prodesse ad nostram coram Deo justificationem, & quidem licet impelleret, & moveret ad patiendum martyrium, si destituta sit* ILLO AMORE, ET EA CHARITATE *qua cor convertitur, & qua Deus plusquam creatura diligitur.* Hic lectorem monitum velim librum ex quo relati textus excerpti sint, non levis esse authoritatis. Nam 1. promulgatus fuit jussu, & authoritate Eminentissimi Cardinalis Le Camus, Episcopi & Principis Gratianopolitani; ac proinde mentem exprimit Ecclesiæ cui præest tantus tantique nominis Antistes, 2. Idem liber munitus est authentica approbatione Doctissimi, & Reverendissimi Patris Capisuchii tunc Magistri Sacri Palatii, postea Eminentissimi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis: ea vero in approbatione data Romæ die 10. Maji ann. 1678. asseritur opus de quo agitur continere *Sanam, Solidam ac tutam doctrinam, quam proinde callere debent qui Christiana professione censeatur.*

6. Innumeri omnium Christiani orbis Provinciarum maxime pii ac doctissimi Præsules tum in Catechismis, tum in Ritualibus recensent charitatis actum inter dispositiones absolutioni recipiendæ prærequisitas: Asserunt enim 1. oportere ut pœnitens peccatum detestetur pront est offensa Dei. 2. Utuntur exemplo veteris legis in qua nullus adultus absque charitatis actu consequebatur justitiam, indeque concludunt nec in oova fieri absque inchoatæ saltem charitatis actu. 3. Profernnt hæc verba Concilii Trident. *Illumque tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* Adeat lector Rituale Provinciæ Rhemensis, de Sacram. Pœnitent. Titul. *de Contrit.* Editum est illud Rituale opera & authoritate Illustrissimi, & Doctissimi Caroli Mauritii le Tellier Archiepisc. & Ducis Rhemensis.

Operæ pretium est, nt his omnibus Cleri Gallicani ad Comitia generalia anno 1700. coacti doctrinam addamus; Quæ vero sit, colligi potest tum ex variis propositionibus, quibus inussit censuram Theologicam, tum ex speciali declaratione,

Propositiones Damnatæ.

I. Propositio. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Censura. Hæc propositio est hæretica.

II. Propositio. Attritio ex gehennæ metu, sufficit etiam sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu, quia talis, honesta & supernaturalis est.

Censura. Hæc propositio, qua a dispositione necessaria ad absolutionem excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, temeraria est, scandalosa, perniciosa, & in hæresim inducit.

III. Propositio. Concilium Tridentinum adeo expresse definivit, attritionem quæ non vivificet animam, quæque supponatur sine Dei amore esse, sufficere ad absolutionem, ut anathema pronuntiet adversus negantes.

Censura. Hæc propositio falsa est, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.

Ejusdem Cleri Gallicani Declaratio.

POST absolutas (*verba sunt Cleri Gallicani ad Comitia Generalia coacti anno 1700.*) Propositionum censuras, supersunt quædam pro rei gravitate enucleatius exponenda, & ab ipsis principiis in apertam lucem deducenda.

Et quidem de dilectione Dei sicut ad Sacramentum Baptismi in adultis, ita ad Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est laboriosus baptismus, requisita, ne necessariam doctrinam omittamus, hæc duo in primis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda & docenda esse duximus.

Primum, ne quis putet, in utroque Sacramento requiri, ut præviam, contritionem eam quæ sit caritate perfecta, *antequam acta suscipiatur; hominem Deo reconciliet.* Alterum, ne quis putet, in utroque Sacramento securum se esse, si præter Fidei, & Spei actus, non *incipiat diligere Deum tamquam omnis justitiæ fontem.*

Neque vero satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si penitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum, divina opitulante gratia, sed se excitet ac provocet.

„ Placet etiam caveri a Sacramenti Pœnitentiæ „ administris, ne in hoc Pœnitentiæ Sacramento, „ aliisque *Sacramentis conferendis sequuntur opinionem „ probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore* : „ neve pœnitentes ipsorum fidei animam suam com- „ mitentes admonere cessent, ut in pœnitendo in- „ choatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ „ sola secura sit, graviter peccaturi in hoc salutis „ discrimine, *vel eo solo, quod certis incerta præ- „ ponant*.

Iis quæ modo ex Comitiis Generalibus Cleri Gallicani excerpta sunt, robur maximum additur nostro de dilectione Dei in Sacramento Pœnitentiæ requisita Systemati: scilicet compendiose paucis illis verbis continentur argumenta fere omnia quibus fuse a nobis probatum est inchoatam Dei charitatem super omnia, requiri ut pœnitens gratiam in Sacramento pœnitentiæ recipiat.

Solvuntur argumenta quæ contra necessitatem actus charitatis objiciuntur.

Objicies 1. Si vel inchoata charitas Dei super omnia Sacramento Pœnitentiæ recipiendo prærequireretur, pœnitentia non esset Sacramentum mortuorum, nusquam enim saltem dum actu recipitur, primam gratiam impio conferret: Siquidem charitas Dei super omnia licet imperfecta sit ac remissa, in eodem subjecto cum peccati mortalis statu componi minime possit.

Resp. illud argumentum fuse pertractatum fuisse superius paginis 353. 354. eas si lector adierit, amplissimam solutionem reperiet.

Objicies 2. Si inchoata charitas requiratur ut impius gratiam in Sacramento recipiat, difficilior erit justificatio in nova lege quam fuerit in antiqua: Nam ea charitas Judæis satis erat ad gratiam consequendam, cum e contra Christianis opus sit præterea absolutione Sacramentali. Ut ergo aliquod inter Judæos & Christianos statueretur discrimen, justificationis comparandæ respectu, satius esse videtur asserere nunc charitate opus non esse, sed Sacramento cum dolore qui ex solo gehennæ metu conceptus sit; olim vero necessarium fuisse charitatis actum, non autem Sacramentum: ita ratiocinantur plerique ex iis qui Attritionis mere servilis sufficientiæ patrocinantur.

Resp. Lapso, in nova lege eo sensu facilius consequi justificationem quam in antiqua, quod nunc uberior sit ac frequentior quam fuerit olim Christi Salvatoris gratia, per quem cor hominis a cupiditate ad charitatem emollitur.

Discrimen quod adversarii statuunt, ipsimet Christo injuriosum est quam maxime, quasi vero Verbum induerit carnem, passus sit in cruce, instituerit Sacramenta ut homines ab amore in Deum jure naturali debito liberaret. Qui sub obtentu novæ legis, a Christianorum cervice excutiunt amoris jugum alia haud dubie ratione philosophantur quam Augustinus, qui tantum abest ut inde concluserit hominem non teneri ad amorem divinum, quin e contra sumpserit argumenta quibus homines ad eumdem amorem acueret: *Quis autem* (inquit lib. de catechizandis rudibus cap. 4.) *non redamare affectet justissimum & misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos & superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum filium suum. Ad hoc divina nobis tam sedula erga nos & tam profusa beneficentia commendatur; ut sollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem*.

Adversarii ex efficacia Baptismatis & Pœnitentiæ concludunt impium liberum esse a debito diligendi Deum ut justificationis gratiam consequatur, e contra vero Augustinus inde concludit impio ita incumbere onus diligendi Deum, ut si eo destitutus sit, de Sacramento sibi blandiri minime debeat: *Ecce* (expositione in 1. Epist. Joanis cap. 3.) *accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus. Sacramentum habet & magnum Sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile. Considera quale: ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Attendat tamen in cor, si perfectum est ibi, quod factum est in corpore; videat si habeat charitatem, & tunc dica, Natus sum ex Deo. Si autem non habet, characterem quidem impositum habet; sed desertor ungatur. Habeat charitatem; aliter non se dicat natum ex Deo. Sed habeo* (inquit) *Sacramentum. Audi Apostolum: Si sciam omnia Sacramenta, & habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam nihil sum*. Volunt qui nobis adversantur, discrimen novæ legis ab antiqua peti debere ex eo quod olim Judæi, ut justificarentur, tenerentur Deum diligere, nunc vero ab eo debito liberi sint Christiani: E contra Augustinus docet novum Testamentum a Veteri discrepare, quod istud sit lex amoris, illud vero terroris: *Hæc est* (inquit lib. contra Adimantum cap. 17.) *brevissima & apertissima differentia duorum Testamentorum Timor & Amor, illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet*. Ex eorum quos hic impugnamus, sententia hocce gravissimum absurdum sequitur, hominem scilicet qui quadraginta annis omni vitiorum generi deditus vixerit, posse salutem consequi, quamvis nusquam, ne in ipso quidem vitæ exitu, Deum dilexerit: illud vero absurdum ut ipsis etiam adversariorum oculis pateat, supponatur oportet hominem qui post annos quadraginta quibus latrociniis, homicidiis, adulteriis, perjuriis commacularit se se, paucis ante obitum horis, flagitia sua detestari ex solo gehennæ metu, aut ex sola conciderattione turpitudinis peccati, absque ullo vel inchoato amore Dei super omnia; supponatur rursus hominem illum, ubi cum ea sola attritione servili peccata confessus est, præ subito aliquo morbo quo corripitur, amittere rationis usum, ac tunc Sacramentalem absolutionem recipere, ac immediate post excedere e vivis: Juxta adversariorum principia justificationem consequetur homo ille, & ipsam etiam æternam salutem: & tamen nullo unquam vitæ tempore, nec in ipso etiam exitu, Deum amavisse supponitur.

Objicies 2. Etsi veritate niteretur sententia qua propugnatur inchoatæ ac imperfectæ charitatis necessitas ut quis gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat; non esset tamen populis passim inculcanda, quippe quæ scrupulis ac anxietatibus eos excruciet, cum scire non valeant, num ardeant ea charitate, cum se Sacerdotum absolutioni subjiciunt. Ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam primo aliter censuit sacra Facultas Lovaniensis in doctrinæ judicio, quod superius descripsimus. Secundo. Aliud quoque censuerunt illustrissimi Præsules qui Catechismis, aliisque libris qui teruntur fidelis populi manibus, inseruerunt inchoatæ, de qua agitur, charitatis necessitatem, quo qui gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat: eorum vero Catechismorum loca superius relata fuerunt. Tertio. Si (ut contendimus) Contritio concepta ex inchoata charitate Dei super omnia sit ex institutione divina materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, populi necessario eam veritatem docendi sunt, cum (ut ait Catechismus Romanus ad Parochos) nihil fideli populo magis notum esse debeat, quam hujusce Sacramenti materia: Si enim aliam ab ea, quam Christus adhiberi voluit, absolutioni Sacerdotali subjiciat, frustrabitur effectu Sacramenti, imo & ipsa Sacramenti substantia: quippe quod irritum sit Sacramentum, etiam quoad substantiam, quod instituta & determinata a Christo materia destitutum fuerit. Quarto. Idem nunc circa Pœnitentiæ materiam docendi sunt fideles quod sexdecim prioribus sæculis docti sunt ab Apostolis eorumque in Episcopatu successoribus. Atqui (ut superius fuse probatum est fideles per sexdecim priora sæcula docti sunt primum ab Apostolis, & postea ab eorum successoribus, inchoatam saltem Dei charitatem super omnia requiri ut impius gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiat.

Quod autem adversarii objiciunt de scrupulis & anxietatibus quibus in nostro systemate pœnitentes ex-

excruciatum iri contendunt, nullius est momenti: Quieto scilicet animo pœnitentes esse debent ac cum cordis pace se subjicere Sacramento, ubi diligenter revoluto conscientiæ sinu ac jugibus precibus sinceram sui conversionem, seu cor novum de quo Scripturæ loquuntur, quodque charitatem Dei super omnia complectitur, a Deo petierint. Confirmatur ex eo quod non necesse sit, ut quis tranquillo sit animo, quod certo sciat se ad Sacramenti gratiam eo, quo par est, modo dispositum esse; cum nemo (ut ait Concilium Tridentinum sess. 6.) propriam internam sui dispositionem certo cognoscere valeat.

QUÆSTIO QUINTA,

De Confessione.

CONfessionis nomen sumitur in scriptura primo pro laudibus quibus Deum, sive propter summam ejus excellentiam, sive propter illius in nos beneficia celebramus. *Confiteor tibi, pater, Domine cœli, & terræ* (inquit Christus Matthæi 11.) *quia abscondisti hæc a sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Sumitur secundo pro occulti peccati manifestatione. *Fili mi* (inquit Josue Achan alloquens cap. 7.) *da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Responditque Achan Josue, & dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Israel.* Occulti vero peccati accusatio vel fit Deo tantum, vel homini: Deo quidem, cum reus agnoscens suum scelus, illud dolens confitetur interius: *Dixi* (inquit Psaltes Regius Psal. 31.) *confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Homini autem, aut tamquam viro sapienti, & docto, a quo petatur consilium, aut tamquam judici qui supplicium decernat, vel tamquam novæ legis Sacerdoti a quo petatur absolutio Sacramentalis.

Actio, quam Latini peccatorum confessionem dicunt, Exomologesis a Græcis appellatur. 1. Hæc Latina verba, *Confitentes peccata sua*, in Græco Matthæi textu sic leguntur, ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν; hæc alia 1. Joannis 1. vers. 9. *Si confiteamur peccata nostra*, sic textus Græcus exprimit ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν.

Eadem ratione hæc alia, Epist. Jacobi cap. 5. v. 16. *Confitemini alii aliis offensiones* in Græco textu leguntur, ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα; in Actis Apostolorum pro *Confitentes, & annunciantes actus suos*, Græce sic habetur ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν.

Eadem qua novum testamentum, ratione locuti sunt Patres Græci. S. Epiphanius Marci præstigiatoris referens, de mulieribus agens quæ S. Iræneo teste, ab ipso corruptæ, postea conversæ, sæpius crimen suum confessæ fuerant in Ecclesia, hæresi 34. earum confessionem expressit hoc vocabulo ἐξωμολογήσαντο.

A Græcis ad Latinos Exomologesis nomen pro Confessione translatum est, *Exomologesis* (inquit Tertullianus lib. de orat. cap. 7.) est petitio veniæ, quia qui petit veniam, delictum *confitetur*. Eumdem terminum pro delicti Confessione Cyprianus usurpavit lib. de Lapsis: *Quoniam tamen* (inquit) *de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt.*

Verum admonendus est lector idem Exomologesis nomen tum a Græcis tum a Latinis Patribus nonnumquam usurpatum fuisse pro universa pœnitentiæ actione, seu prout præter confessionem, ipsam etiam satisfactionem complectitur. Basilius Ep. can. c. 2. pro his Latinis vocibus, Non oportet autem usque ad obitum Confessionem eorum extendere, sed eam post decennium admittere, Græce sic habet παρατείνειν αὐτῶν τὴν ἐξομολόγησιν. Tertullianus eodem modo nomen illud usurpavit lib. de Pœnit. cap. 9. *Exomologesis est prosternendi ac humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu, & victu mandat.* Eodem in sensu S. Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium, Exomologesim accipit, eos arguens qui ultro quidem palam admissum scelus confitebantur, sed laboriosæ satisfactionis onus detrectabant: *Sublata* (inquit) *pœnitentia nec ulla exomologesi criminis facta, despectis Episcopis atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicatur.* Eamdem amplectitur significationem S. Pacianus in Parænesi ad Penitentiam, cum sic loquitur, contra Novatianos agens. *Tertio de his erit sermo, qui confessis bene, apertisque criminibus remedia Pœnitentiæ, actusque ipsos exomologesis administrandæ aut nesciunt aut recusant.* Diversam illam Exomologeseos significationem tradere duximus operæ pretium, ut ex subjecta materia occurrentibusque circumstantiis judicent Theologi quandonam authoritate Patrum apud quos frequens est Exomologesis nomen, uti debeant, ut contra Calvinistas confessionis necessitatem adstruant. Circa sæculum 8. Exomologesis nomen plerumque obtinuit non tantum pro parte pœnitentiæ, sed pro Letaniis. *Inter Letanias autem, & Exomologesim hoc differt*, (inquit Isidorus Etymologiarum lib. 6.) *quod Exomologeses pro sola Confessione peccatorum aguntur; Letaniæ propter rogandum Deum, & impetrandam in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una significatione habetur, nec distat vulgo utrum Letaniæ an Exomologeses dicantur.* Verum licet Exomologesis nomen circa sæculum 8. aliud quam aut confessionem aut satisfactionem significaverit; apud Orientales tamen antiquam suam significationem retinuit, seu nonnumquam pro satisfactione, sed passim sumitur pro peccatorum confessione, ut colligitur ex capite 11. prioris Epistolæ, quam ad Lutheranos dedit Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus.

CAPUT PRIMUM.

De existentia Confessionis.

HOC in capite quæremus 1. quinam tum ex antiquis, tum ex recentioribus sectariis Confessionis usui bellum indixerint. 2. Utrum quovis sæculo apud fideles obtinuerit. 3. An ipsi Christo suam debeat institutionem.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis qui Confessionis usui bellum indixere.

INter eos, qui Confessionis usum abstulerunt, Cardinalis Bellarminus Montanistas & Novatianos recenset. *Primi*) inquit lib 3. de Pœnit. cap. 1.) *qui Confessionem sustulerunt, veteres illi hæretici censendi sunt, qui potestatem absolvendi sustulerunt, Montanistæ videlicet, & Novatiani: neque enim alla necessitas Confessionis est, si nulla sequitur Absolutio.*

Verum ex illo doctissimi alioquin Cardinalis argumento contrarium sic evincitur. Licet tum Montanistæ tum Novatiani contenderint quædam esse peccata quæ per claves Ecclesiæ remitti non possint, docuerunt tamen nonnulla esse alia, & quidem mortalia, a quibus Ecclesia pœnitentes possit absolvere; rationes quibus illud factum nititur, hujusce operis paginis 314. 315. 316. fusius pertractatas legere est: Ergo istorum saltem peccatorum respectu, tum Montanistæ, tum Novatiani admisere Confessionis usum. Addendum est apud illos sectarios factitari solitam fuisse confessionem eorum etiam peccatorum, quæ negabant remitti posse ab Ecclesia: id enim expresse asserit Ambrosius lib. 2. de Pœnitent. cap. 5. ubi sic Novatianos alloquitur: *Quid mirum si salutem negatis aliis, qui vestram recusatis? licet illi nihil deferant qui a vobis pœnitentiam petunt.* Arbitror enim quod etiam Judas, *potuisset tanta Dei miseratione non*

excludi a venia, si Pœnitentiam non apud Judæos, sed apud Christum egisset. Peccavi, (inquit) *quod tradiderim sanguinem justum. Responderunt; Quid ad nos? Tu videris. Quæ vox alia vestra est, cum etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid respondetis aliud nisi hoc, Quid ad nos? Tu videris. Hunc sermonem laqueus sequitur: Eo feralior est pœna quo culpa est minor.* Præterea, & Montanistæ, & Novatiani lapsis in peccata quæ apud eos irremissibilia dicebantur, Episcopi pœnitentiam imponebant, licet ea peracta numquam impenderent absolutionem. Apud eos nimirum hujusmodi lapsi intra templum quidem, sed pro foribus stabant postulantes cum lacrymis non admissionem ad mysteria, cum scirent eis se perpetuo interdictos, sed unam Dei misericordiam (ut hisce Tertulliani verbis lib. de pudicitia cap. 3. docemur) *Adsistit enim pro foribus ejus* Ecclesiæ) *& de notæ suæ exemplo cæteros admonet, & lacrymas fratrum sibi quoque advocat, & reddit plus negotiata, compassionem scilicet, quam communicationem. Et si pacem hic non metit, apud Dominum seminat: nec admittit sed præparat fructum.* Necesse igitur erat, ut lapsi prius confiterentur peccata irremissibilia: neque enim Ecclesia castigat crimen quod eam latuerit.

2. Nonnulli scriptores inter Confessionis hostes numerant Audianos qui tempore Valentiniani senioris vexarant Ecclesiam. Sed immerito: Quamvis enim nullam satisfactionem lapsis imponerent, excipiebant tamen factam ab eis peccatorum confessionem; *Hi autem* (inquit Theodoretus de iis agens lib. 4. hæreticarum fabul. cap. 10.) *peccatorum remissionem dare se jactant. Duas enim in partes libros sacros eum adulterinis dividentes,*) *hos enim eximie arcanos, & mysticos existimant*) *& ordine hinc inde collocantes, inter hos jubent transire unumquemque, & peccata sua confiteri: deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.*

3. Aliqui ex hæreticis recentioribus, ut suum errorem nonnulla antiquitate commendent, Vvaldenses laudant inter eos a quibus Confessionis usus alias ablegatus fuerit. Sed in cassum id tentant; quippe quod ex authoribus qui Vvaldensium seu pauperum de Lugduno, errorum catalogum texuerant, aperte constet confessionis usum apud eos obtinuisse.

Reinerus libro quem contra Vvaldenses adornavit circa annum 1250. eorum circa Pœnitentiæ Sacramentum errores ad hæc capita reducit, quæ, ut patet, supponunt invaluisse apud eos confessionis auricularis usum: *De Sacramento Pœnitentiæ dicunt,* (inquit cap. 5.) *quod nullus possit absolvi a malo Sacerdote. Item quod bonus Laicus potestatem habeat absolvendi. Item quod ipsi per manus impositionem peccata dimittant, & dent spiritum sanctum. Item quod confitendum sit potius bono laico, quam malo Sacerdoti. Item quod non gravis pœnitentia sit imponenda, exemplo Christi, Vade, & jam amplius noli peccare. Item publicas pœnitentias, ut catenas reprobant, maxime in feminis. Item quod generalis confessio non sit singulis annis facienda.*

Philicdorfius qui medio sæculo decimo tertio eorundem Vvaldensium errores sigillatim recensuit, hos circa pœnitentiam eis tribuit tomo 25. Maximæ Bibliothecæ Patrum Lugdunensis editionis. *Item* (ait pag. 212.) *Confessionem generalem*, seu legem qua omnis utriusque sexus fidelis tenetur semel in anno confiteri, *nihil advertunt. Item docent subditos suos ne graviora peccata Sacerdotibus* (Communionis Romanæ) *confiteantur; & mittantur ad auctoritatem Episcoporum, ut mos est Christianorum, & ibi confundantur, & pecuniis excorientur, dicentes quod Sacerdotes sint pleni avaritia.* Verum tantum abest, ut ex iis Philicdorfii verbis confici possit confessionem non fuisse in usu apud Vvaldenses, quin potius eliciatur revera obtinuisse: nec enim Vvaldenses vetabant ne sibi adhærentes, Romanæ communionis Sacerdotibus semel in anno confiterentur; periculum nempe fuisset ne detecti dedissent pœnas hæreticis debitas; sed hoc unum prohibebant ne gravia peccata eis aperirent. Præterea ejusdem confessionis usum apud eos obtinuisse probant quæ mox laudatus author scribit sub hocce titulo. *Index errorum, quibus Vvaldenses infecti sunt. Hac etiam de causa* (inquit num. 2. ubi in priore asserit negasse eos B. Mariæ Virginis, & Sanctorum suffragia) *Magistri eorum non injungunt suis confitentibus Ave Maria. Et si Magistri eorum parvulis primo confitentibus injungunt Ave Maria, hoc faciunt, quia Neophytis eorum hoc nimium displicet, si quoquo modo ab Ave Maria prohibentur; maxime cum nondum idonei sint ad capiendum vel occultandum secreta.* Parisiis in Bibliotheca D. D. Colbert reperire est manuscriptum ubi tum interrogata Catholicorum, tum responsa Vvaldensium continentur. Quidam Vvaldensis, Thomas Quoti nomine, servata juris forma, in vallibus Diœceseos Taurinensis Inquisitoribus respondens inducitur *quemque Vvaldensem semel in anno Paschatis tempore recipere Christi Corpus, & quidem præmissa confessione, sed quæ Barbatis* (ita suæ sectæ ministros appellabant) *non autem Presbyteris communionis Romanæ fieret; Confitendi onus unicuique fideli incumbere, tum vero confessionem apud Barbatos debere fieri, cum penes eos tantum sit facultas absolvendi: Homines suæ sectæ solitos esse confiteri flexis genibus: Invaluisse apud eos morem pecuniam Barbatis offerre quoties confessiones exciperent: Barbatos pro satisfactoriis pœnis consuevisse eis injungere recitationem orationis Dominicæ aut Symboli Apostolorum, nusquam vero salutationis Angelicæ.*

In eo de quo hactenus confessionis usu Vvaldenses perstitisse sæculo decimo sexto colligitur ex testimonio Claudii Seyssel Archiepiscopi Taurinensis: Narrat nimirum illustrissimus præsul se in diligenti disquisitione de fide Vvaldensium qui in quibusdam suæ Diœceseos vallibus latitabant advertisse palmarium eorum errorem; *in Donatismo positum fuisse: ex eo autem principio collige eos nec penes summum Pontificem, nec penes Episcopos, nec penes Sacerdotes esse facultatem aut conficiendi corpus Christi aut absolvendi a peccatis, quod nempe* (inquiebant) *mores suos ad Apostolorum exemplum non exigerent.* Ea autem disquisitio anno 1517. habita est. Verum fidem quam Vvaldenses a prima sui ab Ecclesia Catholica defectione professi fuerant, in aliam mutarunt post exortam Calvinistarum hæresim. Ægidio teste in Hist. Eccles. Reform. c. 5. Bucerus, & Oecolampadius anno 1530. ab eis, si vellent reformatæ Ecclesiæ dare nomen, postularunt, ut revocarent articulum quo profitebantur auricularem Confessionem juris esse divini. Verum (ut ait idem Ægidius) Barbati seu Vvaldensium ministri obstiterunt, causati quod articuli illius proscriptione erroris labes iis inureretur qui ad ea usque tempora feliciter rexerant Vvaldensium Ecclesias. Sed quod tunc seu anno 1530. damnare detrectarant, proscripserunt postea; Anno nimirum 1536. agente Farello apud Genevenses pseudo Evangelii ministro, Calvinismum in omnibus capitibus amplexi, unam cum Genevensibus Synagogam constituerunt.

4. Thomas Vvaldensis apud Bellarminum scribit Vvicleffum ineunte sæculo 15. hæc duo de Confessione Sacramentali docuisse, 1. ejus institutionem nequaquam scripturis niti: 2. Manasse eam ex summorum Pontificum decretis quibus fideli populo injuncta fuerit. Verum iis quæ Thomas Vvaldensis asserit, addendum est Vvicleffum inutilem judicasse ejusdem confessionis usum: unde inter Vvicleffi articulos quos Constantiensis Synodus proscripsit, hunc numero septimum legere est: *Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.*

5. Apud illustrissimum Episcopum Meldensem Variationum libro III. Lutherani Confessionis auricularis praxim admittunt. In illius facti confirmationem duo argumenta a doctissimo Præsule proferuntur. 1. Laudatur Apologia Confessionis Augustanæ, in qua asseritur privatim a peccatis absolutionem in Confessionis usu retineri debere. 2. Laudatur editus a Luthero brevis Catechismus quo definitur teneri unumquemque peccata etiam occulta confiteri non coram Deo tantum, sed etiam coram illius ministro, qui iis auditis, pœnitenti absolutionem hisce

verbis

verbis impertiatur. *Ego, ex Christi mandato, remitto tibi peccata tua in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Sed (inquies) si quæ scribit mox laudatus Illustrissimus Episcopus veritate nitantur, in quo circa Confessionem Lutherus erravit? Respondent Catholici omnes errasse Lutherum 1. quod crediderit peccatorum Confessionem non esse necessariam necessitate medii, ut impius justitiam consequatur, contendit nempe eum justificari per actum fidei misericordiæ specialis; unde inter illius articulos damnatos a Leone Papa X. sic habet undecimus, *Nullo modo confidas absolvi propter tuam Contritionem, sed propter verbum Christi, Quodcumque solveris &c. Hic* (inquam) *confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.* Erravit 2. quod censuerit neminem debere confiteri peccata venialia, *Nullo modo præsumas* (verba sunt articuli 8. inter eos quos Leo X. proscripsit) *confiteri peccata venialia.* Bellarminus asserit Luterum errasse 3. quod docuerit necessariam non esse omnium ac singulorum peccatorum mortalium enumerationem, id vero probat tum ex articulo 8. ubi post errorem de peccatis venialibus, hunc alium de mortalibus subjungit, *Sed nec omnia mortalia.* Verum (reponit illustrissimus Episcopus Meldensis) Lutherus eo loci non loquitur de peccatis mortalibus quorum impius sibi conscius est, sed de iis tantum quæ illius cognitionem post examen diligens fugiunt, unde hæc subdit eodem in articulo; *Quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscat, unde in primitiva Ecclesia solum manifesta* (hoc est pœnitenti cognita) *mortalia confitebantur.* Confirmatur ea responsio ex eo quod Lutherus in brevi Catechismo, de quo mox dictum est, asserat pœnitentiam circa peccata mortalia debere confiteri quæ sibi in corde nota sunt. At (urget Bellaminus) si ita est, cur Lutherus usurpatam a Catholicis Confessionis praxim, animarum carnificinam appellavit? Respondeo Lutherum ut in hoc Ecclesiam Catholicam posset calumniari, imposuisse illi quod exigeret confessionem eorum etiam peccatorum mortalium, quæ menti post examen diligens non occurrunt, unde Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. eam calumniam depellit.

Quod de Luthero circa confessionem dictum est, admissum non fuit ab omnibus Ecclesiis, quæ illius reformationem amplexæ sunt. Joanni Brentio in Confessione Vuittembergensi art. 11. de Confessione, visum non est requiri specialem peccatorum Confessionem; contendit, nempe satis esse generalem, seu quæ fiat absque speciali peccatorum occultorum enumeratione. Martinus Kemnitius in 2. parte exam. cap. 5. de Pœn. idem dogma his verbis & explicat & probat: *Privata Confessionis usus apud nos servatur, ut generali professione peccati, & significatione pœnitentiæ petatur absolutio. Cumque non sine judicio usurpanda sit clavis vel solvens, vel ligans, in privato illo colloquio Pastores explorant auditorum judicia, an recte intelligant doctrinam de peccatoribus exterioribus & interioribus, de gradibus peccatorum, de stipendio peccati, de fide in Christum: deducuntur ad considerationem peccatorum: explorantur an serio doleant de peccatis; an iram Dei timeant, & cupiant illam effugere: an habeant propositum emendationis, interrogantur etiam si in certis quibusdam peccatis hærere existimentur, traditur illis doctrina & exhortatio de emendatione: quæritur vel consilium, vel consolatio in gravaminibus conscientiæ: & tali confessioni impertitur absolutio.* Ex quibus verbis patet Kemnitio satis esse generalem confessionem & instructionem pœnitentis.

6. Calvinus de Confessionis usu docet 1. eum non esse divini juris: *Miror* (inquit lib. instit. cap. 4. §. 7.) *qua fronte ausi sint contendere, Confessionem de qua loquuntur, juris esse divini.* Docet 2. antiquum quidem fuisse, sed liberum: *Cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur* (inquit ibidem) *sed quem facile evincere possumus olim fuisse liberum.* Docet 3. expedire ut Minister tum pro se tum pro populo generalem edat Confessionem: consulit quoque ut privata etiam ac specialis consulatur ubi quis maxime angitur peccatorum suorum sensu: *Hinc sequitur* (ait) *ejusmodi Confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantum commendetur qui ea se opus habere intelligent. Deinde ne ii ipsi, qui illa utuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur: Sed quo ad interesse sua putabunt, ut solidum consolationis fructum referant.* Docet 4. Confessionem, ut editur in Ecclesia Romana, tollendam esse e medio quod fidelibus magno sit detrimento, *Nihil mirum* (inquit §. 19.) *si auricularem illam Confessionem, rem adeo pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ noxiam, damnamus ac sublatam e medio cupimus.* Iis Calvini dogmatis adhærent omnes Synagogæ quas ad Calvini regulam reformatas passim appellant.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Confessionis auricularis usus quovis seculo apud fideles obtinuerit.

NON omnes hic cujusque ætatis scriptores laudabimus, sed præcipuos tantum, & quidem qui diserte de auriculari Confessione locuti fuerint.

§. I.

Proferuntur pro Confessionis auricularis usu prioris & secundi seculi scriptores.

NOnnulli scriptores Catholici hic laudant S. Clementis Epistolam secundam ad Corinthios ubi hæc habentur. *Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum habemus tempus pœnitentiæ. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere.* S. Pontifex Confessionem opponit actioni pœnitentiæ. *Non possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere*: Ergo per pœnitentiam intelligit satisfactionem, & per confessionem intelligit peccatorum accusationem. Iidem scriptores laudant quoque Dionysium Areopagitam qui in Epist. ad Demophilum Monachum, sic loquitur: *Tu vero ut tuæ litteræ declarant, accedentem Sacerdoti illum, quem impium & peccatorem dicis, nescio quomodo per te præsens repuleris: tum ille quidem deprecabatur, & fatebatur se ad malorum medicinam advenisse: tu autem nihil verius, bonum Sacerdotem cum quadam insolentia convitiatus es quod miseraturus esset pœnitentis, atque impium justificasset.* Ea Dionysii verba exhibent nobis impium qui ad genua Sacerdotis provolutus, peccatorum veniam deposcit; qui ab eo tamquam a medico exorat spirituale pharmacum, quo vulnera curentur: Exhibent & Sacerdotem qui petitam veniam indulgeat, qui sufficiat optatum pharmacum, qui reum & iniquum justificet. Exhibent igitur auricularis confessionis, & absolutionis Sacramentalis usum; nec enim aliter quam per absolutionem Sacerdos potest impium justificare, nec impius ab illo tamquam a medico pharmacum exposcere, quin vulnera etiam occultissima detegat. Verum cum inter doctos non constet quod Epistolæ mox laudatæ germani sint fœtus authorum quibus adscribuntur; prætermissis argumentis, quæ ex iis pro Confessionis auricularis usu erui possunt, proferamus oportet monumenta alia, de quorum antiquitate & veritate nullus ambigat.

Primo. Laudari potest S. Irenæus qui Policarpum Joannis Apostoli discipulum audiit. Libro 1. adversus hæreses cap. 9. narrat quemdam hæresiarcham, Marcum nomine, mulieres quasdam non modo hæresi seduxisse, sed etiam amatoriis pharmacis in sui libidinem pellectas corrupisse. *Adbuc etiam & amatoria & adlectantia efficit, ut & corporibus ipsorum contumeliam irroget hic idem Marcus quibusdam mulieribus, etsi non universis.* Addit laudatus Martyr mulieres illas post suum in Ecclesiam reditum crimina hujusmodi sæpius cum ingenti dolore confessas fuisse: *Hæc* (inquit) *sæpissime*

converse ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt, & secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, & inflammatas valde illum dilexisse. Negari non potest flagitiosam mulierum illatum cum Marco conjunctionem fuisse occultissimam: negari quoque non potest eas illud crimen in Ecclesia confessas fuisse: Ævo igitur Irenæi peccata occulta confitendi obtinebat usus in Ecclesia Catholica.

Nec alicujus est momenti quod adversarii reponunt, nempe confessionem mulierum de quibus Irenæus, fuisse spontaneam occulti criminis declarationem cuique fideli ultro factam. Nam religiosam fuisse illam declarationem colligitur primo ex eo quod ab Irenæo mulierum conversioni adscribatur: *Conversæ* (inquit) *ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt.* Colligitur secundo ex cujusdam Diaconi uxoris confessione quam idem Irenæus mox hisce verbis describit tom. 1. Magnæ Bibliothecæ Patrum, Anissonianæ editionis: *Ut & Diaconus quidam eorum qui sunt in Asia, suscipiens eum in domum suam, incidit in hujusmodi calamitatem. Nam cum esset uxor ejus speciosa, & sententia, & corpore corrupta esset a mago isto, & secuta cum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in* Exomologesi *consummavit, plangens, & lamentans ob hanc quam passa est ab hoc mago corruptelam.* Piam vero & religiosam fuisse hujusce mulieris Exomologesim, sive Confessionem, laudata Irenæi verba, *Plangens, & lamentans* demonstrant: Ejusdem igitur generis fuit Confessio aliarum mulierum, quas ex Irenæo, Marcus hæresiarcha corruperat. Nec obstat quod ea mulierum confessio non coram Sacerdote tantum, sed etiam coram toto populo fideli edita fuerit. Non obstat (inquam: Siquidem (ut inferius multis argumentis ostendetur) per quatuor priora sæcula, & amplius, dum pœnitens occulta peccata secreto Sacerdoti aperiebat, sæpius jubebatur ea publicis in synaxibus palam confiteri: unde concludit publicam confessionem mulierum quas Marcus corruperat, pensum fuisse quod Sacerdos privatim illis injunxerat.

Secundo. Tertullianus qui labente sæculo secundo floruit, quinam in causa de qua agitur, in Ecclesia Catholica vigeret usus, aperte declarat libro quem Catholicus scripsit de Pœnit. cap. 9. ubi si loquitur. *Tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Hujus igitur pœnitentiæ secundæ, & unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est; ut non sola conscientia, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, Exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Tertulliani igitur ætate fideles peccata confiteri consueverant.

Nec valet quod reponunt nonnulli ex adversariis, Tertullianum eo loci non agere de Confessione quæ fiat Sacerdoti, sed Deo tantum, *Exomologesis est* (inquit) *qua delictum Domino confitemur.* Non valet (inquam) siquidem eodem capite 9. ait aliquos esse qui præ verecundia, & pudore confiteri detrectent quod intelligant ejusmodi Confessione sua delicta propalari: *Plerosque tamen* (inquit) *hoc opus, ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores quam salutis.* Detrectantes peccata detegere comparat cum iis qui in partibus quas pudor nominare non finit; faucii ac vulnerati morbum non accusant, veriti ne aliqua sibi ignominia irrogetur: *Velut illi* (ait) *qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Verum quis præ verecundia, & pudore detrectat Deo confiteri, quis ignominiam veretur ex confessione, quæ Deo soli fiat: quasi vero aliquem fidelem reperire sit qui non profiteatur Deum cujusque peccata vel occultissima non latere.

Inane pariter est eorum effugium qui respondent Tertullianum loqui de confessione peccatorum quæ publica sint, non autem occulta. Quasi vero pudore quis suffundi possit in declarandis flagitiis quæ neminem lateant, eum tamen pudorem Tertullianus supponit impedimento quibusdam fuisse ne peccatorum exomologesim facerent. Præterea eos qui peccata confiteri detrectarent, comparat iis qui in secretioribus ac verecundioribus corporis partibus laborantes, medico morbum suum aperire verentur. Tandem ejusdem libri de pœnitentia cap. 11. conceptis terminis definit cuique onus incumbere omnia omnino, seu sine exceptione, cujusvis generis peccata confitendi: *Cui præministrans pœnitentiam destinabat purgandis mentibus propositam, uti* QUIDQUID *error vetus inquinasset,* QUIDQUID *in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens, & radens, &* FORIS ABJICIENS, *mundans pectoris domum superventuro Spiritui sancto paret, quo se ille cum cœlestibus bonis libens inferat.* Idem adhuc clarius laudatus scriptor asserit capite 4. vult enim, ut interioris concupiscentiæ peccata confessioni subjiciantur: *Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem, & veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad populum: Pœnitere, & salvum faciam te.* Quo quidem in loco per pœnitentiam intelligit non satisfactionem tantum & Contritionem, sed ipsam etiam Confessionem, cum ut superius observatum est, Tertullianus cap. 9. asserat, *Satisfactionem Confessione disponi, Confessionem pœnitentia nasci, pœnitentia Deum mitigari.*

Tertullianus Confessionis usum non probavit modo antequam a Catholicis schisma fecisset, sed etiam ubi ad Montanistas defecit, seu docuit, & apud Catholicos, & apud Sectarios quemque lapsum consuevisse peccata sua vel occultissima Sacerdotibus confiteri. Superius, paginis nempe 314. 315. recensuimus varias peccatorum divisiones, quas Tertullianus tradit libro de pudicitia, quem factus Montanista conscripsit: observavimus inter peccata quæ vocat remissibilia, reperiri plurima quæ maxime occulta sint, nec non inter ea quæ vocat irremissibilia: observavimus iterum ex eodem Tertulliano priora, etiam apud Montanistas, dimissa fuisse per Ecclesiæ claves; posteriora vero, licet per claves Ecclesiæ non dimitterentur, impositam tamen fuisse satisfactionem canonicam: Necesse igitur erat, ut apud Montanistas Confessionis usus tam in peccatis remissibilibus quam in irremissibilibus obtineret: *Secundum hanc differentiam delictorum* (inquit lib. de pudicitia cap. 2.) *Pœnitentiæ quoque conditio discriminatur. Alia erit quæ veniam consequi possit* (ab Ecclesia, *in delicto scilicet remissibili: alia quæ consequi nullo modo possit* ab Ecclesia, licet a Deo obtinere valeat) *in delicto scilicet irremissibili.*

§. II.

Proferuntur testes tertii sæculi pro Confessionis auricularis usu.

Cyprianus non minus aperte testatur Confessionis usum obtinuisse tertio sæculo, quam Tertullianus secundo. Primo Sanctus Martyr crimina in tres species partitur, in Gravissima, Minora, & Levia. Priorum nomine, ea tantum intelligit quæ immediate sunt contra Deum: ut sunt Christi abnegatio, & Idololatria, per altera intelligit ea quæ sunt aut in proprium corpus, aut in corpus proximi, ut sunt Homicidium, Mœchia, eorumque species: per tertia tandem intelligit quædam, quæ mortalia sunt quidem, sed quæ prioribus multo leviora sint, ut sunt aut ira, aut ebrietas. Secundo: Asserit S. Doctor ob triplicem illam peccati speciem, pœnitentiam agi debere antequam lapsi ad communionem admittantur, cum hoc tamen discrimine, quod qui aut in Gravissima aut in Minora crimina incidissent, canonicam pœnitentiam agerent; qui vero in Levia, agerent quidem, sed levem, & ad Sacerdotis arbitrium institutam. *Cum* (inquit Epist. 12.) *in Minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur pœnitentia agatur justo tempore, & Exomologesis fiat inspecta vita ejus qui agit Pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit,*

possit, nisi prius illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita; quanto magis in his gravissimis, & extremis delictis caute omnia, & moderate secundum disciplinam Domini observari oportet? Atqui, si pro singulis illis peccatis ab Episcopo imponi debuerit pœnitentia, quæ a Lapsis perageretur, oportuit hujusmodi lapsos Sacerdotibus confiteri scelera in quorum pœnam infligebatur illa pœnitentia; quomodo enim satisfactio, quæ justo tempore fieret, quæ foret plena, injungi potuit ob crimina quæ Episcopum aut presbyterum latuissent?

Nec hæterodoxi argumenti vim enervant cum reponunt peccata, pro quibus Episcopi, ex S. Cypriano, piaculares pœnas injungebant; fuisse publica, ac proinde opus non fuisse ut reorum confessione detegerentur.

Non enervant (inquam) Nam primo ut observat Morinus noster lib. 2. de administratione Sacramenti pœnitentiæ cap. 5.) homicidium & Mœchia, eorumque species, occultissima erant, tum quod alioquin Homicidæ, peccati sui confessione, capitis pœnam accersivissent sibi, cum leges imperiales eo supplicio in homicidas animadverterent, tum quod etiam Mœchia ubi innotuisset, in mulieribus conjugatis eadem pœna castigaretur: tum denique quod immania luxuriæ peccata, ea sint quæ nec protervi homines palam admittere audeant. Secundo Cyprianus lib. de Lapsis esserit peccata in Deum, etiam occultissima pœnitentia quam Sacerdotes injunxissent, expiari debuisse antequam rei se se suscipiendis Sacramentis ingererent. Tertio. Idem S. Martyr docet eos qui peccato laboribus pœnitentiæ minime purgato, audent accedere ad altare Domini, posse quidem Ecclesiam fallere, quod eam lateat admissum crimen; non vero Deum quem nihil fugit: *Derideri* (inquit) *& circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi. Plus imo delinquit, qui secundum hominem Deum cogitans, evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit. Christus in præceptis suis dicit, Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis. Et Christianum se putat, qui Christianus esse confunditur aut veretur?* Quarto. Idem S. Doctor multis insectatur ministros qui lapsos nondum functos pœnitentia admittebant ad mysteriorum participationem. Ergo, si publica fuisset ejusmodi lapsorum defectio, ipse Cyprianus ante actam legitimam pœnitentiam nusquam eis sacra dispensasset: at dispensavit tamen quod nempe quasi semper stetissent, cum aliis fidelibus irreperent: *At vero* (inquit lib. de Lapsis) *ea quæ ætate provecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum, sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit, impunitum diu non fuit nec* OCCULTUM *dissimulatæ conscientiæ crimen: Quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.* Quinto. Idem S. Præsul Idololatris impœnitentibus objicit fidem, ac pietatem eorum, qui Sacerdotibus confitebantur vel ipsam de idololatria cognitionem, sed consentione firmatam. *Denique* (ait) *quanto & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non deridetur.* Jam vero si quid magis occultum quam internam mentis cogitationem adversarii fingere possint; afferant, per nos licet, Cypriani ætate usum Sacerdotibus confitendi occulta peccata in Ecclesia Catholica non obtinuisse. Sexto. Tandem S. Cyprianus examini subjicit circumstantias, quæ & crimen minuunt, & occultius efficiunt, aitque eas circumstantias lapsos non eximere a Confessionis necessitate, licet nonnulli ex peccati gravitate detrahant: *Minus sane peccaverit*) ait) *non videndo idola, nec sub oculis circumstantis, atque insultantis, sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibis ora, manducando. Hoc eo proficit ut sit minor culpa, non & innocens conscientia. Facilius potest ad veniam criminis pervenire, non est tamen immunis a crimine. Nec cesset in agenda pœnitentia, atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.* Ex eo principio, nempe quod circumstantiæ non tollant crimen, licet minuant, S. Cyprianus concludit iis non minus incumbere debitum confitendi quam cæteris qui gravius peccarant: *Confiteantur* (inquit) *singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotem apud Dominum grata est.*

Adeo verum est confessionis usum obtinuisse in Ecclesia Catholica Cypriani tempore, ut ii qui tunc ab ea schisma fecerunt, illum in suis synagogis retinuerint. Hujusce operis pag. 314. 315. observatum est Novatianos, qui tunc primum exorti sunt, idem asseruisse quod prius Montanistæ defenderant, nempe quædam esse peccata quæ per claves Ecclesiæ dimitti non possint, alia vero quæ acta legitima pœnitentia iisdem clavibus possint dimitti. Atqui Novatiani singula utriusque illius generis peccata Sacerdoti confitebantur tum, ut minus gravium veniam per Sacerdotis ministerium consequerentur, tum, ut infligeretur pœna pro maxime gravibus exolvenda, qua non quidem ab Ecclesia, sed a Deo ipso remissionem obtinerent: *Arbitror* (inquit S. Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 5. ubi Novatianos insectatur) *quod etiam Judas potuisset tanta Dei miseratione non excludi a venia, si pœnitentiam non apud Judæos, sed apud Christum egisset: Peccavi.* (inquit) *quod tradiderim sanguinem justum. Responderunt: Quid ad nos? Tu videris. Quæ vox alia vestra est, cum etiam minoris peccati reus vobis factum proprium confitetur? Quid respondetis aliud, nisi hoc, Quid ad nos? Tu videris. Hunc sermonem laqueus sequitur.*

Non in occidente tantum, ut mox ostensum est, sed etiam in Oriente, tertio Ecclesiæ sæculo vigebat Confessionis usus, idque variis Origenis textibus potest demonstrari. Homilia secunda in Leviticum, enumeratis sex modis, quibus in nova lege remissio peccatorum obtinetur, Baptismo scilicet, martyrio, eleemosyna, charitate, & aliis, asserit septimum esse per pœnitentiam, quæ peccatorum Confessionem Sacerdoti factam complectatur: *Est adhuc* (inquit) *& septima licet dura, & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundum eum qui ait, Pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei; in quo impletur & illud, quod Apostolus dicit: Si quis infirmatur, vocet Presbyteros &c.*

In ea Origenis sententia omnia fere continentur quæ Catholici de Confessione docent: Nam primo asseritur pœnitentia, cujus partem Confessio constituat, deleri peccata post Baptismum commissa: secundo peccatorum etiam occultorum confessionem fideles tertio sæculo in Orintem ad praxim redegisse, ut veniam consequerentur: tertio ejusmodi confessionem non Deo tantum seu interius, sed etiam hominibus seu exterius, solitam fuisse fieri: quarto illius Confessionis ministrum fuisse non populi seniores, de quibus Calvinistæ hoc Jacobi verbum *Presbyteros*, interpretantur, sed (ut ait Origenes) Domini Sacerdotes, seu qui peculiari ritu Christi ministri inaugurati fuerint.

Verum (inquies cum Dallæo nuper pseudo-Euangelii apud Calvinistas Gallos Minister) Si, ex Origene, pœnitentia quæ partim constet ex peccatorum Confessione, delicta remittit, cur idem Origenes hominem Ecclesiæ Catholicæ domesticum, ante verba, de quibus agitur, sic loquentem inducit? *Sed fortasse dicent auditores Ecclesiæ: Melius fere agebatur cum antiquis, quam nobiscum, ubi oblatis diverso ritu sacrificiis peccantibus venia præstolabatur. Apud nos* (de Christianis loquitur) *uno tantum modo venia est peccatorum, quæ per lavacri gratiam in initiis datur. Nulla post hæc peccanti misericordia, nec venia ulla conceditur.* Resp. Christianum illum loqui non ex mente Catholicorum, sed Montanistarum, quorum hæresis eo tempore nondum penitus evanuerat; unde Origenes illum mox comprimit,

repo-

reponens falsum ab eo supponi, recensetque septem modos quibus in nova lege peccatorum aut venialium aut mortalium remissio comparetur.

Idem author Homil. 3. in Leviticum asserit quod sicut in die judicii omnia hominum peccata vel occultissima, propalanda sunt a diabolo: ita si hic velimus eorum veniam consequi, necesse sit ut omnia sive opere, sive verbo, sive cogitatu Sacardoti prodamus: Siquidem in hæc Levitici verba: *Si peccaverit unum ex istis, pronunciet peccatum quod peccavit*, sic loquitur: *Est aliquod in hoc mirabile secretum. Etenim omni genere pronuncianda sunt, & in publicum proferenda cuncta quæ egerimus, si quid in occulto gerimus si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri: proferri autem ab illo, qui & accusator peccati est, & inventor, ipse enim nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam, cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita præveniamus eum, & ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri & accusatorie effugimus: sic enim & alibi Propheta dicit; Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Ea vero Origenis verba detorqueri non posse in confessionem quæ Deo soli fiat, ex eo evidens est quod asserat unumquemque debere propalare sua crimina: *Necesse est* (inquit) *cuncta publicari. Pronuncianda sunt & in publicum proferenda.* Non posse pariter adversarios confugere ad peccata publica, quorum (inquiunt) confessio fuit semper necessaria ad fidelis populi ædificationem; ex eo demonstratur quod Origenes conceptis terminis contestetur cuncta peccata accusari debere, & ipsa etiam quæ sunt occultissima, quæque cum cogitatione tantum admissa sint, Deo soli sunt cognita.

Mox laudatis ex Origene textibus tertium adjungimus ex ejusdem authoris Homil. 2. in Psalmum 37. Eo nimirum loci asserit primo præcipere Scripturam ne quis occultum suum scelus celaverit: *Vide ergo* (inquit in hæc Psalmi verba) *Quoniam iniquitatem meam pronuntio: Quid edocet nos scriptura divina quia oportet peccatum non celare intrinsecus.* Asserit secundo peccatorum confessionem necessariam esse ut impius eorum veniam consequatur, sicut necesse est ægroto ut noxium humorem vel phlegma excuriat ex stomacho: *Fortasse enim* (ait) *sicut ii qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis, stomacho graviter & moleste immanentia, si vomuerint, revelantur: ita ii qui peccaverunt, siquidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, & propemodum suffocantur a flegmate vel humore peccati: Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam.* Asserit tertio non cuique ministro reum confiteri debere, sed tantum peritissimo: *Tantummodo* (ait) *circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit disciplinam, ut ita demum si quid ille dixerit qui se prius eruditum medicum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, facias & sequaris.* Asserit quarto impio qui confessus est, onus spirituali medico obediendi adeo incumbere ut scelus suum publica confessione eluat, si id ipsi ita visum fuerit: *Si intellexerit & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione & satis perito Medici illius consilio procurandum est.* Ea Origenis sententia cuncta complectitur quæ Catholici de Confessione Sacramentali credunt, demonstrantque tertio sæculo illius usum apud Orientales obtinuisse.

Respondent adversarii Origenem non asserere eam confessionem complexam fuisse cuncta sigillarim peccata. Sed inane est illud effugium: licet enim confessio publica quæ fiebat ea ministri consilio, non esset de omnibus singillatim peccatis, privata tamen quæ fiebat in aurem Sacerdotis, cuncta lethalia complectebatur; id enim asserit author (ut observavimus) Homil. 3. in Leviticum, & hic etiam implicite asserit dum peccatum comparat cum humore noxio quo stomachus gravetur, quoque liberari non possit nisi ille humor foras evomatur ab infirmo. Præterea particulari cunctorum peccatorum confessione opus erat, ut judicaret medicus quænam (ut ait Origenes) publica confessione curari deberent.

Verum (ajunt adversarii) Origenes non asserit Medicum illum cui impius scelus suum confitetur, debere esse Sacerdotem: ac proinde ex illius textu usus Confessionis auricularis, qualis nunc fit in Ecclesia Romana, nequaquam evincitur. Equidem fateor eo loci Sacerdotem nominatim, & expresse non designari, sed cum Origenes homilia secunda in Leviticum conceptis terminis testetur eam confessionem fieri solitam fuisse Sacerdoti; *Et non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum &c.* nemo inficias ibit eum hic de confessione loqui, quæ, ut ferebat mos cujus prius meminerat, apud Sacerdotem fieri consueverat.

§. II.

Ostenditur ex variis authoribus Confessionem auricularem ubique quarto sæculo fuisse in usu.

Hoc in paragrapho proferemus primo authores Latinos quarti sæculi: secundo Laudabuntur Patres Græci ac ex eorum cum Latinis consensu facile colligetur confessionis auricularis usum ubique apud Christianos obtinuisse quarto Ecclesiæ sæculo.

Primo Eusebius Cesariensis lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 34. hæc scribit de Philippo quem plerique veteres primum Imperatorem Christianum existimant: *Interea cum Gordianus sex tatis annis Romanum imperium administrasset, Philippus una cum Philippo filio in ejus locum successit. Hunc utpote Christianum, fama est in postrema Paschæ vigilia precationum in Ecclesia participem simul cum reliquo populo fieri voluisse: Sed Episcopum qui huic Ecclesiæ præerat, non prius illi aditum permisisse, quam Confessionem fecisset, iis qui humanitus lapsi fuerant, & in pœnitentium ordine stabant, se se adjunxisset. Quippe ob multa quæ commiserat crimina, numquam omnino ab Episcopo fuisset admissus, nisi id prius fecisset. Et Imperator quidem libenter obtemperasse dicitur, sincerumque ac religiosum affectum timoris Dei operibus ipsis declarasse.* Exomologesis ergo prout & peccatorum confessionem & injunctam a Sacerdote satisfactionem complectitur, erat in usu in Ecclesia Romana; alias enim Episcopus Romanus ad eam non adegisset Imperatorem lapsum.

Nec obstat quod factum, quod Eusebius refert, dubiæ sit fidei, imo secundum plerosque scriptores omnino falsum: Hoc siquidem certo supponit, iis nempe a quibus Eusebius illud didicerat, persuasum fuisse lapsos Philippi Imperatoris ætate Romæ cogi solitos fuisse ad peccatorum confessionem: id quoque perspectum fuit ipsi Eusebio: si enim confitendi mos tunc Romæ non invaluisset, Eusebius ex eo sumpsisset argumentum rejiciendi quæ alii scripserant de facta a Philippo exomologesi, tantum abest ut retulisset eam exomologesim tamquam factum quod veritate niteretur.

Non obstat quoque quod exomologesis nomine quo Eusebius utitur, intelligi possit satisfactio qua lapsi alias damnabantur & nunc etiam damnantur: cum idem Eusebius confessionem a satisfactoriis pœnis expresse distinguat. *Non prius illi aditum permisisse, quam Confessionem fecisset, ii qui humanitus lapsi fuerant, & in pœnitentium ordine stabant, se se adjunxisset.* Non obstat denique quod Eusebius non scribat Philippo injunctam fuisse *omnium* peccatorum confessionem ut nunc in Ecclesia Romana præcipitur: quippe quod Eusebius injunctam Philippo confessionem non contrahat ad quædam tantum attrociora scelera, sed indiscriminatim ad ea quorum Imperator reus erat, *Quippe* (ait) *ob multa quæ commiserat crimina.*

Secundo. Eidem Confessionis auricularis usui patrocinatur Lactantius qui obiit anno 328. Explicans libro 4. Institutionum cap. 17. qua ratione circumcisio veteris legis adumbraret peccatorum confessionem, quæ fit

io

in nova, sic loquitur: *Quoniam pars illa corporis quæ circumciditur, habet quamdam similitudinem cordis, & est pudenda; ob hanc causam Deus nudari eam jussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involuctum pectus haberemus, idest, ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mensura est. Volens enim vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere pœnitentiam nobis in illa circumcisione proposuit: ut si cor mundaverimus, idest, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus & admissa sua celantibus denegatur ab eo qui non faciem, sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuetur.* In ea Lactantii verba lector observet primo velle eum ut peccator omnia, vel occultissima peccata confiteatur: *Ne quod pudendum facinus intra conscientiæ secreta velemus.* Secundo. Cunctos qui lapsi sint illi legi subjectos esse. *Contumacibus* (*inquit*) *& admissa sua celantibus venia* a Deo *denegatur*. Tertio. Eo loci non agi de confessione quæ soli Deo fiat: agitur nempe de ea per quam ipsis etiam hominibus peccata declarentur: *Venia denegatur ab eo qui non faciem, sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuetur.* Quarto. Sacerdoti fieri illam confessionem; nusquam enim fidelium cœtui facta est publica peccatorum confessio, quin prius in aurem Episcopi aut Presbyteri Pœnitentiarii facta fuisset, ut ex Origene superius ostensum est, & infra iterum ostendetur ex Socrate & Sozomeno, aut saltem quin prius secundum disciplinam quæ aliquando obtinuit, facta fuisset senatui Presbyterorum, qui simul de satisfactione injungenda deliberarent.

Tertio. S. Hilarius Episcopus Pictaviensis qui fato functus legitur anno 367. hæc habet in Commentario in Matthæum p. 398. editionis Parisiensis ann. M. DC. LII. *Ad terrorem autem metus Maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quos in terris ligaverint, idest, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint Confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolica conditione sententiæ in cœlis quoque absoluti sint aut ligati.* Ex eo S. Hilarii loco duo inferuntur. Primo Christum Apostolis concessisse potestatem dimittendi peccata. Secundo. Eam absolutionem consequi eorumdem peccatorum confessionem.

Nec audiendi sunt ii qui cum Dallæo lib. 3. de Confessione cap. 9. reponunt loco hujus vocis *Confessione* legi debere, *Concessione*, itaut is sit Hilarii sensus: *Solverint concessione videlicet veniæ &c.* Non sunt (inquam) audiendi, tum quod Dallæus nullum codicem M.S. proferat quo nitatur restitutio grammatica quam tentat; tum etiam quod vox *Confessione*, legatur in ipsa etiam Erasmi editione, apud quem auricularis confessio fertur non bene audisse: tum denique quod Hilarii verba, ut modo jacent, hunc reddant sensum: *Confessione quæ videlicet sit causa veniæ*: nec mirum; siquidem Hilarius confessionem & satisfactionem ipso veniæ nomine appellat in Psal. 118. *Quia vero,* (inquit) *peccati confessio est sine intermissione temporis pœnitere, hac venia peccati est fonte fletuum flere, & largo lacrymarum imbre madefieri.*

Quarto. S. Pacianus Episcopus Barcinonensis qui senio confectus, Theodosio Magno imperante, diem clausit ultimam, hæc habet ibi Parænesi sive exhortatione ad pœnitentiam: *Tertio de his erit sermo qui confessis bene apertisque criminibus, remedia pœnitentiæ, actusque ipsos exomologesis administrandæ aut nesciunt, aut recusant.* Sed ne quis procaciter contendat loqui eum de solis peccatis publicis, obstat comparatio qua mox hisce verbis utitur ut illos peccatores arguat: *Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos.* Obstant quoque hæc alia ejusdem S. Episcopi verba: *Quid facis tu qui decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenam scientem probandi difficultate confundis?* in iis nimirum verbis distinguit peccata quæ Sacerdotem plane fugiant ab iis quorum semiplenam cognitionem habuerit. Tandem idem S. Præsul contra Novatianos contendit penes Ecclesiam esse omnium omnino peccatorum dimissionem: Ergo omnium confessionem prærequirit: nec enim Ecclesia per claves relaxare potest quod eam prorsus fugerit.

Quinto. Quarti sæculi pro Confessione auriculari testium Latinorum agmen claudet S. Ambrosius, qui reparatæ salutis anno 397. fato functus est. Primo Præsulem SS. excipiendis fidelium confessionibus multam operam navasse narrat Paulinus Presbyter in ejus vita, quam Augustino rogante conscripsit: sic enim loquitur: *Siquidem quotiescumque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut & illum flere compelleret: videbatur enim sibi cum jacente jacere.* Asserit eum peccatorum quæ a pœnitentibus audierat, respectu, fuisse secreti tenacissimum: *Indeque concluditur* fideles ipsi non manifesta tantum, sed & occultissima peccata in confessione detexisse: *Causas autem criminum,* (inquit) *quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines.* Addit & sibi & Ambrosio persuasum fuisse confessione allevari delicta: *Nam & secundum Apostolum, circa hujusmodi hominem confirmanda charitas est, quia ipse sui accusator est nec expectat accusatorem, sed prævenit, ut confitendo suum allevaret ipse delictum, nec habeat quod adversarius criminetur.* Etsi mirabilis sit ille Confessionis effectus, Paulinus tamen concludit, peccatori satis non esse Confessionem, nisi eam emendatio subsequatur: *Nam & ipsi pœnitenti non sufficit sola Confessio, nisi subsequatur & emendatio facti, ut pœnitens non faciat pœnitenda.* En iis Paulini sententiis constat primo fideles quarto labente sæculo crimina, vel occultissima solitos fuisse confiteri, eamque praxim probatam fuisse Ambrosio. Constat iterum non promiscuæ plebi aut alicui laico factam fuisse illam Confessionem, sed Sacerdotibus Domini, quos (ut ait Paulinus) Ambrosius & sua charitate & sua diligentia audiendis populorum confessionibus præformavit. Constat tandem contulisse Confessionem illam ad justificationem impii, licet non esset satis sine emendatione. Secundo. Quod Ambrosius suo exemplo comprobavit, scriptis mandavit suis: nam libro 2. de Pœnitentia cap. 3. docet reis qui peccata ut par est confessi fuerint, tradi debere Domini corpus, quo ipsis refundatur gratia cœlestis: *Etenim* (inquit) *quotiescumque sanguinem Domini sumimus, mortem Domini annunciamus. Sicut ergo semel pro omnibus immolatus est, ita quotiescumque peccata donantur, corporis ejus sacramentum sumimus, ut per sanguinem ejus fiat peccatorum remissio. Ergo evidentissime Domini prædicatione mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde & manifesta confessione peccati pœnitentiam gerant, sacramenti cœlestis refundendam gratiam. Unde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est.* Eam vero Confessionem non debere fieri Deo soli, sed & ministris Ecclesiæ ut per claves sibi creditas peccata dimittant; idem S. Doctor expresse asserit cap. 7. ubi enim hisce verbis lapsos monuit: *Timeamus Dominum; præveniamus eum confitendo peccata nostra,* hisce aliis increpat Novatianos qui Ecclesiæ vertebant crimini, quod lapsis omnibus quos, ut par erat, pœnituisset, indulgeret reconciliationem: *Nam & vos indignamini, & contra Ecclesiam congregatis concilium, qui videtis & mortuos in Ecclesia reviviscere, & peccatorum indulta venia resuscitari.*

Laudatis Ecclesiæ Occidentalis Patribus addendi sunt Orientales quo probetur in Ecclesia Orientali Confessiunis auricularis usum obtinuisse quarto sæculo.

Primo Patrum illorum agmen ducit Athanasius, qui Tomo 1. in hæc Evangelii verba: *Profecti in pagum qui ex adverso est, invenietis pullum alligatum &c.* Sic loquitur: *Quod si nondum soluta sunt vincula, tradas te ipsum discipulis Jesu: adsunt enim qui te solvant pro potestate ea, quam a Salvatore acceperunt: Quæcumque ligaveritis* (inquit) *in terra, erunt ligata in cœlis, & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cœlis, & si quibus remiseritis peccata, remittentur eis.* De omnibus vincu-

cu-

culis quibus quisque irretitus fuerit Athanasius loquitur; falsum enim est quod adversarii reponunt, agere scilicet eum tantum de idololatria, homicidio, mœchia, quæ canones publica pœnitentia damnaverant: quippe qui conceptis terminis ibidem avaritiæ, ebrietatis, ambitionis, usuræ & rapinæ meminerit. *Hic enim*, (inquit) *obvincitur avaritia, ille implicatur fornicationibus, alius ebrietate alligatur, alius rursum detinetur inani ambitione: est qui injurias faciat, est qui rapiat quæ sunt sui proximi & pauperis, alius usuram usuræ accumulat, & in summa, omnes laboramus nostris vitiis, & indigemus Salvatoris curatione, eoque opus habemus ut ad nos amandet discipulos suos, & liberent nos a diaboli compedibus.*

Secundo. Post Athanasium prodit Basilius qui consuetudinis de qua agitur, quarti sæculi testis est omni exceptione major. Primo. S. Doctor in Epistolis ad Amphilochium multa crimina occultissima damnat pœnitentia publica, ut inferius ostendetur cum disseremus de pœnitentia publica: At vero occulta crimina pœnitentiæ ministris alia via quam per reorum confessionem innotescere non poterant: vigebat ergo Confessionis usus Basilii ætate. Secundo. Asseruit & apud Monachos eam praxim viguisse: *Necessario* (inquit in Regulis brevioribus: Responsione ad quæstionem 288.) *iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*. Tertio. Obtinuisse eamdem praxim apud Moniales supponit quæstio centesima in brevioribus regulis: *Numquid conveniat, dum soror Presbytero confitetur, etiam Antistitam ipsam adesse*. Quarto. Omnes omnino populos sibi creditos hortatur ad edendam Sacerdoti peccatorum confessionem homilia in hæc verba: *Attende tibi ipsi*: sic enim loquitur: *Infirmitate laborantes hortantur medici, sibi ipsis ut attendant, neu quidvis negligant concernentium medelam, ac sospitatem. Nihilo secius sermo salutaris illius mandati, nempe animarum nostrarum medicus, misere affectam noxa lethalis peccati persanat animam exiguo hoc auxiliari antidoto. Itaque attende tibi ipsi ut pro delicti proportione huic quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & grave peccatum? Multa opus habes* CONFESSIONE, *lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso & continenti jejunio.*

Quinto. Cum idem S. Pater loquitur de modo comparandæ remissionis in antiqua lege, meminit quidem Confessionis, sed quæ non homini, sed Deo tantum fieret, sic enim homilia in Psalmum 27. Prophetam Regium loquentem inducit: *Non enim ut multis manifestus fiam, ore tantum fateor, sed corde ipso clausis oculis, tibi soli respicienti arcana, mecum ipse rugiens, ostendo meos gemitus. Non enim multis verbis mihi opus erat ad Confessionem, ad quam & cordis mei suspiria, & ex animæ penetralibus ad te Deum meum transmissi questus sufficiebant.*

Non possunt adversarii argumenti ex Basilio desumpti vim enervare distinctionibus, quæ illis ultro obviæ sunt quoties profertur antiquum aliquod monumentum in quo Confessionis fiat mentio. Nam primo reponere non possunt agere Basilium de Confessione quæ Deo soli fiat, cum expresse asserat fieri debere iis quibus in terris concessa est ligandi atque solvendi potestas. Nec secundo respondere possunt loqui S. Doctorem de Confessione eorum peccatorum quæ manifesta sint: prohibet nempe ne adsit Antistita dum Monialis confitetur. Dicere tertio non possunt spontaneam nec ex debito fuisse illam confessionem; nam ut observatum est, asserit Basilius eam necessario fieri debuisse; Sed de ea necessitate inferius suo loco dicetur; hic nobis satis est Confessionis usum evincisse.

Tertio. Gregorius Nyssenus non minus aperte quam Basilius usui Confessionis peccatorum occultorum testimonium perbibet: in Epistola Canonica ad Letoium Melitines Episcopum hæc habet capite 5. *Qui autem occulta subtractione, sibi alienum usurpat, ac deinde per confessionem peccatum suum sacerdoti aperit, studio quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit*. Qui ex adversariis contendunt nullam aliam antiquitus confessionem fuisse in usu quam quæ publicorum esset peccatorum, suum illud assertum concilient, si possunt, cum eo Nysseni canone. Idem S. Pater ibidem miratur cur antiqui Patres non determinarint in specie pœnam qua in avaros oporteat animadvertere, & cur eam, licet idololatriæ speciem, arbitrio Sacerdotis castigandam permiserint: *Altera autem idololatriæ species, sic enim Divinus Apostolus avaritiam appellat, nescio absque ulla pœnæ medela a Patribus prætermissa est .... Divinus Apostolus eam non solum idololatriam, sed etiam omnium malorum radicem, pronunciavit. Et tamen hæc morbi species nec considerata, nec ullo remedio, sed omnino prætermissa est*. At si illud avaritiæ crimen quod maxime occultum est, ætate Patrum de quibus Nyssenus loquitur, fideles non confitebantur, mirum eidem Nysseno videri non debuit, quod Patres illud nulla determinata pœna castigarint; nec enim decernuntur pœnæ in crimen quod Ecclesia nulla ratione nosse potuerit. Idem S. Doctor oratione decima contra Eunomium, facta enumeratione sacrorum rituum, quibus Ecclesia sua ætate uti consueverat, Baptismo & observationi mandatorum Confessionem adjungit; erat igitur in usum dum viveret: *Si enim* (inquit) *venerandorum, & honorabilium nominum sanctæ Trinitatis confessio est inutilis, inutiles etiam sunt Ecclesiæ ritus: in his autem ritibus est Sigillum, Deprecatio, Baptisma, peccatorum declaratio &c.*

§. IV.

Laudantur quinti sæculi testes pro usu Confessionis auricularis.

OMni exceptione majores sunt testes quorum suffragio pro quinto sæculo Confessionis usum adstruemus: sunt enim præ cæteris Innocentius Papa I. Hieronymus, Augustinus, Leo Magnus, Chrysostomus, Sozomenus.

Primo. Innocentius Papa I. in Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum data anno 416. cap. 7. sic loquitur: *De pœnitentibus vero, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubet dimitti cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de hoc sæculo absque communione discedat.*

In eum Innocentii textum observare est, primo expresse in eo fieri mentionem Confessionis: *Ut Attendat ad Confessionem pœnitentis*. Erat igitur tunc in usu ut pœnitentes confiterentur. Secundo. Confessionis nomine intelligi eam solam pœnitentiæ partem quam nos proprie Confessionem dicimus; quippe quæ ab alia actione seu satisfactione, quæ nonnumquam confessio improprie dicitur, aperte eo loci distinguatur, ubi enim assertum est *Sacerdotis est judicare, aut attendere ad confessionem pœnitentis*, hæc immediate subjiciuntur, *Et ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem*. Observare est tertio non agi eo Innocentii textu solum de peccatis publicis, sed etiam de occultis, tum quod de iis omnibus sit quæstio, quorum venia feria quinta ante Pascha debebat indulgeri, pœnitentes enim qui tunc reconciliabantur, in Paschate reficiebantur sacra communione. Observare est quarto illam confessionem fieri solitam fuisse Sacerdoti, cum Innocentius asserat Sacerdotis partes fuisse ponderare delicti gravitatem, *Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare &c.*

Secundo. Confitendi morem apud fideles quinto sæculo usurpatum fuisse, non minus aperte quam mox laudatus Innocentius Papa I. Profitetur Hieronymus, qui obiit anno 420. Cardinalis Bellarminus plura præfert ex illo S. Doctore loca pro usu Confessionis auricularis, duo tantum hic, sed quæ evidentissima sint, proponemus. In Commentario in caput de-

ci-

cimum Ecclesiastæ ad hæc verba, *Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam*: sic loquitur pag. 59. tomi 7. editionis Basileensis ann. 1535. *Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno infecerit; si tacuerit qui percussus est, & non egerit penitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri, Magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat*.

Non habet hic locum effugium adversariorum, qui contendunt agi de confessione publicorum peccatorum iis in textibus, quibus veteres usum confessionis adstruunt: Nam Hieronymus exprelse ait lapsum confiteri debere peccatum vel occultissimum; *Si quem serpens diabolus* OCCULTE *momorderit &c.*

Tutus quoque non est alius cuniculus quem agunt iidem adversarii, causati cuique lapso tunc liberum fuisse Confessionis usum. Siquidem primo hic nondum expendimus Confessionis necessitatem; de ea nimirum inferius fuse dicetur. Secundo. Hieronymus eo loci docet æquale esse debitum confitendi cum debito agendi pœnitentiam ut quis lapsus justificetur denuo: *Si tacuerit qui percussus est, & non egerit penitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri, Magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit*. Ergo quemadmodum Hieronymus censuit pœnitentiam necessario requiri: ita & Confessionem.

Heterodoxi etiam expugnantur in arce alia in quam passim se se recipiunt, contendentes Hieronymum aliosque veteres loqui de Confessione ceremoniali quæ coram plebe fieret, aut saltem apud Laicum quemque, modo vir frugi haberetur: Nam Hieronimus in loco de quo agitur, plebis nequaquam meminit, sed Ecclesiæ Magistri. *Nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri*: Magistri autem nomine S. Doctor Sacerdotem intelligit: ea nimirum voce utitur in Epistola ad Nepotianum, de Clericorum & Sacerdotum vita agens ut ipsos Sacerdotes significet.

Idem S. Doctor veritatem Catholicam de qua est quæstio, exprelse docet exponens hæc Evangelii verba, *Et tibi dabo claves regni Cælorum*: Sic enim lib. 3. Commentarii in caput 16. Mathæi loquitur: *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio: ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: Cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus; & si lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant: non quo Sacerdotes leprosos faciant & immundos; sed quo habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit: Sic & hic alligat, vel solvit Episcopus & Presbyter, non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit vel solvendus*. Ex iis vero S. Hieronymi verbis evidenter colligitur illius ævo peccatorum confessionem in usu fuisse apud fideles. Nam primo S. Doctor asserit quinti sæculi Ecclesiæ persuasum fuisse laborantes lepra spirituali, non posse curari nisi lepram suam Sacerdotibus manifestarint, quemadmodum affecti lepra corporali, in antiqua lege non censebantur restitui sanitati pristinæ nisi se se Sacerdotibus probandos ostendissent; *Legimus in Levitico de Leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus &c.* asserit secundu Sacedotes novæ legis non posse datam sibi solvendi aut ligendi potestatem executioni mandare, nisi audita peccatorum confessione: *Cum pecatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit quive solvendus*. At quinto sæculo Sacerdotes ligandi & solvendi datam sibi divinitus potestatem executioni mandabant. Fideles igitur eodem sæculo occulta peccata Sacerdotibus confitebantur. Tertio. Non de una tantum specie lepræ, sed de qualibet Sacerdotes antiquos judicasse Hieronymus asserit; Ergo nec una tantum species peccatorum, sed omnis omnino species Evangelicorum Sacerdotum judicio subjiciebatur quinto sæculo, seu omnia omnino crimina, non vero tantum, quæ magis capitalia sunt fideles Sacerdoti per confessionem aperiebant.

Tertio. Post Hieronymum prodit Augustinus qui decennio post, anno nimirum 430. excessit e vivis. Homilia 49. ex quinquaginta cap. 3. sic loquitur adversus adulteros: *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite penitentiam, qualis agitur in ecclesia Dei, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, Occulte ago, apud Deum ago: novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in celo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ?* In ea Augustini sententia patet primo quæstionem esse de peccatis occultis, cum in eorum vindictam impii adulteri occultam pœnitentiam se agere causarentur: *Occulte ago, apud Deum ago*, neque enim antiquis vel maxime impiis persuasum fuit satis esse pœnitentiam occultam pro peccatis publicis, cum tunc vigeret mos publicam agendi pro iis etiam quæ maxime forent occulta. Patet secundo, Augustini tempore Ecclesiam credidisse occulta crimina non expiari ut par est, per pœnas, quas sibi quisque occulte & pro arbitrio infligeret: *Agite penitentiam, qualis agitur in Ecclesia Dei, ut oret pro vobis Ecclesia*. Patet tertio, lapsos ab ipsamet Ecclesia addici solitos fuisse pœnitentiæ, ac eos, qui ea in parte judicium illius declinarent, inutiles reddidisse traditas Ecclesiæ claves: *Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ*, Patet quarto, ea ætate lapsos occulta crimina confessos fuisse; nec enim Ecclesiæ ministri datis sibi clavibus uti potuissent ad eos ligendos, quorum crimen eos omnino fugisset.

Monitum hic velim lectorem studiosum, quod licet Augustinus loco proxime laudato adulterii tantum meminerit, subjecerit tamen eidem legi seu agendæ, ex Ecclesiæ præscripto, pœnitentiæ, alia omnia crimina, quæ decalogo prohibentur; *Tertia actio* (inquit Sanctus Doctor homilia 50.) *est penitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*.

Eumdem Confessionis usum confirmant hæc alia Augustini verba hom. 27. ex 50. cap. 3. *Elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat, sicut sunt homines in confessione peccati agentes penitentiam, jam processerent a morte: nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est: Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in celo?* Eo in loco Sanctus Augustinus primo confert impium, qui jacet in peccato mortali, cum Lazaro, qui in tumulo jacet. Secundo. Addit peccatorem, dum confitetur & agit pœnitentiam, vivere quidem, sed vita, quæ non justificet, ac proinde eum procedere adhuc peccatis ligatum, quemadmodum suscitatus Lazarus procedebat ligatus institis. Tertio. Docet eam confessionem esse peccatorum, quæ sint occulta, *Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est*: Peccata enim publica nec occulta nec tenebrosa vocari possunt. Quarto. Asserit eamdem Confessionem fieri Ecclesiæ ministris, *Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ*, per suos ministros agenti, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt in celo?* Ergo Augustini tempore fideles soliti erant peccata vel occultissima ministris Ecclesiæ confiteri.

Quarto. Innocentii Papæ I. Hieronymi, Augustini testimonio addi debet suffragium Leonis Magni, qui obiit anno 461. Epist. 80. cap. 3. sic loquitur: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione sacrata. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium ejusmodi sunt peccata, ut ea qui penitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo: nec multi a penitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt; aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint*

legum

legum constitutionem percelli: Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari si populi auribus non publicatur conscientia confitentis. 1. Eo in loco agit S. Leo de consuetudine scripto mandandi singula peccata etiam occulta & sic exarata, coram omnibus confiteri: peccatis enim publicis locum non habet duplex ratio, qua S. Pontifex utitur ut consuetudinem illam abroget; quippe quod ideo eam abrogari velit, quod plerique erubescant peccata sua publicare, timentes ne veniant in inimicorum suorum notitiam: sicque pœnitentiæ remediis frustrentur: *Non omnium ejusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare ... nec multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli.* Secundo S. Leo vetat ne deinceps fideles cogantur quælibet occulta peccata confiteri: *Removeatur tam improbabilis consuetudo*. Tertio. Retineri vult secretam & auricularem confessionem, *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta*. Ergo Leonis Magni ætate solebant fideles, probante Ecclesia, peccata vel occultissima Sacerdoti confiteri.

Mox laudato ex Leone textui subjicitur alius ex Epistola 82. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus* (inquit) *hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri confessione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Eo loci S. Leo primo distinguit confessionem ab actione pœnitentiæ seu a satisfactione, vult nimirum illam isti præmitti debere: *Ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent*: Ac proinde præcluditur effugium adversariorum qui reponunt confessionem & actionem pœnitentiæ pro eodem sumi apud Patres. Secundo. Non distinguit S. Leo inter peccata occulta & publica, sed indiscriminatim ait remitti a Sacerdotibus quæ lapsi confessi fuerint: *Eosdem salubri confessione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. Præterea ibidem S. Papa asserit supplicationibus Sacerdotum, seu absolutione Sacramentali, remitti peccata quibus regenerationis dona violantur: *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenissent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri*. Atqui non tantum per peccata publica, sed etiam per occulta violantur regenerationis dona: Ergo cum idem Pontifex immediate post asserit Sacerdotes peccata dimittere confessis, non minus intelligendus est de iis qui peccata occulta quam qui publica, confessi fuerint. Tertio. Idem S. Doctor vult ut in aurem Sacerdotis non autem palam & publice fiat confessio de qua loquitur: ergo intelligi non debet de generali tantum publicorum peccatorum confessione, ut quid enim impius qui cæteris fuit scandalo, secreto indigeret, quo in genere, seu nulla peccatorum specialium facta mentione, se peccatorem profiteretur.

Quinto. Authoribus Latinis quos hucusque protulimus, adjungi debent Scriptores Græci, a quibus doceamur auricularem confessionem quinto sæculo non minus fuisse apud Orientales in usu, quam apud Occidentales.

S. Joannes Chrysostomus non Confessionis tantum meminit, sed & temporis quo ex Ecclesiæ Græcæ præscripto quondam fieret: *Quia* (inquit homil. 30. in Genesim) *in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii cursus intendendus, & magis continendæ sunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum confessio*: ne quis vero eam confessionem interpretetur de confessione quæ Deo soli fiat, impediunt hæc verba quæ relatis immediate subjiciuntur ab eodem Chrysostomo; *Scit inimicus noster quod per tempus illud possumus de iis, quæ ad nostram salutem attinent, loqui, & peccata declarare seu aperire & detegere vulnera medico, & sanitatem consequi*. Declarare autem, aperire, detegere respectu Dei cujus oculis nuda sunt omnia ac aperta, locum non habent. Ne quis quoque eamdem sententiam detorqueat in confessionem, quæ non sit singulorum peccatorum, quæ post diligens examen menti occurunt, vetat hæc S. Patris sententia homilia 9. in caput sextum Epistolæ ad Hebræos: *Non autem dicit: Sum peccator, ea autem per species non cogitat ac supputat, & non dicit, Hoc & illud peccatum admisi, numquam cessabit, semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis*.

Idem S. Doctor tom. 6. homilia de muliere Samaritana, ubi ostendit peccatum quod confessa est Christo, fuisse occultum. *Cœpitque deinceps aperire peccata sua mulier: cœpit deinceps confiteri, ac dicere, Non habeo virum*, Fideles adhortatur ne sub verecundiæ obtentu Sacerdotem celent crimina quorum rei sunt: *Imitemur* (inquit) *& nos hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubescamus sed Deum timeamus. Jam vero contrarium fieri video: Nam eum qui nos judicaturus est, non reformidamus; eos vero, qui nullatenus nos lædunt, perhorrescimus, & ignominiam ab ipsis inurendam reformidamus; quapropter in iis quæ timemus, pœnam sustinemus. Qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, & pœnitentiam agere; in die illa (extremi judicii) non coram uno vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur*. Evidens est ex ea Chrysostomi adhortatione fideles quinto Ecclesiæ sæculo apud Orientales peccata vel occultissima, non Deo tantum, sed & Sacerdotibus solitos fuisse confiteri.

Ex Socrate & Sozomeno historicis Græcis qui circa annum 440. obierunt Confessionis usum tum apud Orientales, tum apud Occidentales quinto sæculo invaluisse invictissime colligitur; Uterque nimirum narrat factum Nectarii qui abrogavit Pœnitentiarium Presbyterum constitutum judicem de occultis peccatis, quæ ad ædificationem fidelium pœnitens palam confiteri deberet: verum cum fuse eo de argumento dicturi simus ubi expendemus an Confessionis usus juris sit divini; satis esse censemus hic laudare Sozomeni sententiam: *Etenim* (inquit) *cum prorsus non peccare naturæ sit humanæ divinioris: pœnitentibus autem, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare Deus jusserit, ad impetrandam denique veniam confiteri peccata necessarium sit, odiosum, ut credibile est, Sacerdotibus ab initio visum fuit, tanquam in theatro: audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quam maxime spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem, huic officio præfecerunt: ad eum accedentes, qui peccaverant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille vero pro cujusque delicto quod aut facere singulos aut luere oporteret, interminatas absolvebat, ut a se, ipsi commissorum pœnas exigerent. At Novatianis quidem, quos pœnitentiæ nulla cura tangit, isto nihil opus fuit: in cæteris autem sectis, in hunc usque diem durat: sollicite autem in Occidentalibus Ecclesiis & maxime in Romana servatur*. Non possunt ii quos impugnamus illum Sozomeni textum ad Confessionem soli Deo factam detorquere: Ut quid enim audiendis Confessionibus præpositus fuisset Presbyter si uni Deo fideles tunc confessi fuissent? Non possunt quoque eumdem textum de confessione publicorum peccatorum exponere. Ut quid enim opus fuisset Presbyterum secretorum maxime tenacem audiendis confessionibus præficere, si fideles non alia quam publica peccata confiteri solerent.

§. V.

Proferuntur testes sexti sæculi pro usu Confessionis auricularis.

Auricularem Confessionem in usu fuisse, sexto sæculo fidem faciunt Cæsarius Arelatensis qui obiit anno 540. & Gregorius Magnus, qui anno 594. Joannes Jejunator qui anno 586. electus est Constantinopolitanus Patriarcha.

Pri-

Primo. Sanctus Cæſarius homilia 14. quam legere eſt, tomo 8. Magnæ Bibliothecæ Patrum editionis Aniſſonianę folio 833. aſſerit 1. neminem lapſum debere de Dei miſericordia deſperare. *Rogo vos* (ioquit) *fratres chariſſimi, ut ſi forte aliquis ex vobis, ut ſe habet humana fragilitas, calliditate diaboli fuerit ſuperatus, & capitalibus criminibus involutus, ſecundum quod ait Apoſtolus: ſi quis templum Dei in ſe violando deſtruxerit, de Dei miſericordia non deſperet &c.* Aſſerit ſecundo debere lapſos ſtatim ad pœnitentiæ medicameota confugere. *Si ſemel aliquis vel ſecundo peccaverit, & ſine aliqua diſſimulatione ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, priſtinam incolumitatem ſine aliqua mora recipiet.* Aſſerit tertio pœnitentiam complecti peccatorum confeſſionem; ita ut ſi quis ea confeſſus non fuerit, veniam ſperare non debeat: *Si vero peccata peccatis cœperit addere, & animorum vulnera tegendo vel defendendo putreſcere, quæ* CONFITENDO *& pœnitentiam agendo curare noluit, timendum eſt ne in illo impleatur illud, quod Apoſtolus dixit: An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit &c.*

Reſpondent adverſarii Cęſarium loqui de quibuſdam criminibus atrocioribus ac manifeſtis ut ſunt idololatria, Mœchia, & homicidium, oon autem de aliis peccatis mortalibus occultis, quæ minus gravia ſint; ita ut Cæſarius voluerit illa, non autem iſta, ſua ætate ſubjecta fuiſſe Confeſſioni.

Verum merum eſt effugium illa reſponſio. Nam primo ex ipſo Cæſarii textu evidens eſt capitalium criminum nomine intelligi quælibet mortalia crimioa, cum ex S. illo Præſule, capitalia crimina ea ſint per quæ Dei templum violatur: *Et ſi forte aliquis ex vobis . . . capitalibus criminibus involutus ſecundum quod ait Apoſtolus: Si quis templum Dei in ſe violando deſtruxerit &c.* Secundo. Idem S. Præſul homilia 8. inter capitalia crimina expreſſe recenſet plurima, quæ idololatria, mœchia, homicidio multo minus gravia ſuot, quæque nunc mortalia, ſimpliciter dicimus. *Et quamvis* (inquit) *Apoſtolus capitalia plurima commemoraverit: nos tamen ne deſperationem facere videamur, breviter dicemus, quæ illa ſint; Sacrilegium, homicidium, adulterium, falſum teſtimonium, furtum, rapina, ſuperbia, invidia, avaritia, & ſi longo tempore teneatur iracandia; ebrietas ſi aſſidua ſit, & detractio in eorum numero computantur.* Tertio. Eadem homilia octava S. Cæſarius Capitalia Crimina non opponit aliquibus, quæ mortalia ſint, ſed venialibus tantum quæ ipſe miouta appellat, nec alia recenſet, quæ inter venialia & capitalia media ſint: *Quæ tamen ſint minuta peccata, licet omnibus nota ſint, tamen quia longum eſt, ut omnia replicentur, opus eſt ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo, aut in potu plus accipit, quam neceſſe eſt, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur, quam oportet, aut plus tacet, quam expedit. Quoties, excepto deſiderio filiorum, uxorem ſuam cognoverit . . . hæc enim & his ſimilia ad minuta peccata pertinere non dubium eſt.*

Secundo. Gregorius magnus hom. 26. in cap. 20. Joannis, inter diſpoſitiones obtinendæ abſolutioni prærequiſitas, recenſet peccatorum confeſſionem, cujus maodatum hac Chriſti ad Lazarum mortuum voce, *Veni foras*, adumbratum fuerit; *Ex qua conſideratione* (inquit de Lazaro e mortuis ſuſcitato) *intuendum eſt, quod illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſolvere, quos auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare. Quæ nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipſa jam cognoſcitur confeſſione peccati. Unde & huic ipſi mortuo Lazaro nequaquam dicitur, Reviviſce; Sed, Veni foras Omnis quippe peccator, dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator, venientem vero foras ſolvant diſcipuli, ut paſtores Eccleſię ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit.*

Qui ad prolixam illam, ſed in cauſa, de qua agitur, peremptoriam Gregorii ſententiam attenderit, judicabit facile primo eum loqui de peccatorum etiam occultiſſimorum confeſſione: nec enim alio detorqueri poſſunt laudata hæc illius verba: *Omnis quippe peccator dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetrabilibus occultatur.* De iiſdem peccatis intelliguntur hæc alia quibus impium confiteri detrectantem increpat: *Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per confeſſionem egredere, qui apud te interius per negationem lates:* Quaſi vero peccator culpam, quæ omnium oculis patuerit, intra conſcientiam abſcondere valeat. Judicabit ſecundo agere Gregorium non tantum de graviſſima aliqua peccati ſpecie, ſed de omnibus omnino mortalibus, ſive pœnis canonicis; alias ſubjicerentur, ſive Epiſcopi arbitrio permitterentur caſtiganda: ſiquidem per quæcumque peccata mortalia homo ſpiritualiter mortuus ſit; quemlibet vero mortuum foras prodire, hoc eſt confiteri aperte declarat Gregorius: *Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac ſi aperte* CUILIBET MORTUO IN CULPA DICERETUR, *Cur reatum tuum intra contientiam abſcondis?*

Qui in occidente (ut vidimus) confitendi mos vigebat ſexto ſæculo, obtinebat etiam in Oriente; Idque invictiſſime colligitur ex libello pœnitentiali Joannis Jejunatoris, qui Mauritio imperante, anno 586. Eutychio Conſtantinopolitano Patriarchæ defuncto ſuffectus eſt. Eo nimirum in libello Sacerdos pœnitentem ſic alloquitur: *Spirituales fili, Ego confeſſionem tuam primario & præcipue non recipio, nec tibi abſolutionem concedo, ſed per me Deus . . . cum ſecundum multam quæ exprimi non poteſt ejus miſericordiam, ita dixit: Quæcumque ligaveritis aut ſolveritis ſuper terram, erunt in cęlis, illa quidem ligata, hæc vero ſoluta. Revela igitur & declara coram ſanctis Angelis, nihilque me cela eorum quæ a te clam facta ſunt, velut ſi Deo occulta cordium cognoſcenti confitereris.* Tum idem Sacerdos de peccatis interrogat, quæ occulta ſunt maxime, ac ab eo ſcrutatur numerum, circumſtantias, quæ aut mutant ſpeciem, aut plurimum augent eorum gravitatem: *Quomodo* (inquit) *Domine frater vel ſoror primum virginitas tua corrupta eſt? Per fornicationem, vel legitimum matrimonium, vel per mollitiem, aut aliquid eorum, quæ ſunt contra naturam. Conſentientem vero & dicentem, ſic & ſic, ipſum iterrogat, in quot mulieres inciderit; antequam uxorem duceret: Num aliquæ eorum eſſent ancillæ, quantæ viduæ & quantæ nuptæ: Num aliquæ Monachæ & quot: Num aliquæ magnum habitum geſtarent?* Similia de cæteris præceptis inquiritur quæ lector deſcripta reperiet in eodem Pœnitentiali libello, quem Morinus noſter ad calcem Commentarii de adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, publici juris fecit.

§. VI.

Proferuntur teſtes ſeptimi, octavi, & noni ſæculi pro auricularis Confeſſionis uſu.

Confeſſionis auricularis uſum ſeptimo, octavo, & nono ſæculo apud Occidentales viguiſſe demunſtrant Pœnitentiales libri, qui iis temporibus conſcripti ſunt: Demonſtrant quoque Concilia, quæ tunc habita ſunt: demonſtrant denique varii textus authorum, qui iis temporibus Eccleſiam ſuis operibus ornarunt.

Primo. Inter Pœnitentiales libros Latinos antiquior eſt is quem Theodorus Archiepiſcopus Cantuarienſis adulto jam ſæculo ſeptimo conſcripſit, quemque laudat Pontificale Damaſi in Vitaliano ubi hæc habentur: *Theodorus Archiepiſcopus peccantium judicia, quot ſcilicet annis pro uno peccato quis pęnitere debeat, mirabili, & diſcreta conſideratione deſcripſit.* Illius quoq; meminit Beda libro de temporibus: recenſetur quoque ab iis, qui undecimo ſæculo ediderunt canonum collectiones, ut videre eſt in Ivone, Decreti part. 4. c. 146. Porro Theodoretus natione Græcus, morem, qui ab aliquot ſæculis apud Orientales obtinuerat, injungendi nimirum pœnitentiam occulte agendam pro pecca-

tis occultis, in Angliam invexit paulo ante annum 690. qui obiit Cantuariæ. At qua ratione Sacerdotes ex Pœnitentialis præscripto pœnas pro peccatis occultis injunxissent, nisi ejusmodi peccata perspecta habuissent? nulla vero alia ratione ea potuerunt habere perspecta quam per pœnitentium confessionem. Ea igitur ætate fideles peccata vel occultissima Sacerdotibus aperire consueverant.

Eruitur idem argumentum ex Bedæ Venerabilis libello de remediis peccatorum, qui instar est pœnitentialis. Capite Septimo manifeste distinguit inter Clericorum crimina publica, & occulta. *Si Presbyter vel Diaconus, vel Monachus uxorem duxerit in conscientia populi, deponatur. Si adulterium perpetraverit cum ea, & in conscientia populi devenerit, projiciatur extra Ecclesiam, & inter Laicos pœniteat quandiu vixerit.* Obiit autem venerabilis Beda anno 733.

Eamdem peccatorum distinctionem in libello pœnitentiali tradit Ecbertus quem anno 731. inaugurarunt Archiepiscopum Eboracensem: ea vero, distinctione præmissa, pœnitentiam occultam quæ pro peccatis occultis peragenda sit, præscribit capite, *Incipit qualiter suscipi debeant Pœnitentes*: tum ritum qui eo sæculo in injungenda pœnitentia publica servari consueverat, determinat capite quod inscribitur, *Ordo agentibus publicam pœnitentiam*: ergo Ecberti tempore lapsi in Sacerdotis aurem occulta peccata confitebantur.

Confirmatur ex eo quod in pœnitentiali libro de quo agitur, Ecbertus describat varias edendæ Confessionis formulas, in quibus specialis fit peccatorum occultorum mentio: *Confiteor quia peccavi nimis sic in sermonibus vanis, & immundis, & turpibus, & otiosis ac nocivis. Confiteor alias cordis mei, & dolositates, & invidias, detractiones, impatientias, convicia, contentiones, dijudicationes &c.*

Eodem sæculo, octavo nimirum, prodiit regula quam Chrodegangus Episcopus Metensis suis Canonicis servandam præscripsit. Caput 28. sic inscribit, *De reconciliatione Pœnitentiæ capitalis criminis*, ipsumque sic incipit: *Ordo pœnitentiam agentis publicam hic est: Suscipias eum quarta feria mane in capite quadragesimæ &c.* Ubi vero toto eo capite descripsit ritum publicæ pœnitentiæ, cap 30. agit de pœnitentia privatim agenda, & de facienda confessione sub hocce titulo: *Ordo ad Pœnitentiam accipiendam, & Confessionem faciendam*, tùm caput sic exorditur: *Hæc est ratio Pœnitentiæ, & Confessionis nostræ quæ coram Deo, & Sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ sunt, idest, in unoquoque anno tribus vicibus, idest in tribus quadragesimis populus fidelis suam Confessionem suo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi in unoquoque Sabbato confessionem faciant cum bona voluntate Episcopo aut priori suo.* Postquam Sacerdos a pœnitente audiit fidei professionem, sic eadem Chrodegangi regula injungit, ut sic eumdem pœnitentem scrutetur: *Require diligenter si sunt secum opera mala, quæ separant hominem, ut ait Apostolus; a regno Dei, & hæc sunt mala cogitatio, malus sermo, & otiosas, odium, invidia, detractio, maledictio, convicium, turpiloquium, scurrilitas, dissimulatio, adulatio, murmuratio, cupiditas carnalis, elatio, desidia, pigritia, inhonoratio bonorum, inhonoratio cognatorum, inhonoratio dierum dominicorum, & Sanctorum solemnitatum, ignorantia, & negligentia, vana gloria, iracundia, avaritia, falsa testificatio, somnolentia, intemperantia in cibis, rapina, gula, ebrietas, comessatio, fornicatio, adulterium, sacrilegium, superbia, perjurium, furtum, homicidium, & his similia. Et postquam confessus fuerit sua peccata, si vult dimittere ea, da ei pœnitentiam: & si non vult non des ei pœnitentiam, quia non potes. Et si vult dimittere ipsa peccata, fac ei confiteri ea, & ad ultimam dicere: Multa sunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. Tunc da illi pœnitentiam canonice mensuratam. Et postea effunde super eum orationes, & preces. Cavendum est utique ne hi qui in gravia peccata inciduat, & hi qui in levioribus quibusdam delinquunt æqualiter judicentur, sed secundum morbum adhibenda est medicina.*

Ea Chrodegangi verba præcludunt omnia Sectariorum effugia. Nam primo respondere non possunt Chrodegangum injungere quidem confessionem peccatorum, sed quæ manifesta sint, & publica: cum expressis verbis in confessionis formula iniquarum cogitationum, interioris odii ac invidiæ meminerit. Secundo, Non possunt quoque reponere præscribi quidem confessionem occultorum peccatorum, sed quæ atrociora sint, & maxime enormia; cum inter atrociora crimina, & maxime enormia flagitia recenseri non possint Murmuratio, Elatio, Pigritia, Inhonoratio cognatorum, Inhonoratio festorum dierum, Scurrilitas, aliaque similia, quæ Chrodegangus in sua formula recenset. Tertio. Chrodegangus injungit cuique fideli, ut ter in anno confiteatur: Monachis vero, ut id agant quolibet Sabbato. Atqui quique fideles sæpius in anno enormibus, & publicis peccatis non solent se se commaculare: nec Monachi qualibet hebdomada: Ergo Chrodegangus omnium omnino criminum, vel occultissimorum confessionem injunxit: ac proinde hujusmodi confessio apud fideles octavo sæculo fuit in usu.

Labente eodem sæculo octavo, seu anno 797. Theodulphus Episcopus Aurelianensis Capitulare scripsit ad Parochiæ suæ, seu diœceseos Sacerdotes, in quo illius ævi de Confessione auriculari praxim clarissime confirmat: hæc enim habet cap. 31. *Confessiones dandæ sunt de* OMNIBUS *peccatis*: Nulla igitur crimina nec occulta, nec minus gravia Theodulphus exemit a Confessionis lege: Si quis tamen rixari vellet contendens vocem *omnia* de publicis tantum aut maxime gravibus intelligi, facili negotio revinceretur hisce verbis, quæ Theodulphus prioribus immediate subjicit: *Quæ sive in opere, sive in cogitatione perpetrantur.* Addit varias criminum species, ut explicet quæ operis, quæ cogitationis peccata aperiri debeant in confessione: *Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix ullus inveniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est ventris ingluvies; secundo fornicatio; tertio accidia, sive tristitia; quarto avaritia; quinto vana gloria; sexto invidia, septimo ira; octavo superbia. Quando ergo quis ad Confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit, quod peregisse se confitetur, & juxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi, ut & de perversis cogitationibus faciat confessionem. Debet etiam ei injungi, ut de octo principalibus vitiis faciat suam confessionem, & nominatim debet ei Sacerdos unumquodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.* Si quis Episcopus Catholicus Confessionis formulam hac ætate conscribere, non posset clarius peccata exprimere, quæ ex Ecclesiæ Romanæ fide, quisque fidelis in confessione aperire tenetur.

Ejusdem Confessionis usum confirmat capite 52. libri 5. Capitularium; hæc enim sancit quæ perimunt omnes adversariorum technas: *Si occulte, & sponte confessus fuerit, occulte fiat* (*pœnitentia*) *& si publice ac manifeste convictus, aut confessus fuerit, publice ac manifeste fiat, & publice coram Ecclesia juxta canonicos pœniteat gradus. Post peractam vero secundum canonicam institutionem pœnitentiam occulte vel manifeste canonice reconcilietur, & manus ei cum orationibus quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponatur.* Desumptum est illud Capitularium statutum ex conventu Francorum Episcoporum ineunte anno 747. Liptinis, præsidente S. Bonifacio Moguntino Archiepiscopo coactum: illud vero statutum postea cum aliis canonibus ibidem latis a Zacharia Papa confirmatum est.

In ejusdem praxis fidem hic locum habere debet Isaaci Episcopi Lingonensis collectio, quam (ut ipsemet in præfatione testatur) adornavit ex iis canonibus, quos cum Francorum Episcopis Bonifacius Moguntinus tulit in duobus Conciliis quæ anno 742. habita sunt: Hæc habet Titulo III. capite nono: *Mulier habens virum, si adulterium perpetraverit, & occulte ad confessionem venerit, septem annis pœnitteat, tres in pane, & aqua, cæteros quatuor in providentia erat Sacerdotis qualiter eam viderit posse, & ita ei ciborum abstinentia imponatur. Similiter, & vir habens uxorem, si adulterium*

per-

perpetraverit, faciat, idest per triennium ut non comunicet.

Secundo. Peccatorum occultorum confessionem sæculo septimo, octavo & nono apud fideles in usu fuisse probari potest non tantum ex libris Pœnitentialibus qui iis tempoeibus conscripti sunt, sed etiam ex Conciliis quæ tunc fuerunt in vaeiis Europæ regionibus celebrata.

Anno Christi 813. Turonis habitum est Concilium, ubi canone 22. hæc de Confessione sancita sunt: *Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus sua sibi delicta confitentibus tempus abstinendi adscribant, ut juxta modum peccati pœnitentibus abstinentia indicatur: quoniam varie ab aliquibus Sacerdotibus & indiscrete hæc judicia proferuntur; Ideo necessarium videbatur nobis, cum omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis edoceri, cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Omnes omnino fideles complectitur illud statueum, terminis nimirum indefinitis utitur: *Hominibus sua sibi delicta confitentibus.* Intelligitue quoque de omnibus omnino peccatis lethalibus, sive enormia sint ac atrociora, sive minus gravia, cum peccata minus gravia ac cujusvis speciei contineanrur in libris pœnitentialibus, quos superius descripsimus, quosque in praxi Sacerdotes ab hoc Concilio sequi jubentur: *Necessarium videbatur ... edoceri cujus antiquorum liber pœnitentialis potissimum sit sequendus.*

Eodem anno 813. habitum est Concilium Cabilonense II. in cujus canone 32. hæc decreta leguntur. *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque sit plena confessio, scilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat: quia aut cogitatione, aut, quod gravius est, opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel cæteræ hujusmodi animæ pestes tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt.* Hic locum habere non potest adversarioeum effugium, quod jam sæpius confutavimus, agi nimirum de peccatis publicis, aut si de occultis, non de omnibus. Nam primo Patres Cabilonenses præscribunt confessionem eorum peccatorum, quæ per internam cogitationem admissa sint: *Quibus in sola cogitatione deliaquitur.* Inter peccata quæ confessioni subjicienda sunt, receusent odium, invidiam, & superbiam aliasque pestes quæ mere internæ sunt, ut ipsimet Patres Cabilonenses advertunt: *Odium etenim, invidia, superbia, vel cæteræ hujusmodi pestes tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt.* Secundo. Iidem Patres conceptis terminis definiunt pœnitenti incumbere debitum PLENA confitendi: *Ut ex utrisque* (mentis scilicet & corpoeis peccatis) *plena sit confessio.* Præterea omnia in specie peccata reducuntue ad octo principalia, quæ Patres Cabilonenses jubent pœnitentem confiteri: *De octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat.*

Concilium Parisiense VI. quod anno Christi 829. celebratum est, hæc habet libe. 1. canone 32. *Quoniam multi Sacerdotum partim incuria, partim ignorantia, modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus, secus quam jura canonica decernant, imponunt, utentes scilicet quibusdam codicillis contra canonicam auctoritatem scriptis, quos Pœnitentiales vocant, & ob id non vulnera peccatorum curant, sed potius foventes palpant, incidentes in illud propheticum: Væ qui consuunt pulvillos, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ad decipiendas animas: Omnibus nobis salubriter in commune visum est, ut unusquisque Episcoporum in sua parochia eosdem erroneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat, ne per eos ulterius Sacerdotes imperiti homines decipiant.... Presbyteri etiam imperiti solerti studio ab Episcopis sint instruendi sunt, qualiter, & confitentium peccata discrete inquirere, eisque congruum modum secundum canonicam auctoritatem pœnitentiæ noverint imponere. Quoniam hactenus eorum incuria & ignorantia, multorum flagitia remanserunt impunita, & hoc ad animarum ruinam pertinere dubium non est.*

Jusnin de Sacram.

Nec alicujus est momenti responsio adversariorum contendentium, laudato Concilii Parisiensis canone agi tantum de peccatis publicis, & in quæ canones quondam animadvertebant pœnitentia publica. Siquidem primo agit canon de peccatis quibus pœna determinata legebatur in libris Pœnitentialibus, qui tunc in aliquibus Ecclesiis erant in usu, quosque Synodus proscribit quod ad antiquam canonum disciplinam non essent exacti. Atqui (ut superius ostensum est) ii libri Pœnitentiales castigabant non quorumdam tantum peccatorum, sed omnium, licet essent occultissima, speciem. Secundo Synodus Episcopos monet ut Presbyteros doceant qua ratione pœnitenres de peccatis scrutari debeant: Sed ea solertia specialis Presbyteris opus non fuisset si Pœnitentes non alia quam publica peccata, aut si occulta, non alia quam maxime atrocia confessi fuissent; perfacile enim quisque vel imperitus Presbyter, ea publica crimina, vel atrocia occulta nosse potuissent.

Concilium Vvormatiense quod habitum est anno 868. sic decernit can. 25. *Pœnitentibus, secundum differentiam peccatorum, Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam & personarum, locorum quoque & ætatum qualitates inspicere, ut etiam pro consideratione locorum, ætatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuscujusque delinquentis, a sacris regulis oculos non reflectat.* Primo. Ille canon præscribit Sacerdoti ut in pœnitentia injungenda attendat ad peccatorum differentiam, ad numeeum, ad varias tum personæ, tum loci circumstantias. Necesse est igitur ut Sacerdoti ea differentia, ille numerus, eæ circumstantiæ, perspecta sint: non possunt autem esse perspecta nisi per confessionem secretam pœnitentis. Secundo. Non agi eo in canone de peccatis publicis, sed de occultis ex eo colligitur quod sit quæstio de peccatis, quibus pœna ad aebitrium Sacerdotis: *Sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur:* At quæ pro peccatis publicis aut occultis, sed atrocioribus, infligebatur, non erat ad arbitrium Sacerdotis, sed erat aut in canonibus aut in pœnitentialibus determinata.

Conciliis quæ hucusque prolata sunt in medium, adjungendum est Moguntinum, quod quidem sic habet canone 27. *Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadavera illorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerendæ, & missæ celebrandæ, an non? Quibus respondimus: Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus, communio in fine secundum Canonicum jussum danda est, cur non eis qui pro peccatis suis extremam pœnam persolvunt.* Concilium expresse præcludit Sectariorum evasiones. Contendunt nempe Sectarii primo cuique lapso liberam fuisse nono sæculo peccatorum confessionem. Secundo. Eo tempore consuevisse fideles sola publica peccata confiteri, aut si occulta, sola accusasse quæ essent maxime atrocia. Tertio. Sine Confessione Sacerdoti facta lapsum potuisse admissi peccati consequi veniam: Sed contraria canone Moguntino aperte definiuntur: quippe quod decernatur communionem, sive absolutionem lapsis quidem dari in extrema vitæ periodo, modo tamen omnia sua peccata confessi fuissent. OMNIA peccata confessi fuerant: *Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus &c.* eamque praxim, confessionem nimieum de singulis peccatis canon supponit, tamquam principium quo nititur, ut definiat dari debere absolutionem iis qui pro peccatis suis extremam pœnam persolvunt: *Cur non eis &c.*

Tertio. Non tantum in libris Pœnitentialibus, & in Conciliis septimi, octavi, & nooi sæculi reperitur usus Confessionis auricularis, sed etiam in authoribus qui suis scriptis iis temporibus Ecclesiam ornarunt.

S. Eligius Episcopus Noviomensis homil. xt. in hæc Salomonis verba, *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur &c.* sic loquitur: *Nec peccator poterit jam excusari, qui confessionem per quam veniam nasceitur, non properavit amplecti, ne posset reus gemino crimine detineri, dum primo legem contempsit, ut delinqueret, & confessionis remedia amplecti noluit, at periret. Ergo quisquis peccator ea remedia neglenisti post peccatum, & qui peccando divina contempsisti præcepta, confessio afferat salutem, cui contemptus accelerat mortem. Confiteantur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest.* Sic iterum homil. 4. *De eo quod Christus lavit pedes,* loquitur: *Quia ergo en vobis his & similibus involuti sceleribus fuerunt* (de iis agit qui ex Paulo in Epist. ad Rom. excludunt a regno cœlorum) *& per Confessionem ac pœnitentiam nequaquam condignam satisfactionem egerunt, sed adhuc in hac vetustate perdurant, non se a nobis reconciliari posse existiment, nisi prius veterem hominem cum actibus suis nunc enumeratis expolieat.*

Angelomus Monagnus, cujus opera extant tom. 15. Magnæ Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis, quippe ad annum Christi 850. floruit, explicans hæc Scripturæ verba, *Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia Sacerdotum erat,* sic loquitur: *Hæc sententia ostendit quod non quis proprio arbitrio facile se credere debet: sed magis sciat quod confessio peccatorum, & pœnitentia, Sacerdotum judicio peragenda est, qui habent scientiam discernendi inter mundum, & immundum, & lepra maculam dijudicare, aut condemnare, aut mundum discernere.*

§. VII.

Proferuntur testes x. & hucusque subsequentium sæculorum pro usu Confessionis auricularis.

1. INter Scriptores decimi sæculi pro usu Confessionis auricularis laudatur Radulphus Flaviacensis qui obiit circa annum 910. & cujus opera legere est tom. 17. Magnæ Bibliothecæ Patrum. Libro tertio Commentarii in hæc Levitici capitis 7. verba, *Qui non potest offerre oves, offerant similam,* sic loquitur: *Quid est simila? Nisi latentium cogitationum in quibus peccator sibi soli notus est, per confessionem expositio intelligitur.* Decimo igitur sæculo fideles non modo publica crimina, sed etiam occultissima confitebantur, non Deo tantum (ut adversarii fingunt) sed etiam Sacerdotibus: *Quod tamen in potestate habet, faciat, similam offerat* (inquit) *& mala quæ apud se celabat, per Confessionem Sacerdoti prodat: supra quippe diximus, cogitationum subtilitatem per similam designari.*

2. Ex Authoribus undecimi sæculi prodit Petrus de Honestis, Cardinalis Damiani nuncupatus, qui obiit anno 1502. Sermone 58. de S. Andrea hæc scribit: *Quartus itaque gradus est confessio oris: Hæc pure facienda est, quia non est pars peccatorum dicenda, & altera reticenda.* Quærant adversarii in brevi illa Damiani sententia peccata, quæ quis accuset in confessione & alia quæ reticeat: videant num cum ea stent hæc duo illorum effugia, quod nempe quondam sola peccata publica fideles Sacerdoti confiterentur, aut si occulta, ea tantum quæ maxime essent atrocia.

Lantfrancus Archiepiscopus Cantuariensis qui obiit anno 1039. in libello de Celanda Confessione quem tom. 18. Magnæ Bibliothecæ Patrum legere est: *In hac cognoscimus quia de occultis omni Ecclesiastico ordini confiteri debemus; de apertis vero solis convenit Sacerdotibus, per quos Ecclesia, quæ publice novit & solvit & ligat.* Patet ex iis verbis fideles in Ecclesia Cantuariensi solitos fuisse non uni tantum Sacerdoti, sed etiam toti Ecclesiastico ordini, peccata sua, etiam occulta, confiteri.

3. Quænam esset 12. sæculo fidelium praxis circa Confessionem aperit S. Bernardus cum hæc ait cap. 12. Sermone ad milites templi. *Quid de Bethphage dicam, ubi & Confessionis Sacramentum, & Sacerdotalis ministerii mysterium continetur. Et quidem verbum in corde peccatoris, operatur salutiferam contritionem, verbum vero in ore, noxiam tollit confusionem, ne impediat necessariam confessionem ... Non absolvant* (Sacerdotes) *etiam compunctum nisi viderint confessum.* Ubi Bellarminus laudavit ea Bernardi verba, merito sic loquitur; *Hic habemus Primo Confessionem Sacramentum esse, ac proinde juris Divini: Secundo necessariam esse etiam iis qui cordis compunctionem videntur adepti: Tertio Sacerdoti esse faciendam, & ab eodem absolutionem expectandam.*

Petrus Lombardus, Magister Sententiarum dictus, lib. 4. Sent. dist. 17. multa scribit de Confessione quæ illius usum pro sæculo 12. demonstrant: hæc vero tantum seligemus: *Sicut enim* (ait) *præcepta est nobis interior pœnitentia: ita & oris confessio, & exterior satisfactio, si adsit facultas. Unde nec vere pœnitens est, qui confessionis votum non habet.*

4. Ineunte sæculo 13. anno nimirum 1225. habitum est Oecumenicum Concilium Lateranense quartum sub Innocentio Papa III. In eo autem Concilio editus est canon *Omnis utriusque sexus,* in quo confessionis necessitas, integritas, minister, clare hisce verbis expressa sunt: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere ... alioquin & vivens ab ingressa Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.*

Contendunt aliqui Sectarii tunc primum institutam fuisse ab Ecclesia Romana, peccatorum omnium confessionem; verum quam id falsum sit demonstrant primo monumenta, quæ hucusque protulimus in medium. Secundo. Si tunc primum instituta fuit Confessio & latum de ea præceptum, quomodo fieri potuit, ut omnes orbis Ecclesiæ, Latinæ, Græcæ, Catholicæ, Schismaticæ canonem illum admiserint, nullo contradicente, nullo conquerente, quod durum alioquin illud jugum fidelium cervicibus absque authoritate traditionis imponeretur. Tertio. Hoc uno adversarii principio nituntur, nullibi in præcedentibus Conciliis reperiri decretum, quo fideles ad omnium peccatorum confessionem adigantur: Sed arenarium est fundamentum illud ut suo loco de necessitate confessionis agentes dicemus. Præterea ex ipsomet canonis contextu evidens est Canonem non attingere naturam aut substantiam Confessionis, sed circumstantias dumtaxat: tempus nempe, quo cuique fideli confitendi debitum incumbit, cum e Sacerdotibus, cui semel in anno fieri debeat, secretum ad quod tenetur is qui pœnitentis confessionem exceperit.

Confirmatur ex eo quod ipse Innocentius Papa III. antequam Patres vocaret ad Concilium Lateranense, supposuerit confessionis usum ubique jam receptum fuisse, indulgentias nempe publico diplomate concessit iis, qui corde contriti, & ore confessi ad Terræ sanctæ recuperationem operam & pecuniam contulissent: *Universis Christi fidelibus* (verba sunt diplomatis Pontificii) *per Moguntinam provinciam constitutis. Omnibus qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus.*

5. Post Concilium Lateranense nullus est Theologus qui de Pœnitentia scripserit, qui non meminerit usus de quo agitur, ut videre est in S. Thoma, in S. Bonaventura cæterisque omnibus Scholasticis. Sixtus Papa IV. in Constitutione quæ incipit, *Vices illius,* ejusdem praxis meminit, definitque insuper quinam sit proprius Sacerdos cui Concilium Lateranense confitendum esse decreverat. Concilium Basileense eumdem usum confirmatum voluit damnans articulum quo Vviclefus contenderat debite contritis inutilem

esse

esse confessionem Sacramentalem. Tandem Concilium Tridentinum sess. 14. id confirmavit quod antiqua traditio de confessione prout nunc fit in Ecclesia Romana, docuerat.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum peccatorum confessio ipsimet Christo suam institutionem debeat?

DAllæus Calvinistæ Synagogæ apud Gallos non ita pridem minister in suis de Confessione libris, contendit Confessionem, ut nunc editur in Ecclesia Romana, suam institutionem debere Concilio Lateranensi quarto sub Innocentio Papa III. Calvinus (ut hujusce quæstionis articulo primo fuit observatum) docuit perantiquum quidem esse Confessionis usum, sed negat juris esse divini. Amborum Sectariorum systema duplici conclusione confutemus oportet.

Conclusio prima. Usus Confessionis, ut nunc fit in Ecclesia Romana, suam institutionem non debet Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio Papa III.

Probatur. Praxis quæ ipsis Apostolorum temporibus fuit in usu, suam institutionem non debet Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio Papa III. Atqui praxis Confessionis, ut nunc fit in Ecclesia Romana, ipsis Apostolorum temporibus fuit in usu, siquidem assignari non possunt authores, qui primum eam in Ecclesiam tum Occidentalem tum Orientalem invexerint: Determinari non potest tempus, quo fideles ex praxi soli Deo confitendi, cœperint Ecclesiæ ministris confiteri: imo (ut toto articulo superiore dictum est) quovis sæculo fideles ubique confessi sunt ut nunc in Ecclesia Romana confitentur: Ea igitur praxis vigebat Apostolorum tempore juxta celebrem hanc Augustini sententiam lib. 4. contra Donatistas capit. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Argumento robur additur maximum ex eo quod dogma de confessione quæ fit in Ecclesia Romana fit id: *Quod ubique* (inquit Vincentius Lirinensis Commonitorii l. c. 3.) *quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc enim quod vere proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis rationque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fit, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequamur autem universitatem hoc modo, si hanc fidem veram esse fateamur, quem tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita; si ab his nullateaus sensibus recedamus quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnem vel certe omnium Sacerdotum pariter, & Magistrorum definitionem, sententiasque sequamur.*

Conclusio 2. Praxis confitendi omnia, & singula peccata lethalia ipsimet Christo suam debet institutionem; ac proinde juris est divini.

Probatur. Christus (ut ostendemus agentes de absolutionis Sacramentalis efficacia) Apostolos eorumque in Sacerdotio successores, constituit cujusvis spiritualis lepræ judices ac medicos cum Joannis 20. sic eos allocutus est: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.... Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo Christus medium instituit, quo Apostoli, eorumque successores, quamque vel occultissimam lepram spiritualem cognoscerent, neque enim penitus judex de iis proferre potest judicium, quæ eum penitus lateant, nec medici id curant quod ignorant. Illud vero medium non est aliud quam peccatoris confessio, quippe quod alia via peccatorum maxime occultorum, ut sunt plerumque ea quæ pugnant contra septimum Decalogi mandatum: *Non concupisces*, cognitionem Sacerdos assequi non possit. Ergo peccatorum confessio juris est divini.

Cum divina Confessionis institutio eo præcipue, quod retulimus, fundamento nitatur, mirum non est, quod Patres Tridentini eo usi sint, ut illius veritatem adstruerent. *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ* (inquiunt sess. 14. cap. 5.) *jam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam Præsides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quæ Christi fideles inciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim Sacerdotes judicium hoc cognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.*

Advertit Calvinus, quod si stet illud fundamentum, necessario admittenda sit divina Confessionis institutio; unde nihil non molitur ut illud evertat. *Quod contendunt*) inquit Catholicos suggillans lib. 3. Institut. cap. 4. §. 18.) *non posse ferri judicium nisi causa cognita, in promptu est solutio temere hoc sibi arrogare, qui sunt a se ipsi judices creati.... Jactant sibi ligandi, & solvendi munus esse mandatum, ac si quædam esset jurisdictio quæstioni adjuncta: porro hoc jus Apostolis fuisse incognitum tota eorum doctrina clamat.*

Verum Patres qui ab Apostolis ad hæc usque tempora floruerunt, potestatem judiciariam de qua agitur, novæ legis Sacerdotibus traditam agnoverunt ac ex ea confitendi debitum concludere, *Ad terrorem autem metus maximi* (inquit Hilarius Pictaviensis Episcopus in Commentario in Matthæum) *quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ judicium præmisit, ut quos in terris ligaverint, idest peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint confessione videlicet veniæ receperint in salutem hi apostolica conditione sententiæ in cœlis quoque absoluti sint aut ligati.* Ex quibus quidem verbis patet agnitam fuisse in Sacerdotibus divinitus concessam facultatem ligandi ac solvendi: at in ea ligandi, aut solvendi potestate pro ut remissionem aut retentionem peccatorum, ex ipso Hilario, complectitur, sita est judiciaria potestas de qua hic agitur. Eadem qua Hilarius, ratione loquitur Athanasius, ut superius pagina 381. ostensum est. Eodem quoque modo loquitur Chrysostomus lib. 9. de Sacerdotio cap. 5. ubi hæc Christi apud Joannem sententia: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, utitur, ut Sacerdotum potestatem extollat supra eam qua principes sæculares donati sunt. S. Augustinus eodem plane modo quo Concilium Tridentinum iisdem fere verbis argumentatus est: *Qui post uxores vestras vos illicito concubitu maculatis* (inquit cap. 3. hom. 49. ex 50.) *si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia Dei ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat occulte ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo: Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei.* Adeat lector pag. 264. ubi eum Augustini locum expendimus. Hieronymus perpendens Sacerdotem tamquam animabus curandis divinitus præpositum, elicit ex eo consideratione cuique onus confitendi impositum esse: *Si enim* (inquit in Commentario in caput 10. Ecclesiastæ) *erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.*

Objicies 1. Quod juris est divini nec institutum fuit ab Ecclesia, nec ab ea potuit abrogari. Atqui Confessionis usus institutus fuit ab Ecclesia, & aliquibus post sæculis ab ea fuit abrogatus: Ergo non est juris divini. Probatur minor. 1. Ab Ecclesia institutum fuisse Confessionis usum sic ostenditur: Antequam prodiissent Novatiani, nec in Oriente nec in Occidente erant aliqui qui pœnitentium confessiones exciperent: Narrat quippe Socrates Scholasticus audiendis confessionibus Presbyterum propositum fuisse ab Episcopis, Novatianorum occasione qui post baptisma lapsis reconciliationem non indulgebant: *Ab illo tempore* (inquit Histor. lib. 5. cap. 19) *quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, recusaverantque cum his, qui tempore persecutionis regnante Decio concitatæ*

Juenin de Sacram. Kk 3 *lapsi*

lapsi erant, communicare, Ecclesiarum Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset: quo qui post baptismum lapsi fuissent, coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur. 2. Presbyterum illum excipiendis confessionibus præpositum aliquibus post sæculis abrogatum fuisse a Nectario Patriarcha Constantinopolitano idem Socrates hisce verbis asserit: *Iste Canon* (quo nempe institutus fuit Presbyter pœnitentiarius) *adhuc apud alias sectas ratus firmusque manet: soli autem, qui fidem Consubstantialis tenent, cum Novatianis, qui cum illis in ea fide consentiunt, Presbyterum pœnitentiarium rejecerunt.* 3. Idem author, Presbyteri pœnitentiarii abrogationem adscribit stupro quod matronæ cuidam Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus intulerat: *Episcopi* (inquit) *qui jam præsunt Ecclesiis, quamvis ad longinquum temporis spatium hoc tenerent institutum; tamen temporibus Nectarii Episcopi immutarunt propter ejusmodi facinus quod tum forte fortuna in Ecclesia admissum fuit. Mulier quædam nobilis ad Presbyterum pœnitentiarium accedit: peccata, quæ post baptismum commiserat particulatim confitetur. Presbyter mulieri mandatum dat, ut jejuniis, & continuis precibus se dederet, quo una cum peccatorum confessione opus dignum pœnitentia ostenderet. Mulier longius in confitendo progressa alterius culpæ se ipsam insimulat: docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse. Ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Ecclesia ejectus est: tumultus inde in populi multitudinem excitatus. Nam indignabatur non solum de amisso flagitio, verum etiam quod inde gravis infamiæ, & contumeliæ nota Ecclesiæ inusta esset. Itaque cum Sacerdotibus ob hanc causam esset vehementer obtrectatum, Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter genere Alexandrinus, Episcopo Nectario dedit consilium, ut Presbyterum Pœnitentiarium tolleret, & liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet.* 4. Idem Scriptor asserit illud Nectarii factum didicisse se ab ipso Eudæmone qui ipsum Nectario suaserat: *Ista* (ait) *quoniam ab Eudæmone ego ipse accepi, huic nostræ historiæ mandare neutiquam plane dubitabam.* 5. Idem factum refert Sozomenus Histor. lib. 7. capit. 16. *In Ecclesia* (inquit) *Constantinopolitana Presbyter pœnitentibus deputatus, hoc munere functus est, donec mulier quædam nobilis, ob peccata quæ confessa erat, ab hoc Presbytero jejunare, ac Deo supplicare jussa, & ob eam ipsam causam in templo morata, se ab homine Diacono constupratam prodidisset. Hoc enim cognito, vulgus, ut ob contumeliam Ecclesiæ illatam indignabatur, acerbissimisque calumniis premebantur Sacerdotes, Nectarius ..... consulentibus quibusdam, ut unicuique liberum permitteret, prout sibi ipse conscius esset, & confideret, ad mysteriorum communionem accedere, Pœnitentiarium illum Presbyterum exauctoravit, quod quidem ex eo tempore in ritum vindicatum fuit.* Textum illum ac totam tum Socratis tum Sozomeni historiam legere est tomo 7. Maximæ Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis.

Resp. 1. censere nonnullos quibus adhæret Baronius Annalium tom. 1. ad annum Christi 56. nullam in capite de quo agitur rationem haberi debere narrationis tum Socratis tum Sozomeni: cum enim (inquiunt) Novatianismo laboraverunt, mirum non est quod finxerunt factum quo Sacramentum Pœnitentiæ, cujus fuerunt hostes infensissimi, plane tollatur e medio. Novatianorum vero erroris fuligine suffusum fuisse Socratem Baronius probat variis argumentis: 1. Nullam prætermittit occasionem ea laudandi quæ Novatiani aut fecerint aut dixerint. 2. Agens de S. Joanne Chrysostomo Nectarii successore, Hist. lib. 6. cap. 10. eum sugillat quod pro concione sæpius in hos sermones erupisset: *Si millies lapsus pœnitentiam egeris in Ecclesiam ingredere.*

Confirmatur ex eo quod multa sunt in historicorum illorum narratione quæ rem totam falsitatis arguant. 1. Socrates scribit Presbyterum in unaquaque Ecclesia tunc tantum audiendis confessionibus præpositum fuisse, cum actum fuit de eorum reconciliatione qui sæviente persecutione sub Imperatore Decio, lapsi fuerant. *Ab illo tempore quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant ...... Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset: quo qui post Baptismum lapsi fuissent; coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur.* At id plane falsum est; Ex Tertulliano scilicet, Origene, Cypriano constat lapsos Presbyteris peccata sua secundo, & medio tertio sæculo confiteri solitos fuisse antequam Novatiani prodiissent. Præterea Idem Socrates innuit unum tantum Presbyterum in unaquaque Ecclesia audiendis confessionibus præpositum fuisse. Sed hoc veritate non nititur; Plures enim excipiendis confessionibus, & reconciliandis pœnitentibus præfectos fuisse demonstrat apud Eusebium Histor. lib. 6. capit. 29. Dionysii Alexandrini Epistola ad Fabium Antiochenum: Eo nempe loci asseritur Serapionem lapsum, in extremis laborantem, nepoti suo dixisse: *Aliquem ex Presbyteris advoca ad me.* 2. Sozomenus scribit Presbyteri pœnitentiarii abrogationi locum dedisse diuturniorem moram mulieris Pœnitentis in Ecclesia: *Ab hoc Presbytero jejunare ac Deo supplicare jussa, & ob eam ipsam causam in templo morata, se ab homine Diacono constupratam prodidisset.* Verum pœnitentes officii divini initio tantum aderant in templis, nec eis progredi licebat ultra Ambonem, imo plerique, flentibus nimirum, vetitum erat templi limen transire. Deinde peccatorum confessio, ut & nunc, erat initium exterioris pœnitentiæ, seu ab ea confessione sive secreta sive publica incboabatur Pœnitentiæ exercitium; oportuit ergo ut illa mulier scelus suum pœnitentiæ initio confessa fuerit, Sacrilegium igitur cum diacono non admisit; cum (ut scribit Sozomenus) pœnitentiæ stadium decurreret.

Verum Doctissimi Baronii & authorum qui sic respondent, pace dixerim, argumentis quæ mox allata sunt, non evinci vacillare hoc in capite tum Socratis, tum Sozomeni fidem. Nam 1. Socrates asserit didicisse se factum illud a Presbytero qui Nectario author fuerat, ut abrogaret Pœnitentiarium: *Illa, quoniam ab Eudæmone, Ego ipse accepi huic nostræ historiæ mandare neutiquam plane dubitabam.* 2. Quo tempore scribebat Socrates plures tum Episcopi tum Presbyteri tum Abbates reperire erat, qui Nectario æquales fuerant. Qua igitur fronte factum de quo palam argui potuisset, ausus fuisset historiæ suæ mandare. 3. Ad factum, de quo agitur, fingendum Socrates adduci non potuit ex principiis sectæ cui dederat nomen: Siquidem (ut superius probatum est) omnium plane peccatorum sive levium sive gravium, sive in Deum sive in fratrem, sive remissibilium, sive irremissibilium, ut vocabant, apud Presbyteros Novatiani edebant confessionem, licet crederent Ecclesiam per claves sibi a Christo creditas non posse ab omnibus absolvere.

Ad confirmationem dici potest 1. Socratis lapsum de quo mox dicetur circa institutionem pœnitentiarii nullam habere connexionem cum Nectarii facto quod describit: ac proinde factum illud potest esse verum, quamvis falsa sint quæ scribit de institutione Pœnitentiarii. 2. Utrum circumstantia diuturnioris moræ in templo locum præbuerit stupro quod mulier de qua est hic quæstio, passa est a diacono, an vero non præbuerit, factum est incidens, quod præcipui seu pœnitentiarii abrogationis veritati non officit. In rebus, tametsi secundum substantiam veræ sint, enarrandas Sozomenus circumstantias plerumque permiscet fictitias, v. g. cum hic agit de pœnitentibus publicis, asserit eos peracto sacrificio pronos in terram se so dejicere, totamque Ecclesiam lacbrymantem, Episcopo præeunte, pro iis preces fundere: *Solicite autem* (inquit) *in Occidentalibus Ecclesiis, & maxime in Romana servatur: ibi enim manifestus est pœnitentium locus. Stant autem in eo mœsti ac veluti lugentes: finitoque demum sacrificio participes non facti, quorum participes fieri pueros Dei cultores fas erat, cum planctu ac lamentatione semetipsos in terram pronos abjiciunt. Tum ex adverso lamentabundus Episcopus accurrens, consimiliter humi cum ejulatu collabitur: ac tota denique Ecclesiæ multitudo lacrymis suffunditur.* At certum est ea

omnia

omnia cum visebantur in Ecclesiis pœnitentium classes, solita fuisse fieri antequam sacrificium inciperet, dimittebantur nempe pœnitentes cum catechumenis ante offertorium, seu antequam inciperet fidelium Missa. Quemadmodum igitur nemo concludet nullos in Occidente viros fuisse pœnitentes publicos, quod falsa sit ea circumstantia quam Sozomenus enarrat, ita ex eo quod vera non sit circumstantia de commoratione in templo quæ diaconi sacrilegio, ex Sozomeno occasio fuit, concludi non potest quod in facti substantia idem Sozomenus lapsus sit.

Resp. 2. arbitrari nonnullos alios Nectarium abrogasse quidem occultorum peccatorum pœnitentiam publicam, non vero secretam. Mos (inquiunt) erat apud Majores nostros ut Presbyteri audita secreto occultorum criminum confessione, Pœnitentibus nonnullorum publicationem per modum satisfactionis injungerent. *Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum* (Verba sunt Origenis hom. 2. in Psal. 37.) *Proba prius medicum ...... Si intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt & tu ipse sanari.* Eum vero morem tantum fuisse abrogatum a Nectario duobus argumentis ostenditur. 1. Socrates narrat mulierem quæ abrogationi fuit occasio, longius quam par esset in confitendo progressam fuisse: *Mulier longius in confitendo progressa, alterius culpa se ipsam insimulat. Docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse. Ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Ecclesia ejectus est, tumultus inde in populi multitudine excitatus.* Hoc vero (ut observat Morinus noster de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 2. cap. 9.) aliter factum intelligi non potest quam eo modo quo contendimus; videlicet Pœnitentiarium illum, ad moris qui tunc vigebat, normam mulierem adhortatum fuisse, ut nonnulla peccata humilitatis causa palam enuntiaret: Mulierem vero multo plura quam jussa fuisset, impudenter evulgasse, & inter cætera stuprum quod a diacono passa fuerat. 2. In tantum abstulit Nectarius quod scandadali quo commotus est populus, occasio fuerat. Atqui mulieris secreta confessio locum non dederat ejusmodi scandalo: per eam enim Diaconi sacrilegium populo non innotuit: abrogari igitur non debuit a Nectario; sed una occultorum peccatorum publica declaratio.

Responsionem illam enervare nonnulli contendunt ex eo quod Sozomenus asserit, eo nimirum tempore quo contigit factum de quo agitur, pœnitentiarium Romæ suo officio fungi solitum esse: *At Novatianis quidem, quos pœnitentiæ nulla cura tangit, illo* (pœnitentiario) *nihil opus fuit, in cæteris autem sectis in hunc usque diem durat: solicite autem in Occidentalibus Ecclesiis, & maxime in Romana servatur.* Verum (addunt illi scriptores) Romæ usus confitendi publice peccata secreta numquam obtinuit, ut patet ex Leonis Magni Epistola 80. ad Episcopos Campaniæ: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri: De pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur ut de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publice recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuant inimicis suis facta reserare, quibus possint legum constitutione percelli.*

Sed magni non est ponderis quod objicitur argumentum. Nam 1. Sozomenus suam historiam conscripsit ante annum 440. tunc scilicet obiit: Leo vero Magnus fato functus est anno 461. Mos igitur quædam occulta peccara publice confitendi Romæ obtinere potuit dum Sozomenus scriberet, licet Leone Pontifice Maximo jam desiisset. 2. Supponit argumentum Leonem Magnum penitus abrogasse usum confessionis publicæ quod tamen est falsum: Siquidem tria tantum ex illius verbis colliguntur. Primum, numquam tulisse Ecclesiæ morem ut peccatores adigerentur ad eam criminum suorum confessionem ex qua aut vitæ, aut infamiæ, aut alterius detrimenti periculum immineret: Secundum, eam consuetudinem, si alicubi obtineat, Sacramento Pœnitentiæ nocere plurimum: Tertium, si quis tamen in populi fidelis ædificationem nonnulla ex prudentis Sacerdotis consilio accusare vellet, præstiturum rem laudabilem; verum neminem ad id debere cogi, ne a pœnitentiæ remediis arceatur.

Resp. 3. aliquos alios authores in ea esse opinione, ut credant nec secretam confessionem nec quorumdam declarationem a Nectario fuisse sublatam, sed solam, quæ de proximi peccatis fieri solebat accusationem quoties quis in lapsum proximi cognitionem venisset, & præsertim si proximus ejus peccati quod pœnitens confitebatur, socius fuisset. Probatur illa responsio ex Socrate qui asserit sibi probatum non fuisse consilium quod Eudæmon Nectario dederat de abrogando Sacerdote pœnitentiario. causabatur autem Socrates 1. id impiis fore peccandi occasionem: nec immerito quippe quod impii certi se a nemine propter occulta scelera ad fidelium cœtum, aut pœnitentiarium deferendum esse, soliti sint peccare liberius. Causabatur 2. ea disciplina quam Nectarius invexerat, effectum iri, ut fidelibus se se invicem de peccatis arguere non possint, ac proinde non valeant executioni mandare istud Apostoli præceptum: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Verum subjicienda sunt ipsamet Socratis verba: *Ego Eudæmonem sic jam pridem compellabam: Consilium tuum,* a *Presbyter, Ecclesiæne profuerit, an secus, Deus viderit: Illud tamen plane animadverto, te ansam dedisse, at alter alterius peccata minime coarguat, nec observet illud præceptum Apostoli: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Objicies 2. ac simul urgebis contra duplex ad priorem objectionem responsum. Socrates, & Sozomenus in narratione de qua agitur, asserunt quæ pugnant cum responsionibus quibus asseritur Nectarium abstulisse tantum aut occultorum criminum publicam confessionem aut eorum accusationem quorum proximus reus esset. Scribunt enim 1. abrogatum fuisse Presbyterum Pœnitentiarium excipiendis fidelium confessionibus præpositum: Ex eo sequitur Nectarium tum secretæ tum publicæ confessionis usum abstulisse: nam præter pœnitentiarium non erant Sacerdotes audiendis confessionibus præpositi. Scribunt 2. a Nectario cuique factam fuisse facultatem, ut ad Eucharistiam pro sua conscientia accederet: *Itaque* (verba sunt Socratis (*cum Sacerdotibus ob hanc causam* (loquitur de stupro quod mulieri pænitenti Diaconus intulerat) *esset vehementer obtrectatum, Eudæmon quidam, Ecclesiæ Presbiter, genere Alexandrinus, Episcopo Nectario dedit consilium, ut Presbyterum Pœnitentiarium tolleret, & liberam daret potestatem, ut pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet: nam eo pacto solum futurum esse, ut Ecclesia omni macula careret infamiæ.* Scribunt 3. confessionem apud fideles tunc primum cœpisse esse in usu, cum Novatiani secesserunt ab Ecclesia Catholica; ajunt enim ejusmodi hæreseos occasione, tunc primum præpositum fuisse Presbyterum, qui fidelium confessiones exciperet curaretque, ut lapsi stadium pœnitentiæ post confessionem sedulo decurrerent. *At illo tempore* (inquit Socrates) *quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant .... Ecclesiarum Episcopi Canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset: quo qui post baptismum lapsi fuissent coram Presbytero ad eam rem designata peccata sua confiterentur.*

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ratio est quia argumentum supponit lapsos soli Presbytero Pœnitentiario confiteri solitos fuisse: quod est falsum. Siquidem 1. unus solus Presbyter satis non erat excipiendis confessionibus fidelium totius amplissimæ Ecclesiæ, cujusmodi erat Constantinopolitana Nectarii tem-

temporibus. 2. Certum est ex Epistola Dionysii Alexandrini ad Fabium Antiochenum cujus textum superius laudavimus, pluribus Sacerdotibus demandatam fuisse provinciam audiendi fidelium confessiones. Idem patet etiam ex Origene, qui cuique pœnitenti consulit, ut circumspiciat diligenter apud quem Presbyterum conscientiæ suæ exomologesim faciat. *Tantummodo* (inquit lib. 2. in Ps. 37.) *circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum*. Confitendi igitur praxis obtinere potuit ac revera obtinuit in Ecclesia, quamvis Pœnitentiarius Presbyter abrogatus fuerit.

Resp. ad 2. remanente solius privatæ confessionis usu, cujusque privati conscientiæ eo sensu creditam fuisse Eucharistiæ participationem, quod ante adimpletam satisfactionem ad SS. Sacramentum impune posset accedere, cum, vigente publica, quorumdam occultorum criminum confessione, aut delatione eorum quorum proximus reus esset, id minime posset: cum enim alicujus occultum crimen innotuerat vel per publicam rei confessionem, vel per aliorum delationem, pœnitentiarius ante Eucharisticam communionem, secluso tamen scandali periculo, reum addicebat pœnitentiæ laboribus, quos quidem si subire detrectaret, mulctabatur excommunicatione.

Resp. ad 3. ante Novatianorum hæresim, & apud Catholicos, & apud Hæreticos obtinuisse Confessionis usum, ut ex Tertulliano multisque aliis scriptoribus superius ostensum est. Verum nondum institutus erat pœnitentiarius, quem fideles consulerent: antequam peccata occulta palam confiterentur: Ante exortam Novatianorum hæresim, quisque lapsus immania crimina aut propria aut aliena ad unum Episcopum deferebat: exorta vero ejusmodi hæresi propter lapsorum multitudinem sæviente Decio, institui oportuit pœnitentiarium, qui definiret, quænam occulta crimina in publicum evulgari deberent. Ex his patet, quo sensu Novatianorum hæresis instituendo pœnitentiario, ut vult Socrates, occasioni fuerit. Præterea, quæ Socrates dicit de occasione quæ, ex ipso, veteres movit ad instituendum pœnitentiarium, vacillare videntur: jam enim ab Ecclesiæ incunabulis extitisse pœnitentiarium illum innuit Sozomenus Hist. lib. 7. cap. 16. ubi secundum Christophorsoni interpretationem sic loquitur: *Cum prorsus non peccare naturæ sit humana divinioris, pœnitentibus autem, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare Deus jusserit, & ad impetrandam denique veniam confiteri peccata necessarium sit, odiosum ut credibile est, Sacerdotibus ab initio visum fuit, tamquam in theatro, audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate, quam maxime spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem huic officio præferunt &c.*

Objicies 3. S. Chrysostomus variis in locis explodit confessionis usum. Censuit igitur ipsum a Nectario cui successit, penitus abrogatum fuisse. 1. Hom. 21. ad populum Antioch. sic loquitur: *Neque tantum est admirabile, quod nobis peccata dimittit, verum, & quod ipsa non revelat, nec manifesta facit, aut conspicua, nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus annunciare; sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri. Etenim ea sæcularibus judicibus, si quis alicui captorum latronum, vel eorum qui sepulchra effodiunt, diceret, ut peccata confiteretur, & a pœna dimitteretur, omni certe promptitudine hoc suscepissent, salutis cupiditate pudorem rem contemnentes. Hic vero non hoc est, verum, & peccata dimittit, nec cogit præsentibus, quibusdam ipsa enunciari, sed unum solum exigit, ut ipse remissione fruens, doni magnitudinem discat. Quomodo igitur non absurdum, ut in quibus nos ipse beneficio afficit, solo nostro testimonio contentus sit; nos autem in quibus ipsum colimus, alios testes quæramus, & ostentationem quicquam faciamus.* Eo in loco Chrysostomus asserit Deum non exigere ut alicui præter ipsum peccata detegamus, *Sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri*. Asserit iterum Deo satis esse proprium peccatoris testimonium, nec aliquem, sive Sacerdotem sive Laicum non debere nostræ confessionis testem quærere: *Solo nostro testimonio contentus sit nos autem in quibus ipsum colimus, alios testes quæramus, &c.*

Resp. 1. censere nonnullos authores Chrysostomum eo loci loqui de confessione publica, quam (inquiunt) Nectarius Chrysostomi prædecessor abstulerat. Confirmant ex his ejusdem Chrysostomi verbis: *Nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus annunciare.*

Resp. 2. Chrysostomum videri aliis agere de confessione, quæ prætermissis Sacerdotibus, soli Deo fiat; sed (addunt) id heterodoxis non favet, cum homiliam 21. ad populum Antiochenum habuerit, non, ut doceret baptizatos fideles, sed Catechumenos tantum, quibus non erat necesse ut de confessione Sacramentali loqueretur, sed de ea solum, quæ baptismo præmitti oportet: qua nempe catechumenus reum se coram Deo confiteatur, ut ea, qua par est dispositione baptismum recipiat. Confirmant responsionem 1. ex his verbis, quæ in ea homilia leguntur. (Propterea, & prius dixi, & nunc dico, & dicere non desistam, si quis morum vitia non correxit, nec sibi facilem paravit virtutem, ne baptizetur.) Confirmant 2. ex eo, quod laudatam homiliam sic Chrysostomus inscripserit: *Catechesis ad illuminandos.*

Objicies 4. Chrysostomus homilia 2. in Psal. 50. hæc scribit: *Peccata autem tua ipse commemora, ut ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Non enim dico, ut ea conservo exponas, qui te probris impetat? Dic Deo qui iis medetur.* Chrysostomus eo in textu non meminit alicujus Sacerdotis cui confessio fiat, sed Dei solius: censuit igitur non aliam fieri debere, quam quæ ipsi Deo fiat: unde concludit omni in loco fieri debere illam confessionem ac præsertim cum quis decubiturus est in lecto: *Cum autem* (ait ibidem) *in lectum, hoc est ad tranquillum portum te conjecisti, nec ullus est, qui tibi molestiam exhibeat, dic cordi tuo, atque animæ tuæ: Exegimus hodiernam diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali admisimus.*

Resp. Chrysostomum equidem illo in loco Sacerdotis non meminisse: nec id mirum est, cum ea in homilia hunc sibi scopum proponat hortari nimirum fideles ut sua peccata semper præ oculis habeant, ac Deo, qui iis medeatur exponant; cum vero frequens illa de peccatis cogitatio, ac eorum confessio Deo facta, nihil includat, quod componi non possit cum confessione, quæ suo tempore fiat Presbyteris, quos Chrysostomus libris de Sacerdotio asserit esse animarum nostrarum medicos, vulnerum secretorum scrutatores a Christo institutos, ad dimittenda peccata divina potestate exornatos; non est cur adversarii ex illo textu contra Catholicos argumententur: Non est quoque cur eosdem Catholicos urgeant hisce verbis homiliæ 55. quæ est de Lazaro suscitato: *Nihil tam exitiale peccato, quam peccati accusatio, condemnatioque cum pœnitudine, lacrymisque conjuncta. Condemnasti tuum peccatum? deposuisti sarcinam? Quis hæc dicit? Ipse judex Deus. Cur igitur, te quæso pudescis, & erubescis dicere peccata tua? Non enim homini dicis, ut te probro afficiat; non enim servo confiteris, ut in publicum proferat; imo vero ei, qui Dominus est, ei, qui tui curam gerit, ei, qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera.* Non est (inquam) cur iis verbis Catholici urgeantur: quippe quod non pugnent cum praxi confessionis auricularis, potest nimirum impius ac debet de peccato suo sæpius cogitare ac illud fateri coram Deo, antequam confessurus Sacerdotibus adgeniculetur, ea nimirum ratione obtinetur contritionis donum, sine qua vana est ac irrita Sacerdotis absolutio.

CAPUT SECUNDUM.

De efficatia Confessionis Sacramentalis.

CONclusio. Confessio Sacramentalis recte definitur peccatorum accusatio legitimo Sacerdoti facta, ut virtute clavium obtineatur remissio.

Probatur ac simul explicatur conclusio 1. Confessio, prout accusatio dicitur, differt a simplici peccatorum enarratione quæ fit ab impiis, ut otiosis auditori-

toribus delectationis causam præbeant, aut ut suam iniquitatem apud perditos ostentent juxta illud Scripturæ, *Lætantur cum male fecerint*. 2. Prout dicitur fieri, ut obtineatur peccatorum remissio, discrepat ab accusatione quæ fit in tribunalibns forensibus: in iis enim, tantum abest, ut venia a reo confitente expectetur, quin potius debita criminis pęna certo speretur. 3. Prout remissio speratur virtute clavium, ea confessio Sacramentalis differt ab ea quæ Sacerdoti fit extra tribunal per quam postulantur ab impio ejusdem Sacerdotis preces. Confessionem quæ fit, nt per clavium virtutem obtineatur remissio, hisce verbis agnovit Augustinus hom. 49. ex quinquaginta, ubi in quosdam invehitur qui pœnitentiam criminum independenter a Sacerdotum ministerio se agere posse dictitabant: *Si præter uxores vestras cum aliqua concubuistis, agite pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago! Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo? Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? frustramus Evangelium Dei, frustramus verbas Christi? Promittimus vobis quod ille negat? Nonne vos decipimus?*

Quæres utrum Confessio Sacramentalis sit actus alicujus virtutis specialis.

Resp. affirmative: Nam 1. quod sit actus virtutis patet ex eo qnod in se sit pium opus, imo & secundum individuum cum adsunt omnes circumstantiæ, quæ ad bonitatem actus requiruntur. 2. Quod sit actus virtutis specialis ostenditur ex eo quod a virtuto Pęnitentiæ imperetur: quippe quod ideo impius suum scelus confiteatur quod eum illius pęniteat.

CAPUT TERTIUM.

De Materia Confessionis.

HIC expendemus 1. utrum peccata tum lethalia, tum venialia sint materia confessionis. 2. An venialia jnre Ecclesiastico fieri possint ejusdem confessionis materia necessaria.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum peccata tum lethalia, tum venialia sint materia Confessionis?

COnclusio. Peccata mortalia post baptismum commissa sunt materia necessaria confessionis. Venialia vero sunt materia libera.

Probatur prior pars. 1. Per solum Pœnitentiæ Sacramentum, aut si urgeat necessitas, per ejus votum, modo debita adsit contritio, peccata lethalia post baptismum commissa remittuntur, ut iis locis ostendemus in quibus de hujusce Sacramenti necessitate dicetur. Atqui Sacramentum pœnitentiæ necessario aut includit, aut præsupponit confessionem quæ vel verbis vel nutibus, aut aliis signis facta sit. Ergo &c. 2. Ubi de integritate confessionis dicetur, ex traditione demonstrabimus veteres exegisse a pœnitentibus omnium omnino tum quad numerum tum quoad speciem peccatorum lethalium confessionem: Illis igitur persuasum fuit omnia crimina quæ quis post baptismum admiserit, esse necessariam confessionis materiam.

Probatur altera conclnsionis pars. 1. Quod peccata venialia sint confessionis materia, ostenditur ex eo quod licet hæc Christi verba, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur* ris &c. præcipue de mortalibus intelligi debeant, de venialibus tamen explicari possint, quippe quæ quamvis sint levia, vere tamen peccata & sint, & appellentur. Ostenditur iterum ex eo quod veteres peccata venialia confessi sint. Tertullianus in libro de Pudicitia quem jam factus Montanista conscripsit, inter peccata remissibilia, seu quæ per clavium vim remitterentur, plurima venialia recenset: *Hic enim* (inquit cap. 19.) *illam* (distinctionem in peccata remissibilia, & irremissibilia) *Joannes* (asserens neminem esse sine peccato) *commendavit quod sint quædam delicta quotidianæ incursionis, quibus omnes simus objecti. Cui enim non accidet, aut irasci inique & ultra solis occasum, aut & manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere aut verecundia aut necessitate mentiri. In negotiis, in officiis, in questu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit venia illorum, nemini salus competat. Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Christum. Sunt autem, & contraria istis, ut graviora, & exitiosa, quæ veniam,* ab Ecclesia) *non capiant, Homicidium, Idololatria, Fraus, Negatio, Blasphemia utique, & Mœchia, & Fornicatio, & si quæ alia violatio templi Dei. Horum ultra exorator non erit Christus*, per claves nempe quas Ecclesiæ credidit.

S. Augustinus ejusdem dogmatis meminit ad calcem sermonis 29. de verbis Apostoli ubi sic loquitur: *Confessio nos sanat, & vita cauta, vita humilis, oratio cum fide, contritio cordis, lachrymæ non fictæ de vena cordis profluentes, ut dimittantur nobis peccata sine quibus esse non possumus. Confessio (inquam) nos sanat: dicente Apostolo Joanne: Si confiteamur peccata nostra &c.*

Patres nusquam quidem præceperunt confessionem iis qui venialium tantum rei essent; sed aliquando fideles hortati sunt, ut ad eorum expiationem publicæ pœnitentiæ stadium decurrerent: *Cum ergo*) inquit S. Cæsarius Episcopus Arelatensis hom. 13.) *& istæ quæ dixi, sine quibus nullus hominum potest esse, nos nimium premant, & forte etiam capitalia nobis crimina, & peccata subrepant, nescio qua conscientia periculosam nobis securitatem inducimus, & remedium pœnitentiæ mortifera dissimulatione negligimus*. At pœnitentia publica non imponebatur nisi pro peccatis, quæ quis Sacerdoti confessus fuisset.

2. Quod peccata venialia non sint confessionis materia necessaria, sed libera, ex eo evincitur quod secundum Patrum sententiam, Pęnitentię Sacramentum altera sit post naufragium tabula, proindeque lapsis tantum, non autem justis, nt ii sunt qui peccatorum venialium solum rei sunt, necessarium. Unde jure ac merito Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. sic loquitur: *Venialia, quibus a gratia non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur? taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.*

Eam doctrinam hausit Concilium Tridentinum ex antiquis Patribus. Augustinus contendit deleri venialia peccata per operum pietatis praxim, & præsertim per recitationem orationis Dominicæ, si tamen cum illorum peccatorum displicentia conjuncta sit: *Cæterum* (inquit hom. 19. ex libro quinquaginta homiliarum) *non me latet vitam istam mortalem, & in carne corruptibili constitutam, sine peccatis esse non posse, sed illa sua lævacra quotidiana, hoc est, quod pectus tundimus, & dicimus in oratione Domino nostro: Dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris &c. Omnia autem cavere impossibile judicavit esse qui istam orationem quotidianam non quoslibet Christianos, sed ipsos arietes Apostolos docuit. Ubi autem Apostoli pectus tundunt, & dicunt: Dimitte nobis debita nostra, hoc est peccata nostra, audet aliqua ovicula superbire de justitia*. Eo nixus principio S. Doctor recitationem orationis Dominicæ vocat quotidianum fidelium baptisma: *Propter omnia peccata* (inquit lib. 1 cap. 7. De Symbolo ad Catechumenos) *Baptismus inventus est. Propter levia sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio, Dimitte nobis debita nostra sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris? Semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione*. Hinc idem S. Doctor concludit teneri catechumenos ubi fidelinm albo inscripti fuerint, ad exhibendas Deo gratias pro tanta Dei in homines charitate. *Quoniam* (inquit Sermone 119.) *victuri sumus in isto sæculo, ubi quis non vivit sine peccato, ideo remissio peccatorum non est in sola ablutione sacri baptismatis, sed etiam in oratione Dominica, & quotidiana, quam post octo dies accepturis estis. In illa invenietis, quasi quotidianum baptismum vestrum, ut agatis Deo gratias qui donavit hoc munus Ecclesiæ suæ.*

Beda venerabilis docet, peccata de quibus agitur, dimit-

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Confessio fieri debeat Sacerdoti.

CONclusio. Soli Sacerdoti fieri debet confessio Sacramentalis.

Probatur 1. ex Scriptura. Confessio Sacramentalis illi tantum fieri debet, a quo potest recipi absolutio. Sed docet Scriptura absolutionem recipi posse a solis Sacerdotibus: Sacerdotes enim non vero aliquos alios alloquebatur Christus Joannis 20. ubi hæc ait: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ea nimirum speciali prærogativa utitur Chrysostomus, ut Sacerdotalem potestatem extollat supra Regiam, ac quamvis aliam, quæ ad reipublicæ pacem temporalem conferat: *Etenim* (inquit lib. III. de Sacerdotio capite 5.) *qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in cælo; & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta & in cælo. Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum. Id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit: usque adeo, ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis a Deo concessum? Quorumcumque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur eis, & quorumcumque retinueritis, retenta sunt. Quænam obsecro potestas hac una major esse queat?*

Probatur secundo ex Traditione. Patres cum de iis agunt apud quos fideles debent peccata deponere, ut eorum consequantur remissionem, Sacerdotum duntaxat meminerunt, primo Origenes homilia secunda in Leviticum hæc habet: *Est adhuc septima, licet dura & laboriosa per Pænitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacbrymis stratum suum... & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum.* Secundo Cyprianus sic de iis loquitur, qui de adolenda Idolis thure cogitaverant: *Quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ suæ faciunt.* Tertio Basilius qu. 100. in regulis brevioribus hanc sibi difficultatem proponit, quæ certo supponit quarto sæculo fideles solis Sacerdotibus confessos fuisse: *Numquid conveniat dum soror Presbytero confitetur, etiam Antistitam ipsam adesse.* Quarto. Pacianus Episcopus Barcinonensis in Parænesi ad pœnitentiam ubi peccata comparavit cum vulneribus, quæ quis in secretioribus corporis partibus passus sit, sic exclamat: *Quid ergo faciam nunc Sacerdos, qui curare compellor?* Quinto. Confessionem Presbyteris fieri solitam fuisse labente sæculo quarto demonstrant institutio & abrogatio pœnitentiarii excipiendis fidelium confessionibus præpositi de quo pagina 384. 385. multa diximus. Sexto. S. Ambrosius in Opusculo quod inscribitur: *Exhortatio ad agendam pænitentiam*, hac ratione eos compellat, qui pœnitentiam ad ultimam vitæ periodum protrahunt: *Nescit si possit ipsam pænitentiam accipere, & confiteri Deo & Sacerdoti peccata sua.* Septimo. Munus de quo hic agitur, Sacerdotis solius non vero alterius hominis esse demonstrant loca, quæ superius pagina 384. ex Chrysostomo descripsimus. Octavo. Eidem dogmati patrocinantur Innocentius Papa I. in Epist. prima ad Decentium Eugubinum Episcopum: *Cæterum* (inquit) *de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pænitentis.* Nono. Idem demonstrat textus Leonis Magni Epist. 80. *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta.* Decimo. Hæc habet Gregorius Magnus capite 5. lib. III. Comment. in libri primi Regum caput 7. *Quæ tamen afflictio pænitentiæ tunc demum idonea est, cum Sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus ei decernitur afflictionis.* Undecimo. Eadem veritas iis omnibus textibus probari potest quibus paginis 375. 376. 377. & sequentibus, confessionis usum ab Ecclesiæ incunabulis ad hanc usque ætatem adstruximus: iis scilicet in textibus specialis fit mentio Sacerdotis, qui pœnitentium confessiones excipiat.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Confessio, urgente necessitate, alteri quam Sacerdoti fieri possit?

CONclusio 2. Mos laicis confitendi, urgente necessitatis casu, per multa sæcula quondam obtinuit.

Probatur primo ex Augustino, qui moris de quo agitur, exemplum profert in Epistola ad Fortunatum: *Cum* (inquit) *in navi quadam nullus esset præter unum Pænitentem, cæpit imminere naufragium. Erat ibi quidam non immemor salutis suæ & Sacramenti vehementissimus flagitator: nec erat aliquis, qui dare posset nisi Pænitens ille. Acceperat enim, sed pro peccato de quo agebat Pænitentiam amiserat sanctitatem, sed non amiserat Sacramentum. Nam si hoc amittant peccantes, cum reconciliantur post pænitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo, quod acceperat, & ne periculose vitam finiret non reconciliatus, petiit ab eo ipso, quem baptizaverat, ut eum reconciliaret; & factum est, & naufragium evaserunt. Cognitum habes, quod fecerunt. Nemo extitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet affuisse: Motus enim animus religiosus & supplex ab homine exegit Sacramentum, a Deo ipso impetravit sanctitatem.* Verum reconciliatio, quam Neophitus illi Pœnitenti contulit, supponit peccatorum accusationem: Pœnitens igitur Catechumeno a se baptizato peccata confessus est: obtinebat igitur quarto sæculo mos laicis confitendi, ubi urgeret necessitas.

Probatur secundo authoritate libri, *De vera & falsa Pænitentia*, qui Augustino tribuitur a nonnullis, *Tanta vis est confessionis* (ait author) *ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quod pænitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert.*

Probatur tertio ex Lantfranco Archiepiscopo Cantuariensi. Is in libello quem XI. sæculo de celanda Confessione conscripsit, quemque legere est tomo 18. Magnæ Bibliothecæ Patrum editionis Lugdunensis, asserit primo urgente necessitate cuique Clerico licere excipere confessionem peccatorum occultorum: Asserit secundo id quoque penes quemque Laicum esse in eodem necessitatis casu: *In hoc cognoscimus* (ait) *quia de occultis omni Ecclesiastico ordini confiteri debemus: De apertis vero solis convenit Sacerdotibus, per quos Ecclesia, quæ publice novit, & solvit, & ligat. Sin nec in ordinibus Ecclesiasticis, cui confitearis, inveais, vir mundus, ubicumque sit, requiratur.*

Probatur 4. authoritate Scholasticorum 12. & 13. sæculi. Primo. Magister sententiarum libri 4. dist. 17. hanc sibi quæstionem proponit, Liceatne Laico confiteri, *Saltem cum deest Sacerdos*. Eam vero hisce verbis solvit: *Sane ad hæc potest dici, quod Sacerdotis examen requirendum est studiose, quia Sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi: Et ideo quibus ipsi dimittunt, & Deus dimittit. Si tamen defuerit Sacerdos, proximo vel socio facienda est confessio.* Secundo. Albertus Magnus in quartum distinct. 17. artic. 58. ubi quæsiit, *An aliquis potest confiteri suo socio?* sic respondet: *Valet confessio facta Laico, ubi articulus necessitatis, non contemptus religionis excludit proprium vel alienum Sacerdotem.* Tertio. Sanctus Raymundus lib. III. de Pœnitent. & remiss. §. 20. hæc ait, quæ usum de quo est quæstio, pro sæculo 13. invictissime demonstrent: *Sed & graviora coæqualibus pandenda sunt, cum deest Sacerdos, & urget periculum, venialia etiam, Sacerdotis ablata copia, licet confiteri coæqualibus, & hoc sufficit, ut dicunt plerique*

que

que doctores, si tamen ex contemptu non permittatur Sacerdos. Quarto. Lombardo, Alberto Magno, Raymundo adhæsit S. Thomas in quartum dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula 2. ubi hæc scribit: *Dicendum quod sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem qui est Sacramentum necessitatis, habet duplicem Ministrum; unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem: alium cui ratione necessitatis, dispensatio Baptismi committitur: Ita etiam Minister Pœnitentiæ, cui confessio facienda ex officio, est Sacerdos: Sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit*. 5. Denique praxis Laicis confitendi cum urgeret necessitas, demonstrari potest ex historia Gallica Joannis Jonvilhi. Narrat laudatus author, exercitu S. Ludovici Francorum Regis a Saracenis profligato, narrat (inquam) Saracenos circiter triginta, stricto ense desiliisse in navim in qua ipse erat cum sociis: tuncque Francos omnes mortem sibi imminere arbitratos apud Sacerdotes, aut Laicos promiscue peccata deposuisse: *Mihi* (inquit Jonvillius) *adgeniculatus est Guido de Belino Magister equitum regni Cypri, & peccata sua confessus est, eique juxta potestatem meam, Absolutionem dedi*. Jonvillium vero virum fuisse Seneschallum, & eo nomine S. Ludovicum io expeditione contra Saracenos comitatus fuerat.

Quæres utrum Confessio quondam in aliquibus casibus facta laicis esset necessaria necessitate præcepti saltem Ecclesiastici?

Resp. negative. Ratio est, quia Ecclesia nullibi in suis Conciliis, aut in Ritualibus, eam de qua agitur, confessionem injunxit: Unde sententiæ ex Magistro Sententiarum S. Raymundo & S. Thoma laudatæ de consilio, non autem de præcepto intelligantur oportet.

Conclusio 2. Confessio quondam facta laicis urgente necessitatis casu, non erat Sacramentalis.

Probatur. Illa sola confessio est Sacramentalis, quæ ordinem dicit ad claves, quas Cristus suæ Ecclesiæ credidit. Atqui confessio facta laicis non dicit ordinem ad illas claves: claves enim (ut suo dicetur loco) nequidem pro ultima vitæ periodo laicis concessæ sunt, sed Sacerdotibus tantum. Confirmatur authoritate Sancti Thomæ, qui hocce de ea confessione judicium tulit loco mox laudato: *Nihilominus Confessio laico ex desiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis est quomodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum*.

Objicies. Ii Patres, iique Theologi, qui confessionis factæ laicis meminerunt, Sacramenti effectum illi tribuere videntur. 1. Augustinus in Epistol. ad Fortunatum scribit, quemdam penitentem, qui instante naufragii pericolo, apud Catechumenum peccata deposuerat, impetrasse a Deo sanctitatem: *Motus enim animus religiosus, & supplex ab homine exegit Sacramentum. a Deo ipso impetravit sanctitatem*. 2. Albertus Magnus quamdam absolvendi potestatem, quæ peccata remittat, cuique laico concedit: *Est* (inquit in 4 dist. 17. artic. 58.) *potestas absolvendi ex authoritate, quæ est Dei: Est potestas superexcellentiæ, & hæc est Christi hominis, &c. Tertia potestas ex vitæ merito, & suffragiis orationum, & hæc est sanctorum in Ecclesia qua unus alii mereatur primam gratiam, quæ absolvit a peccatis. Alia autem potestas ex officio Ministrorum concessa Sacerdotibus; Et ultima ex unitate fidei, & charitatis, & hæc pro necessitatis articulo descendit in omnem hominem ad proximo subvenendum; & hanc potestatem habet laicus in articulo necessitatis, & mulier similiter*, Ergo &c.

Resp. laudatis in argumento Scriptoribus nusquam assertum fuisse, quod confessio laicis facta quidquam ex opere operato ad remissionem peccatorum, & gratiæ productionem conferat. Dicendum est ergo illam confessionem vim habuisse suam ex opere operantis, seu tum ex fide laici, qui confessionem excepisset, ac proinde gratiam obtinuisset per modum suffragii, tum ex humilitate, qua pœnitens impetrasset charitem, quæ cum Sacramenti voto conjuncta in extremis impium (ut suo loco dictum est) justificat. Confirmatur ea solutio ex Augustino, qui sanctitatem non Sacramento, quod laicus contulerat, sed pio motui pœnitentis adscribit: *Motus religiosus importavit sanctitatem*. Confirmatur iterum ex Alberto Magno, qui asserit potestatem absolvendi, quam laico cuique tribuit, oriri ex fidei, & charitatis vinculo, quo fideles inter se colligantur: fides autem, & charitas absolventis ex opere operato nihil ad justificationem conferunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Cuinam Sacerdoti sit confitendum?

NEmo dubitat quin semel saltem in anno, quisque fidelis proprio Sacerdoti confiteri debeat. Ea nimirum lex cuique fideli imposita est a Concilio Lateranensi IV. quod sub Innocentio Papa III. habitum est anno 1225. sic enim habet canon 21. *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendam: alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipse non possit solvere, vel ligare*.

Laudato igitur canone declaratur 1. teneri utriusque sexus fideles peccata semel in anno apud proprium Sacerdotem deponere. 2. eos alieno Presbytero confiteri non posse nisi prius a proprio Presbytero facultatem non petierit modo sed & obtinuerit; 3. editas sine obtenta illa facultate confessiones irritas esse ac nullas: 4. in eos, qui illi Ecclesiasticæ legi non paruerint, animadvertendum esse excommunicationis pœna: 5. denique canonem illum debere frequenter in Ecclesiis promulgari, ne sancita io eo disciplina, quemquam deinceps latere possit.

De iis omnibus, quæ canon expresse sancit, conveniunt omnes; verum duo magna animorum contentione vertuntur in controversiam: 1. An *Proprii* Sacerdotis nomine, canon solum Parochum intelligat, an vero reliquos omnes Sacerdotes, quos ad excipiendas fidelium confessiones Episcopus approbaverit: 2. Utrum Summi Pontifices legi de annua confessione apud Parochum edenda per aliquas posteriores constitutiones derogaverint.

§. I.

Utrum PROPRII *Sacerdotis nomine canon XXI. Concilii Lateranensis IV. solum Parochum intelligat.*

COnclusio. Concilium Lateranense IV. proprii Sacerdotis nomine solum Parochum intellexit.

Probatur 1. ex ejusdem Concilii Lateranensis canone 32. ubi hæc habentur: *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem, de proventibus Ecclesiæ, quæ curam Proprii Sacerdotis debet habere, pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumat*. Eo autem in loco Sacra Synodus proprii Sacerdotis nomine intelligit Parochum: eum enim Sacerdotem Concilium paulo ante vocarat Vicarium perpetuum: *Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per ipsum illi deserviat, in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit, nisi forte præbendæ vel dignitati parochialis Ecclesiæ sit annexa: in quo casu concedimus, ut is, qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in majori Ecclesiæ deservire, in ipsa parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum studeat habere Vicarium canonice institutum: qui, ut prædictum est, congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem*. Ex qua quidem loquendi ratione patet Propri

Sacer-

Sacerdoti nomine Sacram Synodum intellexisse Parochum, seu eum cui ex titulo canonico incumbit animarum cura.

Probatur 2. ex ipsius canonis 21. terminis, Canon declarat fideles, ut alieno Sacerdoti confiteri possint, teneri prius a proprio facultatem seu licentiam obtinere: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote.* At neminem reperire est qui contendat facultatem illam seu licentiam peti debere ab iis Presbyteris, quibus ex officio non imcumbit animarum cura, quamvis ad excipiendas fidelium confessiones indefinite fuerint approbati. Ergo in sensu Concilii Lateranensis IV. alii a Parocho, proprii Sacerdotes non sunt, nec appellantur.

Probatur 3. ex constitutionibus Summorum Pontificum ac decretis Conciliorum, quæ in variis orbis Christiani provinciis habita sunt. Martinus Papa IV. in constitutione, quæ incipit, *Ad uberes*, de Parocho exponit canonem 21. quarti Concilii Lateranensis, sic enim loquitur: *Volumus autem, quod ii, qui Fratribus confitebuntur, suis Presbyteris, Parochialibus confiteri, saltem semel in anno, prout Concilium generale* (Lateranense IV.) *statuit, teneantur*. Sic etiam loquitur Synodus Lingonensis, quæ habita est anno 1452. *Mandamus singulis animarum rectoribus, quod singulis diebus Quadragesimæ Dominicis, habeant illud statutum salutare suis Parochianis*, OMNIS UTRIUSQUE SEXUS FIDELIS, *in concilio generali editum publicare, & exponere, quod omnis utriusque sexus fidelis semel in anno* a suo proprio Curato Sacerdote *pœnitentiam debet recipere, & Sacramentum Eucharistiæ ad minimum in Paschate.* Eodem modo Sanctus Carolus de proprii Sacerdotis nomine loquitur in prima Synodo Mediolanensi, quæ habita est anno 1565. Eodem in sensu proprium Sacerdotem intellexerunt Concilium Burdigalense anno 1624. Rhemense anno 1583. Aquense anno 1585. Clerus Gallicanus ad Comitia generalia adunatus anno 1655. Eorum vero Conciliorum textus Paragrapho subsequenti descriptos Lector reperiet.

Objicies. Proprii Sacerdotis nomine, quod Concilium Lateranense IV. adhibuit can. 21. intelliguntur Pontifex Maximus, & loci in quo quis degit, Episcopus: Nec enim Papa aut Episcopus sunt alieni Sacerdotes in laudatæ Synodi sensu, quippe quod alieni Sacerdotes, ut fidelibus absolutionem impertiri valeant, facultatem, seu (ut ait canon) licentiam a proprio Sacerdote petere teneantur: quod quidem nec de Papa, nec de Episcopo dici potest. Ergo & Papa, & locorum Episcopi in Concilii Lateranensis sensu proprii sunt Sacerdotes: ac proinde Concilium proprii Sacerdotis nomine non intelligit solum Parochum.

Resp. ad 1. neg. anteced. ad 2. conc. anteced. nego consequent. Ratio est, quia inter Proprium Sacerdotem de quo Concilium Lateranense loquitur, & alienum Sacerdotem, cujus eadem Synodus meminit, datur aliquis medius, nimirum Sacerdos communis, ut est omnium fidelium respectu Summus Pontifex, & respectu Diœcesanorum, Episcopus.

Mox datæ solutioni nonnulli opponunt Cleri Gallicani Concilia generalia, quæ Lutetiæ Parisiorum habita sunt anno 1655. Iis in comitiis (inquiunt) proscriptus est author quidam anonymus, quod in libro a se edito contenderet solum Parochum, juxta Concilii Lateranensis mentem, proprium esse Sacerdotem. His vero verbis scriptor ille sententiam suam expresserat: *Selon le Concile de Latran, il n'y a que le Curé, qui soit le propre Prestre. Tout le droit d'administrer le Sacrament de Penitence est renferme dans cette qualité. Le Pape & les Evesques ne sont propres Prestres a l'egard des fideles, que pour les Sacremens de Confirmation, & de l'Ordre, & pour les cas qu'ils se reservent.* Hoc est, *juxta mentem Concilii Lateranensis solus Parochus est proprius Sacerdos. Totum jus administrandi Sacramentum Pœnitentiæ eo officio continetur. Papa, & Episcopi non sunt respectu fidelium Sacerdotes proprii nisi ratione Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis, & ratione casuum; quos sibi reservant.* Ergo (inquiunt adversarii) Gallicanus Clerus censuit Papam, & Episcopos, etiam in sensu Concilii Lateranensis IV. proprios esse Sacerdotes.

Verum evanescit vis argumenti ubi observatum fuerit Clerum Gallicanum censuisse quidem Papam, & Episcopum esse proprium Sacerdotem, prout proprius Sacerdos alienum excludit, ita ut sensus sit Episcopum non esse alienum Sacerdotem respectu fidelium alicujus Parochiæ particularis: non censuisse vero Papam, & Episcopum esse proprios Sacerdotes prout Proprius Sacerdos stricte & simpliciter sumitur. Errabat author, quem Clerus Gallicanus proscripsit, quod Papam, & Episcopum excludi contenderet proprii Sacerdotis nomine, quo Lateranense Concilium utitur. Unde inferebat nec Papam, nec Episcopum posse Paschatis tempore fidelibus conferre Pœnitentiæ Sacramentum. Eum vero sensum Patres Gallicani merito proscripserunt: Neque enim verisimile est Episcopos in quarto Concilio Lateranensi se ipsosultro spoliasse jure, quo antea fruebantur, quovis scilicet anni tempore, inconsultis Parochis, Pœnitentiæ Sacramentum conferendi. Sed ab iisdem Gallicanis Patribus nusquam ii damnati sunt, qui contenderent solos Parochos, Papa tamen, aut Episcopis nequaquam exclusis, a Concilio Lateranensi IV. proprii Sacerdotis nomine designatos fuisse. Nostræ solutioni hocce argumento a simili petito lux affulget maxima: Quamvis leges ferant jus civi dici non posse nisi a judice provinciæ in qua civis ille degit, intelligantque proprii judicis nomine eum hominem in specie, qui privatæ regioni aut provinciæ judex præpositus est a Rege, aut Republica; Illæ tamen leges nec Regem, nec Rempublicam excludunt: Unde quemadmodum per eas leges seu statuta nec Rex, nec Respublica nihil a jure suo detractum voluere: ita nec jure suo excidisse censendi sunt Episcopi, cum in Concilio Lateranensi IV. sanxerunt, ut quisque fidelis proprio suo Sacerdoti sive Parocho, semel in anno confiteretur.

§. II.

Utrum per Summorum Pontificum constitutiones derogatum sit Canoni Lateranensi, quo præcipitur, ut quisque fidelis semel in anno proprio Sacerdoti, seu Parocho confiteatur.

Conclusio. Nusquam derogatum est Canoni Lateranensi, quo quisque fidelis jubetur, ut semel in anno proprio suo Sacerdoti, seu Parocho confiteatur.

Probatur argumento negativo. Proferri non possunt aut Summorum Pontificum constitutiones, aut Conciliorum decreta, quibus ostendatur aliquando derogatum fuisse canoni, *Omnis utriusque sexus*, lato in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio Papa III. Ergo his etiam temporibus vim habet suam canon de quo agitur. Antecedens, in quo posita est difficultas, patebit ex objectionum solutione.

Objicies 1. Benedictus Papa XI. Fratribus Prædicatoribus, & Fratribus Minoribus anno 1303. facultatem fecit, ut fidelium confessiones, etiam non petita a locorum ordinariis licentia, exciperent. Clemens Papa V. in Concilio Viennensi, quod in Galliis receptum est, constitutione quæ incipit, *Dudum de sepulturis*, idem eis privilegium annuit, ea tamen lege, ut ubi a Superiorum Provincialium definitorio (ut vocant) approbati fuissent, coram locorum Ordinariis sisterent se præsentes antequam fidelium confessiones exciperent. Eugenius Papa IV. editam a Clemente bullam ubique gentium observari voluit altera, quam ipse edidit an. 1446. quæque incipit: *Dudum felicis*. Iis constitutionibus robur additum est a Nicolao Papa V. & Calixto III. bullæ cujus exordium est, *Inter cætera*. Ergo Summi Pontifices editis a se constitutionibus canoni; *Omnis utriusque sexus*, derogarunt: ac proinde fideles, qui etiam Paschali tempore, Fratribus Mendicantibus confessi fuerint, Canoni, *Omnis utriusque sexus*, fecisse satis censendi sunt

Confirmatur ex eo, quod si ex vi constitutionum, quæ mox laudatæ sunt, Mendicantes potuerint, invitis etiam Episcopis, fidelium confessiones excipere, fidele olim potuerunt, & nunc possunt, non obtenta a Parochis licentia, Mendicantes adire paschali tempore, ut canoni, *Omnis utriusque sexus*, faciant satis.

Resp. 1. constitutiones, quæ urgentur in argumento, intelligi debere de alia confessione, quam de annua quam Patres Lateranenses canone, *Omnis utriusque sexus*, singulis fidelibus injunaerunt. Nam 1. iis in bullis nusquam Summi Pontifices canonis, *Omnis utriusque sexus*, meminerunt: illi igitur clausulis generalibus non derogarunt, cum juri communi non derogetur, nisi privilegia id exprimat explicite. 2. Summi Pontifices plerumque in editis a se bullis in gratiam Mendicantium, asseruere datis a se privilegiis nihil derogari canoni, *Omnis utriusque sexus*: sic enim loquitur Martinus Papa IV. in constitutione, *Ad uberes*, quam in gratiam Franciscanorum pro excipiendis fidelium confessionibus promulgavit: *Volumus autem, quod iis, qui Fratribus confitebuntur, suis Presbyteris Parochialibus confiteri, saltem semel in anno, prout Concilium generale statuit, teneantur*. 3. Sixtus Papa IV. compressit Mendicantes, qui contendebant editis in gratiam suorum Ordinum constitutionibus dispensatos fuisse fideles ab executione canonis, *Omnis utriusque sexus*; definivitque fideles, etiam post illas constitutiones teneri semel in anno proprio Sacerdoti, seu Parocho confiteri: *De jure* (inquit in bulla, *Vices illius*) *tenetur Parochianus, saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti*.

Resp. 2. dato, & non concesso, quod nonnulli Pontifices in Mendicantium gratiam circa canonem, *Omnis utriusque sexus*, fideles alias dispensarint, concludi tamen non posse, quod ab ejusdem canonis executione fideles jam temporis eximantur. Et sane 1. ea dispensatio, (si quæ tamen quondam concessa fuerit) abrogata fuit penitus a Sixto Papa IV. constitutione, quæ incipit, *Vices illius*; sic enim habet: *Mendicantes desistant prædicare, quod Parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, propria confiteri Sacerdoti, quia de jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti*. Ut constitutioni, *Vices illius*, tantum concilietur pondus, quantum debetur, velim lector observet 1. eam constitutionem in corpus juris relatam fuisse, ac proinde eam facere jus commune: 2. ipsam promulgatam fuisse partibus auditis, Parochis nimirum canonem, *Omnis utriusque sexus*, objicientibus, Mendicantibus vero urgentibus constitutiones in sui gratiam latas a Summis Pontificibus: 3. Sixtum Papam IV. ex inclyto Minorum ordine assumptum fuisse ad Pontificatum maximum: ac proinde propensum fuisse, ut illi Ordini faveret, si id, salvis legibus, salvo jure, potuisset. 4. Fratrem Joannem Angeli Minoritam constitutioni, *Vices illius*: non obtemperantem Sacra Facultas Parisiensis proscripsit anno 1482. Hanc laudatus Angeli propositionem Toruaci promulgaret: *Parochianus confessus Fratribus Minoribus satisfecit decretali, Omnis utriusque sexus fidelis, nec tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam*. Parisienses vero Doctores eam propositionem hac censura perstrinxerunt: *Hæc propositio, ut jacet, est scandalosa, & juri communi contraria, & pro subditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ, & reverentiæ observantia publice revocanda*.

Objicies 2. Leo Papa X. in constitutione, quæ incipit, *Intra mentis arcana*, Romæ anno 1516. promulgata, si loquitur: *Possunt Mendicantes per eosdem Episcopos, & Prælatos super sufficienti litteratura, & aliqua saltem hujusmodi peritia dumtaxat examinari, talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis confitentes, constitutioni quæ incipit: Omnis utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur*: Ergo canoni, *Omnis utriusque sexus*, per posteriores constitutiones derogatum est.

Resp. laudatam constitutionem, sicut & alias plures a Leone Papa X. editas, nulla in orbis Christiani provincia locum habere: Id nimirum colligere est tum ex variarum Diœceseon statutis Synodalibus, tum ex Conciliis Provincialibus, quæ post laudatæ constitutionis tempora in præcipuis Ecclesiæ Catholicæ regionibus habita sunt.

Et quidem 1. In Germania Synodus Augustana sub Otthone Cardinale hocce tulit statutum an. 1548. *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna alias super hoc constituta universis & singulis Parochis, aut eorum Vicariis præcipimus, ut quadragenarii jejunii singulis Dominicis diebus, Capitulum, quod incipit, Omnis utriusque sexus, subditis suis publicent in Ecclesiis, & contra inobedientes ad pœnas juxta tenorem constitutionis jam dictæ procedant*. Ex quibus quidem verbis patet laudatam Synodum nullam habuisse rationem constitutionis quæ incipit, *Intra mentis arcana*.

2. In Italia S. Carolus, cui ignota non erat Leonis X. bulla de qua est questio, hæc habet in priore Concilio Mediolanensi, quod anno 1565. habitum est: *Constitutionem in generali Concilio editam, qua sancitum est, ut fideles, saltem semel in anno, proprio Parocho peccata sua confiteantur, inviolate omnes servent*. Præcipit vero ea constitutio (ut superius fuse probatum est, & ut hic expresse S. Carolus asserit) 1. ut confessio fiat semel in anno 2. ut fiat proprio Sacerdoti, quem S. Carolus definit esse Parochum.

In Galliis Concilium Rhemense anno 1583. celebratum sub Cardinale a Guisia, & a Gregorio XIII. confirmatum hæc habet, quæ Ecclesiæ Gallicanæ praxim demonstrant: *Nemo existimet sibi licere cuiquam volet Sacerdoti confiteri, sed proprio tantum Parocho: Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse non possit eum absolvere, vel ligare*.

Hæc etiam legere est in Concilio Burdigalensi, quod anno 1624. habitum est: *Sæpissime fideles ad Sacratissimæ Eucharistiæ sumptionem cum omni devotione, & compunctis cordibus accedere peroptamus: Sed ne omittant tempore Paschatis id in propria Parochia præstare, sacris canonibus insistentes, statuimus eo tempore omnes Christi fideles, tum ad confessionem peccatorum proprio Parocho aut alii de ejus licentia faciendam, tum ad Sacram Eucharistiam in eadem Ecclesia percipiendam teneri, & obligari, nullosque alios præcepto Ecclesiæ satisfecisse, ac proinde in eos, ni resipiscant, ab Ordinario censuris agendum esse declaramus. Si qui autem alio se transferre pro devotione, aut alia quavis ratione maluerint, accepta prius a Parocho licentia, quæ facile concedatur, aut ab ordinario, in Domino Ecclesiæ sanctæ obediant, debitam demum attestationem proprio Parocho, ut satisfecerint exhibituri. Secus, eo modo in eos agatur, quo in eos, qui nullo modo officio suo satisfecere. Ac ne quis ignorantia intellectum obducens, nolit intelligere, ut bene agat, Omnibus Parochis, & verbi Dei concionatoribus præcipimus, ut initio temporum Sacræ Quadragesimæ, frequenti populo sæpius hanc confitendi, & communicandi obligationem proponant, & inculcent vehementer, eoque fine caput, Omnis utriusque sexus, rituali Romano ex condicto Ecclesiæ insertum legant palam, & publicent. Qui vero ad confessiones audiendas sive Sæculares, sive Regulares, in quibuslibet Ecclesiis approbati fuerint, idem pœnitentibus consulere teneantur: aut secus ipsi, vel quicumque aliquid contra prædicare, docere, aut consulere ausi fuerint, ab Ordinariis suspendantur ab officio, & interdicantur: sciantque nullo modo in nostra provincia deinceps ad quamcumque functionem admittendos esse*.

Archiepiscopi, Episcopi, & alii secundi ordinis Clerici ad Comitia generalia anno 1665. Parisiis habita congregati, totius regni praxim hisce verbis Gallicis confirmarunt. *L'obligation de droit de se confesser & communier une fois l'an, ordonée par le Concile de Latran sous Innocent III. renouvellée au Concile de Trente, & expliquée par S. Charles au premier Concile de Milan, doit estre religieusement pratiquée. Et pour cet effet les fideles se confesseront, & communieront en leur paroisse a la Feste de Pâques, s'ils n'ont permission de se confesser ailleurs, de l'Eveque, de son grand Vicaire ou*

du Cu-

du Cure: Ea vero vernacula verba sic latine reddi possunt: *Juris obligatio, qua fideles tenentur confiteri & communicare semel in anno, præscripta a Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa III. confirmata in Concilio Tridentino, & explicata a S. Carolo in priore Synodo Mediolanensi, religiose observari debet. Quamobrem curabunt fideles, ut Paschatis tempore confiteantur, & communicent in sua Parochia, nisi ab Episcopo generali illius Vicario vel Parocho extra Parochiam confiteri permissi fuerint.*

4. In Comitatu Burgundiæ anno 1670. Illustrissimus Antonius Petrus de Grammont Archiepiscopus Bysuntinus, hac speciali constitutione prædecessorum suorum statuta confirmavit. *Ordinamus omnibus in hac Diœcesi commorantibus, ut diligenter huic Ecclesiæ mandato pareant, & peccata sua Quadragesimæ tempore proprii Sacerdoti, vel alteri de ejus licentia, singulis annis confiteantur; alioquin juxta præfatam Lateranensis Concilii constitutionem, & viventes ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & morientes Christiana careant sepultura.* Ex monumentis, quæ hactenus prolata sunt, cuique manifestum est constitutionem, *Intra mentis arcana*, nullibi receptam fuisse, ac proinde in praxi nullam ipsius aut in Germania, aut in Italia, aut in Galliis ac cæteris orbis Christiani provinciis habitam fuisse rationem.

Objicies 3. Clemens Papa VIII. in Brevi ad Belgas anno 1592. dato sic loquitur: *Præsenti nostro decreto sancimus tam dictis Fratribus Mendicantibus, & Presbyteris dictæ Societatis Jesu, quam aliis privilegiatis, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis peccata sua, etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore Sæculares universos confiteri licite posse*, Ergo Clemens Papa VIII. canoni, *Omnis utriusque sexus*, derogatum voluit: Ad quid enim fidelibus indulsissent, ut ipso etiam Paschali tempore privilegiatis confiteantur nisi censuisset ejusmodi confessione eos facere satis canoni, *Omnis utriusque sexus*.

Resp. Breve Clementis Papæ VIII. adversariis nequaquam favere: Hoc enim unum definit, fidelibus nimirum licere confiteri Mendicantibus, & Presbyteris Societatis Jesu debite approbatis ab Ordinario, quovis etiam Paschali tempore: At vero nequaquam definiit fideles per confessiones privilegiatis factas facere satis canoni, *Omnis utriusque sexus*. Nec mirum: nec enim quæsitus fuerat utrum laudato canoni fieret satis per confessiones de quibus agitur: hoc quippe tantum ab eo quæsitum fuerat, *An Paschali tempore liceret fidelibus apud Privilegiatos peccata deponere*. Id vero demonstratur ex enarratione dissidii, quod Brevi de quo est quæstio, occasio fuerat: erat autem ejusmodi illud dissidium: *Significatum fuit nobis* (verba sunt Clementis in Brevi de quo agitur (*nuper in oppido Duacensi Atrebatensis Diœcesis nonullos Parochos Christi fideles avertere, ne Quadragesimali, & Paschali tempore Fratribus ordinum Mendicantium, ac Presbyteris Societatis Jesu peccata sua confiteri possent, ausos fuisse, affirmantes ipsis fidelibus tam de jure, quam de Consuetudine non licere Quadragesimali, & Paschali tempore aliis præterquam in propriis Parochiis peccata sua confiteri*.

Nec quemquam movere debet hocce adversariorum argumentum. Si Clemens Papa VIII. non definierit (ut fert mox data responsio) fideles per confessiones Privilegiatis factas Paschali tempore non facere satis canoni, *Omnis utriusque sexus*, nullum fructum fideles ex eo Brevi colligere possent: nolli quoque usui Privilegiatis esset concessa a Clemente, potestas excipiendi fidelium confessiones, etiam Paschali tempore: Quod est absurdum.

Neminem (inquam) movere debet illud argumentum. Nam 1. fidelibus perutile est hujusmodi Breve. Ipso nempe Paschali tempore privilegiatis confiteri per illud Breve permittuntur sicque maximum emolumentum percipere valent ex piorum, & Doctorum Religiosorum consiliis. 2. Privilegiatis, si tamen indefinite ab Ordinario approbati fuerint summo est usui potestas illis a Clemente concessa: ea nimirum facultate uti possunt, ut suum in fideles zelum exerceant: seu ut eos sua opera, ac maxime piis consiliis ad salutem promoveant. Addendum est quoque ejusmodi confessionibus fieri satis canoni, *Omnis utriusque sexus*, si fideles ad Privilegiatos accedant Paschali tempore post obtentam (ut jura ferunt) a suo proprio Sacerdote licentiam.

Non plus movere debet, quod addunt nonnulli definisse scilicet Clementem Papam valere confessiones factas Privilegiatis Paschali tempore factas a fidelibus, etiam non obtenta a proprio Sacerdote licentia: Ex quo consequitur (inquiunt) ab eodem Clemente definitum pariter fuisse per eas confessiones fieri satis canoni, *Omnis utriusque sexus*, cum ille canon nihil aliud injungere videatur, quam, ut quisque fidelis valide semel in anno confiteatur.

Non plus (inquam) movere debet: Siquidem canone Lateranensi, *Omnis utriusque sexus*, duo præcipiuntur: Primum, ut quisque fidelis semel in anno confiteatur: Alterum, ut semel unoquoque anno apud proprium Sacerdotem confiteatur: Ex eo vero quod aliquis priori faciat satis, cum addit Privilegiatos, non sequitur, quod alterum adimpleat. Duplex illud debitum, quo nititur nostra solutio, clare distinxit Martinus Papa IV. in constitutione quæ incipit, *Ad uberes*, ubi sic loquitur: *Volumus quod ii qui Fratribus confitebuntur, eisdem suis Presbyteris Parochialibus confiteri saltem semel in anno, prout Concilium generale statuit, teneantur.* Conceptis etiam terminis duplex illud dubium Sixtus Papa IV. distinxit in bulla, quæ incipit, *Vices illius*: hæc enim ait: *De jure tenetur Parochianus saltem in Paschate, proprio confiteri Sacerdoti. Per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censeantur conclusi quominus secundum juris communis, & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire, & pœnitentias injungere valeant.*

Objicies 4. Innocentius Papa X. in Brevi, quod incipit, *Exponi nobis fecit*, ad Archiepiscopum Burdigalensem anno 1645. conscripto hæc habet: *non potest Archiepiscopus Burdigalensis prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica ne a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive administrare valeant personis sæcularibus Sacramentum confessionis.* Si vero Privilegiati possint a Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusive, administrare Pœnitentiæ Sacramentum, fideles, qui ad eos accedent, per confessiones hujusmodi, facient satis canoni, *Omnis utriusque sexus*.

Resp. 1. Innocentium Papam X. Brevi, quod objectum est, nihil aliud in fidelium gratiam definire quam id, quod ante definierat Clemens Papa VIII. neque enim quidquam in eo Brevi legere est, quo probetur fideles per confessiones privilegiatis factas Paschali tempore, facere satis canoni, *Omnis utriusque sexus*.

Resp. 2. laudatum Pontificem declarare Regulares posse Paschali tempore excipere fidelium Confessiones ex suppositione, quod ad id muneris privilegiis Apostolicis muniti sint: At reipsa, saltem post Concilium Tridentinum, nullo prorsus privilegio id ipsis indultum est, ut hisce verbis declararunt Comitia generalia Cleri Gallicani, quæ Parisiis anno 1655. habita sunt: *Depuis le Concile de Trente, il n'y a point d'occasion où le Pape ne renvoye tous les Reguliers aux Eveques pour recevoir d'eux le pouvoir de confesser; ils ne l'ont point s'ils n'obtiennent effectivement leur approbation*: Hoc est, *Post Concilium Tridentinum nulla est occasio, in qua Summus Pontifex Regulares non dimittat ad Episcopos, ut ab eis accipiant facultatem excipiendi fidelium confessiones; eam vero facultatem non habent nisi reipsa ab Episcopis approbati fuerint.*

Objicies 5. Clemens Papa X. undecimo calendas Junii anno 1670. Romæ promulgavit constitutionem, qua conceptis terminis declaratur eum, qui Paschali tempore Mendicantibus confessus sit, satisfecisse canoni, Omnis utriusque sexus: *Eos* (inquit) *qui dictis Religiosis* (loquitur de Mendicantibus) *simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni quæ incipit, Omnis utriusque sexus, quoad confessionem duntaxat, satisfecisse censendos esse.*

Resp. 1. illam Clementis X. Bullam non fuisse promulgatam in Galliis.

Id autem probari potest 1. ex Senatus consulto ad Cleri postulationem Parisiis lato die 17. Septemb. anno 1670. Integerrimi Parisiensis Curiæ Senatores tamquam defensores disciplinæ quæ veteribus Ecclesiæ Gallicanæ usibus confirmata sit, rati Clementem Papam X. eos usus illibatos servari voluisse hocce edictum promulgarunt: *La Cour a ordonne & ordonne que par le Lieutenant de Police il sera informe contre ceux qui ont imprime & debite ladite bulle: Enjoint aux Commissaires du Chastelet se transporter chez les Imprimeurs, Libraires, Colporteurs de cette Ville pur y faire recherche des exemplaires qui s'en pourront trouver, les apporter au Greffe de la Cour pour etre supprimes.*

Probari potest 2. ex variis thesibus quæ ab anno 1670. quo Romæ promulgata fuit bulla de qua agitur, propugnatæ sunt a Parisiensibus Theologis. Hanc propugnarunt die 25. Maji anno 1672. Concilii Lateranensis canon, *Omnis utriusque sexus*, divinum præceptum Confessionis, ut & communionis semel in anno impleri debere ab omnibus, & singulis fidelibus statuit. *Quid autem per proprium Sacerdotem, cui confitendam esse dicit, intelligat, Parochum designare voluit: nec ad contrarium quidquam valent in Francia Fratrum Mendicantium, aliorumve privilegia? quibus non obstantibus confessio ipsis facta, proprio Parocho, aut alia de ejus licentia est iteranda.* Eadem propositio anno 1676. iterum propugnata fuit ab Doctissimo Abbate Colberto, nunc Illustrissimo Archiepiscopo Rhotomagensi.

Probari potest 3. ex decreto quod die 21. Martii ann. 1678. tulit illustrissimus Archiepiscopus Dux Rhemensis. Quidam concionator Regularis, cujus nomini, & instituto parcimus, publica in concione contestatus fuerat fideles qui apud privilegiatos indefinite approbatos, Paschali tempore peccata deponunt quoad confessionem facere satis canoni, *Omnis utriusque sexus*, Parochi Ambianenses concionatori litem intentarunt coram Reverendissimo Francisco Faure ex Minorum ordine ad Episcopatum Ambianensem assumptu: Is die ultima mensis Maji lato, servatis juris solemnibus, judicio, causam adjudicavit concionatori; declaravit nempe fideles qui Presbyteris approbatis ab Ordinario Paschali tempore confitentur facere satis canoni, *Omnis utriusque sexus*: His autem vernaculis verbis mentem suam ac judicium laudatus Præsul expressit: *Declarons 1. que la permission que l'on est oblige de demander a son Cure, ne detruit pas la liberte de la Confession; 2. qu'elle n'est pas necessaire pour la validite du Sacrament: 3. que les confessions faites pendant ce tempsla aux Confesseurs approuves de l'Ordinaire, sans avoir demande cette permission aux Cures ne sont pas nulles, & ne le pourroient etre qu'en cas que l'Eveque n'eut suspendu le pouvoir pendant la quinzaine de Paques: 4. que ceux qui les ont faites ainsi, ne sont pas excommunies ny obligez de recommencer lesdites confessions.* Hoc est, *Declaramus 1. licentiam, quæ a Parocho peti debet, non impedire confessionis libertatem: 2. absque ejusmodi licentia valere Sacramentum: 3. confessiones Paschali tempore factas confessariis approbatis non esse irritas, imo nec posse irritas esse, nisi Episcopus per quindenam Paschalem, datam confessoribus approbationem suspenderit: 4. eos qui sic confessi sunt, non incidisse in excommunicationem, nec teneri dictas confessiones iterato facere.* Ubi illud judicium Parochis Ambianensibus innotuit, provocarunt ad Metropolitanum, illustrissimum Archiepiscopum Rhemensem. A decreto quo laudatus Metropolitanus Parochorum appellationem admiserat, ad Sedem Apostolicam provocatum est a Promotore Diœcesis Ambianensis: verum ab ea provocatione dejectus est ab Illustrissimis Episcopis Meldensi & Suessionensi quos in partibus Innocentius Papa XI. litteris suis judices constituerat. Post confirmatum a laudatis judicibus interlocutorium decretum, Illustrissimus Metropolitanus ad sententiam definitivam progressus, irritum fecit judicium a Reverendissimo Ambianensi Episcopo latum, declaravit nempe 1. male judicatum fuisse per constitutionem D. D. Episcopi Ambianensis. 2. Parochis debitum incumbere legendi singulis annis Dominica Palmarum, & Dominica Paschatis canonem, *Omnis utriusque sexus*, quarti Concilii Lateranensis, versum in linguam vernaculam. 3. debitum confitendi proprio Parocho, aut petendi, & obtinendi licentiam accedendi ad alienum Sacerdotem, intelligi debere de confessione annua quam quisque fidelis edere tenetur, ut faciat satis Ecclesiæ præcepto quod canone, *Omnis utriusque sexus*, continetur. 4. confessarios tum Sæculares tum Regulares debite, imo, & indefinite approbatos, non posse eos absolvere qui ad annuam confessionem a Concilio Lateranensi præscriptam, specialem licentiam a Parochis aut Episcopis Diœcesanis non petierint & obtinuerint: Verum majoris certitudinis causa hic ipsissima decreti verba Gallica describenda sunt. Sic autem habent: *Declarons 1. qu'il a ete mal juge par l'Ordonnance du Seigneur Eveque. 2. Que les Cures feront tous les ans, le Dimanche des Rameaux & le jour de Paques apres leur Prosne lecture du canon*, Omnis utriusque sexus, *du quatrieme Concile general de Latran traduit en langue vulgaire. 3. Que l'obligation de se confesser a son propre Cure, ou de lui demander, & obtenir la permission de se confesser a un autre Pretre, se doit entendre de la confession annuelle que tous les fideles de l'un, & de l'autre sexe sont obligez de faire pour satisfaire au commandement de l'Eglise contenu dans le canon*, Omnis utriusque sexus. *4. Que les Confesseurs Seculiers ou Reguliers deuement, meme indefiniment approuves, ne peuvent pas absoudre ceux qui pour satisfaire a la confession annuelle ordonnee par le Concile de Latran, n'auroient pas demande, & obtenu la permission particuliere des Eveques ou des Diocesains.*

3. Eadem nostra responsio, qua nempe dictum est robur non habere in Galliis Clementis Papæ X. constitutionem, ostenditur hocce historico facto: Quidam cujus nomen, & institutum hic prætermissum volumus, hanc in Urbe Compendio publica in concione propositionem protulerat anno 1687. *Les fideles sans avoir obtenu ny meme sans avoir demande la permission aux Curez, satisfont au canon*, Omnis utriusque sexus, *en se confessant dans le temps Paschal a des Pretres approuves par l'ordinaire*: Hoc est: *Fideles faciunt satis canoni*, Omnis utriusque sexus, *dum Sacerdotibus ab Ordinario approbatis confitentur Paschali tempore, non obtenta, imo nec petita a Parochis licentia.* Eam vero propositionem Vicarii generales Suessionensis Diœcesis, sede vacante, proscripserunt tamquam *falsam, temerariam, contrariam immemorialibus Ecclesiarum Gallicanarum usibus, nec non specialibus Diœcesis Suessionensis Synodalibus statutis.* Postea ad sedandas populorum conscientias, iidem Vicarii generales, hæc edixerunt: *Defendons a tous les fideles de l'un, & de l'autre sexe de ce Diocese de se confesser ailleur qu'en leurs paroisses au temps de Paques sans la permission de leurs Cures ou la notre, conformement au reglement du Diocese. Declarons les confessions qui se feront autrement nulles, & que tous Pretres tant Seculiers que Reguliers exemps, & non exemps, quoiqu'approuves, ne pourront entendre les confessions des fideles au temps de Paques, sans la licence du Cure, ou notre permission*: Quæ quidem vernacula verba sic Latine redduntur: *Prohibemus singulis hujus Diœceseos fidelibus ne Paschali tempore extra proprias Parochias confiteantur absque obtenta a Parochis aut a nobis licentia; Confessiones quæ aliter fient, nullas ac irritas declaramus, edicimusque nullum Presbyterum sive Sæcularem, sive Regularem, exemptum, aut non exemptum, licet approbatum, posse absque Parochi aut nostri licentia fidelium confessiones excipere.*

Resp. secundo præter solutionem hactenus datam ad Clementis X. constitutionem, dici posse laudato Pontifici mentem non fuisse abrogare statuta, & consuetudines, quæ in plerisque Provinciis vigebant antequam ederetur. Ratio est, quia Clemens Papa ea-

tum

rum consuetudinum, ejusmodi statutorum, quæ alioquin jure communi nituntur, expresse non meminit in Bulla, quæ nobis objicitur. Verum (ut habetur capite 1. de Constitutionibus in Sexto) *licet Romanus Pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere, Constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur: quia tamen locorum specialium & personarum singularium constitutiones, & statuta, cum sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen rationabilia sint, per Constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogasse.*

Respondent tertio nonnulli authores Clementis X. Bullam de qua agitur, esse subreptitiam: Probant autem ex eo, quod verisimile non sit laudatum Pontificem voluisse quidpiam ex ea potestate detrahere, quam Concilium Tridentinum Episcopis aut tribuit, aut confirmavit: At in constitutione, de qua est quæstio, non pauca legere est, quæ eam Episcoporum potestatem, præsertim circa Pœnitentiæ Sacramentum aut minuunt, aut tollunt omnino. Et sane ea in Bulla asseritur primo Regulares prævio examine, & indefinite approbatos non teneri aliud examen subire, licet ad illud vocentur ab Episcopo. Secundo. Eosdem regulares non posse ab audiendis confessionibus suspendi, seu licentias seu facultates, quæ ad confessiones audiendas concessæ fuerint, revocari non posse, nisi nova superveniente causa, quæ ad ipsas confessiones pertineat. Tertio. Episcopum, inconsulta Sede Apostolica, non posse negare omnibus alicujus monasterii religiosis facultatem audiendi sæcularium confessiones: Ea tamen tria capita in Galiis recepta non sunt: Imo contraria praxis in toto regno, & in plerisque aliis orbis Christiani provinciis observatur.

Respondent denique quarto alii Scriptores, Clementis Papæ X. Bullam Romæ quidem, non autem in aliis provinciis promulgatam fuisse: imo nec in eas missam fuisse contendunt. Atqui (inquiunt) constitutiones quibus capita ad disciplinam spectantia continentur, vim non habent nisi iis in locis, ubi specialiter promulgatæ fuerint: imo nec ipsæ generales Synodi, ut clarissime patet de Tridentina, respectu Galliæ multorumque regnorum, in quibus licet quoad fidem, & mores admissa sit: quoad disciplinam tamen nullum omnino habet locum.

Nec illi responso quidquam officit, quod nonnulli reponunt, constitutiones nempe canonicas sufficienter, ut quoad novam disciplinam omnes orbis provincias obligent, censeri promulgatas, cum earum exemplaria Romæ in campo Floræ solemniter affixa fuere. Non officit (inquam) nam (ut in nostris Institutionibus Theologicis agentes de legibus tom. II. demonstratum est) ipsa etiam Concilia generalia, a S. Sede licet confirmata, quoad disciplinæ capita neminem obligant in iis regnis, in quibus specialiter promulgata non fuerunt: Idque manifestum est in Concilio Tridentino, quod (ut jam superius observatum est) vim quoad disciplinæ capita non habet in Galliis pluribusque aliis regnis, quamvis Romæ specialiter promulgatum fuerit a Pio Papa IV. anno 1564. per Bullam, quæ incipit, *Benedictus Deus*. Confirmatur ex eo, quod ipsa Rota Romana censeat constitutiones canonicas nullum robur habere in iis locis, in quibus specialiter promulgatæ non fuerint: unde Gallis, multisque regnis jus non dicit ad normam Concilii Tridentini, quamvis Pius Papa IV. per Bullam, *Ad Sacrorum*, datam Romæ XV. calendas August. ann. 1564. declaraverit laudatæ Synodi decreta ubique gentium a 1 Calendas Maji ejusdem anni 1564. ubique fideles obligasse.

Quæres primo utrum in Diœcesibus, in quibus Episcopi non urgent observationem canonis, *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem Parocho aut alteri de ejus licentia faciendam, fideles qui alieno Sacerdoti debite approbato confitentur, non obtenta imo nec petita a proprio Sacerdote licentia, Ecclesiæ de annua confessione mandato faciant satis?

Juenia de Sacram.

Resp. affirmative. Ratio est, quia cum pastores non urgent legis, de qua agitur, observationem, censentur plebi sibi creditæ facere facultatem, ut alieno Sacerdoti Paschali tempore confiteantur.

Quæres secundo. Utrum qui tempore Paschali alieno Sacerdoti confitentur, cum proposito non petendi pro illo anno licentiam a Parocho, validam confessionem faciant in Diœcesibus, in quibus canon, *Omnis utriusque sexus*, accurate servatur.

Resp. negative: Illa enim confessio est invalida; primo quidem ex parte Sacerdotis alieni, qui (ut habet Concilium Lateranense) nec ligare potest, nec solvere eum fidelem, qui a proprio Sacerdote licentiam non obtinuerit: unde cum Clemens Papa VIII. in Brevi, de quo superius actum est, declaravit Regulares approbatos posse paschali tempore sæcularium confessiones excipere, de iis fidelibus intelligendus est, quibus inest propositum faciendi satis canoni, *Omnis utriusque sexus*, seu qui Sacerdoti proprio aut alieno de illius licentia, eo anno confiteri proponunt. Secundo. Confessio de qua est quæstio, ex parte confitentis irrita est ac nulla: qui enim sic confitetur, non habet prærequisitam Sacramento contritionem, cum non habeat propositum non peccandi de cætero, imo gerat affectum ad peccatum mortale, quatenus scilicet in re, quæ magni sit momenti expresse statuit se non obtemperaturum Ecclesiæ mandato.

Quæres 3. Utrum Parochi inquirere teneantur causas quibus fideles moventur, ut licentiam petant confitendi alieno Sacerdoti.

Resp. non teneri: Eis nimirum debet esse satis, quod fideles sua obedientia Ecclesiæ in proprio pastore reverentiam exbibeant. Verum hoc Parochis inprimis curæ esse debet, ne ovibus quarum sanguinem Christus de eorum manibus requisiturus est, facultatem faciant adeundi quosdam alienos Sacerdotes quos licet debite approbatos, certo scit in administratione Sacramenti Pœnitentiæ parum esse sollicitos de servandis præscriptis per canones regulis, quosve judicat cum fundamento, ex eorum nempe libris, concionibus, verbis, aut sapientum pœnitentium relatione, in solvendis conscientiæ casibus non attendere ad Scripturam aut Traditionem, sed ad solam rationem per peccatum corruptam, aut quos scit in praxi authores sequi, quorum doctrina aut a S. Sede Apostolica, aut Episcopis quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, proscrita fuit: Nec mirum, siquidem (teste Cypriano) ii ministri, qui favere solent pœnitentium libidini, id sunt iisdem pœnitentibus, quod pestilens vastitas animalibus, quod sæva tempestas navigiis, quod grando frugibus.

Quæres 4. Utrum Curati possint paschali tempore generalem suis Parochianis facultatem facere confitendi alienis Sacerdotibus, an vero necesse sit, ut unicuique in particulari eam concedant?

Resp. Parochos teneri, quoad illud caput eam disciplinam servare, quæ obtinet in Diœcesi in qua versantur. In provincia Rhemensi multisque aliis, generalem, seu cuique in communi, facultatem facere non possunt, prohibentibus nimirum locorum Ordinariis, penes quos ejusmodi disciplinæ ordinem stare nemo peritus inficiatur.

CAPUT QUINTUM.

De subjecto Confessionis.

NOmine subjecti hic intelliguntur ii, qui ad Confessionem tenentur: quinam autem ii sint, clare definit author supplementi ad tertiam partem Sancti Thomæ quæst. 6. artic. 3. in corpore, ubi sic loquitur: *Respondeo dicendum, quod ad confessionem dupliciter obligamur; uno modo ex jure divino, ex hoc ipso, quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum. Alio modo ex præcepto juris positivi; & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocentio III. tum ut quilibet*

se peccatorem recognosceret, quia omnes peccaverunt, & egent gloria Dei, tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur, tum etiam, ut Ecclesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.

Certum est itaque fideles omnes, ubi ad annos discretionis pervenerint, esse subjectum confessionis, qua vero anni parte, quibus in circumstantiis iidem fideles confessionem edere teneantur, dicemus inferius, ubi de necessitate confessionis agetur. Verum quæri hic potest an oporteat, ut is qui confitetur, veram habeat contritionem, seu utrum confessio absque contritione edita valeat.

Conclusio. Valet confessio, quam impius absque contritione ediderit.

Probatur primo. Si requireretur contritio, ut confessio valeat, sequeretur neminem idoneum esse ad confessionem, quin pariter ad absolutionem esset idoneus, cum apud omnes sit in confesso eum, qui veram habet contritionem, seu qui de peccatis dolet, quod sint offensa Dei, eo quo par est, modo dispositum esse ad absolutionem: Atqui absurdum est consequens: majorem enim in impiis, vetus Ecclesia requirebat perfectionem animi, ut eos absolveret quam, ut exciperet eorum confessionem. Hinc antiqui Patres iis, qui sua peccata confessi fuerant, imponebant opera satisfactionis, ut per illa cordis contritionem nutrirent, firmarent, delendis cum absolutione criminibus aptam redderent: Unde fiebat, ut inter confessiones pœnitentiam, & eorumdem absolutionem interponerentur plurium annorum satisfactiones.

Probatur secundo. Olim qui post baptismum lapsi aliquo Dei timore concutiebantur, solebant statim ad Sacerdotes accedere, humili confessione peccata detegere, petere agendæ pœnitentiæ ordinem, quem observantes ad illud criminis odium, ad illum amorem pervenirent, quæ sinceram contritionem efficerent. Ad pium illum morem peccatores hortatur Augustinus capite 3. homil. 50. inter quinquaginta, ubi sic loquitur: *Cum ipse peccator in se protulerit severissimæ medicinæ* (nempe secessus ab altaris, & Eucharistiæ participatione) *sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus, & supplex, id tamen agat, quod non solum sibi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum.* Eumdem antiquæ Ecclesiæ morem describit Leo Magnus Epistol. 81. cap. 2. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, ubi hæc habet: *Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Sic autem se gerebant pœnitentes, quod essent persuasi confessionem medium esse ad satisfactionem, Satisfactionem vero viam sternere ad absolutionem, quæ donum contritionis impetraret. Ergo valet confessio, quæ fit ab impio, licet nondum super omnia peccatum suum detestetur, seu satis est, ut ex aliquo pio motu sumat initium.

Objicies primo. Ecclesiastici cap. 17. hæc leguntur: *A mortuo, quasi qui non sit, perit confessio.* Atqui is qui peccatum super omnia non detestatur, coram Deo mortuus est, cum anima non vivat nisi ex Dei amore, qui omnibus illius affectibus prædominetur.

Resp. iis verbis Ecclesiasticum docere, post hanc vitam, prorsus inutilem esse pœnitentiam: unde post laudata verba impios monet, ut dum fruuntur luce, confitendo, se ipsos accusent, Deumque diligant tamquam omnis justitiæ fontem: *Confitebatur* (inquit versu 27.) *vivens, & sanus confiteberis, & laudabis Deum, gloriaberis in miserationibus ejus.*

Nec allatæ solutioni Augustinus repugnat iis in locis in quibus laudatis ex Ecclesiastico verbis utitur, ut probet neminem posse confiteri peccata nisi vivat vita spirituali, quam per resurrectionem mysticam consecutus sit. Textum quo id asseritur, legere est Serm. 8. de verbis Domini: *Mortuus est peccator* (inquit Sanctus Doctor) *maxime ille quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus est Lazarus. Parum enim erat, quia mortuus; etiam sepultus. Quisquis igitur malæ consuetudinis, malæ vitæ, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, fit talis de quali dictum est; A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Quis eum suscitabit, nisi qui remoto lapide clamavit dicens; Lazare veni foras? Quid est autem foras prodire, nisi quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non posset, nisi viveret. Vivere non posset nisi resuscitatus esset.*

Nostræ (inquam) solutioni iis in locis non repugnat Augustinus. Nam primo dici potest Augustinum loqui de quodam vitæ initio, quod est in impiis per eum gratiæ actualis motum, per quem eis peccatum displicere incipit, licet nondum super omnia. Confirmatur ex eo, quod Augustini propositum iis in locis sit, ut exemplo Lazari, quem in sepulchro fœtentem Christus revocavit ad vitam, declaret eum, qui spiritualiter mortuus est, non a se ipso, sed a Christo excitante habere, quod peccatum suum pie confiteatur. Nec immerito id Augustinus asserit; nemo siquidem ex se ipso habere potest illud vitæ spiritualis initium, quod requiritur, ut quis ipsum boni exordium operetur. Secundo. Dici potest Augustinum loqui de confessione: quæ peractæ satisfactioni conjuncta, proxime ad absolutionem disponat: tum quod agat de confessione, quæ perinde testetur animam vivere, ac processio Lazari e sepulchro testabatur eum esse vitæ restitutum: *Qui confitetur* (inquit) *foras prodit. Foras prodire non posset nisi viveret. Vivere non posset nisi resuscitatus esset*; tum etiam, quod loquatur de confessione, quæ ejusmodi sit, ut obscurum relinquat, quid Sacerdotalis absolutio ei conferre possit, qui confitendo probat se a Christo fuisse resuscitatum, hoc enim sibi argumentum objicit S. Doctor: *Dicet ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si jam confessor voce divina prodit? quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait: Quæ solveritis in terra, soluta erunt, & in cœlo?* At nusquam asseruerunt Patres solam pœnitentis confessionem, seu quæ sejuncta sit ab operibus satisfactoriis olim absolutioni præmitti solitis probare conversionem: *Multi* (inquit Sanctus Augustinus Serm. 7. de tempore) *assidue se dicunt esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, non sanatur. Pronunciatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei.* Idem aliquibus post sæculis asseruit Gregorius Magnus: *Signum* (inquit lib. 16. in lib. 1. Regum capite 2.) *veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque vere conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. In fructu ergo, non foliis aut in ramis pœnitentia cognoscenda est.*

Objicies tertio. Catechismus Romanus part. 2. de pœnit. n. 76. vult, ut Sacerdos excepturus confessiones ante omnia observet, an pœnitens vera contritione donatus sit: qua quidem si destitutus judicetur, tum idem Catechismus jubet, ut eum ad contritionem excitare conetur: *Sacerdos* (inquit) *excepturus confessionem ante omnia observet, si pœnitens veram peccatorum suorum contritionem habeat, certumque illi sit, ac deliberatum imposterum a peccatis abstinere; si autem Sacerdos intellexerit eum, qui velit confiteri, adeo peccata sua non dolere, ut vere contritus dicendus sit: conetur magno contritionis desiderio eum afficere, ut deinde hujus præclari doni cupiditate incensus, illud a Dei misericordia petere, & efflagitare in animum inducat.* Paucis interpositis idem Catechismus monet, confessionem editurum in primis docendum esse, *priusquam ad Sacerdotem adeat, omni studio curandum esse, ut peccatorum suorum contritione commoveatur.* Persuasum igitur fuit authoribus Catechismi Romani irritam esse confessionem, quam quis ediderit absque contritione.

Resp. Catechismum Romanum sic locutum fuisse habita ratione disciplinæ, quæ nunc viget, nimirum confessis nulla interposita mora plerumque conferendi ab-

diab-

di absolutionem, si tamen prævіis pietatis operibus, licet sponte peractis, suam conversionem probaverint. Merito igitur catechismi authores Sacerdotem monent ut reum antequam confiteatur, aut ubi confessus est, excitet ad contritionem, cum ea absente, irrita sit data a ministris absolutio. Eadem ratione intelligi debent nonnulli veteres Scholastici quibus visum est necesse esse ut amor Dei super omnia confessionem præcedat,

Caput Sextum.

De proprietatibus Confessionis.

HIC agemus de necessitate, veritate, integritate, & secreto Confessionis Sacramentalis.

Articulus Primus.

De necessitate Confessionis.

NEcessitas confessionis potest considerari habita ratione vel juris divini, vel Ecclesiastici; de ea ad utrumque illum respectum comparata hoc in capite dicendum nobis incumbit.

Superius pag. 389. contra Calvinistas ostensum est peccatorum confessionem ipsimet Christo suam institutionem debere. Verum, cum omnia quæ juris sunt divini, non sint necessaria necessitate medii, quæremus hic primo an ejusmodi sit peccatorum confessio: secundo quandonam obliget divinum confessionis præceptum.

§. I.

Utrum peccatorum confessio sit omnibus post baptisma lapsis necessaria necessitate medii.

COnclusio. Peccatorum confessio cuique post baptismum lapso necessaria est necessitate medii.

Probatur. Absolutio Sacramentalis est omnibus post baptismum lapsis necessaria necessitate medii, ut suse suo loco dicetur. Ergo & confessio peccatorum: Impendi scilicet absolutio non potest nisi per modum actus judicialis; eum sit executio potestatis quam hisce verbis: *Quæcumque ligaveritis super terram &c.* Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus pollicitus est, actus autem judicialis exerceri non potest in reum, nisi illius crimina prius innotuerint; innotescere vero non possunt, præsertim si secreto commissa sint, nisi per spontaneam reorum confessionem. Ergo &c.

Confirmatur illud argumentum ex Patribus, qui (ut ostensum est pagina 390.) ex ea ligandi ac solvendi potestate quam Christus Apostolis concessit, concluserunt cuique lapso confitendi onus incumbere.

Confirmatur iterum ex eo quod iidem Patres damnationem æternam minentur iis qui confiteri detrectarint. Nam primo eum qui peccata confiteri veretur comparant cum iis qui noxium, & mortiferum humorem ex corpore non evomunt; ita Origenes hujusce nostri operis pag. 380. Secundo. Ajunt similem esse iis qui medico non aperiunt morbum quem in verecundioribus corporis partibus contraxerunt, ita Tertullianus superius pag. 378. Tertio. Contenderunt hoc esse discrimen inter confessionem in antiqua lege necessariam, & eam quæ nunc requiritur, quod illa Deo soli fieret, ista vero Sacerdotibus fieri debeat ab impio ut peccatorum suorum veniam consequatur. Ita Chrysost. supra pag. 384. Quarto. Expressis terminis docuerunt confessionem *necessario* fieri debere ab eo qui lapsus est: *Necessario* (inquit Basilius in Regulis brevioribus) *iis peccata aperiri debent, quibus credita est mysteriorum dispensatio.*

Objicies primo. S. Patres recensent multa alia a confessione media quibus peccatorum venia comparetur. Origenes homil. 2. in Leviticum præter baptismum Sacerdotis absolutionem quinque aliorum meminit; *Est adhuc & septima* (via ad consequendam peccati remissionem) *licet dura & laboriosa &c.*

Resp. vias quas Origenes subministrat, esse externa pietatis opera quibus aut obtinetur aut probatur contritio quæ cum confessionis voto impium in casum necessitatis, absente nimirum Sacerdote, & imminente pœnitentis morte, justificat.

Objicies secundo. Multos doctores (alioquin Catholicos) reperire est, qui docuerint confessionem non esse lapsis necessariam. Primo. Petrus Lombardus Magister Sententiarum de necessitate confessionis hæc scribit lib. IV. Sent. dist. 17. *In his enim etiam docti diversa sentire inveniuntur, quia super his varia ac pene adversa tradidisse videntur Doctores.* Secundo. Eamdem quæstionem dubiam, ac ancipitem reliquit Gratianus; ubi enim 2 part. Decreti dist. I. cap. 89. diversos diversa sentientes recensuit, sic loquitur; Quibus authoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus: *Cui autem horum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.* 3. Tertio. S. Thomas de iis authoribus, eorumque sententia, sic loquitur in 4. dist. 27. *An sufficiat soli Deo confiteri, Magister & Gratianus hoc pro opinione ponunt. Sed nunc post determinationem Ecclesiæ sub Innocentio III. factam, hæresis reputanda est.*

Resp. I. apertam hæresim fuisse, etiam ante Concilium Lateranense negare confessionem auricularem negando clavium potestatem: unde opinio Calvinistarum qui negant confessionis necessitatem, quod negent potestatem clavium fuisse Sacerdotibus concessam, expresse fuit hæretica, ante canonis, *Omnis utriusque sexus*, promulgationem, *Quæritur hic* (inquit S. Bonaventura in lib. IV. Sententiarum dist. XVII.) *utrum tales* (seu qui asseruerunt sufficere quod confessio soli Deo fiat) *fuerunt hæretici. Et quod non videtur, quia Magister recitet hoc tamquam opinionem probabilem. Sed contra est, quia negans confessionem, negat absolutionem; ac per hoc negat clavium virtutem, & ita manifeste est contra Scripturam, & ita contra fidem.*

Resp. 2. authores qui admissa potestate clavium, negabant absolutam necessitatem confessionis, seu qui asserebant utilem quidem esse confessionem, & confessos per virtutem clavium recipere peccatorum remissionem, quamvis contenderent confessionem absolute non requiri. Respondeo (inquam) eos authores quippiam humani passos fuisse. Et sane quæ ab eis in causa de qua agitur, scripta sunt, unanimi præcedentium Patrum traditioni opposita sunt, unde licet non fuerint hæretici formaliter (ut vocant) seu cum pertinacia (quod unum volunt Magister Sententiarum & S. Thomas) materialiter tamen fuerunt hæretici, seu propugnarunt opinionem, quæ in se ipsa & a parte rei erat hæretica.

§. II.

Quandonam obliget divinum Confessionis præceptum?

COnclusio. Divinum præceptum confessionis per se obligat lapsos in probabili mortis periculo: Per accidens vero cum quis aliquod Sacramentum vel administrare, vel recipere tenetur.

Probatur prior pars. Commune est omnibus præceptis affirmativis, ut obligent necessitatis tempore, cujusmodi est morale vitæ periculum, ut dum quis conscius alicujus peccati mortalis committit se prælio, vel periculo navigationis, dum mulier prima vice parit; vel aliis vicibus si in primo partu ingentes dolores experta fuerit.

Probatur altera pars. Sacramenta vivorum prærequirunt in suscipiente gratiam sanctificantem, quæ quidem (ut superius probatum est) ordinarie non habetur sine prævia peccatorum confessione. Administratio Sacramentorum (ut hujusce operis dissertatione prima ostensum est) indigne fit, cum peragitur a ministro qui jacet in statu peccati mortalis.

Quæres I. quænam sint alia tempora, in quibus extra

tra casum necessitatis, per se urget divinum præceptum confessionis.

Respondet primo Guillelmus Parisiensis hominem *statim* post admissum peccatum lethale teneri ad confessionem. Sed vera non videtur ea sententia eo quod statim post peccatum non sit semper morale vitæ periculum: unde licet reus qui ad breve tempus differt confessionem, exponat se metaphysico periculo æternæ damnationis, non se exponit tamen morali, ac proinde lethaliter non peccat.

Nec obest, quod nonnulli reponunt ex S. Bonaventura, sanctum scilicet doctorem censuisse quemqne lapsum *statim* ad confessionem teneri. Nam nusquam id docuit S. Bonaventura saltem de laicis hominibus: sic enim loquitur in IV. Sent. dist. 17. part. 2. art. 2. *Aliter censendum de Religioso, aliter de laico. Nam religiosi totum tempus vitæ, est tempus pœnitentiæ, & ideo habita copia Sacerdotis, si peccavit mortaliter credo quod tenetur sine mora confiteri, & ad ipsum recurrere: Laicus vero potest rationabiliter expectare tempus Quadragesimale quod est tempus pœnitentiæ.*

Confirmatur ex eo quod laude dignus videatur peccator, qui differt confessionem, ut ad absolutionem paret se diligentius, per juges nimirum preces petendo contritionis donum, quod quidem Deus unico, & brevi momento non est solitus concedere iis præsertim qui in immane aliquod scelus lapsi sunt. Prætetea piam illam confessionis dilationem probat exemplum veteris Ecclesiæ quæ ad baptismum non admittebat Catechumenos ubi primum nomen suum dedissent. Probat etiam praxis ejusdem veteris Ecclesiæ circa pœnitentes: Licet enim eorum confessiones audiret ubi primum id peroptabant, eis tamen ordinarie non impertiebatur absolutionem nisi post expletam canonicam satisfactionem: Illi igitur persuasum erat nullum inferri damnum lapsis ex eo quod aliquamdiu absolutionis collationem differret, censebat nempe Deum in homine contrito, & agente pœnitentiam, supplere virtutem Sacramenti in causa necessitatis.

Resp. secundo nonnulli alii scriptores lapsum jam divino non teneri ad confessionem *nisi* semel in anno, ita ut non peccet, si ad annum usque suam confessionem differat. Probant ex eo quod (inquiunt) præceptum Ecclesiasticum confitendi semel in anno, sit determinatio divini præcepti confessionis, non absimili ratione qua præceptum Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam in Paschate, est determinatio temporis quo quisque adultus tenetur ad communionem.

Sed veritate non nititur ea sententia. Nam primo sæpe est morale vitæ periculum, intra annum: ac proinde æternæ se damnationis periculo exponit, qui ex segnitie ad annum usque sui peccati confessionem protrahit. Secundo lapsus qui habita opportunitate loci, temporis, Sacerdotis, suam confessionem differt in annum, non potest quin tamquam suæ salutis neglector audiat: unde Patres quondam nonnullis Catechumenis crimini verterunt, quod ex socordia & segnitie ad baptismum accedere detrectarent; arguerunt quoque lapsos qui de die in diem sui criminis exomologesim facere differrent.

Respondendum est igitur ad quæstionem de qua agitur, divinum præceptum confessionis obligare lapsum intra breve tempus: ita ut lapso non liceat in multum tempus secundum prudentum æstimationem, suam confessionem differre. Ratio est, quia ipsa naturali lege docemur diu differri non debere reconciliationem cum Deo quem offendimus. Unde (ait Estius) si amicus qui amicum offendit, si filius qui læsit patrem, rei sint negligentiæ, cum non dant operam ut pro opportunitate redeant in ejus gratiam quem læserunt: multo magis reus est peccator qui multum differt suam cum Deo reconciliationem, quæ quidem ordinarie non fit nisi dum actu absolvitur a Sacerdote, ac proinde post peractam peccatorum confessionem.

§. III.

An Confessio necessaria sit jure Ecclesiastico?

Conclusio: Omnibus Christianis adultis jure Ecclesiastico necessaria est peccatorum confessio: idque semel in anno.

Probatur quarti Concilii Lateranensis canone 21. qui ubique promulgatus est: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* Illa vero verba strictum præceptum continere ostenditur primo ex eo quod Patres Lateranenses sancitam a se legem, *Statutum*, appellent. Secundo eo quod eos qui non obtemperaverint, damnent excommunicatione. Tertio Concilium Tridentinum sess. 14. can. 8. & quæ post illud habitæ sunt Synodi provinciales, & tandem omnium Ecclesiarum consensus laudata verba Concilii Lateranensis de stricto præcepto exponunt. Unde concluditur eum, qui ob rationabilem causam excusaretur a communione Paschali ut ii sunt qui timerent vomitum, non propterea liberum esse ab annuæ confessionis præcepto.

Quæres primo qua anni parte obliget Ecclesiasticum præceptum confessionis.

Resp. Concilium Lateranense nullam in specie anni partem determinasse pro edenda confessione, quamvis Paschale tempus pro Eucharistica communione determinaverit. Nonnulla tamen Concilia quæ in provinciis habita sunt, pro confessione, non minus quam pro communione, tempus Paschale determinarunt ut superius pagin. 394. ostensum est. Quadragesimalis temporis meminit S. Joannes Chrysostomus homilia 30. in Genesim, ubi sic loquitur: *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, facendaque diligens & pura peccatorum confessio.* Ritualia, Pœnitentialia quæ post septimum sæculum conscripta sunt, præscribunt ut lapsi confiteantur ineunte Quadragesimali tempore, ut nempe Quadragesimam pœnitentiæ impendant. Chrodegangus vult ut fideles ter in anno confiteantur. *Hæc est ratio pœnitentiæ & confessionis nostræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus, a nobis pariter agendæ sunt* (inquit in regula quam octavo sæculo pro canonicis Metensibus conscripsit) *idest in unoquoque anno tribus vicibus, idest; in tribus Quadragesimis populus fidelis suam confessionem suo Sacerdoti faciat.*

Quæres secundo per quam confessionem impleatur præceptum Ecclesiasticum confessionis.

Resp. præceptum de quo agitur, impleri tantum per confessionem quæ valeat. Illam enim confessionem semel in anno faciendam præscripsit Ecclesia quam Christus ipse injunxit: Unde merito Alexander Papa VII. proscripsit hanc quorumdam recentiorum Casuistarum propositionem: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Quæres tertio utrum præcepto de annua confessione, omnes omnino adulti fideles ligentur?

Respondent negative plures Theologi: volunt nempe canonem Lateranensem eos tantum obligare qui in statu peccati mortalis versantur. Verum contrariam sententiam superius defendimus tamquam probabiliorem; potestque ex S. Thoma confirmari qui in suppl. quæstione VI. articul. III. sic loquitur: *Respondeo dicendum quod ad confessionem dupliciter obligamur. Uno modo ex jure divino, ex hoc ipso quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt post baptismum. Alio modo ex præcepto juris positivi, & sic tenentur* OMNES *in institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocentio III. tum ut quilibet peccatorem se recognoscere,*

ret, quia omnes peccaverunt, & egent gloria Dei: tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedatur, tum etiam ut Ecclesiarum rectoribus suis subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.

Quæres quarto. Utrum is, qui præcepto non fecit satis statim post annum confiteri teneatur.

Resp. affirmative, quia ideo Ecclesia præcepit confessionem semel in anno faciendam, ne ulterius differatur. Ergo quemadmodum solvendi debitum non desit in debitore, cum præfixo tempore non solvit: ita nec in fideli cessat obligatio confitendi, cum statuto tempore non fecit satis præcepto de annua confessione.

Quæres quinto. Utrum transgressores præcepti Ecclesiastici de annua confessione, sint ipso facto excommunicati.

Resp. negative. Ratio est, quia excommunicatio, de qua Concilium Lateranense loquitur, non est latæ sententiæ, sed ferendæ. Idest pastor vi canonis jus habet ad excommunicandum pertinacem transgressorem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De veritate Confessionis.

Conclusio 1. Qui circa materiam mortalem in confessione mentitur, peccat lethaliter.

Probatur. Si qui neget mortale cujus conscius sit, mutilat confessionem, ac proinde peccat contra illius integritatem. Si e contra accuset mortalia cujus novit se reum non esse, judicem decepit in re gravi, efficitque ut clavis erret. Ergo cum is, qui in materia gravi mentitur in foro fori peccet lethaliter, a fortiori lethaliter peccat, qui in foro poli mendacium admittit circa gravem materiam.

Conclusio 2. Qui circa materiam venialem mentitur in confessione, venialiter tantum peccat. Ita Dominicus Soto.

Probatur. Levitas materiæ efficit, ut quis tantum venialiter peccet contra alias virtutes. Ergo & idem efficit circa virtutem religionis contra quam per confessionem mentientis peccatur; Id quoque patet in eo qui, secluso contemptu, denarium in templo furaretur. Præterea peccata venialia non sunt (ut supra dictum est) materia necessaria confessionis. Ergo per leve mendacium confessio non redditur irrita: non enim efficitur ut judex clave sibi divinitus tradita abutatur vel imponendo pœnam multo graviorem, quam par sit, vel judicando eum esse maxime reum, qui tamen parum reus sit.

Objicies cum Cajetano. Ubi quis venialia confitetur, efficit ut fint materia confessionis. Ergo si ea accuset falso, peccat lethaliter, subjicit nempe Sacramento, quod revera non est illius materia: Si vero neget veniale, quod commisit, Sacramento materiam subtrahit.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia pœnitens dum accusat venialia, quæ non commisit, non facit ea materiam gravem, sed levem; negando vero quæ commisit, nihil de necessaria confessionis materia subtrahit, sed hoc unum efficit ne id sit materia, quod tamquam legitimam materiam apponere poterat.

ARTICULUS TERTIUS.

De Integritate Confessionis.

Docent omnes Catholici formalem integritatem esse semper necessariam ut confessio valeat. Posita est autem illa formalis integritas in accusatione eorum omnium peccatorum, quæ pœnitens hic & nunc confiteri tenetur: ita ut nullum, sive quoad speciem, sive quoad numerum absque debita ratione prætermittat. Ratio est, quia minister in Sacramento pœnitentiæ & judicis & medici officio fungitur, ut superius probatum est: noscere igitur debet omnia rei crimina, omnes infirmi lethales morbos ut reum illum absolvat, ut infirmum illum curet.

Catholicam eam veritatem docuerunt Patres. *Si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationem secreto commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri* (ait Origenes homil. 3. in Leviticum.) Idem assertum est a Theodulpho Aurelianensi: *Confessiones* (inquit cap. 31. Capitularis, quod scripsit ad suæ Diœceseos usum) *dandæ sunt de* OMNIBUS *peccatis*. Nonnulli nono sæculo, quædam subtacebant peccata dum confiterentur: eos autem hisce verbis proscripsit alterum Concilium Cabilonense can. 32. *Sed & hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua Sacerdotibus non* PLENE *id faciunt &c.* Hinc concluditur primo merito Concilium Tridentinum definiisse omnia omnino peccata mortalia, quæ post diligens examen occurrunt memoriæ, confessioni necessario subjici debere: *Ex his colligitur* (inquit sess. 14. cap. 5.) *oportere pœnitentibus* OMNIA *peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima decalogi præcepta commissa*. Concluditur secundo eamdem Sacram Synodum jure Lutheranos damnasse, quod contenderent pœnitentes non teneri accusare circumstantias, quæ peccatorum speciem mutant: siquidem circumstantiæ, quæ mutant speciem, multiplex in uno actu peccatum efficiunt; omnia igitur, etiam quoad numerum, peccata non confitetur qui circumstantiam, quæ mutet speciem, ultro pretermittit: *Colligitur præterea* (ait ibidem laudata Synodus) *etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant*. Tertio Canones non eadem pœna animadvertunt in fornicationem simplicem, qua in incestum cum matre aut sorore, sed multo graviorem pœnam præscribunt: incestus ergo circumstantiam, non vero ipsum solum fornicationis actum, veteres Christiani confitebantur: unde Sacerdotes ad illas præsertim circumstantias, quondam attendere jubebantur: *Debet itaque Sacerdos in pœnitentia danda, singulorum causas singillatim considerare* (inquit Concilium Vvormatiense can. 25.) *originem quoque, modumque culparum..... temporum etiam & personarum, locorum quoque & ætatum, qualitates inspicere &c.*

Docent secundo Catholici materialem confessionis integritatem non esse semper necessariam. Ratio est, quia multæ sunt causæ, quæ ab ejusmodi integritate materiali pœnitentem liberent: Prior est oblivio, quando scilicet quis adhibita morali diligentia non meminit alicujus peccati mortalis, cujus tamen reus sit a parte rei. Ejusmodi causam recenset Concilium Tridentinum: *Sed & impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur* (ait) *impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud a pœnitentialibus in Ecclesia exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelligantur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine*. Altera causa est impotentia Physica, ut si pœnitens, amisso vocis usu, nequeat inceptam confessionem perficere.

Quæ hactenus dicta sunt constant apud omnes Catholicos. Verum triplex circa formalem confessionis integritatem occurrit difficultas: Primo utrum quis confiteri teneatur circumstantias, quæ peccatum intra eamdem speciem multum aggravant. Secundo utrum debeat quoque confiteri peccata dubia. Tertio utrum accusare debeat personam sui criminis participem, si alias aut ejus species aut circumstantia multum aggravans exponi non possint.

§. I.

Utrum quis confiteri teneatur circumstantias, quæ intra eamdem speciem peccatum multum aggravant.

Conclusio. Ad integritatem formalem confessionis necessaria est accusatio circumstantiarum, quæ

quæ intra eamdem speciem peccati malitiam multum aggravant.

Probatur primo. Ex Concilio Tridentino necesse est, ut confessio valeat, pœnitentem confiteri circumstantias quæ peccati speciem mutant. Ergo necesse est quoque ut circumstantias accuset, quæ multum intra eamdem speciem aggravant peccati malitiam. Nam ideo, ex mox laudata Synodo, oportet ut circumstantiæ mutantes speciem accusentur, quod alioquin Sacerdos æquum de criminum gravitate judicium ferre non valeat, nec in satisfactionis impositione servare requisitam æquitatem: *Quod* (inquit Concilium sess. 14. cap. 5.) *fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam quam oportet pro illis, pœnitentibus imponere*. Sed neutrum quoque poterit Sacerdos nisi pœnitens circumstantias multum aggravantes confiteatur: iis nimirum circumstantiis multum augetur peccati malitia, ut patet in incestu filii cum propria matre, qui haud dubie & coram Deo & coram hominibus gravior est incestu, quo quis cum sorore aut nepte se se commacularit. Unde tum in veteribus Conciliis, tum in antiquis Pœnitentialibus multo graviori pœna castigatur.

Probatur secundo. Si pœnitenti liberum esset de circumstantiis multum aggravantibus silere, penes Episcopum non esset sibi ratione illarum circumstantiarum nonnulla crimina reservare: Ideo enim inter casus sibi reservatos non potest venialia peccata recensere, quod pœnitenti aut ea confiteri aut de iis silere liberum sit. At contrarium tamen obtinet in Ecclesia, sibi nimirum Præsules incestum filii cum matre & sorore reservant, quamvis incestum in secundo gradu sibi reservare non soleant.

Probatur tertio authoritate Catechismi Romani, qui conclusionem nostram conceptis terminis & docet & confirmat, De pœnitentia §. *Sed quoniam*, nu. 2. Cohæret quoque cum Innocenti XI. mente a quo proscripta fuit hæc propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*. At tutior opinio qua asseritur non valere Sacramentum si pœnitens circumstantias multum aggravantes nun accuset, in praxi tutior est altera qua probabiliter docetur, etiam sine illarum circumstantiarum accusatione, valere Sacramentum: Hanc igitur opinionem, quantumcumque probabilis supponatur, pœnitens in praxi licite amplecti non potest, relicta altera, quæ, ex ipsis etiam adversariis, tutior est. Idem Innocentius Papa XI. huic alteri propositioni censuram inussit: *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*: Ideo vero eam damnavit quod consuetudo sit circumstantia, quæ peccati malitiam multum auget intra eamdem speciem: Visum est igitur Innocentio pœnitentem teneri circumstantias accusare quæ augent peccati malitiam licet illius speciem non immutent.

Objicies 1. Concilium Tridentinum definiens quænam circumstantiæ accusari debeant a pœnitente, earum tantum meminit quæ speciem mutant: Illi igitur non fuit persuasum requiri earum confessionem quæ licet multum aggravent peccati malitiam, illius tamen speciem non mutant: cur enim, si utrarumque accusatio æque necessaria sit ad confessionis integritatem & valorem, eas tantum recensuit quæ speciem mutent, non autem eas quæ aggravent peccati malitiam.

Resp. 1. Sacram Tridentinam Synodum dedita opera Scholasticam, de qua agitur, quæstionem expresse non definisse; ne scilicet damnaret quosdam Catholicos, quibus visum est eas circumstantias non requiri ad integritatem confessionis. Ex actis laudatæ Synodi, quæ Palavicinus retulit in historiam Concilii Trid. a se conscriptam, constat convenisse Sacram Synodum ut proscriberet hæreticos, non autem ut Catholicos damnaret.

Resp. 2. Concilium Tridentinum meminisse, non quidem formaliter & explicite, sed tantum virtualiter & implicite, debiti quod incumbit pœnitentibus, confitendi circumstantias de quibus est quæstio. Meminit nempe (ut jam observatum est) eo in loco ubi probat necessariam esse confessionem circumstantiarum quæ peccati speciem mutant; quæ enim pro illis valet ratio, valet & pro iis quæ peccati malitiam multum aggravant.

Objicies 2. S. Thomas in 4. Sent. dist. 3. artic. 2. qu. 5. asserit opinionem quæ negat pœnitentem teneri ad confessionem circumstantiarum aggravantium, esse multo probabiliorem ea qua contrarium affirmatur.

Resp. 1. S. Doctorem loqui de circumstantiis quæ intra eamdem speciem non multum augent malitiam peccati: sic enim ratiocinatur. (Venialia non sunt de necessitate confessionis, sed tantum mortalia quæ habent quantitatem quodam modo infinitam.) Ubi ergo S. Thomas concludit non requiri confessionem circumstantiarum aggravantium, de iis agit quæ non habent quantitatem quodammodo infinitam, seu quibus non multum augetur peccati malitia.

Resp. 2. id, quod objicitur, juniorem S. Thomam docuisse, cum nempe Sententiarum libros exponeret. Unde (ut hic observat Dominicus Soto) tanti hac in causa non est facienda illius opinio, quanti deberet fieri, si senex eam in Summa docuisset.

Objicies 3. Pœnitens non tenetur confiteri circumstantias quæ multum detrahunt de peccati malitia: Ergo nec eas quibus multum augetur. Antecedens ex eo probatur quod is qui confitetur circumstantias, quæ peccati malitiam minuunt se ipsum excusare potius quam accusare videatur.

Resp. neg. ant. alioquin enim confessario judici præberetur causa errandi in materia gravi, quod non licet. Ad probationem vero dico confessionem circumstantiarum quæ peccati malitiam minuunt, non esse excusationem, ut adversarii fingunt, sed rei ipsius, prout se habet realiter, declarationem.

§. II.

Utrum, ut integra sit confessio, accusari debeant peccata dubia?

Conclusio. Ut integra sit confessio, accusari debent peccata dubia.

Probatur 1. Pœnitens dupliciter potest esse dubius circa peccatum; circa factum nempe, vel circa jus, seu an hoc vel illud peccatum commiserit, an ipsum jam accusarit alia vice, vel utrum hic vel ille actus quem certo novit se admisisse, sit peccatum mortale aut veniale. Atqui pœnitens duplici illo in casu tenetur peccatum dubium confiteri: alioquin enim exponeret se se periculo mutilatæ confessionis, proindeque infringendi legem qua Christus integritatem confessionis injunxit. 2. Qui dubitat an laboret lethali morbo, tenetur adhibere pharmacum quod aptum sit illi curando, præsertim si supposita morbi veritate, absolute ad illius curam requiratur, ut revera requiritur confessio ut quis post baptismum a peccato liberetur. 3. Qui prudenter dubitat an baptismum receperit, tenetur illum sub forma conditionali recipere: Ergo pœnitens tenetur quoque confiteri peccatum cum dubitat an illud jam alia vice confessus sit: confessio enim lapsis post baptismum non minus necessaria est, quam ipse baptismus nondum regeneratis.

Objicies 1. Vera est hæc juris regula: *In dubiis melior est conditio possidentis*. Ergo cum pœnitens dubius de peccato, sit in possessione suæ libertatis, penes est ipsum aut accusare peccatum de quo dubitat, vel de eo silere dum confitetur.

Resp. 1. eam juris regulam habere locum tantum in materia justitiæ, v. gr. cum aliquis dubitat an verus sit dominus agri quem possidet, an vero ad alium pertineat. Resp. 2. in casu de quo est quæstio possessionem stare pro Dei lege qua confessionis integritas præcipitur: aut saltem dubium est an possessio stet pro Pœnitentis libertate an vero pro lege: in dubiis autem semitam debemus eligere tutiorem, præsertim cum de valore Sacramentorum agitur, ut constat ex mente Innocentii Papæ XI. a quo (ut jam superius observatum est) proscripta fuit hæc propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*.

Obji-

Objicies 2. In foro fori non judicatur de peccatis dubiis: Ergo nec in foro poli, cum non minus in isto quam in illo minister agat personam judicis.

Resp conc ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia forum Fori ordinatur tantum ad castigandum reum, forum vero Poli satagit de illius absolutione: quemadmodum ergo, si erectum esset aliquod tribunal, in quo ii omnes qui laborarent peste, tenerentur morbum detegere ad sanitatem recuperandam, deberent morbum etiam dubium accusare: ita etiam fieri debet in tribunali pœnitentiæ, cum confessio necessaria sit necessitate medii, ut quis fidelis peccati remissionem consequatur.

§. III.

Utrum, ut integra sit confessio, accusari debeat persona criminis occulti particeps?

QUæremus hic 1. utrum apud antiquos criminis particeps accusaretur a pœnitente: 2. utrum his etiam temporibus accusari debeat.

Conclusio 1. Pœnitens in confessione quondam nonnullis in casibus accusare solebat personam criminis occulti participem.

Probatur. Pœnitens jubebatur accusare criminis participem 1. cum alioquin explicari non poterat peccati species: *Cum sorore coitus* (inquit Basilius ad Amphilochium can. 67. *homicidæ tempore punietur.* Hæc iterum habentur can. 75. *Qui cum propria ex matre Sorore pollutus est, in domum orationis ne permittetur accedere, donec ab iniqua & nefaria actione desistat. Postquam autem in horrendi peccati sensum & animadversionem venerit, triennio defleat.* Hæc etiam leguntur can. 79. *Ii autem qui in suas Novercas insaniunt, sunt eidem canoni obnoxii, cum & ii, qui in suas sorores insaniunt.* Si vero determinata vel graviori vel leviori pœna pro qualitate ejus qui criminis particeps esset, canones animadverterint in pœnitentem, necesse fuit ut pœnitens sui flagitii socios accusaret. Pœnitens 2. idem jubebatur cum persona sceleris particeps multum augeret aut minueret peccati malitiam: *Occidisti tu liber servum senioris tui, qui nihil in te peccavit, sed jussu senioris tui, quadraginta dies, idest carrinam in pane & aqua cum septem sequentibus annis pœniteas & senior tuus similiter .... Si autem tu servus conservum tuum jussu Domini tui occidisti, Dominus tuus quadraginta dies, idest, carrinam in pane & aqua cum septem sequentibus annis pœnitere debet, & tu tres quadragesimas.* Verba sunt excerpta ex lib. 19. Decretorum Burchardi Episcopi Vvormatiensis. Circumstantia aut captivitatis aut libertatis non est circumstantia, quæ mutet speciem actus, sed tantum quæ augeat aut minuat ejusdem actus malitiam intra eamdem speciem; efficiebat tamen ea circumstantia, ut pœna, quæ ex præscripto canonum erat infligenda, aut gravior esset aut levior: Necesse igitur erat ut reus eam circumstantiam confiteretur. 3. Idem dicendum est de peccatis, quæ marito cum uxore, & uxori cum marito communia sunt; hæc enim vel numquam confessario aperiri debebant, quod dictu est absurdum, vel persona particeps erat in confessione detegenda; unde in veteri Pœnitentiali Romano titulo III. cap. 6. multa similis accusationis exempla legere est.

Nec audiendi sunt, qui respondent majores nostros accusasse criminis participem si crimen publicum esset, non autem si occultum. Nam 1. quæ ex canonibus mox relata sunt, occulta erant maxime, quippe quod si fuissent publica: pœna capitis in ea fuisset animadversum a magistratu politico. 2. Canones locis proxime laudatis indefinite loquuntur, seu pœnam, quam decernunt, non restringunt ad publica crimina; de occultis igitur intelligenda sunt: alioquin dicendum foret canones castigasse quidem publica crimina, sed nullam unquam pœnam determinasse pro occultis, quæ publicis frequentius eveniunt: quod est absurdum. 3. Tum in libris Pœnitentialibus, tum in Conciliorum decretis legere est exempla accusationis criminum, quæ publica esse non potuerant: *Si quis* (inquit Concilium Triburiense cap. 43.) *cum qualibet fornicatus fuerit, & eo nesciente filius ejus, vel frater ejusdem, & rei inscius, cum eadem se polluerit, & postquam se pollutum esse cognovit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum juramento confirmaverit, quia hoc pœnituit, & confessus fuit, post peractam congruam pœnitentiam legitimo utatur matrimonio.* Aliud exemplum videre est in Concilio Vvormatiensi cap. 62. *Si quis* (inquit) *cum matre & filia in adulterio mansit, nesciente matre quod cum filia mansisset, similiter & filia nescia, & postea ille vir si acceperit mulierem, dimittat eam & usque in diem mortis suæ non habeat uxorem: & illa mulier quam reliquerit, accipiat virum. Et illa mater & filia cum quibus in adulterio mansit ambabus nescientibus, quod cum matre & filia mansisset, habeant viros: nam in notitiam earum si venerit hoc scelus, dimittant viros.*

Merum pariter est effugium, quod nonnulli reponunt, ignotos scilicet fuisse Sacerdoti criminum socios, quos pœnitens accusare consueverat. Nam (ut recte ratiocinatur Morinus noster lib. 11. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. XII.) iis temporibus soli Episcopi, Parochi, aut eorum Vicarii, aut alii Presbyteri Ecclesiis Parochialibus adscripti, fidelium confessiones audiebant, per totam vitam iis in parochiis commorabantur, vixque aliquando transferebantur in alias Ecclesias, ac proinde nullus erat fere in parochia, quem de facie non nossent. Cum igitur Ancilla se a Domino stupratam confitebatur, statim Sacerdoti veniebat in mentem, quinam in individuo esset ille Dominus: sic etiam cum liber aut servus fatebantur se laicum interfecisse jubente seniore, statim Sacerdoti perspectum fiebat quinam esset ille Senior. Confirmatur ex eo, quod plebi passim non liceret alienum parochum adire, nec tunc essent Monachi, ut sunt quatuor ab hinc sæculis, qui fidelium confessiones exciperent.

Quæres an criminis socius, quondam accusaretur; quamvis nihil conferret ad cognoscendam aut peccati speciem aut illius malitiam?

Resp. affirmative: idque 1. cum grave alioquin incommodum obortum fuisset, ut est v. g. matrimonium invalidum. *Si homo fornicatus fuerit cum muliere* (verba sunt Pœnitentialis Romani, tit. 3. cap. 11.) *& frater ejus nesciens eamdem duxerit uxorem, frater eo quod fratris crimen celaverit, quatuor annis pœniteat, & post pœnitentiam si vult nubat. Mulier autem usque ad mortem pœniteat, & sine spe conjugii maneat.* 2. Non modo pœnitens sui criminis socium accusare consueverat, sed & id fiebat ab innocentibus ad reorum correctionem. *Nolo* (inquit Augustinus hom. 49. ex quinquaginta cap. 5.) *talem patientiam habeant Christianæ mulieres, prorsus zelent viros suos, non propter carnem suam, sed propter animas illorum. Omnino ergo moneo, ego præcipio, ego jubeo, Episcopus jubet, Christus in me jubet: Nolite viros vestros permittere fornicari, interpellate contra illos Ecclesiam. Non dico judices publicos, non Proconsulem, non Vicarium, non Comitem, non Imperatorem, sed Deum Patrem, & Christum & spiritum sanctum. In cæteris omnibus ancillæ estote virorum vestrorum, subditæ ad obsequium. Sed ubi ventum fuerit ad illud negotium, ubi vos Apostolus æquavit, dicens, Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro, clamate pro re vestra.*

Conclusio 2. His etiam temporibus, ad confessionis integritatem necesse est ut pœnitens criminis socium accuset, si alioquin aut peccati species aut malitia a Sacerdote cognosci non valeant.

Probatur 1. ex eo, quod pœnitenti jure divino incumbat onus integre confitendi, ne scilicet clavis erret in manu sacerdotis: ab eo autem onere non liberatur per sui socii culpam. 2. Rationes quibus olim adducti sunt Patres ut socius criminis accusaretur in casu de quo est quæstio, valent his etiam temporibus: non minus enim hac ætate, quam antiquitus necesse est ut reus pro gravitate criminis a Sacerdote castigetur: gravitas autem illa nonnumquam haberi non potest, quin criminis particeps a pœnitente retegatur, ut si quis cum matre aut sorore coierit:

Obji-

Objicies. Qui criminis participem accufat in confeffione Sacramentali, detrahit illius famæ. Ergo eum confeffario retegere non poteft. Probatur confeq. Eft de jure naturali ut confulamus proximi famæ quamdiu occultum eft illius crimen: Integritas vero confeffionis eft folum de jure pofitivo: Cum vero duo præcepta fibi invicem opponuntur, feu cum unum vetat quod aliud injungit, illud quod juris eft naturalis, alteri quod folius eft juris pofitivi præferri debet.

Refp. 1. neg. ant. Ratio eft, quia (ut mox demonftratum eft) pœnitens olim accufabat fui criminis focium: Et tamen nufquam apud Patres tamquam detractor audit. Refp. 2. criminis participem, cum libere peccarit, fe ipfum conftituiffe obnoxium accufationi pœnitentis: unde fi id ducat pœnæ loco, eam pœnam imputet fibi oportet. Confirmatur duplex illa folutio 1. ex natura Sacramenti Pœnitentiæ, quod quidem (ut fides docet) judiciali forma inftitutum eft, feu verum eft de actionibus omnium fidelium tam interioribus quam exterioribus judicium a Sacerdotibus nomine Chrifti exercitum: Ergo quemadmodum detractor non audit qui criminis confcium accufat apud judicem fæcularem, præfertim fi de eo fervata juris forma, interrogetur: ita nec pœnitens qui ad confeffarium defert criminis participem ut cum injuncta a Chrifto integritate proprium fuum crimen accufet, ac pro illius gravitate caftigetur. Confirmatur 2. ex ipfius peccati natura, quæ expofcit propter detrimentum quod infert reipublicæ Chriftianæ, ut confeffario, judici, & medico retegatur, nonnumquam quidem in ipfius participis emolumentum, fed femper in cafibus de quibus eft quæftio, in bonum pœnitentis cujus morbo fecurius confulet fpiritualis medicus, cum ei perfpectæ fuerint peccati gravitas & fpecies, quæ quidem (ut jam obfervatum eft) fæpius cognofci non poffunt a Sacerdote, nifi criminis focius a pœnitente accufetur.

ARTICULUS QUARTUS.

De fecreto Confeffionis.

CONfeffio poteft effe fecreta, vel ex parte confitentis, vel ex parte miniftri a quo excipitur: De fecreto confeffionis ad utrumque illum refpectum comparata, hoc in capite dicendum incumbit.

§. I.

An confeffio ex parte pœnitentis debeat effe fecreta?

COnclufio 1. Nullo divino præcepto mandatum eft, ut occulti criminis confeffio fit publica.

Probatur primo ex eo quod nec in Scriptura nec in Traditione ejufmodi mandatum reperire fit. Secundo. Ex Concilio Tridentino, quod quidem fefs. 14. capit. 5. fic loquitur: *Cæterum quoad modum confitendi fecreto apud folum Sacerdotem, etfi Chriftus non vetaverit, quin aliquis in vindictam fuorum fcelerum, & fui humilitatem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclefiæ offenfæ ædificationem, delicta fua publice confiteri poffit, non eft tamen hoc divino præcepto mandatum, nec fatis confulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta præfertim fecreta, publica effent confeffione aperienda.* Tertio. Doctrinam illam Concilium Tridentinum hauferat ex præcedenti traditione Patrum inter quos Leo magnus afferit ad peccati occulti remiffionem fatis effe confeffionem quæ Sacerdoti fecreto fiat: *Cum reatus confcientiarum* (inquit Epift. 80. ad Epifcopos Campaniæ) *fufficiat folis Sacerdotibus indicari confeffione fecreta.* Quæ quidem Leonis fententia aperte præfocat Sectariorum fyftema contendentium confeffiones quas traditio recenfet, olim factas fuiffe non ad remiffionem peccatorum, fed ad folam Ecclefiæ Catholicæ ædificationem.

Conclufio 2. Peccata publica, feu quæ Ecclefiæ fuerant fcandalo, pœnitentes antiquitus palam confitebantur.

Probatur ex Eufebio qui hiftoriæ lib. 7. cap. 6. fcribit Heraclam Alexandrinum Epifcopum folitum fuiffe, *eos qui ab hæreſi veniebant, aut qui ab Ecclefia defecerant, fed videbantur adhuc cum fidelibus congregari, accufatos quod cum aliquo eorum qui diverfa docent, converfati effent, & adhæfiffent, ab Ecclefia expellere; Et licet deprecarentur, non admififfe, quoad omnia quæ ab adverfariis audiviffent, palam apud omnes effent elocuti, tumque in Ecclefiam eos recepiffe.* Nec obeft quod ea crimina quorum confeffionem Heraclas exigebat, effent aliena: Nam fi cogebat aliena peccata in eo cafu confiteri, multo magis imperabat ut pœnitens propria confiteretur.

Aliud exemplum Schifmaticorum redeuntium ad Ecclefiam, & fcelera fua palam confitentium fufficit Cornelius Papa apud Eufebium hift. lib. 6. cap. 35. ubi fic loquitur: *Cum Novatum attentius confideraffent, & callidam ejus fraudem, verfutiam, perjuria, mendacia, agreftem inhumanitatem ab omni vitæ communione alienam, veteratoriam denique inftar lupi amicitiam deprehendiffent, eo relicto ad fanctam Ecclefiam reverterunt, atque omnes ejus fallacias & maleficia quæ longo tempore intimo pectore obtexerat, multis præfentibus, tum Epifcopis, tum Presbyteris, tum Laicis, quamplurimis palam oftendere, & cum lacrymis & querela, cum dolore & pœnitentia fuam vicem deplorare cœperunt, quod fubdolæ illius & efferatæ beftiæ confilio ab Ecclefia, etiam vel ad exiguum temporis fpatium defciviffent.*

Ibidem aliud publicæ confeffionis exemplum a mox laudato Cornelio traditur de uno ex tribus Epifcopis, qui crapula oppreffi, & per vim coacti Novatum confecrarant Epifcopum: *Ex quibus* (inquit) *Epifcopis unus non longe poft peccatum flebiliter lamentatus, & idem aperte confeffus ad Ecclefiam revertit, quem populo univerfo pro eo rogante, tandem ut laicum in communionem recepimus.*

Idem Eufebius lib. 6. cap. 8. aliud enarrat exemplum de viro quondam Narcifli Hierofolymitani Præfulis fanctiffimi calumniatore. Is duorum fceleris fociorum morte repentina perterritus, coram omnibus confeffus eft fuas in Narciffum iniquas criminationes, quas tamdiu deflevit ut utrumque fibi extinxerit oculum. *Palam* (inquit) *inter omnes maleficia communiter a fe fuifque fociis per fraudem contra Narciffum admiffa confeffus eft, tantifque & tam acerbis delictis pœnitens lamentis afflictus eft, tantumque lacrymarum effundere non deftitit, ut utrumque fibi oculum extinxerit.*

Ea vero, de qua hactenus, difciplina Apoftoli præcepto nititur, quod quidem præceptum laudat Synodus Tridentina fefs. 24. cap. 8. ubi hæc habentur: *Apoftolus monet publice peccantes palam effe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum confpectu crimen commiffum fuerit, unde alios fcandalo offenfos, commotofque fuiffe, non fit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ Pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo fuo ad malos mores provocavit, fuæ emendationis teftimonio ad rectam revocet vitam.*

Conclufio 3. Per plura fæcula ufus obtinuit ut lapfi quædam crimina, licet occulta, palam confiterentur.

Probatur primo. Tertullianus libro de Pœnit. capitibus 10. & 11. multis invehitur in eos qui aut differebant aut intermittebant Pœnitentiæ actionem. Ab ea nonnulli deterrebantur, quod crimen confiteri non auderent: alii vero quod duri effent labores, qui in vindictam criminis, quod quis confeffus fuiffet, infligebantur. Duplicem eam rationem quæ plures avocabat ab actione pœnitentiæ Tertullianus infectatur iis verbis quæ publicam confeffionem ævo fuo fieri folitam fuiffe demonftrent: *Plerofque tamen* (inquit) *hoc opus ut publicationem fui, aut fuffugere, aut de die in diem differre præfumo, pudoris magis memores quam falutis: Velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione confcientiam medentium vitant, & ita cum erubefcentia fua pereunt, &c. Certe periculum ejus fi forte tunc onerofum eft, cum penes infultaturos in rifiloquio confiftit, ubi de alterius ruina alter attollitur, ubi proftrato fuperfcenditur. Cæterum inter fratres atque confervos, ubi communis fpes, metus, gaudium, dolor, paffio, quid tuos aliud quam te opinaris? Quid confortes cafuum tuorum, ut plaufores fugis? Non poteft corpus de unius membri vexatione lætum* age-

agere, condoleat universum, & ad remedium collaboret, necesse est &c. Grande plane emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur: videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeone existimatio hominum & Dei conscientia comparatur? An melius est damnatum latere, quam palam dissolvi? Ea autem omnia quæ sigillatim describit Tertullianus, confessioni privatæ, quæ unius in aurem Sacerdotis fiat, convenire non posse manifestum est: Supponit nempe multitudinem, qua præsente fieret confessio cum hæc ait: *Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere*. Plerosque adfuisse testes cum lapsus confitebatnr, supponunt hæc alia ejusdem Tertulliani verba: *Certe periculum ejus, &c.... Cæterum inter Fratres, &c.*

Secundo. S. Ambrosius alludens ad supplicationes a pœnitentibus post confessionem criminis fidelibus fieri solitas quo pro ipsis pœnitentibus contritionis donum obtinerent, & tandem ab Ecclesia, peracta satisfactione reconciliationem, sic loquitur: *An testes precationis, & conscios refugis, cum si homini satisfaciendum sit, multos necesse est ambias, obsecres, ut dignentur intervenire, ad genua te ipse prosternas, &c. Hoc ergo in Ecclesia facere fastidis ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad Deum obsecrandum sanctæ plebis requiras, ubi nihil est, quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cum omnes simus peccatores, ubi ille laudabilior qui humilior.* Non ægre ferebant ii pœnitentes, de quibus laudatus ex Ambrosio locus intelligitur, fateri in genere se peccatores esse, cum vel ipsi homines sanctissimi id confiteri non detrectent. Non verebantur quoque peccata in specie occulte Sacerdoti aperire, cum pudoro enim illo conciliari non potest præsentia plebis, cui vult Ambrosius ut pœnitens non vereatur fateri suum scelns, *Ut patrocinium sanctæ plebis requiras, ubi nihil est quod pudori esse debeat nisi non fateri.*

Tertio. Occulta crimina nonnumquam palam evulgata fuisse a pœnitentibus demonstrant responsa, quæ ad subsequentes quæstiones adhibentur.

Queres primo. Utrum lapsi quælibet occulta peccata publice quondam confiterentur?

Resp. 1. Veteres publice confessos non fuisse peccata sic occulta, ut omnes omnino præter reum laterent. Ratio est 1. qnia rei non confitebantur scelera in quæ leges animadvertebant capite, ut est homicidium, & perpetratum a mulieribus conjugatis adulterium. *Removeatur* (inquit Leo Magnus Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ) *tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remedio arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare, quibus possunt legum constitutione percelli.* Confirmari potest ea responsio ex eo quod mulieres occulti adulterii reæ non ad Prostratos pœnitentes, sed ad Consistentes tantum dimitterentur, ne scilicet a maritis in perpetrati criminis suspicionem venirent: *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas* (inquit Basilius can. 34.) *publicare quidem Patres nostri prohibuerint, ne convictis mortis causam præbeamus. Eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Ratio est secundo, quia ea tantum occultorum criminum fiebat confessio, quæ poterat esse fidelium ædificationi: *Si intellexerit, & prævideret, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est:* verba sunt Origenis homil. 2. in Psal. 37. agentis de adeundo Sacerdote, cui occultissima quæque peccata detegantur. Atqui cujuslibet peccati publicatio non fuisset Ecclesiæ ædificationi, imo nonnumquam ipsi extitisset scandalo: id patet in muliere illa Constantinopolitana stuprata a Diacono, de qua ex Socrate & Sozomeno paginis 389. 390. multa diximus; ea nempe mulier toti Ecclesiæ summo fuit scandalo cum perpetratum occulte cum Diacono sacrilegium in publico fidelium cœtu confessa est.

Resp. 2. Patres, cum agunt de publica criminum occultorum confessione, plerumque de iis intelligi debere, in quorum suspicionem lapsi venerant aut ex alicujus testis delatione, aut ex fama alioquin publica, sed quæ probarionibus deficeret: Peccatorum, quæ sic essent occulta, publica confessio ædificationi poterat esse Ecclesiæ: lapsos ut eam confessionem ederent, Patres sæpius hortati sunt.

Juenin de Sacram.

S. Augustinus homilia ultima libri quinquaginta homiliarum, hæc habet, quæ nostram responsionem adstruant: *Id tamen agat* (is qui post peccatnm reconciliationem ambit) *quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum: Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam non recuset, non resistat.* Nec obest quod Augustinus eo loci expresse non meminerit confessionis: Eam enim hisce vocibus: *Agere pœnitentiam*, subintelligit: siquidem sola satisfactione publica, non deleto crimine in cujus suspicionem impius venerat, itum non fuisset obviam scandalo, quod fuerat obortum ex circumstantiis in quibus visus fuerat idem peccator: multi scilicet, etiam maxime pii, nullum confitendo crimen, ultro & voluntarie, solins pietatis causa, pœnitentium classes publice decnrrebant.

Aliud exemplnm confessionis publicæ occulti peccati, sed quod habeat suspicionem publici aut saltem pluribus cognati, legere est apud Cyprianum Ep. 62. Quædam Virgines Deo sacræ in eodem lecto cum Masculis deprehensæ fuerant. Delatæ ad Pomponium Episcopum damnantur pœnitentia canonica: factum illæ confitentur, sed objiciunt se minime corruptas fuisse, petuntque ut ab obstetricibus inspiciantur, ac probentur. Pomponius Cypriannm consulit, a quo hocce responsum accepit primo merito abstentum fuisse Diaconum, qui inter eos Masculos repertus fuerat, qui una cum illis virginibus in eodem lecto deprehensi fuerant: *Et idcirco* (inquit) *consulte & cum vigore fecisti, frater charissime, abstinendo Diaconum qui cum virgine sæpe mansit, sed & cæteros qui cum virginibus dormire consueverunt.* Secundo oportere eas virgines inspici ab obstetricibus, ut petierant. *Et si virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad Ecclesiam admitti, hac tamen interminatione, ut si ad eosdem masculos reversæ fuerint, aut si cum eisdem in una domo, & sub eodem tecto simul habitaverint, graviore censura ejiciantur, nec in Ecclesiam postmodum facile recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est, & ideo æstimato justo tempore, postea Exomologesi facta ad Ecclesiam redeat.* Ex quo patet Cyprianum voluisse, ut illæ virgines paucis notum crimen publice confiteantur antequam donarentur reconciliatione Sacramentali.

Quæres 2. An cuique quondam liberum esset occulta quævis peccata publice confiteri?

Resp. nogative: Tenebantur nimirum fideles Episcopum, aut Pœnitentiarium adire ex cujus consilio, & non alias secreta quædam peccata, palam, seu in fidelium cœtu confiterentur. Eam praxim aperte tradit Origenes homil. 2. in Psal. 37. *Tantummodo* (inquit) *circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum... Si intellexerit, & prævideris talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat... multa hoc deliberatione & satis perito Medici illius consilio procurandum est.* Eamdem disciplinam probant hæc quæ jam superius laudata sunt Augustini verba homilia ultima lib. quinquaginta homiliarum: *Veniat* (is quem in corde peccati pœnitet) *ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur.... & a præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id agat quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat.*

Quæres 3. qua ratione Antistites quondam gererent

se in eos qui occulta peccata publice aut confitebantur, aut confiteri detrectabant.

Resp. 1. Antistites palam fuisse minatos excommunicationem iis, qui aut delati aut qui vehementi præsumptione venerant in suspicionem, crimen tamen confiteri detrectassent: *Ubi manifestari potest* (verba sunt Burchardi libro 6. cap. 24. excerpta ex can. 2. Concilii Turonensis) *quemlibet hominem perpetrasse homicidium, secundum canonicam auctoritatem condignum Pœnitentiæ judicium illi ingeratur. Si autem manifestis indiciis non potest probari eum homicidam esse, nec ipse vult confiteri, omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifesta sunt, reservetur: Et tamen judicetur publice a Presbytero quod communione Ecclesiastica indignus sit, & ea carere debeat, donec perpetratum crimen confiteatur, & per confessionem & pœnitentiam condignam ab hoc crimine se absolvere certet.*

Resp. 2. Antistites corripuisse in occulto quod per se ipsos aut secreta rei revelatione noverant: sed a publica communione reum illum non arcebant, nec ad publicam pœnitentiam soliti erant cogere: *Plerique boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, judicibus Ecclesiasticis probare non possunt?* (inquit Augustinus homilia ultima lib. quinquaginta homiliarum) *Nos vero a communione quemquam probibere non possumus, quamvis hæc probibitio non sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex?*

Quæres 4. quandonam usus quædam occulta peccata publice confitendi evanuerit?

Respondent nonnulli usum illum abrogatum fuisse in Oriente, Nectarii Patriarchæ temporibus qui Pœnitentiarium extinxit a quo pœnitentes discebant quænam ex suis peccatis occultis accusarent coram publico fidelium cœtu. Respondent alii obtinuisse illum morem in Occidente, quamdiu pro peccatis occultis injuncta fuit pœnitentia publica, idest per sex priora sæcula & amplius. Nec obstat textus supra relatus ex Epistol. 80. Leonis Magni ad Episcopos Campaniæ: Eo enim in loco duo tantum a Leone prohibentur quæ usui de quo est quæstio nullum detrimentum inferunt: Vetatur nimirum 1. ne omnium omnino indiscriminatim peccatorum publica confessio exigatur: 2. ne quis ad eorum etiam quæ occulta sunt, & in quæ leges politicæ non animadvertunt confessionem, cogantur, nisi probationes adsint aut conjecturis quibusdam reus in magnam illorum venerit suspicionem: Duo vero illa capita non tantum post Leonis tempora, sed etiam ante longe fuerunt in probato Ecclesiæ usu: si qui enim ministri contrarium alicubi tentarint, ut revera nonnulli tentarant in Campania, nusquam probati sunt, nec ab Ecclesia probari potuerunt: unde S. Leo praxim illorum definit esse contra Apostolicam regulam: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri. De Pœnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur at de singulorum peccatorum genere, libellis scripta professio publice recitetur.*

§. II.

Utrum confessio ex parte ministri a quo excipitur, debeat esse secreta?

Methodi causa hunc articulum partiemur in duos Paragraphos: in priore quæremus quo jure confessionis minister ad secretum teneatur: expendemus autem in altero quænam sub confessionis secretum cadant.

§. III.

Quo jure Confessionis minister ad secretum teneatur?

Conclusio. Confessio ex parte ministri, a quo excipitur, debet esse secreta jure Naturali, Divino, & Ecclesiastico.

Probatur prior pars. 1. Ex revelatione factæ confessionis, plerumque sequeretur infamia in pœnitentes, cui jus naturale vetat ne detur aliquis locus. 2. Quæ extra confessionem sub secreti sigillo excipimus, jure naturali tenemur secreta servare: Ergo a fortiori & quæ audita sunt in confessione.

Probatur altera conclusionis pars. Minister in Sacramento Pœnitentiæ gerit Christi vices: Ergo sicut Christus numquam ad ignominiam confitentis proditurus est peccatum quod dimittit per suos ministros; ita nec ministri possunt illud prodere: cum enim unam constituant cum Christo personam, eodem modo, jure divino tenentur se gerere quo ipse Christus se gerit.

Probatur tertia conclusionis pars. 1. Apud Gratianum de Pœnit. dist. 6. cap. *Sacerdos*, laudatur hicce Canon sub Gregorii nomine: *Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque quod absit pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiose peregrinando pergat.* Contendunt aliqui scriptores Gregorium quem eo loci Gratianus laudat esse Gregorium Magnum; Verum æquius censere videntur qui illud decretum adscribunt Grægorio Papæ VII. aut alicui authori cui illi fuerit æqualis: Siquidem circa Gregorii septimi tempora peregrinatio pro satisfactione cœpit pœnitentibus injungi. 2. Concilium lateranense IV. sub Innocentio Papa III. idem hisce verbis definiit can. 21. *Caveat autem omnino* (Sacerdos qui pœnitentis confessionem excepit) *ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.*

Quod ab undecimo sæculo ad hanc usque ætatem Patres & Theologi de confessionis secreto scripserunt, docti fuerant ab iis qui vixerant prioribus sæculis. Tertullianus eam secreti legem iis opponit qui præ verecundia confiteri detrectabant. *Quid tuos* (inquit lib. de Pœnitent.) *aliud quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, ut plausores fugis?* Quasi dixisset, Te ipsum non prodes, occultum crimen tuum coram promiscua plebe temerario non deteges. Ergo nec ministri, nec fratres tui cum sint maxime pii, illud non evulgabunt in publicum: eamdem enim fere tecum personam constituunt. Narrat Sozomenus hist. lib. 7. cap. 16. Patres antiquos ab initio dedisse operam ut ii qui confessionibus excipiendis præficerentur, secreti maxime tenaces essent: *Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quam maxime spectabilem, secretorum etiam maxime tenacem ac sapientem huic officio præfecerunt: ad eum accedentes, qui peccarant, acta vitæ suæ confitebantur.* Paulinus in vita Ambrosii laudat in S. Doctore secreti tenacitatem respectu peccatorum quæ fidelium confessione didicerat: *Causas autem criminum* (inquit) *quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.* Idem vero debitum omnibus aliis ministris incumbere mox hisce verbis asserit idem Paulinus: *Bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines.*

Objicies 1. Antiqui Patres sæpius reserasse videntur confessionis Sacramentalis sigillum: quippe qui per plura sæcula publicæ Pœnitentiæ addixerint eos qui occultissima peccata confessi fuerant: Masculis

qui

qui, aut mœchiæ, aut adulterii, aut idololatriæ rei erant, absolutionem non impertiebantur, quin prius quatuor publicas pœnitentium classes decurrissent. Adulterio pollutas mulieres ad consistentiam dimittebant. Quemque fidelem lapsum in peccatum mortale arcebant aliquandiu a sacris altaribus. Confirmatur argumentum ex eo, quod cum cuique fideli notum esset hanc, vel illam pœnam huic, aut illi crimini eluendo determinate præfixam esse, quisque facile poterat judicare reum esse adulterii verbi gratia, qui certo tempore publicas pœnitentium classes decurrebat.

Resp. ex pœnis, quibus lapsi damnebantur, colligi non potuisse 1. eos grave aliquod in genere peccatum commisisse: siquidem multos vel maxime pios reperire erat, qui devotionis causa publicum pœnitentiæ stadium decurrerent. 2. Contendimus a fortiori dignosci non potuisse crimen in specie in quod pœnitens lapsus fuisset: Nam pleraque scelera, aut eadem aut non multum dissimili pœna castigabantur. Qui v. g. jacebant in prostratione, eadem sordida veste induebantur, omnes simul genu flectebant, omnibus simul imponebantur manus, omnes palam, & solemniter antequam inciperet fidelium Missa, ab Ecclesia pellebantur. 3. Si quis ex pœnitentia publica venisset in genere in gravis alicujus criminis suspicionem, hinc tamen nullam incurrebat notam infamiæ: imo cordis contritio, quam præ se ferebat, diligentia, quam exhibebat in decurrendis præfixis sibi stationibus cœtui fidelium maximæ erat ædificationi: *Qui sic Deo satisfecerit* (inquit Cyprianus lib. de Lapsis) *qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit: exauditus, & adjutus a Domino quam contristaverat nuper lætam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur sed coronam.*

Objicies 2. Ineunte hoc sæculo multi, graves alioquin, authores reperti sunt, qui docuerint licere ministro ad externam aut Ecclesiæ, aut Congregationis gubernationem uti cognitione, quam per confessionem assecutus fuerit. Atqui per illam praxim, indirecte saltem frangitur confessionis sigillum. Ergo &c.

Resp. eo in capite errasse graves illos authores, qui nobis objiciuntur; unde Clemens Papa VIII. in motu proprio quem pro Regularibus edidit anno 1594. 26. Maji, iniquam, quam tuiti fuerant, praxim hisce verbis proscripsit: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ex notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

Objicies 3. Constans fuit Patrum traditio jure divino ad confessionis integritatem requiri, ut pœnitens accuset circumstantias tum quæ peccati malitiam multum augent, tum quæ mutant speciem. Atqui id aliquando fieri non potest absque infractione sigilli Sacramentalis, ut videre est in casu ubi tres tantum essent Sacerdotes, quorum unus absolveret alterum ab irregularitate, a qua tamen absolvendi facultatem non habuisset: is enim Sacerdos, qui impedisset absolutionem, integre confiteri non posset tertio, nisi declararet se requisita potestate destitutum quempiam Presbyterum absolvisse ab irregularitate: ac proinde se extitisse causam quod ille Presbyter irregularitate innodatus, sacris dederit operam.

Resp. eo in casu, & similibus aliis, quibus Sacerdos non potest absque sigilli infractione, sui peccati, aut speciem, aut gravitatem accusare, teneri eum prætermittere circumstantiam hujusmodi: perinde enim se tunc habet ac si deesset copia confessoris. Ratio est, quia majus est vinculum ex sigillo confessionis contractum, quam sit illud, quod ex debito integre confitendi contrahitur. Nec mirum: Nam 1. Quoties duo præcepta concurrunt, illud quod præter jus divinum positivum complectitur etiam jus naturale, alteri præponderare debet: Ergo cum ejusmodi sit præceptum de secreto confessionis servando, alteri mere positivo, quod est de integritate confessionis, debet anteponi. 2. Præceptum de non resecando secreto confessionis est præceptum negativum de re intrinsece mala, quæ proinde nullo in casu liceat: e contra præceptum de confessionis integritate, est præceptum affirmativum, cujus omissio certis in circumstantiis innoxia esse possit.

Juenin de Sacram.

Quæres an solus Sacerdos confessionis sigilli lege teneatur.

Resp. ea simili lege teneri 1. superiorem a quo petitur facultas absolvendi ab aliquo casu reservato. Nec mirum cum sine eo, seu nisi concedat, conferri non possit pœnitentiæ Sacramentum: eodem igitur jure ad secretum tenetur si in pœnitentis cognitionem venerit, quo Sacerdos qui confessionem exceperit. 2. Laicus, cui devotionis causa, (ut moris erat apud antiquos, si urgeret necessitas) fieret confessio, peccaret lethaliter si sigillum frangeret: verum nec sacrilegus haberetur, nec pœnam canonis, *Omnis utriusque sexus*, incurreret; ea enim confessio non esset in ordine ad claves, nec a Sacerdote exciperetur, de quo tamen tantum loquitur canon, *Omnis utriusque sexus*. 3. Interpres gravi se crimine devincit, si fidei suæ credita peccata retegat: quamvis enim nemo teneatur per interpretem confiteri, si tamen adhibeatur, secreti debitor est, cum ea in suppositione seu ex electione pœnitentis, necessarius sit ad confessionem, sacrilegus est si reseraverit sigillum. 4. Eadem secreti lege tenentur ii, qui per confessionem vel casu vel fraude aliena peccata resciverunt: hinc is, qui tamquam Sacerdotem se gerit, quamvis revera non sit Sacerdos, & eo nomine confessiones excipit, ad sacramentale sigillum tenetur.

§ IV.

Quænam cadant sub sigillum Confessionis?

Conclusio. Cadunt sub sigillum confessionis ea omnia quæ declarata sunt Sacerdoti per ordinem ad confessionem Sacramentalem.

Probatur. Ea quæ sic Sacerdoti declarata sunt, confessionis partem constituunt: ac proinde sub sigilli Sacramentalis lege continentur.

Hinc colligitur 1. sacrilegium esse ministrum, qui retegit peccata venialia, quæ per pœnitentis confessionem audierit: licet enim non sint materia necessaria confessionis, ex suppositione tamen quod pœnitens ea confiteatur, sub sigillum cadunt: unde canon, *Omnis utriusque sexus*, cum agit de sigilli debito, inter peccata venialia, & mortalia non distinguit: *Caveat* (inquit) *omnino* (Sacerdos) *ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.*

Colligitur 2. circumstantias omnes quas Pœnitens detexit, sub ejusdem sigilli debitum cadere: Et quidem 1. eas, quæ ad peccati speciem, aut gravitatem explicandam pertinent, cum clavibus subjiciantur: 2. eas quoque quæ, licet nihil ad peccati speciem, aut gravitatem conferant, allatæ sunt tamen ad peccati declarationem. Hinc si quis in confessione diceret se esse nothum, aut spurium, se naturali aliquo morbo laborare, aut in summa rerum egestate versari, ea sigilli lege continentur: tum quod alioquin in populorum odium adduceretur confessio, tum etiam quod ea eorum revelatione notam infamiæ pœnitens contrahere posset.

Colligitur 3. Sacerdotem teneri ad sigillum respectu peccatorum, quæ quis perpetrare proponit, si declarentur confessario per modum accusationis: *Ad primum ergo dicendum* (inquit author supplementi ad Summam Theologicam Angelici Doctoris quæst. xi. art. 1. ad 1.) *quod quidam dicunt, quod Sacerdos non tenetur servare sub sigillo confessionis, nisi peccata de quibus pœnitens emendationem promittit, alias potest ea dicere ei, qui potest prodesse, & non obesse; Sed hæc opinio videtur erronea, cum hoc sit contra veritatem Sacramenti: Sicut enim baptismus est Sacramentum, quamvis quis fictus accedat, nec est mutatum aliquid propter hoc de essentialibus Sacramenti: ita confessio non desinit esse Sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat, & ideo nihilominus sub occulto tenenda est: nec tamen sigillum confessionis contra charitatem militat, quia charitas non requirit, quod apponatur remedium peccato, quod homo nescit:*

illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitum, cum illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus. Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis casibus (hæreſcos aut aliorum criminum) *quantum potest sine revelatione confessionis, sicut monendo eos qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim. Potest etiam dicere Prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum, ita tamen, ut non dicat aliquid per quod verbo vel nutu confitentem prodat.* Observet velim lector necesse esse quod pœnitens futurum peccatum cujus emendationem non promittit, declaret per modum accusationis, ut confessarium secreti lege constringat: si enim declaret, ut confessarium ad crimen inducat, (ut nonnumquam in perditis quibusdam mulieribus contingit quæ ad tribunal accedunt non ut confiteantur, sed ut Christi ministrum provocent ad luxuriam) tunc nullum debitum ad secretum servandum contrahitur.

Colligitur 4. tantam esse sigilli necessitatem, ut, ne mortuo quidem pœnitente, illud reserare liceat, etiamsi ejusmodi reseratio vel regno, vel urbi, vel familiæ cuipiam summam utilitatem esset allatura, vel impeditura matrimonium, quod alioquin ob aliquod crimen, futurum esset nullum. Nec mirum, nemo enim est Christianus qui famam suam, etiam post obitum, superstitem esse non cupiat. Adde quod testimonium Sacerdotis habitum ex scientia per confessionem comparat., nullam omnino fidem faciat, ut colligitur ex cap. *Dilectus, de excessibus Prælatorum.*

Quæres 1. An in fractione sigilli ex parte Sacerdotis dari possit peccatum veniale ratione parvitatis materiæ, ut si retegeret leve aliquod peccatum veniale quod per confessionem excepisset?

Resp. nullum dari posse peccatum veniale in casu de quo quæritur. Ratio est, quia in qualibet minima materia involvitur gravis irreverentia in Sacramentum: unde tam in gravi, quam in levi materia Sacerdos qui peccatum retegeret, fieret reus sacrilegii.

Quæres. Qua ratione gerere se debeat Sacerdos a judice interrogatus de crimine quod sola confessione didicit.

Resp. 1. cum Estio. Si simpliciter interrogetur hoc modo: *Petrus admisitne hoc vel illud scelus?* Sacerdos debet simpliciter respondere se id nescire, idque etiam cum juramento. Ratio est, quia sensus erit: *Nescio eo cognitionis modo secundum quem teneor tibi interroganti respondere*: Nec tunc erit æquivocatio: siquidem ex usurpata inter Christianos consuetudine, & lege qua vetatur ne confessarii in testes adhibeantur, sciunt omnes judicis interrogationem de iis peccatis non intelligi quæ quis ex sola confessione Sacramentali didicerit.

Resp. 2. cum eodem Estio. Si Sacerdos ab impio judice interrogetur utrum Petrus v. g. ei hoc vel illud crimen confessus sit, Sacerdotem non posse id negare, quia alioquin mentiretur; non enim hic potest habere locum responsio quæ ad prius membrum fuit adhibita: igitur Sacerdos reponere debet illam interrogationem esse impiam: ac proinde sibi fas non esse ei respondere; idque etiamsi Presbyter propter negatam absolutam, & positivam responsionem adiret certum vitæ periculum. Nec mirum, cum oporteat Deo magis quam hominibus obedire.

Quæres 3. num ex pęnitentis licentia nonnumquam referari possit confessionis sigillum.

Resp. cum omnibus Theologis affirmative: modo tamen eam facultatem duæ conditiones comitentur. Prima est, ut sit liberrima: nam alioquin si metu, vel aliqua alia ratione esset extorta, nulla penitus haberetur: siquidem cum ea facultas ad bonum dumtaxat pęnitentis obtineri debeat, nusquam, ut oportet, nisi eo volente, & liberrime consentiente, potest obtineri. Secunda est, ut ea facultas expressa sit, non autem præsumpta tantum, seu quam pęnitens reipsa concederet vel concedere deberet, si rogaretur. Ratio est, quia alioquin posset contingere, ut Sacerdos arbitraretur sibi eam licentiam a pœnitente concedendam, quam tamen si rogaretur, expresse negaturus esset. Quod vero Confessarius iis conditionibus munita facultate uti possit, ex eo evincitur quod per illius concessionem, jam non ut Deus, cujus partes agit in Sacramento Pęnitentiæ, sed ut homo, pęnitentis peccatum cognoverit. Advertat lector eam licentiam esse necessariam, ut Confessarius etiam cum suo Pęnitente de peccatis in confessione auditis colloquatur: *Si Sacerdos* (inquit S. Carolus part. 2. cap. 20. suarum Instructionum) *necessitate coactus cum ipsomet pęnitente de peccatis loqui debeat, id non nisi præfata venia faciat.*

Quæres 4. Quandonam confessionis sigillum, illæsum ac integrum servetur?

Resp. ipsum servari illæsum 1. cum ex licentia pęnitentis expressa, quædam peccata reteguntur: 2. cum quis aliunde quam per confessionem, per famam publicam v. g. per testes, aut propriorum sensuum testimonio pęnitentis peccatum noverit: 3. non frangitur sigillum a Sacerdote qui cum ex confessione cognoverit sibi in aliquo loco strui insidias, ex eo se loco proripit, ut suæ saluti consulat; nullam enim tunc revelat confessionem, sed suæ saluti prospicit. Non frangit quoque sigillum qui ubi ex confessione didicerit sibi ad altare porrectum iri vinum veneno imbutum, occasione aliunde accepta, sacris non dat operam. 4. Reus non est fracti sigilli qui retegit aliquid, quod præter confessionem Sacramentalem sibi hisce verbis commissum est, *Id tibi committo sub sigillo confessionis*. Ratio est, quia secreti Sacramentalis debitum oritur ex ipsa, & sola confessione Sacramentali, seu ex declaratione quam quis edit eo fine, ut se ipsum accuset. Merito igitur hæc scribit author supplementi ad Summam S. Thomæ quæst. 11. art. 2. ad 2. *Ad secundum dicendum, quod aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo (sub sigillo confessionis) si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in confessione haberet, quamvis sub sigillo confessionis non habeat.*



QUESTIO SEXTA.

De Satisfactione.

Satisfactio sumitur 1. in communi, & est solutio debiti, cujuscumque generis sit illud debitum. Sumitur 2. in specie in delictis, & definitur solutio tantæ pęnæ, quanta læso satis esse debet, ut placetur, Sumitur 3. specialius pro pęna, quam peccator patitur, ut Deum sibi iratum placet, & sic acceptam satisfactionem Patres vocarunt pęnitentiam. *Pœnitentia* (inquit author libri de vera, & falsa Pęnitentia cap. 8.) *est quædam dolentis vindicta voluntarie in se puniens quod commisisse se dolet.*

Satisfactio dividitur in satisfactionem in pęna, & satisfactionem pro pęna. Prior, quæ etiam dicitur satispassio, est pęna per legem determinata, quam quis subit pro delicto, cujus reus est, hujusmodi sunt labores, quos damnati in infetis, & justi in purgatorio patiuntur; posterior vero ea est, in qua commutatio locum habet, ita ut fiat compensatio, sive redemptio supplicii per legem determinari; Ejus generis est ea pęna, quæ a fidelibus in hoc sæculo Dei amore toleratur.

Caput Primum.

De existentia satisfactionis.

Satisfactioni, quæ inadæquatam materiam Sacramenti pęnitentiæ constituit, plures hæretici bellum indixere.

Inter satisfactionis hostes numerare est Audianos, qui tempore Valentiniani Senioris Ecclesiam vexarunt: hæc enim de iis scribit Theodoretus lib. 4. hæretic. Fabularum cap. 10. *Deinde confessis dant veniam, non tempus ad pœnitentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges præcipiunt, sed potestate condonantes.*

Sectarii

Sectarii omnes qui elapso proxime sæculo contra Catholicos vexillum erexere, unanimi consensu negarunt existentiam satisfactionis quæ sit pars Sacramenti Pœnitentiæ. *Quod dictum est* (verba sunt Kemnitii in suo examine part. 2.) *Optimam & aptissimam pœnitentiam esse novam vitam, hanc habet sententiam: Post acceptam fide propter Christum remissionem peccatorum, non requiri præterea aliam satisfactionem aut expiationem pro peccatis, cum simus in Christo consummati, sed requiri illud, quod Scriptura præscribit: Desine a malo & fac bonum.* Nitebantur vero illi Sectarii triplici fundamento. Contendebant nempe 1. nullum remanere debitum pœnæ temporalis, saltem in altera vita, hic peccato quoad culpam dimisso. Contendebant 2. quod licet per pœnas temporales pie toleratas averti possint hujus vitæ calamitates, tamen eæ pœnæ a Sacerdotibus per virtutem clavium injungi minime possint. Contendebant 3. nullis omnino operibus, etiam ex gratia Dei factis, inesse vim Deum placandi: *Vehementer odi* (inquit Lutherus in assert. art. 5. *& sublatum vellem hoc vocabulum, Satisfactio quod non modo in Scripturis non invenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, cum gratis ille ignoscat omnia.* Similia reperire est apud Philippum Melanchthonem in Apologia confessionis Augustanæ, art. de Confess. & Satisfact. *Sed tamen fatentur adversarii quod satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ: verum fingunt satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas seu Purgatorii, seu alias... Hæc tota res est commentitia, recens conficta, sine authoritate Scripturæ & veterum Scriptorum Ecclesiasticorum.* Ut igitur Satisfactionis existentiam adstruamus, oportet est ut triplex illud fundamentum stabiliamus quod hæterodoxi concutere tentaruot.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum nonnumquam remaneat aliqua pœna temporalis, peccato quoad culpam dimisso?

CONclusio. Dimisso quoad culpam peccato, sæpius manet debitum luendæ pœnæ temporalis.

Probatur 1. Nonnumquam remanere debitum luendæ pœnæ temporalis in altera vita demonstratur contra omnes recentiores Sectarios iis locis quibus paginis 397. ex Scriptura & Traditione Patrum ostensum est pie admodum & sancte pro mortuis fidelibus offerri Missæ sacrificium. 2. Remanere, sæpius dimisso quoad culpam peccato, debitum luendæ pœnæ temporalis in hac vita demonstratur contra Calvinum ex Scriptura. Secundi Regum 12. legitur: quod ubi David peccati sui admonitus a Nathan Propheta dixisset: *Peccavi Domino*, ac ab eodem vicissim audiisset: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, idem Propheta adjunxerit: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Ea vero pœna animadversum est in patrem ipsum, cui filius ille erat charissimus. Ejusdem libri Regum capit. 24. David ob numeratum populum, acta Pœnitentia redit in Dei gratiam, & tamen post remissam culpam datur ei optio ut in pœnam peccati eligat aut bellum aut famem aut pestem.

Nec duplicis illius textus vim Calvinus enervat, cum reponit Deum iis pœnis non sæviisse in Davidem in vindictam præteritorum peccatorum, sed in admonitionem futurorum, seu ejusmodi flagella correptiones esse paternas, non judicis ultiones. Non enervat (inquam) cum loco mox relato Scriptura pœnam illam in præterita peccata tamquam in causam, non autem in futura per modum cautionis refundat: *Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Præterea morte de qua agitur, Deum castigasse Davidem in vindictam sceleris probant jejunium, lachrymæ, cæteraque hujusmodi quibus David usus est ut eam a se calamitatem averteret: si enim (ut fingit Calvinus) intellexisset infligi sibi pœnam illam ad solam futurorum peccatorum cautionem, ut quid tantopere studuisset avertere pœnam quam nosset inflictam fuisse suæ tantum utilitatis causa?

Idem quod mox probatum est ex secundo libro Regum, evincitur ex aliis Scripturæ locis. Exodi 32. cum Moysis precibus placatus fuisset Dominus, ac indulsisset populo veniam peccati quod admiserat in vituli aurei cultu, nihilominus subjecit: *Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Numerorum 14. Deus Judæorum murmurationem castigavit exclusione a terra promissa, quamvis illud peccatum quoad culpam eis dimisisset: ubi enim dixit, *Dimisi juxta verbum tuum, mox adjecit: Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam & signa quæ feci &c. non videbunt terram, &c.* Colligitur eadem veritas ex novo Testamento. Apostolus 1. ad Corinth. 11. scribit plures ex iis qui ea, qua par erat pietate, Eucharistiam non recipiebant: morte aliisque hujus vitæ calamitatibus castigari: *Ideo* (inquit) *inter vos multi imbecilles, & dormiunt multi*, licet ante mortem justitia donati, ut ostenditur his verbis, quæ idem Apostolus mox laudatus subjicit: *A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.*

Probatur 2. conclusio ex S. Patribus. Patres asseruerunt 1. per Baptismum parvulis dimitti peccatum Originale: & tamen persuasum eis fuit Deum in eosdem parvulos morte aliisque miseriis animadvertere. Asseruerunt 2. Deum cum veniam indulgendo miseretur impii simul in eum exercere justitiam: *Veritatem dilexisti, Hoc est* (inquit Augustinus in Psal. 50.) *impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis; non dimisisti: sic prærogasti misericordiam, at servares & veritatem.* Asseruerunt 3. hæc Apostoli verba ad Hebræos 10. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii*, intelligenda esse de Baptismate: ita ut sensus sit, post Baptismum lapsis non dimitti peccata alio baptismate quod culpam simul ac pœnam deleat, sed potius quoddam expectandum sit exemplum terribilis judicii Dei, nimirum per laboriosam satisfactionem in hac vita, vel durissimam passionem in Purgatorio. Asseruerunt 4. lapsis licet absolutione donatis iojungi debere pœnas quæ gravitati criminum quorum rei fuerint, conveniant. Unde innumeros canones pœnitentiales variis in Conciliis quovis sæculo promulgarunt. Sed de eo argumento hæc satis sint: de eo nimitum inferius sermo redibit ubi de necessitate satisfactionis dicetur.

Objicies ex Scriptura. 1. Dominus apud Ezechielem c. 33. negat se fore memorem peccati a quo impius per pœnitentiam recesserit: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*: noceret tamen si pœna temporali, etiam in hac vita, castigaretur. 2. Hæc habet Apostolus ad Rom. 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Ergo, ex Apostolo, dimisso per summam misericordiam peccato, nihil in eo superest quod juste castigari possit.

Resp. ad 1. verba hæc quæ laudatis in argumento Deus subjicit: *Vita vivet, & non morietur*, demonstrare seotentiam quæ apud Ezechielem legitur, intelligi debere de vita æterna: ita ut sensus sit, sic non nocituram impio condonatam iniquitatem ut propter eam a vita æterna sit excludendus. Confirmatur ex eo quod inter pœnam æternam & temporalem tantum sit discrimen ut de eo qui æternam remiserit, licet exigat temporalem, merito dicatur quod sit oblitus peccati; præsertim cum mors æterna proprium sit peccati stipendium. Confirmatur iterum ex eo quod pœnæ temporales quibus Deus peccatum remissum castigat, præter vindictæ rationem quam complectuntur, plerumque etiam remedia sint quibus Deus humanæ infirmitati medetur, præbetque pietatis exercitium: *Quando correptus per Prophetam* (ait Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 67. de Davide disserens) *dixit, Peccavi: Continuo ad hoc unum verbum audire meruit, quod*

acceperit veniam. Ad quam rem nisi ad sempiternam salutem? Neque enim prætermissa est in illo secundum Dei comminationem flagelli paterni disciplina, ut & confessus in æternum liberetur, & afflictus temporaliter probaretur. Addit idem S. Doctor Davidem etsi temporaliter castigatum, non dubitasse tamen de veritate indulgentiæ, quam Propheta nuntiarat, ac præter rationem pœnæ advertisse in Dei flagello rationem medicinæ: *Intelligebat enim* (inquit) *vir sanctus, nisi Dominus esset confitenti pœnitentique propitius, quantum pœnarum eternarum ejus essent digna peccata, pro quibus cum temporalibus emendationibus ureretur, videbat erga se & manere veniam & non negligi medicinam.*

Resp. ad 2. damnationis nomine Paulum intelligere vel damnationem æternam, vel mortis æternæ reatum. Confirmatur 1. ex capite tertio ejusdem Epist. ad Rom. ubi hæc verba; *Quorum damnatio justa est*, nec non hæc alia capitis decimi tertii; *Ipsi sibi damnationem acquirunt*, de morte ac de reatu mortis æternæ intelliguntur. Confirmatur 2. ex eo quod laudata in argumento sententia sit conclusio, quam infert Apostolus ex eo, quod quis mente serviat legi Dei, sola autem carne legi peccati: Si quis enim ita sit affectus haud dubie nihil est in eo damnationis, seu nihil est, quod mortem seu pœnam æternam mereatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

An pœnæ Satisfactoriæ jure a Sacerdotibus injungantur?

CONcilium Tridentinum sess. 14. c. 9. docet hominem variis pœnarum generibus pro peccato satisfacere; pœnis nimirum divinitus immissis, sponte ab iis, quos vere pœnitet assumptis, & tandem injunctis a Sacerdote per concessam sibi clavium potestatem: *Docet præterea* (Sancta Synodus) *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.* Quæ sunt duplicis prioris generis pœnæ, ultro adversariis probantur: Sed ad unum omnes rejiciunt eas, quæ a Sacerdotibus vi clavium injunctæ fuerint.

Conclusio. Satisfactoriæ pœnæ recte a Sacerdotibus vi clavium injunguntur.

Probatur 1. Apostolus 1. ad Corinth. 5. vi clavium incestuosum Corinthium pœnitentiæ laboribus addixit: *Ego quidem absens corpore præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est. In nomine Domini Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Verba illa: *Judicavi: In nomine Domini: Congregatis vobis: cum virtute Domini Jesu*, Paulum authoritate divinitus accepta iniquum illum Corinthium castigasse demonstrant: hæc vero alia: *Tradere Satanæ in interitum carnis*, de impositione Satisfactionis Patres interpretati sunt: *Hic jam carnis interitum, officium Pœnitentiæ interpretantur* (inquit Tertullianus libro de Pudicitia cap. 3. Zephirinum Papam perstringens, quod iis Apostoli verbis contra Montanistas uteretur) (*quod videatur jejuniis & sordibus & incuria omni & dedita opera malæ tractationis carnem exterminando satis Deo facere, ut ex hoc argumententur fornicatorem, imo incestuosum illum non in perditionem Satanæ ab Apostolo traditum, sed in emendationem, quasi postea veniam ad interitum, idest, constictationem carnis consecuturum.* Eumdem laudatis Apostoli verbis sensum effingit Origenes hom. 24. in Leviticum: *Quod dicit, Tradidi in interitum carnis, hoc est in afflictionem corporis, quæ solet a pœnitentibus expendi, eumque carnis interitum nominavit, quis tamen carnis interitus vitam spiritui conferat.* Eadem ratione loquitur S. Pacianus Episcopus Barcinonensis in Parænesi ad Pœnitentiam: *Admovebo* (inquit) *adhuc ignes de cauterio Apostolico: videamus an forte possitis. Judicavi* (inquit) *congregatis vobis & spiritu meo in virtute Domini Jesu Christi tradere ejusmodi hominem Satanæ in interitum carnis &c. Quid dicitis Pœnitentes? ubi est vestræ carnis interitus? An quod in ipsa pœnitentia lautiores semper incedistis, convivio furti, balneis expositi, veste compositi &c.* Augustinus libro de fide & bonis operibus cap. 26. hæc habet, quæ sensum, de quo est quæstio, confirment: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis & meo spiritu tradere ejusmodi hominem Satanæ in interitum carnis &c. Unde etiam dicit ne lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt Pœnitentiam super immunditiam & fornicationem.* Persuasum igitur fuit Augustino tradere in interitum carnis, idem esse ac excommunicatione, seu ejectione a sacris mysteriis plectere & ad pœnitentiæ labores tradere.

Probatur 2. ex trito apud antiquos more: Ferebat autem mos ille ut postea quam peccatores omnia cordis vulnera Christi ministris aperuissent, idonea illis curandis ac eluendis satisfactoria remedia ab iisdem ministris postularent. Deinceps pœnitentium partes erant injunctum sibi Satisfactionis modum accurate implere: *Constituto in corde judicio* (ait Augustinus hom. 50. inter quinquaginta, quem quidem textum jam superius pro confessionis necessitate contra Sectarios recentiores laudavimus) *adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Idem quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis & sanguinis Domini*: Eam vero sententiam ubi protulerit, *Veniat* (inquit idem S. Doctor) *ad Antistites per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tamquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a Præpositis Sacramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum &c.* Ejusdem moris, de quo mox Augustinus, testis est Leo Magnus Epist 91. ad Theodorum ubi hæc habet: *Mediator Dei & hominum, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem* (cum nempe ligandi aut solvendi facultate ab eo donati sunt) *ut & confitentibus unctionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Probatur 3. ex institutis variis Pœnitentium classibus. Nemo lapsus admittebatur olim ad sacra mysteria nisi postquam pœnitentium classes decurrisset. Præscripti in iis classibus durissimi labores, pœnitentium in iis subeundis obedientia invictissime probant injunctas fuisse illas Satisfactiones vi clavium, quas Christus Ecclesiæ præpositis credidit. Ut quid enim fieri potuisset ut omnes omnino fideles, Plebeji, Principes, ubique gentium Episcoporum edicta de subeundis gravissimis illis laboribus obtemperassent, nisi intellexissent Episcopos ea in parte usos fuisse tradita sibi divinitus ligandi potestate: & nisi certo scissent idoneas redimendis criminibus non esse satisfactiones nisi a Sacerdotibus imperatæ fuissent: *Afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est* (verba sunt Gregorii Magni lib. 3. in 1. Regum) *cum Sacerdotis judicio fuerit imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.* Cætera, quæ ad hanc materiam spectant, fusius exponentur inferius ubi sermo de necessitate satisfactionis occurret.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum opera pœnalia vim habeant Deo satisfaciendi?

COnclusio: Opera pœnalia vim habent Deo satisfaciendi.

Probatur 1. ex Scriptura. Danielis 3. hæc ait S. Propheta Regi Nabuchodonosor. *Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Hæc etiam habentur Proverbiorum 16. *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*; Proverbiorum 13. *Redemptio animæ viri divitiæ sunt.* Verum iis, quibus peccatum redimi potest inest virtus Deo vere satisfaciendi: Siquidem redemptio satisfationem seu pretii solutionem includit.

Iis, quæ mox ex testamento veteri prolata sunt addi debet hæc S. Joannis Baptistæ sententia ad Judæos

Lucæ 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; iis nimirum verbis non significantur sola vitæ novitas & observatio mandatorum Dei, ut adversariis placet, sed præterea is vitæ modus, qui pœnitentis conditioni conveniat; solent vero ii quos vere pœnitet non solum ab injuriis temperare, sed etiam damnum resarcire, quod cuipiam intulerint: *Aliud est* (inquit Gregorius Magnus hom. 20. in Evangelia) *fructum facere pœnitentiæ; aliud dignum fructum facere pœnitentiæ. Ut enim de dignis pœnitentiæ fructibus loquamur, sciendum est, quod quisquis illicita non commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur, sicque opera pietatis faciat, ut tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortassis, quod gravius est, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse.* Eumdem iisdem verbis sensum adscribit Chrysostomus, seu censet eum tantum facere fructus dignos pœnitentiæ, qui male facta castigat laboriosis operibus: *Quo autem modo* (inquit hom. 10. in Mattheum laudatam hanc Joannis Baptistæ, *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*, sententiam exponens) *fructificare poterimus? Si utique peccatis adversa faciamus; Verbi gratia, aliena rapuisti? incipe jam donare propria. Longo es tempore fornicatus? a legitimo quoque usu suspendere conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare. Injuriam, vel opere cuiquam, vel sermone fecisti: refer benedictionis verba conviciis, & percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende: neque enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore avellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antea & temulentia diffluebas? Jejunio & aquæ potu utrumque compensa.*

Idem, quod mox ex Evangelio demonstratum est, evincitur ex Apostolo 2. ad Corinth. 7. Paulus inter fructus pœnitentiæ vindictam recenset. *Ecce enim* (inquit) *hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem ... Sed vindictam.* Vindictæ autem nomine intelliguntur pœnæ, quæ ob crimen perpetratum infliguntur, sive eas reus sponte assumat, sive a judice imponantur. Idem Apostolus (ut superius ostensum est) per interitum carnis, quo damnarat Corinthium incestus reum, pœnitentiæ labores intelligit. At iis pœnitentiæ laboribus vim tribuit, ut æternam salutem conferant, ac proinde præterita peccata redimant: *Judicavi ... eum, qui sic operatus, est ... tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.*

Probatur 2. conclusio ex S. Patribus quibus non modo probata fuit doctrina quam hic propugnamus, operibus nimirum pœnalibus inesse vim Deo proprie ac vere satisfaciendi, sed ipsum etiam usurparunt Satisfactionis nomen, quod Sectarii oderunt, quam maxime.

Tertullianus libro de Baptismo hæc ait: *De præteritis satisfacimus conflictione carnis & spiritus.* Libro de Pœnitentia asserit Ecclesiam ex Dei mandato pœnitentibus labores imponere, ut redimant æterna supplicia, quibus alioquin damnarentur si non satisfacerent: *Hæc omnia* (inquit capite 9.) *Exomologesis, ut Pœnitentiam commodet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* Ibidem asserit confessionem edi eo fine, ut via sit ad satisfactionem: *Delictum nostrum Domino confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur.* Ejusdem libri cap. 11. supponit pœnitentiæ laboribus inesse vim Deum læsum placandi, ipsi vere satisfaciendi: *Deliqui dicito in Deum & periclitor in æternum perire. Itaque nunc pendeo & maceror & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi.* Ibidem capite 12. Exomologesis nomine sumpto pro confessione & pro satisfactione (ut nonnumquam apud antiquos sumitur) hæc scribit: *Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguet, & pœnæ prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites*: Operibus vero, quæ gehennam extinguunt, vis est faciendi; Tandem idem author affectum Exomologesis, sumptæ pro toto pœnitentiæ Sacramento, ac proinde pro ipsa satisfactione comparat cum efficacia Baptismatis: *Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ munimenta esse adhuc in Exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi?* Expendant velim adversarii num is, qui operibus pœnalibus ab Ecclesia vi clavium injunctis nullam vim tribuere posset iis uti verbis, quibus usus est Tertullianus agens de satisfactione.

Sanctus Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium Papam multis eos insectatur, qui non præmissa plena satisfactione, lapsis indulgebant reconciliationem: Præcipuum autem, quod in eos intorquet argumentum, petitur ex eo, quod censeat per satisfactionem redimi pœnam æternam, placari iram Dei: *Intercedunt* (inquit) *ne exoretur precibus & satisfactionibus Christus. Elaborant ne vulneratos divina clementia in Ecclesia sua curet, ne Deo indignanti satisfaciat. Datur opera ne satisfactionibus & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Pax vera falsæ pacis mendacio tollitur.*

Idem Sanctus Doctor in libro de Lapsis totus est in eo argumento: Plerasque sententias, quæ huc pertinerent, agentes de existentia confessionis, jam superius protulimus in medium. Hic tamen nonnullas operæ pretium est rursus exscribere, quod plusquam satis sint ad litem de qua agitur, dirimendam: *Confiteantur* (inquit) *singuli delictum suum ... dum Satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota ... Ulli mœstitia satisfaciat.* Paucis interpositis hæc iterum habet in perduelliones illos, qui lapsis pacem temere concedebant: *Qui pœnitentiam criminis tollant, satisfactionis viam claudunt ... Rogandus est Deus & satisfactione nostra placandus. .. Nec cessemus in agenda pœnitentia, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur.* Tandem ubi multis probavit Deum nostris satisfactionibus placari, hæc subjungit quibus plane præfocatur axioma, quo contendunt adversarii, satisfactionem nihil habere virtutis: *Qui sic* (ait) *Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus & adjutus a Domino, quam contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

Hieronymus commentario in Malachiam idem asseruit quarto sæculo, quod Cyprianus tertio; *Qui peccator est* (inquit) *& quem propria conscientia mordet, cilicio pœnitentiæ accingatur & plangat tam sua delicta quam populi, atque iterum ingrediatur Ecclesiam, de qua fuerat ejectus, & cubet in sacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compenset.* Delicias autem præteritas austeritate vitæ compensare, quid aliud est, quam pro iis deliciis Deo satisfacere, hac enim in materia eadem vis est compensationis quæ satisfactionis.

Hieronymo concinit Ambrosius: sic enim ad virginem lapsam loquitur: *Tu propriæ facti judex esto crudelior, lugubris tibi accipienda est vestis, mens & membra singula digna castigatione punienda. Paucis interjectis hæc iterum scribit: Talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit sperare etsi non gloriam (virginitati debitam) certe pœnæ evacuationem ... Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Lib. 7. in Luc. cap. 59. idem hisce verbis docet: *Sicut qui pecuniam solvunt, debitum reddunt, nec prius evacuatur fœnoris nomen, quam totius sortis ad nummum usque quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic compensatione charitatis actuumque reliquorum vel satisfactione quæcumque peccati pœna dissolvitur.* Hæc etiam ait lib. 2. de Abel & Cain cap. 3. *Crimina bonis operibus fideique pretio & miseratione redimamus*, libro 2. de Pœnitentia cap. 5. idem scribit: *Qui agit pœnitentiam non solum diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum. Ergo tegamus*

lapsus

lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, ut audiat nos Dominus noster ingemiscentes, &c. Peccati redemptio quæ bonis operibus fiat: Criminis compensatio quæ fiat per satisfactionem: Emendatioribus factis tegere præteritum scelus: Grandis pro grandi scelere satisfactio, verba sunt quibus Ambrosius utitur cum agit de operibus quibus culpæ præteritæ abstersionem, pœnæ debitæ veniam peccator promereri debeat :] Iis igitur operibus satisfaciendi vim, seu injuriam Deo illatam resarciendi inesse credidit Ambrosius.

Augustinus non potuit aliud hac in materia docere quam in quod præcedentium Patrum traditione doctus fuerat. Hæc habet hom. 15. *Non sufficit mores in melius commutare & a factis malis recedere* (quæ tamen ad pœnitentiam, & veniam satis sunt, ex adversariis) *nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo per pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus eleemosynis, &c.* Lib. de Continentia capit. 6. effatum hoc universale profert: *Nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque etsi longe minorem quam debeat, solverit pœnam.*

Innocentius Papa I. Augustino æqualis Epistol. 22. cap. 4. operibus pœnalibus vim inesse satisfaciendi supponunt tamquam principium ex quo argumentum sumit quo confutat eos, qui contendebant hæreticos admitti debere in Ecclesiam cum honoribus quibus in hæresi fruiti fuerant, sub obtentu benedictionis quæ cuique in ordinatione impenditur: *Ergo* (inquit) *si ita est, applicatur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum, rei: quia benedictione ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio quod longa satisfactio præstare consuevit.* Supponit quoque idem Papa impium satisfactionibus purgari: *Non solum per Baptismi gratiam* (inquit) *sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparatur æternæ, &c. Mediator enim Dei, & hominum homo Christus Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut, & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Gregorius Magnus 3. parte Pastoralis docet admonendos esse qui peccata quidem deserunt, non tamen plangunt, ne sibi ea dimissa esse putent si fletibus non purgaverint: *Neque enim* (ait) *scriptor, si a scriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat, delevit; nec debitor absolutus est, quia alia non multiplicat, nisi, & illa quæ ligaverat solvat: ita & cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus, si ab iniquitate cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, e contrario appositis lamentis insequamur.* Cum ea Gregorii sententia concilient, si possunt, adversarii suum axioma de inutilitate, & insufficientia operum pœnalium ad exhibendam Deo pro peccatis satisfactionem.

Non est opus, ut hic recenseamus Conciliorum canones quibus operum pœnalium virtus, satisfactionis respectu, asseritur: satis sint hæc Venetici Concilii verba cap. 1. (Censemus homicidas, & falsos testes a communione Ecclesiastica submovendos nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.)

Ad ea quæ hucusque protulimus Patrum loca duo respondet Calvinus: Primum lapsos esse in errorem qui id opinati sint. *Patrum me movent* (inquit institutionum lib. 4. cap. 4. §. 38.) *quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes fere quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere & dure loquutos.* Alterum, Patres satisfactionis nomine intellexisse merum externum ritum quo Pœnitentes Ecclesiam certiorem de sua conversione facerent: *Vocarunt* (inquit) *satisfactionem non compensationem, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant sua pænitentia certiorem..... Atque ita dicebantur non Deo sed Ecclesiæ satisfacere.*

Verum insulsum est duplex illud Calvini responsum. Nam 1. Qui fieri potuit, ut errorem illum nemo per quindecim priora sæcula in Patribus adverterit. 2. Non apud unum Patrem, sed apud omnes qui ex professo de Pœnitentia locuti sint, obtinuit dogma de quo agitur: non est igitur error: *Quod enim* (ait Tertullianus) *apud omnes unum est, non est erratum, sed traditum.* 3. Falsum est quod satisfactiones de quibus Patres loquuntur, Deo (ut supponit Calvinus) exhibitæ non fuerint: siquidem (ut ex allatis eorum textibus constat) conceptis terminis asseruerint Deo exhibitas fuisse satisfactiones hujusmodi. 4. Qui fieri potuit, ut Ecclesiæ tantum exhiberentur, cum impositæ fuerint pro peccatis occultissimis, ac proinde pro iis quæ numquam Ecclesiæ scandalo fuerant. 5. Iis satisfactoriis pœnis vim adscripserunt abstergendi coram Deo peccatorum maculam, & remittendi pœnam quæ illis alioquin debebatur. 6. Docuerunt ministros qui ante peractam condignam satisfactionem lapsos donabant reconciliatione, eis nocere quam maxime. 7. tandem durissimis verbis eos insectati sunt qui absque præmissis satisfactoriis laboribus, pacem lapsis indulgebant: *Ubi* (inquiunt S. Confessores, de carcere ad Cyprianum scribentes) *divinus metus relinquitur, si tam facile peccantibus venia præstetur; Fovendi sunt ipsorum animi, & ad maturitatis suæ tempus nutriendi, & de Scripturis sanctis, quam ingens, & supra omnia peccatum commiserint instruendi, &c. Eluendæ sunt operibus bonis manus impio sacrificio inquinatæ & nefario cibo ora misera polluta, pœnitentiæ veræ sunt sermonibus capienda, crebri pænitentium gemitus audiantur, & iterum fideles ex oculis lacrymæ profundantur, ut illi ipsi oculi qui male simulacra conspexerunt, quæ illicite commiserant,* SATISFACIENTIBUS DEO FLETIBUS DELEANT ...... *Infidelis cicatrix quam cito festinans medicus induxit: & ad quemlibet casum medela rescinditur si non fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur. Cito rursus in incendium flamma revocatur, nisi totius ignis etiam usque ad extremam scintillam materia restinguatur, ut merito hujusmodi homines sciant sibi etiam de ipsa mora magis consuli, & fideliora necessariis dilationibus remedia præstari.*

Quæres 1. an Satisfactionis virtus extendat se ad pœnam tum temporalem, tum æternam.

Resp. in impio, qui nondum per Sacramentalem absolutionem justificatus est opera pœnalia habere satisfactionis rationem respectu pœnæ æternæ, non perfectam quidem, sed imperfectam tantum; cum enim pœna peccato nondum remisso debita sit infinita ratione durationis, virtus nostræ satisfactionis, cum pretio, pondere, dignitate, finita sit, eam adæquare non valet. Ratio autem cur satisfactionis virtus in casu de quo est quæstio, extendat se ad pœnam æternam, petitur 1. ex Scripturis quæ satis innuunt opera pœnalia quodam modo conferre ad abolendam æternam pœnam: *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira* (inquit Joannes Baptista Lucæ 3.) *facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*; Per *venturam* autem *iram* haud dubie æternæ gehennæ supplicium intelligit, siquidem non multo post asseruerit omnem arborem quæ non facit fructus bonos mittendam in ignem, paleas, congregato in borreum tritico, comburendas igni inextinguibili. Huc etiam referri possunt cætera tum Scripturæ tum Patrum loca quæ piis pœnitentium operibus nonnullam, & quidem de congruo, meriti rationem adscribunt justificationis comparandæ respectu: si enim eis insit quidpiam meriti, quid vetat quin sit quoque solutionis ratio, præsertim si pœnalia sint. Idem confirmatur 2. ex S. Patribus qui cum ordinarie lapsis absolutionem non impenderent nisi peracta satisfactione, censentur judicasse injunctam fuisse a Sacerdotibus, & susceptam a pœnitentibus pro abolitione pœnæ æternæ, cujus pœnitentes adhuc debitores essent. Præterea (ut constat ex Tertulliano superius laudato) satisfactio expungit æterna supplicia, peccator excruciat se pœnitentiæ laboribus ne in æternum pereat: ut liberet se (ex Ambrosio) ab æterno judicio: *Qui pœnitentiam agit* (inquit in Psalm. 37.)

37.) *offerre se debet ad pœnam, ut hic puniatur a Domino, non ad supplicia æterna servetur*, Peccator (ex Chrysostomo hom. 6. in 2. ad Timoth. capite 2.) per temporalem mortem, æternam redimit. Confirmatur ex eo, quod Satisfactio vel in re, vel in voto exhibita, sit pars materialis Sacramenti pęnitentiæ, ac proinde, licet æqualiter cum contritione, & confessione non concurrat ad æternæ pęnæ dimissionem, suo tamen modo nonnihil ad eam confert, cum absolutio detur a Sacerdote non tantum intuitu contritionis, & confessionis, sed etiam satisfactionis, quæ aut fuerit exhibita, aut saltem quæ exhibenda sit.

Resp. 2. satisfactionem, quæ fit a pęnitente, qui justificationis gratiam per pęnitentiæ Sacramentum consecutus est, non alia ratione extendere se ad pœnæ æternæ debitum, quam quod aboleat temporalem in quam æterna mutata fuit per absolutionem, quam Sacerdos impendit: *Unde docendum est* (inquit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. (*satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ Litteræ docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti.*

Caput Secundum.

De essentia Satisfactionis.

Conclusio. Satisfactio recte definitur studium placandi Deum offensum per voluntariam sui castigationem, seu est ipsa voluntaria sui castigatio ad compensationem quamdam injuriæ Deo per peccatum illatæ.

Ex illa definitione colligitur 1. falsam esse hanc cujusdam recentioris Casuistæ propositionem: *Actus satisfactionis Sacramentalis ex pravo fine, etiam peccati mortalis, elicitus, valet ad implendum præceptum a confessario injunctum de satisfaciendo pro peccatis confessis, modo per talem actum impleatur substantia ipsa satisfactionis.* Quasi vero contrahendo nova debita, debitor satisfaciat pro antiquis, aut persona, quæ injuriam intulit, per aliam injuriam faciat satis ei, quam læserit. Colligitur 2. satisfactionem pertinere ad virtutem justitiæ, quia justitiæ proprium est æqualitatem inter duos constituere, seu inæqualitatem inter personas ortam redigere ad æqualitatem. Colligitur 3. satisfactionem Sacramentalem ex parte quidem pertinere ad justitiam vindicativam, sed præterea extra illam se extendere, nam justitia vindicativa habet pro fine solutionem injuriæ illatæ, non autem studium placandi personam offensam, unde fures (qui puniuntur) licet injuriam reipublicæ illatam solvant: eam tamen nec placant, nec placare student.

Caput Tertium.

De materia Satisfactionis.

Materia satisfactionis sunt opera, per quæ pœnitens Deo facit satis. Quid circa illa opera sit observandum sequentes conclusiones declarabunt.

Conclusio 1. Opera satisfactoria debent esse pœnalia, & afflictiva.

Probatur 1. Lex Dei pro peccatis exigit pęnam, quæ non compensatur nisi per aliam pęnam satisfaciendo, cum id postulet justitia vindicativa ad quam satisfactio pertinet.

Probatur 2. ex Scripturis, quæ ubi pęnitentiam præcipiunt, meminerunt jejunii, fletus, cilicii, cineris.

Confirmatur ex Patribus, qui sæpe ajunt pęnitentem, qui illicita commisit, debere sibi ipsi licita trahere; At hæc subtractio pęnalis est.

Objicies 1. jejunium, quod quis servat ex intensissima charitate, est maxime satisfactorium, & tamen minus est pœnale, quam si servaretur cum minori charitate; *ubi enim amatur* (inquit Augustinus) *ibi non laboratur*. Ergo &c.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est 1. quia in casu allato jejunium est minus pœnale per accidens, non vero per se, & ex natura sua. Ratio est 2. quia in satisfactione duo sunt, principium a quo procedit, quod aliud non est a Dei amore, & ipsum opus pœnale, quando illud minuitur per fervorem amoris, non minuitur satisfactio, imo perfectior redditur, eo quod amor sit pars ejus præcipua.

Objicies 2. Omne opus bonum pœnitentis est aliquo modo satisfactorium, & tamen non omne est pœnale. Ergo &c.

Resp. homini corrupto omne opus pium esse aliqua ratione pœnale, eo quod ipsi propter cœlestia agere, & Deo servire difficillimum sit.

Conclusio 2. Satisfactio fieri potest per opera alioquin debita, sed tamen Deo placet magis, quæ fit per indebita.

Probatur prima pars 1. quia satisfactio fit per jejunia, quæ Ecclesia injungit, sunt enim instituta, ut per ea homines redimant pœnas peccatis debitas. 2. Pœnarum, quas Deus ipse infligit, tolerantia est debita, & tamen per eas homo satisfacit (ut docet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 9. & can. 13.) sicut, & per martyrium, quod declinari non potest, nisi quis infidelitatis se reum constituat.

Probatur altera pars. 1. Plus offert, qui etiam indebitum, quam qui solum, quod debet. 2. Opera alioqnin indebita signa sunt ferventioris in Deum amoris, illis igitur, cæteris paribus, sunt gratiora.

Objicies in primam partem. Si per opera, alioquin debita, valeret satisfactio, posset Sacerdos sine peccato eamdem satisfactionem pro gravissimis delictis imponere, quam pro levibus peccatis, siquidem pro peccato non multum gravi potest injungere pœnitenti, ut Deo offerat jejunium Quadragesimale, Missas, quas diebus festivis alioquin erat auditurus: ita enim & pro gravissimo scelere. Quod est falsum.

Resp. neg. seq. Ratio est quia (ut ait Estius) Ecclesiæ mens est, ut præter opera debita, & communes afflictiones, etiam peculiariter opere alioquin indebito pro criminibus quisque Deo satisfaciat: judicat scilicet Ecclesia illa, quæ debita sunt, in plerique satis non esse, ut iis peccata redimantur. Confirmatur illa ratio ex Patribus, qui in Canonibus Pœnitentialibus numquam imposuere pro satisfactione opera aliunde debita; Nec immerito; postulat enim divinæ justitiæ ratio, ut qui illicita commisit, a licitis abstineat, nec patitur, ut injustus non subjaceat gravioribus pœnis, quam justus. Unde inferunt Theologi in praxi non debere Sacerdotes opera tantum debita præcipere, nisi ad id urgeat gravis necessitas, quæ ex parte Pęnitentis se teneat.

Conclusio 3. Non solum opus externum, sed etiam opus internum potest esse satisfactorium.

Probatur. Actus interni sæpe sunt difficiliores exterioribus, ut patet in contritione, sunt etiam maxime liberi, nihil ergo impedit, quin per ea Pęnitens possit, ex Sacerdotis mandato, Deo satisfacere.

Objicies. Actus interni non sunt sensibiles. Ergo non possunt pertinere ad materiam integrantem Sacramenti Pœnitentiæ; ac proinde satisfactionis loco injungi non possunt.

Resp. eos esse sensibiles 1. quod sæpe sint pœnales, & afflictivi, utpote multum cruciantes peccatorem. 2. redduntur sensibiles per Sacerdotis injunctionem, & exteriorem acceptationem pęnitentis.

Quæres 1. Utrum Sacerdos satisfactionis loco injungere debeat aut rei ablatæ restitutionem, aut reconciliationem cum inimico, aut abjectionem præbendæ, quam quis per simoniam adeptus sit?

Resp. Negative. Ratio est 1. quia restitutio pertinet ad justitiam commutativam, satisfactio vero ad vindicativam, quæ quidem ad distributivam reducitur. 2. Restitutio æris alieni, reconciliatio cum inimico, abjectio præbendæ per simoniam acquisitæ,

per

pertinent ad cessatiouem a peccato: qui enim nec restituit, nec redintegravit amicitiam cum inimico, nec præbendam inique comparatam abjecit, salrem in præparatione animi, is adhuc versatur in affectu peccati: at satisfactio pœna est cujus executio (ut dicemus) præsuppouit ut quis, si nou à reatu cujuslibet peccati mortalis, saltem ab illius affectu sit liber.

Quæres 2. cur in Scripturis & Patribus satisfactionis opera ad orationem, jejunium, & eleemosynam revocentur. *Tria sunt* (inquit Leo Magnus Serm. 1. de jejuuio decimi mensis) *quæ maxime ad religiosas pertinent actiones*, Oratio, scilicet, jejuuium & eleemosyna.

Resp. non unam esse apud authores rationem, aliqui enim contendunt respexisse Patres ad triplicis generis bona, quibus homo fruitur, & quibus privatur per eorum operum praxim: Per orationem (inquiunt) anima Deo subjicitur: ac proinde propria libertate quam deperit, frustratur; per jejunium voluptates subtrahunt corpori, & per eleemosynam minuuntur externa hominis bona. Contendunt alii Scripturam dum triplex illud opus injungit, attendere ad triplicem peccatorum radicem, quam Joannes 1. Epist. cap. 2. hisce verbis significatam voluit: *Omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum & superbia vitæ*: Concupiscentiam carnis expurgat jejunium, oculorum concupisceutia per eleemosynam comprimitur, superbiam vero vitæ jugis oratio deprimit.

Quæres 3. quænam olim opera, alioquiu ex se licita, publice pœnitentibus prohiberentur?

Resp. 1. apud Orientales uusquam matrimonii celebrationem aut prius celebrati usum, aut militiæ vel alicujus honesti in republica officii exercitium Laicis pœuitentibus interdicta fuisse. Ratio est, 1. quia nullibi legere est canones, quibus ea, de quibus in quæstione, pœnitentibus prohibita fuerint. 2. Contrarium saltem circa usum matrimonii supponere videtur canon, quo Basilius mulieres adulteras non ad prostrationem, sicut qui viros, qui hujusmodi criminis rei fuerint, dimittit, sed sola consistentia damnat ne a maritis detegantur. *Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas publicare Patres nostri prohibuerunt, ne convictis causam mortis præbeamus.* Si enim copula maritali interdictæ fuissent quandiu decurrebant pœniteutiæ labores, maritis in criminis suspicionem venire potuissent. Can. 25. contractus matrimonialis durante pœnitentia, post stupratam mulierem permittitur: *Qui a se stupratam mulierem detinet, stupri quidem pœnitentiam subibit, ei autem mulierem habere permittetur.* 3. Viris quidem Ecclesiasticis sæculares curæ vel amorum professio probibitæ fuerunt apud Orientales, *Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus sæculares curas non suscipiat* (inquit can. 6. Apostolicus) *Alioquin deponatur.* Canone 83. idem de iis edicitur, qui militiæ dederint nomen, *Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans & utraque obtinere volens, Romanum scilicet Magistratum & Sacerdotalem administrationem deponatur?* Sed id, aut quippiam simile nusquam de Laicis pœnitentibus statuitur; ac proinde exercitiis illis nusquam apud Orientales interdicti fuere.

Nec obest can. 12. prioris Concilii Nicæni ubi hæc de lapsis pœnitentibus habentur: *Qui autem a gratia quidem evocati, & primum suum ardorem ostenderunt & cingula deposuerunt; postea autem ut canes ad suum vomitum reversi sunt, ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, & beneficiis militiam assequerentur, hi decem annis prosternantur supplices.* Non obest (inquam) siquidem non ratione pœnitentiæ regulam illam sauciverunt Patres Nicæni, sed ratione periculorum quæ, Imperantibus ethnicis, militiam comitabantur: Ethnici nimirum Imperatores ubi grassabantur in Ecclesiam, persecutionem incipiebant a militibus, ut in Eusebio histor. lib. 8. cap. 3. videre est. Præterea plures iis temporibus erant actiones, quæ sapiebant idololatriam, ut coronarum in capite gestatio de qua multa habet Tertullianus libro de Corona Militis. Ad ea pericula attenderunt Nicæni Patres; unde merito gravi pœnitentia damnarunt milites, qui furentibus ethnicis, depositum pietatis causa, militiæ cingulum rursus se induisse confessi sunt.

Resp. 2. Apud Occidentales tribus prioribus sæculis nec matrimonii usum conjugatis pœuitentibus, uec celebrationem liberis, nec militibus militariam artem, nec cæteris Laicis magistraturam sæcularem prohibita fuisse Ratio est, quia nullum similis prohibitionis vestigium legere est apud authores qui a Christo, usque ad Constantini Magni imperium scripserunt. Nusquam (ut observat Morinus noster) apud eos authores hunc, aut similem loquendi modum legere est: Qui Pœnitentiam egit publicam, ordinibus suscipiendis idoneus non est, aut ab uxoris usu temperare debet, eaque mortua aliam ducere non potest, nusquam aut reipublicæ gerendæ, aut militiæ exerceudæ dare debet operam. Confirmatur ex eo, quod Tertullianus libro de Pœnitentia minutatim expouat, quæ peccatores avocare poterant a subeundis pœniteutiæ laboribus: uec tamen meminit legis qua vetarentur aut usus matrimonii inter conjugatos, aut inter liberos illius celebratio, aut artis militaris professio; licet earum rerum prohibitio videatur esse durissima, ac summum iis facescere negotium potuisse, qui pœnirentiam amplexi fuissent.

Resp. 3. apud eosdem Occidentales, militiæ & sæcularium uegotiorum exercitium, usum matrimonii, illius celebrationem, publice pœuitentibus sive propter crimina publica, sive propter occulta a sæculo quarto ad octavum usque fuisse prohibita multis argumentis ostendi posse.

Syricius Papa hæc habet Epist. 1. c. 5. ad Himerium Tarraconensem: *De his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent, pœnitenti id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur: sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a Dominico autem convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus.*

In eum Syricii canonem hæc ait Severinus Binius Conciliorum Labbei Tom. II. pag. 1022. *Non conjugium verum & legitimum pollutionem appellat, sed illicitam conjunctionem eorum, qui post peractam publicam pœnitentiam, ad eamdem illicitam conjunctionem iterum revertuntur, propter quam pœnitentiam egerant.* Unde consequi videtur pœnirentibus a Syricio interdictum non fuisse legitimi conjugii usum aut alterius celebrationem. Verum Syricii mentem assecutus non est Binius: ideo enim illi concubitus appellautur inhibiti, quod non quidem ex se, aut ex lege divina illiciti essent, sed tantum ex lege positiva Ecclesiastica, quæ tunc obtinebat in Ecclesia Romana: siquidem Syricius verba illa, *Inhibitos appetivere concubitus*, his aliis immediate subjungat: *Ad vomitus pristinos redeuntes, & militiæ cingulum & nova conjugia*: Prohibitis itaque a Syricio novis conjugiis, eorum respectu, qui publicam egerant pœnitentiam, mirum non est, quod eorum amplexus vocarit inhibitos concubitus.

Alterum Concilium Arelatense idem prorsus statuit, quod antea Syricius decreverat. *Pœnitentes* (inquit can. 21.) *quæ defuncto viro alii nubere præsumpserint, vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceantur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito, placuit observari.* Eadem pœna canon animadvertit in alterum pœnitentis matrimonium, & interdictam vel suspectam familiaritatem.

Sanctus Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 10. sic loqui-

loquitur: *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renunciandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum quam natura postulat. Interpellandus est gemitibus &c.* Eadem praxis evincitur ex Epistol. 3. Innocentii Papæ I. ad Exuperium Tholosanum. Hanc laudato Papæ quæstionem Exuperius proposuerat: *Cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur;* Eam vero quæstionem sic solvit Innocentius: *Super hoc Christiana religio adulterorum in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt, & ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio denegatur. Virorum autem latente commisso non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur.* Ex eo Innocentii responso evidenter colligitur, ideo adulteros viros non fuisse separatos a suis uxoribus, quod eorum crimen Ecclesiam lateret, ac proinde quod nondum pœnitentiæ publicæ laboribus addicti fuissent. Solebat igitur Ecclesia matrimonii usum publice pœnitentibus apud Occidentales prohibere.

In eam de qua hactenus, Occidentalium disciplinam observare est 1. ubique eam de præcepto non fuisse; aliquibus enim in locis erat tantum de consilio: *Forte est aliquis qui dicat* (verba sunt Augustini Serm. 58. de Tempore) *Ego in militia positus sum, uxorem habeo & ideo pœnitentiam agere quomodo possum? Quasi nos quando pœnitentiam suademus, hoc dicamus, ut unusquisque magis sibi capillos studeat auferre & non peccata dimittere, & vestimenta potius evellat quam mores.* Ea objectio quam pœnitentium nomine Augustinus sibi proponit, nitebatur praxi quæ jam pluribus in Provinciis obtinuerat, dimittendi nempe quoad thorum uxorem, deferendi militiam, ut quis posset publicæ pœnitentiæ dare operam. Eam vero objectionem sic S. Doctor solvit ut supponat id non requiri necessario, sed hoc unum tantum, peccatorum scilicet dimissionem & morum perversorum correctionem; idque confirmat exemplo Davidis, Acabi, & Manassis quos nec conjugium, nec ars militaris, nec dignitas regia quibus nunquam, saltem pro quovis tempore, nuntium remisere, a pœnitentiæ laboribus avocarunt.

Observare est 2. adolescentibus, quibus difficilis erat continentia, indultum fuisse matrimonium post peractam publicam pœnitentiam, non vero dum actu illi darent operam. Hanc Leoni Magno quæstionem num. 13. proposuerat Rusticus Narbonensis: *De his qui post pœnitentiam uxores accipiunt, vel concubinam sibi conjungunt:* Eam autem hisce verbis solvit laudatus Pontifex Epistola 2. editionis Quesnelli nostræ congregationis Presbyteri: *In adolescentia constitutus, si urgente aut metu mortis aut captivitatis periculo, pœnitentiam gessit, & postea timens lapsum incontinentiæ juvenilis, copulam uxoris elegit ne crimen fornicationis incurrat, rem videtur fecisse venialem, si præter conjugem, nullam omnino cognoverit. In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tollerabilius æstimamus. Nam secundum veram cognitionem nihil magis congruit ei qui pœnitentiam gessit, quam castitas perseverans & mentis & corporis.*

Observare est 3. peracta pœnitentia conjugatis, præsertim adolescentibus, Patres indulsisse usum contracti ante pœnitentiam matrimonii; nec mirum; si enim eis alteras a prioribus nuptias permiserint, a fortiori priorum usum debuerunt indulgere: *Antiqui & sanctissimi est Patris sententia Papæ Leonis* (inquiunt tertii Concilii Toletani Patres can. 8. *ut is qui in ætate adolescentia positus, dum mortis formidat casum pervenerit ad pœnitentiæ remedium, si conjugatus & forte fuerit incontinens, ne postea adulterii incurrat lapsum, redeat ad pristinum conjugium, quousque possit adipisci temporis maturitate continentiæ statum. Quod non sicut de viris, ita & de fœminis æquo modo censemus.* Nec obest quod tum S. Leo, tum Patres Toletani loquantur tantum de pœnitentia quam quis constitutus in mortis periculo susceperit: Nam, si id indulgent pœnitentiæ in extremis susceptæ, a fortiori idem annuunt pœnitentiæ, cui quis sanus & extra mortis periculum se se subjecerit. Favorabilior nimirum semper fuit sanorum pœnitentia quam ægrotantium.

Observare est 4. aliquibus in locis partis innocentis consensum requisitum fuisse antequam pars quæ propter crimen addicebatur publicæ pœnitentiæ, vetaretur usu matrimonii prius contracti. *Pœnitentiam conjugatis* (inquit 2. Concilium Arelatense can. 22.) *nonnisi ex consensu dandum.* Passim tamen & omnibus in regionibus non requirebatur expressus ille consensus. Existimarunt nimirum Patres æquum esse ut altere conjugibus ferret alterius onus juxta tritum hoc juris axioma: *Qui sentit commodum, sentire debet & onus.* Præterea conjugum alter temperare debet ab actu conjugii si compars ægrotet donec recuperarit sanitatem: Quidni idem onus conjux ferret, si maritus spiritualiter ærotarit?

Observare est 5. ideo militiam, mercaturam, officiaque forensia publicæ pœnitentibus quondam fuisse prohibita, non quod eorum exercitium ex se malum esset, sed quod plerisque peccandi præberent occasionem: *De his, qui pœnitentiam professi sunt, si in foro litigare cœperint:* (Dubium est decimum quod Leoni Rusticus Narbonensis proposuit) *Aliud quidem est* (respondet laudatus Pontifex) *debita justa reposcere; aliud propriæ perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam postulantem oportet a multis etiam licitis abstinere, dicente Apostolo: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Unde si pœnitens habet causam quam negligere forte non debeat, melius expetit Ecclesiasticam quam forense judicium;* Hoc aliud quæsiit idem Rusticus: *De his qui in pœnitentia, vel post pœnitentiam negotiantur.* Sic vero solvit Leo: *Qualitas lucri negotiantem aut excusat, aut arguit: quia est & honestus quæstus & turpis. Verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati quam periculis negotiationis obstringi: quia difficile est, inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.* Hoc aliud dubium proposuit idem Rusticus: *De his qui post pœnitentiam ad militiam revertuntur:* Cui quidem dubio sic Leo Papa respondet: *Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem, cum Apostolus dicat: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. Unde non est liber a laqueis diaboli qui se militia mundana voluit implicare.* Iis vero verbis Leonem non damnare militiam in se sumptam ostendit ejus responsum de Monachis qui militare cœperint: *Propositum* (inquit) *Monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet & reddere. Unde qui relicta singularitatis professione, ad militiam devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est: quia etsi innocens militia potest esse, electionem meliorem deseruisse transgressio est.*

Observare est 6. recensitam hucusque disciplinam præscriptam fuisse reis quorumdam atrocium criminum non iis tantum sæculis de quibus hactenus, sed etiam posterioribus. De matrimonio id expresse asserunt. Capitularia Caroli Magni, quæ nono sæculo edita sunt: *Mulier quæ duobus fratribus nupserit* (verba sunt lib. 5. cap. 19.) *abjici debet usque ad diem mortis, ita ut prius solvatur conjugium & maneat innupta.* Post sæculum 13. evanuit omnino ritus de quo hactenus dictum est: tunc siquidem desiit pœnitentia solemnis, qua si quis fungeretur, iis interdicebatur officiis; eam autem pœnitentiam solemnem non quidem Scholasticæ Theologiæ parentes, sed qui post sæculum 12. scripsere a pœnitentia publica distinxerunt, quam pœnitentiam publicam prout a solemni distinctam si quis subisset, & matrimonio & militiæ negotiationi poterat operam dare.

CA-

Caput Quartum.

De forma Satisfactionis.

FOrma Satisfactionis est modus, quo impositum illud onus pœnitentes exequi soliti sunt. De antiquo tantum hic differemus: nihil enim est in eo, qui nunc obtinet, quod dignum sit observatione speciali. Ille vero antiquus agendi pœnitentiam modus includit 1. durationem satisfactionis, seu temporis spatium, quod Satisfactioni erat impendendum. Includit 2. habitum exteriorem, quem publici pœnitentes induebant. Includit denique 3. varias stationes, quas decurrere debeant, antequam Eucharistica communione donarentur. De iis omnibus seorsim hic differendum nobis incumbit.

Articulus Primus.

Quantum olim esset tempus peragendæ Satisfactioni præfixum?

HIC dicemus 1. de tempore, quo ab Ecclesiæ incunabulis ad Montanum usque fluxit. 2. de eo, quod a Montani hæresi ad Novati schisma interpositum est. 3. tandem iis in sæculis differetur, quæ a Novato ad hanc usque ætatem visa sunt.

§. I.

Quantum a Christo ad Montanum usque Satisfactioni peragendæ tempus præfixum fuerit.

COnclusio. A nascente Ecclesia ad hæresim usque Montani, quæ circa medium secundum sæculum grassari cœpit, nullum tempus satisfationi peragendæ determinate præfixum est.

Probatur 1. ex eo, quod nec Paulus, qui incestuosum Corinthium 1. ad Corinth. 5. pœnitentiæ addixit: nec Sanctus Joannes Evangelista qui (teste Clemente Alexandrino apud Eusebium hist. lib. 2. cap. 17.) prædonem a se conversum ac damnatum pœnitentia, reddidit Ecclesiæ: nec Zephirinus Papa, qui (apud eumdem Eusebium hist. lib. 6. cap. ultimo) Natalium confessorem, post suam ab Ecclesia Catholica secessionem functum Episcopatu apud hæreticos, reconciliatione donavit determinati alicujus temporis meminerint, quod satisfactioni peragendæ præfixum esset.

Probatur 2. ex eo quod nec ii etiam Scriptores, qui ante Montanum, nec ii, qui paulo post expresse tractarunt de satisfactione ac de ritu; quo lapsi donandi essent pace, aliquod temporis spatium recensuerint, quod in subeundis pœnitentiæ laboribus impendi deberet. S. Clemens Papa Constitutionum lib. 2. cap. 16. nonnullarum quidem hebdomadarum meminit, quibus ejectus ab Ecclesia pœnitentiæ vacare debeat antequam absolvatur a Sacerdote, sed nihil certi statuit, imo totum subjicit Episcopi judicio: *Facta* (inquit) *examinatione an pœniteat, sitque dignus qui in Ecclesiam ex toto admittatur, castiga illum jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut septem hebdomadarum, ut delicti genus, & ratio poposcerit: atque ita dimitte eum, ea locutus, quæ eum, qui de peccato commisso alium admonendi causa increpat, docere, & monere convenit.* Pastoris liber, cujus author est Hermes Pauli discipulus, quem Tertullianus factus Montanista, tamquam Mœchorum Pastorem traduxit, sæpius de agenda pœnitentia sermonem habet eamque ad præscriptum Angeli, quem loquentem inducit veluti illius prænuncium ac doctorem, fieri debere contendit: Verum altum est toto eo in libro silentium de tempore aliquo determinato, quod illi pœnitentiæ peragendæ præfixum esset: circumstantiam tamen illam utpote magni momenti, non omissurus, si tunc fuisset in usu. Tertullianus & Catholicus & Hæreticus de pœnitentia scripsit; librum nempe, qui *De Pœnitentia* inscribitur, exaravit ante suam ad Montanistas defectionem, & librum cui titulus, *De Pudicitia*, præfixus est, edidit ubi Montanistis dedit nomen. Sed nec in illo nec in isto opere, quidquam effatus est de tempore, quod pro hoc aut illo peccato satisfactioni peragendæ determinatum esset. Addi potest laudatum Scriptorem in libro de pœnitentia referre eorum excusationes, qui satisfactionem peragere detrectabant, sub obtentu gravium laborum, qui tunc subeundi erant; Verum nusquam meminit diuturni temporis, quod iidem lapsi potuisent objicere: Tertulliani igitur ætate nondum Ecclesia determinarat tempus, quo quisque lapsus vacare deberet satisfactioni peragendæ.

Objicies. Canon 24. Apostolicus hæc habet ex interpretatione Dionisii Exigui: *Laicus semetipsum abscindens, annis tribus communione privetur, quia vitæ insidiator extitit.* Ergo Apostolorum ætate ac proinde ante Montanistarum schisma, nonnulla erant peccata, quæ determinata, ex Ecclesiæ præscripto, pœna castigabantur.

Resp. ratum esse doctoribus canones, qui passim Apostolici inscribuntur, non editos fuisse ab Apostolis aut una aliqua Synodo, quæ eorum ætate coacta fuerit; sed collectionem esse canonum, quos tribus prioribus sæculis ediderunt apud Orientales variæ Provinciales Synodi: nihil igitur vetat, quin asseratur canonem 24. multo post Montanistas tempore, imo & post exortum Novatianorum schisma conditum, ei de qua agitur canonum collectioni insertum fuisse.

Quæres num leves fuerint ac multum breves Satisfactiones, quæ lapsis pœnitentibus ante schisma Montanistarum injunctæ sunt?

Resp. 1. convenientes fuisse pro qualitate criminum satisfactiones, quæ quondam imponebantur antequam determinatum pœnitentiæ peragendæ tempus præfixum fuisset. 1. Apostolus interitu carnis, seu pœnis, quæ carnem excruciarent, damnavit incestuosum Corinthium: *Judicavi . . . tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis.* 2. Joannes Evangelista jejuniis, macerationibus, addixit adolescentem prædonem, quem functum pęnitentia Ecclesiæ communioni restituit: *Crebris precibus Deum pro illo invocat* (inquit Clemens Alexandrinus apud Eusebium historiæ lib. 7. c. 17.) *continuis jejuniis una cum eo se macerat, variis divinæ sapientiæ sententiis ejus animum quasi quibusdam lenociniis mitigat, tranquillatque, neque prius (ut fertur) inde discessit, quam illum Ecclesiæ restituisset.* 3. Hermes, Pastor dictus, sic describit satisfactiones ut quisque facile judicare possit perduras eas fuisse. Ad hæc Hermis verba: *Sed ecce Domine jam nunc agunt pœnitentiam* (lapsi) *totis præcordiis*, sic respondet Angelus, quem laudatus author viam pęnitentiæ docentem inducit: *Protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt Pœnitentiam? Non proinde continuo, sed oportet eum, qui agit pęnitentiam, affligere animam suam, & humilem animose præstare in omni negotio, & vexationes multas, variasque proferre.* 4. Tertullianus libro de Pęnitentia hæc ait, quæ quæstionem de qua agitur solvunt: *Extra lætitiam oportet diversari, in asperitate sacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate.* Sectarii quibus placet pęnitentiam non aliud complecti, quam novam vitam, suum axioma concilient, si possint, cum iis tum Pauli tum veterum Patrum sententiis.

Resp. 2. perbreve fuisse temporis spatium, quod impensum est in satisfactionibus de quibus veteres ante aut paulo post exortum Montanistarum schisma Incestuosi Corinthii pęnitentia perduravit: anno uno pace nimirum donatus est a Paulo in altera Epistola, quam ad Corinthios scripsit: scripsit vero evoluto anno a priore Epistola, per quam eum pęnitentiæ laboribus addixerat. Adolescens prædo cui converso Joannes Evangelista absolutionem impendit, uno tantum & altero mense peragendæ Satisfactioni dedit operam ante suam reconciliationem: refert enim Clemens Alexandrinus Joannem non prius discessisse ab Episcopo, quem Epheso profectus inviserat, quin illi adolescenti, laudati Episcopi curæ post baptismum tradito pacem annuisset. Paucis post suam conversionem die-

bus

bus Natalius, qui ad hæreticos secesserat, Catholicæ communioni restitutus est; id nimirum innuunt hæc quæ de illo habet Eusebius Historiæ lib. 6. capite ultimo: *Tam mane* (post noctem nempe qua ab Angelo crudeliter vapularat) *surgens cilicio, & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore, & lachrymis ad pedes Zephirini Pontificis se supplicem abjecit, & non modo ad Cleri, sed, & Laicorum etiam genua advolutus est; ita ut Christi misericordis Ecclesia illum magnopere commiserata, lamentis ana se dederet. Attamen ille licet multis precibus usus fuisset, & plagarum vibices, quas pertulerat, ostendisset, vix tandem in communionem Ecclesiæ receptus fuit.* Si quis autem sciscitetur cur passim perbreves essent satisfactiones; quæ ante Montanum agebantur: dicendum erit primitivæ Ecclesiæ pietatem tam insignem fuisse, tam ardentem, & inflammatam extitisse lapsorum conversionem; ut diuturnioribus pœnis infligendis passim locus non esset; Ea ratio Paulum movit, ut post annum Corinthium incestuosum pace donaret; *Sufficit illi qui ejusmodi est* (inquit 2. ad Cor. 2.) *objurgatio hæc quæ fit a pluribus ita, ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est. Propter quod* (seu propter ingentem illam contritionem) *ut confirmetis in illum charitatem*, hoc est, ut illum pace donetis. Eumdem contritionis ardorem præ se tulerat adulescens prædo quem Joannes absolvit: *Senem ad se advenientem* (Joannem nimirum Evangelistam qui eum mediis in silvis quæsitum ierat) *complectitur. Fletu, & mœrore quoad poterat pro culpa satisfecit, & dextera sola occultata lachrymarum unda secundo baptizatur.* Verba sunt Clementis factum illud enarrantis apud Eusebium loco proxime laudato. Natalius de quo mox ex Eusebio dictum est, continuis lamentis, cinere, & cilicio, lachrymis magnum suum mœrorem Zephirino ac toti Ecclesiæ, testatum fecit. Non semel scelus suum confessus est, nec repulsam passus, destitit ab exoranda a Zephirino venia; *Attamen ille, licet multis precibus usus fuisset; & plagarum vibices quas pertulerat ostendisset, vix tandem in communionem Ecclesiæ receptus fuit.*

§. I.

Quantum temporis a Montano ad Novatum satisfactioni peragendæ præfixum fuerit?

COnclusio. Pœnis Satisfactoriis peragendis præfinitum tempus, longius quidem extitit a Montano ad Novatum usque; nullum tamen in specie determinatum fuit a Patribus.

Probatur prior conclusionis pars 1. ex duobus decretis in causa, & tumultu Lapsorum latis S. Cypriani temporibus. Priore decreto, quod fuit provisorium; Clerus Romanus, sede vacante per mortem Fabiani Papæ quem Decius Imperator morti tradiderat, & Ecclesia Carthaginensis ad Concilium coacta, sanciverunt Lapsos qui Martyrum libellis muniti essent, statim esse reconciliandos si urgeret mortis periculum: si vero non immineret illud periculum, differri debere absolutionem donec, pace Ecclesiis data, in Concilio definiri posset quid disciplinæ in eos servandum foret: *Ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus* (verba sunt decreti ad postulationem Cypriani, Romæ lati a Clero Romano anno Christi 253.) *sed Lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus, at interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso, eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur. Eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla subsisterit, ita demum caute, & solicite subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus, ut nec pronam nostram impii homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem.* Alterum decretum est peremptorium latum in Concilio Carthaginensi reddita post Decii mortem Ecclesiis pace. Illius decreti meminit Cyprianus Epist. 52. quæ est ad Antonianum, ubi sic loquitur: *secundum quod tamen antea fuerat destinatum, persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi; copiosus Episcoporum numerus, quos integros, & incolumes fides sua, & Domini tutela protexit, in unum convenimus, & scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis, & pacis lapsis denegaretur, ne plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti sæculum gentiliter viverent: nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent, SED TRAHERETUR DIU POENITENTIA, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum, secundum quod libello continetur quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt.* Illi peremptorio decreto robur addit Cornelius Papa; id testatur Cyprianus laudata mox Epist. 52. ad Antonianum, ubi hæc habet. *Ac si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui, & ipse cum plurimis Coepiscopis, habito Concilio, in eamdem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit.*

Ex duplici illo decreto constat 1. a Montano ad Novatianum usque multum temporis satisfactioni peragendæ fuisse præfixum ab Ecclesia; quod tamen antea præfixum non fuisse paragrapho superiore demonstravimus. Verum quod Cyprianus divinus intellexisset novam persecutionem sub Gallo, & Volusiano Imperatoribus imminere, longius illud tempus quod tum Carthagine tum Romæ satisfactioni præscriptum fuerat, contrahere coactus est, adductus ratione quam hisce verbis explicat Epist. 54. *Merito trahebatur Pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu subveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lachrymas, & subvenire sero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione corporis, & sanguinis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Constat 2. propter imminentem sub Gallo, & Volusiano persecutionem septem tantum mensibus Lapsos satisfactioni Canonicæ seu ab Ecclesia præscriptæ dedisse operam: Synodus nempe in qua laudatum superius peremptorium decretum editum est, habita fuit Idibus Maji anni 254. ineunte vero anno 255. Gallus, & Volusianus commoverunt in Christianos persecutionem quam paulo ante intelligens Cyprianus hæc ad Antonianum scripsit Epistol. 54. *Sed etiam cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare cœpisse, & crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen quod nobis hostis indicit, armati, & parati simus &c. necessitate cogente censuimus eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pœnitentiam agere, & lamentari ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium quod imminet, armari, & instrui oportere.*

Probatur altera conclusionis pars, nempe etsi in longius spatium post Montani tempora productum sit ex Ecclesiæ præscripto satisfactionis tempus, tamen determinatum hoc vel illud præfixum non fuisse. 1. Nec Cyprianus in Concilio Carthaginensi, nec Cornelius in Romano meminerunt alicujus in specie spatii ad quod satisfactio Canonica protrahi deberet. 2. Ubi definitum est diu protrahendam esse pœnitentiam, quantum illi peragendæ impendi deberet temporis spatium, Episcopi qui pœnitentium contritionis, & peccatorum gravitatis rationem haberet, arbitrio permissum est; *Sed traheretur diu pœnitentia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum.*

Objicies. Cornelius Papa absque ulla temporis

mora, & absque injuncta aliqua satisfactione Canonica, pacem dedit, seu impendit absolutionem Maximo, Urbano, Synodio & Macario, qui licet aliquando confessi fuissent Christi nomen coram tyrannis, defecerant tamen postea ad schisma a Novatiano conflatum: *Maximum Presbyterum* (inquit Cornelius) *locum suum ignoscere jussimus, cæteros cum ingenti populi suffragio recipimus*: Illud vero Cornelii factum multis laudibus Cyprianus extollit Epistol. 47. ubi sic loquitur: *Merito illos revertentes summo, ut scribitis, gaudio & Clerus & plebs & fraternitas omnis accepit. Quoniam in Confessoribus gloriam suam conservantibus, & ad unitatem revertentibus nemo non socium se & participem eorum gloriæ computat esse: Quanto magis est gaudium & in terra pariter & in Cœlo super confessoribus ad Ecclesiam Dei cum gloria sua & cum laude revertentibus*. Idem Cornelius Papa Trophimum Episcopum prius abstentum quod idolis sacrificasset, & postea rebellis multitudinis ducem constitutum donavit absolutione: nec tamen legitur quod aliquam ipsi satisfactionem injunxerit: *Tractatu ergo illic cum colegis habito* (inquit Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum) *susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus & restituta multorum salus*. Cyprianus Epistol. 20. approbat Caldonii propositum quo statuerat pacem illico dandam sacrificatis qui iterato tenti Christum generose confessi fuerant: *Recte* (inquit) *sensisti impertiendam fratribus nostris pacem quam sibi ipsi vera pœnitentia & Dominicæ confessionis gloria reddiderunt, sermonibus suis justificati quibus se antea damnaverant*. Ex illis autem factis colligi videtur a Montani tempore ad Novatum usque longius tempus Satisfactioni peragendæ præfixum non fuisse quam antea.

Resp. 1. extraordinarios fuisse illos casus: Patres in iis œconomice se gesserunt, ut nimirum multitudinis potius quam hæreseos aut schismatis ducum, saluti consulerent: *Nam sicut antecessores nostri sæpe fecerunt* (verba sunt Cypriani Epistol. 52. ad Antonianum) *colligendis fratribus nostris carissimi frater noster Cornelius necessitati succubuit, & quoniam cum Trophimo & satisfaciente & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate, & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces, & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus quam maximus fratrum numerus qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes ad Ecclesiam regressuri non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent*.

Resp. 2. in Lapsis quorum argumentum meminit, incensam, acrem, ac vehementem contritionem eluxisse. Nam 1. Urbanus, Sidonius, Maximus per aliquod tempus repulsam passi, ab unionis redintegrandæ proposito deterriti non fuerunt: *Postea vero* (inquit Cornelius Epist. 5. quæ est ad Cyprianum) *Urbanus & Sydonius Confessores* (qui Novatiano consenserant) *ad Presbyteros nostros venerunt, affirmantes Maximum Confessorem & Presbyterum secum pariter cupere in Ecclesiam redire. Sed quoniam multa præcesserant ab eis designata, quæ tu quoque a Coepiscopis nostris e litteris meis cognovisti, ut non temere eis fides adhiberetur, ex ipsorum ore & confessione, ista quæ per legationem mandaverant, placuit audiri*. 2. Palam suum crimen confessi sunt: *Qui cum venissent* (verba sunt Cornelii) *& a Presbyteris quæ gesserant, exigerentur, novissime quod per omnes Ecclesias litteræ calumniis & maledictis plenæ, eorum nomine frequenter missæ fuissent, & pene omnes Ecclesias pertubassent, circumventos se esse affirmaverunt, neque in istis litteris quid inesset, scisse: tantummodo circumductos se, commisisse quoque schismata & hæresis authores fuisse: ut paterentur ei* (Novatiano) *manus quasi in Episcopum imponi*. 3. Passi sunt humiliter ut commissa scelera, eis publice exprobarentur. *Qui, cum hæc & cætera eis fuissent exprobrata; ut abolerentur, & de memoria tollerentur, deprecati sunt*. 4. Non voce tantum, sed & cum ingenti lachrymarum imbre suam reconciliationem petierunt. *His ita gestis in Presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius & Macarius & plerique fratres, qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes, ut ea quæ ante fuerunt gesta; in oblivionem cederent*. Ejusdem Contritionis ardorem demonstrat Trophimus: *Redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo* (inquit Cyprianus ad Antonianum scribens) *& satisfaciente & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente &c.*

§ III.

De tempore quod Satisfactioni peragendæ præfixum est ab ortu schismatis Novatiani ad hæc usque tempora.

Conclusio 1. Post conflatum Novatianorum Schisma in satisfactionem canonicam lapsis diuturniores quam antea præscripti sunt labores: ac præterea determinate præfixum fuit tempus quod satisfactioni pro quibusdam peccatis impendendum esset.

Probatur utraque conclusionis pars ex pœnitentium variis stationibus, seu classibus quæ (ut infra dicetur) tunc primum institutæ fuerunt, perduraruntque in Ecclesia Orientali usque ad finem sæculi quarti, nempe usque ad Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani tempora & in pluribus Ecclesiis Occidentalibus usque ad sæculum septimum. Iis vero in stationibus determinatus tempus quod nonnulli lapsi satisfactioni peragendæ debebant impendere.

Conclusio 2. Licet apud Orientales pro peccatis occultis a quarto Ecclesiæ sæculo hucusque imposita non fuerit Pœnitentia publica: Canones tamen in subeundis satisfactionibus occulte servati sunt & nunc etiam servantur.

Probatur. Facile evincitur apud Græcos, nullam a sæculo IV. ad hæc usque tempora pœnitentiam publicam impositam fuisse pro peccatis occultis; licet multum enormibus, 1. Nullo in canone qui ab eo tempore editus fuerit, fit mentio artificialium classium pœnitentiæ; Nullo in monumento reperire est hunc aut similem loquendi modum, qui tamen antea ubique apud Orientales obtinebat: *Qui hoc vel illo crimine se commacularit, tot annis in Auditione, in Substratione, in Consistentia subsistet, deinde quod perfectum est consequetur*, sed simpliciter decernitur: *Non communicet: Segregetur*, ut in Concilio Ephesino can. 6. in Calcedonensi can. 4. nec non in plerisque Trullanæ Synodi videre est. 2. Idem colligitur ex iis omnibus liturgiis, quibus Græci a mille & amplius annis utuntur: iis nimirum in liturgiis nullum est vestigium orationis specialis quæ ante Nectarium palam fundi solebat supra pœnitentes, nec manus impositionis, quæ fiebat olim super eorum capita, nec dimissionis solemnis quæ fiebat finita ea liturgiæ parte quæ Catechumenorum missa dicebatur. 3. Idem concluditur ex libro Pœnitentiali Joannis Jejunatoris qui Constantinopolitano Patriarchatui, labente sexto sæculo, præfuit. Liber ille damnat quidem quorumdam criminum reos satisfactione quæ per decem, duodecim, quindecim annos in jejuniis, in orationibus perduret, antequam edicit ut palam omnibus peragatur injuncta pœnitentia, nusquam artificialium pœnitentiæ classium meminit: *Castigationes autem* (verba sunt laudati Pœnitentialis) *earumque differentiæ eædem sunt. Quæcumque perpetrata sunt ante annum trigesimum sive a viris sive a mulieribus, facile & celeriter condonentur qualiacumque sint, ita ut duorum aut trium annorum in pœnam non excedant, nisi cædes sit quælibet, magnaque aliqua sanguinis permixtio, sive incestus. Eorum vero quæ post annum trigesimum perpetrantur, pœnæ in annum tertium & quartum extendantur. Ubi vero cædes est una, aut plures, aut magnorum incestorum aliquod, veluti cum sorore germana, sive ex patre, sive ex matre, vel filii uxore, vel susceptor, vel eorum qui duas sorores matrimonio aut contubernio sibi copulant, vel in novercas fuerunt, in annum duodecimum pœnæ prorogantur.*

Non difficili negotio colligitur Græcos, licet quoad multa capita a vetere disciplina satisfactionis peragendæ respectu discesserint secreto tamen canones exequi his etiam temporibus. Nam 1. Sacerdotes ea lege confessio-

fessionem Cleticorum excipiunt, ut si rei sint criminum io quæ per suspensionem aut per dispositionem canones animadvertunt, ipsi se se ad eorumdem canonum normam abdicent a Cleticali officio. Græci oimirum bunc Joannis Jejunatoris in libello Pœnitentiali caoonem in praxi sequuntur. *Presbyteros & Episcopos & Diaconos admittere non oportet ad confessionem, donec securitatem secundum Deum confessoribus dederint, si alicujus criminis conscii fuerint quod eos a sacro ministerio abdicet, non amplius ausuros sacrificare; bujusmodi autem non datur ulla quæcumque sit Pœnitentia* (sat enim gravis est publica illa ac perpetua a ministerio abdicatio) *Nihil autem aliud probibet sacerdotem a sacro ministerio quam in alienam mulierem præter legitimam, revera incidere. In unicam si solum incidat, non datur illi restitutionis locus, boc est uumquam illi fiet sacrificandi potestas, etiamsi martyrium decertet, faciatque miracula magna, adeo ut mortuos suscitet*. 1. Qui Laicorum confessiones excipiunt, gerunt præ manibus libellnm pœnitentialem, ad cujus normam scelera castigaot: *Si letbisera crimina* (Pœnitentes) *detegunt* (inquit Jacobus Goar Dominicanus in notis quibus illustravit Eucologium Græcum quod Latine vertit, p. 678.) *Illa in Nomocanone juxta se posito examinant* (Confessarii) *censurarumque districtioni, prout legunt, cuncta subjiciunt, & tandem Pœnitenti bene precantur*. Idem refert Gabriel Philadelphiæ Metropolita, Capite 8. libri de Sacramentis satisfactionem sic definit. *Satisfactio est efficax adimpletio & perfectio canonis, quem Pater spiritualis hujus rei potestatem habens dedit peccatori propter ipsius peccata secundum sanctæ Ecclesiæ traditionem & spiritualem sacrorum canonum pœnam, quam non solum divini & spirituales Ecclesiæ Catholicæ præcones docuerunt, sed etiam divina Scriptura perspicue predicat*. Petrus Arcudius rituum Græcorum peritissimus, lib. 4 de Sacramentis, capitibus primo, & secundo eamdem disciplinam apud Orientales observari testatur. Tertio. Quamvis Græci sæpius post editam a pœnitente confessionem statim impendant absolutionem a peccatis; Eucharisticam tamen communionem non in unum tantum, sed etiam in plures annos differri præcipiunt: *Publica pœnitentia* (inquit Goarius loco jamjam laudato) *nulli licet amplius imponatur* (pro peccatis occultis) *aliquos tamen confessione expiatos a sacra communione per annum vel plures quandoque arcent*.

Conclusio 3. Post sæculum septimum ad hucusque tempora in adimplenda satisfactione variæ mutationes apud Occidentales contigerunt.

Probatur enumeratione. Primo. Licet per sexceatos priores annos pœnitentia publica pro quibusdam peccatis occultis imposita fuerit apud Occidentales: septimo tamen vetus disciplina quoad illud caput evanuit: siquidem tum libri Pœnitentiales, tum varii divinorum Officiorum ordines, multi Conciliorum canones qui vel sæculo septimo vel postea editi fuerunt. cum agunt de satisfactione injungenda, inter publica & occulta crimina distinguunt; quam tamen distinctionem qui præcesserant Patres, non recensuerunt. *Non omnibus in una eademque libra pensandum est, licet in uno constringantur vitio* (inquit Beda Venerabilis capite 7. libelli de remediis peccatorum cui edendo incumbebat circa annum 725.) *sed discretio sit in unoquoque eorum, hoc est, an voluntate vel casu, in publico vel in abscondito &c.* Eadem distinctione traditur Capitularium lib. 5. cap. 52. *Si occulte & sponte confessus fuerit, occulte fiat* (Satisfactio: (*& si publice ac manifeste convictus, aut confessus fuerit, publice ac manifeste fiat, & publice coram Ecclesia juxta canonicos pœniteat gradus. Post peractam vero secundum canonicam institutionem Pœnitentiam occulte vel publice canonice reconcilietur*. Eumdem usum confirmavit Concilium Arelatense VI. quod habitum est anno 813. *Qui publico in crimine convicti sunt Republicæ, judicentur, & publicam pœnitentiam agant secundum canones*.

Monitum velim lectorem factæ apud Latinos innovationi occasionem præbuisse Theodorum Archiepiscopum Cantuariensem. Is Græcus erat Monachus, Tharsi Ciliciæ natus quem cum Vitalianus Papa anno 668. consecrasset Archiepiscopum Caotuariensem, altero ab ordinationis suæ anno eam in iosulam pervenit, obiit vero (Beda teste Historiæ Anglorum lib. 4. cap. 1.) anno 690. Intra illud tempus quod fluxit ab anno 670. ad annum 690. edidit Pœnitentialem librum qui inscribitur illius nomine. Eo autem in libro Græcorum disciplinam imitatus, peccata publica ab occultis distinxit, in illa tantum, non autem in ista animadvertit pœnitentia publica: paulo post apud cæteras Occidentales Ecclesias sensim sine sensu ille mos invaluit, perduravitque ad undecimum usque sæculum quantum ad observationem canonum, qui licet quoad pœnitentias publicas pro peccatis occultis iis sæculis non obtinuerint, viguerunt tamen secundum tempus, secundum rigorem, quem habent in veteribus Conciliis: seu id secreto peccatores occulti exequuti sunt, quod publice soliti erant exequi ante Theodorum Cantuariensem. Usum illum demonstrat Epistola Alexandri Papæ II. ad Berengarium Basileensem Episcopum missam paulo ante ejus obitum qui contigit anno 1072. hæc enim habet quæ antiquitatem sapiunt: *Iste Pœnitens venit ad nos, confessusque est se filiam patrui sui corrupisse, cui quatuordecim annorum Pœnitentiam injunximus, ut jejunet quidem tribus Quadragesimis. In Quadragesima post Pentecosten duobus diebus in pane & aqua in septimana, & in Adventu tribus, & in Majori Quadragesima tribus*.

Secundo. Altera mutationis species quæ in antiquo pœnitentiarum usu contigit, ipsos spectat canones ad quos post undecimum sæculum in injungendis satisfactionibus raro attendebant pœnitentiæ ministri. Nam cuique passim facta est facultas præscriptas libris pœnitentialibus pœnas redimendi eleemosynis, flagellis, peregrinationibus: *Quicumque* (ait Urbanus Papa II. in Concilio Claromontano can. 2.) *pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputabitur*.

Tertio. Evanuerunt tum ex liturgiis, tum ex divinorum officiorum ordinibus solemnis pœnitentium dimissio: Quotidiana manuum impositio super eorum capita: Episcoporum, Presbyterorum, plebis pro pœnitentibus publica supplicatio: neque enim eorum vestigium reperire est, aut in vetere Ordine Romano aut in Alcuino, Amalario Fortunato, & cæteris qui de Divinis officiis tum octavo tum nono sæculo scripserunt: nec in iis etiam authoribus qui 11. & 12. collectiones Caoonum adornarunt.

Articulus Secundus.

De exteriori antiquorum Pœnitentium habitu.

Conclusio 1. Antiqui pœnitentes sacco induti, & cinere conspersi, publice videbantur in templis.

Probatur 1. ex Tertulliano, qui cap. 5. libri de pudicitia quem adversus Catholicos scripsit factus Montanista sic loquitur: *Adsistit idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit & mœchus. Pariter de pœnitentiæ officio sedent, in sacco & cinere inhorrescunt*. Sic etiam cap. 9. libri de pœnitentia, *de ipso quoque habitu, atque victu mandat*. (Loquitur de disciplina exomologesis suo tempore observari solita) *sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare*.

Probatur 2. ex Cypriano libro de Lapsis, ubi hæc ait: *Si quem de tuis caris mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter & fleres, facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes, animam tuam, misera, perdidisti, & non acriter plangis &c.*

Probatur 3. ex Eusebio qui de Natalio hæc scribit libro 5. historiæ: *Mane surrexit cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lacrymis ad pedes Zephirini Pontificis se supplicem abjecit*.

Probatur 4. ex Hieronymo qui de Fabiola nobili matrona Romana pœnitente, eo quod, relicto viro

Juenin de Sacram.

adultero, nupsisset altori, hæc scribit Epistol. 30. quæ est ad Oceanum; *Quis hæc crederet ut post mortem secundi viri in semetipsam reversa saccum indueret, Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, sordida colla submitteret.*

Quæres primo quænam fuerit ratio pœnitentibus induendi lugubrem illum habitum?

Resp. duplicem afferri posse. Prima petitur ex exemplo Judæorum, qui vel pœnitentiam de criminibus agentes, vel testantes internum dolorem, quo cruciabantur, vel cupientes avertere periculum imminens, semper in Scriptura cum cinere, cilicio, & sacco, lacerata veste, nobis exhibentur. Altera ratio traditur ab Hieronymo in caput tertium Lamentationum, ubi hæc ait: *In cilicio quippe asperitas & compunctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum, & idcirco utrumque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet ut in compunctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, & in favilla cineris perpendamus, quid per vitium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa pœna vitiorum.*

Quæres 3 quandonam pœnitentes lugubrem habitum induerent?

Resp. tempore Tertulliani eos ipsum induisse cum petituri erant admissionem ad pœnitentiam; at post institutas pœnitentium classes, eam vestem deferebant præterim in tertio gradu sive in substratione, eamque servabant usque ad consistentiam.

Conclusio 2. In quibusdam regionibus pœnitentes nec barbam, nec crines nutriebant, secus vero in aliis.

Probatur prima pars. 1. Ex Canone 15. Concilii Agathensis, ubi hæc habentur: *Pœnitentes si comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur.* Secundo. Ex cap. 52. libri 5. Capitularium: *Sacerdos sibi scelera sua confitenti pœnitentiam tribuat; Si comam demiserit, aut habitum mutaverit.* Tertio. Ex Canone 13. Concilii tertii Toletani: *Quicumque ab Episcopo sanus, vel infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia Episcopus servet & Presbyter, ut si vir est, prius eum tondeat, & in cinere & cilicio habitum mutare faciat: si vero mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam nisi prius velata fuerit, aut mutaverit habitum.* Quarto. Ex Ambrosio, lib. ad virginem lapsam cap. 8. *Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxuriæ præstiterunt: Ergo, &c.*

Probatur secunda pars. Primo. Ex Isidoro, qui libro 2. de Eccles. officiis cap. 16. hæc scribit: *Hi vero qui pœnitentiam agunt, proinde capillos & barbam nutriunt.* Secundo. Ex Rabano Mauro, qui libro 2. de Institutione Clericurum cap. 29. idem habet quod Isidorus. Ex allatis locis colligitur primo morem quo pœnitentes barbam ac capillos soliti erant radere ubique apud Occidentales non obtinuisse; imo nec in tota Hispania, nec in tota Gallia. Colligitur secundo utriusque consuetudinis licet diversæ ac oppositæ eumdem fuisse finem; apud aliquas nimirum gentes barbam & comam nutrire honori, apud alias vero ignominiæ ducebatur.

ARTICULUS TERTIUS.

De variis Pœnitentium stationibus.

Quatuor olim extiterunt Pœnitentium classes, seu gradus, seu stationes; Fletus scilicet, Auditio, Substratio, Consistentia de quibus subsequentibus paragraphis agendum nobis incumbit.

§. I.

De Fletu.

Conclusio. Pœnitentium Flentium statio collocata erat in portica, seu tecto humilioris situs ab Ecclesiæ tecto quod sublimius erat, distinctum, ac arcubus, aut columnis suffultum.

Probatur primo ex postremo canone Epistolæ canonicæ S. Gregorii Thaumaturgi, cui artificiallum pro pœnitentibus stationum institutio tribuitur; *Fletus* (inquit) *est extra portam Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet fideles ingredientes orare ut pro se precatur.* Secundo. Idem ostenditur ex Basilio Magno, qui canone 56. hæc habet: *Qui sua sponte interfecit, & postea pœnitentia ductus est: viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem annis sic in eo dispensabuntur; Debet quatuor annis flere stans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem enuncians.* Tertio. Hæc habet S. Joannes Chrysostomus homilia 17. in Matthæum, quam homiliam Antiochiæ cum plerisque aliis edidit in lucem: multa enim in iis asserit, quæ pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis usum supponunt, quem tamen (ut passim docetur) abstulerat Nectarius immediatus illius in Sede Constantinopolitana decessor: *Cæterum* (alloquitur quosdam impios contumaces) *prohibebo vobis ne sacra hæc vestibula conscendatis, & immortalibus mysteriis participetis, ut Fornicatoribus, Adulteris & Homicidiorum reis.*

Quæres primo. Quandonam Fletus statio cœperit esse in usu?

Resp. primo. Fletum ante Novatianorum schisma non fuisse stationem Pœnitentium, si pœnitentia sumatur pro actione satisfactoria quam Sacerdotes injunxerint, & quam Rei ex illorum mandato susceperint. Ratio est, quia ante schisma Novatianorum nullibi legitur peccatores ab Ecclesia fuisse dimissos ad Fletum, ut in ea statione partem injunctæ sibi satisfactionis adimplerent.

Resp. Secundo. Ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Fletum apud Christianos in usu fuisse, si sumatur pro loco extra Ecclesiæ fores posito, in quo gravium scelerum rei postularent ab Episcopis admissionem ad Pœnitentiam. Ratio est, quia Patres neminem post commissum aliquod grave peccatum admittebant ad actionem pœnitentiæ, nisi eam diu postulasset ab Episcopis. Eusebius Hist. lib. 5. hisce verbis Natalii apostatæ ab hæreticis revertentis, pœnitentiæ postulationem describit: *Mane surrexit cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lacrymis ad pedes Zepherini Pontificis se supplicem abjecit, & non modo ad Cleri, sed ad Laicorum etiam genua advolutus est, ita ut Christi misericordis Ecclesia illum magnopere commiserata lamentis una se dederet. Attamen ille licet multis precibus uteretur, & plagarum vibices quas pertulerat* (ab Angelo a quo per noctem, dum ab hæreticis staret, vapulaverat) *ostenderet, vix tandem in Ecclesia communionem receptus fuit.* Ad illum veterem & tritum Ecclesiæ morem alludit Clerus Romanus ad Cyprianum rescribens de lapsis qui non adimpleta satisfactione dari sibi pacem tumultuose postulabant: *Pulsent sane fores* (inquit) *sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique transiliant. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant, &c. Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa, mittant legatos pro suis doloribus lacrymas, advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem.* Ita ejusmodi fletus Patribus visi sunt necessarii ut ad pœnitentiam non admiserint, qui eam non præmissis lachrymis dum valetudine fruerentur, in infirmitate, seu ad angustias vitæ redacti deprecarentur: *Idcirco frater charissime,* (inquit Cyprianus Epist. 52.) *Pœnitentium non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit moriturum.*

Quæres secundo. An ultra Fletus stationem esset alius extra templum locus ad quem immanium quorumdam scelerum rei dimitterentur.

Resp.

Respondent primo nonnulli affirmative; responsum probant ex canone 17. Concilii Ancyrani, cujus hæc sunt verba; ex interpretatione Gentiani Herveti: *Hos qui rationis expertia animantia inierunt, & qui leprosi sunt vel fuerunt, jussit sancta Synodus inter hyemantes orare.* Illi autem Hyemantes (inquiunt) non possunt esse ii pœnitentes qui Flentes dicebantur: siquidem Flentes non orabant sub dio, sed sub tectulo quod adjacebat exterioribus Ecclesiæ foribus; hyemantes contra cuilibet aeris intemperiei expositi jubebantur orare. Montanistæ eo dimittebant impios qui peccata, quæ contra naturam dicuntur, admiserant; *Reliquas autem libidinum furias impias* (ait Tertullianus Montanista factus libr. de Pudicit. cap. 4.) *& in corpora & in sexus ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Ecclesiæ tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* In eam, de qua hactenus, opinionem abiit Doctissimus Albaspinæus. Nam in suis ad canonem 17. Ancyranum notis quas tom. 1. Conciliorum editionis Philippi Labbei pag. 1478. legere est, docet primo inter hyemantes orare, non esse idem ac orare cum Energumenis, quibus peculiaris in templo præfixus erat locus ad orandum: Siquidem Energumeni, dum lucidis intervallis fruebantur, nonnumquam donabantur Eucharistia: Leprosi vero de quibus loquitur canon Ancyranus, ea prout habet canon 16. refici non debent nisi expleto in pœnitentiæ laboribus triginta annorum spatio. Docet secundo admitti non debere Balsamonis interpretationem, qua nempe contendit Hyemantes, eos esse qui sub ferula divinas litteras audiebant, idest, Pœnitentes qui de integro, tamquam rudes & Cathechumeni erudiendi tradebantur. *Nec mirum,* (inquit) *aliquid enim gravius statuitur in hos peccatores quam in eos de quibus canon 16. loquitur: At si nihil aliud canone 17. jubetur, quam utrosque divinis concionibus interesse posse, quomodo horum delictorum genera distincta aut dispares pœnas esse reperies? Deinde omnes omnino pœnitentes ante substrationem Scripturas cum Catechumenis audiebant ... quare nihil opus erat ab hac Synodo decerni ut inter audientes remanerent, quia pœnitentiam (ut dixi) nequaquam explere potuissent ejusmodi impudici, quin denuo Scripturas Sacras audissent.* Docent tertio hæc verba: *Inter hyemantes orare* non unam pœnitentiæ partem complecti, sed integram totamque pœnitentiam: quam quidem ne ex parte quidem ut ii de quibus est sermo in canone 16. intra Ecclesiæ tectum peragere sinebantur, sed propter criminis gravitatem, totam satisfactionem canone decimo sexto præscriptam explere cogebantur sub dio & extra etiam illud tectulum sub quo stabant ii pœnitentes qui Flentes dicebantur. Docet quarto ideo Patres durius animadvertisse in leprosos de quibus est hic quæstio, quam in eos de quibus agit canon decimus sextus quod, *Pecudes & cætera animalia, quæ ad victum mactantur, contagione inficere poterant.*

Respondent secundo ad eamdem quæstionem nonnulli alii de canonibus optime meriti per, *Hyemantes*, de quibus agitur canone 17. intelligi arreptitios seu qui immundis spiritibus agitantur: ii vero arreptitiis quidam in Ecclesia locum a fidelibus, catechumenis, pœnitentibus procul semotus adsignatus erat, ubi dum lucidis intervallis fruerentur, orare possent: ad eum locum canon 17. Ancyranus leprosos illos impurissimos abigit: eumdem eis præfigit locum quem Energumenis, ubi precibus Dei iram emollire cupiant, orare possint: *Inter hyemantes igitur orare* (verba sunt Doctissimi Albaspinæi secundam hanc authorum de canone 17. Ancyrano sententiam referentis) *est inter energumenos & eodem loco orare posse, quemadmodum pœnitentes inter Cathecumenos orare, quæ loquendi formula frequentius occurrit in canonibus, quaque nihil aliud significatur, quam pœnitentibus potestatem fieri standi in Ecclesia cum Catechumenis, atque eodem loco & tempore orare posse: ita hos ordinari & orare inter energumenos, nihil aliud est quam eis licere eodem loco preces suas offerre & orare.* Illi explicationi favet Martinus Bracarensis apud quem sic laudatus Ancyranus canon 17. legitur: *Quod si &*

Juenis de Sacram.

hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, Sacramentum nec in exitu consequatur, oportet enim tales inter dæmoniosos ordinare. Favent etiam ipsiusmet canonis verba, ex interpretatione Isidori Mercatoris, sic enim apud ipsum habet laudatus canon: *Hoc eodem sane non solum leprosos crimine hujusmodi factos, sed & alios isto suo morbo replentes, placuit inter eos orare qui tempestate jactantur, qui a nobis Energumeni appellantur.* Favent tandem ejusdem canonis lectio apud Dionysium Exiguum: *Eos* (inquit) *qui irrationabiliter vixerint & lepra injusti criminis alios polluerint, præcepit sancta Synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.*

Quæres tertio. Quid in Fletu pœnitentes agerent quidve circa eos ab Ecclesiæ ministris fierent.

Resp. ad primum Flentes solitos fuisse se reos palam confiteri, Basilicas ingredientibus adgeniculari ut apud Deum, Episcopum, Clerum, universamque Ecclesiam pro ipsis intercessores essent. *Debet quatuor annis flere* (inquit Basilius ad Amphilochium can. 56.) *stans extra fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem enuncians.* In flentium statione induebatur lugubris ille habitus de quo atticulo superiore multa diximus: *Quis hoc crederet* (ait S. Hieronymus Epist. 30. ad Oceanum agens do Fabiola Romana Matrona nobilissima) *ut post mortem secundi viri in semetipsum reversa, quo tempore solent viduæ negligentes, jugo servitutis excusso agere se liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum indueret, ut errorem publice fateretur: & tota urbe spectante Romana, ante diem Paschæ in Basilica quondam Laterani qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine Pœnitentium, Episcopo, Presbyteris & omni populo collacrymantibus; sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste non purget?* Ea vero omnia in Fletus statione peracta fuisse demonstraat quæ ibidem subjicit Hieronymus. *Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cœlo. Aperuit cunctis vulnus suum & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, ut quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret.*

Resp. ad secundum Flentibus concessum non fuisse ut publicas quæ in templis fiebant conciones, solemnem Scripturarum lectionem audirent: Id nimirum colligi potest ex loco in quo stabant, seu cum extra templorum fores degerent, nec intueri nec audire poterant ea quæ in templis, clausis januis fieri consueverant. Colligi iterum potest ex eo quod facultas audiendi publicas conciones privilegium esset alterius Pœnitentium stationis quæ *Auditio* dicebatur. Respondeo iterum ad propositam quæstionem, pœnitentes quandiu in Fletus statione starent, semotos fuisse ab omni prece publica, ita ut nec cum fidelibus, nec fideles cum ipsis orarent. Constat quoque nullas ab Episcopis aut Presbyteris recepisse impositiones manuum nec aliquas pro eis expiatrices fusas fuisse, aut eos aliquibus Sacramentalibus fuisse initiatos.

Quæres 4. quandiu Flentes in sua statione morarentur.

Resp. moram in illa statione fuisse aut longiorem aut contractiorem pro criminis admissi gravitate. Habebatur etiam ratio studii & diligentiæ, quibus reus fungebatur injunctis sibi pœnitentiæ laboribus; hujusmodi vero studii, ac diligentiæ judicium penes erat Ecclesiæ ministros ut suo loco dicetur inferius: *In eodem* (inquit Gregorius Nyssenus in Epist. Canonica) *eadem erit observatio ab eo, qui Ecclesiam administrat, & pro ratione conversionis, illi quoque pœnæ extensio rescindetur, ut pro novem annis in unoquoque gradu, vel sexu, vel septem anni solum fiant, si Pœnitentiæ magnitudo tempus vincat, & superet correctionis studio eos, qui in longo tempore præstituto susceptas a se maculas segniter eluunt.*

§. II.

De Auditione.

CONclusio. Pœnitentium Audientium ſtatio collocata erat in porticu oblongiori templi foribus interius adjacente, & a reliqua interiore parte templi tabulatis aut cancellis diſtincta.

Probatur primo authoritate Gregorii Neocæſarienſis Epiſcopi qui in Epiſt. Canonica can. XI. ſic loquitur: *Auditio eſt intra portam in porticu, ubi oportet eum qui peccavit ſtare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi. Audiens enim,* inquit) *Scripturas & doctrinam ejiciatur & precatione indignus cenſeatur.* Secundo authoritate S. Baſilii: *Qui ſua ſponte interfecit, & poſtea pœnitentia ductus eſt* (ait Baſilius in Epiſt. canonica ad Amphilochium can. 56.) *viginti annis Sacramento non communicabit: viginti autem anni ſic in eo diſpenſabantur .... Poſt quatuor autem annos inter auditiones recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur.* Ejuſdem Pœnitentium ſtationis meminit Gregorius Nyſſenus in Epiſt. canonica ad Letoium: *Eſt ergo* (inquit) *canon ejuſmodi, ut qui fornicatione polluti ſunt, in tribus annis ab oratione omnino expellantur, in tribus ſint ſolius Auditionis participes &c.*

Quæres primo. Quot hominum genera contineret locus in quo Pœnitentes, qui *Audientes* dicebantur, ſtare conſueverant?

Reſp. ſex hominum genera in loco de quo agitur, ſedem habuiſſe ſuam: in eo enim viſebantur Ethnici, Judæi, Hæretici, Catechumeni qui prioris gradus Catechumeni dicebantur, & tandem Pœnitentes *Audientes* de quibus in hoc paragrapho diſſeritur. Rationes quibus noſtra reſponſio nititur, hujuſce operis pag. 304. ubi de miſſa Cathecumenorum actum fuit, fuſius pertractatas legere eſt.

Quæres ſecundo, quibus prærogativis Pœnitentes, qui *Audientes* appellabantur, *Flentes* ſuperarent?

Reſp. Audientes fuiſſe liberos primo ab illa humili fratrum rogatione, cujus debitum Flentibus (ut ſuperius oſtenſum eſt) incumbebat. Secundo. Immunes erant quoque ab operibus laborioſis, jejuniis, vigiliis, cæteriſque hujuſmodi: nuſquam enim legitur opera ſimilia eis injuncta fuiſſe: hoc unum eis onum incumbebat, audiendi nimirum ſcripturæ lectionem & publicas tum Epiſcopi, tum Parochi conciones quæ fieri conſueverant dum celebraretur Catechumenorum miſſa. Tertio. Liberum eis erat induere lugubrem illam veſtem, qua flentes indui Epiſcoporum cæterorumque baſilicas ingredientium genibus adgeniculabantur.

Quæres tertio, quo preciſe tempore Auditionis ſtatio in uſu eſſe cœperit?

Reſp. primo. Auditionis ſtationem ſumptam pro loco in quo ex Eccleſiæ mandato ſatisfactio peragebatur nuſquam in uſu fuiſſe apud Latinos: nullum enim Eccleſiæ Occidentalis canonem reperire eſt, qui lapſos certo temporis ſpatio damnet Auditione, utaturque hac formula. *Qui hoc vel illud ſcelus admiſerit, tot annis in Auditione ſubſiſtet, ut Scripturas ſacras & miniſtrorum conciones audiat.*

Reſp. ſecundo. Auditionem ſumptam pro determinato ab Eccleſia Pœnitentiæ loco cœpiſſe tantum apud Orientales poſt exortam Novatianorum hæreſim. Ante Gregorium Neocæſarienſem nullus ſcriptor illius in illo ſtricto ſenſu acceptæ meminit: at ubi ipſe eam poſtremo capite ſuæ Epiſtolæ Canonicæ recenſuit, qui poſtea in Oriente modum agendæ Pœnitentiæ deſcripſerunt, eam canonibus pœnitentialibus inſeruerunt. Præter locum qui ſuperius ex Baſilio relatus eſt placet hic canonem 22. Epiſtol. ad Amphilochium inſerere: *Oportet autem eos* (qui rei ſunt raptus mulierum) *anno primo a precibus expelli, & ipſos deflere ad fores Eccleſiæ: ſecundo autem ad Auditionem admitti: tertio admitti ad Pœnitentiam* (quæ proprie loquendo in ſola Proſtratorum ſtatione fiebat; Fletus enim & Auditio nihil fere erant aliud quam præparatio ad pœnitentiam) *quarto ad congregationem cum populo abſtinentes ab oblatione: deinde eis permitti boni communicationem.*

Nec eſt quod quis objiciat Tertullianum, Cyprianum, & Auguſtinum qui Auditionis ſtationem nonnumquam in ſuis operibus recenſent. Nam loquuntur ii Patres non quidem de lapſis pœnitentibus, ſed de Catechumenis primi generis, de quibus hujuſce noſtri Commentarii pag. 71. 72. abunde dictum eſt.

Quæres quarto an ſolemni aliqua ceremonia fieret tranſitus a Fletu ad Auditionem.

Reſp. negative: nulla enim canonibus præſcripta legitur. Epiſcopi præfinitum tum in Auditione tum in cæteris ſtationibus tempus, contrahere quidem poterant: verum cum id fiebat, nullus ſpecialis ritus adhibebatur.

§. III.

De Subſtratione.

POenitentium Stationis de qua hoc in Paragrapho diſſeritur, varia nomina leguntur apud veteres. Primo. Dicitur *Subſtratio* eo quod Pœnitentes dum in ea eſſent ſtatione, ſubſtrati & genuflexi permanerent. Hujuſmodi nominis ſæpius canones meminerunt. *Quicumque prius quam viginti quidem annos nati eſſent peccarunt* (verba ſunt canonis 16. Concilii Ancyrani, ex Gentiani Herveti interpretatione) *Poſtquam quindecim annis ſubſtrati ac ſupplices fuerint, communionem ad preces aſſequantur .... Si qui autem improbe ac maligne in peccatis fuerint, longe ſubſtrationem habeant.* Secundo. A Gregorio Thaumaturgo dicitur *Subjectio*, quæ quidem vox ipſum Subſtrationis nomen exponit: *Subjectio autem, ſeu Subſtratio eſt, ut intra templi portam ſtans cum Catechumenis egrediatur.* Tertio. Sepius apud Patres Latinos tertia hæc Pœnitentium claſſis ſimpliciter & abſolute dicitur *Pœnitentia*: unde ii qui eam decurrebant *Pœnitentes* ſine addito dicti ſunt: *In pœnitentium loco ſtandi &* (verba ſunt Concilii Agathenſis can. 60.) *orandi humilitatem ita noverint obſervandam ut etiam ipſi, cum Catechumenis egredi commoneantur, abſcendant?* Eadem ratione loquitur Felix Papa III. exponens undecimum canonem Nicænum Epiſt. 7. *Tribus annis* (inquit) *inter Audientes ſint, ſeptem annis ſubjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum.*

Concluſio. Perantiqua eſt Subſtrationis ſtatio.

Probatur ex eo quod Subſtrationis ſtationem recenſeant Gregorius Thaumaturgus in ſua Epiſtola Canonica, Canon. 16. Ancyranæ Synodi, Baſilius in Epiſtol. canonica ad Amphilochium, Auguſtinus, cæterique Patres Latini aut per *Pœnitentiam* aut per *Exomologeſis.* aut per *plenæ pœnitentiæ* nomina quibus ſæpius uſi ſunt: *Itaque* (inquit Tertullianus cap. 9. de pœnitentia) *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injunges miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu & victu mandat, ſacco & cineri incubare.*

Quæres primo, qua in parte templi Pœnitentes Subſtrati ſtarent.

Reſp. Subſtratos Pœnitentes ſtetiſſe intra templi ambitum, progrediendo nimirum a loco qui ab Audientibus Pœnitentibus ad Ambonem uſque expandebatur: *Subſtratio* (inquit Gregorius Thaumaturgus in Epiſt. Canonica capite ultimo) *eſt, ut intra templi portam ſtans cum Cathecumenis ingrediatur.* Quod autem Ambo limes eſſet, extra quam Subſtrati ulterius verſus Sanctuarium progredi non poſſent, patet ex eo quod immediate poſt Ambonem conſiſtentes Pœnitentes viſerentur.

Quæres ſecundo, quid circa Subſtratos fieri ſolitum eſſet.

Reſp. Subſtratis primo in ſingulis ſynaxibus manus impoſitas fuiſſe: *Omni tempore jejunii* (ait IV. Concilium Carthaginenſe can. 80.) *manus Pœnitentibus a Sacerdotibus imponantur*: Ei vero manuum impoſitioni conjunctas fuiſſe orationes demonſtrant hæc Auguſtini verba lib. 3. contra Donatiſtas, cap. 19. *Quid eſt aliud impoſitio manuum quam oratio ſuper hominem?* expiatrices autem fuiſſe illas orationes ſatis colligitur tum ex iis ſupra quos fundebantur, tum ex libro 8. Conſtitu-

tio-

tionum cap 8. ubi hæc habentur : *Dicit Diaconus, Exite, qui illuminamini, & postea dicat, precamini intente, qui in Pœnitentia estis. Omnes pro fratribus, qui in Pœnitentia sunt, preces adhibeamus, ut misericors Deus ostendat eis viam pœnitentiæ, approbet eorum palinodiam, & confessionem.... remittatque eis omnia delicta eorum tum voluntaria tum non voluntaria.* Secundo. Substrati Pœnitentes ejiciebantur e templo post Catechumenorum dimissionem, sive (ut loquuntur canones) post missam Catechumenorum. Tertio. In ea præsertim statione eluebantur maculæ criminum: substratis enim imponebantur jejunia, & alia laboriosæ pœnitentiæ opera, quæ carnem excruciarent: *Ne hæc quidem* (inquit S. Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam) *quæ videri etiam a Sacerdote possunt, & Episcopo teste laudari; ne hæc quidem quotidiana servamus; flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordida veste lugere, jejunare, orare, pervolvi: Si quis ad balneum vocet, recusare delicias: Si quis ad convivium roget, dicere, ista felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quo mihi epulas, qui Dominum læsi? Tenere præterea pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris advolvi, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia prius tentare, quam pereas. Scio quosdam ex fratribus, & sororibus vestris cilicio pectus involvere, cineri incubare, jejunia sera meditari: & non talia fortasse peccarunt.*

§. IV.

De Consistentia.

QUarta Pœnitentium statio varias apud antiquos sortita est appellationes. Primo. Dicitur *Consistentia*, eo quod ii, qui sunt in ea statione simul cum fidelibus in Ecclesia consistant, & cum Catechumenis cæterisque pœnitentibus non expellantur. *Congregatio seu Consistentia* inquit Gregorius Thaumaturgus in Epistol. can. xi.) *est ut cum fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur*. Secundo. Dicitur *Orationibus communicatio*, eo quod Consistentes (ut mox observatum est ex Gregorio) fidelium precibus communicarent, seu una cum iis adessent tremendo Missæ sacrificio: *De his qui sacrificare coacti sunt &c.* (inquit Concilium Ancyranum can. 4. ex interpretatione Dionysii Exigui) *placuit eos inter Audientes una constitui, succumbere vero tribus annis, in oratione autem communicare biennio*. Eadem periphrasi Concilium Nicænum primum utitur canone 12. *Hi definitum tempus Auditionis implentes; tum demum fidelibus in oratione communicent*. Tertio. Nonnumquam appellatur, *Segregatio, separatio, Excommunicatio*, sed levissima. Ea nimirum pœna intelligitur, quoties ob leve aliquod peccatum aliquis Laicus, Separatus, Excommunicatus, dicitur; si enim quis Clericus segregetur, separetur, excommunicetur, id de suspensione intelligitur, quæ quidem suspensio non nisi propter grave peccatum debet infligi.

Conclusio 1. perantiqua est Consistentia, quæ quarta est pœnitentium statio.

Probatur ex eo, quod ab incunabulis Ecclesiæ nonnulli, qui alioquin fidelium precibus excommunicabant, arcerentur tamen in alicujus peccati pœnam ab Eucharistiæ participatione. Nam primo hujusmodi pœnæ meminerunt Apostolici canones, ubi Segregationem pro levibus peccatis imponunt; meminit & Gregorius Thaumaturgus, nec non qui postea conscripti fuerunt canones, ut cuique Concilia perlustranti manifestum fiet.

Conclusio 2. Consistentia, quæ ab Ambone versus Sanctuarium extendebatur ad fideles usque, varia complectebatur hominum genera.

Probatur enumeratione. Consistentia complectebatur primo eos qui licet leviter peccassent nonnulla tamen indigebant correctione: *Si quis Clericus* (inquit Concilium Eliberitanum can. 50. *vel fidelis cum Judæis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstineri, ut debeat emendari*. Ad eum gradum Basilius dimittit milites etiam innoxios, sed ut humani sanguinis effusio cunctis sit horrori: *Cædes* (ait in Epist. ad Amphilochium can. 13.) *in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, iis, ut mihi videtur, ignoscentes, qui pro pudicitia, & pietate decertant, Recte autem fortasse habet consulere, ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant*. Complectebatur secundo nonnullos ex iis, qui Rei quidem erant aliquorum peccatorum lethalium, sed quæ sponte seu absque proximi delatione confessi fuerant: *Si accusati, convicti fuerint* (ait Gregorius Neocæsariensis Epist. can. 9.) *fiat similiter in iis, qui substernuntur; sin autem seipsos enunciaverint, & restituerint, etiam precibus digni habeantur*. Complectebatur tertio eos homines, qui præfixo sibi tempore ob gravia peccata, priores Pœnitentium classes decurrerant: Tentare nimirum voluerunt Patres an ii, quos Pœnitentia purgasset, vitam ducerent fideli Christiano dignam, cui tuto Domini corpus per Eucharistiæ elargitionem crederetur: *Tunc* (idest expleto in Consistentia biennio) *placuit ad perfectionis gratiam pervenire*; ita Concilium Ancyranum can. quarto loquitur. Complectebatur quarto mulieres adulteras: hæ enim licet propter adulterium aut cædem aut quid hujusmodi grave, merito Substratione aliisque canonicis pœnis damnari debuissent, ad Consistentiam tamen dimittebantur ne maritis in matrimonialis fidei suspicionem venirent: *Adulterio pollutas mulieres* (ait Basilius can. 34.) *& confitentes ob pietatem vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus: Eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ*. Complectebatur, quinto saltem post Syricii Papæ tempora, eos fideles qui ubi egissent pœnitentiam publicam, ad pristinum suum vomitum, seu ad crimina per pœnitentiam purgata relabebantur: *De his vero* (inquit mox laudatus Papa ad Himerium Tarraconensem rescribens Epist. 1. can. v.) *non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentiæ, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus. Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscænis cupiditatibus retrahantur: Quibus tamen* (*quoniam carnali fragilitate ceciderunt*) *viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam, & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus*. Per eam disciplinam de qua Syricius loquitur, plurimum de vetere disciplina detractum est, ut suo loco dicemus.

Quæres utrum pœnitentes ab inferiori statione conscenderent nonnuquam ad superiorem media alia statione prætermissa v. g. a Fletu ad Prostrationem omissa Auditione.

Resp. affirmative: Idque patet ex his verbis can. 16. Ancyranæ Synodi, ex interpretatione Dionysii Exigui: *Penes autem Episcopos erit potestas, modum conversationis eorum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita, & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas*. Idem pariter evincitur ex can. 7. Epist. Canonicæ Basilii ad Amphilochium, & ex canone 12. prioris Concilii Nicæni ubi hæc habentur de iis, qui abrenuntiaverunt, & iterum ad sæculum sunt regressi: *Quotquot enim metu, & lachrymis atque patientia, vel bonis operibus rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant, hi definitum tempus Auditionis implentes tum demum fidelibus in oratione communicent; postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.*

CA-

Caput Quintum.

De Ministro Satisfactionis.

HIC Ministri nomine Sacerdotem intelligimus, penes quem est potestas injungendi satisfactionem (ut enim superius ostensum est) hæc Christi verba ad Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores, *Quæcumque ligaveritis super terram, &c.* Concilium Tridentinum, cui præivit tota traditio, de potestate injungendi satisfactiones explicuit. Circa vero ministrum illum quæri potest. Primo. Utrum Minister impositam ab alio satisfactionem mutare valeat. Secundo. Utrum cogere possit confessum ad satisfactionem implendam antequam ei conferat absolutionem.

Articulus Primus.

Utrum Minister impositam ab alio Satisfactionem mutare valeat?

COnclusio 1. Satisfactio, quæ fuit imposita clave errante ab uno Ministro, potest ab alio mutari.

Probatur quia vi jurisdictionis acceptæ Sacerdos non habet potestatem injungendi satisfactiones minime convenientes, & contra prudentiæ regulas. Ergo nec potest ad earum executionem pœnitentes obligare, & consequenter ab alio Ministro mutari possunt.

Conclusio 2. Satisfactio, quæ fuit injuncta, clave non errante, mutari non potest ab alio Sacerdote.

Probatur primo. Mutari non potest extra confessionem, & non auditis peccatis propter quæ fuit imposita, eo quod commutatio illa sit actus judicialis, qui quidem, ut patet, exerceri non potest incognita causa. Secundo. Nec in confessione mutari etiam potest, 1. Non ab æquali Sacerdote, quia cum par in parem non habeat jurisdictionem, æquum ejus judicium rescindere non potest, alioquin quod ligasset in terris prior Minister, non esset etiam ligatum in Cœlis: quod est falsum. 2. Non a superiore, quia judicium quod profertur in foro interiori est actus ordinis jurisdictionem supponens; sed in actu ordinis (clave non errante) omnes Sacerdotes sunt æquales. Ergo, &c.

Objicies primo. Qui iterum confitetur peccatum suum Sacerdoti, subjicit se illius judicio. Ergo cum non teneatur duplicem pro eodem peccato pœnam persolvere, potest vel a priore, vel ab altero impositam eligere.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia pœnitens in illo casu tenetur adimplere satisfactionem priorem, quæ supponitur proportionem habere cum gravitate criminis, quod confessus est, & debet monere alterum Ministrum, ut rationem habeat illius prioris impositæ ad novam, quæ levior sit, imponendam.

Objicies secundo. Multi graves authores asserunt Ministrum id posse quod negatur in conclusione, ergo tuto agit qui eis adhæret in praxi.

Resp. primo id eos asserere sine ullo traditionis fundamento.

Resp. secundo alios non minus graves docere contrarium; unde si illorum authorum conflictus reddat rem dubiam, quod tamen nos non censemus, in praxi adhærendum est huic Augustini principio, *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*.

Articulus Secundus:

Utrum Minister pœnitentem cogere possit ad satisfactionem implendam antequam ei absolutionem impendat?

COnclusio 1. Ministri antiquitus cogebant pœnitentes ad satisfactionem implendam, antequam eis absolutionem impenderent.

Probatur primo ex incestuoso Corinthio, quem Paulus absolvendum non duxit nisi plene Deo satisfecisset. Secundo ex Clemente Alexandrino, asserente S. Jo. Evangelistam pacem non dedisse adolescenti cuidam prædoni converso, nisi postquam sua flagitia lachrymis ac jejuniis purgasset. Tertio ex causa lapsorum cum Cypriano: hos enim S. Doctor secutus Cleri Romani sententiam absolvendos non duxit nisi perfunctos pœnitentiæ laboribus. Quarto ex institutione artificialium pœnitentiæ classium: quamdiu enim perdurarunt, absolutio Sacramentalis collata fuit tantum in exitu Substrationis, seu ubi pœnitentes decurrissent tres priores stationes, Fletum, Auditionem, Substrationem.

Quæres utrum praxis illius ordinariæ, & communis nulla unquam esset exceptio.

Resp. multiplicem fuisse exceptionem: dabatur enim absolutio ante expletam satisfactionem multis in casibus, primo cum urgebat mortis periculum, aut in discrimine versabatur pœnitentis salus, veluti cum timebant Ministri ne criminum capitalium rei ad hæreticos aut gentiles deficerent, secumque abducerent multitudinem. Prima pars patet ex capite septimo primæ Epistolæ Innocentii primi: *Sane si quis in ægritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de sæculo absque communione discedat*. Altera vero pars colligitur ex variis tum Cornelii Papæ, tum Cypriani Epistolis. Secundo. Pax concedebatur lapsis ante pœnitentiam, ut subeundo martyrio idonei redderentur, id colligitur ex eodem Cypriano Epist. 54. ad Cornelium. *At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela: quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus*. Tertio. Cum absque periculo ingentis schismatis diu differri non poterat absolutio, disciplinæ severitatem tunc relaxabat unitatis amor. Id patet ex regula, quam sanctus Augustinus tradit lib. tertio contra Epistolam Parmeniani, cap. 2. Quarto. Cum ex reditu lapsorum ingens aliquod bonum redundabat in Ecclesiam, ut est schismatis extinctio. Id colligitur ex modo, quo Cornelius se gessit erga Confessores, qui seducti fuerant a Novatiano; & erga Trophimum, qui ab Ecclesia ad hæreticos deficiens multam secum abduxerat multitudinem: *In Ecclesiam Domini non tam Trophimus* (inquit Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum) *quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes ad Ecclesiam regressuri non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent*.

Objicies primo. Deus lapsis veniam indulget statim atque eos peccati pœnituerit: Non potuerunt igitur Patres eorum reconciliationem differre donec explevissent injunctos sibi pœnitentiæ labores: Antecedens antiquis Patribus perspectum fuit: sic enim loquitur Augustinus sermone 58. de Tempore: *Si semel aliquis vel secundo peccaverit, & sine aliqua dissimulatione ad Pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinam incolumitatem sine aliqua mora, & forsitan sine aliqua fœditate recipiat*. Hæc etiam habet Chrysostomus in homilia de S. Philogono: *Neque mihi quisquam dixerit, Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum* (qui Epiphaniam præcedunt) *tempus, si sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende quod breve tempus est, sed illud considera quod benignus est Dominus; quandoquidem, & Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei a se depulerunt. Nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo amplectens Domini benignitatem, totam peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento cum ad Christum accessisset, omnia probra diluit*.

Resp. iis quos vere pœnituit, & qui absolutione donati sunt, Deum culpam remittere quidem, imo & totam pœnam temporalem, si vehementissima, & inten-

tensissima fuerit ejus contritio: verum an fuerit hujusmodi ignotum est Ecclesiæ: ac proinde castiget necesse est pęna temporali crimina, quæ quis admiserit, etiamsi quoad culpam dimissa sint, & pęna æterna in temporalem per absolutionem Sacerdotis mutata fuerit: unde a fortiori pęnam illam merito quondam infligebat, antequam culpa per ministrorum absolutionem dimissa fuisset: *Ne pudeat in hoc opere* (verba sunt Paciani in Parænesi ad pęnitentiam eos alloquens, qui jam a multo tempore expectabant Sacerdotis absolutionem (*ne pigeat opportuna, quam primum remedia salutis invadere, dejicere mœroribus animum, sacco corpus involvere ..... In quantum pęnæ vestræ non pepercistis, in tantum vobis Deus parcet .... Ecce promitto, polliceor, si ad Patrem vestrum vera satisfactione redeatis*.

Objicies secundo . Leo Magnus asserere videtur absolutionem, quæ quondam expleta satisfactione conferebatur, non fuisse Sacramentalem, sed ceremonialem tantum, ac proinde falsum est actam fuisse quondam satisfactionem antequam lapsi absolutionem Sacramentali donarentur: sic enim loquitur de pęnitentibus: *Eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittimus*. Ita nonnulli ratiocinantur.

Resp. per januam reconciliationis Leonem Magnum intelligere datam a Sacerdotibus absolutionem, nullam enim aliam ad Sacramentum corporis Christi lapsis viam patere suo loco demonstratum est: tantum abest igitur, ut ex illo Leonis loco colligi possit absolutionem præcessisse satisfactionem, quin potius contrarium manifesto concludatur.

Conclusio 2. Pluribus ab hinc sæculis absolutio lapsis impenditur antequam injunctam sibi satisfactionem impleverint.

Probatur primo. Quod ea sit Græcorum praxis ostenditur ex libro Pęnitentiali Joannis Jejunatoris Patriarchæ Constantinopolitani labente sæculo sexto; eo nimirum in libro ubi pęnitens confessus est, Sacerdos statim septem orationes recitat, quibus pro pęnitente venia peccatorum a Deo deposcitur; iis vero finitis jubet eum a terra surgere, osculatur, ac sic alloquitur: *Ecce Dei voluntate homines amantis, & omnium salutem volentis ad Pęnitentiam confugisti, & confessus ab omnibus malis operibus prioribus liberatus es. Ne igitur per injuriam divinorum præceptorum serundis malis te prostituas, ne sint tibi secundum Evangelium dictum posteriora pejora prioribus a quibus per Dei misericordiam absolutus es, sed studiose, & pro viribus contende Dominica custodire præcepta, & salutem consequenter adipisci*. His peractis confesso, & absoluto pęnitenti Sacerdos satisfactionem injungit. Sed licet Græci contritis, & confessis absolutionem absque præmissa Sacramentali Satisfactione conferant: non tamen semper elargiuntur Eucharistiam, imo sæpius ad diuturnum tempus ejus distributionem protrahunt: *Hujusmodi* (inquit mox laudatus Joannes Jejunator) *quoties ceciderint confiteri debent, si vero pęnitentias ipsis impositas compleverint, ita ut ipsis communicare liceat, si omnino sui ipsius misereantur, ne vel tunc communicent, sed expectent donec profecerint, & puram, sineque macula communionem facere possint*. Monitum hic velim lectorem Græcos post expletam Satisfactionem & ante communionem, aliam absolutionem impendere: Verum mera est ceremonia, qua pęnitens a pęnis canonicis liber declaratur: *Alia ratio* (verba sunt antiqui Allatiani codicis) *ad solvendum canonem Excommunicato*, (seu prohibito ab Eucharistia) *impositum*. Secundo. Quod Latini impendant quoque absolutionem antequam expleta fuerit Satisfactio, ostenditur ex libris ritualibus, qui nunc sunt in usu: nullibi enim præscribunt, ut absolutio differatur donec pęnitens injunctam sibi satisfactionem impleverit. Sixto Papa IV. Romæ sedente, Petrus Oxomensis in praxim de qua hic agitur, insurrexerat, contendens Pęnitentes absolvi non debere, nisi peracta imposita sibi satisfactione: Sed in Synodo Complutensi (Estio teste) proscriptum fuit illius assertum. Paucis ab hinc annis nonnullos reperire erat, qui idem, quod antea Petrus Oxomensis censerent: Verum eorum hoc in capite opinioni itum est obviam ab Inquisitoribus Romanis, qui coram Alexandro Papa VIII. subsequentes propositiones damnarunt: *Per praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus ...... Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodam modo dictante*.

Quæres primo, quibus momentis niteretur veterum praxis, qui absolutionem non impendebant nisi peracta satisfactione?

Resp variis, & quidem magni ponderis, rationibus nixam fuisse veterum praxim. Primo sic se gerebant, quod vererentur ne Sacramenta conferrentur indignis hominibus, seu in affectu peccati mortalis hærentibus, aut quibus nondum, ut par erat, peccata displicerent: *Quemadmodum porcis margaritas projicere est vetitum* (inquit Gregorius Nyssenus in Epist. canonica) *ita, & pretiosa margarita privare eum, qui jam per alienationem a vitio, & purgationem homo factus est, absurdum*. Cavebant sedulo ne eum tantum absolverent, quem aut jam coram Deo absolutum, aut absolutioni maturum per varia pietatis exercitia probassent: *Videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam*, (verba sunt Gregorii Magni homil. 26 in Evangelia) *ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur judicis*. Secundo. Veteribus videbatur prolapsionis viam eis aperire qui cito reum absolveret: *Infidelis cicatrix, quam cito festinans medicus induxit; & ad quemlibet casum medela rescinditur, si non fideliter de ipsa tarditate remedia præstentur* (inquit Cyprianus libro de Lapsis) *in incendium flamma revocatur, nisi totius ignis etiam usque ad extremam scintillam materia restinguatur, ut merito hujusmodi homines sciant sibi etiam de ipsa mora magis consuli, & fideliora necessariis dilationibus remedia præstari*.

Quæres secundo, quibus rationibus fulta sit, quæ mox obtinet praxis, absolvendi nempe, antequam adimpleta fuerit injuncta satisfactio.

Resp. recentiorem disciplinam his momentis fulciri. Primo. Ubi passim indulgentiæ sæculo 12. concessæ sunt, seu ubi pœnitentes a pœnis canonicis per indulgentias liberati fuerunt, statim post confessionem donati fuerunt absolutione, si aliunde seu ex pietatis operibus, quæ tamen rationem satisfactionis non haberent, contriti judicarentur. Usus, qui tunc ex indulgentia servabatur, in tritum, & communem abiit, cum Christianorum tepiditas canonum rigorem ferre non posset. Secundo. Ea, quæ aliquibus ab hinc sæculis invaluit, disciplina demonstratum est datam a Sacerdotibus absolutionem, etiam coram Deo, vim habere, & non tantum, ut pœnitens externæ fidelium societati restitueretur: Non minus prodest satisfactio, quæ absolutionem subsequitur, quam quæ eam præcessit, cum opera, quæ ab amicis exhibentur, gratiora sint iis quæ fiunt ab inimicis, ut sunt Dei respectu ii omnes, qui versantur in statu peccati mortalis, quamvis ab illius affectu plane sint liberi.

Quæres tertio num minister veterem disciplinam de non conferenda absolutione antequam adimpleta fuisset satisfactio, nonnullis in casibus servare debeat?

Resp. affirmative: Nonnunquam enim vetus hac in parte disciplina pęnitentis saluti prodesse potest plurimum. Præterea contingit aliquando Sacerdotem judicare, quod pęnitens, si statim absolutione donetur, non sit mandaturus executioni injunctum sibi onus: ac proinde tunc cogi debet, ut illud exequatur antequam absolutionem recipiat.

Caput Sextum.

De subjecto satisfactionis.

Circa pœnitentem, qui est subjectum cui imponitur satisfactionis onus, quæri potest. Primo. Utrum onus pro alio satisfacere valeat. Secundo. An teneatur injunctam sibi satisfactionem acceptare. Tertio. Utrum in pœnitente requiratur gratiæ status, ut impositam sibi satisfactionem exequatur.

Articulus primus.

Utrum unus pro alio satisfacere possit.

Conclusio. Si satisfactio dicat ordinem ad solutionem pœnæ, unus pro alio potest satisfacere. Secus vero si ordinem dicat ad remedium contra sequens peccatum.

Probatur prima pars contra hæreticos primo ex articulo Symboli de Communione Sanctorum, quem semper ita intellexit Ecclesia, ut crediderit bona opera justorum, etiam per modum satisfactionis iis prodesse pro quibus offeruntur. Secundo. Ex libellis Martyrum, quos tanti faciebant Patres tertii sæculi, ut multum minuerent pœnas canonicas lapsis, qui libellos hujusmodi deferebant ad Episcopos, ut patet ex Cypriano libro de lapsis. Tertio. Ex eo quod Pastores aliquando levissimam imponerent satisfactionem, cum tota Ecclesia pro reo gemente intercedebat, ut patet ex Eusebio, qui refert Zephirinum Papam sic absolvisse Natalium redeuntem ex hæresi, postquam pro eo totus Fratrum cœtus exorasset. Quarto. Ex Ambrosio, qui lib. 5. in Lucam sic loquitur: *Si grave peccatum est, quod pœnitentiæ tuæ lacrymis ipse lavare non possis, fleat pro te mater Ecclesia, quæ pro singulis tamquam pro unicis filiis vidua mater intervenit.*

Objicies primo. Favet allata conclusio torpori peccatorum: qui enim gravium scelerum rei sunt, satisfaciendi curam alteri poterunt committere, & sic declinabunt istam a Christo latam sententiam, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*; necnon & istud ejusdem Salvatoris præceptum, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia non acceptatur a Deo solutio unius pro alio, si ille, qui pœnæ debitor est, saltem pro modulo infirmitatis suæ, Deo satisfacere non conetur.

Objicies secundo. Satisfactio quæ fit per alium, valeret vel de condigno, vel de congruo: At neutrum dici potest: Ergo, &c.

Resp. quoad acceptationem divinam alterius satisfactionem valere de congruo tantum, neque enim est de fide quod satisfactio semper a Deo acceptetur in illius gratiam pro quo specialiter offertur.

Resp. secundo eam valere de condigno si consideretur, ut jam acceptata, modo tamen offerens, sit in statu gratiæ, & is pro quo offertur liber sit saltem ab affectu peccati mortalis.

Objicies tertio. Illa satisfactio, quæ fit per alium, non potest esse Sacramentalis: Sacramentalis enim debet fieri ab ipso pœnitente, eo quod sit quasi materia Sacramenti, quæ quidem materia (ut ait Concilium Tridentinum) ipsosmet pœnitentis actus includit.

Resp. propter allatum argumentum satisfactionem, de qua agitur, non esse Sacramentalem. Unde confessio cum contritione ordinaria semper imponenda est satisfactio, quæ gravitati criminum conveniat.

Articulus Secundus.

An pœnitens teneatur acceptare injunctam sibi a Sacerdote satisfactionem?

Conclusio. Pœnitens ita tenetur acceptare injunctam sibi satisfactionem, ut alioquin non sit absolvendus.

Probatur primo, quia tenetur reddere Sacramentum integrum: Ergo etiam, & acceptare, & exequi injunctam sibi satisfactionem, quæ ex Thomistis est Sacramenti pars integralis. Secundo. Dedit Christus Sacerdotibus potestatem ligandi pœnitentes. Sed eam potestatem intellexit Concilium Tridentinum de injunctione satisfactionis; postquam enim admonuit Sacerdotes, ut imponant satisfactiones, quæ sint in vindictam præteritorum peccatorum, sic loquitur sessione 14. cap. 8. *Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* Tertio. Sacerdos in tribunali judex est, & Medicus simul: Sed reus tenetur subire pœnam, qua damnatus est a judice, & ægrotus sumere potionem a Medico præscriptam. Quarto. Ministri debent sub pœna gravis peccati convenientes gravitati criminum satisfactiones injungere, ut definit Concilium Tridentinum. Ergo etiam pœnitentes illas subire, & exequi tenentur: Alioquin frustra id præciperet Ecclesia Sacerdoti, si id ipsum pœnitens posset declinare. Quinto. Sic loquitur Cyprianus sermone de lapsis: *Is veram pœnitentiam agit, qui Dei, & Sacerdotis præceptis obediens operibus justis Dominum promeretur.* Sic etiam Concilium quartum Lateran. sub Innocentio III. de confessis: *Injunctam sibi pœnitentiam studeant implere.* Sexto. Denique nova est opinio contraria; Ergo est rejicienda, cum sola Scriptura, & Traditio sint fidei & morum regula: ergo cum executio pœnitentiæ pertineat ad mores, de ea judicandum est ex illis solis duobus principiis.

Objicies primo. Scotus ad distinct. 18. Gabriel, & multi alii antiqui Scholastici, nec non plures recentiores asserunt non teneri pœnitentem ad acceptationem pœnitentiæ, quia (inquiunt) cum Sacerdos non sit judex necessarius, sed arbitrarius, penes pœnitentem relinquitur subjicere se Sacerdoti, quoad remissionem culpæ, & pœnæ, vel quoad remissionem culpæ tantum. Ergo, &c.

Resp. 1. id asseruisse Scotum sine Traditionis authoritate, imo & contra ipsam Traditionem. Resp. 2. verum quidem esse Sacerdotem ante confessionem pœnitentis esse judicem arbitrarium, alterum enim pœnitens poterat adire, cui confiteretur, sed facta confessione Sacerdos ille est judex necessarius, quia tunc vice Christi fungitur, habetque claves ad ligandum, vel solvendum, prout judicaverit expedire. Resp. 3. falsum esse pœnitentem posse se subjicere Ministro tantum quoad remissionem culpæ, eo quod nimirum Pœnitentiæ Sacramentum ex se, etiam ordinetur ad delendam pœnam per satisfactionem.

Objicies secundo. Potest pœnitens eligere pœnas Purgatorii in altero sæculo, pro solutione pœnæ temporalis, quæ debetur suo peccato post culpæ dimissionem: siquidem potest cedere privilegio, quod in ejus favorem concessum est, ut scilicet per leves hujus vitæ pœnas satisfaciat pro gravioribus in altera vita perferendis. Ergo, &c.

Resp. primo argumentum supponere, acceptationem privilegii hujusmodi quod Deus per Ecclesiæ ministerium per summam misericordiam concessit pœnitenti, non esse præceptam: Quod est falsum: Nec mirum: siquidem præceptum illud maximam Dei in homines clementiam commendat: dum videlicet eos cogit ut Dei iram præveniant, ac graves in altero sæculo pœnas multo levioribus in hoc sæculo redimant.

Resp. secundo excogitatam fuisse tempore Scoti doctrinam illam cujus meminit argumentum; Sed illi tunc temporis pauci Theologi adhæserunt; nec immerito, cum (ut jam ostendimus) pugnet cum aperta

hac

hac Cristi sententia, *Nisi pęnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*, nec possit cum hac alia conciliari, *facite ergo fructus dignos pęnitentiæ*: Ea enim loca intelliguntur de pœnitentiæ laboribus subeundis in hac vita; Patres nempe eos textus opposuere lapsis, qui segnes erant in exequendis oneribus sibi ab Ecclesia in peccatorum vindictam injunctis.

Resp. tertio idem responsum Scoti esse contra manifestissima traditionis principia. Primo enim dubitabant Patres de salute eorum, qui licet absoluti a Sacerdotibus, exibant ex hac vita antequam canonicam pęnitentiam implevissent: *Si quis autem positus in ultima necessitate ægritudinis suæ* (ait Augustinus homilia 41. in libro 50. homiliarum) *voluerit accipere pœnitentiam, & accepit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia bene hinc exit. Non præsumo, non vos fallo. Fidelis bene vivens securus hinc exit. Baptizatus ad horam, securus hinc exit. Agens pęnitentiam, & reconciliatus cum sanus est, & postea bene vivens, securus hinc exit. Agens pęnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego sum securus. Unde securus sum, securus sum, & do securitatem; Unde non sum securus, Pęnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.*

Præterea lapsos, quos propter imminens vitæ periculum Patres absolverant, dimittebant sanos ad classes pęnitentium. *Quod si desperatus* (inquit Concilium Nicænum primum can. 13. ex interpretatione Dionysii Exigui) *& consecutus communionem, oblationisque particeps factus iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur*. Iis Sacræ Synodi verbis hæc alia, quibus explicentur, Balsamon addidit: *Si in Consistentia eum morbus deprehenderit*: Verum cum canon de pęnitentibus indefinite id pronuntiet admitti non debet Balsamonis additio: Sed addendum est labente sæculo, quo habita est Synodus Nicæna, quemlibet pęnitentem recuperata sanitate ad classem dimissum fuisse, in qua morbus eum deprehenderat, ut patet ex his Gregorii Nysseni verbis in Epistola canonica ad Letoium: *Sin autem ut is præter spem vivat* (de fidei desertore loquitur, qui in vitæ periculo constitutus pace donatus fuisset) *in eodem rursus vivet judicio, mysticorum Sacramentorum ad vitæ usque finem expers*. Idem clarius docet ad ejusdem Epistolæ calcem: *Si quis*) inquit) *tempore non expleto a canonibus præstituto vita excedat, jubet Patrum clementia ut effectus Sacramentorum particeps, non viatico vacuus ad extremam illam & longam peregrinationem mittatur. Sin autem postquam Sacramenti particeps factus fuerit, rursus ad vitam conversus sit, statutum tempus expectet in illo gradu consisteas, in quo erat ante communionem.*

Apud Occidentales idem mos obtinuit cum hoc tamen discrimine, quod iis qui præfixum Pœnitentiæ tempus non implevissent viatico quidem absolutionis non autem Eucharistiæ in etrema vitæ periodo donarentur: *Qui recedunt de corpore pęnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione communicare, quod morientis sufficit reconciliationi secundum definitiones Patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominaverunt. Quod si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.* Ita sanxit Concilium Arausicanum primum canon. 3. Tam altas radices egerat ea disciplina, ut obtinuerit etiam post sæculum septimum, licet (ut superius observatum est) tunc multis in capitibus, tum apud Orientales, tum apud Occidentales antiqua pœnitentiæ praxis evanuerit: hæc enim habentur Capitularium libro 5. cap. 61. *Placuit his, qui accepta pęnitentia ante reconciliationem migrant ad Dominum, communicari pro eo quod honoraverunt pęnitentium. Qui si supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut legitimam communionem statuto tempore, reconciliatione & manus impositione Episcopi vel ejus jussu. Presbyteri recipiant.* Ita praxis, de qua hactenus, Majores nostri tenaces erant observatores, ut pœnitentem absque judicio Episcopi liberum a pœnitentia non censerent, licet antequam morbo corriperetur, pauculum quid de injuncta sibi pœnitentia superesset: *Subdatur statutis pęnitentiæ legibus*) ait Concilium Carthaginense IV. can. 76.) *quamdiu Sacerdos qui pęnitentiam dedit, probaverit*.

Operæ pretium est ut hic lector observet praxim pœnitentes post recuperatam sanitatem dimittendi ad eam Pęnitentiæ classem in qua morbus eos deprehenderat, & in qua absolutionem receperant, cœpissa tantum post exortam Novatianorum hæresim: nullum enim illius vestigium reperire est, aut in Tertulliano, aut in Cypriano, aut in canonibus Apostolicis, aut in decretis Concilii Eliberitani: Nec mirum, cum enim duobus prioribus sæculis nullum pœnitentiæ peragendæ tempus determinate præfixum fuisset (ut suo loco dictum est) cum nondum institutæ fuissent artificiales pœnitentium stationes, non erat cur Patres dimitterent ad pœnitentiam, quos licet nondum plena pœnitentia perfunctos absolutione donaverant.

Patres constantes erant in neganda reconciliatione iis qui Satisfactiones Conciliis determinatas exequi detrectabant: Unde Cyprianus, & qui postea floruerunt disciplinæ Ecclesiasticæ observantissimi Præsules, sæpius arguerunt ministros qui lapsis, etiam libellis Martyrum munitis absque prævia & gravitati criminum conveniente pœnitentia dare pacem ausi fuerant: *Temeritate quorumdam* (verba sunt Cypriani libro de Lapsis) *laxatur incautis communicatio*, (seu absolutio conjuncta cum Eucharistia: prioribus enim sæculis, seu ante institutas pœnitentium classes raro admodum a se invicem separabantur) *irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam. Pęnitentia peccatoribus excussa est, gravissimi, extremique delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium vulnera & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa dissimulato dolore contegitur*. Eodem libro sic urget idem argumentum mox laudatus Pater: *Si quis præpropera festinatione temerarias remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere*, DANS SCILICET PACEM NONDUM POENITENTIA PERFUNCTIS, *non tantum nihil prodest; sed & obest lapsis: provocasse est iram, non servasse sententiam: nec misericordiam prius Dei deprecandam putare, sed contempto Domino de sua facultate præsumere*. Paulo ante mox laudatam sententiam idem S. Martyr hujusmodi ministrorum disciplinam non pacem, sed bellum: non beneficium, sed injuriam, non pietatem, sed impietatem vocaverat, asserueratque eos præcipites pacificatores hoc esse lapsis: *Quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, & quod navigiis sæva tempestas.*

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum pęnitens satisfacere possit in peccato mortali?

Observat Estius tripliciter intelligi posse hominem esse in peccato mortali; Actu nempe, affectu, reatu. Actu quidem dum actu committit peccatum mortale; Affectu dum peccatum, cujus actus præteriit, placet habitualiter voluntati; Reatu denique dum deposito licet affectu peccati, nondum consecutus est ejus remissionem.

Conclusio 1. Is qui est in actu peccati mortalis non potest Deo satisfacere.

Probatur primo, quia deest illi homini studium placendi Deum: illud enim studium cum actuali & voluntaria offensa componi non potest. Secundo. Nemo dixerit quod quis per nova debita pro prioribus satisfaciat. Ergo non valet illius satisfactio, qui dum injuncto sibi labore perfungitur, mortaliter peccat: hujusmodi est is qui per impudicos aspectus explens oculorum libidinem præscriptos sibi Psalmos pęnitentiales recitaret.

Conclusio 2. Is in quo affectus peccati mortalis dominatur; non satisfacit.

Probatur primo. Qui amat & nutrit voluntatem Deo rebellem, & inimicam, destitutus est studio placandi

candi Deum; quod tamen studium ex omnibus Theologis, est essentiale Sacramentali satisfactioni. Secundo. Ratum est apud omnes Scholasticos satisfactionem esse actum elicitum a speciali virtute pœnitentiæ, Sed vacuus est hujusmodi virtute is, in quo affectus ad peccatum, seu amor lethalis culpæ dominarur: quippe quod pœnitentia, ut est virtus definiatur odium vitæ veteris, & propositum novæ.

Objicies primo. Qui cum affectu ad peccatum mortale per quadragesimam jejunat, is adimplet præceptum Ecclesiæ: Ergo pariter is satisfacit præcepto divino, qui in simili statu pœna sibi a Sacerdote injuncta perfungitur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia Ecclesia jejunium non præscribit, sub ratione alicujus finis, qui integram ad Deum conversionem exigat; ut videre est in eo, qui jejunat, ut obtineat contritionis donum; is (ut patet) facit satis Ecclesiæ præceptu: E contra labor in tribunali præcipitur a Sacerdote, qui Dei vices gerit, præcipitur (inquam) quatenus est satisfactorium: ac proinde prout essentialiter includit studium placandi Deum; illud vero studium integram peccatoris conversionem ad Deum præsupponit, & consequenter depositionem affectus ad peccatum mortale necessario complectitur.

Objicies secundo. Qui mortaliter peccant ex consuetudine, censentur habere affectum ad suum scelus toto eo tempore, quo perdurat illa consuetudo; At si dum perdurat illa consuetudo, vel largiantur eleemosynam, vel jejunent ex mandato Presbyteri, cui confessi sunt, non tenentur, deposita illa coosuetudine, iterum præscriptas eleemosynas elargiri, nec iterare jejunia, quæ prius injuncta fuerant: Ergo &c.

Respondet Estius neg. minor. eo quod illæ eleemosynæ, & illa jejunia sub ratione satisfactionis peracta non fuerint. Confirmatur, ex eo, quod Sacerdotes iis, qui implicati sunt consuetudine peccandi, injungere soleant opera hujusmodi tamquam media, quibus a Deu donum contritionis obtineant.

Objicies tertio. Oratio fusa ab homine, qui est in affectu habituali peccati mortalis, est bona in se, ut patet; potest quoque esse bona ratione finis, quia orans qui non cogitat de suo peccato: potest orationem suam ad Dei gloriam referre per charitatem actualem, quæ vera sit, licet tamen non sit super omnia; ita plerumque se se gerunt peccatores, qui nondum plene sunt conversi, suam nimirum cuuversionem desiderantes, aliquod opus, quod tum in se tum ratione finis sit satisfactorium, aggrediuntur: Ergo oratio quæ habeat rationem satisfactionis stare potest cum affectu ad peccatam mortale.

Resp. concessa majore, cujus veritatem ostendimus agentes de præcepto contritionis negando min. plus quippe requiritur ad hoc, ut opus sit satisfactorium, quam, ut sit simpliciter bonum, ad hoc enim satis sunt bonitas operis, & rectitudo finis, non requiritur vero (ut jam diximus) studium placandi Deum; quod quidem (ut patet) cum dominante ad mortale peccatum affectu componi oon potest.

Conclusio 3. Peccator potest Deo satisfacere licet adhuc in peccati mortalis reatu versetur.

Probatur primo authoritate totius Ecclesiæ veteris, quæ a lapsis exigebat executionem satisfactionis, quam Sacerdores injunxissent antequam eos absolverer: ac proinde anre remissum eorum peccatum. Ipsi nimirum persuasum erat peccatum ordinarie non remitti nisi per absolutionem actu receptam, ut agentes de cootritione probavimus; quippe quod eo loci a nobis ostensum sit remissam charitatem licet sit super umnia, non justificare saltem ordinarie impium, nisi cum actuali receptione Sacramenti conjuncta sit.

Probatur secundo exemplo principis, cui rebellis potest facere satis antequam Rex ei Rebellionem præteritam dimiserit: Ergo etiam, & peccator Deo potest satisfacere, antequam amissam ejus gratiam per charitatem infusam recuperaverit.

Objicies primo. Satisfactio placere non potest personæ offensæ, nisi exhibeatur ab amico: At Dei amicus non est, qui licet ab affectu peccati liber, nondum justificationem consecutus est.

Resp. neg. maj. Satis est enim ut opus sit gratum, saltem de congruo, quod fiat ab eo, qui offensum diligit, licet offensus nondum in suam amicitiam eum receperit, a quo diligitur.

Objicies secundo. Sanctus Thomas in lib. 4. Sent. dist. 19. artic. 5. sic loquitur: *Cum in quovis opere considerentur, & meritum, & satisfactio; Quidam dixerunt quod opera facta extra charitatem, postea ipsa accedente vivificentur, quantum ad hoc quo sint satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ, non autem quantum ad hoc quod sint meritoria vitæ æternæ. Sed hoc non potest esse, quia utrumque habent ex hoc quod fiunt ex charitate, tamquam Deo accepta per gratiam; & ideo, eadem ratione, qua non vivificantur, quoad meritum, nec vivificantur, quoad satisfactionem:* Ergo censet Sanctus Tomas requiri in satisfaciente gratiam sanctificantem.

Respondent aliqui Thomistæ loqui Sanctum Doctorem de operibus satisfactoriis, quæ nullum effectum post se relinquunt, hujusmodi est oratio, non autem de aliis, post quæ remanent aliqui effectus, cujusmodi sunt eleemosyna, & jejunium, illa enim minuit opes, istud vero debilitat corpus; unde (inquiunt) postquam pœnitens recuperavit gratiam sanctificantem, potest illos effectus superstites Deo offerre in pœnam suorum peccatorum sicque liberatur ab iterandis eleemosyna, & jejunio, quæ Sacerdos injunxerat, quæque peccator in statu peccati mortalis, imo, & in illius affectu, mandarat executioni.

Sed inane est illud responsum. Nam primo effectus, qui post eleemosynam, & jejunium supersunt, non sunt opera satisfactoria, quæ facta fuerint in charitate. Nec satis est, quod charitate recuperata pœnitens ea Deo offerat. Quippe quod Sacerdos pœnitenti non injuoxerit oblationem effectuum, qui superstites sunt ex eo, quod quis eleemosynam largitus sit, & servaverit jejunium: Præcepit e contra ipsammet actionem, qua, & dispensetur eleemosyna, & jejunium servetur. 2. Qui largitus est eleemosynam, & jejunavit, cum postea gratiam sanctificantem adipiscitur, potest esse ditior, & frui potentiori sanitate, quam antea. Ergo tunc illarum actionum, quæ preterierunt, nullus omnino remanet effectus. 3. Quamvis dici posset, S. Thomam dum scriberet in Sententias ita distinxisse, ut volunt ii Thomistæ, quos hic impugnamus: illa tamen distinctio nullum omnino debet habere locum, cum idem S. Doctor eam retractasse videatur 3. p. q. 89. art. ultimo, ubi absolute asserit opera, quæ dum fiunt, omnino mortua sunt, numquam postea vivificari.

Respondent alii authores ad locum in objectione adductum, 1. loqui sanctum Thomam de charitate actuali, non autem de habituali, ita, ut sensus sit opera, quæ sine charitate actuali fiunt numquam, etiam, quoad satisfactionem, vivificari. 2. Si de charitate habituali exponatur S. Doctor, dicendum erit eum significare voluisse opera, quæ extra gratiam sanctificaotem fiunt, non esse ita satisfactoria, ut per ea pœnitens, quidquam de condigno mercatur, licet per ea pœnæ tantum de congruo dimissionem obtineat.

Objicies 3. Satisfactio cum sit pars Sacramenti, debet concurrere ex opere operato ad productiooem, vel augmentum gratiæ sanctificantis: Atqui quando præcedit statum gratiæ, ad eam oon potest sic concurrere, cum jam transierit dum absolutio pœnitenti confertur.

Resp. 1. satisfactionem in allato casu permanere moraliter, quod quidem satis est, ut ex opere operato ad gratiam concurrat. Adeat lector, quæ de modo agendi ex opere operato dicta sunt hujusce operis dissertatione prima de Sacramentis in genere. 2. Dici potest satisfactionem non agere ex opere operato; alioquin facta per peccatum veniale gratiam augeret, & Deum placaret, cum peccatum veniale actionem, quæ sit ex opere operato non impediat: quod tamen est absurdum: Confert ergo tantum ad gratiam

ex

ex opere operantis; Nec mirum, cum non fit pars effentialis Sacramenti, fed tantum integralis, Imo fecundum Scotiftas nulla ratione fit pars ex qua Sacramentum pœnitentiæ componatur; adæquate nimirum ex fola Sacerdotis abfolutione tamquam materia ex qua, ex ipfis, conftituitur.

CAPUT SETIMUM.

De proprietatibus fatisfactionis.

HIC quæri poteft: 1. Utrum fatisfactio fit neceffaria: 2. Utrum debeat habere proportionem cum gravitate criminum: 3. Utrum debeat effe publica an fecreta.

ARTICULUS PRIMUS.

De neceffitate fatisfactionis.

COnclufio. Jure divino fatisfactio eft neceffaria lapfis poft baptifmum.

Probatur 1. quia, conceptis terminis, ut Matthæi 8. præcipitur: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* 2. Poteftatem ligandi datam Apoftolis Joannis 20. de injunctione fatisfactionis Patres intellexerunt, ut agentes de exiftentia Satisfactionis oftenfum eft. 3. Superius quoque demonftratum eft miniftros pœnitentia nufquam abfolviffe pœnitentes, quin opera fatisfactoria aut exegerint ante abfolutionem, aut poft datam abfolutionem peragenda præfcripferint, ut tum ex antiquis Conciliis, tum ex veteribus pœnitentialibus libris evidentiffimum eft.

Confirmatur ex controverfia, quæ fæviente Decio Lapfos inter, & Clerum Romanum fancto Cypriano, & ejus collegis confentientem exorta eft. Ejus autem controverfiæ ftatus erat an Lapfis nulla pœnitentia purgatis conferri deberet abfolutio: Id plures in Deciana perfecutione lapfis temerario contendebant. Quinque Presbyteri, qui & ipfi diis thus adoleverant, authores erant Lapfis, ut abfque fatisfactione reconciliationem a miniftris extorquerent, Nonnulli etiam alii Presbyteri, qui fidem integram fæviente perfecutione fervaverant, quadam fimplicitate decepti, iifdem Lapfis pacem in fuis Ecclefiis conceffերant. Sanctus Cyprianus, & Clerus Romanus illi temerario aufui conftanter obftitere. Nam 1. contenderunt expectari debere Concilii celebrationem, in quo lapforum caufæ difcuterentur, fed interim definierunt cuique lapfo plene fatisfaciendi onus incumbere. 2. Lapfis illi decreto non obtemperantibus, & conditionem a Clero Romano, & Cypriano præfcriptam recufantibus, fancitum eft, ut lapfi, fi Martyrum libellis muniti effent, in infirmitate per reconciliationem fubveniretur. 3. Decio Imperatore occifo, & Pace Ecclefiis reddita, Cornelius Romæ, & Cyprianus Carthagine celebrarunt Concilia, quibus ftatutum eft, ut lapfi, qui immundis facrificiis fe fe polluerant, pœnitentiam plenam agerent, & tandem pace donarentur: Quod fi inter agendam pœnitentiam immineret vitæ periculum, daretur nihilominus pax, quamvis nondum plene peracta fuiffet pœnitentia. Presbyteros, qui decretis illis contrariam viam inierant multis Sanctus Cyprianus infectatur: *Hæc* (inquit) *qui fubtrahit fratribus noftris, decipit miferos, ut qui poffunt agentes pœnitentiam veram Deo Patri mifericordi precibus, & operibus fuis fatisfacere, feducantur, ut magis pereant, & qui erigere fe poffunt, plus cadant.*

Objicies 1. impoffibile eft, ut homo, cujus meritum eft finitum, fatisfaciat pro peccato, cujus malitia ratione perfonæ offenfæ eft infinita, & cui debetur pœna æterna. 2. Chriftus Deo Patri pleniffime fatisfecit pro peccatis totius mundi: Inutiles igitur funt noftræ fatisfactiones. 3. Afferri non poteft fundamentum, quo nitatur illa fatisfactionum neceffitas, nulla enim imponitur Catechumenis, qui baptizantur; Ergo neque debet imponi lapfis, qui confitentur.

Resp. 1. ad primum pro malitia feu culpa peccati, hominem etiam Dei gratia adjutum nequaquam poffe fatisfacere de condigno, fed tantum de congruo, quatenus nimirum vi ordinis a Deo inftituti per laboriofa opera obtinet actualem charitatem intenfam, quæ conjuncta cum voto Sacramenti delet peccatum. Refp. 2. peccatorem aliquo modo fatisfacere pro pœna æterna ante juftificationem, in quantum nempe labores patitur, qui ad abfolutionem difponunt, vi cujus abfolutionis pœna æterna debita peccato mortali commutatur in pœnam temporalem. Priorem refponfionis noftræ partem probant hæc Ambrofii ad virginem lapfam: *Peccator fi fibi non pepercerit, a Deo illi parcitur; & fi pœnas futuras gehennæ perpetuas in hoc parvo vitæ fpatio compenfaverit, fe ipfum ab æterno judicio liberat.* Pofteriorem vero probat Conc. Trid. feff. 6. cap. 14. definiens: *fatisfactionis opera fieri non pro pœna æterna, fed pro temporali tantum.*

Refp. ad 2. Chriftum fatisfeciffe quidem Patri, fufficienter, quia obtulit pretium infiniti meriti, & virtutis; non vero efficienter, quia illud pretium non omnibus applicatur, ut patet in iis, quos numquam fcelerum pœnitet: Iis etiam quos pœnitet, non folet applicari ad tollendam totam pœnam temporalem crimini remiffo debitam, id nempe exigente divina juftitia (ait Concilium Tridentinum.) Colligitur ea veritas ex variis Scripturæ locis, in quibus legimus, remiffa culpa, peccatores remanfiffe debitores alicujus pœnæ temporalis. Loca illa videre eft in Conc. Trid. feff. 14. cap. 8. de fatisfactione.

Refp. ad 3. neg. confeq. Ratio eft quia peccata poft Baptifmum commiffa, graviora funt iis, quæ ipfum præcedunt; idque triplici de caufa, quam Concilium Tridentinum declarat his verbis: *Sane, & divinæ juftitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptifmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui femel a peccati, & dæmonis fervitute liberati, & accepto Spiritus fancti dono, fcienter templum Dei violare, & Spiritum fanctum contriftare non formidaverint.* Ob difcrimen hujufmodi aliam obfervarunt Patres difciplinam circa pœnitentes, quam circa Catechumenos. Primo enim pœnitentes in extremis reconciliati, recuperata fanitate repetebant ex canonum præfcripto ftationem pœnitentiæ, in qua erant ante fuum morbum; Catechumeni vero in iifdem anguftiis baptizari, ubi convaluerant non amplius Catechumenis, fed fidelibus adjungebantur. 2. Patres credebant Catechumenum vel etiam Ethnicum in articulo mortis baptifma petentem, & fufcipientem confequi, ftatim poft mortem, æternam falutem: Contra de Chriftiani falute pœnitentiam, & reconciliationem in iifdem anguftiis, fufcipientis plurimum diffidebant. 3. Concedebant baptifma cuilibet in extremis pofito, vel per fe vel per alium illud petenti; reconciliationem vero aliquando negarunt Chriftiano eam in ultima tantum vitæ periodo efflagitanti.

Objicies 2. patres videntur docuiffe fatisfactiones olim tantum impofitas fuiffe pœnitentibus, ut Ecclefiæ, cui per fua peccata fuerant fcandalo, effent poftea ædificationi: Dicit enim Cyprianus fermone de lapfis pœnitentem peracta fatisfactione, eam, quam nuper contriftaverant, lætam facere Ecclefiam. Hæc pariter ait Auguftinus Enchiridii cap. 65. *Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus eft alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcumque alia figna procedit, cum fit coram illo, cui dicitur gemitus meus a te non eft abfconditus, recte conftituuntur ab iis, qui Ecclefiæ præfunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat fatis Ecclefiæ in qua remittuntur ipfa peccata.* Ergo fatisfactio nuda eft ceremonia nihil conferens coram Deo ad remiffionem pœnæ æternæ, aut temporalis debitæ peccato, quoad culpam remiffo.

Refp. ant. quod tamquam certiffimum Lutherani, & Calviniftæ admittunt, falfiffimum effe. 1. Quia pro peccatis occultis, quæ confequenter fcandalo non fuerant fidelibus, injungebantur fatisfactiones, ut patet ex Canone 39. Epiftolæ Bafilii ad Amphilochium, quo

mulieres secreti adulterii consciæ jubentur remanere in gradu pœnitentium consistentium, & privatim exequi labores canonibus præscriptos pro hujusmodi sceleribus. 2. Clerici post tertium sæculum non fuerunt damnati pœnitentia publica, etiamsi crimina canonica commisissent; & tamen arcebantur a sacris altaribus, jubebanturque privatim subire pœnas canonicas, ut colligitur ex Leone Magno, qui Epist. 92. cap. 2. Ad Rusticum Narbonensem sic loquitur: *Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, si pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi ... unde hujusmodi lapsi ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit digna, sit etiam fructuosa*. 3. Conceptis terminis asserunt antiqui Patres lapsos se subjecisse satisfactionibus, ut Deum iratum redderent sibi propitium, ut redimerent præterita peccata, ut mederentur suis vulneribus. Sic enim loquitur Cyprianus lib. de lapsis. *Oportet justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur*. Ibidem sic arguit ministros, qui reconciliatione donabant lapsos sine præmissis operibus satisfactoriis: *Datur opera ne satisfactionibus, & lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur, pax vera falsæ pacis mendacio tollitur*. 4. Hæretici olim vertebant crimini Ecclesiæ Catholicæ quod doceret pœnitentiæ laboribus ita deleri delicta, ut post satisfactionem crederet omnium etiam gravissimorum, ut sunt idololatria & homicidium, se posse absolutionem conferre, sic enim Tertullianus factus Montanista arguit Zephirinum Papam, qui de satisfactione exposuerat verba, quibus Apostolus primæ ad Cor. 5. ait se incestuosum tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini: *Hic jam carnis interitum in officium pœnitentiæ interpretantur, quod videatur jejuniis & sordibus & incuria omni carnem exterminando satis Deo facere, ut ex hoc argumententur fornicatorem, imo incestuosum illum non in perditionem Satanæ, ab Apostolo traditum, sed in emendationem, quasi postea veniam ob interitum, id est conflictationem carnis, consecuturum, igitur & consecutum*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De proportione satisfactionis cum gravitate criminum.

Conclusio 1. satisfactio debet esse proportionata cum gravitate criminum, & facultate pœnitentium.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino, in quo hæc leguntur sess. 14. cap. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini quantum spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere*. Ergo, &c.

Nec audiendi sunt recentiores quidam dum asserunt allatis ex Synodo verbis merum consilium, non autem præceptum stricte sumptum contineri. Nam 1. Vox hæc DEBENT, qua Synodus utitur: nusquam adhibita legitur ut significetur res quæ non sit præcepti, sed consilii tantum. 2. Sacra Synodus vocem illam isti sententiæ subjicit: *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero qui semel a peccati & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, Spiritum sanctum contristare non formidaverint*. Cum ergo Concilium ex ea sententia concludat Sacerdotibus onus incumbere convenientes pro qualitate criminum satisfactiones injungendi: de præcepto stricte sumpto, non autem de mero consilio intelligi debet: alioquin enim dicendum foret lapsos ut pristinam gratiam recuperent, ex consilio tantum non autem ex præcepto teneri viam illam inire difficiliorem, de qua Sacra Synodus loquitur.

Non sunt pariter audiendi qui in verbis ex Concilio depromptis præceptum agnoscentes reponunt debitum quod Sacerdotibus imponitur, non esse sub pœna peccati mortalis. Siquidem 1. declarat Synodus ministros qui hoc in capite molliorem quam par sit praxim amplectuntur, seu qui convenientes pro qualitate criminum satisfactiones non injungunt, scelerum quæ pœnitens accusarit, participem fieri: *Ne* (inquit) *si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. 2. Idem evincitur ex judicis officio, quo Sacerdus ex eadem Synodo, in pœnitentiæ tribunali fungitur: *Dominus noster Jesus Christus* (inquit capite 5.) *e terris ascensurus ad cælos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tamquam præsides & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur*. At judex fit reus gravis peccati cum injungit pœnam, quæ plurimum ab ea distet quam leges præscribunt, quæque cum gravitate criminis nequaquam conveniat: Confirmatur ex eo quod eadem Sacra Synodo teste, eo tendat singulorum tum quoad speciem, tum quoad numerum peccatorum confessio, ut ministri convenientem pro qualitate criminum satisfactionem injungere valeant; *Constat* (ait Concilium) *Sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, &c.*

Argumenti quoque vim non declinant ii qui respondent Concilium Tridentinum exponi debere de satisfactione quæ sit medicinalis, non autem quæ in præteriti peccati vindictam injungatur. Nam 1. Textus quem protulimus ex Sacra Synodo, impetit Lutheranos, qui censebant totam peccati pœnam simul cum culpa dimitti: unde concludebant præscribi quidem debere remedia quibus caveatur peccatum quod pœnitens confessus fuerit, sed negabant injungi posse satisfactiones quibus dimissum quoad culpam peccatum condonetur. 2. Quæ hic ab adversariis profertur responsio expressis Sacræ Sinodi verbis opponitur, sic enim cap. 8. loquitur: *Habeant autem præ oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt & docent*.

Probatur iterum conclusio. Ministri qui levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt, inutiles prorsus & vanas efficiunt rationes omnes, quibus Concilium Tridentinum satisfactionis necessitatem & fructum confirmat.

Prima ratio quam adhibet Concilium ut adversus Lutheranos Satisfactionis necessitatem adstruat, ex eo ducitur: *Quod* (inquit sess. 14. cap. 8.) *divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter vero qui semel a peccatis & Dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scienter templum Dei violare, Spiritum Sanctum contristare non formidaverint*. At ea Concilii ratio, si æqua sit adversariorum praxis, plane corruet: Quis enim asseret ideo post amissam baptismatis gratiam, difficiliorem esse reconciliationem quam antea, pœnitentiam quoddam esse laboriosum baptisma: quod levibus quibusdam operibus pœnitens ut redeat in pristinam gratiam, persungi debeat, quod semel aut bis cogatur ad Psalmorum Pœnitentialium recitationem, aut pro adulterio eluendo ad unam aut alteram jejunii diem. Ideo videtur absurdius quod Baptismus cui Pœnitentiam Patres comparant non sit is quo donabantur infantes, sed quem adulti suscipiebant; non suscipiebant autem nisi (ut Tertullianus loquitur libro de Baptismo sub finem) *Orationibus crebris, & jejuniis, geniculationibus & per-*

vigiliis orassent & cum confessione omnium retro delictorum. Multo post Tertulliani tempora disciplinam illam obtinuisse superius pag. 71. ostensum est. Hic ad ejus confirmationem satis sit iste Augustini textus libro de fide & operibus cap. 6. *Sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, euorcismisque purgantur, cum suis legitimis & veris uxoribus se concubituros, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos profiterentur*.

Altera ratio qua Concilium nititur, ut Satisfactionem commendet, ex eo petitur, quod laborum, qui in Pęnitentiæ judicio subeundi decernuntur metus peccantes revocet, & quasi fræno quodam coerceat ne in peccata denuo prolabantur: *Et divinam* (ioquit Synodus laudata sess. 14. cap. 8.) *clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes, velut injurii & contumeliosi Spiritui sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccatis revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pęnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum Pęnitentes efficiunt*, Sed illius argumenti vis prorsus evanescit in eorum Presbyterorum disciplina, qui leves admodum & cum gravitate criminum nequaquam convenientes satisfactiones injungunt: Nemo nempe dixerit Rosarii evolvendi onere, aut exiguæ stipis erogandæ metu fidelem deterreri ab obscœnis voluptatibus, quæ tot blanditiis & illecebris corruptum semel animum pelliciunt. Imo in eos, qui sic se gerunt, Sacerdotes intorqueri potest illud Paciani Barcinonensis in Parænesi ad pœnitentiam: *Facinoris viam monstrat innoxiis, qui nocentibus post scelera blanditur*. Ministri, qui molliorem illam viam ineunt vereri debent ne illud Ambrosii axioma in hæc verba Ps. 118. *Et de lege tua miserere mei*, ad ipsos spectet: *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. Medicus ipse si serpentis interius inveniat cicatricem, cum debeat resecare ulceris vitium, ne latius serpat; tamen a secandi urendique proposito lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit: nonne ista inutilis misericordia est, si propter brevem incisionis, vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ usus intereat?*

Tertia Concilii ratio petitur ex eo, quod inter præcipuos Satisfactionis fructus recenseri debeat vitiosorum habituum emendatio: ita ut ejusmodi esse debeat ea, quam Sacerdotes injungunt ut ad tollendos vitiosos pœnitentis habitus conferat: *Medentur quoque* (ait laudata Synodus) *peccatorum reliquiis & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt*. Atqui is effectus per levissimas satisfactiones non præstatur: sed tantum per contrarios vitiis virtutum actus, ut ipsamet Synodus loquitur post S.Chrysostomum, qui hæc habet hom. 10. in Matthæum: *Pœnitentiam dico non solum a prioribus malis recedere, verum & quod majus est bona præstare. Facite, inquit Joannes, fructus dignos pœnitentiæ, Et quomodo id faciemus? Si peccati adversa faciamus. Verbi gratia, Aliena rapuisti? incipe jam donare propria. Longo tempore fornicatus es? præscripto tempore ab uxore abstine: meditare continentiam. Proximum vel verbo, vel facto violasti? refer benedictionis verba conviciis, & percutientes te beneficiis placare contende. Deliciis ante & temulentia diffluebas? jejunio & aquæ potu inde ortas maculas elue. Impudicis alienum decorem oculis vidisti? fœminam jam omnino non videas, ut majori securitate fruaris*.

Quarta ratio, qua nititur Satisfactionis necessitas, in eo posita est, quod apta sit ad avertendam imminentem a Domino pœnam: *Neque vero* (Prosequitur idem Concilium) *securior alia via in Ecclesia Dei anquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent*. Sed levia quædam opera, ut est acta semel, aut bis recitatio septem Psalmorum Pœnitentialium, aut aliquid hujusmodi, ea non sunt, quibus Impiorum cervici impendens calamitas avertatur: Aliquo saltem modo accedant oportet opera, de quibus est hic quæstio, ad ea quibus Scriptura docemur pœnitentes intentas sibi a Deo minas avertisse: Scidit Rex Achab vestimenta sua, cilicio carnem operuit, jejuniis excruciavit se se, dormiit in sacco & cinere, ambulavit demisso capite, ita ut ne ad cœlum quidem oculos auderet attollere. Nabuchodonosor veniam consecutus non est nisi ubi cum bestiis terræ septem annorum vexationem & cruciatum pertulisset. Assyriorum Rex latam in Ninivem sententiam dispunxit abjecto solio, deposito regali ornatu, saccum indutus, cineri incubans, jejunio maceratus, *Clamans ad Dominum in fortitudine* (ait Scriptura Jonæ 3.) *& a via sua mala conversus*.

Eos, qui cum deliciis affluant, levibus, quibusdam operibus in peccatorum vindictam & ad avertendam Dei iram perfunguntur, præclaris hisce verbis; quæ multis hujusce ætatis pœnitentibus conveniunt, irrisit olim Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 11. *Si quid fícti nitoris, si quid coacti ruboris in labia aut genas urgeat: Præterea exquirito balneas lætiores hortulani maritimive secessus: adjicito ad sumptum: conquirito altilium enormem saginam, defæcato senectutem vini: cumque quis interrogarit, cur animæ largiaris: Deliqui dicito in Deum, & periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læsi*.

Quinta & postrema ratio, quam Concilium Tridentinum adhibet ut satisfactionis necessitatem demonstret, desumitur ex conformitate, quam quisque pœnitens debet habere cum Christo, quem Deus Pater singulis pœnitentibus ad exemplum proposuit. *Accedit ad hæc* (ait Synodus) *quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur & conglorificemus*. At vana & inutilis redditur ea Concilii ratio ab iis Presbyteris, qui mollem ac degenerem cum peccatoribus agendi rationem amplectuntur. Quis enim, quæso, dicere audebit peccatorum, qui deliciis affluit, opipare convivatur, molli recubat in lectulo, pretiosis vestibus induitur, vitam Christo pœnitenti conformem ducere, si vel aliquoties in hebdomada rosarium evolvat, aut quid simile interdum operetur?

Quæ hucusque ex Concilio Tridentino prolata sunt Sanctus Carolus in sua Diœcesi mandari voluit executioni; hanc enim regulam Actorum part. 4. pœnitentiæ ministris servandam præscripsit: *Videant ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponant, id quod & Confessoribus & Pœnitentibus periculosum est cum id a sacris Litteris & a Conciliorum decretis & a SS. Patrum sententia alienum sit. Nam divinæ Litteræ ab eis, qui pœnitentiam agunt, hos efflagitant, ut fructus dignos pęnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu. Et vero qui peccatis gravibus leves quosdam pęnitentiæ modos imponunt, Hi* (Canon inquit) *consuunt pulvillos secundum Propheticum sermonem sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas. Imo Concilium Tridentinum docet alienorum peccatorum participes fieri eos Confessores, qui dum cum pęnitentibus indulgentius agunt, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungunt*.

Quæ S. Carolus hoc in capite statuit, quæ Concilium Tridentinum statuerat, priorum sæculorum Patres tradiderant: Quoties nimirum de agenda pœnitentia loquuntur, sacci, cineris, jejunii aliorumque hujusmodi laborum meminere. Docent in injungendis satisfactionibus servari debere canones, qui (ut cuique notum est) lævia quædam opera pro gravibus delictis non imponunt: *Nulli Sacerdotum* (ait Celestinus Papa I. Epist. 3. cap. 1.) *suos liceat Canones ignorare, nec quicquam facere, quod Patrum regulis possit obviare*. Gregorius Papa VII. in Concilio Romano 5. *falsas eas pęnitentias* definiit, *quæ non secundum authoritatem*

55. Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ante Gregorium idem docuerat Isaacius Lingonensis; sic enim claudit titulum canonum, qui ad pœnitentes pertinent: *Qualis vero peccatis adhibenda sit medicina secundum Canonum authenticorum & Sanctorum Patrum esse debet institutionem, & non secundum placitum hominis, sed secundum Dei voluntatem. Nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sectanda est, sed voluntas Dei in omnibus requirenda; quatenus dignis precibus & penitentia digna placare possit omnipotentis Dei vindictam, quam suo vitio provocavit.*

Licet Cyprianus, cæterique Patres, qui ante aut paulo post exortam Novatianorum hæresim de penitentia scripserunt, non determinarint in specie quibus operibus castiganda sint scelera, quæ quis apud Sacerdotem deposuerit: tamen (ut superius ostensum est pag. 424.) asseruerunt plenam agi debere pœnitentiam, diu protrahi debere a pœnitentibus, requiri ut crimine minor non sit: *Quam magna deliquimus*, (inquit Cyprianus ad calcem libri de Lapsis) *tam graviter defleamus; Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: Penitentia crimine minor non sit. Putasne Dominum cito posse placari cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacbrymosis lamentationibus occupare, stratos solo, adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari.*

Objicies 1. Si Sacerdotes tenerentur satisfactiones injungere, quæ criminum gravitati conveniant, deberent infinitas injungere: quippe quod infinita sit gravitas peccati, quo Deus persona infinita læditur, & in cujus vindictam satisfactiones imponuntur. Sed absurdum est consequens. Ergo &c.

Resp. neg. mag. Ratio est, quia pœna æterna, quæ peccato lethali debetur, infinitam & temporalem mutatur per Sacramentum pœnitentiæ: Pœnæ igitur temporali non autem æternæ, Satisfactiones, quæ in foro pœnitentiæ præscribuntur, conveniant oportet.

Urgent 1. nonnulli. Ministrum pœnitentiæ latet quænam pœnæ quantitas exolvenda sit in altero sæculo pro peccato in hac vita quoad culpam dimisso: Ergo non potest injungere satisfactionem, quæ ejusmodi pœnæ quantitati conveniant.

Respondet Dominicus Soto Ecclesiam speciali sancti Spiritus auxilio perspectam habuisse pœnæ quantitatem, quæ peccato dimisso debetur, ac præterea cognovisse per quam quantitatem pœnarum, quas peccator exolveret in hac vita, redimi possint quæ alioquin igne purgatorio exolvi deberent: Ea vero quantitas (ait laudatus author) determinate præscripta fuit Canonibus, quos Pœnitentiales vocant. Verum nobis non probatur ea responsio: nec enim æquales ubique ac quovis tempore pro uno ac eodem flagitio impositæ fuerunt satisfactiones. Ante Montani & Novatiani tempora breviores fuerunt ac leviores, quam eæ, quæ post exortum duplex illud schisma præscriptæ fuerunt.

Respondendum est igitur ad argumentum; quod licet Sacerdoti perspecta esse non possit pœnæ quantitas, quæ in altero sæculo debetur peccato quoad culpam dimisso; possit tamen ex Scriptura & Traditione colligere eam non levem fore, cum certum sit non levem esse gravitatem peccati, quod baptisma subsequitur: ac proinde haud difficili negotio judicat pro enormibus sceleribus ordinarie injungi debere satisfactionem, quæ corpus excruciet, quæ in multum temporis protrahatur: nec enim alio modo gravitati criminum poterit esse conveniens.

Urgent 2. alii Scriptores. Canonibus pœnitentialibus determinatur, quænam sit conveniens pœna cuique peccato infligenda; & tamen servandi non sunt Canones, cum abierint in desuetudinem per usum contrarium, qui multis abhinc sæculis invaluit ubique apud Occidentales. Ergo his saltem temporibus, necessario non debent injungi Satisfactiones, quæ criminum gravitati conveniant. Confirmatur argumentum Authoritate Alexandri Papæ VIII a quo paucis abhinc annis proscripta fuit hæc propositio; *Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti Penitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia, non habetur pro usu, sed abusu.*

Resp. S. Carolum in Instructionibus, quas in sua Diœcesi ad Confessariorum usum promulgavit, quasque Clerus Gallicanus in generalibus Comitiis probavit sæpissime, de antiquis canonibus tria docere, quæ magni sunt momenti. 1. Pœnitentiæ ministris injungit ut eos discant, judicentque ex penis, quibus reos castigant, quanta sit cujusque sceleris gravitas. *Patres* (inquit) *docuerunt, quam necessaria admodum sit Sacerdotibus, qui in audiendis peccatorum confessionibus versantur, Canonum Penitentialium scientia. Etenim si omnia, quæ ad penitendi modum pertinent, non prudentia solum ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt: certe norma hæc e Canonibus Penitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii, quasi regulæ quædam, quibus cum ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tum ad imponendum pro illius ratione veram penitentiam Sacerdotes Confessarii ita diriguntur, ut ubi singula & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad penitentis statum, conditionem, ætatem intimumque cordis contriti dolorem pertinent, accurate perpenderint, tum demum Penitentiam judicio ac prudentia sua moderentur.* Asserit 2. Idem S. Præsul præscriptam canonibus disciplinam fore perutilem, si infirma hæc ætas illius vigorem ferre posset: Cum vero plerumque superet infirmorum hominum facultatem; docet 3. Sacerdotis partes esse pro sua prudentia rigorem illum penitentis statui, & viribus attemperare; *Sacerdotes* (inquit Actorum Ecclesiæ Mediolanensis part. 4. in Instruct. pag. 769.) *Canones penitentiales teneant. Quamvis enim prudenter & considerate pro pœnitentis dolore, hominumque varietate, aliisque circumstantiis attemperari & possint & debeant, eos tamen observari, atque ut formam & regulam, quantum expedire videbitur exprimi semper laudabile est.*

His ex S. Carolo præmissis ad argumentum respondendum est plerosque Canones abrogatos quidem fuisse quoad exteriorem disciplinam, quam præscribunt: neque enim jam temporis ut olim occulti peccatores pro Ecclesiæ foribus collocantur fidelium misericordiam, & deprecationem lachrymis, ac gemitibus expetituri: non compelluntur humo adhærentes, sacco, & cinere conspersi, subjicere se singulis in synaxibus publicæ Episcoporum, aut Presbyterorum manuum impositioni, non jubentur exire ex Basilicis, cum tremendum Missæ sacrificium peragitur. Sed abrogati non sunt illi canones, imo vigent vigebuntque semper, quantum ad id, quod eis est essentiale. Essentiale autem est 1. ut laboriosæ sint ac afflictivæ Satisfactiones, quæ pro gravibus peccatis ex divina lege, debent confessis injungi: Nec mirum, cum ex S. Patribus, Pœnitentiæ Sacramentum sit, Deo sic instituente, laboriosum quodam baptisma: 2. ut ex se idoneæ sint tollendis pravis habitibus, quibus impius nonnunquam implicatur: 3. ut pœnitentes reddant cum Christo patiente, ac omnium vere penitentium exemplari conformes. Ut tres illas dotes habeant Penitentiæ, quas Sacerdotes injungere tenentur, Sanctus Carolus quædam profert exempla, quæ hic exscribamus oportet, ut omnium Sacerdorum oculis observentur. *Penitens* (inquit) *vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo certo tempore abstineat. Ut egentibus hominibus cibum suppeditet ac ministret: pedes item lavet. Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitio excipiat. Ut in publica domo hospitali, locove pio aliquot dies operam navet. Ut visitet, qui in carcere sunt, eosdem consoletur, & cum per facultates potest, alat certo præstituto tempore. Ut se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliumve semotum locum abdat, ubi pœnitens vivat. Ut aliquot diebus carne, aut vino item abstineat. Ut certis diebus, præsertim feria quarta, sexta & Sabbato jejunet: vel etiam vescatur solum pane, & aquæ potu utatur. Ut certo aliquo tempore non equitet.*

tet. Ut humi aliquandiu jaceat, cubetve. Ut cilicium aliquot dies induat.

Ibidem S. Præsul magis in specie determinat quænam sint quæ pro quoque peccato injungi debeant: *Superbis* (inquit) *humilitatis opera, carnis voluptatem sectantibus jejunia, abstinentiam, cilicii gestationem, aliamque corporis macerationem pro peccati gravitate indicat. In oratione negligentibus, ut singulis diebus mane saltem & vespere orationi vacent... Mundi pompas, choreas, aliaque opera Satanæ consectantibus eam pœnitentiam imponet, ut hebdomada mane certis diebus, id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissime B. Chrysostomus monet, sancta meditatione sibi proposita solemnem illam sponsionem quam per compatres in baptismo sancte fecerunt, redintegrent, intime Deum precando: In qua precatione firmo stabilique animi proposito statuant se Christo Domino adhærere, renunciareque iterum sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo in primis cui se adversarios esse & professi sunt, & profitentur perpetuo.*

Ad confirmationem argumenti desumptam ex Alexandro Papa VIII. dicendum est loqui laudatum Pontificem de more absolvendi pœnitentem antequam satisfactionem exolverit. Patet ea responsio ex duabus propositionibus, quæ in illius Summi Pontificis decreto eam quæ objicitur, immediate præcedunt: sic autem habent illæ propositiones: *Per praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id ipsum quodam modo dictante.*

Objicies 2. Saltem Jubilæi tempore Sacerdotes non debent convenientes gravitati criminum pœnas injungere: nam ea vis est indulgentiarum quas *Plenarias* vocant, ut deleant totam pœnam quæ pro peccato quoad pœnam dimisso superest exolvenda. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia Concilium Tridentinum, ubi ministris injongit ut satisfactionem gravitati criminum convenientem injungant, nullum excipit tempus quo ab ea regula recedere liceat. 2. Indulgentiæ erant antiquitus quædam canonum relaxationes factæ in gratiam pœnitentium quos Martyres, seu S. Confessores datis libellis Episcopo commendaverant: *An tu jam & in Martyres tuos effundis hanc potestatem?* (verba sunt Tertulliani Montanistæ Zephirinum Papam ac totam Ecclesiam Catholicam perstringentis) *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Quis alienam mortem solvit, nisi solus Deus?* Ergo, cum nunc non servetur antiquus canonum rigor, si quid detraheretur ex satisfactionibus quæ debent imponi, facillima fieret plena hominis lapsi cum Deo reconciliatio: ac proinde inverteretur ordo, quem ipse Christus instituit, quemque nequaquam subjecit alicui humanæ potestati: In eo nimirum positus est ordo ille ut per uberes lacrymas & dolores plurimos, pleraque dura opera pristinæ sanitati ac integritati impius restituatur, ut hisce verbis sess. 14 cap. 2. docet Concilium Tridentinum: *Per Baptismum Christum induentes nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: Ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.* 3. Bullæ quibus indulgentiæ conceduntur hanc ex parte peccatorum conditionem requirunt: ut sint *Contriti & pœnitentes*. Verum terminus ille *Pœnitentes* designat eos qui parati sunt convenientes gravitati criminum pœnas subire: Patres nimirum Pœnitentiam a Contritione non raro distinguunt: unde in eorum operibus tritum est istud axioma. *Aliud est pœnitere, Aliud pœnitentiam agere.*

Urgent nonnulli. Si valeat allata ad præcedens argumentum responsio, Indulgentiæ nihil eis proderunt qui peccaverint. Ad quid enim iis prodesse possunt qui labore gravitati criminum convenienti perfunguntur.

Respondet his verbis Natalis Alexander Domini- *Jrenia de Sacram.* canus: *Indulgentiæ, quantumcumque plenariæ supponantur, illis non prosunt qui satisfactionem proportionatam peccatis nolunt implere, sed iis tantum qui licet parati sint eam persolvere, non possunt tamen ob vitæ brevitatem, vel id non exequantur toto eo fervore qui alioquin requireretur.* Confirmatur Doctissimi viri solutio primo ex eo quod quondam indulgentiæ passim iis tantum concederentur, quibus propter imminens vitæ periculum non satis erat temporis ut canonicam satisfactionem adimplerent: *Qui libellos a Martyribus acceperunt* (inquit Cyprianus) *auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possant, si premi aliqua infirmitate & periculo cœperint, & cum pace sibi a Martyribus promissa ad Dominum remitti*: aut iis qui magna ex parte, & quidem ingenti cum fervore injunctis laboribus persuncti fuerant: unde Cyprianus S. Confessores monet ut indulgentiarum libellos iis non concedant qui nullam egerunt pœnitentiam: *Sed iis quorum pœnitentiam* (inquit) *satisfactioni proximam conspicitis.* Præfixam a S. Martyre regulam secuta est prima Nicæna Synodus, quæ canone 12. sic habet, ex interpretatione Dionysii Exigui: *Sed in his omnibus, propositum & speciem pœnitentiæ convenit explorare. Quotquot enim metu & lachrymis, atque patientia vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant; hi definitum tempus Auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodum vero licebit Episcopo de his humanius aliquid cogitare.* Confirmatur secundo ex eo quod SS. Patres multis invehantur in ministros, qui sub indulgentiarum quas Martyres concessissent, obtentu, lapsos eximebant a satisfactione, quæ aliquam cum peccatorum gravitate proportionem haberet; *Novum genus cladis* (ait S. Cyprianus epist. 4.) *Non est pax illa, sed bellum, persecutio est hæc alia & alia tentatio, ut post culpam criminis, tollatur & pœnitentia, ut comprimatur peccatorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa & plena pœnitentia deprecetur.*

Objicies 3. Consuetudo posterior, cum vim habeat legis, rescindit priorem contrariam. Atqui pluribus abhinc annis invaluit, saltem apud Occidentales, consuetudo leves pœnas pro gravissimis peccatis injungendi, Ergo, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, Sacerdotes non tenentur satisfactiones injungere, quæ criminum gravitati conveniant.

Resp. consuetudinem quæ hoc in capite nunc obtinet apud molliores quosdam Sacramenti pœnitentiæ ministros, carere tribus conditionibus, quæ in consuetudine necessario requiruntur ut vim habeat legis, rescindatque vim prioris disciplinæ. Nam primo ea consuetudo non obtinet apud sapientiores ministros: Nec immerito, cum Tridentini Patres illam damnaverint tamquam juri divino contrariam; Cum pluribus in Synodis Provincialibus proscripta fuerit a S. Carolo; Cum variarum Provinciarum, & Gallicanarum in primis, Concilia illi constanter obstiterint. Secundo. Consuetudo, de qua hic agitur, & sub cujus obtentu enervatur Ecclesiastica disciplina, repugnat legi divinæ, qua Christus ipse sanxit, ne quis amissam baptismatis integritatem recuperet sine magnis fletibus, sine magnis doloribus: At legem quæ juris est divini, nulla contraria consuetudo potest rescindere, *Cum* (ut ait Cyprianus) *Deo nemo possit esse major*. Tertio. Apud eos tantum viget ea consuetudo, quorum doctrina moralis ob latiorem viam quam contra expressum Euangelii testimonium Christianis aperiebat, a Summis Pontificibus Alexandro Papa VII. & Innocentio XI. proscripta fuit; aut saltem obtinet ea praxis non apud eos qui nobis sint Patrum loco, sed Fratrum duntaxat, utpote qui non ita pridem nobiscum viverent: ac proinde praxis quæ ex iis laudatur, non multis debet esse ponderis apud eos quibus Scriptura & Traditio una sunt morum regula.

Conclusio 2. Si Sacerdos leviorem, quam par sit, satisfactionem non injunxerit, pœnitens jure divino tenetur ad aliquam assumendam, quæ cum cri-

minum, quorum reus eſt, quantitate, & gravitate conveniat.

Probatur primo ex Patribus, qui cenſuerunt a debita ſatisfactione non eſſe liberos pœnitentes quibuſcum Sacerdotes indulgentius, quam par eſſet egiſſent. Cyprianus libro de Lapſis eos aſſerit animarum eſſe deceptores, qui abſque debita ſatisfactione peccatorum veniam audent indulgere: *Ea enim* (inquit) *concedere, quæ in perniciem vertant, decipere eſt; nec erigitur ſic lapſus, ſed per Dei offenſam magis impellitur ad ruinam. Se ad Lapſorum perniciem verterunt, ut ægrotos a medela ſui vulneris avocent, & intermiſſis precibus, quibus Dominus longa, & continua ſatisfactione placandus eſt, ad exitioſam temeritatem mendacio captioſæ pacis invitent, ſub miſericordiæ titulo in altum fallens & blanda pernicies, non quærunt veram de ſatisfactione medicinam: Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt.* Secundo. Aſſeruerunt iidem Patres, quibus ſubſcripſit Gregorius Magnus, eum qui illicita commiſit, debere a multis licitis temperare; peccatorem teneri ſe ipſum judicare ne judicetur a Domino, ipſi onus incumbere ut ſatisfactione convenienti imminentem Dei omnipotentis iram antevertat. Tertio. Miniſter, qui ſuo deeſt officio, per ignorantiam, qua laborat, aut per negligentiam cujus reus eſt, Lapſis adimere non poteſt onus impoſitum ab ipſomet Chriſto: jubet vero Chriſtus; ut quiſque lapſus dignos pœnitentiæ fructus faciat.

Objicies primo. Pœnitens non eſt ſui ipſius judex: Sibi igitur ſatisfactionem, quæ Sacramentalis ſit, imponere non valet. Secundo. Onus faciendi fructus dignos pœnitentiæ, quod Chriſtus lapſis impoſuit, Eccleſia duobus modis explicat: Et quidem primo cum per ſuum miniſtrum determinatam ſatisfactionem injungit in tribunali Pœnitentiæ: Altero vero cum ſingulis fidelibus injungit publica quædam opera, ut ſunt variorum ordinum ſupplicationes, jejunia, aliaque hujuſmodi. Ergo &c.

Reſp. ad primum, Pœnitentem non eſſe quidem ſui ipſius judicem eadem ratione, qua Sacerdos non poteſt, ſcilicet in ſe ipſum exercere juriſdictionis judicium, ſed vindictæ tantum, juxta illud Pauli 1. ad Corinth. xi. *Si nos ipſos judicaremus, non utique judicaremur a Domino.*

Reſp. ad ſecundum Eccleſiæ non probari molliorem pœnæ determinationem factam a miniſtro, qui canonum leges infregit. Ad ſecundum vero dicendum eſt ſanctæ Matris Eccleſię mentem non eſſe, ut ſingulis fidelibus impoſiti labores, ſatis ſint cuique lapſo, ut dignos pœnitentię fructus faciat.

CAPUT OCTAVUM.

Utrum Pœnitentia debeat eſſe publica?

QUęremus hic 1. utrum tum Laicis tum Clericis, quondam imponeretur Pęnitentia publica pro criminibus occultis: 2. utrum olim injuncta fuerit pro peccatis publicis, & nunc etiam injungi debeat.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Laicis olim imponeretur Pœnitentia publica pro peccatis occultis?

NON levis eſt momenti quæſtio, de qua hic agitur: ſi enim demonſtretur, Patres quondam per pœnitentiam publicam animadvertiſſe in occulta crimina, certo certius erit confeſſionis uſum, quem hęretici recentiores rejiciunt, apud veteres obtinuiſſe. Ut autem ſolvatur cum methodo, expendamus oportet, Primo. Utrum nonnulla Laicorum occulta crimina pœnitentia publica caſtigata fuerint. Secundo. Utrum ea pœna in omnia occulta crimina fuerit animadverſum.

§. I.

Utrum veteres aliqua Laicorum occulta crimina Pœnitentia publica caſtigaverint?

COncluſio. Veteres pleraque Laicorum occulta crimina Pęnitentia publica caſtigarunt.

Probatur primo ex Patribus Latinis. Tertullianus ubi libro de Pœnitentia peccata diviſit in corporalia, & ſpiritualia, ſeu in ea, quæ animo tantum, & voluntate, & in ea, quę opere externo complentur, multa verborum copia reos hortatur ad Pœnitentiam publicam. Contendit nempe 1. delictis omnibus veniam iis Deum ſpopondiſſe, qui Pęnitentiam egerint: *Omnibus ergo delictis* (inquit) *ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per Pœnitentiam ſpopondit.* Contendit 2. pœnitentiam, qua tum cordis, tum carnis peccata purgentur, eſſe pœnitentiam publicam: eam enim cap. 9. ſic definit. *Itaque exomologeſis proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina eſt.* In quo vero pręter confeſſionem, de qua ſuo loco multa diximus, poſita ſit illa proſternendi, & humilificandi hominis diſciplina, ipſe Tertullianus deſcribit cap. 10. eos compellans, qui ab ea diſciplina propter corporis incommoda deterrebantur. *Quid* (inquit) *ſi præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quod inlotos, quod ſordulentos, quod extra lætitiam oportet deverſari, in aſperitate ſacci, & horrore cineris, & oris de jejunio vanitate:* Id autem non clanculum, ſed palam fieri debuiſſe probant hæc quæ Tertullianus profert contra vanum nonnullorum pudorem: *Pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui, aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis:* Comparatio, quam mox ſubjicit, demonſtrat eum de peccatis occultis, non autem de publicis loqui: *Velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.*

Cyprianus libro de lapſis meminit duplicis idololatrarum generis, eorum nempe, qui palam thus idolis adoleverant, & eorum qui clanculum eo crimine ſe contaminarant. Illi, tumultu facto (ut ſuperius dictum eſt) communionem abſque ſatisfactione, ſibi reddi poſtulabant; ex iſtis vero nonnulli celantes crimen irrepebant ſynaxibus, & impuris manibus, & corde Euchariſtiam excipiebant. Utroſque S. Martyr indiſcriminatim urget, ut convenientem peccato ſatisfactionem ſubeant, nec unquam inter publicam, aut ſecretam diſtinguit, ſeu nuſquam ait occultos idololatras debuiſſe, ſaltem in occulto agere pœnitentiam, quam palam agere tenerentur, qui cæteris fuerant ſcandalo; *Convertantur* (inquit, & occultos, & publicos illos apoſtatas alloquens) *ad Dominum mente tota, & Pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes Dei miſericordiam deprecentur.*

S. Ambroſius duobus libris, quos de Pœnitentia ſcripſit, ſæpius ait onus agendi pęnitentiam incumbere cuique lapſo: (At ſicut de Cypriano mox obſervatum eſt) nullibi inter ſecretam, & publicam diſtinguit: imo ſolius publicæ meminit. Libro 1. capite 16. ſic urget Novatianos, qui pœnitentiam quidem omnibus criminibus injungebant, ſed quibuſdam, peracta etiam pęnitentia, negabant reconciliationem: *Fruſtra dicitis vos prædicare Pęnitentiam, qui fructum Pęnitentiæ tollitis.* Quod quidem ubi argumentis oſtendit, ſic concludit. *Si quis igitur* OCCULTA *crimina habens, propter Chriſtum tamen ſtudioſe Pęnitentiam egerit, quomodo iſthic recipit, ſi ei communio non refunditur?* eam vero pęnitentiam, quam Ambroſius requirit, publicam eſſe demonſtrant hæc quæ ſubjungit: *Volo veniam reus ſperet, petat eam lacrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, ut ignoſcatur obſecret: Et cum ſecunda, & tertio fuerit dilata ejus communio, credat remiſſius ſe ſupplicaſſe, fletus augeat miſerabilior; poſtea revertatur, teneat pedes brachiis, oſculetur oſculis, lavet fletibus.*

Innocentius Papa I. praxi, de qua mox, ex Ambro-

ſto, dictum eſt, aperte favet Epiſt. 2. cap. 12. Duo poſtulatus fuerat a Victricio Epiſcopo Rothomagenſi, primo, an Virgines quæ cum per vota ſolemnia Deo eſſent ſacræ, publice tamen nupſerant, admittendæ eſſent ad pœnitentiam ante mortem viri, cui ſe conjunxerant; Secundo, utrum eadem diſciplina in eas obſervari deberet quæ clanculo corruptæ fuerant. Utramque quæſtionem Innocentius hiſce verbis ſolvit: *Item quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, & velari a Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi iis, cui ſe junxerant, de ſæculo receſſerit*. Innocentius ſuum reſponſum confirmat ex ea quæ tunc vigebat, Eccleſiæ praxi: *Si enim* (inquit) *de omnibus hæc ratio cuſtoditur, ut quæcumque vivente viro alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi unus ex iis fuerit defunctus; quanto & illa magis tenenda eſt, quæ ante immortali ſe ſponſo conjunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſmigravit*. De pœnitentia reſpectu earum virginum eodem modo Innocentius loquitur. Certum eſt vero eas quæ publice nupſiſſent, publica pœnitentia damnatas fuiſſe: Ergo & eæ quæ clanculum corruptæ fuerant: Innocentii igitur tempore quædam occulta crimina publica pœnitentia caſtigabantur.

Leo Magnus Epiſt. 80. ad Epiſcopos Campaniæ prohibet quidem ne Presbyteri pœnitentes cogant ad publicam omnium omnino peccatorum confeſſionem: *Removeatur* (ait) *tam improbabilis conſuetudo*; Sed ſilet omnino de publica Pœnitentia, quæ illam omnium occultorum ſcelerum confeſſionem ſubſequebatur: illius igitur reſpectu praxim Presbyterorum Campaniæ probavit Sanctus Pontifex.

Probatur ſecundo authoritate Patrum Græcorum, Origenes homil. 2. in hæc verba Pſalmi 37. *Quoniam iniquitatem meam ego pronuntio*, publicam aliquorum occultorum criminum tum confeſſionem, tum ſatisfactionem recenſet: *Circumſpice* (inquit) *diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum . . . Si intellexerit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione & ſatis perito illius conſilio procurandum eſt*. Publicam peccati confeſſionem ſemper ſubſecuta eſt ſatisfactio publica: Ergo ex Origene, ubi Sacerdos judicabat expedire publicam occulti peccati confeſſionem, publica pœnitentia injungebatur: nec mirum cum per publicam confeſſionem crimen quod antea erat occultum, publicum fieret. Præterea his in verbis, *Qui in conventu totius Eccleſiæ* EXPONI *debeat &* CURARI, Origenes publicam ſatisfactionem a publica confeſſione diſtinguit: Utraque igitur illius ætate pro quibuſdam peccatis occultis erat in uſu.

Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis Epiſcopus in Epiſtola Canonica, varias peccatorum ſpecies damnat artificialibus Pœnitentium ſtationibus, ac proinde pœnitentia publica. Illud autem Gregorii decretum tam de occultis quam de publicis peccatis intelligitur: Nam in nullo laudatæ Epiſtolæ canone inter peccata publica & occulta diſtinguit; de utriſque igitur indiſcriminatim intelligi debet: alioquin dicendum eſſet S. Præſulem præſcriſſe quidem ſatisfactiones, quibus peccata quæ raro accidunt, ut ſunt publica, caſtigari deberet: non curaſſe vero de iis quæ quotidie committuntur, ut ſunt occulta. Mox laudatus Pater occultum furti crimen Pœnitentia publica caſtigat; hæc enim ait canone 8. de iis qui alienas domos aggredi auſi ſunt in barbarorum incurſione: *Eos autem, qui alienas domos invadere auſi fuerint, ſi accuſati quidem convicti fuerint, nec auditione dignos exiſtimare. Sin autem ſeipſos enuntiaverint, & reddiderint, in eorum qui convertuntur, ordinem ſubſterni*. Canone 9. de iis qui in agro, vel in ædibus ea quæ a babaris relicta ſunt invenerint, hæc habet: *Eos autem qui in campo aliquid invenerunt, vel in ſuis ædibus a barbaris relictum, ſi accuſati quidem convicti fuerunt, ſint ſimiliter in iis qui ſubſternuntur. Sin autem ſe ipſos enuntiaverint, & reddiderint etiam precibus digni habeantur*. Crimen, quod ſola Rei confeſſione cognoſcitur, haud dubie eſt occultum; At (ut ex laudatis canonibus patet) Gregorius publica pœnitentia animadvertit in crimen, quod ſola Rei confeſſione cognitum fuerit: Proſtratio ſiquidem & Conſiſtentia, ad quas hujuſmodi reus dimittitur, ſi non confeſſus, aut alicujus teſtimonio convictus fuerit, publicæ erant pœnitentium ſtationes.

S. Baſilius litem de qua hic agitur, plane dirimit in Epiſtola canonica ad Amphilochium; Canone 34. quem in hoc opere multoties retulimus, hæc habet: *Adulterio pollutas mulieres & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus; eas autem ſtare ſine communione juſſerunt donec impleretur tempus Pœnitentiæ*. Ex his verbis patet primo adulterium quod canon caſtigat, fuiſſe occultum; ideo enim crimen illud quod in viris Proſtratione damnabatur, in mulieribus punitur ſola Conſiſtentia, quod alioquin periculum fuiſſet ne mulieres quæ jacuiſſent in Proſtratione, maritis in admiſſi adulterii ſuſpicionem venturæ fuiſſent: plerumque enim mulieres ingenuæ alterius peccati quod Proſtratione damnetur, reæ non ſunt, cum nec furta, nec homicidia committere ſoleant. Patet ſecundo pœnitentiam adulteris mulieribus impoſitam, fuiſſe publicam; ſiquidem Conſiſtentia erat ſtatio ſolemniter pœnitentium ac palam præciſorum ab Euchariſtiæ participatione. Confirmatur allatus canonis ſenſus ex Balſamone Græco Canoniſta celeberrimo. Sic enim loquitur: *Adulteri ſecundum 58. canonem ſtant quatuor annis cum deflentibus, quinque cum audientibus, quatuor cum ſubſtratis, & duobus cum iis qui conſiſtunt abſque communione. Dicit ergo ſanctus, ſi qua mulier adulterata peccatum confeſſa fuerit, vel quomodocumque convicta ſit, non oportet eam publicare, id eſt, eam in dictarum pœnarum locis ſtatuere. Qui enim eam viderit extra divinos Eccleſiæ ambitus ſtantem, vel etiam cum Catechumenis exeuntem primo aſpectu omnino intelliget propter adulterii crimen eam illi pœnam injunctam, & fiet punitio cauſa mortis, poſt futurum forte viri reditum qui id animadverterit. Permittitur ergo conſiſtere & cum fidelibus comprecari, a Sacramentorum autem communione abſtinere donec pœnitentiæ tempus completum fuerit*.

Mox datæ expoſitioni non officiunt hæc ejuſdem canonis verba: *Mulieres ... quomodocumque convictas*: Neque enim ex iis verbis inferri debet adulterium, de quo canon loquitur, fuiſſe publicum, alioquin immerito Baſilius eodem in canone aſſeruiſſet non damnari Conſiſtentia ſicut in viris, quod Patres non vetuiſſent ne mulieres illæ publicarentur: Dicendum eſt igitur verba de quibus agitur; *Quomodocumque convictas*, intelligi aut de ſpontanea confeſſione quam mulier ediderit pariendi periculo coacta, aut de accuſatione & convictione quæ ab aliquo facta fuerit coram Epiſcopo. Alludit nempe Baſilius ad morem qui tunc erat in uſu, deferendi nimirum ad Epiſcopum occultum proximi crimen, quod quis aut audiverit, aut viſu didiciſſet, de quo more ſuperius non pauca dicta ſunt a nobis: *Quomodocumque convinci mulieres* (inquit Balſamon) *non debes accipere de omnibus nota probatione, ſed de mulieris conſcientiæ probatione: Hoc eſt, ſive mulier ſua ſponte confeſſa ſit, velut etiam a pariendi periculo coacta, vel aliquo alio modo clanculum, & non publice ſe ipſam condemnans, ſe ipſam enunciaverit*.

Idem Baſilius hæc habet in Epiſtola ad Amphilochium canone 61. *Qui furatus eſt, ſi eu ſe quidem pœnitentia motus ſe ipſum accuſaverit, anno a ſola Sacramentorum communione arcebitur. Si autem convictus fuerit, duobus annis, tempus vero illi ad ſubſtrationem dividatur, & ad conſiſtentiam, & tunc communione dignus habeatur*. Dallæus Calviniſta lib. IV. de Confeſſione cap. 21. reponit Petavio qui ex eo canone argumentum deſumpſerat, ut probaret veteres in occulta peccata per pœnitentiam publicam animadvertiſſe, hæc (inquam) reponit: *Qua ratione conficiet Petavius furtum illud* (de quo loquitur Baſilius) *manifeſtum non fuiſſe*? Verum reſpon-

respondetur omnes homines intelligere peccatum aliquod esse occultum cum per solam Rei manifestationem Ecclesiæ ministris perspectum est; At ejusmodi est furtum de quo Basilius laudato canone loquitur.

Eodem spectant hæc quæ de fornicatinne habet Gregorius Nyssenus in Epistola canonica ad Letoium Melitines Episcopum: *Est autem quædam differentia* (inquit Canone III.) *in ratione pœnitentiæ inter eos qui in volaptate peccarum ejusmodi. Qui enim ex se ipso ad sua proferenda peccata impulsus est, eo quod sua sponte occultorum accusator esse voluerit, ut qui jam affectioni medicinam adhibere cœperit, & signum mutationis in melius ostenderit, in mitioribus pœnis versatur. Qui autem in malo deprehensus est, vel propter aliquam suspicionem vel accusationem in gratiis convictus est, longius illi conversionis tempus datur, ut ipse perfecte purgatus, sic ad Sacramentorum communionem admittatur.* Ipse Nyssenus omnia adversariorum effugia præcludit: Si enim causentur eam fornicariam voluptatem de qua loquitur, non fuisse occultam: mox opponentur hæc illius verba *eo quod sua sponte occultorum accusator esse voluerit*. Si contendant Nyssenum eam fornicationem quæ occulta fuisset, non castigasse Penitentia publica, revincentur his ejusdem Nysseni verbis: *Est ergo canon ejusmodi, ut qui fornicatione polluti sunt, in tribus annis ab oratione omnino expellantur, in tribus sint solius auditionis participes, in tribus autem aliis cum iis qui in conversione substernuntur, precentur; & tunc sint Sacramentorum participes.* Si iis qui Auditione, Prostratione, Consistentia damnantur, possint non esse publici penitentes; valeat, per nos stat, adversariorum solutio.

Quæ ex Origene, Gregorio Thaumaturgo, Basilio, Gregorio Nysseno hactenus probata sunt, confirmari possunt ex Conciliis veteribus. Hic satis sit Ancyranum proferre quod habitum est anno 314. Hæc habet canone 20. ex interpretatione Dionysii Exigui: *De mulieribus quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quedam definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet: Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundum prefixos gradus pœnitentiæ largiamur.* Hæc iterum statuit canone 21. *Qui voluntarie homicidium fecerint, pœnitentiæ quidem jugiter se submittant: perfectionem vero circa vitæ exitum consequantur.* Canone 15. Qui nefarios coitus cum bestiis inierunt publica multorum annorum pœnitentia castigantur: *Quotquot* (inquit) *ante vigesimum annum tale crimen commiserint, quindecim annis exactis pœnitentia, communionem mereantur orationum.* Crimina quorum meminere laudati canones, occultissima erant: in ea enim si fuissent publica, Imperatorum leges gladio animadvertissent: pro iis tamen criminibus Concilium Ancyranum injungit pœnitentiam publicam: Ergo quarto Ecclesiæ sæculo apud Orientales occulta crimina pœnitentia publica castigabantur. Sed hæc satis sint de eo argumento, cui robur addetur maximum ex iis quæ subsequenti paragrapho dicentur.

§. II.

Quænam occulta Laicorum peccata quondam publica pœnitentia castigarentur?

De quæstione de qua hic agitur, duo docet Morinus noster. Censet 1. trium priorum sæculorum Patres per Pœnitentiam publicam purgasse triplicis tantum speciei peccata, Idololatriam, Homicidium, Mœchiam. Censet 2. quarto sæculo, & duobus proxime sequentibus peccatis quæ tertio sæculo erant canonica, addita fuisse non quidem omnia mortalia, sed quæ inter mortalia censerentur gravissima. Nonnulli alii Scriptores contendunt uni regulæ subjecta fuisse quæcumque mortalia, seu nullum omnino fuisse peccatum mortale quod penitentia publica castigatum non fuerit: Quid nos ea de controversia sentiamus duplici conclusione dicetur.

Conclusio 1. Si Penitentia publica sumatur pro ritu determinato, & artificiali agendi exterius publicam penitentiam, adulto tantum tertio sæculo, Idololatriæ solius, Homicidii, & Mœchiæ species publica Pœnitentia castigabantur.

Probatur 1. Ante Novatianum schisma nullum tempus agendæ pro hoc vel illo peccato, imo nec pro idololatria, pœnitentiæ determinate præfixum est, ut superius pag. 420. demonstratum est. In genere quidem jejunium, corporis maceratio præscripta fuerunt: Sed quantum deberet esse illud jejunium, quænam esse deberent illæ macerationes nullibi definitum est. Totum Pœnitentiæ negotium eo tempore Episcopis fuit permissum. 2. Ubi post exortam Novatianorum hæresim institutæ sunt a Gregorio Thaumaturgo artificiales stationes pœnitentium, Idololatriæ, Homicidio, & Mœchiæ additum est Furtum, seu detentio rei facta dum Barbari Ponticam provinciam variis cædibus vastarent. Furti species quam castigari vult pœnitentia publica seu pœnitentium stationibus, maxime differt a vulgari avaritia, & a furto quod passim committitur: eam enim speciem tamquam Barbarorum cædibus affinem hisce verbis describit Epist. canonica canone 2. *In tempore autem incursionis, in tanto luctu, tantisque fletibus, ausos esse aliquos tempus, quod omnibus exitium afferebat, existimare esse sibi lucri tempus, est hominum impiorum, & Deo invisorum, & quorum improbitati nihil potest adjici. Unde eis omnibus ejusmodi interdicere visum est, eosque abdicare, ne forte ad totum populum ira veniat, & in eos primum, qui præsunt, & non inquirunt.*

Conclusio 2. Si Pœnitentia sumatur pro pœnis publicis, non determinatis quidem per canones, sed Episcoporum arbitrio permissis, quodlibet peccatum mortale castigatum fuit penitentia publica, etiam tribus prioribus seculis.

Probatur 1. Tertullianus, Cyprianus, Gregorius Thaumaturgus cum de pœnitentia differunt, non aliam quam publicam recensent: unde sive mente sive externo opere lapsos passim hortantur ne præ verecundia qua peccatores ordinarie suffunduntur, executionem pœnitentiæ detrectent: textus, quibus ea propositio nititur, superiore paragrapho descriptos legere est. 2. Prioribus sæculis qui peccarant mortaliter Eucharistiæ participatione interdicebantur, donec Deo per pœnitentiæ labores satisfecissent, id nempe superius pag. 428. probatum est, potestque rursus hic ex Cypriano confirmari. S. Doctor exponens quartam orationis Dominicæ petitionem libro quem de ea scripsit, sic loquitur: *Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente graviore delicto, dum abstenti* (ex Sacerdotis mandato) *& non communicantes a cœlesti pane prohibemur, & a Christi corpore separamur.* 3. Prioribus sæculis hæc erat agendæ pœnitentiæ series, hic ordo. Rei primum confitebantur, postea efflagitabant admissionem ad pœnitentiam; Deinde impositam exequebantur justo tempore, postremo donabantur absolutione, quam (ut suo loco inferius dicetur) ante Novatianorum schisma mox sequebatur Eucharistiæ participatio. Moram, quæ a confessione ad absolutionem, & Eucharistiæ participationem intercedebat Clerus Romanus in Epist. ad Cyprianum hisce verbis subindicat: *Per necessaria temporis remedia obducere cicatricem.* Tertullianus antea de eadem mora hæc scripserat libro de pœnitentia cap. sexto: *Cum pendeat venia, pœna prospicitur, cum adhuc liberari non meremur; ut possimus mereri; cum Deus comminatur, non cum ignoscit .... Quia tempus pœnitentiæ idem quod periculi & timoris.*

Objicies 1. Qui tribus prioribus sæculis de pœnitentia scripserunt, publicæ subjecerunt tres tantum peccatorum species, Idololatriam, Homicidium, Mœchiam. Nec Tertullianus, nec Cyprianus, nec Gregorius Thaumaturgus, uno tamen excepto furto quod cædi affine, sic alias peccatorum species recensent cum agunt de pœnitentia publica. Eadem ratione loquuntur Eliberitani canones; Canonibus 73. 74. 75. delatores, & falsos testes castigant quidem pœnitentia publica, sed quod mortis sint causa: *Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem.*

Resp.

Resp. laudatos in argumento Patres ideo triplicis tantum peccatorum speciei, Idololatriæ nimirum, Homicidii & Mœchiæ meminisse cum agunt de pœnitentia publica, quod capitalis sit triplex illa species, ad eamque cæteræ omnes reducantur: Et sane peccata aut sunt contra Deum immediate, & sic quædam sunt Idololatriæ species: aut contra ipsummet pecantem, sub qua ratione ad Mœchiæ peccatum reducuntur: aut tandem nocent proximo, sicque quædam sunt homicidii species. Confirmatur responsio 1. ex eo quod nec Tertullianus, nec Cyprianus, nec Gregorius Thaumaturgus, nec Concilium Eliberitanum, nec Clerus Romanus ad Cyprianum in causa Lapsorum scribens aliam recensuerint pœnitentiam quam publicam; Si igitur de triplici tantum peccati specie stricte sumpta locuti fuerint, ex iis probari non poterit alia ab Idololatria, Homicidio & Mœchia, peccata castigari debere per aliquam sacramentalem satisfactionem: quod est absurdum. Confirmatur 2. ex Gregorio Nysseno qui in Epistola canonica ad Letoium diserte asserit Patres antiquos inter crimina quæ ad irascentem animæ partem reducuntur: solam cædem castigasse: *Solam* (inquit) *cædis cautionem suis pœnis introduxerunt*: Et tamen eum latere non potuit pœnas a Gregorio Thaumaturgo, adulto jam altero Ecclesiæ sæculo, furtibus, aliisque nonnullis determinate præfixas fuisse; Quemadmodum igitur Nyssenus ab errore vindicari non potest nisi dicatur eum ad cædem reduxisse furtum de quo Thaumaturgus loquitur: ita dicendum est antiquos Patres, Tertullianum, Cyprianum, Synodum Eliberitanam, omnia omnino peccata mortalia ad idololatriam, Homicidium & Mœchiam tamquam ad generalissimas quasdam species reduxisse, cum, prætermissis aliis criminibus, asseruerunt tria illa capitalia crimina suo tempore curata fuisse per pœnitentiam publicam.

Objicies 2. S. Gregorius Nyssenus multa scribit in Epistola Canonica ad Letoium quæ stare non possunt cum opinione qua asseritur omnia peccata mortalia prioribus Ecclesiæ sæculis curata fuisse per solam pœnitentiam publicam. 2. Canone 14. conceptis terminis asserit homicidio soli ex iis peccatis quæ ex irascibili animæ parte nascuntur, a veteribus pœnam præfixam fuisse: *Restat* (inquit) *ad hæc ut irascentem animæ partem examinandam proponamus*) Expenderat jam ante superiorem animæ partem, seu rationem, & appetitum concupiscibilem, ex quibus duplicem peccatorum divisionem desumpserat) *quando lapsa a bono iræ usu in peccatum ceciderit. Cum autem multa sint quæ per iram fiunt peccata, & omnia mala: placuit nostris patribus in aliis quidem non nimium accurate agere, nec plurimum in eo studii ponere, ut omnia quæ ex ira nascerentur, delicta curarent* (*quamvis Scriptura non solum vulnus prohibeat, sed etiam omne convicium, vel maledictum, & si quid aliud ejusmodi ira efficit*) *sed adversus unum cædis crimen pœnarum cautionem providerunt*. Asserit secundo idem S. Doctor avaritiam prætermissam fuisse cum veteres pœnas determinarunt quæ impiis ad satisfactionem essent exolvendæ: *Altera autem* (inquit can. v.) *Idololatriæ species, sic enim divinus Apostolus avaritiam appellat, nescio quo modo absque ulla pœnæ medela a patribus prætermissa est*. Tertio. Idem asserit de fœnore & usura, seu docet nullis canonicis pœnis prohibita fuisse Laicis hominibus: *Solum autem furtum* (ait) *& sepulchrorum effossionem & sacrilegium, vitia censemus, quod ex Patrum successione hæc nobis traditio de iis relicta sit. Atqui apud divinam Scripturam & redundantia & usura sunt prohibitæ; & per potentiam ad suam possessionem aliena traducere, etiamsi sub prætextu negotiationis, hoc fortasse factum sit*. 4. Usuram canoni adjicit, seu definit publica pœnitentia castigari debere: *Quoniam ergo, quod ad nos quidem attinet, authoritatem cui credendum est, canones habent: canonum judicium de iis quæ prohibita esse constat, iis quæ jam dicta sunt, adjiciemus*. Ex iis quæ huc usque ex Gregorii Nysseni Epistola Canonica excerpta sunt, evidens est Patres qui illius ætatem præcesserant, nulla publica pœnitentia animadvertisse in Avaritiam, & Usuram: ac proinde sequitur quælibet peccata mortalia non fuisse prioribus sæculis subjecta publicæ pœnitentiæ.

Confirmatur ex Basilio qui in Epist. ad Amphilochium expresse testatur se pœnitentiæ publicæ subjicere multa crimina quæ veteres Synodi nequaquam illi subjecissent. Canone 30. hæc habet de Virginum & Viduarum raptu: *De his qui rapiunt, canonem quidem antiquum non habemus, sed propriam sententiam proferimus, ut & ipsi & qui cum eis rapiunt, tribus annis sint extra orationes*. Canone 13. consulit ut singulis exercitus militibus qui etiam pro patria strenue pugnantes hostem interfecerint, pœnitentia publica injungatur, quam tamen (ut ipse ait) antiqui Patres non injunxerant: *Cædes* (inquit) *in bellis factas Patres pro cædibus non reputavere, ut mihi videtur, ignoscentes iis qui pro pudicitia & pietate decertant. Recte autem forte habet consulere, ut qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant*. Canone 80. decernit pœnam Tetragamiæ, quam (ut Balsamon interpretatur) polygamiam appellat: *Patres* (inquit) *Polygamiam silentio prætermisere ut belluinam, & penitus ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam majus esse fornicatione peccatum, & ideo consentaneum est ut ii canonibus subjiciantur, ut scilicet postquam anno fleverint, & tribus substrati fuerint, suscipiantur*.

Resp. allatos tum ex Gregorio Nysseno, tum ex Basilio textus nihil officere nostræ conclusioni: Nam præterquam quod crimina quæ ab eis castigantur, ad Idololatriam, Homicidium & Mœchiam tamquam species ad suprema genera reducantur; dicendum est hoc unum laudatos Patres voluisse, nempe criminibus quæ ab eis recensentur, determinatas non fuisse pœnas a veteribus qui illorum ætatem præcesserant. Verum inde non evincitur quod prioribus sæculis curata non fuerint per pœnitentiam publicam, cujus tempus, species, determinatio, penderent ex Episcoporum arbitrio, ut revera etiam pro Idololatria, Homicidio, Mœchia, pendebant antequam exorta fuisset Novatianorum hæresis: superius nimirum ostensum est quod antequam prodiisset, licet ea crimina per publicam pœnitentiam curarentur, illius tamen pœnitentiæ tempus, species, canonibus determinate præfixa non fuerant.

Objicies secundo. Lethaliter peccat qui videt mulierem ad concupiscendam eam, licet usque ad externum opus non progrediatur: Sed veteres iniquum illum consensum non castigabant pœnitentia publica: hæc enim habet Concilium Neocæsariense canone 4. ex interpretatione Dionysii Exigui: *Si quis mulierem concupiscens, proposuerit cum ea concumbere, & cogitatio ejus non pervenerit ad effectum, apparet quod gratia Dei liberatus est*. Prioribus igitur Ecclesiæ sæculis in quælibet peccata mortalia animadversum non fuit per pœnitentiam publicam: nulla enim laudato canone præscribitur, etiamsi peccatum ipsum recenseatur.

Resp. sensum canonis non esse quod is de quo agit, liberatus sit a culpa peccati. Ex Evangelio nempe certum est luxuriæ cogitationem firmatam consensu peccatum esse mortale: sed sensus est quod liberatus sit non quidem a pœna canonica quæ interno peccato infligitur, sed ab ea qua peccatum externum castigari debet: Ita canonem illum Zonaras interpretatur. Confirmari potest ex Basilio qui in Epistola ad Amphilochium canone 70. hæc habet, *Diaconus qui pollutus est labiis, & se eo usque peccasse confessus est, a ministerio prohibebitur; Sacramentorum autem cum diaconis particeps esse sinetur, idipsum autem Presbyter quoque. Si quid autem amplius peccasse quis deprehensus fuerit: in quocumque sit gradu, deponetur*. Quemadmodum igitur a tota pœna canonica non liberatur diaconus de quo Basilius loquitur: ita nec vir cujus Neocæsariense Concilium meminit.

Objicies tertio. Concilium Laodicenum describit ritum quo nonnulli hæretici ad Ecclesiam redeuntes admitti debent: Atqui non meminit canonicæ pœnitentiæ qua illi hæretici perfungi deberent: Ergo quarto sæculo quo habita est illa Synodus, pro omnibus peccatis lethalibus imposita non fuit pœnitentia publica:

blica: hæc sunt Synodi verba can. 7. *De his qui ab hæreticis convertantur, idest Novatianis, aut Photinianis, aut Tessaradecatitis, sive baptizati sint illi, seu Catechumeni, non ante suscipiantur, quam omnes hæreses anathematizent, & præcipue illam qua detinebantur. Et tunc demum hi, qui apud eos dicebantur fideles, nostræ doceantur fidei symbolum, & uncti sancto chrismate, sic mysteriis communicent sacrosanctis.*

Resp. primo solemnem hæreseos ejurationem, publicam chrismatis unctionem, quondam fuisse publicæ pęnitentiæ speciem: unde neganda est minor argumenti propositio. Resp. secundo canonem septimum Laodicenum eos hæreticos recensere quibuscum Ecclesia, œconomiæ causa, dispensatum esse voluit.

Conclusio tertia. Non tantum quatuor prioribus sæculis, sed etiam quinto & sexto, pluribusque aliis subsequentibus, quælibet peccata mortalia curata sunt apud Occidentales per publicam pęnitentiam.

Probatur 1. ex Augustino. Sanctus Doctor epist. 108. homil. 27. & homilia 50. inter quinquaginta asserit triplicem esse pro triplici peccatorum genere pęnitentiam. Unam quæ baptismum antecedit, & qua purgantur peccata quæ ab hominibus nondum regeneratis commissa sunt. Altera est pęnitentia justorum, qua nempe curantur venialia delicta seu leves culpæ quas infirmitas humana, quamdiu in hoc mundo vivitur, effugere non potest omni ex parte. Ultimam, austeriorem, & quidem publicam, quæ fit adhibitis Ecclesiæ clavibus, & quæ pro iis omnibus peccatis necessaria est, de quibus Paulus hæc ait; *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Triplicis illius pęnitentiæ notitia adeo necessaria visa fuit Augustino ut hom. 50. eam populo explanare aggrediens, his verbis utatur: *Tres sunt actiones pęnitentiam quas mecum vestra eruditio recognoscit: Sunt enim usitatæ in Ecclesia & diligenter attendentibus notæ.* Si Augustini tempore occulta fidelium crimina per pęnitentiam secretam curata fuissent, eam pęnitentiæ speciem recensuisset iis locis in quibus agit de modo quo curarentur peccata, de quibus ait Paulus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* At eam occultæ pęnitentiæ speciem nequaquam recensuit, sed eam tantum quæ palam omnibus in Ecclesia fieret. *Restat ergo* (inquit homilia 27. cap. 3. post constitutam pœnitentiæ in tres illas partes divisionem, prioresque duas expositas, seu tum eam quæ a Catechumenis peragenda est, tum alteram quotidianam quam justi pro quotidianis debitis subire debent.) *Pęnitentia tertiam genus, unde aliquid breviter dicam, ut adjuvante Domino proposita & promissa persolvam. Est pęnitentiæ gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur in Ecclesia Pęnitentes, remoti etiam a Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne, judicium sibi manducent & bibant:* Verba illa: *In qua proprie vocantur Pęnitentes*, de sola publica pœnitentia possunt intelligi: Ergo Augustini ætate occulta crimina per publicam pœnitentiam passim sanari consueverant.

Confirmatur ex eo quod S. Doctor eamdem Ecclesiæ praxim adstruat ad calcem libri de Symbolo ad Catechumenos: *Nolite* (inquit) *illa comittere pro quibus necesse est ut a Christi corpore separemini:* (Ab eo vero fidelis separatur per quodlibet peccatum mortale) *Quod absit a vobis. Illi enim quos videtis agere Pęnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania. Inde agunt penitentiam.* Ne quis autem ejusmodi scelera de aliquibus tantum immanibus interpretetur, obstant quæ mox subjicit Augustinus: *Nam* (ait) *si levia peccata ipsorum essent, ad hæc quotidiana oratio sufficeret:* Scelerum igitur nomine intelligit omnia peccata quæ lævia appellat, quæque, ex ipso, sunt venialia, cum asserat ea curari per quotidianam orationem, *Dimitte nobis debita nostra.* Textum illum prætermissu modo quo volunt adversarii curata fuisse crimina quædam occulto, sic idem S. Pater concludit: *Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in oratione, in humilitate majoris Pęnitentiæ.*

Confirmatur iterum ex quæstione 26. libri 83. quæstionum, ubi hæc ait idem Augustinus: *Alia sunt peccata infirmitatis, alia imperitiæ, alia malitiæ. Infirmitas contraria est virtuti; Imperitia contraria est sapientiæ; Malitia contraria est bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus & sapientia Dei potest existimare quæ sint peccata venialia, & quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccatis certa pęna debeatur & hic & in futuro sæculo. Quibus bene tractatis probabiliter judicari potest, qui non sint cogendi ad Pęnitentiam luctuosam & lamentabilem, quamvis peccata fateantur, & quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium Deo obtulerint spiritum contribulatum per pęnitentiam.* Ex iis verbis patet 1. Augustinum distinguere peccata in venialia & lethalia. Patet 2. nullum ex iis quæ appellat venialia, necessario subjiciendum esse Penitentiæ luctuosæ & lamentabili. Patet denique 3. omnia lethalia, seu quæ, nisi per pœnitentiam curentur, tollunt spem salutis, Augustini ætate, subjecta fuisse luctuosæ & lamentabili pœnitentiæ; ac proinde publicæ, seu (ut ait hom. 27. cap. 3.) in qua proprie vocantur Pœnitentes.

Quæ hactenus dicta sunt rursus confirmantur ex homilia 50. Postquam S. Augustinus eamdem Pœnitentiæ divisionem proposuit, ac primam illius speciem explicuit, (Inquit capite 2.) *novum hominem parturit donec per baptismum salutarem omnium præteritorum fiat ablatio peccatorum, ut tamquam puero nato dolores transeant, quibus viscera urgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur.* Alteram speciem aggreditur quam viri, etiam sanctissimi, quandiu versantur in terris, subire debent, & per quam (ut ait capite 3.) eluuntur, *Quæ non lethali vulnere ferire scatiuntur:* Progreditur postea ad eam speciem quam subire debent qui rei sunt peccatorum mortalium: *Tertia* (inquit) *est actio Pęnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.* Tertia illa species eadem est cum ea de qua loquitur hom. 27. ac proinde actio est luctuosæ illius ac lamentabilis Pœnitentiæ: *In qua proprie vocantur in Ecclesia Penitentes.* Atqui Augustinus asserit tertia illa Pœnitentiæ specie sua ætate castigata fuisse peccata omnia lethalia: nullum enim est peccatum mortale contra legem naturalem quod Decalogo non prohibeatur. Nulla omnino sunt de quibus dici non possit id quod ex Paulo Augustinus usurpat: *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt.*

Probatur 1. nostra conclusio authoritate S. Cæsarii Episcopi Arelatensis qui sexto sæculo floruit. Docet 1. peccata venialia quorum plures species refert, oratione & compunctione cordis dimitti: *Si levia sunt forte delicta* (inquit homil. 1. in Quadragesima) *verbi gratia, si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluntate, si oculo peccavit, aut corde verborum & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ & privata compunctione terendæ sunt.* Docet 2. occulta crimina sanari satisfactione quæ nec communis nec secreta sit: *Si vero* (ait ibidem) *quisque conscientiam suam interrogans, facinus aliquod capitale commisit, aut si fidem falso testimonio expugnavit ac prodidit, aut sacrum veritatis nomen perjurii temeritate violavit, si veram baptismi tunicam cęno commaculati pudoris infecit, si in semetipso novum hominem nece hominis occidit, si per augures & divinos atque incantatores captivum se diabolo tradidit: Hæc & ejusmodi comissa expiari penitus communi & mediocri, licet secreta satisfactione non possunt: sed graves causæ, graviores & acriores publicas curas requirunt.*

Nec audiendi sunt qui nixi hisce verbis, quæ apud Cæsarium in argumento relatis subjunguntur, *Ut qui cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat*, reponunt S. Præsulem agere de solis peccatis publicis. Non sunt (inquam) audiendi: Nam 1. verba illa non dicuntur solum propter crimen publicum, sed (ut advertit Morinus noster) quia ut plurimum crimina ita non sunt occulta ut nulli prorsus innotescant. Fornicatur aliquis (ait mox laudatus author) conscii sunt servuli, conscia est fornicatrix: dignoscunt hoc vicini, licet

non

non ea cognitione quæ in judicio probari possit. Rem ita se habere seu sic exponi debere ea tum Cæsarii tum nonnulla similia aliorum Patrum loca docemus ex Augustino qui homilia 50. ex quinquaginta sic loquitur, *Plerique boni Christiani propterea tacent, & sufferunt aliorum peccata quæ noverunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, judicibus Ecclesiasticis probare non possunt.* 2. Cæsarius inter peccata quæ narrat sua ætate curata fuisse per Pœnitentiam publicam, recenset homicidium, auguria, incantationes, quæ quidem eo tempore apud Christianos publica esse non poterant: in ea animadversum fuisset legibus politicis, ea per majorem excommunicationem Ecclesia castigasset. 3. Cæsarius peccata quæ subjicit pœnitentiæ publicæ, opponit venialibus quæ per orationem curari solent: Ergo intelligit lethalia sive occulta sive publica sint. 4. Satisfactionis gravitatem Cæsarius non desumit ex eo quod crimen sit occultum aut publicum, sed tantum ab ipsius peccati gravitate aut levitate: *Sed* (inquit) *graves causæ graviores & acriores & publicas curas requirunt.* De solis igitur peccatis lethalibus publicis non loquitur.

Non sunt pariter audiendi qui fatentes cum Morino nostro Cæsarium non intelligi tantum de peccatis publicis, sed etiam de occultis, contendunt cum eodem Marino Cæsarium non loqui de omnibus peccatis lethalibus, sed tantum de quibusdam capitalibus, & maxime enormibus, ut sunt homicidium, incantationes, perjurium, aliaque similia quæ ab eo recensentur. Nam 1. Cæsarius (ut mox observatum est) venialibus peccatis opponit gravia peccata, quæ ex ipso subjici deberent pœnitentiæ publicæ: Ergo loquitur de omnibus mortalibus, cum omnia mortalia venialibus tum ratione sui tum ratione curationis opposita sint. 2. Si Cæsarius de aliquibus tantum mortalibus intellexisset, regulam quam eorum curationi præfigit, tradere debuisset modum quo tunc ex Ecclesiæ consuetudine sanata fuissent: Cur enim modum curandi venialia & quædam immania scelera quæ raro contingunt, recensuisset, plane de aliis læthalibus silens quæ frequentius accidunt? 3. Cæsarius ex temerata baptismatis sanctitate desumit causam infligendi publicam pœnitentiam pro peccatis de quibus loquitur: *Si veram* (inquit) *Baptismi tunicam cœno commaculati pudoris infecit*,

Probatur 3. nostra conclusio authoritate Gennadii. Libro 2. de Dogmatibus Ecclesiasticis capite 53. asserit 1. eum qui peccandi voluntate implicatus accedit ad Eucharistiam, nocere sibi quam maxime: *Habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione quam purificari.* Asserit 2. eum qui liber est a voluntate peccandi & pœnitentiæ laboribus satisfecit Deo quem per peccata etiam venialia læserat, intrepidum & securum posse accedere ad Eucharistiam: *Communicaturus satisfaciat lacbrymis, & orationibus, & confidens de Domini miseratione qui peccata piæ confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam.* Asserit tertio eum qui non venialibus tantum, sed & mortalibus peccatis gravatur, debere, antequam ad Eucharistiam accedat, publica Satisfactione eluere crimina quotum reus est: *Sed hoc* (inquit) *de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant. Nam quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis judicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad judicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.*

In eum locum observare est 1. Gennadium pro eodem sumere capitalia & mortalia peccata idque juxta tritum apud Patres loquendi modum, qui mortalia peccata vocant: Magna peccata, gravia, lethalia, mortifera, damnabilia, quæ uno ictu perimunt, quorum unum damnatio subsequitur, & de quibus ait Paulus, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: *Quamvis servi, & amici Dei* (inquit Augustinus Sermone 82. de Tempore) *capitalia crimina vitaverint, & multa bona opera fecerint, tamen sine minutis peccatis* (hoc est, venialibus) *eos fuisse non credimus.* Confirmatur ejusmodi expositio ex eo quod Gennadius capitalia & mortalia peccata per conjunctionem copulet: *Quem* (inquit) *capitalia, & mortalia peccata non gravant.* Confirmatur iterum ex eo quod immediate: *Illa capitalia, & mortalia peccata*, statim exprimat per unam *mortalium* vocem. *Nam* (ait) *quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt &c.* Ex ea vero observatione patet effugium esse responsum quo Morinus contendit Patres explicari debere de quibusdam tantum atrocioribus criminibus quoties ajunt occulta per Pœnitentiam publicam sanari consuevisse.

Observare est 2. Gennadium velle ut is quem gravant crimina licet occulta, pro iis publice satisfaciat: *Hortor prius publica pœnitentia satisfacere*: ac proinde, dum viveret, obtinebat consuetudo agendi pœnitentiam publicam pro quibusque peccatis mortalibus licet occultis: ad disciplinam quæ tunc non obtineret, Gennadius quemque fidelem hortari non potuisset.

Nec illius observationis vim enervant qui reponunt publicam Pœnitentiam pro quibuslibet peccatis mortalibus occultis meri consilii fuisse non autem Ecclesiastici præcepti. Nam id elicere non possunt 1. ex voce *Hortor*, qua Gennadius utitur: siquidem scriptor possit ac sæpius soleat ad ea hortari quæ stricti sunt juris. Præterea quo in sensu Gennadius verbum *Hortor* sumpserit determinant verba quæ subjungit. *Si vult non ad judicium & condemnationem Eucharistiam percipere*: neque enim ex omissione rei, quæ meri sit consilii, Eucharistia ad judicium & condemnationem percipitur. 2. Quod respondent adversarii colligere non possunt ex hac sententia quam a nobis laudatam subjicit Gennadius: *Sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus*: Secreta enim illa satisfactio ideo æquiparatur publicæ quod fieri supponatur in monasterio cui pœnitens dederit nomen per solemnem votorum emissionem: *Sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & jugi, imo perpetuo luctu, miserante Deo; ita dumtaxat ut contraria pro iis quæ pœnitet agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex, submissus usque ad mortem percipiat.*

Objicies 1. Pœnitentiam publicam semper præcessit confessio publica. Atqui (ut pagina 408. ostensum est) nusquam imperata fuit omnium ac singulorum peccatorum lethalium publica confessio: Ergo nec pro iis omnibus alia injuncta fuit publica pœnitentia.

Resp. 1. neg. maj. Ratio est, quia per confessionem privatim factam sat ministris innotuerat pœnitentis reatus: ac proinde absque confessione publica certo definire poterat quam publicam pœnam in peccati vindictam ei deberet injungere. Resp. 2. Pœnitentes ex Presbyteri Pœnitentiarii mandato nonnumquam alia crimina secreta palam evulgavisse antequam pœnitentia publica castigarentur; Sed nusquam omnia indiscriminatim aut sponte confiteri permissi sunt, aut a ministris coacti, ut superius pagina 409. observatum est.

Objicies 2. Innocentius Papa I. in Epistola ad Exuperium Tolosanum conceptis terminis asserit Ecclesiam in occulta crimina per pœnas aliquas non animadvertere: eo nimirum utitur principio quo probet æquam esse Ecclesiæ disciplinam quæ mulieres adulteras castigat quamvis plerumque viros adulteros impunitos dimittat; *Et illud desideratum est sciri* (inquit cap. IV.) *cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cum e contra uxores in consortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant & non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberius uxores adulteras apud Sacerdotes deferre consueverunt, & ideo mulieribus prodito eorum crimine communio denegatur: virorum autem, latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus abstinetur.* Ineunte igitur quinto sæculo (Scripta scilicet fuit hæc Epistola anno Christi 405.) pœnitentia publica quibuslibet peccatis mortalibus non injungebatur.

Resp. hoc unum ex allato textu concludi, nempe

Eccle-

Ecclesiam non nisi sponte confesso aut convicto in judicio, posse pœnitentiam publicam injungere. Illi responso favent hæc Augustini verba homilia postrema lib. quinquaginta homiliarum: *Nos vero quemquam a communione prohibere non possumus: quamvis hæc prohibitio non sit mortalis, sed medicinalis, nisi sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit & accusator & judex?*

Objicies 3. Si ii omnes qui rei erant peccatorum mortalium, quondam fuissent addicti pœnitentiæ publicæ, templa penitus vacua ac deserta fuissent; paucissimi enim erant qui aliquo mortali crimine implicati non essent.

Resp. 1. locum non habere illud argumentum pro prioribus Ecclesiæ sæculis. Quis enim in animum inducet suum tot peccatis mortalibus inquinatos fuisse fideles cum Respublica Christiana sanctissimis & æquissimis legibus floreret? Quis hoc sibi persuadeat de populo Christiano de quo hæc habet Lactantius institutionum libro v. cap. 9. *Nostro autem populo quid horum potest objici cujus omnis religio est sine scelere, ac sine macula vivere?* Resp. 2. eo ex argumento nihil quoque concludi pro sæculis quæ subsecuta sunt; Siquidem 1. Pauci erant rei qui statim admissum scelus confiterentur: ac proinde plerique, licet in statu peccati mortalis versarentur, sacris mysteriis aderant cum populo fideli. 2. Nonnumquam Episcopi occultos peccatores propter graves causas eximebant a pœnitentia publica. 3. Cum pœnitentia singulis peccatis infligenda, determinate per canones præfixa non esset, Episcopi ad Consistentiam pro mortalibus, sed levibus tamen aliorum respectu, plures dimittebant, injunctis tamen jejuniis, aut aliis hujusmodi operibus quibus Rei occulte persungerentur.

Quæres quamdiu recensita hucusque disciplina perdurarit?

Resp. perdurasse apud Orientales ad Nectarium usque: apud Occidentales vero usque ad sæculum septimum. Rationes quibus ea responsio nititur superius pag. 392. descriptas legere est. Sed advertendum quod licet post sæculum septimum pœnitentes palam pro peccatis occultis non subierint injunctos pœnitentiæ labores; tamen ob crimina licet occulta, interdicti fuerint Eucharistiæ participatione donec occulte præscriptis sibi pœnitentiæ laboribus perfuncti fuissent: argumenta quibus fulcitur illa disciplina suo loco retulimus: Hic ergo satis sit laudare Fulbertum Carnotensem Episcopum qui 11. sæculo floruit: *Si permansissemus* (inquit Serm. 2. ad Populum) *illa in munditia, quæ nobis per baptismum data est, vere felices essemus. Sed non permansimus: cecidimus enim per nostram culpam, non solum in peccata* (hoc est, delicta venialia) *sed etiam in crimina* (id est, peccata mortalia) *propter quæ peccatores ab Ecclesia separantur: qualia sunt homicidia, adulteria, fornicationes, sacrilegia, rapinæ, furta, falsa testimonia, superbia, invidia, avaritia, diutina iracundia, ebrietas assidua,*

§. III.

Utrum Clericorum peccata per publicam pœnitentiam olim castigata fuerint?

CONclusio prima. Tribus prioribus sæculis Clerici majores seu Episcopi, Presbyteri, & Diaconi obnoxii fuerunt Pœnitentiæ publicæ.

Probatur argumentis quæ apud Morinum nostrum legere est libro 4. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 14.

1. Apud Orientales prioribus sæculis obtinuisse morem Clericos majores subjiciendi pœnitentiæ publicæ, ostenditur ex Apostolicis canonibus, qui quidem (ut in hoc opere multoties jam observatum est) disciplinam complectuntur quam tribus prioribus sæculis Orientales observarunt. Illi vero canones cum agunt de pœnitentia publica nusquam inter Clericos & Laicos distinguunt; imo de utrisque loquuntur eadem ratione: *Si quis Episcopus* (verba sunt canonis 30.) *sæcularibus principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur, & omnes qui illi communicant.* Segregatio illa, Laicorum respectu, est fatentibus omnibus, quædam pœnitentia publica: Ergo etiam & Clericorum majorum respectu, ubi post depositionem exprimitur: nam cum simpliciter de Clerico dicitur nulla facta depositionis mentione, de sola depositione, non autem de pœnitentia publica intelligitur, cum diserte prohibitum fuerit canone 25. ne Episcopus & alii Clerici majores gravium alioquin peccatorum rei deponerentur simul & segregarentur, quod nempe Scriptura vetet ne idem crimen simul & semel duplici pœna castigetur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione privetur. Dicit enim Scriptura: Non vindicabit Dominus bis in idipsum.* Colligitur iterum ex Canone 62. pœnitentiam publicam deposito Clerico inflictam fuisse: *Si quis Clericus propter metum humanam, &c. negaverit siquidem nomen Christi, ejiciatur; Si autem nomen Clerici deponatur. Cum autem pœnitentiam egerit, ut Laicus recipiatur.*

2. Ex Concilio Eliberitano manifeste demonstratur eamdem praxim apud Occidentales viguisse: *Si quis Diaconus* (inquit can. 76.) *se permiserit ordinari, &c. sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima pœnitentia post triennium accipere communionem.* Confirmatur ex eo quod idem Concilium depositioni nonnumquam addat verbum, *abstineri*, quod quidem idem est ac segregari: Segregari vero, ut mox dictum est) post depositionem, significat publicam pœnitentiam: *Si quis Clericus* (ait canone 20.) *detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari, & abstineri.*

3. Praxis de qua est hic quæstio demonstratur ex Tertulliano, Libro quem de pœnitentia inscripsit, ad omnes ex æquo homines lugubris & laboriosæ pœnitentiæ onus extendit, nulla omnino facta distinctione Clericos inter & Laicos. Se ipsum, qui Presbyter esset, cunctis ad exemplum proponit. *Eam* (inquit cap. 4.) *tu peccator mei similis, imo me minor: Ego enim præstantiam meam in delictis agnosco, ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem.*

4. Cyprianus variis in locis disciplinam de qua hic disseritur, confirmat. Epist. 68. scribit Basilidem idololatria & blasphemia pollutum *Episcopatum pro conscientiæ suæ vulnere deposuisse, ad agendam Pœnitentiam conversum, Deum deprecari, & satis gratulari, si sibi, vel Laico communicare contingeret.* Profert deinde decretum quod tunc innovatum est de non recipiendis Clericis lapsis ad obeunda suæ dignitatis munera. *Maxime cum jampridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, Sacerdos pacificus ac justus, & Martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit ejusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali honore prohiberi.* Epist. 59. evidenter illam disciplinam confirmat: *Legimus* (inquit) *litteras tuas, frater clarissime, quibus significasti de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Terapius collega noster immaturo tempore, & præpostera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, recessum esse a decreti nostri auctoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu, & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente pax ei concederetur.* Iis verbis patet Presbyteros addictos fuisse pœnitentiæ publicæ antequam reconciliarentur; idque ex vi decreti, quod consentientibus Episcopis latum fuerat.

Quinto. Eumdem morem supponit Optatus libr. 1. de schismate Donatistarum. Refert nempe Cæcilianum, cum, licet inique, traditionis crimine insimularetur, se se pacis ac œconomiæ causa, alteri ordinationi obtulisse. Quo audito, *Purpurius* (inquit Optatus) *solita malitia fretus sic ait. Quassetur illi caput de pœnitentia*, hoc est, Damnetur pœnitentia publica, sicque alteri ordinationi ineptus fiat.

Objicies primo: Leo Magnus tribuit Apostolicæ traditioni morem, qui suo ævo obtinebat, eximendi nimirum

mirum a pœnitentiæ publicæ jugo Clericos majores: *Alienum est a consuetudine Ecclesiastica* (inquit Epist. 99. cap. 2. ad Rusticum Narbonensem) *ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi*. Sed Apostolica traditio quovis sæcolo obtinere debuit: ac proinde Clerici majores nusquam pœnitentiæ publicæ subjici debuerant.

Resp. primo intelligi laudatam ex Leone sententiam de Clericis quamdiu in ordine Clericali remanserint, non autem ubi per depositionem ex eo fuerint dejecti: Antiquitus autem nusquam publicæ pœnitentiæ addicebantur quin prius depositi fuissent, aut quin eodem decreto quo publica pœnitentia damnabantur, ex suo gradu sine spe futuræ restitutionis ad Laicorum sortem dejicerentur.

Resp. secundo ita quidem, ut fert argumentum, authoritate Ecclesiastica sanxisse Apostolos, sed latum ab eis decretum observari non potuit dum persecutiones in Ecclesiam Christianam sævirent.

Objicies secundo. Optatus Episcopus Milevitanus lib. 1. scribit Donatum, ubi primam conflasset schisma, ex Melchiadis Papæ & 18. Episcoporum sententia, damnatum fuisse: *Quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est*. Ergo persuasum fuit Optato, non licuisse, (etiam sævientibus persecutionibus) Clericis manus imponere in publicam pœnitentiam.

Resp. per eam manus impositionem, de qua Optatus, intelligi sacram ordinationem, quam Donatus temere iteraverat, ratus irritam esse quæ accepta fuisset ab Episcopis qui cum Cornelio Romano Pontifice communicarent.

Objicies tertio. Optatus ad calcem libri 2. exprobrat Donatistis quod dum Episcopos subjecerant pœnitentiæ publicæ, id præstitissent quod olim, seu dum persecutiones sævirent, post thurificationem factum non fuerat: *A vobis* (inquit) *occisi sunt in honoribus Sacerdotes. Multis notum est, & probatum persecutionis tempore Episcopos aliquos inertia a confessione nominis Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum qui evaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut ut genua figerent imperavit. Et facitis vos hodie post unitatem, quod a nullo factum est post thurificationem*.

Resp. primo factum particolare quod Optatus Donatistis exprobrat, tunc contigisse cum jam in Ecclesia desiisset mos Clericis majoribus manus imponendi in pœnitentiam publicam. Quod enim eis objicit, contigerat apostata Juliano imperante, a quo Donatistæ insaniæ suæ permissi subjecerant pœnitentiæ jugo Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Laicos omnes, qui sub Constantino Cæsare redierant in Ecclesiæ Catholicæ sinum. Dici potest secundo, Optatum damnare Donatistarum factum, non quidem in se sumptum, sed ratione causæ, nempe quod pœnitentiæ publicæ eos subjecissent, qui ad unitatem redierant: unde meminit non Clericorum tantum, sed & Laicorum quos una cum Clericis Donatistæ publica pœnitentia damnaverant: *Quot fuerunt Matronæ* (inquit) *pueri simul, & virgines a vobis coactæ nullo interveniente peccato, salva innocentia, & pudicitia, vobis docentibus Pœnitentiam gerere didicerunt? Numquid minor est infelicitas? Contritas sexu vexastis ætates*.

Conclusio 2. Sæcolis quæ tria priora subsecuta sunt, Clerici majores non fuerunt obnoxii pœnitentiæ publicæ.

Probatur primo authoritate Syricii Epist. 1. cap. 14. sic loquentis: *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita, & post pœnitudinem ac reconciliationem, nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci: Quia quamvis fiat omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere qui dudum fuerint vasa vitiorum*. Ex iis verbis patet Syricium supponere disciplinam de qua agitur, tamquam principium, ex quo concludit Laicos qui publica pœnitentia propter crimina perfuncti sunt, nusquam evehi debere ad Clericatus honorem.

Secundo. Optatus Milevitanus, ut ex locis superius relatis patet, eidem praxi favet apertissime, cum Donatistas damnet quod Clericos majores publicæ Pœnitentiæ addixissent: *Quod* (inquit lib. 1.) *ab Ecclesia alienum est*.

Tertio. Leo Magnus ad Rusticum Narbonensem scribens conceptis terminis prohibet ne id fiat, asseritque prohibitionem suam oiti Apostolica traditione. *Alienum est a consuetudine Ecclesiastica ut qui in Presbyterali honore aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi*.

Conclusio 3. Minores Clerici quovis sæculo publicæ pœnitentiæ obnoxii fuerunt.

Probatur primo ex eo quod canones quibus vetatur ne Clerici addicantur Pœnitentiæ publicæ, in Diaconis subsistant, ac de cæteris inferioribus plane sileant, ut videre est tum apud Leonem Magnum in Epistola ad Rusticum Narbonensem, tum in Concilio Carthaginensi V. ubi hæc habentur canone xi. *Idem confirmatum est, ut si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus, tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus Laicis, imponatur*.

Probatur secundo authoritate Felicis Papæ III. qui obiit ann. 492. Ubi Epist. 7. Episcopos, Presbyteros, Diaconos qui lapsi fuissent, damnavit depositione, removitque ab omni fidelium oratione ad vitæ usque exitum, ac proinde ab ea manuum impositione quæ supra substratos fieri consueverat, de reliquis Clericis sic loquitur: *De Clericis autem, & Monachis aut puellis Dei, aut sæcularibus præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos qui lapsi sunt, vel fuerint, servandum esse constituit, ut scilicet, qui nulla necessitate, nullius rei timore, aut periculo, se ut rebaptizentur hæreticis impie dediderunt: si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter Audientes sint; Septem autem annis subjaceant inter Pœnitentes manibus Sacerdotum: Duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre, sed tantummodo sæcularibus in oratione socientur*. Uno igitur veluti fasciculo Felix Papa III. Clericos, Diaconis inferiores, Monachos, Laicum quemque, complectitur, damnatque publica pœnitentia.

Probatur tertio testimonio S. Isidori libro 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 16. ubi cum dixisset post unum baptismum Deum pœnitentiæ remedium substituisse, addit: *Honorum dumtaxat dignitate servata, ita ut a Sacerdotibus, & Levitis Deo tantum teste fiat, a cæteris vero adstante coram Deo solemniter Sacerdote*. Ex quo patet Isidorum hoc Clericos majores inter, & minores statuere discrimen, quod isti palam omnibus injuncta sibi pœnitentia perfungerentur, illi vero clanculum eam obirent.

Objicies. Syricius Papa omnes omnino Clericos eximere videtur a Pœnitentiæ publicæ jugo; de omnibus enim intelligi debet hæc illius sententia Epistol. 1. cap. 14. cum illius subjectum sit universale: *Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut pœnitentiam agere* CUIQUAM *non conceditur Clericorum: ita & post pœnitudinem &c.*

Resp. Syricii decretum ad Clericos majores hisce verbis subsequentibus restringi: *Quia* (inquit) *quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere qui dudum fuerint vasa vitiorum*. Ea verba ad Janitores, Exorcistas, Lectores, & Acolythos spectare non possunt, cum apud Occidentales tunc eis, quamvis minime lapsis, licitum non esset sacrata vasa contingere. Non possunt quoque ad Subdiaconos extendi; siquidem Syricius novam disciplinam non sanxerit; oportuit igitur ut de iis tantum Clericis locutus sit, de quibus locuti fuerant canones qui ante & post editum illius decretum apud Occidentales obtinebant.

Quæres primo an nullum esset discrimen inter ritum quo Clerici minores, & viri Laici damnabantur pœnitentia publica?

Resp. hoc fuisse inter utrosque discrimen quod quædam essent crimina propter quæ Laici pœnitentia publica plecterentur, propter quæ tamen Clerici minores mulctarentur sola depositione: nec mirum, cum

depositio Clerici Laicorum Pœnitentiæ æquipararetur; Ubi Clerici majores fornicatione aut perjurio, aut furto convicti sola depositione, non autem segregatione seu publica pœnitentia damnati fuerant canone 25. Apostolico, statim idem de minoribus edicitur canone 26. *Similiter & reliqui Clerici huic conditioni subjaceant*. Verum nonnulla alia erant crimina quæ depositione, & segregatione seu pœnitentia publica non minus quam in Laicis damnabantur: *Subdiaconus* (inquit Canon inter Apostolicos 43.) *aut Lector, aut Cantor similia faciens* (hoc est aleæ, & ebrietati deserviens, ut statutum fuerat canone 42.) *aut desinat aut communione privetur, sicut Laicus*.

Quæres secundo, ubinam Clerici majores lapsi injuncta sibi pœnitentia perfungerentur?

Resp. post septimum sæculum nonnumquam dimissos fuisse ad monasteria, ibique semotos a populi conspectu, injunctos sibi labores subiisse: *Si Episcopus, aut Presbyter, sive Diaconus aut quilibet ex ordine Clericorum, Magos, aut Aruspices, aut Ariolos &c. consulere fuerit deprehensus* (inquit canon 29. quarti Concilii Toletani) *ab honore dignitatis suæ depositus, Monasterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissum sacrilegii luat*. Idem mos in Clericos inferiores obtinuit: Nec mirum cum circa illud tempus ipsi etiam Laici ea pœna damnari cœperint.

Articulus Secundus.

Utrum pœnitentia publica quondam injuncta fuerit pro peccatis publicis, & nunc etiam injungi debeat?

Hujus articuli tres erunt paragraphi. In priore proferentur argumenta, quibus evincitur injunctam olim fuisse, & nunc etiam injungi debere pœnitentiam publicam pro peccatis publicis. In altero solventur adversariorum argumenta. In tertio quæremus quænam publica peccata pœnitentiæ, publicæ subjici debeant.

§. I.

Proferuntur argumenta pro usu Pœnitentiæ publicæ.

Conclusio. Quovis Ecclesiæ sæculo injuncta fuit Pœnitentia publica pro peccatis publicis, & nunc etiam est injungenda, nisi aliter visum fuerit Episcopo.

Probatur primo pro septem prioribus sæculis ex disciplina quæ tunc observari solebat: Imponebantur nimirum publicæ satisfactiones pro peccatis occultis: Ergo a fortiori pro peccatis publicis injungebantur. Græci (ut suo loco dictum est) ab antiquo quidem more publicas pro peccatis occultis pœnitentias imponendi sedente Constantinopoli Nectario discesserunt, sed quovis sæculo publica scelera publicis pœnis castigarunt.

Probatur secundo pro sæculis quæ priora septem usque ad Concilium Tridentinum subsecuta sunt. Canones qui iis temporibus editi sunt, distinxere semper inter publica, & occulta scelera: ista nempe castigarunt privata pœnitentia, illis vero publicam injunxerunt. Eam distinctionem Capitularium libr. 5. cap. 52. legere est; *Si occulte, & sponte confessus fuerit, occulte fiat, & si publice, ac manifeste convictus, aut confessus fuerit, publice, ac manifeste fiat, & publice coram Ecclesia juxta canonicos pœniteat gradus. Post peractam vero secundum canonicam institutionem Pœnitentiam occulte, vel manifeste, canonice reconcilietur, & manus ei cum orationibus, quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur, imponetur*. Eamdem, pœnitentiæ publicæ aut occultæ imponendæ respectu, distinctionem tradunt ii omnes qui undecimo sæculo suas Canonum collectiones promulgarunt, Yvo nimirum, Burchardus, & postea Gratianus. Tanto studio Præsules iis temporibus curarunt ut pro peccatis publicis ageretur publica Pœnitentia, ut qui eam subire detrectarent, excommunicatione mulctarentur: *Si forte quis ad pœnitentiam venire noluerit*, (verba sunt Hincmari Remensis Archiepiscopi in Capitulis quæ observanda tradit Episcopatus sui Presbyteris, quæque referuntur tom. 3. Conciliorum Galliæ) *infra quindecim dies post perpetrationem peccati, & exhortationem Presbyteri, in cujus Parochia actum fuerit, & sedulitatem Decani, & Compresbyterorum suorum, atque instantiam Comministrorum nostrorum, decernatur qualiter qui peccatum perpetravit, & ad pœnitentiam redire contemnit, a cœtu Ecclesiæ, donec ad pœnitentiam redeat, segregetur*. Si vero publici peccatores Ecclesiæ censuras flocci facerent, Episcopi confugiebant ad Principes quo ab ipsis ad publicam pœnitentiam cogerentur: *Quicumque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam: & si contumax fuerit, comprimatur a Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur*. Non in Galliis tantum, sed & in Germania obtinuerat illa consuetudo: *Ut Episcopi* (inquit canone 28. Concilium Moguntinum sub Rabano) *incestuosos penitus investigare studeant, omnino decrevimus. Qui si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur. Quod si Sacerdotum admonitionibus noluerint aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, oportet eos per sæcularis potentiæ disciplinam, a tam prava consuetudine coerceri*.

Probatur tertio nostra conclusio pro tempore quod paucis annis præcessit Concilium Tridentinum. In Concilio Coloniensi quod habitum est anno 1536. hocce de Pœnitentia publica decretum latum est; *In publicis vero criminibus, quemadmodum necesse est, ita jubemus ad canones antiquos publicæ pœnitentiæ regredi. Atque ideo ad Christi, & sui discipuli Pauli institutum, qui ad Corinthios exemplo ostendit quomodo oporteat Ecclesiam in publice peccantem animadvertere, donec ipsi publice peracta pœnitentia satisfecerit*. Eamdem disciplinam præscripsit Synodus Augustensis anno 1548. *Item* (ait cap. 19.) *quicumque omnipotentem Deum, aut sacratissimam Dei genitricem vel alios sanctos palam blasphemant, aut eis maledicunt, vel per eorum nomina vel membra indigne ac impie jurant, & imprecantur, seu maledicunt, ab Ecclesiæ ingressu, & sacra communione excludendi sunt, donec publicam egerint pœnitentiam*.

Probatur quarto pro tempore quo celebratum fuit Concilium Tridentinum; Sacra scilicet Synodus sess. 24. de Reform. cap. 8. sic loquitur: *Apostolus monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam*. Velim hic lector observet primo sacram Synodum decretum suum fulcire tum authoritate tum exemplo Apostoli. Secundo. Nullum in specie determinatur scelus publicum quod ea pœna castigari debeat, quodcumque nimirum fuerit Ecclesiæ scandalo, publicæ pœnitentiæ subjicit: *Quando igitur aliquis ab aliquo publice &c.* Tertio. Quinam sint publici labores quos pro peccato publico impius subire debeat, in particulari quidem non definitur, sed non obscure significat ejusmodi esse debere, qui tum reum hominem, tum plebem innoxiam a peccato deterreat: *Huic* (inquit) *condignam pro modo culpæ pœnitentiam injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam*. Quarto. Eadem sacra Synodus tam arctum esse voluit debitum injungendi pœnitentias publicas pro peccatis publicis, ut Presbyteris inferioribus hac in parte cum populis dispensandi facultatem concedere noluerit. Quinto. Episcopi quidem judicio permisit casus, quibus ab ea lege dispensandum sit cum fidelibus: verum injunxit ut eam dispensationem tunc tantum concederet, cum Ecclesiæ fructui magis expedierit: *Episcopus tamen* (ait) *publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire*.

Pro-

Probatur quinto nostra conclusio pro tempore quod subsecutum est celebrationem Concilii Tridentini.

In Italia S. Carolus praxim disciplinæ de qua agitur, variis in Conciliis Provincialibus injunxit: *Iidem Confessores* (verba sunt prioris Concilii Mediolanensis titul. de pœnit.) *quemadmodum a sancta Tridentina Synodo jussum est, publice peccantibus publicam pœnitentiam imponant: neque illud pœnitentiæ genus, nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia pœna commutare audeant.* Ita S. Præsuli persuasum fuit onus de quo est quæstio, Confessariis incumbere, ut ipsis etiam Regularibus vetuerit ne eo se in audiendis populi fidelis confessionibus liberarent: *Ne relaxent* (inquit Actorum part. 4.) *publicam Pœnitentiam sine Episcopi consensu.*

Praxim illam in Lusitania viguisse ante, & post Tridentinam Synodum fidem facit Concilium Provinciale Braccarense quod Preside D. Bartholomæo a Martyribus anno 1566. celebratum est: hæc enim habet Actione 2. cap. 11. *Præfigi tamen terminus poterit in decreto visitationis ut compareant qui ex inquisitione indigere pœnitentia videbuntur, quo elapso, nisi comparuerint, evitentur deinde, & ab Ecclesiasticis officiis excludantur. Admonet autem S. Synodus Ordinarios ut provideant ne ea quæ occulto remedio videant indigere, cum famæ, & vitæ periculo in Ecclesia jubeant a Parocho publicari.*

In Belgio vigere usum pœnitentiæ publicæ demonstrant verba Concilii Mechliniensis quod anno 1570. habitum est: *Meminerint Episcopi* (inquit, De Sacram. cap. 6.) *ut in notoriis criminibus pro temporum, & personarum qualitate, publicam pœnitentiam in usum revocent.*

Idem usus pro tota Italia, Hispania, Belgio, variisque aliis orbis Christiani regionibus demonstratur ex eo quod iis in locis specialiter promulgatum fuerit Concilium Tridentinum, quod quidem (ut superius dictum est) apertissime præcipit ut pro peccatis publicis publica pœnitentia injungatur.

Quanto studio Ecclesia Gallicana amplexa sit disciplinam, de qua hactenus, ostendi potest ex multiplici capite. Primo. Decretum quod ea de re in Concilio Tridentino legitur, editum est postulantibus Galliarum Episcopis, ipso etiam Rege Carolo IX. cujus Oratores sic publica in sessione, totius Regni nomine Tridentinos Patres allocuti sunt: *Quoniam sæpe ob unius enorme delictum affligitur universus populus, quem de proximi peccatis sollicitum, & anxium esse oportet, restituantur Ecclesiæ Catholicæ non solum antiqua illa propter graves, & publicas offensas Pœnitentia publica, sed etiam ad iram Dei placandam, jejunia, & luctus publici.* Ostendi potest secundo ex iis quæ post Concilium Tridentinum acta sunt in Galliis. In generalibus Cleri Comitiis quæ anno 1579. Meloduni habita sunt, titulo de Pœnit. hæc verba legere est: *Publice peccantibus publicam injungendam esse pœnitentiam, jure a Tridentina præceptum est Synodo.* Hæc quoque titulo 12. de pœnitentia leguntur in Concilio Provinciali Burdigalensi, quod celebratum est anno 1583. *Quando ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo, & exempli pravitate offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, debitam huic, pro culpæ ratione pœnitentiam publice injungi oportet.* Hæc iterum titulo 21. can. 2. leguntur in Byturicensi Provinciali Synodo quæ habita est anno 1584. *Nemo pœnitentiam publicam peccato publico quod Christianorum oculos maxime offendit, injungendam neget... Poterit tamen hoc publicum pœnitentiæ genus pro qualitate locorum, rerum, personarum, & temporum in aliud secretum converti.* Idem plane decernitur in Concilio Rothomagensi anno 1581. Idem in Remensi anno 1583. Idem in Aquensi quod anno 1585. habitum est.

§. II.

Solvuntur argumenta quæ contra usum Pœnitentiæ publicæ proferuntur.

Objicies primo. Usus Pœnitentiæ publicæ videtur sapere singularitatem, repugnat nimirum praxi quam sequuntur plures ex iis qui excipiendis fidelium confessionibus præficiuntur.

Resp. praxim illam non sapere singularitatem quam Concilia tum Oecumenica tum Provincialia præscribunt, quæque in universa Ecclesia ab illius incunabulis ad hæc usque tempora jugiter observata fuit: unde ministri qui usum illum non sequuntur, infractores sunt Ecclesiasticæ legis, quæ, hac etiam ætate, ut ex omnium fere Diœceseon ritualibus patet, totam vim habet suam. Eo usu exulcerantur quidem nonnulli, verum non est cur ob id Sacerdotes ab eo deterreantur: *Nec vero est* (inquiebat proximo elapso sæculo S. Carolus in oratione Synodali alterius Concilii Provincialibus Mediolanensis) *cur a muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis, actionibusque animos eorum exulcerari videamus; qui filii sunt perditionis, vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis deformes, pravique mores contegi solent, voces audiantur. Non ferunt hæc tempora veterum canonum severitatem; sic jamdiu vivimus; sic vixerunt, ita egerunt qui ætate antecesserunt; vitæ institutum nihil est, quod mutemus... At nos hæc atque adeo alia ejusmodi contemnamus, proponamusque nobis ob oculos libertatem illam spiritus, & virtutem, qua armati Patres nostri, Apostoli, qua muniti Martyres, qua instructi nostri ordinis sanctissimi homines, qua affecti alii religiosi viri, Apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quasi tribunitiis, fracti, nec debilitati pro Dei gloria, pro gregis commissi salute, forti constantique animo adhibuerunt illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem.*

Objicies secundo. Cum ex Evangelio, Christi jugum sit suave ac leve, non est cur Sacerdotes durissimum publicæ pœnitentiæ jugum imponant fidelis populi cervici. Par est igitur ut publicis illius peccatis per privatam pœnitentiam indulgenter medeantur. Ita nonnulli recentiores Casuistæ ratiocinantur.

Resp. primo eo argumento, si valeat, probatum iri omnes Præsules qui ab Ecclesiæ incunabulis ad hanc usque ætatem floruerunt, fidelibus jugum imposuisse quo eversa sit Evangelicæ legis indulgentia: nam (ut fuse probatum est) ubique gentium antiquis, & nupertimis etiam temporibus publica pœnitentia pro peccatis publicis ab iis præsulibus injuncta fuit. Secundo. Praxim contrariam quam recentiores Casuistæ laudant, nec æquitate nec charitate nititur. Postulant nimirum æquitatis leges ut qui fidelibus per suum peccatum fuit scandalo, per suam pœnitentiam deinceps sit ædificationi. Præcipit quoque charitas ut futuro pœnitentis casui consulatur: At ei non consulit minister qui utitur indulgentia quam proscribunt canonicæ leges, unde in eum qui sic se gerit merito intorqueri potest præclara hæc Ambrosii sententia, in Psalm. 118. *Plerumque non coercere delinquentes majoris austeritatis est, quam si ulciscaris: traduntur enim in passiones ignominiæ qui cum aliquid inhonestum commiserint, nullum culpæ pretium ferunt.*

Objicies tertio varia incommoda quæ ex publicæ Pœnitentiæ praxi consequuntur. Primo. Nimio pudore peccatorem suffundit. Secundo. Nonnullorum irrisioni exponuntur ii quos publice pœnitet. Tertio. Publice pœnitentes incurrunt infamiæ notam, quæ in illius etiam consanguineos nonnumquam refunditur.

Respondet ad primum his verbis S. Augustinus homil. postrema inter quinquaginta cap. xi. *Quid est infelicius, quid perversius, quam de ipso vulnere, quod latere non potest, non erubescere, & de ligatura illius erubescere.*

Respondeo ad secundum pœnitentem publicum futurum quidem risui hominibus impiis, quorum judi-

cum nihil duci debet, sed viris piis erit honori & commiserationi: *Cæterum* (inquit Tertullianus lib. de Pœnit.) *inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, quid ut* (Peccator) *hos aliud ut quam tu opinaris? Quid consortes casuum tuorum ut plausores fugis? non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere. Condoleat universum & ad remedium conlaboret necesse est.*

Respondent ad tertium pœnitentiam publicam neminem unquam a gerendo magistratu aut aliis reipublicæ muneribus exclusisse. Nec mirum; sunt enim pleraque peccata propter quæ agitur pœnitentia publica, ex quibus nullum honoris humani detrimentum reus apud homines incurrit. Confirmatur ex eo quod plerique Principes; ut in Theodosio Magno, Henrico II. Anglorum Rege videre est, publica pœnitentia perfuncti fuerint, qui tamen tum apud subditos sibi populos, tum apud alios Reges non minus quam antea in honore fuerint.

Objicies quarto. Si publici peccatures ad publicam pœnitentiam cogantur, periculum erit ne abeant in desperationem: ubi nimirum viderint se ad Sacramenta & syuaxes admitti non posse quin pœnitentiam pnblicam subeant, omni vitiorum generi dabunt se in posterum.

Resp. miuistrum non debere a suo officio deterreri propter impœnitentem impiorum animum, præsertim si aliorum quam reorum salus periclitetur, ut revera periclitabitur: ubl enim perspexerint impios impune peccare, ipsi nullo pœnarum metu coerciti, in simila scelus facile prolabeutur. Nec alicujus est momenti, quod ab adversariis reponitur, nempe disciplinam de qua agitur, illis impiis futuram occasioni ruinæ & desperationis: uec enim aut ex intentione Sacerdotis aut ex disciplina quam sequitur, ejusmodi occasio nascitur, sed ex ipsiusmet rei iniquitate: unde crimina quibus deinceps se dabit, nulla ratione in ministrum refundi possunt. Confirmatur ex Augustino qui similem objectionem hisce verbis diluit Epist. 54 ad Macedonianum. *Nec tamen omnis, qui causa alienæ mortis est, reus est. Quid enim si quis stuprum petat, seseque, si non impetraverit, interimat? Quid si filius timens Patris pia verbera præcipitio pereat? Quid si alius homine liberato, vel ne alius liberetur, sibi ipsi mortem inferat? Num propter istas alienarum mortium causas, aut sceleri consentiendam est, aut vindicta peccati, quæ non fit nocendi, sed corrigendi studia, etiam paterna tollenda, aut opera misericordiæ cohibenda sunt? Hæc cum accidunt, debemus eis humanum dolorem, non propter illa, ne accidant, recte factorum reprimere voluntatem.*

Mox datam solutionem non convellunt qui sic argumentantur. Usus Pœnitentiæ publicæ res est, quæ ad meram disciplinam spectat. At res quæ unius est disciplinæ, prætermitti debet, cum nonnullis est offendiculu juxta illud Augustini Epist. 118. ad Januarium: *Quæ utilis non est* (consuetudo) *perturbatione infructuosa consequenter noxia est*. Non convellunt (inquit) quippe quod Augustinus loquatur de consuetudine, quæ nec ad fidem nec ad mores componendos potest aliquid conferre: *Non enim* (inquit) *quidquam eorum contra fidem fit, aut contra mores, hinc vel inde meliores. His enim causis, idest, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat.* Verum inficiari nemo potest quin usus pœnitentiæ publicæ ad emendandos tum ejus qui palam deliquit, tum aliorum mores plurimum conferat: *Ut quos* (ait Concilium Tridentinum) *exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam*. Confirmari potest responsio ex ejusdem Augustini Epistula 119. ad Januarium, ubi sic loquitur: *Una in his saluberrima regula retinenda, ut quæ non sunt contra fidem neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institutum videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur si aliquorum infirmitas non ita impedit ut amplius detrimentum fit. Si enim eo modo impediat, ut majora studiorum lucra speranda sint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maxime illud quod etiam de Scripturis defendi potest* (ut est usus publicæ pœnitentiæ cum Apostolus illius meminerit) *sicut de hymnis & Psalmis canendis.*

Objicies quinto. Graviora sunt Clericorum peccata quam quæ a Laicis admittuntur. Atqui peccata Clericorum etiam publica, non castigantur per pœnitentiam publicam: Ergo nec ea debent castigari quæ a Laicis admittuntur.

Resp. primo tribus prioribus sæculis (ut pag. 444. 445. ostensum est) Clericos majores, seu Episcopos, Presbyteros & Diaconos pro peccatis etiam occultis castigatos fuisse pœnitentia publica.

Resp. secundo, quod ubi evanuit ea prior disciplina, propter quædam scelera etiam in occulto commissa mulctati fuerint perpetua depositione, seu ex suo ordine ad Laicorum sortem dejecti fuerint absque ulla spe restitutionis.

Resp. tertio his etiam temporibus proprer quædam occulta crimina, quale est homicidium damnari suspensione, quæ quidem pœna est publica cum ii qui ea fuerint innodati, sui ordinis officio persungi non possint.

§. III.

Quænam peccata publica subjici debeant Pœnitentiæ publicæ?

PAulus 1. ad Timoth. 5. quemvis peccatorem publicum subjicit pœnitentiæ publicæ: *Peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant*. Concilium Tridentinum indiscriminatim pariter quodcumque peccatum publicum quod cæteris fuerit scandalu mulctat publica pœnitentia; quod vero refert decretum mox laudata Apostoli authoritate confirmat: *Apostolus* (inquit sess. 24. cap. 8. de reform.) *monet publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet.* Disciplina quam eo in capite sancit Tridentina Synodus cohæret cum ea quæ nono sæculo erat in usu: *Discretio* (inquit Concilium Moguntinum quod anno 847. sub Rabano Mauro habitum est) *servanda est inter pœnitentes qui publice & qui absconse pœnitere debent. Nam qui publice peccat, oportet ut publica mulctetur pœnitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo & excommunicetur & reconcilietur.*

Jugum subeundi publicam pœnitentiam pro quibuslibet criminibus publicis, durum videtur hujus sæculi plerisque fidelibus. Leve tamen est veteris disciplinæ respectu quæ omnia omnino crimina, vel occultissima, publicis pœnis (ut superius ostensum est) addicebat. Hæc si quidam hujus ætatis scriptores perpendissent, nusquam fuissent ausi damnare praxim earum Ecclesiarum quæ publicum fornicationis crimen publica pœnitentia castigant. Verum cum plerorumque manibus terantur eorum scriptorum libri, hic nonnullis specialibus argumentis revincendi sunt, ac solvendæ quæ contra moventur objectiones.

Conclusio. Publicum fornicationis crimen merito damnatur pœnitentia publica.

Probatur 1. Patres fornicationis crimen addixerunt publicæ pœnitentiæ: Atqui id potest Ecclesia quod olim Patres factitarunt: Ergo, &c. Major propositio ostenditur primo ex eo quod certum sit eos damnasse publica pœnitentia Mœchiæ crimen. Sed genericum illud Mœchiæ nomen omnes impudicitiæ species complectitur, & fornicationem in primis, ut patet ex his Tertulliani verbis libro de Pudicitia: *Quod* (inquit) *Mœchiam & fornicationem nominamus usus expostulat. Cæterum, & si adulterium, & si stuprum dixero, unum erit contaminatæ carnis elogium. Nec enim interest nuptam alienam, an viduam quis incurset, dum non suam fœminam, sicut nec locis refert, in cubiculis, in turribus pudicitia trucidetur.*

Ostenditur secundo ex eo quod iidem Patres impudi-

dicitiæ nomine quacumque ejus speciem & ipsam etiam fornicationem intellexerint. Sed impudicitiam damnarunt publica penitentia: *Horum ergo trium* (ait Augustinus Epist. 64.) *cubilia, & impudicitiæ, tam magnum crimen putatur, ut nemo dignus, non modo Ecclesiastico Ministerio, sed ipsa etiam Sacramentorum communione videatur qui se isto peccato maculaverit.* Idem confirmat S. Doctor lib. de fide & operibus cap. 9. *Qui autem opinantur* (ait) *& cætera elemosynis facile compensari, tria tamen esse non dubitant excommunicatione punienda, donec pœnitentia humiliore sanentur, Impudicitiam, Idololatriam, Homicidium.*

Ostenditur tertio ex eo quod multi Patres asseruerint fornicationem in specie sumptam curari debere per penitentia publicam: *Qui a se stupratam mulierem detinet* (verba sunt Basilii in Epist. ad Amphilochium canone 25.) *stupri quidem pœnam subibit*; Hoc est decurret (ut statutum est) publicas pœnitentium stationes. Idem edicitur canone 38. *Puellæ quæ præter Patris sententiam fornicatores secutæ sunt, fornicantur. Reconciliatis vero parentibus, videtur res remedium accipere: at non protinus ad communionem restituuntur, sed triennio punientur*, utique in publicis pœnitentium stationibus. Allusit ad eos canones Gregorius Nyssenus cum in Epistola Canonica ad Letoium hæc habet: *Est ergo canon hujusmodi, ut qui fornicatione polluti sunt, in tribus annis ab oratione omnino expellantur &c.* Leo Magnus in Epistola ad Rusticum Narbonensem decernit eos qui a Barbaris ducti fuerant in captivitatem, si fornicati sint, admitti non debere ad comunionem nisi prius publica pœnitentia curati fuerint: *Si autem* (inquit) *fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.*

Ostenditur denique quarto ex libris pœnitentialibus qui ab octavo sæculo ad Concilium usque Tridentinum conscripti sunt: fere enim omnes publicam injungunt pœnitentiam publicis fornicatoribus.

Objicies primo. Scandalum quod ortum est ex publica fornicatione, tollitur omnino si ii qui fornicati sunt, sibi invicem postea nubant, ac proinde, eo saltem in casu, fornicatores publici eximendi sunt a penitentia publica: ita ratiocinantur nonnulli Sacerdotes qui publicos fornicatores ad nihil aliud quam ad ineundum matrimonium cogere consueverunt. Ergo &c.

Resp. antecedens omnino repugnare SS. Patribus: non enim futuri matrimonii habuerunt rationem ut fornicatores ab onere publicæ penitentiæ liberant: Basilius in Epist. Can. ad Amphilochium can. 22. ait penes parentes esse tradere filias iis a quibus raptæ sunt, sed addit eos non debere recipi nisi prius publica pœnitentia perfuncti sint: *Ei autem qui mulierem vel vi vel clam a se vitiatam habet, necesse est fornicationis pœnas imponere.* Idem decernitur canone 25. cujus textum superius descripsimus. Idem pariter edicitur canone 26. *Fornicatio non est matrimonium, sed nec initium matrimonii. Quare si fieri possit, ut qui per fornicationem conjunguntur, separentur; id est melius. Sin autem eis omnino placeat consortium, fornicationis quidem pœnam agnoscant: ne separantur autem, ne quid deterius contingat.* Quid vero Basilius intelligat ais verbis; *Ne separentur autem*, dicetur cum de matrimonio prout Sacramentum est, differemus.

Objicies secundo Concilium Eliberitanum, alioquin rigidissimum, eximit a publica penitentia virgines quæ fornicatæ fuerint, modo stupratores duxerint in matrimonium: hæc enim habet can. 14. *Virgines quæ virginitatem suam non custodierunt, si eosdem qui eas violaverint, duxerint, & tenuerint maritos; eo quod solas n aptias violaverint, post annum, sine penitentia, rec onciliari debebunt.* Ergo ex laudati Concilii disciplina, fornicatores publici non debent subjici publicæ penitentiæ.

Respondent primo nonnulli mendum in canonem irrepsisse: confirmant ex eo quod si canon ut jacet, legatur, vix in eo sensum aliquem reperire erit: cur enim post annum tantum virgines lapsæ reconciliatione donabuntur, si nulla damnentur penitentia? Confirmant iterum ex eo quod (teste Labbeo) in plerisque Editionibus canon sic legatur. *Post Penitentiam unius anni reconcilietur.* Respondent secundo alii post Albaspinæum in suis ad hunc canonem notis quas Conciliorum editionis Philippi Labbei tom. 1. pag. 991. legere est, canonem de quo agitur, eximere quidem a substratione, seu a penis quas in tertia statione penitentes subire debebant, non autem a quavis penitentia publica, illæ siquidem virgines stare debent anno integro in Consistentium gradu abstentæ a participatione corporis Christi. Sed placet ipsummet authorem audire; *Sine pœnitentia.* Non hoc ita accipiendum, quasi velint eas absque Sacramento penitentiæ absolvendas esse, aut statuunt ejusmodi peccatum non esse aliqua pœna coercendum, vel denique eis non esse dolendum de stupro: *Sed pœnitentia hoc loco intelliguntur penæ & ærumnæ, quæ in gradibus pœnitentiæ palam & publice caperentur, quæ cum pudorum aliquem sugillarent, non erant ejusmodi virginibus infligendæ. Quid autem sit: Post annum sine penitentia reconciliari: quodve genus peccatum ex hoc canone & ex vigesimo primo colligitur? levia quædam crimina hac pena mulctabantur, quæ in eo versaretur, ut ab Eucharistia arcerentur, neque oblationes offerre aut eis participare permitterentur: mihique persuasum est eos qui levi illa animadversione castigabantur, non aliter orasse aut stetisse in Ecclesia, neque aliter habitos quam subsistentes, & omnibus rebus divinis & humanis participasse cum cæteris fidelibus, præterquam Eucharistiæ. Cæterum verbum illud, Reconciliari, referri & revocari prorsus debet ad illam maximam reconciliationem qua absolvebantur & jure societatis Christianæ donabantur. Nam cum essent orationis participes, absoluti a peccatis censebantur, & minima illa reconciliatione non indigebant.* Hactenus Canonista Doctissimus; cujus quidem expositio confirmari potest ex canone XIII. quo virgines Deo sacræ quæ libidini servierint, Prostratione damnantur, quod nempe datam Deo fidem violaverint, istæ vero de quibus agit canon 14. solas nuptias, *Eo quod* (inquit) *sola nuptias violaverint.*

Objicies quarto. Ex Concilio Tridentino, ea tantum crimina castigari debent pœnitentia, publica, ex quibus fideles, *scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum.* Atqui ex fornicatione simplici fideles scandalo nec offendi, nec commoveri solent, cum crimen illud passim a plerisque fidelibus admittatur. Ergo &c.

Resp. crimina quæ passim admittuntur, fidelibus majori esse scandalo quam quæ raro contingunt: unde severius in illa quam in ista animadvertere oportet: nec enim quæ comunia sunt, communibus & lenibus remediis curari possunt. Confirmatur ex eo quod si gravibus pœnis in communia crimina non animadverteretur, periculum esset ne tandem aliquando carnalibus hominibus aut licita aut minus enormia viderentur: unde Augustinus Epist. 64. merito hæc scribit: *Cum enim Apostolus tria breviter genera vitiorum detestanda & vitanda uno in loco posuerit, de quibus innumerabilium peccatorum exurgit seges, unum horum* (Cubilia & impudicitiæ) *quod secundo loco posuit, acerrime in Ecclesia vindicatur; duo autem reliqua; idest primum* (commessationes & ebrietates) *& ultimum* (Contentiones & æmulationes) *tolerabilia videntur hominibus; atque ita paulatim fieri potest, at nec vitia jam putentur.* Confirmatur iterum ex Epistola 64. quam mox laudatus Augustinus dedit ad Aurelium Episcopum Carthaginensem: Ipsum scilicet hortatur ut laboret strenue quo penitus eradicet pravam consuetudinem ad tumulos Martyrum bibendi ac comedendi supra mudum, quæ apud Africanos inoleverat, aitque eo diligentiori manu opus esse quo pravus ille usus antiquiores ac altiores radices egerit.

Objicies quinto. Si publicis fornicariis injungi deberet pœnitentia publica, hoc absurdum sequeretur, nempe privatim donatos absolutione Sacramentali, excludi debere a reliquorum Sacramentorum participatione donec perfuncti fuissent pœnitentia publica. Confirmatur ex eo quod nonnullis ab hinc sæculis

mos invaluerit impendendi Sacramentalem obſolutionem antequam pœnitens injunctam ſibi ſatisfactionem exequi cœperit.

Reſp. id quod objicitur, revera non eſſe abſurdum, Nam primo (ut ſuo loco dicemus) pœnitentes, quamdiu vigebant publicæ pœnitentiæ ſtationes, abſolutione Sacramentali donabantur in exitu Proſtrationis: & tamen nonnumquam pluribus annis ſtabant in gradu Conſiſtentiæ quæ publica erat pœnitentia. Secundo. Eccleſia quæ de externis tantum judicat, non inquirit an publici peccatores donati fuerint abſolutione Sacramentali: ejuſmodi enim cura ad forum internum pertinet, ſed hoc unum illi incumbit, an qui fuerint cæteris ſcandalo, illud per publicam ſatisfactionem reſarcierint.

Objicies ſexto. Qui publice fornicati ſunt, vel ante, vel poſt acceptam benedictionem nuptialem, ſubire deberent pœnitentiam publicam: Atqui neutrum poteſt admitti: quippe quod certum ſit ex canonibus fornicarios non eſſe ſeparandos a mulieribus quas corruperint: *Sin autem* (inquit Baſilius in Epiſt. canonica ad Amphilochium can. 26.) *eis omnino placet conſortium. fornicationis quidem pœnam agnoſcant, ne ſeparentur autem, ne quid deterius accidat*. Non debent quoque publicam pœnitentiam ſubire poſt acceptam benedictionem, cum (ut multi contendunt) per matrimonium fornicarii cum corrupta ſcandalum abunde reſarcitum videatur.

Reſp. publicis fornicarii Sacerdotes impertiri non debere beneditionem nuptialem, ſeu admittere ad celebrationem matrimonii quin injuncta ſibi publica pœnitentia perſuncti fuerint. Ea reſponſio nititur primo auctoritate Concilii Meldenſis quod habitum eſt anno 845. *Hi autem* (inquit canone 65.) *qui necdum eas quas rapuerant, cum voluntate parentum, ſub præfato deſponſationis vel dotalitii nomine, in conjugium ſumptas habent, quando in omnium aures hæc fuerit conſtitutio promulgata, ab earum conjunctione ſeparentur, & publicæ pœnitentiæ ſubigantur... Poſt peractam vero publicam pœnitentiam, ſi ætas & incontinentia exegerit, legitimo & ex utriſque partibus placito conjugio ſocientur*. Nititur ſecundo teſtimonio Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, qui in Epiſtola quam nomine Concilii Touſiacenſis ſcripſit de Stephano quodam nobili qui nupſerat cum muliere cui per coitum cum ſorore factus fuerat affinis, ſic loquitur: *Poſt ſatisfactionem, ſi ſe continere non poterit, juxta ſententiam Leonis Papæ ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem, & ſecundum decreta Concilii Toletani, copulam uxoris legitimæ expetat, ne iterum fornicationis crimen incurrat*. Et poſtea ſic proſequitur, *Ubi peccatum manet, ante congruam ſatisfationem benedictio* (nuptialis) *locum non habet*. Sic etiam antiquam pœnitentiale Romanum, *Si quis virgo virgini conjunctus fuerit, ſi voluerint parentes, ſit eius uxor, tamen unum annum pœniteat, & ſint conjungales*.

Nec contrariam praxim probat laudatus canon Baſilii, ſi quidem ſupponit per mutuum conſenſum fornicarios illos jam eſſe matrimonialiter junctos, non tamen ſupponit inter eos verum eſſe legis novæ Sacramentum; diſtinxit nimirum S. Pater contractum civilem a Sacramento; idque patet ex Balſamone, qui ſic illum Baſilii canonem exponit, *Hæc autem* (*ut mihi videtur*) *locum habebant, quando ſolo conſenſu conſiſtebat matrimonium; hodie autem, quoniam ſit cum ſacra benedictione, Etiamſi parentes conſentiant, non ſiet matrimonium cum ſacra benedictione, niſi tres pœnitentiæ anni impleti fuerint, vel ab Epiſcopo pro ſuo arbitratu ad tempus brevius redacti ſint*.

Quæres primo. Cur Concilium Tridentinum ſoli Epiſcopo facultatem fecerint commutandi in ſecretam, pœnitentiam publicam, quæ debet imponi peccatoribus publicis?

Reſp Ob gravitatem cauſæ, quam ſolis ſummis Sacerdotibus judicavit eſſe committendam; periculum enim erat, ne ſolita nimia benignitate indulgentius, quam par ſit, inferioris ordinis Sacerdotes cum pœnitentibus agerent.

Verum monendus eſt lector eam commutationem pro arbitrio facere non poſſe Epiſcopos; diſciplina enim publicæ pœnitentiæ canon eſt Eccleſiaſticus, circa quem diſpenſare non poſſunt niſi, id lapſorum ſaluti, & Eccleſiæ bono magis expedire judicaverint.

Quæres ſecundo an inconſulto Epiſcopo Presbyteri inferiores publicam pœnitentiam imponere valeant.


Reſp. primo Concilium Tridentinum nihil hac de re definiſſe, ſecundo id abſolute loquendo poſſe Preſbyteros in locis, in quibus impoſitionem publicæ pœnitentiæ Epiſcopus ſibi non reſervavit. Tertio. Non expedire tamen ut iis etiam in locis inferiores Sacerdotes ſuo jure utantur: cum enim impoſitio publicæ pœnitentiæ res ſit magni momenti, par eſt ut Epiſcopus aut Vicarius ejus generalis conſulantur.

Quæres tertio. Utrum impoſitio pœnitentiæ publicæ pertineat ad forum internum, an vero ad externum regimen Eccleſiæ.

Reſpondet Navarrus ipſam pertinere ad externum tantum: Sed immerito primo Concilium Tridentinum jubet Sacerdotibus omnibus, qui Confeſſiones excipiunt, ut publicas illas ſatisfactiones publicis peccatoribus injungant: Ergo illa impoſitio non pertinet ad forum externum, in quo plerumque Confeſſarii nulla juriſdictione fruuntur. Secundo. Idem Concilium loquitur indiſcriminatim de omnibus peccatis publicis: At judex Eccleſiaſticus in foro exteriori non poteſt pro omnibus peccatis publicis, ſed tantum pro quibuſdam, pœnas publicas injungere.

Quæres quarto. Utrum ſoli Epiſcopi aut eorum Officiales non autem Magiſtratus Laici, ſint judices circa cauſas, quæ ad pœnitentiam publicam pertinent.

Reſp. id juris convenire tantum Epiſcopis, non autem Magiſtratibus ſæcularibus. Nam primo illæ cauſæ pertinent ad regimen Eccleſiæ, quod Epiſcopis Spiritus ſanctus commiſit. Secundo. Pœnitentia publica eſt pars Sacramenti, cum miniſter Sacramenti eam in tribunali injungere teneatur.



QÆESTIO SEPTIMA.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu de Abſolutione.

ABſolutionis nomen deſumptum eſt ex his Chriſti verbis ad Apoſtolos, & ad Epiſcopos eorum primarios ſucceſſores, nec non & ad inferioris ordinis Presbyteros: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram*, & rurſum, *quorum remiſeritis peccata &c.*

Abſolutionem eſſe formam Sacramenti Pœnitentiæ de fide eſt; definitum quippe fuit, tum in decreto Florentino, tum in Concilio Tridentino. Nec immerito: efficit enim id quod ſignificat, nempe remiſſionem peccatorum. Nonnumquam illa eadem forma vocata fuit a Patribus impoſitio manuum, vel quod extenſis manibus ſupra pœnitentes eam proferret miniſter, vel quod antiquitus deprecative proferretur, id eſt, per modum orationis, idque juxta illud Auguſtini libro 3. contra Donatiſtas cap. 16. *Quid eſt aliud manus impoſitio, niſi oratio ſuper hominem?* Vel denique quod oratio quædam per illam impoſitionem manuum deſignata præmitteretur a Sacerdote ſicut & nunc premittitur ad impetrandum pro pœnitente effectum Sacramenti.

Caput Primum.

De materia Abſolutionis.

CLaritatis cauſa duplicem hic materiam diſtinguemus, *Ex qua* nimirum, & *Circa quam*. Prior idem eſt cum terminis ex quibus Abſolutio conſtat; Poſterior eſt objectum circa quod verſatur.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

De materia ex qua Absolutio constat.

HIC (ut mox dictum est) nomine materiæ, *Ex qua*, intelliguntur termini ex quibus componitur absolutio. Quinam autem sint illi termini definiit Tridentina Synodus sess. 14. cap. 3. ubi hæc leguntur, *Docet Sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipsius sita est, in illis Ministri verbis situm esse*, EGO TE ABSOLVO *&c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces, quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ*. Circa eos terminos quæri potest primo. Utrum ista verba *a peccatis*, quæ Ritualia præscribunt, sint necessaria. Secundo. Utrum hoc pronomen *Te*. Tertio. Utrum invocatio distincta trium personarum SS. Trinitatis.

Conclusio verba illa, *A peccatis tuis*; Invocatio distincta personarum SS. Trinitatis, quæ incipit *in nomine Patris &c.* sunt necessaria necessitare præcepti, non autem necessitate Sacramenti.

Probatur prima pars ex eo, quod (ut ait Concilium Tridentinum agens de Sacramentis in genere) teneatur unusquique in Sacramentorum administratione servare ritus ab Ecclesia præscrips: Ergo in Ecclesia Latina, quæ injungit prolationem verborum, de quibus est quæstio, ministri sub pœna peccati ea omnia proferre tenentur. Idem dicendum est de precibus, quæ verba absolutionis præcedunt, & subsequuntur, quæque præscribuntur in Ritualibus: omitti enim licite non possunt illæ preces nisi urgente necessitate, vel iis diebus quibus multa fidelium cupia ad Sacerdotem accesserit.

Probatur altera pars. Primo hæc verba, *A peccatis tuis*, implicite in hoc alio, *Absolvo* continentur: Nec refert, quod idem verbum, *Absolvo*, referri possit ad excommunicationem, aut alias censuras: Ex usu enim Ecclesiæ cum profertur post confessionem peccatorum, significar absolutionem a peccatis. Secundo. Totus Sacramenti effectus sufficienter exprimitur his terminis, *Absolvo te*: Ergo nulli alii sunt necessarii ut Sacramentum valeat: Idem tamen dicendum non est de pronomine, *Te*, tum quia expressio subjecti, quod recipit Sacramentum, debet necessario designari in forma, ut ostendunt Theologi agentes de baptismate tum etiam quia ipsum inter essentialia numerasse videtur Sacra Tridentina Synodus, ut patet ex laudato superius loco. Tertio. Invocatio expressa SS. Trinitatis non fuit in usu per 12. priora sæcula in Ecclesia Latina, nec est modo in Græca. Præterea non est necesse ut in omnibus Sacramentis principalis causa effectus Sacramentalis exprimatur.

Objicies in secundam partem conclusionis primo paritatem desumptam ex baptismate, cujus formæ est essentialis invocatio distincta personarum sanctissimæ Trinitatis. Secundo. Authoritatem Concilii Tridentini, quod ubi dixit, hæc verba, *Ego te absolvo*, continere formam essentialem Sacramenti, addidit hanc conjunctionem *&c.* significans nimirum alia seu invocationem Trinitatis ad eamdem formam pertinere. Ergo &c.

Resp. ad primum ideo Christum voluisse ut in baptismate expressa & distincta invocatio Trinitatis esset necessaria, quod ex Patribus, baptismus sit Sacramentum fidei, seu sit Sacramentum, quod ut quis recipiat, debet ante profiteri fidem: fides autem ad confessionem Trinitatis præcipue reducitur, ut patet ex Symbolo Apostolico. Resp. ad secundum, primo. Nimis probare argumentum: si enim valeret, sequeretur hæc verba, *A peccatis tuis*, esse etiam de essentia formæ, cum tam implicite contineantur sub hac conjunctione, *&c.* quam invocatio Sanctissimæ Trinitatis. Secundo Dico ideo Concilium Tridentinum addidisse illud *& cætera*, ut indicaret sese hujusmodi quæstiunculis definire nolle, sed (ut ait Estius) doctis disputandas relinquere.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia circa quam, seu de objecto Absolutionis.

PEccata omnia post baptismum commissa esse materiam *circa quam* versatur absoluti, nemini Catholico potest esse dubium; ea enim omnia prorsus tollit & delet ut superius contra Montanistas & Novatianos ostensum est: sed quæri potest utrum reis quorundam scelerum, licet pœnitentibus, etiam in exitu vitæ, Ecclesia quondam absolutionem negaverit: Difficultas sic exposita intelligi potest vel de criminibus quæ quis post Baptismum admisisset, vel de iis, quæ perpetrata fuissent post actam de eis pœnitentiam & receptam semel absolutionem Sacramentalem.

§. I.

Utrum nonnulli post baptismum sceleribus Ecclesia quondam absolutionem Sacramentalem negaverit.

COnclusio 1. Priore Ecclesiæ sæculo, imo jam adulto secundo, Ecclesia Catholica nulli sceleri post baptismum commisso veniam denegavit.

Probatur primo authoritate Apostoli, qui 2. ad Corinth. 2. pacem dedit fideli, qui post baptisma in incestum lapsus fuerat: *Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus: ita ut e contrario magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.*

Probatur secundo ex constitutionibus, quæ adscribuntur Clementi Papæ I. Capite 12. universim, seu, nullo excepto crimine, Episcopis præcipitur ut ad divinorum participationem eos admitant, qui vere fuerint pœnitentes: *Judica igitur Episcope potestate fretus, tamquam Deus: sed pœnitentes recipe: Deus enim misericordia est*. Si tunc obtinuisset consuetudo veniam denegandi, quibusdam immanissimis sceleribus, ea scelera Clemens excepisset laudato capite. Iis quæ cap. 12. continentur addi potest, quod de Idololatria habetur cap. 23. *Nullam majus peccatum, quam idolorum cultus: est enim impietas in Deum: tamen per veram pœnitentiam remissum est*: Si vero dum scriberet Clemens Papa I. idololatriæ rei, peracta pœnitentia, donarentur absolutione, cæteris omnibus sceleribus ignusci debuit, cum (ut ipse Clemens ait) nullum sit crimen idololatria majus.

Probatur tertio ex testimonio Clemetis Alexandrini, qui apud Eusebium, Historiæ lib. 7. describit reconciliationem, ad quam Evangelista Joannes admisit adolescentem, qui mox a baptismate latrociniis, cædibus totum se dederat. Cum de eo facto plura superius a nubis dicta sint, hic satis sint hæc mox laudati Clementis Alexandrini verba: *Crebris item precibus Deum pro illo invocat* (Joannes) *continuisque jejuniis una cum eo se macerat, variis divinæ sapientiæ scatentis ejus animum, quasi quibusdam lenociniis mitigat tranquillatque: atque prius (ut fertur) inde discessit, quam illum Ecclesiæ restituisset.*

Probatur quarto ex canonibus, quos Apostolicos vocant, quorum præcipua pars variis in Orientalium Conciliis altero & tertiæ Ecclesiæ sæculo conditi sunt. Iis autem canonibus decernitur ut Apostatis, Homicidis, Mœchis, ac proinde reis aliorum criminum, quæ haud dubie minora sunt, pœnitentia functis absolutio conferatur: *Si quis Clericus* (verba sunt, canonis 62.) *humano timore Judæi, vel Gentilis, vel Hæretici negaverit; siquidem Christi nomen, ejiciatur: Si vere Clerici nomen deponatur: Pœnitentiam autem agens, ut Laicus recipiatur*. Canone 24. Ecclesiastica, seu, Clericalis communio negatur quidem Clericis majoribus, qui fornicationis, vel perjurii, vel furti rei fuerint, sed indulgetur eis Laica communio in eo posita, quod omnibus fidelium Laicorum juribus fruerentur: ac proinde, peracta pœnitentia, absolutione Sacramentali donentur: *Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus, deponatur & non segregetur.*

Pro-

Probatur quinto teſtimonio S. Irænei Epiſcopi Lugdunenſis, qui lib. 1. de hæreſibus deſcribit converſionem quarundam mulierum, quas Marcus hæreſiarcha & mente & corpore corruperet, aſſeritque admiſſas fuiſſe in Eccleſiæ ſinum exomologeſi facta: ſed nuſquam ait admiſſum ſcelus ipſis per Eccleſiæ claves dimiſſum non fuiſſe: Mos igitur tunc erat in Eccleſia, quibuſcumque peccatis veniam indulgere.

Concluſio 2. Paulo poſt medium alterum ſæculum, Eccleſia ſaltem aliquibus in locis, Idololatriæ, Homicidii & Mœchiæ reis, etiam in exitu vitæ poſitis negavit abſolutionem Sacramentalem. Ita plures ſcriptores, quibus adhæſit Petavius in notis ad Epiphanium de hæreſibus.

Probatur primo ex Tertulliano, qui lib. de Pudicitia cap. 5. hiſce verbis refert decretum, quo Papa Zephirinus edixerat adulteros perfunctos legitima pœnitentia abſolvi debere: *Pontifex Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dixit: Ego & Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Mox ſic diſcurrit adverſus idem decretum, *Quid agis molliſſima & humaniſſima diſciplina? Aut omnibus eis hoc eſſe debebis, beati enim pacifici. Aut ſi non omnibus, noſtra eſſe. Idololatram quidem, & homicidam ſemel damnas, mœchum vero de medio excipis? Idololatræ ſucceſſorem, homicidæ anteceſſorem, utriuſque collegam, Perſonæ acceptatio eſt, miſerabiliores pœnitentias reliquiſti. Plane ſi oſtendas de quibus patrociniis exemplorum, præceptorum cœleſtium, ſoli Mœchiæ & in ea fornicationi quoque januam pœnitentiæ expandas.* Ejuſdem libri cap. 9. hæc ſcribit, quæ maxime perſpicua ſunt: *Hinc eſt quod neque Idololatriæ, neque ſanguini pax ab Eccleſiis redditur.* Ex iis locis patet Tertulliano perſuaſum fuiſſe Zephirinum Papam Mœchis abſolutionem impertitum fuiſſe, quamvis eam Idololatris & Homicidis pœnitentia functis negaret.

Reſpondent nonnulli Tertullianum librum de pudicitia ſcripſiſſe poſtquam Montaniſmo dediſſet nomen: ac proinde nullius eſſe momenti argumentum, quod ex illo opere contra Catholicos deſumitur. Solutionem illam ex eo confirmat Morinus noſter, quod certum ſit hæreticos levicula data occaſione doctrinæ portenta Catholicis imponere ſolitos fuiſſe: Exempli cauſa, Catholici docent pium eſſe cultum, qui Sanctis cum Chriſto regnantibus exhibetur: Inde autem Calviniſtæ deſumunt argumentum ut Catholicos, quaſi Idololatras traducant. Docent iidem Catholicis operibus, quæ ex gratia ab hominibus juſtis facta fuerint, deberi vitam æternam tamquam ſtricti nominis mercedem: ex eo vero principio hæretici recentiores adverſus Catholicos diſputant, quaſi Chriſti merita paſſioniſque virtutem funditus everterent.

Verum levis eſt ponderis ea reſponſio. Nam primo nullus ex Patribus, qui Montaniſtas & Novatianos impugnarunt, Tertulianum arguiſſe legitur, quod in ea facti quæſtione Zephirino imponeret. Non eſt veriſimile virum optimi ingenii (ut erat Tertulianus) deſumpturum fuiſſe argumento ex facto cujus falſitas omnibus, vel imperitioribus, eo tempore perſpecta fuiſſet. Tertio. Ex eo, quod Tertulianus in libro, quem de jejunio conſcripſit, Catholicos arguat, quod unum tantum ſervarent jejunium, Quadrageſimale ſcilicet, rejicerent vero, quæ Montanus inſtituerat, Catholici petunt argumentum, quo contra Lutheranos jejunii Quadrageſimalis antiquitatem confirment: Ergo etiam ex illius teſtimonio concludi poteſt Zephirinum, tunc diſplinæ cauſa, pacem negaſſe Idololatris & Homicidis. Quarto. Quæ Morinus affert exempla videntur ad rem non eſſe: Neque enim aliquis Luteranus, aut Calviniſta ſcripſit convenire Catholicos ſanctorum cultum quamdam eſſe idololatriæ ſpeciem: per merita hominis juſti redigi ad nihilum merita Chriſti: unde quæ iis in capitibus Lutherani Catholicis imponunt, conſequentiæ ſunt quas, fatentibus iiſdem Lutheranis, pernegant Catholici omnes: E contra Tertulianus ſcripſit compertum fuiſſe Catholicis negari debere pacem Idololatris & Homicidis, factumque illud non argumentando probavit, ſed ſupponendo tamquam principium, de quo Zephirinus ipſe conveniret.

Sed inquit mox laudatus Morinus, ex ipſo Tertulliano, facti de quo agitur falſitas inviĉtiſſime demonſtratur. Primo initio libri de Pudicitia ait ſe priorem mutaſſe ſententiam: *Eſt igitur* (inquit) *& hic adverſus Pſychicos titulus, adverſus meæ, quoque ſententiæ retro penes illos ſocietatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent.* Cum igitur Tertulianus librum de pœnitentia ſcriberet, alterius erat ſententiæ, quam cum exaravit librum de Pudicitia: Id autem quod validius urgere in libro de Pudicitia, eſt diſtinctio peccatorum in remiſſibilia & irremiſſibilia: omnia igitur remiſſibilia credidit antequam Montaniſtis daret nomen; ac proinde eadem erat omnium Catolicorum fides.

Non enervant hæc argumentum ex Tertuliano deſumptum: Siquidem in eo levitatis argui debet Tertullianus, quod Catholicum dogma de Eccleſiæ poteſtate ad dimittenda quæcumque peccata impugnarit Montaniſta factus: Ab illo vero dogmate numquam Zephirinus receſſit: aliud enim eſt Idololatris, & Homicidis, diſciplinæ & œconomiæ cauſa, pacem negare, & aliud docere Chriſtum cum Eccleſiæ tradidit claves, ipſi non feciſſe facultatem omnia dimittendi ubi & quando id expedire judicaret.

Probatur ſecundo concluſio ex Concilio Eliberitano, quod Cypriani tempus & perſecutionem Decianam multis annis præceſſit. Canone 1. de Idololatris hæc ſtatuuntur: *Placuit ut quicumque poſt fidem baptiſmi ſalutaris adulta ætate ad templum idoli idololatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen capitale, nec in fine eum ad communionem ſuſcipere.* Canone 2. idem de flaminibus ſtatuitur, ſeu (ut explicat Albaſpinæus) de iis Chriſtianis, qui Sacerdotio gentilium fungebantur: quamvis enim baptizatis nec obire ea munia, nec gentilium honores ambire liceret; nonnullos tamen reperire erat, qui aut ambitione ducti, aut terroribus coactis ejuſmodi Sacerdotia ſuſciperent: *Flamines, qui poſt fidem lavacri & regnerationis ſacrificaverunt, eo quod geminaverunt ſecundum, accedente homicidio, vel triplicaverunt facinus cohærente Mœchia, placuit eos nec in fine accipere communem.* In ludis Floralibus, quibus flaminos in municipiis præerant, triplex illud ſcelus ſimul admittebatur: in iis enim multa turpia & obſcœna viſebantur, & gladiatores manus conſerebant; ac proinde flamines triplicis illius flagitii rei fiebant. Canone 73. hæc habentur de iis, qui per delationem extiterunt alienæ mortis cauſa: *Delator ſi quis extiterit fidelis & per delationem ejus aliquis fuerit proſcriptus, vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem* Canone 12. de Lenonibus hæc habentur: *Mater vel parentes, vel quælibet fidelis, ſi Lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius ſuum, placuit eam nec in fine accipere communionem.* Canone 71. puerorum Stupratores ſic caſtigantur: *Stupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem.* Eadem pœna in inceſtus animadvertitur canone 66. *Si quis privignam ſuam duxerit uxorem, eo quod ſit inceſtus, placuit nec in fine dandam eſſe ei communionem.* Quod ad Mœchiam ſpectat, præſcribunt quidem Eliberitani Patres ut pœnitentia functis dimittatur per Eccleſiæ claves, ſed ſemel tantum: *Si poſt pœnitentiam* (inquit canona 3.) *fuerint mœchati, placuit ulterius his non eſſe dandum communionem, ne luſiſſe de Dominica communione videatur.* Idem canone 7. de ſimplici fornicatione decernitur: *Si quis forte fidelis poſt lapſum Mœchiæ, poſt tempora conſtituta, accepta pœnitentia denuo fuerit fornicatus, placuit nec in fine eum habere communionem.* Canone 64. Mœchis, qui in extrema tantum vitæ periodo abſolutionem petebant, negant hujuſmodi beneficium: *Si qua uſque in finem mortis ſuæ cum alieno viro fuerit mœchata, placuit nec in fine dandam eſſe communionem: Si vero eum reliquerit poſt decem annos accipiat communionem acta legitima Pœnitentia.*

Ex iis vero canonibus ſic conficitur argumentum. Primo. Eliberitani Patres ſtatuunt negari debere communionem Idololatris, Homicidis, quibuſdam Luxuriæ peccatis Mœchia ſeu adulterio & fornicatione gravioribus, imo ipſis etiam adulterio & fornicationi ſi poſt actam ſemel pœnitentiam iterat fuerint. Atqui

commu-

communionis nomine intelligitur Absolutio Sacramentalis: Ergo Eliberitani Patres, disciplinæ causa, contenderunt plerosque reos, etiam pœnitentia functos, absolutionis beneficio frustrari debere. Secundo. Ideo Patres Eliberitani pacem dederunt iis qui ante actam pœnitentiam in Mœchiam incidissent, quod Zephirinus Papa sic aliquibus ante annis edixisset: Ideo e contra puerorum Stupratoribus, Incestus reis, Lenonibus, eamdem pacem negarunt quod Zephirini decretum ad litteram intellexerint tantum de Mœchia stricte sumpta, non autem de Luxuriæ peccatis quæ adulterio aut fornicatione graviora essent: Ideo pariter ea frustrarunt Idololatras, & Homicidas quod laudatum Zephirini de remittenda Mœchia decretum de iis omnino siluisset: ac proinde Patribus illis persuasum fuit, etiam ex mente Zephirini Papæ, nonnullorum scelerum reis, licet pœnitentia functis, absolutionem negari debere, etiamsi urgeret vitæ exitus.

Respondent nonnulli Communioni nomine Concilium Eliberitanum non intellexisse absolutionem Sacramentalem, sed vel Eucharistiæ, vel precum communionem, qua Pœnitentes qui stabant in Consistentiæ gradu fruebantur. Confirmatur ex eo quod ipsa Eliberitana Synodus sæpius Communionis nomen usurpet, ut designet Eucharistiam: *Prohibendum etiam* (inquit canone 37. de Energumenis agens) *ne lucernas hi publice accendant. Si facere contra interdictum voluerint, abstineant a communione.* Eo canone Communio non sumitur pro absolutione, hæc enim verba imperativa, *Abstineant a Communione*, idonea non sunt ad significandam exclusionem ab absolutionis beneficio. Non sumitur quoque pro exclusione a precibus: neque enim rei levitas, & Energumenorum status patiuntur, ut dimissio ad Prostrationem intelligatur: ille igitur terminus *Communio*, Eucharisticam communionem significat: Quidni ergo eam significabit iis canonibus, quibus Idololatræ, & Homicidæ castigantur.

Verum facile confutatur ejusmodi responsio. Primo. Antiqui canones nullibi exprimunt communionem Eucharisticam per hanc vocem, *Communio*, simpliciter prolatam; nisi id postulet subjecta materies, ut videre est in canone 37. Quotiescumque enim pro Eucharistia vel pro precibus sumitur, profertur semper cum addito, diciturque Communio *Eucharistica*, Communio *precum*, ut patet hisce verbis prioris Niceni Concilii canone 11. de nonnullis sæviente persecutione lapsis. *Tribus annis fideles inter Audientes habeantur, & sex annis omni se contritione dejiciant, duobus autem annis sine oblatione* IN ORATIONE COMMUNICANT. Iisdem terminis Consistentiæ gradus exprimitur can. 12. *Tum demum fidelibus in oratione communicent.* Exprimitur quoque eadem ratione canone 13. *Sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur.* Secundo. Synodus Eliberitana celebrata est antequam Novatiani prodiissent. At ante Novatianorum tempora quoties lapsi donabantur absolutione, mox Eucharistia reficiebantur, seu pœnitentium reconciliatio nulla temporis mora sejungebatur ab Eucharistia. Eam veterum praxim docemur a Cypriano. Epistola nimirum 54. ubi describit Cleri Romani, & Africani decretum quo statutum fuerat, ut Lapsi *diu agerent pęnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent*, refert se indulgentius quam eo decreto statutum fuisset, egisse propter imminentem persecutionem: *Censuimus* (inquit) *eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, sed pęnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, pacem dandam esse, & eos ad prælium quod imminet, armari, & instrui oportere:* Quid vero Cyprianus intelligat pacis nomine mox hisce verbis declarat: *At vero nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit esse accipientibus tutela, quos tutos contra adversarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus.* In libro de Lapsis in quo multis invehitur in eos qui Lapsis pœnitentia minime persunctis pacem largiebantur sub obtentu litterarum quas Martyres concessissent, eam pacem, eam communionem semper cum Eucharistiæ participatione conjungit: *A Diabolis aris revertentes* (inquit) *ad Sanctum Domini sordidi, & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus invadunt.* Eamdem disciplinam multo post tempore observabat Ecclesia Mediolanensis: *Sicut semel pro omnibus immolatus est* (inquit Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 3.) *ita quotiescumque peccata donantur, Corporis ejus Sacramentum sumimus, ut per Sanguinem ejus fiat peccatorum remissio.*

Probatur tertio ex praxi quarumdam Africæ Ecclesiarum, apud quas Zephririni decretum de pace Mœchis concedenda ubi pœnitentia persuncti fuissent, paulo ante Cypriani tempora nondum obtinuerat: *Apud Antecessores nostros* (inquit S. Martyr Epist. 52.) *quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam pacem Mœchis non putaverunt, & in totum Pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt; non tamen a Coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ unitatem vel duritiæ, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt, ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur, manente concordiæ vinculo, & perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo Sacramento.* Quam Præsules illi circa Idololatras, & Homicidas disciplinam servarent, facile colligitur ex eorum in Mœchos praxi; Si enim durissima ac rigidissima in Mœchos uterentur, molliorem erga Idololatras, & Homicidas, qui haud dubie magis rei erant, adhibere non potuerunt.

Quæres primo quo sæculo Sacramentalis absolutio Mœchis dari cœperit?

Respondeo primo quovis sæculo non Mœchis tantum, sed etiam Homicidis, & Idololatris pœnitentia legitima persunctis absolutionem Sacramentalem apud Orientales datam fuisse. Ratio est, quia nulli alicujus Orientalis Concilii canones, nulli veterum Patrum Græcorum textus proferri possunt quibus probetur Mœchos, Homicidas, Idololatras exclusos fuisse ab absolutionis beneficio ubi plena ac legitima pęnitentia persuncti fuissent.

Respondeo secundo in systemate Dionysii Petavii, quod legere est in illius notis ad Epiphanium de hæresibus, pacem Zephirini Papæ tempore Mœchis cępisse dari in Ecclesiis Occidentalibus, exceptis tamen quibusdam Africanis, quarum Cyprianus Epistola 52. meminit: *Apud antecessores nostros quidam de Episcopis istic in provincia nostra dandam pacem Mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt.*

Quæres secundo quo tempore pax dari cœperit Idololatris, & Homicidis qui sani pœnitentiam egissent?

Resp. certum esse quod data fuerit Cypriani tempore: Idque manifesto probatur ex iis quæ tum S. Martyr, tum Clerus Romanus vacante per obitum Fabiani sede, tum Cornelius Papa egerunt in Lapsorum causa. Primo Cyprianus edixit, ut qui sæviente Deciana persecutione lapsi fuissent pace donarentur persuncti, si urgeret eos vitæ exitus ac libellis Martyrum muniti essent: *Ut qui libellum a Martyribus acceperunt* (inquit) *& auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cęperint, exomologesi facta, & manu eis a nobis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* Secundo. Idem S. Martyr occiso Imperante Decio, Concilium Carthagine habuit, quo decretum est lapsis, qui sani pęnitentiam incępissent, dari debere pacem in extremis, licet præscriptum sibi totum pęnitentiæ laborem nondum subiissent, sive muniti essent libellis Martyrum, sive muniti non essent. Tertio. Statutum est lapsis quidem omnibus, etiam extra casum necessitatis impendi debere absolutionem, modo tamen integram ac plenam delicti sui pęnitentiam egissent.

sent. Utriusque illius decreti meminit Cyprianus Ep. St. Synodali ad Cornelium, ubi sic loquitur: *Statueramus quidem jam pridem, Frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione, supplantati ab adversario, & lapsi fuissent, & sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam, & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent.* Sancitam iis in capitibus a Cypriano cæterisque Africanis præsulibus disciplinam, quam & Cornelius coacto Romæ Concilio confirmavit, omnes Ecclesiæ Catholicæ amplexæ sunt: unde ab eo tempore ubique apud Catholicos, Idololatræ tum Homicidæ, tum Mœchi ad pacem admissi sunt ubi injunctos sibi pœnitentiæ labores subiissent.

Quæres tertio num recensita hactenus de absolutione reis quorumdam criminum, etiam in exitu vitæ, deneganda Montanismum aut Novatianismum sapuerit.

Resp. negative. Ratio est, quia ideo Montanistæ, & Novatiani quibusdam reis absolutionem negabant quod censerent Ecclesiam id non posse: nec enim (inquiebant) claves quas accepit a Christo, ad Idololatriam, Homicidium, aut Mœchiam extenduntur: E contra vero Ecclesiis quarum disciplinam retulimus, persuasum fuit semper nullum omnino esse crimen, quod per claves dimitti non possit, sed ideo veniam quibusdam denegarunt, quod ea praxi consultum judicarint communi Ecclesiæ bono. De ea Patrum disciplina dici debet quod de alia antiqua scribit Augustinus Epistola 50. ubi sic loquitur: *Ut constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves Ecclesiæ datas disputabitur, de quibus dictum est, Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo.*

§. II.

Utrum vetus Ecclesia per absolutionem dimiserit peccata post actam semel Pœnitentiam commissa?

Conclusio. Vetus Ecclesia per absolutionem solemnem non dimisit peccata, quæ quis post pœnitentiam publice peractam admisisset.

Probatur primo ex Tertulliano. Tertullianus libro de Pœnitentia capite nono sic definit actum, per quem administratur Pœnitentia: *Is actus qui magis vocabulo Græco exprimitur, & frequentatur, Exomologesis est, &c. Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est.* Capite 10. explodit duo momenta, quibus homines plerumque ab illius disciplinæ praxi removentur, pudorem nimirum qui nascitur ex criminis (ut ipse ait) publicatione, & labores qui pœnitentibus injunguntur. Momenta quæ Tertullianus explodit; Definitio, seu descriptio quam tradit, eum de publica ac solemni pœnitentia agere demonstrant. Atqui eam pœnitentiam asserit unam esse, iterari non posse ejusdem hominis respectu: *Collocavit* (inquit cap. 5.) *in vestibulo Pœnitentiam secundam* (seu quæ fit post baptismum) *quæ pulsantibus patefaciat: Sed jam semel, quia jam secundo, sed amplius numquam, quia proxime frustra.* Hæc iterum habet eodem capite: *Hoc enim dico pœnitentiam quæ per Dei gratiam ostensa, & indicta nobis in gratiam nos Domino revocat, semel cognitam atque susceptam, numquam posthac iteratione delicti resignari oportere.* Ergo ex Tertulliano, si quis incidisset in peccata, quorum jam egisset publicam pœnitentiam, aut in aliqua alia graviora, non curabatur per aliam publicam pœnitentiam, ac proinde nec consequebatur veniam per alteram absolutionem solemnem.

Probatur 2. ex Clemente Alexandrino, qui Stromatum lib. 2. sic loquitur: *Dedit ergo cum sit multæ misericordiæ, & jam iis qui fide suscepta in peccatum incidunt Pœnitentiam secundam, quam si quis post vocationem tentatus, coactus, & callide circumventus fuerit, unam adhuc pœnitentiam alterius pœnitentiæ nesciam accipiat.* Assertionem Clemens Alexandrinus sic probat ex Scriptura. *Voluntarie enim peccantibus nobis postquam acceperimus agnitionem veritatis, non amplius relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio judicii, & velut ignis qui est devoraturus adversarios.* Probat iterum hac ratione, quam velim ii expendant qui contendunt implicatos consuetudine peccandi toties absolvi debere quoties confitentur, etiamsi præviis factis emendationem non probent: *Continuæ autem & se vicissim excipientes propter peccata Pœnitentiæ, nihil differunt ab iis qui omnino non crediderunt, præterquam in eo solo quod se peccare senserunt . . . . Apparentia igitur est Pœnitentiæ, non Pœnitentia, veniam sæpius petere eorum quæ sæpe peccavimus.*

Probatur 3. ex Ambrosio qui lib. 2. de Pœnit. c. 10. sic loquitur: *Merito reprehenduntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo: Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: Quia sicut unum baptisma, ita una Pœnitentia quæ tamen publice agitur: nam quotidiani debet nos pœnitere peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* Ex iis verbis patet 1. graviorum peccatorum nomine Ambrosium intelligere peccata lethalia: siquidem ea opponit quotidianis, seu iis quorum veniam hac orationis Dominicæ petitione consequimur. *Dimitte nobis debita nostra.* Patet 2. S. Doctorem agere de Pœnitentia publica: *Quæ tamen* (inquit) *publice agitur.* Patet 3. illius ætate publicam eam pœnitentiam semel tantum non vero sæpius ab eodem impio peractam fuisse: ac proinde patet deniq; 4. admissa post publicam pœnitentiam crimina semel tantum non vero sæpius, curata fuisse per absolutionem solemnem: non enim nisi post publicam pœnitentiam solemnis absolutio conferebatur.

Probatur 4. ex Augustino, qui Epist. 54. conceptis terminis dirimit litem de qua hic agitur: *In tantum autem* (inquit) *hominum aliquando iniquitas progreditur ut, etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant, & tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum, nec minus tribuit quam ante tribuebat largissima munera vitæ ac salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimæ Pœnitentiæ non concedatur; Deus tamen super eos suæ patientiæ non obliviscitur.* Humillimæ Pœnitentiæ nomine Augustinus publicam intelligit, seu eam propter quam (ut ipse ait) quidam proprie in Ecclesia pœnitentes dicuntur: Ait vero eam humillimam pœnitentiam non iterari in Ecclesia: Ita igitur ferebat Augustinus, dum viveret Ecclesiæ Africanæ consuetudo. Confirmatur ex eo quod ita cuique nota esset praxis ejusmodi, ut Macedonius in Africa Præses ea usus sit, ut argumentaretur contra Episcopos qui intercedebant pro reis ultimo supplicio damnatis: *Vehementer ambigo* (inquiebat laudatus Præses) *utrum illud a religione descendat. Nam si a Domino peccata adeo prohibentur, ut ne pœnitendi quidem copia post primam pœnitentiam tribuatur, quemadmodum nos possumus ex religione contendere, ut nobis qualecumque illud crimen fuerit, dimittatur.* Idem S. Doctor eadem in Epistola rationem reddit cur lapsis post baptismum pœnitentia publica semel tantum indulgeretur, ait nempe sic statuisse Patres ne vilesceret hominibus, fieretque inutilis. *Caute* (inquit) *salubriterque provisum est, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ut medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit.*

Quæres 1. Quamdiu perdurarit disciplina, quæ hucusque descripta est.

Resp. in Ecclesia Orientali non ultra quartum sæculum obtinuisse: Siquidem (ut multis placet) Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus labente quarto sæculo abrogavit non confessionem tantum publicam, sed etiam ritum imponendi pœnitentias publicas pro peccatis occultis. In Ecclesia vero Occidentali ea disciplina viguit usque ad sæculum septimum, quo (ut superius dictum est) cœptum est pro solis peccatis publicis publicas pœnitentias injungere: ac proinde nihil impedit quin post illud tempus pro eodem scelere pluries acta fuerit secreta pœnitentia, ac iterata sæpius absolutio.

Quæres 2. num iis sæculis, quibus semel tantum

pro

pro peccatis publicis aut occultis agebatur pœnitentia publica, peccata, propter quæ quis jam subiisset illam pœnitentiam, per aliam sed secretam pœnitentiam, & privatim datam absolutionem curarentur.

Respondet his verbis Dionysius Petavius in suis notis ad Epiph. hæresi 59. *Si ad communionem pacemque reverti* (ut docuerat quidam recentior, quem eo loci Petavius confutat) *alterius ac privatæ beneficio potuerint, nonne melior illorum, quam cæterorum conditio fuit, quibus sine publica pœnitentia reditus ad Ecclesiam non patuit? Atqui nemo tam vecors erit, qui humanius cum illis actam putet, qui in eadem sæpius incurrissent, & quidem horrenda flagitia, quam cum iis, qui semel ea commisissent, quod ex illa opinione* (quam impugnat) *consequitur*. Paulo post sic idem author prosequitur: *Cæterum post publicam illam pœnitentiam, si iisdem se criminibus obstrinxissent, ab Ecclesiæ aditu, & a Mysteriorum communione penitus exclusi, reconciliari amplius non potuerunt, quod in primis Augustinus affirmat . . . . Neque vero id aut incredibile, aut adeo mirabile videri par est, si quis animo repetat quanta in plerosque peccatores canonum austeritas, & constantia fuerit*.

Eadem ratione respondet Doctissimus Albaspinæus Episcopus Aurelianensis Observationum lib. 2. Obs. 6. Subscribit Morinus noster de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 5. cap. 29. Confirmat vero tum ratione, quæ mox adducta fuit ex Petavio, tum ex Conc. Elib. can. 3. ubi hæc habentur: *Si post Pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulterius eis non esse dandam communionem, ne lusisse de Dominica communione videantur*. Tum denique ex Augustino, qui Epistola 54. sic iis respondet, qui conquerebantur, quod ad humillimam Pœnitentiam iterato non admitterentur: *Si quis nobis dicat, Aut date mihi eumdem pœnitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit; Aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimæ voluptatis blandimenta contempsero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita concessa negavero*. Si tunc obtinuisset usus curandi per absolutionem secretam peccata post actam publicam pœnitentiam commissa, reis de quibus agitur, non fuisset locus conquerendi quod ad pœnitentiam non admitterentur, quod exponerentur desperationis periculo, quod labores, quos suscepissent nihil eis ad salutem consequendam fuissent profuturi. Aut saltem si eæ cogitationes illorum mentes subiissent; facili hoc responso compescere debuisset Augustinus; pœnitentiam nimirum, quam occulte agerent, profuturam plurimum, cum eam absolutio privatim esset subsecutura: sed nusquam profert ejusmodi responsum, sat ei fuit asserere Deum concessum veniam pœnitenti (si tamen ingenti contritioni votum Sacramenti conjunctum fuerit:) *Quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat, Nihil tibi ista proderunt in posterum, vade saltem vitæ hujus suavitate perfruere. Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam*.

Antiquiores Scholastici contrariam omnino sententiam amplexi sunt: Contenderunt nempe crimina post actam de iis publicam pœnitentiam commissa, curata fuisse per aliam pœnitentiam, sed secretam, quamque absolutio privatim data consequeretur. Nec tamen (inquiebant) sequitur, quod humanius actum sit cum iis, qui post actam publicam pœnitentiam peccarant, quam qui antea; siquidem (addebant) adeo acerbe castigabantur, ut confusio, quæ oriebatur ex pœnitentia publica, pœnarum quantitate, & acerbitate compensaretur.

Alii authores, quibus subscribimus, respondent 1. Patres per absolutionem privatim succurrisse peccatis lethalibus minus enormibus: ea enim peccata (inquiunt) licet hoc sensu publica pœnitentia castigarentur, quod ad tempus, nempe donec impleta fuisset satisfactio ad arbitrium Sacerdotis imposita (utpote nequaquam definita canonibus) excluderent ab Eucharistiæ participatione. Ratio est, quia licet ea peccata post secundam veniam (in baptismo nimirum, & Sacramento Pœnitentiæ) magis gravia sint, facile tamen committuntur ac proinde verisimile non est ea a Patribus nusquam absolutione donata fuisse, aut absolutionem usque ad vitæ exitum fuisse delatam. Respondent 2. iidem authores enormibus peccatis post actam in Prostrationibus publicam pœnitentiam commissis, Patres non solitos fuisse mederi per aliam absolutionem solemnem pluribus saltem in locis, sed privatam, quæ non in Prostratione quidem, ut antea, sed in occulto gravissimis peractis laboribus in solo vitæ exitu conferretur. Confirmant eam responsionem authoritate Siricii Papæ, cui Himerius Tarraconensis, quæstionem de qua hic agitur, proposuerat. *De iis vero* (inquit Siricius ad eum rescribens) *non incongrue dilectio tua Apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & nova conjugia, & inhibitos denuo appetivere concubitus*: Sic autem laudatus Pontifex eam quæstionem solvit: *Quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus; quia jam suffragium non habent pœnitendi* (in Prostratione nimirum in quam supra pœnitentes crebræ fiebant impositiones manuum) *id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur intersint: a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur; Quibus tamen) viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri. Quam formam, & circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus*.

Non probat Morinus noster eos, qui Siricii decretum extendunt ad ea peccata, quæ contra decalogum committuntur, ut sunt fornicationes, adulteria, homicidia, falsa testimonia &c. Contendit nimirum illud intelligi debere de iis tantum, quæ contra Ecclesiasticas constitutiones committuntur, ut sunt amorum professio, contractus matrimonialis prius contracti exercitium, quæ (ut superius pag. 418. dictum est) iis, qui publica pœnitentia perfuncti fuerant, interdicebantur.

Verum Doctissimi viri pace dixerim restrictionem illam cum Siricii decreto non cohærere. Siquidem 1. de iis loquitur, *Qui tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos, & ad volutabra* redeunt: Ergo & ad peccata, quæ commiserant antequam publica pœnitentia fuissent perfuncti: ac proinde non ad peccata, quæ legibus tantum Ecclesiasticis prohibeantur, sed & divinis, & naturalibus. 2. Siricius de iis loquitur, qui post actam pœnitentiam ad eas conjunctiones revertuntur, propter quas addicti fuerant pœnitentiæ publicæ: *Et ad volutabra redeuntes, inhibitos denuo appetivere concubitus*. Sed de iis, de quibus Siricius agit, damnati fuerant pœnitentia publica propter infractionem decalogi, non autem propter infractionem Ecclesiasticarum legum. 3. Siricius vocat actum conjugalem, qui post publicam pœnitentiam habitus fuerint, vocat (inquam) pollutionem: loquatur igitur oportet de matrimonio, quod irritum sit ac nullum ac proinde de actu, quo decalogi præceptum infringitur: *Quam formam, & circa mulieres, quæ se post Pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus*. Igitur non iis tantum, qui constitutiones Ecclesiasticas, sed & decalogum, post actam publice pœnitentiam infregissent, absolutio Sacramentalis in exitu vitæ Siricii Papæ tempore conferebatur.

CA-

Caput Secundum.

De forma absolutionis.

PER formam absolutionis intelligimus modum, quo debet a Pœnitentiæ ministro proferri: ille vero modus vel est deprecativus, vel indicativus; de utroque ad Ecclesiam tum Orientalem tum Occidentalem comparato hic a nobis est dicendum.

Articulus Primus.

De modo, quo Orientales exprimunt absolutionem Sacramentalem.

HOC in articulo quæremus 1. an absolutio Sacramentalis verbis indicativis aut deprecativis apud Græcos exprimatur. 2. Utrum indicative prolata, his etiam temporibus apud eos valeat.

§. I.

Utrum Græci verbis deprecativis absolutionem Sacramentalem exprimant?

COnclusio. Græci absolutionem Sacramentalem, in qua quovis sæculo agnoverunt actum judicialem, expresserunt olim, & nunc etiam exprimunt verbis deprecantibus.

Probatur prior conclusionis pars argumentis, quæ legere est apud Morinum nostrum lib. 8. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 12. quæque breviter hic recensenda sunt. Antiquum Euchologium Cryptæ ferratæ cujus scriptio annos excedit sexcentos, Euchologium Barberinum isto multo antiquius, in toto administrandæ pœnitentiæ ritu, quem describunt, formulas secundum terminos deprecativas tantum, nulla indicativarum facta mentione, referunt. Ergo Orientales antiquitus actum judicialem Sacramenti Pœnitentiæ terminis deprecantibus, non autem indicativis, exprimebant. Confirmatur ex eo, quod Euchologia sint libri, qui Presbyterorum omnium manibus teruntur, & ad quorum præscriptum Sacerdotes Sacramenta conferre tenentur, ac proinde verisimile non est, quod omissis ad Sacramentorum administrationem essentialiter requisitis, accidentalia tantum recensuerint.

Probatur altera conclusionis pars, seu Græcos his etiam temporibus uti formula tantum deprecativa cum Pœnitentiæ Sacramentum conferunt. 1. Euchologium Venetiis editum anno 1638. quatuor orationes describit, quas Pœnitentiæ minister supra pœnitentem pace donandum proferre jubetur. Prior sub hocce titulo proponitur: *Oratio super eos, qui sunt in Pœnitentia & se ipsos juramento ligaverunt*. Altera sub hoc alio titulo legitur: *Oratio super eos, qui de pœnis pœnitentialibus solvuntur*. Tertia paulo post describitur cum hoc titulo: *Oratio super pœnitentes*. Tertiæ vero, quarta mox additur cum hocce titulo indeterminato: *Alia oratio*. Nihil toto illo in ritu reperire est, quod modum indicativum sapiat: Nihil profert minister, quod non sit deprecativum, seu nullo utitur termino, quo pro pœnitente veniam a Deo non precetur: proindeque ex illo Euchologio, Orientales ministri actum Judicialem, qui in Pœnitentiæ Sacramento includitur, verbis tantum deprecativis exprimunt.

2. Idem ostenditur ex Hieremia Patriarcha Constantinopolitano. Capite 11. censuræ, qua proxime elapso sæculo perstrinxit Augustanam Lutheranorum confessionem, Sacerdotum precibus adscribit peccatorum remissionem: *Quidquid vero* (inquit) *peccatorum aut propter oblivionem omiserit* (Pœnitens qui confessus est) *aut propter verecundiam obticuerit* (in hoc errat) *oramus misericordem, mitissimum Deum, ut ei hæc quoque remittantur, ac confidimus ea ipsi remissum iri*. Ostenditur 3. ex Clemente Papa VIII. In instructione, quam super ritibus Græcorum anno 1595. edidit manifesto supponit Græcos, quorum ritus optime noverat, Absolutionis formulam exprimere verbis deprecantibus, sic enim loquitur: *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere: Utantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta, & postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma ejusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt*. In ea laudati Pontificis verba velim lector observet Clementi persuasum fuisse, quod Græci etiam Catholici verba deprecantia, quibus utuntur, perpendant tamquam veram & unicam Absolutionis Sacramentalis formulam: *Dicant* (inquit) *illam orationem deprecativam, quam pro forma ejusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt*. Observet iterum lector instructione, cujus fragmentum mox retulimus, Clementem Papam non abrogasse ritum, quo Græci utuntur, dum subditam sibi Græcam plebem absolvunt, seu non declarasse irritam esse formulam deprecativam, quam unam adhibent, ut exerceant actum Judicialem, qui includitur in absolutione Sacramentali. Observet tandem benevolus lector Clementem VIII. latere non potuisse Græcorum sui temporis usum cujus meminit: Eum enim facili negotio discere potuit a Presbyteris Græcis, qui in regno Neapolitano centum circiter Parochiis Græcis præsunt, nec non ab Episcopo, & Sacerdotibus Græcis, quos in collegio Romano sedis Apostolicæ sumptibus suæ gentis ritus alios Sacerdotes Græcos docere voluit, ut testantur hæc ejusdem Pontificis verba in mox laudata Instructione: *Insuper idem Sanctissimus Dominus noster constituit Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italiæ & insularum adjacentium subjectos ab Episcopo Græco ordinari volentes cum illorum dimissoriis ad id tantum concedendis ritu Græco ordinet. Ita Sanctitas sua ex sententia Congregationis super reformatione Græcorum decrevit, & declaravit, ac fieri mandavit*.

Objicies cum Arcudio lib. 4. cap. 3. de concordia Ecclesiæ Occidentalis cum Orientali. Græci hodieni absolvunt per hæc verba: *Mea mediocritas habet te venia donatum*: Ergo actum judicialem non exprimunt per verba deprecantia: quæ enim mox relata sunt, per indicativum, & enunciativum modum exprimuntur, suntque idem cum istis: *Remitto*, sive, *Condono tibi peccata*. Itaque probatur antecedens in quo posita est difficultas, 1. ex Pachomio Patriarcha Constantinopolitano. Is (inquit Arcudius) Arsenium quemdam deponens, & excommunicans, formula indicativa usus est, ut testatur Crusius Tubigensis Lutheranus: Ergo etiam absolutio a peccatis, ex mente, & usu Pachomii exprimi debuit per verba indicativa. Probatur 2. ex Michaele Patriarcha Antiocheno, qui (ut ait idem Arcudius) Theodosium Zigomalam a ligamine peccatorum hisce verbis absolvit: *Mediocritas nostra habet venia condonatum spiritualem filium suum Theodosium, in quibuscumque etiam ipse ut homo deliquit in Deum verbo, opere, cogitatione*. Probatur 3. ex Gabriele Philadelphiæ Metropolitano, qui ipsi Arcudio fuit coætaneus. Is (Arcudio teste) in suo tractatu de Sacramentis hanc profert absolutionis formulam: *Gratia Sanctissimi Spiritus per meam humilitatem, habet te venia donatum, & absolutum*. Ex tribus illis testimoniis concluditur, Græcos hodiernos per verba deprecantia non exprimere actum judicialem, qui in absolutione essentialiter includitur.

Resp. neg. ant. ad cujus priorem probationem, nego conseq. Neque enim absolutionis formulam debere esse indicativam aut enunciativam ex eo præcise sequitur, quod ejusmodi sit excommunicationis formula: quippe quod ista deprecativo modo enuntiari non possit, alioquin is, qui proferret excommunicationis sententiam, Deum rogaret ut a Sacramentorum usu & cœtu fidelium reum contumacem & rebellem arceret: E contra cum Deus O. M. per Sacerdotis ministerium in pœnitentiæ & absolutionis effectum operetur, nihil vetat, quin rogetur a ministro, ut mediantibus verbis, quibus effectus ille significatur, eum dignetur operari.

Ad

Ad alteram antecedentis probationem, dico 1. Michaelis Antiocheni verba, quæ referuntur ab Arcudio, non continere absolutionem a peccatis. Ratio est, quia is, qui ex laudato Michaele, profert formulam de qua est quæstio, non excepit pœnitentis confessionem, ut ostendunt hæc alia verba, quæ in ejusdem Michaelis diplomate leguntur: *Et hæc quidem spiritualibus Patribus confessus est, ab eisque impositam sibi pœnitentiam diligenter perfecit*: Illum igitur Sacramentaliter non absolvit, cum id medicus non curet, quod ignorat. Dico 2. eam Michaelis sententiam continere solam absolutionem ab excommunicatione minori, seu a privatione Eucharistiæ, dari solitam a Græcis etiam hodiernis post adimpletam satisfactionem, quæ secundum præscriptas canonibus regulas imposita sit; de quo quidem ritu sermo redibit inferius.

Ad tertiam probationem, respondeo eam esse de non supponente; supponit nimirum ea verba, quæ in argumento retulit Arcudius, dici a Gabriele Philadelphiæ Episcopo formam Sacramenti Pœnitentiæ: quod tamen non est verum, cum idem Gabriel in libello quem de Sacramento Pœnitentiæ conscripsit, quemque integrum describit Morinus noster ad calcem sui de Pœnitentia Commentarii, hæc habet cap. 3. *Forma Pœnitentiæ est potestas a Salvatore nostro solis ipsius discipulis, & Apostolis concessa, quam postea Episcopis per universam terram mutua successione tradentes exerceri decreverunt. Dicit enim Deus (ut antea dictum est) Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo, & quæcumque solveritis in terra, erunt soluta in cœlo: Similiter Joannes, qui pectori Domini accumbere solebat; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt: Ideo sanctæ confessionis ministri peccatori ad vos accedenti dicunt: Gratia SS. Spiritus per meam humilitatem habet te condonatum, & absolutum.* Ex illis verbis patet Sacramenti pœnitentiæ formam in sententia Gabrielis esse potestatem remittendi peccata receptam a Christo: per quæ autem verba ministri, qui Sacramentum conferunt, potestatem illam exprimant, & exerceant, non definit laudatus author: neque enim illi usui idonea sunt, quæ subjicit: *Gratia SS. Spiritus per meam humilitatem habet te venia donatum, & absolutum.* Et sane participia illa, *Donatum & absolutum*, rem præteritam significant, seu designant peccatorum remissionem, quæ jam obtenta fuerit, ac proinde meram peccati remissi declarationem, non autem actum judicialem complectuntur. Præterea verba, de quibus agitur, nihil aliud continent, quam ceremoniam apud Græcos tritam: Solent nimirum Græci post exceptam confessionem consolari pœnitentem, eumque certiorem reddere de obtenta per Sacerdotis ministerium remissione peccatorum. Sic (inquit Morinus noster cujus sensa hucusque compendiose descripsimus) in Anonymo Pœnitentiali post priorem absolutionis orationem, Sacerdos dicit pœnitenti: *Vade in pace, Amen, & post alteram: De peccatis confessis noli curam gerere, vade in pace.*

Resp. 3. ad argumentum Arcudii, dato antecedente; data etiam triplice ejusdem argumenti probatione, nego conseq. Ratio est 1. quia trita Ecclesiæ Græcæ praxis peti non debet ex scriptis recentiorum quorumdam Episcoporum, qui subobscure de ea materia tractarunt, sed ex Euchologiis, Pœnitentialibus, Ritualibus, quibus Græci Sacerdotes utuntur, cum Pœnitentiæ Sacramentum administrant. At in iis monumentis actus Judicialis, qui est essentialis absolutioni, nusquam exprimitur per modum enuntiativum, seu indicativam, sed per deprecativum tantum. 2. Magni non sunt momenti duæ priores authoritates, quas in argumento laudavit Arcudius: tum quod Schismati dederint nomen Pachomius, & Michael, quorum testimonio utitur: ac proinde proferri non possunt ut confirmetur praxis hodierna Græcorum Catholicorum, qui vel in regno Neapolitano, vel in insulis Venetorum reipublicæ subjectis aut aliis in regionibus commorantur: Tum quod utramque illam authoritatem Arcudius non nisi ex Lutheranis Tubingensibus acceperit. 3. Dici potest ad tertiam authoritatem, Gabrielem Philadelphiensem locutum fuisse de materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ, non prout ferebat Græcorum sui temporis praxis, sed prout audierat a Latinis, apud quos diu versatus fuerat; Patavii scilicet Venetorum, Theologiæ Scholasticæ dederat operam.

§. II.

Utrum valeat Sacramenti Pœnitentiæ deprecativa Græcorum formula?

CONclusio. Valet apud Græcos actus Judicialis absolutioni Sacramentali essentialis, licet verbis tantum deprecantibus exprimatur.

Probatur 1. Actus Judicialis solis verbis deprecantibus prolatus valebat olim apud Græcos: Alioquin dicendum foret irritam fuisse absolutionem, quam per quatuordecim priora sæcula pœnitentibus hominibus contulerunt: non enim alia formula, quam deprecativa iis temporibus usi sunt in administratione Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo nunc idem actus judicialis verbis deprecantibus prolatus valet, cum nulla posteriori lege factus fuerit irritus, & nullus. 2. Ideo asseritur actum de quo est quæstio, apud Græcos valuisse, quod sic describatur in veteribus Græcorum Euchologiis, & antiquis pœnitentialibus. Sed eodem modo refertur in omnibus Euchologiis, & pœnitentialibus, quibus in administratione Sacramenti Pœnitentiæ hodierni Græci utuntur. Ergo &c. Minor propositio probata manet ex hujusce articuli tertii conclusione. 2. Cui quidem conclusioni, quamvis adversetur Arcudius arbitratus verba hæc: *Habeo te venia donatum*, esse nunc formam pœnitentiæ; fatetur tamen minorem argumenti propositionem niti veritate *Ac* (inquit ille author solvens objectionem ex Euchologio petitam) *non extat hujusmodi forma in Euchologio, Equidem fateor. Neque enim si extaret in recensendis aliorum opinionibus tantopere laborassem.* 3. Morinus noster lib. VIII. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. XII. hæc scribit, quæ rem, de qua agitur, videntur omnino conficere: *Cum Ego Romæ de hac re, interrogarem, quemdam Græcum Sacerdotem, Ligarinum nomine, Chium natione, virum doctum, quique in collegio Romano adolescentibus Græcis Græce erudiendis præerat; Respondit mihi; Absolutionis formam Græcis usitatam, & vulgarem hanc esse, quam manu sua descripsit ipse:* Domine, Remitte, Dimitte, Condona peccata hujus N. quia tua est potentia, & tuum regnum Patris, &c. *Non quia tam breviter absolvant; utuntur enim longis orationibus. Sed quia orationes illæ hanc brevem continent, & hac brevi, cum illis casu aliquo non vacat, contenti sunt.* Ex illa Ligarini ad Morinum responsione patet: Græcos in suo collegio Romano non aliam hac ætate pœnitentiæ, quam deprecativam formulam tradere adolescentibus, quos docent ritus Græcos ut postea præfecti parochiis eos mandent executioni.

Objicies 1. Clemens Papa VIII. In instructione super ritibus Græcorum edita anno 1595. Græcis imperat ut Latinos in casu necessitatis absolventes utantur *Forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta.* Ergo irritam fecit formulam deprecativam, qua prius utebantur.

Resp. concesso antecedente negando consequentiam. Ratio est 1. quia Clemens Octavus indicativam formam non injungit nisi pro absolutione a Presbyteris Græcis impertienda Latinis pœnitentibus. Supponit igitur deprecativam, quam (ut ibidem ait Papa) adhibere consueverunt, & licitam, & validam esse, cum agitur de absolutione conferenda Græcis pœnitentibus. 2. Etsi Clementis VIII. mandatum intelligeretur de Græcis absolvendis, non sequeretur eum irritam fecisse Ecclesiæ Græcæ deprecativam formulam, sed illicitam tantum, non enim suo in decreto asserit collatam sine indicativis verbis absolutionem fore nullam, & irritam.

Objicies 2. Absolutio deprecative collata multis abhinc sæculis non valet apud Latinos. Ergo nec potest hac ætate apud Græcos valere.

Resp. concesso antecedente nego conseq. Ratio est,

quia conditiones ex Ecclesiæ decreto requisitæ ad valorem alicujus Sacramenti non sunt ubique necessariæ, ut patet de præsentia Parochi respectu Matrimonii: sed tantum in locis, pro quibus præcipiuntur illæ eædem conditiones. Unde cum Ecclesiæ Græcæ forma indicativa præscripta non fuerit, mirum non est si absque ea valeat Sacramentum Pœnitentiæ apud Græcos, quamvis apud Latinos non valeat.

Objicies 3. In quacumque Ecclesia forma Sacramenti Pœnitentiæ debet includere actum judicialem, illius enim ministri verum exercent judicium. Ergo necessario debet esse indicativa cum per solum modum indicativum, aut saltem imperativum, non vero per preces exerceri soleat judicium, & proferri judicis decretum.

Resp. concesso antecedente negando conseq. Ratio est quia, fatentibus omnibus Theologis, valet absolutio ab excommunicatione, sive terminis deprecantibus, sive indicativis exprimatur: In hujusmodi tamen absolutione strictum, & verum reperitur judicium.

Instabis. In forma judiciali exprimi debet actio judicis sive damnantis, sive absolventis. At non exprimitur in iis Ecclesiis, in quibus deprecativa est absolutionis Sacramentalis formula.

Respondet Dominicus Soto negando majorem. Valide enim (inquit) judex politicus absolveret qui his verbis latum a se decretum proferret: *Talis habeatur innocens, & absolutus.*

Confirmari potest Soti responsio ex eo quod secundum plures Theologos invocatio SS. Trinitatis, quæ exprimit actionem causæ principalis, seu Dei ipsius per Sacramentum gratiam sanctificantem producentis, non sit necessario requisita ut Sacramentum Pœnitentiæ valeat. Ergo neque expressio actionis, quæ expressio actionis, quæ fit a causa tantum instrumentali, qualis est minister, videtur necessario requiri ut integrum sit Pœnitentiæ Sacramentum.

Respondent alii concessa maj. neg. min. contendunt scilicet precibus reconciliatricibus quas Euchologia Græca præscribunt, non obscure exprimi Sacerdotis actionem, seu actum judicialem per quem Sacerdos tamquam causa ministerialis peccatorum remissionem operatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De modo quo Latini expresserunt absolutionem Sacramentalem.

HOc in articulo eamdem quam in præcedenti methodum sequemur. Quæremus nimirum 1. Utrum quondam apud Latinos absolutio Sacramentalis verbis deprecantibus expressa fuerit. 2. Utrum nunc valeat formula deprecativa.

§. I.

Utrum quondam apud Latinos absolutio Sacramentalis verbis deprecantibus expressa fuerit?

COnclusio 1. Omnes Ecclesiæ Latinæ non videntur per modum indicativum quondam expressisse actum judicialem qui includitur in absolutione sacramentali.

Probatur 1. Indicativum modum, saltem in prima persona, quarto sæculo non adhibuisse Ecclesiam Africanam supponere videtur Augustinus Sermone de muliere peccatrice, qui est 23. in libro 50. homiliarum Capite 7. S. Doctor nonnullos ministros arguit qui jactabant se quasi ipsi peccata dimitterent. Superbis illis ministris objicit modestum ac humilem loquendi morem quo Christus usus est dum peccatrici mulieri peccata dimisit. Observat Salvatorem in prima persona non dixisse: *Ego remitto tibi peccata*, *sed in tertia*: *Remittuntur ei peccata*. In illum vero humilem ac modestum loquendi modum hæc ait Augustinus: *Medicus bonus ægros non solum præsentes sanabat, sed & futuros etiam prævidebat: Futuri enim erant homines qui dicerent, Ego peccata dimitto, Ego justifico, Ego sanctifico, Ego sano quoscumque baptizo.*

Nec obtundunt acumen argumenti qui respondent eos, quos Augustinus arguit, credidisse sanctitatis qua gloriabantur, merito, non autem solis Sacramentis quæ conferebant, adscribi debuisse remissionem peccatorum. Nam S. Doctor hæreticum illud dogma (quod Donatistarum fuit) confutare videtur improbando formulas indicativas quas in Sacramentorum administratione adhibebant ii quos exagitat. Sed corruisset plane illud argumentum Augustini, si Ecclesia Africana tunc inter absolvendum indicativam formulam in prima persona adhibuisset: nec S. Doctori fuisset locus objiciendi adversariis exemplum Christi, quem supponit ex Evangelio non fuisse locutum in prima persona sed in tertia tantum, cum peccatrici mulieri peccata dimisit: *Remittuntur tibi peccata tua*.

2. Iis in locis, in quibus conferebantur Sacramenta secundum ritum præscriptum in Sacramentario S. Gregorii, in Ordine Romano, in libro Alcuini de Divinis officiis, in pœnitentiali Halytgarii Cameracensis, in decreto Burchardi Vvormatiensis, actum judicialem non exprimebant ministri per modum indicativum; Illius enim modi nullum in libris mox laudatis vestigium reperire est. Ut quæ dicta sunt confirmentur, placet hic describere reconciliationis ritum quem refert Alcuinus in libro de officiis divinis capite de Cœna Domini: *Post hæc* (inquit) *egreditur pœnitens mane de loco, ubi pœnitentiam gessit, & in gremio ... Ecclesiæ præsentatur prostrato omni corpore in terra. Tunc dicantur hi Psalmi: Miserere mei Deus, cum Antiphona, Cor mundum. Deinde Kyrie eleyson, & Pater noster, & Capitulum ad preces, Salvum fac servum tuum Domine. Converte Domine. Mittat tibi Dominus. Illustra faciem tuam. Domine vide humilitatem. Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua. Oratio: Adesto Domine supplicationibus nostris, & me qui etiam misericordia tua primus indigeo, & reliqua. Alia oratio; Præsta quæsumus Domine, huic famulo tuo dignum Pœnitentiæ fructum. Alia, Deus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator. Alia, Deus, sub cujus oculo omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt, & reliqua. Post hoc vero admoneatur a Sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non repetat.*

Nonnulli respondent nullius esse ponderis illud argumentum, eo quod (inquiunt) Patres in libris quos de Sacramentis exararunt; reticentiis sæpius usi sint, ne scilicet Sacra mysteria in prophanorum hominum cognitionem venirent: unde Innocentius Papa I. in Epistola ad Decentium cap. 2. de forma Confirmationis hæc habet: *Verba vero dicere non possum; ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere.*

Verum inane est illud effugium: Nam 1. Reticentiæ quibus quinque priorum sæculorum Patres nonnumquam usi sunt, adhibitæ non fuerunt ab iis Patribus qui conscripsere Pœnitentialia, Ritualia, Sacramentalia quæ mox laudavimus. Nec id mirum est: ideo enim veteres aliquando reticentiis utebantur ut idololatras, quibuscum vivebant, mysteriorum nostrorum sanctitatem celarent. 2. Etsi detur Patres septimi ac subsequentium sæculorum imitatos fuisse Patres priorum sæculorum, non recensuisse Sacramentorum formas in libris qui omnium manibus tererentur, cujusmodi erant disputationes pro dogmatis fidei, conciones ad populum; id tamen locum habere non potuit, cum iidem Patres conscripsere Sacramentalia, Ritualia, Pœnitentiales libros: sciebant nimirum eos libros non solitos fuisse legi a promiscua plebe, sed a Sacerdotibus tantum ad quorum usum exarati fuerant. 3. Ex adversariis, Sacramentalia, Ritualia, Pœnitentialia, Manualia quæ in nostræ conclusionis confirmationem adduximus, cum agunt de Baptismo, Confirmatione, cæterisque Sacramentis, describunt omnes eis essentiales partes, ipsas etiam formas, quæ adhibentur in illorum administratione: Quid igitur causæ esse potuit quod prætermiserint verba, quibus actus Judicialis Sacramento Pœnitentiæ essentialis, exprimitur?

3. Ille idem indicativus modus ineunte decimo tertio

tio

tio sæculo non videtur Parisiis fuisse præscriptus pœnitentiæ ministris. Hæc enim circa anuum 1230. capite 9. de Sacramento Pœnitentiæ scribebat Guillielmus Parisiensis Episcopus, & inter Parisienses Doctores non ultimus: *Neque more judicum forinsecorum, pronunciat Confessor, Absolvimus te: Non condemnamus, sed magis orationem facit super eum ut Deus absolutionem, & remissionem, atque gratiam sanctificationis tribuat... Unde in absolutione confiteutium non consueverunt dicere Sacerdotes, Dimittat tibi Deus peccata, quæ confessus es mibi, sed potius omnia.* Diximus Parisiis præscriptum non fuisse Sacerdotibus ut actum judicialem per modum indicativum exprimerent; Eo quod diffiteri non possimus eum tunc ab aliquibus adhibitum fuisse: Id enim invictissime colligitur ex Alexandro Halensi, Guillelmo coætaneo. Hæc scilicet scribit in 4. parte Summæ membri 2. art. 2. *Sed si contra objiciatur, quia Absolutio Sacerdotis, quæ fit expressione talium verborum, Ego absolvo te; vel Dominus absolvat te, magis exprimit absolutionem a peccato, quam confessio pœnitentis, &c.*

Conclusio 2. Actus Judicialis, qui absolutioni Sacramentali essentialis est, in omnibus Latinorum Ecclesiis desincnte sæculo 13. per solum modum indicativum, seu enunciativum, & quidem in prima persona, expressus fuit.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ qui opusculi 22. cap. 2. hæc ait, *Numquid etiamsi nunc viverent* (loquitur de authoribus, quos adversarius, quem impugnat, laudabat pro sola deprecativa absolutionis formula) *præjudicare possent communi sententiæ magistrorum Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, decernentes absque his verbis, Ego te absolvo, absolutionem non esse per solam deprecativam orationem.* 2. Testimonio Francisci Mayronis, qui sexaginta annis post Alexandrum Halensem floruit. hic in 4. Dist. 14. qu. 1. Objicit sibi quasdam Ecclesias actum judicialem sua ætate, hac formula exprimere: *Absolvat te Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*; Ad eam autem objectionem sic respondet: *Ad tertium dicendum; quod sic fiebat in provincia Provinciæ; sed improbata fuit illa forma.*

§. II.

Utrum apud Latinos nunc valeat absolutionis formula deprecativa?

CONclusio. Multis abhinc sæculis non valet in Ecclesia Latina absolutio verbis deprecantibus prolata.

Probatur 1. S. Thomas, cæterique Doctores suo tempore Parisiis regentes tamquam nullam, & invalidam rejiciebant desineute sæculo 13. deprecativam absolutionis formulam. 2. Franciscus Mayronis 14 sæculo asserebat improbatum tunc fuisse usum Provinciæ, quæ absolutionem per verba deprecatoria conferebat. 3. Qui postea scripsere Doctores Latini uni indicativæ formulæ adscripserunt effectum Sacramenti Pœnitentiæ, contenderuntque eo solo exprimi actum judicialem, quem in pœnitentiam minister absolvens exerceat. 4 Concilium Tridentinum sess. 14 cap. 3. declarat has preces: *Misereatur, &c. Indulgentiam, &c.* proferri solitas a ministro, non esse formam Sacramenti Pœnitentiæ. Sed hæc verba, *Ego te Absolvo, &c.* Atqui ideo illæ orationes non sunt forma Sacramenti quod sint preces, idest verba modo deprecatorio prolata: Nam cum secundum substantiam sint idem cum istis aliis, *Absolvo te*, exprimunt nimirum peccatorum remissionem, quæ est effectus Sacramenti Pœnitentiæ, deberent alioquin esse ejusdem Sacramenti forma.

Objicies. Valebat antiquitus in Ecclesia Latina Absolutio verbis tantum deprecantibus prolata. Neque enim indicativæ formulæ meminerunt antiqua Sacramentaria, Pontificalia, Ritualia eam tamen nequaquam prætermissura, si fuisset in usu, & præsertim si indicativa fuisset conferendæ Sacramentali absolutioni simpliciter necessaria. Ergo etiam hac ætate valet in Occidentalibus Ecclesiis eadem deprecativa absolutionis formula.

Resp. negando consequentiam. Ratio est, quia Ecclesia potest præscribere certas conditiones, quibus non observatis nullum sit Sacramentum, quamvis omnes partes secundum substantiam sumptæ adhibeantur. Principium illud habere locum præsertim in Sacramento Pœnitentiæ non diffitebitur qui adverterit ipsum essentialiter includere actum judicialem ex parte ministri. Constat autem in judiciis, quæ forum redolent, certas posse statui leges, quibus id abrogetur quod valebat antea.

CAPUT TERTIUM.

De ministro absolutionis.

HOc caput partiemur in tres articulos. In priore quæremus quinam sint Sacramentalis absolutionis ministri. Expendemus in altero an ad conferendam absolutionem præter potestatem ordinis requiratur Jurisdictio. In tertio dicemus de approbatione Regularibus, etiam privilegiatis necessaria, ut fidelium confessiones excipiant.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint Sacramentalis absolutionis ministri?

COnclusio. Soli Episcopi, & Presbyteri sunt ministri Sacramentalis absolutionis.

Probatur 1. Cum Christus hæc ait Joannis 20. *Accipite Spiritum sanctum; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* alloquebatur solos Apostolos quos in ultima cœna Sacerdotes consecraverat: Ergo iis tantum Clericis qui per ordinationem effecti sunt participes Sacerdotii Apostolorum, data est a Christo potestas fideles absolvendi a peccatis.

Probatur 2. ex Patribus qui Episcopis tantum, & Presbytaris clavium ministerium concessere. Innocentius Papa I. hæc habet in Epistola ad Decentium c. 7. *Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacbrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti cum viderit congruam satisfactionem.* Soli ergo Sacerdotes, ex Innocentii mente, pœnitentibus peccata dimittere possunt. Hæc etiam, quæ non minus clara sunt, habet Leo Magnus Epist. 82. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ actionem darent, & eosdem salubri confessione purgatos ad Communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Præpositorum nomine Leo Magnus intelligit Ecclesiæ pastores: ac proinde solos Episcopos, & Sacerdotes: Illis vero præpositis, non autem (ut Lutherus voluit) cuique Laico, aut reliquis inferioribus Clericis ait datam fuisse potestatem per januam reconciliationis, hoc est, per absolutionem Sacramentalem, fideles ad participationem mysteriorum admittendi. Eugenius Papa IV. hæc habet in decreto pro instructione Armenorum: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Eugenii decretum hoc in capite confirmatum est a Concilio Tridentino: *Circa Ministrum autem hujus Sacramenti* (inquit sess. 14. cap 6.) *declarat sancta Synodus falsas esse, & a veritate Evangelii alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosdam homines præter Episcopos, & Sacerdotes clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini, Quæcumque alligaveritis super terram, &c. Et quorum remiseritis peccata, &c. ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscue contra institutionem hujus Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis habeat potestatem remittendi peccata, publice quidem per correptionem, si correptus acquieverit; Secreta vero per spontaneam Confessionem cuicumque factam.* Huc referri possunt multi Patrum textus quos descriptos reperire est iis locis, ubi existentiam ac necessitatem confessionis Sacramentalis contra recentiores hæreticos adstruximus.

Objicies. Ferebat nonnullarum antiquarum Eccle-

siarum praxis ut Diaconi, urgente necessitate, lapsis beneficium absolutionis impenderent. 1. Apud Africanos tertio sæculo morem illum obtinuisse testatur Cyprianus Epistolâ 13. ubi sic loquitur: *Occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos a Martyribus exceperant, & prerogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum, quoque exomologesim facere delictis sui possunt, ut manu eis in Pœnitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres litteris ad nos factis desideraverunt.* Eo loci Sanctus Martyr, ubi Episcopi, & Presbyteri absunt, Diaconis eamdem facultatem concedit, qua pollent ipsimet Episcopi, & Presbyteri cum adsunt. Præterea id Cyprianus tribuit Diaconis, quod datis libellis Martyres in lapsorum gratiam petierant ab Episcopis: petierant vero absolutionem Sacramentalem: Illud igitur beneficium impendendi facultatem Diaconis Cyprianus fecit. 2. Viguisse & suo sæculo eamdem consuetudinem asserere videtur Alcuinus libro de divinis Officiis in capite jejunii, ubi hæc habet: *Non enim omnes Clerici, aut ullus Laicus hanc scripturam usurpare, aut legere debent, nisi soli illi, quibus necesse est: hoc sunt Episcopi vel Presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt, sic nec judicia ista alius usurpare debet. Si autem necessitas evenerit, & Presbyter non fuerit præsens, Diaconus suscipiat Pœnitentem, ac det Sanctam communionem.* Suscipere vero pœnitentem, quid aliud est, quam eum absolutione Sacramentali donare? Ergo Diaconi urgente necessitate, sunt ministri, saltem extraordinarii, absolutionis Sacramentalis.

Resp. Cypriani textum explicari debere vel de precibus, quas Ecclesia pro morientibus fundere solebat, vel de absolutione ab excommunicatione minori, qua innodati erant pœnitentes, utpote prohibiti a participatione Sacramentorum; exclusi a tremendo missæ sacrificio: vel dicendum est eum intelligi de Eucharistia, quam Diaconi iis dispensarent, qui per exomologesim, absente Presbytero, ipsis Diaconis factam, humilitatem, & contritionem probassent. Solebant nimirum Majores nostri SS. Eucharistiæ Sacramento reficere de vita periclitantes, licet propter Sacerdotis defectum eos non possent absolutione Sacramentali donare. Patet ea disciplina ex Eusebio, qui Historiæ lib. 6. cap. 44. refert Eucharistiam Serapioni Seni nondum absolutione sacramentali donato traditam fuisse a puero, quem Presbyter ad eum miserat, cum ipse præ infirmitate, qua detinebatur, eum convenire non potuisset. Nec obstant, quæ objecta sunt tum ex Martyrum pro lapsis petitione, tum ex eo, quod Diaconi, ubi absunt Sacerdotes, a Cypriano ipsis Sacerdotibus æquiparentur. Siquidem (ut ajunt Scholastici) licet Eucharistia sit Sacramentum vivorum, primam tamen gratiam, seu qua impius redditur justus, confert per accidens, seu ubi recipi non potest sacramentalis absolutio; proindeque plena per eam reconciliatione donabantur lapsi quos Martyres suis litteris Episcopis commendaverant.

Ex hactenus dictis patet 1. hæresim esse apertam, opinionem Lutheri contendentis, quemque fidelem, spectato solo jure divino, posse credentes absolvere. Sequitur vero cjusmodi hæresis ex principio, quo nimirum idem Lutherus contendit absolvere, nihil aliud esse, quam exterius declarare remissum esse peccatum iis, qui certo credant sibi ipsum a Deo immediate remitti. Asserto hujusmodi lex affulget ex iis, quæ nostrarum Institutionum Theologicarum tom. 2. diximus agentes de fide, quæ ad justificationem concurrit. Patet 2. merito damnatum fuisse in Concilio Constantiensi articulum, quo Joannes Vviclef contendebat Laicum, qui vir esset frugi, a Christo clavium potestatem accepisse: ac proinde constat etiam Martinum Papam V. merito præscripsisse ut suspecti de erroribus ejusdem Joannis Vviclef interrogarentur num crederent: *Quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis idonei, teneatur de necessitate salutis confiteri Sacerdoti, & non Laico seu Laicis, quantumcumque bonis, & devotis.* Patet denique 3. jure ac merito proscriptum fuisse articulum, quo (teste Reinero lib. 5.) Vvaldenses contendebant: *bonum Laicum, non vero malum Sacerdotem, habere potestatem absolvendi.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum in Pœnitentiæ ministro Jurisdictio requiratur?

CONclusio. In ministro Pœnitentiæ requiritur Jurisdictio.

Probatur authoritate Concilii Tridentini, quod quidem sic loquitur sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione: *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit ut sententia in subditos damtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam jurisdictionem non habet.* Ea Concilii sententia continet, & thesim nostram, & rationem, qua nititur, nempe absolutionem esse actum vere judicialem, qui proinde sine jurisdictione exerceri non possit; ut in ipsis etiam humanis rebus videre est.

Nec audiendi sunt, qui respondent jurisdictionem requisitam in ministro, ut valeat prolata ab eo absolutionis sententia, non esse aliquid distinctum a potestate, quam in ordinatione recepit: & consequenter eam in omnibus omnino Presbyteris reperiri. Non sunt (inquam) audiendi. Nam 1. Concilium Lateranense IV. definiit alienum Sacerdotem certo anni tempore non posse solvere aut ligare pœnitentem sine proprii Sacerdotis licentia. 2. Concil. Trid. expresse docet Sacerdotes nisi ab ordinariis approbati fuerint, non posse fidelibus validam absolutionem impendere. 3. Supponit illud argumentum nullum omnino consecrari Sacerdotem, qui ad animarum curam, & populi fidelis regimen non destinetur: Quod est falsum, ut inferius in nostra dissertatione de Sacramento Ordinis ostendetur.

Objicies. Episcopus, cum Diaconos inaugurat Sacerdotes, sic eos alloquitur: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:* Omnibus igitur Sacerdotibus, ut ex iis terminis patet, confert potestatem dimittendi peccata: Ergo etiam, & jurisdictionem: utramque enim illam potestatem remittendi scilicet peccata, & jurisdictionem exercendi, Christus iisdem verbis Apostolis tradidisse videtur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Nec enim (ut argumentum supponit) per hæc verba: *Quorum remiseritis peccata* &c. Christus Apostolis suis jurisdictionem concessit, sed his aliis: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.*

Nec obstat quod nonnulli reponunt, absolvendi nempe potestatem, quam ministri in Ordinatione recipiunt, fore inutilem si simul & semel jurisdictio non conferatur: nec enim sine jurisdictione potestas ejusmodi ad actum reduci poterit. Non obstat (inquam) Quamvis enim illa potestas, si sola remaneat, ad actum reduci non possit: potest tamen ubi jurisdictio accesserit; per jurisdictionem scilicet subditi assignantur in quos potestas dimittendi peccata exerceatur. Patet ea responsio a simili: Si Rex v. g. aliquibus reos absolvendi aut damnandi potestatem faceret, nec tamen assignaret subditos, sed eorum determinationem proregi in provinciis constituto permitteret, non censeretur inutilem potestatem concessisse: ita nec Episcopus, cum in ordinatione confert potestatem tribuit, licet aut sibi aut alteri ordinario jurisdictionis concessionem reservet.

Quæres quotuplex sit jurisdictio, & per quid conferatur?

Resp. ad 1. Jurisdictionem esse duplicem, Ordinariam nimirum, quæ reperitur in Summo Pontifice, Episcopis, Parochis, & aliis, quibus ex officio incumbit animarum cura: & delegatam, quæ ab eo immediate tribuitur cui jurisdictio ordinaria convenit. Hæc etiam nonnumquam Subdelegata dicitur, licet ad majorem rerum perspicuitatem, potestas subdelegata definiatur

ea

ea quæ ab eo qui delegatam habet potestatem cum jure subdelegandi, non proprio, sed ordinario delegantis nomine, attribuitur.

Resp. ad 2. Jurisdictionis potestatem cuipiam tribui vel per Pastoralis beneficii collationem, vel per facultatem confessiones excipiendi ab Ecclesia conferri solitam; seu (ut post Concilium Tridentinum loquendi mos invaluit) per approbationem.

Quæres 2. Cujusnam Episcopi approbatio necessaria sit ad excipiendas fidelium confessiones, an ejus loci in quo Sacerdos confessiones excipit, an vero Episcopi cui subjicitur pœnitens.

Resp. requiri approbationem Episcopi, cui pœnitens subjicitur. Ratio est, quia Episcopus per approbationem Sacerdoti confert jurisdictionem in eum qui confitetur: Sed eam conferre non potest in hominem qui sit alienæ Diœceseos: cum ejusmodi homo nulla ei ratione subjiciatur. Nec valet quod ab aliquibus objicitur, peregrinos nimirum admitti ad Sacramentorum participationem iis in locis per quæ transeunt, licet Sacerdotes qui confessiones excipiunt a peregrinorum illorum Episcopo minime fuerant approbati. Non valet (inquam) tunc enim Ecclesia propter Episcopatus unitatem de qua suo loco cum Cypriano multa dicemus, iis qui approbati sunt ab Ordinario loci, confert jurisdictionem quæ ad audiendas peregrinorum confessiones requiritur. Præterea Ordinarius cum non prohibet suis ovibus ne extra Diœcesim confiteantur, censetur ministris approbatis ab Ordinario locis juridictionem in oves proprias conferre, modo tamen extra Diœcesim propriam in fraudem legum quas proprius Episcopus constituerit, non existant.

Quæres 3. Utrum Episcopus possit ovibus sibi creditis prohibere ne *dedita opera* adeant Sacerdotes sive sæculares, sive regulares extra Diœcesim excipiendis confessionibus præpositos, ab Ordinario quidem loci, non autem a se ipso approbatos, idque sub pœna nullitatis absolutionis quæ tunc collata fuerit?

Resp. affirmative. Nititur ea responsio authoritate S. Caroli, qui in IV. Concilio Mediolanensi, Titulo de iis quæ ad Pœnitentiæ Sacramentum pertinent, sic loquitur: *Qui ad confessarium etiam Regularem in aliena Diœcesi commorantem dedita opera se conferens, peccata sua sit confessus, nisi confessarius ille ab Episcopo loci, & confitentis Ordinario ad confessiones audiendas probatus erit, ei tamquam inconfesso Parochus Eucharistiæ Sacramentum no præbeat.*

ARTICULUS TERTIUS.

De approbatione Regularibus necessaria ut fidelium confessiones excipiant.

QUadruplex difficultas hic expendetur; Quæremus nimirum 1. utrum Episcopi approbatio necessaria sit Regularibus, ut valide fidelium confessiones excipiant: 2. utrum si lubeat Episcopo, Regulares illius examen subire teneantur: 3. utrum locorum ordinarii possint datas Regularibus approbationes revocare aut restringere ubi id populo fideli expedire judicaverint: 4. utrum Privilegiati speciali Ordinariorum licentia indigeant, ut absolvant a casibus quos Episcopi sibi reservaverint.

§. I.

Utrum Episcopi approbatio necessaria sit Regularibus ad audiendas fidelium confessiones?

COnclusio. Regulares indigent Ordinariorum approbatione, ut fidelium confessiones audiant.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino, in cujus sess. 25. cap. 25. de reform. hæc habentur: *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decrevit tamen sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, necessarium, aut alias idoneus judicetur, & APPROBATIONEM, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Juenin de Sacram.

Allatum ex Concilio Tridentino decretum vim habet etiam in Galliis quamvis Sacra Synodus multis aliis in capitibus ad disciplinam spectantibus recepta non fuerit: Siquidem in omnibus fere Galliarum Provinciis promulgatum sit.

Anno 1581. illud conceptis terminis Rothomagi promulgarunt Comprovinciales Episcopi in Synodo quæ habita est sub Carolo Cardinale Borbonio: *Quamvis* (inquiunt titulo De curatorum & aliorum Presbyterorum ac Parœcianorum officiis) *Presbyteri in sua ordinatione, a peccatis absolvendi potestatem accipiant: nullus tamen, etiam Regularis, potest confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, atque exercitii potestatem, quæ gratis detur, obtineat.*

Anno 1583. hæc definiit Synodus Provinciæ Burdigalensis: *Præcipimus juxta Concilii Tridentini decretum, ut nullus Presbyter, ne Religiosus quidem, confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audiat nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, vel idoneus judicatus, approbationem quæ gratis detur, obtineat.*

Anno 1585. declaratum est in Concilio Aquensi Regulares qui non obtenta ab Episcopis approbatione Synodi Tridentini decretum de quo agitur, infregerint, ipso facto incidere in excommunicationem: *Excommunicationis item pœnam Sacerdotes sine approbationis facultate ab Episcopo in scriptis data, quæ tamen gratis concedatur, pœnitentiæ Sacramentum ministrantes, ipso facto subire decernimus, & declaramus.*

Anno 1590. habitum Tolosæ Concilium hæc habet titul. de Pœnit. & Confess. cap. 4. *Nulli sæcularium, regulariumve, absque ea, quam Sacrosancta Tridentina Synodus injunxit, approbatione, confessiones audire liceat.*

Anno 1609. hæc edixerant Comprovinciales Episcopi in Synodo Narbonensi, tit. de Sacramento Pœnitentiæ, c. 16. *In conferente jurisdictio esse debet: Quapropter ad fidelium confessiones audiendas nullus sive sæcularis, sive regularis sit, aut quacumque dignitate vel auctoritate fulgens admittatur, nisi qui per Episcopum, prævio super litteratura examine, diligentique de vita, & moribus inquisitione procedentibus, factoque de prudentia experimento, fuerit approbatus, & in scriptis obtinuerit facultatem, quæ gratis detur, & sine qua nemini omnino liceat audire confessiones sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, cum alias non sit solvere, sed confitentem decipere: excepto mortis periculo, in quo quilibet Sacerdos, vere pœnitentem potest ab omnibus peccatis absolvere.*

Annis 1625. 1635. 1645. idem ac laudata hactenus Concilia statuit Clerus Gallicanus ad Comitia generalia adunatus Parisiis; hæc sunt verba patria quibus iis in comitiis usi sunt Gallicani Patres ut suam de Concilii Tridentini decreto mentem aperirent: *Qu'aucun ne soit si temeraire de s'entremettre en cette fonction* (loquuntur de administratione Sacramenti Penitentiæ) *sans avoir la permission par ecrit de l'Eveque Diocesain ou de son Grand Vicaire; Et les Religieux quoique exempts de sa Jurisdiction ne pourront confesser que prealablement ils n'ayent subi l'examen, & ne soient approuves de lui ou de son Grand Vicaire, de la volonte desquels dependra de leur permettre de confesser pour un temps, ou pour toujours.* Ea vero vernacula verba sic Latine redduntur: *Nullus ita sit temerarius ut ingerat se audiendis confessionibus quin ad id facultatem scripto traditam ab Episcopo, aut ejus Vicario Generali obtinuerit. Et Religiosi quamvis exempti ab illius Jurisdictione excipere non poterunt confessiones quin prius examen subierint, ab eoque aut ejus Vicario Generali approbati fuerint, ex quorum nutu pendebit ut indefinitam aut ad tempus solum facultatem concedant.* Tandem quam vim Concilii Tridentini decretum de quo agitur, in Galliis habeat, colligi potest ex decreto quo Alexander

Papa VII. anno 1659. præscripsit tamquam *falsam, temerariam, scandalosam, in hæresim, & schisma inducentem, Sacro Concilio Tridentino & Sedi Apostolicæ injuriosam*. Hanc propositionem quam quidam Privilegiati Regulares Andegavi promulgaverant, *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis ut sæcularium confessiones audire possint; neque ex illius Concilii authoritate privilegia Regularium restringi possunt: cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei; neque etiam Bulla Pii Papæ IV. pro confirmatione, illius Concilii promulgata*.

Iis, quæ huc usque prolata sunt, momentis vim hocce responso detrahere conantur: Ajunt nempe Concilium Tridentinum expresse, & nominatim non recensuisse privilegia Regularibus concessa in Concilio Viennensi per Clementinam *Dudum*: unde colligunt ea, etiam post Concilium Tridentinum, integra remansisse, cum sit juris regula in Sexto, *Per constitutionem posteriorem non derogari priori, nisi prioris in posteriori fiat expressa mentio*.

Verum qui sic ratiocinantur, aberrant quam maxime. Nam 1. dato quod allata juris regula locum habeat in constitutionibus Summorum Pontificum; valere tamen non potest pro decretis Conciliorum Oecumenicorum. Ratio est, quia ideo nonnumquam potest habere locum in decretis Pontificum, *Quod* (ut ibidem habetur in sexto (*Summi Pontifices locorum specialium, & personarum singularium constitutiones, & statuta possint probabiliter ignorare*: At idem dici non potest de Concilio generali, cui adsunt tum Episcopi, tum Theologi ex omnibus Christiani partibus, & ipsæ etiam personæ, seu Regulares, quorum interest. 2. Tridentina Synodus expresse meminit personarum quibus antiquitus data fuerant privilegia, recenset nimirum Regulares cujuscumque sint Ordinis aut Instituti. 3. Laudatum juris axioma valet tantum in consuetudinibus quæ cum communes sint, antiquę & a prudentibus probatæ, tenent locum juris communis; non valet vero in privilegiis, cujusmodi sunt concessiones Mendicantibus olim factæ ad audiendas confessiones sæcularium sine ordinariorum approbatione speciali.

Probatur 2. Conclusio ex decretis Summorum Pontificum.

1. Huc pertinet Bulla quæ incipit, *Benedictus Deus*, qua Pius Papa IV. omnia & singula Concilii Tridentini decreta confirmavit. Huc etiam spectat alia ejusdem Pontificis constitutio quæ incipit, *In Principis Apostolorum*, in qua sic loquitur laudatus Pontifex: *Omnia illa, & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriæ, indulta, confessionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ, in his omnibus, & singulis, in quibus illa statutis, & decretis Concilii Tridentini contrariantur, ipso jure revocata cessata, & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites redacta sint, & esse censeantur*. Pius Papa V. in constitutione quæ incipit, *Romani Pontificis*, hæc habet: *Hac nostra constitutione perpetua sancimus, decernimus, declaramus decretum Concilii Tridentini de approbatione audiendis confessionibus sæcularium ab Episcopis faciendo observari debere etiam in omnibus Regularibus omnium ordinum, etiam Mendicantium, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis* (loquitur de Bulla, *Etsi Mendicantium*, qua prius in Mendicantium gratiam Concilio Tridentino nonnullam labem inferre visus fuerat) *quibuscumque Regularibus concessis, quas quoad ea quæ præsentibus adversantur, & contrariantur, penitus, & omnino revocamus, cassamus, & irritamus*. Gregorius Papa XIII. anno 1573. irritam fecit Bullam, *Etsi Mendicantium*, editam a Pio Papa V. in gratiam Mendicantium, nec non duplicem aliam quæ Ordinariorum juri adversari videbantur; decrevit nempe constitutione, quæ incipit, *In tanta negotiorum mole*, eas Bullas, aut alia privilegia, quæ contraria essent Concilii Tridentini statutis, pro nullis, & infectis haberi debere.

2. Gregorius Papa XV. per Bullam, quæ incipit, *Inscrutabili*, statuit confessarios *sive sæculares, sive regulares, quomodolibet exemptos, tam ordinarios quam extraordinarios, ad confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari posse, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant*.

3. Urbanus Papa VIII. Regulares omnes etiam Societatis Jesu, Ordinario subjecit quoad examen & approbationem quæ Concilium Tridentinum requiri voluit pro audiendis sæcularium confessionibus; irritaque fecit privilegia omnia quæ a quibusque suis prædecessoribus, Mendicantibus cæterisque Regularibus concessa fuissent. Innocentius Papa X. in causa Episcopi Angelopolitani cum Jesuitis idem speciali Brevi statuit quod Urbanus VIII. Gregorius XIII. Gregorius XV. Pius IV. Pius V. antea definierant. Laudatis Pontificibus adhæsit Alexander Papa VII. Anno nimirum 1659. Breve direxit ad Illustrissimum Episcopum Andegavensem, quo Regulares nonnullos proscripsit, quod contenderent sibi opus non esse Ordinarii approbatione, ut sæculares a peccatis absolverent. Laudatorum Pontificum textus hujusce articuli paragrapho tertio descriptos legere est.

Probatur 3. nostra conclusio ex ipsa confessione Regularium. Anno 1633. Præpositi superiores Monasteriorum urbis Parisiensis hæc quæ sequuntur scripto tradiderunt: *Nous soussignes Religieux de divers Ordres tant en notre nom qu' au nom de tous les Religieux de nos Ordres en France, desquels nous promettons de nous faire avouer, reconnoissons que nous ne devons ny pouvons ouir les confessiones des personnes Seculieres sans l'approbation, & licence de nos Seigneurs les Ordinaires, lesquels ils peuvent revoquer quand bon leur semblera, pour incapacité notoire, ont scandale public, & pour les autres causes qui pourroient survenir importantes a utilement & dignement administrer les Sacremens*. Hoc est, *Nos infra scripti diversorum Ordinum Religiosi, tum nostro nomine, tum nomine Ordinum nostrorum in Galliis, quorum hac in parte pollicemur consensum, agnoscimus nos nec debere, nec posse sæcularium confessiones excipere, quin prius a D. D. Ordinariis obtinuerimus approbationem, & licentiam, quas ad nutum revocare possint, propter notoriam incapacitatem, publicam scandalum, aliasque causas quæ accidere possant, & conferre ad utilem, & dignam Sacramentorum administrationem*.

Probatur quarto nostra conclusio ex eo quod sæpius damnati fuerint Regulares qui ausi fuerant docere contrarium. Primo. Cellotius e Societate Jesu priorem suam sententiam ipsemet damnavit: instante nimirum Sacra Facultate Parisiensi, publice declaravit: *Regulares non debere nec posse sæcularium confessiones audire, nisi prius approbationem obtinuerint ab Episcopo. Aliud quidem dixit authores alios secutus*, (de Hierarchia, & Hierarchiis lib. 5. cap. 24.) *nunc autem volens, & lubens amplector scriptum illud quod anno 1633. die 19. Febr. tum ex Ordinibus aliis, tum e Societate nostra superiores aliqui Eminentissimo Cardinali Duci Richelio dederunt, nominibus syngraphisque suis consignatum: quod quidem scriptum nondum mihi innotuerat cum eos de Hierarchia libros conscripsi*.

Anno 1655. quidam Regulares Diœcesis Andegavensis hanc (ut superius dictum est) propositionem promulgaverant: *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Episcopis ut Sæcularium confessiones audiret possint*. De ea vero propositione Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus hocce tulit judicium: *Hæc itaque, & plurima alia illo libello, & aliis scriptis Regularium Andegavensium attendentium spiritibus erroris in hypocrisi loquentium mendacium damnavimus, & damnamus, prædictasque propositiones temerarias, scandalosas, falsas, erroneas, in hæresim, & schisma inducentes, Sedi Apostolicæ, Conciliis tum Oecumenicis tum Provincialibus, & præcipue Sacro Tridentino, & Ordini Episcoporum injuriosas, & contrarias, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructivas respective judicamus*. Illud Ecclesiæ Gallicanæ judicium confirmavit Alexander Papa VII. Brevi, quod Romæ datum est anno 1659 cujus verba superius a nobis descripta sunt.

Utrum

§. II.

Utrum Regulares examen Episcopi subire teneantur?

Conclusio. Regulares, cujuscumque sint ordinis, tenentur examen Episcopi subire, ut approbationem confessionibus audiendis necessariam recipiant.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino, in quo hæc habentur sess. 23. de reform. cap. 15. *Decernit sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, esse necessarium, judicetur.* 2. Idem decernitur in Conciliis Provincialibus Rothomagensi, Burdigalensi, Bituricensi, Narbonensi, Generalibus Cleri Gallicani Comitiis, quorum textus paragrapho superiore descriptos legere est. 3. Idem definitum est ab Summis Pontificibus, quorum Brevia eodem paragrapho superiore retulimus. 4. Denique idem ostenditur ex natura approbationis ad audiendas confessiones requisitæ: cum enim cæcu, & temerario modo ab Episcopis dari non debeat, prævium examen supponit, idque indicant hæc verba Concilii Tridentini; *Idoneus judicetur.*

Quæres 1. Utrum Episcopus Regulares jam semel examinatos, iterum, & sæpius possit ad aliud examen vocare?

Resp. affirmative: *Nullo enim jure* (inquit Suarez) *hoc illi prohibetur: neque in hoc facit injuriam Sacerdotibus examinandis, quia illi per approbationem non fuerunt consecuti novum aliquod jus, nec Episcopus semel examinando, & approbando, aliquo titulo se obligavit illud examen semper firmum habere, ut numquam illud in dubium revocet, neque aliud intentet; præsertim, cum moraliter loquendo, possint occasiones occurrere ob quas prudenter hoc fiat: sæpe enim examen per alios fit, & non recte fit, & aliquando moraliter constat plures indignos vel malitia, vel negligentia, vel casu inter dignos esse approbatos, & ad vitandam infamiam, vel scandalum expedit iterum omnes ad examen vocare.*

Quæres 2. Utrum Regulares qui subierunt examen ac in una Diœcesi approbati fuerunt, approbati censeantur in aliis omnibus in quas se ex Præpositorum mandato conferunt.

Resp. negative. Ratio est 1. quia Alexander Papa VII. tamquam *falsam, & saluti animarum perniciosam* damnavit hanc quorumdam Regularium Andegavensium propositionem: *Regulares ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione.* 2. Per approbationem Regulares recipiunt jurisdictionem in fidelem populum: Sed jurisdictio in populum alterius Diœcesis non confertur ab alienæ Ordinario, cum ipse Ordinarius in alienos Diœcesanos nulla omnino Jurisdictione fruatur.

§. III.

Utrum Episcopi possint dare regularibus approbationes quæ sint tantum ad tempus?

Conclusio. Possunt Episcopi regularibus approbationes concedere quæ sint tantum ad tempus.

Probatur ex Conciliis. Concilia definierunt Episcopos posse quibusdam limitibus circumscribere facultatem datam celebrandi missam privatis in Ecclesiis, & Oratoriis, ut constat ex Synodo Mediolanensi prima, Titul. de Missa sine cantu, & ex Synodo Aquensi, Titul. de celebrat. Missæ: Ergo a fortiori possunt ad certas personas, ad certum tempus, approbationes restringere quæ necessariæ sunt ad audiendas fidelium confessiones. Confirmatur ex eo quod potestas celebrandi Missam arctius quam facultas audiendi confessiones, conjuncta sit cum charactere Sacerdotali. Præterea potest fieri ut post tempus præscriptum Ordinarios ad administrandum Pœnitentiæ Sacramentum non indigeat Regularium subsidio; fieri potest ut Regularis qui idoneus est audiendis horum vel illorum fidelium confessionibus, ineptus sit ad audiendas in his, aut in illis locis aliorum fidelium confessiones, idque nonnumquam propter causas quæ uni Episcopo perspectæ sint. Addendum est Episcopos posse concessas regularibus approbationes absolute revocare ut infra demonstrabitur: Ergo a fortiori possunt eas restringere cum id saluti populorum expedire judicarint; qui enim potest majus, potest minus in eodem genere.

Probatur iterum ex decretis Summorum Pontificum. 1. Urbanus VIII. Brevi dato die 30. Januarii ann. 1639. in gratiam Cardinalis Sandovalli Giennensis Episcopi, edixit posse Episcopum interdicere Regularem quem in excipiendis sæcularium confessionibus parum integre, casteque versari compererit; ita tamen ut non ipsi Regulari interdictionis causam aperire, sed poscenti dumtaxat Pontifici Maximo rationem reddere teneatur.

Secundo. Idem Urbanus Papa VIII. sic loquitur in Brevi quod ad Episcopum Cordubensem dedit: *Confessarios Regulares ab Episcopis ad quos jus eos approbandi spectat, libere approbatos ipsi Episcopi suspendere possunt ex nova causa, eaque ad confessiones pertinente. Cæterum an eadem causa subsit, necne, Episcopus non tenetur ipsis Regularibus edicere, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperire postulaverit.*

Tertio. Idem evincitur ex Alexandro Papa VII. qui Brevi quod anno 1659. dedit ad Episcopum Andegavensem proscripsit hanc Mendicantium Andegavensium propositionem: *Ubi Concilium Tridentinum receptum non est, non possunt Episcopi restringere, vel limitare approbationes quas Regularibus concedunt ad audiendas confessiones, neque illas ulla ex causa revocare.*

Quarto. Clemens Papa X. prædecessorum suorum qui a Concilii Tridentini tempore ad suam usque ætatem floruerunt, circa quæstionem de qua hic agitur, statuta anno 1670. innovavit confirmavitque in constitutione quæ incipit: *Superna magni*, ubi sic loquitur: *Quoad cæteros vero qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere.* Quoad illud caput Ecclesiæ Gallicanæ receperunt Bullam Clementis Papæ X. eo quod cum sacris canonibus, & gentis Franciæ usibus cohæreat, licet tamen ea non promulgaverint quoad alia multa capita, quæ quidem opposita sunt disciplinæ quam jamdiu apud eos est in usu, cuique derogatum noluit laudatus Pontifex, cum in sua constitutione specialiter illius non meminerit.

Quinto. Quæ hucusque dicta sunt, sancita etiam fuerunt in tribus Cleri Gallicani Comitiis, ann. scilicet 1625. 1635. 1645. sic enim loquuntur nostrates Episcopi: *Regulares qualincumque privilegia aut immunitates obtendant, sæcularium confessiones audire non poterunt, quin Episcopi Diœcesani examen subierint, & ab ipso vel ejus Vicario Generali fuerint approbati, e quorum nutu, & arbitrio pendebit iis vel temporariam, vel perpetuam confessiones excipiendi facultatem facere, vel sub quacumque restrictione placuerit, concedere, quæ approbatio gratis dabitur. Hæc* (Merbesio teste) *habentur art. 6. & insinuantur 8.*

§. IV.

Utrum Regularibus necessaria sit specialis Ordinariorum licentia ut absolvant a casibus eidem Ordinario reservatis?

Conclusio. Regularibus opus est speciali licentia Episcopi ut a casibus eidem Episcopo reservatis fidelem populum absolvere valeant.

Probatur primo ex Conciliis Oecumenicis. Concilium Viennense Oecumenicum multa quidem privilegia Regularibus concessit ad audiendas sæcularium confessiones: Verum ab iis privilegiis excepit facultatem absolvendi a casibus quos Episcopus sibi specialiter reservasset, non enim eis aliam potestatem concessit quam eam qua Parochi secundum jus commune

frue-

fruebantur: *Per hujusmodi autem concessionem* (inquit Clemens Papa V. ejusdem Concilii Præses) *nequaquam intendimus personis seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem in hoc* (loquitur de potestate administrandi Sacramentum Pœnitentiæ) *impendere ampliorem quam in eo Curatis vel Parochialibus Sacerdotibus est a jure concessa: nisi forsan eis Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac parte gratiam specialiter duxerint faciendam.* Atqui conveniunt omnes eam Curatorum potestatem non se extendere ad casus quos locorum Ordinarii sibi specialiter reservaverint. Idem clarius edicitur in Clementina, *Religiosi*, ubi sic loquitur laudatus Papa: *Quibus etiam*, Religiosis, *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis eternæ districtius inhibemus ne in casibus Sedi Apostolicæ aut locorum Ordinariis reservatis quemquam absolvere præsumant.*

Concilium Tridentinum non minus id expresse definit sess. 14. cap. 7. de casuum reservatione: *Neque* (inquit) *dubitandum est, quando omnia quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem* (idest reservatio casuum) *Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes authoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ authoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis censuris, & peccatis absolvere possunt, extra quem articulum, Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.* Ex iis verbis patet Sacram Synodum definire nullum omnino Sacerdotem, ac proinde nec Regularem, præterquam in articulo mortis, posse sine speciali licentia a casibus absolvere quos sibi Episcopi reservaverint.

Probatur 2. ex Conciliis Provincialibus. Hæc habentur in tertio Concilio Mediolanensi sub S. Carolo sub titulo de iis quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent: *Ne confessarii regulares eorum peccatorum quorum absolutio Episcopo reservata est, vinculis irretitos pœnitentes absolvant, quemadmodum a Sede Apostolica declaratum est id eis non licere quavis privilegiorum suorum authoritate.* Idem in quinto Concilio Mediolanensi sub eodem titulo decretum est: *Ab iis casibus maxime promulgatis, si quis Confessarius cujusvis Ordinis, sine facultate scripto ab Episcopo data, aliquem absolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.*

Concilium Burdigalense celebratum anno 1583. hæc ait quæ Concilii Tridentini, & Ecclesiæ disciplinam clare explicent: *Sunt* (*sicut accepimus*) *nonnulli Sacerdotes qui terminis suis non contenti, passim & sine discrimine ab omnibus peccatis quantumvis atrocibus, delinquentes cum maximo suæ, & illorum salutis periculo absolvere præsumunt. Nos huic malo occurrere cupientes, præsenti decreto omnibus Parochis, & aliis Sacerdotibus confessionibus audiendis præfectis, sub excommunicationis pœna prohibemus, ne deinceps a peccatis, & criminibus atrocioribus, quorum cognitionem, & absolutionem sibi Summus Pontifex, aut Episcopus in suis constitutionibus Synodalibus reservarunt, quemquam absolvere, sed ejusmodi criminum reos ad Episcopos suos amandent, ut vel ipsi, causa cognita, eos absolvant, vel ad summum Pontificem absolvendos mittant: declarantes absolutionem in prædictis criminibus absque certa, & præcipua SS. D. nostri Papæ vel propriorum Episcoporum concessione per Parochos, & alios Sacerdotes, præterquam in mortis articulo, datam, viribus penitus carere, & nullam esse.*

Provincialis Synodus Bituricensis quæ anno 1584 habita est, sub titulo 21. de Pœnit. & ejus partibus, canone 8. hæc habet: *A gravioribus criminibus, & Episcopo reservatis non liceat Sacerdotibus, cujuscumque Ordinis, gradus, aut Congregationis existant absolvere, sed ad Episcopos pœnitentes remittant, aut ad eorum Pœnitentiarios, ac pro gravitate criminum aut pœnitentiam imponant, aut relaxationem concedant.*

Idem plane sanxit Concilium Aquense sub titul. *Quæ ad pœnit. sacramentum pertinent*, ann. Redemptionis 1586. Idem quoque Tholosanum quod habitum est anno 1590. Titul. de Pœnit. & Confess. cap. 4. Idem pariter edixit Narbonense ann. 1609. cap. 17. de casibus reservatis. Idem denique hisce verbis Gallicis declaravit Clerus Gallicanus in Comitiis Generalibus ann. 1645. *Dautant que bien souvent les Religieux obtienent des indults & privileges de Sa Saintete, en vertu desquels ils s'ingerent sans la permission de l'Eveque Diocesain d'absoudre de l'heresie & autres cas reservez au Pape & aux Eveques, & de dispenser des irregularitez: Declarons que les dits Religieux ne peuvent absoudre desdits cas, ni dispenser d'irregularite, sans avoir auparavant montre leurs Induls au dit Eveque Diocesain, & ne pourront s'en servir qu'apres que les auront reconus pour bons & valables. Ne pourront aussi donner pouvoir a aucun Pretre d'absoudre des susdits cas, quoiqu'ils alleguent en avoir le pouvoir en vertu de l'etablissement & fondation de leurs Ordres, Confrairies, & Congregations; Exceptons neanmoins de cette Ordonnance les Indults secrets de la Penitencerie de Rome.*

Probatur 3. conclusio ex decretis Summorum Pontificum. Huc referri possunt constitutiones, quibus Summi Pontifices Concilium Tridentinum confirmarunt: cum enim ea Synodus expresse definiat nullum Sacerdotem sine speciali Episcopi licentia posse a casibus absolvere, quos sibi Episcopi reservaverint, necesse est ut idem plane visum sit Pontificibus a quibus Concilium Tridentinum confirmatum fuit.

Sacri Concilii Tridentini, & constitutionibus quibus confirmatum fuerat, nonnulli Regulares sua praxi obstiterunt S. Caroli ætate. Perfugit S. Præsul ad Gregorium Papam XIII. a quo quæsiit, *An regulares ex privilegio a Sede Apostolica impetrato, & præsertim ex eo quod nominant, Mare magnum, possint in casibus, quos sibi Episcopus reservaverit, absolvere pœnitentes.* Illi vero quæstioni hocce datum est responsum Romæ die 10. Septembris 1577. *Sanctitas sua censuit ex facultatibus per hoc, Mare magnum, aliave privilegia Regularibus concessa factam eis non esse potestatem absolvendi sibi in casibus ab Episcopis reservatis.*

Regulares ubique gentium per eam Gregorii constitutionem non redacti sunt ad ordinem; unde aliam promulgare coactus est Clemens Papa VIII. die 9. Mensis Januarii ann. 1601. Sic autem habet laudati Pontificis decretum: *Sacra Congregatio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, justis, & gravibus causis id exigentibus, ac de SS. D. N. Clementis VIII. speciali mandato vivæ vocis oraculo desuper habito, Sacerdotibus omnibus tam Sæcularibus quam Regularibus, per universam Italiam extra Urbem degentibus, ad confessiones audiendas probatis, quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, militiarum aut congregationum etiam Societatis Jesu, quarumcumque aliarum, quovis nomine nuncupentur, jubet, & præcipit, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, indultorum aut facultatum generaliter, vel specifice, scripto aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem a Sede Apostolica, vel ejus authoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus aut Archiconfraternitatibus sæcularium, aut singulis personis, seu alias quomodocumque, sub quibusvis tenoribus, formis, & clausulis, etiam derogatoriis, ad cujusvis etiam Imperatoris, Regum aut aliorum Principum instantiam concessarum seu confirmatarum, alicui cujusvis status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ quam sæcularis, etiam Regiæ vel Imperialis; ab ullo ex casibus clare vel dubie in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum, & per Sanctitatem suam ejusve successores pro tempore, in eadem Bulla vel aliter reservandis, nec etiam a casibus, quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, nullo casu etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo,*

culo, feu cum nova vel fpeciali Sanctitatis fuæ, aut fucceſſorum fuorum vel Ordinariorum, quoad cafus ad ipfos tantum refervatos refpectivè, impetrata in fcriptis licentia Ordinariis locorum exhibenda, abfolutionis beneficium de cætero impendere audeat, aut præfumat. Sed cum opus fuerit pœnitentes ad fuperiores legitimofque judices accedere confulant: fub pœna contra facientibus, tam Regularibus, quam Sæcularibus excommunicationis &c. Præterea noverint Pœnitentes abfolutionem, fi quam obtinebunt, contra hujufmodi prohibitionem, effe nullam nulliufque roboris, & momenti. Ea Clementis Papæ VIII. declaratio plane irritas facit nænias omnes quibus nonnulli utuntur, ut Sacro Concilio Tridentino, Synodis Provincialibus illudant.

Romæ aliud decretum editum eft a Paulo Papa V. die 7. Januarii ann. 1617. quo itum eft obviam tricis, quas nonnulli adhibebant, ut Clementis VIII. declarationem eluderent: Aliud quoque editum eft ab Urbano Papa VIII. die 17. Novemb. 1628. fic autem habet: *Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis, & confultationibus Epifcoporum, & Regularium præpofita cenfuit per confirmationes privilegiorum, quas Regulares a Sede Apoftolica poft facrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiffe privilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipfius Congregationis decretis fublata atque extincta, fi quæ habebant abfolvendi a cafibus Ordinario locis refervatis. Quemadmodum neque indulta abfolvendi a cafibus contentis in Bulla, quæ in die cœnæ Domini legi confuevit, utpote fublata per annuam ipfius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquifiviffe ex fubfequentibus privilegiorum confirmationibus, ac proinde Regulares cujufvis Ordinis, Congregationis Societatis, & inftituti etiam neceffario exprimendi, nec intra nec extra Italiam, in viam privilegiorum aut confirmationum ejufmodi, quas vel hactenus obtinuerint, vel deinceps forte obtinebunt, poffe quempiam abfolvere ab eifdem cafibus in Bulla Cœnæ Domini aut Ordinario loci refervatis. At fi fecus egerint, abfolutiones nullas atque irritas fuiffe ac fore: ab aliis vero cafibus, & cenfuris Sedi Apoftolicæ refervatis, fiquidem Regulares habeant a Sede Apoftolica abfolvendi facultatem, illam extra Italiam nemini fublatam fuiffe iifdem fanctæ Congregationis decretis hac de re editis juffu fanctæ memoriæ Clementis VIII. quam Sacræ Congregationis Sanctitas fua ad fe relatam approbavit, mandavitque ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter obfervari.*

Alexander Papa VII. anno 1659. decreta, quæ huc ufque relata funt, confirmavit in Brevi, quod ad Epifcopum Andegavenfem direxit; Eo nimirum in Brevi cujus textum fuperius retulimus, propofitionem, qua Regulares Andegavenfes contendebant Mendicantes vi fuorum privilegiorum poffe in Galliis abfolvere a peccatis, quæ fibi Ordinarius refervaffet, damnavit tamquam *falfam, authoritati Epifcoporum, & Apoftolicæ Sedi injuriofam.*

Anno 1670. Clemens Papa X. omnes omnino, quorumdam Regularium hoc in capite cavillationes detexit damnavitque. Declaravit nimirum 1. *ex facultatibus per Mare magnum, aliave privilegia Regularibus cujufcumque Ordinis, inftituti, aut Societatis, etiam Jefu, conceffis factam eis non effe poteftatem abfolvendi in cafibus ab Epifcopo fibi refervatis.* Declaravit 2. *per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apoftolica poft Sacrum Concilium Trident. obtinuerunt, nequaquam revixiffe privilegia prius ab eodem Concilio aut deinde Apoftolicis etiam decretis fublata atque extincta fi quæ habebant abfolvendi a cafibus Epifcopo refervatis.* Declaravit 3. *habentes facultatem abfolvendi ab omnibus cafibus Sedi Apoftolicæ refervatis, non ideo poffe abfolvere a cafibus, quos Epifcopi fibi refervaverint.* Ex iis patet Clementem Papam X. ea omnia confirmaffe, quæ hucufque a nobis dicta funt de abrogatione poteftatis, qua in conferenda Sæcularibus abfolutione nonnulli Regulares, etiam poft Concilium Tridentinum fe potiri gloriabantur.

Sed tot Ecclefiafticarum fanctionum nullam rationem habuere Regulares Diœcefis Agennenfis: unde ad Senatum Burdigalenfem tamquam ab abufu provocarunt ex mandatis, quibus illuftriffimus Epifcopus Agennenfis canonicas illas fanctiones in fua Diœcefi promulgaverat. Caufam obtinuerunt Regulares, verum re delata ad Sanctius Regis Chriftianiffimi confilium, refciffum eft Burdigalenfis Senatus judicium, edictum nimirum fuit a Ludovico XIV. ut non in Diœcefi modo Agennenfi, fed in toto regno, Conciliorum canones, fanctiones, refcripta fummorum Pontificum, quoad capita de quibus, quatuor fuperioribus paragraphis dictum eft, executioni madarentur.

Eo autem Arrefto quo a Rege tamquam cui canonum cura credita fit, fancitum eft 1. *ut poft habito Senatus Burdigalenfis Arrefto, 6. Septembris ann. 1666. reddito, mandata D. Agennenfis Epicopi edita 6. Maji 1666. & 2. Augufti 1668. in fua forma, & tenore ferventur.* Sancitum eft 2. *congruenter legibus, & praxi Ecclefiæ, ut nemo Sacerdotum fæcularium, & regularium præfata Diœcefeos Agennenfi prædicare poffit, nifi de præfati Epifcopi licentia, & ne ipfi quidem regulares in fui Ordinis templis, nec in fuarum Congregationum facellis, quin prius ipfimet ad prædictum Epifcopum ejus petendæ benedictionis gratia fe fe contulerint, in quibus tamen ipfo reluctante prædicare non poterunt.* Sancitum eft 3. *Ut præfatus Epifcopus poffit limitibus quibufdam circumfcribere, & revocare conceffas iis facultates, cum vifum fuerit.* Sancitum eft 4. *Ut nec Sæculares, nec Regulares, nifi obtenta Epifcopi approbatione (quæ gratis dabitur) confeffiones excipere valeant.* Sancitum eft 5. *Ut ille ipfe Epifcopus congruenter legibus, & praxi Ecclefiæ poffit iis concedere approbationem limitatam, & definitam, loco, perfonis, temporibus; & cafibus fibi refervatis, ita ut elapfo tempore in ejufmodi approbationibus expreffo, nec fæculares, nec regulares confitendi munus continuare poffint, quocumque prætextu, nifi in ultimæ neceffitatis cafu, donec denuo fuerint approbati, & novum etiam fubierint examen, fi Epifcopo neceffarium videbitur.* Sancitum eft 6. *Ut idem Epifcopus conceffam confitendi facultatem congruenter Ecclefiæ legibus, & praxi revocare poffit, etiam antequam illius tempus exierit; idque ob caufam ad Sacramenti pœnitentiæ adminiftrationem vere pertinentem, quæ ab conceffa approbatione intervenerit. Ita ut ipfe Epifcopus non teneatur aperire ejus revocationis caufam, quæ penes ipfius confcientiam erit. Poterunt tamen tam fæculares, quam regulares provocare ab actionibus litis, & a penis vel ab ejus Officialibus infligendis ob infractiones ejufmodi revocationum, de quibus violatis eorum quifpiam infimulabitur; ita tamen ut interjectæ provocationis obtentu cum Epifcopo, de ejus authoritate ad approbationum limitationem revocationem pertinente, difceptare nequeant. Provocationes autem de actionibus litis, & de edictis ab præfato Epifcopo ad Difciplinam Ecclefiafticam in fua Diœcefi ftatuendam promulgatis, fi fuerint fimplices denunciabuntur apud Metrapolitanum, & apud eos, quibus provocationum hujufmodi exercitatio ex jure, juxta Regni leges competit. Interea præfata præfati Antiftitis edicta, fublata quacumque provocatione, executioni mandabuntur.*

Ex eo Arrefti tenore conftat ipfum nihil aliud præcipere, quam quod (ut probavimus) præceperunt Concilium Tridentinum, & Synodi Provinciales, quod Summi Pontifices Clemens VIII. Paulus V. Urbanus VIII. Innocentius X. & Alexander VII. variis refcriptis mandarunt: ac proinde idem Arreftum meram effe canonicarum fanctionum executionem.

Quamvis (ut oftenfum eft) omni argumentorum genere nitatur approbationis neceffitas ad excipiendas Sæcularium confeffiones: Quamvis tum Concilia tum fummi Pontifices quorum ftatuta Politici Principes mandari voluerunt executioni, definierint Regulares vi privilegiorum, quæ fuis Ordinibus quondam conceffa funt, non poffe fine fpeciali Ordinariorum licentia abfolvere fæculares a cafibus Epifcopo refervatis; irritas effe abfolutiones, quas impenderint poft revocatam ab Epifcopo conceffam approbationem, aut poft elapfum tempus, quod in approbatione præfixum eft; nonnullos tamen ex Regularibus reperire eft, qui data quondam fuis ordinibus privilegia his etiam temporibus vigere contendant, eifque nonnumquam in audiendis confeffionibus utantur. Verum

licet

licet speculative disputent an vigeant, necne: io praxi tamen eis uti non possunt quin gravi se sacrilegio devinciant. Er sane quantumcumque probabilem censeant suam hac de re sententiam; nihilominus opposita quam hucusque explicuimus, multo tutior est, ac proinde quique Regulares in praxi ei adhęrere tenentur: alioquin enim in iis provinciis in qaibus promulgatum est decretum quo Innocentius XI. sexaginta sex propositiones ad moralem disciplinam pertinentes proscripsit, inciderent in excommunicationem latæ sententiæ, quippe qui ad praxim reducerent priorem ex iis propositionibus quæ sic habet: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore*.

Quæres 1. Utrum fidelis possit absolvi in aliena Diœcesi a casibus quos Episcopus proprius sibi in propria Diœcesi reservarit: Ex suppositione v. g. quod incestus in secundo gradu sit reservatus Massiliæ, non vero Aquis Sextiis, quæritur utrum fidelis Massiliensis possit Aquis sextiis absolvi ab Sacerdote Aquis Sextiis approbato.

Resp. affirmative. Ratio est 1. (inquiunt nonnulli) quod reservatio non afficiat Presbyterum sed pœnitentem, *Qui quidem* (addunt) *sequitur forum pœnitentiale ubi moram trabit*. Ratio est 2. quia (secundum Cypriani explicationem in libro de unitate Ecclesiæ) Episcopatus unus est, licet multiplices sint Diœceses: Ergo, si propter Episcopatus unitatem Sacerdotes approbati in Diœcesi in qua commorantur, a casibus non reservatis absolvere possint alterius Diœcesis incolas, possunt & a reservatis, in Diœcesi in qua excipieodis fidelium confessionibus præponuntur. Exceptum tamen ab ea regula velim casum, quo fidelia ille exirer a propria Diœcesi, ut in aliena facilius extorqueret absolutiooem casnum quos proprius illius Episcopus sibi reservasset.

Quæres 2. Utrum minister qui non habet facultatem absolvendi a casibus reservatis possit pœnitentem a oon reservatis absolvere, & deinceps mittere ad Superiorem a quo a reservatis absolvatur?

Respondent S. Aotoninus, Sotus, Cajetaous, Toletus affirmative. Ratio est (inquiunt) quod in eo casu pœnitens censeatur esse io morali impossibilitate peccata reservata confitendi.

Respondent alii negative, & quidem (ut nobis videtur) multo probabilius. Ratio est, quia integritas confessionis est de jure divino: Illa autem non censetur moraliter impossibilis ei, qui antequam absolvatur, potest adire Superiorem, cui vel integre confitebitur, vel a quo pro Confessario accipiet facultatem absolveodi a casibus reservatis, quorum se reum deprehenderit.

Caput Quartum.

De Subjecto Absolutionis.

CErtum est oon baptizatos absolutionis esse incapaces: siquidem absolutio est jurisdictionis actus quem Ecclesia in infideles, & Catechumenos exercere oon valet, ut docant hæc Pauli verba: *Qui mihi de bis qui foris sunt, judicare?* Verum hic quæri potest quibnsnam baptizandis sit conferenda, & quibus negari aut differri debeat. Ut aotem cum methodo tanti momenti quæstionem solvamus, dicemus 1. De absentibus. 2. De iis qui in ultima vitæ periodo aut verbo, ant nutu absolutionem perunt. 3. De fidelibus qui præ subito morbo quo corripiuntur, nec nutu nec voce Sacramentum exposcuot. 4. De iis quibus inest adhuc affectus ad præteritum peccatum mortale. 5. De iis qui præscriptis sibi ad præcavenda futura peccata remediis uti detrectant. 6. De iis qui mortaliter peccarunt ex consuetudine. 7. Denique de iis qui in occasione peccati mortalis versantur.

Articulus Primus.

Utrum absentibus absolutio Sacramentalis impendi debeat?

HOC in articulo triplicem difficultatem expendemus: Quæremus nimirum 1. utrum Absolutio Sacramentalis alias data fuerit absentibus: 2. utrum liceat 3. an valeat ejusmodi absolutio.

§. I.

Utrum Sacramentalis absolutio antiquitus data fuerit absentibus?

COnclusio. Absolutio Sacramentalis nusquam data fuit absentibus.

Probatur ex eo quod exempla quæ Morinus noster, nonnullique alii scriptores proferunt, quo ostendant absolutionem olim fuisse datam absentibus, de alia quam de Sacramentali intelligi possint, & debeant, ut ex objectionum solutione patebit.

Objicies 1. S. Dionysius Alexandrinus in Epist. ad Fabianum Papam, quam refert Eusebius Hist. lib. 6. cap. 36. scribit Serapioni pœnitenti datam fuisse Eucharistiam pueri manibus cui ægrotans Presbyter eam tradiderat: *Puero exiguam quamdam Eucharistiæ partem dedit præcipiens, ut eam madefactam in os senis infunderet, quam puer secum adferens redit, Cui jam appropinquanti, priusquam cum eo quod gestabat, iatraret ædes, Serapion denuo voce recuperata dixit, Venisti fili? Tametsi Presbyter non potest venire, tu tamen præsta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer quam apportarat, madefactam in os senis infudit: Atque ille, simul atque eam pedetentim per fauces demiserat, illico extremum spiritum edidit*. Certum est ex Dionysii narratione (argumentatio est Morini) Serapionem illum crimen horrendum commisisse, nullaque ante morbum absolutione donatum. Oportuit igitur absolutiooem intermediam esse inter crimen publice commissum, & Eucharistiæ donationem. Sed Presbyter longe aberat; Oportuit igitur Presbyterum absenti veniam, & absolutionem concessisse: cum Eucharistia Sacramentum sit vivorum, non autem mortuorum. Unde mox laudatus Dionysius hæc ait quæ absolutionem, qua peccati macula deleta sit, præcessisse evidenter arguunt. *An non igitur satis constat eum fuisse reservatum, & usque eo in vita mansisse, quod esset penitus culpæ vinculis solutus, & ita labe qua erat idolis immolando aspersus omnino deleta, posset pro multis bonis quæ gessisset in vita, in numerum confessorum referri?*

Resp. nullius esse momenti argumentum Morini: Certum est nimirum homini contrito, & absolutionem desideranti conferri peccatorum remissionem per Eucharistiam, non quidem per se, sed per accidens tantum. Ratum est enim apud Theologos Sacramenta vivorum (cujusmodi est Eucharistia) per accidens, in casu necessitatis conferre justificationem impio qui aliunde ad absolutionem recipiendam sit sufficienter dispositus. Responsum illud supponere videtur Dionysius Alexandrinus cum ait Serapionem servatum fuisse donec Eucharistiam recepisset: Illi igitur persuasum fuit Serapionem per Eucharistiæ receptionem, & non antea solutum fuisse culpæ suæ vinculis. Addi potest laudatum senem justificationem consecutum fuisse per ardentissimam suam contritionem, in qua inclusum erat vehemens absolutionis votum, quod quidem eluxit tum Pœnitentię laboribus quibus jamdiu perfungebatur, tum quod paulo ante per nepotem suum sollicite Sacerdotem advocasset per quem peccati vinculis liberaretur: *Hic* (inquit Dionysius) *sæpenumero in Ecclesia denuo recipi supplex postulabat, sed nemo, quia idolis sacrificasset, ejus postulatum aliquando auscultavit*.... *Quarto autem die* (postquam incidisset in morbum præ cujus acerbitate per triduum obmutuerat) *paululum relevatus nepotem ad se accersit, sicque alloquitur: Quousque fili me detinetis? properate, obsecro, & me ocyus dimitte, aliquem ex Presbyteris advoca ad me*.

Obji-

Objicies 2. Patres Concilii Duziacensis prope Andegavum sub Joanne VIII. celebrati ann. 812. impertiti sunt absolutionem Sacramentalem absenti Roberto Cænomanensium Episcopo, ubi ægrotans peccata sua scripto confessus fuisset: *Pietatis vestræ* (inquit in supplici libello quem misit ad Concilium) *misericordiam singultu interposito implorare non cesso, quatenus potestate cœlitus vobis collata vincula meorum piaculorum enodetis, & precum vestrarum studiis commissa mea pietis, ut eum reprobis non ducar ad tartara, quin potius vestro interventu cœlestia merear sublimari ad gaudia*: Quibus quidem ex verbis patet Robertum absolutionem Sacramentalem expetiisse, ea enim sola enodantur peccatorum vincula; ea sola efficitur ne impius ad tartara detrudatur: De eadem igitur absolutione debet intelligi peccatorum remissio quam his verbis eidem Roberto contulere: *Quapropter, frater, & consacerdos noster tibi peccata tua confitenti per Ecclesiasticam Apostolicæ auctoritatis potestatem quam Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis, & Apostolis suis dicens, Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & per eosdem Apostolos suos ipsorum successoribus, quorum vices licet indigne tenemus, est non merito, tamen nominis atque officii susceptione, eamdem potestatem donavit, & in se fideliter credenti dixit, fiat tibi secundum fidem tuam, gratia, & potentia sua, virtute S. Spiritus, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet in omni bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad sanctorum Sacerdotum consortium. Amen.* Confirmatur argumentum primo ex eo quod Patrum Duziacensium Epistolæ hæc esset superscriptio: *Epistola absolutionis quam rei remiserunt iidem Venerabiles Consacerdotes de loco obsidionis.* Confirmatur secundo ex eo quod laudati Patres asserant se eam absolutionem conferre, cujus conferendæ hisce Christi verbis: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum &c.* potestatem acceperant: illis vero verbis Christum Apostolis dedisse potestatem conferendi Sacramentalem absolutionem supponit Concilium Tridentinum, cum iisdem verbis utatur, ut probet divinam Sacramenti Pœnitentiæ institutionem.

Resp. absolutionem, de qua Patres Duziacenses, esse votum quo Roberto Cœnomanensium Episcopo adprecati sunt peccatorum remissionem. Nec obest quod Robertus illi absolutioni confessionem peccatorum præmisisset, tum quod generalis esset illa confessio, non vero specifica, & distincta peccatorum accusatio qualis jure divino requiritur, tum etiam quod antiquitus confessio nonnumquam apud Laicos fieret, a quibus tamen non sperabatur Sacramentalis absolutio. Non obstat quoque quod iidem Patres Duziacenses hæc Christi verba, *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis &c.* laudaverint in absolutionis formula qua usi sunt, sperarunt enim fore, ut Christus qui contulisset eis Sacerdotalem authoritatem, exauditurus esset preces quas pro Roberto fundebant. Præterea dici potest absolutionem illam esse a pœnis canonicis quæ dimisso per absolutionem peccato, exolvendæ cuique supersunt. Illi responso lux affulgebit ex iis quæ ad tertium argumentum dicentur.

Objicies 3 Gregorius Papa VII. absolutionem contulit Episcopo Lincolniensi in Anglia qui per litteras confessus, eam enixe petierat: *Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti* (inquit Epist. lib. 1. Epist. 34.) *auctoritate Principum Apostolorum Petri, & Pauli fulti, quorum vice quamvis indigne fungimur, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhærendo & commissos excessus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* De absolutione autem a censuris explicari non possunt illa Gregorii verba, neque enim legitur quod Lincolniensis Episcopus tunc quibusdam innodatus fuerit. Alexander Papa III. eodem absolutionis beneficio donavit S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem ubi se cum Horico II. Anglorum Rege pro Ecclesiastica libertate mollius quam par esset, egisse per litteras confessus fuisset: *Nos* (inquit mox laudatus Papa in litteris quas rescripsit ad S. Tom.) *de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus: & id ipsum fraternitati tuæ auctoritate Apostolica relaxamus.* In illud autem factum sic ratiocinatur Morinus: Relaxavit quidem (inquit) Pontifex suspensionem qua Thomas se propter peccatum mulctarat, sed deleto prius per absolutionem peccato commisso; *Te ab eo quod est commissum absolvimus.*

Resp. absolutiones quæ in argumento recensentur, recte explicari de absolutione a pœnis canonicis, quas accepta Sacramentali absolutione post factam Sacerdoti præsenti confessionem, laudati Præsules subire debuissent: unde relaxationes ejusmodi sunt veluti quędam indulgentiæ quas Gregorius Papa VII. & Alexander III. laudatis Episcopis propter confessionis humilitatem concesserunt.

Confirmatur illa responsio 1. ex eo quod iis, qui absentes per litteras confessi fuerant, injungi soleret, ut peccata privatim coram Sacerdote confiterentur. *Si igitur* (inquit Alexander Papa) *aliquid te recolis commisisse, de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sit, Sacerdoti qui discretus, & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri.* Idem sæculo 9 Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis injunxit Hildelboldo Episcopo Suessionensi, suis enim in litteris eum ægrotum absolvit, cum teste Sirmundo in notis ad tertium tomum Conciliorum Galliæ, sic allocutus est: *Bonam devotionem tuam commoneo, ut præter istam generalem confessionem, quæ ab ineunte ætate usque ad horam in qua nunc degis, te commisisse cognoscis, specialiter ac singulatim Deo, & Sacerdoti satagas confiteri.* Ad quid vero ejusmodi particularis confessio post acceptam per litteras absolutionem, si illa absolutio fuisset Sacramentalis. Præterea Alexander Papa III. conceptis terminis asserit tunc tantum remissum esse peccatum cum pœnitens Sacerdoti privatim illud confessus fuerit: ac proinde quoad culpam dimissum non censuit per absolutionem quam per litteras impertitus fuerat: *Quo facto* (hoc est, edita illa præsenti Sacerdoti confessione) *Misericors Dominus* (inquit laudatus Papa ad S. Tomam rescribens) *qui multo amplius ad cor respicit quam ad actus, tibi conjunctæ pietatis suæ miseratione dimittet.*

Confirmatur 2. eadem responsio ex eo quod multa sint quæ probent absolutionem, de qua agitur, non esse Sacramentalem. 1. Scripto data fuit non autem verbis exterius prolatis; quæ tamen verba sunt essentialia Sacramentis novæ legis dicente Augustino; *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, dicente etiam Eugenio IV. in decreto pro institutione Armenorum: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, &c.* dicente etiam Concilio Tridentino sess. 14. cap. 3. *Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse.* 2. Absolutio de qua est quæstio, data fuit absque distincta, & speciali peccatorum confessione, quæ tamen confessio jure Divino prærequiritur absolutioni ubi non urget necessitas, sicut revera non urgebat in casibus qui superius relati sunt, aderant nimirum tum Cantuariæ, tum Suessione, tum Lincolni plures Presbyteri a quibus Sacramentaliter absolvi potuerunt ii Presules qui a Summis Pontificibus per litteras absoluti sunt. 3. Solebat absolutio hujusmodi iis etiam impendi qui nec etiam per litteras confessi fuissent: id patet ex facto Gregorii Papæ VII. qui absolutionem impendens Alphonso Hispaniarum Regi, absolvit etiam omnes illius proceres: *Omnipotens Deus omnium rerum creator, & rector omnium dignitatum ineffabilis dispositor* (inquit laudatus Papa in formula qua tunc usus est, lib. 8. Epist. 2.) *auctoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli nobis licet indignis per eos qualicumque commissa, te tuosque fideles in Christo ab omnibus peccatis absolvat, detque tibi victoriam de inimicis, &c.* At nemo dixerit absolutionem Sacramentalem fuisse collatam iis qui nulla ra-

tione

tione confessi fuerant soa peccata, & de quorum contritione nulla omnino erat certitudo moralis.

§. III.

Utrum Absolutio Sacramentalis absentibus data, licita sit, ac valeat?

CONclusio, 1. Nusqoam licuit absolutionem absentibus impertiri.

Probatur 1. ex eo qood absolotio absentibos data nollo (ut superiore Paragrapho demonstratum est) Ecclesiæ veteris exemplo nitatur. 2. Praxim de qua agitor expresse prohiboit Clemens Papa VIII. ut patebit ex decreto qood mox proferetur ad probationem secundæ conclusionis hujos Paragraphi.

Objicies. Ubi tutior opinio de valore Sacramenti mendari non potest executioni, propter casom necessitatis, v. g. licet sequi opinionem probabilem, ut videre est in moritoro, quem, quamvis dubium sit an vere sit contritus propter peccandi consuetudinem qua est implicatus, licet absolvere. Atqui opinio qoæ docet licitum esse conferre absolutionem absenti, est probabilis, cum alioquin doctorum authoritate nitatur. Ergo &c.

Resp. neg. min. Qoi enim contrariom scripsere, proscripti sunt a Clemente Papa VII. ut fatetur Franciscus Suarez in primam Secundæ tract. 3. disp. 22. sect. 6. n. 1. ubi sic loquitur: *Interdum licet, ut probabili opinione circa actum, omissa probabiliori propter aliquam utilitatem, vel quia in re ipsa tutior, est ad aliqaem finem honestam. Hoc declarat optime casus ille de Absolutione absentis in necessitate: Nam licet probabilius semper fuerit, & mihi quidem certum, esse nullam, & consequenter non esse exercendam, tamen quia probabile videbatur non paucis esse validam, & hoc absolute erat utilius proximo, ideo licitam erat olim illa uti, quod exempli gratia dictum sit, Nunc autem quare aliter sit sentiendum Clemens VIII. suo diplomate declaravit.*

Conclusio 2. Irrita est absolotio absenti collata.

Probatur decreto Clementis Papæ VIII. hac de controversia lato die 20. Junii ann. 1602. sic autem habet: *In generali Congregatione S. Romanæ & aniversalis Inquisitionis habita in palatio Apostolico in monte Quirinali coram SS. Domino nostro Clemente Divina providentia Papa VIII. proposita quæstione atrum liceat per litteras, seu internuncium confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere; Sanctissimus Dominus noster auditis votis Patrum Theologoram, & re cum Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticum pravitatem generalibus Inquisitoribus matare ac diligenter considerata, hanc propositionem: Scilicet licere per litteras, seu internuncium, confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam condemnavit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur; neve unquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatar. Quod si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut etiam de ea disputative tractaverit nisi forsan impugnando, vel ad praxim, seu directe vel indirecte deduxerit, præter excommunicationem latæ sententiæ, quam ipso facto incurrat, & a qua non possit, præterqaam in articulo mortis, ab alio quacumque etiam dignitate fulgenti, & S. Romanæ Ecclesiæ majori Pœnitentiario, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis subjaceat.*

Observare est primo in illud Summi Pontificis decretum, ipsum non esse intelligendum tantum de illicito (ut aliqoando visum est Ysamberto, qui postea mutavit sententiam) sed etiam de valido: Si enim Clemens VIII. censuisset absolutionem de qua agitor, valere quoad substantiam, nequaquam prohibuisset illius praxim urgente extrema necessitate, cum in eo caso, quæ valida sunt, fiant licita, id nimirum exigente charitatis præcepto quo quis ea tenetur eligere qoibus proximi saluti tutius, & salubrius consulitur, ut revera consuleretur si ministri valide possent absentibus absolutionem impertiri: ea siquidem praxi fieret ne plerique exirent e vivis absque Sacramentali reconciliatione.

Observare est secundo Clementem VIII. non damnasse propositionem, de qua est quæstio, sumptam tantum in sensu collectivo, nempe prout supponit pro confessione, & absolutione, sed etiam divisim, seu prout supponit, aut pro absolutione, aut pro confessione. Nec mirum, cum unum dicat ordinem ad aliud; confessio nimirum ad absolutionem cujus est materia, & absolutio ad confessionem Sacramentalem quæ illi præsupponitur. Præterea ejusmodi explicatio proscripta est a Paolo Papa V. speciali decreto qood sic habet: *Die 14. Julii ann. 1605. proposita causa P. Francisci Suarez Jesuitæ & consideratis his quæ scripsit tomo 4. in 3. partem Sancti Thomæ, sessione 4. disputat. 21. interpretando decretum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. die 10. Junii ann. 1602 quo damnavit hanc propositionem; Licere per litteras, seu internuncium, confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere; ac etiam matare discussis his quæ idem Pater Suarez adduxit in defensionem suæ interpretationis, auditis votis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, Sanctissimus decrevit dictam interpretationem non subsistere, & ideo amovendam esse ab ejus libris juxta decreta alias facta a felicis recordationis Clemente Papa VIII. in actis S. Officii.*

Quæres otrum absolutio absentibus data, sit irrita jure divino, an vero solum ex decreto Ecclesiæ.

Respondet Morinos noster lib. 8. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 25. eam absolutionem non esse irritam ex se, seu ex natura sua: *Eo quod* (inquit) *sententiarum judicialium hæc sit natura ut in præsentes, & nunc & in futuram ex æquo agere possint, nec ullo modo possit ab eis avelli hæc aptitudo.* Addit eam non esse quoque irritam jure Divino, tum qood (ait) illud jus divinum nullibi legatur: tum etiam quod ejusmodi absolutio alias passim fuerit in usu. Concludit igitur absolutionem, de qua est qoæstio, esse invalidam ac nullam Pontificio tantum jure: *Cum ab aliquot sæculis* (ait) *immutata paulatim disciplina, praxis absolutionis absenti dandæ, aut penitus desierit, aut rarissima fuerit, & ejusmodi praxi magnum sæpius subsit periculum, abrogata videtur tacito Ecclesiæ consensu ante Pontificium decretum Clementis istius absolutionis validitas.*

Respondent alii, quibus subscribimus, absolutionem absenti datam, divino jure esse irritam ac nullam. Ratio est primo, quia nusquam fuit in usu, nec iis etiam sæculis, quibus perutilis fuisset Reipublicæ Christianæ, ovibus nimirum aut pastoribus sæpe propter persecutionem fugientibus. Quæ in contrarium proferuntur argomenta, præcedente Paragrapho soluta sunt. Secundo: Non est verisimile quod Ecclesia voluerit facere irritam absolutionem quæ in casu necessitatis, post baptismum lapsis summe alioquin esset utilitati. Tertio: Clemens Papa VIII. de ea praxi judicavit pro tempore quo a nonnullis propugnabatur; ac proinde antequam aliquo Ecclesiæ decreto prohibita fuisset: at eam praxim tunc *ad minus falsam, temerariam, & scandalosam esse declaravit.* Quarto: S. Thomæ praxis de qua agitur, visa est non debere mandari executioni, ac proinde etiam illios ætate, falsa censebator opinio quæ asserit valere absolutionem datam absenti. S. Doctor in 4. Sentent. distinct. 17. quæstion. 3. articul. 4. quæstiuncula 3. cum sibi objecissent interdum accidere, ut Sacerdos sit absens, cui non nisi per litteras, seu per internoncium, fieri possit confessio, ac inde conclusisset confessionem tunc fieri debere per internoncium, respondet, *debere eo casu pœnitentem potius confiteri laico præsenti, quam per litteras Sacerdoti absenti*: Ergo censoit illum confessionis modum non valere in ratione Sacramenti: alioquin enim cum urget necessitas, multo consultius foret confiteri Sacerdoti absenti, quam Laico præsenti, quippe quod ille conferre

ferre posset absolutionem, non autem iste. Præterea idem S. Doctor ibidem articulo 3. quæstiuncula 2. ad 1. sic loquitur. *Quando necessitas imminet; debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, & confiteri cui potest. quia quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod est ex parte Sacerdotis, absolutionem scilicet, tamen defectum Sacerdotis summus Sacerdos supplet.* Verum pęnitens qui Laico præsenti, non autem Sacerdoti absenti per litteras confessus fuisset, non fecisset quod fuisset ex parte sua, si S. Thomæ sæculo valuisset absolutio absentibus collata.

Objicies. Sacramentum Pęnitentiæ institutum fuit a Christo per modum judicii: unde Sacerdos, dum absolvit pęnitentem, actum judicialem exercet: Ergo quemadmodum in judicio forensi judex potest absentem absolvere: ita & Sacerdos potest in foro conscientiæ reo, etiam absenti, absolutionem impendere.

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia Sacerdos non potest habere certitudinem moralem de statu absentis cujus confessionem per litteras excipit. Quamvis enim ille pęnitens interiorem cordis dispositionem per internuncium confessario detexerit, dubitari tamen merito potest an dum postea actu absolvitur, in eadem sit animi affectione; cum homo, quamdiu peregrinatur a Domino, perpetuæ sit obnoxius mutationi: unde fieret aliquando ut reus eo instanti absolveretur quo rei illicitæ daret operam: quod quidem quam absurdum sit nemo non videt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De iis qui absolutionem in extremis exposcunt.

CONclusio 1. Tribus prioribus sæculis & aliquibus post annis negata est absolutio impiis, qui eam in exitu tantum vitæ exposcerent.

Probatur 1. authoritate Cypriani qui in Epistola ad Antonianum, litem de qua agitur, hisce perspicuis verbis dirimit: *Idcirco, Frater charissime, Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari;* Hac ratione S. Doctor Ecclesiæ praxim confirmat: *Quia* (inquit) *rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum.* Reconciliationis & pacis nomine S. Martyrem absolutionem intellexisse, non vero solam Eucharisticam communionem, demonstratur primo ex eo quod ante exortam Novatianorum hæresim Eucharistica communio ab absolutione nullo temporis intervallo (ut superius probatum est) sejungeretur. Secundo ex eo quod declaret S. Doctor irrisoriam & nullam esse pęnitentiam quæ in extremis agitur: unde sequitur eum judicasse quod satis non fuerit reo ut absolutione donaretur.

Probatur secundo ex priore Concilio Arelatensi quod celebratum est anno 314. Canone 22. hæc habentur: *De his, qui apostatant, & numquam se ad Ecclesiam repræsentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & postea infirmitate arrepti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem nisi revaluerint & egerint dignos fructus pœnitentiæ.*

Licet Concilium meminerit tantum Apostatarum, alios quoque lapsos haud dubie complectitur eodem decreto: par enim est de omnibus post baptismum lapsis ratio: unde (ut mox dicetur) Innocentius Papa I. ad Exuperium Tolosanum scribens, disciplinam de qua hic agitur, ad omnes extendit. Communionis nomine sacra Synodus idem intelligit quod antea Cyprianus. Præterea qui vocem illam de Eucharistia tantum interpretantur, facile revincuntur ex eo, quod communionem de qua agit, non patiatur concedi recuperata sanitate, nisi ubi reus dignis pęnitentiæ laboribus perfunctus fuerit.

Probatur tertio ex Innocentio Papa I. cui hisce verbis quæstio de qua agitur, labente sæculo quarto proposita est ab Exuperio Episcopo Tolosano: *Quid de his observari oportet, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt.* Eam autem quæstionem antequam Innocentius solvat, duplicem disciplinam distinguit; Veterem nimirum & Recentiorem alteram: Deinde ait, spectata vetere disciplina, iis hominibus dari non debuisse communionem, e contra vero impendi debere habita ratione alterius disciplinæ: *De his* (inquit in Epistola ad Exuperium cap. 2.) *observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.*

Innocentii mentem non assecuri sunt ii qui contendunt per *Reconciliationem Communionis* laudatum Pontificem intelligere Eucharisticam Communionem. Siquidem primo asserit veterem disciplinam quam refert, fuisse duriorem ea quæ postmodum invaluit: *Observatio prior durior, posterior inclinatior est.* At id plane falsum esset, cum his etiam temporibus, præsertim in Galliis (ut ostendimus agentes de Eucharistiæ subjecto) damnatis ultimo supplicio Eucharistica communio denegetur. Secundo. S. Pontifex posteriorem disciplinam opponit non praxi tantum, sed & dogmati. Novatianorum: Novatiani vero non Eucharistiam tantum, sed etiam absolutionem facinorosis quibusdam hominibus etiam in exitu positis, & licet sani pęnitentia persuncti fuissent, denegari debere contendebant, asserentes Ecclesiam non posse beneficium illud eis impertiri: *Ne* (inquit) *Novatiani hæretici negantis veniam asperitatem & duritiam sequi videamur.* Tertio. Ex Innocentio, Observatio prior invecta fuerat in Ecclesiam, ne facilitas veniæ homines de sua reconciliatione certos redderet: *Nam* (inquit) *cum illis temporibus crebræ persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa pœnitentia.* Sed corruisset illud argumentum in adversariorum systemate: siquidem impii de quibus agitur certo scivissent se, etiam in extremis, donandos esse absolutione, ac proinde securi fuissent de sua reconciliatione: quod tamen antiqui Patres, ex Innocentio, præcavere studuerant.

Nec obstat quod laudatus Pontifex communionem opponat pęnitentiæ, asseratque hanc etiam in veteri disciplina, impiis de quibus est quæstio, datam fuisse, illam vero penitus negatam: *Consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur.* Non obstat (inquam) Eo nimirum loci pęnitentiæ nomine non intelligitur absolutio Sacramentalis, sed admissio ad labores satisfactorios; quæ quidem admissio privilegium quoddam erat antiquitus iis concessum, qui pęnitentiam enixissime & cum lachrymis poscerent, licet absolutione frustrarentur: ii autem qui ejusmodi privilegio fruebantur, jus habebant, non quidem ad recipiendam absolutionem, sed ad societatem precum, aliaque ejusmodi externa beneficia. Illi responso lux affulget ex his quæ in hunc canonem scribit Albaspinæus, in Labbeana Conciliorum editione tom. 1. pag. 1259. *Cum* (inquit Doctissimus ille Canonista) *quibusdam peccatoribus pœnitentia concederetur sine absolutione, anathemate eosdem liberatos & absolutos ni fallor volebant. Præterea eis donum pœnitentiæ concedebant, ad extremum eis pollicebantur, & adpromittebant, & quasi cum eis transigebant (nam poterant ligare & solvere) si perpetua pœnitentia Deo facerent satis, illumque placarent Deum ipsum peccata penitus ex animo, quæ alte insederant, ut ita loquar, deleturum: atque hoc modo pœnitentiam sine absolutione largiebantur.* Pęnitentiæ impositionem comitabantur tum Sacerdotum tum fidelis populi preces: At quis preces illas iis qui jam jam animam essent exhalaturi, inutiles dixerit, quamvis eam absolutio Sacramentalis non subsequeretur?

Ab Innocentii mente longius absunt qui ajunt allusisse S. Pontificem ad unam Eliberitanorum Patrum disciplinam, quam (inquiunt) tamquam duriorem proscripsit. Nam primo licet hominibus de quibus

agitur, Eliberitani Patres absolutionem negaverint canone 46. ubi hæc habentur: *Si quis fidelis Apostata per infinita tempora ad Ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus*, (sanus nempe ut agat pœnitentiam, non autem alias) *nec fuerit idololatra* (idololatræ enim ab iis Patribus nusquam donati sunt absolutione) *post decem annos placuit communionem accipere*: Licet enim (inquam) laudati Patres absolutionem impiis illis negaverint, ad eos tamen tantum non allusit Innocentius: nec enim eum fugere potuit Cyprianum, Patres prioris Concilii Arelatensis, ac proinde totum ferme Occidentem in ea praxi tribus prioribus sæculis versatum fuisse. Secundo. Innocentius absolute & indefinite disciplinam de qua agitur, non appellasset antiquam consuetudinem, si ad unam quarumdam Hispaniæ Ecclesiarum allusisset: nec enim nonnullarum Ecclesiarum usus, simpliciter & sine restrictione appellatur antiqua consuetudo. *Consuetudo prior tenuit ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur*.

Non sunt quoque ejusdem Pontificis mentem assecuti qui ajunt eum de idololatris tantum locutum fuisse cum asseruit antiquam consuetudinem tenuisse ut concederetur Pœnitentia, sed communio negaretur. Nam primo quæsitus fuerat ab Exuperio de libidinosis hominibus qui pœnitentiam ad ultimam vitæ periodum protraxissent: *Et hoc quæsitum est, Quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt*. Quibus quidem verbis cum immediate hæc alia subjungat: *De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatior est*, ad libidinosos Innocentii responsum referri debet. Secundo. Licet idem Papa immediate post extendat eamdem disciplinam duriorem ad Idololatras, nihil tamen officit priori de libidinosis explicationi: imo argumentum est quo confirmetur merito libidinosis hujusmodi negatam fuisse reconciliationem. Huc autem reducitur illud argumentum: Iis lapsis qui idololatriæ suæ medelam per pœnitentiam ante morbum non quæsierant, pax olim & reconciliatio negabantur, ne cæteri spe veniæ quasi securi facti tardiores ad eamdem pœnitentiam ubeundam, inciderent pariter in idololatriæ crimen. Libidinosis igitur propter eamdem rationem denegari debuerunt.

Quæres quo tempore ea inclinatior observatio, quam Innocentius invaluisse rescribit, cœperit esse in usu?

Resp. primo eam semper apud Orientales obtinuisse: neque enim proferri potest canon aliquis quo probetur impiis qui etiam in exitu vitæ peterent veniam absolutionem negatam fuisse. Resp. secundo apud Occidentales nullam de hac praxi ante Innocentium sancitam fuisse expressam legem; sed (inquit Albaspinæus) verisimile est restituta Ecclesiæ pace & post Concilium Nicænum severitatem illam qua ejusmodi homines puniebantur, paululum mitigatam, & eos in communionem morte instante receptos fuisse. Quod enim nonnulli proferunt ex canone 13. Concilii Nicæni primi nullius est roboris: Quippe quod hæc illius verba, ex interpretatione Dionysii Exigui: *De his vero qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regularisque servabitur; ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur ..... Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter* (seu, ut fert alia versio) *postquam probaverit, ex oblatione dare debebit*. Non obstant (inquam) illa verba: non enim intelliguntur de omnibus omnino absolutionem in exitu petentibus, sed de iis tantum quos dum pœnitentiæ laboribus sani perfungerentur, morbus corripuisset ex improviso & ad extremam vitæ periodum reduxisset. Nec mirum, cum enim duplici priore canone sacra Synodus de pœnitentibus sanis egisset, pararat ut de moribundis tractaret canone 13. Præterea in gratiam pœnitentiæ quam honorarant hujusmodi homines dum sani essent, indulgetur eis ut ad consistentiam dimittantur si convaluerint: *Quod si desperatus & consecutus communionem, oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur*.

ARTICULUS TERTIUS.

De iis qui non in morbo quidem, sed ante, vocibus aut nutibus absolutionem exposcunt.

Conclusio. Cuilibet impio in extremis posito, qui sanus voce aut nutibus absolutionem petiisset, semper collata fuit absolutio: modo tamen eorum criminum reus non esset, pro quibus ne semel quidem hominibus sanis conferebatur.

Probatur primo authoritate Leonis Magni qui Epistol. 91. sic loquitur: *Verum etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ nec communis gratia denegetur, si eam etiam amisso eis vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobentur. Quod si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & Pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur*. Eorum vero verborum aliorumque similium interpretatio quam tradidit Dominicus Soto inter Scholasticos sæculi proxime elapsi non ultimus, nequaquam est admittenda: neque enim (ut scribit laudatus author) reconciliatio de qua Leo Magnus loquitur, ceremonialis est, sed vere Sacramentalis: Illa nimirum vox, *Reconciliatio* ad pœnitentem comparata, semper sumitur pro eo quod lapsis dat jus ad communionem Eucharisticam, ut ex Concilio Carthaginensi mox laudandu demonstratur.

Probatur secundo ex Concilio Carthaginensi IV. *Is* (inquit can. 76.) *qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt & accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia*. Patet ex eo canone per reconciliationem dari jus ad communionem Eucharisticam: ac proinde ceremonialis non est, ut contra tum Theologos omnes tum Canonistas Dominico Soto visum est. Præterea si pœnitentis reconciliatio per manus impositionem, non significat absolutionem Sacramentalem, nullo veterum testimonio probari poterit ejus necessitas contra recentiores hæreticos; Siquidem veteres solo aut pacis, aut communionis, aut reconciliationis nominibus usi sunt cum locuti sunt de virtute clavium lapsis ad justificationem consequendam necessaria: pacem autem, communionem, reconciliationem pro eodem sumunt.

Argumenti vis a quibusdam scriptoribus ad occultos peccatores restringitur: ita ut velint datam quidem fuisse semper absolutionem occultis peccatoribus qui ante morbum aut voce aut nutibus Sacerdotem advocassent. Sed primo laudati in argumento Patres nequaquam quoad istud caput, distinguunt inter occultos & publicos peccatores. Secundo. Concilium Carthaginense peccatores in extremis absolutos, si supervixerint, dimittit ad publicam pœnitentiam: *Si supervixerit* (inquit) *admoneatur a supra dictis testibus petitioni suæ satisfactum, & subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quamdiu Sacerdos qui pœnitentiam dedit, probaverit*.

ARTICULUS QUARTUS.

De iis qui nec ante morbum, nec in ipso morbo præ ejus acerbitate obmutescunt, absolutionem petiere.

Fideles de quibus agitur, vel in ipso criminis actu rationem amiserunt, vel diu quidem post perpetratum crimen, sed antequam accesserit Sacerdos. Ii qui post perpetratum crimen amisere rationis usum, vel sunt peccatores publici vel peccatores occulti: De utrisque hic quærendum est an sint antequam exeant, absolutione donandi.

§. I.

§. I.

De iis qui in ipso criminis acta, amisso usu rationis moriuntur.

CONclusio 1. Qui in ipso criminis actu rationis usum amiserunt, nec recuperant ante mortem, frustrandi sunt absolutione.

Probatur ex eo quod plusquam certum sit, ejusmodi hominibus deesse contritionem, quæ absolutioni necessario præsupponitur.

Inde vero concluditur primo. Facultatem Theologicam Parisiensem merito damnasse *tanquam Pænitentiæ Sacramento maxime injuriosam*, hanc propositionem quæ excerpta est ex libro Amadæi Guimenii: *Quod si forte ita actualiter peccando, subito destituatur sensibus, ut non possit humanitus loquendo atteri; respondeo tunc non esse præsumendum attritum, atque ideo nec absolvendum docent communiter: Sed ego sub prædicta conditione vix illum regulariter sine absolutione dimitterem, quia rarissime evenit, ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non velit suæ saluti consulere per aliquam attritionem. Sic ille: Et ego eum e suggesta tractatum de pænitentia discipulis dictavi anno 1633.*

Infertur secundo in specie, merito iis negari absolutionem, qui privato duello confligentes lethali vulnere sanciati sunt, nec antequam morerentur perspicua internæ pœnitentiæ indicia præstitere.

Confirmatur ejusmodi illatio ex Concilio Tridentino quod quidem sess. 25. cap. 19. declarat eos de quibus agitur, ipso facto in excommunicationem incidere: *Detestabilis* (inquit) *duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocamque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati..... Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis..... pœnam incurrant, & ut homicidæ, juxta sacros canones, puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepulturo. Illi etiam qui consilium in causa duelli, tam in jure quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quempiam suaserint, nec non spectantes excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.* Pœnas de quibus Concilium Tridentinum, nonnulli scriptores extendebant ad illa solum singularia certamina, quæ Principum permissu committuntur, non autem ad ea quæ privata authoritate initentur: Sed revincti sunt ab Gregorio Papa XIII. qui Concilii pœnas ad eos etiam extendit qui privata authoritate duello confligere auderent. Clemens Papa VIII. Gegorio constitutionem non solum confirmavit anno 1591. sed extendir etiam ad eos qui provocationes accipiunt aut faciunt: tametsi dimicatio non sequatur, nec per eos stet quominus veniatur ad manus: easdem etiam pœnas protulit ad eos, qui aut consilium aut auxilium ad eam actionem quoquo modo conferunt.

Cum autem Concilii Tridenti decretum, Gregorii XIII. constitutio, & Clementis VIII. sanctio in Galliis defectu promulgationis vim non haberent, quoad pœnas quas in Monomachos decernunt, oportuit ut Clerus Gallicanus anno 1653. Ordinaria authoritate, excommunicationis pœnam jam Concilii Tridentini canonibus & Summorum Pontificum constitutionibus decerneret, tum adversus eos qui dimicant, cum adversus eos qui provocant, nec non eos qui provocationis tesseram vel proferunt, vel suscipiunt, ea tamen pœna nondum animadvertentes adversus eos qui vel consilio vel auxilio adjuvant ejusmodi certamina: Insuper statuit publicam pœnitentiam iis certaminibus infligi debere, nisi aliter Episcopo, aut ejus Vicario Generali visum fuerit. Addit nullum præter Episcopum aut ejus majorem Vicarium posse ab eo casu quempiam absolvere, quacumque privilegiorum specie munitus sit, nisi in articulo mortis. *Nos infra scripti* (inquiunt Galliarum Episcopi) *congruenter Conciliorum canonibus, & Sanctionibus Summorum Pontificum, & ex potestate nobis divinitus collata ad ædificationem, non ad destructionem ovium nobis creditarum, in nomine & ex nomine Dei Patris Omnipotentis, & Filii & Spiritus sancti, excommunicamus & declaramus excommunicatos ipso facto, omnes & singulos, qui decertabunt singulari pugna, vel ex occursa medianto, seu primi, seu secundi, seu etiam majori numero fuerint, cujuscumque generis sint & conditionis, quacamque tandem id ratione contigerit. Excommunicamus pariter & declaramus excommunicatos ipso facto, omnes & singulos qui provocabunt ad singulare certamen, vel verbo, vel provocationis schedulas deferent, & eos qui suscipient ejusmodi schedulas, tametsi indicta dimicatio non sequeretur, dummodo non steterit per eos quominus veniretur ad manus.* Edixerunt præterea laudati Præsules ut quotquot mortem paulo post initum privatum certamen oppeterent, Ecclesiastica sepultura privarentur: tametsi editis pœnitentiæ signis Sacramentalem absolutionem ante obitum eunsecuti fuissent. Quantum autem ad eos qui aliquot dies ab inflicto lethali vulnere viverent, & per id temporis eximio probato dolore, ad percipiendam Eucharistiam rite dispositi comperirentur, illis equidem annuerunt Episcopi nostrates Ecclesiasticam sepulturam, sed ea lege ut ad eorum exequias nulla pompa funebris, nullus campanarum clangor, aut alius quispiam ritus in fidelium funeribus usurpari solitus, adhibeatur.

Juenin de Sacram.

§. II.

De peccatoribus publicis qui nec ante morbum nec in morbo præ cujus acerbitate obmutescunt, absolutionem petiere.

COnclusio. Publici peccatores qui præ morbi acerbitate odmutescunt, absolvi non debent, nisi ante morbum aut verbis aut signis, aut operibus suam emendationem probaverint.

Probatur ex eo quod non sit ratio dubitandi quod impios illos præteritorum peccatorum pœniteat, semper enim iniqua eorum voluntas durare præsumitur, nisi aliquo modo, saltem dubio, mutata probetur. Hinc ex hac vita dimittendi sunt sine absolutione concubinarii publici, Usurarii, Apostatæ, Hæretici, Schismatici expresse denunciati qui cum palam peccaverint, nullo externo signo, seu nec nutibus, nec verbis, nec aliquibus pietatis operibus pœnitentiam probarant antequam amitterent rationis usum: eidem calculo subjici debent ii quos, licet occulte peccaverint, Sacerdos certo sciret perseverasse in flagitiis usque ad illud tempus quo exciderunt ex rationis usu; Nam docent canones iis tantum impertiendam esse absolutionem etiam in extrema necessitate, de quibus saltem dubium est an eos scelerum pœniteat.

Objicies primo. Fieri potest ut peccatores publici, seu aut per sententiam judicis expresse damnati, aut notorietate facti quod nulla omnino tergiversatione celari possit, *intra se pænitentes fuerint*, quamvis suam pœnitentiam ante subitum morbum, quo correpti sunt, non prodiderint exterius. Igitur eo in casu debent absolvi: ea enim ratione utitur Augustinus ut probet cathecumenos qui impie vixerint in catechumenatu, baptizari debere in ultima vitæ periodo, licet tunc rationis usum amiserint: *Si desperati* (inquit ad calcem primi libri de adulterinis conjugiis ad Pollentium) *& intra se pænitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur.* Secundo. Idem Augustinus contendit ideo in extremis baptizari debere catechumenos qui peccarunt usque ad morbum quo subito correpti fuerunt quod nemo noverit, *utram fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad baptismum statuerint detineri.* Sed pariter nemo scit utrum peccatores publici in

peccato remanere statuerunt usque ad mortem: Ergo debent absolvi licet nulla ratione pœnitentiam probaverint antequam in morbo fierent expertes rationis: *Quæ autem baptismatis* (ait ibidem Augustinus) *eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

Resp. ad primum id quod in argumento supponitur, esse quidem possibile: Verum ea possibilitas satis non est ut minister dubitet an illos peccatores publicos interius pœnituerit antequam rationis usum amitterent: ac proinde non sufficit illa metaphysica possibilitas ad conferendam absolutionem etiam in casu necessitatis extremæ: alioquin posset iis administrari, qui in ipsius peccati actu amisissent rationis usum: Quod, ut superiore paragrapho demonstratum fuit, est omnino falsum.

Resp. ad secundum S. Augustinum censuisse ad baptismum & ad absolutionem satis esse in casu de quo agitur, præsumptam voluntatem temperandi ab externo criminis actu, & deserendi illius affectum, saltem ante mortem: Ii vero præsumptioni Catechumeni & Pœnitentes de quibus S. Doctor loquitur, fundamentum præbuerant ante morbum præ cujus acerbitate sensus cujuslibet facti fuissent expertes: quamvis enim frequentibus peccatis se se polluissent, aliis tamen pœnitentibus in Ecclesiis aggregabant se se, eorumque externum habitum præ se ferebant. Similiter Catechumeni, quorum idem S. Doctor meminit, Catecumenis aliis adjungebant se se: ac proinde sicut externis iis operibus se baptismi desiderio teneri profitebantur: ita & Pœnitentes de quibus agitur, testabantur velle ut sibi, saltem in extremis constitutis conferretur absolutio Sacramentalis.

§. III.

De viris vulgo frugi habitis, qui nec voce, nec signis petierunt absolutionem antequam rationis usum amiserint.

MOrinus de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, libro 10. *cap. 6.* Genetius Vasensium in Comitatu Avenionensis Illustrissimus & Doctissimus Episcopus, libro quem inscripsit, *Theologie Morale*, Merbesius in Summa Christiana, dissertatione 4. de Pœnitentia quæst. 85. Hesselius Lovaniensis Doctor, plerique alii authores docent viris de quibus est hic quæstio, Sacramentalem absolutionem impendi debere. Eorum vero Scriptorum authoritas eo majoris est ponderis, quod eorum opera gravissimi Doctissimique Theologi suo suffragio munierint. Elucubrationem Morini de Pœnitentia probarunt, sex Facultatis Parisiensis Doctores; Lectionem Theologiæ moralis quam Illustrissimus Genetius in lucem edidit, Clericis suæ Diœceseos speciali mandato injunxit Eminentissimus Cardinalis le Camus Episcopus & Princeps Gratianopolitanus, probarunt quoque Eminentissimus Cardinalis Grimaldi nuper Aquensium Archipiscopus, Reverendissimus P. Capisuchi, tunc Romæ Sacri Palatii Magister, & postea Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, nec non plures alii tum Episcopi, tum Facultatis Parisiensis Doctores, quorum suffragia in ejusdem libri capite descripta legere est. Merbesii summa Christiana præter chirographum præstantissimorum Doctorum Sacræ Facultatis, quo munita est, inscripta est Illustrissimo D. D. CAROLO MAURITIO LA TELLIER, Archiepiscopo Rhemensi, ac proinde disciplinam continet, quam in sua Diœcesi servatam vult laudatus Præsul, qui in peritia canonum nulli orbis doctori, nulli Ecclesiæ Episcopo secundus est. Ii vero Scriptores, Morinum dico, Hesselium, Generium, Merbesium aliosve non paucos, subsequentibus argumentis nituntur.

Proferunt nimirum primo Canonem, *Si Presbyter*, quem dicunt Julii esse Papæ I. quemque legere est apud Yvonem Decreti p. 15. cap. 43. Sic autem habet: *Si quis Presbyter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus dicit: Quacumque die fuerit conversus peccator, vita vivet, & non morietur. Vera enim conversio in ultimo tempore potest esse, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est: sicut latro unius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso in hora ultimæ conversionis.* Julius (inquit) eo loci non distinguit inter fideles, qui Sacramentum ante morbum petierunt, & inter eos, qui nequaquam petierint, sed generatim præcipit ut omnibus morientibus, qui publici peccatores non fuerint, impendatur absolutio.

Proferunt secundo authoritatem Augustini ad calcem libri primi de adulterinis conjugiis ad Pollentium. Docet S. Doctor idem respectu hominum, qui præ morbo destituti sunt rationis usu, ferendum esse judicium de Sacramento Pœnitentiæ ac de Sacramento Baptismatis respectu Catechumenorum: *Quæ autem baptismatis* (ait Augustinus) *eadem reconciliationis est causa, si forte Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Atqui (addunt) Augustinus censuit Catechumeno nihil sentienti & in extremis posito conferri debere Sacramentum absolutionis: *Illud autem* (verba sunt S. Doctoris rescribentis ad Pollentium) *unde me itidem in alia scheda consulendum existimasti, seorsum etiam ego enodare curarem, si mihi aliud quam tibi visum est, videretur.* Cum vero eadem sit etiam nostra sententia, non hinc opus est diutius disputare, hoc autem erat de quo fuerat consultus: *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sunt, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit.* Addit Augustinus iis Catechumenis conferri debere baptismum etiamsi in peccandi habitu versati fuerint usque ad subitum morbum præ cujus acerbitate destituti sunt sensibus: *Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerunt, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur.*

Præoccupat deinde (inquiunt) S. Doctor argumenta omnia, quibus ejusmodi disciplina potest impugnari, quibusve ii utuntur, qui censent hominibus, de quibus agitur, impendi non debere Sacramentalem absolutionem. Asserit scilicet ea praxi nequaquam infringi divinum hoc mandatum: *Nolite dare sanctum canibus, neque projeceritis margaritas vestras ante porcos*, quippe quod non de Sacramentis saltem in casu, de quo agitur, sed de Dei verbo, & pluribus aliis intelligendum censeat: *Si autem Dominus ubi ait, Nolite dare sanctum canibus, hoc quod isti cavendum putant, vellet intelligi, non ipse suo traditori dedisset, quod in suam ille perniciem sine culpa dantis cum dignis indignus accepit. Unde cum hoc diceret Dominus, credendum est significare voluisse, quod lucem intelligentiæ spiritualis immunda corda non portant. Et si portanda Doctor ingesserit, quæ non recte accipiunt, quia non capiunt, vel reprehensionis morsibus lacerant, vel contemnendo conculcant: Si enim beatus Apostolus quamvis in Christo jam renatus, tamen adhuc parvulis, lac dicit se dedisse, non escam; necdum enim poteratis* (inquit) *sed nec adhuc potestis. Si denique ipse Dominus electis Apostolis dixit: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo; quanto minus possunt ferre, quæcumque de incorporea luce dicuntur immundæ mentes impiorum!* Asserit præterea idem S. Doctor ministros deterreri non debere a conferendo Sacramento hominibus, de quibus agitur, quod incertum sit an velint Sacramentum, cujus quidem sententiæ duplicem hanc rationem profert, quam hisce verbis exprimit: *Sed non solum incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle: verum etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet, & tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere,*

cipere , ſine quibus jam credidit non ſe oportere de corpore exire. Aſſerit rurſus praxi quam defendit, non obſtare quod de hominis illius contritione minime conſtet, quippe quod (inquit) ſatis ſit quod propter pietatis opera quæ ſanus exercuit dubium ſit an contritionem habeat : *Quis enim novit utrum fortaſſis adulterinæ carnis illecebra uſque ad baptiſmum ſtatuerant detineri ?*

Proferunt 3. Sacerdotale Romanum Venetiis apud Joannem Variſcum & ſocios excuſſum anno 1560. Sic autem apud Merbelium Diſſertatione de Pœnit. pag. 243. habet iſtud Sacerdotale folio 72. *Advertendum autem eſt quod aut infirmus eſt in periculo mortis, aut non. Dico autem periculum mortis, non ſolum quia in extremis conſtitutus , ſed quia contingit frequenter homines mori ex illa infirmitate & medici dubitant. In tali caſu poteſt quilibet abſolvi a quolibet Sacerdote de quolibet peccato & a qualibet ſententia abſque alia licentia, cum periculum eſt in mora. Talis enim infirmus aut jam amiſit loquelam, vel uſum rationis, puta quia phreneticus, aut non. In primo caſu , ſi bene vivebat ut bonus fidelis, & frequentabat confeſſionem & Communionem, & hujuſmodi, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex inſperato talia acciderant , vel etiam ſi malus & obſtinatus diu perſeverans in peccato eſt, & diu non confeſſus, ſi petiit Sacerdotem ut confiteretur, oſtendit ſe velle facere omnia quæ debet, & interea factus eſt mutus vel phreneticus, & periculum eſt in mora, debet præſupponi contritus, & faciente aliquo confeſſionem generalem pro eo , ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia & peccato.* Illi Sacerdotali authoritatem conciliat hæc illius inſcriptio; *Sacerdotale juxta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & aliarum Eccleſiarum ex Apoſtolicæ Bibliothecæ ac SS. PP. Jurium ſanctionibus & Eccleſiarum & D D. ſcriptis ad optatum commodum quorumcumque Sacerdotum collectum, & omni nuper diligentia caſtigatum, ac Summorum Pontificum authoritate multoties approbatum.*

Proferunt 4. factum Clementis Papæ VIII. cui haud dubie utpote in S. Auguſtini lectione verſatiſſimo, perſpectus fuit textus jam jam relatus ex lib. 1. de adulterinis conjugiis ad Pollentium : ſic autem apud pleroſque ſcriptores habet ejuſmodi factum : *Cum quidam ex fabrica D. Petri præceps ruiſſet , & illum Clemens Papa VIII. cadentem vidiſſet, abſolutionem ei dedit dicens : Si es capax, abſolvo te a peccatis tuis.*

Proferunt 5. authoritatem Cleri Lemovicenſis juſſu Illuſtriſſimi Raimundi *de la Martonie* ad Synodum Diœceſanam evocati anno 1619. hocce nimirum decretum, Statutorum Synodalium cap. 21. promulgarunt : *Poterit quoque idem applicari remedium (reconciliationis) ei qui judicio , omniumque ſenſuum uſu ſtatim captus eſt, non petita pœnitentia , nulloque ſigno contritionis edito , cum violentia morbi judicatur de repente, & ex improviſo præventus & oppreſſus, & Christiane vixit , ferrique poteſt judicium ex actionibus vitæ & moribus eum libenter Sacramentum Pœnitentiæ petiturum fore, ſi tempus & morbi violentia permiſiſſent , licet hoc in caſu nihil de abſolutionis effectu permittere poſſimus. Sed animarum ſalvandarum cauſa nullum remedium omittere debemus quod Deus poteſtati noſtræ commiſit, Deum orantes ut immenſa bonitate & miſericordia, quod deeſt, ægrotorum diſpoſitioni ſuppleat, cætera inſcrutabilibus Dei judiciis commendantes.* Illi Decreto ſubſcripſere Abbates XI. Decani III. Præpoſiti VII. Priores X. Archipresbyteri X. ut videre eſt in exemplari quod ann. 1620. apud Viduam Jacobi *Borbon* excuſum eſt.

Proferunt 6. varias ſolutiones ad argumenta quibus nititur adverſa ſententia. Si objiciatur cenſura qua facultas Theologica Pariſienſis perſtrinxit hanc propoſitionem excerptam ex libro Amadæi Guimenii : *Talis infirmus qui amiſit loquelam vel uſum rationis , ſi bene vivebat ut bonus & fidelis , & frequentabat Confeſſionem & Communionem , quamvis non petiverit Sacramenta , quia ex inſperato talia acciderunt , debet præſupponi contritus , & faciente aliquo Confeſſionem generalem pro eo , ſicut fit in populo, Sacerdos faciat abſolutionem ab omni ſententia & peccato .* Si quis (inquam) eam cenſuram objiciat , reſpondebunt authores quorum hic opinionem referimus, ſacram facultatem non damnaſſe propoſitionem quibuſdam particularibus in caſibus, in quibus occurrunt circumſtantiæ quæ praxim de qua agitur, honeſtam ac licitam reddant, ſed tantum generatim & ſecundum totam ſuam latitudinem; idque , ne imperiti quidam paſſim & temere quoslibet, etiam indignos, in ſuam ipſorum, pœnitentiumque condemnationem abſolverent. Confirmatur ex ipſis terminis quibus expreſſa eſt cenſura; ſic enim habet : *Doctrina hujus propoſitionis* UNIVERSIM & ABSOLUTE SUMPTA , *eſt in praxi periculoſa*. Si objiciatur ingens Scholaſticorum numerus qui contrariam ſententiam amplectuntur : reponent iidem authores aſſignari poſſe cauſas quæ illis Scholaſticis fuerint occaſio ſic ſentiendi. Nam 1. (inquiunt) cum illi authores animadverterent canones non meminiſſe fidelium de quibus hic agitur, concluſerunt eos abſolvi non debere ; cum e contra ex eo quod canones ab iis fidelibus non requirant ſigna quibus probetur Sacramenti deſiderium (ſicut in publicis peccatoribus requiſierunt) concludendum fuiſſet ejuſmodi ſigna in iis circumſtantiis nequaquam requiri, quippe quod (addunt) veriſimile non ſit Patres tam ſedulo docuiſſe quid diſciplinæ ſervandum ſit erga peccatores publicos qui præ morbi acerbitate obmuteſcunt, redduntur que ſenſuum expertes , non curaſſe vero de praxi quam in ſimili caſu ſequi oporteat erga fideles qui dum ſanitate fruuntur, obeunt externa omnia religionis officia. 2. Ex eo quod Patres vel verba vel nutus a peccatoribus publicis exquiſierint, concluſerunt Scholaſtici da quibus agitur requiri quovis in caſu, ſeu ſemper, in fidelibus qui variis pietatis operibus integritatem morum probarunt : Quaſi vero (ajunt) iſtud argumentum valeat, perfidi & Eccleſiæ deſertores abſolvi non debent, niſi converſionis ſigna protulerint exterius : Ergo nec viri qui vulgo pii habiti ſunt. Sic potius (inquiunt) illi Scholaſtici argumentari debuiſſent. Apoſtatæ & publici peccatores iniquæ ac perditæ vitæ affectui inhærere præſumuntur donec depoſitum probaverint : Ergo de viris piis, & aliis qui frequentes ſunt in ſynaxibus, præſumi debet quod velint Sacramenta, antequam exeant, recipere, donec ſignis demonſtratum ſit quod eorum voluntas mutata fuerit, ſeu quod ex juſta facta fuerit impia.

Aliorum Theologorum ſententia eſt ſpeculative dubium eſſe an infirmis de quibus eſt quæſtio, abſolutio debeat impendi, ſed practice concedendam arbitrantur. Tuentur ſe ii Theologi opinione Scotiſtarum quibus placet contritionem eſſe quidem materiam, *Circa quam*, Sacramenti pœnitentiæ, ſeu (ut nonnulli interpretantur) diſpoſitionem abſolute requiſitam ut habeatur effectus Sacramenti, non eſſe vero materiam *Ex qua*, unde conſtat, (inquiunt cum Scotiſtis) integrum eſſe Sacramentum integritate ſubſtantiæ quamvis in ſubjecto non adſit contritio. Cum vero iis objicitur ſententia Thomiſtarum qui docent contritionem eſſe materiam , *Ex qua*, Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde nullum eſſe, etiam quoad ſubſtantiam, Sacramentum, ubi defuerit contritio , reſpondent ſe idem cum Thomiſtis ſentire : ſed (inquiunt) Thomiſtarum ſententia non eſt articulus fidei : imo propter totius ſubtilis ſcholæ authoritatem contraria non parum videtur probabilis : Hinc vero concludunt corruere præcipuum eorum argumentum, qui contendunt hominibus de quibus eſt hic quæſtio, impendi non debere abſolutionem Sacramentalem : Ideo enim negant conferri debere, quod contritio, quam dicunt eſſe *materiam ex qua*, in eo caſu nec per ſe, nec per aliquid aliud ſit ſenſibilis : At (addunt) cum incertum ſit an contritio ſit materia *ex qua* conſtet Sacramentum Pœnitentiæ, incertum eſt pariter an aliqua ratione debeat eſſe ſenſibilis ut Sacramentum valeat : In dubio autem an valeat Sacramentum necne, hominis cauſæ potius quam Sacramenti reverentiæ in caſu extremæ neceſſitatis miniſter conſulat oportet. Ii Theologi altero etiam argumento ſuam hoc in capite praxim muniunt : Cum (inquiunt) plures tum Cardinales Eminentiſſimi , tum illuſtriſſimi Epiſcopi, tum Doctores eximii, imo & nonnullæ Eccleſiæ

censeant eam disciplinam Augustino probatam fuisse, atque his temporibus mandari debere executioni; & cum aliunde plures sint ex omni Ordine Doctores qui contradicant, concludunt plane dubium esse an minister in praxi his aut illis scriptoribus adhærere debeat. Atqui (ut ex ipsis jam observavimus) cum dubium est an Sacramentum valeat ac prosit, urgente necessitate conferendum est, ut hominis saluti consulatur.

Eamdem praxim, de qua hactenus, præscribit recens Rituale Tullense, jussu illustrissimi, maxime pii, ac Doctissimi viri HENRICI DE BYSSI, Episcopi Tullensis editum.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum absolutio iis impendi debeat quibus inest affectus ad peccatum mortale?

CONclusio. Absolvi non debent ii, quibus adhuc inest affectus ad peccatum mortale.

Probatur. Sacrilegi sunt qui Sacramenti formam tunc proferunt, cum certum est deesse materiam necessariam, aut dispositionem absolute requisitam. Atqui in casu de quo est quæstio, certum est deesse materiam necessariam, aut saltem dispositionem absolute requisitam, contritionem nimirum, quæ, ut sit vera, debet includere vitæ veteris odium & propositum novæ: quæ duo (ut patet) in eo non reperiuntur qui adhuc amat suum peccatum, seu in quo affectus ad peccatum prædominatur.

Quæres primo, quinam ii sint in quibus affectus ad mortale peccatum prædominari censetur?

Resp. eos esse qui æs alienum injuste detinent; Qui illatam proximi famæ injuriam resarcire aut nolunt aut plus æquo protrahunt; Qui renuunt ea corporis ornamenta deponere, quibus Christiana modestia, aut pudicitia læduntur: Qui obscœnas tabellas aut apud se retinent aut aliis tradunt: Qui aut impiis, aut inhonestis verbis, piis auribus sunt offendiculo: Qui in earum rerum ignorantia versantur quas scire necesse est, vel ratione Christianæ fidei cui dederunt nomen, vel ratione status seu artis quam profitentur. Iis pariter accensendi sunt qui levia tantum pietatis desideria seu quasdam virtutis velleitates experiuntur, non autem constans & firmum propositum non peccandi de cætero. Fuerant in Augustino velleitates hujusmodi, quamvis nondum inesset sincerus ac prædominans pietatis amor: *Voluntas autem nova* (inquit libro 8. Confessionum cap. 5.) *quæ mihi esse cœperat ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. . . . Jam enim & ipsa certa erat, ego autem adhuc terra obligatus, militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar: & cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur: Et sicut nemo est qui dormire semper velit, omniumque sano judicio vigilare præstat, differt tamen plerumque homo somnum discutere, cum gravis torpor in membris est, eumque jam displicentem carpit libentius, quamvis surgendi tempus advenerit: ita certum habebam esse melius tuæ charitati me dedere quam meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat & vincebat, hoc libebat & vinciebat.*

Quæres secundo num minister de prava illa cordis dispositione pœnitentem scrutari teneatur?

Resp. eam iniquam pœnitentis dispositionem vel aliunde notam esse ministro, vel non: Si primum, reus est si absolutionem impendat, eo quod tunc certus sit non adesse dispositionem ut effectus Sacramenti recipiatur, imo (secundum Thomistas) nec ipsum quoad substantiam Sacramentum, defectu nimirum contritionis quæ cum illa prava mentis dispositione stare minime potest. Si secundum, Sacerdos debet de ea, ac simili dispositione scrutari suum pœnitentem, cum & judicis & medici munere fungatur. Id oneris Sacerdotibus incumbere negarunt nuper quidam molliores Casuistæ, sed error ille, multo antequam in perniciem animarum prodiisset, præfocatus est ab Angelico Doctore in 4. Sent. dist. 19. ubi sic loquitur: *Sacerdos debet scrutari conscientiam peccatoris in confessione quasi medicus vulnus, & judex causam, quia frequenter quæ pro confusione confitens taceret, interrogatus revelat.* Monet deinde S. Thomas qua cautione minister tunc uti debeat ne pœnitenti sit offendiculo: *Sed tamen* (inquit) *in interrogationibus faciendis tria sunt attendenda: 1. ut interrogetur peccator de peccatis quæ consueverunt in hominibus illius conditionis abundare. 2. ut non fiat explicita interrogatio de peccatis, nisi de illis quæ omnibus manifesta sunt: De aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet a longinquo fieri interrogatio, ut si commisit, dicat, si non commisit, non addiscat. 3. ut de peccatis, præcipue carnalibus, non descendat nimis ad particulares circumstantias, quia hujusmodi delectabilia quanto magis in speciali considerantur, magis concupiscentiam nata sunt movere.*

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum absolvi debeant qui nolunt præscriptis sibi remediis uti?

CONclusio. Absolvi non debent qui renuunt uti remediis quæ necessaria judicantur a ministro, quo pœnitens deinceps temperet a peccato.

Probatur primo authoritate S. Caroli qui id de quo agitur, expresse vetat in Instructionibus quas pro confessariis edidit. Secundo. Qui non vult media, non censetur velle efficaciter finem ad cujus consecutionem necessaria judicantur. Ergo qui non vult uti necessariis remediis, censetur adhuc velle interius peccatum, licet illud se detestari exterius profiteatur.

Quæres 1. Quænam sint remedia quæ ad peccatum vitandum necessaria sunt?

Resp. varia esse, scilicet pro varietate rerum quæ possunt hominem ad peccatum impellere, aut fovere illius affectum. Otium quo torpent adolescentes qui impudicitiis contaminarunt se se, ludi quibus indulgent iidem homines, comessationes quibus se tradunt, provocant ad impudicitiam: Ergo absolvi non debent ejusmodi adolescentes quin prius illi molliori vitæ nuntium remiserint. Periculum est ne viri nobiles qui magno suæ famæ desiderio tenentur, ruant ad duella si in iis locis permaneant in quibus prævident suam famam quam depereunt, adducendam in discrimen: dimittendi sunt igitur absque Sacramento, si ex iis locis discedere detrectent. Idem ferri debet judicium de iis qui cum magnatibus a quibus sperant fortunam pinguiorem, sint ab obsequiis, juste, seu cum fundamento, timent aut ne iniqua quædam ab eis exigantur, aut ne satis virium habeant cum incumbet eis necessitas magnates illos ob quædam male facta arguendi.

Quæres 2. Utrum ii omnes qui paratos se exhibent ad remedia vitando peccato necessaria, statim absolutione donari debeant?

Resp. primo donari posse, si in illis circumstantiis de quibus mox actum est, gravi tentatione pressi, lapsi non fuerint in peccatum mortale, adsitve confessario certitudo moralis quod reipsa ab eo statu discessuri sint post receptam absolutionem. Resp. 2. iis etiam qui nondum lapsi sunt, aliquando differri debere collationem absolutionis donec reipsa ex statu quem descripsimus, recesserint, si nempe minister cum fundamento dubitet, (ut in rebus illis difficilibus est fere semper dubitandi locus) ne non postea stent suis promissis. Resp. 3. iis qui sæpe lapsi sunt in illis circumstantiis positi absolutionem concedi non debere statim ac ab illis recesserint. Ratio est, quia inchoata praxis remediorum, quæ minister præscripserit, non præbet fundamentum sufficiens judicandi pœnitentes commissa peccata (ut par est) detestari, aut eos constanti animo vitam novam proponere. Præterea disciplinam quam hic urgemus, commendasse videtur Clerus Romanus cum ait Romanam Ecclesiam minime probare, *Ut properata nimis remedia communicationum, utique non profatura præstentur, & nova per misericor-*

diam

dum falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimuntur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? Tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum statim absolvi debeant qui implicati sunt peccandi consuetudine?

CONclusio. Qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, non debent absolvi, nisi multo, ad viri prudentis judicium, tempore conversionem operibus probaverint.

Probatur 1. Sacramenti minister extra casum necessitatis, seu ubi non urget vitæ periculum, uti non potest materia dubia, neque conferre Sacramentum subjecto de quo merito dubitat an sit dispositus ad illud valide, aut saltem licite recipiendum. Ea propositio nititur præcepto virtutis religionis, quæ probibet ne res sanctissima, cujusmodi est Sacramentum, aut nullitati, aut profanationi exponatur. Atqui confessario adest dubitandi fundamentum an sit materia debita cum quis peccandi consuetudine implicatus accedit ad confessionem absque operibus quæ illius conversionem probent: Siquidem (ut superius dictum est) necessaria Sacramenti Pœnitentiæ materia est contritio. Atqui dubium est an tunc adsit illa contritio, ut subsequentibus momentis patebit.

1. Contritio ordinarie ac passim non solet unico momento, seu intra paucos dies, efformari in corde hominis quem ligat inveterata peccandi consuetudo. Id nimirum Scriptura docemur ubi dicitur quod arcta sit via quæ ducit ad vitam, & quod pauci sint qui eam inveniunt: Qua enim, quæso, ratione, arcta & difficilis esset via quæ tam cito & tam facile cuique lapso pateret, si nulla inter peccati & virtutis amorem aut brevis saltem, interposita esset mora?

Idem visum est SS. Patribus, cum asseruerint citas absolutiones plurimum obesse lapsis, non esse pacem sed bellum, non beneficium, sed injuriam, non pietatem, sed impietatem: *Si quis* (ait Cyprianus libro de Lapsis) *præ propera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, dant scilicet pacem nondum pœnitentia perfunctis, non tantum nihil prodest, sed & obest lapsis; provocasse est iram, non servasse sententiam: nec misericordiam prius Dei deprecandam putare; sed contempto Domino de sua facultate præsumere.* Sic iterum idem S. Martyr loquitur de ministris qui absque mora Lapsis pacem annuunt: *Hoc sunt* (inquit) *lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, & quod navigiis sæva tempestas .... Non concedit pacem ista facilitas, sed tollit; nec communicationem tribuit, sed impedit salutem. Persecutio est hæc alia, & alia tentatio, per quam subtilis inimicus impugnandis adhuc lapsis occulta populatione grassatur, ut lamentatio conquiescat, ut dolor sileat, ut delicti memoria evanescat, ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum; nec Dominum graviter offensum longa & plena pœnitentia deprecetur. Cum scriptum sit: Memor esto unde excideris, & age pœnitentiam.*

Idem & ratione & experimento docemur: Cuique scilicet compertum est animum nec tam cito, nec tam facile, deponere habitum qui per repetitos actus altissimas egit radices, & quo quis per diuturnum tempus delectatus sit. Iniqui habitus vim senserat Augustinus dum lib. 8. confess. cap. v. sic Deum alloquitur: *Velle meum tenebat inimicus; & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas; Quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dura servitus.*

Veteres (ut suo loco demonstratum est) lapsis absolutionem ordinarie non impendebant, nisi prius pœnitentiæ stadium decurrissent; sic vero gerebant se, non tantum ut pœnam peccato debitam peccatores eluerent, sed etiam ut præviis laboribus donum contritionis a Deo obtinerent: unde (ut ait Concilium Nicænum primum) humanius cum iis agebatur in quibus apparebat ejusdem Contritionis fervor: Toti igitur antiquitati persuasum fuit contritionem non esse diei unius opus, sed multorum mensium, imo & nonnumquam, annorum.

2. Vera contritio est stabilis & constans, saltem ordinarie (absolute enim loquendo qui vere contriti sunt, possunt peccare.) Ergo ordinarie non reperitur in iis qui in crimina sæpius relabuntur. Antecedens in quo difficultas est posita, ostenditur variis argumentis.

Scriptura ubi hominem vere conversum describit, non tamquam in melioris vitæ proposito vacillantem & quotidie deciduum, sed tamquam lignum quod plantatum secus decursum aquarum, fere semper virentibus foliis ornatur, fert fructum in tempore suo: *Erit* (inquit Psaltes Regius Psal. 1.) *tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum quod fructum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.* Soli comparatur vir sapiens, ut est is omnis qui vere conversus est, cum e contra stultus, ut est is omnis qui peccato affectu inhæret, continuo mutetur: *Homo sanctus* (verba sunt Eccles. cap. 27.) *in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.*

Si audiamus Evangelium, is qui a peccato aversus, conversus est ad Deum, describitur tamquam domus supra petram fundata, quam nec flumina, nec venti evertant, seu tamquam vir qui mediis in tentationibus plerumque immobilis permaneat: *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.* Eodem spectant hæc verba 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit* (non quidem in sensu Calvinistarum, quibus placet hominem semel justificatum a justitia excidere non posse, sed saltem passim & ordinaria) *Quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Antiqui nostri Apologistæ sanctitatem Ecclesiæ vindicarunt ex pietate fidelium, quæ si ita inconstans fuisset ut est in iis qui conversos se prædicant quod per aliquot dies temperarint a peccatis licet in ea mox relapsi sint, irrisa fuisset a gentilibus quibus eam Apologistæ veteres objiciebant: *Qui olim stupris* (nempe dum in gentilitatis tenebris adhuc essemus constituti) *lætabamur* (inquit S. Justinus in altera apologia quam pro religione Christiana obtulit Imperatoribus) *nunc charitatem solam complectimur. Qui magicis artibus tenebamur, bono & æterno nos consecramus, dicamusque Deo: qui pecuniarum & possessionum fructus ac proventus præ rebus omnibus adamabamus, nunc etiam ea quæ habemus in commune conferimus, & cum indigentibus quibusque communicamus; qui odiis ac cædibus mutuis inter nos grassabamur, & pro consuetudine recepta cum eis, qui contribules nostri non essent, communem focum non habebamus, nunc a Christi apparitione familiariter simul vivimus & pro inimicis oramus, & qui nos iniquo persequuntur odio, suasione flectere conamur, ut secundum honesta Dei præcepta vitam agentes, bonam spem habeant, eadem se nobiscum a Deo omnium dominatore præmia esse consecuturos.* Si desultoria fuisset priscorum Christianorum pietas, immerito Tertullianus eam hisce verbis Scapulæ objecisset. *In silentio & modestia agimus .... nec aliunde scibiles quam de emendatione vitiorum.* Si tot vicissitudinibus obnoxii fuissent antiquorum mores, qua, quæso, ratione sic eos Minutius Felix describere ausus esset. *Nos non notaculo corporis* (ut olim Judæi) *sed innocentiæ & modestiæ signo facile dignoscimur.* Illis veterum principiis inhærens Augustinus hæc ait Serm. 29. de verbis Apostoli: *Non autem, quia dico quod non possumus hic esse sine peccato, homicidia facere debemus, aut adulteria, vel cætera mortifera peccata, quæ uno ictu perimunt; talia non facit bonæ fidei, & bonæ spei Christianus; sed*

sola

fola illa quæ qaotidiano orationis placulo tergantur.

Idem evicerunt Patres ex Pœnitentiæ idea. Ea autem licet non omnimodam, aliquam tamen ac diuturnam in bono constantiam includit: *Pœnitentiæ* (inquit) *est & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*. Hinc illa vox S. Ambrosii: *Merito reprebenduntur qui sæpius agendam pœnitentiam putant: nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam non putarent*. Hinc illud S. Augustini effatum de iis qui sic se accusant, ut adhuc illos peccare delectet: *Professio est* (inquit Serm. de Temp.) *non emendatio: Accusatur anima non sanatar . . . Ista est, filioli, vera pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur, quando sic pœnitet, ut non repetat*. Hinc etiam ejusdem S. Doctoris Serm. 66. de Tempore principium: *Fructas dignus est pœnitentiæ, traasacta flere peccata & eadem iterum non agere: Sicut scriptum est, Ne adjicias peccatum super peccatum. Lavamivi* (*dicit Dominus per Isaiam Prophetam*) *& mundi estote. Lavatur itaque & mundus est qui & præterita plangit, & iterum non admittit. Lavatnr, & non est mundus, qui plangit quod gessit, nec deserit: sed post lacbrymas flenda bæc, quæ fleverat repetit*. Hinc illud præclarum S. Fulgentii de relabentibus dictum: *Numquam diluunt gemendo peccatum: quia non desinunt peccare post gemitum*. Hinc illa S. Isidori a plurimis qui eum secuti sunt, laudata sententia lib. 7. Sent. cap. 16. *Irrisor est & non pœniteas, qui adbuc agit quæ pœnitet, nec Deum videtur poscere subditus, sed subsanare superbus*. Hinc illa vox Gregorii Papæ VII. lib. 7. Epist. 10. *Infructuosam pœnitentiam dicimus quæ ita accipitur, ut in eadem culpa vel simili, vel deteriori, vel parum minori permaneatur*. Hinc denique hæc ejusdem Pontificis tenteutia: *Quisquis digne vult pœnitere, necesse est ut ad fidei recurrat originem, & quod in baptismo promisit, diabolo scilicet, pompisque illius abrenunciare, & iu Deum credere, videlicet recte de Deo sentieado, mandatis ipsius obedire, sollicitus sit vigilauter custodire. Qaicumque ergo taliter pœnituerit* (*quoaiam aliter simulatio dici potest, aon pœnitentia*) *illi peccatorum suorum remissionem, Apostolica freti potestate largimur*.

Nihil magis inconditum ad ea Patrum testimonia reponi potest, quam quod nonnulli respondent contendentes laudatis Patrum textibus non aliud elici qoam istud, Eum nempe, qui dum actu confitetur relabitur in peccata, irrisorem esse uon pœnitentem: non elici vero hoc aliud, scilicet suspectam esse illins pœnitenriam qui non multo post confessionem in eadem crimina relabitur: Nihil (inquam) inconditum magis est. Nam 1. perrara est illa impodentia quæ confessione peccatum actu conjungit omnium ioculis patet pœnitentiam uon esse impudentiam illam: ac proinde non erat quod Patres in ea impugnanda tererent tempus. 2. Non cohæret illud responsum cum laudatis textibus; expressa nimirum fit mentio peccati qood confessionem non comitetur, sed sobsequatur: *Non est mundus, qui plangit qnod gessit, nec deserit, sed post lacbrymas flenda bæc quæ fleverat repetit*. Eadem ratione Fulgentius, Isidorus, cæterique quos laudavimus, loquuntur. Ex iis igitur quæ hucusque dicta sunt invicte sequitur persuasnm fuisse Patribus veram conversionem non esse desultoriam, sed firmam & constantem, saltem per diuturnum aliquod tempos ad prudentum æstimationem. 3. Non ex Scriptura modo, non tantum ex Patribus, sed etiam ex ratione uaturali concluditur veram animi conversionem non ita esse instabilem, ut mollioribus quibusdam hujusce ætatis scriptoribus visum est. Non censetur intermittente febri liberatus, qui intra unnm aut alterum diem illius æstu excruciandus est: Ergo nec is censeri debet consecutus animæ conversionem, qui licet per aliquod tempus a pravi habitus actibus temperaverit, brevi tamen debet in eos erumpere. Nemo qui judicio polleat, audebit asserere constans & firmum propositum non uocendi proximo reperiri in homine qui per aliquos qoidem dies nihil agit quo ipsi detrimentum inferat, sed sæpius postea ei nocet quam maxime: Ergo ueque judicare debemus firmum propositum non peccandi in eo esse, qui brevi quidem tempore peccati actus non elicit, sed non multo post quamplurimos eliciturus est.

Recensita hactenus principia quibusdam Hispaniarum fidelibus parum olim perspecta fuisse ex eo constat quod toties vellent reum absolvi quoties peccasset. Verum redacti sunt in ordinem a Patribus tertii Coucilii Toletani, doctique sunt ab eis illam peccatorum & confessionum iterationem nihil aliud esse quam fœdissimam pœnitentiam. *Quoniam* (iuquiunt) *comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias, non secundum canones, sed fœdissime pro sais peccatis bomines agere pœnitentiam, ut quoties peccare libuerit, toties a Presbyteris se reconciliari postalent: ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione, id a sancto Concilio jubetur, ut secundum formam canonam antiqaorum detur pœnitentia*.

Proxime elapso sæculo plures confessarios fugiebant ea Sanctorum Patrum axiomata: Sed Christus ex magna in Ecclesiam charitate tanto malo consultum voluit S. Caroli Borromæi opera, a quo in usum ministrorum Sacramenti Pœnitentiæ editæ sunt Instructiones totius Ecclesiæ judicio comprobatæ: sic autem iis in Instructionibus loquitur: *Confessarios monitos volumus, ut donec emendationem perspexcrint, absolutionem iis pœnitentibus procrastinent quos verisimile est ad peccata iterum lapsuros, quantamvis polliceantur, ac spondeant ea se dimissaros. Hujusmodi vero sant adolescentes otio ut plurimum dediti, qui in ludis, comessationibus, ebrietatibus, & impudicitiis majorem vitæ partem impendunt. Iis pariter accenseri debent blasphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumerique alii impii qui semel tantum quot annis tempore Quadragesimali labente se se Sacerdoti sistunt ad confessionem, sicat universim omnes qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt abjecto debitæ correctionis studio*.

Nuperus quidam scriptor cujus uomini parcimus, S. Caroli instructioonm authoritatem elevare conatus est quod (iuquiebat) eas S. Præsul adhuc juvenis ediderit priore Concilio Mediolanensi. Verum allucinatus est hujusmodi scriptor: Siquidem compositæ fuerunt ex decreto tertii Concilii Mediolanensis, ut ipsemet hisce verbis testatur in quarto Concilio Provinciali: *Instructiones ad Sacramentorum & Pœnitentiæ & sacræ Communionis administrandorum nsum, cultumque pertinentes a nobis Concilii Provincialis tertii decreto confectas atque editas ia sua qaisque urbe, Diœcesique Episcopas servari omni diligentia caret*. Secundo. Sancta Sedes Apostolica approbavit, confirmavitque quartum Concilium Mediolanense qun instructiones de quibus agitur, commendatæ fuerant. Tertio. Nihil in adulta magis ætate peregit S. Carolus, quo disciplinam iis in instructionibus præscriptam emollierit: imo quo major fiebat ætate, eo severiorem disciplinam introducere satagebat: *Uade in altima Synodo Diœcesana* (teste Ripamunt. lib. 6. vitæ S. Caroli) *deploravit increpuitque segnitiem suam, statum, in quo Ecclesiam Mediolanensem relicturus esset. Qaæ cum diceret retulit veteris Hierosolymitani templi exemplum, cujus fabrica dum instauraretur juvenes quidem gaudio exiliebant, sed seniores alii, qui viderant antiquæ molis majestatem, illacbrymabantur. Ad eum nempe modum* (*ajebat in Synodo Clerum suum alloquens*) *etiam ipsos fortasse lætari nonnalla imagine disciplinæ, qaæ tot laboribus & caris effecta & constituta videretur; sed si primævæ Ecclesiæ sanctimoniam, purosque animos, quibus ætas illa numea coluisset, oculis subjecissent, ex comparatione intellecturos quam adbuc multa deessent sibi, & una cam misero Clero Episcopum infelicem posse commoveri, ne temperaret a lacbrymis*. Quarto. Totus Clerus Gallicanus ann. 1655. 1656. 1657. ad Comitia generalia Parisiis adunatus S. Caroli instructiones opposuit molliori Casuistarum Doctrinæ quæ serpebat in Galliis; dedit operam ut Gallicanæ Ecclesiæ sumptibus typis mandarentur, impressas ad omoes regni Præ-

fu-

sules dirigi voluit ut omnes confessarii ex illis discerent, *Qua ratione in sui officii administratione se gerere debeant*. In litteris vero quas Comitia dederunt ad Episcupos, suum de hujusmodi instructionibus judicium patriis verbis quæ sic Latine reddimus, aperuerunt : *Non dubitamus quin gratum sitis habituri quod vestris in manibus posuerimus dogmata adeo sancta, adeoque necessaria hisce temporibus, quæ finis & fæx seculorum dici merentur. Cum vero authoritate vestra vestris in Diœcesibus promulgabuntur, pollebunt virtute & gratia, quibus opus est eis, ut medicis & ægris utiles evadant. Vos itaque obtestamur, ut in hac occasione, qua Deus vos instruxit, exeratis, tum ad cohibenda illa criminum diluvia, quibus divina ira, ne Galliæ parcat, lacessitur : tum ad restaurandam in fidelium mentibus castissimam Evangelii doctrinam, cui ab aliquo tempore tanta labes fuit illata*. Comitiorum statuto subjecerunt se se singulæ Galliarum Provinciæ : illi lubens morem gessit nostra Oratorii D. Jesu Congregatio, ad Comitia generalia Parisiis adunata anno 1676. palam nempe professa est se instructiones illas amplecti ex animo, mentem esse suam ut adamussim regularum quas complectuntur, quique Oratorii Sacerdotes Pœnitentiæ Sacramentum dispensent.

Tantæ testium nubi non credebant nuperi quidam Casuistæ, sed revincti sunt ab Innocentio Papa XI. a quo hæc propositio merito proscripta fuit : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem* : Per hæc verba : *Etsi emendationis spes nulla appareat*, Summus Pontifex eum pœnitentem intelligit qui cordis emendationem non probat prævis pietatis operibus : nam ex hac altera parte damnatæ propositionis : *Dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem*, invicte colligitur spem emendationis in iis non apparere qui verbis tantum non autem operibus confessarium de sua conversione faciunt certiorem.

Solvuntur Scripturæ loca quibus nonnulli utuntur ut probent implicatos consuetudine peccandi toties absolvi debere quoties confitentur.

Objicies primo. Christus hæc ait Matthæi xi. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Sacerdos igitur cum Christi vices gerat, quemque confitentem, collato ipsi absolutionis beneficio, debet a peccatis liberare. Matthæi 18. interroganti Petro, utrum septies in se peccanti fratri veniam daret, hoc a Christo responsum datum est : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Ergo oportet Sacerdotem promptum esse ut impiis peccata relaxet quoties veniam exposcunt. Lucæ 6. sic Christus Apostolos alloquitur : *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est*. Ergo quemadmodum Deus semper paratus est hominibus ignoscere : ita & Sacerdos qui in tribunali pœnitentiæ, nomine illius agit.

Resp. ad primum, Christum Matthæi xi. quemque qui cupiditatis pondere premitur, hortari ut ad eum confugiens poscat charitatem per quam ejusmodi pondere liberetur, vitamque componat ad Evangelii præscriptum ; unde laborantes non monentur tantum ut Christum adeant, sed præterea ut ipsius jugo se se subjiciant : *Tollite jugum meum super vos*, jugum vero Christi in humilitate, mansuetudine, charitate, cæterisque virtutibus positum est. *Et discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris* : eum autem qui iis donis ornatus est, donandus est quidem absolutione, sed confessarius temerario judicaret reperiri eam in hominibus qui peccandis consuetudine implicati sunt, nec emendationem constanti pietatis praxi probarunt.

Resp. ad secundum, Christum iis verbis : *Non dico tibi, &c.* non docere Petrum qua ratione se se in Pœnitentiæ Sacramento erga reos gerere debeat ; sed qua animi affectione debeat esse compositus in eos a quibus passus fuerit injuriam. Præcipit autem Christus ne sit cupidus vindictæ, sed semper promptus ad ignoscendum : ita ut executioni mandet illud Christi mandatum : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos*. Addendum est eo argumento, si valeret, probatum iri ipsis etiam impœnitentibus dari debere Sacramentalem absolutionem, cum certum sit offensum teneri ignoscere iis etiam, quos illatæ injuriæ minime pœnituerit.

Resp. ad tertium, Sacerdotem teneri quidem Dei in impios misericordiam æmulari, verum quemadmodum Deus peccata non donat nisi conversis ; ita nulli alteri debet Sacerdos per absolutionem veniam indulgere : Sed qui peccandi consuetudine implicatus vixit, censeri non debet conversus nisi præviis pietatis operibus emendationem justo tempore, ad prudentum æstimationem, probaverit : & ministris qui contrariam praxim sequuntur, & peccatoribus qui eam in se servari cupiunt, convenit præclara hæc Ambrosii sententia lib. 2. de Pœnitentia cap. 9. *Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, at statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare : suam enim conscientiam non exuunt, Sacerdotis induunt*.

Objicies secundo. Praxis per quam absolutio iis differtur qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, adversatur Christi exemplo, qui mulieri peccatrici in adulterio deprehensæ, paralitico, nulla prorsus interposita mora, & absque præviis pietatis operibus his verbis peccatorum veniam impertitus est : *Vade in pace*, Lucæ 7. *Nec ego te condemnabo. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Non cohæret quoque cum Apostolorum exemplo qui una die baptizarunt plura hominum millia, inter quos haud dubie plures erant implicati antiqua peccandi consuetudine.

Resp. ad primum, magnum inter Christum & Presbyteros discrimen intercedere, quippe qui omnipotentissima virtute sua donum perfectæ contritionis iis largitus sit, quos nulla interposita mora absolvit. Sacerdotes vero donum illud nec dare possunt, nec a Deo datum intueri valent in iis hominibus qui non alia ratione quam verbis probant se deposuisse veterem peccandi consuetudinem.

Dicendum est præterea immerito proferri exemplum Christi mulieri peccatrici dicentis : *Remittuntur tibi peccata*, ut probetur absolutionem absque mora iis omnibus dari debere qui se verbis, non factis illi recipiendæ idoneos protestantur : siquidem non prius illi dimissa sunt peccata quin eximiis pietatis operibus tanto se beneficio dignum ostendisset. In pœnitente requiritur dolor de peccatis ; peccatrix præ doloris magnitudine lachrymis suis rigat pedes Jesu. Peccatorem decet humilitas ; præ sui ipsius contemptum dejicit se se ad pedes Salvatoris, gaudetque quod a Pharisæis contemnatur. Reum dedecet corporis cultus ; sparsis capillis abstergit pedes quos lachrymis abluerat. Commendat pœnitentem si vitiorum instrumenta convertat in arma virtutum : peccatrix fracto alabastrite ungit pedes Christi. Necesse est ut Pœnitens Deum diligat tamquam omnis justitiæ fontem : peccatrix (ipso Christo teste) non segniter, sed multum dilexit. Pœnitens citius meretur veniam, si præ verecundia eam non poscat : peccatrix culpam detestata, pœnarum relaxationem sui judicis arbitrio relinquit. Laus est pœnitentis de propitiato peccato non esse securum : peccatrix licet minime diffidens de Christi verbis, pergit peccata deflere.

Resp. ad secundum, miraculosas fuisse conversiones eorum hominum quos Apostoli baptizarunt una die ; idque factum est singulari Dei providentia, scilicet ut Evangelium intra breve tempus ad extremos orbis fines propagaretur : At miracula in exemplum trahi non debent, nec ea jactanti fides adhibetur, nisi alia ratione quam verbis perspicua reddiderit.

Sol-

Solvitur argumentum sumptum ex fide quam confessarius Pœnitenti adhibere tenetur.

Objicies. Tritum est apud aliquos Scholasticos axioma: *Pœnitenti in conscientiæ tribunali tam pro se quam contra se quidpiam affirmanti fidem adhiberi debere.* Ergo Sacramenti minister tenetur credere pœnitenti ubi asserit se dolere quod peccarit: ac proinde tenetur absolutionem ei conferre quamvis verbis tantum, non autem prævijs operibus suam probaverit emendationem.

Resp. primo illud axioma universim seu sumptum secundum eam quam præ se fert amplitudinem, expresse adversari decreto Innocentii Papæ XI. a quo (ut superius observatum est) proscripta fuit hæc propositio: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.*

Secundo. Confessarii ab eodem Pontifice jussi sunt ut de emendationis proposito dijudicent non ex verbis, sed ex factis pœnitentium antequam eis absolutionem impendant. Mandatum S. D. N. omnibus Capucinorum Ministris Provincialibus data Epistola significavit Joannes Baptista a Sabbio Procurator & Commissarius Generalis: ejusmodi autem est Epistolæ tenor: *Sanctissimus Dominus noster Papa Innocentius XI. animadvertens multorum Christianorum corruptelas & excessus, præsertim mulierum pompam & immoderantiam in vestitu, cupiensque intimo cordis sui affectu a populo sibi commisso hujusmodi mala, & flagella iræ Dei quæ propter illa imminent, avertere; vidensque nullum esse remedium his congruentius, quam si fideles ubique pœnitentiam agant, viamque suam corrigant, ac ad normam Christianarum legum eam componant, vocatis ad se omnibus Procuratoribus generalibus, ardentissimo spiritus sui zelo illis ordinavit, ut moneant & inducant Concionatores suarum respective religionum, ut in concionibus Christianos spiritu & stylo Apostolico ad pœnitentiam agendam, vitamque suam emendandam & in melius commutandam adhortentur, nec non Confessarios ut in confessionibus rite officio suo fungantur, pœnitentes instruendo, monendo, reprehendendo, & etiam si opus fuerit absolutiones eis denegando, præsertim mulieribus ornatu immoderato vel immodesto corporis habitu utentibus. Ut igitur debito nostro satisfaciamus, per præsentes mentem Sanctissimi Domini nostri, tibi Reverendo Patri ministro Provinciali notificamus, ut omnem adhibeas operam & diligentiam ut concionatores tuæ provinciæ, juxta constitutionum nostrarum præscriptum conciones reforment, & opportuno verbo & exemplo ad inducendos fideles ad pœnitentiam & morum correctionem concionentur. Confessarii quoque, Concionatoribus concordantes ad verum peccatorum suorum dolorem, firmumque emendationis propositum pœnitentes suos inducant, eos etiam beneficio absolutionis privando* QUOS EX FACTIS *viderint non esse sufficienter dispositos & præparatos ad illud recipiendum, præsertim mulieres nolentes a suis vanitatibus, pompis excessivis, & vestibus immodestis abstinere: Quos autem tuam Concionatores quam Confessarios repereris a prædictorum executione oberrare, eos ab exercitio officiorum concionandi & confessiones excipiendi respective debebis removere, ut ii soli prædicta munia exerceant qui se dictis & factis idoneos Dei ministros exhibuerint.*

Tertio. Idem axioma quo nonnulli Casuistæ nituntur, repugnat etiam traditioni veterum Patrum inter quos sic loquitur Gregorius Magnus lib. 6. cap. 15. in librum 1. Regum: *Signum veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ; tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cum digna afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptista male conversos Judæos ad se confluentes increpans, ait, Genimina Viperarum quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In fructu ergo non in foliis aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter se ipsa, sed propter fructum expetenda sunt: quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornatum non recipit si fiat fructu afflictionis.*

Quarto. Ex eo quod Sacerdos fidem adhibeat pœnitenti dum peccatum confitetur, male colligitur ab adversariis quod illi quoque debeat credere dum asserit se ex animo peccata detestari. Ratio est, quia pœnitens certo cognoscit scelera quæ Sacerdoti detegit; sic fur certus est de suis latrociniis: at vero non potest cognoscere an vere contritus sit, sic edicente Concilio Tridentino sess. 6. cap. 9. *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum se ipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Impius nonnunquam judicat sibi displicere crimen, eo quod illi displiceant nonnulli criminis effectus, exclusio nimirum ab æterna vita, cruciatus apud inferos, stimuli conscientiæ: effectus autem illi ab ipsa criminis culpa differunt quam maxime, licet enim impio dum actu peccat, placeat culpa, displicent tamen illi culpæ effectus. Præterea impius sæpe sumit imperfecta quædam emendationis desideria pro voluntate efficaci: Ea tamen desideria non sunt ejusmodi quibus cor Deum creaturis anteponat, sunt enim meræ velleitates quæ in impiis, etiam dum actu peccant, non raro reperiuntur, ut videre est in viris quibusdam nobilibus qui duello confligunt: hi scilicet moventur nonnunquam ut temperent ab illo crimine sed ejusmodi motus mox ab efficaci mundani honoris amore superatur. Pœnitens sæpe sibi de contritione blanditur, cum verba protulit ex quibus constat exterior hæc illius formula, *Domine, pœnitet me peccati quod illud oderis quam maxime.* Verum eo in capite turpiter errat: neque enim contritus erat Saul cum ad Samuelis objurgationem erupit in hæc verba: *Peccavi Domino*: neque Antiochus liber erat ab affectu peccati cum a Deo postulabat veniam, quam, cum sceleстus esset, non erat consecuturus. Eam peccatoris cœcitatem hisce verbis explicat Grægorius Magnus: *Sæpe sibi* (inquit) *de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.*

5. Se habet pœnitens respectu ministri cui confitetur, sicut ægrotus respectu medici, per quem curatur. Verum, licet medicus fidem adhibeat ægroto cum ait se laborare capite, non debet tamen ei credere dum sanum ideo se prædicat quod per breve tempus ab ejusmodi dolore liber fuerit, aut cum ait se satis habere virium ut hanc aut illam potionem medicam hauriat: ita neque confessarius credere debet pœnitenti dum affirmat se recipiendæ absolutionis idoneum esse. Confirmatur argumentum ex eo quod corporis morbi plerumque rationem non perturbent, sed e contra morbis animi sæpius excœcari solent: *Lege enim infatigabili* (ait Augustinus) *Deus spargit pœnales cœcitates super illicitas cupiditates.* Concinit Gregorius lib. 7. Moralium cap. 13. *Lumen* (inquit) *rationis ei clauditur qui pravo usu, iniquitatis suæ multitudine gravatur.* Rursus, peccator in foro pœnitentiæ se habet Sacerdotis respectu, sicut reus in foro externo respectu judicis: At judex, licet credat reo dum accusat scelera, ab eo tamen non discit, sed a legibus, quanto tempore, quibusque pœnis castigari debeat: Ergo nec Sacerdos discere debet a pœnitente quandonam ipse pœnitens absolvendus sit, qua pœna in eum oporteat animadvertere.

Solvitur argumentum ex eo sumptum quod peccator cui differtur absolutio, forte tunc sit vere contritus.

Objicies. Fieri potest ut impius, qui peccavit ex habitu, eo quo par est modo sit contritus, quamvis verbis tantum, non autem prævijs operibus suam conversionem probet. Ergo toties debet absolvi quoties confessus protestatur sibi peccatum displicere. Confirmatur argumentum ex pio latrone qui cum Christo pependit in cruce; is nimirum a Christo audiit:

Hodie

Hodie mecum eris in paradiso, licet paulo ante peccandi consuetudine implicatus esset.

Resp. concesso ant. neg. conseq. Ratio est, quia ut minister extra casum necessitatis conferat absolutionem, non satis est ut pœnitens ad eam recipiendam dispositus sit interius; sed præterea requiritur ut ipse minister de interna illius dispositione certus sit moraliter. At, nisi confessionem præcesserint pietatis opera, ministro deest ejusmodi certitudo quantumcumque pœnitens se eam experiri profiteatur: quippe quod superius ostensum sit confitentis verba non sufficere ut illud judicium ferat.

Confirmatur, solutio ex Yvone Carnotensi qui in Epistola 228. quæ est ad Gonbetium Presbyterum sic loquitur: *Quærit fraternitas tua quomodo inter se conveniant Prophetica sententia quæ dicit, In quacumque hora peccator ingemuerit, salvus erit, & Synodalis quæ crimina sua confitentes aliquamdiu a Corporis & Sanguinis Christi communione suspendit .... Quæ quæstio facile solvitur, si interni judicis animadversio & humanæ fragilitatis consideratio diligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem separet a capite & corpore, rationis ordo hoc exigit ut internus judex tanto remittat celerius, quanto solus magis videt interius. Judex vero qui tantum videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec* PER MANIFESTUM POENITENTIAE FRUCTUM *quis sit pœnitentis affectus intelligat: Per internum enim gemitum satisfacit interno judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio: Ecclesia vero, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet resuscitatum, nisi de monumento elatum, idest publica satisfactione purgatum. Hinc est quod Ecclesia sua crimina confitentes a Sacramentorum communione suspendit, & in cinere & cilicio positos ab introitu Ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur si jam sunt interius vivificati, cum fuerint longa pœnitentia maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbit nec dissentire Propheticam & Synodalem sententiam: cum illa deferat quod suum est capiti, & ista concedat quod suum est corpori.*

Ad argumenti vero confirmationem dicendum est miras eluxisse in pio latrone virtutes antequam a Christo audiret: *Hodie mecum eris in paradiso*. 1. Hisce verbis: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*, probat eximiam fidem: Christum enim Dominum & Regem cœlorum agnoscit, quem Judæi blasphemabant, milites irridebant, discipuli deseruerant. Probat etiam singularem humilitatem: siquidem non principem in regno locum exposcit, sed illum divinæ Christi misericordiæ permittit. His aliis verbis quibus latronem alium tum criminis tum pœnæ socium perstringit; *Et nos quidem juste; nam digna factis recipimus*, demonstrat ingentem satisfaciendi zelum, summam in pœnis sustinendis patientiam. 3. His aliis: *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es..... Hic vero nihil mali gessit*, ostendit ardens studium defendendi innocentes: non veretur tum socium, tum Judæos in Christum blasphemos arguere. Impii qui sibi cito reconciliationem indulgeri cupiunt, licet implicati sint inveterata peccandi consuetudine, ostendant prius fidem illam, humilitatem, patientiam, zelum, quæ in pio latrone visa sunt, antequam de peccatorum remissione certior fieret.

Addendum est contigisse præter consuetum ordinem subitam illam pii latronis conversionem, ac proinde (ut superius observatum est) trahi non debet in exemplum quod ministri passim & ordinarie sequantur. Illi conversioni conveniunt hæc quæ de Pauli conversione scribit S. Thomas. *In operibus miraculosis* (inquit 1. 2. quæst. 113. art. 10. ad 6.) *invenitur aliquid præter solitum & consuetum ordinem causandi effectum: sicut cum aliquis infirmus sanitatem perfectam assequitur præter solitum sanationis, quæ fit a natura vel arte; & quantum ad hoc, justificatio impii quandoque est miraculosa, quandoque non. Est enim iste communis & consuetus cursus justificationis, ut a Deo movente interius animam homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectam deveniat, quia charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, sicut dicit Augustinus. Quandoque vero tam vehementer animam movet, ut statim quamdam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli adhibita etiam exterius miraculosa prostratione, & ideo conversio Pauli tamquam miraculosa in Ecclesia commendatur.*

Iis occurritur qui objiciunt se in salutis discrimen venturos, si dum pœnitentiæ dant operam, absolutionis expertes moriantur.

Objicies. Sacerdotes qui mox a confessione non absolvunt eos qui irretiti sunt peccandi consuetudine, exponunt eos æternæ damnationis periculo; fieri nimirum potest ut illis peccatoribus adsit dispositio quæ satis sit ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, quæ tamen satis non sit ad justificationem per solum Sacramenti votum consequendam: Unde si impius cum ea sola dispositione moriatur, ut revera potest contingere, numquam salutem consequetur.

Resp. 1. veterem Ecclesiam illius periculi nullam omnino rationem habuisse: nec enim eo deterrita est ne omnibus post baptismum peccantibus gravissimos labores imponeret, antequam eos donaret reconciliatione: Inanis illa formido non morata est S. Carolum quominus absolutionem a Sacerdote sæpius differri juberet, & quidem in casu, de quo est hic quæstio. Non impedit quoque illud argumentum ne passim Theologi doceant fas esse Presbytero, quoties expedire judicarit, exigere præscriptæ satisfactionis actionem, antequam pœnitenti suo absolutionem impertiatur.

Resp. 2 retorquendo argumentum in adversarios. 1. Ex centum hominibus v. g. implicatis peccandi consuetudine, qui toties absolvuntur quoties confitentur, certum est multos esse qui absolutione sunt prorsus indigni, ac proinde qui rei fiunt ingentis sacrilegii cum ea donantur. 2. Fieri potest ut illi impii post festinas ac præcipites illas absolutiones moriantur antequam possint sistere se pœnitentes aliis Sacerdotibus. 3. Cum ex illis centum qui peccarunt ex consuetudine, quinque (ut supponitur) donati sunt absolutione, vix unus & alter sufficienter sint ad recipiendam absolutionem dispositi. Sacerdos qui centum dimittit, etiam in adversariorum suppositione pauciores exponit salutis periculo quam qui omnes simul absolvit, cum facilius contingere possit ut ex tanto absolutorum numero plures moriantur, quam ex paucis illis, sufficienter (ut suppono) dispositis quos minister absque absolutione dimiserit.

Resp. 3. dimissum sine absolutione pœnitentem, si ad eam recipiendam interius idoneus fuerit, seu si instructus sit fide, spe, charitate inchoata cæterisque virtutibus quas Concilium Tridentinum requirit in iis qui suscepturi sunt Baptisma: habeatque præterea Sacramenti votum, salutem in extremis consecuturum, etiamsi defectu Sacerdotis aut alia ex causa, sed inculpabili, pœnitentiæ Sacramentum ante mortem actu non recipiat; Deus nimirum in illis angustiis immediate operabitur justitiam, quam passim & ordinarie non nisi per suum Sacramentum operatur. Ita crediderunt Africani Patres in Concilio quarto Carthaginensi: *Pœnitentes* (inquiunt can. 79.) *qui attente pœnitentiæ leges exequuntur, si in casu, in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit, memoria eorum, & orationibus & oblationibus commendetur.* Id quoque Gallicanis Patribus ad alterum Arelatensio Concilium adunatis persuasum fuit: *De his* (ajunt can. 13.) *qui in pœnitentia positi vitam excesserunt, placuit nullum Communione vacuum debere dimitti, sed pro eo, quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.* Idem pariter docuit Concilium Vasense sub Leone Papa I. *Pro his* (inquit can. 2.) *qui pœnitentia accepta in bonæ vitæ cursu satisfactoria compunctione viventes, sine Communione inopinato nonnumquam transitu in agris, aut in itineribus præveniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam Ecclesiastico affectu persequendam, quia nefas est eorum commemorationes excludi a salutaribus sacris qui ad eadem sacra fidei affectu contendentes, dum*

se

se diutius reos statuunt & indignos salutiferis mysteriis judicant, ac dum purgatiores restitui desiderant absque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem Sacerdos denegandam putasset. Idem etiam scripsit Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib. 4. cap. 24. Idem etiam alii Patres, qui aut de Catechumeno sine baptismate, aut de Pœnitente sine absolutione morientibus nusquam desperarunt: *Audio* (inquit Ambrosius de obitu Valentiniani) *vos Principis casum maxime dolere, quod non acceperit Sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit &c. Non habet ergo gratiam, quam desideravit? Non habet quam poposcit? Et quia poposcit, accepit? Et ubi illud est: Justus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit..... An quia solemniter non sunt celebrata mysteria? Ergo nec Martyres, si Catechumeni fuerint, coronentur: non enim coronantur si non initiantur. Quid si suo abluantur sanguine, & hunc sua pietas abluit & voluntas..... Nec nos quidem dubitamus de meritis Valentiniani, sed jam credamus vel testimoniis Angelorum, quod detersa labe peccati ablutus ascendit, quem sua fides lavit, & petitio consecravit.*

Explosa inani illa formidine nonnullorum pœnitentium, velim hic lector observet 1. eos, qui de dilatione absolutionis conqueruntur, quasi per eam adducantur in salutis periculum, viros esse, qui plerumque flagitiosæ vitæ sordibus per multos annos immersi fuere, qui de Deo nusquam fere cogitarunt; vereri tunc quidem debebant ne si vitam mors clauderet, addicerentur pœnis æternis; Sed id timendi non est locus cum per pœnitentiam curandis peccatis dant operam sataguntque ne inani postea ac sacrilega absolutione donentur. Observet 2. Sacerdotem vanis illis pœnitentium territamentis inflecti non debere ad molliorem disciplinam, quæ sibi & ipsis etiam pœnitentibus noxia sit: meminerit oportet præclaræ hujus Cypriani sententiæ Epist. 11. *Præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant. Ea enim concedere, quæ in perniciem vertant, decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam.*

Occurritur argumentis quæ ex absurdis petuntur.

Objicies 1. Ex praxi, qua statuitur procrastinari debere absolutionem iis, qui implicati sunt peccandi consuetudine, sequitur quod pœnitens nonnumquam de sua fama periclitetur; cum enim fideles animadvertunt confessum pœnitentem ad sacram synaxim non accedere, inferre solent eum absolutione nequaquam donatum fuisse, ac proinde eum irretitum esse consuetudine peccandi.

Resp. 1. illud argumentum nimis probare, eo enim, si valeat, probabitur Sacramentum pœnitentiæ debere iis conferri, qui confitentes dicerent se nolle ab odio, ebrietate, aliisque sceleribus temperare: ii enim cum (ut loquuntur adversarii) post procrastinatam absolutionem non accedant ad Eucharistiam, apud adstantes de fama periclitabuntur. Probabitur iterum totam Ecclesiam inique se gessisse in pœnitentes, cum per mille annos & amplius passim absolutionem differret donec injunctis pœnitentiæ laboribus perfuncti fuissent. 2. Temeraria prorsus est illatio, qua concluditur pœnitentem, qui mox a confessione ad Eucharistiam non accedit, non fuisse Sacramentali absolutione donatum: plures nimirum possunt esse causæ, quibus viri etiam maxime pii & donati absolutione, avocentur ab Eucharistiæ participatione. 3. Si (ut adversariis placet) in casu de quo agitur, pœnitentium fama apud imperitos quosdam periclitetur, id sibi imputent oportet, qui imparati accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ: flocci faciant judicium, quod fert iniquus alioquin populus: nec ut illud vitet exponat se morali periculo proculcandi Christi sanguinem, efficiatque ne ex iis sit de quibus Christus Joannis 12. hæc ait: *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.*

Objicies 2. Pœnitentes plerumque ægre ferunt disciplinam de qua est hic quæstio, & subirascentes ministris properant ad alium molliorem minus peritum & minus cautum a quo absolutione donentur.

Resp. 1. Sacerdotem propter pœnitentis querelas deterreri non debere ab officio: sicut a suo nequaquam medicus deterretur propter iram, qua in eum commovetur ægrotus cujus curæ incumbit: *Qui peccantem* (inquit Cyprianus libro de Lapsis) *blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque instruit fratrem promovet ad salutem. Imperitus est medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum mortale virus inclusum, dum servat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum: vociferetur, & clamet, licet & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem.* 2. Minister non potest contra æquitatem agere, quod sciat non defuturos, qui illam violaturi sunt, quemadmodum non licet judici iniquum ferre judicium, ne alter, ad quem partes protestantur delaturos se litem, iniquius ferat. Advertat velim lector Sacerdotem eam disciplinam teneri servare erga eos etiam, qui ad se aut propter iter quod suscepturi sunt aut propter aliam causam, redire non poterunt; sed eo in casu monendus est pœnitens ut per viam utatur remediis, quæ sibi a confessario præscripta fuerint, detegatque rursus morbum suum perito medico regionis cujus futurus est incola, aperiatque effectum, quem remediorum usus sortitus fuerit: ita nempe medici sapientes gerunt sese erga ægrotos, cum eos invisere non possunt.

Objicies 3. Juxta methodum de qua hic agitur, nonnumquam cum populi scandalo Paschalis communio prætermittetur: ac proinde efficietur ne pœnitens faciat satis canoni: *Omnis utriusque sexus fidelis*, quarti Concilii Lateranensis.

Resp. Concilium Lateranense facultatem fecisse pœnitentiæ ministris communionem annuam differendi in aliud a Paschali tempus, si procrastinationem illam pœnitenti utilem esse censuerint: *Nisi forte* (inquit) *de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum.*

Objicies 4. Ex praxis, quæ urgetur, nonnumquam procrastinanda erit benedictio nuptialis cum ingenti populorum scandalo. Si enim qui inveterata peccandi consuetudine implicatus est, dimittatur a Parocho absque absolutione, matrimonii celebrationem procrastinare tenebitur, licet sponsa, consanguinei, aliique, ut nuptiis intersint, jam convenerint ad templum.

Resp. 1. Parochum, qui per confessionem tantum novit eorum iniquitatem, qui benedictionem nuptialem exposcunt, teneri eam ipsis impendere, ne fiat reus reserati sigilli. Resp. 2. famæ periculum ad quod adducentur desponsati, si matrimonii celebrationem procrastinent, non esse casum necessitatis, in quo tantum (ut superius ostensum est) Sacramenti minister licite uti potest materia dubia. 3. Docendus est reus æquum esse ut suæ apud homines famæ detrimentum patiatur potius quam morale periculum incurrat duplicis sacrilegii, nec non auxiliorum, quæ Deus pie ac sancte nubentibus annuit. 4. Nimis probat argumentum: nam si ad servandam pœnitentis apud homines famam conferri deberet absolutio, & suaderi in foro poli benedictio nuptialis, idem fieri etiam deberet illius respectu, qui per occultum crimen impedimentum dirimens cum futura sponsa contraxisset: Quod est absurdum.

Instant nonnulli. Nonnumquam contingit eum qui implicatus est peccandi consuetudine, ducere in matrimonium mulierem sui criminis complicem: videtur vero quod in eo casu absolvi debeat, quippe quod & tollat occasionem peccati, & aptissimum medium assumat, quo ab illo deinceps temperet, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, 1. quia Sacerdoti non constat, quod in eo casu vir ille paratus sit ad vi-

tan-

tandam complicem, si per matrimonium non fieret uxor. 2. Nullum pariter habet fundamentum judicandi quod de præteritis peccatis doleat: neque enim matrimunium est signum pœnitentiæ; Hinc eit quod pœnitentes eo quondam prohiberentur. Unde etiamsi supponatur quod deinceps vir ille temperaturus sit a peccato, non sequitur quod præteritam vitam uderit, sicut ex eo quod quis non scribat, non sequitur eum delere quæ prius scripserat.

Objicies 5. Ii qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, nonnunquam antequam Sacerdoti adgeniculati fuerint, multo tempore temperarunt a peccatis; orationibus & jejuniis dederunt se se, sedulo declinarunt occasiones, quibus ad peccata provocari poterant: ac proinde veram habent pœnitentiam, & tamen sequeretur ex praxi de qua est hic quæstio, quod absolvi non deberent.

Resp. homines, de quibus in argumento, absolvi debere etiam prima vice qua sistunt se præsentes Sacerdoti: perinde nimirum est quod ante confessionem pœnitentiam pietatis operibus probaverint, ac post editam Presbytero confessionem. Citæ & promptæ reconciliationis quæ hominibus ejusmodi debetur, exemplum videre est in prodigo qui (ut habetur in Evangelio, rediit in gratiam cum Patte quem bonorum dilapidatione graviter offenderat. Sic autem de operibus quibus suam conversionem probaveat, loquitur recentior quidam tum laboribus, tum scriptis de Ecclesia optime meritus. *Nihil est in pœnitente prodigo, quod præproperis reconciliationibus patrocinetur. Ille enim nobis exhibet omnes dotes veri pœnitentis. A vagis libidinibus compellente inedia in se revertitur, ut recogites & agnoscat ad quæ bona creatus sit, quantaque sit illorum felicitas, qui Deo adhærentes ab illo gubernantur atque pascuntur. Hac cogitatione stimulatus meretricias detestatur voluptates, & peccatis, eorumque occasionibus, in quibs jacebat, renuncias, dicens, Surgam & ibo ad Patrem meum Deinde statuit seipsum accusare, omnemque criminis causam, non more Evæ aut Adami in alios refundere, sed sibi uni attribuere. Dicam, inquit: Peccavi in cælum & coram te: Nec contentus proposito seipsum accusandi, severam quoque in se ipsum sententiam vult pronuntiare. declarando se ipsum nomine, honore & bonis, quibus gaudeat filii, omnino indignum, jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. Ut ostendat sui firmitatem propositi, illud exequitur, & e regione longinqua rediens, per longi itineris spatia suam non cessat accusare dementiam, patrisque pietatem animo revolvere. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius & misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum ejus, ut eum in spem recuperandæ salutis magis magisque erigeret. Deinde osculatus est eum, ut castum ei inspiraret amorem, ne vellet amplius mercenarium cupiditate pro panibus patri servire, sed charitate filiorum, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; hoc est, non quærit bona transeuntia atque creata, sed quæ Jesu Christi, hoc est bona interna, atque æterna, cognitionem, amorem, & gaudium de incommutabili veritate. Hoc prodigus inflammatus amore exclamat: Pater peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Omittit vero quod se promiserat dicturum:* Fac me sicut unum de mercenariis tuis. *Utpote quia osculum expertus, dedignabatur Deo animum servilem aut mercenarium exhibere, aut aliquid a Deo petere, quod Deus ipse non sit.*

Objicies 6. Recepta est apud multos consuetudo, ut illi qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, mox a confessione absolvantur, etiamsi nullum aliud quam verba protulerint conversionis signum: Ergo quisque potest eam tuto sequi, cum, ex Canonistis, consuetudo legem contrariam abroget.

Resp. neg. conseq. Ratio est, 1. quia nusquam ea consuetudo apud doctos & pios invaluit. 2. Ubi cœpit obtinere, mox illi reluctati sunt Ecclesiæ pastores, ut patet ex Synodorum statutis quæ superius relata sunt. 3. Juri divino repugnat ut extra necessitatis casum Sacramenti minister utatur materia dubia: ac proinde eodem jure, contra quod nulla præscribit humana consuetudo, prohibetur ne iis absolutionem impendat, de quibus dubium est maximum, an requisitam contritionem habeant. Sacerdos, cui objicitur iniqua illa consuetudo, usurpare debet piam hanc Mathathiæ Sacerdoris sententiam, Machab. lib. 1. cap. 2. *Etsi omnes gentes Regi Antiocho* (adde grassanti consuetudini, qua Evangelii virtus enervetur) *obediant ut discedat unusquisque a servitute legis Patrum suorum, & consentiat mandatis ejus; Ego & filii mei, & fratres mei obediemus legi Patrum nostrorum. Propitius sis nobis Deus. Non est nobis utile relinquere legem & justitias Dei, ut eamus via altera.*

Solvuntur quædam quæstiones, quæ ad absolutionem consuetudinariis impendendam pertinent.

Quæres 1. utrum quolibet lapsu in peccatum, quod quis jam confessus est, probetur fictam fuisse ac vanam priorem conversionem?

Resp. 1. negative. Ratio est, quia justificatus non est impeccabilis: Ergo peccatum quod subsecutum est confessionem, componi potest cum veritate contritionis, quæ præcessit. Resp. 2. relapsum sæpius probare vanam fuisse conversionem pœnitentis, qui remedia sibi a confessario præscripta, licet facilia, neglexit: qui brevi post confessionem in idem peccatum incidit: qui non urgente extraordinaria, sed communi aut levi tentatione, suum scelus aut aliud gravius iterato commisit. Ratio est, quia conversio (ut superius observatum est) essentialiter includit efficacem & constantem voluntatem non peccandi de cætero. At (ut suo loco dictum est) multum est probabile voluntatem ejusmodi non fuisse in pœnitente de quo hic agitur.

Quæres 2. Utrum iterandæ sint omnes confessiones, quas quis, implicatus peccandi consuetudine ediderit?

Resp. 1. ordinario eas iterari debere. Ratio est, quia absolutionibus, quæ confessiones ejusmodi subsecutæ sunt, dimissa non fuere pœnitentis peccata: neque enim valet forma cui debita materia subjecta non fuerit ut revera subjecta non est in casu de quo agitur, cum nulla (ut conjicitur) adfuerit contritio. Præterea tantum abest, ut pœnitens ille peccatorum remissionem consecutus sit, quin potius reus factus sit multorum sacrilegiorum: quippe qui indigne subjecerit se Sacramento, ac proinde culpabiliter irritum illud reddiderit.

Respondent 2. nonnulli confessiones illas in aliquibus extraordinariis casibus non debere necessario iterari v. g. si pœnitens jam diu temperarit a peccato, ac sincere postea confessus sit crimina quorum meminerat. Petrus (inquiunt) implicatus habitu peccandi lethaliter, confessus est: sed postea per multos annos pœnitentiæ laboribus perfungitur, temperat prorsus a novo casu, & tandem ratus priores confessiones valuisse, accusat peccata, quæ post illas editas commisit; Petrus tunc omnium etiam quæ confessiones priores præcesserant, peccatorum remissionem consequitur. Ratio (inquiunt) est quia præterita peccata, quæ confessus fuerat, cum adhuc esset implicatus habitu peccandi, se habent respectu confessionis, quam edit postea liberatus a consuetudine peccandi, sicut peccata quorum pœnitens oblitus est post examen diligens: At Concilium Tridentinum definiit peccata, quorum pœnitens inculpabiliter oblitus est, inclusa censeri in confessione peccatorum, quorum idem pœnitens post examen diligens meminit. Verum monendus est lector quod ut valeat illud effatum, necesse sit ut pœnitens post depositum peccandi habitum bona fide confessus sit, hoc est, ut non potuerit dubitare de nullitate priorum confessionum; si enim adfuerit dubium (ut fere semper contingit in praxi, eo quod Parochi sæpius populum doceant irritas esse confessiones ejusmodi) absolvi non debet pœnitens quin priores confessiones iterarit.

Quæres 3. num baptismatis ficto dati adinstar reviviscant absolutiones præteritæ, ubi pœnitens peccandi affectum deposuit?

Resp. negative. Ratio est, quia baptisma ficto da-

tum valet quoad substantiam, cum adsint tum materia, tum forma, tum intentio ex parte ministri requisita: At idem dici non potest de Sacramento Pœnitentiæ, cum (ut passim docent Theologi) actus pœnitentis, contritio, confessio & satisfactio sint materia ex qua constare debeat: quemadmodum igitur baptismatis forma quam Sacerdos supra catechumenum fictum nulla aqua apposita protulisset, non fieret postea valida ac effectus productiva, etiamsi catechumenus fictionem illam deinceps tolleret: ita nec forma Sacramenti Pœnitentiæ prolata super pœnitentem fictum, licet postea fictionem deponeret. Præterea Patres docuerunt quidem baptisma reviviscere ubi catechumenus fictionem abstulerit; at id nusquam de aliis Sacramentis & præsertim de pœnitentia asseruerunt. Tandem quamvis tamquam probabilis supponeretur opinio, quæ contendit Sacramentum Pœnitentiæ ficto datum reviviscere ubi sublata fuerit fictio: tamen non est certa; ac proinde in praxi minister ea uti non potest quin Sacramentum exponat nullitati incidatque in censuram qua Innocentius Papa XI. eos præstrinxit qui in administratione Sacramentorum sequuntur opinionem probabilem de illorum valore, tutiore relicta; Non potest quoque pœnitens eidem opinioni in praxi adhærere quin incurrat periculum salutis propriæ: nam si a parte rei falsa sit, ut (faventibus adversariis) potest esse falsa, cum (ut ajunt) sit tantum probabilis, pœnitens non consequetur suorum peccatorum remissionem, eo quod non editurus sit confessionem eo modo integram, quo Christus voluit ut integra foret ad valorem Sacramenti, sine cujus actuali & reali receptione fidelis post baptismum lapsus ordinarie non justificatur.

Quæres 4. utrum disciplina, qua jubetur absolutionis procrastinatio, servari debeat, non solum erga laicos qui mortaliter peccarunt ex consuetudine, sed etiam in Clericos imo in ipsos etiam Sacerdotes?

Resp. affirmative. Ratio est, 1. quia eædem rationes quibus evincitur procrastinari debere Laicis consuetudine peccandi mortaliter implicatis, vim suam omnem habent in Clericis.

2. Ministrorum conversio multo difficilior est quam conversio Laicorum: Nec mirum, quippe quod graviora sint Clericorum quam Laicorum peccata; peccant nimirum inter eas functiones, quæ magis cœlestes sunt quam terrenæ: *In Clero* (inquit S. Bernardus Sermone in hæc verba, Ecce nos reliquimus omnia) *tamquam in cœlo gerens insigna, quid nisi de ministerio judicetur? cœleste tenet officium: Angelus Domini exercituum factus est; tamquam Angelus aut eligitur aut reprobatur, inventa quippe in Angelis pravitas & districtius judicetur necesse est, & inexorabilius quam humana*. Præterea nulli magis a Deo deseruntur quam Sacerdotes: Ex eo principio merito hanc infert conclusionem Auctor operis imperfecti in Matthæum hom. 40. ubi sic loquitur. *Quis aliquando vidit Clericum cito pœnitentiam agentem: sed etsi deprehensus humiliaverit se, non ideo dolet quia peccavit, sed quia confunditur, quia perdidit gloriam suam*. Igitur si Clerici pœnitentiam agant, plerumque ea perfunguntur cum Saule & Antiocho, non ex amore justitiæ adipiscendæ, sed ex cupiditate gloriæ & propriæ utilitatis retinendæ: Clerici difficilem esse pœnitentiam ex eo Patres probant quod cum pro Laicis constituti sint qui orent, nulli id muneris pro Sacerdotibus lapsis commissum videtur: *Monachus* (inquit S. Hieronymus Epist. 1. ad Eliodorum) *si ceciderit orabit pro eo Sacerdos; pro Sacerdotis lapsu quis rogandus est? Rogat pro Laicis Sacerdos, quia ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Idem docet S. Gregorius in caput 3. lib. 1. Regum exponens illa verba Heli ad filios suos: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo*; sic enim loquitur: *Quia peccata subditi populi quæ ad Sacerdotes respiciunt, ipsorum Sacerdotum precibus delentur: cum Sacerdos in culpam labitur, superior persona non est cujus precibus expietur; quod & ipsa veritas per se insinuat dicens: Si sal evanuerit; in quo salietur? Dicat ergo quis orabit pro eo? quasi dicat, quis ei intercessor remanet, cum ille se transgrediendo præcipitat qui ad intercedendum pro aliis ordinatus est? quo profecto culpæ magnitudo monstratur: quia plerique eorum in impœnitentiæ sordis caliginem projiciuntur, & nulla hominis adhortatione resipiscunt*.

3. Nulli omnino sunt canones, nullæ regulæ quæ præscribant ut Sacerdotes lapsi ac proinde a fortiori si implicati sint consuetudine peccandi mortaliter, cita & præpropera absolutione donentur, imo duplex in canonibus & regulis Ecclesiasticis reperitur disciplina quæ severitatem in eos exercendam confirmat.

Priore & antiquiore disciplina quæ ab Ecclesiæ incunabulis ad nonum usque sæculum perduravit, sancitum erat ut Diaconi & Sacerdotes qui vel etiam semel lapsi fuissent in fornicationem, aut in adulterium, aut in alias carnis spurcitias, aut alia gravia flagitia licet occulta, a statu Clericali in Laicum dejicerentur absque ulla spe futuræ restitutionis: *Si quis Clericus* (inquit canon 62. Apostolicus) *propter metum humanum vel Judæi vel Græci, vel Hæretici negaverit, siquidem nomen Christi ejiciatur: Si autem nomen Clerici deponatur. Pœnitentiam autem agens ut Laicus recipiatur*. Idem videre est in reconciliatione Trophimi qui ad hæreticos defecerat: *De Trophimo* (inquit Cyprianus ad Antonianum) *de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est ut ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam sicut antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris, charissimus frater noster Cornelius necessitati succubuit... Tractatu ergo illic cum collegis habito, susceptus est Trophimus pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus: Sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicet*. Ejusdem moris testis est S. Petrus Martyr & Patriarcha Antiochenus in Epist. Canonica cap. 10. *Non est æquum* (inquit) *ut vel Clerici qui sua sponte aufugerunt, Lapsi autem & reluctati sunt, amplius in sacro ministerio maneant, at qui Domini gregem reliquerint, & se ipsos vituperaverint, quod nullus fecit ex Apostolis*. Eam praxim obtinuisse Basilii ætate demonstratur ex canone tertio prioris Epistolæ Canonicæ quam ad Amphilochium conscripsit: *Diaconus* (inquit) *post Diaconatum fornicatus a Diaconatu quidem ejicietur: in laicorum autem locum extrusus, a communione non arcebitur: quoniam antiquus est canon, ut qui a gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur: primi, ut æstimo, legem illam secuti, non vindicabis bis in idipsum: & etiam propter aliam causam, quod qui sunt quidem in ordine laico, a loco fidelium ejecti, rursus in eum ex quo ceciderunt, locum recipiuntur: Diaconus vero, semel habet quod sufficiat, depositionis judicium. Tamquam ergo ei non reddendo Diaconatum, in ea sola punitione steterunt*. Eidem disciplinæ subscribit alterum Concilium Aurelianense quod anno 533. habitum est: *Si quis* (inquit canone 8.) *diaconus in captivitate redactus, uxori fuerit copulatus; reversus, ab officio omnino ministerio removendus est. Cui sufficere debet pro actus sui levitate impleta pœnitentia pro satisfactione communio*. Subscribit Joannes Papa I. Epistola I. ad Cæsarium Arelatensem in causa Contumeliosi Regiensis Episcopi in fornicationem lapsi. *Dolemus* (ait) *de amissione Pontificis; rigorem tamen canonum servare necesse est; atque ideo prædictum ab Episcopatus ordine nostra suspendit auctoritas. Neque enim fas est pollutum criminibus* (sive publicis sive occultis) *sacris ministeriis deservire. Sed te ordinante in monasterio deputatur, ubi delictorum memor, in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut ab eo qui omnibus miseretur, Domino nostro Jesu Christo, misericordiam valeat promereri*. Id ipsum testatur non exiguo post tempore Gregorius Magnus lib. 3. Epist. 26. *Pervenit ad nos* (inquit) *quosdam de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante, ad officii sui ministerium revocari: quod omnino prohibemus; & in hac re sacratissimi quoque canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum ordinem, lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad ministerium ulterius non accedat*. Idem docet lib. 4. Epist. 16. *Ad fraternitatis tuæ consulta respondentes* (inquit) *statuimus Diaconum & Abbatem de porta veneris, quem judicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere vel posse ullo modo revocari. Subdiaconi quoque, quos similis culpa con-*

pæ constringit, ab officio suo irrevocabiliter depositi, inter laicos communionem accipiant. Hæc iterum ait Epist. 17. *Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangetur disciplinæ, dum pro reversionis spe prava actionis desideria quis concipere non formidat.*

Altera disciplina, quam sæculo nono canones commendant, ferebat, ut Clericis lapsis in occulta carnis flagitia restitueretur quidem prior dignitas; sed ubi pœnitentiæ laboribus perfuncti fuissent, & non alias. Meminit illius disciplinæ. Hincmarus Rhemensis in fine secundi Capituli ad Decanos suæ Diœceseos: Eo nimirum loci adversus nonnullos agit qui contendebant Clericos criminum convictos, vel ea confessos deponi non debere, sed tantum suspendi, ac tandem pœnitentia peracta restitui in pristinum ordinem; ubi vero assertum illud confutavit prolatis Pontificum & Patrum testimoniis, sic de iis loquitur quorum occultum est crimen: *Lapsos autem in ordine Ecclesiastico, sed non detectos, judicio Dei committimus.... Sic nimirum erga lapsos atque detectos cum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ doctrina, sacrorum canonum severitatis censuram sequimur. Sic de Lapsis, sed non detectis, & peccata sua lugentibus cum Ecclesia Catholica de omnipotentissima Domini benignitate sentimus, quia nullum est peccatum) ut dicit Gelasius) pro quo aut non oret Ecclesia remittendum, aut quod data sibi divinitus potestate desistentibus ab eodem non possit absolvere vel pœnitentibus relaxare, cui dicitur, Quæcumque remiseritis, &c.* Ea vero verba & absolutionem a peccato & dispensationem ab irregularitate complectuntur. Eamdem disciplinam conceptis terminis recenset Rabanus Maurus in Pœnitentiali. Postquam enim publice convictos ab officio sine spe restitutionis amovit, de iis qui occulte peccarunt, sic loquitur: *Qui autem de prædictis viris per occultam confessionem mala a se absconse commissa coram oculis Dei, præsente etiam Sacerdote, qui eis indicturus est pœnitentiam, confitentur, & semetipsos graviter deliquisse accusant, si veraciter pœnituerint, & se per jejunia, & eleemosynas, vigilias atque sacras orationes cum lacrymis purgare certaverint; his etiam gradu servato, spes veniæ de misericordia Dei promittenda est.* Ejusdem distinctionis peccatorum in publica & occulta meminit Yvo Carnotensis Decreti parte 6. can. 400. aitque lapsos Sacerdotes peracta tandem legitima pœnitentia in pristinum gradum posse restitui.

In eam vero de qua mox dictum est molliorem disciplinam, abierunt qui post sæculum nonum scripsere quod decepti sint Epistola ad Secundinum quæ tribuitur Gregorio Magno, & altera ad Massanum quæ adscribitur S. Isidoro Hispalensi. Verum spurii sunt ejusmodi fœtus, nec enim sunt authorum quibus a Burchado, Yvone, & Gratiano, ac multis aliis tribuuntur. Siquidem quæ ad Secundinum inscribitur, aperte repugnat textibus qui ex germanis Gregorii Magni operibus mox a nobis laudati sunt. Præterea utraque illa Epistola non tantum iis Sacerdotibus qui occulte lapsi fuerint, gradum ac dignitatem restituit, sed iis etiam qui publice convicti fuerint, modo injuncta sibi pœnitentia fuerint perfuncti: sic enim in utraque illa Epistola conciliantur canones qui hoc in capite sibi invicem oppositi videntur, ut prætermissa criminum publicorum ab occultis distinctione, asseratur canones eis tantum restitutionem negare qui nondum pœnitentia mundati sunt, aut qui eam agere detrectarint.

Ex hactenus dictis patet antiquam Patrum traditionem iis authoribus repugnare qui contendunt regulam de procrastinanda absolutione, eorum respectu qui mortaliter peccarint ex consuetudine, ad Sacerdotes lapsos extendi non debere. Illi vero Patrum traditioni non adversatur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. ubi cuique lapso communicare volenti & ipsis Sacerdotibus quibus ex officio incubuerit celebrare, præcipit non quidem (ajunt nonnulli) prævia pietatis opera quibus suam conversionem probent, sed unam Sacramentalem confessionem. Non adversatur (inquam) tum propter rationes quas hujusce nostri Commentarii pagina 233. protulimus, tum quod Concilium non jubeat: ut confessus absolvatur, sed tantum ut reus confiteatur, relicto in judicis arbitrio ut cum eo agat quemadmodum sacræ leges, doctrina Patrum & cœlestis medicinæ regulæ cum lapsis Sacerdotibus agendum esse decernunt.

Nec a procrastinanda absolutione deterreri debet confessarius incommodo quod sic nonnulli urgent. Parochus ex justitia tenetur fideli in extremis posito tum absolutionis, tum Eucharistiæ viaticum dispensare. Ergo si nullæ sint hostiæ consecratæ, nec aliunde possint haberi, nec adsit alius sacerdos jejunus, tunc tenetur celebrare missam: Ergo tunc debet absolvi quantacumque sit implicatus peccandi consuetudine: alioquin invitus esset in necessitate committendi sacrilegium celebrando nempe in statu peccati mortalis: Non debet (inquam) deterreri, 1. quia Parochus ille per absolutionem exponeretur duplicis sacrilegii periculo: unius quidem, dum recipiendo Sacramentum pœnitentiæ certus esset moraliter se adhuc habere affectum ad peccatum mortale in quod ex consuetudine sæpius incidit: alterius vero, celebrando missam cum ejusdem peccati affectu. Secundo. Vel ille Parochus tunc recipiendæ absolutioni idoneus esset; vel non esset idoneus: Si primum, arderet inchoata charitate Dei super omnia; ac proinde cum Sacramenti voto in illius necessitatis casu justificationem consecutus, licite sacris operam daret: Si secundum, per absolutionem nequaquam justificaretur, sicque duplicis sacrilegii reus fieret. Inde tamen concludi non debet quod ille Parochus futurus esset in necessitate committendi sacrilegium: tum quod in eam ipse necessitatem lubens se se per peccata maxime libera conjecisset: tum etiam quod illa necessitas nequaquam futura esset absoluta: posset enim ea se se liberare per contritionis actum, qui quidem cum auxilio divino esset in illius potestate. Hic velim lector observet post factum sacrum, & datum morituro fideli viaticum, Parochum implicatum consuetudine peccandi mortaliter, teneri abstinere a divinis, & alterum Sacerdotem suo loco subrogare, donec per orationes, jejunia, aliaque pietatis opera suam conversionem probaverit Sacerdoti, cui peccata confitebitur quæ commisit ex consuetudine, necnon factum a se sacrum cum certitudine morali quod tunc in statu peccati mortalis versaretur.

ARTICULUS OCTAVUS.

Utrum absolutio iis impendi debeat, qui versantur in occasione peccati mortalis?

Occasio peccati definitur id omne quod esse potest illius causa. *Vocatur ergo peccati mortalis occasio* (inquit S. Carolus Borromæus Instruct. Pastor. p. 2. cap. 12.) *quidquid illius causa esse potest.* Dividitur in occasionem, *Per se*, & in occasionem, *Per accidens.* Prior ea est quæ ex natura sua aut semper, aut fere semper, ad peccatum inducit, aut quæ supposita hominum corruptione, ex se nata est ad illud causandum, quamvis acto ex illa non sequatur. Posterior est ea quæ ex se quidem non inducit ad peccatum, sed tantum habita ratione indispositionis quarumdam personarum: *Inter occasiones primi generis* (inquit loco proxime laudato S. Carolus) *sive quæ ex se, naturaque sua semper, aut fere semper ad peccatum inducunt, hæc merito censeri possunt; aleatorium omnem ludum profiteri, verbi gratia, chartarum & tesserarum, aleatores domi suæ recipere, & fovere; cum eo, vel cum ea habitare, vel in sua habere potestate, qui cum soleat Deum offendere, sive aliam quamlibet ob causam perseverare in eadem occasionem, colloquiis, aspectibus mutuis, similibusque aliis incentivis libidinis... Occasiones peccati mortalis secundi generis sunt, quæ non inducunt per se homines ad peccatum, sed per accidens tantum, habita ratione personarum; quales sunt res licitæ quidem ex se, in quibus tamen, si diutius aliquis perseveraverit, verosimile sit ad eadem, quæ commisit, peccata rediturum; talia plerisque sunt hodie (sæculi nostri vitio) bellum, mercatura, Magistratus, advocati, procuratorisque professio, & similia exercitia.* De absolutione

tione ad duplicis illius generis occasionem comparata hoc in articulo differamus oportet.

§. I.

Utrum absolvi debeant qui versantur in occasione per se peccati?

CONclusio. Absolvi non debent qui nolunt deserere occasionem quæ *per se* est causa peccati mortalis, imo nec ii qui in ea actu versantur, quantumcumque ab ea discedere proponat.

Probatur prior pars 1. Qui nolunt discedere ab occasione quæ *per* se est causa peccati, non habent propositum non peccandi de cætero, imo censentur velle iterum peccare: qui enim vult causam, vult & effectum qui cum ea moraliter conjunctus est: sicut is qui vult supra collem glacie coopertum currere, casum velle censetur. 2. Nunnulli recentiores Casuistæ oppositum sentientes damnati sunt ab Innocentio Papa XI. qui tamquam scandalosam & perniciosam in praxi proscripsit hanc eorum propositionem: *Potest aliquando absolvi qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest & non vult omittere; Quinimo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

Probatur altera conclusionis pars primo authoritate S. Caroli qui in instructionibus quas ad usum confessariorum edidit, sic loquitur: *Si pœnitens in horum omnium aliqua occasione præsente versetur; puta retineat eam apud se personam, quæ solet abuti ad peccatum, non debet confessarius prius absolutionem impertiri, quam ab ea seipsa, & de facto se se separaverit.* 2. Pœnitens, antequam absolvatur, vere debet odisse peccatum, ac proinde occasionem quæ per se est illius causa: si autem vere eam oderit, nulla interposita mora eam auferet; id videre est in patrefamilias qui ubi audit ab aliquo haustum fuisse venenum domi asservatum, statim illud tollit ne quis e domesticis deinceps eo enecari possit. 3. Antequam minister lapsum absolvat, oportet ut sit moraliter certus de veritate illius conversionis: ad eam vero certitudinem cum verba satis non sint (ut articulo superiore demonstratum est) sed facta requirantur, haud dubie premitti debet occasionum fuga. 4. Præterquam quod (ut dictum est) prompta absolutio in casu de quo agitur, illicita sit ex parte ministri, protracta e contra plurimum utilis est pœnitenti, quippe quæ efficiat ut sine mora dimittat peccati occasionem, cujus alioquin dimissionem multum procrastinaret.

Objicies 1. Hancce regulam in nonnullis hujusce ætatis Casuistis legere est: *Absolvi possunt qui versantur inter mulieres quasi semper emendo, vendendo, laborando, & conversando absque cohabitatione. illarum in domo eadem, tamen cum his peccant sæpius voluntate, verbis & tactibus impudicis, etiam cum copula: etsi officio, domo, negotiatione discedere nolint, in qua periculum peccandi proxime immineat, modo habeant ejus rei probabilem causam, ut si id præstare non queant, quin in sermonem hominum veniant, aut ipsi aliquo efficiantur incommodo.* Ita in Gallica peccatorum Summa primæ editionis pag. 708. ratiocinatur quidam recentior, cujus nomini & instituto parcimus.

Resp. illam excusationem, quæ petitur a fama, in cujus discrimen peccator (ut ajunt illi scriptores) veniret, ab ipso Christo damnatam fuisse Joanuis 12. cap. 1. *Dilexerant gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Eam rursus Matthæi 5. his verbis proscripsit. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Christus eo loci per pedem & manum res charissimas & maxime utiles intellexit, cum ejusmodi partes ex iis sint quæ ad omnes vitæ functiones frequentem habent usum, & quarum jacturam acerbissime ferre solemus. Nec vero solam manum, sed & manum *dexteram* abscindi vult si sit ruinæ & perditionis causa, qua quidem voce nihil afferre potuit quo clarius utilitatem & necessitatem exprimeret: in iis autem partibus seponendis vim atque violentiam adhibendam esse docuit ipse Christus quippe qui, *eruendi, abscindendi, amputandi*, vocibus usus sit: Sed placet in eam Christi sententiam audire Chrysostomum: *Etsi* (inquit hom. 17. in Matthæum) *tantum aliquem diligas, ut eo dextri oculi utaris vice: aut ita tibi quempiam esse utilem putes, ut eum dextræ manus ducas loco; & hi tamen animæ tuæ fortassis incommodent, etiam istu a te abscinde. Et quidem vim sermonis observa, non enim dixit, A talium societate discede; sed maximam separationem indicens, Erue* (inquit) *& projice abs te.* Ex his patet Innocentium Papam XI. merito damnasse hanc authorum, quos hic confutamus, propositionem: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

Objicies 2. Mulier cum qua quis solitus est peccare, sperat fore ut ductura sit in matrimonium complicem suum: Verum frustrabitur ejusmodi spe, si ab eo invito statim discedat: ac proinde ducet deinceps miseram & pauperem vitam. Ergo pœnitens, saltem eo in casu, absolvi debet antequam actu ab occasione peccati discesserit.

Resp. in allato casu habitationem cum complice esse magis periculosam illi mulieri quam si matrimonium non ambiret; verita scilicet ne virum illum afficiat mœstitia, ad omnia quæ illius cupiditatem foveant, ac nutriant, parata erit semper.

Nec ministrum ad molliorem disciplinam movere debent mulieris illius lachrymæ, ac protestatione quod deinceps temperatura sit a peccato, etiamsi cum complice sub eodem tecto permaneat: Siquidem mulieris propositum certa est præsumptio: tum quod nimium fidat suis viribus per multa scelera jam pene fractis ac debilitatis: tum etiam quod immerito sibi spondeat divinum auxilium, & quidem efficacissimum quod ad superandam gravem illam tentationem requiritur: Lacrymarum igitur & protestationis, quocumque tandem modo fiat, minister nullam omnino debet habere rationem.

Quæres, utrum minister eodem modo se se gerere debeat in quoscumque pœnitentes qui versantur in occasionibus, quæ *per se* sunt causa peccati.

Resp. negative; Si enim carnalis copula habita fuerit, lapsi a se invicem discedant oportet antequam absolvantur: Si vero tactus tantum, aut aspectus impudici, absolvendi sunt, modo per multum tempus ab iniquis illis actibus temperaverint, ac alias non spoponderint se ab iis occasionibus discessuros: *Quod spectat ad alias occasiones*, (inquit S. Carolus) *ut aleam, conversationem, mutuos aspectus, nutus impudicos, aliaque libidinis incentiva, ad absolutionem percipiendam sufficit, si ab iis in posterum abstinere, sed vere, sincereque promittat; nisi tamen, si quis, datis jam aliis iisdem promissis, ea fugere neglexerit, quo in casu differendam absolutionem censemus, donec aliqua ejus emendatio appareat.*

§. II.

An absolvi debeant qui versantur in occasionibus, quæ per accidens sunt causa peccati.

CONclusio. Qui versantur in occasionibus, quæ *per accidens* sunt causa peccati mortalis, absolvi non debent nisi prius ab iis actu discesserint; modo tamen id fieri possint sine gravi detrimento: Si vero immineat periculum gravis detrimenti, si aliquandiu in iis occasionibus probati, se non emendaverint, absolvi non debent, nisi prius ab eis actu discesserint.

Probatur prior conclusionis pars. Sive res aliqua sit per se causa peccati, sive per accidens (ratione nimirum infirmitatis quæ huic homini v. g. specialis sit) eodem modo ad peccatum inducit eum hominem, cui est occasio peccati: Ergo quemadmodum (ut superiore paragrapho probatum est) absolvi non debent, qui versantur in occasione, quæ *per se* est causa peccati, nisi prius ab ea actu discesserint: ita nec ii qui versantur in occasione, quæ, etiam *per accidens*, est causa peccati, saltem si ab ea sine rerum suarum detrimento

mento statim discedere possint: si quam enim moram tunc statuerint, probabunt peccatum sibi vere non displicere: sicut si quis non projiciat cibum, qui sive per se sive per accidens, sanitati sæpius nocuit, ipsummet detrimentum moraliter velle censebitur.

Probatur altera conclusionis pars ex eo quod adhibitis quibusdam cautionibus ac remediis, oratione v. g. eleemosyna, advocatus ab iniquarum causarum patrocinio, mercator ab usuris & fraudibus temperare valeant: Decet ergo, ut pœnitens prius iis remediis utatur, quam a conditione, ab officio, alioquin in se indifferente, discedat.

Probatur tertia pars. Ubi pœnitens sæpius datam fidem violavit, nullum confessario suppetit fundamentum judicandi, quod, si remaneat in statu, qui, etiam per accidens, illi fuit occasio sceleris, deinceps a peccato temperaturus sit: ac proinde non potest eum absolvere, antequam, aut statum, aut artem, aut officium quæ fuerunt peccati causa, deseruerit: nec mirum; quippe quod extra casum necessitatis minister non possit lapso absolutionem impendere, nisi certus sit moraliter de illius firmo, & efficaci proposito non peccandi de cætero.

Confirmantur quæ hucusque dicta sunt, authoritate S. Caroli qui Instruct. part. 2. cap. 18. sic loquitur: *Qui sic affecti sunt, aut professioni suæ renunciare teneatur (ut sentit Beatus Augustinus) aut eam certe exercere cum consilio pii cujusdam prudentisque Sacerdotis, qui eum non absolvat, cum probabiliter videt, ad eadem peccata reversurum, si iisdem in occasionibus permaneat; sed certum constituat tempus ut experiatur, num vere correctioni studeat. Hoc autem eo diligentius observandum est, quod incuria confessariorum in artes plerasque, & professiones irrepserint vitia innumera, gravissimaque peccata, sine quibus jam videtur ne innocentissimas quidem artes posse exerceri. Cum instituuntur Magistratus, ea solemni sæpe Sacramento promittuntur, quæ numquam servantur. Apud Jurisconsultos, Advocatos, & Procuratores favorem prava litigantium intentio, defensionemque justitia reperit. Milites publice favent duello, odiis, homicidiis, aleæ, blasphemiis, rapinis, & impudicitiis. Mercatores usuras palam exercent, pro sinceris fucatas merces plerumque proponunt, pretio longe justo majoribus omnia vendunt. Frequentia sunt apud eos perjuria, fraudesque in solvendis peagiis, & vectigalibus, aliaque innumera. Artifices totis diebus festis operi suo incumbunt, adeo ut plerique jam Deum non colant; nec sacris unquam concionibus intersint, familiæque inspirent eumdem utriusque contemptum. Unde fit ut eorum plurimi vitam omnem in peccatis mortalibus traducant, adeoque sint prorsus incapaces absolutionis. Ante omnia autem danda est opera ut abstrahantur ab occasionibus quæ improbitatem hanc aluerint, reddanturque fortiores, quam antea.*

Objicies 1. Mulier, cui vir est per accidens occasio peccati mortalis, necnon ea quæ natos solet diis devovere, non possunt ab iis occasionibus sine peccato discedere: nec enim uxor virum, aut mater prolem licite deserere possunt: Ergo si quisque, ut absolutioni recipiendæ idoneus sit, tenetur discedere ab occasione, quæ per accidens est causa peccati; pœnitens aliquando tenebitur ad peccatum: quod est absurdum.

Resp. in illis aut similibus casibus constituto pœnitenti Sacerdotem non posse quidem injungere secessionem ab occasionibus: Verum tenetur ad absolutionem procrastinandam, donec per congrua pietatis opera cessationem a peccato, usum remediorum quæ præscripta fuerint, pœnitens suæ conversionis veritatem probaverit.

Objicies 2. Nonnumquam contingit quod pœnitens possit quidem absque peccato discedere a persona, quæ ei per accidens est occasio peccati: Sed ejusmodi discessio ita difficilis est, ut si ad eam a ministro cogatur, fere adducendus sit in desperationem: idque videre est in virgine nobili, cui frater in domo paterna, aut ipse pater est occasio peccandi mortaliter.

Resp. Primo illi virgini præscribi debere apta remedia, quibus per diuturnum tempus, ad prudentis

Juenm de Sacram.

æstimationem utatur: ea vero remedia sunt, oratio v. g. maceratio carnis, ut nusquam cum fratre, aut cum patre sola colloquatur, aut cum eis remaneat: dum tamen experitur minister, an ea remedia quidpiam ad virginis curam conferant, tenetur absolutionem procrastinare. 2. Si post debitas temporis moras Sacerdos advertat nihil profuisse adhibita remedia, jubere debet, ut illa virgo e domo paterna secedat, eoque recipiat se se, ubi post maturum examen confessarius eam in tuto fore judicaverit. Pœnitentes, quibus dura videtur ejusmodi praxis, ponderent velim laudatam hac superiore Paragrapho Christi sententiam, *Quod oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te*: Nec enim ea sententia consilium, sed tum naturalis tum divini juris, strictum præceptum includit.

Objicies 3. Pœnitentes perraro accusant se se, quod versentur in occasionibus, quæ per accidens sint causa peccati: sæpius enim eos latet se peccare in iis officiis quibus perfunguntur. Ergo tunc saltem absolvi debent absque eo quod ab illis occasionibus discedere jubeantur: imo videtur quod ea peccata doceri non debeant, periculum enim est, ne non ab iis etiam sic cognitis temperaturi sint, & sic postea magis rei fiant.

Resp. multa fieri per ignorantiam, sed gratiæ cœlestis auxilio vincibilem: quæ tamen sunt gravissima peccata: Id nimirum videre est in Cananæis, apud quos (Scriptura teste) pessimi errores & gravissima peccata erant æquissimæ legis loco: unde ob id a Deo jussi sunt deleri. Id quoque exploratum est ex hac Davidis oratione, *Ignorantias meas ne memineris Domine*. Qui ea omnia eximunt crimina quæ fiunt per ignorantiam vincibilem, eximant oportet a peccato Judæos, qui cruci Christum affixere, Gentes quæ ratæ se obsequium præstare Deo, Apostolos persequebantur in odium fidei. Itaque non solum ut a pœnitente integra fiat confessio juxta divinum Christi mandatum, sed etiam ut curentur peccata, in quorum affectu periculum est, ne in finem usque remaneat, doceri debet quænam in arte, quam profitetur, vetita sint, quæve licita, & donec a vetitis temperaverit, imo, & post probationem nisi ab officio quod est ipsi occasio peccandi, discesserit, frustrandus est absolutione.

Objicies 4. Plures Theologos reperire est, qui docent dari aliquam juris naturalis ignorantiam, quæ legis violatores eximat a peccato. Ergo, saltem in eorum Theologorum systemate, si pœnitens versetur in occasione, quæ sit per accidens causa actus quem ignorat esse peccatum, juberi non debet, ut ab ea discedat, imo nec expedit, ut doceatur, actum illum lege naturali vetitum esse: periculum nimirum erit, ne reus fiat ingentis peccati remanendo in ea occasione, quam (ut supponitur) deserere non potest absque magno rerum suarum dispendio: exemplum sit in servo, cui mulier nobilis, a qua plurima sperat, est per accidens occasio mollitiei, quam (ut iterum supponitur) ignorat esse peccatum mortale.

Resp. 1. plures esse Theologos, qui doceant, nullam dari ignorantiam simpliciter & absolute invincibilem circa jus naturale, & præsertim circa illos actus per quos quis impudice peccat contra proprium corpus. Nec id mirum est (inquiunt) cum id absolute ac simpliciter insuperabile dici non possit, quod (ut patet in concupiscentia) ordinariis gratiæ auxiliis vinci potest ac superari.

Resp. 2. quod licet concedatur posse dari ignorantiam, quæ eximat a peccato, saltem circa conclusiones plurimum remotas a primis principiis; sit tamen fere semper dubium, an de facto reperiatur in iis, qui legem naturalem infringunt: sæpius enim judicant ex levi fundamento (excæcante nimirum oculos mentis cupiditate) nullam inesse suis operibus malitiam. Confirmatur ex eo quod fideles plerumque Doctores adeant, quos sciunt in solvendis conscientiæ casibus consulentium cupiditati ut plurimum obsequi, quosque sic Deus increpat Ezechielis 13. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: & cum cape-*

vent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis. In illusores illos hæc iterum intorquentur Hieremiæ 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax. Confusi sunt quia abominationem fecerunt; quia potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Verum cum dubium est, an circa legem aliquam dari possit ignorantia, quæ violatorem eximat a peccato; aut cum incertum est, an reipsa detur circa aliquem, qui a parte rei repugnat legi; ne pœnitens exponatur periculo damnationis, docendus est operis sui malitiam jubendusque, ut discedat ab iis, quæ, etiam per accidens, illi sunt occasio peccati: Ad illius præcepti executionem pœnitens, si vere sit conversus, se se paratum exhibebit, cum vera conversio essentialiter includat propositum servandi divina mandata ubi primum innotuerit,

Queres 1. Utrum pœnitentiæ minister debeat in praxi habere rationem occasionis *proximæ, & remotæ*, quemadmodum tenetur habere rationem occasionis quæ *per se*, aut *per accidens* est causa peccati.

Resp. primo. Eadem cura vitari debere occasionem remotam qua proxima vitatur, si nomine occasionis remotæ intelligatur ea, quæ per quamdam connexionem, & concatenationem causarum inducit ad peccatum mortale.

Resp. secundo pœnitentem non teneri discedere ab occasione remota, si eo nomine intelligatur occasio, cujus præsentia parit quidem peccandi periculum, sed adeo remotum, ut pœnitens propter illum occasionem rarissime lapsurus sit in peccatum; ita ut (sicut loquuntur Theologi) periculum sit tantum metaphysicum, non autem morale: Sic non tenetur quis remanere domi, eo quod ex fortuito personæ sexus differentis occursu ad peccatum provocatus sit. Resp. tertio de occasione remota idem ferri debere judicium ac de occasione quam S. Carolus vocat occasionem *per accidens*, si pro ea sumatur quę *ex se* raro quidem inducit ad peccatum, sed frequenter ad illud impellit *ratione fragilitatis*, quæ alicui homini singularis est.

Quæres 2. Utrum occasio censeatur esse occasio *per se*, & proxima, cum quis in ea constitutus semel tantum peccarit?

Resp. primo si quæstio sit de peccato carnis exterius commisso cum persona diversi sexus, occasionem illam censeri debere occasionem *per se*, & proximam: unde concludendum est virum, & mulierem versari in occasione proxima peccati, qui ubi etiam semel commixti fuerint, remanent sub eodem tecto sive sint æqualis conditionis, ut famulus & famula, sive unus ab alio pendeat, ut famula ab hero cui est ab obsequiis. Ratio est, quia per unicum externum peccatum carnis, tollitur pudor, qui ut plurimum impedit ne quis alium ad peccandum provocet, aut alteri provocanti præbeat consensum. Resp. secundo. Si quæstio sit de peccatis aliis a peccato carnis v. g. de furto, aliquando illam occasionem censeri proximam, si nimirum in pœnitentes Sacerdos adverterit magnum pondus, multamque propensionem ad simile peccatum, judicaritque pœnitentem facile seu absque eo quod detegatur, posse rursus in ea domo furari ubi jam semel furatus est.

§. III.

Utrum absolutio iis impendi debeat qui choreas, vulgo Bals, *aut Comedias frequentant?*

CONclusio. Absolutio iis non debet impendi qui a choreis, vulgo *Bals*, Comœdiis, aliisque mundanis cœtibus temperare detrectant.

Probatur primo authoritate S. Caroli qui in instructionibus quas edidit ad confessariorum usum, sic loquitur: *Oportet eum* (Sacerdotem) *severiorem esse rigidioremque circa eas actiones, & exercitia quæ reipublicæ inutilia sunt, aut minime necessaria, quæ licet ea natura sua certo homines non inducant in peccatum mortale, dant tamen propensionem aliquam ad malum, & sæpissime pertrahunt ad diversa peccata. Hujusmodi sunt choreis interesse, cum blasphemis versari sæpius aut rixæ deditis, popinas frequentare, indulgere otio, & id generis alia quæ consuetudinem afferunt peccandi mortaliter, eum absolutionem non debet impertiri, quin his omnibus renuntiet pœnitens, spondeatque deinceps ea cavere diligenter. Si tamen spem aliquam de suo pœnitente Confessarius concepit, semel iterumque poterit absolutionem indulgere, ea tamen semper lege, ut si in iis diutius immoretur, eam postea differat, donec certis & evidentibus indiciis constet illum ab his occasionibus penitus esse segregatum.*

Verum ne populi ea disciplina plus æquo commoverentur, idem S. Carolus concionatoribus injunxit, ut ludus omnes scenicos in summum odium adducerent: *Publicorum peccatorum illecebras* (inquit in tertio Concilio Mediolanensi) *quas homines depravatæ consuetudinis errore decepti pro nihilo putant, Concionator perpetuo reprehendet, atque in summum odium adducere contendet, ostendetque quam graviter Deum offendant. Spectacula, ludos, ludicraque id generis quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinæque Christianæ adversantur, perpetuo detestabitur, execrabitur; demonstrabit incommoda, publicasque inde ærumnas in populum Christianum dimanare. In quam sententiam valde populum confirmabit argumentis, quæ gravissimi viri, Tertullianus, Cyprianus Martyr, Salvianus, & Chrysostomus afferunt, in eoque argumenti genere nullum aliud omittet quo tanta corruptela radicitus extirpetur; Choreas, saltationes, ac tripudia, e quibus mortiferæ cupiditates excitantur, de suggestu sæpe graviter reprehendet, atque insectabitur. Scenicæ, personatæque actiones, unde tamquam quodam seminario semina malefactorum ac flagitiorum pene omnium existunt, quam a Christianæ disciplinæ officiis abhorrentes, quam valde cum paganorum institutis convenientes, atque diaboli astu inventæ, omni officio a populo Christiano exterminandæ sint, quam maxime poterit religione contendet.*

Probatur 2. authoritate Patrum a quibus proscriptæ sunt comœdiæ tamquam quæ homines ad peccatum provocent: ac proinde qui iis sistunt se præsentes, ex iisdem Patribus, ultro se se exponunt peccandi periculo. Et sane concupiscentia, quæ cum sit ex diabolo, perpetua est hominis tentatio; externus theatrorum apparatus; mundani utriusque sexus homines, qui ad comœdias confluunt, composita ad libidinem adstantium ora voluptati quæ percipitur oculis, plus æquo blandiuntur. Actorum, Actriciumque tum verba quæ ad mollitiem inflectuntur, tum cantus musici movendis passionibus idonei, aurium libidini lenocinantur. Res quæ repræsentantur in comœdiis, passiones sunt appetitus corrupti; Amor v. g. quo vir quondam mulierem deperierit; Vindicta, quam quis sumpserit ex inimico; Zelotipia qua quis in æmulum afferit, immoderata humani honoris fames, ea sunt quæ in comœdiis exhibentur, quæque laudantur in hominibus quos heroes aut heroinas dicunt. At earum passionum repræsentatio similibus excitandis idoneæ sunt ex natura sua: ac proinde per se provocant ad peccatum: Quid enim est aliud peccatum quam cupiditas? & quid cupiditas nisi passiones appetitus per peccatum corrupti? Confirmatur argumentum ex eo quod ideo proscribantur nullæ tabellæ, quod passiones quasdam ponant ob oculos; ideo jubentur Christiani a quibusdam colloquiis discedere quod voluptatis sensationem pariant: Sed comœdiæ magis quam illæ tabellæ, quam ejusmodi colloquia libidinem, seu passiones commovent: non enim frigide, ut in tabellis exhibentur, sed ab hominibus qui jam, saltem exterius iis acti, voce & gestu, reliquoque corporis situ, adstantium, & oculos, & aures demulcent. Eam rationem his verbis urget Tertullianus libro de Spectaculis. *Nunc interposita nosse idololatria, quod solum subjici cum sufficere deberet ad abdicationem spectaculorum, alia jam ratione tractemus ea abundanti: propter eos maxime qui sibi blandiuntur quod non nominatim abstinentia ista litteris præscrita sit: quasi parum etiam de spectaculis pronuntietur, cum concupiscentiæ sęculi damnantur. Nam sicut pecuniæ vel dignitatis, vel gulæ, vel libidinis, vel gloriæ: ita & voluptatis concupiscentia est. Species autem voluptatis*

etiam

etiam spectacula, opinor generaliter nominata concupiscentia continent in se & voluptates. Æque generaliter intellecta voluptates specialiter & in spectacula disseruntur. Sic præterea idem author argumentatur ex impudicitiæ periculo cui exponuntur ii qui comœdiis se præsentes sistunt: *Impudicitiam omnem amoliri jubemur. Hoc igitur modo etiam a theatro separamur quod est privatum consistorium impudicitiæ, ubi nihil probatur quam quod alibi non probatur. Ita summa gratia ejus de spurcitia plurimum concinnata est quam atellanus gesticulatur, quam mimus etiam per muliebres repræsentat sexum pudoris exterminans, ut facilius domi quam scena erubescant ... Quod si nobis omnis impudicitia execranda est, cur liceat audire quæ loqui non licet: cum etiam scurilitatem & omne vanum verbum judicatum a Deo sciamus, cur æque videre, quæ facere flagitium est. Cur quæ ore prolata communicant hominem, ea per oculos & aures admissa non videantur hominem communicare: cum spiritui appareant aures & oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur. Habes igitur & theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ.* Urget idem scriptor excultiorem, tum mulierum, tum virorum ornatum, amoris consensiones, rixas, quæ in spectaculis exhibentur: *In omni spectaculo nullum magis scandalum occurret quam ipse ille mulierum & virorum accuratior cultus. ipsa consensio, ipsa in favoribus, aut conspiratio, aut dissensio inter se de commercio scintillas libidinum conflabellant.* Contendit actores, actrices, spectatores, locum ipsum, in quo exhibentur spectacula, diaboli hæreditatem esse: ac proinde ad nihil aliud impelli eos, qui adsunt, quam ad concupiscentiam, quæ opus est diaboli: refert interogatum in exorcismis diabolum cur opus mulieris quæ ad spectaculum abierat subiisset, respondisse quod eam reperisset in loco, cujus esset dominus: *Cur ergo* (inquit) *non ejusmodi etiam dæmonis penetrabiles fiant* (spectaculorum spectatores) *nam & exemplum accidit domino teste ejus mulieris quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem aggredi: constanter & justissime quidem* (inquit) *feci: in meo eam inveni.*

Patres asseruerunt 2. spectaculis extingui tum orationis, tum virtutis studium, quod cuique fideli commendatum est: *An ille recogitabit eo tempore de Deo positus illic ubi nihil est Deo?* (inquit Tertullianus) *pacem opinor habebit in animo? Inter effeminationis modos psalmum secum comminiscetur. & cum athletæ agent, ille dicturus est, repercuciendum non esse, poterit & de misericordia moveri, defixus in morsus ursorum, & spongias retiariorum. Avertat Deus a suis tantam voluptatis exitiosæ cupiditatem. Quale est enim de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere? de cœlo (quod ajunt) in cœnum? illas manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare: ea ore quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere?*

Patres iterum argumentati sunt ex infamia, qua histriones quondam nati sunt ab Imperatoribus etiam ethinicis, objurgaruntque gentiles, quod factis probarent, quæ edictis damnaverant: *Manifeste* (inquit Tertullianus) *damnant ignominia & capitis minutione, arcentes curia, rostris, senatu, equite, cæterisque honoribus omnibus simul & ornamentis quibusdam. Quanta perversitas. Amant quos mulctant, depretiant quos probant. Artem magnificant, artificem notant. Quale judicium est ut ob ea quis offuscetur, quæ promeretur. Imo quanta confessio est mala rei, quarum auctores cum acceptissimi sint, sine nota non sunt. Cum igitur humana recordatio etiam obstrepente gratia voluptatis damnandos eos censeat, ademptis bonis dignitatum in quemdam scopulum famositatis, quanto magis divina justitia in ejusmodi artifices animadvertit.* Intorqueri potest illud Tertuliani argumentum in Gallos, qui in comœdiis sese præsentes sistunt, quippe quod Francorum legibus expresse prohibitæ sint ut patet tum ex Senatus-consulto quod regnante Henrico III. promulgatum est die 10. Decembris anno 1588. nec non ex alio, quod anno 1652. exiit a Parisiensi Senatu.

Probatur 8. conclusio variis Conciliorum canonibus. Nonnulli Comœdos mulctant excummunicatione. Alterum Arelatense Concilium quod habitum est anno 452. hæc habet, can. 10. *De Theatricis qui fideles sunt, placuit eos quandiu agunt, a communione separari.* Alii eadem pœna spectatores castigant. *Omnino prohibet hæc sancta & universalis Synodus* (verba sunt can. 51. Concilii in Trullo quod celebratum est anno 692.) *eos qui dicuntur mimi, & eorum spectacula. Deinde venationum quoque spectationes, atque in scena saltationes. Si quis autem præsentem canonem contempserit, & se alicui eorum quæ sunt vetita dederit, si sit quidem Clericus, deponatur, si vero Laicus, segregetur.* Nonnulla Concilia ubi prohibent ne quis ludis theatralibus adsit, Clericorum quidem tantum expresse meminerunt, sed laicos etiam implicite conplectuntur, cum eas rationes urgeant quæ ad quemque Christianum spectent: *Ab omnibus* (inquit tertium Concilium Turonense can. 8.) *quæcumque ad aurium & oculorum pertineat illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, quod de aliquibus generibus musicorum aliisque nonnullis rebus sentiri potest, Dei Sacerdotes abstinere debeat: quia per aurium oculorumque illecebras turba vitiorum ad animum ingredi solet.* Ea Synodi verba expendant ii qui spectacula quæ vulgo *Opera*, dicuntur, in se ipsis indifferentia esse contendunt. Quid enim quæso iis in spectaculis reperire est quod hominis cor ad sensibilem voluptatem non emolliat ac inflectat. Pleræque Synodi dederunt operam ne saltem diebus festivis Comoediæ cæterive ludi theatrales haberentur: *Ludos theatrales* (inquit Concilium Remense quod habitum est anno 1583.) *etiam prætextu consuetudinis, exhiberi solitos, & puerilia, cæteraque ludicra, quibus Ecclesiæ inquinatur honestas, & sanctitas. in Christi & sanctorum festivitatibus omnino prohibemus: contra nitentes autem pœnis coerceri volumus a superioribus.* Idem edicitur in Concilio Turonensi quod eodem anno celebratum est. *Diebus Dominicis præsertim, & aliis festivis* (inquit titul. XI.) *aperiri comœdias, ludos, scenicos vel theatrales, & alia ejus generis irreligiosa spectacula agi, sub anathematis pœna prohibet hæc Synodus: præcipitque omnibus & singulis Parœciarum rectoribus eos apud Episcopum deferre qui huic decreto non paruerint, ut illius ordinatione nominatim excommunicati denuncientur & publicentur,* Decreti verò hæc ab eadem Synodo ratio redditur: *Valde etenim est absurdum fideles, iis diebus qui propitiando Deo sunt destinati, fallacibus illis satanæ blanditiis illectos, divinis officiis, religiosis supplicationibusque sacris abduci.* Idem anno 1584. in Concilio Bituricensi titul. 6. can. 6. sancitum est.

In ea Conciliorum decreta velim lector observet. 1. Comœdorum artem esse grave peccatum, cum in eam canones excomminicatione animadverterint, 2. Eos qui comœdiis intersunt, gravi pœna castigari, ac proinde, nisi per ignorantiam aliqua ratione excusentur, peccare letaliter. 3. Eos qui ad comœdias aliaque ejus generis spectacula aliquid, sive pecuniam, sive operam, sive supelectilia conferunt, immunes non esse a peccato: Non enim (ut ait Apostolus) ii tantum rei sunt qui peccata perpetrant, sed ii etiam qui consentiunt facientibus. 4. Homines qui spectaculis intersunt prætet pericula, quibus ultro exponunt se se, præsentia, pecunia, approbatione tacita, publicum comœdorum peccatum fovere, ac efficere ne tandem resipiscant, ac Ecclesiæ Sacramentis communicent a quibus arcentur tum Conciliorum tum Ritualium authoritate: *Arcendi sunt a communione manifeste infames, ut meretrices, concubinarii, comœdi,* verba sunt Ritualis Parisiensis quod anno 1654. editum est. 5. Si comœdiæ aliaque ejus generis spectacula tantum sint peccatum, iis negandam esse absolutionem, qui (ut supra cum S. Carolo monuimus) noxiis illis vanissimisque rebus nuntium remittere detrectant.

Solvuntur quæ adversarii pro spectaculis objiciunt.

Objicies 1. Nec Christus nec Apostoli Comœdiarum, cæterorumve spectaculorum usum prohibuere. 2.

re. 2. Patres spectacula damnarunt quidem, sed idololatrica, ut ea erant quæ Tertullianus aggreditur libro quem de spectaculis inscripsit. 3. In Comœdiis quæ Conciliis vetitæ sunt, exhiberi solita erant obscœna quædam quibus adstantes ad libidinem provocarentur, cum e contra eæ quæ nunc aguntur, nihil nisi pudicum & honestum sapiant.

Resp. ad 1. non fuisse necesarium ut ipsemet Christus comœdias ejusque generis spectacula expresse proiberet, quippe qui missus non fuisset nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, apud quas nec comœdiæ nec spectacula aliquando fuerunt in usu: implicite tamen ea proscripsit, iis nempe locis ubi eorum quæ mundo continentur, amorem damnavit. Quantum quisque fidelis ab ejusmodi amore liber esse debeat docemur 1. epist. can. Joannis 2. v. 15. *Nolite* (inquit) *diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupicentia oculorum, & superbia vitæ, quæ* (concupiscentia) *non est ex Patre, sed ex mundo est*. Docemur iterum Epistolæ ad Philippenses capite 4. ubi sic Apostolus: loquitur *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate*: Prohibet igitur Paulus quæ ab iis virtutibus animum avocant, avocari vero a comœdiis, mundanisque spectaculis demonstratum est.

Resp. ad 2. Tertullianum comœdias ac spectacula insectatum fuisse non tantum quod idololatriam saperent, sed quod animi per peccatum corrupti passiones excitarent, nutrirent, foverent. Eodem argumento usi sunt Ambrosius, Chrysostomus, cæterique Patres. Præterea post extinctam tum in Oriente, tum in Occidente idololatriam Concilia tum in Comœdos tum in comœdiarum spectatores gravissimis Pœnis animadverterunt.

Resp. ad 3. superius demonstratum fuisse spectacula, comœdias, ut nunc etiam aguntur tum apud Francos tum apud cæteras Europæ gentes, provocare, alere, fovere concupisentiam quæ (ut ait Joannes) *non est eu Patre, sed ex mando est*. Qui se spectaculis præsentes sistunt, ajuntque nihil in eis esse quod provocet ad libidinem, praxim suam concilient, si possunt, cum hisce Ecclesiastici verbis: *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam ne forte pereas in efficacia illius: virginem ne conspicias ne forte scandalizeris in decore illius. Averte faciem tuam a muliere compta; & ne circumspicias faciem alienam ... propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescet*. Si cujusque mulieris ornatus tantum periculi inferat: quantum timendum ex muliere in spectaculis personata, quæ non ornatum tantum, sed verba, gestus, passiones, saltem adumbrates, adhibet, ut spectatoribus placeat. Quod de muliere respectu virorum dictum est, locum habet in comœdiis respectu mulierum.

Objicies 2. S. Thomas eximere videtur e Peccato viros, mulieresque quæ comœdiis cæterisve spectaculis intersunt: siquidem secunda secundæ quæst. 168. art. 3. docet histrionum artem esse ex natura sua licitam, contendit prærerea non peccare eos qui illorum opera utuntur, eisque debitam mercedem rependunt: *Ad tertium dicendum quod sicut dictum est* (articulo secundo) *ludus est necessarius ad conversationem humanę vitę. Ad omnia etiam quę sunt utilia conversationi humanæ, deputari possunt aliqua officia licita, & ideo etiam officium histrionum quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum: nec sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur, idest, non utendo aliquibus illicitis verbis vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotiis & temporibus indebitis. Et quamvis in rebus humanis non utantur alio officio per comparationem ad alios homines: tamen per comparationem ad se ipsos & ad Deum; alias habent seriosas & virtuosas operationes, puta dum orant, & suas passiones & operationes componunt, & quandoque etiam pauperibus eleemosynas largiuntur. Unde illi qui moderate eis subveniunt, non peccant, sed juste faciunt, mercedem ministerii eorum eis tribuendo. Si qui autem superflue sua in tales consumunt, vel etiam sustentant illos histriones qui illicitis ludis utuntur, peccant quasi eos in peccato foventes. Unde Augustinus dicit super Joannem, quod donare res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus: nisi forte aliquis histrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subveniendum. Dicit enim Ambrosius in libro de Officiis: Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non paveris, occidisti.*

Resp. ad illud argumentum aliam adhiberi non debere solutionem quam quæ ab illustrissimo Jacobo Benigno Bossuetio Episcopo Meldensi adhibetur in libro quem Gallice sic inscripsit: *Maximes & reflexions sur la Comedie*. Asserit 1. Doctissimus Præsul eu loci S. Thomam non agere de Comœdiis; nec enim significantur *Histrionum* nomine, sed intelliguntur *Joculatores*, illius adinstar de quo loquitur in objectione quam sibi solvendam proponit, is autem pulsando fistulam victum in oppido quæritabat: *Legitur* (inquit) *in vitis Patrum quod beato Paphnutio revelatum est quod quidam Joculator futurus erat sibi consors in vita futura*. Præterea Angelicus Doctor de histrionibus agit qui facetis quibusdam verbis, & gestibus spectatores delectent: *Dicendum est autem* (inquit in corpore articuli) *quod ludicra sive jocosa verba, vel facta sunt dirigibilia secundum rationem &c.* At Comœdorum ars non in ludicris tantum verbis & gestibus posita est, sed etiam in repræsentatione passionum, quæ concupiscentiam provocent ac nutriant. Asserit 2. idem illustrissimus Antistes a S. Thoma non probari ludicra, seu jocosa verba, quæ in theatris hodiernis personant, tum quod hancce ludicris quæ in se considerata non damnat, conditionem præfigat: *Aliud autem* (inquit articulo secundo in corpore) *attendendum est ne totaliter gravitas animæ resolvatur: Unde Ambrosius dicit in 1. de Officiis: Caveamus ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum*. Gravitas autem animæ (ut S. Doctoris verbis utar) in Comœdis penitus resolvitur: cum quisque suo experimento comprobet animum in spectaculis omnino commoveri, nihilque in eo superesse gravitatis. Asserit 3. laudatus Episcopus quod quamvis detur (quod tamen falsum est) S. Thomam Comœdos cæterosque spectaculorum autores intellexerit histrionum nomine: inde tamen nihil confici possit in ejusmodi actorum gratiam: Comœdiæ siquidem, cæteraque theatrorum spectacula destituta sunt tribus conditionibus quas Doctor Angelicus exigit ne histriones peccent: *Circa quæ tamen* (inquit articulo 2. in corpore) *tria videntur esse proxime cavenda: quorum primum & principale est quod prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus vel nocivis. Aliud autem attendendum est, ne totaliter gravitas animæ resolvatur. Tertio autem attendendum est ut congruat personæ & tempori & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur*. Sunt vero nociva, quæ in comœdiis, spectaculis, vulgo *Opera*, aguntur, cum iis amor delectabilium, aliæque maximæ periculosæ passiones excitentur. Animæ gravitatem *totaliter resolvunt*: ita ut idonea non sit rerum cœlestium contemplationi. Non sunt debite *ordinata secundum circumstantias*, cum agantur a viris mulieribusque, quorum cultus exterior pudicitiæ plurimum infert detrimenti. Asserit 4. idem illustrissimus Præsul Sanctum Thomam histrionatum metaphysice & in se sumptum, perpendisse: *Officium histrionum* (inquit art. 3. in resp. ad 3.) *quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum*: non perpendisse vero prout se habet physice & a parte rei, seu prout exercetur a Comœdis cæterisque spectaculorum actoribus, ex eo patet quod (2. 2. qu. 87. art. 2. ad 2.) histrionum non secus ac meretricum, quæstum illicitum & fœdum appellarit: *Quædam vero* (inquit) *dicuntur male acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut de meretricio, & histrionatu & aliis hujusmodi*. Asserit denique 5. idem author modum loquendi, quem hoc in capite adhibuit Angelicus Doctor, vix cum eo cohærere quo antiqui Patres

locuti

locuti sunt de histrionibus, Joculatoribus, aliisque similem artem profitentibus: ludicra nimirum quæque aut inter scurrilitatem quam prohibet Apostolus, aut inter verba inutilia quæ in Evangelio vetantur, recensuere. Unde tantum abest ut *Eutrapeliam*, seu habitum, qui ex Aristotele ludicra moderatur, virtutem appellarint, quin potius dixerint esse vitium, sed minus eo per quod in ludicris peccatur per excessum: Patres Latini hoc in capite vulgatam Novi Testamenti versionem imitati sunt: quippe quod nomen Græcum, *Εὐτραπελία*, quo Paulus usus est, per *Scurrilitatem* reddiderint.

Objicies 3. S. Francisco Salesio Choreæ, Convivia, Pompæ, Comœdiæ, res sunt ex natura sua indifferentes: Ergo modo cum debitis circumstantiis agantur, licita sunt: ac proinde Confessarius negare non debet absolutionem hominibus qui illis oblectamentis interfuerint, nisi adverterit quod *per accidens* eis fuerint occasio peccati Probatur antecedens ipsissimis laudati Episcopi verbis: *Les jeux* (inquit 3. parte libri quem Gallice inscripsit, *Introduction a la vie devote*) *Les festins, les pompes, les comedies, en leur substance ne sont nullemet choses mauvaises, ains indifferentes, pouvant etre bien ou mal exercees*.

Resp. equidem Comœdias aliaque ejus generis oblectamenta *en se*, seu secundum substantiam physicam sumpta, prorsus esse indifferentia, quis enim locum, theatrum, homines, versus ex quibus physice constant, quidpiam secundum esse physicum quod includunt, peccatum esse dixerit; sed in individuo, semper sunt mala, quod nempe (ut superius ostensum est) cum iis circumstantiis semper exhibeantur quæ concupiscentiam excitant ac nutriunt, aut saltem apta sunt ex se ut eam provocent ac foveant. Unde S. Præsul cujus textu nonnulli abutuntur, ait spectacula de quibus hic agitur, semper esse periculosa. *Toujours neanmoins ces choses la sont dangereuses, & de s'y affectioner cela est encore plus dangereux*. Invehitur postea idem S. Præsul in fideles qui vanissimis illis rebus delectantur, atque exponere salutem æternæ damnationis periculo: *N'est ce pas* (inquit idiomate patrio) *une chose ridicule, ains plutot lamentable de voir des hommes s'empresser & s'affectioner apres des bagatelles si indignes comme sont les choses que j'ai nommees, lesquelles outre leur inutilité nous mettent en peril de nous deregler, & desordonner a leur poursuite O Philothee, ces impertinentes recreations sont ordinairement dangereuses, elles dissipent l'esprit de devotion, allanguissen les forces, refroidissent la charité, & reveilleat en l'ame mille sortes de mauvaises affections*. Si quæ vero mulier compellatur ut iis oblectamentis intersit, vetat S. Salesius 1. ne eo se conferat recreationis causa. 2. ut per orationem præparet animam suam ne tentationibus superetur. 3. ut eo tempore quo cæteri dant se risui aut voluptati, ipsa de pænis cogitet quibus innumeri homines cruciantur in inferis propter peccata quæ in choreis, comœdiis, spectaculis admisere: *Pensez* (inquit) *qu'en meme tems que vous etiez au bal, plusieurs autres bruloient au feu d'enfer pour les pechez commis a la danse, que notre Seigneur, notre Dame, les Anges & les Saints vous ont vu au bal. Ha que vous leur avez fait grand pitié voiant votre cœur amuse a une si grande niaiserie, & attentif a cette fadaise*. Addendum est Salesium, licet idem cum Patribus de iis oblectamentis senserit, humanius tamen de eis locutum fuisse, eo enim S. Præsulem mansuetudo qua commendatus est semper, induxit.

Objicies 4. Ideo damnantur Comœdiæ, aliaque ejus generis spectacula quod concupiscentiam excitent, nutriant, foveant. Atqui plures qui iis frequenter intersunt: id nequaquam experiuntur: postulati nimirum in confessione Sacramentali respondere solent mentes suas ne vel minimam peccati cogitationem, cum iis oblectamentis interessent, subiisse. Præterea plures frugi ac probatæ virtutis tum viros tum mulieres reperire est, qui Comœdiis, cæterisque spectaculis intersint absque aliquo (ut ipsimet ajunt) virtutis suæ detrimento: Nihil igitur impedit, quin cæteri homines illorum praxim emulentur. Tandem si tantum periculi Comœdiæ, Spectacula, secum inveherent cur publicæ leges tolerarent oblectamenta ejusmodi, cur ea non tollerent de medio?

Resp. ad 1. per accidens esse quod homines quorum argumentum meminit, Comœdiis, similibusque spectaculis ad peccatum non provocentur: ex se nimirum excitandæ ac nutriendæ concupiscentiæ apta sunt, ac idonea, ut suo loco probatum est. Præterea malum quod ea spectacula pariunt, quantumvis reale sit ac periculosum, non semper precipitur ab iis, quibus infertur. Idem respectu voluptaris quam comœdiæ excitant ac sovent, ferendum est judicium ac de iis qui alto mari obruuntur qui aquarum fluento permittunt se se: Sicut ergo illi vere aquis obruuntur, vere fluvio rapiuntur, quamvis id non percipiant: ita & ii qui spectaculis intersunt, moventur ad sensuum voluptatem, inclinanturque ad mala quæ ex illa voluptate oriuntur, quamvis ejusmodi mala nequaquam advertant. Concupiscentia lentæ febris est ad instar, quæ licet ossium medullas pervadat, exsiccetve, ab ipso febricitante nequaquam percipitur: ignis est sub cinere latitans qui tandem aliquando ubi pabulum invenerit, erumpet in flammam. Addendum est quod licet ii homines de quibus agitur in argumento, nullum ex comœdiis aliisve spectaculis paterentur in se ipsis detrimentum (quod tamen falsissimum est) non ob id tamen forent innoxii, quippe quod cæteris hominibus præbeant exemplum quod ipsis futurum est scandalo; operam, pecuniam, suffragium Comœdiis, spectaculorum acturibus & actricibus quos peccare certo certius est, conferant.

Resp. ad 2. periculum esse ne sapientes illi viri quorum exemplo adversarii nituntur, ex iis sint de quibus hæc ait Christus Matthæi x1. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*. Et sane quisquis vero sapiens est hanc Apostoli sententiam 2. ad Cor. 10. veritus, *Qui stat, videat ne cadat*, nulli lubens, ac dedita opera, exponit se se periculo peccandi. Confirmatur ex eo quod (ut jam observatum est) fieri non possit quin viri illi (quos pios vocant) suo exemplo cæteros qui eminenti eorum (ut ajunt) virtute prædit non sint, pertrahant ad peccandi periculum: ac proinde hisce Apostoli verbis ad Rom. 14. compellantur: *Noli..... illum perdere pro quo Christus mortuus est*. Quæ quidem sententia locum habet in omnibus quidem fidelibus, sed in iis præsertim quibus incumbit aliorum cura: unde graviter peccant matronæ quæ in spectacula filias ducunt, quas curarunt in baptismo abrenunciare mundi satanæque pompis: Ejusmodi natæ in matres intorquere possunt hæc verba: *Parentes sensimus parricidas*.

Resp. ad tertiam. Primo leges politicas non in omnia crimina animadvertere, sed tantum in externa quædam quæ reipublicæ paci noxia esse possunt: Nec ipsa etiam Ecclesia omnia fidelium peccata censuris suis castigat: *Severitas* (inquit Augustinus ad Aurelium scribens) *exercenda est in peccata paucorum* 1. Falsum est quod leges Comædias ac spectacula non prohibuerint: quippe quod Comædos, spectaculorum actores, actrices infamia notarint. 3. Divortium quondam permittebatur Romanis legibus, permittebatur etiam & usura: nemo tamen dixerit priscis illis temporibus divortium & usuram non fuisse peccata.

Objicies 5. Si Comœdiis, ac spectaculis fideles interdicantur, arcebuntur pariter ab omni ludo, ab omni oblectamento, quæ tamen necessaria sunt ut animus nonnunquam relaxetur.

Resp 1. neg. maj. sunt nempe quædam oblectamenta, sunt nonnulli ludi qui concupiscentiam nec provocent aut nutriant: quibus proinde si quis (ut par est) usus sit, nullum contrahet peccatum. 2. Qui Comœdias, ac spectacula frequentant, homines sunt plerumque, qui otio tota die torpent, ac consequenter quibus ut animus a seriis operibus relaxetur, ludi, etiam maxime innoxii minime necessarii sunt. 3. Qui sub recreationis obtentu Comœdiarum usum tuentur, compellandi sunt hisce verbis Tertulliani ad calcem libri de Spectaculis: *Tu mihi metas & scœnas & pulverem & arenas suspiras. Dicas velim: Non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate de-*

bebi-

bebimus? Nam quid est aliud votum nostrum, quam quod & Apostoli, exire de sæculo, & recipi apud Dominum? Hæc voluptas ubi & votum. Jam nunc si putas delectamentis exigere spatium hoc, cur tam ingratus es, ut tot, & tales voluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jucundius, quam Dei Patris, & Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro criminum venia? Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam sæculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus, quod calcas Deos nationum, quod dæmonia expellis, quod Deo vivis? Hæ voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita, in his tibi ludos Circenses interpretare, cursus sæculi intuere, tempora labentia, spatia dinumera, metas consummationis expecta, societates Ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam Angeli erigere, ad martyris palmas gloriare. Si scenicæ doctrinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis canticorum, satis vocum, nec fabulæ sed veritates, nec strophæ sed simplicitates. Vis & pugillatus, & luctus? præsto sunt non parva, sed multa. Aspice impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sævitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia adumbratam, & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem, & sanguinis aliquid, habes Christi. Quale autem spectaculum? in proximo est adventus Domini jam indubitati, jam superni, jam triumphantis. Quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria resurgentium sanctorum? quale regnum exinde justorum? qualis civitas nova Hierusalem? At enim supersunt alia spectacula, ille ultimus, & perpetuus judicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi vetustas, & tot ejus nativitates uno igni haurientur.

CAPUT QUINTUM.

De Proprietatibus Absolutionis.

DUplicem hic exponemus Absolutionis proprietatem; necessitatem nimirum, & virtutem.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate Absolutionis.

COnclusio. Lapsis post baptismum absolutio necessitate medii necessaria est ad salutem. Ita Catholici docent contra Lutheranos, Calvinistas, cæterosque Sectarios recentiores, quibus placet impium justificare per fidem misericordiæ specialis.

Probatur primo. Lapsus non potest consequi justificationem sine Sacerdotali absolutione, siquidem sine ea non potest consequi remissionem sui peccati, alioquin frustra Christus Sacerdotibus dixisset Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: quemadmodum frustra Rex in provinciis committeret Præfectum ad judicandum de homicidio, cognita tamen prius causa, si alio modo, & quidem faciliori, ac proinde ob id ab omnibus eligendo, Rei possent condonationem sui sceleris obtinere. Eo argumento usus est Augustinus homilia 49. quæ est inter 50. ubi sic Christianos adulteros alloquitur: *Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sic dicat: Occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei, frustramus Evangelium, frustramus verba Christi, promittimus vobis, quod ille negat.*

Probatur 2. ex Patribus, qui docent 1. ideo peccati reos esse ministros, qui fugiunt sæviente persecutione, quod pœnitentiæ Sacramentum sit lapsis ad justificationem necessarium. Sic enim loquitur Augustinus Epist. 180. quæ est ad Honoratum: *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum extrema pervenitur, nec est potestas ulla fugiendi; quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem, ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati, quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt.* Docent 2. iidem Patres pœnitentes absolutionem quovis sæculo enixissime petiisse ab Ecclesiæ ministris, & cum magnis fletibus, ingentibusque lachrymis. Id patet ex Theodosio magno pœnitentia publica damnato a S. Ambrosio propter cædem ab illius militibus Thessalonicæ perpetratam, sic enim laudatus Imperator Rufino familiari suo luctus causam quærenti respondit: *Ego gemo, & meam ipsius deploro calamitatem, dum mente complector, quam facilis aditus ad sacrum templum servis, & mendicis pateat: mihi autem non modo ad illum locum, verum etiam ad cælum ipsum accessus præclusus sit, nam venit mihi in mentem sententia a Domino prolata, quæ palam dicit: Quemcumque ligaveritis super terram, erit ligatus & in cælis.* 3. Aliqui ex iisdem patribus dubitasse videntur de eorum salute, qui licet pœnitentes, morte præventi fuissent antequam potuissent absolutione donari. Inter eos Patres hæc scribit Leo Magnus Epist. 91. quæ est ad Theodorum Episcopum Forojuliensem: *Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque intercepius obstaculo a munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum, qui sic obierint, merita, actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservaverit.*

Probatur 3. nominibus, quibus antiqui Patres absolutionem expressere. Cyprianus lib. de lapsis absolutionem sæpe appellat *Pacem*, nonnumquam *Communicationem*, aliquando *Veniam*, *Remissionem*, *Indulgentiam peccatorum*. Ante Cyprianum Tertullianus eam vocaverat, *Abolitionem delictorum*, *Ecclesiasticæ pacis postliminium*, *alterum humani generis phorum*, *revocationem in gratiam Dei*, *Ecclesiæ concorporationem*. Concilium Nicænum primum docuit eam esse *ultimum & maxime necessarium viaticum*. S. Leo appellavit *Remissionem criminum*, *Solutionem reatus peccatorum*. Ea vero nomina invictissime probant absolutionis necessitatem pro iis, qui post baptismum lapsi sunt.

Objicies 1. Nonnullæ antiquæ Ecclesiæ orarunt pro pœnitentibus mortuis sine absolutione; Illis igitur Ecclesiis persuasum fuit pœnitentes non damnari, licet a suis sceleribus absoluti non fuerint: ac proinde crediderunt absolutionem lapsis post baptisma non esse necessariam necessitate medii, ut justificationem consequantur. Plures hac de re Patrum sententias lector adire poterit hujusce operis paginis 320. 321.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia illæ Ecclesiæ orarunt pro pœnitentibus, & consequenter pro lapsis, in quibus erat votum absolutionis. Eo autem voto, seu ipsa absolutione in votis accepta, crediderunt, urgente necessitatis casu, pœnitentem alioquin debite dispositum justificari, quamvis tamen aliqui alii antiqui Patres contrarium sensisse visi sint, ut patet ex textu quem ex Leone Magno superius laudavimus.

Objicies 2. Patres sæpius docuerunt homini vere pœnitenti statim peccata remitti, ut probat hæc Augustini sententia Sermone 59. de verbis Domini: *Quam cito quis conversus est, omnia illi peccata dimittuntur.*

Respondet Estius, illud adverbium *Cito*, intelligi de eo instanti quo pœnitens perficit ea, quæ ab ipso agenda sunt, inter quæ est receptio absolutionis, aut saltem illius votum.

Objicies tertio. Si absolutio lapsis esset necessaria necessitate medii ad salutem, quilibet homo licet laicus,

cus, imo & mulier urgente necessitate posset eam impertiri, cum propter illam eamdem rationem nemo sit, qui infantem in periculo mortis constitutum, aut adultum catechumenum, non possit baptizare. Sed consequens est falsum. Ergo &c.

Resp. neg. sequelam majoris. Ratio disparitatis est 1. quia (ut docet sanctus Thomas) lapsis post baptismum ex divina ordinatione difficilior esse debet aditus ad reconciliationem, quam primo conversis ad regenerationem. 2. quia saltem in parvulis, & ut ita s per nihil aliud suppleri potest baptismus. At vero in adultis suppletur absolutio per sinceram contritionem, quæ Sacramenti votum includit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De virtute Absolutionis.

CONclusio 1. per absolutionem vere remittuntur peccata: unde absolutio non est sententia mere declaratoria peccati, quod prius remissum sit.

Probatur 1. ex Sessione 14. Concilii Trident. intorquentis anathema in eos, qui dicunt absolutionem Sacramentalem a Sacerdote datam, non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi peccata confitenti esse remissa.

Ad illam probationem, respondent ii scriptores, qui stant, a Magistro sententiarum, Guillelmo Altissiodorensi, S. Bonaventura, Durando & aliis rate colligi absolutionem non esse actum judicialem, sed merum ministerium declarandi remissa esse peccata, ex eo quod peccata non remittat. 1. Quia sententia per quam judex civilis absolvit aliquem, est actus judicialis quamvis absolutum a parte rei non reddat innocentem. 2. Absolutio in opinione illorum authorum non est nudum ministerium; est enim, ajunt, actus juridicus quo Dei, & Ecclesiæ nomine minister admittit confessum ad participationem Sacramentorum.

Sed contra est 1. quia Lutherani, in quos anathema intorquet Concilium Tridentinum, non negabant eo modo se habere ministrum respectu confessi, quo judex civilis respectu hominis, quem absolvit seu declarat innocentem. 2. Non diffitebantur quoque illi hæretici Sacerdotem Dei, & Ecclesiæ nomine admittere confessum ad participationem Sacramentorum.

Dices. Ergo per Concilium Tridentinum hæretica declarata fuit doctrina Magistri sententiarum, S. Bonaventuræ, Durandi, multorumque aliorum veterum contendentium absolutionem non remittere peccata.

Resp. discrepare eam doctrinam a Lutherana. 1. Quod tribuat absolutioni vim augendi gratiam sanctificantem in homine, qui jam per contritionem justificatus illi se subjicit. 2. Quod afferat absolutionem vere remittere peccata, non quidem cum actu suscipitur, sed cum est in voto pœnitentis contriti, quemadmodum sanguis Christi abluebat delicta Judæorum in antiqua lege per fidem, & in voto tantum illis applicatus.

Probatur 2. Conclusio ex omnibus iis contextibus Patrum, quibus significatur peccata non dimitti ordinarie pœniteuribus, & catechumenis, nisi dum actu pœnitentiæ aut baptismi Sacramenta recipiunt. Textus illos protulimus paginis 343. 344.

Probatur 3. ex controversia Montanistarum, & Novatianorum cum Catholicis. Illi Schismatici contendebant Ecclesiam non habere potestatem dimittendi omnia peccata post baptismum commissa, Catholici e contra asserebant nullum esse scelus, quod per claves Ecclesiæ creditas a Christo, dimitti non possit. At intentum habuissent suum iidem hæretici, si a parte rei verum fit per absolutionem peccata minime dimitti, ut volunt adversarii.

Probatur 4. ex ipsa, quæ tamdiu obtinuit in multis Ecclesiis absolutionis formula deprecativa, ut quid enim Sacerdotes cum impendebant absolutionem fudissent preces ad remissionem peccati jam ante illam eamdem absolutionem dimissi? ut quid etiam nunc apud Græcos idem vigeret usus?

Probatur 5. ex diligenti cura quam pii Pastores, etiam cum vitæ dispendio, adhibuerunt, ut crederis sibi ovibus de vita periclitantibus absolutionem Sacramentalem conferrent. Idem pariter evincitur ex concursu pœnitentium ad Sacerdotes cum instaret aliquod periculum: non enim, in sententia adversariorum, alio spectasset illa diligentia pastorum, quam ut ovibus declararent remissionem peccatorum, non alio populorum concursus, quam ut audirent se, antequam ad ipsos Sacerdotes accederent, suisse per suam contritionem reconciliatos. Quod tamen videtur absurdum.

Probatur denique ex verbis Christi ad Apostolos: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quæ quidem explicata ad litteram, ut exponi debent, cum ex ea expositione nullum sequatur absurdum, clare significant vere per absolutionem Sacerdotalem peccata dimitti. Expositionem illam litteralem confirmant Patres iis in locis, ubi cum admiratione perpendunt, absolutionis virtutem, qua fit ut quæ ligantur in terris, ligentur & in cœlis, & e contra, quæ solvuntur in terris, solvantur & in cœlis.

Objicies primo. Sensus horum verborum: *Ego te absolvo*, non potest esse ejusmodi: *Remitto tibi peccata tua*, siquidem falsus est sensus ille, in iis saltem, qui per perfectam, & intensissimam contritionem justificati ad Sacramentum accedunt: Ergo minister vere per absolutionem peccata non remittit.

Resp. concesso ant. neg. conseq. ad cujus probationem dico nihil quidem id vetare ex parte ministri, unde quantum in ipso est, verum affirmat cum ait: *Ego remitto tibi peccata tua*, sed nonnumquam est impedimentum ex parte pœnitentis, nempe vel ejus indispositio, vel præcedens ipsius justificatio: unde sensus absolutionis Sacramentalis est hujusmodi: *Impendo tibi Sacramentum absolutionis, quod ex se vim habet remittendi peccata.*

Objicies secundo. Absolutioni prærequiritur contritio: Ergo & justificatio, cum vera contritio cum reatu peccari mortalis componi minime possit.

Resp. neg. conseq. ad cujus prob. dico contritionem perfectam, seu quæ ex intenso Dei amore super omnia oritur, componi quidem non posse cum reatu peccati mortalis, Deo nimirum sic ordinante; sed cum eo componitur alia contritio, quam Theologi imperfectam dicunt: ordinarie enim pœnitentem non justificat, nisi ubi cum absolutione actu conjuncta fuerit: Rationes quibus ea responsio nititur, pag. 344. ac sequentibus legere est.

Conclusio secunda. Absolutio producit gratiam sanctificantem in recipiente.

Probatur ex Concilio Tridentino, quod secutum traditionem Patrum definiit Sacramenta novæ legis ex opere operato producere gratiam in recipientibus; Sacramenta quidem mortuorum, ut est pœnitentia, primam gratiam; Sacramenta vero vivorum, secundam tantum, saltem per se, & ex primaria Dei institutione. Alia argumenta quibus nostra conclusio contra recentiores hæreticos ostenditur, pag. 317. 318. fuse pertractata sunt.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Ritibus Sacramenti Pœnitentiæ.

SAcramentum Pœnitentiæ (ut suis locis ostensum est) constat ex quatuor partibus, Contritione, Confessione, Satisfactione, Absolutione.

Quod ad Contritionem spectat, cum mere sit interna, nullum habet conjunctum sibi ritum præter argumenta quibus illius veritas, supernaturalitas, ac universalitas ostenduntur: ea vero argumenta lector hujusce Commentarii pag. 321. 322. 323. 324. uberius explicata reperiet.

Ritus qui ad confessionem spectant, reducuntur 1. ad

ad ministrum. 2. ad materiam. 3. ad modum quo fieri debet confessio.

Ostensum est pag. 395. ministrum confessionis esse quidem jure divino solum Sacerdotem, id tamen non impedit quin pluribus sæculis fideles, urgente necessitate, laicis confessi fuerint, non quidem ut ab eis absolutione donarentur, sed humilitatis exercendæ causa.

Demonstratum est pag. 394. Majores nostros solitos fuisse peccata venialia confiteri, licet non censerent ea esse necessariam Sacramenti materiam. Pagina 394. probatum est, quod licet Ecclesia crediderit venialium confessionem jure divino non esse necessariam: eam tamen semel in anno faciendam iis hominibus injunxerit, qui certo anni tempore ejusmodi tantum peccatorum rei fuerint. Ostensum est pag. 406. pœnitentes, ex Ecclesiæ disciplina solitos fuisse dum confiterentur accusare occulti criminis socios, licet ea accusatio nihil omnino conferret, aut ad cognoscendam peccati speciem, aut illius malitiæ gravitatem.

Pagin. 409. 410, laudati sunt Patrum textus quibus evincitur fideles olim plura occulta crimina, ex Pœnitentiarii Presbyteri aut consilio, aut mandato, palam confessos fuisse: Ex secundo Pœnitentiali Andegavensi, quod quidem scriptum est undecimo sæculo, quodque Morinus noster describit ad calcem Commentarii Historici de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, evincitur pœnitentes non genuflexos, ut nunc fit apud Occidentales, sed sedentes peccata sua Sacerdoti confessos fuisse: hæc enim habet: *Tunc* (Sacerdos) *jubeat eum* (Pœnitentem) *surgere, & sedeant pariter in secreto loco, & interroget eum de peccatis suis, de invidia, de ira &c.* Finitis vero interrogationibus datisque a pœnitente responsis, idemque pœnitens dejiciebat se pronus in terram contestatus se reum esse multorum aliorum criminum quorum memoria eum fugeret: *Tunc* (verba sunt quæ ante annos 750. Regi non excerpsit ex Pœnitentiali Romano, & Pœnitentialibus Theodori Archiepiscopi Cantuariensis & Bedæ) *prosternat se pœnitens ad terram, & cum lacrymis dicat, & in his & in aliis vitiis quibuscumque humana fragilitas contra Dominum & creatorem suum aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut concupiscendo, aut delectando peccare potest, in omnibus me peccasse, & reum in conspectu Dei super omnes homines esse cognosco & confiteor.* Apud Orientales, Joannis Jejunatoris tempore, hoc est, labente sæculo sexto, Pœnitens erectus in pedes peccata sua confitebatur: *Debet autem, qui confitetur* (inquit laudatus Joannes Jejunator in sermone ad eos, qui peccatorum suorum confessionem patri suo spirituali edituri sunt) *tres Pœnitentias* (seu genuflexiones) *facere in introitu sancti altaris, terque dicere, Confitebor tibi pater, Domine Deus cœli & terræ omnia, quæ in abscondita cordis mei sunt. His dictis eum erigit confessor, & utroque stante confessor eum interrogare debet cum omni hilaritate ..... de fide, de sacrilegio, de hæresi, &c.*

Satisfactionis ritus complectitur, durationem, seu temporis quantitatem, quæ illi peragendæ quondam impendi debebat: De ea vero quantitate actum est superius a pagina 420. ad paginam 423. Complectitur secundo exteriorem antiquorum pœnitentium habitum, quem pagina 423. descripsimus. Complectitur tertio artificiales Pœnitentium Classes de quibus disseruimus a pagin. 404. ad pag. 407. Complectitur quarto secretam aut publicam tum injunctionem, tum executionem, tum Laicorum respectu tum respectu Clericorum, tum respectu peccatorum publicorum, tum occultorum respectu. Ritum illum lector reperiet fuisse pertractatum a pagina 438. ad paginam 451.

Quæ ad absolutionis ritum pertinent Theologi referunt 1. ad eos quosdam quibus etiam in exitu vitæ nonnullis in Ecclesiis negata est. 2. ad modum, quo alias tum in Oriente, tum in Occidente expressa fuit a ministris, tertio ad pœnitentium classem in qua solebat dispensari. Pagina 69. ostensum est quod licet Ecclesia priore sæculo nulli omnino crimini post baptismum commisso veniam denegarit; post medium tamen alterum sæculum, saltem aliquibus in locis, idololatriæ, mœchiæ & homicidio denegata fuerit. Pag. 455. probatum est flagitia post actam semel publicam pœnitentiam peracta, curata non fuisse per aliam absolutionem solemnem, sed per privatam, saltem Siricii Papæ temporibus. Pag. 456. 457. fuse probavimus Ecclesiam Græcam quovis sæculo actum judicialem inclusum in absolutione expressisse & nunc etiam exprimere per verba deprecativa: Eumdem modum alias usurpatum fuisse apud plures Latinorum Ecclesias ostensum est a pagina 458. ad paginam 459. Variæ praxes, quæ in approbatione ministrorum absolutionis observatæ sunt, descripsimus a pagina 461. ad paginam 465.

In qua autem pœnitentium classe Sacramentalis absolutio conferretur, facile colligi potest ex canonibus Nicæni prioris Concilii canone 13. absolutio, quæ per viaticum designatur, expresse distinguitur ab Eucharistiæ participatione: Illud vero viaticum cuique in extremis posito modo tamen sanus pœnitentiæ laboribus præfungi cœperit, indulgeri vult laudatum Concilium: Post expletam igitur Substrationem, & antequam Pœnitens Consistentibus daret nomen, Majores nostri absolutionem lapsis impendebant: *De his* (pœnitentibus) *qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur: ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur ..... Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debebit.* Concilium Ancyranum eidem praxi favet canone 6. Eos enim fideles, qui non ex idolothytis quidem, sed ex cibis quos ipsi detulerint, in loco Ethnicorum festis consecrato convivati fuerint, post biennium in substratione recipi (id est absolvi) imperat, Eucharistica vero communione donari ubi Episcopus probaverit: *De his qui festis diebus gentilium, in remotis eorum locis convivia celebrarunt, cibosque proprios deferentes, ibidem comederunt: placuit post pœnitentiam biennii eos suscipi, utrum vero cum oblatione, singuli Episcoporum, probantes vitam eorum, & singulos actus examinent.* Morem eumdem apud Occidentales viguisse confirmat Sozomenus Histor. lib. 7. cap. 16. ubi Nectarii occasione sic de Romanorum disciplina loquitur: *Elapso demum præfinita die, pœna jam quasi debita exoluta* (in Substratione) *a peccatis* (reus) *absolvitur, & populo* (fideli, ac proinde in Consistentia) *in Ecclesia conjungitur.* Velim tamen hic lector observet mulieres, quæ (ut suo loco dictum est) propter adulterium occultum, non Substratione, ne scilicet venirent in maritorum suspicionem, sed Consistentia damnabantur, a peccatis absolutas non fuisse, nisi ubi secreto pœnas exolvissent in Consistentia, quas viri ejusdem sceleris rei exolvebant in Substratione: *Eas autem* (inquit Basilius Epist. Canonicæ ad Amphilochium canon 34.) *stare sine communione jusserunt* (Patres) *donec impleretur tempus pœnitentiæ.* Velim observet iterum eos, qui propter levia delicta a communicantium cœtu dimittebantur ad Consistentiam, mox a confessione, & ante adimpletum Consistentiæ tempus absolutionem consecutos fuisse: Nec mirum (ut enim observatum est cum superius actum fuit de variis Pœnitentium classibus) Consistentes sola Eucharistiæ participatione a fidelibus differebant.

Antequam huic de Pœnitentiæ ritibus quæstioni finis imponatur, explicemus necesse est, quo anni tempore quibusve ceremoniis fieret tum publica, tum privata Pœnitentium per absolutionem reconciliatio.

Quod ad primum spectat, certissimum est publicam pœnitentium reconciliationem in Ecclesia Romana ac plerisque Occidentalibus fieri solitam fuisse feria quinta in Cœna Domini: *De Pœnitentibus vero* (inquit Innocentius Papa I. Epistol. 1. capite 7.) *qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Dictum est consuetudinem il-

lam

laam obtinoisse in *plerisque* Occidentalibus Ecclesiis, quod in Ecclesia Mediolanensi S. Ambrosii tempore ritus, de qoo agitur, in Parasceve Sabbati sancti peragerctur: *Nuntiatar Imperatorem jussisse* (inquit mox laudatos Ambrosius Epist. 33. ubi describit tumultum Mediolani excitatum ne Basilica Catholica Arianis traderetur) *ut recederent milites de Basilica ... Quæ taac plebis totius lætitia fuit? Quis totius populi plausus? Quæ gratia? Erat autem dies quo se se Domiaus pro aobis tradidit, quo ia Ecclesia pœaitentia relaxatur.* Peragebator quoque apud Hispanos eadem Parasceves die: *Comperimus* (inquiont Patres quarti Concilii Toletani can. 7.) *quod per noanullas Ecclesias ia die sextæ feriæ passionis Domini, clausis Basilicarum foribus, nec celebratur officium, nec passio Domiai populis prædicatur .... Oportet eadem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis nunciandum voluit, prædicari atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare; ut in pœniteatiæ compunctione mundati, venerabilem diem Domiaicæ Resurrectionis, remissis iaiquis actibus, suscipere mereamur, corporisque ejas & sanguiais Sacramentum mundi a peccatis sumamas.* Ubique tamen apud Occidentales disciplinam, cujus Innocentius Papa I. meminit postea obtinuisse demonstraot tum Pontificalia, tum Sacramentaria, tum Ritualia, tum Pœnitentialia quæ post sextum sæculum exarata sunt.

Advertat lector locis mox relatis agi de *publica* reconciliatione, sicut enim privata pœnitentia qualibet anni die injungebatur: ita & privata reconciliatio qualibet die solebat indolgeri: unde isti, nec Pontificalia, nec Sacramentaria, nec Pœniteotialia, oec collectores canonum certam quamdam diem præfigunt. Advertat rursus quod licet absolotio privata quolibet die indiscriminatim conferretur, passim tamen dispensari soleret paschali tempore. Hinc Pœnitentialia, Sacrameotaria, Pontificalia fideles monent ut ineunte quadragesimali tempore confiteantur quo io Cœna Domini reconcilieotur: *In primis* (inquit Alcuinos lib. de Divinis officiis cum agit de capite jejunii) *præmonere debet Sacerdos omnes Christiaaos ex sacris Scripturarum testimoaiis, quatenus in capite jejunii, hoc est, hodie ad veram confessionem, veramque pœnitentiam festiaantius accedaat .... Denique admonendi sunt ut ia Cœaa Domini redeaat ad reconciliationem, sicut ia coasequcatibus dicetur. Si vero interest causa aut itineris aut cujuslibet occapationis, aat ita forte hebes est, ut ei hoc Sacerdos persuadere nequeat, iajungat ei tam quadragesimalem quam aanaalem pœaiteatiam, & recoaciliet statim.*

Quæ autem spectant ad ceremonias in ea pœniteotium recoociliatione adhiberi solitas; feria quinta in Cœna Domini in veteribus Sacrameotariis legere est. In antiquissimo Romano, ad feriam quintam io Cœna Domini post orationes Missæ hæc habentur. *Ordo ageatibus publicam pœnitentiam: Egreditur pœaitens de loco abi Pœnitentiam gessit, & ia gremio præsentatur Ecclesiæ, prostrato omni corpore ia terra, & postulat ia bis verbis Diaconas. Adest, o venerabilis Poatifex, tempus acceptam, dies propitiationis divinæ & salutis bumaaæ.... Inde est quod supplex grex tuus, posteaquam in varias formas criminum, neglectu maadatorum cælestium..... cecidit, bumiliatus atque prostratus propbetica ad Dominum voce clamet: Peccavi, impie &c. Hinc ergo dum ad pœaitudinis actionem tantis excitatar exemplis, sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ veacrabilis Pontifex protestatur & dicit, Iniqaitates meas ego cogaosco &c.... Quo ita supplicaute & misericordiam Dei afflicto corde posceate iterum Archidiaconus subjungat, sic diceas, Rediategra ia eo, Apostolice Pontifex, quidquid diabolo suadente corruptum est.... Post boc admonetur ab Episcopo sive alio Sacerdote, at quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. Adesto Domine supplicatioaibus aostris, &c.... Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo diguum pœnitentiæ fructum &c..... Omaipoteas sempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tao pro tua pietate peccata relaxa, Per Dominum, &c..... Omnipotens & misericors Deus qui peccatorum indalgeatiam in confessione celeri posuisti, succurrere &c. Deus qai confitentium tibi corda purificas & accusantes suas conscientias ab omni viaculo iniquitatis absolvis .... Omnipoteas & misericors Deus qui peccatorum indalgentiam &c. .... Deus qui coafiteatium tibi corda purificas &c.* Similia legi possunt in edito Ordine Romano. Sed hæc de ritibus Sacramenti Pœnitentiæ satis sint.

FINIS DISSERTATIONIS SEXTÆ

De Pœnitentia.

DISSERTATIO SEPTIMA.

De Extrema Unctione.

VARIA funt hujufce Sacramenti nomina. Primo. A materia ex qua conftat, vocatur a Græcis, *Oleum fanctum*; in eorum fcilicet Euchologio huncce titulum legere eft, *Officium Olei fancti*. A Latinis dicitur vel *Oleum*, fine addito, vel Oleum cum hac additione, Sacrum Chrifmatis oleum: *Quod* (Verba nempe Iacobi. Infirmatur quis in vobis &c.) *non eft dubium* (inquit Innocentius Papa I. ad Decentii confultationes refpondens) *de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere qui fancto oleo chrifmatis perungi poffunt*. Secundo. A materia & forma fimul fumptis appellatur a Græcis, *Oratio cum oleo*, juxta illud Epift. S. Jacobi 5. *Orent fuper eum ungentes eum oleo*. Tertio. A fubjecto a quo recipitur, dicitur a Latinis Unctio infirmorum; Sacramentum exeuntium: *Inftituta eft autem* (ait Concilium Tridentinum feff. 14. cap. 1. de Sacram. Extremæ Unctionis) *facra hæc unctio infirmorum &c. Declarat etiam* (inquit mox laudata Synodus cap. 3.) *effe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præfertim qui tam periculofe decumbunt, ut in exitu vitæ conftituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur*. Quarto. Ex ordine quem habet ad alias unctiones quæ iftam præcedunt, dicitur, *Unctio Extrema*: Eæ autem unctiones quæ iftam præcedunt funt unctio Catechumenorum in pectore & inter fcapulas; unctio baptizatorum quæ fit in fummo vertice: Unctio quæ per Epifcopos fit in fronte, quæque alio nomine *Confirmatio* dicitur; Unctio Chrifmatis qua Sacerdotum manus, Epifcoporum vero dum ordinantur, tum manus tum caput inunguntur; Unctio qua Reges inaugurantur; Unctio denique qua fpeciali ritu confecrantur inftrumenta ad facrificium neceffaria. Quinto. Hoc Sacramentum a ratione quadam fibi intrinfeca vocatur *Pœnitentiæ confummativum*, Hæc enim ait Concilium Tridentinum: *Vifum eft autem fanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea quæ fequuntur de Sacramento Extremæ unctionis: Quod non modo Pœnitentiæ, fed & totius Chriftianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia effe debet, confummativum exiftimata eft a Patribus*. Ea ratione adducti quidam apud Græcos miniftri, unctionem olei poft auditam peccatorum confeffionem injungebant fatisfactionis Sacramentalis loco: quem quidem morem Innocentius Papa IV. ad Epifcopum Tufculanum fcribens, hifce verbis profcripfit: *Nullis autem per Sacerdotes vel Confeffores pro fatisfactione Pœnitentiæ unctio aliqua folummodo injungatur*.

QUÆSTIO PRIMA.

De effentia Extremæ Unctionis.

CONCLUSIO. Extrema Unctio recte definitur Sacramentum, quo confertur gratia fanctificans, & datur jus ad auxilia fpecialia quæ neceffaria funt ut quis patienter ferat morbi incommoda, recuperetve corporis fanitatem ubi animæ faluti expedierit.

Probatur primo. Quod Extrema Unctio fit Sacramentum, patet ex eo quod fit *Ceremonia fenfibilis* pofita nimirum in unctione & exteriori Sacerdotis oratione, *permanenter inftituta a Chrifto*, ut oftendetur inferius ubi dicetur de hujufce facri ritus authore, *qua datur gratia fanctificans*, ut probabitur cum de hujus Sacramenti exiftentia contra hæreticos differetur, juxta illam Jacobi fententiam: *Si in peccatis fit, dimittentur ei*. Secundo. Quod per unctionem extremam detur *Jus ad auxilia fpecialia quæ neceffaria funt ut quis patienter ferat morbi incommoda*, demonftrant hæc ejufdem Jacobi verba: *Oratio fidei falvabit infirmum*. Tertio. Quod interdum corporis fanitatem reftituat, innuunt hæc alia ejufdem Apoftoli verba: *Alleviabit eum Dominus*. Verum fingulæ partes ex quibus conftat ea definitio, fufius exponentur, ubi tum de exiftentia, tum de effectu hujufce Sacramenti difputabimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

De exiftentia Sacramenti Extremæ Unctionis.

DUO hic examini fubjiciemus. Primo. Quæremus quinam tum ex antiquis tum ex recentioribus hæreticis negaverint unctionem extremam effe Sacramentum novæ legis. Secundo. Proponemus ac defendemus Ecclefiæ hac de quæftione doctrinam.

CAPUT PRIMUM.

Quinam tum ex antiquis tum ex recentioribus fectariis Extremam Unctionem expunxerint ex albo Sacramentorum novæ legis.

HOC in capite quæftio erit præcipue de Vvaldenfibus, Albigenfibus, Vvicleftis, Huffitis, Lutheranis, Calviniftis.

Conclufio prima. Vvaldenfes Extremam Unctionem non expunxerunt ex Sacramentorum albo: Conclufio illa eft contra Bellarminum, qui libro unico de Sacramento Extremæ Unctionis cap. 1. fic loquitur: *Hæretici permulti ritum unctionis infirmorum e numero Sacramentorum auferre conati funt. Primo Vvaldenfes, ut referunt Æneas Sylvius, lib. de origine Boemorum cap. 35. & ante eum Guido Carmelita in Summa de hæreticis.*

Probatur 1. ex fidei profeffione quam Vvaldenfes

Ula-

Uladislao Regi obtulerunt: in ea autem fidei professione admittunt 1. septenarium Sacramentorum numerum: *Sacramenta* (inquiunt) *septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus*. Secundo. Duplicem agnoscunt in Extrema Unctione effectum: *Ægrotantium unctio* (inquiunt) *duo in se tenet: Primum, causam facilioris ingressus ad languentes: Hac re Sacramentum non est. Alterum est res ipsa signata tali unctione, quæ tribuitur a Deo in Christo. Pro qua re in recta fide, ut languenti fideli id condonetur præcipue orandum est, B. Jacobi præcepto, Infirmatur quis in vobis &c.*

Probatur secundo ex eo quod facili negotio solvi possint quæ tum ex Reynero, tum ex Ebrardo, tum ex Philcdorsio, tum ex Ænea Sylvio VValdensium impugnatoribus objici solent ab adversariis.

Objicies. Reynerus (secundum alios) libro quem adornavit adversus VValdenses capite 5. sic loquitur: *Sacramentum Unctionis etiam reprobant*: Sic etiam loquitur Ebrardus lib. contra VValdenses cap. xi. *Inunctionem olei subsannantes, nec chrisma nec oleum sibi poscunt*. Sic etiam Philcdorsius tom. 25. Maximæ Bibliothecæ Patrum folio 291. in libro quem scripsit contra VValdenses cap. 25. *Item reprobant VValdenses hæretici Chrismatis, & Olei unctiones*. Sic tandem Æneas Sylvius in historia Bohemorum cap. 35. *Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam Unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minime numerant*. Ergo VValdenses nusquam Extremam Unctionem admiseront tamquam verum legis novæ Sacramentum.

Resp. ex locis quæ objecta sunt, male colligi VValdenses negasse Extremam Unctionem esse Sacramentum novæ legis: hoc enim unum ex iis infertur; arguisse eos quosdam abusus qui nonnullis in locis circa hujus Sacramenti usum irrepserant: Patet ea solutio ex ipso Reynero cujus hæc sunt verba: *Sacramentum unctionis reprobant* (VValdenses) *quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios*.

Eosdem abusus carpebant apud Ebrardum: seu VValdenses, cum maxime pauperes essent, non poscebant dari sibi Extremam Unctionem; quod nonnulli Sacerdotes nollent eam sine accepto ab ægrotis pretio dispensare, aut saltem id eis VValdenses imponebant: *Sacramentum Unctionis Extremæ dicunt esse ultimam superbiam. Contra Jacobi ultimo; Infirmatur quis in vobis &c. Occasio* (inquit Reynerus apud Sambovium eosdem VValdenses consutans) *quia hoc Sacramentum nulli datur sine pretio. In hoc facit pluralitas Sacerdotum. Et licet honestum sit plures Sacerdotes induci, tamen sicut Baptismus, & Confirmatio per unum dantur, sic & unctio. Item prædicant quidem nulli Sacramentum hoc debere dari, nisi qui possit habere saltem duas vaccas. Unde pauperes graviter scandalizantur. Item dicunt quod duodecim lumina sunt necessaria in Unctione: cum tamen sufficiat unicum lumen ubi Corpus Christi ministratur: quia est dignissimum Sacramentum; ita & hic.*

Philcdorsius non ait simpliciter quod VValdenses Extremam Unctionem rejicerent, sed quod improbarent consecrationem olei quod (ut suo loco dicetur) est hujusce Sacramenti materia: Unde (ut advertit Sambovius in opere doctissimo quod de hocce Sacramento adornavit contra Dallæum nuper apud Calvinistas Gallos pseudo-Evangelii ministrum, quemadmodum Calvinistæ a quibus proscribitur aquæ baptismalis per preces consecratio, non dicuntur rejicere baptismatis Sacramentum: ita nec VValdenses censendi sunt Extremam Unctionem expunxisse ex albo Sacramentorum, quod (teste Philcdorsio) olei consecrationem improbaverint.

Æneæ Syvii textus eadem ratione intelligi debet: seu (ex illo authore) VValdenses damnarunt quidem consecrationem olei quod adhibetur in Extrema Unctione conferenda, sed nusquam ipsummet Sacramentum secundum substantiam sumptum roprobarunt: id nimirum sat innuit laudatus scriptor cum ait VValdenses docuisse: *Confirmationem quam Chrismate Pontifices inducunt, & Eatremam Unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minime contineri*. Illi responso robur ad-

Juenin de Sacram.

ditur ex Innocentii Papæ III. Epist. 68. qua præscripsit ut hæc fidei professio exigeretur a VValdensibus ubi voluissent in Ecclesiæ sinum redire: *Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur*.

Conclusio 2. Nec VViclefus, nec Hussitæ negarunt unquam Extremam Unctionem esse Sacramentum novæ legis.

Probatur prior conclusionis pars. 1. Articulus, de quo agitur, non reperitur inter VViclefi articulos quos Concilium Constantiense sess. 8. specialiter & nominatim proscripsit. 2. Nec ipse VViclefus errorem hunc recenset in Trialogo: licet tamen eo in libro specialiter expresserit alios omnes errores quos tuitus est.

Probatur altera conclusionis pars. 1. Articuli Joannis Hus damnati fuerunt in Concilio Constantiensi sess. 15. Hujus tamen Concilium nequaquam meminit. 2. Joannes Hus non aliud de Extrema Unctione docuit quam Joannes VViclef, cujus probabat doctrinam, ut patet ex ejusdem Joannis Hus artic. 25. qui sic refertur sess. 15. Concilii Constantiensis: *Condemnatio quadraginta quinque articulorum Joannis VViclef per Doctores facta, est irrationabilis & iniqua & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo quod eorum nullus sit Catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus aut scandalosus*. Ergo cum (ut ostensum est) Joannes VViclef Extremam Unctionem non expunxerit ex Sacramentorum albo: ita nec Joannes Hus.

Objicies Æneas Sylvius in Epistola ad Cardinalem Carvaial, asserit Extremam Unctionem nihili ab Hussitis factam fuisse. *Ex Sacramentis Ecclesiæ* (inquit) *Baptismum, Eucharistiam, Matrimonium, Ordinemque recipiunt. De Pœnitentia parum sentiunt. De Confirmatione & Extrema Unctione nihil*. Ergo &c.

Resp. Hussitas licet Confirmationem & Extremam Unctionem tamquam vera novæ legis Sacramenta defenderent, parum de iis recipiendis curasse, saltem juxta ritus qui observantur in Ecclesia Romana: Unde a Concilio Constantiensi sessione ultima qui de Hussitarum hæresi suspectus esset, sic interrogari jubebatur: *Utrum credat quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis vel Extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter*. Eum Extremæ Unctionis contemptum Æneas Sylvius in Hussitis carpit, non autem eorum de illius veritate doctrinam.

Conclusio 3. Elapso proximo sæculo plures Sectarii Extremam Unctionem expunxerunt ex albo Sacramentorum novæ legis.

Probatur enumeratione. 1. Lutherus hæc habet lib. de Captivit. Babylon. *Huic ungendorum infirmorum ritui duas additiones sese dignas addiderunt Theologi nostri.* (Catholicis loquitur) *Unum quod Sacramentum appellant. Alterum quod Extremam faciunt. Sitque nunc Sacramentum Extremæ Unctionis, quæ nisi in extremo vitæ agentibus periculo dari non debeat*. Confutat deinde eosdem Catholicos quod unctionem de qua agitur, Extremam appellent: *Forte* (inquit) *ut sunt arguti dialectici, relativam fecerunt ad unctionem primam Baptismi & sequentes duas, Confirmationis & Ordinis*. Impugnat quoque Catholicorum argumentum ex Epistola Canonica Jacobi petitum. *Verum* (ait) *habent hi quod in os mihi retundant, nimirum quod authoritate Jacobi Apostoli, hic promissio & signum sit, quibus Ego Sacramentum constitui hactenus dixi. Ego autem dico: si uspiam deliratum est, hoc loco præcipue deliratum est. Omitto enim quod hanc Epistolam non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant, licet consuetudinem authoritatem, cujuscumque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset Apostoli, dicerem non licere Apostolo sua authoritate Sacramentum instituere: hoc enim ad Christum solum pertinebat*.

2. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 19. §. 18. sic de hocce Sacramento mentem aperit suam: *Fictitium Sacramentum est Eatrema Unctio: histrionica hypocrisis, qua citra rationem & sine fructu Apostolos referre volunt*.

Tertio. Apud Sambovium disp. 1. art. 1. Chamierus Calvinistarum apud Gallos nuper minister, con-

fessus est verba Jacobi: *Infirmatur quis in vobis, &c.* non ad Apostolorum tantum tempora spectare (ut Calvino visum fuerat) sed etiam ad nostram usque ætatem; verum addit non inde tamen colligi quod sit novæ legis Sacramentum; Contendit nempe lib. 4. de Sacram. cap. 21. Patrum textibus *probari tantum unctionem fuisse in usu, non probari vero eam unctionem esse Sacramentum. Quorum illud* (ait ibidem) *non imus inficias neque enim tam ignota nobis historia Ecclesiæ. Sed quæstiones distinguimus: & quamvis credamus perperam continuatum usum post sublatum donum sanationum: sicut perperam continuata lumina medio die ex primo usu nocturna, & linguæ Latinæ ex Latinorum consuetudine; tamen non tam sumus faciles ut persuaderi possimus omnes ritus usurpatos in Christianorum usu fuisse Sacramenta, vel eorum luminum exemplo, quorum necessitate manifeste sublata, necesse fuit allegorias comminisci.*

4. Ibidem apud eumdem Sambovium, (Dallæus Calvinista a Chamiero in hoc distat) quod putet Extremam Unctionem nullo in usu fuisse apud veteres: his vero rationibus utitur. *Primo* (inquit) *nulla ejus mentio occurrit in omnibus, qui plurimi supersunt 2. & 3. sæculi libris. 2. Ne quarti quidem sæculi Patres eam memorarunt, dum accurate sacra Christianæ Ecclesiæ instituta, ritus, Sacramenta, explicant. 3. Veteres sex priorum sæculorum scriptores, dum piorum mortes describunt, nullam Extremæ Unctionis mentionem faciunt. 4. Quinti sæculi & sequentium ad nonum scriptores de mortibus piorum, Eucharistiæ ab iis sumptæ meminere sæpius, unctionis infirmorum nunquam. 5. Pœnitentibus in exitu nulli veterum ad nonum sæculum Extremam Unctionem vel negasse vel concessisse leguntur, quibus tamen Eucharistiam alii quidem, ut vetustissimi, negant: alii, ut qui anno 325. deinceps vixerunt, concedunt. 6. Extrema Unctio occurrit quidem sæculo septimo, sed ab Extrema Unctione Pontificiorum longe diversa est. 7. Denique illa vetus unctio sæculo 12. in eam Extremam Unctionem transiit quæ tunc est in usu apud Pontificios.*

Caput Secundum.

Defenditur Ecclesiæ fides de existentia Sacramenti Extremæ Unctionis.

Ecclesiæ Catholicæ fidem circa existentiam Sacramenti Extremæ Unctionis Tridentina Synodus complectitur sess. 14. Capite 1. quod de hocce sacro ritu inscribitur, hæc autem habet: *Instituta est autem sacra hæc unctio infirmorum tamquam vere & proprie Sacramentum novi Testamenti.* Canone 1. anathema iis dicitur qui contrarium ausi fuerint asserere: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum & a beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.* Illud sacræ Synodi dogma & Scriptura & Traditione nititur: quem quidem duplicem Catholicæ veritatis fontem seorsim duobus subsequentibus exponamus articulis oportet.

Articulus Primus.

Utrum ex Scriptura probari possit Extremam Unctionem esse Sacramentum novæ legis?

Conclusio. Potest ex Scriptura demonstrari Extremam Unctionem esse vere & proprie Sacramentum novæ legis.

Probatur. Tria requiruntur ad Sacramentum novæ legis: Signum sensibile, promissio gratiæ, institutio divina. Atqui potest ex Scriptura probari tria illa reperiri in ritu quem Catholici Extremam Unctionem appellant. Ergo &c. Probatur minor propositio ex cap. v. Epistolæ Canonicæ Jacobi ubi hæc habentur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Iis autem in verbis reperitur 1. Signum sensibile, unctio nimirum olei cum oratione fidei, quod quidem signum ab Apostolorum temporibus ad nostram usque ætatem in usu fuisse tum articulo sequente tum ex dicendis de illius necessitate, demonstrabitur. 2. Unctio quæ peccata remittit, adjunctam habet divinam de collatione gratiæ promissionem. Atqui Unctio de qua Jacobus, remittit peccata: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* 3. Institutio divina in eo elucet quod homo elementum reddere non possit efficax ad producendam gratiam. Ergo, cum Jacobus constanter affirmet, oleum cujus meminit, conferre gratiam, supponit ipsum a Christo elevatum fuisse ut illum effectum operetur.

Responder Lutherus 1. Jacobi Epistolam non esse Canonicam; ac proinde levis esse roboris quod ex ea petitur argumentum. 2. Quod etiamsi supponatur eam Jacobi esse, nihil inde tamen conficiant Catholici: Siquidem, *si esset Jacobi Apostoli* (inquit) *dicerem non licere Apostolo sua authoritate Sacramentum instituere. Hoc enim ad Christum solum pertinebat.*

Verum nullius est momenti duplex illa responsio. Primo Concilia Laodicenum, Carthaginense tertium, vetustissimi Patres, Origenes hom. 7. in Josue, Athanasius in synopsi, Epiphanius hæresi 76. Hieronymus ad Paulinum, Augustinus libro 2. de doctrina Christiana cap. 8. Antiqui Romani Pontifices, Innocentius Papa 1. Epist. 3. & Gelasius Epistolam de qua agitur, tamquam Canonicam admisere. Iis autem authoribus si detrahatur fides, corruent argumenta quibus probatur aliorum Scripturæ librorum authenticitas. Secundo. Verum est non licere Apostolo propria authoritate Sacramentum instituere; Ergo ubi Apostolus alicujus usum commendat, ut Jacobus usum Extremæ Unctionis, concludi debet ipsum non ab Apostolo, sed ab ipsomet Christo institutum fuisse.

Respondet Calvinus Jacobæam unctionem non contulisse gratiam quæ sanctificet: sed unam tantum corporis sanitatem, quam Apostoli (ad fidei commendationem) miraculose operarentur; unde colligit frustra nunc adhiberi unctionem illam, cum gratia curationum jam diu evanuerit: *Cæterum* (inquit lib. 4. Instit. cap. 19.) *evanuit gratia illa curationum quemadmodum & reliqua miracula; Ut igitur maxime demus Unctionem Sacramentum fuisse earum virtutum, quæ tum per manus Apostolorum administrabantur: nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum administratio commissa non est.*

Sed facile præcluditur illud effugium. Falsum est quod Jacobus loquatur de unctione quæ ex miraculorum dono, corporis sanitatem restitueret. Nam 1. non ægrotis seu iis, qui propter morbum decumbunt, sed aliis miseris hominibus, ut sunt claudi, cæci, jussisset applicari oleum: siquidem miraculosa curatio ad omnes defectus extenditur. Cur ad operandum miraculum præcepisset advocari Presbyteros? dato enim quod eo nomine Seniores (ut volunt adversarii) non autem Sacerdotes intelligantur, non erat cur ipsos etiam Seniores Jacobus juberet advocari, quippe quod non omnes Seniores donum haberent curationum: In suppositione igitur adversariorum, Prophetæ aut alii quibus concessum fuisset curationum donum, appellari debuissent. 3. Si quæstio esset de miraculis, Jacobus nullam materiam præscripsisset: neque enim donum curationis alligatum est alicui materiæ: unde Paulus sudariis, semicinctiis, Petrus umbra sanitatem infirmis restituisse leguntur. 4. Non agi tantum in Jacobi loco de sanitate corporis, demonstrant hæc illius verba: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quinto Jacobæam sententiam non pertinere ad eos solum Christianos qui viverent Apostolorum tempore, evincitur ex eo quod ea, quæ laudatam sententiam tum præcedunt, tum sequuntur, ad omnes omnium temporum fideles spectent: *Patientes estote. Confirmate corda vestra. Nolite jurare. Tristatur quis in vobis? oret; æquo animo est? psallat. Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini.*

Cur

Cur ergo ista quæ eodem tenore Jacobus scripsit: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* non pertinerent ad omnes omnium temporum fideles.

Respondent ad idem argumentum alii Sectarii unctionem a Jacobo commendatam habere pro fine præcipuo corporeæ sanitatis restitutionem, cum ejusmodi restitutionis laudatus Apostolus meminerit antequam recenseat peccatorum remissionem: *Et oratio fidei* (inquit) *salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei*: Ac proinde ea unctio non potest esse Sacramentum novæ legis, cum Sacramenta, ex Augustino Enchiridii cap. 66. *Magis ad spem futurorum bonorum quam ad retentionem, vel ademptionem præsentium pertineant.*

Sed evertitur facile fundamentum adversariorum: neque enim (ut volunt) sequitur restitutionem corporeæ sanitatis esse *primarium* effectum unctionis extremæ; ex eo quod primo loco recenseatur a Jacobo. Siquidem (ut recte ratiocinatur Sambovius) vel eo loco recensetur quia effectus est magis notus, vel quod apertius correspondeat his verbis antecedentibus: *Infirmatur quis in vobis?* Solutio ex eo confirmatur quod dicitur Mathæi 19 de homine qui Christi causa patrem aut matrem dimiserit: *Centuplum accipiet & vitam æternam possidebit*: Quæ quidem verba: *Centuplum accipiet*, mercedem exprimunt quæ in hac vita rependetur, ac proinde minus est præcipua licet priore loco nominetur: lex affulget ex Marci contextu: *Nemo est* (inquit) *qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc domos & fratres & sorores & matres & filios & agros cum persecutionibus & in sæculo futuro vitam æternam.* Eodem spectat hæc Lucæ 28 *Et non recipiet multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.*

ARTICULUS SECUNDUS.

An probari possit ex Traditione Extremam Unctionem esse Sacramentum novæ legis?

CONclusio. Probari potest ex Traditione Extremam Unctionem esse Sacramentum novæ legis.

Proferuntur testes septem priorum sæculorum.

Origines hom. 2. in Leviticum ubi recenset sex modos quibus in nova lege peccata remittuntur, septimum recenset positum in Pœnitentia complete & perfecte sumpta, seu in Sacramento Pœnitentiæ, & in Sacramento Extremæ Unctionis: *Est adhuc* (inquit) *& septima, licet dura & laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundum eum qui ait, Dixi pronunciabo adversum me injustitiam meam Domino; Et tu remisisti impietatem cordis mei. In quo impletur & illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Origenes eo loci duplex Sacramentum conjungit quod illud, nempe Extrema Unctio, fit ex Patribus, *Consummatio atque perfectio Pœnitentiæ Christianæ*: Licet vero utrumque conjungat, tamen unum distinguit ab alio, cum illi, seu Extremæ unctioni, materiam assignent quæ Pœnitentiæ Sacramento nequaquam convenit: *Ungentes* (inquit) *eum oleo in nomine Domini.* Inunctionem illam non esse effectu vacuam, ut sunt instituti ab Ecclesia ritus: sapponit Origenes cum asserit ejusmodi unctione cum oratione conjuncta peccata dimitti: *In quo* (loquitur de remissione peccatorum) *impletur & illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatar &c. ungentes eum oleo &c.*

Patet igitur primo. Origenis tempore perdurasse in Ecclesia *inunctionem olei*, quam Jacobus Epist Canonicæ cap. 5. commendarat. Patet secundo eam unctionem ritum fuisse diversum a Sacramento Pœnitentiæ præcise sumpto. Patet tertio persuasum fuisse eidem Origeni ritum illum esse Sacramentum proprie dictum, seu signum sensibile quod ex institutione divina gratiam conferat. Patet quarto eamdem ante Origenem fuisse hoc de sacro ritu Ecclesiæ fidem, ac Origenis tempore: neque enim quæ de olei unctione scribit, recenset tamquam rem quæ tunc inciperet, sed tamquam rem quæ ab Apostoli Jacobi tempore in Ecclesiis obtineret.

Chrysostomus qui IV. sæculo floruit lib. III. de Sacerdotio hæc habet: *Neque enim solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: Infirmatur* (inquit) *inter vos aliquis? accersat Presbyteros.* Iis verbis Chrysostomus definit Sacerdotes peccata dimittere cum illud Jacobi: *Infirmatur quis in vobis &c.* mandat executioni: ac proinde cum orantes, oleo infirmos inungunt. Censuit igitur præscriptum a Jacobo ritum esse proprium ac verum Sacramentum novæ legis.

Nec obstat quod Chrysostomus olei expresse non meminerit: quippe qui laudet Jacobæam sententiam. *Infirmatur quis in vobis*, in qua quidem sententia olei explicita fit mentio. Non obstat quoque quod idem S Doctor virtutem dimittendi peccata adscribat orationi: Neque enim de simplici oratione loquitur, sed de Sacramentali: loquitur nimirum de oratione, quam cum Sacerdos profert, utitur potestate quam per Christum accepit dimittendi peccata, ei prorsus simili qua donatus est cum institutus fuit baptismatis minister: *Neque enim solum, cum nos regnerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Ergo quemadmodum oratio per quam Sacerdos in baptismate peccata dimittit, est oratio Sacramentalis: ita & ea per quam, cum inungit infirmos, peccata remittit.

Circam annum 402. Innocentius Papa I. a Decentio Eugubino Episcopo quæsitus est. Primo. *Utrum hæc Jacobi verba: infirmatur quis in vobis &c.* intelligi debeant de infirmis oleo per Sacerdotes inungendis. 2. An, ex suppositione quod intelligi debeant de infirmorum unctione, soli Presbyteri, an etiam Episcopi, illam inunctionem perficere possint. 3. Utrum quisque Laicus fidelis in sua aut suorum necessitate uti possit infirmorum oleo, quod Episcopus prius consecraverit. 4. Denique num illa olei inunctio iis qui publica pœnitentia perfunguntur, applicari debeat. Ad priorem consultationem respondet Innocentius Jacobi sententiam de unctione infirmorum intelligi debere. Ad alteram dicit non solum Sacerdotes, sed etiam Episcopos posse infirmos inungere. Ad tertiam fas esse cuique fideli uti infirmorum oleo ut suæ aut suorum infirmitati medeatur: sicut & aqua baptismatis, seu ad baptismum conferendum prius consecratæ, nonnulli utuntur, ut corporis morbos depellant. Ad quartam, negat pœnitentes, quandiu sunt in pœnitentia, seu antequam per absolutionem reconciliati fuerint, infirmorum oleo inungi posse: *Sane* (inquit Innocentius Epistola 1. quæ est ad Decentium, cap. 8.) *quoniam de hoc sicuti de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cælestinus diaconus in Epistola sua esse a tua dilectione positum illud quod in beati Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est; Si infirmus aliquis in vobis est, vocet Presbyteros: & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit laborantem, & suscitabit illum Dominus, & si peccata fecit, remittet ei; Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut posset aut dignum ducit, aliquem a se visitandum, & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam*

quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?

Ex iis Innocentii verbis constat 1. ineunte sæculo v. Majores nostros hæc Jacobi Apostoli verba, *Infirmatur quis in vobis, &c.* Intellexisse de unctione materiali, per quam infirmis peccata dimitterentur. Constat 2. ejusmodi unctionis usum eodem sæculo obtinuisse in Ecclesia cum fide quod peccata deleret. Constat proinde 3. Innocentio Papæ I. ac toti Ecclesiæ quinti sæculi persuasum fuisse ritum, quem nunc Extremam Unctionem dicimus, quique a Jacobo fidelibus commendatur, esse verum ac proprie dictum Sacramentum novæ legis.

Sed (inquies cum adversariis.) Si quinto sæculo cuique fideli ratum fuisset Jacobæum ritum esse Sacramentum quo gratia conferretur, qui fieri potuit ut Episcopus Decentius articulum illum in dubium revocaverit, ita ut de eo Pontificem maximum consulendum duxerit, Resp. 1. id nequaquam sciscitatum fuisse Decentium Episcopum, sed (ut jam observatum est) utrum a solis Presbyteris non autem ab Episcopis, cum istorum Jacobus non meminerit, conferri possit: utrum, cum peccata remittat, pœnitentibus nondum per absolutionem reconciliatis conferri debeat: utrum Laici, ex pietate, oleo consecrato se ipsos ad depellendos corporis morbos inungere possint quemadmodum abluunt se se aqua quæ baptismo consecrata sit. Resp. 2. quod quamvis Decentius aliquam ignorantiam suis quæstionibus prodidisse videatur, Innocentius ei sic occurrerit ut significaverit dubitasse Decentium ubi nullus erat dubitandi locus: *Quod* (inquit) *non est dubium &c. Cæterum illud superfluum videmus adjectum &c.*

Eodem sæculo v. Extremam Unctionem in usu fuisse, ac habitam tamquam Sacramentum, testis est Augustinus. S. Doctor in *Speculo* ait se tantum eo in libro colligere quæ præcipiuntur, aut vetantur, aut permittuntur in Novo testamento: *De his igitur,* (inquit) *quæ ita sunt posita in litteris sacris vel jubendo, vel vetando, vel sinendo ut etiam nunc, id est, tempore Novi Testamenti, ad vitam piam exercendam, moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsi, componere aggressus sum, ut, quantum me Deus adjuvat, omnia talia de Canonicis libris colligam: utque ut facile inspici possint in unum tamquam speculum congeram:* At eo in Speculo describit Jacobi verba, *Infirmatur quis in vobis, &c.* Censuit igitur sua ætate fideles advocare solitos fuisse Sacerdotes ut ab illis inungerentur, prout apud Jacobum præscribitur, ac per illam orationem cum Sacerdotum oratione conjunctam consequerentur peccatorum remissionem, cujus Jacobus expresse meminit. Credidit igitur Augustinus unctionem illam conjunctam cum oratione Sacerdotis esse signum efficax ac practicum gratiæ sanctificantis proindeque eam esse proprie dictum Sacramentum novæ legis.

Eumdem usum obtinuisse sexto sæculo ostenditur ex Gregorio Magno qui eo labente præfuit Ecclesiæ Catholicæ. In Sacramentario, Feria v. in Cœna Domini describit 1. ritum quo oleo infirmorum inunctioni destinatum consecratur. *Tunc* (inquit) *offertur Pontifici oleum, & benedicit illud tam ipse quam omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum his verbis: Emitte Domine Spiritum sanctum tuum paraclitum de cælis in hanc pinguedinem olivæ ..... ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis ad evacuandum omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.* 2. In Ordine ad visitandum infirmum, præscribit Sacerdoti, ut ante infirmi inunctionem proferat hanc orationem: *Inungo te oleo sancto, sicut unxit Samuel in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus sancti.* 3. Injungit eidem Sacerdoti, ut dum actu infirmum inungit, recitatis quibusdam psalmis, tribus orationibus pro infirmo postulet tum mentis, tum corporis sanitatem: *Et perungit eum dicens Antiphonam hanc, Sana me Domine. Psalm. Domine ne in furore tuo. Item, Antiphona, Cor contritum. Psalm. Miserere mei Deus. Deinde dicit: Oremus: Deus qui humano generi & salutis remedium, & vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat.* 4. In consummatione officii de infirmorum inunctione, hæc oratio recitanda præscribitur: *Ut mittere digneris sanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in angustiis, & necessitatibus laborantem, consolationibus tuis attollat, quibus & de præsenti consequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.* Ille inunctionis ritus idem prorsus est cum eo, quem Jacobus commendat; idem cum eo, quem hac ætate servat Ecclesia Romana. Non igitur primo tantum, & altero Ecclesiæ sæculo (ut nonnulli recentiores Sectarii scripsere) unctio a Jacobo præscripta, & nunc a Catholicis servata, apud fideles obtinuit. Oleo quo sexto sæculo inungebantur infirmi, Gregorius efficaciam tribuit ad operandam animæ, corporisque sanitatem. Ille duplex affectus postulatur a Sacerdote iis orationibus, quæ sunt forma hujusce sacri ritus. Credebant igitur fideles Gregorii tempore ritum illum esse proprie dictum Sacramentum novæ legis.

Gregorii testimonio adjungendum est exemplum quo probetur sexto sæculo infirmos morti proximos inunctos fuisse. Apud Bollandum tomo II. Februarii hæc habentur de Tresano sæculi sexti Presbytero sanctissimo: *Oleum sanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione & humilitate suscepit. Confortans itaque fratres, &c. Quæ postquam explevit, Viaticum petiit.*

Probatur 5. nostra conclusio pro sæculo VII. Theodorus qui Cantuariensis Archiepiscopus anno 668. ordinatus est a Vitaliano Papa librum Pœnitentialem edidit, ex quo Yvo Carnotensis decreti part. 15. cap. 26. hoc statutum excerpsit: *Ab infirmis in periculo mortis positis, pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen illis imponenda est quantitas Pœnitentiæ, sed innotescendo: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum studiis pondus pœnitentiæ sublevandum, si forte migraverint, ne obligati, & communione & consortio veniæ fiant alieni a quo periculo si divinitus ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum sibi a Sacerdote impositum diligenter observet & ideo secundum authoritatem Canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis* SACRA UNCTIONE OLEI INUNCTI *secundum statuta sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.*

Pœnitentiali Theodori Cantuariensis adjungere oportet exemplum sanctæ Kunegundis, quæ vixit VII. sæculo: *At illa* (inquit Surius cap. 14.) *conversa ad eos, qui illic assistebant. Presbyteros, sacræ unctionis oleum, & Eucharistiam sibi petiit ministrari.*

Proferuntur testes VIII. & IX. sæculi pro usu Extremæ Unctionis.

Grodogangus Episcopus Metensis in regula, quam Canonicis tradidit, caput sexagesimum primum sub hocce titulo conscripsit: *Pro infirmis orare & ungere eos præcipitur;* in eo autem capite laudat Jacobi sententiam: *Infirmatur quis in vobis &c.* laudat quoque responsum Innocentii Papæ I. ad Decentium.

In Excerptionibus e dictis Canonibus SS. Patrum concinnatis circa annum 750. hæc leguntur Excerptione 21. *Ut secundum definitionem SS. Patrum; Si quis infirmatur, a Sacerdote oleo sanctificato cum orationibus diligenter ungatur.* Quid, quæso, aliud ea excerptio continet, quam quæ Jacobus commendat, quam quæ his temporibus fieri præcipit Ecclesia Romana?

Labente eodem sæculo viguisse praxim de qua agitur, ac habitam fuisse tamquam Sacramentum novæ legis demonstrant Capitularia Caroli Magni; siquidem lib. 6. cap. 76. hæc leguntur: *Si infirmitate quis depressus fuerit, vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat. & si finem perspiciat, sacro sancto corpore Deo animam ejus a Sacerdote precibus* com-

commendetur. Non ad solam vero corpoream salutem, sed etiam ad animæ sanctitatem conferendam illum ritum octavo sæculo exhibitum fuisse fidelibus eodem Capitularium libro cap. 76. conceptis terminis asseritur: *Ut omnes Presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti, gratia Dei sanentur: quia oratio fidei salvabit infirmos*.

Id omne quod nunc Ecclesia Romana de Extrema-Unctione docet, expresse tradiderunt Patres alterius Concilii Cabilonensis, quod anno 813. habitum est. *Secundum Beati Jacobi Apostoli documentum* inquiunt Can. 48.) *cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent. Sic enim ait; Infirmatur quis in vobis, &c. Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus*. Iis verbis Concilium testatur 1. Unctionem quam Jacobus commendavit, in usu fuisse nono Ecclesiæ sæculo. Definit 2. cuique infirmo, idque juxta Apostoli & Patrum documentum exhiberi debere sacrum illum ritum. Docet 3. ejusmodi ritum non esse signum quolibet effectu vacuum, imo asserit esse multum efficax, tum respectu sanitatis corporeæ, tum respectu sanitatis animæ; *Medicina quæ animæ corporisque medetur languoribus*.

Aquisgranense Concilium, quod anno 836. celebratum est, non alia ratione de Extrema Unctione loquitur, quam alterum Concilium Cabilonense: *Si autem infirmitate depressus fuerit* (inquit Can. 5.) *ne confessione atque oratione Sacerdotali, necnon unctione sacrati olei per ejus* (Presbyteri) *negligentiam careat. Deinque si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo, more Sacerdotali cum acceptione sacræ Communionis, &c.*

Moguntinum Concilium quod habitum est anno 847. inunctionem sacrati olei cum Viatico conjungit: *Ab infirmis* (ait cap. 26.) *in mortis periculo positis per Presbyteros pura inquirenda est confessio. Et ideo secundum Canonicam authoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum unctione Dei animati, secundum statuta sanctorum Patrum communione Viatici reficiantur*.

Laudatis Conciliis subscribit Concilium Regiaticense, quod quidem celebratum est anno 850. *Illud quoque Sacramentum* (inquit cap. 8) *quod commendat Jacobus Apostolus dicens: Infirmatur quis; &c. solerti prædicatione populis innotescendum est: magnam sane ac valde appetendum mysterium, per quod, si fideliter poscitur, & remittuntur, & consequenter corporalis sanitas restituitur. Sed quia frequenter contingit, ut ægrotus aliquis aut Sacramenti vim nesciat, aut minus periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certe morbi violentia obliviscatur, debet eum loci Presbyter congruenter admonere quatenus ad hanc spiritualem curam secundum propriæ possibilitatis vires, vicinos quoque Presbyteros invitet*. Sectarii recentiores quibus placet priore tantum & altero Ecclesiæ sæculo unctionem Jacobæam in Ecclesia viguisse: qui asserunt periculose laborantibus datam non fuisse; qui volunt expertem eam esse spiritualis effectus: qui negant eam cum oratione Sacerdotis conjunctam verum ac proprie dictum Sacramentum constituere: Ii (inquam) Sectarii cum laudata Concilii Regiaticensis definitione, si possint, suam sententiam concilient.

Huc quoque referri possunt Heraldi Turonensis capitula quæ anno 856. promulgata sunt: Capitula Hincmari Remensis; Canones Isaaci Lingonensis, testimonium Jonæ Aurelianensis qui libro 3. de Instit. laicali cap. 14. sic loquitur: *Sunt item plerique qui dum infirmantur, aut ipsi, aut eorum parentes & propinqui, non sibi Presbyteros Ecclesiæ induci, seque sanctificato oleo, secundum traditionem Apostolicam & sanctæ Ecclesiæ morem perungi, &c.* Hic quoque laudari potest Paschasius Radbertus Corbejensis Abbas lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 8. necnon in vita Adelardi Abbatis Corbeiensis de quo hæc scribit: *Interim vero audiens Beatus vir Hildemannus Episcopus sanctum ægrotare Patrem, advenit illico. Interea cum cœpisset idem S. Episcopus a nobis percontari, utrum benedictionis oleo, sicut a Beato Apostolo sancitum est, deberet perungi: interrogavimus eum utrumne vellet; quem procul dubio sciebamus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum, quomimus obsecrabat ut fieret*.

Tantæ testium nubi nihil habent quod opponant adversarii præter argumentum ex eo petitum quod laudati hactenus Patres de unctione locuti sint quæ Eucharisticæ communioni præmittebatur; cum e contra unctio quæ non est in usu in Ecclesia Romana, post Eucharisticam communionem dispensetur. Verum nullius omnino est roboris argumentum ejusmodi. Siquidem 1. apud Græcos Eucharisticæ communioni præmittitur. 2. potest quoque præmitti etiam apud Latinos iis in locis, in quibus multis ab hinc sæculis viget usus ille, quem & restituit Parisiis Eminentissimus Cardinalis Noallius in Rituali nuper ab ipsu edito. 3. Unctionis substantia nequaquam mutatur sive præmittatur communioni, sive eam subsequatur: proindeque Unctio cujus mox laudati Patres meminere, eadem est prorsus cum ea qua jam temporis utitur Ecclesia Romana.

Laudantur testes X. XI. & XII. Sæcul. pro Extremæ-Unctionis usu.

Quo in pretio decimo sæculo esset Extrema Unctio fidem faciunt canones Ælfrici ad Vvlfinum Episcopum: *Habebit etiam Presbyter consecratum oleum duplex* (inquit mox laudatus Ælfricus Monachus qui jussu Vvlfini Episcopi Scirburnensis in Anglia circa annum 940. Canones edidit, quos legere est in volumine Conciliorum Angliæ pag. 572.) *hoc infantibus, id ægrotis præparatum: & ægrotos semper unget jacentes. Quidam vero ægroti hoc nihili pendunt, & in ægritudine sua se non concedunt ungi, &c.* Ejusdem moris testis est author vitæ S. Osvvaldi Eboracensis Episcopi: hæc enim habet de S. illo Præsule qui diem extremam clausit anno 992. *Regressus in Oratorium convocatis fratribus, hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ unctionis cum Viatico Dominici corporis:* Infirmis igitur & quidem jam jam morituris, sub finem decimi sæculi Extrema Unctio dispensari solebat.

Sæculo XI. Ecclesiam infirmos inunxisse consecrato ab Episcopis oleo testatur Vvibertus Archidiaconus in vita Leonis IX. qui obiit anno 1054. Lib. II. cap. XVI. hisce verbis ultima illius periodus describitur: *Seque intelligens vocari divini respectus miseratione &c. Quorum pia consideratio perpendens, non diutius eum retinendum carnis ergastulo, decrevit, ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præsentibus inungeretur sacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus usquequaque, muntusque Corporis & Sanguinis Domini communione, &c.*

Lanfrancus Cantuariensis qui obiit anno 1089. in Decretis pro Ordine S. Benedicti cap. 23. eidem mori suffragantur: hæc enim ait: *Si infirmitas magis ad mortem, quam ad salutem tendere videatur. & se petat inungi &c.... Interim dicantur aliæ collectæ usque ad unctionem: facta unctione lavet Sacerdos manus.... Quo facto vadat Sacerdos... Quibus revertentibus, flexis genibus adorent omnes corpus Domini quod a Sacerdote affertur*. Probant ea verba non ad salutem corpoream præcipue, sed ad gratiam conferendam præsertim, undecimo sæculo datam fuisse Extremam Unctionem: Ut quid enim si infirmitati corporeæ præcipue fuisset consultum, tam imminens vitæ periculum ad conferendam infirmo Extremam Unctionem, expectatum fuisset? *Si infirmas magis ad mortem quam ad salutem tendere videatur*.

Si perspicua sint pro Extrema Unctione testimonia scriptorum qui ante sæculum 12. floruere, clarius adhuc, si quid tamen lucis meridiano soli possit addi, loquuntur qui duodecimo sæculo floruere. Hæc habet Hugo a S. Victore qui obiit anno 1140. Sententiarum tractatu 6. cap. 5. *Est & aliud Sacramentum, scilicet unctio infirmorum, quæ fit oleo consecrato per Episcopum*. Hæc etiam scribit S. Bernardus in vita S. Malachiæ Episcopi Hyberniæ: *Jubet* (inquit cap. 31.) *se*

sacro

sacro oleo ungi. Exeunte conventu fratrum, ut solemniter fieret, non sustinuit ut ad se ascenderent: ipse descendit ad eos. Jacebat siquidem in solario in domo superiori. Ungitur & sumpto Viatico, fratrum se orationibus & fratres commendans Deo, ad lectum revertitur. Ignarus non erat sanctus ille Episcopus Ecclesiæ praxis, nec ipsa quoque Bernardum fugiebat; Ergo cum utrique ea infirmorum inunctio probata sit, probata quoque erat toti Ecclesiæ duodecimi sæculi. Petrus Lombardus qui obiit anno 1164. lib. IV. Sent. expresse agit de Extrema Unctione, probatque variis rationibus eam esse verum legis novæ Sacramentum.

Non est hic necesse ut laudemus authores qui sæculis 13. & sequentibus ad Concilium Tridentinum usque scripsere: nemini scilicet dubium est quin aperte Catholicæ fidei circa Extremam Unctionem dogma propugnaverint.

Solvuntur quæ proferuntur a Sectariis contra dogma quo propugnatur Extremam Unctionem esse proprie dictum Sacramentum novæ legis.

Objicies 1. Nec Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia, nec Clemens Romanus in libris Constitutionum Apostolicarum, meminere Extremæ Unctionis, licet priorum Christianorum mysteria, mores, regimen explicent: Ergo Extrema Unctio prioribus Ecclesiæ sæculis non fuit in usu.

Resp. primo. Origenem, tertio sæculo (ut superius ostensum est) recensuisse Extremam Unctionem tamquam ritum qui ubique tunc obtineret: oportuit ergo ut a Patribus, qui ante Origenem vixerant, traditus fuisset. Secundo. Nec author libri de Ecclesiastica Hierarchia nec author octo librorum Constitutionum Apostolicarum meminerunt Eucharistiæ quæ infirmis in exitu conferretur: Et tamen certum est quod iis, qui erant, ut par est, dispositi, in extrema vitæ periodo dispensaretur: ac proinde quamvis altum apud eos sit de Extrema Unctione silentium, concludi non debet quod prioribus sæculis periculose ægrotantibus collata non fuerit. Tertio. Ideo, (ex S. Thoma in Supplem. quæst. 29. art. 1. ad 3.) nulla fit apud Dionysium Extremæ Unctionis aut Pœnitentiæ aut Matrimonii mentio: *Quod* (ut loquitur S. Doctor) *ipse non intendat determinare de Sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest Ecclesiastica Hierarchia ordinata dispositio quantum ad Ministros, & actiones Ministrorum & recipientes.*

Objicies secundo. Nullus e Scriptoribus qui sex prioribus sæculis priorum mores descripsere, mentionem facit unctionis qua in iis angustiis delibuti fuerint. Altum est de ea silentium apud Gregorium Nazianzenum, licet oratione XV. quæ funebris est, accurate describat ultimos suæ Sororis Gorgoniæ dies: De ea pariter silet in oratione de Gregorio Patre, de Basilio, quamvis eorum mortem pluribus describat: De ea quoque tacet Gregorius Nyssenus iis locis ubi Gregorii Neocæsariensis, Macrinæ Sororis obitus recenset. Hieronymus Nepotiani, Lucinii, Marcellæ, Asellæ, Paulæ & aliorum mortes litteris commendavit, Augustinus in suis Confessionibus enarrat Monicæ matris obitum: sed nec Hieronymus, nec Augustinus quidquam de accepta in iis angustiis Extrema Unctione loquuntur. Ergo illorum Patrum ætate nondum obtinuerat usus infirmos inungendi.

Resp. aliunde quam ex iis, qui obierunt sex prioribus sæculis, constare Extremam Unctionem infirmis fuisse collatam: Siquidem usus illius (ut suo loco demonstratum est) meminerant Origenes, Chrysostomus, Innocentius Papa I. aliique scriptores, quorum textus superius a nobis relati sunt. Proinde ex silentio quod adversarii Catholicis objiciunt, nihil contra Extremæ Unctionis usum concludi potest. Confirmatur responsio ex eo quod (ut recte Bellarminus observat) certum videatur S. Bernardum sacrato oleo fuisse delibutum antequam exiret e seculo cum ex vita S. Malachiæ constet eum plurimi fecisse Sacramentum de quo agitur, potuisseque facillime illud recipere cum suam mortem præviderit ac prædixerit: Et tamen litteris proditum non est, quod moriens eo sit Sacramento donatus. Confirmatur iterum ex eo quod nec Eusebius qui lib. tertio de Constantini Magni vita, Helenæ mortem describit; nec Gregorius qui Gorgoniæ Sororis obitum enarrat; nec Nazianzenus qui describit Basilii transitum, afferant iis hominibus datum fuisse Eucharistiæ Viaticum quod (ut suo loco probatum est) piis præsertim hominibus in exitu vitæ semper concessum est.

Objicies 3. Constans non fuit traditio quod Unctio Extrema sit Sacramentum novæ legis. 1. Hugo a S. Victore docet eum ritum non a Christo, sed ab Apostolis institutum fuisse: *Hoc Sacramentum* (inquit Sententiarum tractatu VI. cap. XV.) *institutum fuit ab Apostolis.* Hugoni subscribunt Petrus Lombardus & S. Bonaventura. At quodlibet Sacramentum novæ legis ipsimet Christo suam debet institutionem: ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. septima. 2. Dubium est, etiam inter Scolasticos, quænam sit illius materia: contendunt scilicet nonnulli esse oleum ab Episcopo consecratum, alii vero docent satis esse oleum simplex aut saltem a simplici Presbytero consecratum. 3 Incertum est quænam corporis partes inungi debeant ut Sacramentum valeat: Quinque sensuum inunctionem necessario requiri nonnulli contendunt, docent vero alii vel unius unctionem cum forma universali, conjunctam satis esse. 4. Digladiantur inter se Theologi de Unctionis effectu, utrum nempe mortalia aut solum venialia deleat: an ex opere operato sanitatem corpoream efficiat. Ergo &c.

Resp. Catholicos omnes Theologos convenire 1. Unctionem Extremam esse proprie dictum Sacramentum novæ legis: 2. materiam ex qua constat, esse oleum, formam esse divinæ virtutis invocationem: 3. illius ministros esse Sacerdotes: 4. eam ex opere operato delere peccata. An autem immediate tantum (ut voluerunt Hugo a S. Victore, Lombardus & Bonaventura) instituta fuerit a Christo: an consecratio olei sit de necessitate Sacramenti: an sanitas corporea per eam restituatur ex opere operato, quæstiones sunt quas Ecclesia, salva fide Catholica, Theologis permisit: Unde merito Sambovius hocce tertium hæreticorum argumentum solvens laudat præclaram hanc Augustini sententiam lib. 1. contra Julianum cap. 6. *Aliæ sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores salva fidei compage, non consonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem de quo nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.*

QUÆSTIO TERTIA.

De Materia Extremæ Unctionis.

Theologi duplicem in Sacramentis materiam distinguunt, remotam nimirum & proximam; de utraque ad Extremam Unctionem comparata in hac quæstione dicemus.

CAPUT PRIMUM.

De Materia remota Extremæ Untionis.

Hic proponemus 1. varios circa materiam Extremæ Unctionis errore. 2. dicemus de Catholicorum opinionibus. 3. defendemus Ecclesiæ Catholicæ fidem. 4. eas Catholicorum opiniones propugnabimus quæ prius ad traditionem accedere videntur.

Licet Lutherus negarit Extremam Unctionem esse proprie dictum Sacramentum novæ legis, asseruit tamen esse Sacramentum late sumptum, seu signum, sed inefficax, alicujus rei sacræ: *Igitur* (inquit libro

de

de Captivitate babylonica) *Unctionis Extremæ nostrum Sacramentum non damno, sed hoc esse quod ab Apostolo Jacobo præscribitur, constanter nego..... Numerabimus tamen ipsum inter ea Sacramenta quæ nos constituimus, ut sunt salis & aquæ consecratio, & aspersio*. Verum negat ad ejusmodi Sacramentum, seu, sumptum in lata illa significatione, oleum absolute requiri. *Hoc ipsum* (ait loco mox laudato) *caute ac de industria Jacobus prævidit, dum promissionem sanitatis & remissionem peccatorum non tribuit unctioni, sed orationi*, non ministri quidem, sed suscipientis.

Calvinus ab oleo quo Jacobus infirmos inungi voluit, rejicit Episcopi consecrationem, eamque suis dicteriis lacessit: *Jacobus* (ait lib. 4 de Institut. cap. 29 *dum simpliciter inungi infirmos jubet, non aliam unctionem mihi significat, quam vulgaris olei, nec aliud habetur in Marci narratione. Isti oleum non dignantur nisi ab Episcopo consecratum, hoc est, multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, & novies flexu salutatum*.

Calvino præiverant Vualdenses: quamlibet enim rei consecrationem, sive ab Episcopis, sive a Presbyteris fieret, rejiciebant: *Item* (inquit Philedorffius lib. contra Vualdenses cap. 25.) *reprobant Vualdenses hæretici consecrationes vestium Sacerdotalium; & Pontificalium, aquæ, salis, cinerum, candelarum, ciborum tempore paschali, & omnium aliorum, quæ per Episcopos & Sacerdotes consecrantur: Et etiam consecrationes Episcoporum, Sacerdotum, Ecclesiarum, Altarium, Cœmeteriorum, aquæ baptismalis, Chrismatis & olei unctiones*.

Catholici omnes conveniunt oleum, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, esse hujusce Sacramenti materiam: *Verbis Jacobi Apostoli* (inquit sacrum Concilium Tridentinum sess. 14. de Sacram. Extremæ Unctionis cap. 1.) *ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum. Nam unctio aptissime Spiritus sancti gratiam qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat*. Conveniunt iterum iidem Catholici Episcopalem olei consecrationem necessariam esse necessitate præcepti Ecclesiastici; eam enim (inquiunt) præcipiunt omnes fere canones in quibus de hocce Sacramento tractatur. Sed inter eosdem Theologos non constat, an Olei consecratio necessaria sit necessitate Sacramenti. 2. an ex suppositione quod absque olei consecratione Sacramentum valeat, sit necessaria ex præcepto divino, an Ecclesiastico tantum. 3. utrum Olei consecratio Presbyteris qui non fuerint Episcopi, ex Ecclesiæ dispensatione committi possit.

Inter Thomistas Dominicus Soto in 4. Sent. dist. 23. quest. 1. art. 3. hisce verbis suam de priore dubio mentem aperit: *Utrum vero* (olei consecratio) *sit de essentia Sacramenti, non apparet prima fronte usque adeo certum; attamen indubie tenendum est, quod requiritur benedictio olei tamquam de essentia Sacramenti*.

Cajetanus 3. p. quæst. 72. art. 3. fatetur ad Sacramenti essentiam requiri quidem consecrationem olei, sed contendit valere ejusmodi consecrationem, etiamsi absque Pontificia dispensatione facta fuerit a simplici Presbytero. Dominicus ait valere quidem in eo casu, modo tamen adsit Pontificia dispensatio.

Estius quoad primum caput Dominico subscribit, sed refragatur quoad secundum, seu docet olei consecrationem Episcopalem esse jure divino necessariam necessitate Sacramenti: unde hanc elicit conclusionem: *Imo vero non apparet hac in re Pontificem posse dispensare; nempe ut per alium quemcumque fiat olei benedictio; si quod dictum est, necessitate Sacramenti; ipsa benedictio requiratur*.

Sambovius Doctor, Socius Sorbonicus & in Academia Parisiensi Regius Theologiæ Professor docet in tractatu de Extrema Unctione valere Sacramentum illud, quamvis oleum nec ab Episcopo, nec a Presbytero consecratum fuerit. Quid nos de iis controversiis sentiamus, subsequentes conclusiones aperient.

Conclusio 1. Oleum necessaria est Sacramenti Extremæ Unctionis materia. Ita docent Catholici omnes contra recentiores Sectarios.

Probatur 1. ex Scriptura quæ conceptis terminis meminit olei dum agit de Extrema Unctione, Jacobi v. *Ungentes eum oleo*. 2. ex Traditione, ut patet ex Origene, Innocentio Papa I. Gregorio Magno, cæterisque Patribus, qui superiori quæstione pro asserenda hujusce Sacramenti materia laudati sunt. 3. ex congruitate quadam petita ab olei effectibus: *Aptissime autem* (inquit Catechismus Romanus) *hæc materia significat illud quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit, ita Sacramenti virtus animæ tristitiam ad dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tamquam pabulum præbet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accommodatum est*.

Quæres 1. Cujusnam speciei esse debeat oleum ex quo tamquam essentiali parte constat Sacramentum Extremæ Unctionis.

Resp. Olei nomine quod ad hocce Sacramentum requiritur, intelligi oleum quod ex olivarum baccis educitur: eductum enim aliunde, improprie dicitur oleum, & quidem non simpliciter, sed cum addito, *Oleum nucum, &c*. Confirmatur ex eo quod oleum expressum ex olivis aptius sit quam alii liquores qui eo nomine nonnumquam appellantur, aptius (inquam) sit ad exprimendos Extremæ Unctionis effectus: vix enim hæc quæ scribit S. Thomas in Supplem. quæst. 29. art. 3. cæteris oleis conveniunt: *Spiritualis sanatio quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur; & lenis, ut spes, quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est & penetrativum usque ad intima, & etiam diffusivum; & ideo, quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia hujus Sacramenti*.

Quæres 2. Num aliquis liquor infirmorum oleo consecrando admisceri debeat: nititur illud dubium responso Innocentii Papæ I. qui in Epistola ad Decentium Extremæ Unctionis materiam dicit esse Chrismatis oleum: *Quod* (inquit) *non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt*.

Resp. Extremæ Unctionis materiam esse oleum simplex, seu alio liquore nequaquam permixtum: neque enim mixtionem aliquam aut Euchologia Græcorum, aut Latinorum Pontificalia recensent, cum olei, de quo agitur, consecrationem describunt. Ad Innocentii vero textum, dicendum est eo loci Chrisma generice sumi, nempe pro unguento, seu pro eo omni quo quis ungi potest; non sumi vero specifice seu (ut sumunt Theologi) pro mixtura ex oleo & balsamo. Confirmatur ex eo quod nullo in Ecclesiæ canone, nullo in Pontificali ejusmodi mixtura recenseatur.

Conclusio 2. Oleum infirmorum inunctioni destinatum, debet ab Episcopo consecrari.

Probatur ex eo quod sic ferant Ecclesiasticæ leges quas nemo sine crimine, extra absolutæ necessitatis casum, temerare aut infringere potest. Ejusmodi consecrationis meminit Innocentius Papa I. in mox laudata ad Decentium Epistola: *Quo* (oleo) *ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo*. Meminit & Gregorius Magnus. *Tunc* (inquit in Sacramentario) *offertur Pontifici oleum, & benedicit illud tam ipse quam omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum his verbis: Emitte, &c. Ut tua benedictione fit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, &c*. Meminit quoque alterum Concilium Cabilonense can. 48. *Infirmi oleo quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent*. Hinc oleum quo infirmi unguntur, *Oleum Sanctum* vocatur ab Hincmaro Rhemensi in Capitulis quæ extant apud Sirmundum tom. III. Conciliorum Galliæ, A Jona Aurelianensi lib. III. de Institutione Laicali, dicitur *Oleum Sanctificatum*, A Concilio Aquisgranensi: *Oleum Sacrificatum*. Meminit ejusdem consecrationis Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum:

Antiquæ

Antiquæ igitur Patrum traditioni adhæsit Tridentina Synodus cum sess. 14 cap. 1. de Extrema Unctione, sic locuta est: *Intellexit Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*, ac proinde Calvinus similesque Sectarii, Patres qui a Christo hucusque vixere, superstitionis insimulant, cum ajunt superstitiosam esse olei quo infirmi inunguntur, consecrationem Episcopalem.

Conclusio 3. Nulla consecratio sive ab Episcopo, sive Presbytero peracta, necessaria est in oleo, ut Sacramentum valeat.

Probatur 1. Nec in Scriptura, nec in Traditione reperire est aliquid quo adstruatur necessitas de qua est hic quæstio. 2. Nullius sunt ponderis ea quibus opinio contraria nititur. Ideo enim asserit absolute requiri consecrationem illam quod ex Apostolo Jacobo Unctio fieri debeat in nomine Domini: quod Ecclesia damnarit Vualdenses qui rejiciebant ejusmodi consecrationem: Quod (ait Bellarminus) Eugenius Papa IV. & Concilium Tridentinum doceant consecratum oleum esse hujusce Sacramenti materiam, cum e contra cum agunt de Baptismo, definiant aquam naturalem esse illius materiam, omissa benedictione qua solet consecrari. Sed non est cur ea argumenta quemquam moveant: Siquidem his Jacobi verbis; *In nomine Domini* non significatur *benedictio*, sed quod minister vice Christi fungatur, agat illius authoritate dum inungit infirmum. Vualdenses merito proscripti fuere, quod impium sit ritus Ecclesiasticos superstitionis insimulare, aut eos contemnere, ut insimulabant & contemnebant Vualdenses. Eugenius IV. & Concilium Tridentinum ideo benedictionis olei non autem aquæ baptismalis meminere quod litem Scholasticorum, an illa benedictio necessaria sit ut valeat Sacramentum, an vero non sit necessaria, dirimere noluerint. Sat fuit Eugenio Armenos docere ritus Latinorum: Hunc sibi Synodus Tridentina scopum præfixit, damnare nimirum hæreticorum dogmata, non autem quæ, salva fide Scholastici placita defendunt.

Conclusio 4. Potest Ecclesia Presbyteris, qui Episcopi non fuerint, indulgere ut consecrent infirmorum oleum.

Probatur 1. Ex dictis superiore conclusione, olei consecratio non est necessaria ut Sacramentum Extremæ Unctionis valeat. 2. Consecratio non est necessaria necessitate præcepti divini, nec enim Scriptura aut Patres ejusmodi præcepti meminere: Ergo quod Ecclesia voluit ut ab Episcopis fieret, potest dispensare ut a Presbyteris celebretur. Illi rationi ex responsione ad subsequens quæsitum robur addetur.

Quæres 1. utrum quovis sæculo & ubique gentium soli Episcopi oleum infirmorum consecraverint.

Resp. 1. Nullum extare exemplum quo probetur Sacerdotes apud Latinos aliquando consecrasse infirmorum oleum: contrarium vetat a prioribus sæculis ad hanc usque ætatem usurpata consuetudo, circa quam, ipsi etiam Episcopi in suis Diœcesibus dispensare non possunt, sed unus Romanus Pontifex penes quem est declarare quod non obligent Ecclesiastici canones cum Ecclesiæ perutilis est eorum dispensatio: Aliena est igitur a veritate hæc Estii, viri alioquin Doctissimi, sententia: *Imo vero non apparet hoc in re Pontificem posse dispensare*.

Resp. 2. in Ecclesia Orientali nusquam prohibitum fuisse, ne Presbyteri simplices oleum infirmorum consecrent: imo a mille annis & amplius eo privilegio fruuntur, ut videre est in Euchologio Græcorum sub hocce titulo: *In officio sancti olei*, constat nempe in ipsa hujusce Sacramenti exhibitione, quæ fit a Presbyteris, oleum benedici. Eam gentis suæ praxim refert Arcudius lib. 5. de Extrema Unctione cap. 2. *Porro* (inquit) *antequam ungatur infirmus, & recitentur Epistolæ & Evangelia, sacræ preces, benedicitur oleum cum invocatione Spiritus sancti. Orant præterea ut æger illa unctione suscipiat gratiam Spiritus sancti. Quod ideo dictum velim, ne quis putaret, quandoquidem hoc oleum a Presbytero benedicitur, referendum esse ad aliud genus unctionis extra Sacramentum quod pendet ex merito, non ex officio, & quod non semper & infallibiliter, atque, ut ajunt Scholastici, ex opere operato confert gratiam.*

Nec est quod quis reponat errasse eo in capite Græcam Ecclesiam. Nam primo cum semper ei persuasum fuerit proprie dictum Sacramentum confici ex oleo sic consecrato, nemo peritus dixerit errasse eam in re tanti momenti. Secundo. Græcorum hoc in capite praxim Clemens Papa VIII. confirmavit: Siquidem in *Instructione directa ad Episcopos Latinos*: sub hocce titulo: *Circa oleum sanctum infirmorum*: hæc scribit: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci, olea sancta præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere: cum ejusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur*. Tertio. Sambovio teste, Congregatio de propaganda fide eumdem Græcorum ritum probavit: ejus nimirum jussu & impensis edita est Romæ *Synopsis vernaculæ Neophyti Rhodini*, in qua hæc habentur: *Materia Sacramenti Extremæ Unctionis est oleum olivæ expressum, a Pontifice vel a Sacerdote benedictum*. In ea vero Synopsi merito hæc apponitur disjunctio: *A Pontifice, vel a Sacerdote benedictum*. Quamvis enim omnia quæ potest Episcopus, non sint penes Sacerdotem, nihil tamen est penes Sacerdotem quod non sit penes Episcopum: unde merito Arcudius advertit in Græcia semel in anno more Latinorum Feria v. sacratioris Hebdomadæ oleum infirmorum solemni pompa & apparatu ab Episcopis consecrari: quo quidem sic consecrato eos deliniunt qui divinis officiis intersunt, eo fere modo quo in Ecclesia Latina cuique licet frontem abluere aqua, quæ ad baptismum solemniter conferendum pridie Paschatis ritu publico consecratur.

Quæres 2. quid in Ecclesia Latina facto opus sit, cum oleum Feria v. majoris hebdomadæ ab Episcopo benedictum, propter frequentem illius usum deficit?

Resp. admisceri debere non consecratum, sed in minori quantitate: *Non negamus* (verba sunt capitis; Qod in dubiis de Consecrat. Ecclesiæ) *quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri*: Sic vero permixtum contrahit consecrationem, non quidem per virtutem aliquam physicam quæ ex olei consecrati contactu oriatur, sed a mera institutione Ecclesiæ, cui placuit Episcopi preces extendere non tantum ad oleum præsens, sed ad illud etiam quo ipsi postea admiscebitur.

Caput Secundum.

De Materia proxima Unctionis Extremæ.

HIC quæremus primo utrum unctio sit materia proxima Unctionis Extremæ. Secundo in qua corporis parte unctio fieri debeat. Tertio quot unctiones requirantur ut Sacramentum valeat.

Conclusio 1. Unctio est materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis.

Probatur 1. Unctio est applicatio olei quod est hujusce Sacramenti remota materia. 2. Jacobus unctionem imperavit: *Ungentes* (inquit) *eum oleo*. 3. Extrema Unctio non est Sacramentum permanens, sed transiens, quippe quod in solo usu consistat: ille autem usus non alius est quam unctio.

Conclusio 2. Non una est nec fuit olim tum Latinarum, tum Græcarum Ecclesiarum praxis circa corporis partes quibus unctio applicetur.

Probatur 1. In Orientalibus Ecclesiis hodierni Græci dum conferunt Extremam Unctionem inungunt frontem, mentum, genas, pectus, manus & pedes: *Græcorum vero Sacerdotes* (inquit Arcudius lib. v. de Extrema Unctione cap 46.) *ungunt ægri frontem, mentum, ambas genas, ita ut fieri videatur unctio in capite ad modum crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes.* Unctionem pectoris & pedum ubique apud eosdem Græcos non semper obtinuisse demonstratur ex Simeone Thessalonicensi qui in libro quem de Sacramentis conscripsit, sic loquitur:

Ungit

Ungit (Sacerdos) oleo ad modum crucis ipsius (ægri) frontem ob contentas in ea cogitationes. Faciem quoque inunget propter sensuum organa: postremo manus, a pravis cogitationibus & operibus cum expiant, sanctoque oleo, & signo crucis muniens & perfecte sanctificans. Mirum non est cur hoc in capite constans ac eadem non sit Græcorum disciplina: siquidem ea de re altum sit in Euchologio silentium.

Probatur secundo. Pro Latinis Ecclesiis Gregorius Magnus in Sacramentario præscribit unctionem quinque sensuum tamquam ritum qui labente sæculo sexto apud Occidentales servaretur: *Multi enim Sacerdotum* (inquit) *perungant insuper in quinque sensibus corporis; idest in superciliis oculorum, in auribus deintus, & in narium summitate, sive enterius, & in manibus exterius, idest deforis.* Doctissimus Hugo Menardus in suis notis in laudatum S. Gregorii Sacramentarium, describit varios veteres codices, quibus aliarum quarumdam partium unctio præcipitur. Codex Abbatis Rotaldi unctioni quinque sensuum adjungit unctionem colli, pectoris & scapularum. Vetus Anglicanum Pontificale imperat *Unctiones colli, scapularum, pectoris, pedum, umbilici, seu loci ubi plus dolor imminet.* Codex Remigio Remensis addit utriusque temporis unctionem. *Ungatur* (inquit) *a Sacerdote, vel pluribus Sacerdotibus de oleo sanctificato, facientibus cruces singulis in dextro tempore & sinistro, non in fronte, nec in vertice.* Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum præter quinque sensus, renes inungi imperat: *Hoc Sacramentum* (inquit) *nisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est, in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Eugenianam additionem amplexa sunt quædam hodierna ritualia, quæ quisque pro more Diœceseos in qua degit, ad praxim reducere tenetur.

Conclusio tertia, Valet quoad substantiam Sacramentum Extremæ Unctionis, etiamsi una tantum corporis pars, sed cum forma universali, fuerit inuncta.

Probatur 1. Jacobus non præscribit, ut valeat Sacramentum, multiplices unctiones, sed unam tantum: *Ungentes* (inquit) *eum oleo*: secundo, Singulorum quinque sensuum aut vicinarum partium unctionem non esse simpliciter necessariam evincitur ex disciplina quæ obtinet & apud Græcos olim obtinuit: ii enim (ut superius observatum est) non inungunt singula sensuum organa. Evincitur iterum ex Pastorali sive Rituali Ecclesiæ Mechliniensis, quod quidem Academia Lovaniensis sua approbatione muniit anno 1588. Illud vero Rituale cau. 9. de Extrema Unctione, expresse asserit satis esse, ubi pestis grassatur, unctionem organi sensus magis obvii cum prolatione formæ universalis: *In morbis contagiosis* (inquit) *& peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad unctionem expositum, aut detectum dicendo. Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum & gressum. Et tunc preces quæ prætermittendæ forent, poterunt in Ecclesia coram venerabili Sacramento devote legi.* Sunt qui praxim Mechliniensi Rituali præscriptam singularitatis ac novitatis insimulent; sed revinci facile possunt ex eo quod nitatur veterum disciplina: Siquidem in Codice Remigio Remensi ad cujus normam quadringentis ab hinc annis quibusdam in locis Sacramenta conferebantur, legitur ritus hujusce Sacramenti *abbreviatus*, in quo fit mentio unctionis unicæ: sic autem habet apud Sambovium. *Cum vero ingravari cœperit, ad succurrendum facta aqua benedicta, dicatur oratio hæc* (Domine Sancte Pater omnipotens, æterne Deus, qui es via, veritas & vita, exaudi nos & conserva famulum tuum hunc, quem vivificasti & redemisti pretio & magno munere sanguinis Filii tui, qui tecum vivit & regnat) *Tunc ungatur oleo* (Ungo te de oleo sanctificato, ut salveris æternaliter, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.) *Collecta*: (Concede nobis famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicere mereamur, Pater noster libera nos a malo, custodi nos semper in bono, qui regnas in sæcula sæculorum) *Communicet dicens* (Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.) *Post hæc dicendum est*: (Agamus Deo nostro omnipotenti gratias, quod terrenæ nos originis atque naturæ, Sacramenti sui dono in cœlestem vivificaverit demonstrationem. Qui cum Filio & Spiritu sancto vivit & regnat.) 3. Se habet hoc Sacramentum respectu unctionis, sicut Baptisma respectu absolutionis. Ergo quemadmodum minister valide baptizat, facitque satis præcepto Christi, licet Catechumenum semel tantum abluat: ita valet Sacramentum de quo est hic quæstio, fitque satis Christi mandato, licet minister unicam infirmo unctionem exhibuerit.

Objicies 1. S. Thomas censuit irritum esse Extremæ Unctionis Sacramentum, ubi vel unius e sensibus unctio abfuerit: *Illa unctio* (inquit 3. p. supplementi q. 32. art. 6. in corpore) *ab omnibus observatur quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti.*

Resp. hæc verba: *Quasi de necessitate Sacramenti*, sat innuere S. Doctorem noluisse quæstionem definire: Salva igitur debita ipsi reverentia, nihil obstat, quin tamquam probabilior asseratur ea sententia, quæ docet valere Sacramentum unica unctione collatum, in quacumque tandem corporis parte fiat ejusmodi unctio.

Objicies secundo. Fert perpetua Ecclesiæ consuetudo, ut inungantur quinque sensuum organa: Ergo quinque sensuum inunctio est essentialis Sacramento.

Resp. primo ferre pariter consuetudinem ut renes inungantur; renum tamen inunctionem non esse de essentia Sacramenti demonstratur ex eo quod tum Concilia provincialia, tum ritualia prohibeant ne, pudoris causa, mulieres inungantur in renibus: *Mulieribus ministraturus* (verba sunt IV. Concilii Mediolanensis sub S. Carolo) *renes ne inungat.* Secundo. Iisdem Conciliis & Ritualibus præcipitur pedum unctio quæ tamen (etiam ex adversariis) ad Sacramenti substantiam nequaquam pertinet. Tertio. Consuetudo quæ objicitur, apud Græcos (ut observatum est suo loco) nequaquam viget. Dicendum est igitur quinque sensuum inunctionem Ritualibus, Conciliisque præscribi tamquam ritum Ecclesiasticum quo effectus Extremæ Unctionis explicentur.

Hic operæ pretium est monere lectorem 1. quod, licet probabilior sit opinio qua asseritur quinque sensuum unctionem non esse de essentia Sacramenti de quo est quæstio; eam tamen minister extra casum necessitatis mandare non possit executioni. Nec mirum: qui enim in Sacramentorum administratione sequitur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, graviter peccat, ut sæpius hoc opere Innocentii Papæ XI. authoritate demonstratum est. Secundo. Moneri debet idem lector in hominibus mutilatis unctionem fieri debere in partibus, quæ viciniores sunt sensuum organis, quibus orbati sunt illi homines: quamvis enim per ejusmodi organa exterius peccare non potuerint, potuerunt tamen appetere actus noxios qui per ea membra committuntur. Monendus est tertio quod quando, urgente casu necessitatis, unica fit actio, satius fit eam in capite peragere, quam in aliqua alia corporis parte, cum in eo collocata sint omnia sensuum organa. Monendus est denique quarto unctiones in utraque Ecclesia, Orientali nimirum & Occidentali, fieri *in modum crucis*: illum enim ritum præscribunt liber Sacramentorum S. Gregorii, Rituale Pauli V. jussu editum, Euchologia, ad quorum normam Orientales a mille annis & amplius Sacramenta dispensant: nolim tamen lector ob id existimet eam crucis figuram esse de necessitate Sacramenti: cum id nec ex Scriptura, nec ex Traditione colligi possit.

QUÆ-



QUÆSTIO QUARTA.

De forma Extremæ Unctionis.

DE Unctionis Extremæ forma quæremus primo quænam olim fuerit & nunc sit apud Latinos. Secundo quænam ea sit qua quondam Græci usi sunt & nunc etiam utuntur.

Conclusio prima. Ecclesia Latina quondam nonnullis in locis Extremam Unctionem contulit per formam absolutam, seu indicativam: in aliis vero per indicativam & deprecativam simul.

Probatur prior conclusionis pars. Primo. Forma, quæ dicitur Ambrosiana, qua quarto Ecclesiæ sæculo Ecclesia Mediolanensis utebatur, erat hujusmodi: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ut more militis unctus præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Eam vero formam (inquit Paludanus in 4. dist. 23.) nullus ex antiquis Patribus improbasse legitur. Nec mirum (addit idem author) se habet enim Extrema Unctio sicut baptisma: quod quidem deprecative collatum apud Græcos valet, quamvis absolute & indicative dispensetur apud Latinos. Præterea (inquiunt nonnulli) mutatio quæ fit in modo quo profertur forma Sacramentalis, cum sit accidentalis, nec tollat sensum formæ; non tollit veritatem Sacramenti, nisi aut Christus, aut Ecclesia determinaverint in specie modum aliquem tamquam conditionem, sine qua irritum sit Sacramentum. 2. S. Albertus Magnus in 4. dist. 23. art. 4. asserit se lustrasse oculis antiquissimos Germaniæ rituales libros, qui Sacramenti de quo agitur, formam mere indicativam continerent; addit laudatus Episcopus praxim qua Sacramentum sic conferebatur, a Germanis vocari Gregorianam. 3. Petrus Arcudius lib. 5. de concordia Ecclesiæ Orientalis cum Occidentali cap. 5. laudat Sacramentale Venetum confirmatum a Leone X. In eo autem Sacramentali hæc forma legitur: *Ungo te oleo sancto ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus varias catervas. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Idem author refert ex Sertario hanc legi formam in antiquo codice manuscripto Halitgarii qui florebat Ludovici Pii temporibus: *Ungo te de oleo sanctificato, ut more militum, & præparatus ad luctamen aereas possis superare catervas. Operare creatura olei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut non lateat hic spiritus immundus, nec in membris, nec in medullis, nec in ulla compagine membrorum hujus hominis; Sed operetur in eum virtus Christi filii altissimi, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.* Antiquitus igitur Ecclesia Occidentalis in conferenda Extrema Unctione formulam mere indicativam nonnullis in locis adhibuit.

Argumenti vim non enervat Petrus Ledesma contendens verba indicativa, quæ ex Ambrosiana praxi relata sunt, non fuisse formam Sacramenti Extremæ Unctionis: sed tantum quiddam quod fit præambuli loco, in quantum nempe intentio ministri ad actum Sacramentalem per laudata verba determinatur: Non enervat (inquam) Siquidem (ait eruditus Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii Magni) ut nemo dixerit, eum qui infundens aquam profert hæc verba, *Ego te baptizo &c.* aliquid præambulum ad Sacramentum Baptismi proferre: ita absurdum est dicere quod cum ungitur ægrotus oleo sanctificato, & proferuntur hæc verba quibus actio Sacramentalis exprimitur, *Ungo te &c.* hujusmodi verba sint quid præambulum ad Extremam Unctionem, seu (ajunt nonnulli) dispositio quæ ad illius formæ prolationem ministrum præparet.

Probatur altera conclusionis pars, seu Ecclesiam Latinam aliquando duplicem modum conjunxisse, indicativum scilicet, & deprecativum. Liber Sacramentorum Gregorii Magni hancce tradit Extremæ Unctionis formam: *Inungo te de oleo sancto sicut unxit Samuel in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi & Spiritus sancti. Per eumdem &c.* Priora ejusmodi formæ verba, *Inungo te &c.* sunt absoluta, seu indicativo modo proferuntur: Posteriora vero: *In te habitet virtus Christi &c.* sunt deprecativa, seu proferuntur orationis in modum.

Conclusio secunda. Multis ab hinc sæculis ubique apud Latinos, forma Extremæ Unctionis est mere deprecativa.

Probatur primo ex eo quod ritualia omnia quæ quatuor ab hinc sæculis sunt in usu, hance formam recenseant: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, olfactum, gustum & auditum &c.* Secundo. Reperitur in codice Monastico simul & Ecclesiastico Gemeticensi, qui sexcentorum est annorum & amplius. Tertio. S. Thomæ & cæteris Scholasticis sæculo 13. id ita fuit persuasum, ut contenderint formam absolutam non valere. Quarto. Eugenius Papa IV. eam refert in decreto pro instructione Armenorum. Quinto. Illius quoque meminit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. de Extrema Unctione: *Quibus verbis* (Jacobæis) *docet* (Synodus sacra) *formam... esse illa verba: Per istam unctionem &c.*

Quæres 1. qua ratione probari possit eam de qua agitur, orationem, aptam esse ut sit Extremæ Unctionis forma.

Resp. id ostendi posse multiplici ratione. 1. His verbis: *Per istam Unctionem*, clare exprimitur intentio ministri. 2. Per hæc alia: *Per suam piissimam misericordiam*, significatur causa principalis quæ spiritualem unctionis effectum operatur. 3. Per ista: *Quidquid deliquisti*, ipsemet effectus, seu remissio peccatorum exprimitur.

Quæres 2. utrum omnia verba quæ in forma Latinorum leguntur, sint de illius essentia.

Resp. negative. Nam 1. expressio quinque sensuum non requiritur absolute, cum, ex dictis superius, satis sit unica unctio. modo cum forma universali cunjuncta sit. 2. Hæc verba: *Per istam sanctam unctionem*, non sunt de necessitate Sacramenti: valet enim Sacramentum etiamsi materia ex qua constat, in illius forma non exprimatur; idque tum in Ordinatione, tum in Pœnitentia videre est. Non est pariter necesse ut exprimatur intentio ministri, sat quippe significatur in ipso actu exteriore quem exercet, in unctione nimirum qua delinit infirmum. 3. Hæ voces: *Per suam piissimam misericordiam*, non requiruntur necessario, cum verbum *Indulgeat* satis exprimat actum misericordiæ quem Deus exercet in infirmum qui a ministro inungitur. 4 Conveniunt omnes valere Sacramentum absque distincta trium personarum SS. Trinitatis invocatione, seu absque his verbis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: Nec mirum, siquidem Extrema Unctio non est Sacramentum fidei, seu ab eo qui ea donatur, non exigitur ut edat professionem fidei, quemadmodum fit in baptismate: ac proinde non est necesse ut fiat expressa ac distincta mentio SS. Trinitatis, ad quam aliquo modo Symboli capita reducuntur. Dicendum est igitur hæc sola verba: *Indulgeat tibi Deus*, satis esse ut Sacramentum valeat; significant nempe Sacramenti effectum, causam principalem a qua producitur, personam seu subjectum cui remissio peccatorum impenditur.

Conclusio 3. Forma Extremæ Unctionis est apud Græcos mere deprecativa.

Probatur 1. In Euchologiis Græcorum, iis locis ubi hujusce Sacramenti conferendi ritus describitur, nihil est omnino quod modum absolutum seu indicativum sapiat. Verba quæ infirmi inunctionem aut præcedunt, aut comitantur, aut subsequuntur, mere sunt deprecativa, seu sunt orationes, quibus minister effectum Sacramenti pro infirmo deprecatur.

2. Ipsi

32. Ipsi authores Græci docent Extremæ Unctionis formam in orarionibus quas minister fundit positam esse: hæc nimirum habet Gabriel Philadelphiæ Metropolita suo de septem Sacramentis opere: *Formæ sunt verba, quæ a Sacerdotibus super ægros enunciantur, quæ quidem vim habent dimittendi peccata, sanandique morbos eorum qui Sacramentum certa fide suscipiunt*. Ea autem verba (ut ex Euchologiis observatum est) mere deprecativa sunt. Arcudius lib. 5. ca. 5. hæc scribit: *Forma Extremæ Unctionis est deprecatoria, ut etiam apud Latinos, & Latinæ quoad sensum respondet*. Neophytus Rhodinus in sua Synopsi vernacula jussu & impensis Congregationis *de propaganda fide* Romæ edita & approbata sic loquitur: *Forma* (Extremæ Unctionis) *est oratio illa quam dicit Sacerdos, cum infirmum ungit*: Ea autem oratio quam Sacerdos recitat dum infirmum inungit, ejusmodi est in omnibus Euchologiis. *Pater sancte animarum, & corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti: sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam: intercessionibus super omnes S. Dominæ nostræ Deiparæ, & semper virginis Mariæ, protectionibus venerandarum supercælestium virtutum incorporearum, virtute pretiosæ ac vivificæ crucis, honorandi gloriosi Prophetæ Precursoris & Baptistæ Joannis, sanctorum gloriosorum & toto orbe celebrium Apostolorum, sanctorum gloriosorum & victoriis clarorum martyrum, & Deiferorum Patrum nostrorum, sanctorum medicorum mercede non conductorum Cosmæ & Damiani, Cyri & Joannis, Pantaleonis & Hermolai, Sampsonis & Diomedis, Photii & Aniceti, sanctorum & Justorum Dei parentum Joachim & Annæ, & omnium sanctorum. Amen. Quia tu es fons sanitatum, Christe & Deus noster, & tibi gloriam referimus Patri & Filio, & sancto Spiritui, nunc & semper & in sæcula sæculorum*. Ea autem Græcorum forma complectitur omnia quæ Latina continentur. Nam 1. complectitur invocationem Divinæ omnipotentiæ. 2. exprimit spiritualem effectum Sacramenti: *Vivifica illum* (servum tuum) *per Christi tui gratiam*. 3. Ea denotatur alter effectus minus præcipuus, corporeæ nimirum sanitatis restitutio: *Sana quoque servum tuum a detinente illum corporis infirmitate*. 4. Hoc superadditur in ea oratione, quod in Latina nequaquam legitur, nempe invocatio plurimorum sanctorum, qui artis medicæ peritissimi fuerunt, idque ut iis intercedentibus, subjectum, cui Sacramentum impenditur, facilius impetret dispositiones virtuti Sacramenti recipiendæ prærequisitas.

Ex iis quæ hucusque dicta sunt facile colligitur & Scripturæ & Traditioni repugnare tum Lutheri tum Calvini tum Kemnitii placita circa Extremæ Unctionis formam: *Sacramentum* (verba sunt Lutheri lib. de Captivitate Babyl.) *non exigit orationem aut fidem ministri, cum impius etiam baptizet absque oratione, sed nititur in sola promissione & institutione Dei exigens fidem suscipientis*. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 19. hæc habet: *Isti* (de Catholicis loquitur) *per sacram suam, id est abominabilem unctionem* (quam oratio comitatur) *peccata remitti impie mentiuntur*. Hæc quoque Kemnitius. *De adhibita illa forma verborum, quam Pontificii præscribunt, nulla vel littera vel syllaba in Evangelica historia legitur*.

QUÆSTIO QUINTA.

De authore Extremæ Unctionis.

Recentiores Sectarii negant Extremam Unctionem a Christo fuisse institutam: Quidam e Catholicis confessi institutam fuisse quidem a Cristo, asseruere tamen id ab ipso non fuisse factum immediate: Is nimirum sensus est Hugonis a S. Victore cum (ut superius pag. 500. observatum est) hæc scribit: *Hoc Sacramentum fuit ab Apostolis institutum*: Eadem ratione explicari debet similis hic textus Magistri Sententiarum, lib IV. dist. XXIV. *Hoc Sacramentum Unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur*.

Jutnin de Sacram.

Inter eos, Catholicos, qui docent hocce Sacramentum immediate institutum fuisse a Christo, non constat quo precise tempore facta fuerit ejusmodi institutio: nonnulli nempe contendunt fuisse factam eum Marci 6. Christus Apostolis potestatem fecit eos sanandi quos uncturi essent; aliis vero videtur quod post Christi resurrectionem instituto jam Pœnitentiæ Sacramento, istud quod (ut ajunt Patres) illius est consummativum, institutum fuerit.

Conclusio prima. Extrema Unctio instituta fuit a Christo.

Probatur 1. Extremæ Unctioni convenit virtus producendi gratiam sanctificantem (ut jam ostensum est, cum superius asserta fuit hujusce Sacramenti existentia, & iterum inferius ostendetur ubi dicetur de illius effectibus:) Eam autem vim non habet ab Ecclesia: solus enim Deus potest efficere ut elementum sensibile producat effectum omnino spiritualem: ergo vim illam habet a Christo: ac proinde ipsemet Christus Extremæ Unctionis est author; siquidem is sit oportet Sacramenti institutor qui partibus sensibilibus ex quibus constat, tribuit virtutem eos sanctificandi quibus applicantur. 2. Conclusionem nostram tamquam quæ sit fidei Catholicæ definit Tridentina Synodus: *Instituta est* (inquit sess. 14. cap. 1. de Extrema Unctione) *sacra hæc Unctio infirmorum .... a Christo domino*. Hæc iterum habet Canone 1. *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo domino nostro institutum .... anathema sit*. 3. Eamdem veritatem confirmant argumenta quæ superius pag. 17. a nobis cum ageremus de Sacramentis in communi, prolata sunt; Qua autem ratione cum definitione sacræ Synodi conciliari possit Hugonis a S. Victore, Petri Lombardi, S. Bonaventuræ sententia, hujusce dissertationis quæstione secunda explicatum est: adire etiam potest lector quæ dissertatione 1. q. IV. dicta sunt.

Conclusio 2. Sententia quæ affirmat Christum *immediate* instituisse Extremam Unctionem probabilior est negativa.

Probatur. Concilium Tridentinum agens de Extrema Unctione nihil aliud Apostolo Jacobo tribuit quam illius promulgationem: *Instituta est autem sacra hæc unctio a Christo Domino nostro tamquam Sacramentum, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum*. Censuisse ergo videtur sacra Synodus quod ipse Christus, non autem Jacobus, Extremam Unctionem instituerit immediate. Alias rationes quibus nostra propositio nititur, lector per tractatus reperiet hujus operis pag. 12. nec non eas quibus ostensum est Hugonis a sancto victore, Lombardi & Bonaventuræ sententiam tamquam quæ fidei Catholicæ adversetur, minime fuisse proscriptam a Tridentinis Patribus.

Conclusio 3. Quamvis non sit certum fide Catholica quod Extrema Unctio instituta fuerit Marci VI. v. 13. Opinio tamen quæ id asserit, non omni caret probabilitate.

Probatur prior conclusionis pars ex modo loquendi Synodi Tridentinæ: non enim asserit hocce Sacramentum institutum fuisse a Christo Marci VI. cap. sed insinuatum: *Apud Marcum quidem insinuatum &c.* Ea autem vox *insinuatum*, ejusmodi est ut quisque possit eam in suum sensum pertrahere: Insinuare enim significat rei introductionem aut per se aut in figura, ita ut, ex sententia Hugonis a S. Victore, ideo *insinuata sit* Marci VI. quod unctione quam tunc exhiberunt Apostoli, fuerit adumbrata: ex sententia vero aliorum Theologorum, sic insinuata sit apud Marcum, ut tunc introducta fuerit ac præcepta.

Argumentum nonnulli confirmant ex Petro Suavi. Is (inquiunt) in Concilii historia, narrat sacram Synodum loco *Insinuatum*, prius scripsisse *Institutum*, sed delevisse postea eamdem vocem: *Institutum*, ne Hugonis, Lombardi, veterumque nonnullorum Scholasticorum sententiam tamquam hæreticam proscripsisse videretur. Palavicinus in ejusdem Concilii Historia lib. 13. cap. 12. falli quidem accusat eam Suavis

narrationem: ob id tamen nostræ conclusioni nequaquam contradicit: imo confirmat potius contendens non esse credibile, quod Concilium voluerit definire aliquem articulum, non consentientibus antiquis Patribus, ac repugnantibus primis Scholæ Coriphæis Hugone a S. Victore, Lombardo, Halensi, Bonaventura, quibus placet Extremam Unctionem mediate tantum, non autem immediate fuisse institutam a Christo. Sambovius contendit utriusque historici narrationem posse facile conciliari, si nimirum asseratur Petrum locutum fuisse de privata Theologorum congregatione quæ solebat haberi præsentibus Concilii Legatis, cuique omnibus Patribus interesse licebat: Palavicinum vero locutum fuisse de altera Prælatorum Congregatione, cui munus incumbebat redigendi ad ordinen & formam quæ prius a Theologis disputata fuerant, ac proponendi postea generali Patrum Congregationi, quæ haberi solebat ante sessionem in qua promulgabantur quæ unanimi consensu Patres in Congregatione generali probaverant. Sed ea de facto controversia nihil ad nos, cum ex utroque historico constet ideo, vocem *Insinuatum* adhibitam fuisse, ne veterum Scholasticorum opinio proscripta videretur.

Probatur altera conclusionis pars, nempe non omni probabilitate carere sententiam qua asseritur Marci VI. capite institutam fuisse Extremam Unctionem. Nonnulli sunt Patres quibus visum est Marcum capite VI. de eadem Unctione locutum fuisse, de qua Jacobus. Inter eos Patres ad hæc Marci verba: *Et ungebat &c.* hæc habet Victor Antiochenus: *Quod ait de mystica Unctione, & oleo usu hic subjungitur, hoc inter Evangelistas solus Marcus commemorat. Interim quæ Apostolus Jacobus in sua Canonica narrat, ab his non dissentiunt: Scribit enim, Infirmatur quis, &c.* Beda venerabilis in eamdem abiit opinionem, seu credidit Unctionem de qua Marcus, eamdem esse cum ea de qua Jacobus loquitur. In hæc laudati Evangelistæ verba. *Et exeuntes &c.* hæc habet: *Dicit Apostolus Jacobus: Infirmatur &c. Unde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut Energumeni, vel alii quilibet ægroti, ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato.* Sic iterum in hæc Jacobi verba *Infirmatur &c.* loquitur: *Hoc & Apostolos fecisse, & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a Presbyteris, & oratione comitante sanentur.* Hæc quoque scribit Jonas Aurelianensis lib. III. de Institutione Laicali cap. 14. *Quod Unctio sanctificati olei sit expetenda, Marcus Evangelista indicat: Et exeuntes &c.* Hæc etiam Theophilactus in eumdem Marci locum; *Quod unxerunt oleo Apostoli solus Marcus narrat, quod & frater Domini Jacobus in Catholica Epistola dicit.* Hæc tandem Oecumenius in eumdem locum: *Hoc etiam Domino inter homines adhuc conversante, faciebant Apostoli, ungentes ægrotos oleo & sanantes.* Si aut Unctio de qua capite VI. Marcus loquitur, idem sit cum ea cujus Jacobus meminit in Epistola Canonica, oportuit illam fuisse a Christo institutam, cum inter Catholicos constet Jacobæam fuisse institutam a Christo.

Objicies 1. Apostoli cum apud Marcum cap. VI. jussi sunt infirmos inungere, nondum erant consecrati Sacerdotes; docet nempe Tridentina Synodus Apostolos in ultima cum Christo cœna inauguratos fuisse Sacerdotes; *Sub earumdem rerum symbolis*, (inquit sess. 22. cap. 1.) *Apostolis quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit.* Ergo Marci VI. Apostoli conferre nun potuerunt Extremam Unctionem; cum fide certum sit illius dispensationem ad solos Sacerdotes pertinere.

Respondent authores qui Marci VI. de Extrema Unctione agi contendunt, nihil vetare quin Christus ante ultimam cœnam Apostolos creaverit Sacerdotes ad Extremam Unctionem conferendam, quamvis potestatem consecrandi aut absolvendi a peccatis non dum eis contulerit. Responsionem ex eo confirmant quod munus prædicandi Evangelium, & administrandi Baptisma, non minus proprium sit Sacerdotibus quam administratio Extremæ Unctionis: Ergo quemadmodum Apostoli ante ultimam cœnam & prædicarunt & baptizarunt, licet Sacerdotium non haberent quoad munus offerendi: ita antequam sacrificium novæ legis offerre possent, antequam facultatem accepissent a peccatis absolvendi, Sacerdotum quoad Extremæ Unctionis administrationem, Christo sic volente, partes agere potuerunt.

Objicies 2. Ii omnes quos Apostoli, Marci VI. capite, unxerunt, nondum erant baptizati: neque enim cum ad ungendum missi fuere, jussi sunt ut, aut darent infirmis baptismum, aut explorarent, an eo prius donati fuissent. Atqui Sacramenta novæ legis alia a baptismate non valent nisi fidelibus conferantur. Ergo Unctio cujus laudato capite Marcus meminit, non potuit esse Sacramentum novæ legis, quod Extremam Unctionem dicimus, & de quo Jacobus Epist. Canon. cap. V. loquitur.

Respondent iidem authores absque ullo aut Scripturæ aut Traditionis fundamento asseri, quod Apostoli Marci VI. omnes promiscue tum baptizatos tum minime baptizatos inunxerint. Præterea dici potest Christum potuisse præcipere Apostolis ut ipsos etiam infideles inungerent, quo nempe secundarium saltem Extremæ Unctionis effectum, in sanitate corporea positum, consequerentur; eoque miraculo ad baptismi ac fidei Christianæ professionem adducerentur.

Objicies 3. Unctio, de qua Marcus cap. VI. loquitur gratiam non producebat, sed solum operabatur sanitatem corpoream; Istius enim dumtaxat, non autem illius laudatus Evangelista meminit: *Et ungebant* (inquit) *oleo multos ægros, & sanabant.* Sed illa Marci Unctio non fuit idem cum Sacramento Extremæ Unctionis.

Respondet authores quorum hic exponimus sensa, Marcum ita meminisse corporeæ sanitatis, ut non excluderit alium spiritualem, & quidem præcipuum effectum, quem (ut observatum est) ejusmodi Unctioni Victor Antiochenus, Beda Venerabilis, Theophilactus & Oecumenus tribuunt, cum docent Marci Unctionem idem esse cum ea, qua Jacobus in Epistola Canonica loquitur.

Objicies 4. Concilium Tridentinum hæc ait de authore Extremæ Unctionis: *Apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Vox autem illa *Insinuatum*, isti alteri: *Institutum* quæ capiti prius inserta fuerat (teste Petro Suavi in sua Concilii historia) substituta est. Judicarunt igitur Tridentini Patres Unctionem de qua Marcus loquitur, non esse idem cum ea quam Jacobus recenset: ac proinde non fuisse illud novæ legis Sacramentum, quod Ecclesia Christiana Extremam Unctionem appellat.

Resp. Pretermissa responsione Palavicini qui in eo capite suavis narrationem falsi insimulat; ideo deletam fuisse vocem *Institutum*, & substitutam hanc aliam, *Insinuatum*, ne immediata Extremæ Unctionis institutio a Christo facta definiretur tamquam articulus fidei: ac proinde ne (ut jam observatum est) Hugo Victorinus, Petrus Lombardus, S. Bonaventura, qui contrarium senserant, damnarentur.

Conclusio quarta. Opinio, quæ asserit Extremam Unctionem fuisse institutam a Christo post illius a mortuis resurrectionem, cæteris probabilior videtur.

Probatur ex eo quod Extrema Unctio sit, ex Concilio Tridentino, consummativum Sacramenti Pœnitentiæ: Oportuit igitur ut post Pœnitentiæ Sacramentum instituta fuerit a Christo. Nihil vetat quin ad ejusmodi institutionem referatur præclara Leonis Magni sententia; qua jam usi sumus agentes de Sacramento Confirmationis; *Hi dies* (inquit Serm. 1. de Ascensione) *qui inter Resurrectionem, Ascensionemque fluxerunt, non otioso transierunt decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria.*

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

De Miniſtro Extremæ Unctionis.

SEctarii, qui elapſo proxime ſæculo, Extremam Unctionem expunxerunt ex albo Sacramentorum novæ legis, multa effutierunt in Eccleſiæ fidem de ejuſdem Sacramenti miniſtro.

Lutherus vertit ipſi crimini, quod ad illius collationem multi Presbyteri (ut Jacobus innuit, non vocentur: *Sed* (inquit lib. de Captivit. Babylonica) *nec hoc ſervant iſti, quod Apoſtolus jubet Presbyteros Eccleſiæ induci, & ſuper infirmum orari. Vix unus Sacerdotulus mittitur, cum Apoſtolus velit multos adeſſe non propter unctionem, ſed propter orationem. Quamquam incertum eſt mihi an Sacerdotes velit intelligi, cum dicat Presbyteros, id eſt Seniores.*

Calvinus negat Sacerdotes intelligi Presbyterorum nomine, quo Jacobus utitur: *Jacobus* (inquit Inſtit. lib. IV. cap. XIX.) *vult infirmum ungi a Senioribus Eccleſiæ; iſti unctionem non admittunt niſi Sacrificorum.* Addit non unum Presbyterum, ut nunc fit in Eccleſia Romana, ſed multos a Jacobo Unctioni neceſſarios fuiſſe; unde inſimulat Catholicos, quod ſæpius unum advocent, quodque per Presbyteros Sacerdotes tantum intelligant: *Quod* (ait ibidem) *apud Jacobum Presbyteros interpretantur Sacerdotes, & pluralem numerum ad decorem poſitum nugantur, nimis frivolum eſt. Quaſi vero Eccleſiæ eo tempore Sacrificorum examinibus abundarint, ut in longa pompa procedere potuerint, ad ferendum ſacri olei ferculum.*

Sectarii de quibus hactenus, ut vexarent hoc in capite Eccleſiam, viam inierunt antiquis hæreticis prorſus oppoſitam: cum enim erroris Catholicos arguant, quod ſæpius unum tantum Sacerdotem advocent a quo Extremam Unctionem recipiant, Vvaldenſes e contra eos damnabant olim, quod plures vocarent: ipſiſque imponebant quaſi cenſerent plures abſolute requiri: *Sacramentum Extremæ Unctionis* (inquit Raynerus libro de Vvaldenſibus) *dicunt eſſe ultimam ſuperbiam ... Et hoc facit pluralitas Sacramentorum.*

Nonnullis quinto ineunte ſæculo viſum eſt Sacerdotes, qui intelliguntur Presbyterorum nomine, quo Jacobus utitur in Epiſtola Canonica, ita eſſe Extremæ Unctionis miniſtros, ut ab eo munere ipſi etiam Epiſcopi arceantur. Illud dubium tenuerat Decentium Eugubii in Umbria Epiſcopum; ſed plane ſolutum eſt ab Innocentio Papa I. *Cæterum* (inquit Epiſt. ad Decentium) *Illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de Presbytero dictum eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non poſſunt.*

Eccleſiæ Catholicæ fides iis omnibus erroribus prorſus eſt oppoſita: hiſce vero verbis a Concilio Tridentino traditur: *Jam vero* (inquit Seſſ. 14. cap. 3. de Extrema Unctione) *quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere & miniſtrare hoc Sacramentum debent, haud obſcure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum: nam & oſtenditur illic proprios hujus Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros, quo nomine, eo loco non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinati per impoſitionem manuum Presbyterii.*

Ut autem cum aliqua methodo explicemus, defendamuſque Eccleſiæ fidem, quæremus hic 1. utrum Sacerdotes & Epiſcopi ſint jure divino ſoli miniſtri Extremæ Unctionis. 2. An penes quemlibet Sacerdotem ſit hujuſce Sacramenti diſpenſatio. 3. Utrum ad illius collationem plures Sacerdotes requirantur.

CAPUT PRIMUM.

Utrum ſoli Sacerdotes & Epiſcopi ſint miniſtri Extremæ Unctionis?

COnclusio. Soli Sacerdotes & Epiſcopi ſunt jure divino miniſtri Extremæ Unctionis.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ Sacerdotibus, non autem hominibus Laicis facultatem facit hocce Sacramentum conferendi: *Infirmatur quis in vobis* (inquit Jacobus Epiſt. Canonicæ cap. 5. ubi Extremam Unctionem ab ipſo Chriſto inſtitutam promulgat) *inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Vox hæc, *Presbyteros* eo loci non ſignificat Presbyteros *ætate*, ſeu Seniores (ut placet heterodoxis) ſed ſignificat Presbyteros *dignitate*, ſeu qui per impoſitionem manuum Presbyterii, inaugurati ſunt Sacerdotes. Nam 1. (ait Eſtius in eum Jacobi locum) vix unquam in novo Teſtamento, vox hæc, *Presbyter*, nomen eſt ætatis; paſſim vero aut populi Magiſtratus eo vocabulo deſignatur ut in Evangelio, & in actis Apoſtolorum: aut ii ſignificantur, qui ad Epiſcopalem aut Sacerdotalem functionem ordinatione ſacra promoti ſunt. Hoc autem modo (proſequitur idem author) accipitur, ubicumque de Eccleſiæ miniſterio agitur: ut in Actis Apoſtolorum, & Epiſtolis Paulinis, ac nominatim etiam in iis, quæ Catholicæ vocantur; ut in priore Petri cap. 5. ubi hæc habentur: *Seniores*, Græce *Presbyteros, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum*: nec non etiam in altera Joannis, quæ ſic incipit: *Senior*, Græce *Presbyteros, Electæ dominæ.* 2 Ipſa Jacobæi textus ſerie docemur per Presbyteros hic non intelligi homines Laicos, ſed Sacerdotes: Non enim ſimpliciter *Presbyteri* dicuntur, ſed Presbyteri *Eccleſiæ*, ſeu qui Eccleſiæ vices gerant, ac proinde qui ſint illius miniſtri. 3. Illi Presbyteri jubentur orare ſuper infirmum, miniſterio quod exhibuerunt; orationi nimirum & unctioni, promittitur remiſſio peccatorum; Eæ vero functiones publicæ, Laicis non competunt licet ſenioribus, ſed iis tantum qui legitime in Eccleſia miniſtri conſtituti fuerint. 4 Si Presbyterorum nomine Jacobus ætate provectos intellexerit, excluſerit oportet ab Unctionis miniſterio tum Epiſcopos, tum miniſtros, qui tunc temporis, ut patet in Timotheo, nonnumquam adhuc maxime juvenes conſecrabantur.

Probatur 2. ex Traditione. Patres quoties de Jacobi textu ſermonem habuerunt, ipſum non de Senioribus, ſed de Epiſcopis aut Sacerdotibus interpretati ſunt. Chryſoſtomus lib. III. de Sacerdotio definit Presbyteros de quibus loquitur Jacobus, eſſe non Laicos homines, ſed Sacerdotes, quibus tum in Baptiſmate, tum in infirmorum unctione competit facultas dimittendi peccata. *Neque enim* (ait) *ſolum cum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinet: Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accerſat Presbyteros.* Innocentius Papa I. in Epiſtola ad Decentium idem per Presbyteros intelligit, quod mox laudatus Chryſoſtomus: *Quod* (ſententia nempe Jacobi) Infirmatur &c. *non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto, non ſolum Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet, in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo.* S. Gregorius Magnus ubi in Sacramentario deſcribit Unctionis Jacobææ ritum, miniſtros a quibus peragitur, modo vocat Presbyteros, modo vero Sacerdotes: *Tunc* (inquit) *offertur Pontifici oleum, & benedicit eum tam ipſe, quam omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum his verbis &c.* Et poſtea, *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque ſenſus corporis.* Eadem ratione vocem, *Presbyteros*, intellexit alterum Concilium Aquiſgranenſe, quod habitum eſt anno 836. *Si autem* (inquit Can. 5.) *infirmitate depreſſus fuerit, ne confeſſione atque oratione Sacerdotali, necnon unctione ſacrati olei per ejus* (Sacerdotis) *negli-*

negligentiam careat. Hæc etiam habentur in Statutis Congregationis Cluniacensis sub Hugone, in notis Dacherii ad Guibertum pag. 614. *Interim Sacerdos hoc modo facit unctionem: Pollicem oleo illinit, & cum pollice signum crucis imprimit super utrumque oculum &c.* Iis Patribus addi possunt authores qui ab octavo ad præsens usque sæculum Sanctorum ex hac vita exitum descripsere: testantur nempe eos fuisse inunctos non a Laicis senioribus; sed aut ab Episcopis aut a Sacerdotibus.

Objicies 1. Hæc habet Innocentius Papa I. ad Decentium rescribens: *Quo* (oleo) *ab Episcopo confecto non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Catholicis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.* Quæsierat Decentius an soli Sacerdotes essent Extremæ Unctionis ministri: Respondet Innocentius jus illud penes esse quemque Catholicum: *Sed omnibus uti Catholicis licet*. Persuasum igitur fuit Innocentio Jacobum, cujus eo loci exponit sensum, per Presbyteros intellexisse non Sacerdotes tantum, sed etiam Laicos viros.

Respondet Sambovius agi quidem eo loci de Sacramenti ministro, cujus vices in casu necessitatis quivis Laicus supplere possit: ita tamen ut nunc unctio non sit Sacramentum, sed quodam modo Sacramentalis. Confirmat 1. ex eo quod (inquit) permittatur cuique, *deficiente aqua naturali*, baptizare *in vino*, aut in aliquo alio liquore, & quemadmodum permittitur, absente Sacerdote Exomologesim facere apud *Diaconum*, vel apud *Laicum*. Id vero (prosequitur idem author) permittitur non quasi Baptismus in vino valeat, aut quasi potestas sit penes Diaconum vel etiam penes Laicum absolvendi a peccatis, sed ut Minister Baptismi, vel etiam baptizandus faciat etiam, quod in se est; hactenus laudatus author. Verum tanti Doctoris pace dixerim falsum ab eo supponi, quemque nimirum posse *in vino* baptizare ubi aqua naturalis defuerit, posse Diaconum aut etiam Laicum urgente mortis periculo, proferre formulam absolutionis, ubi Sacerdos abfuerit: qui enim sic (ut vult author) se gereret, fieret reus sacrilegii in eo positi, quod Sacramenti formam ultro applicaret indebitæ materiæ. Vis additur argumento ex eo quod Sacerdos, qui virum quem scit non esse contritum, absolvit, peccet lethaliter, quod Sacramenti Pœnitentiæ formam applicet indebitæ materiæ, ac proinde eam irrisorie proferat.

Respondet Jansenius Gandavensis in cap. 6. Marci Innocentium loqui de subjecto, non autem de ministro Extremæ Unctionis, ita ut hoc unum significare voluerit, licere nimirum omnibus Christianis uti sancto oleo in suis & suorum necessitatibus, advocando Sacerdotes a quibus sacram illam unctionem recipiant. Sed vera non videtur illa responsio, quippe quod dubium quod Decentius Innocentio proposuerat, non in eo positum erat, an singulis Christianis unctionem recipere liceret: sed in hoc erat posita, an soli Sacerdotes, Episcopis exclusis, eam conferre possent.

Respondendum est igitur cum Estio Unctionem, de qua Innocentius in objectione loquitur, non esse Sacramentalem, sed actionem infirmi, qui pie affectus in oleum Episcopali benedictione consecratum, eo delinit seipsum, sperans fore ut per illud sanitatem sit recuperaturus. Responsionem confirmat idem Estius tum ex usu hodierno fidelium, qui aqua ad conferendum baptismum consecrata, aliisque ejusmodi rebus passim utuntur ut doloribus leventur, & liberentur morbis quibus cruciantur; tum etiam ex veteri eorumdem fidelium praxi, qui, ut morbos depellerent, oleum ad conferendam Extremam Unctionem consacratum passim adhibebant; Ea praxis posset variis exemplis confirmari, hic satis sit quod Gregorius Turonensis refert de Martio Abbate in Vitis Patrum cap. 14. ubi hæc ait: *Quartanis, tertianisve febribus infuso benedicti olei liquore medebatur*.

Objicies 2. Beda Venerabilis ad v. caput Jacobi scribit: *Infirmos moneri debere, ut Seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant*. Persuasum igitur fuit Bedæ Presbyterorum nomine Jacobum intellexisse Seniores ætate, non autem dignitate: proindeque censuit Laicos si Seniores fuerint, posse conferre Sacramentum Extremæ Unctionis.

Resp. Bedam duplicem Jacobææ sententiæ, *Infirmatur quis in vobis*, afferre sensum, Moralem scilicet & Litteralem. Morali conveniens erat ut Presbyterorum nomine, intelligerentur, *ætate* Seniores: Litterali vero, ut idem nomen pro *dignitate* a Senioribus usurparetur, ut revera ab ipso usurpatum est, cum laudet Innocentii Papæ I. rescriptum ad Decentium Episcopum. In ea nempe verba: *Infirmatur &c.* hæc ait: *Hoc & Apostolos fecisse, & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a Presbyteris, & oratione comitante sanentur*.

Caput Secundum.

Utrum quilibet Sacerdos Extremam Unctionem conferre valeat?

Conclusio 1. Si quæstio sit de Sacramento valido, potest quisque Sacerdos Extremam Unctionem conferre.

Probatur. Ut Valeat Extrema Unctio non requiritur potestas jurisdictionis, sed satis est potestas ordinis: hæc vero penes est quemque Sacerdotem: valet igitur hocce Sacramentum a quocumque Presbytero fuerit administratum.

Conclusio 2. Si quæstio sit de Sacramento licito, quisque Sacerdos non potest administrare Extremam Unctionem.

Probatur 1. Ad licitam Sacramentorum administrationem satis non est potestas ordinis, sed præterea requiritur potestas jurisdictionis vel ordinariæ, qualis est in Parocho respectu plebis sibi creditæ; vel delegatæ, ut est in eo quem Parochus ad alicujus Sacramenti dispensationem commiserit. 2. Clementina I. *de Privilegiis*, vetat ne quis Presbyter Extremam Unctionem administret *sine licentia* proprii Sacerdotis: addit *Excommunicationis* pœnam si ille Presbyter *Religiosus* fuerit.

Quæres an urgente mortis periculo, & absente proprio Sacerdote, quisque Presbyter, etiam *Religiosus*, licite possit infirmo conferre Sacramentum Extremæ Unctionis?

Respondet Dominicus Soto, affirmativa. Probat responsum ex scopo Clementinarum quæ Religiosis vetant ne dispensent Extremam Unctionem. Editæ scilicet fuerunt contra *audaciam* Religiosorum, qui invadebant Parochorum jura, ungendo privilegiorum prætextu, etiam Parochis non absentibus, creditam eis plebem. At ubi abest parochus, urgetque mortis periculum, desinit ille Clementinarum scopus. Præterea (ait idem author) Clementinæ promulgatæ non fuerunt in Christianorum detrimentum: In illud tamen vergerent, si in casu de quo agitur, quisque Presbyter, etiam Religiosus, licite non posset dispensare Extremæ Unctionis Sacramentum: Siquidem perutile est omnibus morituris, & aliquibus etiam (ait idem scriptor) per accidens necessarium, iis nempe qui imperfecte tantum de peccato mortali post confessionem commisso contriti, illud postea non cofitentur vel quod ignorent illud esse lethale, vel quod illius obliti fuerint. 3. Eadem fuit mens S. Caroli in Concilio Mediolanensi V. hæc enim eo loci decernit: *Si porro is* (Parochus) *impeditus aut alias in mora est, mortisque periculum instat, hoc* (Sacramentum Extremæ Unctionis) *Sacerdos alius administret*. Hinc confutata manet Navarri Sententia qui in Manuali cap. 27. contendit, etiam urgente præsenti mortis periculo, nemini Sacerdoti qui jurisdictionem aut ordinariam aut delegatam non habeat, licere fidelibus sine Parochi licentia, Extremæ Unctionis Sacramentum dispensare.

Conclusio 3. Non solum Presbyteri simplices sunt ministri Extremæ Unctionis, sed etiam Episcopi.

Probatur 1. ex eo quod id omne possit Episcopus, quod Presbyter: habet enim utramque potestatem,

Ordi-

Ordinis, nimirum & jurisdictionis, & quidem in statu perfecto, cum Episcopatus ut suo loco dicetur, sit Sacerdotii consummatio & perfectio.

2. Eam veritatem traditione docemur. Dubitarat (ut superius observatum est) Decentius, an jus, de quo hic agitur, ita Sacerdotibus esset proprium, ut Episcopis minime conveniret: rescripsit Innocentius Papa I. nullo niti fundamento dubium ejusmodi: *Cæterum* (inquit) *illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam ideirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes langaidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrismæ conficere,*

3. Idem dogma tradidit Concilium Regiaticense, quod anno 850. habitum est: *Si autem* (ait cap. 18.) *infirmi qualitas talis est, ut per se ipsum visitandum & ungendum dignam existimet Episcopus, ab ipso quam plurimum competentre fieri valeat, a quo ipsum Chrisma conficitur, & cui peccata remittendi officio privilegii potestas concessa est.*

4. Variis exemplis comprobatum est Episcopos antiquitus hocce Sacramentum fidelibus administrasse. Eparchius Engolimensis hæc habet in Opusculo de vita Caroli Magni: *Olea sancto inunctus est ab Episcopis, & Viatico sumpto & omnibus suis dispositis, commendans Deo spiritum suum, obiit in pace anno* 814. Prudentius Episcopus Tricassinus beatam Mauram in extremis positam inunxit, id enim ipse de se ipso testatur in laudatæ virginis vita, quam apud Nicolaum Camusæum, in promptuario antiquitatum Tricassinæ Diœcesis legere est: *Statimque* (inquit laudatus Præsul) *ad me conversa subjunxit, Hoc etiam manes a te peto, Prudens Pater Episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis recipiam Sacramenta. Quod & factum est.*

5. Nihil omnino est aut in Scriptura aut in Traditione, quod dubio, quod Decentius Innocentio Papæ I. proposuerat, patrocinetur: Vox enim *Presbyteros*, qua Jacobus utitur, cum dignitate Seniore significet, non minus de Episcopis, quam de simplicibus Sacerdotibus intelligi potest: unde in altera & tertia Epistola Canonica Joannes ea usus est ut se ipsum Episcopum significaret: *Senior Electæ Dominæ. Senior Caio charissimo.*

Caput Tertium.

Quot Sacerdotes requirantur ad infirmorum unctionem?

Hujusce sextæ quæstionis initio observatum est Lutherum & Calvinum docuisse plures Sacerdotes necessario requiri, ut Unctio de qua Jacobus loquitur, administretur fidelibus. Simeon Episcopus Thessalonicensis in suo de Sacramentis opere, quod Morinus noster ad calcem Commentarii de Pœnitentia describit, censet non valere Sacramentum nisi tres saltem adsint Presbyteri: id nempe elicitur ex his illius verbis: *Cæterum non est curiosius inquirendum de numero* (Sacerdotum) *quando neque numerus scriptus est: Nisi quod quamvis non sit scriptus, necessarium tamen est antiquam observare traditionem, & sint quidem septem* (*ut veteris moris est*) *si vero necessitas fuerit, tres sint ad minus, eaque omnia recitent quæcumque per traditionem dicenda esse acceperunt. Quoniam quæ a Patribus sunt, ea quoque Spiritus est fatendum est.*

Pluralitas Sacerdotum potest considerari vel in ordine ad ipsum Sacramentum, vel in ordine ad Præceptum divinum, vel tandem in ordine ad præceptum Ecclesiasticum: Unde quæri potest 1. utrum plures Sacerdotes requirantur ut Extremæ Unctionis Sacramentum valeat. 2. an Sacerdotum pluralitatem ipse Christus injunxerit. 3. Utrum ex Ecclesiæ mandato plures advocari debeant.

Conclusio prima. Valet Extremæ Unctionis Sacramentum licet ab uno tantum Presbytero collatum.

Probatur 1. ex Alexandro Papa III. capite: *Quæsivit. De verb. significatione*, ubi definitur: *Quod Sacerdos uno præsente Clerico, & etiam solus potest infirmum ungere.* 2. Nullum e veteribus reperire est qui docuerit irritum esse Extremæ Unctionis Sacramentum, quod plures Presbyteri non contulerint. 3. Plura monumenta fidem faciunt ab uno ministro hocce Sacramentum dispensatum fuisse. Innocentius Papa I. ad Decentium rescribens ait ratum esse si ab Episcopo detur, nec ad id ait adjungi debere collegam alium. Prudentius Tricassinus solus inunxit beatam Mauram cujus vitam descripsit: Unius Presbyteri meminit Affricus in Canonibus ad Vulfinum Episcopum: *Habebit etiam Presbyter* (inquit) *consecratum oleum duplex, hoc infantibus, id ægrotis præparatum, & ægrotos semper aaget jacentes.* 4. Etiamsi congruat ut plures Sacerdotes adsint, hac tamen ratione valere datum ab unico Sacramentum docet S. Thomas: *Illi tamen* (inquit lib. 4 contra Gentes cap. 73.) *unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, & cujus personam gerit.*

Conclusio secunda. Nullo divino præcepto necessarii sunt plures Sacerdotes ad infirmum inungendum.

Probatur ex eo, quod ejusmodi præceptum nullibi extet: nec enim evincitur ex his Jacobi verbis: *Presbyteros inducat Ecclesiæ*: siquidem in Scripturis pluralis numerus sæpius pro singulari ponitur, ut servat Augustinus lib. 111. de consensu Evangelistarum capite 16. Exponens nimirum illud Matthæi 27. *Idipsum & Latrones, qui crucifixi erant cum eo improperabant ei*, Luca scribente id ab uno tantum factum fuisse, hæc ait: *Nisi intelligamus Matthæum & Marcum breviter perstringere hunc locum, pluralem numerum pro Singulari posuisse. Sicut & in Epistola ad Hebræos legimus pluraliter dictum; Clauserunt ora leonum: cum solus Daniel significari intelligatur: & pluraliter dictum; Secti sunt: Cum de solo Esaia tradatur. In Psalmis etiam quod dictum est Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum. Pluralem numerum pro Singulari positum in Actibus Apostolorum exponitur, nam Reges propter Herodem, Principes propter Pilatum intellexerunt qui testimonium ejusdem Psalmi adhibuerunt. Sed quia Pagani solent calumniari Evangelio; videant quemadmodum locuti sunt authores eorum, Phædras, Medeas, & Clytemnestras, cum singulæ fuerint. Quid autem usitatius v. g. quam ut dicat aliquis; Et rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet? Tunc enim esset contrarium, quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent, ambos latrones conviciatos Domino. Ita enim non posset, sub numero plurali unus intelligi. Cum vero dictum est, Latrones, vel, Qui cum eo crucifixi erant, nec additum est, Ambo: non solum si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam, quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per Pluralem numerum Singularis significari.*

Conclusio 3. Apud Græcos septem Sacerdotes, ex Ecclesiæ mandato, advocabantur olim & nunc etiam advocantur ad conferendum infirmis Extremæ Unctionis Sacramentum.

Probatur 1. authoritate Euchologii, ad cujus præscriptum a pluribus sæculis Orientales Sacramenta & conficiunt & conferunt: Euchologium vero septem Presbyteros requirit: cujus quidem disciplinæ rationem hanc tradit Arcudius lib. 5. cap. 3. *Septem autem numero Presbyteros Græcorum Ecclesia exigit, sive propter septem peccata mortalia, sive quia septenarius numerus in sacra Scriptura valde commendatur, & non caret mysterio: Quia Jubilæum in se complectitur. Diceretur etiam propter septem corporis partes quas ungunt.*

Probatur 2. testimonio Simeonis Thessalonicensis apud Morinum ad calcem Commentarii de Sacramento Pœnitentiæ, ubi sic loquitur: *Septem esse vocandos* (Sacerdotes) *consuetudine traditum est*: Ejus autem consuetudinis hasce rationes profert: *Quod fieri arbitror propter dona septem Spiritus, quæ apud Isaiam enumerantur. Vel propter illos septem antiquæ legis Sacerdotes qui divino jussu circumeuntes urbem Hierico septies tubis*

cecinerunt, atque mœnia diruerunt. Ut etiam hic septem Sacerdotes urbem, duraque mœnia altitudinum peccati demoliantur. Vel etiam tamquam mortua existente anima, ut supra puerum illius Sunamitidis ad imitationem Prophetæ, septies erent Sacerdotes, & eum suscitent, prout sane excitavit puerum Elizæus septies reversus, septies item precatus. Vel quemadmodum Elias septies orans, cælum quod peccantibus clauserat, rursus aperuit; atque deduxit pluviam: Sic isti septies deprecati solvunt quidem squallorem peccati, accepta vero gratiæ clave, non secus atque Petrus aperiunt cælum, atque misericordiam a Deo remissionis velut imbrem deducant.

Conclusio 3. Apud Latinos quondam ex Ecclesiæ mandato, plures simul Presbyteri Unctionem extremam infirmis conferebant.

Probatur 1. Praxim illam aperte innuit Sacramentarium Gregorii magni, ubi hæc habentur: *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in quinque sensus corporis &c.* Eam quoque supponit Eparchius cum Caroli Magni exitum describens hæc ait: *Oleo sancto inunctus est ab Episcopis*. Eam pariter supposuerunt Vualdensium querimoniæ: *Sacramentum Unctionis reprobant* (inquit Reynerus de iis agens) *quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios*. Vigebat adhuc illa lex Ledesmæ Theologi Scholastici temporibus: hæc enim ait 2. par. quæst. 33. art. 1. dubio unico: *Dico quod de necessitate Sacramenti solus unus (Sacerdos) sufficit, sed ex decentia debent esse plures Sacerdotes: Et ita habet consuetudo Ecclesiæ universalis, quod plures Sacerdotes conveniunt ad administrandum hoc Sacramentum... Et si solus unus Sacerdos administret hoc Sacramentum tempore, quo possunt multi concurrere, verum quidem Sacramentum conficit, peccat tamen contra ritum Ecclesiæ agens. Si autem in articulo necessitatis non reperitur nisi solus unus Sacerdos, posset licite hoc Sacramentum conferre.*

Quæres num singuli Sacerdotes, qui advocabantur antiquitus, cum infirmo conferendum erat Sacramentum Extremæ Unctionis, ipsimet simul infirmum inungerent, quave ratione id ab eis fieret.

Resp. apud Latinos eumdem ubique usum non fuisse semper observatum. Hugo Menardus e Doctissima, & maxime pia Congregatione S. Mauri, Ordinis S. Benedicti in hæc verba Codicis, qui editus est jussu Ratoldi Abbatis, qui obiit anno 986. *Et supplicando dum ungitur infirmus, dicat unus hanc orationem &c.* laudatus (inquam) Menardus observat, quod dum unus Sacerdos infirmum inungeret, cæteri qui aderant, Sacramenti formam proferrent: *Quod* (ait) *favet eorum opinioni* (erroneæ tamen & prorsus repellendæ) *qui dicunt validum esse baptismum, si uno verba proferente, alter mergat, aut aquam infundat*. Nonnulli alii scriptores asserunt singulos Presbyteros unxisse easdem corporis partes, & singulos Sacramenti formam protulisse: nec tamen (inquiunt) multiplex fiebat Sacramentum, eo quod tunc repetitæ illæ unctiones ac iteratæ formæ se haberent per modum unius & ejusdem actionis moralis, præsertim si spectetur Ecclesiæ intentio, cui nusquam fuit propositum, ut plures illi ministri pluries simul idem Sacramentum conferrent. Mos ille, qui nonnullis abhinc sæculis evanuit ex Ecclesiis Occidentalibus, his etiam temporibus (Arcudio teste) obtinet in omnibus Orientalibus Ecclesiis. Quibusdam aliis authoribus placet, unum tantum e Sacerdotibus, qui infirmum inungebant in quinque sensibus, protulisse quidem invocationem Sanctissimæ Trinitatis (ut probant hæc Sacramentarii Gregoriani verba: *In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo sacrato dicentes: In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, non protulisse vero Sacramenti formam, quæ posita erat, non in illa invocatione (ut superius dictum est) sed in hac oratione: *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam &c.* Plures Theologi censent idem sensus organum inunctum non fuisse a pluribus Sacerdotibus, seu Sacerdotes, quos infirmus advocarat, non easdem sed diversas corporis partes, perunxisse, protulisseque formam, quæ ejusmodi organi unctioni correspondere. Tandem visum est aliquibus advocatos non fuisse multos Sacerdotes, ut singuli infirmum inungerent, proferrentve Sacramenti formam, sed ut preces funderent, quibus infirmo Sacramenti effectum deprecarentur: Id innuere videtur S. Thomas lib. IV. contra Gentes cap. 73. ubi sic loquitur: *Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes intersint, & ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet: Unde Jacobus dicit: Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei salvabit infirmum*. His temporibus unum Presbyterum, etiam extra casum necessitatis, satis esse ut tum valide, tum licite Unctio extrema dispensetur, Ritualia, ac universalis consuetudo Ecclesiæ Latinæ demonstrant.



QUÆSTIO SEPTIMA

De Subjecto Extremæ Unctionis.

Antequam quidquam de Extremæ Unctionis subjecto statuamus, recenseamus oportet tum quæ hæretici de eo effutierint; tum praxim diversam utriusque Ecclesiæ, Latinam dico & Græcam, tum denique varias Scholasticorum sententias.

CAPUT PRIMUM.

Recensentur Sectariorum errores.

Lutherus, cum nihil circa hujusce Sacramenti subjectum repererit in Catholicis, in quod potuerit proferre censuram, imponere maluit ut posset conviciari. Eos nempe arguit quasi asserant Extremam Unctionem conferri non debere nisi discessuris: *Ut appareat* (inquit lib. de Captivit. Babyl.) *eos non authoritate ulla, sed suo arbitrio, ex verbis Apostoli male intellectis, Sacramentum, & Extremam Unctionem fecisse cum injuria cæterorum infirmorum, quibus vi propria abstulerunt ungendi beneficium ab Apostolo statutum*. Deinde insimulat quam sequuntur praxim, administrandi nimirum iis etiam infirmis, qui brevi discessuri judicantur: *Apostolus* (ait) *in hoc ungi & orari præcipit, ut infirmus sanetur & allevietur, hoc est, non moriatur, nec sit Extrema Unctio; quod & usque hodie probant preces inter ungendum dictæ, quæ infirmum restitui petunt: Illi contra dicunt non esse dandam unctionem nisi discessuris, hoc est, ut non salveatur & allevientur... Ideo & extremam volunt unctionem, ut non fit verum per eam sanari infirmum, quod ille* (Jacobus) *statuit. Si hoc non est insanire, rogo quid est insanire?*

Lutherum, qui hac in parte Catholicis imposuit, imitatus est Calvinus lib. IV. Institut. cap. 19. ubi hæc habet: *Jacobus omnes infirmos vult inungi: isti* (de Catholicis loquitur) *non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt cum jamjam anima in primoribus labris laborat, vel* (ut ipsi loquuntur) *in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo Sacramento, quæ vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium afferant, crudeles sunt, qui numquam in tempore medentur*. Simeon Thessalonicensis libro de Septem Sacramentis, ante Lutherum & Calvinum eamdem calumniam Catholicis Latinis impegerat: hæc enim scripsit ferme a principio sui operis. *Hic quædam alia quoque Latinorum, res novas molientium destruitur sententia. Hi enim asserunt, sanctum oleum non spem vitæ habentibus, sed moribundis tribuendum esse, quandoquidem remissionem præbet peccatorum; contra fidem Apostolicorum verborum, ut in omnibus aliis, ita etiam hac in re, & sentientes & facientes. Cum enim Dei frater* (Jacobus) *clamet; Friget eum Dominus, isti ajunt pus,*

qui

qui non eriguntur esse præbendum. Ad calcem ejusdem operis hæc iterum in Latinos effutire non veretur: *Verum quia omnia immutant Latini, hanc etiam ceremoniam corruperunt, atque non esse exhibendum* (Unctionis Sacramentum) *ægrotantibus, sed moribundis ajunt. Quandoquidem enim hoc Sacramentum dimittit peccata, propterea moribundis exhibetur* (a Latinis) *ne, si quis supervixerit, rursus peccet. O clementiam! Frater Dei enuntiat, Et oratio fidei salvabit infirmum, & eriget eum Dominus: Hi vero ajunt: ut moriatur ... Quocirca neque secundum traditionem Apostolicam ab indigentibus accersiti hoc conficiunt, sed privatim facientes asservant: Et sacrum quidem Evangelium ait: Ungebant oleo multos ægros & sanabant: Hi vero censent dandam esse non ut curentur, sed ut fiant insanabiles & moriantur.*

CAPUT SECUNDUM.

Profertur praxis diversa tum Græcæ, tum Latinæ Ecclesiæ circa subjectum Extremæ Unctionis.

SOlus infirmos donari apud Latinos Extrema Unctione certo certius est; si quidem infirmorum dumtaxat meminere Rituales quoties agunt de hujusce Sacramenti subjecto: Non datus tamen omnibus infirmis, sed iis tantum qui periculose laborant, ut patet Ex Eugenio Papa IV. qui in decreto pro instructione Armenorum, sic loquitur: *Hoc Sacramentum nonnisi infirmo de cujus morte timetur, dari non debet*. Cum autem inter eos infirmos, de quorum morte timetur, nonnulli sint quorum exitus nondum imminet proxime, alii vero, qui in ipso proxime constituti esse videntur, ideo Ecclesia Latina non illos tantum (ut calumniantur hæretici) sed utrosque inungit: *Declaratur etiam* (verba sunt Concilii Tridentini) *esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur.*

Apud Græcos Extrema Unctio variis hominibus confertur.

Confertur primo periculose laborantibus: unde ob id apud ipsos ultimum Sacramentum appellatur: *Propterea* (inquit apud Arcudium, Job Monachus) *Euchelæon, ultimum, atque septimum est mysterium, quod que nobis debetur, dum extremum spiritum agimus.* Goarius in suis notis in officium S. Olei idem hisce verbis testatur: *Gravi afflictos ægritudine, deque salute recuperanda desperantes, officio præscati super eo recitato, unanimi cum Latinis consensu in domibus Græci ungunt: imo & ægroti plerique e plebe, aliorum manibus & ope ad Ecclesiam se deferri student, tum ut sacrorum præsentia, & animo levamen & corpori miraculi alicujus experimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnumquam dierum spatio in Catechumenis jacent, pernoctant, morantur, & sacra tandem Unctione sibi remedium expescunt.*

Confertur secundo iis etiam infirmis de quorum morte minime timetur: *Euchelæon* (Gabriel Philadelphiensis) *est unctio ex puro oleo constans pro iis, qui morbo decumbunt*: non distinguit Gabriel inter infirmos de quorum morte timetur, & inter eos quibus nullum imminet vitæ periculum. Utrisque igitur hoc Sacramentum exhiberi debere censuit.

Confertur tertio pœnitentibus omnibus sive infirmi sint, sive sanitate fruantur. Ejusmodi disciplinæ testis est Arcudius lib. v. de Extrema Unctione cap. iv. ubi sic loquitur: *Favet multum* (praxi per quam sani Extrema Unctione donantur a Græcis) *authoritas Euchologii, in quo non tantum ægrotus, sed etiam sanus, qui sit ungendus introducitur. Favet item præsens Græcorum consuetudo, quæ quidem viget, non in aliquo angulo Græciæ, sed ubique passim: quam eamdem retinet hac nostra ætate tota Russia universaque Moschovia.* Ejusdem Orientalium disciplinæ testis est Goarius in suis ad S. Olei officium notis: ubi nimirum enarravit Græcos solitos esse inungere periculose decumbentes, hæc habet: *Contingit tamen fateor, aliquando, ut officio peracto, ex astantibus plerique, vel benedictionis spiritualis obtinendæ, vel levis alicujus doloris eos affligentis leniendi gratia. Unctionis medela se curari exoptent; quod postea Sacerdotes, eadem oratione ac super ægros recitata.* Sic iterum inferius de eodem ritu loquitur idem author: *Ritus, quo gravioribus subditi peccatis, licet sint ex omni parte sani, quia tamen ægrotorum delicta sanctam unctionem curare noverunt, illam deinceps pro canone, idest pœnitentia, acceptam, & a Sacerdotibus tota precum harum serie se expiandos & infirmorum unctione velut adversa animæ valetudine affectos & medendos offerunt.* Hæc iterum habet paulo inferius: *Adde unumquemque oleo sancto ab Episcopo benedicto sese in Ecclesia Orientali ungendum offerre Feria V. in Cœna Domini, unctionemque ejusmodi, ut peccatorum antidotum, & sanctitatis largitricem sacræ communioni præviam, Episcoporum manu sucipere.* Recenset eamdem praxim Job Monachus, in contemplatione septem Ecclesiæ mysteriorum: *Tempus autem* (inquit) *quo oporteat suscipere Euchelæon, tota est mortalium vita post peccatum ad extremum usque spatium.* Recenset pariter Simeon Thessalonicensis, de quo multa superiore capite diximus: *Sanctum oleum traditum est* (inquit libro de septem Sacramentis) *veluti sacrum mysterium, divinæque misericordiæ typus, quod in redemptionem & sanctificationem præbetur his, qui se a peccatis convertent.* Commendat ejusdem ritus antiquitatem Innocentii Papæ IV. Epistola ad Episcopum Tusculanum, in qua prohibet, *Ne Sacerdotes Græcorum, aut Confessores pro satisfactione pœnitentiæ Unctionem aliquam solummodo injungant.* Huc etiam referri potest testimonium Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, qui in sua censura adversus Augustanam Confessionem lib. 1. c. 7. sic loquitur: *Illis vero qui post baptisma peccaverunt, Pœnitentia consecratique olei unctio conducunt: quæ Sacramenta, aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant.* Qui post omnes illos authores nuper scripsit Leo Allatius Græcorum rituum peritissimum, hæc habet de Græcis libro III. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione cap. 16. *Non tantum infirmos, sed sanos quosque homines Extrema Unctione & sæpius inungunt.* Ratum est igitur ex iis, quæ hucusque dicta sunt, Occidentales solitos fuisse eos tantum inungere, qui periculose ægrotant; Orientales e contra eos etiam, qui robusta valetudine fruuntur: Sed expendendum est subsequenti capite, primo num Occidentalium praxis ad Scripturam & Traditionem proprius accedat: secundo num alicubi proscripta fuerit Græcorum disciplina.

CAPUT TERTIUM

Profertur vera censura de praxi tum Latinorum, qui infirmos tantum, tum Græcorum qui etiam sanos, inungunt.

COnclusio 1. Praxis Latinorum qui solos infirmos inungunt, cum Scriptura & Traditione cohæret.

Probatur 1. Jacobus de iis agens quibus Extrema Unctio conferri debet, infirmorum tantum meminit: *Infirmatur quis in vobis .... Oratio fidei salvabit infirmum, &c.* Apostoli, Marci VI. ex Victore Antiocheno, Beda Venerabili, Theophilacto, Oecumenio, contulerunt Extremæ Unctionis Sacramentum: Sed non hominibus sanis, sed male habentibus, ipsum contulisse leguntur: *Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* 2. Nullum ex Patribus, qui novem prioribus sæculis floruerunt, reperire est, qui asseruerit sanos homines donari debere Extrema Unctione: qui iis temporibus de hoc Sacramento scripsere, infirmorum dumtaxar meminerunt. Id patet ex Innocentio Papa I. ad Decentium, Gregorio Magno in Sacramentario, Theodoro Cantuariensi in Pœnitentiali, Grodogango Metensi, Capitularibus Caroli Magni, Conciliis Aquisgra-

gra-

granensi, Regiaticensi, aliisqoe veteribus monumentis, quæ de hujusce Sacramenti existentia differentes superius quæst. 2. laudavimus. 3. Nequidem post nonum sæculum ad hæc usque tempora proferri potest vel unum exemplum, quo probetur Majores nostros aliis quam infirmis Extremam Unctionem contulisse.

Quæres 1. quibusnam infirmis alias, Majores nostri contulerint Unctionis Sacramentum, & nunc etiam conferri debeat.

Resp 1. Majores nostros in Ecclesia Latina perunxisse infirmos qui periculose ægrotarent, quamvis in exitu nondum constituti viderentur. 1. Jacobus, ubi definit infirmos inungi debere: *Infirmatur quis in vobis, &c*, non exigit ut expectetur ultima vitæ periodus. 2. Antiquitus infirmi per septem dies continuos inungebantur a Sacerdoribus: *Deinde* (verba sunt Sacramentarii Gregorii Magni ex editione Hugonis Menardi (*communicet eum*) (infirmum) *Corpore & Sanguine Domini, & sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit*) id est, si non convaluerit, & a fortiori si morbus in pejus ingravescat) *tam de Communione quam de alio officio* (jam in illum peracto ac proinde de Unctione Extrema) *& suscitabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur &c.* Antiqua monnmenta Ecclesiastica præcipiunt quidem ut ii inungantur qui fuerint infirmitate depressi, seu qui periculose decubuerint, sed non mandant ut expectetur donec sint in exitu constituti: *Ab infirmis in periculo mortis positis pura est inquirenda confessio peccatorum* (verba sunt Pœnitentialis Theodori Cantuariensis) ...... *Et ideo secundum authoritatem Canonicam ..... Sacri Unctione olei inuncti ...... communione viatici reficiantur.* Idem habetur libro VI. Capitul. cap. 57. *Si infirmitate depressus quis fuerit, nec unctione sacrati olei careat.* Veterem illam praxim Concilium Tridentinum innuit sess. 14. cum hæc habet: *Declaratur etiam esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam pericalose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Cum enim nonnullos infirmos distinguat ab iis qui in exitu constituti videntur, non minus illis quam istis vult ut Sacramentum conferatur.

Resp. 2. Majores nostros in Ecclesia Latina contulisse Unctionem Extremam iis etiam infirmis qui in exitu positi videbantur. Ratio petitor 1. ex viris sanctis, qui paulo ante mortem inuncti sunt: exempla retulimus agentes de hujusce Sacramenti existentia. 2. Idem evincitur ex disciplina quam jam jam ex Sacramentario Gregorii Magni retulimus; jubet nimirum ut infirmus per septem dies qui mortem præcesserint, inungatur. 3. Infirmus positus in exitu, indiget effectibus Unctionis Extremæ: par igitur est ut ea tunc donetur.

Quæres 2. An satius sit expectare ultimam vitæ periodum ad conferendam Unctionem Extremam; quam eam impertiri ubi morale est vitæ periculum?

Resp. expectari non debere ultimam vitæ periodum in qua ægroti plerumque rationis usu destituti sunt: *Administretur* (inquit Provinciale Concilium Bituricense quod habitom est anno 1584) *tempestive a Sacerdote Extrema Unctio olei sancti: ita ut Christianus mente adhuc integra Sacramenti efficaciam agnoscere possit.* Idem anno superiore sancitum fuerat a Patribus Concilii Provinciæ Burdigalensis: *Tamen* (inquiunt Titulo 13.) *non eo usque differendam est dum æger omnibus pene sensibus destitutus sit.* Idem antea decreverat prius Concilium Mediolanense sub S. Carolo: *Extremæ Unctionis Sacramentum* (ait) *curet Parochus ut ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.* Confirmantur ea Patrum statuta 1. ex eo quod utilior sit Unctio cum ab iis accipitur qui fruuntur rationis usu: nam cum viget ratio, ægrotus per fidei ac pietatis motum magis se se disponit ad Sacramenti receptionem. Unctio Extrema datur ut infirmi animam alleviet, id est, ut eam pariat mentis hilaritatem, quæ necessaria est ut morbi dolores patienter ferantur: At infirmo opus est hilaritate, non tantum cum est in extremis constitutus, sed etiam in quacumque periculosa ægritudine. 4. Ubi expectatur ultima vitæ periodus, Extrema Unctio raro admodum producit secundarium effectum, ad quem instituta est, sanitatem nempe corpoream: non enim (inquit Dominicus Soto) effectum illum operatur per modum miraculi, sed virture ordinaria supernaturali, quæ scilicet non suppleat, sed adjuvet causarum naturalium virtutem, ubi id animæ saluti conduxerit.

Nec illi disciplinæ repugnat S. Thomas in Supplemento quæst. XXXII. art. 11. ubi sic loquitur: *Hoc Sacramentum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod ægritudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur.* Non repugnat (inquam) Siquidem per eum exeuntium statum S. Doctor non intelligit ultimam vitæ periodum, sed, (ut ipse ait) ægritudinem quæ *nata est inducere mortem*, seu quæ infirmum exponit vitæ periculo: *Et de periculo timetur.*

Conclusio 2. Praxis Græcorum qui non infirmos tantum, sed etiam sanos inungunt, nullibi expresse proscripta fuit ab Ecclesia Catholica.

Probatur. 1. Jacobus dum jubet ut *infirmi* inungantur, sanos non excludit. Eo fere modo locutus est Jacobus quo Christus ubi hisce verbis; *Hoc facite*, adultis præcepit Eucharistiæ communionem: At iis verbis nequaquam exclusit parvulos, ut patet ex Ecclesiæ praxi quæ per duodecim priora sæcula eis Eucharistiam porrexit.

2. Eugenios Papa IV. per hæc verba quæ leguntur in illius decreto pro instructione Armenorum: *Hoc Sacramentum non nisi infirmo dari debet*, declarat quidem Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, quam voluit Armenos amplecti; sed iisdem verbis nequaquam definit quod pro solis infirmis institutum fuerit. Ad eumdem Latinorum morem attenderunt Latini Patres, cum hujusce Sacramenti materiam vocarunt, *Oleum infirmorum*.

3. Inoocentius Papa IV. in Epistola ad Episcopum Tusculanum cujus textum superiori capite laudavimus, prohibetur quidem Sacerdotibus Græcis, ne Sacramentalis satisfactionis loco confessis onctionem solummodo injungant, ut tunc multis in locis injungebant, verum non vetat ne ubi convenientem peccatis satisfactionem injunxerint, confessos, quamvis sanos, inungant.

4. Nullum unquam negotium Latini Græcis facessere quod hocce Sacramentum sanitate fruentibus administrarent. Finita Florentina Synodo de multis quidem quæ ab occidenralium praxi differrent, Latini Græcos sciscitati sunt; sed de ritu, de quo agitur, nullam ipsis intentarunt litem; de eo altum fuit apud eos silentium.

5. Non est certum quod Bellarminus & Arcudius affirmant, morem scilicet de quo est hic quæstio, natum esse apud Græcos ex eo quod, cum per Sacramentum accideret ut ægri sæpe convalescerent, quidam pii cœperint, etiam extra Sacramentum, tum se ipsos, tum alios oleo sacro peruogere. Id (inquam) non est omnino certum tum quod Bellarminus nullo prorsus argumento conjecturam confirmet suam: tum quod supponat unctionem quæ sanis exhibetur, apud Græcos non haberi tamquam Sacramentom, quod tamen falsum esse ex responsione ad priorem objectionem ostenditur: tum denique quod ritui de quo agitur, seu Sacramentum Extremæ Unctionis conferendi sanis hominibus, patrocinari videatur Origenes homil. 18. in Leviticum, ubi hæc habet, quæ de hujus Sacramenti existentia differentes laudavimus: *Est adhuc septima licet dura & laboriosa per pænitentiam remissio peccatorum cum lavat peccator stratum suum in lacrymis suis & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum & quærere medicinam secundum eum qui ait: Dixi pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem cordis mei: In quo impletur &*

illud

illud quod Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus ungentes eum oleo in nomine Domini: Eo io loco (inquiunt Græci) Origenes Sacramentum Pœnitentiæ & Sacramentum Unctionis Extremæ recenset: asserit vero ibidem sanis *corpore*, sed infirmis *mente*, (utpote jacentibus in peccato) Sacramentum utrumque conferri debere: loquitur nimirum de peccatoribus qui multis pœnitentiæ laboribus perfruuntur: Origenis igitur ætate, Orientales sanis hominibus & bene valentibus conferebant Extremæ Unctionis Sacramentum.

Objicies. Unctio, quam Græci, ex Euchologiorum præscripto, sanis hominibus nonnumquam exhibent, non est unctio Sacramentalis, sed mera ceremonia, seu titus quem Ecclesia Orientalis instituit.

Resp. Græcos unctionem nequaquam perpendere tamquam Ecclesiasticam ceremoniam, sed tamquam ritum qui proprie sit illud novæ legis Sacramentum quod Extremam Unctionem dicimus. Ratio est 1. quia in illa unctione reperitur Sacramenti materia, oleum nempe quod (nt moris est apud Orientales) Presbyter consecrarit. Reperitur quoque forma qua Græci hocce Sacramentum infirmis conferentes utuntur. *Pater Sancte, &c.* Adest quoque legitimus minister, Sacerdos scilicet. Est in illo Sacerdote intentio faciendi quod facit Ecclesia, conficiendi scilicet ritum applicando formam materiæ, per quem ritum abstergantur reliquiæ peccatorum a quibus pœnitens per Sacramentum Pœnitentiæ jam absolutus fuit. Inunguntur sani homines in iis omnibut organis in quibus apud Græcos inunguntur infirmi 2. Cum in Euchologio describitur ritus Unctionis Sacramentalis, non tantum infirmus homo, sed etiam sanus qui inungi debeat, introducitur. Non aliud igitur est Unctio sanis data quam quæ infirmis ex Euchologiorum præscripto exhibetur. 3. Quod Orientales per unctionem de qua agitur, velint ac proponant conferre ipsissimum Extremæ Unctionis Sacramentum, ostenditur ex Hieremia Patriarcha Constantinopolitano, qui in censura qua proxime elapso sæculo perstrinxit Augustanam Lutheranorum Confessionem, sic lib. 1. cap. 7. loquitur: *Illis vero qui post Baptisma peccaverunt; Pœnitentia, consecratique olei unctio condacunt: Quæ Sacramenta aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant.* Cuique igitur qui post baptisma peccaverit, sive sanus sit, sive infirmus, prodest, ex Patriarcha Hieremia, olei unctio ad effectum spiritualem, proindeque sive sanis sive infirmis conferatur, verum est, in Græcorum opinione, legis novæ Sacramentum.

CAPUT QUARTUM.

Expenduntur Theologorum placita de infirmis, quibus Extrema Unctio exhiberi debeat.

Licet ratum sit apud Theologos Occidentales Unctionis Extremæ Sacramentum solis infirmis exhiberi posse: quærunt tamen an id habeat locum respectu furiosorum, amentium, puerorum, senium, ac aliorum omnium quibus imminet præsens vitæ periculum.

Conclusio 1. Extrema Unctio conferri debet furiosis si lucida habnerint intervalla, etiam dum morti proximi sunt, iis intervallis non fruantur.

Probatur. Furiosis dari debet Extrema Unctio, si dum eam petunt, lucido intervallo actu fruantur: tunc enim & Sacramenti, & reverentiæ in Sacramentum sunt maxime capaces. 2. Iis quoque administrari debet qui actu non fruuntur quidem ratione, sed antea fruiti sunt: siquidem hocce Sacramentum actualem devotionem in suscipiente non requirit, cum, fatentibus omnibus, consueverit iis dari piis qui præ subito morbo correpti, amisere rationis usum. Præterea pluribus Theologis ratum est Unctionem Extremam actu receptam remittere peccata lethalia, quorum quis reus esse potest, quæque præ impotentia confessus non fuerit: ut igitur saluti hominis furiosi in quo ejusmodi peccatorum reatus esse potest, consulatur, par est ut ipsi hoc Sacramentum administretur.

Conclusio 2. Nec pueri, nec amentes a nativitate, sunt subjectum Extremæ Unctionis.

Probatur 1. In ejusmodi hominibus locum habere non potest hujus Sacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid peccati, &c.* 2. Cum illi homines nusquam actu peccaverint, nullæ sunt peccatorum reliquiæ, ad quarum abstersionem instituta est Extrema Unctio. 3. Cum hocce Sacramentum tum per modum curationis & medicinæ augeat gratiam sanctificantem, illius augmenti non sunt capaces nisi ii qui morbos per actualia peccata contraxere. 4. Sanitas corporea, quæ (ut suo loco dicetur) secundarius est effectus Unctionis Extremæ, & propter quam solam pueris, cæterisque ratione destitutis conferri posset, non datur per hoc Sacramentum nisi iis, in quibus primarius effectus locum habere potest.

Conclusio 3. Senibus, etiam non ægrotis, sed in diem præ senectute morituris exhiberi debet Unctio Extrema: sed nulli alteri qui sanus sit, etiamsi immineat vitæ periculum.

Probatur 1. authoritate S. Caroli qui in IV. Concilio Mediolanensi Titulo VI. *de Extrema Unctione* sic loquitur: *Parochus Extremæ Unctionis Sacramentum sicut his ministrare debet, adultis scilicet, periculose ægrotantibus, propeque moribundis: senio confectis etiam non ægrotis, in diem morituris: ita istis ne ministret, nempe pueris rationis usu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo supplicio mactandi sunt.* 2. Virium defectus quo laborant homines senio confecti gravis est infirmitas: iis igitur, accenseri debent de quibus Jacobus in Epistola Canonica loquitur: *Infirmatur quis in vobis, &c.* 3. E contra adulti quibus imminet vel præsens vitæ periculum, si ægroti non sint, inter eos numerari non debent quos *infirmorum* nomine Jacobus intelligit: ac proinde in Ecclesia Latina Unctione Extrema donari non possunt,

QUÆSTIO OCTAVA

De effectibus Unctionis Extremæ.

Sacramentum illud quod Unctionem Extremam dicimus, recentiores hæretici negant habere effectum aliquem. Lutherus hæc ait de peccatorum remissione quam illi Sacramento Catholici tribuunt: *Non negamus per Extremam Unctionem dari remissionem & pacem: non quia Sacramentum sit divinitus institutum, sed quia suscipiens ita credit sibi fieri.* Hæc de eodem effectu habet Calvinus lib. IV. Instit. cap. 19. *Jacobus dicit: Ubi unctus oleo fuerit infirmus, & precatio concepta fuerit super eum, si in peccatis fuerit remissum iri: ut scilicet abolito reatu, pœnæ levationem impetrent: non intelligeas pinguedine deleri peccata; sed fidelium orationes quibus affectus frater Deo commendatus fuerit, non fore irritas ..... Isti per sacrum suum, idest, abominabilem unctionem peccata remitti impie mentiuntur.*

De sanitate corporea ad quam Ecclesia docet institutam fuisse Extremam Unctionem sic loquitur Lutherus: *Si Unctio ista Sacramentum est debet sine dubio esse (ut dicunt) efficax signum ejus quod signat & promittit: At sanitatem & restitutionem infirmi promittit ..... Quis autem non videt hanc promissionem in paucis, imo in nullis impleri? Inter mille enim vix unus restituitur, idque nemo Sacramento, sed naturæ vel medicinæ beneficio fieri putat.* Hæc habet Calvinus de eodem effectu: *Evanuit gratia illa curationum, quemad-*

ndmodum & reliqua miracula quæ ad tempus (Christus) *edi voluit*. Plurima alia in duplicem illum Extremæ Unctionis effectum effuticre Sectarii; ea lector descripta reperiet iis locis ubi de hujus Sacramenti exiſteotia, materia, & forma, diſſetuimus.

Eccleſiæ Catholicæ de Extrema Unctione fidem perſpicuis hiſce verbis complexa eſt Trideotina Synodus ſeſſ. 14. cap. 3. de Extrema Unctione: *Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicantur: Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Res etenim hæc, gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ gratiæ fiduciam excitando; qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur*. Idem ſub anathematis pœna canone 2. credendum cuique fideli præcipit: *Si quis dixerit ſacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim fuerit gratia curationum, anathema ſit*.

Synodi Trideotinæ definitioni omnes Catholici ſubſcribunt. Verum lis eſt inter eos 1. an Extrema Unctio *per ſe* peccata remittat. 2. ex ſuppoſitione quod peccata deleat, quærunt utrum id de venialibus an etiam de mortalibus intelligi debeat. 3. Non conveniunt quid per peccatorum reliquias, alleviationem animæ, ſacra Synodus intelligat. 4 Diſceptant inter ſe oum ſanitas corporea effectus ſit, qui ex opere operato, an ex opere operantis ſequatur ex Extrema Unctione. Lites illæ, ubi Eccleſiæ fidem contra Sectario. adſtruxerimus, ſubſequeotibus capitibus componentur.

Caput Primum.

Utrum Extrema Unctio remittat peccata.

Conclusio 1. Fide Catholica certum eſt Uoctionem Extremam peccata remittere.

Probatur ex eo quod Concilium Tridentinum expreſſe remiſſionis ejuſmodi meminerit: *Res etenim hæc* (inquit) *gratia eſt Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda ...... abſtergit*.

Objicies. Plures e Schola Theologos repetire eſt, qui inficientur peccata per Unctionem Extremam remitti: Duplicem nimirum hanc concluſionem ſtatuit Dominicus Soto in quartam Sentent. Diſt. 23. quæſt. 1. art. 2. *Effectus proprius hujus Sacramenti non eſt remiſſio culpæ Originalis vel Mortalis. Effectus hujus Sacramenti non eſt remittere culpam vel Originalem, vel Mortalem, vel Venialem, ſed neque reatum pœnæ*. Dominico Soto paſſim alii Thomiſtæ ſubſcribunt: Fide igitur Catholica certum oon eſt quod peccata per Uoctionem Extremam remittantur.

Reſp. convenire omnes Catholicos peccata dimitti per Unctionem Extremam: Sed dubium eſt quid peccatorum nomine intelligatur an culpa, aut pœna, aut reliquiæ tum venialium tum mortalium peccatorum. Dominicus Soto ubi haucce ſtatuit concluſionem: *Proprius effectus Extremæ Unctionis eſt per gratiam ſanare, & abſtergere peccatorum reliquias* ſic eam probat: *Cum* (*hoc Sacramentum*,) *ſit quodammodo inſtitutum ad remiſſionem peccatorum, & peccata non remittuntur niſi quoad culpam, vel pœnam, vel hujuſmodi reliquias; & effectus ejus non ſit remittere culpam, vel originalem vel mortalem vel venialem, ſed neque reatum pœnæ ...... Fit ut ejus effectus non ſit niſi prædictas reliquias abſtergere*.

Concluſio 2. Eccleſiæ Catholicæ fides circa peccati remiſſionem, quæ per Extremam Unctionem comparatur, Scriptura & Traditione nititur.

Probatur 1. Peccatorum remiſſionem Jacobus recenſet: *Si in peccatis ſit* (inquit agens de hoc Sacramento Epiſt. Canonicæ cap. v.) *dimittentur ei, & oratio fidei ſalvabit infirmum*. 2. Origenes (ut plunes ſuperius obſervatum eſt) ſcribens in Leviticum utitur laudatis ex Jacobo veebis, *Infirmatur quis in vobis?* ut probet eum quem peccati pœnitet, conſequi illius remiſſionem: *In quo impletur & illud quod Apoſtolus dicit: Si quis autem infirmatur vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, & ungentes eum oleo in nomine Domini &c.* Chyſuſtomus: lib. 111. de Sacerdotio adhibet eadem Jacobi verba ut probet Sacerdotes donatos fuiſſe poteſtate remittendi peccata etiam extra Baptiſmum. Credidit igitur iis verbis contineri promiſſionem de peccatorum remiſſione. Gregorius Magnus in Sacramentario, hujus Sacramenti formam præſcribit quæ peccatorum remiſſionem expreſſe complectatur. Petrus Damiani hæc ſcribit in ſermone de dedicatione Eccleſiæ: *Tertium Sacramentum eſt unctio infirmorum .... Solemnis unctio, excellens liquor quo ſanitas redditur, peccatum dimittitur*. S. Bernardus in vita S. Malachiæ cap. 24. ubi narravit S. Pontificem inuoxiſſe fœminam quam ſuis precibus ſuſcitarat e mortuis, ſic loquitur: *Et unxit eam ſciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei ſalvet infirmum*. Pluta alia Patrum loca lector reperiet hujus diſſertationis quæſt. 2. ubi actum eſt de Sacramenti Extremæ Unctionis exiſtentia.

Objicies 1. Hæc Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis, &c.* metaphorice exponenda ſunt, ita ut Unctionis nomine intelligenda ſit ægrotantis conſolatio per Evangelii lectionem quam miniſter coram eodem ægroto recitarit. Ita ratiocinatur Breotius Lutheranus. Ergo &c.

Reſp neg. ant. Ratio eſt, 1. quia apud Marcum cap. vi. oleum non metaphorice ſed proprie ſumitur: Ergo etiam apud Jacobum ſumi debet proprie: non enim eſt potior ratio de uno quam de altero. 2. Apud Jacobum nulla fit mentio Evangelii, ſed unctionis & precum. 3. Quotquot patres in eum Jacobi locum ſcripſere, proprie & non metaphorice (ut ſuperius oſtenſum eſt) ipſum intellexere: Unde præceptum de materiali unctione promulgatum a Jacobo omnes ubique terrarum Eccleſiæ & intellexerunt & mandarunt executioni.

Objicies 2. Remiſſio peccati non eſt ſemper conjuncta cum exhibitione Extremæ Unctionis: pendet nimirum ab hac conditione: *Si in peccatis ſit, remittentur ei*. At Sacramenti oovæ legis effectus, ſemper ſublato ex parte ſubjecti obice, cum debita illius applicatione conjunctus eſt.

Reſpondet Dominicus Soto, cæterive qui illi adhærent Thomiſtæ, remiſſionem peccatorum (ſi ſumantur ſcundum culpam) oon eſſe primarium effectum Unctionis Extremæ: unde (inquiunt) ea per ſe oon dimittit, ſed tantum per accidens: proindeque (addunt) mirum non eſt quod Jacobus de peccatorum remiſſiooe conditionaliter locutus ſit.

Reſpondet Eſtius eam conditionem, ſi, non eſſe rei dubiæ, ſed conceſſiooem rei quæ certa ſit ac extra dubium: *Si dixerimus* (inquit Joannes) *quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Eodem ſenſu ſumitur Malachiæ primo capite. *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Id eſt, cum ego ſim pater, cur mihi non exhibetis debitum honorem? cur me, ut par eſt, non timetis? Eodem quoque modo accipitur ſecundæ ad Theſſalonic. 1. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant*. Eadem ratione accipit ipſe Jacobus Epiſt. Canonicæ cap. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia*; hoc eſt, cum unuſquiſque veſtrum indigeat ſapientia, poſtulet &c.

Reſpondent tandem alii veram tunc tantum eſſe minorem propoſitionem argumenti, quod objectum eſt, cum ille effectus eſt ſolus, aut cum eſt independens a quacumque conditione quæ ſe teneat ex parte ſubjecti. At remiſſio peccatorum quæ habetur

per

per Unctionem extremam, non est hujusmodi; supponit nimirum subjectum in quo recipitur, esse in peccato, quod tamen potest non contingere: si nempe post receptam absolutionem ab omnibus tum mortalibus tum venialibus peccatis, aliquis in ultimo instanti prolationis verborum formæ Sacramenti pœnitentiæ, usum rationis amittat, ac in eo statu Extrema Unctione donetur.

CAPUT SECUNDUM.

An Unctio Extrema PER SE *peccata remittat?*

DOminicus Soto (ut observatum est superiori capite) contendit Extremam Unctionem nullius omnino peccati nec mortalis nec venialis culpam *per se*, seu ex primario suæ institutionis fine, dimittere: Unde peccatum, quod, ex Patribus, per eam dimittitur, interpretatur peccatorum reliquias, seu (ut verbis illius utar) vestigia & cicatrices, quæ sunt pravæ habitudines, puta pronitas & proclivitas ad malum, & ineptitudo, torpor, languor & debilitas ad operandum bonum. Oppositam sententiam propugnant post Estium graves alii Theologi quibus hic subscribendum ducimus.

Conclusio prima. Extrema Unctio peccata non remittit, si peccati nomine intelligatur reatus pœnæ.

Probatur. Extrema Unctio primo non dimittit pœnam æternam peccato mortali debitam in altero sæculo, cum eam pœnam per Sacramentum Pœnitentiæ aut illius votum, jam immutatam supponat in temporalem. 2. Non remittit pœnam temporalem quæ hoc in sæculo exolvenda superest pro peccato jam quoad culpam dimisso: alioquin nulla satisfactio esset iis infirmis injungenda qui post confessionem, Extremæ Unctionis Sacramento donantur: Quod tamen ast falsum, cum (ut suo loco dictum est) praxim illam quæ apud nonnullos Græcos invaluerat, Innocentius Papa IV. prohibuerit.

Conclusio secunda. Extrema Unctio non solum *per se* delet peccati reliquias (ut vult Dominicus Soto) sed ipsam illius culpam.

Probatur. Tum Jacobus tum Patres antiqui, tum Concilium Tridentinum definiunt remitti peccata per Unctionem Extremam. Atqui peccati nomine non intelliguntur illius reliquiæ: Nam primo Scriptura, Patres, Formæ Sacramentorum, in sensu proprio cum de aliquo dogmate agitur, sumi debent. At pœna aut effectus peccati, cujusmodi sunt reliquiæ quæ post peccatum supersunt, in sensu proprio peccatum appellari minime possunt. Secundo. Concilium Tridentinum distinguit inter peccata quæ dimittuntur, & inter reliquias quæ per idem Sacramentum absterguntur: *Res enim hæc, gratia est Spiritus sancti: cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*. Sed inanis esset quam Concilium statuit, distinctio, si peccati & reliquiarum nomine idem prorsus (ut adversariis placet) intelligeretur. Tertio. Si valeat metaphorica adversariorum explicatio, dici poterit per ipsam etiam absolutionem Sacramentalem peccata quoad culpam sumpta minime dimitti: hæc enim Christi verba: *Quorum remiseritis peccata &c.* hæ voces *Absolvo te a peccatis tuis*, ex quibus constat absolutionis formula, in sensum metaphoricum detorqueri possent, seu explicari non de peccati culpa, sed aut de pœna quæ, eo dimisso, exolvenda superest, aut de reliquiis, seu de pravis dispositionibus quas anima ex peccato contraxit.

CAPUT TERTIUM.

Quænam peccata per Unctionem Extremam PER SE *remittantur?*

DUæ sunt circa hoc dubium Catholicorum sententiæ. Sambovius in tractatu de Extrema Unctione pag. 478. docet peccata mortalia non minus per se remitti per Unctionem Extremam quam venialia. *Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis* (inquit) *per se non est sola remissio venialium, sed etiam mortalium*. Estius, cui subscribunt fere omnes ii Theologi qui censent hoc Sacramento alicujus peccati culpam *per se* dimitti, docet Unctionis Extremæ effectum esse venialium tantum remissionem.

Conclusio prima. Unctio Extrema per se non remittit peccata mortalia.

Probatur primo. Concilium Tridentinum definiit lapsis post Baptismum, Pœnitentiæ Sacramentum esse necessarium ad salutem, necessitate medii: At cum ea sacræ Synodi definitione cohærere non videtur sententia quæ asserit effectum Unctionis Extremæ *per se* esse peccatorum mortalium remissionem. Nec audiendi sunt adversarii cum reponunt pœnitentiæ Sacramentum remittere peccata mortalia, quatenus homo est in *statu viæ*, seu *in itinere*: Unctionem vero extremam, quatenus est in *statu egredientium*, seu Pœnitentiam esse pro remittendis culpis quas homo iterare potest, cum sit in statu viæ, unctionem esse pro remittendis culpis quas homo non præsumitur iteraturus, cum eum vitæ exitus urgeat. Non sunt (inquam) audiendi; tum quod fictitium sit illud discrimen, cum nullum illius vestigium in Patribus reperiatur: tum quod traditio cui subscripsit Concilium Tridentinum, absolute definiat singulis post baptismum lapsis, sive sint in *itinere* (ut loquuntur adversarii) sive sint in *egredentium* statu simpliciter esse necessarium.

2. Unctioni Extremæ semper præmissa fuit antiquitus confessio Sacramentalis, quam absolutio mox subsecuta esset. *Antequam ungatur infirmus confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti suo pariter omnia peccata sua* (verba sunt Codicis Tilliani) Sed cui usui fuisset requisita hæc a peccatis absolutio, si (ut adversariis placet) Extrema Unctio quæ eam immediate subsequebatur, *per se* peccata mortalia dimittebat.

3. Patres duo tantum agnoverunt Sacramenta mortuorum, Baptisma scilicet & Pœnitentiam. Persuasum igitur eis fuit, Extremam Unctionem *per se*, seu ex fine primario, sive vi suæ institutionis, non remittere peccata mortalia.

Objicies primo. Jacobus cujusque peccati remissionem adscribit Unctioni Extremæ; indefinite siquidem, ac proinde universaliter loquitur, cum hæc habet: *Si in peccatis sit, remittentur ei*.

Resp. Concilium Tridentinum explicuisse quid Jacobus peccatorum nomine intellexerit, cum ea peccata interpretatum ast de delictis: *Delicta* (inquit) *si quæ sint adhuc expianda abstergit*. At delicti nomine in Scripturis non raro significantur peccata levia quæ infirmitatis sunt aut ignorantiæ; ut videre est Psal. 18. *Delicta quis intelligit*, necnon Psal. 24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris*. Levitici 6. & 7. nec non Numerorum 18. aperte (inquit Estius) delictum a peccato distinguitur, & minus aliquid esse quam peccatum mortale significatur.

Objicies 2. Confertur Unctio Extrema fideli destituto sensibus, quamvis nullum edat Contritionis signum, nec antea confessus fuerit: Ergo credit Ecclesia quod eo in casu quælibet peccata etiam mortalia per Extremam Unctionem *per se* remittantur.

Resp. 1. docere plures Theologos quos hujusce operis pagina 504. laudavimus, fidelibus vulgo viri frugi habitis impendendam esse absolutionem, etiamsi præ morbi acerbitate obmutescentes nullo exteriori signo contritionem suam probare valeant, nec ante mor-

morbum voce aut signo Sacerdotem advocaverint. Resp. 2. concesso anteced. neg. conseq. Ratio est, quia ideo tunc Ecclesia fideli de quo agitur, Unctionis Extremæ Sacramentum impendit; quod eum aut nullius peccati lethalis reum, aut justificatum per absolutionis Sacramentalis votum existimet, aut quod (ut passim docent Theologi) censeat Unctionem Extremam *per accidens* dimittere peccata mortalia, cum nempe aut a reo ignorantur, aut non occurrunt ejus memoriæ, aut præ impotentia ab impio apud Sacerdotem accusari non possunt. *Contingit* (inquit S. Thomas lib. iv. contra Gentes cap. 73.) *quod homo omnium peccatorum quæ commisit notitiam vel memoriam non habet, ut possit per pœnitentiam singula expurgare: sunt etiam quotidiana peccata, sine quibus præsens vita non agitur, a quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari*. In eum S. Thomæ locum sic Ferrariensis ratiocinatur: *Ex doctrina S. Thomæ sic intelligitur dimitti culpam per Extremam Unctionem, quod tamen adsit pœnitentia in proposito ipsam Extremam Unctionem suscipientis, quando exteriorem pœnitentiam suscipere non potest. Tunc enim ex hoc Sacramento simul cum proposito & desiderio confessioni confertur gratia per quam culpa remittitur, & sic non sequitur quod Pœnitentiæ Sacramentum sit superfluum. Attendendum autem, cum vult S. Thomas per hoc Sacramentum emundari hominem a peccatis quæ in memoria non habet, quod hoc intelligendum est, quando talia peccata prius per Pœnitentiam non sunt dimissa, puta quia homo non est usus debita diligentia ad recolendam ea: tunc enim homo in extremis positus, si adsit dolor generalis eorum, quorum per incuriam fuit oblitus, per hoc Sacramentum* (Extremæ Unctionis) *ab omnibus emundatur*.

Conclusio 2. Per Unctionem Extremam peccata venialia *primario & per se* remittuntur.

Probatur. Primo. Ex Concilio Tridentino peccata per Unctionem Extremam dimittuntur. Atqui peccatorum nomine non intelligitur pœna quæ illis quoad culpam dimissis debeatur, neque reliquiæ seu infirmitates quas anima contraxit, neque culpa peccatorum mortalium, ut superiori conclusione ostensum est. Ergo intelligitur venialium peccatorum culpa. Secundo. Ille effectus *primario & per se* producitur ab Unctione Extrema qui in illius forma exprimitur. Atqui remissio peccatorum venialium exprimitur in Extremæ Unctionis forma: *Quidquid deliquisti per visum &c.*

Objicies. Opus non fuit Sacramento quo peccata venialia per se dimitterentur, cum dimitti possint sine infusione gratiæ habitualis, quam Sacramenta operantur; per orationes nimirum, per actus Contritionis, & charitatis, aliaque ejusmodi pietatis exercitia.

Resp. 1. venialium peccatorum remissionem non esse adæquatum effectum qui *per se & primario* ab Unctione extrema producatur; ei scilicet adjungi debent absterfio reliquiarum peccati, animæ hominis ægrotantis alleviatio; Definitur enim in Concilio Tridentino *Rem hujus Sacramenti esse gratiam Spiritus sancti, cujus unctio delicta & peccati reliquias abstergit & ægroti animam alleviat*. Quamvis ergo alia ratione quam per infusionem habitualis gratiæ dimitti possint peccata venialia, non abs re fuit tamen ut illi adscriberetur illa dimissio, sed conjuncta cum aliis effectibus quos eadem gratia (ut mox dictum est) operatur. 2. Venialium peccatorum remissio per Sacramentum facilior est quam ea quæ per opera pietatis comparari potest, Christus vero præ sua in homines charitate facile illud medium pro eo tempore instituere voluit: quo jam jam ex hac vita discessuris nonnumquam præ morbi acerbitate, vix suppetit facultas eliciendi ferventes pietatis actus, quibus remissio peccatorum venialium impetretur, juxta illud Scripturæ: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*.

Caput Quartum.

An absterfio reliquiarum peccati, & animæ alleviatio sint effectus Unctionis Extremæ?

Conclusio 1. Unctio Extrema *primario & per se* peccatorum reliquias abstergit.

Probatur. Per peccatorum reliquia, *Propensio ad malum, Torpor ad bonum operandum, Ineptitudo ad cælestium meditationem*, intelliguntur. Ea autem omnia ex peccato originali contracta sunt, iis etiam augmentum accessit ex actualibus in quæ in dies labimur, juxta præclaram hanc Augustini sententiam lib. Ultimo de Trinitate cap. 27. *Quæ causa est cur acie sua lucem illam incommutabilem videre non possis, nisi infirmitas? Et quid tibi eam facit nisi iniquitas?* Atqui ea omnia per Unctionem Extremam absterguntur. Nam 1. cum tollat peccatorum venialium culpam, efficit ut mens magis sit libera ad cogitandum de iis quæ ad salutem pertinent. 2. Reliquiarum de quibus agitur absterfionem, ostendit ipsa materia ex qua Sacramentum constat: id nimirum efficiunt Sacramenta quod significant. Atqui unctio olei in membris corporeis id abstergit quod torporem & ineptitudinem ad operandum parit: Ergo sacra ejusdem olei unctio tollit prorsus, aut saltem minuit spiritualem animæ torporem, aptamque illam efficit ut cogitet de cœlestibus.

Jam vero quod ea peccati reliquiarum absterfio *per se & primario* ab Extrema Unctione producatur, ostenditur ex eo quod gratia quam hoc Sacramentum operatur, detur per modum medicinæ spiritualis & curationis perfectæ: *Quia* (inquit S. Thomas lib. iv. contra Gentes cap. 73. *homo vel per negligentiam, vel per occupationes varias vitæ, aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia hujusmodi, prædictos defectus in se perfecte non curat, salubriter ei providetur, ut per hoc Sacramentum prædicta curatio compleatur*. Ostenditur iterum ex eo quod hoc Sacramentum sit, ex Patribus, complementum Sacramenti Pœnitentiæ, seu (ut loquitur Concilium Tridentinum) illius consummativum. Atqui gratia quæ datur per modum medicinæ, peccatorum reliquias *primario ac per se* abstergit: cum illæ reliquiæ (ut observatum est ex Augustino) sint infirmitates & morbi quos anima ex præteritis peccatis contraxit.

Conclusio. 2. Animæ alleviatio alter est effectus qui *primario & per se* ab Extrema Unctione producitur.

Probatur 1. ex Jacobo qui conceptis terminis eam mentis alleviationem Sacramento Extremæ Unctionis adscribit: *Et alleviabit eum Dominus*, seu (ut habetur in Græco) *Eriget eum Dominus*. 2. Concilium Tridentinum absoluto illum effectum sacræ Unctioni tribuit. 3. Languore illo, quo anima velut pondere premebatur, ablato, seu abstersis peccatorum reliquiis, infirmus erigitur; proindeque fert alacrius morbi incommoda, ac tentationibus dæmonis facilius resistit. Confirmatur triplex illud argumentum ex eo quod Patres Extremam Unctionem vocaverint *Spei Sacramentum* quo scilicet innuerent per eam infirmum erigi ut fortius cum hoste in exitu dimicet. Confirmatur iterum ex Eugenio Papa iv. qui effectum de quo hic agitur, in decreto pro instructione Armenorum his verbis complexus est: *Effectus* (Extremæ Unctionis) *est mentis sanatio*: Sanatur autem anima tum peccatorum remissione, juxta illud *Sana animam meam quia peccavi tibi*, tum eum ablato languore ex peccatis contracto, mens in spem & alacritatem erigitur. Observet hic velim lector Extremam Unctionem effectum quem hic exponimus, immediate non operari, sed mediate tantum, in quantum nempe dat jus ad auxilia actualia quibus infirmus ad magnam divinæ misericordiæ fiduciam excitatur, ac in victoriæ ex hostibus referendæ spem erigitur.

CA-

Caput Quintum.

Utrum sanitas corporis sit Extremæ Unctionis effectus?

Conclusio. Unctio Extrema confert corporis sanitatem si animæ saluti expedierit.

Probatur 1. Sanitatem corpoream significant hæc Jacobi verba: *Oratio fidei salvabit infirmum*. Cum enim hæc priora ejusdem Apostoli verba: *Infirmatur quis in vobis?* de corporea infirmitate intelligantur, de ea pariter exponi debent hæc posteriora: *Oratio fidei salvabit infirmum*: alioquin consequentia cum antecedentibus non cohærerent. 2. Ejusmodi fuit Ecclesiæ perpetua consuetudo ut ministri inter conferendum hocce Sacramentum orarent pro corporea salute infirmi quem inungebant. In Sacramentario Gregorii Magni, hæc ad olei consecrationem oratio præscribitur: *Emitte, &c. Ut tua benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.* Præscribit & alteram in qua Sacerdos petit ut infirmus Dei *medelam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat*. In alia subsequente sic idem Sacerdos orat: *Sana quoque, quæsumus, omnium medicator, ejus febrium, & cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque, & dolorum omnium dissolve tormenta, &c.* Eugenius Papa IV. effectus de quo agitur, meminit in suo decreto pro Armenorum instructione: *Effectus* (inquit) *est mentis sanatio; in quantum autem expedit etiam corporis*: Illius etiam meminit Concilium Tridentinum: *Sanitatem* (ait) *corporis interdum ubi saluti animæ expedierit* (infirmus) *consequitur*.

Quæres 1. utrum sanitas corporea primo & per se producatur ab Extrema Unctione?

Resp. negative; est enim effectus secundarius tantum. Ratio petitur ex eo quod Sacramenta primo & per se ad animæ sanctitatem instituta sint, non autem ad ea quæ fluxæ sunt ac labentis naturæ, juxta illud Augustini Enchiridii 66. *Totum quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum quam ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinet*.

Quæres 2. utrum sanitas corporea *ex opere operato* ab Extrema Unctione producatur. Ratio dubitandi ex eo petitur, quod effectus qui producitur *ex opere operato*, semper ab eo recipiatur, qui minime fictus, seu absque affectu ad mortale peccatum accedit; Sanitas autem corporea non sic recipiatur ab infirmo. Quod enim nonnulli reponunt, eos qui moriuntur ubi hoc Sacramento donati sunt, vel ad ipsum indigne accessisse, vel sanitatem corpoream eis non fuisse futuram utilem ad salutem, absurdum videtur. Nam 1. præbet fundamentum judicandi eos qui sic mortui sunt, recepisse Unctionem Extremam cum affectu ad peccatum mortale, aut saltem in statu peccati mortalis; quod quidem judicium temerarium est. 2. Repugnat experientiæ, quod iis qui convaluere post receptam Unctionem Extremam, sanitatis corporeæ restitutio fuerit utilis ad salutem, quippe quod plures accepta Extrema Unctione in statu gratiæ convalescant, qui postea totos se dant sceleribus, ac tandem in eorum affectu moriuntur.

Respondent multi Thomistæ sanitatem corpoream *ex opere operato* produci ab Extrema Unctione. Ad argumentum vero propositum dicunt eos qui inique vivunt ac tandem moriuntur post receptam in statu gratiæ Unctionem Extremam, non recuperasse sanitatem corporis vi Sacramenti, sed virtute causarum naturalium, quarum ordinem Deus nec solet, nec ordinarie debet impedire.

Respondet ad idem quæsitum Dominicus Soto. 1. Unctionem Extremam semper adjuvare infirmum a quo recipitur, ad recuperandam sanitatem: ita ut cæteris paribus, facilius sanetur unctus quam is qui minime fuerit inunctus. 2. Contendit Unctionem Extremam infirmum sæpius ad integram sanitatem non perducere præ morbi iniquitate quæ virtutem Sacramenti superet. 3. Asserit Eugenium Papam IV. non definiisse tamquam articulum fidei, sed tantum alludendo ad Hugonis doctrinam, quod Extrema Unctio salutem corpoream operetur quoties animæ saluti expedierit. Sententiam suam laudatus author confirmat exemplo quod desumit ex Sacramento Confirmationis, quod quidem (inquit) licet ex natura sua satis habeat efficaciæ, quo Christianum corroboret ad confitendam coram tyrannis fidem: non efficit tamen semper ut Christianus illam actu confiteatur, vincente scilicet (inquit) virtutem Sacramenti meticulosa illius Christiani natura: Id tamen non impedit (addit idem author) quin Extrema Unctio corporis sanitatem efficiat *ex opere operato*, cum aliunde tanta non est infirmitatis acerbitas, ut opus sit ad illius curam extraordinario miraculo.

Respondet Estius Extremam Unctionem non operari corpoream sanitatem *ex opere operato*, sed *ex opere operantis*: unde concludit illius effectus respectu, sacram Unctionem non tam Sacramentum esse quam aliquid Sacramentale. (Cujusmodi est (inquit) aspersio aquæ benedictæ: ut non aliter sacra unctione impetretur sanitas aut morbi levamen, quam aspersione aquæ precibus Sacerdotis consecratæ tollitur corruptio aeris vel infestatio dæmonis. Quæ responsio (addit laudatus author) maxime conformis videtur sententiæ Conciliorum, quæ conditionem apponunt: nam Sacramenta quidem ut Sacramenta, absolutum habent effectum. Quod si ergo in effectu conditio intelligitur, Sacramentum non ut Sacramentum operatur, sed alia ratione, qua nimirum operantur & cætera, quæ precibus Ecclesiæ in varios usus consecrantur, idest per modum orationis publicæ; id quod satis aperte indicant hæc Catechismi ad Parochos verba: *Quia non semper sequitur ut ægri a morbis convalescant, ob eam causam precationis forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus quod Sacramenti vis constanti & perpetuo ordine efficere non solet*. Hoc etiam innuere videtur Concilium Tridentinum quando dicit: *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequatur*: Notandum enim illud, *Interdum*, *Ubi expedierit animæ saluti*: Nam sensus est *non semper*, sed *interdum* conferri sanitatem corporis; nunquam tamen nisi expediat animæ saluti, idest, nisi ad bonum salutis: Porro (prosequitur idem author) sicut non discedente dæmone ab eo loco ubi aspersa fuerit aqua benedicta, non dicimus frustra factam esse aspersionem, maxime si cum fide & devotione facta fuerit; quia pietas operis apud Deum fructu suo non privatur, & novit Deus quare non expediat dæmonem inde abigi; ita de unctione ægroti respectu hujus corporalis effectus dicendum est.) Hactenus Estii verba laudata sunt.

Quæres 3. quare Christus voluerit ut Unctioni Extremæ corporis sanitas, saltem tamquam secundarius effectus annecteretur.

Resp. id factum fuisse singulari Dei in homines providentia: Cum enim nihil morte terribilius fingant, nec quidpiam magis appetant quam vitam, isque appetitus tunc maxime exerat se se, cum ad vitam prorogandam homo naturæ præsidiis destituitur, ut in morbo maxime periculoso contingit: prorogationem vitæ modis illicitis quærunt, sic ut IV. Regum 1. fecisse legitur Ochozias Rex Israel. Tentationi ejusmodi ut Christus iret obviam, sacro signaculo, etiam beneficii corporalis effectum, licet non præcipuum, sed secundarium, adjungendum duxit. Annotatum est id ab authore tractatus: *De rectitudine Catholicæ conversationis*, qui inter Augustini opera legitur: *Quoties* (ait) *aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non divini, non sortilegi; sed qui ægrotat in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & devotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, & secundum Apostolum, Oratio fidei salvabit infirmum, &c.*

QUÆSTIO NONA.

De Proprietatibus Unctionis Extremæ.

INter Unctionis Extremæ proprietates recensebimus tum iterationem, tum necessitatem: seu quæremus primo, an Extrema Unctio possit iterari: secundo, utrum sit cuique infirmo necessaria.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Extrema Unctio possit iterari?

PRopositæ quæstionis duplex potest esse sensus; seu dubitari potest, 1. utrum eidem infirmo, sed in diversis infirmitatibus constituto, Unctio Extrema iterato dari possit. 2. utrum in eadem infirmitate possit conferri.

Duodecimo sæculo nonnullis Scriptoribus visum est Unctionem Extremam eidem infirmo etiam in diversis infirmitatibus, dari non posse. In eam sententiam abiit Goffridus Vindocinensis: *Sicut consuetudines Monachorum S. Benedicti regulæ concordantes laudamus* (inquit Epistolarum lib. 2. Epist. 19. ad Yvonem Carnotensem inscripta) *sic eas quas S. Benedictus nec docet, nec præcipit & quæ a ratione penitus discrepare videntur, laudare non possumus ..... Et ut cætera taceamus in hoc (ut nobis videtur) non mediocriter errant quod Unctionem infirmorum .... iterandam putant*. Goffrido assensit Yvo Carnotensis, hæc enim ad eumdem Goffridum rescripsit Epistola 20. quæ mox ex Goffrido laudata, tom. 21. Maximæ Bibliothecæ Patrum subjicitur, *Unctionem infirmorum non æstimo repetendam*. Iis authoribus accessere plures alii quos Petrus Cluniacensis Abbas Epist. lib. v. Epist. VII. confutat.

Nonnulli Scriptores arbitrati sunt Unctionem Extremam eidem infirmo in eadem infirmitate, & etiam in eodem infirmitatis statu sæpius olim collatam fuisse: Nitebantur his Gregorii Magni verbis in Sacramentario ex editione Hugonis Menardi: *Deinde communicet eum* (infirmum jam inunctum) *De Corpore & Sanguine Domini, & sic faciant illi per septem dies tam de communione quam de alio officio* (ac proinde de Extrema Unctione, cujus ritum mox descripserat, Gregorius loquitur) *& suscitabit Eum Dominus, & si in peccatis fuerit dimittentur ei*.

Apud Scholasticos tam antiquos quam recentiores tritum est axioma, Unctionem Extremam posse sæpius iterari in eadem infirmitate si diversus sit illius status, idest si ubi infirmus paulo convaluerit, postea gravius ac periculosius ægrotet: *Ordinatur* (inquit S. Thomas lib. IV. contra Gentes cap. 73.) *hujus Sacramenti inunctio ad sanandum. Medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur*. Quid vero nos des iis dubiis sentiamus, subsequentibus conclusionibus aperietur.

Conclusio 1. Extrema Unctio potest idem infirmo, sed in diversis infirmitatibus constituto, sæpius conferri.

Probatur 1. ex Scriptura. Jacobus cum unctionem infirmi commendat, absolute loquitur, seu sine restrictione: *Infirmatur quis in vobis, &c.* Quoties igitur quis in morbum periculosum incidit, donandus est Extrema Unctione. Urget illud argumentum Petrus Cluniacensis Epistol. lib. 5. Epist. 7. *Nonne & Apostolus hoc se indicat velle ut quoties quis infirmatus fuerit, toties inungatur? Nam quid aliud sonant verba illius: infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ: Non enim ait: infirmatur quis in vobis semel, aut Infirmatur quis in vobis bis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ semel: sed nulla mentione unius, binæ, vel ternæ unctionis facta, jubet nullo præfixo numero induci ad ægrotum Presbyteros Ecclesiæ, fidei orationem fieri, ad alleviationem & peccatorum remissionem cum oleo sacro inungi. Non igitur mihi videtur dicendum esse, quod Apostolus non dixit: addendum esse quod ipse non scripsit; sentiendum, quod ipse, ut verba ejus indicant, non sensit*. 2. Patres qui ante 12. sæculum scripsere, in ea fuerunt opinione quam defendimus: imo non in diversis tantum infirmitatibus, sed etiam in eadem & quidem licet augeretur in dies ægrotantem sæpius unxerunt, ut ex Gregorii Magni Sacramentario perspicuum est. 3. Institutum est Unctionis Extremæ Sacramentum tum ut ægroti peccata dimittantur, tum ut corporeæ illius saluti consulatur: Sæpius autem & non semel tantum, adest ejusmodi causa; sæpius igitur iteretur oportet; est mox laudati Petri Cluniacensis ea ratio: *Iterari, prout mihi videtur* (inquit) *necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necesse est peccatorum, propter quam fit illa unctio, remissionem*. 4. Licet 12. sæculo quibusdam (ut observatum est) visum sit iterari non posse, etiam in diversis morbis, infirmorum unctionem, prævaluit tamen opposita sententia quam Petrus Cluniacensis, Petrus Lombardus, Hugo Victorinus tuiti sunt: unde licet Ecclesia Carnotensis cui præerat Yvo, bis infirmos tunc non ungeret; cæteræ tamen sæpius inungebant.

Objicies triplex argumentum quo tum Goffridus Vindocinensis, tum Yvo Carnotensis, tum alii quorum Petrus Cluniacensis meminit, utebantur, ut probarent Unctionem Extremam eidem infirmo etiam in diversis morbis conferri non posse. Primo (inquiebat Yvo ad Goffridum rescribens:) *Unctionem infirmorum non æstimo repetendam, quia, sicut ipse asseruisti, secundum institutum Apostolicæ sedis, genus est Sacramenti. Qui autem Sacramenta Christi & Ecclesiæ repetit, injuriam ipsis Sacramentis ingerit*. 1. Hoc erat aliud ejusdem Yvonis argumentum: *Unctio infirmorum publicæ pœnitentiæ est Sacramentum, quam non esse repetendam, sicut nec Baptismum, testatur Augustinus in Epistola ad Macedonium: Caute* (verba sunt Augustini ab Yvone laudata) *salubriterque provisum est, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ut medicina vilis minus utilis esset ægrotis: quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit*. 3. Sic nonnulli apud Petrum Cluniacensem argumentabantur: *Cum unctio Baptismatis, cum unctio Confirmationis, cum unctio Sacerdotalis, cum unctio Pontificalis, cum unctio Ecclesiarum, cum unctio Ecclesiasticorum vasorum simplex sit, cum nullo deinceps tempore iteretur, qua ratione sola infirmorum unctio non solum apud quosdam geminatur, sed insuper quibusdam infirmis frequenter per diversa tempora in morbum recidentibus nullo servato numero datur?*

Resp. nullius esse momenti rationes quibus tum Goffridus, tum Yvo, tum cæteri nitebantur. Nam 1. Eucharistia, Pœnitentia & Matrimonium iteratur: unde ergo authores illi habebant esse de ratione Sacramenti quod nequaquam iteretur? 2. Pœnitentia publica, spectato solo jure divino, seu nisi Ecclesia vetuerit, ut vetuerat olim, iterari potest, & vevera jam temporis in omnibus Ecclesiis iteratur, cum iteratur crimen propter quod prius injuncta fuerat. Ergo quamvis Extrema Unctio sit quoddam publicæ pœnitentiæ genus, stando in solo jure Divino, potest iterari. 3. Quod cæteræ unctiones non iterentur, neminem movere debet, quippe quod id fiat ex Ecclesiæ institutione quæ noluit ut iteraretur: unctio autem infirmorum est ex institutione Christi, cui placuit ut iteraretur: Rationes autem quibus nixa fuit Ecclesia cum prohibuit, ne illæ ceremoniales unctiones iterarentur, tradit Patrus Cluniacensis loco superius laudato, ubi sic loquitur: *Qui hoc cogitat, vel qui hoc objiciet, attendat non solum unctionum illarum simplicitatem: sed, quod majus est, simplicitatis scrutetur & intelligat rationem. Ut quid enim jam baptizatus inungitur, nisi ut jam collata, non conferenda baptizato per Spiritum Dei peccatorum remissio demonstretur? Hoc quia semel factum sufficit, quia semel remissa peccata simplex sacri Chrismatis unctio ostendit, iterandam esse nulla ratio persuadet. Sed cur & illa quæ ab Episcopis fit Confirmationis unctio non iteratur? Non iteratur plane hac ratione: quia semel Christianus post Baptismum armis Spiri-*

Spiritus Dei per illam unctionem advocati, contra Satanæ, mundique bella munitus, alio rursum spiritu, vel aliis armis illa simplici unctione muniri non posse monstratur. Sed cur non iteratur & illa, qua Sacerdoti cælestia sacrificia sacraturo, & tractaturo manus inunguntur: illaque qua Pontificis caput dum ordinatur, largiore Chrismatis inundatione perfunditur? Sed nulla est causa hoc rursum agendi: Sacramentum enim quod semel a spiritu Dei accipiunt, etiam judicio Ecclesiæ ab officio suspensi vel depositi, nullo pacto perdere possunt. Eadem fere & de ipsa rerum insensibilium unctione ratio redditur, quia nec corporalis Ecclesiarum fabrica, nec sacrorum vasorum præparatio, bina vel terna unctio indiget; quæ semel Pontificali officio spiritus Dei benedictione congrua, ac semper dum illa manserint, mansura replet. His de causis, in Dei Ecclesia nulla jam dictorum unctionum unctio iteratur: At de infirmo, alia lex, alia de illorum frequenti unctione ratio demonstratur: Iterari enim necesse est infirmorum unctionem, quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem.

Conclusio 2. Olim, stante eodem infirmitatis statu, pluries iterabarur Unctio Extrema: multis vero abhinc sæculis in eadem infirmitate non iteratur, nisi diversus fuerit infirmitatis status, seu nisi periculose ægrotans, aliqua ratione post unctionem convaluerit, ac postea inciderit in idem periculum.

Probatur prior pars verbis Gregorii Magni, quæ hujusce capitis initio relata sunt. Altera vero colligitur ex Concilio Tridentino: *Quod si infirmi* (inquit sess. 14. cap. 3. de Extrema Unctione) *post susceptam hanc unctionem convaluerint; iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Cum Sacra Synodus non distinguat an illud aliud vitæ discrimen in ejusdem infirmitatis cursu contigerit, an in diverso alio morbo, constans est Ecclesiæ praxis in utroque casu Sacramentum iterari debere. Cum vero iterandum definit: si infirmi *post susceptam hanc unctionem convaluerint*, sat innuit iterari non debere, si post unctionem idem sit infirmitatis status, aut fiat deterior.

Nec est quod quis objiciat veterem usum qui ex Gregorii Sacramentario relatus est, de inungendo nimirum sæpius infirmo, etiam in eodem infirmitatis statu: Siquidem usus ille pertinet ad disciplinam; ac proinde in alium mutari ab Ecclesia.

Nec est etiam quod quis reponat praxi hodierna non tantum ægrotantis saluti consuli, quantum per veterem consulebatur. Nam quamvis Extrema Unctio toties olim remitteret peccata venialia a quibus immunis non est justorum vita: aliam tamen praxim Ecclesia præscripsit ut Sacramentum majori sit in pretio apud infirmum, qui ubi certus fuerit se eo Sacramento semel tantum donatum iri, cum majori fervore & uberiore dispositione se se illi subiiciet.

Caput Secundum.

De necessitate Extremæ Unctionis.

Certum est Unctionem Extremam non esse necessitate medii necessariam ad salutem: neque enim illius effectus absolute necessarius est ut quis redeat in Dei amicitiam, cum ordinarie in recipiente præsupponat habitualem illius cum Deo conjunctionem per gratiam sanctificantem: Igitur de sola præcepti necessitate moveri potest dubium.

Estius censet justos qui periculose laboraverint, nullo præcepto quod *per se* urgeat, teneri Extremam Unctionem suscipere: *Id* (inquit in 4. Sent. Dist. 23. §. 15.) *probatur ex Innocentio I. qui in Epist. ad Decentium*, sic loquitur: *Fideles ægroti sancto oleo perungi possunt. Et iterum: Eo omnibus Christianis uti licet. Quæ non sunt verba necessitatem vel Sacramenti, vel etiam præcepti indicantis, sed potius excludentis.* Idem clare paulo post sic innuit: *Si obiicias præceptum Jacobi Apostoli: respondeo quorumdam sententia Apostolum non præcipere sed hortari. Si tamen præcepti vim habere Apostoli verba quis contendat; ejus præcepti omissio, venialis culpa erit non mortalis, nisi accedat contemptus, vel certe tanta negligentia, ut pro contemptu merito reputetur.*

Juenin de Sacram.

Sambovius in tractatu de Extrema Unctione pag. 352. plura docet circa dubium de quo est hic quæstio. Contendit primo justum periculose ægrotantem nullo divino præcepto *per se* teneri ad recipiendum hoc Sacramentum, quamvis ad id aliquando teneatur *per accidens*, seu propter speciales circumstantias, ut sunt quædam graves tentationes quæ eum in exitu premant. Contendit 2. nullum extare præceptum Ecclesiasticum quod omnes obliget ad recipiendum istud Sacramentum; quamvis (inquit) leges privatarum Ecclesiarum nonnullis id oneris imponant.

Aliis, & quidem non ignoti nominis Theologis placet contraria sententia: seu volunt cuique periculose ægrotanti jure tum divino, tum Ecclesiastico debitum incumbere recipiendi Extremam Unctionem.

Conclusio 1. Jure divino quisque fidelis qui periculose ægrotaverit, tenetur recipere Unctionem extremam.

Probatur. Hæc Jacobi verba: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, strictum præceptum complecti videntur: Ea scilicet verba ab Estio nonnullisque aliis Theologis ad merum consilium immerito detorquentur. Nam 1. (ut Merbesius ratiocinatur) quidquid Jacobus asserit de ministro, de materia, de forma hujus Sacramenti, stricti sunt juris, seu præceptum stricte sumptum complectuntur, ita ut sine eis Sacramentum confici non possit: Quidni ergo hæc alia: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, consilium tantum non autem præceptum significabunt? 2. Ea Jacobi verba Traditio de lege proprie dicta non autem de mero consilio interpretata est. Theodorus anno 668. inauguratus a Vitaliano Papa Archiepiscopus Cantuariensis, (Yvone Carnotensi teste) hæc habet in libro Pœnitentiali quem in suæ Diœceseos usum conscripsit: *Ideo secundum authoritatem Canonicam, ne illis* (de infirmis loquitur in mortis periculo positis) *janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti secundum statuta Sanctorum Patrum, communione viatica reficiantur.* Nomine autem, *Authoritatis Canonicæ* non aliud Theodorus intelligere potuit quam præceptum Apostolicum quod Jacobi Epistola Canonica continetur. Præterea eadem ratione laudatus Theodorus de unctione loquitur qua de sacro Viatico; Ergo quemadmodum quisque fidelis constitutus in periculo tenetur divino jure ad Viaticum: ita & infirmus ad Unctionem extremam. Ex Capitularibus Caroli Magni eidem veritati robur additur: *Si infirmitate quis depressus fuerit vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat:* Ut quid enim capitulum unctionem olei æquiparasset communioni, si ista præcepti, illa vero consilii tantum extitisset? Alterum Concilium Cabilonense favet eidem expositioni: *Secundum* (inquit can. 48.) *beati Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent.* Vox hæc, *debent*, vim patietur si detorqueatur ad nudum consilium. Censuit ergo Cabilonensis Synodus Jacobi verbis, *Infirmatur quis, &c.* præceptum contineri. Ejusdem Apostolici mandati expresse meminit Concilium Coloniense quod anno 1538. habitum est: *Hæc* (inquit cap. 50. part. 7.) *sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici.*

Probatur iterum conclusio ratione Theologica. Quando effectus est necessarius, causa quoque censetur necessaria. Atqui periculose ægrotantibus necessarius est effectus Unctionis Extremæ: naturali nimirum & divino jure tenentur superare dæmonis tentationes, quæ, urgente vitæ exitu, solent esse gravissimæ. Ergo jure divino tenentur medium adhibere quod Christus ad referendam ex ejusmodi tentationibus victoriam specialiter instituit: alioquin enim viam ordinariam deserentes, aut præsumptionis, aut contemptus rei fierent. Vis additur illi argumento ex comparatione Sacramenti Confirmationis cum Sacramento, de quo hic agitur. Christianus qui imminente persecutione non curaret de recipienda Confirmatione, haud dubie peccaret, eo quod specialiter instituta sit a

Christo ut fidelis adversus hostes fidei corroboretur, licet robur ad eam victoriam lege ordinaria necessarium, aliunde per accidens haberi possit, per Eucharistiam nimirum, orationem, charitatis actus. Ergo a pari peccat qui urgente vitæ periculo non recipit Unctionem extremam, quam scit institutam a Christo tamquam medium quo datur jus speciale ad auxilia quibus infirmus indiget ut patienti animo toleret morbi incommoda, superetque tentationes quibus diabolus execuntes acrius premit. Præterea (ut jam observatum est in nostra dissertatione de Sacramento Confirmationis) Theologica facultas Parisiensis fidelem censuit reum fieri cum non recipit confirmationem, ubi commode potest haberi: hanc enim propositionem extractam ex libro Danielis a Jesu: *Omnes Theologi dicunt Confirmationem non præcipi, nisi cum commode haberi potest, vel (ut alii dicunt) quando commodissime, quando sine ullo vel minimo prorsus incommodo*: Illam (inquam) propositionem hac censura perstrinxit: *Scandalosa est & in maximum Confirmationis contemptum maligno animo proposita, & quæ posset in errorem inducere.* Ex ea vero censura haud difficile colligitur sacram facultatem admissuram non esse hanc aliam propositionem, quam tamen ii quos hic impugnamus, defendant oportet: *Unctio extrema non præcipitur etiam cum commode haberi potest*, sicut revera fere semper haberi potest; cum non ab Episcopis tantum, ut Confirmatio, sed etiam a simplicibus Presbyteris ordinarie ac passim administretur.

Probatur 3. nostra conclusio altera ratione theologica. Nemo revocat in dubium quin in jus divinum peccet qui vel verbis, vel factis Unctionem Extremam contemnit: *Relatum est nobis in Concilio* (inquiunt Patres Synodi Coloniensis quæ anno 1549. habita est sub Paulo papa III.) *impios quosdam homines infirmitatis suæ tempore Unctionem sacram respuisse, ac contempsisse: quamobrem statuimus ut si quis Sacramentum illud nobis ab Apostolo Jacobo tantopere commendatum contempserit, Ecclesiastica careat sepultura.* Atqui infirmus qui in periculo constitutus non recipit Unctionem extremam, eam non verbis quidem, sed facto contemnit, non absimili ratione qua baptizatus censetur Confirmationis Sacramentum contemnere, quando ei non se subjicit ubi adest Episcopus qui illud conferre paratus sit, *Contemni autem dicitur* (inquit agens de Confirmatione Synodus Senonensis quæ habita est anno 1514.) *quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens negligit aut despicit recipere.* Confirmatur ex eo quod (ut mox observatum est) Concilium Coloniense Ecclesiasticæ sepulturæ privatione mulctet infirmum qui in vitæ periculo constitutus hocce Sacramentum contempserit: Verum qua ratione Patres Colonienses decretum illud mandare potuissent executioni si non receptionem Unctionis Extremæ interpretati non fuissent de contemptu, qui in facto positus esset: nec enim interiorem contemptum, quem extrema signa non prodidissent, potuissent detegere, ac proinde nec censuris in eum animadvertere, cum sit juris regula, Ecclesiam de iis quæ mere interna sint, minime judicare.

Objicies 1. Nullus e scriptoribus quatuor priorum sæculorum asseruit a Christo latum fuisse præceptum quo infirmi ad Unctionem Extremam tenerentur. 2. Qui per sex priora sæcula piorum hominum mortes descripsere, nusquam asseruerunt eos antequam exirent, fuisse donatos Extrema Unctione, licet non raro de eorum reconciliatione per Sacramentum Pœnitentiæ, ac de sumptione Eucharistiæ locuti fuerint. Non erat igitur persuasum fidelibus quod constituti in infirmitate periculosa, divina lege ad Unctionem Extremam tenerentur.

Resp. ad 1. Jacobum Apostolum, qui vixit priore sæculo, Origenem, qui tertio, Chrysostomum qui quarto, Innocentium Papam I. qui quinto, Gregorium Magnum qui labente sexto, asseruisse (ut probatum est paginis 497. 498. 499. 500. 501.) Unctionem Extremam esse novæ legis Sacramentum, quod Christus pro infirmis in periculo vitæ constitutis instituit: ac proinde implicite ab eis assertum est, quod Christus illius Sacramenti usum infirmis ejusmodi præceperit, Præceptum illud non obscure his verbis: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, ipsummet Jacobum expressisse superius ostensum est.

Resp. ad 2. observatum fuisse pagina 500. authores qui per sex priora sæcula piorum mortes descripsere, raro admodum locutos fuisse de Eucharistia, quamvis certum sit ex Conciliis qui iis temporibus habita sunt, neminem pium ab hac vita sine communione Eucharistica fuisse dimissum: concludi igitur non potest quod iidem viri pii in exitu oleo sacrato peruncti non fuerint a Presbyteris ex eo quod unctionem ejusmodi non recenseant ii a quibus descriptæ sunt eorum mortes. Præterea illi antiqui scriptores non raro asseruerunt pios, quorum mortes descripsere obiisse in pœnitentia. At pœnitentiæ nomine ipsa etiam Extrema Unctio intelligitur, cum (ut ait Patres) sit pœnitentiæ complementum ac consummativum.

Conclusio secunda. Jure Ecclesiastico quisque fidelis qui periculose laboraverit, tenetur Unctionem Extremam re[illegible]

Probatur ex cura quam quovis sæculo Ecclesia adhibuit ut infirmos periculose decumbentes inungeret. Ejusmodi vero cura demonstratur ex Sacramentario S. Gregorii, ex Capitularibus Caroli Magni, ex variis Conciliis quæ in diversis orbis regionibus habita sunt. Textus relati sunt ubi de hujus Sacramenti tum existentia, tum ministro superius disputatum est. Demonstratur iterum ex debito tum charitatis, tum justitiæ, quo, ex Ecclesiasticis monumentis, Parochi tenentur infirmis periculose laborantibus conferre Unctionem Extremam. De eo debito audiendus est S. Bernardus in vita S. Malachiæ Hybernorum Pontificis. Narrat SS. Præsulem summo mœrore affectum fuisse quod mulier quædam, ad quam vocatus fuerat, exiisset e vivis antequam sacrato oleo inungi potuisset: adeo ut duxerit enixis precibus, uberibusque lachrymis peti deberi a Deo illius mulieris suscitationem e mortuis, quo Unctione Extrema donaretur. Audiendus est S. Carolus in V. Concilio Mediolanensi qui & illud S. Malachiæ factum, & debitum de quo agitur, hisce verbis enarrat: *Caveat Parochus* (inquit parte 2 sub titulo: Quæ pertinent ad Sacramentum Extremæ Unctionis) *ne in eo Sacramento ministrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahat. Alioquin si ad illius ministrationem accersitus ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tum pœna ab Episcopo graviter plectatur. Is porro ad omnem hujus Sacramenti in tempore administrandi diligentiam, præterquam quod præcipue cura sua quæ sanctæ sollicitudinis plena est, officio valde admodum perpetuo excitetur: proposito etiam sibi exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ accendatur, qui tam vehementi animi dolore ex eo affectus est, quod culpa sua mulier quædam Sacramenti hujus gratia fraudata decesserit, ut totam noctem, orando, gemendo, lachrymando consumpserit, lachrymarumque vi quasi maximo imbre pro oleo sancto, quod non ministravit, mortuam perfuderit. Mane autem exaudivit Dominus sanctum suum: ita ut illa e morte tamquam e somno excitata, e lecto se se erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps a morbo convaluerit.*

Probatur iterum conclusio exemplis hominum piorum qui periculose laborantes sedulo juxta Apostoli documentum, Presbyteros advocarunt a quibus inungerentur. *Illa*) inquit au hor sanctæ Hunegundis apud Surium) *conversa ad eos qui illi assidebant, Presbyteros, sacræ unctionis oleum & Eucharistiam sibi petiit ministrari.* Huc referri potest quod de Carolo Magno scribit Eparchius in ejus vita, quodque hujusce Commentarii pagina 508. retulimus. Hic etiam exscribere oportet quæ Guillelmus Malmesburiensis scribit de Beda Venerabili: *Accita Congregatione* (inquit lib. 1. hist. cap. 3.) *inunctus est & communicatus: die vero Ascensionis spiritum efflavit.* Hic etiam laudari possunt quæ Paschasius Radbertus scribit de Adelardo Abbate: authoris textum lector superius descriptum reperiet pag. 499. Rupertus in vita Hereberti Coloniensis hæc habet: *Abbatem Eliam accersivit, quo veniente* SECUNDUM PRÆCEPTUM APOSTOLI, *sacro est unctus oleo in nomine Domini.*

mini. De aliis viris piis qui ab undecimo sæculo obierunt, nihil est quod hic dicamus: quippe quod ratum sit eos omnes ante mortem sacra unctione delibutos fuisse. Perpetua igitur Ecclesiarum praxi compertum est morem recipiendi Unctionem Extremam obtinuisse quovis sæculo tamquam præceptum quod non Apostolus modo, sed & Ecclesia fidelibus infirmis imposuisset.

Nec est quod quis dicat homines pios ex humili pietate, non autem ex debito, curasse administrari sibi in exitu Unctionis Extremæ Sacramentum: Nam, præterquam quod nonnulli ex laudatis scriptoribus dicant se gessisse pios illos homines *secundum præceptum Apostoli*, non est verisimile tot sæculorum fideles in diversis terrarum regionibus constitutos, id facturos fuisse nisi eis fuisset persuasum sacrum illum ritum infirmis de vita periclitantibus præceptum fuisse. Quemadmodum de perpetua fidelium praxi in recipienda Eucharistia in exitu vitæ, recte concluduntur urgere quemque fidelem præceptum communicandi in illa periodo; ita nihil vetat quin ex constanti ac perpetua fidelium consuetudine præceptum de Extrema Unctione recipienda latum concludatur.

Objicies cum Cabassutio nostræ Oratorii Congregationis Presbytero. Cum in Ecclesia Latina Extrema Unctio detur tantum aut brevi morituris, aut saltem de vita periclitantibus, excitat in infirmo ideam mortis, aut saltem indicat quod versetur in vitæ discrimine: Ea vero cogitatio sic valet infirmum perturbare ut ineptus fiat ad actus pios ad quos tunc debet conari, eique metum incutiat, qui morbi vim augens, vitam illius in majus periculum adducat. At præcepta quæ juris sunt positivi, sive divinum sit, sive humanum, saltem in iis quæ ad salutem non sunt absolute necessaria, non obligant cum tanto eorum, quibus imponuntur, detrimento.

Resp. 1. Illud argumentum non habere locum in iis infirmis qui, sicut quondam Apostolus, cupiunt dissolvi & esse cum Christo. 2. Periculum cui Cabassutius consultum voluit, raro contingit in iis etiam hominibus, qui dum sani essent, plurimum erant deditis sæculo. 3. Supponit argumentum quod infirmi ordinarie monendi non sint periculum in quo versantur; quod tamen falsissimum est. 4. Si valeret objectio; concludi posset plerisque infirmis Eucharistiam dari non debere per modum Viatici: neminem enim vel agrestiorem latet, communionem iis tantum per modum Viatici dispensari qui periculose laboraverint. 5. Periculi quod Cabassutius veretur nullam omnino rationem habuerunt Majores nostri qui per duodecim priora sæcula nemini infirmo nisi prius uncto porrexerunt Eucharisticam communionem. 6. Infirmi docendi sunt Unctionem Extremam non dari tantum iis hominibus quorum sit desperata salus corporea, sed iis etiam qui secundum cursum causarum naturalium, aut medicæ artis auxilio, priorem valetudinem recuperare possunt. Docendi sunt præterea per Extremam Unctionem augeri laborantis corporis vires, augeri etiam medicamentorum virtutem, ita ut per Sacramentum corroborata remedia ægrotum ad sanitatem, si expedierit animæ saluti, perductura sint. Monitum illum tradunt Patres Concilii Provincialis Burdigalensis quod anno 1538. habitum est: *Quapropter* (inquiunt titul. 13. *Parochis præcipimus ut omnes curæ suæ creditos frequenter moneant, ne sint hac in re lentiores aut negligentiores, cum inter eos aliquis periculose laborare videbitur. Curet etiam crebris monitionibus imperitum vulgus ab illa inani & impia opinione abducere, qua plerique sinistre de hujus Sacramenti virtute sentiunt perinde ac si mortem ægris acceleret: cum certum sit, ex Apostoli doctrina Deum non animæ tantum, verum etiam corpori, si expedierit, virtute hujus Sacramenti salutem conferre*.

QUÆSTIO DECIMA.

De dispositionibus ad recipiendam Unctionem Extremam requisitis.

CONclusio. Variæ requiruntur dispositiones ut quis debite Unctionem Extremam recipiat.

Probatur enumeratione. Ut quis Extrema Unctione donetur, requirunt 1. ut sit Sacramento Baptismatis initiatus: nec mirum, cum omnia Sacramenta quæ in actione posita sunt, in iis, in quibus baptisma non præcesserit locum non habeant.

Requiritur 2. ut si adultus, id est ad rationis usum pertigerit. Ratio est, quia (ut superius ostensum est) hujus Sacramenti forma: *Indulgeat tibi Dominus*; in pueris locum habere non potest.

Requiritur 3. puritas animæ: ita ut nemo conscius peccati mortalis Unctionem hanc recipiat, nisi prius, si tamen possit, animam per confessionem emundaverit: sic enim præcipiunt libri rituales, sic etiam ferebat antiquorum consuetudo. *Antequam ungatur infirmus* (inquit Codex Siculus Barberinus) *confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti suo pariter omnia peccata sua & reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum prius per confessionem adapertis, dignius proficiat ei unctio spiritalis medendo nequitiarum putredinem interius latitantem*. Hæc etiam habet vetus Pontificale Anglicanum: *Post, ejus accipiat confessionem*: Idem decernitur in Concilio Moguntino quod anno 847. habitum est: *Ab infirmis in mortis periculo positis* (inquit cap. 26.) *per Presbyteros pura inquirenda est confessio, & ideo secundum Canonicam auctoritatem ...... cum unctione Dei animati secundum statuta SS. Patrum communione Viatici reficiantur*. Unde veterum usui conforme est hocce S. Caroli monitum, Actorum part. 4. Instruct. de Extrema Unctione: *Quoniam nihil Sacramenti gratiam magis impedit quam mortalis alicujus peccati conscientia, idcirco in eo ministrandum usum, consuetudinem hanc tenebis, ut si fieri potest, infirmum non ante ungas quam peccata confessus sit*.

Requiritur 4. quædam in hoc Sacramentum devotio. S. Thomas actualem requisisse videtur, sic enim in supplemento loquitur 3. p. q. 32. art. 4. in corpore; *Respondeo dicendum quod hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente*. Verum non de actuali devotione quæ præsens sit, intelligendus est S. Doctor: sic enim ipse mentem explicat suam 3. p. q. 80. art. 9. in corp. *Respondeo dicendum quod aliqui dicuntur non habere usum rationis dupliciter: uno modo, quia habent debilem usum rationis, sicut dicitur non videns qui male videt. Et quia tales non possunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non est eis hoc Sacramentum denegandum. Alio modo dicuntur aliqui non habere usum rationis totaliter. Aut igitur numquam habuerunt usum rationis, sed sic a nativitate permanserunt: & sic talibus non est hoc Sacramentum exhibendum, quia in eis nullo modo præcessit hujus Sacramenti devotio. Aut non semper caruerunt usu rationis: & tunc, si prius quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus Sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc Sacramentum exhiberi*. Cohæret illa S. Thomæ expositio cum hodierna Ecclesiæ praxi: constat nempe Unctionem Extremam iis hominibus exhiberi, qui usu rationis actu minime fruuntur, modo eam prius petierint, aut per pietatis opera, dum sani essent, testati sint se bene sensisse de Ecclesiæ Sacramentis: ita ut ex æquo & bono præsumi possit eos illud Sacramentum petituros fuisse, si per morbum improvisum eis liceret.

Juenin de Sacram.

QUESTIO UNDECIMA,

De ritibus adhiberi solitis in infirmorum unctione.

Difficultates quæ pertinent ad ritum quo debet administrari Extrema Unctio, methodi causa ad subsequentes quæstiunculas reducemus.

Quæres 1. quo in loco Extrema Unctio conferri soleat?

Resp. 1. Græcos Feria v. sanctioris hebdomadæ ungi solitos esse in templo, etiamsi firma valetudine fruantur: *Adeo* (inquit Goarius in suis notis ad S. Olei officium) *unumquemque oleo sancto ab Episcopo benedicto, sese in Ecclesia Orientali ungendum offerre Feria v. in Cœna Domini, unctionemque ejusmodi, ut peccatorum antidotum & sanctitatis largitricem sacræ communioni præviam, Episcoporum manu suscipere.* 2 Qui infirmi sunt apud Græcos modo inunguntur in templo ad quod se deferri curant, modo vero in privatis domibus: *Gravi affectos ægritudine* (ait idem Goarius) *officio prosecuti super eos recitato, unanimi cum Latinis consensu in domibus Græci ungunt: imo & ægroti plerique e plebe, aliorum manibus & ope ad Ecclesiam se deferri student.* 3. Passim per annum iidem Græci in Ecclesia perunguntur, licet sani sint, ubi nimirum ediderunt peccatorum confessionem: argumenta quibus nititur ea responsio superius relata sunt, ubi actum est de hujusce Sacramenti subjecto apud Græcos,

Resp. iterum apud Latinos quibus consuetum est solos infirmos inungere, hoc Sacramentum sæpius olim in Oratorio datum fuisse viris piis qui præ sua in hoc Sacramentum reverentia, vel conferebant se in templum, vel eo deferebantur a fidelibus. Hæc nimirum Bernardus scribit in vita S. Malachiæ cap. 31. *Interea jubet se sacro oleo ungi, exeunte conventu Fratrum, ut solemniter fieret, non sustinuit ut ad se ascenderent* (e templo) *ipse descendit ad eos.* Nonnullis quoque Monachis suis hujus ætatis celeberrimus Abbas nostræ Dominæ De Trappa ita in templo hocce Sacramentum contulit. Vulgo tamen his temporibus, privatis in domibus administratur infirmis & quidem in lectulo decumbentibus, si præ morbi iniquitate alio decentiore in loco inungi non possint.

Quæres 2. num Extrema Unctio præmittenda sit Eucharistiæ communioni.

Resp. antiquitus Unctionem Extremam fuisse datam infirmis immediate ante Eucharistiæ communionem. Id probat Doctissimus Hugo Menardus ex libro Sacramentorum S. Gregorii, ex Codice Rotaldi & ex Codice Tilliano, ubi infirmi inunctio peragenda præscribitur antequam infirmus communicetur: *Deinde* (seu, post unctionem) *communicet eum* (Sacerdos) *Corpore & Sanguine Domini.* Probat etiam ex Pœnitentiali libro Theodori Cantuariensis: *Ideo secundum Canonicam authoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus sacra cum unctione olei animati, secundum statuta SS. Patrum communione Viatici reficiantur.* Probat quoque Ex eparchio authore vitæ Caroli Magni: *Oleo sancto inunctus ab Episcopis* (inquit) *& Viatico sumpto..... obiit in pace.* Probat iterum ex Constitutionibus Riculphi Episcopi Suessionensis: *Item oportet* (inquit) *ut Presbyteri infirmos suos post confessionem & reconciliationem oleo sancto perungant & tunc eos communicent*: qui usus hodie obtinet Parisiis, ut supra p. 499. innuimus, loquentes de Rituali Emin. Card. Noallii.

Aliquibus ab hinc sæculis diversa disciplina obtinuit apud Latinos, seu passim communicatur infirmus antequam Unctione Extrema donetur: *In qua* (verba sunt Romani Ritualis editi jussu Pauli Papæ V.) *illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus & infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur.*

Jam vero si quis roget quænam ex duabus illis disciplinis sit magis laudanda; dicendum erit utramque non levibus niti momentis. Antiqua nititur ipsa Extremæ Unctionis natura: cum enim (ut ajunt Patres) sit quoddam Sacramenti Pœnitentiæ consummativum, decuit ut non separatur ab ipso Pœnitentiæ Sacramento. Præterea cum peccata, saltem venialia, remittat, animamque quo de cœlestibus cogitet, expeditam afficiat, par fuit ut per modum dispositionis sacræ communioni præmitteretur. Alter usus ipsa etiam Unctionis natura nititur: cum enim sit Sacramentum exeuntium, non immerito confertur post cætera omnia Sacramenta: Unde autem posterior ea consuetudo originem duxerit, his verbis docet Bellarminus lib. 7. de arte bene vivendi cap. 7. *Nostro tempore invertitur ordo non sine justissima causa: sæpe enim accidit ut Extrema Unctio, ne terreantur ægroti, differatur in longum tempus, & periculum est ne interim ægrotus vel usum rationis amittat, vel alia de causa reddatur inhabilis ad Eucharistiam rite percipiendam; Ideo igitur Viaticum nostro tempore præmittitur; Melius est enim ut inverso ordine Sacramenta ita ministrentur ægrotis quam ut altero eoque saluberrimo priventur. Unctio enim extrema conferri potest ægroto etiam in agone posito, & non intelligenti vel sentienti quid circa se agatur, modo tamen in vivis sit, defuncti enim nullius Sacramenti capaces sunt.* Cæterum non in Extremæ tantum unctionis administratione, sed & in dispensatione aliorum Sacramentorum quisque in praxi tenetur sequi ritum qui suis temporibus obtinet in Ecclesia cujus est minister: *Si quis dixerit* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 7. can. 13. de Sacramentis in genere) *receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse anathema sit.*

Quæres ultimo quo ritu Sacerdos, cui munus infirmum inungendi incumbit, procedere debeat ad locum in quo hocce Sacramentum administraturus est?

Resp. quemque (ut mox observatum est) teneri eum ordinem servare qui in libris ritualibus præscribitur. Prætermissis vero quæ in hodiernis continentur, hæc recitabimus quæ excerpta sunt ex veteri Anglicano, annorum (ut putat Morinus noster) octingentorum: *Dum invitati Sacerdotes ad infirmum fuerint, visitandi, ungendique causa, qui eorum ad illud officium dignus jure censetur, induat se superhumerali, alba & stola cum fanone atque planeta si affuerit: sin alias, casula non induatur. Diaconus vero qui Evangelii textum ferat & oleum infirmorum, & ceroferarii secundum ordinem suum se induant. Unus ceroferariorum dextera cereum, sinistra aquam benedictam teneat: alter vero dextra cereum, læva thuribulum cum incenso sic induti. Cum domus in qua infirmus jacet intrare voluerit Sacerdos læva codicem, in quo hujus officia orationes habentur teneat; dextera se signo Dominicæ crucis muniat, quatenus cum summa humilitate & timore Domini, quod inceperit perficere valeat.*

FINIS DISSERTATIONIS SEPTIMÆ

De Sacramento Extremæ Unctionis.

DIS-

DISSERTATIO OCTAVA

De Sacramento Ordinis in Communi.

APUD Latinos Ordinis nomen significat 1. *Debitam & convenientem rerum dispositionem*. Significat 2. certum *hominis statum* qui ipsi cum multis aliis hominibus communis sit: Sic tres hominum Status, Ecclesiasticus nimirum, Nobilis, & Plebejus vulgo *tres Ordines* appellantur. Significat 3. actionem per quam aliquis Ecclesiæ ministris accensetur.

Actio autem illa per quam aliquis in Ecclesiastico ministerio constituitur, dicitur a Græcis Χειροτονίας, sive *manuum porrectio*: nec immerito; siquidem nemo Clero adjungitur nisi aut per electionem aut per consecrationem: at antiquitus electio fiebat per manuum porrectionem: *Cum turbæ liceret in urbibus eligere Sacrorum præfectos* (inquit Zonaras in priorem Canonem Apostolicum) *conveniebat ipsa turba, & alii quidem hunc, alii vero diligebant illum; quatenus autem plurium suffragium vinceret, eligentes ferunt solitos extendere manus, & per manus ita porrectas numerabantur, qui hunc vel illum elegissent*. Eodem quoque ritu peragebatur alias & nunc etiam electorum consecratio peragitur, seu in omnibus Ecclesiis ministri quondam consecrati sunt, & nunc consecrantur per impositionem manuum juxta illud primæ ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*: cui quidem sententiæ cohæret hæc alia secunda ad eumdem Epist. cap. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Sacramenti Ordinis in communi.

CONCLUSIO. Ordo definitur novæ legis Sacramentum, quo potestas spiritualis confertur ad ea quæ tum ad confectionem tum ad distributionem Eucharistiæ pertinent.

Probatur 1. Quod Ordo, sive, sacra Ordinatio, sit Sacramentum, ostenditur ex eo quod sit ceremonia *sensibilis* posita vel in impositione manuum, vel in porrectione instrumentorum pertinentium ad sacrificium, vel in utroque ritu simul; *permanenter a Christo instituta*; Id nempe probabimus cum de Ordinationis authore: *ad producendam gratiam sanctificantem*, juxta hæc Pauli verba 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*. 2. Quod per illud Sacramentum conferatur potestas spiritualis ad ea, quæ ad Eucharistiam spectant, demonstratur ex illius forma. Cujusque enim ordinati officium, quod quidem aut in forma Ordinationis aut in illius ritibus explicatur, ad Eucharistiæ aut confectionem aut distributionem vel debitum cultum refertur: id vero patebit clarius, cum de singulis Ordinibus in particulari disseretur.

Quæres an terminus iste *Sacramentum*, qui se sacra Ordinatione prædicatur, continetur que in illius definitione, pro singulis in specie ordinibus, an vero pro uno tantum, quicumque sit, supponat.

Durandus respondet terminum illum, *Sacramentum*, supponere pro solo Sacerdotio: ita ut Ordines eo inferiores, ipse etiam Diaconatus non sit Sacramentum proprie dictum: In eam sententiam abiisse videtur Cajetanus in tractatu quem, *De modo suscipiendi sacros ordines*, inscripsit. Dominicus Soto testatur, nihil sibi ab Ecclesia de ea re definitum videri; addit eum qui Durandi sententiam propugnaret, non fore (ut verbis illius utamur) alia reprehensione dignum, quam quod recederet a communi veterum Theologorum doctrina Magister Sententiarum, cui hujusce ætatis plures Theologi subscribunt, respondet vocem *Sacramentum*, pro Sacerdotio quidem & Diaconatu supponere, non vero pro cæteris ordinibus: *Subdiaconos* (inquit) *& Acholythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit*. Dominicus Soto censet Subdiaconatum Sacerdotio & Diaconatui adjungi debere: ac proinde contendit vocem hanc, *Sacramentum*, pro tribus illis ordinibus supponere, non autem pro quatuor aliis minoribus. Dominicus eo in capite sententiam ampleaus est, quam a suo magistro Francisco a Victoria doctus fuerat. S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, multique alii censent singulis septem ordinibus convenire rationem Sacramenti proprie dicti. Aliis tandem Theologis, quorum doctrinam inferius astruemus, docent terminum, *Sacramentum*, qui in tradita a nobis Ordinis definitione legitur, supponere pro Episcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu, non autem pro Subdiaconatu, ac minoribus Ordinibus: unde concludunt nec gratiam nec characterem ab illis Ordinibus produci.

QUÆSTIO SECUNDA.

De existentia Sacramenti Ordinis.

LUtherus lib. de Captivitate Babylon. cap. de Ordine, aperte negat sacram Ordinationem esse novæ legis Sacramentum. Contendit Ordinatos a cæteris fidelibus non differre, nisi penes electionem, per quam, licet a Laicis peractam, jus accipiunt munia obeundi quæ iis quos Episcopos, Sacerdotes & Diaconos dicimus, adscribuntur: unde concludit quod ubi populus electionem illam resciderit, ordinati reducantur in Sortem laicorum, ab iisque non magis differant quam si nusquam Ecclesiasticis muneribus perfuncti fuissent. Luthero adhæsit Illyricus in Confessione Antuerpiensi capite 11. Subscripsit Antonius De Dominis lib. 2. de republica christiana capite 14.

Calvinus in Lutheri sententiam abiisse nonnullis authoribus visus est, quod sæpius asseruisset duo tantum esse novæ legis Sacramenta, Baptismum, & Eucharistiam. Verum illius mentem non sunt assecuti: ipse enim quid sentiat aperte tradit institutionum lib. IV. ubi docet Ordinationem videri sibi esse proprie di-

dictum Sacramentum novæ legis; aitque eo sensu se duo tantum alibi admisisse, quod duo tantum, Baptismus & Eucharistia, sint toti populo communia.

Catholicæ Ecclesiæ hac de quæstione fidem perspicuis hisce verbis proposuit Tridentina Synodus sess. 23. can. 3. *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram ordinationem, non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.* Concilii definitionem contra Sectarios subsequenti duplici capite defendemus; in priore proponentur Catholicorum argumenta; in altero vero solventur quæ ab adversariis objiciuntur.

Caput Primum.

Proponuntur argumenta, quibus Catholici probant Ordinem esse Sacramentum proprie dictum.

TRIA (ut jam sæpius observatum est) ad Sacramentum proprie dictum requiruntur; Symbolum externum, seu ritus sensibilis; Promissio gratiæ; Mandatum, seu institutio Divina. Atqui tria hæc in sacra Ordinatione reperiri & Scriptura & Traditione docemur.

1. Ubi Scriptura Ordinationis meminit, recenset tum externum ritum, tum gratiæ promissionem, tum divinum mandatum. Actorum VI. Diaconi per manuum impositionem consecrantur: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus.* Primæ ad Timo IV. ubi de Presbyteratu & Episcopatu agitur, recensetur quoque ritus impositionis manuum: *Cum impositione manuum Presbyterii:* Capite 5. ubi prohibentur citæ & præproperæ ordinationes hæc habentur: *Manus cito nemini imposueris:* In Ordinatione ergo ritus externus Scriptura teste, reperitur. Non minus aperte in ea legere est gratiæ sanctificantis per illum externum ritum productionem: *Noli* (inquit Apostolus 1. ad Thimoth. 4.) *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii. Admoneo te* (inquit ad eumdem 2. Epist. cap 10.) *ut resuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Concilium Tridentinum docet iis locis gratiam sanctificantem intelligi, iis nimirum utitur ut probet sacram Ordinationem esse proprie dictum Sacramentum novæ legis: *Cum* (inquit sess. 23. cap. 3.) *Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis; inquit enim Apostolus: Admoneo te ut resuscites &c.* Ad eamdem gratiam sanctificantem, quæ per ordinationem conferatur, referri possunt hæc Christi ad Apostolos post resurrectionem verba: *Accipite Spiritum sanctum &c.* per ea enim non solum potestas clavium significatur, sed ipsa etiam gratia quæ sanctificet, & per quam ipsa clavium potestas pie ac sancte administretur: nec mirum; quoties enim hæc vox *Spiritus sanctus*, absolute profertur in Scripturis, pro gratia sanctificante sumitur. Jam quod ad divinum mandatum spectat; hoc quidem exploratum est, Apostolis a Christo hisce verbis, *Hoc facite*, præceptum fuisse ut ministros ordinarent, sed expresse ex Scripturis non constat, quod manuum impositionem adhibere jussi sint. Verum id jussos esse ex eo facile colligitur, quod alias per eum ritum conferre gratiam non ausi fuissent tentare: neque enim ullus homo potest sensibili signo alligare gratiæ productionem; id nempe uni Christo, cum Deus sit, proprium est.

2. Non ex Scriptura modo, sed etiam ex constanti traditione Patrum, evincitur Ordinem esse proprie dictum Sacramentum novæ legis.

Apud Sozomenum lib. 7. hist. cap. 10. legitur hæc Martyrii cujusdam ad Nectarium sententia: *Tu, o beate, recens baptizatus, ac purificatus, & mox insuper Sacerdotio auctus es: utraque autem hæc peccatorum expiatoria esse Deus constituit.* Martyrius ille comparat Ordinationem cum Baptismo, tum addit per utrumque dari gratiam sanctificantem: fidelibus igitur quarti sæculi persuasum erat Ordinationem non minus esse Sacramentum quam ipse Baptismus.

S. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. hæc ait: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit supplicem dexteram, Deus benedicit potenti dextera.* Duo illa, ritus externus, & gratia quæ per illum ritum producitur, non aliud significant quam verum Sacramentum novæ legis.

S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, toto fere libro confert Ordinationem cum Baptismo, probatve Ordines ab hæreticis collatos valere quoad substantiam eo quod admitti debeat Baptismus quem contulerint: *Si* (inquit) *in fide sua baptizato baptizans nocere non potuit; & in fide sua Sacerdotem constitutum constitutus non inquinavit.*

Augustinus variis in locis idem quod Hieronymus asserit de sacra Ordinatione. 1. Multoties eam appellat Sacramenti nomine. 2. Confert eam cum Baptismo, atque eodem modo esse Sacramentum, quo Baptismus ipse. 3. Contendit id ita certum esse ut a nemine revocetur in dubium: *Ipsi* (inquit lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13.) *explicent quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti: Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur? & illud amittitur? neutri Sacramento injuria facienda est.* Idem S. Doctor lib. de bono Conjugali cap. 24. conceptis terminis asserit in omnibus ordinatis manere *Sacramentum* Ordinationis etiamsi vel plebem non regant, vel in peccati pœnam ab officio remoti fuerint.

Quod in privatis Ecclesiis Patres diversis temporibus de sacra Ordinatione docuerunt, Summi Pontifices docuerunt etiam in Ecclesia Romana, quæ aliarum orbis Ecclesiarum mater est & magistra.

Innocentius Papa I. Epistola XVIII. quæ est ad Alexandrum Episcopum Antiochenum, ubi ordinationem cum baptismate contulit, docet hæreticos suscipi quidem cum accepto in hæresi baptismate, non autem cum Ordinis Sacramento quo in ea consecrati sunt, seu laicam ipsis, si redierint, communionem dari, non autem Clericalem: *Arianos* (inquit cap. 3.) *cæterasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum, sub immagine pœnitentiæ, ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotii, aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus... nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate, aliisque mysteriis arbitramur: quoniam cum a Catholica fide eorum auctores descissent, perfectionem spiritus quam acceperat, amiserunt. Nec dare ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius quam per fidem, dixerim, perdiderunt.*

Leo Magnus Epist. 81 ad Dioscorum Alexandrinum, Ordinationem vocat Sacramentum, jubetque ut a jejunis detur & accipiatur, idque in vespera Sabbati, & quidem cum summa tum ex parte dantis tum ex parte recipientis pietate: *Quod ergo a Patribus nostris* (inquit cap. 1.) *propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejus noctis quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis & a jejunantibus sacra benedictio conferatur...* Id vero laudatus Pontifex ex Scriptura sic confirmat: *Nam præter authoritatem consuetudinis quam ex Apostolica novimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quod cum Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Evangelium gentibus mitterent prædicandum, jejunantes & orantes imposuerunt eis manus; ut intelligamus quanta & dantium & accipientium devotione curandum sit ne tantæ benedictionis Sacramentum negligen-*

genter videatur impletum. Idem S. Pontifex Epist. 87. quæ est ad Episcopos Mauritaniæ cap. 1. de Ordinatione loquens, eam expresse vocat Sacramentum: *Quis* (inquit) *dissimulare audeat quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam*.

Anastasius II. in Epistola ad Anastasium Imperatorem asserit 1. Ordinationem esse Sacramentum 2. Contendit per illud Sacramentum gratiam ficte non accedentibus conferri: *Nulli* (inquit cap. 2.) *de his quos vel baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, sive Levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læsionis attingit, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur*. Gregorius Magnus recenset tum signum sensibile ex quo Ordinatio constat, tum gratia per quæ illud signum producitur: *Qui promovetur* (inquit lib. 4. Commentariorum in libros Regum cap. 5. agens de Ordinatione) *bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur*.

Laudatis hactenus tum Summis Pontificibus tum aliis Patribus adjungi debent vetera omnia Latinorum Pontificalia, antiqua Græcorum Euchologia: in iis enim fit mentio tuum rituum quibus Ordinatio sacra peragitur, tum gratiæ quæ per illum ritum producitur. Non novum igitur, sed antiquam utriusque tum Latinæ tum Græcæ Ecclesiæ doctrinam adstruxit Tridentina Synodus, ubi anathema in eos intorsit, qui ausi fuerint negare sacram Ordinationem esse legis novæ Saeramentum.

Caput Secundum.

Solvuntur argumenta quibus Sectarii probare contendunt Ordinationem non esse Sacramentum novæ legis.

OBiicies 1. Scriptura docemur 1. nullum inter baptizatos discrimen statui debere: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus neque Græcus. non est servus, neque liber, non est masculus, neque fæmina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Docemur 2. Sacerdotium cuique fideli competere: Petrus 1. Epist. cap. 2. quosque fideles vocat: *Genus electum, Regale Sacerdotium, gentem sanctam, Populum acquisitionis*. Joannes Apocalypseos 1. idem innuit: *Qui dilexit nos* (inquit) *& lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*.

Resp ad 1. Apostolum hoc unum velle, scilicet Christum respectu vocationis, justificationis & prædestinationis, nullam habere rationem aut gentis aut sexus aut ætatis: unde concludit omnes baptizatos æquales esse tum in obtinenda a Deo bonorum operum mercede, tum in gratiarum consecutione: nec mirum, nam (ut ait idem Apostolus ad Rom. 2.) *Non est acceptio personarum apud Deum*; aut sicut ait ad Ephesios 4. *Unum corpus sumus, & unus spiritus vocati in una spe vocationis; quorum omnium unus est Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes & per omnia, & in omnibus nobis, unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*.

Resp. ad 2. tum Petrum tum Joannem locis quæ objecta sunt, loqui de interno seu mystico Sacerdotio non autem de externo & proprie dicto Sacerdotio de quo hic agitur: rationes quibus ea solutio nititur, exposuimus agentes de ministro Eucharistiæ pag. 270. Confirmari autem hic possunt authoritate Patrum: *Unusquisque* (inquit Ambrosius lib. 4. de Sacr. cap. 1.) *ungitur in Sacerdotium, in regnum: sed spirituale regnum est & Sacerdotium*. Ambrosio adstipulatur Augustinus: *Erunt* (inquit lib. 20. de Civit. Dei cap. 10.) *Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis, non utique de solis Episcopis, & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrisma, sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt hujus Sacerdotis, de quibus Apostolus Petrus: Plebs* (inquit) *sancta, regale Sacerdotium*. Augustino consentit Leo Magnus, *Omnes* (ait serm. 3. in die anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum) *in Christo regeneratos crucis signum efficit Reges, sancti vero Spiritus unctio consecrat Sacerdotes, ut propter istam specialem nostri ministerii servitutem, universi spirituales & rationales Christiani agnoscant se regii generis & Sacerdotalis officii esse consortes*. Explicationem illam confirmat idem Pontifex Maximus: mox enim hæc subiicit quæ doceant quænam sint hostiæ, quas quisque fidelis ex vi sui Sacerdotii Deo valeat offerre: *Quid enim tam Regium quam subditum Deo animum, corporis sui esse rectorem? & quid tam Sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre*.

Obiicies 2. Si Ordo esset Sacramentum proprie dictum, qui eo insigniti sunt, jure divino differrent a Laicis. Atqui sic non differunt, hæc enim habet Tertullianus libro de exhortatione ad castitatem cap. 7. *Nonne & laici Sacerdotes sumus: scriptum est quoque: Et nos Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter Ordinem & Plebem Ecclesiæ constituit auctoritas*. Quæ autem sunt ex mera Ecclesiæ institutione, non sunt divini juris. Confirmatur ex eo quod verbis proxime laudatis hæc alia Tertullianus immediate subjiciat quibus laicis & baptizandi & sacrificandi facultatem facit: *Adeo ut Ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers & tingis, & Sacerdos es tibi solus, sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici: unusquisque enim sua fide vivit: Igitur si habes jus Sacerdotii in temetipso, ubi necesse est, habeas etiam oportet disciplinam Sacerdotis*.

Resp. Tertullianum mentem suam sat aperire, cum his verbis: *Differentiam inter Ordinem & plebem Ecclesiæ constituit auctoritas*; hæc alia immediate subiicit: *Et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo*. Iis enim verbis non obscure divinam Ordinis institutionem innuit; Unde nihil aliud voluit quam illud, nempe Clericorum & Laicorum ordines divina institutione jam separatos, Ecclesiam distinxisse pariter suis legibus ut facta divinitus separatio magis eluceret. Ad ea vero quæ in confirmationem objectionis allata sunt, responsum est superius pag. 271. quam lector consulere poterit.

QUÆSTIO TERTIA.

De materia & forma Ordinationis in Communi.

COnclusio. Nulla unquam Ordinatio celebrata fuit absque materia & forma: seu, absque rebus & verbis, quibus tamquam signis exterioribus, aut gratia aut officium per Ordinem collata exprimerentur.

Probatur. Ab Apostolorum temporibus ad hanc usque ætatem Episcopi, Presbyteri & Diaconi, consecrati fuere per manuum impositionem & orationem, ut patet ex Scriptura, Patribus, Pontificalibus, Sacramentariis quibus tum Latini tum Græci antiquitus usi sunt & nunc etiam utuntur. Ordines vero cæteri dati sunt, saltem apud Latinos, per vasorum aut instrumentorum porrectionem: ut videre est in IV. Concilio Carthaginensi, Gregorii Magni Sacramentario, aliisque veteribus monumentis, quorum loca inferius laudabuntur ubi de singulis in specie ordinibus dicetur.

Obiicies 1. Christus in ultima cœna Apostolos consecravit novi Testamenti Sacerdotes: Sed tunc usus non est exteriori signo: neque enim aut Scriptura aut Traditio asserunt adhibitum tunc fuisse signum aliquod sensibile per quod Apostoli potestatem offerendi receperint. Ergo Sacerdotium Christianum, seu Ordinatio sacra non constat ex aliquo ritu sensibili.

Resp. verum esse antecedens: neque enim audiendi sunt qui respondent Christum dum Apostolos in

augu-

auguravit Sacerdotio, panem & vinum porrexisse tamquam intrinsecas ejusdem Sacerdotii causas: Et sane Christus panis & vini species non porrexit Apostolis nisi ubi consecratæ fuissent: *Sacerdotem* (inquit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1.) *secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerent, præcipit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem*. Species autem jam consecratæ non potuerunt esse instrumenta, seu causa materialis per quam Sacerdotium acceperit. Dicendum est igitur Sacerdotium quo Apostoli inaugurati sunt in ultima cœna, non fuisse Sacramentum proprie sumptum: potestate nimirum consecrandi Christi corpus donati sunt per solam Christi voluntatem, & absque Sacramento, non absimili ratione qua iidem Apostoli donati fuerunt Confirmatione. Quemadmodum igitur (ut post Angelicum Doctorem passim docent Theologi) die sacra Pentecostes Apostoli receperunt effectum Confirmationis, quamvis ipsummet Sacramentum non receperint: ita potestate consecrandi donati sunt in ultima cœna, quamvis ipsum Sacerdotii ordinem ex ritu sensibili essentialiter constantem minime receperint.

Obiicies 2. Rebuffus, nonnullique Canonistæ afferunt Pontificem Maximum his dumtaxat verbis: *Esto Sacerdos: Esto Episcopus*, seu absque alio sensibili signo posse quempiam aut Episcopum aut Presbyterum consecrare: Ergo (ut Lutheranis visum est) sola externa vocatione opus est ut Episcopi, Presbyteri, cæterique Clerici constituantur: seu, non requiritur signi alicujus sensibilis applicatio.

Resp. 1. Rebuffum aliosque Canonistas, si quod obiiciunt senserint, non secutos fuisse traditionem, imo ab ea recessisse penitus. 2. Laudati Canonistæ nequaquam locuti sunt de Episcopatu aut Sacerdotio sumptis secundum substantiam, sed tantum secundum jurisdictionem, quam quidem non alio adhibitu signo quam verbo, a Summo Pontifice posse conferri nemo est qui inficietur.

Obiicies 3. Gregorius Nyssenus in vita Gregorii Thaumaturgi, narrat eum tridui itinere dissitum consecratum fuisse Neocæsariensem Episcopum a Phædimo Amasæensium Antistite. Scribit Metaphrastes in vita Danielis Stylitæ apud Surium, sanctissimum illum virum, licet absentem, inauguratum fuisse Sacerdotem a Gennadio Patriarcha Constantinopolitano; ita ut recitante Archidiacono preces, populo acclamante, Deus ipsi absenti manus per Gennadium imposuerit: ergo Patres nonnumquam, nullis adhibitis exterioribus signis, ordinationes celebrarunt.

Resp. 1. facta quæ obiiciuntur, extraordinaria esse ac præter communem legem, in qua Deus potest dispensare, penes scilicet ipsum est ordinis potestatem conferre, ipso quoad substantiam ordine minime collato. 2. Consecratio Thaumaturgi de qua Nyssenus, intelligi debet de precibus quibus Episcopus Amasæensis eum ad Episcopatum suscipiendum inflexit. Confirmatur solutio ex eo quod idem Nyssenus testetur Gregorium Thaumaturgum non obiisse Episcopatus officium, nisi (ut ait) *Omnibus post hæc quæ fieri solent legitimis, seu solemnibus in eo peractis*. 3. Aut in facto erravit Metaphrastes, aut exponi non debet de Danielis consecratione, sed de electione facta tum a plebe Constantinopolitana tum a Gennadio Patriarcha.

QUÆSTIO QUARTA.

De Ministro sacræ Ordinationis.

Duplex est sacræ Ordinationis minister, Ordinarius nimirum & Extraordinarius. De priore tantum hic agemus, dicturi de altero ubi de singulis Ordinibus in specie disseretur. De ministro autem ordinario quæremus 1. utrum sit solus Episcopus. 2. An ab Episcopo aut suspenso aut excommunicato liceat ordinationem recipere. 3. Utrum a quolibet Episcopo Catholico quisque possit ordinari. 4. Denique quis ad adeundum alienum Episcopum litteras dimissorias concedere valeat.

CAPUT PRIMUM.

Utrum solus Episcopus sit ordinarius minister Sacramenti Ordinis.

Conclusio. Solus Episcopus jure divino est ordinarius Sacramenti Ordinis minister.

Probatur 1. ex Scriptura. Sacri Codices nulli alteri quam Episcopo Sacramenti Ordinis collationem adscribunt. Christus animarum nostrarum Summus Episcopus Apostolos constituit Sacerdotes. Priores Diaconi electi a fideli populo manuum impositionem, seu ordinationem a solis Apostolis receperisse leguntur: *Hos statuerunt* (inquit Lucas Act. 6.) *ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Paulus 2. ad Timoth. 1. scribit se ordinasse eumdem Timotheum: *Admoneo te* (inquit) *ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Priore Epistol. cap. 5. ubi cautionem in ordinatione servandam præscribit suo Episcopum, qui manus imponat, alloquitur: *Manus cito nemini imposueris*. Actorum 6. non plebs promiscua, non Presbyteri simplices, sed Episcopi Paulus & Barnabas, Lystræ, Iconii, Antiochiæ, Presbyteros constituerunt, seu ordinarunt: *Et cum constituissent illis* (verba Lucæ Act. cap. 14.) *per singulas Ecclesias Presbyteros & orassent &c.* In Epist. ad Titum idem Paulus docet eum quibusnam dotibus conspicui esse debeant quos ipse utique Episcopus, consecraturus erat Presbyteros: *Hujus rei gratia* (inquit cap. 1.) *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est &c.* Ex his locis paret Scripturam solos Episcopos recensere eum agit de ordinationis ministris.

Probatur 2. ex Traditione quæ Scripturam, si quid difficultatis in ea sit, exponit.

Prior & alter Canon ex iis qui Apostolis tribuuntur, uni Episcopo tribuunt jus & potestatem Ordines conferendi: *Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur. Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici*. Observet hic lector ut superius jam monuimus, canones, quos Apostolicos dicunt, disciplinam complecti, quæ tribus prioribus sæculis observata fuit in Oriente.

Ita quique persuasum erat non in Oriente modo sed etiam in Occidente solum Episcopum esse jure divino sacræ ordinationis ministrum, ut ii etiam qui erant extra Ecclesiam, ut ordinatione gloriarentur, advocarent Episcopos a quibus reciperent manuum impositionem. Id videre est in antypapa Novatiano; de hoc hæc scribit Cornelius Papa in Epistol. ad Fabium Antiochenum: *Etenim novæ sectæ inventor... quando Episcopatum a Deo certe minime donatum sibi vi arripere nitebatur, duos sibi socios de sua ipsorum salute prope desperatos adscivit, ut eos in exiguam aliquam partem, & minimum quasi Italiæ angulum mitteret: indeque Episcopos tres, homines agrestes, rudes ac simplices in fraudem inductos abduceret...*

Epi-

Episcopi igitur Romam adventant. Iste eum circiter horam decimam ebrios & crapula oppressos cerneret, vi coegit imaginaria quadam & vana manuum impositione Episcopatum ei tribuere &c.

Quarto sæculo eamdem, quæ tertio, fuisse fidem Ecclesiæ circa Ordinationis ministrum docemur ex Chrysostomo qui hom. XI. in priorem Epist ad Tim. sic de Episcopis loquitur: *Sola ordinatione superiores illi sunt: atque hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur*. Docemur etiam ex Hieronymo qui ad Evagrium scribens hæc ait: *Quid facit Episcopus, excepta Ordinatione, quod Presbyter non faciat.*

Quæ ex Patribus quarti sæculi mox laudata sunt, confirmari possunt ex eo quod Ecclesia eodem sæculo, aliisque subsequentibus, eos proscripserit qui, cum essent simplices Presbyteri, seu non insigniti Episcopali charactere, ausi sunt Clericos ordinare. In Synodo Alexandrina quæ sub Osio anno 319. habita est, Colluthus Presbyter Alexandrinus in ordinem redactus est, quod cum Episcopus non esset, egisset tamen Episcopum, & plurimos ordinasset. *Cum Ischyram quemdam subornasset* (inquit Athanasius in secuuda apologia) *quem secum adduxerunt, hominem minime Presbyterum, tametsi se eo nomine jactaret, quippe ordinatum a Colluthio quodam, non vero, sed imaginario Episcopo, cui in generali Concilio ab Osio & a cæteris Episcopis, qui una aderant, jussum fuit, ut se pro Presbytero, qualis antea fuerat, haberet, atque adeo omnes ab illo constitutos in veterem suum ordinem recurrisse, inter quos etiam Ischyras numerandus est.* Ne quis vero Concilium illud generale, de quo mox Athanasius, de Nicæno ioterpretatur, obstat ipsemet Athanasius; his enim verbis asserit illud Alexandriæ fuisse celebratum: *Idemque* (Ischyras) *cum talem sibi titulum vendicasset in Alexandrina Synodo, in præsentia Patris nostri Osii depositus est, & cum laicis in ordinem redactus, atque eo statu reliquum tempus permansit.*

S. Epiphanius Aerium hæreticis adnumerat, quod Episcopos ad eamdem cum Presbyteris sortem redigens, par cum eis ordinandi jus tribueret: Eum autem errorem hoc præsertim titulo confutat, quod Episcopalis ordo Patres generet Ecclesiæ per ordinationem: Presbyterales vero filios tantum & quidem per Baptismum: *Siquidem* (inquit hæresi 56.) *unus ordo* (puta Episcopalis) *ad gignendos Patres præcipue pertinet: hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio: Alter, cum Patres non possit, filios Ecclesiæ, lotionis regeneratione producit, non tamen Patres aut Magistros:* quibus quidem verbis hæc alia subjicit: *Quinam vero fieri potest, ut is Presbyterum constituat, ad quem creandum, manuum imponendarum jus nullum habeat?*

Vviclefus ut hæreticus audiit, quod Clericorum ordinationem aliis quam Episcopis permitteret: hunc enim Illius articulum inter eos legere est quos Concilium Constantiense sess. 8. proscripsit: *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, Ecclesiarum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis propter lucrum.*

Ex iis veterum monumentis colligitur 1. Eugenium Papam IV. in decreto pro instructione Armenorum de Sacramenro Ordinis agentem merito sic edixisse: *Ordinarius minister hujus Sacramenti est Episcopus*. Colligitur 2. Tridentinam Synodum secutam fuisse antiquorum traditionem ubi sess. 23. cap. 4. hæc habet: *Sacrosancta Synodus declarat Episcopos Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*. Si quis autem aliter aut senserit aut docuerit anathemate damnatur; eadem sess. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem . . . anathema sit.*

Probatur 3. ex eo quod decuerit Christum sic res disponere, ut solus Episcopus esset ordinarius minister Sacramenti Ordinis: oportuit enim ut cuique in Dei Ecclesia locum & functionem ii assignarent qui ejusdem Ecclesiæ sunt tum duces tum Patres: Dicendum (inquit S. Thomas in Supplem. quæst. 38. art. 1. in Corp.) quod potestas Episcopalis habet se ad potestatem ordinum inferiorum, sicut Politica, quæ conjectat bonum commune ad inferiores artes & virtutes, quæ conjectant aliquod bonum speciale, ut ex dictis patet. Politica autem ponit legem inferioribus, scilicet quam quis debeat exercere, & quantum & qualiter: Et ideo ad Episcopum pertinet in omnibus divinis mysteriis aliquos collocare. Unde ipse solus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem constituuntur. Et ideo ipse etiam solus Virgines benedicit quæ figuram gerunt Ecclesiæ Christo desponsatæ, cujus cura ipsi principaliter committitur. Ipse etiam in ministeriis ordinum ordinandos consecrat, & vasa quibus uti debent, eis determinat sua consecratione: sicut etiam officia sæcularia civitatibus distribuuntur ab eo, qui habet excellentiorem potestatem, sicut a Rege. Hactenus S. Doctor.

Objicies 1. Paulus 1. ad Timoth. 4. Ordinationem vocat impositionem manuum Presbyterii: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Unde hac etiam ætate mos est in Ecclesia ut simplices Presbyteri una cum Episcopo manus iis imponant qui Sacerdotes inaugurantur. Non minus igitur Sacerdotibus quam Episcopis potestas Clericos ordinandi convenit.

Resp. ad 1. Chrysostomum, Theophilactum & Oecumenium in hunc locum, *Presbyterii* nomine intelligere cœtum Episcoporum. Expositionem illam nonnulli confirmant 1. ex eo quod (inquiunt) quicumque ab Apostolis ordinati sunt Presbyteri, ordinati quoque fuerint Episcopi. 2. ex eo quod eo loci Paulus agat de ordinatione Episcopali, in qua, ut patet ex perpetua Ecclesiæ praxi, plures Episcopi manum ordinandis imponere soliti sunt. Ad 2. vero dicendum est ritum quem Romanum Pontificale præscribit, meram esse ceremoniam quæ ad ipsam Sacramenti substantiam nequaquam pertineat; unde Presbyteri qui ordinando manus imponunt, Sacramenti formam non proferunt: proindeque Ordinis, cujus virtus, seu efficacia, in forma præcipue sita est, ministri nec sunt nec appellantur.

Objicies 2. Concilium Nicænum primum in litteris ad Ecclesiam Alexandrinam, & ad fratres Ægyptum, Lybiam & Pentapolim incolentes, quasque litteras legere est apud Socratem, histor. lib. 1. cap. 16. præcipit ut Presbyteri, quos Meletius ab Alexandro Patriarcha Alexandrino depositus consecrarat, tamquam Clerici reciperentur in Ecclesiæ sinum, si tamen Meletiano schismati non adhæsissent; imo jus ipsis factum est alios Clericos ordinandi: decrevit nimirum eos *potestatem habere & ordinandi & qui Clero digni fuerint nominandi*. Nicænis igitur Patribus persuasum fuit simplices Presbyteros esse ordinarios ministros Sacramenti Ordinis.

Resp. 1. Patres Nicænos per terminum hunc, *Ordinandi*, intellexisse solam ministrorum electionem, non autem ipsorum consecrationem. Ratio est, quia illum terminum opponunt his aliis, *Designandi, Nominandi, subjiciendi*: Sic enim loquuntur de Presbyteris qui Meletiano schismati adhæserant: *Ut nulla illis sit potestas ministros Ecclesiæ ipsorum arbitrio probandos designandi, vel eorum nomina subjiciendi, suggerendi.*

CAPUT SECUNDUM.

Utrum Ordinatio recipi possit ab Episcopo hæretico suspenso, aut excommunicato?

CONclusio. Qui ab Episcopo aut hæretico, aut excommunicato, aut suspenso ordinationem recipiunt, exercitio suorum ordinum interdicuntur.

Probatur 1. Theologi quibus contra Morinum nostrum visum est celebratas aut ab hæreticis, aut ab excommunicatis aut a suspensis ordinationes quondam valuisse quoad substantiam, conclusionis nostræ veritatem supponunt. Ad Conciliorum nempe loca, qui-

quibus definiri videtur irritas esse datas ab hæreticis ordinationes, respondent ea intelligi debere de sola ordinum quæ sic accepta fuerint, executione: ita ut ii qui ab Episcopis, de quibus agitur, consecrati fuerint, ordinum executione interdicantur. 2. Idem evincunt hæc Innocentii Papæ III. cap. *Fraternitati*, verba, *Priorem quem a schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab ea persona quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi.* 3. Tam rigide ea disciplina quondam observabatur, ut nec infirmitas ætatis, nec ignorantia ordinati, interdictiooem ab ordinum executione impediret: id patet ex Epist. 108. Stephani Tornacensis ad Lucium Papam III. a quo dispensationem petiit pro Odone Clerico qoem Herbertus Bysuntinus Schismaticus Acolytum consecraverat, sic autem habet ea Epistola: *Excusabilis est ignorantia, quam vel infirmitas ætatis vel innocentiæ simplicitas inducere consuevit. Ea sic a malitia recedit, ut ad mansuetudinem accedat; sic accedit ad veniam, ut severitatem non accendat. Eam Pater, sive de infirmitate procedat ætatis, sive de innocentiæ simplicitate nascatur, communis mater Ecclesia Romana levare semper & juvare studuit, ut & rigorem dispensatum temperet, & dispensationem justitia non relinquat. Hæc sunt quæ me nimirum servum vestrum movent, & monent, ut pro Odone Clerico præsentium latore, cum aliis, qui pro ipso vos rogant, sanctæ Paternitati vestræ offeram, quæ & de charitate prodeunt, & proderunt charitati. In puerili ætate ab Herberto Bysuatino schismatico gradum Acolythi qualitercumque suscepit, cum prius a Catholico Clericus factus fuisset, nesciens miser quantum veneni pestis illa infunderet, quantum periculi manus illa leprosa sibi vel ad præsens, vel in posterum importaret. Aperiatur super eum, obsecro, paternus Apostolicæ pietatis oculus, maternus Ecclesiæ Romanæ sinus expandatur, ut qui in suscipiendis minoribus ordinibus deliquit, ad majores valeat humiliter promoveri.*

Quæres 1. utrum Clericis ordinatis in Ecclesia Catholica, sed lapsis postea vel in schisma vel in hæresim, quondam, si resipiscerent, concederetur ordinum suorum exercitium.

Resp. 1. nullum per trecentos & quinquaginta priores annos occurrere exemplum quo probari possit Clericos, de quibus est quæstio, in Ecclesiæ sinum admissos fuisse cum facultate ordines, etiam in Ecclesia Catholica receptos, exequendi: Nec mirum: tunc temporis enim Clerici qui lapsi fuissent aut in hæresim aot in aliquod grave crimen, damnabantur pœnitentia publica, quæ erat impedimentum canonicum tum ad receptæ ordinationis exercitium, tum ad alterius promotionem; hominibus de quibus agitur, laica dumtaxat communio solebat indulgeri ut pagina 444. superius ostensum est.

Resp. 2. in Concilio Alexandrino primum exemplum occurrere dispensationis Clericis concessæ qui hæreticis adhæsissent: annuit nimirum illa Synodus ordinis & dignitatis exercitium Episcopis qui in Concilio Ariminensi per vim aut dolum Arrianæ perfidiæ subscripserant: Lucifer Calaritanus Episcopus ægre tulit eam inveteratæ legis dispensationem: *Hoc* (inquit August. Epist. 50.) *displicuit Luciferos, quia factum est in eis suscipiendis atque sanandis qui veneno perierant Ariano: & cui displicuit, in tenebras cecidit schismatis, amisso lumine charitatis.*

Resp. 3. labente quarto sæculo Clericos transfugas alicubi admissos fuisse in communionem Catholicam cum potestate exercendi ordines quibus ante suam ad schismaticos, aliosque rebelles defectionem inaugurati fuerant. Id patet ex Epistola Canonica Basilii ad Amphilochium. *Visum est* (inquit can. 1.) *eos qui sunt in parasynagogis & illegitimis conventibus, convenienti pœnitentia & conversione correctos rursus Ecclesiæ conjungere, ut sæpe ii qui in gradu collocati cum rebellibus abierunt, postquam eos pœnituerit, in eumdem ordinem admittantur.* Patees septimi Concilii Oecumenici eam disciplinam probaeunt: perlectis enim veterum Patrum monumentis tandem statutum est ut Apostatis qui ab hæresi redderent, indulgeretur & prioris dignitatis gradus & recepti in Ecclesia ordinis executio.

Quæres 2. Qua ratione Clerici ab hæreticis ordinati quondam admitterentur, si resipiscerent.

Resp. 1. per tria priora sæcula Ecclesiam Clericis de quibus agitur, solam communionem Laicam indulsisse: nullum enim occurrit exemplum quo probetur ejusmodi Clericos redeuntes receptis in hæresi ordinibus perfunctos fuisse.

Resp. 2. prius Concilium Nicænum cum Novatianis dispensasse ut dignitate & ordinibus fruerentur: *De his qui se nominant Catharos, idest mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, si in Clero permaneant.* Subsequens tamen cautio adhibita est, *Ubicumque vero sive in vicis, sive in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati; qui inveniuntur in Clero, in eodem ordine perseverent. Ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbyteros constituto, quidam ex illis adveniunt, certum est quod Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos Episcopus, honorem Presbyterii possidebit; nisi forte placuerit Episcopo, nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus aut Presbyterii locum, ut in Clero prorsus esse videatur, ne in una civitate duo Episcopi probeatur existere.* Eam Nicænæ Synodi indulgentiam Episcopi Macedoniæ ad omnes promiscue hæreticos extendebant quinto ineunte sæculo: sed his verbis compressi sunt ab Innocentio Papa I. Epist. 22. cap. 5. *Possum vero dicere de solis hoc Novatianis esse præceptum, nec ad aliarum hæresum Clericos pertinere: nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent: A Novatianis, aliisque hæreticis revertentes, debere in suum ordinem recipi.*

Resp. 3. post sæculum quartum plerosque ex iis quos aut hæretici, aut schismatici ordinassent, permissos fuisse post suum in Ecclesiam reditum & dignitatis gradum servare & ordinum obire munera; cum hoc tamen discrimine (secundum Morini nostri sententiam, quam inferius expendemus) quod in nonnullis iterarentur ordines recepti aut ab hæreticis, aut a schismaticis; in aliis vero intacta ordinis substantia, manus aut in pœnitentiam, aut in Spiritum sanctum imponerentur, ut videre est in Pelagianis, Nestorianis, Monothelitis, aliisque de quibus cum Leone Magno, Gregorio Magno, septima generali Synodo inferius dicetur.

Verum antequam prodirent illi hæretici, Ecclesiæ indulgentia clarissime enituerat in Donatistarum causa: *Hoc* (inquit Augustinus Epistola 50. quæ est ad Bonifacium) *erga illos ab initio servavit Africa Catholica ex Episcoporum sententia, qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum, & partem Donati judicaverunt; damnatoque uno quodam Donato, qui auctor schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt.* Placet hic subjicere cætera quæ idem S. Pater scribit de ea in Donatistas indulgentia. 1. Schismaticos illos sic loquentes inducit: *Si ergo oportet ut nos extra Ecclesiam, & adversus Ecclesiam fuisse pœniteat, ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam apud vos Clerici, vel etiam Episcopi permanemus?* Illi Donatistarum argumento sic respondet: *Hoc non fieret, quoniam revera, quod fatendum est, fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.* 2. Adducta similitudine arboris, cui vulnus infligitur ut ramus in ea inseratur ac vivat, hortatur Donatistas ut sui insersionem in Ecclesia quæ eorum ergo tantum vulnus passa est, non protrahant diutius: *Sed sibi hoc dicant, & multo maxime humiliter doleat, qui in tanta morte præcisionis jacent, ut isto quodam vulnere matris Catholicæ reviviscant. Cum enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore quo possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat: sed cum receptus recipienti coaluerit, & vigor consequetur & fructus: Si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. Est enim & tale inserendi genus, ut nullo præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur, non tamen nullo sed vel*

e-l

levissimo arboris vulnere. Ita ergo & isti cum ad radicem Catholicam veniunt, nec eis quamvis post erroris sui pœnitentiam honor Clericatus vel Episcopatus aufertur, fit quidem aliquid tamquam in cortice arboris matris contra integritatem severitatis: verumtamen quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, ad Dei misericordia precibus fusis coalescente insitorum pace ramorum, charitas cooperit multitudinem peccatorum. 4. Contendit potuisse Ecclesiam ea in Donatistas uti indulgentia, neminemque eam illi potestatem denegare quin verbis Evangelicis detrahat fidem: *Ut enim constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ; alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est; Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* 5. Addit eam Ecclesiæ indulgentiam non omnibus lapsis concedi: *Sed ne forsitan etiam de cæteris criminibus, spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major & verior esset humilitatis.* 6. Probat exemplis petitis e Scriptura lapsis posse indulgeri gradum, quo antequam laberentur, potiebantur: *Nam & sanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando amarissimas lacrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti credo aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias: cogunt enim multas invenire medicinas, multorum experimenta morborum.* 7. Denique contendit ideo circa Donatistas relaxatam fuisse Ecclesiæ disciplinam quod non de privati alicujus hominis, sed & ingentis multitudinis salute ageretur: *Verum in hujusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus aut illius hominis est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat. Habeant ergo isti de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendaci timore, amarum dolorem, & veniant ad Ecclesiam Christi veram; hoc est, matrem Catholicam sint in illa Clerici, sint Episcopi utiliter, qui contra illam fuerunt hostiliter. Non invidemus, imo amplectimur, optamus, hortamur, & quos in viis aut sepibus invenimus intrare cogimus, & sic nondum quibusdam persuademus, quia non res eorum, sed ipsos quærimus.*

CAPUT TERTIUM.

Utrum a quolibet Episcopo Catholico quisque possit ordinari?

CONclusio. Non ab omni Episcopo, licet Catholico, sed a proprio tantum licitum est ordinationem recipere.

Probatur authoritate Concilii Tridentini, quod quidem sess. 23. cap. 8. de reformatione, sic loquitur: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur: si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire sit suspensus.*

Quæres 1. quinam haberi debeat proprius cujusque Episcopus?

Resp. 1. Laicis hominibus olim fuisse licitum inconsulto etiam Antistite Diœcesano, ordinationem sacram a quocumque Episcopo recipere, qui cum Ecclesia Catholica communionem haberet. Idque patet ex eo quod canones qui decem prioribus sæculis conditi sunt, cum vetant ne alieni ordinentur absque proprii Episcopi consensu, de solis Clericis loquantur: ita ut prohibeant ne quis inconsulto ac invito Episcopo a quo primum Clericus factus est, ad ordines promoveatur: *Ut alienum Clericum* (inquit Concilium Carthaginense III. can. 21.) *nisi concedente ejus Episcopo nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita. Clericorum autem nomen etiam Lectores & Psalmistæ, & Ostiarii retinent.* Ad eum canonem alludit Augustinus Epist. 235. *Recense Concilium* (inquit) *ibi invenies de solis Clericis esse statutum, non etiam de Laicis, &c. Hinc institutum est ut Clericorum alienum nemo suscipiat.* Silet quoque de Laicis Concilium Arausicanum I. *Si quis* (ait can. 8.) *alibi consistentem Clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipso habitet, sic quoque non sine consultatione Episcopi cum quo ante habitavit, eum qui fortasse non sine causa diu ab alio ordinatus non est, ordinare præsumat.* De iisdem etiam Laicis tacet Leo Magnus Epist. 84. ubi hæc habet: *Alienum Clericum invito Episcopo ipsius nemo suscipiat & nemo sollicitet, nisi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conveniat.* Idem mos vigebat sub imperio Caroli Magni: *In decretis Leonis Papæ* (verba sunt Concilii Aquisgranensis quod anno 789. habitum est) *sancitum est ne Episcopus alterius Clericum ad se non sollicitet, nec ordinet.*

Verum quæ canonibus ostensa sunt, exemplis demonstremus oportet, seu factis probandum est laicis hominibus quondam liberum fuisse ordinationem recipere a quocumque Episcopo Catholico, eo inconsulto, imo & invito qui Episcopus originis esset, sive originis respectu nativitatis temporalis, aut spiritualis per baptismum, perpendatur.

Origenes Alexandriæ natus, in Palestina & Clericus & Presbyter consecratus fuit a Theoctisto & Alexandro Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis. De ea ordinatione conquestus est quidem Demetrius Episcopus Alexandrinus; verum non protulit Ecclesiasticas leges quibus Laici, inconsulto Episcopo Diœcesano, ordinatione prohiberentur; sed unam objecit irregularitatem quam Origenes ex sui ipsius licet sub pietatis obtentu, voluntaria mutilatione contraxerat: *Nihil aliud habebat* (inquit Eusebius hist. lib. 6. cap. 8.) *quod ei objiceret.* Nec audiendi sunt qui contendunt Origenem acceptis a Demetrio litteris dimissoriis permissum fuisse ordinationem recipere ab Episcopis Palestinæ. Qua enim fronte, si ea in re sibi permissus fuisset Origenes, Theoctistus conqueri potuisset de illius ordinatione. Ii quorum solutionem confutamus decepti sunt Hieronymi textu qui de Scriptoribus Ecclesiasticis in Origene hæc habet: *Cum jam mediæ esset ætatis Origenes & propter Ecclesias Achaiæ, quæ pluribus hæresibus vexabantur,* SUB TESTIMONIO ECCLESIASTICÆ EPISTOLÆ *Athenas per Palestinam pergeret, a Theoctisto & Alexandro, Cæsareæ & Hierosolymorum Episcopis, Presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus est insania, ut per totum mundum super ejus nomine scriberet:* Ea nimirum verba, *Sub testimonio Ecclesiasticæ Epistolæ*, non de litteris, quæ (ut jam obtinuit usus) Dimissoriæ dicuntur, intelligi debent, sed de litteris (ut vocabant olim) Commendatitiis, quibus testatum omnibus fieret, quanta esset ejus eruditio, quanti jam pro Ecclesia exhausti labores.

Hieronymus Antiochiæ, ubi nec lucem nec baptismum receperat, ab Episcopo Paulino consecratus fuit Presbyter. Nec fingi potest eum dimissorias ab Episcopo litteras protulisse, cum invitus ordinatus sit. Paulinus licet Burdigalæ baptizatus, a Lampio Episcopo Barcinonensi Presbyter inauguratus est; sed per vim; ac proinde litteras dimissorias non protulit quibus ordinandi facultas Lampio aut alicui alteri Episcopo fieret: unde palam protestatus est nolle se illigari Clerico Barcinonensi. *Ego* (inquit ipse in Epist. ad Alipium) *etsi a Delphino Burdigalæ baptizatus, a Lampio apud Barcinonam in Hispania per vim inflatæ subito plebis sacratus sum: tamen Ambrosii semper & dilectione ad fidem nutritus sum, & nunc in Sacerdotii ordine confoveor: Denique suo me Clero vendicare voluit, ut etsi diversis locis degam, ipsius Presbyter censear.* Aug. Epist. 223. hæc scribit de seipso: *Cum Ecclesia Tagastensis, quæ carnalis patria mea est, Clericatum mihi non imposuisset, quando potuerunt Hipponenses, habendum invaserunt.* Ne quis vero fingat Augustinum

ab Episcopo proprio fuisse per litteras dimissum, obstat Possidius dum scribit Valerium Hipponensem curasse ut Coadjutor sibi eligeretur, veritus ne Tagastenses eum sibi adsciscerent: *Metuere cœpit ut ab alia Ecclesia Sacerdos probatus ad Episcopatum quæreretur & sibi auferretur*. Laudatis hactenus exemplis adjungenda est ordinatio B. Martini. Natales sortitus fuerat in Pannonia, Ambiani baptizatus fuerat: Hilarius tamen Pictaviensis, nulla habita ratione aut patriæ aut baptismi, clericatu illum exornavit: *Tentavit idem Hilarius* (ait Severus Sulpitius) *imposito Diaconatus officio sibi eum arctius implicare, & ministerio vincire divino.*

Quæres 2. quinam cujusque habitus fuerit *proprius* Episcopus post annum millesimum?

Resp. tribus sæculis quæ proxime secuta sunt annum millesimum, *Proprium* Episcopum fuisse Episcopum vel *Originis*, vel *Beneficii*, ita ut vix ulla habita fuerit ratio Episcopi a quo quis attonsus fuisset. Idque ostenditur ex eo quod canones qui iis sæculis conditi sunt, vix, ubi loquuntur de *proprio* Episcopo, illius meminerint a quo quis per primam tonsuram Clero fuerit adscriptus. *Ne* (inquit Clemens Papa IV. in Sexto de temp. Ord.) *Clericum ultramontanum ordinare præsumat* (Episcopus Italiæ) *nisi a nobis specialem licentiam habeat, ut vel ab Episcopo de cujus Diœcesi traxit originem ordinandum, vel in cujus Diœcesi beneficiatus existit*. Labente sæculo 13. Bonifacius Papa VIII. Episcopo *Originis* aut *Beneficii*, tertium addidit, *Domicilii* nimirum: *Cum* (inquit in Sexto de Temp. Ordin.) *nullus Clericum alienæ Parœciæ præter superioris ipsius licentiam debeat ordinare, Superior intelligitur Episcopus, de cujus Diœcesi beneficium obtinet Ecclesiasticum, seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem.*

Provinciale Concilium Aquense quod anno 1585. habitum est, ad laudatam Bonifacii constitutionem alludit, Titul. *De iis quæ ad Sacramenti Ordinis administrationem pertinent*, ubi ii qui vel primam tonsuram, vel ordines minores, majoresve suscepturus est, injungit, ut litteris testatum faciant, *Se, vel origine, vel beneficio Ecclesiastico quod in Diœcesi sua obtineat, vel decennali domicilio, vel alia ratione Diœcesanum esse, aut familiarem Episcopi, qui per triennium cum illo commoratus sit.*

Monitum velim lectorem 1. laudatam Bonifacii Decretalem non esse in hodierno Gallicanarum Ecclesiarum usu; sic enim de ea nostrates Episcopi loquuntur in Comitiis generalibus anni 1657. *Vix dignosci posse quantum annorum ad domicilium figendum requiratur, & vix posse rationem haberi Episcopi Beneficii, cum non ita jam (ut olim quique Clerici Ecclesiæ suæ affigantur; cum beneficio renunciare, cum plura possidere possint in variis Diœcesibus: quo Clericis evagandi & eluendæ obedientiæ ansa praeberetur; decretum Bonifacii Papæ VIII. de tribus Episcopis propriis, vix in Gallia usu receptum unquam fuisse; porro expeditissimum jam esse, ut Episcopus proprius non esset cuique nisi unus, a quo posset ordinari. Denique decretum est, monendos hortandosque Episcopos, ne quos ordinarent, nisi suis ex Diœcesibus oriundo*, quod quidem juri antiquo in primis consentit.

Monitum velim 2. eumdem lectorem quod licet jure communi is qui in una Diœcesi natus est, & regeneratus in altera, possit in alterutra ordinari, Bonifacius tamen & Clerus Gallicanus in Episcopum *Originis* magis propendeant, ut mox laudatis textibus perspicuum est: *De cujus Diœcesi est oriundus is qui &c. Nisi suis ex Diœcesibus oriundus &c.*

Monitum velim 3. eumdem lectorem in iisdem Cleri Gallicani Comitiis ann. 1657. statutum fuisse ut admoneretur Nuncius Apostolicus, litteræque scriberentur ad exorandum Summum Pontificem, quo prohiberet tamquam subreptitias impetrationes Rescriptorum quibus permittebatur ut quis attonderetur in aliena Diœcesi: *Denique in Encyclicis litteris Episcopi Regni omnes invitarentur ad eos Tonsura Ordinibusque arcendos qui istiusmodi Rescripta proferrent nisi (ut sancitum est a Concilio Tridentino) litteras afferant Episcopi Diœcesani testimoniales de vita, moribus, & doctrina.*

Monitum 4. velim lectorem in locis ubi servatur constitutio Bonifacii Papæ VIII. ratione Episcopi, *Domicilii*, eum qui fraudulenter & ad declinandum Episcopi Diœcesani examen, aliquo beneficium aucupatur in aliena Diœcesi, ibique aut attonderur, aut ordinatur, suspendi a functionibus ordinum, perinde ac si ab extraneo Episcopo fuerit ordinatus: Ita Prosper Fagnanus in lib. 4. Decret. part. 2. pag. 135. refert judicatum a Congregatione Concilii Tridentini decretis declarandis præposita.

Monendus est 5. idem lector ubique, etiam in Galliis, vigere facultatem quam Tridentina Synodus fecit Episcopis respectu familiarium suorum: sic autem habet sacra Synodus sess. 23. de Reform. cap. 9. *Episcopus familiarem suum non subditum ordinare non possit nisi per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacumque fraude cessante, statim reipsa illi conferat, consuetudine quacumque etiam immemorabili in contrarium non obstante.*

Quæres 3. utrum Episcopus *proprius* cogi possit in foro exteriori ad conferendam laico Tonsuram Clericalem, aut Clerico sacram ordinationem?

Resp. ad 1. negative: Nulla nimirum sunt jura quæ legem illam imponant Episcopo; debet quidem laicos qui idonei sint ordinare, sed ubi suam Ecclesiam opera illorum indigere judicaverit: praxim illam Concilium Tridentinum non obscure innuit sess. 21. cap. 2. de ref. ubi hæc habet: *Patrimonium vero vel pensionem obtinantes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum.*

Resp. ad 2. Episcopum aliquibus sæculis ante Concilium Tridentinum non potuisse Clericos alioquin in foro exteriori idoneos, ab Ordinibus arcere propter crimina quæ occulta fuissent. Id nempe colligitur ex Alexandro Papa III. qui Cap. *Ex tenore*. Ext. de Temp. Ordin. sic Episcopo a quo hac de causa consultus fuerat, respondit: *Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, cum non debes aliqua ratione prohibere*. Ea disciplina deinceps immutata fuit a sacra Tridentina Synodo; hæc enim leguntur sess. 14. cap. 1. de reform. *Cum honestius ac tutius sit subjecto debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum Præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Prælato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus: aut qui a suis Ordinibus seu gradibus vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, sive honores restitutio suffragetur.* Concilium non distinguit inter Clericum beneficiatum, & Clericum qui sub titulo patrimonii aut pensionis promotus sit; ac proinde doctissimus Canonista Prosper Fagnanus merito concludit de utroque illo Clerico intelligi debere laudatum Concilii textum: ita tamen (inquit) ut Papa committere possit Metropolitanum aut Episcopum viciniorem, quo quærant ab Ordinatio cur ab Ordinibus eum Clericum excluserit qui habet beneficium ad quod sacer Ordo requiritur; quæ quidem causa si æqua non sit ac legitima, contendit laudatus auctor posse Episcopum commissum Clerico de quo agitur, sacros Ordines conferre.

CAPUT QUARTUM.

Quis ad adeundum alienum Episcopum litteras dimissorias concedere valeat.

Conclusio 1. Nusquam Episcopis licuit nec licet modo, Clericos alienos a proprio Episcopo non dimissos ordinare.

Probatur prior conclusionis pars ex eo quod canones Episcopo, qui prior manus imposuisset, Clericos ita vendicarent ut ab alio Episcopo nec ad ulteriores Ordines promovari, nec alteri Ecclesiæ nisi de expres-

fa

ſa Ordinatoris licentia, adſcribi poſſent: *Nulli Epiſcopo* (inquit Sardicenſe Concilium can. 18.) *liceat alterius Epiſcopi civitatis hominem Eccleſiaſticum & in ſuis Parochiis ordinare Clericum &c. Quicumque ex alia Parochia voluerit alienum miniſtrum ſine conſenſu ipſius & ſine voluntate ordinare, non ſit rata ordinatio.* Huc etiam pertinent cæteri canones quos ſuperiori capite laudavimus.

Probatur altera concluſionis pars ex Concilio Tridentino, quod quidem tum ſeſſ. 7. cap. 10. de reform. tum ſeſſ. 14. cap. 2. & 3. diſtricte prohibet, ne quis abſque proprii Epiſcopi litteris dimiſſoriis ordinetur.

Quæres quodnam ſit diſcrimen inter litteras dimiſſorias quæ nunc conceduntur, & eas quas noſtri Majores olim concedebant.

Reſp. diſcrepare quod dimiſſoriis, quæ concedebantur antiquitus, Clerici a proprio Epiſcopo veluti manumitterentur & alieno ita manciperentur, ut proprius omni ſuo in illos jure excideret: *Ut alienum Clericum* (inquit tertium Concilium Carthaginenſe canone 12.) *niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita.* Nec mirum eſt quod vix eſſent alterius generis litteræ dimiſſoriæ, quippe quod Epiſcopus per ordinationem quemque Clericum Eccleſiæ ſibi creditæ ita manciparet ut teneretur in ea reſidere: proindeque ab alio promoveri non poterat, cum alteri Clero inſcribi minime poſſet. Eam Eccleſiarum legem ſupponit Leo Papa I. Epiſt. 82. quæ eſt ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem ubi ſic loquitur: *Ut alienum Clericum invito Epiſcopo ipſius nemo ſuſcipiat, nemo ſollicitet, niſi forte ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque conveniat.* Jam vero aliter res ſe habet, cum enim ordinatio Clericum ordinatori non mancipet; non ſic a proprio Epiſcopo ad ordinationem ab alieno recipiendam dimittitur, ut ullius juriſdictioni ac poteſtati ſubtrahatur.

Concluſio 2. Præter *proprium* Epiſcopum, alii ſunt qui certis in caſibus litteras dimiſſorias concedere poſſunt.

Probatur enumeratione. 1. Penes eſt Vicarium Generalem concedere litteras dimiſſorias tum ad Tonſuram tum ad Ordines etiam majores ſuſcipiendos; modo tamen ſpecialem & expreſſam ab Epiſcopo conceſſionis ejuſmodi facultatem acceperit, & non alias: ita nimirum ſancitum eſt capite: *Cum nullus*, de Temp. Ordin. in Sexto. Excipitur tamen caſus quo contingeret Epiſcopum in remotis agere, ut eodem capite ſtatuitur. 2. Epiſcopali ſede vacante, completo vacationis anno poteſt Capitulum Laicos ad Tonſuram & Clericos ad Ordines dimittere: imo & intra vacationis annum eos quos jura *Arctatos* dicunt, ſeu qui ratione beneficii tenentur intra annum ſub beneficii periculo certum quemdam Ordinem ſuſcipere: *Non liceat* (inquit Conc. Trid. ſeſſ. 7. cap. 10. de reform.) *Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimiſſorias, ſeu Reverendas, ut aliqui vocant; tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii aut conſuetudinis vigore alicui, qui beneficii Eccleſiaſtici receptione, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere: ſi ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: & ſic ordinati, ſi in Minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præſertim in Criminalibus gaudeant: in Majoribus vero, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, ſint ipſo jure ſuſpenſi.* 3. Conſtat Summum Pontificem poſſe quemlibet, ex quacumque Diœceſi ſit oriundus, dimittere ad quemcumque voluerit Epiſcopum ut Ordinationem recipiat. Verum ſic dimiſſus non debet ordinari niſi de vita & moribus teſtimoniales Epiſcopi litteras protulerit: *Quod ſi quis* (inquit Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 8. de reformat.) *ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis reſcripti, vel privilegii prætexta, etiam ſtatutis temporibus, permittatur, niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur: ſi ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum & Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

Quæres utrum litteræ dimiſſoriæ vim habeant, etiam poſt mortem Epiſcopi a quo conceſſæ fuerint.

Reſp. Affirmative. Ratio eſt, quia gratioſæ conceſſiones, cujuſmodi haud dubie eſt dimiſſoriarum conceſſio, perdurant donec aut ab eo qui eas conceſſerat, aut ab illius ſucceſſore revocatæ fuerint: Idque docet caput: *Si gratioſe de reſcript. in Sexto*, ubi hæc habentur: *Quia ſedes ipſa non moritur, gratia durabit perpetuo niſi a ſucceſſore fuerit revocata.*

Quæres iterum quas regulas in concedendis litteris dimiſſoriis Ordinarii ſervare debeant?

Reſp. 1. optare ſacram Tridentinam Synodum ut quiſque Epiſcopus ſubditos ſibi & attendat & ordinet, niſi infirmitate aut gravi alia cauſa præpeditus ſit: *Epiſcopi* (inquit ſeſſ. 23. c. 3. de reform.) *per ſemetipſos Ordines conferant.* 2. Præſcribit ſacra Synodus, ut ordinandos ipſimet probent ac examinent, antequam ad alienum Epiſcopum dimittant: *Quod ſi* (ait ibidem) *ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos, non aliter quam probatos & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant.* Illud autem examen tam ſtrictæ neceſſitatis viſum eſt S. Carolo, ut definierit irritas haberi debere litteras dimiſſorias qui illius expreſſe non meminerint: *Infirma valetudine, aliave juſta cauſa impeditus Epiſcopus* (inquit S. Præſul in tertio Concilio Mediolanenſi) *ſi ſtatas ſacras ordinationes habere non poteſt, & aliquem propterea Clericum ſuum ad alium Epiſcopum mittere velit a quo alicui Eccleſiaſtico ordini adſcribatur, teſtimonialibus litteris ei datis hæc adſcribat, & teſtata faciat: vitæ in primis & morum probitatem: doctrinam qua idoneus examine habito judicatus eſt: Eccleſiaſticum ordinem, quo eſt proxime initiatus, tum præterea natales, aut diſpenſationem, ſi quam ſuper illis obtinuerit: Si vero majori ordini adſcribendus eſt, ætatem item & titulum, ſufficientemque cenſum beneficii, vel penſionis, vel patrimonii, quod ille habet. Quicumque Clericus non hujuſmodi litteras attulerit, quibus ea omnia adſcripta, teſtatave ſiant, ne adſcribatur, perinde ac ſi nullas Epiſcopi ſui litteras dimiſſorias impetrarit.* Concilium Provinciale Senonenſe quod anno 1528. habitum eſt, monuerat Epiſcopos, ut ſi ipſi præ valetudine aut alia cauſa non poſſent prævio examine probare dimittendos, hanc clauſulam in litteris dimiſſoriis inſererent: *Super quo conſcientiam tuam* (ſeu, Epiſcopi ad quem litteræ diriguntur) *oneramus.* Clauſulam illam rejecit poſtea Concilium Narbonenſe, quod celebratum eſt anno 1552. *Nullus poſthac* (inquit can. 12.) *qui Diœceſi præſit, litteris dimiſſoriis inſerat clauſulam illam, negligentiæ potius, quam muneris recte adminiſtrati teſtem, videlicet, Conſcientiam noſtram exonerantes; Sed per litteras ſuas teſtetur eos idoneos, & qui provehantur dignos: Quibus hanc inſeret clauſulam: quem idoneum & dignum reperimus: aut nulla litteris fides habetur.* 3. Docet ut præfigatur certum tempus, quo elapſo irritæ ſint litteræ dimiſſoriæ: *Conſentanee Conciliis Mediolanenſibus S. Caroli & non paucis Provincialibus Gallicanis Conciliis poſt Tridentinum habitis* (verba ſunt Patrum Gallicanorum ad Comitia generalia adunatis anno 1657.) *rogandos Epiſcopos omnes, ut ne dimiſſorias plerumque darent, niſi ad ſingulos ordines, ad quatuor aut ſex menſes, & appoſita cautione pii aliquot dierum ſeceſſus, qui jam mos in plerisque Eccleſiis obtinet. Denique ut recens promoti Epiſcopi meminerint revocare dimiſſorias omnes a prædeceſſoribus ſuis datas vel a Capitulis vacante ſede.* Advertat hic lector Congregationem declarandis Tridentinis decretis præpoſitam edixiſſe (Fagnano teſte lib. 4 Decret. part. 2.) quod ubi Epiſcopus acceptis litteris dimiſſoriis quempiam ordinaturus eſt, poſſit, etſi non teneatur, illum novo examini ſubjicere, quantumcumque de illius peritia Epiſcopus Diœceſanus teſtimonium dixerit.

QUÆSTIO QUINTA.

De subjecto sacræ Ordinationis.

HIC quæremus 1. utrum muliebris sexus aptus sit recipiendæ ordinationi. 2. An iis qui rationis usu destituti sunt, ordinari possint.

CAPUT PRIMUM.

Utrum muliebris sexus idoneus sit ordinationi recipiendæ.

COnclusio. Mulieres ita ineptæ sunt ordinationi, quæ Sacramentum sit, recipiendæ, ut in eis tentata, irrita sic ac nulla.

Probatur 1. ex Scriptura qua docemur sexum muliebrem nativo quodam pudore, & naturali subjectione ineptum esse docendis fidelibus, aliisque publicis muneribus persungendis quæ sacræ ordinationis Sacramento conjuncta sunt: *Mulieres* (inquit Paulus 1. ad Corinth. 14.) *in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sicut & lex dicit: Si quid autem volunt discere, domi suos viros interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Hæc etiam habentur 1. ad Timoth. 2. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.*

Probatur 2. ex traditione, qua constat Patres, Gnosticos, Collyridianos, aliosque hæreticos damnasse, quod in sua secta mulieribus sacros ordines, ipsum etiam Sacerdotium concederent. De hujusmodi mulieribus, hæc ait Tertull. de præscr. cap. 11. *Ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere.*

Probatur 3. ex eo quod a mundo condito ad hæc usque tempora nulla mulier apud veræ religionis cultores functa fuerit Sacerdotali officio, aut ei obeundo inservierit. In lege naturæ Abel, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob Deo obtulisse sacrificia leguntur, sed numquam nec eorum uxores, nec filiæ. In lege scripta constat solis posteris Aaronis collatum fuisse Sacerdotium, ita ut nulla unquam Judæa mulier sacram illam functionem tentaverit licet sanctitate prædita, & reipublicæ administrandæ idonea. In lege Evangelica Christus solos Apostolos ordinavit, Apostoli viris tantum manus imposuerunt: ita ut ne Mariam quidem Virginem ea dignitate donaverint. Merito igitur Tertull. lib. de velandis virginibus c. 8. hæc scribit: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacramentalis officii sortem sibi vendicare,*

Objicies 1. Diaconissæ olim per veram ordinationem suam dignitatem obtinebant, ut patet 1. ex Tertulliano cap. 7. lib. 1. ad uxorem sic loquente. *Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ & Apostoli præscriptio declarat, cum bigamos non sinit præsidere, nec viduam adlegi in Ordinationem, nisi univiram, non concedit.* 2. Ex Concilio Nicæno primo, Canone 19. ubi postquam statuit Clericos Paulianistas rebaptizatos posse iterum ordinari ab Episcopo Catholico, sic de Diaconissis loquitur: *Similiter autem & de Diaconissis, & universe de iis, qui in Clero recensentur, eadem forma servabitur.* Ex eo privilegio Patres Nicæni nonnullas Diaconissas excipiunt: *Meminimus* (inquit ibidem) *Diaconissarum, quæ in illo habitu & ordine deprehensæ sunt, ut cum nullam manus impositionem habuerint etiam apud Paulianistas, omnino inter Laicas recenseantur.* 3. Ex Concilio Chalcedonensi Can. 15. ubi hæc habentur: DIACONISSAM NON ORDINANDAM *ante annum quadragesimam, & hanc cum summo libramine; Si vero suscipiens* MANUS IMPOSITIONEM, *& aliquantum temporis in ministerio permanens semetipsam tradat nuptiis, gratiam Dei contumeliam faciens, anathematizetur hujusmodi cum eo, qui eidem copulatur &c.* Quod autem per eam Diaconissarum ordinationem verum Sacramentum conferretur, ostenditur ex eo quod Græcorum Euchologia fidem faciant in hujusmodi ordinatione servatos fuisse eosdem ritus, qui in Diaconorum inauguratione adhibebantur: Utraque ordinario, *Chirotonia* dicebatur: Utraque ad altare & quidem ab Episcopo celebrabatur: In utraque imponebatur manus ab Episcopo qui oratione Spiritum Sanctum advocaret: In utraque collo apponebatur stola: in altari tum ordinatus tum ordinata Eucharistiam recipiebant: Utrique calix Sanguine Christi plenus, ut ex eo degustarent, tradebatur in manus. Ergo &c.

Resp. ordinationem per quam consecrabantur Diaconissæ, fuisse sacram quamdam inaugurationem mere ceremonialem, per quam ab Ecclesia committebantur ut nonnulla in mulieres pia ministeria obirent. Non fuisse vero Sacramentum ostenditur tum quod ritus ille nequaquam esset institutionis divinæ, tum quod ad sacrificium nullo modo referretur: ex qua tamen relatione & habitudine sumitur ordinis qui sit Sacramentum, essentia. Ea solutio petitur ex authoribus Græcis. Inter quos sic loquitur Epiphanius in Panario, hæresi 79. quæ est Collyridianorum: *Quamquam Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem aut ullam hujusmodi administrationem institutus est, sed ut mulieribus sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit .... Sive cum nudandum est mulieris corpus, interveniat; ne virorum qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed a sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam gerit, quo tempore vestibus exuitur.*

Objicies 2. In antiquis canonibus multæ mulieres dicuntur, *Episcopæ, Presbyteræ, Diaconæ*: Ergo non Diaconalis modo ordinis, sed etiam Presbyteralis, imo & Episcopalis capax est muliebris sexus. Probatur antecedens 1. Alterum Concilium Turonense can. 14. sic loquitur. *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum.* Hæc pariter habentur can. 20. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integram excommunicatus habeatur.* 2. Gregorius Magnus lib. 7. ind. 2. Epist. 7. Graviniæ Abbatissæ crimini vertit, *Quod usque ad diem obitus induci se monachica veste noluerit, sed in vestibus quibus loci illius utuntur Presbyteræ, permanserit.*

Resp. mulieres, de quibus objectio, non sic appellatas fuisse, quod Clero dedissent nomen, sed quod earum mariti ad Episcopatum, aut Presbyteratum, aut Diaconatum promoti fuissent. Solutio patet 1. ex Canonibus, qui illarum meminerunt: *Non licet* (inquit Concilium Antisiodorense cap. 21.) *Presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum Presbytera sua dormire.* Patet 2. ex eo quod apud Græcos ea nomina non fuerint in usu ad designandas mulieres, quæ castitatem vovissent: nec mirum cum Presbyteri & Diaconi apud Græcos suis uxoribus post ordinationem utantur, solæque Episcoporum electorum uxores apud eos, cum mariti ordinantur, castitatem voveant, ac se se in monasteria recipiant numquam deinceps fruituræ hominum familiaritate, ut videre est in Concilio Trullano cap. 48. ubi hæc habentur: *Uxor ejus qui ad Episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione extructam, & Episcopi providentia fruatur.* E contra vero apud Occidentales, cum uti propriis uxoribus nusquam Presbyteri aut Diaconi permissi sint; uxores eorum qui eligebantur conjugati, perpetuam castitatem vovere tenebantur, licet non cogerentur saltem antiquioribus sæculis, monasterium ingredi: quod tamen posterioribus imperatum fuit.

Objicies 3. Monialium & præsertim Abbatissarum, benedictio videtur esse quædam ordinatio sacra: 1. Per eam deputantur moniales ut publice canant in Ecclesiis suorum ordinum, etiam in Liturgiarum tempo-

pore, quibus sacrificanti Sacerdoti accinendo & respondendo, quodam modo ministrare videntur. 2. Abbatissæ jurisdictionem consequuntur in subditas sibi Canonicas & in subditos Clericos, quos & beneficii & officii suspensione mulctare possunt ut asserere videtur Honorius Papa III. cap. *Dilecta de majoritate & obedientia*. Ubi ad Abbatem a S. Michaele Abradensi hæc scribit: *Dilecta in Christo filia Abbatissa de Brubrige transmissa nobis petitione monstravit, quod cum ipsa pleramque Canonicas suas, & Clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias & culpas eorum, officio beneficioque suspendat, iidem consisi ex eo quod eadem Abbatissa eos excommunicare non potest, suspensionem hujusmodi non observant, propter quod ipsorum excessus remanent incorrecti. Quocirca mandamus, quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut Abbatissæ Prælatæ obedientiam & reverentiam debitam impendentes ejus salubria monita & mandata observent, Ecclesiastica censura compellas*.

Resp. negando Abbatissarum benedictionem esse ordinationem; est enim mera & nuda ceremonia, in qua Episcopus orat cum Ecclesia ut electæ Abbatissæ monialium familiæ sibi creditæ pie & sancte invigilent. Ad priorem probationem dicendum est 1. Sanctimoniales in liturgiis acclamando Sacerdoti, remote tantum ministrare; ad quod quidem ministerium nulla requiritur ordinatio, ut patet in omnibus viris laicis, qui etiam aliquando inserviunt Presbytero celebranti. Dicendum est 2. cantum Monialium in earum oratoriis non censeri publicum cantum, sed privatum tantum; unde omnino per accidens est quod externi in earum templa confluant. Præterea olim cum innocens esset Christianorum cœtus, mulieres cum viris in Ecclesia canebant; nam Philo Judæus lib. de vita contemplativa, in Ecclesia Alexandrina, cujus instituta Judæis tribuit, alternis choris a viris & fœminis cantatum testatur: Et tamen inde non sequitur mulieres illas Alexandrinas ordinationem accepisse ab Ecclesia, ut sic publice psallerent. Antiquum illum morem abrogavit posterioribus sæculis Ecclesia, damnavitque Sabellium & Pelagium, qui dum viverent, ritum illum iterum invehere conati sunt, ut videre est apud Hieronymum lib. 1. adversus Pelagianos. Eumque quoque in sanctimonialibus damnavit Innocentius secundus in Conc. Rom. c. 27. *Ne sanctimoniales simul cum canonicis, vel Monachis in Ecclesia in uno choro conveniant ad psallendum*. Textum illum apud Gratianum caus. 18. quæst. 2. cap. *Perniciosam*, legere est. Ad alteram antecedentis probationem respondet Hallierius cum glossa, *Verbo jurisd. Honorium Papam*, Honorium Papam non definire Abbatissam, de qua scribit, habere auctoritatem ferendæ suspensionis proprie dictæ, seu, quæ violata inducat irregularitatem. Imo, (inquit laudatus author) videtur ei hanc potestatem denegare, dum contemptores sententiæ ab ea latæ compelli jubet ab Abbate, ita ut præcipiendi quidem auctoritatem Abbatissæ confirmet, compellendi autem per censuras, in alium transferre videatur.

Caput Secundum.

An ii capaces sint ordinationis qui non fruuntur rationis usu?

Conclusio. Pueri ante usum rationis necnon amentes valide ordinari possunt.

Probatur 1. Ordo est inter ea Sacramenta quæ actum suscipientium non requirunt, & quæ effectum suum producunt cum in subjecto non inveniunt obicem contrarium. 2. Non est potior ratio de ordine, quam de baptismate & confirmatione, quæ data pueris valent, etiamsi eorum parentes renitantur.

Quæres 1. utrum de singulis ordinibus mox prolata conclusio intelligi debeat?

Resp. Affirmative. Rationes enim quibus evincitur valorem alicujus ex ordinibus dati infantibus, vim habent pro cæteris omnibus: imo etiam pro Episcopatu sumpto saltem pro charactere, non autem pro animarum cura, quæ suscipi non potest nisi a consentiente, eo quod Episcopatus in ultimo illo sensu quoddam spirituale cum Ecclesia matrimonium importet. Ita Dominicus Soto interpretatur S. Thomam qui alioquin in negativam sententiam propendere visus est.

Quæres 2. utrum infans ordinatus, ad cœlibatum & alias Ecclesiasticas leges teneretur?

Resp. negative. Siquidem ad leges status alicujus non tenetur, qui eum statum libere non est amplexus. Confirmari potest illa responsio 1. Authoritate antiquissimæ Ancyranæ Synodi, quæ ab observantia castitatis absolvit Diaconos, qui dum ordinarentur contestati sunt se non posse ab uxorum usu temperare: *Diaconi* (inquit Can. 9. ex interpretatione Dionysii Exigui) *quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant; propterea quod eis Episcopus licentiam dederit*. Confirmari potest 2. authoritate Gregorii Magni, qui Siciliæ Subdiaconos a lege cœlibatus hisce verbis eximit: *Durum atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari*.

Nec est quod quis objiciat jus canonicum definiens infantes, qui susceperint baptisma, teneri ad Christianitatis leges. Longe enim dispar est ratio inter ordinationem & baptismum: illum enim infans post adeptum rationis usum tenetur suscipere, ubi lex Evangelica ipsi sufficienter innotuerit. Unde (ut jam observavimus in nostra de Baptismo dissertatione) merito refellitur Erasmi sententia, qua asserit iis qui in infantia sunt initiati baptismate, cum primum rationis usum consecuti fuerint, esse patefaciendum, tum quod Baptisma susceperint, tum quid oneris ex illius Sacramenti susceptione ipsis incumbat. Si vero initiationem suam ratam habere noluerint, proprio arbitrio permittendos esse, nec ad ullum Christianitatis officium posse compelli.

Nec quemquam pariter movere debet hæc juris Canonici regula: *Accessorium sequitur naturam principalis*: Tunc nimirum veritate nititur ejusmodi regula, quando Accessorium & Principale naturalem habent inter se connexionem, non autem cum arbitrariam tantum, seu quæ a lege positiva inducta fuerit, hujus vero naturæ esse cœlibatum respectu sacræ ordinationis demonstrabitur inferius.

QUÆSTIO SEXTA.

De effectibus sacræ Ordinationis.

Duo sunt sacræ Ordinationis effectus, gratia nimirum & character. De priore sat superque dictum est, cum superius ostensum fuit sacram Ordinationem esse vere ac proprie dictum novæ legis Sacramentum. De altero igitur solum hac in quæstione dicendum incumbit, ac quærendum. 1. Utrum ordinatio in Ecclesia Cathulica juxta canones collata characterem imprimat. 2. An olim, data quidem in Ecclesia, sed contra canones, eumdem effectum produxerit. 3. Quid de ea sentiendum sit quam olim tum Schismatici tum Hæretici conferebant. 4. Denique an nunc valeat ordinatio quæ extra Catholicam Ecclesiam celebratur.

Caput Primum.

Utrum Ordinatio in Ecclesia Catholica juxta canones collata characterem imprimat?

Conclusio. Sacramentum Ordinis datum in Ecclesia Catholica juxta Canones characterem indelebilem impressit semper & nunc etiam imprimit. Est contra Lutherum cui placuit ordinationem nudum esse officium, quod ubi voluerint Seniores, dari possit & auferri; proindeque cras fieri Laicos, qui hodie pastoratu funguntur.

Probatur prior conclusionis pars 1. argumento positivo. Ea sacra ceremonia characterem impressit antiquitus quæ iterari nec debuit, nec potuit. Atqui Sacramentum Ordinis datum in Ecclesia Catholica juxta Canones, quondam nec iterari debuit nec potuit: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, Diaconus secundam ordinationem ab alio perceperit* (inquit Can. 68. Apostolicus) *deponatur & ipse, & qui ordinavit*. Idem apud Cyprianum docet author sermonis de ablutione pedum: *Nemo* (ait) *sacros Ordines iterum renovet*. Idem evincitur ex Concilio III. Carthaginensi Canone 38. ubi hæc habentur: *Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi Plenaria Synodo videtur statutum: Non liceat fieri rebaptizationes & reordinationes*. Idem dogma apud Augustinum legere est: *Utrumque* (inquit lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13.) *Sacramentum est & quadam consecratione datur; illud cum baptizatur; istud cum ordinatur: Ideo in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare*. Non minus perspicua est hæc altera ejusdem S. Patris sententia lib. de Bono conjugali cap. 24. *Si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiam plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis; & si aliqua culpa quisque ab officio removeatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente.*

Probatur 2. eadem prior conclusionis pars argumento negativo. Ita apud Catholicos ratum fuit semper Sacramentum Ordinis datum in Ecclesia juxta canones, valere ac proinde non debere iterari, ut nullus ex hæreticis veteribus irritum esse ac iterari debere docuerit. Contendit quidem olim Cyprianus non valere Sacramenta quæ ab hæreticis extra Ecclesiam collata fuissent: Idem quoque persuasum fuit tum Novatianis tum Donatistis; Verum iis omnibus probata fuerunt Sacramenta quæ data fuissent in Ecclesia Catholica, quam Cyprianus Romanam, Sectarii vero suas Synagogas interpretabantur.

Probatur altera conclusionis pars 1. ex Eugenio Papa IV. qui in decreto pro instructione Armenorum declarat *in Sacramento Ordinationis sicut & in Baptismo & in Confirmatione characterem imprimi qui nec deleri potest nec auferri*. 2. Ex Concilio Tridentino quod quidem sic habet sess. 7. de Sacramentis in genere: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale & indelebile, unde ea iterari non possint; anathema sit.*

Caput Secundum.

Utrum Ordinatio data in Ecclesia, sed contra canones olim characterem impresserit?

Morinus noster in suo Commentario de sacris Ordinationibus, vario argumentorum genere probare contendit irritas ac nullas, etiam secundum substantiam, fuisse quondam ordinationes quas quisque in Ecclesia quidem Catholica, sed contra canones, suscepisset: unde concludit ejusmodi ordinationes, licet debita materia & debita forma adfuissent, ac minister proposuisset sibi intentionem faciendi quod facit Ecclesia, nullum omnino characterem produxisse. Nec tamen inde sequitur (inquit) aliam tunc fuisse de similibus ordinationibus fidem quam nunc sit: Siquidem (addit) Ecclesiæ Catholicæ fuit semper, sicut & nunc est, persuasum valere ordinationem ubi materia & forma, a legitimo ministro debite & ut par est, idoneo subjecto applicatæ fuerint; Sed contendit indebitam applicationem, seu quæ tentata fuisset contra canones, fuisse jure Ecclesiastico, quod his temporibus non obtinet, impedimentum dirimens, seu (ut ipsemet loquitur) executionem canonum fuisse conditionem *sine qua non*, sive qua absente, non fieret Sacramentum etiamsi aliunde forma & materia subjecto applicarentur. Confirmat vero suum systema ex eo quod idem sit jus Ecclesiæ respectu ordinationis ac respectu Matrimonii: ac proinde cum Ecclesia possit impedimenta statuere quæ matrimonium dirimant, potest & præscribere conditiones, quæ, si absuerint, irritum sit ordinationis Sacramentum, quamvis alioquin forma materiæ applicetur. Alii Theologi contrariam opinionem propugnant: quam vero ex duabus elegamus, conclusio subsequens aperiet.

Conclusio. Sacramentum Ordinis datum in Ecclesia, licet contra canones, valuit semper quoad substantiam; ac proinde characterem impressit recipientibus.

Probatur. 1. Nulla in Synodo legitur quod Ecclesia canonum infractionem apposuerit tamquam conditionem qua irritetur Sacramentum Ordinis, seu qua efficiatur ut irritum sit Sacramentum, quod alioquin, si servarentur canones, valeret. 2. Nullibi revocata legitur ea conditio. Ergo si quondam vim habuerit, his etiam temporibus effectum sortitur suum; quod tamen inficiantur adversarii. 3. Ideo Morinus, Cabassutius, nonnullique alii scriptores contendunt infractionem canonum impediisse quondam ne Sacramentum Ordinis valide conferretur, quamvis materia & forma debite conjungerentur, quod quædam monumenta Ecclesiastica videantur fidem facere iteratas fuisse ordinationes contra canones datas, etiam in Ecclesia Catholica, seu a ministris qui nec hæretici essent nec Schismatici. Sed nulla est ea ratio, seu verum non est quod ejusmodi ordinationes iteratæ fuerint, ut mox patebit ex solutione argumentorum quæ ab adversariis obiiciuntur.

Solvitur argumentum petitam ex Stephani IV. facto in Constantinum.

Obiicies. Stephanus Papa IV. in Concilio quod anno 669. Romæ habitum est, cui præ cæteris aderant duodecim Episcopi Galli, irritam ac nullam declaravit ordinationem Constantini, qui Fratrum divitiis & viribus fretus, post Pauli Papæ I. mortem Romanam sedem invaserat; igni quoque tradidit acta Synodi quæ illius consecrationem probaverat: *Tunc* (inquit Anastasius Bibliothecarius) *combustis omnibus ejus actionum gestis, simul & Consilium illud quod in scriptis de ejus quasi confirmatione editum fuerat, combussere in medio Presbyterii ipsius Ecclesiæ*. Declaravit rursus idem Stephanus in mox laudato Concilio Episcopos, Presbyteros, & Diaconos quos Constantinus consecrasset eo anno quo Romæ sedit, eo tantum honoris gradu frui debere quo ante suam a Constantino ordinationem potiebantur: *De Episcopis vero atque Presbyteris & Diaconibus quos ipse Constantinus consecraverat* (verba sunt Anastasii) *ita in eodem Concilio promulgatum est, ut qui Episcopi ex Presbyteris sive Diaconibus ab eo ordinati fuerant, in pristinum honoris sui gradum reverterentur*. Ne quis vero decretum illud non de ipsa ordinis a Constantino recepti substantia, sed de honore qui ordinem illum subsequi solet, interpretetur, obstant quæ addit idem Anastasius, sancitum nimirum fuisse ut iterata a populis Episcoporum electione, iteraretur & consecratio: *Etsi* (inquit) *placabile fuisset omni populo civitatis suæ, denuo facto decreto electionis more solito, cum Clero & plebe ad Apostolicam* ve-

venissent sedem, ab eodem sanctissimo Stephano Papa benedictionis susciperent consecrationem: Quod quidem postea fuisse peractum laudatus author his verbis enarrat: *Illico Episcopi illi qui ab eodem Constantino ordinati sunt, revertentes juxta ejusdem Pontificis sententiam in pristinos honoris gradus, electi denuo a Clero, & plebe cum solito decreto ad sedem Apostolicam properantes ab eodem SS. Papa consecrati sunt*. Eam Concilii in Episcopos indulgentiam Stephanus detrectavit extendere ad Presbyteros, Diaconos, cæterosque Clericos quos Constantinus ordinarat: sancivit nempe ut remanerent in gradu in quo stabant ante receptam a Constantino impositionem manuum: *Ipse vero antefatus beatissimus Stephanus Papa coram omni Sacerdotali collegio clara voce clamavit dicens, Nullo modo se mittere aut penitus declinare in eorumdem Presbyterorum & Diaconorum consecrationem. De Laicis vero qui ab eodem Constantino Presbyteri & Diaconi consecrati sunt, ita promulgatum est, ut in religioso habitu cunctis diebus eorum vitæ, sive in propriis domibus, vel ubi fuissent, permanere deberent*. Stephani votis annuisse Concilium scribit idem Anastasius: *Presbyteri* (inquit) *& Diaconi illi usque ad mortem Pontificis sic remanentes, numquam sunt ab eo consecrati*. Addit idem author uno excepto baptismate, & Chrismate sancto, irrita ac nulla declarata fuisse Sacramenta quæ Constantinus conficere tentasset: *Ita enim in eodem Concilio statutum est: ut omnia quæ idem Constantinus in Ecclesiasticis Sacramentis, ac divino cultu egit, iterari debuissent, præter sacrum Baptisma ac sanctum Chrisma*. Ex iis quæ hucusque dicta sunt sic argumentantur adversarii. Certum est Ordinationes Constantini peractas fuisse in Ecclesia Catholica: neque enim Constantinus laborabat hæresi, nec ab hæreticis consecratus fuerat: illi nempe manus imposuerant Episcopi Prænestinus, Albanensis & Portuensis: Id unum ipsi versum est crimini quod non servatis quæ canones præscripserant, temporum interstitiis; quod armis & fratrum authoritate fretus, inauguratus fuisset Romanus Episcopus: quippe quod nihil aliud ipsi objectum sit in Concilio ad quod a Stephano vocatus fuit: *Præsidente eodem beatissimo Stephano Papa, considentibus etiam pariter cum eo iisdem omnibus Episcopis* (verba sunt Anastasii) *deductus est Constantinus Apostolicæ sedis invasor, jam excæcatis oculis* (*a militibus nempe qui eum detruserant in carcerem.*) *Et subtiliter exquisitus est, cur præsumpsisset, Apostolicam sedem laicus existens invadere, & talem iniquæ novitatis errorem perpetrare?* Certum est iterum quod licet Constantinus Catholicus esset, licet secundum receptum in Ecclesia ritum sacros contulisset Ordines, irriti tamen habiti sint ac iterati a Stephano Papa, quod contra canones seu ab Episcopo contra regulas consecrato celebrati fuissent. Persuasum igitur fuit tum Stephano Papæ IV. tum Episcopis qui Concilio aderant a quo Constantinus damnatus est, irritas esse, ac proinde characterem non imprimere, Ordinationes, quæ eo sæculo in Ecclesia quidem, sed contra canones tentatæ fuissent.

Respondet his verbis Baronius ad annum 769. *At quod ab Episcopos spectat, ne eos existimes iterum consecratos, sed accepisse dumtaxat, more majorum, benedictionis mysterium, quod author nominat benedictionis Sacramentum*, seu ritum qui in reconciliatione tum Hæreticorum, tum Schismaticorum, tum eorum qui fuissent inique dejecti, adhiberi soleret: is autem ritus (una excepta manuum impositione) cuncta complectebatur quæ in Ordinum collatione servabantur, ut videre est in quarto Concilio Toletano quod anno 633. habitum est: *Episcopus* (inquit Can. 28.) *Presbyter, aut Diaconus, si a gradu suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcopi; Orarium, Annulum & Baculum: Si Presbyter, Orarium & Planetam: Si Diaconus, Orarium & Albam: si Subdiaconus, Patenam, & Calicem: sic & reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant, quæ cum ordinarentur, perceperunt.*

Expenditur factum Hincmari Rhemensis in Ebbonis Clericos.

Obiicies. Hincmarus Rhemensis irritas fecit ordinationes quas Ebbo ejus prædecessor post canonicam depositionem, & irritam (ut causabatur Hincmarus) per Comprovinciales Episcopos restitutionem celebratat. Ex quo quidem facto sic conficitur argumentum. Hincmaro persuasum fuit Ebbonem canonice depositum, eo quod rebellasset in Ludovicum Imperatorem, & perperam, agente Lothario Imperatore a cujus partibus steterat, postea restitutum, eo nomine caruisse potestate ordinandi quod canones prohibeant ne ab Episcopis depositis ordinationes celebrentur. Ipsi igitur ratum fuit invalidas esse, etiam quoad substantiam, ordinationes quas quis ausus fuisset celebrare contra canones, quamvis materia & forma ex quibus constant cum intentione legitima ex parte ministri conjunctæ fuissent. Hincmari facto robur addidit Concilium Suessionense quod anno 853. habitum est. Actione quarta: *Judices* (ut habetur in actis) *percontati sunt, quid de his canonica authoritate æstiment vel decernant quos Ebbo post suam depositionem absque ulla legitima restitutione præsumpserat ordinare.* Judicum quæstioni respondit Emmo Noviomagensis Episcopus, porrigens rotulam auctoritatem canonicam & Apostolicam continentem: *Quod qui ab ipso voluerant, & visi fuerant ordinari in gradus Ecclesiasticos, ab eodem quod idem non habuit, nemo eorum accipere potuit: damnationem utique quam habuit, per pravam manus impositionem eis dedit, quia qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere (ut Innocentius Papa dicit) inveniri non potest.* In Emmonis sententiam abiit tota Synodus, hocce nimirum decretum tulit actione quinta: *Decretum est a sacratissima Synodo ut quidquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Ebbo post damnationem egerat secundum traditionem Apostolicæ sedis (ut in gestis Pontificum legitur) præter sacrum Baptisma quod in nomine sanctæ Trinitatis perfectum est, irritum & vacuum habeatur, & ordinati ab eo in quamcumque terrarum orbis partem profugi vagentur, vel vagati sint, quia divinum judicium effugere nullatenus possunt, spiritus sancti judicio Ecclesiasticis gradibus privati perpetuo habeantur.* Non de *Licito* tantum intelligi debet ea Patrum Suessionensium definitio. sed de *Valido*: seu, non solum declararunt illicitas fuisse, sed etiam invalidas ordinationes quas Ebbo inique (ut putabant) restitutus, tentarat: siquidem opponunt ordinationes illas baptismati: At baptisma ab illo mulctato depositione collatum, illicitum censuere: Ergo, ut valeat oppositio, irritas, ac nullas judicarunt ordinationes de quibus agitur.

Respondet Hallierius in suo de sacris Electionibus & Ordinationibus tractatu, Concilii Suessionensis acta rescissa fuisse a Nicolao Papa I. ad quem Clerici dejecti provocaverant. Alteram nempe Synodum anno 866. indixit laudatus Pontifex in qua Ebbonis causa maturius excuteretur: Interim in dejectorum gratiam jus dixit: concessit tamen Hincmaro unius anni inducias quo Concilii Suessionensis decretum solidioribus argumentis confirmaret. Igitur anno 867. Gallicani præsules Trecis Synodum habuere; cujus quidem Synodi relatione missa ad Nicolaum Papam, sed data Adriano II. proximo illius successori, Clerici quos Ebbo post depositionem ordinarat, decreto Apostolico in gradus ab Ebbone receptos restituti sunt: eaque ratione lis, quæ tot annis Gallias exagitarat, composita est. Unde evidenter colligitur (ait Hallierius) nullam haberi debere rationem decreti, quod a Suessionensi Concilio contra Ebbonis Clericos latum est: ac proinde eo minime probari irritas esse ordinationes, quæ contra canones a ministris Catholicis tentatæ fuerint.

Verum levis est ponderis Hallierii solutio. Nam primo Nicolaus Papa I. non arguit Patres Suessionenses quod ordines, quos contulisset Episcopus depositus, irritos ac nullos declarassent. 2. De solius

facti

facti, non autem de juris quæstione contendebat Nicolaus Papa contra Hincmarum & Synodum Suessionensem. Hincmarus & Suessionenses Patres asserebant Ebbonem contra canones restitutum fuisse: Nicolaus vero & post ipsum Adrianus, judicarunt Ebbonem canonice restitutum fuisse. Ex factis autem contrariis duo diversa concludebant: Hincmarus quidem nullitatem & invaliditatem ordinationum quas Ebbo celebrarat post suam restitutionem: Summi vero Pontifices inferebant valere ordinationes ejusmodi; ac proinde Clericos licitè iis posse perfungi.

Respondendum est igitur Patres Concilii Suessionensis, hisce terminis quibus usi sunt: *Irritam ac vacuam habeatur*, non ordinum substantiam, sed actum seu eorum exercitium intellexisse, ita ut voluerint Clericos quos Ebbo post suam ex Sede Rhemensi dejectionem consecrarat, suspensos esse ab ordinum executione. Confirmari potest solutio ex eo quod nonnulli Patres quibus aliunde rata erant & vera, quoad substantiam, Sacramenta, nonnumquam ea inania & irrita dixerint ex eo præcise quod carerent effectu ad quem a Christo instituta sunt: *In Ecclesia Dei, quæ Corpus Christi est* (inquit Leo Magnus ad Anatolium Constantinopolitanum scribens) *aliter nec recta sunt Sacerdotia, nec vera Sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet*. Algerus, cui haud dubie ratum fuit sacrificium quod hæretici offerunt, idem sacrificium dicit fictitium esse & vanum, quod (ait lib. 9. de Sacramentis) salutem quam polliceri videntur, nequaquam conferat.

Contra mox datam responsionem adversarii urgent quæ laudati Concilii Suessionensis decreta sunt de Halduino Abbate in Altivillaris Monasterio. Is (inquiunt) ab Ebbone post canonicam depositionem Diaconus inauguratus fuerat; postea vero, mandante Lothario Imperatore, postulantibus Altivillarensibus monachis, Presbyter, Sede Rhemensium vacante, consecratus fuerat a Lupo Catalaunensium Episcopo; Ea autem consecratio, a Concilio Suessionensi declarata est facta *per saltum*: unde pœna, quam Canones decernunt in eos qui *per saltum* ordinati fuerint, in Halduinum animadversum est: *Tunc* (ait Anastasius referans acta sextæ actionis) *de Presbytero quodam & monachorum Abbate in Altivillaris monasterio, nomine Halduino, qui ab eodem Ebbone Diaconus fuerat ordinatus, & a Lupo postea venerabili Episcopo Catalaunensi Presbyter sine examine fuerat consecratus, commota est quæstio, de quo judicatum est a Synodo secundum sacros canones... at qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium prosilierat, in degradationem debitam resilire deberet*. At (prosequuntur adversarii) si Halduinus judicatus fuit promotus *per saltum*, quod ab Ebbone Diaconus ordinatus fuisset, sequitur quod Concilio persuasum fuerit nullam ac irritam fuisse, etiam quoad substantiam, Halduini in Diaconum consecrationem.

Verum parum hæc movent: Non enim aliud significant Concilii verba quam istud, nempe Halduinum non magis potuisse Diaconi aut Presbyteri munera obire, quam si *per saltum* ab Episcopo Catalaunensi Presbyter consecratus fuisset: Per ordinationem scilicet in Diaconum receptam ab Ebbone, inciderat (ut Hincmaro & Episcopis ei adhærentibus visum est) in suspensionem ab officio Diaconi: ac proinde respectu Sacerdotii recipiendi factus fuerat irregularis: solutionem illam sat innuunt ipsa laudatæ Synodi verba: *De quo judicatum est a Synodo secundum sacros Canones, sicut scriptum est: Ut qui Presbyteri sine examine per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem sunt provecti, cum fuerint cogniti, deponantur*: Depositionis vero nomen non significat irritum fuisse quoad substantiam ordinem ex quo quis dejicitur, sed interdictum complectitur quo quis respectu ejusdem ordinis functionum illigatur.

Solvitur argumentum petitum ex facto Stephani VI. in Formosum Papam.

Objicies. Factum Stephani Papæ VII. in Formosum Papam demonstrare videtur nono sæculo irritas, etiam quoad substantiam, habitas fuisse ordinationes quæ contra canones aut datæ, aut receptæ fuissent. Formosus ex Episcopatu Portuensi anno 891. ad Episcopatum Romanum convolarat; multosque Romæ sedens consecraverat Ecclesiæ ministros. Illi mortuo successit Stephanus VII. vel ut vulgo dicitur VI. Is anno 897. quo Pontificatum adeptus est, exhumatum Formosi corpus, abscissis tribus digitis quibus populo solitus erat benedicere, in Tyberim projici jussit, declaravitque cum Synodo cui præerat, irritas esse quas celebrarat ordinationes, non quoad effectum tantum, sed etiam quoad substantiam; unde consecratos a Formoso ipse iterum consecravit: *Formosum* (inquit Luitprandus Stephano coætaneus scriptor) *e sepulchro extrahere, atque in Sedem Romani Pontificatus, Sacerdotalibus indumentis indutam collocare præcepit.... Digitisque mox abscissis, quibus benedicere moris est, in Tiberim jactare præcepit, cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit*. Atqui sic se Stephanus gessit quod crederet Formosum sedem, Canonibus Episcoporum translationes vetantibus, murasse: unde eum extractum e tumulo, vocatum ad judicium, multis Episcopis præsentibus sic allocutus est: *Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti?* Ratum igitur fuit Stephano & Episcopis illi adherentibus irritas esse, etiam quoad substantiam, ordinationes, quæ contra canones tentatæ fuissent.

Respondent nonnulli Stephanum eo sensu iterum ordinasse consecratos a Formoso, quod post depositionis sententiam eos pristinis gradibus restituerit cum eo ferme ritu, qui in ipsa ordinatione adhiberi soleret. Verum 1. Luitprandus & Auxilius qui tunc scribebant, ritum illum appellarunt iteratam ordinationem. 2. Iteratio rituum ex quibus Sacramentum essentialiter constat, seu applicatio formæ supra materiam, est ipsiusmet Sacramenti etiam quoad substantiam, iteratio: eo nimirum argumento utimur quo probemus Donatistas olim iterum baptizasse baptizatos a Catholicis. 3. Stephani decretum in Formosum Papam, celebratasque ab ipso ordinationes, orbis Episcopos inter se commisit, affirmabant nonnulli eas valere etiamsi Formosus contra Canones in Sedem Romanam convolasset: unde qui ab eo consecrati fuerant, protestabantur se nolle alteri, ut tamen Stephanus edixerat, consecrationi subjicere: *Asseris* (inquit Auxilius ad Leonem Nolanum Episcopum scribens) *te violentius pati oppressiones, ut Episcopale Sacerdotium quod olim a Papa Formoso suscepisti, quasi nihil sit, irritum facias*. Negabant vero cæteri Episcopi valere ordinationes hujusmodi; unde ordinatis a Formoso authores erant, ut alteri ordinationi se se subjicerent. Confirmatur ex eo quod dubium apud peritos illos Episcopos esse non posset, quin illicitum esset exercitium Ordinis quem Clericus recepisset ab Episcopo quem Concilium contra canones promotum declarasset. Confirmatur iterum ex eo quod Auxilius in laudata ad Leonem Epistola quæstionis statum iis terminis proponat qui probent actum tunc fuisse de ordinis substantia, non autem de licito illius exercitio: *Quod ordinatio* (inquit) *quam Papa Formosus fecit, rata & legitima ostendatur, etiamsi ipse Formosus (ut ajunt) non recte fuerit ordinatus*.

Respondet Baronius ad annum Christi 897. iniquum fuisse Stephanum quod ea tentarit quæ objiciuntur ab adversariis: *Ita* (inquit laudatus author) *furore percitus homo non quod jure liceret, sed quod exæstuans rabies suasit, implevit, non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto*. Sigebertus in chronico refert Stephanum Adelberti Tusciæ Marchionis factionibus intrusum fuisse, & aperta vi invasisse Romanam sedem. Mirum igitur non est quod male parta authoritate pessime usus, contra Ecclesiæ praxim novas ordinationes superinduxerit vir ita furoreque per-

cit

citus in Formosum, cujus Adalbertus infensissimus hostis extiterat.

Confirmatur Baronii responsio 1. ex Auxilio & Luitprando qui testantur viros omnes frugi ita exhorruisse decretas a Stephano recordationes, ut noluerint se se iteratæ manuum impositioni subjicere, quamvis id a præfato Stephano sub depositionis, imo & excommunicationis pœna juberetur. 2. Scribit Luitprandus facinus de quo agitur, & iniquum de quo agit quæstio decretum ægre tulisse eos qui aderant: *Reclamantibus qui aderant*. 3. Joannes Papa IX. coacto Ravennæ 74. Episcoporum Concilio, anno 904. rescidit quæ tum in Formosum Papam, tum in Clericos ab eo ordinatos Romæ acta fuerunt sub Stephano. Capite VII. hæc sancita sunt: *Episcopos, seu Presbyteros, atque Diaconos, nec non & Subdiaconos, cæterosque alterius ordinis sanctæ Sedis Apostolicæ, qui ab eodem venerando Papa Formoso canonice consecrati, pro quorumdam libitu temere dejecti sunt, in proprios ordines & gradu communi sanctæ Synodi consulta reducimus, perpetuoque robore ac canonica censura stabilitos, Deo auctore decernimus*. Capite VIII. hæc habentur quæ supponunt Stephanum alias revera quoad substantiam ordinationes decrevisse: *Reordinationes, seu rebaptizationes & sedium mutationes sancti Patres in Africano Concilio congregati omnimode interdixerunt: quos secuti & nos interdicimus, &c.* Qui Romano Concilio quod sub Stephano habitum est, adfuerant, Raveanæ confessi sunt se peccasse graviter, quod iniquis Stephani decretis reluctati non fuissent: *Episcopi & Presbyteri & reliquus Clerus qui eidem Synodo interfuerint* (verba suntque in Concilii sub Joanne habiti actis capite quinto leguntur) *quia ipsi veniam petentes, coacti se terroris metu ac formidine interfuisse confessi sunt: prece sancta Synodi eis indulsimus*.

CAPUT TERTIUM.

Utrum Ordinatio data extra Ecclesiam olim valuerit?

CONclusio 1. Ordinatio extra Ecclesiam secundum ritum a Christo institutum ab hæreticis nondum Concilii alicujus decreto damnatis, valuit quovis sæculo: ac proinde characterem impressit recipientibus.

Probatur variis exemplis. Valuit ordinatio Anatolii, quem impius Dioscorus nondum in aliqua Synodo damnatus, post iniquam S. Flaviani mortem consecravit Episcopum Constantinopolitanum: nullibi enim legitur quod alia manuum impositione donatus sit ab ea quam acceperat a Dioscoro. 2. Maximus in Latrocinio, seu in Conciliabulo Ephesino, post depositionem Domini creatus est Episcopus Antiochenus: illius tamen ordinationem Concilium Chalcedonense probavit actione x. 3. Acacii Patriarchæ Constantinopolitani ordinationes probarunt tum Gelasius, tum Anastasius Pontifices maximi, quamvis Romana Sedes cum eo communicare detrectasset. Quondam igitur solebant majores nostri ordinationes admittere, quas celebrassent tum Hæretici, tum Schismatici qui nondum publico Ecclesiæ decreto damnati fuissent.

Conclusio 2. Nusquam Ecclesia iteravit ordinationes quas hæreitci, etiam publice damnati & nominatim ejecti ex fidelium cœtu celebrassent.

Probatur primo, in Nestorianorum causa: hæc nimirum de eis habet Gregorius Magnus lib. 9. Indict. 4. Epist. 61. *Nestorium cum omnibus sequacibus suis & reliquas hæreses anathematizent; venerandas quoque Synodos, quas universalis Ecclesia recipit, se recipere & venerari promittant, & absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra* SERVATIS EIS PROPRIIS ORDINIBUS *in cœtu recipiat*. Ordinum quos Nestoriani contulissent non substantiam tantum, seu, characterem, admitti vult Gregorius, sed etiam indulget eorum executionem iis qui ex animo in Ecclesiæ Catholicæ sinum redierint. Scribebat vero Gregorius anno prope 170. post solemnem Nestorii ab Ecclesia excisionem: ac proinde loco mox relato loquitur de Clericis qui in hæresi Nestoriana expresse damnata consecrati fuissent. Idem in Pelagianorum causa servandum definit Leo Magnus Epist. 86.

Probatur 2. exemplo Monothelitarum de quibus hæc habet Tharasius ad calcem primæ actionis, septimæ generalis Synodi. *Tharasius beatissimus Patriarcha dixit. Sane & plurimi qui in sexta Synodo præsides fuerunt, a Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro Doctoribus (inquam) hæresos Monothelitarum fuere creati; Sed & hi vicissim Constantinopolitanas Sedes inter Clerum distribuerunt, & ab eodem extremo Doctore Petro usque ad Sextam Synodum anni non pauciores quam quindecim intercesserunt; qui vero intermediis temporibus fuerunt, Thomas scilicet, Joannes, & Constantinus ab hæreticis fuere ordinati, Verum ea de causa non sunt reprobati; circiter enim quinquaginta annos hæresis illa viguit: Et tamen in sexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantum damnarunt, cæteros cum ordinibus susceperunt*. Eadem septima Synodus Occumenica Majorum, saltem qui post quartum sæculum floruerant, vestigiis inhærens, non Monothelitarum tantum, sed aliorum omnium hæreticorum ordinationes probavit.

Probatur 3. conclusio nostra ex disciplina quam Ecclesia in Donatistas servavit: hisce vero verbis refertur ab Augustino Epist. 50. *Hoc erga illos ab initio servavit Africa Catholica ex Episcoporum sententia qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem Donati judicaverunt, damnatoque quodam uno Donato qui author schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos*, ETIAMSI EXTRA ECCLESIAM ORDINATI ESSENT *in suis ordinibus suscipiendos esse censuerant*. Idem asserit S. Doctor Epist. 162. ubi plurimum commendat Melchiadis Papæ indulgentiam: *Qui Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere, etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi quos dissensio geminasset; eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur.*

Probatur 4. terminis indefinitis ac generalibus quibus Patres utuntur iis locis ubi meminerunt ordinationum quas hæretici celebrassent. Gregorius Magnus ad Joannem Ravannæ Episcopum scribit non magis iterari debere hæreticorum Ordinationem quam datum ab iis Baptisma: *Illud autem* (inquit) *quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum ..... Absit a Fraternitate vestra sic sapere: Sicut autem baptizatus semel, iterum baptizari non debet, ita consecratus semel, in eodem Ordine iterum non valet consecrari*. Ex ea sancti Pontificis sententia patet velle eum ut idem judicium de Ordinatione feratur ac de Baptismo: Ergo censuit quod, quemadmodum valet Baptisma a quocumque & ubicumque, secundum ritum a Christo institutum conferatur, valet & Ordinatio a quocumque Episcopo sive intra, sive extra Ecclesiam celebrata fuerit.

Probatur 5. ratione qua plane præcluduntur omnes adversariorum exceptiones. Non videtur esse potior ratio cur aliquorum hæreticorum ordinationes Ecclesiæ, quoad substantiam, ratæ fuerint, quam aliorum. Atqui (ut hactenus probatum est) nonnullorum hæreticorum ordinationes, Ecclesiæ ratæ fuerunt. Ergo & aliorum omnium ordinationes quoad substantiam probare debuit. Nec est quod quis neget majorem propositionem, dicatque ideo valuisse quorumdam hæreticorum ordinationes quod Ecclesia cum iis hæreticis dispensasset, non autem cum aliis. Nam, ut valeret ea disparitas, Morinus probare debuisset 1. regulam fuisse generalem rejiciendi tamquam irritas, etiam quoad substantiam, celebratas ab hæreticis ordinationes: Verum id supponit laudatus author, nec probare potuisset, cum ea generalis regula nec in Conciliis, nec in Patribus reperiatur. Probare debuisset 2. admissionem ordinationis celebratæ a quibusdam hæreticis fuisse non ex jure communi, sed ex mera Ecclesiæ indulgentia; quod tamen non probat. Verum est quidem

dem dispensatum fuisse cum nonnullis respectu functionis ordinum quos iu hæresi aut in schismate recepissent; sed respectu substantiæ eorumdem ordinum oullam proferre est concessam dispensationem. Addi potest 3. quod, ubi grassari cœperunt hæreses, imo & post eorum solemnem condemnationem, semper agitata non fuerit quæstio de Ordioationibus quæ in iisdem hæresibus celebratæ fuissent; sed sæpe multis post annis, ut Novatianis, Donatistis, Pelagiania, Nestorianis, Monothelitis videre est. Quæro autem utrum ante illud examen valerent Ordinationes de qnibus est quæstio, an vero irritæ essent: Si primum, Ecclesia irritas quoad substantiam declarare non potuit ordioationes quæ illud examen præcesserunt; ut tamen (si ut Morinus judicat) in causa Novatianorum factum est in Concilio Nicæno primo: Si secundum, sau, si irritæ essent antequam vocarentur in examen, qui fieri potuit ut validæ postea declararentur, ut tamen factum est in Donatistis?

Solvitur argumentum desumptum ex Concilio Nicæno I.

Obiicies. Hæc de Novatianis habet octavus Canou prioris Concilii Nicæui: *De his qui se nominant Catharos, idest, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio ut impositionem manus accipientes, sic ia Clero permaneant.* Per eam vero maouum impositionem non potest intelligi 1. Sacramentum Pœnitentiæ: nam Canon præscribit aliquid erga Novatianos quod in cæterorum hæreticorum admissione uon servaretur: At Pœnitentiæ Sacramentum omnibus omnino hæreticis, cum redibant, aut publice, aut privatim impendebatur, ut de Confirmatione agentes ostendimus. 2. Ea manuum impositio non potest explicari de impositione manutum in Spiritum sanctum, seu de Sacramento Confirmationis, eo quod Orientales (ut erant Patres Nicæni) nusquam, aut saltem raro Confirmationem expresserint nomine impositionis manuum: usi sunt nempe nomine unctionis per quam admittebat hæreticos qui extra Ecclesiam Catholicam valide baptizati fuissent, ut patet ex septimo canona prioris Cuncilii Canstantinopolitaui, ubi Novatiani expresse designantur: Superest argo ut ea manuum Impositio de qua loquitur Synodus Nicæna, intelligatur de nova ordinatione quam Novatiani reciperent iu Ecclesia Catholica, antequam in ea aut Episcopos, aut Presbyteros agerent.

Confirmatur argumentum 1. ex Theophilo Alexandrino Patriarcha, sancto Hierouymo æquali. Is enim exponens octavum Canonem prioris Concilii Nicæni sic respondet Tom. II. Conciliorum Labbæi fol. 1801. *Declaravit mihi tua pietas quod quidam eorum qui se Catharos nominaant, volunt ad Ecclesiam accedere. Quoniam ergo magna Synodus Nicææ habita, statuit ut ordinentur qui accedunt juxta hanc formam, eos qui ad Ecclesiam accedent, ordina: si quidem vita eorum recta est & nihil eis adversatur.*

Confirmatur secundo ex Epistola ejusdem prioris Concilii Nicæni ad Alexandrinos, quam Tom. II. Labbæanæ editionis fol. 230. legere est: hæc autem habet de Meletianis: *Illi vero qui ab eo in sacrum ordinem lecti sunt, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, ad Communionem post hæc admittantur, & permittatur illis quidem honoribus frui, & sacris muneribus fungi.*

Resp. 1. per manuum impositionem cujus fit mentio in octavo canone prioris Concilii Nicæni, non intelligi Sacramentum Pœnitentiæ: Siquidem Concilium ritum recenset, ad quem alii hæretici praxim non reciperentur in Ecclesiam: At per Pœnitentiæ Sacramentum vel privatim, vel solemniter omnes admittebantur, ut suo loco superius ostensum est. Secundo. Non debet intelligi *Ordinatio* : cur enim celebratas a Novatianis ordinationes rejecisset sacra Synodus quæ admisit datas ab Arianis qui præcipuum religionis caput impugnabant; cur cum Arianis (quorum ordinationes aliqnsudo iteratas fuissa nullo potest exemplo demonstrari) dispensassent Nicæni Patres potius quam cum Novatianis? Dicendum est igitur per eam maunum impositionem de qua Concilium loquitur, intelligi manuum impositionem in Spiritum sanctum, seu, Sacramentum Confirmationis: quod quidem ideo Novatianis ad unitatem redeuntibus conferebatur, quod (ut agentes de Confirmationa ostendimus) apud suos eo donari non solerent.

Nec mox datæ solutioni obstat expositio canonis Nicæni quæ probata est ex Theophilo Alexandrino: nec enim Theophilus agit de Clericis Novatianis redeuntibus, sed de Laicis ad quos sic extendit privilegium de quo Synodus, ut velit eos Clero adscribi posse si alio quam schismatis crimine non impediantur: *Siquidem* (inquit) *vita eorum recta est & nihil eis adversatur*: Quod tamen canones vetabant circa alios hæreticos: prohibebant nempe ne paucis post annis a suo in Ecclesiam reditu, Clericatu donarentur.

Non obest quoque quod objectum est ex Epistola Nicæni Concilii ad Alexandrinos. Nam hi termini, *Sanctiori ordinatione*, qua usi sunt Patres Nicæni agentes de Clericis quos Meletius consecrarat, uon significaot iterationem ordinationis quam Meletiani in suo schismate recepissent; sed novam institutionem, seu, aliam a legitimis Pastoribus missionem, novam Jurisdictionem ab Episcopis Catholicis obtinendam antequam in Ecclesia Catholica suorum ordinum muneribus fuugerentur: id nimirum indicant quæ in laudata ad Alexandrinos Epistola subjunguntur: *Quia etiam nulla potestas eis sit vel designandi quos velint, vel omnino quidquam faciendi absque consensu Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ qui sub Alexandro sunt sanctissimo collega nostro.*

Solvitur argumentum desumptum ex octava Synodo in causa Photii.

Obiicies. In octava Synodo Oecumenica, Actione decima Canone V. hocce decretum latum est in Photium qui ejecto sanctissimo Patriarcha Ignatio, Neophytus Sedem Constantinopolitanam iuvaserat: *Amorem principatus, utpote quamdam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, radicitus excideates, eum qui temere & prævaricatorie ac irregulariter, veluti quidam gravis lupus, in Christi ovile insilit, Photium scilicet, qui mille tumultibus & perturbationibus orbem terræ replevit, justo decreto damnamus, promulgantes numquam fuisse prius aut nunc esse Episcopum; nec eos qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo consecrati, vel promoti sunt, manere in eo ad quod provecti sunt: insuper & eos qui ab illo consuetas orationes ad præpositura promotionem susceperunt, ab hujusmodi patrocinio coercemus. Sed & Ecclesias, quas, ut putatur, tam Photius, quam ii qui ab ipso consecrati sunt, dedicaverunt, vel si commotas mensas stabilierunt, rursus dedicari & inthronizari atque stabiliri decernimus; omnibus maxime quæ in ipso & ab ipso ad Sacerdotalis gradus acceptionem vel donationem acta sunt, in interitum ductis.* In eum vero canonem hæc observare necesse est: primu sacram Syuodum clarioribus verbis uon potuisse exprimere Photium vera ordinatione, etiam quoad substantiam sumpta, unsquam donatum fuisse: *Numquam fuisse prius aut nunc esse Episcopum.* Observare est secundo eamdem Syuodum alium usurpasse loquendi modum, cum ipsi fuit propositum exprimere ordinationem validam, cujus tamen executio illicita esset: de iis nimirum Clericis quos S. Iguatius ordinarat, quique Photio pertinaciter adhærebant, hæc ait: *Depositi sunt & omni Sacerdotali operatione privati.* Observare est tertio actione III. ejusdem Concilii referri Adriani Papæ Epistolam sanctissimo viro Ignatio inscriptam, in ea autem Epistola hæc habeutur de Clericis qui sive dolo, siva vi, sive sponte ierant in Photii partes: *Porro cæteris qui ex consecratione fraternitatis tuæ sunt, & sive sponte, sive vi, se ad Photium contulerunt sub satisfactione libelli, cujus exemplar missis nostris commisimus, ad te remeaverint, quamvis contra professionem, vel subscriptionem suam egerint, ac multipliciter adversus Sacerdotium tuum & in contemptum Sedis Apostolicæ exarserint, eos generaliter in suis gradibus confirmantes, ignoscendum decrevimus.* De Photio autem ac de Clericis quos consecraverat, hæc ibidem leguntur: *Præ omnibus & super omnia Gregorium Syracusanum, & Photium tyrannum, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse puta-*

putatus est, ab Episcoporum numero vel dignitate, quam usurpative ac ficte dedit, merito sequestrantes. Hanc autem lati tum a se tum a Nicolao decessore suo Adrianus Papa rationem reddit. *Photius vir Forensis, Curialis, Neophitus, invasor atque adulter, necnon & anathemate condemnatus existens, nihil habuit quod se sequentibus propinaverit.* Ex iis locis sic argumentum confici potest. Non est dubium quin Photius a Gregorio Syracusano consecratus sit secundum ritum a Christo institutum, seu cum impositione manuum & oratione qua Spiritus Sanctus invocaretur. Certum est quoque quod idem Photius adhibito eodem ritu, quandiu Constantinopoli sedit, & Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos ordinaverit. Non valuit tamen, etiam quoad substantiam, ejusdem Photii consecratio, cum octava Synodus definiat: *Ipsum putatum fuisse quidem Episcopum, sed nusquam vere fuisse; Ipsum nihil habuisse ex Gregorii Syracusani consecratione.* Non valuit quoque collata a Photio ordinatio, cum definiente sacra Synodo, ii quos consecrare *visus est, nihil ab eo acceperint*, cum, eadem Synodo teste, *non vere sed ficte consecrati sint*, cum *omnia, quæ ad Sacerdotalis gradus aut acceptionem aut donationem a Photio acta sunt*, octava Synodus *in interitum* ducenda esse sanciverit, cum judicarit Ecclesias, quas tum ipse Photius, tum ii quibus manum imposuit, consecrarunt, iterum consecrari debere. Fingamus id octavæ Synodi Patribus propositum fuisse ut declararent irritam esse, etiam quoad substantiam, tum Photii tum Clericorum quos ordinavit, consecrationem, aliis sane terminis ab iis quibus usi sunt, mentem suam exprimere non potuissent. Ergo &c.

Resp. ea quæ objecta sunt octavæ Synodi verba intelligi debere de jurisdictione, non autem de ordine quem aut Photius a Gregorio Syracusano acceperat, aut Clerici Constantinopolitani a Photio.

Confirmatur ea responsio primo ex eo quod in litteris Adriani Papæ ad S. Ignatium lectis tertia in actione octavæ Synodi Gregorius Syracusanus, qui Photio manus imposuerat, seu qui ipsum ordinarat, extorris denuntiatur *a numero & a dignitate Episcoporum*: qua quidem loquendi ratione non significatur Gregorium charactere Episcopali secundum substantiam sumpto fuisse spoliatum: neque enim (ut fatentur etiam adversarii) per subsequens scelus amitti potest ordinis character quo quis semel insignitus fuerit, ut revera insignitus fuerat Gregorius Syracusanus antequam Photii partibus adhæreret: Verba igitur sacræ Synodi hoc unum significant, nempe Gregorium qualibet authoritate Pontificia seu qualibet jurisdictione fuisse destitutum: Ergo a pari, cum Photius dicitur numquam fuisse Episcopus, eum nihil habuisse, sensus est eum nulla unquam donatum fuisse authoritate Episcopali, nulla potitum fuisse jurisdictione Ecclesiastica: ac proinde nullum ipsi jus fuisse quo Constantinopolitanis Clericis manus imponeret, quo Ecclesias consecraret, obiretque cætera Episcopalis gradus officia.

Confirmatur 2. eadem responsio ex conditione sub qua Photius ad communionem tum Catholicam tum Episcopalem admissus est a Joanne Papa VIII. anno 879. Non postulavit Romanus ille Pontifex, cui alioquin perspecta erant acta octavæ generalis Synodi, ut Photius, consecratique ab eo Presbyteri iterum ordinarentur antequam ille Episcopalia, isti vero Sacerdotalia munera obirent: Id quoque non postularunt legati Sedis Apostolicæ Constantinopolim a Joanne VIII. missi: non exegerunt pariter Patriarchæ, nec alii Episcopi Orientales qui subscripserant octavæ generali Synodo in qua de Photio dicitur quod numquam vere fuerit Episcopus. Nullam aliam conditionem Joannes Papa præscripsit tum Photio, tum ministris quibus manus imposuerat, quam libelli satisfactionem, seu, hoc unum Joanni satis fuit ut demonstrata facti pœnitentia, & Photius & ordinati ab eo Clerici communione tum Catholica tum Ecclesiastica donarentur: *Nos itaque* (inquit Joannes Papa VIII. in Epistola quam ad Basilium & filios Imperatores reddidit ubi ab Imperatore accepisset legationem) *aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno & Jerosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis & Sacerdotibus, cunctoque Clero Constantinopolitanæ Sedis qui de ordinatione beati Methodii & Ignatii Reverendissimorum Patriarcharum existunt, una voluntate, parique voto consentientibus, eumdem Photium, satisfaciendo, misericordiam coram Synodo secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in Pontificali officio comministrum, atque coram Synodo misericordiam quærendo, in Pastorali magisterio consacerdotem, pro Ecclesiæ Dei pace & utilitate, amodo Christo favente, recipimus & habemus.*

Nec alicujus est momenti quod adversarii objiciunt ex loquendi ratione, qua Patres octavæ Synodi usi sunt loquentes de Clericis quos S. Methodius & S. Ignatius consecrarant: *Depositi sunt & omni Sacerdotali operatione privati*: Non enim iis terminis aliud significatur quam suspensio & depositio tollendæ aliquando, ubi nempe Clericos illos qui Photio adhæsissent, facti pœnituisset. E contra ideo Clerici quos Photius ordinarat, dicuntur permanere non posse in eo Sacerdotii gradu ad quem promoti fuerant, quod nec Nicolaus Papa I. nec Adrianus, vellent indulgere Sacerdotalis aut alterius Clericalis gradus officia, quamvis postea resipiscerent, præteritique facti illos pœnituisset.

Solvitur argumentum petitum ex veterum Scholasticorum authoritate.

Objicies. Plures e veteribus Scolasticis dubitarunt an valerent ordines quos hæretici, etiam secundum debitam materiam, debitamque formam contulissent. Petrus Lombardus lib. IV. Sent. Dist. XXV. ea in causa dubios fuisse sui sæculi authores his verbis tradit: *Solet etiam quæri, Si hæretici ab Ecclesia præcisi & damnati possint tradere sacros ordines. & si ab eis ordinati redeuntes ad Ecclesiæ unitatem, debeant reordinari. Hanc quæstionem perplexam ac pene insolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere hæreticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinari videntur, gratiam recipere .... Contra autem alii sentire videntur quod ab hæreticis etiam præcisis, sacri Ordines, sicut & Baptismus tradi valeant; nec ab hæreticis redeuntes qui illic ordinati sunt & baptizati, iterum ordinandi sunt, sicut nec baptizandi.* In priorum sententiam propendet idem Lombardus. In eam pariter abiit Gratianus: nam 1. quæst. 1. post canonem septimum sic loquitur: *Degradatus Episcopus potestatem largiendi sacros Ordines non habet; facultatem tamen baptizandi non amittit.* Post canonem 4. clarius sic mentem aperit suam. *Patet ergo illud Augustini: Sacramenta videlicet Christi per hæreticos ministrata suo non carere effectu, non de omnibus intelligi generaliter, sed de Sacramento Baptismi.* Duodecimo igitur sæculo quo authores illi scribebant, ferebat traditio irritos esse, etiam quoad substantiam, ordines quos hæretici ab Ecclesia nominatim præcisi contulissent.

Resp. antiquos quosdam Scholasticos in eam quidem, quæ objicitur, opinionem propendisse; Sed eorum pace dixerim illos eo in capite præcedentis traditionis mentem non fuisse assecutos: unde qui eos proxime subsecuti sunt alii primi nominis Scholastici, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, cæterique omnes ad unum, docuere ordines quoad substantiam valere, ubicumque & a quocumque secundum ritum a Christo institutum collati fuerint. Quod autem & Lombardus & Gratianus a veteribus recesserint ex eo colligitur quod ubi Patres contra Cyprianum, Novatianos, Donatistas, aliosque rebaptizantes argumentati sunt, iis usi sunt principiis quæ (ut agentes de ministro Baptismatis diximus) non pro Baptismate tantum valent, sed etiam pro aliis omnibus Sacramentis quæ ad sui collationem, jurisdictionem in conferente non prærequirunt. Præterea antiqui Patres (ut videre est in Augustino contra Donatistas agente) conceptis terminis asseruerunt va-

le-

sere Ordinationem & Eucharistiam licet extra Ecclesiam ab hæreticis confectæ fuerint; S. Doctoris, aliorumque veterum loca hujusce capitis initio descripta sunt; ad ea haud dubie non attenderat Gratianus, cum hæc scripsit: *Patet ergo illud Augustini: Sacramenta videlicet Christi per hæreticos ministrata suo non carere effectu, non de omnibus intelligi generaliter, sed de Sacramento Baptismi.*

Caput Quartum.

Utrum, & qua certitudine tenendum sit quod Ordinatio extra Ecclesiam data valeat?

Conclusio. Certissimum est valere nunc quoad substantiam Ordinationem, quæ secundum ritum a Christo institutum extra Ecclesiam ab hæreticis etiam expresse & nominatim præcisis celebrata fuerit.

Probatur primo ex unanimi consensu Doctorum Catholicorum qui quadringentis abhinc annis scripsere. Docuerunt scilicet omnes ad unum, & nunc etiam docent nec hæreseos crimen etiam publicum, nec degradationem, nec excommunicationem impedire ne valeant Sacramenta, quæ jurisdictionem in conferente non requirunt, dummodo ritus externus a Christo institutus cum debita ministri intentione servatus fuerit.

Probatur secundo ex hodierna Ecclesiæ praxi: Fert autem ea praxis, ut Clerici quibus legitima materia & debita forma applicatæ fuerint, ordinibus in hæresi receptus, non iterata ordinatione, fungantur.

Probatur tertio ex iis quæ superiori capite dicta sunt: Si enim ordinatio de qua agitur, quondam valuerit, necesse est ut his temporibus valeat: quippe quod in hoc capite nulla contigerit mutatio, nec contingere potuerit. Confirmatur ex modo quo cum Græcis Schismaticis, imo & Hæreticis inita est concordia in Concilio Florentino: admissi nimirum fuere in Ecclesiæ sinum cum ordinibus, quibus tum versabantur in schismate, donati fuerant.

Quæres qua certitudine constet valere quoad substantiam datas in hæresi ordinationes.

Respondent 1. nonnulli id, quod quæritur, certum esse certitudine fidei Catholicæ, utpote (inquiunt) definitum in Concilio Tridentino sess. 7. can. 9. ubi decernitur per Baptismum, Confirmationem & Sacramentum Ordinis characterem imprimi. Eo enim loci hæc leguntur. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Sed Morino vera non videtur illa censura, contendit nimirum verba allata ex Concilio Tridentino de Catholica ordinatione tantum esse intelligenda: unde infert hanc controversiam Doctorum disputationibus ventilandam & decidendam Concilium permisisse. *Hoc* (inquit) *videntur innuisse Patres cum sess. 23. Con 4. dicant. Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, anathema sit.* Iis enim verbis conjicere est Concilium decretum suum ad ordinationes sacras, idest Catholicas, quæ solæ Spiritum sanctum infundunt, restringi voluisse.

Respondet 2. laudatus mox Morinus de sacris Ordinationibus parte III. exercitatione V. cap. VIII. his verbis. *Hactenus tamen nullo Ecclesiæ decreto quæstio tam perplexa & obscura decisa est. Sed tam multorum Doctorum concors & tam diuturnus consensus nobis est instar legis, quam dissensu nostro temerare nec volumus, nec debemus.*

Respondet 3. his verbis ad idem quæsitum Hallierius in suo tractatu de sacris electionibus, & ordinationibus. *Post Theologorum de proposita quæstione consensum erroneum esset negare validum esse Sacramentum Ordinis, quod ab hæretico, vel schismatico, quantumvis ob Ecclesia præciso, fuerit collatum.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

De dispositionibus sacræ Ordinationi prærequisitis.

Non hic dicemus de singulis quæ sacræ Ordinationi prærequiruntur; sed de tribus tantum, Vocatione nimirum, morum Probitate, Scientia & Titulo.

Caput Primum.

De vocatione sacræ Ordinationi prærequisita.

Hoc in capite quæremus 1. Utrum divina vocatio necessaria sit ut quis se ordinationi sacræ subjiciat. 2. An quis ordines sacros licite expetere possit. 3. Utrum liceat Clericatum, aut sacros Ordines ab Episcopo postulare.

Conclusio 1. Divina vocatio sacræ Ordinationi prærequiritur.

Probatur ex Scriptura. 1. Discipuli Christi munus Apostolicum non ubiere nisi ubi specialiter a Christo vocati sunt: unde sic eos ipse Christus alloquitur Joannis XV. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* 2. Apostolus ad Hebræos V. definit eum esse reum sacrilegii qui sumit sibi Sacerdotium, quod quidem res quædam est sacra in quam Deus solus jus habet: *Nec quisquam* (inquit) *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Ejusdem vocationis necessitatem confirmat idem Apostolus exemplo quod desumit ab humanitate Christi: *Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* 3. Christus furti ac raptus insimulat eos, qui non vocati dant nomen Clericatui: *Qui non intrat* (inquit Joannis 10.) *per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro: qui vero intrat per ostium, pastor est ovium; huic ostiarius aperit, &c.* Non aliud vero est illud ostium quam Christus ipse: *Ego sum* (inquit ibidem) *ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inveniet.* 4. Deus in Scripturis de iis conqueritur qui non vocati Ecclesiastica obeunt munera: *Ipsi regnaverunt* (verba sunt Dei ipsius apud Oseam) *& non ex me, Principes extiterunt, & ego non vocavi eos.* Alibi quoque hæc ait: de iis qui sibi munus propheticum arrogabant: *Currebant, & ego non mittebam eos.* Quæ hucusque dicta sunt confirmari possunt ex eo quod gratia alioquin iis, qui sacris ordinibus initiati sunt, incumbant onera. Nam 1. cœlibatus lege tenentur saltem in Ecclesia Latina. 2. Pietate, virtutisque exercitio sint oportet exemplo populo fideli, juxta illud Apostoli ad Timoth. 2. *Præbe te ipsum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Necesse est ut parati sint ad animarum curam, ad pastoratus officium, ubi id expedire Episcopus judicaverit. Ad tanta vero tantique momenti onera indiget quisque Clericus specialibus auxiliis, quibus plerumque & quidem summa cum æquitate, in pœnam nimirum præsumptionis, frustrantur ii, qui non vocati irruunt in sacras agni cœlestis nuptias.

Quæres 1. quotuplex sit divina ad sacros Ordines vocatio?

Resp. duplicem esse, externam nimirum & internam. Prior in eo posita est quod quis a proprio Episcopo ad Clericatum, aut ad majores ordines, aut ad Pastoratum vocetur: Altera vero consistit in interno Spiritus sancti motu ac impulsu. Priori aliquamdiu quidem quisque potest obsistere, sed tandem debet imposito sibi jugo colla subiicere, nisi se manifesto inep-

ineptum deprehenderit: Regulam illam secutus est Augustinus: Quamvis enim (ut ait Possidius in ejus vita c. 4.) studiosissime eas omnes civitates declinaret, quarum vacabant Sedes, cessit tandem vim afferenti sibi populo & Episcopo Hipponensi, consensitque ut Presbyter primum crearetur, ac tandem Episcopus; *Compulsus* (inquit) *atque coactus succubuit, & Episcopatus eorum, ac majoris loci ordinationem suscepit*. Eadem ratione gessit se se Ambrosius, ubi enim nihil intentatum reliquisset, quo declinaret ordinationem, cessit tandem & populi, & Imperatoris, & totius Ecclesiæ votis: *Prodidis itaque* (ait Paulinus in ejus vita) *& adductas Mediolanum* (unde aufugerat) *cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, &c.* Julianus Pomerius injustitiæ reos agit qui vocati, ut par est, ab Episcopis, operam suam pernegant Ecclesiæ laboranti: *At per hæc contra justitiam faciunt hi, qui merito suæ conversationis vel conditionis electi, otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis anteponunt, & cum possint laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis laborem refugiunt.*

Quæres 2. quibus indiciis dignosci possit interna ad sacros ordines vocatio?

Resp. tribus præsertim indiciis prodere se se internam Spiritus sancti ad sacros ordines vocationem. 1. Prodit se se conscientiæ puritate: *Quisquis ergo* (ait Gregorius Magnus in lib. Pastor. c. 10.) *quolibet horum vitio* (idest si cœcus claudusque fuerit, aliisve defectibus laboraverit qui a Sacerdotio arcebant Judæos, quosque idem S. Pater spiritualiter explicat) *subigitur, panes Domino offerre prohibetur, ne profecto diluere aliena delicta non valeat, quem adhuc propria devastant.* Posita est autem ea conscientiæ puritas, vel in baptismali innocentia, vel saltem in justitia quam lapsus per diuturniores pœnitentiæ labores recuperarit. Verum de eo argumento fusius subsequenti capite dicitur. 2. Interna vocatio prodit se se per intentionis rectitudinem; *Si oculus tuus simplex fuerit* (inquit Christus Matthæi VI.) *totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*: Oculi autem nomine eo loci intelligitur intentio: *Oculus noster intentio est* (ait Augustinus de Serm. Domini) *quæ si recta fuerit & simplex, opera nostra munda facit, Deoque placentia. Si vero appetitus rerum temporalium inquinatur, ipsum quoque opus ea intentione susceptum sordescit.* Simplex ille oculus iis haud dubie deest qui proprium emolumentum in Christi patrimonio sibi ipsis proponunt: *Si eos* (gradus Ecclesiasticos) *eo quærit aut tendit animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria; Evangelizet ut manducet, perverso nimis ordine cælestibus terrena mercatur. Quam certe dignius, ampliusque consentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera & negotia exerceret, nec fieret invasor rerum, aut inhonoraret ministerium spirituale. Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærunt. Honorati incedere volunt, delectari & superbire, & huic sæculo per omnia conformari.* Illa Bernardi sententia præsertim urgentur qui emolumenta temporalia præcipue in Clericatu quærunt, sed imperfectos seu qui etiam minus præcipue sustentationem aliaque commoda sibi proponunt in Clericali militia, intorqueri possunt hæc Augustini verba lib. 10. Conf. cap. 13. *Minus te amat Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te amat.* 3. Divina vocatio prodit se se desiderio Ecclesiastici laboris; Qui enim Clericatui dant nomen ut otiose ac quiete (ut inquiunt) vivant, vereri debent ne in eis locum habeat hæc Ps. 72. sententia: *In labore hominum non sunt; & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.* Clerici omnes meminerint oportet Apostolici hujus moniti 1. ad Thimoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Volvant sæpius animo quæ scribit Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 23. cap. 10. *Olim* (inquit) *jussus est frater præmortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi sobolem suscitaret, ejusque vocaret nomine quod inde nasceretur: Quod si recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem; nunc Evangelii quisque prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri, idest Christo suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat. At vero qui electus ab Ecclesia ministerium Evangelizandi renuerit, ab Ecclesia ipsa merito digneque contemnitur: qui enim & sibi prodest & Ecclesiæ, bene intelligitur utroque pede calceatus: Qui autem curam lucrandorum refugit aliorum, discalceati illius non figuram significavit, sed in se impletum portabit opprobrium.* Si autem Clerici ab Episcopo qui sic expedire judicaverit, ad pastoratum non vocentur, meminerint non ob id desidiæ dandam esse operam, jugibus nimirum precibus, pietatis operibus, sacrificiis, Ecclesiæ prodesse tenentur: *Omnis enim* (inquit Apostolus ad Hebræos V.) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.*

Conclusio. 2. Ordines sacros desiderare & bonum & malum esse potest, sed sub diverso respectu.

Probatur authoritate & ratione S. Thomæ. S. Doctor 2. 2. q. 182. art. 1. quærit utrum liceat Episcopatum appetere, concludit vero id bonum & malum esse posse, bonum quidem si spiritualis utilitas quæratur, malum vero si quippiam temporale concupiscatur. Conclusionem hocce argumento probat. *In Episcopatu tria possunt considerari, quorum unum est principale & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam utilitas proximorum intenditur secundum illud Joannis ult. Pasce oves meas. Aliud autem est altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur, secundum illud Matthæi 22. Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Tertium autem est quod consequenter se habet ad ista, scilicet reverentia, & honor; & sufficientia temporalium, secundum illud 1. ad Timoth. 5. Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. Appetere ergo Episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum; manifestum est quod est illicitum & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Dominus dicit Matth. 23. Amant primos recubitus in cœnis & primas Cathedras in Synagogis & salutationes in foro & vocari ab hominibus Rabbi. Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum: Unde Dominus Matthæi 20. arguit discipulos Primatum quærentes dicens: Scitis quia principes Gentium dominantur eorum . . . . Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile & virtuosum. Verum quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem; præsumptuosum videtur quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente . . . . Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda, ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis.*

Ex ea S. Thomæ ratione colligitur 1. non licere absolute loquendo, expetere opera quæ ordini Episcopali conjuncta sunt, eo quod si experi non possint quin desideretur gradus Episcopalis celsitudo: illud autem celsitudinis desiderium a præsumptione separari non potest: Colligitur 2. eum tantum in operum, de quibus agitur, desiderio non peccare, qui ea sub conditione expetit, nimirum ex suppositione quod esset ornatus iis dotibus quæ Episcopali dignitati prærequiruntur.

Eam doctrinam hausit S. Thomas ex Gregorio Magno. Concedit quidem S. Pontifex ut Episcopatus desideretur, sed ab eo qui præditus sit virtutibus quas Apostolus Episcopo necessarias esse definiit: *Laudans desiderium* (inquit Past. par. 1. cap. 8. ubi exponit hæc Pauli verba: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat) *in pavorem avertit quod laudavit, cum repente subjungit: Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse.* At nemini, quin præsumptionis reus sit persuasum esse potest quod dotibus ab Apostolo requisitis præditus sit. Verum dato quod metaphysice loquendo aliquis possit sibi animo proponere Episcopalia opera, non proposita dignitate, contendit S. Doctor distinctionem illam non habere locum in praxi;

Sed plerumque (inquit cap 9) *qui subire Magisterium Pastorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt: & quamvis hoc intentione elationis adpetunt, operaturos se tamen magna pertractant: fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.*

Laudatæ Gregorii sententiæ non adversatur Chrysostomus hom. 10. in Epist. 1. ad Timoth. ubi sic loquitur: *Si quis Episcopatum desiderat, non culpo, non improbo, opus quippe regiminis est, si quis hunc idcirco appetit) non principatus aut dominationis fastu, verum cura regiminis, & charitatis affectu, non improbo* (inquit *Paulus*) *bonum quippe desiderat opus. Si quis ita desiderat, desideret*. Non adversatur (inquam) supponit nimirum Chrys. id non absolute, sed conditionate expeti, seu ex suppositione quod is qui ejusmodi desiderio tenetur, iis instructus sit donis quæ animarum regimini, obeundisque cæteris Episcopalibus officiis prærequiruntur.

Quæ de Episcopali ordine mox dicta sunt, locum etiam habent, servata tamen proportione, in Presbyteratu & Diaconatu; eorum enim officia quantum & emineant & difficilia sint, enarrat Augustinus Epist. 148. *Nihil* (inquit) *in hac vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio*. Ea ratio plures e Patribus movit antiquitus ut tum Presbyteratum, tum Diaconatum, omni studio declinarent: *Vis mihi facta est, merito peccatorum meorum* (inquit Augustinus agens de sua ad Presbyteratum promotione) *Nam quid aliud existimem nescio ut secundus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram..... Hinc erant lacrymæ illæ ordinationis meæ tempore.* Gregor. Nazianzenus invitus consecratus est Presbyter a Patre: *Pater filium quem invitum & repugnantem, ægreque cedentem Presbyterum creaverat.* Oportuit vim Chrysostomo inferret Flavianus ut eum insigniret Presbyteratu: *Presbyter* (ait Palladius in ejus vita) *a sanctæ memoriæ Flaviano Episcopo consecratur, invitus licet ac multum renitens*. Nunquam acerbiori dolore affectus fuit Nepotianus quam cum Presbyter fuit inauguratus: *Quid multa* (inquit Hieronymus in ejus Epitaphio) *fit Clericus & per solitos gradus Presbyter ordinatur. Jesu bone, qui gemitus, qui ejulatus, quæ cibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium? Tunc primum & solum avunculo iratus est. Querebatur se ferre non posse; & juvenilem ætatem incongruam Sacerdotio causabatur. Sed quanto magis repugnabant, tanto in se studia omnium concitabat, & merebatur negando quod esse nolebat; eoque dignior erat, quo se clamabat indignum*. Tanta fuit majorum nostrorum in ordines Hierarchicos, Episcopatum, Presbyteratum & Diaconatum reverentia, ut oportuerit condi legem qua præciperetur Clericis ne obsisterent Episcopo qui ad superiores ordines promovere vellet: *Placuit* (inquit Canon. 31. inter Africanos) *ut quicumque Clerici, vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo unde recedere noluerunt.*

Conclusio 3. Licitum est Laicis ab Episcopo Clericatum postulare. Licet quoque Clericis offerre se Episcopo quo probentur, an debeant ad majores ordines promoveri.

Probatur prior conclusionis pars. 1. Parentes quondam filios in puerili ætate licite Cleros minoribusque ordinibus offerebant: *De his quos voluntas parentum a primis infantiæ annis in Clericatus officio manciparit,* (verba sunt can. 24. alterius Concilii Toletani) *statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia a Præposito sibi debeant erudiri.* Ergo a fortiori juvenes poterant se ipsos offerre Clero. 2. Siticius in sua priore Epistola Decretali & recenset & probat praxim juvenum qui se se Clericatui obtulissent: *Quicumque* (inquit cap. 9.) *se Ecclesiæ vovit obsequio, a sua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari.* 3. Concilium Tridentinum approbat purum eorum votum qui Clericatum elegerint. *Prima tonsura* (ait sess. 23. cap. 4.) *non initientur, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc genus vitæ elegisse*. Eadem pia praxis probata fuit Concilio Mediolanensi IV. hæc nempe statuta sunt: *Ubi primum Episcopus, aut Parochus aliquem norit qui vel sponte se Clericali militiæ adscribi velit, vel a parentibus adhuc infans destinetur, hoc sedulo curet, ut ille quo diligentius Clericalis disciplinæ, vitæque religiosæ institutis primum imbuatur, Ecclesiam frequentius adeat, &c.*

Probatur altera conclusionis pars. 1. Plurimæ hoc sæculo erectæ sunt Congregationes mere Clericales, quibus si quis dederit nomen, non ad Diaconatum modo, sed etiam ad Sacerdotium aspirare videtur, quippe quod (ut supponitur) ejusmodi Congregationibus, probatis alioquin ab Ecclesia Catholica, minus sit ad sacros ordines, ipsum etiam Presbyteratum, sodales provehere. 2. Posse quempiam offerre se proprio Episcopo ut probetur, an ad majores ordines promovendus sit, supponere videtur Concilium Tridentinum sess. 23. c. v. de ref. ubi hæc habentur: *Hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, ut nominibus, ac* DESIDERIO EORUM QUI VOLENT PROMOVERI *publice in Ecclesia propositis &c.* Qui initiatur minoribus ordinibus, implicite offert se alteri examini, quo, si visum fuerit Episcopo ad majores provehatur: neque enim (saltem secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam) minores ordines sunt ordines (ut vocant) consistentiæ, sed sunt gradus quibus ad ordines majores aditus pateat: unde iis tantum conferri debent, de quibus est spes, quod ad majores tandem poterunt promoveri. *Cumque* (inquit Concilium Tridentinum sess. XXIII. cap. XI.) *hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus; nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat*. 4. Qui examini offert se se an ad majores ordines provehendus sit, non ob id se eorum dignum judicat: ac proinde reus non est præsumptionis. 5. Pluribus in Europæ partibus in Galliis præsertim, erecta sunt Seminaria ubi ut plurimum per annum probantur qui ad subdiaconatum evehendi sunt. At nemo vertet crimini adolescentibus quod postulent admissionem ad ejusmodi Seminaria ut tentent an a Deo vocentur ad sacros ordines, iisque donentur, ubi post probationem idonei judicati fuerint ab Episcopis.

Caput Secundum.

De morum probitate recipiendis ordinibus prærequisita.

Requiri gratiæ statum ut quis absque sacrilegio percipiat ordines, qui sint proprie dicta Sacramenta novæ legis, ratum est apud omnes: nec enim Ordo est Sacramentum mortuorum, seu quo quis per se, ex impio fiat justus. Certum quoque videtur eos exponere se periculo sacrilegii qui minores etiam ordines in statu peccati mortalis recipiunt: quippe quod, licet plures Theologi eos expungant ex Sacramentorum albo, non pauci sint, & quidem non ignoti nominis, qui post S. Thomam illos inter Sacramenta proprie dicta reponant. Iis igitur prætermissis duo hic expendemus. 1. An qui rei essent criminum occultorum, quondam arcerentur ab ordinatione. 2. An his etiam temporibus idem mos obtineat.

Conclusio 1. Criminum licet occultorum post Baptismum reos non licebat antiquitus sacris Ordinibus insignire, quamvis pœnitentia perfuncti fuissent.

Probatur 1. ex Canone 60. Apostolico: *Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis vel adulterii, vel alicujus aliæ prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.* Concilium Nicænum primum depositionis sententia mulctat omnes Presbyteros cæterosque Clericos qui post baptismum lapsi, ordinati fuissent: *Si qui Presbyteri* (inquit Can. 9.) *sine examine sunt provecti, vel cum discuteren-*

cuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, talis regula non admittit; quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia. Canone 10. idem præcipitur: *Quicumque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponuntur.*

2. Eadem in Occidente obtinuit disciplina: *Subdiaconum* (inquit Synodus Eliberitana Can. 30.) *eum ordinari non debere qui in adolescentia sua fuerit mœchatus, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promovendus: si autem aliqui sunt in præteritum ordinati amoveantur.* Idem decernitur Canone 19. quarti Concilii Toletani: *Deinceps* (inquit) *qui non promoveantur ad Sacerdotium, ex regulis canonum necessario credimus inserendum, idest, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt.*

3. Tum in Oriente tum in Occidente majores nostri olim a sacris ordinibus arcebant eos omnes qui pœnitentia publica perfuncti fuissent, quod nempe ejusmodi pœnitentia præteritum peccatum, saltem occultum, præsupponeret: *sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum* (inquit Siricius Ep. 1. cap. 14.) *ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci. Quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debeat gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.* Eamdem praxim legere est in quarto Concilio Carthaginensi: *Ex pœnitentibus* (inquit can. 68.) *quamvis sit bonus, Clericus non ordinetur.*

4. Disciplina de qua est hic quæstio, fundamentum habet in Apostolo Epist. ad Titum cap. 1. hæc habet: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas & constituas per civitates Presbyteros sicut & ego disposui tibi:* Quales vero debeant esse ii Presbyteri, hisce verbis docet: *Si quis sine crimine est ..... Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.* Eadem præcepit Epist. 1. ad Tim. cap. 3. & addit: *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.* Similem vitæ probitatem in Diaconis desiderat. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia bona. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.*

5. Quæ huc usque dicta sunt confirmat Augustinus, explicatque de quibus in specie criminibus tum Apostolus tum laudati hactenus canones intelligendi sint: *Ideo* (inquit) *Paulus quando eligit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, vel quicumque ordinandus est ad præpositnram Ecclesiæ, non ait: Si quis sine peccato est, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi.*

Conclusio 2. Post annum millesimum admissi sunt ad sacros ordines qui post condignam in occulto pœnitentiam eluissent commissa post Baptismum crimina.

Probatur 1. Post annum millesimum Clericis occulte lapsis, sed pœnitentia perfunctis passim restituta est ordinum suorum executio. Yvo Carnotensis Ep. 225. censuit ex rigore quidem canonum perpetua depositione damnari debere Presbyterum qui mendaciis & fraudibus ad eum se gradum extulerat: *Si* (inquit) *in eo rigor canonum servaretur, omni tempore ab inordinato accepto officio suspenderetur;* Sed cum sponte sua admissum a se scelus confessus fuisset, ex indulgentia illi condonandam esse ejusmodi culpam credidit. 2. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis expresse asserit occultum crimen non esse ordinibus recipiendis impedimento: *Nec apud Deum* (inquit lib. 1. Epist. 56.) *reprobatur officium alicujus, propter culpam quam ipse ignoscit: nec apud homines dedecoratur sacri Ordinis dignitas propter personam, cujus ipsi peccatum non cognoscunt.* 3. Gratianus Dist. 1. fuse pertractat quæstionem, an post expletam scelerum pœnitentiam liceat ordinibus initiari, aut eorum prius receptorum fungi muneribus. Ubi multa pro diversis & oppositis sententiis Patrum testimonia protulit, concludit tandem hisce verbis quæ suæ ætatis disciplinam lectorum ponunt ob oculos: *Possunt & aliter distingui præmissæ authoritates: Quorum enim crimina manifesta sunt, ante vel post ordinationem a sacris Ordinibus dejiciendi sunt. Quorum autem peccata occulta sunt, & satisfactione secreta secundum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Ordinibus remanere possunt.* Ex iis veterum testimoniis perspicuum est post annum millesimum nonnumquam, sed ex Ecclesiæ indulgentia, admissos fuisse ad sacros Ordines, qui post baptismum inciderant in occulta flagitia, sed quæ purgassent condignis pœnitentiæ laboribus.

Quæres utrum indulgentia, quæ post annum millesimum invecta est in Ecclesiam, hac ætate locum habeat?

Resp. affirmative: seu eum qui in occultum flagitium lapsus est, posse promoveri ad sacros ordines, ubi tamen condigna pœnitentia crimen suum purgarit; & non alias. Ratio primæ partis petitur ex eo quod occulta flagitia quæ purgata fuissent per pœnitentiæ labores, jure tantum Ecclesiastico erant olim impedimentum ad ordinationem sacram: Ecclesia autem non privato bono sed publico consulens, abstulit illud impedimentum, ut tum ex locis quæ mox allata sunt, tum ex Decretalibus, tum ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. invictissime colligitur. Ratio alterius partis petitur ex jure naturali: eo enim jure impuri, flagitiosique homines indigni sunt, qui ad functiones sacras promoveantur: unde culpandi damnandique sunt qui recenter emersi ex flagitiis thuribulo manum admovent: qui licet pluribus spurcitiis carnem suam commaculaverint: tamen ubi brevi ac levi pœnitentia perfuncti sunt, audeant Episcopalium manuum impositioni se se subjicere, & nonnumquam etiam ambire regimen animarum. *Ingrediuntur cum macula tabernaculum Dei viventis* (inquit Bernardus, de Convers. ad Clericos cap. 9.) *inhabitant cum macula templum sanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi: quod tam gravissime conscientias gerunt, & nihilominus se se ingerunt in sanctuarium Dei.* Qui eo impudentiæ progressi sunt, ut conscientia adhuc sceleribus saucia gradum conscendant cui alioquin impar est Angelorum sanctitas; Qui tam parum sunt cauti, ut nondum obductis propriorum vulnerum cicatricibus, alienorum plagas curare præsumant, meditentur serio piam hanc ac gravem S. Bernardi sententiam ad Brunonem, qui reus occultorum scelerum ad Archiepiscopatum Coloniensem electus fuerat: *Horreo considerans, unde, quo voceris, præsertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcumque hujusmodi periculosissimus transitus fiat: & quidem rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas studeat curare conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est, Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad miserandum proximo recto jam tramite charitas ordinata procedit, quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur.* Ubi S. Doctor objecit sibi, quod his temporibus plerumque objicitur ab impuris quibusdam qui inhiant sacris ordinibus; fieri nimirum posse, ut impii diuturniori pœnitentia nondum purgatis Deus innocentiam per auxilia efficacia largiatur; respondet satis non esse ad ordines sacros, ad regimen animarum peccatorum veniam; contendit requiri præterea eam morum probitatem quæ tum pœnitentiæ, tum aliis pietatis operibus aucta, probataque fuerit: *Sed aliud est* (inquit) *celerem adipisci veniam peccatorum; aliud & de ipsis sceleribus ad infulas provehi dignitatum.* Responsum illud duplici confirmat exemplo: *Vide tamen Matthæum de telonio ad Apostolatus culmen assumptum: sed hoc me rursum conturbat, quod non prius audierit cum cæteris coapostolis suis, Ite in orbem universum; prædicate Evangelium omni creaturæ, quam egerit pœnitentiam,*

multo labore sequendo Dominum quocumque iret, permanens cum eo in tentationibus suis. Si de sæculo quoque factas repeate Paulus, repente vas electionis, repente Doctor gentium, in exemplum adducitur: hoc exempli evacuat similitudinem, quod ideo ille misericordiam consecutus sit, quia ignorans, ipso teste, peccavit, manens in incredulitate, quamquam si tale quippiam quandoque bene & utiliter factam fuisse agnoscitur de quo veraciter dici possit: Hæc est mutatio dexteræ excelsi, non tam exemplam quam miraculum afferre debeat. Theologi partes non expleremus, si hic non moneremus lectorem quod licet ii qui occulte post baptismum lapsi sint, condignaque pœnitentia purgarunt flagitia, possint uti indulgentia per quam Ecclesia eos, ut solebat antiquitus, non arceat ab ordinibus sacris: tamen consultius acturi sunt si in statu laicali sua crimina defleant, nisi eos Ecclesia per Episcoporum ora ad sui subsidium, propter eminentes, quibus alioquin pollent animi dotes, specialiter advocarit: iis neque debet esse persuasum Conciliorum, quibus relaxata est antiqua disciplina, scopum ac mentem fuisse ut Ecclesiæ publicis necessitatibus non vero privatorum votis consuleretur.

CAPUT TERTIUM.

De Titulo ad sacram ordinationem requisito.

CONclusio 1. Per mille priores annos nulli Clerici ordinabantur sine Titulo Ecclesiastico, seu absque beneficio.

Probatur. 1. Ordinatio (ut patet ex dictis superius de proprio cujusque Clerici Episcopo) ita Clericum vindicabat potestati & jurisdictioni Episcopi a quo consecratus fuerat, ut, illo aut invito aut inscio, nihil ex iis quæ ad divina spectant, sive intra sive extra Diœcesim, pertentare posset. 2. Ordinario particulari cuidam Ecclesiæ quemque Clericum ita illigabat ut residere in ea teneretur ac exhibere officia quæ recepto Ordini convenirent. 3. Ex ea residentia, ex præstitis obsequiis, Clerico jus erat ad portionem quæ sustentationi congrueret: jus autem illud proprie id erat quod nunc beneficium dicimus.

Tria illa canonibus quinque priorum sæculorum confirmanda sunt. *In quibuscumque locis ordinati fuerint ministri* (inquit Concilium Arelatense can. 2.) *in ipsis perseverent. Presbyteri & Diacones* (ait idem Concilium can. 21.) *si relictis locis suis in quibus ordinati sunt, ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.* In actis primi Ephesini Concilii part. 1. cap. 30. refertur libellus supplex Monachorum adversus Nestorium, ubi expostulant de illatis sibi contumeliis a Clericis, qui in suis Ecclesiis secundum Canones residere debuissent: *Opera utitur Clericorum quorumdam ab externis parœciis & a Diœcesibus adscitorum, quibus tamen secundum Ecclesiasticos canones in alieno Episcopatu, vel Ecclesia degere non licet, sed iis solum locis & civitatibus, idque quiete, quibus ordinati sunt.* Leo Magnus Epist. 86. hæc habet quæ disciplinam de qua agitur, invictissime confirment: *Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim a sanctis Patribus & a nobis sæpe decretum est, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti ordine Clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revocet admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi, ubi ordinatus est, perseveret, ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio & a communionis vinculo habeatur extraneus.* Concilium Calcedonense quod anno 351. celebratum est, hæc habet Can. 6. *Nullum absolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is qui ordinetur, designetur. Eos autem qui absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam ac invalidam habere ejusmodi manuum impositionem, & nusquam exercere ac operari posse ad ejus qui ordinavit injuriam.*

Disciplina de qua in conclusione, confirmatur iterum decretis quæ sæculis VI. VII. VIII. IX. & X. sancita sunt. Gregorius Magnus Episcopo Syracusano injunxit, ut Clericos Bacandæ Episcopi ad eum redire compelleret, quo titulis quibus in ordinatione adscripti fuerant, debitum officium exhiberent: *Indicavit nobis Bacanda frater & Coepiscopus noster* (inquit laudatus Pontifex lib. 3. Epist. 42.) *quosdam de Clero suo in Siciliæ partibus, ad sacros Ordines pervenisse. Qui quoniam neque Presbyterum, neque Diaconos se habere commemorat, eos ad se petiit debere transmitti. Proinde fraternitas tua, ubicumque illos repererit, huc eos sine dilatione transmittat, quatenus & illi ad Ecclesiam, in quam olim militaverunt, revocentur, & antedictus Episcopus optatum de eis possit habere solatium.* Quod Gregorius in Occidente sexto sæculo labente curavit executioni mandari, legibus etiam civilibus antea confirmata fuerant in Oriente a Justiniano Imperatore: *Quod hactenus indecenter fiebat* (inquit Novel. 3. c. 2.) *nequaquam in Republica geratur, idest, nullus Reverendissimorum Clericorum dedignari quidem in iis quibus ordinati sunt, sanctissimis Ecclesiis, aut hic aut Provinciis deservire; ad sanctissimam vero majorem Ecclesiam & venerabilem Clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere. Quod de cætero fieri omnino prohibemus.*

Concilium Francofordiense quod anno 794. habitum est, eamdem Clericorum residentiam præscribit can. 27. *De Clericis, ut nequaquam de Ecclesia ad aliam Ecclesiam transmigrent, neque recipiantur sine conscientia Episcopi & litteris commendatitiis, de cujus Diœcesi fuerunt.* Canone 28. eadem Synodus absolute proscribit vagas ordinationes, seu, eas, in quibus Clericus nulli addicebatur Ecclesiæ in qua receptos ordines exerceret, *Ut non absolute ordinentur.* In Capitularibus Caroli Magni quæ prodierunt seculo nono, idem edicitur. Lib. 5. c. 108 Episcopis præcipitur ut cum Parochiales Ecclesias Presbyteris administrandas committunt, cogant eos stabilitatem profiteri: *Ut Presbyteri qui in titulis consecrantur, secundum Canones antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant.*

Post annum etiam millesimum viguit aliquandiu eadem disciplina. In Concilio Placentino quod anno 1095. celebratum est, irrita pronunciata est ordinatio quæ sine titulo fieret: *Ut sine Titulo facta ordinatio, irrita habeatur.* Concilium Claromontanum quod habitum est eodem anno conceptis terminis prohibuit ne quis ordinaretur nisi sub unius Ecclesiæ titulo: *Ut omnis Clericus ad eum Titulum ad quem primum est ordinatus, semper ordinetur.*

Praxis de qua agitur duplex quondam erat exceptio. Ordinabantur nimirum sine titulo Ecclesiastico ii quibus vis inferebatur, seu, qui ab Episcopis ad ordinationem compellebantur: id in Hieronymo patet, qui ea lege ordinari consensit a Paulino Episcopo Antiocheno, ut illius Ecclesiæ non adscriberetur. Idem quoque videre est in Paulino qui Epist. 6. ad Severum hæc habet de ordinatione qua insignitus est a Lampio Barcinonensi: *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari oddactus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer in Sacerdotium Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.* Transire quoque poterant Clerici in aliam Ecclesiam, cum ea cui per orationem adscripti fuerant, diruta fuisset: *Præter illos* (inquit Concilium Calcedonense can. 20.) *qui amissa sua patria, in aliam Ecclesiam necessario transierunt.*

Conclusio 2. Post undecimum sæculum cœpit usus ordinandi Clericos sine titulo Ecclesiastico.

Probatur. Concilium Lateranense III. quod anno 1179. celebratum est sub Alexandro Papa III. hanc antiquioribus canonibus addidit pœnam in Episcopos, qui absque titulo Ecclesiastico Presbyteros aut Diaconos consecrassent: *Episcopus, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia*

mili-

militiæ Clericalis assignet. Nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere. Concilium Londinense quod habitum est anno 1200. laudatum canonem Lateranensem promulgavit, extenditque ad Subdiaconos: *Idem* (inquit can. 6.) *in Subdiaconi ordinatione statuimus.* Nonnullis canonistis visum est mox laudato Concilii Lateranensis canone Episcopis factam fuisse facultatem Clericos majores ordinandi absque titulo Ecclesiastico: Verum nihil est ex quo id eliciatur; hoc scilicet unum antiquo juri additur ut Episcopus de necessariis provideat Presbyteris & Diaconis quos absque beneficii titulo consecraverit.

Licet Concilium Lateranense antiquos canones de necessitate Ecclesiastici tituli non rescinderit: occasioni tamen fuit alteri disciplinæ quæ mox invaluit, ordinandi nempe Clericos sub titulo patrimonii. *Sine titulo patrimoniali centum solidorum ad minus, vel beneficio competenti* (inquit Concilium Biterrense quod anno 1223. habitum est) *nullatenus admittatur.* Idem Concilium eos rejicit in Simoniacorum classem qui quos ordinabant, juramento astringebant nihil unquam sibi creaturos molestiæ de patrimonialis vel Ecclesiastici tituli tenuitate. Usui illi robur additum est ubi Canon Lateranensis promulgatus fuit in Decretalibus Gregorii Papæ IX. Ab eo nimirum tempore passim invaluit praxis ordinandi aut sub titulo Ecclesiastico aut sub titulo patrimonii.

Concilium Tridentinum disciplinam illam sess. 21. cap. 2. de ref. probavit. Constituit nempe nullum sæcularem Clericum ad sacros Ordines promoveri posse, nisi aut beneficium obtineat quo honeste sustentari possit, aut patrimonialem titulum quod satis sit ad honestum victum. In eos vero qui sine titulo aut beneficii aut patrimonii scienter ordinationem receperint; innovat antiquos: Placet ipsummet Concilii decretum lectoris ob oculos ponere: *Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo fere delectu admitti; qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate, ad ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit: & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoque prius respecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint; donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum canonum pœnas super his innovando.*

Cæterum duplex est Canonistarum opinio circa illud Concilii Tridentini decretum. Prior asserit eo innovari suspensionis pœnam quæ per caput *Neminem* & caput *Sanctorum* lata erat in eos qui scienter absque titulo promoti fuissent ad Majores ordines. Altera docet innovari tantum Decretales Gregorianas Cap. *Jam dudum* C. *Non licet* & cap. *Episcopus* Titul. de Præbendis, quibus quidem capitibus obliterata videbatur suspensionis pœna lata, antiquis canonibus quos complectitur decretum Gratiani, hocque unum præscribitur ut Episcopus eos alat quos absque titulo consecraverit. Alteri illi sententiæ robur additum est ex declaratione quæ emanavit a congregatione declarandis Tridentinis decretis proposita, edixit nimirum innovari pœnas non quæ decreto Gratiani, sed quæ in Gregorii Decretalibus continentur, Contrariam bullam promulgarat Sixtus Papa V. sed a Clemente Papa VIII. revocata fuit.

Hic lector advertat oportet Gregorianas Decretales nusquam jus antiquum decreto Gratiani contentum revocasse quoad Clericos, qui falsis, ac fraudulentis titulis Episcopis illusissent: unde ex decreto Concilii Tridentini, viget in eos Clericos lex de suspensione quam antiqui canones contra eos tulerunt qui sub fictitiis titulis scienter ordinati fuissent.

Advertat iterum necesse est decretum de Titulis latum a Concilio Tridentino fuisse in Galliis promulgatum a Synodis Provincialibus, Rhemensi anni 1564. Rotomagensi anni 1581. Burdigalensi ann 1573. Turonensi ann. 1538. Aquensi ann. 2583. Tolosana anni 1590. Synodalium illarum Constitutionum primum edictis, Aurelianensi, articulis 12. 13. 14. & Blesensi, art. 17. Francorum Reges confirmarunt.

CAPUT QUARTUM.

De scientia Ordinationi sacræ prærequisita.

CONclusio 1. Scientia sacræ Ordinationi prærequiritur.

Probatur 1. ex Scriptura. Divinæ veritatis dispensatio Clericis a Deo credita est, Deuteronomii 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, &c. venies ad Sacerdotes Levitici generis.* Aggei 2. *Interroga Sacerdotem legem.* Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirent.* Clericis igitur necessaria est scientia: neque enim populos docere possunt quod eos latuerit. Dotem illam adumbrabant antiquitus duo hæc verba Rationali Summi Judæorum Pontificis inscripta, *Doctrina & veritas*, id saltem visum est Hieronymo qui in caput 2. Malachiæ sic loquitur: *Idcirco in Sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali Doctrina & veritas ponitur, ut discamus Sacerdotem doctum esse debere & præconem Dominicæ veritatis.*

Idem colligitur ex officiis quæ Clericis Scriptura variis in locis tribuit. Vocantur nonnumquam populorum pastores, animarum judices, medici, Ecclesiæ speculatores, Christi legati. At iis muneribus perfungi non possunt nisi doctrina emineant; unde Christus Matth. 23. sic Pharisæos increpat, *Væ vobis duces cæci*, sic Concilium Lateranense Can. *Omnis utriusque sexus* quemque Sacerdotem admonet. *Ut more periti medici vinum & oleum infundere valeat vulneribus sauciati*; sic etiam apud Gratianum de Pœnit. dist. 6. *Caveat spiritualis judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ; ita non careat munere scientiæ. Oportet ut sciat cognoscere quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare discernat.* Sic etiam apud Ezechielem cap. 33. iidem Sacerdotes Divino gregi invigilare jubentur, ne scilicet erroribus aut vitiis deturpentur: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel*: Quo vero ad ea verba evigilent qui dormiunt speculatores, hæc habet author lib. de vita Contempl. cap. 20. *Quis tam saxeus, quis tam ferreus quem sententia ista non percellat?* Innumera sunt in novo Testamento loca quibus idem adstruitur: ex iis locis hanc Pauli sententiam satis sit delibasse. *Oportet* (inquit ad Titum c. 1.) *Episcopum*, quo nomine etiam intelligitur Presbyter, *doctorem esse ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*; in quæ quidem verba hæc habet Hieronymus: *Hic locus adversus eos facit qui se in artium studio & somno dedant, non animadvertentes Apostolum post catalogum conversationis, Episcopi etiam doctrinam similiter præcepisse.*

Probatur secundo ex Conciliis. Concilium Toletanum IV. quod quidem refertur a Gratiano 36. C. *Ignorantia*, hæc habet: *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi in populis officium susceperunt.* Concilium Cabilonense II. hæc habet de eodem argumento: *Decernimus juxta sanctarum Scripturarum doctrinam, ut Episcopi, & similiter (servata proportione) alii Ordines Ecclesiastici, assidui sint in lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, & verborum*

Jutain de Sacram.

facti, non autem de juris quæstione contendebat Nicolaus Papa contra Hincmarum & Synodum Suessionensem. Hincmarus & Suessionenses Patres asserebant Ebbonem contra canones restitutum fuisse: Nicolaus vero & post ipsum Adrianus, judicarunt Ebbonem canonice restitutum fuisse. Ex factis autem contrariis duo diversa concludebant: Hincmarus quidem nullitatem & invaliditatem ordinationum quas Ebbo celebrarat post suam restitutionem: Summi vero Pontifices inferebant valere ordinationes ejusmodi; ac proinde Clericos licite iis posse perfungi,

Respondendum est igitur Patres Concilii Suessionensis, hisce terminis quibus usi sunt: *Irritum ac vacuum habeatur*, non ordinum substantiam, sed actum seu eorum exercitium intellexisse, ita ut voluerint Clericos quos Ebbo post suam ex Sede Rhemensi dejectionem consecrarat, suspensos esse ab ordinum executione. Confirmari potest solutio ex eo quod nonnulli Patres quibus aliunde rata erant & vera, quoad substantiam, Sacramenta, nonnumquam ea inania & irrita dixerint ex eo præcise quod carerent effectu ad quem a Christo instituta sunt: *In Ecclesia Dei, quæ Corpus Christi est* (inquit Leo Magnus ad Anatolium Constantinopolitanum scribens) *aliter nec rata sunt Sacerdotia, nec vera Sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet*. Algerus, cui haud dubie ratum fuit sacrificium quod hæretici offerunt, idem sacrificium dicit fictitium esse & vanum, quod (ait lib. 9. de Sacramentis) salutem quam polliceri videntur, nequaquam conferat.

Contra mox datam responsionem adversarii urgent quæ laudati Concilii Suessionensis decreta sunt de Halduino Abbate in Altivillaris Monasterio. Is (inquiunt) ab Ebbone post canonicam depositionem Diaconus inauguratus fuerat; postea vero, mandante Lothario Imperatore, postulantibus Altivillarensibus monachis, Presbyter, Sede Rhemensium vacante, consecratus fuerat a Lupo Catalaunensium Episcopo; Ea autem consecratio, a Concilio Suessionensi declarata est facta *per saltum*: unde pœna, quam Canones decernunt in eos qui *per saltum* ordinati fuerint, in Halduinum animadversum est; *Tunc* (ait Anastasius referens acta sextæ actionis) *de Presbytero quodam & monachorum Abbate in Altivillaris monasterio, nomine Halduino, qui ab eodem Ebbone Diaconus fuerat ordinatus, & a Lupo postea venerabili Episcopo Catalaunensi Presbyter sine examine fuerat consecratus, commota est quæstio, de quo judicatum est a Synodo secundum sacros canones... ut qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium prosilierat, in degradationem debitam resilire deberet*. At (prosequuntur adversarii) si Halduinus judicatus fuit promotus *per saltum*, quod ab Ebbone Diaconus ordinatus fuisset, sequitur quod Concilio persuasum fuerit nullam ac irritam fuisse, etiam quoad substantiam, Halduini in Diaconum consecrationem.

Verum parum hæc movent: Non enim aliud significant Concilii verba quam istud, nempe Halduinum non magis potuisse Diaconi aut Presbyteri munera obire, quam si *per saltum* ab Episcopo Catalaunensi Presbyter consecratus fuisset: Per ordinationem scilicet in Diaconum receptam ab Ebbone, inciderat (ut Hincmaro & Episcopis ei adhærentibus visum est) in suspensionem ab officio Diaconi: ac proinde respectu Sacerdotii recipiendi factus fuerat irregularis: solutionem illam sat innuunt ipsa laudatæ Synodi verba. *De quo judicatum est a Synodo secundum sacros Canones, sicut scriptum est: Ut qui Presbyteri sine examine per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem sunt provecti, cum fuerint cogniti, deponantur*: Depositionis vero nomen non significat irritum fuisse quoad substantiam ordinem ex quo quis dejicitur, sed interdictum complectitur quo quis respectu ejusdem ordinis functionum illigatur.

Solvitur argumentum petitum ex facto Stephani VI. in Formosum Papam.

Objicies. Factum Stephani Papæ VII. in Formosum Papam demonstrare videtur nono sæculo irritas, etiam quoad substantiam, habitas fuisse ordinationes quæ contra canones aut datæ, aut receptæ fuissent. Formosus ex Episcopatu Portuensi anno 891. ad Episcopatum Romanum convolarat; multosque Romæ sedens consecraverat Ecclesiæ ministros. Illi mortuo successit Stephanus VII. vel ut vulgo dicitur VI. Is anno 897. quo Pontificatum adeptus est, exhumatum Formosi corpus, abscissis tribus digitis quibus populo solitus erat benedicere, in Tyberim projici jussit, declaravitque cum Synodo cui præerat, irritas esse quas celebrarat ordinationes non quoad effectum tantum, sed etiam quoad substantiam; unde consecratos a Formoso ipse iterum consecravit: *Formosum* (inquit Luitprandus Stephano coætaneus scriptor) *e sepulchro extrahere, atque in Sedem Romani Pontificatus, Sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit.... Digitisque mox abscissis, quibus benedicere moris est, in Tiberim jactare præcipit, cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordinavit*. Atqui sic se Stephanus gessit quod crederet Formosum sedem, Canonibus Episcoporum translationes vetantibus, mutasse: unde eum extractum e tumulo, vocatum ad judicium, multis Episcopis præsentibus sic allocutus est: *Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem Sedem usurpasti?* Ratum igitur fuit Stephano & Episcopis illi adhærentibus irritas esse, etiam quoad substantiam, ordinationes, quæ contra canones tentatæ fuissent.

Respondent nonnulli Stephanum eo sensu iterum ordinasse consecratos a Formoso, quod post depositionis sententiam eos pristinis gradibus restituerit cum eo ferme ritu, qui in ipsa ordinatione adhiberi soleret. Verum 1. Luitprandus & Auxilius qui tunc scribebant, ritum illum appellarunt iteratam ordinationem. 2. Iteratio rituum ex quibus Sacramentum essentialiter constat, seu applicatio formæ supra materiam, est ipsiusmet Sacramenti etiam quoad substantiam, iteratio: eo nimirum argumento utimur quo probemus Donatistas olim iterum baptizasse baptizatos a Catholicis. 3. Stephani decretum in Formosum Papam celebratasque ab ipso ordinationes, orbis Episcopos inter se commisit, affirmabant nonnulli eas valere etiamsi Formosus contra Canones in Sedem Romanam convolasset: unde qui ab eo consecrati fuerant, protestabantur se nolle alteri, ut tamen Stephanus edixerat, consecrationi subjicere: *Asseris* (inquit Auxilius ad Leonem Nolanum Episcopum scribens) *te violentias pati oppressiones, ut Episcopale Sacerdotium quod olim a Papa Formoso suscepisti, quasi nihil sit, irritum facias*. Negabant vero cæteri Episcopi valere ordinationes hujusmodi: unde ordinatis a Formoso authores erant, ut alteri ordinationi se se subjicerent. Confirmatur ex eo quod dubium apud peritos illos Episcopos esse non posset, quin illicitum esset exercitium Ordinis quem Clericus recepisset ab Episcopo quem Concilium contra canones promotum declarasset. Confirmatur iterum ex eo quod Auxilius in laudata ad Leonem Epistola quæstionis statum iis terminis proponat qui probent actum tunc fuisse de ordinis substantia, non autem de licito illius exercitio: *Quod ordinatio* (inquit) *quam Papa Formosus fecit, rata & legitima ostendatur, etiamsi ipse Formosus* (ut ajunt) *non recte fuerit ordinatus*.

Respondet Baronius ad annum Christi 897. iniquum fuisse Stephanum quod ea tentarit quæ objiciuntur ab adversariis: *Ita* (inquit laudatus author) *furore percitus homo non quod jure liceret, sed quod exæstuans rabies suasit, implevit, non enim fuit error in fide, sed violenta tyrannis in facto*. Sigebertus in chronico refert Stephanum Adelberti Tusciæ Marchionis factionibus intrusum fuisse, & aperta vi invasisse Romanam sedem. Mirum igitur non est quod male parta authoritate pessime usus, contra Ecclesiæ praxim novas ordinationes superinduxerit vir ira furoreque per-

eit

citus in Formosum, cujus Adelbertus insensissimus hostis extiterat.

Confirmatur Baronii responsio 1. ex Auxilio & Luitprando qui testantur viros omnes frugi ita exhorruisse decretas a Stephano recordationes, ut noluerint se se iteratæ manuum impositioni subjicere, quamvis id a præfato Stephano sub depositionis, imo & excommunicationis pœna juberetur. 2. Scribit Luitprandus facinus de quo agitur, & iniquum de quo est quæstio decretum ægre tulisse eos qui aderant: *Reclamantibus qui aderant*. 3. Joannes Papa IX. coacto Ravennæ 74. Episcoporum Concilio, anno 904. rescidit quæ tum in Formosum Papam, tum in Clericos ab eo ordinatos Romæ acta fuerunt sub Stephano. Capite VII. hæc sancita sunt: *Episcopos, seu Presbyteros, atque Diaconus, nec non & Subdiaconos, cæterosque alterius ordinis sanctæ Sedis Apostolicæ, qui ab eodem venerandæ Papa Formoso canonice consecrati, pro quorumdam libitu temere dejecti sunt, in proprios ordines & gradus communi sanctæ Synodi consulta reducimus, perpetuoque robore ac canonica censura stabilitos, Deo auctore decernimus*. Capite VIII. hæc habentur quæ supponunt Stephanum alius revera quoad substantiam ordinationes decrevisse: *Reordinationes, seu rebaptizationes & sedium mutationes sancti Patres in Africano Concilio congregati omnimode interdixerunt: quos secuti & nos interdicimus, &c.* Qui Romano Concilio quod sub Stephano habitum est, adfuerant, Ravennæ confessi sunt se peccasse graviter, quod iniquis Stephani decretis reluctati non fuissent: *Episcopi & Presbyteri & reliquus Clerus qui eidem Synodo interfuerint* (verba suntque in Concilii sub Joanne habiti actis capite quinto leguntur) *quia ipsi veniam petentes, coactis se terroris metu ac formidine interfuisse confessi sunt: prece sancta Synodi eis indulsimus.*

Caput Tertium.

Utrum Ordinatio data extra Ecclesiam olim valuerit?

Conclusio 1. Ordinatio extra Ecclesiam secundum ritum a Christo institutum ab hæreticis nondum Concilii alicujus decreto damnatis, valuit quovis sæculo: ac proinde characterem impressit recipientibus.

Probatur variis exemplis. Valuit ordinatio Anatolii, quem impius Dioscorus nondum in aliqua Synodo damnatus, post iniquam S. Flaviani mortem consecravit Episcopum Constantinopolitanum: nullibi enim legitur quod alia manuum impositione donatus sit ab ea quam acceperat a Dioscoro. 2. Maximus in Latrocinio, seu in Conciliabulo Ephesino, post depositionem Domini creatus est Episcopus Antiochenus: illius tamen ordinationem Concilium Chalcedonense probavit actione x. 3. Acacii Patriarchæ Constantinopolitani ordinationes probarunt tum Gelasius, tum Anastasius Pontifices maximi, quamvis Romana Sedes cum eo communicare detrectasset. Quondam igitur solebant majores nostri ordinationes admittere, quas celebrassent tum Hæretici, tum Schismatici qui nondum publico Ecclesiæ decreto damnati fuissent.

Conclusio 2. Nusquam Ecclesia iteravit ordinationes quas hæretici, etiam publice damnati & nominatim ejecti ex fidelium cœtu celebrassent.

Probatur primo, in Nestorianorum causa: hæc nimirum de eis habet Gregorius Magnus lib. 9. Indict. 4. Epist. 61. *Nestorium cum omnibus sequacibus suis & reliquas hæreses anathematizent; venerandas quoque Synodos, quas universalis Ecclesia recipit, se recipere & venerari promittant, & absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra* SERVATIS SIBI PROPRIIS ORDINIBUS *in cœtu recipiat*. Ordinum quos Nestoriani contulissent non substantiam tantum, seu, characterem, admitti vult Gregorius, sed etiam indulget eorum executionem iis qui ex animo in Ecclesiæ Catholicæ sinum redierint. Scribebat vero Gregorius anno prope 170. post solemnem Nestorii ab Ecclesia excisionem: ac proinde loco mox relato loquitur de Clericis qui in hæresi Nestoriana expresse damnata consecrati fuissent. Idem in Pelagianorum causa servandum definit Leo Magnus Epist. 86.

Probatur 2. exemplo Monothelitarum de quibus hæc habet Tharasius ad calcem primæ actionis, septimæ generalis Synodi. *Tharasius beatissimus Patriarcha dixit: Sane & plurimi qui in sexta Synodo præsides fuerunt, a Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro Doctoribus (inquam) hæreseos Monothelitarum fuere creati. Sed & hi vicissim Constantinopolitanas Sedes inter Clerum distribuerunt, & ab eodem extremo Doctore Petro usque ad Sextam Synodum anni non pauciores quam quindecim intercesserunt; qui vero intermediis temporibus fuerunt, Thomas scilicet, Joannes, & Constantinus ab hæreticis fuere ordinati. Verum ea de causa non sunt reprobati; circiter enim quinquaginta annos hæresis illa viguit: Et tamen in sexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantum damnarunt, cæteros cum ordinibus susceperunt.* Eadem septima Synodus Oecumenica Majorum, saltem qui post quartum sæculum floruerant, vestigiis inhærens, non Monothelitarum tantum, sed aliorum omnium hæreticorum ordinationes probavit.

Probatur 3. conclusio nostra ex disciplina quam Ecclesia in Donatistas servavit: hisce vero verbis refertur ab Augustino Epist. 50. *Hoc erga illos ab initio servavit Africa Catholica ex Episcoporum sententia qui in Ecclesia Romana inter Cæcilium & partem Donati judicaverant, damnatoque quodam uno Donato qui author schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos,* ETIAMSI EXTRA ECCLESIAM ORDINATI ESSENT *in suis ordinibus suscipiendos esse censuerunt*. Idem asserit S. Doctor Epist. 162. ubi plurimum commendat Melchiadis Papæ indulgentiam: *Qui Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere, etiam iis, quos a Majorina ordinatos esse constaret: ita ut quibuscumque locis duo essent Episcopi quos dissensio geminasset; eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur.*

Probatur 4. terminis indefinitis ac generalibus quibus Patres utuntur iis locis ubi meminerunt ordinationum quas hæretici celebrassent, Gregorius Magnus ad Joannem Ravennæ Episcopum scribit non magis iterari debere hæreticorum Ordinationem quam datum ab iis Baptisma: *Illud autem* (inquit) *quod dicitis, at is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii vestri consideratione extraneum ..... Absit a Fraternitate vestra sic sapere: Sicut autem baptizatus semel; iterum baptizari non debet, ita consecratus semel, in eodem Ordine iterum non valet consecrari*. Ex ea sancti Pontificis sententia patet velle eum ut idem judicium de Ordinatione feratur ac de Baptismo: Ergo censuit quod, quemadmodum valet Baptisma a quocumque & ubicumque, secundum ritum a Christo institutum conferatur, valet & Ordinatio a quocumque Episcopo sive intra, sive extra Ecclesiam celebrata fuerit.

Probatur 5. ratione qua plane præcluduntur omnes adversariorum exceptiones. Non videtur esse potior ratio cur aliquorum hæreticorum ordinationes Ecclesiæ, quoad substantiam, ratæ fuerint, quam aliorum. Atqui (ut hactenus probatum est) nonnullorum hæreticorum ordinationes, Ecclesiæ ratæ fuerunt. Ergo & aliorum omnium ordinationes quoad substantiam probare debuit. Nec est quod quis neget majorem propositionem, dicatque ideo valuisse quorumdam hæreticorum ordinationes quod Ecclesia cum iis hæreticis dispensasset, non autem cum aliis. Nam, ut valeret ea disparitas, Morinus probare debuisset 1. regulam fuisse generalem rejiciendi tamquam irritas, etiam quoad substantiam, celebratas a b hæreticis ordinationes: Verum id supponit laudatus author, nec probare potuisset, cum ea generalis regula nec in Conciliis, nec in Patribus reperiatur. Probare debuisset 2. admissionem ordinationis celebratæ a quibusdam hæreticis fuisse non ex jure communi, sed ex mera Ecclesiæ indulgentia; quod tamen non probat. Verum est quidem

dem

dem dispensatum fuisse cum nonnullis respectu functionis ordinum quos in hæresi aut in schismate recepissent; sed respectu substantiæ eorumdem ordinum nullam proferre est concessam dispensationem. Addi potest 3. quod, ubi grassari cœperunt hæreses, imo & post eorum solemnem condemnationem, semper agitata non fuerit quæstio de Ordinationibus quæ in iisdem hæresibus celebratæ fuissent; sed sæpe multis post annis, ut Novatianis, Donatistis, Pelagianis, Nestorianis, Monothelitis videre est. Quæro autem utrum ante illud examen valerent Ordinationes de quibus est quæstio, an vero irritæ essent? Si primum, Ecclesia irritas quoad substantiam declarare non potuit ordinationes quæ illud examen præcesserunt; ut tamen (si ut Morinus judicat) in causa Novatianorum factum est in Concilio Nicæno primo: Si secundum, fac, si irritæ essent antequam vocarentur in examen, qui fieri potuit ut validæ postea declararentur, ut tamen factum est in Donatistis?

Solvitur argumentum desumptum ex Concilio Nicæno I.

Obiicies. Hæc de Novatianis habet octavus Canon prioris Concilii Nicæni: *De his qui se nominant Catharos, idest, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* Per eam vero manuum impositionem non potest intelligi 1. Sacramentum Pœnitentiæ: nam Canon præscribit aliquid erga Novatianos quod in cæterorum hæreticorum admissione non servaretur: At Pœnitentiæ Sacramentum omnibus omnino hæreticis, cum redibant, aut publice, aut privatim impendebatur, ut de Confirmatione agentes ostendimus. 2. Ea manuum impositio non potest explicari de impositione manuum in Spiritum sanctum, seu de Sacramento Confirmationis, eo quod Orientales (ut erant Patres Nicæni) nusquam, aut saltem raro Confirmationem expresserint nomine impositionis manuum: usi sunt nempe nomine unctionis per quam admittebat hæreticos qui extra Ecclesiam Catholicam valide baptizati fuissent, ut patet ex septimo canone prioris Concilii Constantinopolitani, ubi Novatiani expresse designantur: Superest ergo ut ea manuum impositio de qua loquitur Synodus Nicæna, intelligatur de nova ordinatione quam Novatiani reciperent in Ecclesia Catholica, antequam in ea aut Episcopos, aut Presbyteros agerent.

Confirmatur argumentum 1. ex Theophilo Alexandrino Patriarcha, sancto Hieronymo æquali. Is enim exponens octavum Canonem prioris Concilii Nicæni sic respondet Tom. II. Conciliorum Labbæi fol. 1801. *Declaravit mihi tua pietas quod quidam eorum qui se Catharos nominant, volunt ad Ecclesiam accedere. Quoniam ergo magna Synodus Nicææ habita, statuit ut ordinentur qui accedunt juxta hanc formam, eos qui ad Ecclesiam accedent, ordina: si quidem vita eorum recta est & nihil eis adversatur.*

Confirmatur secundo ex Epistola ejusdem prioris Concilii Nicæni ad Alexandrinos, quam Tom. II. Labbæanæ editionis fol. 250. legere est: hæc autem habet de Meletianis: *Illi vero qui ab eo in sacrum ordinem lecti sunt, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, ad Communionem post hæc admittantur, & permittatur illis quidem honoribus frui, & sacris muneribus fungi.*

Resp. 1. per manuum impositionem cujus fit mentio in octavo canone prioris Concilii Nicæni, non intelligi Sacramentum Pœnitentiæ: Siquidem Concilium ritum recenset, ad quem alii hæretici praxim non reciperentur in Ecclesiam: At per Pœnitentiæ Sacramentum vel privatim, vel solemniter omnes admittebantur, ut suo loco superius ostensum est. Secundo. Non debet intelligi *Ordinatio*: cur enim celebratas a Novatianis ordinationes rejecisset sacra Synodus quæ admisit datas ab Arianis qui præcipuum religionis caput impugnabant; cur cum Arianis (quorum ordinationes aliquando iteratas fuisse nullo potest exemplo demonstrari) dispensassent Nicæni Patres potius quam cum Novatianis? Dicendum est igitur per eam manuum impositionem de qua Concilium loquitur, intelligi manuum impositionem in Spiritum sanctum, seu, Sacramentum Confirmationis: quod quidem ideo Novatianis ad unitatem redeuntibus conferebatur, quod (ut agentes de Confirmatione ostendimus) apud suos eo donati non solerent.

Nec mox datæ solutioni obstat expositio canonis Nicæni quæ probata est ex Theophilo Alexandrino: nec enim Theophilus agit de Clericis Novatianis redeuntibus, sed de Laicis ad quos sic extendit privilegium de quo Synodus, ut velit eos Clero adscribi posse si alio quam schismatis crimine non impediantur: *Siquidem* (inquit) *vita eorum recta est & nihil eis adversatur*: Quod tamen canones vetabant circa alios hæreticos: prohibebant nempe ne paucis post annis a suo in Ecclesiam reditu, Clericatu donarentur.

Non obest quoque quod objectum est ex Epistola Nicæni Concilii ad Alexandrinos. Nam hi termini, *Sanctiori ordinatione*, qua usi sunt Patres Nicæni agentes de Clericis quos Meletius consecrarat, non significant iterationem ordinationis quam Meletiani in suo schismate recepissent; sed novam institutionem, seu; aliam a legitimis Pastoribus missionem, novam Jurisdictionem ab Episcopis Catholicis obtinendam antequam in Ecclesia Catholica suorum ordinum muneribus fungerentur: id nimirum indicant quæ in laudata ad Alexandrinos Epistola subjunguntur: *Quia etiam nulla potestas eis sit vel designandi quos velint, vel omnino quidquam faciendi absque consensu Episcoporum Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ qui sub Alexandro sunt sanctissimo collega nostro.*

Solvitur argumentum desumptum ex octava Synodo in causa Photii.

Obiicies. In octava Synodo Oecumenica, Actione decima Canone V. hocce decretum latum est in Photium qui ejecto sanctissimo Patriarcha Ignatio, Neophytus Sedem Constantinopolitanam invaserat: *Amorem principatus, utpote quamdam malam radicem exortorum in Ecclesia scandalorum, radicitus excidentes, eum qui temere & prævaricatorie ac irregulariter, veluti quidam gravis lupus, in Christi ovile insiliit, Photium scilicet, qui mille tumultibus & perturbationibus orbem terræ replevit, justo decreto damnamus, promulgantes numquam fuisse prius aut nunc esse Episcopum; nec eos qui in aliquo Sacerdotali gradu ab eo consecrati, vel promoti sunt, manere in eo ad quod provecti sunt: insuper & eos qui ab illo consuetas orationes ad præposituræ promotionem susceperant, ab hujusmodi patrocinio coercemus. Sed & Ecclesias, quas, ut putatur, tam Photius, quam ii qui ab ipso consecrati sunt, dedicaverunt, vel si commotas mensas stabilierunt, rursus dedicari & inthronizari atque stabiliri decernimus; omnibus maxime quæ in ipso & ab ipso ad Sacerdotalis gradus acceptionem vel donationem acta sunt, in interitum ductis.* In eum vero canonem hæc observare necesse est: primo sacram Synodum clarioribus verbis non potuisse exprimere Photium vera ordinatione, etiam quoad substantiam sumpta, nusquam donatum fuisse: *Numquam fuisse prius aut nunc esse Episcopum.* Observare est secundo eamdem Synodum alium usurpasse loquendi modum, cum ipsi fuit propositum exprimere ordinationem validam, cujus tamen executio illicita esset: de iis nimirum Clericis quos S. Ignatius ordinarat, quique Photio pertinaciter adhærebant, hæc ait: *Depositi sunt & omni Sacerdotali operatione privati.* Observare est tertio actione III. ejusdem Concilii referri Adriani Papæ Epistolam sanctissimo viro Ignatio inscriptam, in ea autem Epistola hæc habentur de Clericis qui sive dolo, sive vi, sive sponte ierant in Photii partes: *Porro cæteris qui ex consecratione fraternitatis tuæ sunt, & sive sponte, sive vi, se ad Photium contulerunt sub satisfactione libelli, cujus exemplar missis nostris commisimus, ad te remeaverint, quamvis contra professionem, vel subscriptionem suam egerint, ac multipliciter adversus Sacerdotium tuum & in contemptum Sedis Apostolicæ eunt ferint, eos generaliter in suis gradibus confirmantes, ignoscendum decrevimus.* De Photio autem ac de Clericis quos consecraverat, hæc ibidem leguntur: *Præ omnibus & super omnia Gregorium Syracusanum, & Photium tyrannum, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse puta-*

putatus est, ab Episcoporum numero vel dignitate, quam usurpative ac ficte dedit, merito sequestrantes. Hanc autem lati tum a se tum a Nicolao decessore suo Adrianus Papa rationem reddit. *Photius vir Forensis, Curialis, Neophitus, invasor atque adulter, ac canon & anathemate condemnatus existens, nihil habuit quod se sequentibus propinaverit.* Ex iis locis sic argumentum confici potest. Non est dubium quin Photius a Gregorio Syracusano consecratus sit secundum ritum a Christo institutum, seu cum impositione manuum & oratione qua Spiritus Sanctus invocaretur. Certum est quoque quod idem Photius adhibito eodem ritu, quandiu Constantinopoli sedit, & Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos ordinaverit. Non valuit tamen, etiam quoad substantiam, ejusdem Photii consecratio, cum octava Synodus definiat: *Ipsum putatum fuisse quidem Episcopum, sed nusquam vere fuisse; Ipsum nihil habuisse ex Gregorii Syracusani consecratione.* Non valuit quoque collata a Photio ordinatio, cum definiente sacra Synodo, ii quos consecrare *visus est, nihil ab eo acceperint*, cum, eadem Synodo teste, *non vere sed ficte consecrati sint*, cum *omnia, quæ ad Sacerdotalis gradus aut acceptionem aut donationem a Photio acta sunt*, octava Synodus *in interitum* ducenda esse sanciverit, cum judicarit Ecclesias, quas tum ipse Photius, tum ii quibus manum imposuit, consecrarunt, iterum consecrari debere. Fingamus id octavæ Synodi Patribus propositum fuisse ut declararent irritam esse, etiam quoad substantiam, tum Photii tum Clericorum quos ordinavit, consecrationem, aliis sane terminis ab iis quibus usi sunt, mentem suam exprimere non potuissent. Ergo &c.

Resp. ea quæ objecta sunt octavæ Synodi verba intelligi debere de jurisdictione, non autem de ordine quem aut Photius a Gregorio Syracusano acceperat, aut Clerici Constantinopolitani a Photio.

Confirmatur ea responsio primo ex eo quod in litteris Adriani Papæ ad S. Ignatium lectis tertia in actione octavæ Synodi Grægorius Syracusanus, qui Photio manus imposuerat, seu qui ipsum ordinarat, extorris denuntiatur *a numero & a dignitate Episcoporum*: qua quidem loquendi ratione non significatur Gregorium charactere Episcopali secundum substantiam sumpto fuisse spoliatum: neque enim (ut fatentur etiam adversarii) per subsequens scelus amitti potest ordinis character quo quis semel insignitus fuerit, ut revera insignitus fuerat Gregorius Syracusanus antequam Photii patribus adhæreret: Verba igitur sacræ Synodi hoc unum significant, nempe Gregorium qualibet authoritate Pontificia seu qualibet jurisdictione fuisse destitutum: Ergo a pari, cum Photius dicitur numquam fuisse Episcopus, eum nihil habuisse, sensus est eum nulla unquam donatum fuisse authoritate Episcopali, nulla potitum fuisse jurisdictione Ecclesiastica: ac proinde nullum ipsi jus fuisse quo Constantinopolitanis Clericis manus imponeret, quo Ecclesias consecraret, obiretque cætera Episcopalis gradus officia.

Confirmatur 2. eadem responsio ex conditione sub qua Photius ad communionem tum Catholicam tum Episcopalem admissus est a Joanne Papa VIII. anno 879. Non postulavit Romanus ille Pontifex, cui alioquin perspecta erant acta octavæ generalis Synodi, ut Photius, consecratique ab eo Presbyteri iterum ordinarentur antequam ille Episcopalia, isti vero Sacerdotalia munera obirent: Id quoque non postularunt legati Sedis Apostolicæ Constantinopolim a Joanne VIII. missi: non exegerunt pariter Patriarchæ, nec alii Episcopi Orientales qui subscripserant octavæ generali Synodo in qua de Photio dicitur quod numquam vere fuerit Episcopus. Nullam aliam conditionem Joannes Papa præscripsit tum Photio, tum ministris quibus manus imposuerat, quam libelli satisfactionem, seu, hoc unum Joanni satis fuit ut demonstrata facti pœnitentia, & Photius & ordinati ab eo Clerici communione tum Catholica tum Ecclesiastica donarentur: *Nos itaque* (inquit Joannes Papa VIII. in Epistola quam ad Basilium & filios Imperatores reddidit ubi ab Imperatore accepisset legationem) *aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno & Jerosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis, Metropolitis, Episcopis & Sacerdotibus, cunctoque Clero Constantinopolitanæ Sedis qui de ordinatione beati Methodii & Ignatii Reverendissimorum Patriarcharum existunt, una voluntate, parique voto consentientibus, eumdem Photium, satisfaciendo, misericordiam coram Synodo secundum consuetudinem postulantem, in vera dilectione fratrem, in Pontificali officio comministrum, atque coram Synodo misericordiam quærendo, in Pastorali magisterio consacerdotem, pro Ecclesiæ Dei pace & utilitate, amodo Christo favente, recipimus & habemus.*

Nec alicujus est momenti quod adversarii objiciunt ex loquendi ratione, qua Patres octavæ Synodi usi sunt loquentes de Clericis quos S. Methodius & S. Ignatius consecrarant: *Depositi sunt & omni Sacerdotali operatione privati*: Non enim iis terminis aliud significatur quam suspensio & depositio tollendæ aliquando, ubi nempe Clericos illos qui Photio adhæsissent, facti pœnituisset. E contra ideo Clarici quos Photius ordinarat, dicuntur permanere non posse in eo Sacerdotii gradu ad quem promoti fuerant, quod nec Nicolaus Papa I. nec Adrianus, vellent indulgere Sacerdotalis aut alterius Clericalis gradus officia, quamvis postea resipiscerent, præteritique facti illos pœnituisset.

Solvitur argumentum petitum ex veterum Scholasticorum authoritate.

Objicies. Plures e veteribus Scolasticis dubitarunt an valerent ordines quos hæretici, etiam secundum debitam materiam, debitamque formam contulissent. Petrus Lombardus lib. IV. Sent. Dist. XXV. ea in causa dubios fuisse sui sæculi authores his verbis tradit: *Solet etiam quæri, Si hæretici ab Ecclesia præcisi & damnati possint tradere sacros ordines, & si ab eis ordinati redeuntes ad Ecclesiæ unitatem, debeant reordinari. Hanc quæstionem perplexam ac pene insolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere hæreticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinari videntur, gratiam recipere .... Contra autem alii sentire videntur quod ab hæreticis etiam præcisis, sacri Ordines, sicut & Baptismus tradi valeant; nec ab hæreticis redeuntes qui illic ordinati sunt & baptizati, iterum ordinandi sunt, sicut nec baptizandi.* In priorum sententiam propendet idem Lombardus. In eam pariter abiit Gratianus: nam 1. quæst. 1. post canonem septimum sic loquitur: *Degradatus Episcopus potestatem largiendi sacros Ordines non habet; facultatem tamen baptizandi non amittit.* Post canonem 4. clarius sic mentem aperit suam. *Patet ergo illud Augustini: Sacramenta videlicet Christi per hæreticos ministrata suo non carere effectu, non de omnibus intelligi generaliter, sed de Sacramento Baptismi.* Duodecimo igitur sæculo quo authores illi scribebant, ferebat traditio irritos esse, etiam quoad substantiam, ordines quos hæretici ab Ecclesia nominatim præcisi contulissent.

Resp. antiquos quosdam Scholasticos in eam quidem, quæ objicitur, opinionem propendisse; Sed eorum pace dixerim illos eo in capite præcedentis traditionis mentum non fuisse assecutos: unde qui eos proxime subsecuti sunt alii primi nominis Scholastici, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, cæterique omnes ad unum, docuere ordines quoad substantiam valere, ubicumque & a quocumque secundum ritum a Christo institutum collati fuerint. Quod autem & Lombardus & Gratianus a veteribus recesserint ex eo colligitur quod ubi Patres contra Cyprianum, Novatianos, Donatistas, aliosque rebaptizantes argumentati sunt, iis usi sint principiis quæ (ut agentes de ministro Baptismatis diximus) non pro Baptismate tantum valent, sed etiam pro aliis omnibus Sacramentis quæ ad sui collationem, jurisdictionem in conferente non prærequirunt. Præterea antiqui Patres (ut videre est in Augustino contra Donatistas agente) conceptis terminis asseruerunt va-

le-

fere Ordinationem & Euchariftiam licet extra Ecclefiam ab hæreticis confectæ fuerint; S. Doctoris, aliorumque veterum loca hujufce capitis initio defcripta funt; ad ea haud dubie non attenderat Gratianus, cum hæc fcripfit: *Patet ergo illud Auguftini: Sacramenta videlicet Chrifti per hæreticos miniftrata fuo non carere effectu, non de omnibus intelligi generaliter, fed de Sacramento Baptifmi.*

Caput Quartum.

Utrum, & qua certitudine tenendum fit quod Ordinatio extra Ecclefiam data valeat?

Conclufio. Certiffimum eft valere nunc quoad fubftantiam Ordinationem, quæ fecundum ritum a Chrifto inftitutum extra Ecclefiam ab hæreticis etiam expreffe & nominatim præcifis celebrata fuerit.

Probatur primo ex unanimi confenfu Doctorum Catholicorum qui quadringentis abhinc annis fcripfere. Docuerunt fcilicet omnes ad unum, & nunc etiam docent nec hærefeos crimen etiam publicum, nec degradationem, nec excommunicationem impedire ne valeant Sacramenta, quæ juridictionem in conferente non requirunt, dummodo ritus externus a Chrifto inftitutus cum debita miniftri intentione fervatus fuerit.

Probatur fecundo ex hodierna Ecclefiæ praxi: Fert autem ea praxis, ut Clerici quibus legitima materia & debita forma applicatæ fuerint, ordinibus in hærefi receptis, non iterata ordinatione, fungantur.

Probatur tertio ex iis quæ fuperiori capite dicta funt: Si enim ordinatio de qua agitur, quondam valuerit, neceffe eft ut his temporibus valeat: quippe quod in hoc capite nulla contigerit mutatio, nec contingere potuerit. Confirmatur ex modo quo cum Græcis Schifmaticis, imo & Hæreticis inita eft concordia in Concilio Florentino: admiffi nimirum fuere in Ecclefiæ finum cum ordinibus, quibus tum verfabantur in fchifmate, donati fuerant.

Quæres qua certitudine conftet valere quoad fubftantiam datas in hærefi ordinationes.

Refpondent 1. nonnulli id, quod quæritur, certum effe certitudine fidei Catholicæ, utpote (inquiunt) definitum in Concilio Tridentino feff. 7. can. 9. ubi decernitur per Baptifmum, Confirmationem & Sacramentum Ordinis characterem imprimi. Eo enim loci hæc leguntur. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptifmo fcilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eft fignum quoddam fpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poffunt, anathema fit.* Sed Morino vera non videtur illa cenfura, contendit nimirum verba allata ex Concilio Tridentino de Catholica ordinatione tantum effe intelligenda: unde infert hanc controverfiam Doctorum difputationibus ventilandam & decidendam Concilium permififfe. *Hoc* (inquit) *videntur innuiffe Patres cum feff. 23. Can. 4. dicunt. Si quis dixerit per facram ordinationem non dari Spiritum fanctum, anathema fit.* Iis enim verbis conjicere eft Concilium decretum fuum ad ordinationes facras, ideft Catholicas, quæ folæ Spiritum fanctum infundunt, reftringi voluiffe.

Refpondet 2. laudatus mox Morinus de facris Ordinationibus parte III. exercitatione V. cap. VIII. his verbis. *Hactenus tamen nullo Ecclefiæ decreto quæftio tam perplexa & obfcura decifa eft. Sed tam multorum Doctorum concors & tam diuturnus confenfus nobis eft inftar legis, quam diffenfu noftro temerare nec volumus, nec debemus.*

Refpondet 3. his verbis ad idem quæfitum Hallierius in fuo tractatu de facris electionibus, & ordinationibus. *Poft Theologorum de propofita quæftione confenfum erroneum effet negare validum effe Sacramentum Ordinis, quod ab hæretico, vel fchifmatico, quantumvis ab Ecclefia præcifo, fuerit collatum.*

QUÆSTIO SEPTIMA.

De difpofitionibus facræ Ordinationi prærequifitis.

Non hic dicemus de fingulis quæ facræ Ordinationi prærequiruntur; fed de tribus tantum, Vocatione nimirum, morum Probitate, Scientia & Titulo.

Caput Primum.

De vocatione facræ Ordinationi prærequifita.

Hoc in capite quæremus 1. Utrum divina vocatio neceffaria fit ut quis fe ordinationi facræ fubjiciat. 2. An quis ordines facros licite expetere poffit. 3. Utrum liceat Clericatum, aut facros Ordines ab Epifcopo poftulare.

Conclufio 1. Divina vocatio facræ Ordinationi prærequiritur.

Probatur ex Scriptura. 1. Difcipuli Chrifti munus Apoftolicum non obiere nifi ubi fpecialiter a Chrifto vocati funt: unde fic eos ipfe Chriftus alloquitur Joannis XV. *Non vos me elegiftis, fed ego elegi vos.* 2. Apoftolus ad Hebræos V. definit eum effe reum facrilegii qui fumit fibi Sacerdotium, quod quidem res quædam eft facra in quam Deus folus jus habet: *Nec quifquam* (inquit) *fumit fibi honorem, fed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Ejufdem vocationis neceffitatem confirmat idem Apoftolus exemplo quod defumit ab humanitate Chrifti: *Sic & Chriftus non femetipfum clarificavit ut Pontifex fieret: fed qui locutus eft ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum fecundum ordinem Melchifedech.* 3. Chriftus furti ac raptus infimulat eos, qui non vocati dant nomen Clericatui: *Qui non intrat* (inquit Joannis 10.) *per oftium in ovile ovium, fed afcendit aliunde, ille fur eft & latro: qui vero intrat per oftium, paftor eft ovium; huic oftiarius aperit, &c.* Non aliud vero eft illud oftium quam Chriftus ipfe: *Ego fum* (inquit ibidem) *oftium. Per me fi quis introierit, falvabitur, & ingredietur & egredietur, & pafcua inveniet.* 4. Deus in Scripturis de iis conqueritur qui non vocati Ecclefiaftica obeunt munera: *Ipfi regnaverunt* (verba funt Dei ipfius apud Ofeam) *& non ex me, Principes extiterunt, & ego non vocavi eos.* Alibi quoque hæc ait: de iis qui fibi munus propheticum arrogabant: *Currebant, & ego non mittebam eos.* Quæ hucufque dicta funt confirmari poffunt ex eo quod gratia alioquin iis, qui facris ordinibus initiati funt, incumbant onera. Nam 1. cœlibatus lege tenentur faltem in Ecclefia Latina. 2. Pietate, virtutifque exercitio fint oportet exemplo populo fideli, juxta illud Apoftoli ad Timoth. 2. *Præbe te ipfum exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.* Neceffe eft ut parati fint ad animarum curam, ad paftoratus officium, ubi id expedire Epifcopus judicaverit. Ad tanta vero tantique momenti onera indiget quifque Clericus fpecialibus auxiliis, quibus plerumque & quidem fumma cum æquitate, in pœnam nimirum præfumptionis, fruftrantur ii, qui non vocati irruunt in facras agni cœleftis nuptias.

Quæres 1. quotuplex fit divina ad facros Ordines vocatio?

Refp. duplicem effe, externam nimirum & internam. Prior in eo pofita eft quod quis a proprio Epifcopo ad Clericatum, aut ad majores ordines, aut ad Paftoratum vocetur: Altera vero confiftit in interno Spiritus fancti motu ac impulfu. Priori aliquamdiu quidem quifque poteft obfiftere, fed tandem debet impofito fibi jugo colla fubiicere, nifi fe manifefto inep-

ineptum deprehenderit: Regulam illam secutus est Augustinus: Quamvis enim (ut ait Possidius in ejus vita c. 4) studiosissime eas omnes civitates declinaret, quarum vacabant Sedes, cessit tandem vim afferenti sibi populo & Episcopo Hipponensi, consensitque ut Presbyter primum crearetur, ac tandem Episcopus; *Compulsus* (inquit) *atque coactus succubuit, & Episcopatus eorum, ac majoris loci ordinationem suscepit*. Eadem ratione gessit se se Ambrosius, ubi enim nihil intentatum reliquisset, quo declinaret ordinationem, cessit tandem & populi, & Imperatoris, & totius Ecclesiæ votis: *Productus itaque* (ait Paulinus in ejus vita) *& adductus Mediolanum* (unde aufugerat) *cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, &c.* Julianus Pomerius injustitiæ reos agit qui vocati, ut par est, ab Episcopis, operam suam pernegant Ecclesiæ laboranti: *At per hæc contra justitiam faciunt hi, qui merito suæ conversationis vel conditionis electi, otiosum studium fructuosæ utilitati regendæ multitudinis antepo..., & cum possint laboranti Ecclesiæ subvenire, operosæ administrationis laborem refugiunt.*

Quæres 2. quibus indiciis dignosci possit interna ad sacros ordines vocatio?

Resp. tribus præsertim indiciis prodere se se internam Spiritus sancti ad sacros ordines vocationem. 1. Prodit se se conscientiæ puritate: *Quisquis ergo* (ait Gregorius Magnus in lib. Pastor. c. 10.) *quolibet horum vitio* (idest si cæcus claudusque fuerit, aliisve defectibus laboraverit qui a Sacerdotio arcebant Judæos, quosque idem S. Pater spiritualiter explicat) *subigitur, panes Domino offerre prohibetur, ne profecto diluere aliena delicta non valeatis, quem adhuc propria devastant*. Posita est autem ea conscientiæ puritas, vel in baptismali innocentia, vel saltem in justitia quam lapsus per diuturniores pœnitentiæ labores recuperarit. Verum de eo argumento fusius subsequenti capite dicitur. 2. Interna vocatio prodit se se per intentionis rectitudinem; *Si oculus tuus simplex fuerit* (inquit Christus Matthæi VI.) *totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*: Oculi autem nomine eo loci intelligitur intentio: *Oculus noster intentio est* (ait Augustinus de Serm. Domini) *quæ si recta fuerit & simplex, opera nostra munda facit, Deoque placentia. Si vero appetitus rerum temporalium inquinatur, ipsum quoque opus ea intentione susceptum sordescit*. Simplex ille oculus iis haud dubie deest qui proprium emolumentum in Christi patrimonio sibi ipsis proponunt: *Si eis* (gradus Ecclesiasticos) *eo quærit aut tendit animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat necessaria; Evangelizet ut manducet, pervorso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur. Quam certe dignius, amplusque consentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera & negotia exerceret, nec fieret invasor veram, aut inhonoraret ministerium spirituale. Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærunt. Honorati incedere volunt, delectari & superbire, & huic sæculo per omnia conformari*. Illa Bernardi sententia præsertim urgentur qui emolumenta temporalia præcipue in Clericatu quærunt, sed imperfectos seu qui etiam minus præcipue sustentarionem aliaque commoda sibi proponunt in Clericali militia, intorqueri possunt hæc Augustini verba lib. 10. Conf. cap. 13. *Minus te amat Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te amat*. 3. Divina vocatio prodit se se desiderio Ecclesiastici laboris; Qui enim Clericatui dant nomen ut otiose ac quiete (ut inquiunt) vivant, vereri debent ne in eis locum habeat hæc Ps. 72. sententia: *In labore hominum non sunt; & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua*. Clerici omnes meminerint oportet Apostolici hujus moniti 1. ad Thimoth. 4 *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Volvant sæpius animo quæ scribit Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 23. cap. 10. *Olim* (inquit) *jussus est frater præmortui fratris uxorem ducere, ut non sibi, sed illi sobolem suscitaret, ejusque vocaret nomine quod inde nasceretur: Quod si recusaret, discalceatus uno pede conspui solebat in faciem; nunc Evangelii quisque prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut defuncto fratri idest Christo suscitet semen, qui pro nobis mortuus est, & quod suscitatum fuerit, ejus nomen accipiat. At vero qui electus ab Ecclesia ministerium Evangelizandi renuerit, ab Ecclesia ipsa merito digneque contemnitur: qui enim & sibi prodest & Ecclesiæ, bene intelligitur utroque pede calceatus: Qui autem curam lucrandorum refugit aliorum, discalceati illius non figuram significavit, sed in se impletum portabit opprobrium*. Si autem Clerici ab Episcopo qui sic expedire judicaverit, ad pastoratum non vocentur, meminerint non ob id desidiæ dandam esse operam, jugibus nimirum precibus, pietatis operibus, sacrificiis, Ecclesiæ prodesse tenentur: *Omnis enim* (inquit Apostolus ad Hebræos v.) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*.

Conclusio. 2. Ordines sacros desiderare & bonum & malum esse potest, sed sub diverso respectu.

Probatur authoritate & ratione S. Thomæ. S. Doctor 2. 2. q. 182. art. 1. quærit utrum liceat Episcopatum appetere, concludit vero id bonum & malum esse posse, bonum quidem si spiritualis utilitas quæratur, malum vero si quippiam temporale concupiscatur. Conclusionem hocce argumento probat. *In Episcopatu tria possunt considerari, quorum unum est principale & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam utilitas proximorum intenditur secundum illud Joannis ult. Pasce oves meas. Aliud autem est altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur, secundum illud Matthæi 22. Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Tertium autem est quod consequenter se habet ad ista, scilicet reverentia, & honor; & sufficientia temporalium, secundum illud 1. ad Timoth. 5. Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur. Appetere ergo Episcopatum ratione hujusmodi circumstantium bonorum; manifestum est quod est illicitum & pertinet ad cupiditatem vel ambitionem. Unde contra Pharisæos Dominus dicit Matth. 23. Amant primos recubitus in cœnis & primas Cathedras in Synagogis & salutationes in foro & vocari ab hominibus Rabbi. Quantum autem ad secundum, scilicet ad celsitudinem gradus, appetere Episcopatum est præsumptuosum: Unde Dominus Matthæi 20. arguit discipulos Primatum quærentes dicens: Scitis quia principes Gentium dominantur eorum . . . . Sed appetere proximis prodesse, est secundum se laudabile & virtuosum. Verum quia prout est Episcopalis actus, habet annexam gradus celsitudinem; præsumptuosum videtur quod aliquis præesse appetat ad hoc quod subditis prosit, nisi manifesta necessitate imminente . . . . Potest tamen absque præsumptione quilibet appetere talia opera facere, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exequenda, ita quod opus bonum cadat sub desiderio, non autem primatus dignitatis*.

Ex ea S. Thomæ ratione colligitur 1. non licere absolute loquendo, expetere opera quæ ordini Episcopali conjuncta sunt, eo quod si expeti non possint quin desideretur gradus Episcopalis celsitudo: illud autem celsitudinis desiderium a præsumptione separari non potest: Colligitur 2. eum tantum in operum, de quibus agitur, desiderio non peccare, qui ea sub conditione expetit, nimirum ex suppositione quod esset ornatus iis dotibus quæ Episcopali dignitati prærequiruntur.

Eam doctrinam hausit S. Thomas ex Gregorio Magno. Concedit quidem S. Pontifex ut Episcopatus desideretur, sed ab eo qui præditus sit virtutibus quas Apostolus Episcopo necessarias esse definiit: *Laudans desiderium* (inquit Past. par. 1. cap. 8. ubi exponit hæc Pauli verba: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat) *in pavorem avertit quod laudavit, cum repente subjungit: Oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse*. At nemini, quin præsumptionis reus sit persuasum esse potest quod dotibus ab Apostolo requisitis præditus sit. Verum dato quod metaphysice loquendo aliquis possit sibi animo proponere Episcopalia opera, non proposita dignitate, contendit S. Doctor distinctionem illam non habere locum in praxi;

Sed plerumque (inquit cap 9) *qui subire Magisterium Pastorale cupiunt, nonnulla quoque opera bona animo proponunt: & quamvis hoc intentione elationis appetant, operaturos se tamen magna pertractant: fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.*

Laudatæ Gregorii sententiæ non adversatur Chrysostomus hom. 10. in Epist. 1. ad Timoth. ubi sic loquitur: *Si quis Episcopatum desiderat, non culpo, non improbo, opus quippe regiminis est, si quis hunc idcirco appetit) non principatus aut dominationis fastu, verum cura regiminis, & charitatis affecta, non improbo* (inquit Paulus) *bonum quippe desiderat opus. Si quis ita desiderat, desideret.* Non adversatur (inquam) supponit nimirum Chrys. id non absolute, sed conditionate experi, seu ex suppositione quod is qui ejusmodi desiderio tenetur, iis instructus sit donis quæ animarum regimini, obeundisque cæteris Episcopalibus officiis prærequiruntur.

Quæ de Episcopali ordine mox dicta sunt, locum etiam habent, servata tamen proportione, in Presbyteratu & Diaconatu; eorum enim officia quantum & emineant & difficilia sint, enarrat Augustinus Epist. 148. *Nihil* (inquit) *in hoc vita & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius, Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio.* Ea ratio plures e Patribus movit antiquitus ut tum Presbyteratum, tum Diaconatum, omni studio declinarent: *Vis mihi facta est, merito peccatorum meorum* (inquit Augustinus agens de sua ad Presbyteratum promotione) *Nam quid aliud existimem nescio ut secundus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram..... Hinc erant lacrymæ illæ ordinationis meæ tempore.* Gregor. Nazianzenus invitus consecratus est Presbyter a Patre: *Pater filium quem invitum & repugnantem, ægreque cedentem Presbyterum creaverat.* Oportuit vim Chrysostomo inferret Flavianus ut eum insigniret Presbyteratu: *Presbyter* (ait Palladius in ejus vita) *a sanctæ memoriæ Flaviano Episcopo consecratur, invitus licet ac multum renitens.* Nusquam acerbiori dolore affectus fuit Nepotianus quam cum Presbyter fuit inauguratus: *Quid multa* (inquit Hieronymus in ejus Epitaphio) *fit Clericus & per solitos gradus Presbyter ordinatur. Jesu bone, qui gemitus, qui ejulatus, quæ cibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium? Tunc primum & solum avunculo iratus est. Querebatur se ferre non posse; & juvenilem ætatem incongruam Sacerdotio causabatur. Sed quanto magis repugnabant, tanto in se studia omnium concitabat, & merebatur negando quod esse nolebat; eoque dignior erat, quo se clamabat indignum.* Tanta fuit majorum nostrorum in ordines Hierarchicos, Episcopatum, Presbyteratum & Diaconatum reverentia, ut oportuerit condi legem qua præciperetur Clericis ne obsisterent Episcopo qui ad superiores ordines promovere vellet: *Placuit* (inquit Canon. 31. inter Africanos) *ut quicumque Clerici, vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo unde recedere noluerunt.*

Conclusio 3. Licitum est Laicis ab Episcopo Clericatum postulare. Licet quoque Clericis offerre se Episcopo quo probentur, an debeant ad majores ordines promoveri.

Probatur prior conclusionis pars. 1. Parentes quondam filios in puerili ætate licite Cleros minoribusque ordinibus offerebant: *De his quos voluntas parentum a primis infantiæ annis in Clericatus officio manciparit,* (verba sunt can. 14. alterius Concilii Toletani) *statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio Lectorum contraditi fuerint, in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia a Præposito sibi debeant erudiri.* Ergo a fortiori juvenes poterant se ipsos offerre Clero. 2. Siricius in sua priore Epistola Decretali & recenset & probat praxim juvenum qui se se Clericatui obtulissent: *Quicumque* (inquit cap. 9.) *se Ecclesiæ vovit obsequio, a sua infantia ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari.* 3. Concilium Tridentinum approbat purum eorum votum qui Clericatum elegerint. *Prima tonsura* (ait sess. 23. cap. 4.) *non initietur, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc genus vitæ elegisse.* Eadem pia praxis probata fuit Concilio Mediolanensi IV. hæc nempe statuta sunt: *Ubi primum Episcopus, aut Parochus aliquem norit qui vel sponte se Clericali militiæ adscribi velit, vel a parentibus adhuc infans destinetur, hoc sedulo curet, ut ille quo diligentius Clericalis disciplinæ, vitæque religiosæ institutis primum imbuatur, Ecclesiam frequentius adeat, &c.*

Probatur altera conclusionis pars. 1. Plurimæ hoc sæculo erectæ sunt Congregationes mere Clericales, quibus si quis dederit nomen, non ad Diaconatum modo, sed etiam ad Sacerdotium aspirare videtur, quippe quod (ut supponitur) ejusmodi Congregationibus, probatis alioquin ab Ecclesia Catholica, minus sit ad sacros ordines, ipsum etiam Presbyteratum, sodales provehere. 2. Posse quempiam offerre se proprio Episcopo ut probetur, an ad majores ordines promovendus sit, supponere videtur Concilium Tridentinum sess. 23. c. v. de ref. ubi hæc habentur: *Hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, ut nominibus, ac* DESIDERIO EORUM QUI VOLENT PROMOVERI *publice in Ecclesia proponantur &c.* Qui initiatur minoribus ordinibus, implicite offert se alteri examini, quo, si visum fuerit Episcopo ad majores provehatur: neque enim (saltem secundum hodiernam Ecclesiæ disciplinam) minores ordines sunt ordines (ut vocant) consistentiæ, sed sunt gradus quibus ad ordines majores aditus pateat: unde iis tantum conferri debent, de quibus est spes, quod ad majores tandem poterunt promoveri. *Cumque* (inquit Concilium Tridentinum sess. XXIII. cap. XI.) *hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus; nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* 4. Qui examini offert se se an ad majores ordines provehendus sit, non ob id se eorum dignum judicat: ac proinde reus non est præsumptionis. 5. Pluribus in Europæ partibus in Galliis præsertim, erecta sunt Seminaria ubi ut plurimum per annum probantur qui ad subdiaconatum evehendi sunt. At nemo vertet crimini adolescentibus quod postulent admissionem ad ejusmodi Seminaria ut tentent an a Deo vocentur ad sacros ordines, iisque donentur, ubi post probationem idonei judicati fuerint ab Episcopis.

Caput Secundum.

De morum probitate recipiendis ordinibus prærequisita.

Requiri gratiæ statum ut quis absque sacrilegio percipiat ordines, qui sint proprie dicta Sacramenta novæ legis, ratum est apud omnes: nec enim Ordo est Sacramentum mortuorum, seu quo quis per se, ex impio fiat justus. Certum quoque videtur eos exponere se periculo sacrilegii qui minores etiam ordines in statu peccati mortalis recipiunt: quippe quod, licet plures Theologi eos expungant ex Sacramentorum albo, non pauci sint, & quidem non ignoti nominis, qui post S. Thomam illos inter Sacramenta proprie dicta reponant. Iis igitur prætermissis duo hic expendemus. 1. An qui rei essent criminum occultorum, quondam arcerentur ab ordinatione. 2. An his etiam temporibus idem mos obtineat.

Conclusio 1. Criminum licet occultorum post Baptismum reos non licebat antiquitus sacris Ordinibus insignire, quamvis pœnitentia perfuncti fuissent.

Probatur 1. ex Canone 60. Apostolico: *Si adversus fidelem aliqua accusatio intendatur, vel fornicationis vel adulterii, vel alicujus alias prohibitæ actionis, & convictus fuerit, ad Clerum ne provehatur.* Concilium Nicænum primum depositionis sententia mulctat omnes Presbyteros cæterosque Clericos qui post baptismum lapsi, ordinati fuissent: *Si qui Presbyteri* (inquit Can. 9.) *sine examine sunt provecti, vel cum dis-*

cæteren-

cuterentur, peccata sua confessi sunt, & homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, talis regula non admittit; quia quod irreprehensibile est, Catholica defendit Ecclesia. Canone 10. idem præcipitur: *Quicumque de lapsis ad ordinem Cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, hoc Ecclesiasticæ non præjudicat regulæ, cogniti namque deponuntur.*

2. Eadem in Occidente obtinuit disciplina: *Subdiaconum* (inquit Synodus Eliberitana Can. 30.) *eum ordinari non debere qui in adolescentia sua fuerit mœchatus, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promovendus: si autem aliqui sunt in præteritum ordinati amoveantur.* Idem decernitur Canone 19. quarti Concilii Toletani: *Deinceps* (inquit) *qui non promoveantur ad Sacerdotium, ex regulis canonum necessarie credimus inserendum, idest, qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiæ nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam pœnitentiam admisisse confessi sunt.*

3. Tum in Oriente tum in Occidente majores nostri olim a sacris ordinibus arcebant eos omnes qui pœnitentia publica perfuncti fuissent, quod nempe ejusmodi pœnitentia præteritum peccatum, saltem occultum, præsupponeret: *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum* (inquit Siricius Ep. 1. cap. 14.) *ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipisci. Quia quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.* Eamdem praxim legere est in quarto Concilio Carthaginensi: *Ex pœnitentibus* (inquit can. 68.) *quamvis sit bonus, Clericus non ordinetur.*

4. Disciplina de qua est hic quæstio, fundamentum habet in Apostolo Epist. ad Titum cap. 1. hæc habet: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas & constituas per civitates Presbyteros sicut & ego disposui tibi:* Quales vero debeant esse ii Presbyteri, hisce verbis docet: *Si quis sine crimine est ..... Oportet Episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.* Eadem præcepit Epist. 1. ad Tim. cap. 3. & addit: *Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat & in laqueum diaboli.* Similem vitæ probitatem in Diaconis desiderat. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia bona. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.*

5. Quæ huc usque dicta sunt confirmat Augustinus, explicatque de quibus in specie criminibus tum Apostolus tum laudati hactenus canones intelligendi sint: *Ideo* (inquit) *Paulus quando eligit ordinandos, vel Presbyteros, vel Diaconos, vel quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait: Si quis sine peccato est, hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait: Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera hujusmodi.*

Conclusio 2. Post annum millesimum admissi sunt ad sacros ordines qui post condignam in occulto pœnitentiam eluissent commissa post Baptismum crimina.

Probatur 1. Post annum millesimum Clericis occulte lapsis, sed pœnitentia perfunctis passim restituta est ordinum suorum executio. Yvo Carnotensis Ep. 225. censuit ex rigore quidem canonum perpetua depositione damnari debere Presbyterum qui mendaciis & fraudibus ad eum se gradum extulerat: *Si* (inquit) *in eo rigor canonum servaretur, omni tempore ab inordinate accepto officio suspenderetur*; Sed cum sponte sua admissum a se scelus confessus fuisset, ex indulgentia illi condonandam esse ejusmodi culpam credidit. 2. Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis expresse asserit occultum crimen non esse ordinibus recipiendis impedimento: *Nec apud Deum* (inquit lib. 1. Epist. 56.) *reprobatur officium alicujus, propter culpam quam ipse ignoscit: nec apud homines dedecoratur sacri Ordinis dignitas propter personam, cujus ipsi peccatum non cognoscunt.* 3. Gratianus Dist. 1. fuse pertractat quæstionem, an post expletam scelerum pœnitentiam liceat ordinibus initiari, aut eorum prius receptorum fungi muneribus. Ubi multa pro diversis & oppositis sententiis Patrum testimonia protulit, concludit tandem hisce verbis quæ suæ ætatis disciplinam lectorum ponunt ob oculos: *Possunt & aliter distingui præmissæ auctoritates: Quorum enim crimina manifesta sunt, ante vel post ordinationem a sacris Ordinibus dejiciendi sunt. Quorum autem peccata occulta sunt, & satisfactione secreta secundum Sacerdotis edictam purgata, in propriis Ordinibus remanere possunt.* Ex iis veterum testimoniis perspicuum est post annum millesimum nonnumquam, sed ex Ecclesiæ indulgentia, admissos fuisse ad sacros Ordines, qui post baptismum inciderant in occulta flagitia, sed quæ purgassent condignis pœnitentiæ laboribus.

Quæres utrum indulgentia, quæ post annum millesimum invecta est in Ecclesiam, hac ætate locum habeat?

Resp. affirmative: seu eum qui in occultum flagitium lapsus est, posse promoveri ad sacros ordines, ubi tamen condigna pœnitentia crimen suum purgarit; & non alias. Ratio primæ partis petitur ex eo quod occulta flagitia quæ purgata fuissent per pœnitentiæ labores, jure tantum Ecclesiastico erant olim impedimentum ad ordinationem sacram: Ecclesia autem non privato bono sed publico consulens, abstulit illud impedimentum, ut tum ex locis quæ mox allata sunt, tum ex Decretalibus, tum ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. invictissime colligitur. Ratio alterius partis petitur ex jure naturali: eo enim jure impuri, flagitiosique homines indigni sunt, qui ad functiones sacras promoveantur: unde culpandi damnandique sunt qui recenter emersi ex flagitiis thuribulo manum admovent: qui licet pluribus spurcitiis carnem suam commaculaverint: tamen ubi brevi ac levi pœnitentia perfuncti sunt, audeant Episcopalium manuum impositioni se se subjicere, & nonnumquam etiam ambire regimen animarum. *Ingrediuntur cum macula tabernaculum Dei viventis* (inquit Bernardus, de Convers. ad Clericos cap. 9.) *inhabitant cum macula templum sanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi: quod tam gravissimas conscientias gerunt, & nihilominus se se ingerunt in sanctuarium Dei.* Qui eo impudentiæ progressi sunt, ut conscientia adhuc sceleribus saucia gradum conscendant cui alioquin impar est Angelorum sanctitas; Qui tam parum sunt cauti, ut nondum obductis propriorum vulnerum cicatricibus, alienorum plagas curare præsumant, meditentur serio piam hanc ac gravem S. Bernardi sententiam ad Brunonem, qui reus occultorum scelerum ad Archiepiscopatum Coloniensem electus fuerat: *Horreo considerans, unde, quo voceris, præsertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcumque hujusmodi periculosissimus transitus fiat: & quidem rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas studeas curare conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est, Miserere animæ tuæ placens Deo. Ex hoc autem ad miserandum proximo recto jam tramite charitas ordinata procedit, quippe quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur.* Ubi S. Doctor objecit sibi, quod his temporibus plerumque objicitur ab impuris quibusdam qui inhiant sacris ordinibus; fieri nimirum posse, ut impii diuturniori pœnitentia nondum purgatis Deus innocentiam per auxilia efficacia largiatur; respondet satis non esse ad ordines sacros, ad regimen animarum peccatorum veniam; contendit requiri præterea eam morum probitatem quæ tum pœnitentiæ, tum aliis pietatis operibus aucta, probataque fuerit: *Sed aliud est* (inquit) *celerem adipisci veniam peccatorum; aliud & de ipsis sceleribus ad infulas provehi dignitatum.* Responsum illud duplici confirmat exemplo: *Vide tamen Matthæum de telonio ad Apostolatus culmen assumptum: sed hoc me rursum conturbat, quod non prius audierit cum cæteris coapostolis suis, Ite in orbem universum; prædicate Evangelium omni creaturæ, quam egerit pœnitentiam,*

multo labore sequendo Dominum quocumque iret, permanens cum eo in tentationibus suis. Si de sæculo quoque factus repente Paulus, repente vas electionis, repente Doctor gentium, in exemplum adducitur: hoc exempli evacuat similitudinem, quod ideo ille misericordiam consecutus sit, quia ignorans, ipso teste, peccavit, manens in incredulitate, quamquam si tale quippiam quandoque bene & utiliter factum fuisse agnoscitur de quo veraciter dici possit: Hæc est mutatio dexteræ excelsi, non tam exemplum quam miraculum afferre debeat. Theologi partes non expleremus, si hic non moneremus lectorem quod licet ii qui occulte post baptismum lapsi sint, condignaque pœnitentia purgarunt flagitia, possint uti indulgentia per quam Ecclesia eos, ut solebat antiquitus, non arceat ab ordinibus sacris; tamen consultius acturi sunt si in statu laicali sua crimina defleant, nisi eos Ecclesia per Episcoporum ora ad sui subsidium, propter eminentes, quibus alioquin pollent animi dotes, specialiter advocaret; iis neque debet esse persuasum Conciliorum, quibus relaxata est antiqua disciplina, scopum ac mentem fuisse ut Ecclesiæ publicis necessitatibus non vero privatorum votis consuleretur.

CAPUT TERTIUM.

De Titulo ad sacram ordinationem requisito.

CONclusio 1. Per mille priores annos nulli Clerici ordinabantur sine Titulo Ecclesiastico, seu absque beneficio.

Probatur. 1. Ordinatio (ut patet ex dictis superius de proprio cujusque Clerici Episcopo) ita Clericum vindicabat potestati & jurisdictioni Episcopi a quo consecratus fuerat, ut, illo aut invito aut inscio, nihil ex iis quæ ad divina spectant, sive intra sive extra Diœcesim, pertentare posset. 2. Ordinatio particulari cuidam Ecclesiæ quemque Clericum ita illigabat ut residere in ea teneretur ac exhibere officia quæ recepto Ordini convenirent. 3. Ex ea residentia, ex præstitis obsequiis, Clerico jus erat ad portionem quæ sustentationi congrueret: jus autem illud proprie id erat quod nunc beneficium dicimus.

Tria illa canonibus quinque priorum sæculorum confirmanda sunt. *In quibuscumque locis ordinati fuerint ministri* (inquit Concilium Arelatense can. 1.) *in ipsis perseverent. Presbyteri & Diacones* (ait idem Concilium can. 21.) *si relictis locis suis in quibus ordinati sunt, ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.* In actis primi Ephesini Concilii part. 1. cap. 30. refertur libellus supplex Monachorum adversus Nestorium, ubi expostulant de illatis sibi contumeliis a Clericis, qui in suis Ecclesiis secundum Canones residere debuissent: *Opera atitur Clericorum quorumdam ab externis parœciis & a Diœcesibus adsestoram, quibus tamen secundum Ecclesiasticos canones in alieno Episcopatu, vel Ecclesia degere non licet, sed iis solum locis & civitatibus, idque quiete, quibus ordinati sunt.* Leo Magnus Epist. 86. hæc habet quæ disciplinam de qua agitur, invictissime confirment: *Illam quoque partem Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ olim a sanctis Patribus & a nobis sæpe decretum est, at nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti ordine Clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuiquam transire sit liberum, ut in integrum revocet admonemus. Et unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ibi, ubi ordinatus est, perseveret, ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem & Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio & a communionis vinculo habeatur extraneus.* Concilium Calcedonense quod anno 351. celebratum est, hæc habet Can. 6. *Nullum absolute ordinari, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is qui ordinetur, designetur. Eos autem qui absolute ordinantur, decrevit sancta Synodus irritam ac invalidam habere ejusmodi manuum impositionem, & nusquam exercere ac operari posse ad ejus qui ordinavit injuriam.*

Disciplina de qua in conclusione, confirmatur iterum decretis quæ sæculis VI. VII. VIII. IX. & X. sancita sunt. Gregorius Magnus Episcopo Syracusano injunxit, ut Clericos Bacandæ Episcopi ad eum redire compelleret, quo titulis quibus in ordinatione adscripti fuerunt, debitum officium exhiberent: *Indicavit nobis Bacanda frater & Coepiscopus noster* (inquit laudatus Pontifex lib. 3. Epist. 42.) *quosdam de Clero suo in Siciliæ partibus, ad sacros Ordines pervenisse. Qui quoniam neque Presbyterum, neque Diaconos se habere commemorat, eos ad se petiit debere transmitti. Proinde fraternitas tua, ubicumque illos repererit, huc eos sine dilatione transmittat, quatenus & illi ad Ecclesiam, in quam olim militaverunt, revocentur, & antedictus Episcopus optatum de eis possit habere solatium.* Quod Gregorius in Occidente sexto sæculo labente curavit executioni mandari, legibus etiam civilibus antea confirmata fuerant in Oriente a Justiniano Imperatore: *Quod hactenus indecenter fiebat* (inquit Novel. 3. c. 2.) *nequaquam in Republica geratur, idest, nullus Reverendissimorum Clericorum dedignari quidem in iis quibus ordinati sunt, sanctissimis Ecclesiis, aut hic aut Provinciis deservire; ad sanctissimam vero majorem Ecclesiam & venerabilem Clerum ejus per patrocinium quodlibet accedere. Quod de cætero fieri omnino prohibemus.*

Concilium Francofordiense quod anno 794. habitum est, eamdem Clericorum residentiam præscribit can. 27. *De Clericis, ut nequaquam de Ecclesia ad aliam Ecclesiam transmigrent, neque recipiantur sine conscientia Episcopi & litteris commendatitiis, de cujus Diœcesi fuerunt.* Canone 28. eadem Synodus absolute proscribit vagas ordinationes, seu, eas, in quibus Clericus nulli addicebatur Ecclesiæ in qua receptos ordines exerceret, *Ut non absolute ordinentur.* In Capitularibus Caroli Magni quæ prodierunt seculo nono, idem edicitur. Lib. 5. c. 108. Episcopis præcipitur ut eum Parochiales Ecclesias Presbyteris administrandas committunt, cogant eos stabilitatem profiteri: *Ut Presbyteri qui in titulis consecrantur, secundum Canones antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant.*

Post annum etiam millesimum viguit aliquandiu eadem disciplina. In Concilio Placentino quod anno 1095. celebratum est, irrita pronunciata est ordinatio quæ sine titulo fieret: *Ut sine Titulo facta ordinatio, irrita habeatur.* Concilium Claromontanum quod habitum est eodem anno conceptis terminis prohibuit ne quis ordinaretur nisi sub unius Ecclesiæ titulo: *Ut omnis Clericus ad eum Titulum ad quem primum est ordinatus, semper ordinetur.*

Praxis de qua agitur duplex quondam erat exceptio. Ordinabantur nimirum sine titulo Ecclesiastico ii quibus vis inferebatur, seu, qui ab Episcopis ad ordinationem compellebantur: id in Hieronymo patet, qui ea lege ordinari consensit a Paulino Episcopo Antiocheno, ut illius Ecclesiæ non adscriberetur. Idem quoque videre est in Paulino qui Epist. 6. ad Severum hæc habet de ordinatione qua insignitus est a Lampio Barcinonensi: *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiæ non alligarer in Sacerdotium Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.* Transire quoque poterant Clerici in aliam Ecclesiam, cum ea cui per ordinationem adscripti fuerant, diruta fuisset: *Præter illos* (inquit Concilium Calcedonense can. 20.) *qui amissa sua patria, in aliam Ecclesiam necessario transierunt.*

Conclusio 2. Post undecimum sæculum cœpit usus ordinandi Clericos sine titulo Ecclesiastico.

Probatur. Concilium Lateranense III. quod anno 1179. celebratum est sub Alexandro Papa III. hanc antiquioribus canonibus addidit pœnam in Episcopos, qui absque titulo Ecclesiastico Presbyteros aut Diaconos consecrassent: *Episcopus, si aliquem sine certo Titulo, de quo necessaria vitæ percipiat in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia*

mini-

militiæ Clericalis assignet. Nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit qui de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere. Concilium Londinense quod habitum est anno 1200. laudatum canonem Lateranensem promulgavit, extenditque ad Subdiaconos: *Idem* (inquit can. 6.) *in Subdiaconi ordinatione statuimus.* Nonnullis canonistis visum est mox laudato Concilii Lateranensis canone Episcopis factam fuisse facultatem Clericos majores ordinandi absque titulo Ecclesiastico: Verum nihil est ex quo id eliciatur; hoc scilicet unum antiquo juri additur ut Episcopus de necessariis provideat Presbyteris & Diaconis quos absque beneficii titulo consecraverit.

Licet Concilium Lateranense antiquos canones de necessitate Ecclesiastici tituli non rescident: occasioni tamen fuit alteri disciplinæ quæ mox invaluit, ordinandi nempe Clericos sub titulo patrimonii. *Sine titulo patrimoniali centum solidorum ad minus, vel beneficio competenti* (inquit Concilium Biterrense quod anno 1223. habitum est) *nullatenus admittatur.* Idem Concilium eos rejicit in Simoniacorum classem qui quos ordinabant, juramento astringebant nihil unquam sibi creaturos molestiæ de patrimonialis vel Ecclesiastici tituli tenuitate. Usui illi robur additum est ubi Canon Lateranensis promulgatus fuit in Decretalibus Gregorii Papæ IX. Ab eo nimirum tempore passim invaluit praxis ordinandi aut sub titulo Ecclesiastico aut sub titulo patrimonii.

Concilium Tridentinum disciplinam illam sess. 21. cap. 2. de ref. probavit. Constituit nempe nullum sæcularem Clericum ad sacros Ordines promoveri posse, nisi aut beneficium obtineat quo honeste sustentari possit, aut patrimonialem titulum quod satis sit ad honestum victum. In eos vero qui sine titulo aut beneficii aut patrimonii scienter ordinationem receperint; innovat antiquos: Placet ipsummet Concilii decretum lectoris ob oculos ponere: *Cum non deceat eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo fere delectu admitti; qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia & ætate, ut ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit: & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoque prius respecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint; donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint; antiquorum canonum pœnas super his innovando.*

Cæterum duplex est Canonistarum opinio circa illud Concilii Tridentini decretum. Prior asserit eo innovari suspensionis pœnam quæ per caput *Neminem* & caput *Sanctorum* lata erat in eos qui scienter absque titulo promoti fuissent ad Majores ordines. Altera docet innovari tantum Decretales Gregorianas Cap. *Jam dudum* C. *Non licet* & cap. *Episcopus* Titul. de Præbendis, quibus quidem capitibus obliterata videbatur suspensionis pœna lata, antiquis canonibus quos complectitur decretum Gratiani, hocque unum præscribitur ut Episcopus eos alat quos absque titulo consecraverit. Alteri isti sententiæ robur additum est ex declaratione quæ emanavit a congregatione declarandis Tridentinis decretis proposita, edixit nimirum innovari pœnas non quæ decreto Gratiani, sed quæ in Gregorii Decretalibus continentur, Contrariam bullam promulgarat Sixtus Papa V. sed a Clemente Papa VIII. revocata fuit.

Hic lector advertat oportet Gregorianas Decretales nusquam jus antiquum decreto Gratiani contentum revocasse quoad Clericos, qui falsis, ac fraudulentis titulis Episcopis illusissent: unde ex decreto Concilii Tridentini, viget in eos Clericos lex de suspensione quam antiqui canones contra eos tulerunt qui sub fictitiis titulis scienter ordinati fuissent.

Advertat iterum necesse est decretum de Titulis latum a Concilio Tridentino fuisse in Galliis promulgatum a Synodis Provincialibus, Rhemensi anni 1564. Rotomagensi anni 1581. Burdigalensi ann. 1571. Turonensi ann. 1538. Aquensi ann. 2583. Tolosana anni 1590. Synodalium illarum Constitutionum praxim edictis, Aurelianensi, articulis 12. 13. 14. & Blesensi, art. 17. Francorum Reges confirmarunt.

CAPUT QUARTUM.

De scientia Ordinationi sacræ prærequisita.

CONclusio 1. Scientia sacræ Ordinationi prærequiritur.

Probatur 1. ex Scriptura. Divinæ veritatis dispensatio Clericis a Deo credita est, Deuteronomii 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, &c. venies ad Sacerdotes Levitici generis.* Aggei 2. *Interroga Sacerdotem legem.* Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirent.* Clericis igitur necessaria est scientia: neque enim populos docere possunt quod eos latuerit. Dotem illam adumbrabant antiquitus duo hæc verba Rationali Summi Judæorum Pontificis inscripta, *Doctrina & veritas*, id saltem visum est Hieronymo qui in caput 2. Malachiæ sic loquitur: *Idcirco in Sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali Doctrina & veritas ponitur, ut discamus Sacerdotem doctum esse debere & præconem Dominicæ veritatis.*

Idem colligitur ex officiis quæ Clericis Scriptura variis in locis tribuit. Vocantur nonnumquam populorum pastores, animarum judices, medici, Ecclesiæ speculatores, Christi legati. At iis muneribus perfungi non possunt nisi doctrina emineant; unde Christus Matth. 23. sic Pharisæos increpat, *Væ vobis duces cæci*, sic Concilium Lateranense Can. *Omnis utriusque sexus* quemque Sacerdotem admonet. *Ut more periti medici vinum & oleum infundere valeat vulneribus sauciati*; sic etiam apud Gratianum de Pœnit. dist. 6. *Caveat spiritualis judex, ut sicut non commisit crimen nequitiæ; ita non careat munere scientiæ. Oportet ut sciat cognoscere quidquid debet judicare. Judiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet judicare discernat.* Sic etiam apud Ezechielem cap. 33. iidem Sacerdotes Divino gregi invigilare jubentur, ne scilicet erroribus aut vitiis deturpentur: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel*: Quo vero ad ea verba evigilent qui dormiunt speculatores, hæc habet author lib. de vita Contempl. cap. 20. *Quis tam saxeus, quis tam ferreus quem sententia ista non percellat?* Innumera sunt in novo Testamento loca quibus idem adstruitur: ex iis locis hanc Pauli sententiam satis sit delibasse. *Oportet* (inquit ad Titum c. 1.) *Episcopum*, quo nomine etiam intelligitur Presbyter, *doctorem esse ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*; in quæ quidem verba hæc habet Hieronymus: *Hic locus adversus eos facit qui se in artium studio & somno dedunt, non animadvertentes Apostolum post catalogum conversationis, Episcopi etiam doctrinam similiter præcepisse.*

Probatur secundo ex Conciliis. Concilium Toletanum IV. quod quidem refertur a Gratiano 36. C. *Ignorantia*, hæc habet: *Ignorantia mater cunctorum errorum maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi in populis officium susceperunt.* Concilium Cabilonense II. hæc habet de eodem argumento: *Decernimus juxta sanctarum Scripturarum doctrinam, ut Episcopi, & similiter (servata proportione) alii Ordines Ecclesiastici, assidui sint in lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, & verborum*

Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent. Concilium Aquisgranense Can. 20. sic loquitur: *Tam doctrina quam vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor; nam doctrina sine vita arrogantem facit; vita sine doctrina inutilem reddit.* Tridentina Synodus sess. 23. præcipit ut ii tantum Sacerdotes ordinentur quibus satis sit scientiæ: *Ad docendum populum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, atque administranda Sacramenta diligenti examine idonei comprobeatur.*

Iis quæ huc usque dicta sunt, robur additur ex jure Canonico quod *Illitteratos, litterarum ignaros* tanquam irregulares arceri jubet a sacris Ordinibus, definitque in ea irregularitate nusquam posse dispensari: *Nemo* (inquit Gelasius Papa apud Gratianum Dist. 36. C. 1.) *illiteratos ad Clericatus ordinem promovere præsumat, quia litteris carens, sacris non potest aptus esse officiis*, ne ipsis quidem fundendis pro populo precibus: *Quid jam* (ait Cardinalis Petrus Damiani in Opusc. contra inscitam Cleric. Rom. cap. 12.) *pro populo in suis precibus supplicat, qui quod loquitur ipse velut alienus ignorat? Et cum Apostolus obsequium nostrum rationabile esse præcipiat: quomodo illic rationabile erit obsequium, ubi is qui offert, oblationis suæ non concipit intellectum?* Id ita certum fuit Patribus ut docuerint in ipsa etiam Ecclesiarum necessitate illitteratos ordinari non debere: *Satius est* (verba sunt Innocentii Papæ III.) *maxime in ordinatione Sacerdotum paucos bonos quam multos malos habere ministros, quia si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam dilabuntur.* Qui populis illitteratos præficiunt, tantum abest ut prosint, quin potius noceant eis quam maxime: *Non est hoc consulere populis* (inquit Leo Magnus Epist. 87.) *sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen.*

Patres illitterotus ita sacris Ordinibus ineptos judicarunt, ut eos si per ordinatorum negligentiam irrepsissent, interdixerint ordinum functionibus donec convenientem ordini scientiam fuissent adepti: *Quamquam* (ait apud Antonium Augustinum lib. 6. Tit. 9 Concilium Romanum sub Eugenio Papa II.) *admonita Doctorum & statuta Patrum Sacerdotes indoctos prohibeant consecrari; opportuni temporis moderatione si Episcopus inveniatur indoctus, a Metropolitano proprio, & deinceps Sacerdotes, Presbyteri, Diaconi, vel etiam Subdiaconi a suo Episcopo ut doceri possint, admoneantur. Interim subjecti Sacerdotes & tales Clerici ad tempus a celebratione divinæ hostiæ & officiis suspendantur, ut docti valeant ad debitum ministerium advenire.*

Quæres num lex de excludendis ab ordinatione illitteratis eos etiam spectet qui non sunt præficiendi ad regimen animarum?

Resp. affirmative. Ratio est, 1. quia Concilia, cum indoctos arcent ab ordinatione, nusquam inter Clericos (ut jam vocant) simplices, & inter Parochos distinguunt. In utrisque igitur scientia ordinationi prærequiritur. 2. Singuli Presbyteri, cum ordinantur, hæc audiunt ab Episcopo consecrante: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare & baptizare .... Si doctrina vestra populo Dei spiritualis medicina.* 3. Presbyteri quibus animarum cura non incumbit, debent offerre sacrificium, mores ad Scripturæ & canonum regulas componere; fidem Catholicam, ubi, iis præsentibus, ab impiis impetitur, tueri; Pœnitentiæ Sacramentum in causa necessitatis administrare. At quomodo, si debita scientia careat, iis ut par est, officiis persungentur?

Conclusio 2. Clericos, antequam ad sacros Ordines promoveantur, scrutari oportet de Scripturis, Conciliorum canonibus, de mysteriis Religionis Christianæ, de Sacramentis, de Theologia Morali.

Probatur prior conclusionis pars 1. ex eo quod Scriptura fons sit & origo veritatum omnium quæ tum ad fidem tum ad mores pertinent: unde Apostolus ait eam ad omnia esse utilem: *Omnis Scriptura* (inquit 2. ad Timoth. 3.) *divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum.* 2. Canones illud examen præcipiunt. *Sciant Sacerdotes* (inquit Toletanum Concilium V.) *Scripturas sanctas, & Canones meditentur.* Eodem spectant hæc verba III. Concilii Turonensis quod sub Carolo Magno habitum est; *Sanctum Evangelium & Epistolas B. Pauli Apostoli non solum crebro legitent, sed etiam quantum possunt, studeant memoriæ commendare.* Quanta autem, seu, quo usque progredi debent Scripturarum necessaria Clericis peritia, docet S. Carolus Act. Mediol. lib. 2. Tit. Quæ ad Ord. & Exam. pertinent, ubi definit probari debere Clericos, *An apti sint ad sensus percipiendos non solum qui ad Grammaticæ intelligentiam sumuntur; verum etiam interiores illos sanctioresque tum ad Christi Ecclesiæque mysteria quam ad spiritualis vitæ modum pertinentes.*

Probatur altera conclusionis pars 1. ex Concilio Aurelianensi IV. *Parochiani* (inquit can. 6.) *Clerici necessaria sibi statuta Canonum legenda percipiant, ne se ipsi vel populi quæ pro eorum salute decreta sunt, excusent postmodum ignorasse.* 2. Ex altera Cabilonensi sub Leone III. *Cum* (ait can. 37.) *omnia Concilia Canonum qui recipiuntur, sint a Sacerdotibus legenda atque intelligenda, & per ea sit eis vivendum & prædicandum; necessarium duximus ut ea quæ ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis & plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis crebro legatur, & bene intelligatur & populis prædicetur.* 3. Ex Concilio Tridentino Clerici tenentur servare canones, ac proinde calleant eos oportet: *Sciant universi* (ait sess. 25. de reform. cap. 18.) *sacratissimos canones ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos.* 4. S. Carolus eos qui ad beneficia admittendi sunt, examinari vult de peritia canonum: *An aliquam* (inquit in Act. Eccl. Mediol.) *sacrorum canonum notitiam habeant, & præcipue quoad Tridentinum, & Provincialia Concilia Synodosque Diœcesanas attinet.*

Probatur tertia pars conclusionis 1. ex Concil. Trid. *Hi sint* (inquit sess. 23. de reform. cap. 14. ubi agit de promovendis ad Sacerdotium) *qui ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.* 2. Idem docuit S. Carolus in V. Concilio Mediolanensi parte 3. præcipit enim ut qui consecrandi sunt Presbyteri examinentur: *An doctrinam teneant qua verbum Dei recte tractare possint, atque de omni re ad salutem necessaria apte populum instruere.*

Probatur quarta conclusionis pars 1. ex eo quod Clerici teneantur fideles docere Dei legem, ac proinde regulas ad quas debeant mores componere. 2. Cum illæ regulæ Scriptura & Traditione (ut ait Concilium Tridentinum) contineantur, Scripturæ & traditionis lectioni seriam ac diligentem operam dent oportet. 3. Inde consequitur quod inexcusabiles sint ubi fideli populo novas quorumdam recentiorum Casuistarum opiniones obtrudunt veritatis loco; Ubi parum de veritate solliciti, adhærent probabilitati quam pro morum regula quosdam contra veterem traditionem nuper in Ecclesiam invexisse variis argumentis ostendimus Tomo II. libri quem inscripsimus, *Institutiones Theologicæ ad usum Seminariorum.* Clericis omnibus permecessaria est saluberrima hæc Cardinalis Bellarmini ad Episcopum Theanensem, nepotem suum admonitio: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere. & non respicere quid multi hoc tempore dicant aut faciant: & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa re cum de salute æterna tractatur, & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conscientia non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur ..... Non debet respicere quid multi hoc tempore dicant, vel faciant; sed certam veritatem inquirere.*

Quæ huc usque dicta sunt de scientia quæ sacræ Ordinationi prærequiritur, multis ab hinc sæculis tradidit Aquisgranense Concilium sub Gregorio V. & Ludovico Pio, hos enim canones promulgavit.

I. *Vi-*

I. *Visum est in omnibus unumquemque Pontificem scire oportere fidem sinceram, idest qualiter illam fidem, ac credulitatem sanctæ Trinitatis in unitate Deitatis sibi tenere atque credere conveniat, ac cæteros perfecte instruere qualiter & ipsi credendo salvi fieri possint.*

II. *Summi itaque Sacerdotes inexcusabiliter nosse oportet, ut ex veteris novique Testamenti scriptis, quæ vera sunt salutique omnium proficua proferre docte sciant &c.*

III. *Nec minus medicinam spiritualem, consiliumque salubre animarum Pastores populi scire oportet, uti medicos spirituales, asserente sanctissimo Pontifice Gregorio, quia est Ars artium regimen animarum. Quis autem interiora vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? & ideo metuendum est cordis se esse medicos profiteri Sacerdotes ministerii sui ignaros.*

IV. *Convenit insuper Sacerdotali ministerio scire formam Evangelicam, documenta Apostolica, Canonum instituta, normam regulæ Pastoralis a S. Pontifice Gregorio editæ, ne, juxta eumdem SS. Virum ab imperitis (quod absit) Pastorale magisterium aliqua temeritate usurpetur, aut vilescat.*

V. *Sed & hoc scire convenit quantum rector sacræ legis meditationibus debeat esse intentus, juxta quod in libro Pastorali habetur, idest quod omne bonum rite a rectore agitur, si supernæ formidinis & dilectionis spiritu afflatus studiose quotidie sacri eloquii præcepta meditetur, ut in eo vim sollicitudinis & erga cælestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent; & qui ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium ducitur, ad morem semper patriæ compunctionis aspiratione renovetur?*

VI. *Sic denique ignorare non licet quanta debent esse diversitas atque discretio in arte prædicationis, prout in libro pastorali digestum habetur, ita inquiente sancto Gregorio, ut enim ante nos reverendæ memoriæ Gregorius Nazianzenus edocuit, non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit: sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Ideoque rector scire debet discretiones personarum, quæ in eodem libro a plenius scire volentibus inveniri possunt.*

VII. *Similiter scire convenit Præsulibus res Ecclesiasticas, non as proprias, sed a Domino sibi pro aliorum necessitate commissas, atque juxta Prosperi documentum, nihil aliud esse res Ecclesiæ, quam vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.*

Quæres an minoribus etiam Clericis tum Scripturæ, tum Canonum peritia necessaria sit.

Resp. neminem (ut superius observatum est ex Concilio Tridentino) promoveri debere ad Minores ordines, nisi scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat: ac proinde nisi Episcopus judicaverit eum pollere ingenio, quod Scripturarum & Canonum scientiæ comparandæ idoneum sit.

QUÆSTIO OCTAVA.

De ritibus sacræ Ordinationis in Communi.

NON omnes hic exponemus sacræ Ordinationis ritus, sed hos tantum: Locum, in quo fieri debet; Tempus quo solita est celebrari, & Interstitia, quæ inter quosque ordines ex præscripto canonum servanda sunt.

CAPUT PRIMUM.

De sacræ Ordinationis loco?

CONclusio: Ordinatio celebrari debet in loco *Proprio, Sacro, & Publico*:

Probatur prior conclusionis pars 1. ex canonibus quibus prohibetur ne quis Episcopus absque expressa Ordinarii licentia, Pontificalia in aliena Diœcesi exerceat. 2. Ordinatio est solemnis actus jurisdictionis: jurisdictionem vero nullus potest exercere in alieno territorio.

Quæres 1. utrum Episcopus Clericum sibi subditum ordinare possit in aliena Diœcesi?

Resp. id nec jure antiquo, nec novo licere. Nam 1. hæc habet Concilium Antiochenum can. 22. *Episcopus alienam civitatem, quæ non est illi subjecta, non adeat: nec ad possessionem accedat, quæ ad eum non pertinet super ordinationem cujusquam: nec constituat Presbyteros aut Diaconos alteri subjectos Episcopo, nisi forte cum consilio & voluntate regionis Episcopi. Si quis autem tale aliquid facere tentaverit, irrita sit ejus ordinatio, & ipse coerceatur a Synodo. Nam si ordinare non potuerit, nullatenus judicabit.* Idem statuit Concilium Tridentinum sess. 6. c. 5. de reform. *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere nisi de Ordinarii loci expressa licentia & in personas eidem ordinario subjectas tantum: si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.*

Quæres 2. utrum canones quibus ordinatio in aliena Diœcesi prohibetur, intelligi debeant tantum de sacris Ordinibus, an etiam de minoribus, & de ipsa etiam Tonsura Clericali?

Resp. 1. negative, si quæstio sit de Græcis; Balsamon enim in can. 14. Apostolicum testatur ex Imperatoria jussione, cui non obstabant canones, quondam Episcopis licuisse Lectoratum conferre in aliena Diœcesi. Usum illum confirmat ex mox laudata Antiochena Synodo, quæ ubi subditorum ordinationem in alieno territorio vetat, Presbyteratus tantum & Diaconatus meminit.

Resp. 2. affirmative, si controversia sit de Latinis. Ratio est, quia (ut patet ex Concilio Tridentino) vetantur omnia Pontificalia in aliena Diœcesi: At Pontificalia non Ordines majores tantum, sed minores ipsam etiam Tonsuram Clericalem complectuntur.

Quæres 3. Qua pœna mulctentur Episcopi, qui Pontificalia in aliena Diœcesi exercuerint?

Resp. mulctari eos depositione secundum canon. 35. Apost. *Episcopus ne audeat extra suos fines facere ordinationes... Si autem hoc fecisse convictus fuerit, deponatur & ipse & ii quos ordinavit.* Antiochenum Concilium Episcopum illum arcet a Synodo Provinciali; ac in posterum activa ordinatione interdicit. Concilium Tridentinum damnat eum interdicto ab omni Pontificalium exercitio.

Probatur altera conclusionis pars, nempe quod Sacræ, & majoris Ordinationis locus debeat esse sacer. 1. Majores ordines non possunt conferri nisi intra missarum solemnia: ea de causa non conferebantur antiquitus, nisi ubi Catechumeni ex Ecclesia, dicente Diacono ejecti fuissent. 2. E contra, Ordines minores & Tonsura Clericalis extra locum sacrum aliquando licite conferri possunt ex consuetudine; cui quidem consuetudini favet Pontificale Romanum, ubi asserit minores Ordines *quocumque loco, ubicumque posse conferri*. Nec id mirum videri debet cum valde sit dubium utrum illi ordines sint Sacramenta & cum aliunde certum sit eos remote tantum pertinere ad Eucharistiæ confectionem.

Probatur tertia pars conclusionis, scilicet Ordinationem celebrari debere in loco publico. 1. Apostoli Matthiam publico in conventu fratrum Judæ proditori suffecerunt. Primis Ecclesiæ Diaconis manus, convocata omni plebe, impositæ sunt. 2. Sæviente persecutione curarunt majores nostri, ut passim ordinationes non nisi præsente Ecclesia celebrarentur, at videre est in Cornelii consecratione in Romanum Pontificem; de qua quidem consecratione multa loquitur Cypr. Epist. 52. ad Antonianum. 3. Ubi pax affulsit Ecclesiæ Catholicæ, ordines passim non fuere collati nisi in templis ad quæ fideles confluxissent: Illius vero disciplinæ hæc ratio redditur a Cyp.

Ep.

Epist. 68. *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, idest, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia, fieri oportere, ut, plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; & sit ordinatio justa, & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Concilium Tridentinum majorum nostrorum vestigiis inhærens hæc habet sess. 23. de reform. cap. 8. *Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus, ac in Ecclesia Cathedrali vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur: si autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.*

Caput Secundum.

De Sacro Ordinationis tempore.

Tempus quo celebrari debet ordinatio sacra, complectitur menses, dies & horas; quærendum est igitur quibus anni mensibus, quibus hebdumadæ diebus, quibus diei horis ordines conferri debeant.

Conclusio 1. Circa anni menses, quibus sacra Ordinatio celebrari debeat, non una & eadem semper extitit Ecclesiæ disciplina.

Probatur 1. Apostoli non ad unum potius quam alium anni mensem attenderunt ut conferrent ordines: pro locorum nimirum necessitate, & occurrente opportunitate ministros variis in regionibus constituerunt.

2. Summi Pontifices a Clemente usque ad Simplicium, solo mense Decembri contulerunt ordines sacros; solius enim illius mensis meminit Anastasius Bibliothecarius in Summorum Pontificum vitis quas usque ad Nicolaum Papam I. perduxit.

3. Monumentis veteribus sancitum est ne generales ordinationes fiant extra quatuor jejuniorum tempora. Sabbatum quod immediate præcedit Dominicam Passionis, & sanctum Sabbatum seu quod celebratur pridie Paschatis. Idque patet ex Gelasii Episcopos per Lucaniam constitutos: *Ordinationes* (inquit) *Presbyterorum & Diaconorum nisi certis temporibus, & diebus exerceri non debent, idest, quarti mensis jejunio, septimi & decimi, sed etiam Quadragesimalis initii, ac medianæ hebdomadæ & Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Patet etiam ex Urbano Papa II. qui hæc habet in Conc. Claromont. *Ne fiant* (ait) *ordinationes nisi quatuor certis temporibus, & Sabbato, mediante Quadragesima, & tunc protrahatur jejunium usque ad vesperas.* Patet denique ex Alexandro Papa III. qui in responso ad Episcopum Herfordiensem proscribit consuetudinem quæ in nonnullis Scotiæ Ecclesiis invaluerant, Clericos nimirum promovendi ad sacros Ordines in dedicationibus Ecclesiarum, vel Altarum, extra jejunia Quatuor temporum: *Significamus* (inquit) *quod consuetudo illa* (utpote institutioni Ecclesiasticæ inimica) *est penitus improbanda. Et nisi multitudo, & antiqua consuetudo terræ esset, taliter ordinati non deberent in susceptis ordinibus ministrare: nam apud nos sic ordinati deponerentur, & ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.* Ad ea antiqua Ecclesiastica monumenta allusit Trid. Synod. sess. 23. cap. 8. de reform. *Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus publice celebrentur,*

Quæres qua pœna mulctentur qui extra statuta a jure tempora ordinati fuerint.

Resp. mulctari eos suspensione, & consequenter irregularitate, si postea suorum ordinum exercitio functi fuerint. Petitur ea responsio 1. ex mox laudato ad Episcopum Herfordiensem Alexandri Papæ III responso. Petitur 2. ex Urbano III. qui ad Archiep. Pisan. rescrip. in hæc verba: *Episcopum, qui die, quo non debuit, ordinationes celebravit, Canonica disciplina corrige, & ordinatos a susceptis ordinibus tamdiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur.* Petitur 3. ex Pii Papæ II. Bulla, quæ incipit, *Cum ex sacrorum*, ubi declaratur, *Quod omnes & singuli qui absque dispensatione canonica .... extra tempora a jure statuta .... ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, a suorum ordinum executione ipso jure suspensi fiat, & si hujusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumant, eo ipso irregularitatem incurrant.* Petitur 4. ex Sixti Papæ V. Bulla quæ incipit *Sanctum & salutare*, quaque confirmatur edita a Pio II. additurque ut sic ordinatis non pateat ascensus ad superiores ordines. Advertat lector Concilium Tridentinum, quo innovata est lex de non celebrandis ordinationibus extra statuta a jure tempora, non meminisse suspensionis qua castigari debeant qui extra statuta tempora ordinati fuerint. Ex eo Concilii silentio Hallierius in suo tractatu de sacris ordinationibus pag. 867. colligit sacram Synodum voluisse rem illam dirimi jure apud unamquamque regionem recepto. Addit mox laudatas tam Pii II. tum Sixti V. Bullas in Galliis receptas non fuisse; ideoque eum qui extra tempora a jure statuta ordinatus fuerit, non esse ipso facto suspensum in Galliis. Verum præterquam quod in nonnullis Galliarum provinciis Pii II. constitutio expresse promulgata est, ut patet ex Concilio Aquensi anno 1585. titul. de iis quæ ad Sacramenti Ordinis administrationem pertinent, suspensionis pœna ipso jure communi in eos decernitur qui extra statuta tempora absque legitima dispensatione ordinati fuerint ac proinde locum habet etiam in Galliis, quamvis Concilium Tridentinum, aut Synodi Provinciales illius non meminerint.

Conclusio 2. Solo die Sabbati licet sacros ordines conferre.

Probatur 1. de Presbyteratu & Diaconatu ex laudata hoc in capite Gelasii Epist. ad Episcopos per Lucaniam constitutos. Eamdem diem Gregorius Papa II. præfigit in Epist. ad Cler. & popul. Turing. ubi sic loquitur: *Ordinationes vero Presbyterorum, sive Diaconorum, non nisi quarti, septimi & decimi mensis jejuniis, sed & ingressu Quadragesimali, atque medio vespere Sabbati noverit celebrandas.* 2 Idem de Subdiaconorum ordinatione statuitur ab Alexandro Papa III. in Epist. Decretali ad Londinensem Episcopum ubi hæc habentur: *Subdiaconos autem nulli nisi Romano Pontifici liceat in diebus Dominicis ordinare.*

Excipi debent ab ea regula 1. Græci ac cæteri Christiani Orientales sive Catholici, sive hæretici apud quos nullus certus dies, nullum determinatum tempus ordinationi celebrandæ præfixa sunt: quovis nimirum anni tempore, quavis intra hebdumadam die ordines, etiam majores, conferunt: per Quadragesimam tamen Presbyteros non consecrant nisi Sabbatis, Dominica & Festo Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ; nec mirum; aliis enim intra Quadragesimam diebus non offerunt missæ sacrificium. Sed idem non est de Diaconis dicendum; quippe quod eos ordinent quolibet Præsanctificatorum die, ut constat ex Euchologio, Titul. *De ordinatione Diaconi.* Excipi quoque debent 2. ii quibus legitima dispensatio concessa fuerit a Summo Pontifice: possunt nempe die qualibet ordinari, cum certum sit Papam, ubi Ecclesiæ expedire judicarit, posse dispensare circa canonum observationem.

Conclusio 3. Circa diei horam, qua celebrari debent ordinationes sacræ, non omni tempore idem fuit usus.

Probatur 1. Antiquitus ordinatio celebrari consueverat sub vesperam diei Sabbati: ita ut si copiosa foret ordinandorum multitudo, ordinatio ad initium usque Dominicæ diei protraheratur. Ea disciplina patet ex Leone Magno. Epist. 81. quæ est ad Dioc. Alex. ubi sic loquitur: *Quod ergo a Patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis vel Levitica Ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati ejus noctis quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur .... in quibus his qui consecrandi sunt, jejunis & a jejunantibus sacra benedictio conferatur .... Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur, a quo tempo-*

re

ut præcedentis noctis initia non recedant quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur pertinere, non dubium est. Patet 2. ex Concilio Lemovicensi, quod quidem actione 2. decernit: *Quod si tanta multitudo fuerit ordinandorum & Sabbato non possit Episcopus omnes consecrare, in crastinam Dominicam usque ad horam sextam a mane qui superfuerint, debeant ordinari, alias autem, nisi causa grandis necessitatis, de Diaconatu tantum vel Presbyteratu oportet ordinationes agi; & in hoc nulla festivitate, nisi Dominica die, quam tamen jejunium generale in Sabbato præcesserit.*

Conclusio 4. Non Sabbati matutinis horis, sed serotinis tantum quondam ordinationes celebrari inceptæ, ad Dominicam usque diem protrahebantur.

Probatur 1. mox laudata authoritate Leonis Magni. *Post diem* (inquit) *Sabbati ejus noctis quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur*, idest, die Sabbati post occasum solis &c. 2. ex Urbano Papa II. qui in Concilio Claromontano eam disciplinam hisce verbis commendat. *Si fieri potest, protrahatur jejunium usque ad crastinum, ut magis appareat in die Dominica ordines fieri.* Inde colligitur noctu præsertim datam fuisse operam ordinationibus celebrandis: id antiqui Patres merito nonnumquam observarunt, seu ordinationes die Dominica solitas fuisse celebrari: *Et ideo* (verba sunt Leonis Magni in Epist. 79. ad Diosc. Alexandr.) *pie & laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum Sacerdotum formam per Ecclesias quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse servaveris: ut his, qui consecrandi sunt, numquam benedictiones nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuantur, cui a vespera Sabbati initium constat adscribi, & quæ tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata &c.*

Nec obest consuetudo quæ semper viguit apud Occidentales, conferendi nimirum sacros Ordines intra Missarum solemnia: Non obest (inquam) cum antiquitus ad vesperam haberentur Missarum solemnia iis diebus quibus ordinationes celebrari debebant. Hic monendi sunt Lectores 1. quod cum antiquus ille usus abierit in desuetudinem, invalueritque quingentis saltem abhinc annis consuetudo sacros Ordines matutinis horis conferendi, jam non liceat sub Sabbati vesperam eos celebrare: ejusmodi enim consuetudo vim habet legis.

Monendi sunt 2. ea quæ hactenus de tempore ordinationis a nobis dicta sunt, intelligi non debere de tonsura Clericali: Eam enim qualibet anni die, quacumque diei hora posse conferri docet Pontificale Romanum. Intelligi pariter non debent de minoribus ordinibus. Certum est nempe eos dari posse singulis Dominicis, & Festivis diebus duplicibus, & quidem matutinis horis, præterquam in locis, in quibus viget consuetudo eos nonnumquam conferendi serotinis, ut in Galliis ubi pridie solemnis ordinationis Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum nonnumquam dari solent ab Episcopis, ut die Sabbati per tempus liceat sacros Ordines majori cum apparatu celebrare.

CAPUT TERTIUM.

De Interstitiis inter Ordines servandis.

CONclusio. Circa interstitia quæ inter Ordines servari debent, una non fuit semper ac eadem Ecclesiæ disciplina.

Probatur. 1. Concilium Sardicense can. 10. definit neminem donari debere Episcopatu nisi in inferioribus gradibus multo tempore probatus fuerit: *Osius Episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo ut cum omni cura & diligentia examinetur; ut si quis ex foro, sive dives, sive scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam Lectoris & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere. Habeat autem uniuscujusque ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem per quod & fides, & morum probitas, & constantia & moderatio possit cognosci: & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus, maximum honorem assequatur.*

2. Syricius Papa Epist. 1. can. 9. iis, qui in infantia voverint se se Ecclesiæ obsequiis, conferri vult Lectoratum ante pubertatis annum: *Quicumque itaque se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari & lectorum debet ministerio sociari.* Prescribit vero adolescentiam consecutis, ut usque ad annum trigesimum Acolythatu & Subdiaconatu persungantur: *Qui ab accessu adolescentiæ usque ad trigesimum ætatis annum, si probitate vixerit.... Acolythus & Subdiaconus esse debebit: post quæ ad Diaconi gradum.... accedat.* Ubi vero per annos quinque Diaconi munus obierit; annuit ut Presbyter fiat: *Ubi, si ultra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue Presbyterium consequatur.* Tandem post decennium concedit Episcopatum: *Exinde post decennium Episcopalem Cathedram poterit adipisci, si tamen per hæc tempora integritas vitæ ac fidei ejus fuerit approbata.* Iis quis grandævi ætate militiæ Clericali dant nomen, præcipit ut per biennium Lectoratum aut Exorcistatum exerceant; Acolythatum & Subdiaconatum per quinquennium; Diaconatum vero & Presbyteratum tanto tempore, quanto ii qui in infantia voverint se Ecclesiæ ministerio: *Qui vero* (inquit can. 10.) *jam ætate grandævus, melioris propositi conversatione provocatus, ex laico ad sacram militiam pervenire festinat, desideris sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo, quo baptizatur tempore, statim Lectorum aut Exorcistarum numero societur.... Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat, & sic ad Diaconatum (si per hæc tempora dignus judicatus fuerit) provehatur. Exinde jam accessu temporum Presbyterium vel Episcopatum, si eum Cleri ac Plebis evocarit electio, non immerito sortiretur.* Eamdem disciplinam can. 13. servari vult erga Monachos antequam ad Presbyteratum aut Episcopatum promoveantur: *Nisi in his eadem quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora facrias custodita.*

3. Innocentius Papa I. Epist. 4. ad Felicem Nucerianum Episcopum cap. 5. præscripta a Siricio interstitia mandari jubet executioni: *Ita sane,* (inquit) *ut in eos tempora a majoribus constituta serventur.* Zozimus Papa Epist. 1. ad Hesychium Salonitanum can. 3. *Sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur, exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatus, si mereatur, accedat: in quo Ordine quinque annis, si inculpate se gesserit.... Presbyterii Sacerdotium potuit promereri.*

4. Nono Ecclesiæ sæculo obtinebat circa interstitiorum tempus lex quam Syricius, & Zozimus promulgarant: *Qui se divinæ militiæ desiderat mancipari* (verba sunt Capitularium Caroli Magni lib. 7. c. 27.) *sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur, exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad Benedictionem Diaconatus, si meretur, accedit; in quo quinque annis si inculpate gesserit, adhærere debebit, & postea si probus fuerit, Sacerdos efficiatur.* In Oriente pluribus pariter annis eodem sæculo quisque commorari debebat in inferioribus ordinibus antequam ad superiores promoveretur: *Quod si quis* (inquit octava Synodus œcumenica can. 5.) *nulla suspicione dictæ ambitionis vel honoris spe tactus, sed recta honestaque inductus, in Clerum aut Monachum attonsus est, perque omnes gradus Ecclesiasticos definitis temporibus viam agendo inculpate transiisse reperiatur, ad Episcopatus honorem evehatur, sicut in Lectoris munere annum, in Subdiaconi duos, Diaconi tres, Sacerdotis quatuor annos expleat, pie denique dilque in Clericorum & Monachorum ordine versatus, tempus ab Episcopis, qui eo tempore fuerint, contrahi potest. Si quis præter hanc sanctionem ad supremum Episcopatus honorem provectus fuerit, penitus rejiciatur.*

5. Post annum millesimum ex antiquo interstitiorum rigore plurimum detractum est. Anno 1199 in Concilio Dalmatiæ cui præfuerunt legati Innocentii Pa-

Papæ III. sancitum est can. 2. annuum interstitium inter majores ordines. Anno 1237. decretum est in Concilio Londinensi ut Diaconi, qui electi fuissent Parochi, proximis quatuor temporibus Presbyteratu donarentur. Anno 1274 definitum fuit in Concilio Lugdunensi II. sub periculo beneficii donatos beneficio cui annexus esset aut personatus aut animarum cura, teneri ad suscipiendum Presbyteratum intra annum.

6. Concilium Tridentinum de servandis inter ordines interstitiis disciplinam sancivit quæ ad antiquam non parum accedit. Jussit nimirum 1. Ordines minores sejunctim conferri & singulos per certa intervalla, nisi aliud ob Ecclesiæ necessitatem visum fuerit Episcopo: *Minores Ordines* (verba sunt sacræ Synodi sess. 23. cap. 11. de reform.) *per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Jussit 2. singulos quoque exerceri in Ecclesia, cui quis per ordinationem adscriptus fuerit: *Ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in ea cui adscripti erunt Ecclesia.* Jussit 3. ut gradatim suscipiantur quo meriti ac doctrinæ fiat augmentum: *Atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum & doctrina major accrescat.* Jussit 4. iis tantum dari Ordines minores qui judicantur fore aliquando idonei majoribus: *Cumque hinc ad altiores gradus, & sacratissima mysteria sit ingressus: nemo iis initietur, quam non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* 5. Prohibuit ne quis Subdiaconatu donetur, nisi post annum a susceptione ultimi ordinis minoris: *Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi aliud exposcat.* Edixit 6. ne quis ad Diaconatum provehatur nisi expleto in Subdiaconatus officiis anni curriculo. *Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem* (inquit cap 13.) *si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Vetat denique 7. ne quis ordinetur Presbyter nisi per annum Diaconi munera obierit: *Hi sunt* (ait c. 14.) *qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverit.* Totidem fere verbis laudata Concilii Tridentini decreta promulgata fuerunt in Provincialibus Galliarum Synodi, Rhemensi anno 1564. Burdigalensi 1624. Observandum est autem per interstitia quæ inter quemque minorem Ordinem servari debent, intelligi spatium quod a quatuor temporibus ad quatuor alia proxima tempora excurrit. Per annum vero, spatium quod fluit a quatuor temporibus autumnalibus v. g. ad alia quatuor tempora autumnalia, quatnvis occurrant antequam integer annus solaris expletus sit.

Quæres 1. quare interstitia instituta fuerint ? 2. quis possit ab eis dispensare. 3. utrum irregularitatem incurrat qui non dispensatus a servandis interstitiis, ordines, etiam majores, recipit.

Resp. ad 1. patere ex canonibus qui superius relati sunt, instituta fuisse interstitia, ut Ecclesia in inferioribus ordinibus probet promovendos ad superiores. Resp. ad 2. Ordinarium posse Clericos sibi subditos dispensare ab interstitiis. Jus enim illud Synodus Tridentina Episcopis tribuit; postquam enim interstitiorum tempus præfixit, hæc addit; *Nisi aliud Episcopo videatur.* Resp. ad 3. in jure novo non extare legem qua legis de servandis interstitiis infractio suspensione, aut irregularitate castigetur.

CAPUT QUARTUM.

Utrum inferiores ordines necessario præsupponi debeant Superioribus?

Conclusio 1. Episcopatui necessario præsupponitur Presbyteratus.

Probatur 1. Evidens est Presbyteratum necessario præmitti debere Episcopatui in eorum sententia qui contendunt Episcopatum non esse ordinem aut Sacramentum a Sacerdotio distinctum, sed solam illius extensionem. 2. Idem quoque patet in opinione Theologorum quibus placet Episcopatum esse alium ordinem, aliud a Presbyteratu Sacramentum: conveniunt enim cum prioribus eum esse Sacerdotii apicem & complementum; unde concludunt ei necessario præsupponi potestatem in corpus naturale Christi, utpote totius religionis nobilissimam & perfectissimam: nec id (inquiunt) mirum est, cum ea potestas per ordinationem Episcopalem non conferatur. 3. Nulli unquam collatus fuit Episcopalis ordo, nisi qui Presbyterali jam insignitus esset. Photius hanc quidem calumniam, quod ex Diaconis, prætermisso Presbyteratu, Episcopi crearentur, Latinis impegit: *Quia* (inquit apud Nicolaum Papam I. Epistol. 70.) *Diaconus non suscepto Presbyteratus officio apud nos* (*Latinos*) *Episcopus ordinatur.* Verum Latini constanter calumniam illam a se depulerunt: *In cæteris* (ait Ratramnus Monachus contra opposita Græc. lib. 4. cap. 8.) *sibi demunt authoritatem fidei, quandoquidem in istis tam evidenter mentiuntur.*

Objicies. Æneas Parisiensis Episcopus, Spicilegii tom. 7. pag. 114. scribit Diaconos, non suscepto Presbyteratu, Romæ sua ætate plerumque consecratos fuisse Episcopos: *De hoc quod quæritur, quare apud Romam plerumque Diaconus quodam saltu, non percepta Presbyterali benedictione in Episcopum subito consecretur.* Usum autem illum, quem Æneas certum putat, a Græcorum dicteriis vindicare contendit ex eo quod in Episcopatu Presbyteratus eminenter contineatur.

Resp. eo in facto Æneam errasse. Ratio petitur 1. ex mox laudatis Nicolai Papæ I. & Ratramni monachi textibus. Petitur 2. ex Synodo Romana sub Joanne Papa XII. in ea nimirum narratur quod Antipapa Leo ordinatus primo fuerit Ostiarius, tum Lector, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, & tandem Presbyter, antequam Pontifex inauguraretur: *Leo Episcopus in nostro Patriarchio Leonem Curialem & Neopitum; jam Ostiarium, Lectorem, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum, atque subito Presbyterum ordinavit, eumque sine aliqua probatione in nostra Apostolica Sede consecrare non dubitavit.* Joannem XII. excepit Benedictus V. qui jam Diaconus erat, cui citra controversiam collatus fuit Presbyteratus ante Episcopatum, cum Leo Sedi rursum restitutus eum utroque, Presbyteratu nimirum & Episcopatu, spoliaverit: *Benedictum omni Pontificatus & Presbyteratus honore privamus; Diaconatus eum honorem habere permittimus.*

Nec est quod quis reponat prolata mox exempla esse posteriora Photianis temporibus: Nam id ita sit licet, inde tamen evincitur usum illum Photii ætate obtinuisse in Sede Romana, cum verisimile non sit Photii criminationibus in Ecclesiis Occidentalibus & præsertim in Romana quidquam immutatum fuisse. Si quis vero roget unde Photius hoc in capite ansam captarit convitiandi Latinis; respondendum erit captasse ex eo quod Latini Canones sanxissent ut ex Presbyteris vel Diaconis Episcopi deligerentur. Inde Photius concludebat Episcopatum a nobis tam immediate conferri Diaconis quam Presbyteris: Quod tamen falsissimum erat.

Conclusio 2. Alii ab Episcopatu ordines, ut valeant, inferiores minime præsupponunt.

Probatur. Actus ordinis Episcopatu inferioris absolute non pendent ab actibus alterius ordinis: valet, exempli gratia, consecratio Corporis Christi, quamvis nec Diaconus, aut aliquis alius minister adfuerit.

Probatur iterum ex eo quod antiquitus non raro collati fuerint superiores ordines omissis inferioribus. Et quidem 1. Siricius Papa Epist. 1. definit iis qui ab infantia se se Ecclesiæ voverint, debere conferri Lectoratum. Iis vero qui expleta adolescentia, Acolythatum & Subdiaconatum, iis tandem, qui provecta jam ætate, Lectoratum & Exorcistatum; laudati Pontificis textum præcedenti capite descripsimus. 2. Græci a mille annis & amplius, Ostiariatum, Exorcistatum & Acolythatum prætermittunt, unum-

que

que Lectoratum ante Subdiaconatum conferunt. 3. Ex authoribus qui Chrysostomi vitam descripsere, nullus reperitur, qui asseruerit eum aliquando consecratum fuisse Subdiaconum, licet recenseant ordinationem illius in Lectorem factam a Zenone Tyri Episcopo, & Diaconum peractam a Meletio Antiocheno, & in Presbyterum celebratam a Fluviano Meletii successore. 4. Author vitæ S. Epiphanii apud Surium testatur Pappum Citriæ Episcopum illi contulisse Diaconatum, moxque insigniisse eum Presbyteratu & Episcopatu, quamvis Epiphanius reluctaretur, asseteretque se nondum esse Clericum: ac proinde se oec tribus minoribus ordinibus, oec ipso etiam Subdiaconatu fuisse donatum. 5. Ipse Epiphanius eadem ratione gessit sese in Paulinianum monachum Hieronymi Germaoum fratrem; eum nempe vi comprehensum primum Diaconum consecravit, moxque (Hieronymo reste Epist. 60.) contulit ipsi Presbyteratum. 6. Pontius Diaconus refert quidem ordinationem Cypriani tum in Presbyterum, tum in Episcopum; eum enim Presbyterium & Sacerdotium statim accepisse enarrat: verum aliorum ordinum inferiorum ne meminit quidem. 7. Possidius ubi describit Augustini ordinationem in Presbyterum, de eo loquitur quasi tunc mere laicus fuisset: inferioribus igitur ordinibus insignitus non fuit laudatus Præsul. 8. S. Thomas in eam, quam hic propugnamus sententiam, abiit in Suppl. qu. 35. art. 5. io corp. *Etiam in primitiva Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines non susceperant; & tamen poterant omnia quæ inferiores ordines possunt; quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, sicut sensus in intellectu; ducatus in regno. Sed postea per constitutionem Ecclesiæ determinatum est quod ad majores se non ingerat, qui prius in minoribus officiis se non humiliaverit.*

Conclusio 3. Multis ab hinc sæculis prohibitom est ordines superiores ei conferre, qui inferioribus donatus non fuerit.

Probatur. Qui, inferioribus ordioibus non suscepti, donati sunt superioribus, dicti fuere *per saltum* promoti. *Judicatum est* (inquit Concilium Suessionense in quo disceptata fuit causa Ebbonis Archiepiscopi) *eum qui saltu sine gradu Diaconi ad Sacerdotium prosilierit, in degradationem debitam resilire debere.*

Archiepiscopus Rotomagensis Yvonem Carnotensem consuluit de Subdiacono qui Clericatu numquam ioitiatus fuerat. Responsum est autem ab Yvone, ex juris norma deponi eum debere, interdicique oe unquam ad superiores ordines anhelaret: Verum si ea esset vel Subdiaconi pietas vel Ecclesiæ necessitas; ut locus esset dispensationi, Clericatum ei debere conferri, restituique functionum Subdiaconatus facultatem: *Si autem* (inquit Epist. 80.) *honesta vita ejus, aut utilitas Ecclesiastica ita exigit, potestis ei dispensatorie dato Clericatu &c.* Yvonis igitur ætate prohibebant Ecclesiasticæ leges, ne quis prætermissis inferioribus ordinibus ad superiores promoveretur.

Alexander Papa II. apud Gratianum dist. 52. hæc Grimaldo Constantiensi rescripsit de ordinationibus per saltum celebratis: *Sollicitudo dilectionis tuæ studuit consulere utrum portator istarum litterarum, Diaconatus & Presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne, cum ad id præpostero cursu, Subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius, quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo charitati tuæ, mandamus ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejunio, Subdiaconatus ministerium sibi recte imponas; & sic deinceps ad majora officia eum redire concedas.*

Innocentius Papa III. cap. *Unico*, *de Clerico per saltum promoto*, similia habet in sua ad Bononiensem Episcopum decretali: *Tuæ* (inquit) *litteræ continebant quod sicut ex relatione quorumdam receperas P. Presbyter, Diaconatus ordine prætermisso se fecit ad Sacerdotii ordinem promoveri: ipse tibi quoque secreto confessus, se pro certo nescire, si res aliter se haberet: sed ex quo boni viri hoc asserebant; inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo quod tempore quo ordines inferiores susceperat, infra annos discretionis fuerat constitutus .... Mandamus quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem, qua peracta (quia non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinare procures, & sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine Sacerdotis.*

FINIS DISSERTATIONIS OCTAVÆ
de Sacramento Ordinis in Communi.

DIS-

DISSERTATIO NONA.

De Ordinibus in Specie.

FIDE certum est in Ecclesia Catholica præter Sacerdotium esse alios Ordines majores & minores: *Si quis dixerit* (inquit Concilium Tridentinum sess. 23. Can. 2.) *præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & majores & minores, per quos velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur, anathema sit*. Minores (ex eadem Concilii sess. cap. 2.) sunt Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acolythatus; Majores vero præter Sacerdotium sunt Diaconatus & Subdiaconatus: *Non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissime legimus.*

Mox laudata sacra Synodus non immerito asserit septem quos recenset, Ordines fuisse in usu in ipsis Ecclesiæ incunabulis. Et quidem 1. eorum omnium medio tertio sæculo meminit Cornelius Papa in Epist. ad Fabium Antiochenum, ubi apud Eusebium hist. lib 6. cap. 35. sic de Novato loquitur: *Is ergo qui Evangelium vindicabat: nesciebat in Ecclesia unum Episcopum esse debere: ubi videlicet esse Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas & Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos &c.* Eorum etiam (uno tamen excepto Acolythatu) antea meminerat Ignatius Episcopus Antiochenus: *Saluto* (inquit in Epist. ad Antiochenses) *sanctum Presbyterium, saluto sacros Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores ... Exorcistas*. Omnes ad unum in Concilio Carthaginensi quarto referuntur. Eorum autem ordinum laudati Patres non meminerunt tamquam rei quæ tunc inciperet, sed quæ jam esset in communi Ecclesiarum usu.

Quæ de usu septem Ordinum dicta sunt, intelligi non debent de Ecclesia Orientali. Nam 1. nullum suppetit argumentum quo probetur, Acolythatum olim fuisse in usu apud Græcos: quippe quod nullus e Scriptoribus Græcis illum recensuerit. 2. Nullum etiam reperire est qui præter Lectoratum, alios minores ordines dixerit fuisse ordines Ecclesiæ Orientalis, seu ritus per quos daretur aliqua potestas spiritualis in ordine ad Eucharistiam. 3. A mille annis & amplius Ecclesia Græca unum Lectoratum e minoribus ordinibus admittit: ab eo nimirum tempore cæteros nusquam recensuit nec in antiquis nec in recentioribus Euchologiis. Octava Synodus Oecumenica in qua proscriptus fuit Photius eo nomine quod omnes Ecclesiasticos gradus intra sex dies contra Canones quibus præscribebantur interstitia, recepisset, a Lectoratu ordinationis initium desumit: *Si vero quis* (inquit actione 9. can. 5.) *per nullam suspicionem prædictæ concupiscentiæ expectationis, sed propter ipsum bonum humilitatis, quæ est circa Christum Jesum, abrenuncians mundo fiat Clericus, aut monachus, & omnem gradum Ecclesiasticum transigens, per definita nunc tempora irreprehensibilis inventus extiterit, & probatus, ita ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdiaconi vero duos, sitque Diaconus tribus, & Presbyter quatuor annis, bene placuit huic sanctæ & universali Synodo* (in Patriarcham Constantinopolitanum) *elegi hunc & admitti*. Nicetas coætaneus Ignatio, quem a Sede Constantinopolitana Photius detruserat, de SS. Viro hæc scribit: *Primum quidem Lector sanctarum Litterarum præco sanctus, deinde Hypodiaconus, ac deinceps Sacerdos ordine ac lege Ecclesiasticorum graduum consecratur*. Lex ergo Græcorum ferebat nono sæculo ut sumeretur initium ordinationis a Lectoratu, a quo ad Subdiaconatum fieret ascensus. Joannes Papa VIII. ubi pacem iniisset cum Photio, hæc scripsit ad Græcorum Imperatorem, idque (ut ait) secundum canones: *Volumus autem ut talis promoveatur, per singulos gradus Ecclesiasticos probatus, ut sit primum Lector, deinde Acolythus* (Acolythum autem usurpat pro Subdiacono) *postea Diaconus, tum Presbyter, post hæc Episcopus*.

Apud ipsos etiam Græcos non unum Lectoratum, sed alios etiam minores ordines quondam in usu fuisse probare videntur nonnulla Patrum monumenta. Ignatius, tertius a S. Petro Episcopus Antiochenus, ad calcem Epist. ad Antiochenos sic loquitur: *Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores*. Concilium Laodicenum quod habitum est ineunte quarto sæculo, hæc habet can. 24. *Quod non oportet Sacratos, a Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps quemlibet Ecclesiastici ordinis, usque ad ministros vel Lectores, vel Cantores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel Exercitatorum ordinis in cauponam ingredi*. S. Epiphanius in expositione fidei enarratis ordinibus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum, hæc scribit: *Post illos omnes deinceps Exorcistæ sequuntur, & linguarum interpretes tam in lectionibus quam in concionibus. Sequuntur Laborantes in mortuorum corpora curant; tum janitores ac reliqui disciplinæ causa ordines instituti.*

Ve.

Verum, prætermissa responsione qua asseritur multo plures olim ordines apud Græcos extitisse quam nunc sint, dici potest, Ignatium Concilium Laodicenum, Epiphanium eo tantum sensu Janitores & Exorcistas albo Clericorum inseruisse, quod inscripti essent eorum canoni qui per commissionem, non autem per ordinationem, aliquod in Ecclesia munus obirent: id vero patet tum ex eo quod laudatis locis præter Janitores & Exorcistas alii, quos nec Latini inter ordinatos recensent, referantur, Laborantes nempe, Linguarum interpretes, Cantores, pluresque alii qui disciplinæ causa instituti fuerant; hujusmodi erant enarrante Concilio Chalcedonensi) Oeconomi & Defensores. Duplicis illius Clericorum generis meminit Basilius in Ep. ad Amphilochium, ubi sic loquitur: *Quod adversus Clericos statutum est, canones indefinite ediderunt, unum in iis qui lapsi sunt, supplicium decerni jubentes, a ministerio scilicet motionem, sive sint in gradu, sive etiam in ministerio quod non impositis manibus datur, perseverent.*

Quamquam autem certum sit ex Concilio Tridentino septem esse ordines: non est tamen certum nec plures esse nec pauciores: Et sane Eugenius IV. in decreto pro instructione Armenorum, Patres Tridentini cum egerunt de numero Sacramentorum novæ legis, dixere nec plura esse nec pauciora esse quam septem, sed ea loquendi ratione nusquam usi sunt agentes de septenario ordinum numero. Præterea non parum probabilis est opinio qua asseritur Episcopatum esse verum Ordinem, cum peculiarem habeat formam, peculiarem materiam, peculiarem effectum: id enim adstruetur inferius ubi probabimus eum esse proprie dictum Sacrameorum realiter a Sacerdotio distinctum.

Non est opus ut hic consutentur Canonistæ qui Tonsuram Clericalem Ordinum albo inscribunt: Nihil aliud est quam veluti novitiatus in quo probantur qui promovendi sunt ad Ordines. Confirmatur ex eo quod per Tonsuram nulla detur specialis potestas: ea tameo potestas cuique ordini est essentialis: unde patet Innocentium Papam III. cap. *Cum contingat*, Ordinem late sumpsisse, nempe pro statu qui a laico distinctus est, cum Tonsuram appellavit Clericalem Ordinem.

QUÆSTIO PRIMA.

De Episcopatu.

EPiscopi nomen, proprie loquendo, significat hominem, qui agit alterius curam cum auctoritate & jurisdictione. Desumptum est autem ejusmodi nomem ab eo, quod minus est in Episcopatu, a potestate nimirum regendi mysticum Christi Corpus; non vero a charactere, per quem Episcopi possent virtute generandi Ecclesiæ, quam desponsarunt, Patres & pastores. Apud Tertullianum Episcupi nonnumquam dicuntur Præsidentes: quod nempe fidelium synaxibus olim præessent; seu, quod plerumque Synaxes sine Episcopis non agerentur: *Eucharistiæ Sacramentum* (inquit) *nonnisi de manu præsidentium sumimus*: Apud Augustinum Episcopus aliquando dicitur primus Presbyter, Summus, Sacerdos: *Quid est Episcopus* (ait Laudatus Pater) *nisi primus Presbyter, hoc est, Summus Sacerdos.*

CAPUT PRIMUM.

De existentia Episcopatus.

EPiscopatus nomine (ut mox fuit observatum) intelligitur Pastoralis dignitas, quæ Sacerdotio superemineat. Existere vero in Ecclesia hujusmodi dignitatem negavit olim Aerius: *Quid est Episcopus ad Presbyterum* (inquit apud Epiphanium hæresi 75. n. 3.) *Nullum inter utrumque discrimen est. Est enim amborum unus ordo, par & idem ordo, ac dignitas. Manus imponit Episcopus, imponit & Presbyter. Baptizat Episcopus, idem facit & Presbyter. Oeconomiam latriæ administrat Episcopus, non minus id facit & Presbyter. Episcopus in throno sedet, sedet & Presbyter.*

Aerii dogma Calvinus amplexus est proxime elapso sæculo: *Quibus docendi munus injunctum erat* (inquit lib. 4. instit. cap. 4. §. 2.) *eos omnes nominabant Presbyteros, illi ex suo numero in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur: neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in collegas haberet, sed quas partes habet consul in senatu, ut referat de negotiis, consulendo, monendo, hortando aliis præeat; auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi concilio fuerit exequatur. Id muneris sustinebat Episcopus in Presbyterorum cœtu, atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductam fatentur ipsi veteres.*

Ecclesia Catholica distinctionem agnoscit Episcopum inter & Presbyterum. Docet illum isto majorem esse tum ordinis potestate, tum etiam jurisdictione. *Proinde sacro sancta Synodus* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 23. cap. 4.) *declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem precipue pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse.* Idem fidelibus credendum sub anathematis pœna præcipitur eadem sess. can. 7. *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem .... anathema sit.*

Ea vero Ecclesiæ Catholicæ circa Episcopatus existentiam doctrina, ut explicetur cum methodo, quærere hic oportet 1. utrum Episcopi revera sint Presbyteris superiores. 2. Quo jure competat eis superioritas hujusmodi. 3. Utrum immediate a Christo suam habeant jurisdictionem.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Episcopi sint Presbyteris superiores?

COnclusio prima. Episcopi sunt Presbyteris superiores.

Probatur. Superioritas potest alicui respectu Presbyterorum duobus titulis convenire: vel ratione ordinis, vel ratione jurisdictionis. Atqui utroque illo titulo Episcopus est major Presbytero.

1. Uni convenit Episcopo ordinare Ecclesiæ ministros, ipsosque etiam Presbyteros; ut hisce verbis docet Epiphanius hæresi 75. num. 3. *Siquidem Ordo Episcoporum ad gignendos Patres præcipue pertinet. Hujus enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Presbyter, cum patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen Patres aut Magistros.* Hieronymus in Epist. ad Evagrium fœcunditatis virtutem qua contra Ae-

Juenin de Sacram.

rium Epiphanius utitur, uni quoque adscribit Episcopo: *Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod non faciat, Presbyter?* Ex eo principio mox laudatus Doctor Luciferiani schismatis iterum confirmavit: *Cum homine* (de Hilario Diacono Luciferianorum antesignano loquitur) *secta interiit* (inquit in Dialogo adversos Luciferianos) *quia post se nullum Clericum Diaconus ordinare potuit: Ecclesia autem non est quæ non habet Sacerdotem*.

2. Solis Episcopis convenit ordinaria potestas confirmandi Neophitos, ut in nostra de Confirmatione dissertatione fuse probatum est: Verum eam potostatem ideo Hieronymus in solos Episcopos refundit, quod iis tantum, qui Clericis omnibus supereminent, competat dare plenitudinem Spiritus Sancti: *In Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipit Spiritum Sanctum... ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem*. Idem S. Doctor contendit periclitari de salute sua Ecclesiam quæ caret pastore, cui summum Sacerdotium conveniat & eminens quædam potestas: *Ecclesiæ salus* (ait agens contra Luciferianos) *in summi Sacerdotii dignitate pendet, cui si non exors quædam, & eminens datur potestas, tot in Ecclesiis efficiuntur schismata, quot Sacerdotes*.

3. Episcopos non Ordinis potestate tantum (ut mox ostensum est) sed etiam jurisdictione superiores esse Presbyteris demonstratur ex eo quod vetustissimi Patres nullam functionem aut Presbyteris aut ministris concesserint, quam quæ ipsis ab Episcopis concessa fuisset, nihilque omnino posse quod præviam Episcopi operam non supponat. Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 4. Diaconis purgandi, Presbyteris vero illuminandi potestatem tribuit quidem; sed addit non postea Presbyteros illuminandi vices obire per Baptismum, si Chrismate destituantur quod ab Episcopis consecratum fuerit; non posse offerre sacrificium sine templis, altaribus, instrumentis, vasis quæ ab Episcopis dedicata fuerint. Eam autem Dyonisii doctrinam perspicuis hisce verbis Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis complexus est de sacris ordinationibus cap. 1. *Nam gratiam communicativam non habet Presbyter, neque aliud perfectivum vel illuminativum producere potest, sed baptisma solum & mysteria perficere, verum Episcopus illuminandi vim habet, eo quod Patrem luminum imitatur, ipsiusque virtutem abunde possidet, & per ipsum omnis Ordo, omne Mysterium, omne Sacramentum. Ipse enim ordinatione sua, & baptizare valet, simul & sacrum unguentum perficere, & quæ ad ministerium & perfectionem & illuminationem pertinent, perficere... Omnia denique per Christi gratiam præstare. Omnia enim Ecclesiastica ab ipso veluti luminis fonte perficiuntur.*

Ignatius Martyr idem docuit in Epist. ad Smyrnenses: *Ubi utique* (inquit) *apparet Episcopus, illic multitudo sit; quemadmodum utique ubi est Christus Jesus, illic Catholica Ecclesia. Non licitum est sine Episcopo, neque baptizare, neque Agapem facere*. In Epist. ad Magnesianos hæc habet quæ summam Sacerdotis ab Episcopo dependentiam, seu ipsius Episcopi superioritatem arguunt: *Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil facit, unicus existens: ita nec vos sine Episcopo, nec Presbyter nec Diaconus*.

4. Idem S. Ignatius Martyr ad vivum exhibet Episcoporum supra Presbyteros præeminentiam in epistolis quas aut ad Smyrnenses, aut ad Magnesianos, aut ad Trallianos scripsit: Nonnumquam Episcopum id Presbyterorum respectu esse asserit quod est æternus Pater respectu Christi: *Omnes* (ait in epist. ad Smyrnenses) *sequimini Episcopum ut Jesus Christus Patrem*: Ergo, ex Ignatio, quemadmodum Pater est fons & origo totius Divinitatis, ita ut cæteræ personæ esse ab illo accipiant, ita Christus est principium totius Sacerdotii; Ergo, etiam quemadmodum Pater est major ac superior Christo prout homo est, juxta illud Evangelii: *Pater major me est*, ita Episcopus, cui Ignatius apprimit personam Patris, Presbyteris superior est. In epist. ad Trallianos Episcopum objicit nobis tamquam qui Christi personam circumgestet; Presbyteros vero ait esse respectu Episcopi quod fuerunt Apostoli respectu Christi: *Revereantur omnes Episcopum ut Jesum Christum, existentem filium Patris: Presbyteros autem ut Concilium Dei & conjunctionem Apostolorum*: Ergo quemadmodum Christus est ac fuit Apostolis superior: ita & Episcopi sunt, ex Ignatio, Presbyteris superiores: Ergo, ex eodem Ignatio, quemadmodum Apostoli subditi fuerunt Christo, ipsisque obediendi debitum incubuit: ita Presbyteri sunt Episcopis subditi, ipsis morem gerere tenentur: Consequentiam illam eruit ipse Ignatius ex principio quod stabilierat. *Omnes* (ait in epist. ad Smyrnenses) *Episcopum sequimini ut Christus Patrem, & Presbyterorum collegium ut Apostolos. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Et honora Deum, ut omnium authorem, & Dominum: Episcopum vero ut Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei* (inquam) *propter Principatum, Cristi vero propter Sacerdotium*.

5. Author Constitutionum quæ S. Clementis nomine inscribuntur, supponit Presbyterum esse Episcopo inferiorem ac subditum, cum lib. 3. cap. 16. hæc ait: *Denique aut tu Episcopo, aut Presbyter tuus, qui sub potestate tua est, &c.*

Objicies. Apostolus 1. ad Timoth. 3. postquam de Episcopis verba facit, transit ad Diaconos omissa Presbyterorum mentione: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, &c... Diaconos similiter pudicos, non bilingues, &c.* Censet igitur Apostolus Episcopos idem esse cum Presbyteris: ac proinde eos illis non esse superiores. Confirmatur ex epist. ad Philippenses, quam sic idem Apostolus exorditur: *Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Confirmatur iterum ex Actorum 30. cap. ubi Paulus vocat Episcopos, quos ante immediate vocarat majores natu, seu Presbyteros: *A Mileto Paulus mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis, Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Respondet ad argumentum Chrysostomus Apostolum ideo de Presbyteris siluisse, quod inter Episcopum & Presbyterum intersit fere nihil: *Inter Episcopum atque Presbyterum* (inquit hom. 11. in cap. 3. prioris epist. ad Timoth.) *interest ferme nihil, quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt*. Ad utramque vero confirmationem reponit idem Chrysostomus Ecclesiæ initio Episcopi & Presbyteri nomina fuisse communia, seu tum Episcopis, tum Presbyteris indiscriminatim imposita fuisse ab Apostolis. Nec mirum: cum enim nomen Presbyteri Seniorisve sit nomen ætatis proindeque gravitatis & prudentiæ, optime Episcopo tribuitur: Item cum Episcopi nomen sit nomen Græcum a superintendendo, vel superinvigilando tractum, Presbyteri vero tunc plebibus superintenderent ac superinvigilarent, Presbyteris non immerito tribui potuit 1. *Quid hoc sibi vult* (inquit S. Pater hom. 1. in epist. ad Philippenses, illud: *Et diaconibus*, exponens) *itane unius civitatis plures erant Episcopi? Nequaquam, sed hoc titulo designat Presbyteros: tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune*.

Respondent alii Scriptores Apostolos ante schisma Corinthianum quod Anno Christi 57. contigit, nullos ordinasse Episcopos, sed Presbyteros tantum, quos Ecclesiis quas adduxerant ad fidem, præfecerunt: Nec enim (ajunt illi authores) necesse erat ut Episcopos crearent in Ecclesiis in quibus nondum erat numerosus populus, quasque ipsi identidem invisebant: Illos autem Presbyteros propter animarum curam quæ ipsis credebatur, indiscriminatim vocatos fuisse aut Episcopos aut Presbyteros. Sed vera non videtur ea responsio, ut patebit ex dicendis subsequenti capite.

Respondet ad idem argumentum Epiphanius, in aliquibus locis extitisse Episcopos cum Diaconis, sed sine Presbyteris, in aliis vero extitisse cum Diaconis Presbyteros sine Episcopis: unde mirum non est quod Apostolus ubi Episcoporum fecit mentionem, de Presbyteris omnino siluerit: *Et non novit ille* (inquit Epiphanius hæresi 75. ubi contra Aerium disputans solvit argumentum de quo agitur) *qui consequentiæ veritatis ignarus est, & historias profundissimas non legit, quod*

eum

cuia recens esset prædicatio, 5. Apostolus pro re nata, velut habebat scripsit. Ubi enim Episcopi erant jam constitati, scripsit Episcopis & Diaconis. Non enim omnia statim potuerunt Apostoli constituere: Presbyteris enim opus erat & Diaconis, per hos enim duos Ecclesiastica compleri possunt. Ubi vero non inventus est quis dignus Episcopatu permansit locus sine Episcopo. Ubi autem opus fuit, & erant digni Episcopatu, constituti saat Episcopi. Cam autem multitudo non esset, non inveati sane inter ipsos qui Presbyteri constituerentur, & contenti fuerunt solo Episcopo in loco constituto. Veram, sine Diacono impossibile est esse Episcopum. Et curam adhibait S. Apostolus at Diaconi esseat Episcopi propter ministerium. Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis; sic illo tempore erant loci.

Ad priorem confirmationem usurpanda est mox allata Chrysostomi responsio. Ad alteram vero dici potest 1. eos *Majores natu*, quos Paulus mittens Ephesum, advocavit Miletum, non esse eosdem quos versu 28. nominat Episcopos: Erant enim simplices Presbyteri qui sub uno Ephesiorum Episcopo regebant Ephesinum populum. Dici potest 2. Episcopos quos Apostolus alloquitur, fuisse tum Ephesium, tum aliquos vicinarum urbium Asiæ. Solutio illa Irenæi authoritate nititur qui lib. 3. cap. 14. in iis ministris quos Paulus Ephesium advocarat, distinguit Episcopos a Presbyteris, sic enim loquitur; *In Mileto convocatis Episcopis Presbyteris qui erant ab Epheso & a reliquis proximis civitatibus, &c.* Præterea Paulus alloquitur Pastores quos erudierat in fide: *Propter quod* (inquit Actorum 20) *vigilate, memoria retineates, qaoniam per triennium nocte & die non cessavi cam lacbrymis monens unumquemque vestrum*. At Paulus per illud triennium non solum Ephesios Pastores erudierat in fide, sed & plures alios, ut probant hæc Actorum 19. *Ita at omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi, atqae Gentiles.*

Articulus Secundus.

Quo jure Episcopi sint Presbyteris superiores?

Conclusio. Episcopi sunt jure Divino Presbyteris superiores.

Probatur 1. Certissimum est Episcopos jure Divino nonnulla posse quæ Presbyteri minime possunt; sunt enim (ut suo loco ostensum est) jure Divino soli ministri ordinarii tum Sacramenti Ordinis, tum Sacramenti Confirmationis. 2. Sunt etiam eodem jure superiores ratione ordinis quo insigniti sunt, in eorum saltem sententia quibus placet Episcopatum esse Ordinem ac Sacramentum a Sacerdotio distinctum: ille nimirum Ordo, illud Sacramentum, *ex* institutione divina (ut superiore capite demonstratum est) complectitur Sacerdotii plenitudinem, quæ in Presbyteris minime reperitur. 3. Episcopos jure divino pollere jurisdictione in Presbyteros; ac proinde iis eodem jure esse superiores ostendetur subsequente capite 4. Superioritatem de qua agitur, non obscure innuit Concilium Tridentinum sess. 23. can. 6. ubi hæc habentur: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & ministris, anathema sit.* Hierarchia autem est ordo rerum diversarum quarum una subordinatur alteri. Igitur in hierarchia Ecclesiastica sint oportet aliqui qui jure divino cæteris principentur: Ii vero non alii sunt quam Episcopi; declarat nimirum Tridentina Synodus sess. 23. cap. 4. *Episcopos qui in Apostolorum locam successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem preciput pertinere.*

Quadruplea illud argumentum hac ratione potest confirmari. Quod viventibus ac jubentibus Apostolis ubique fuit observatum, juris est divini: eo enim solo argumento Theologi probant plurimum Sacramentorum tum materias, tum formas, ab ipso Christo institutas fuisse. Atqui Episcoporum in Presbyteros superioritas viventibus ac jubentibus Apostolis ubique gentium obtinuit. Petrus antequam subiret martyrium, suum in Antiochena Sede successorem constituit, Marcum præfecit Alexandrinis. Paulus Titum creavit Cretensium Episcopum. Joannes in Apocalypsi fidem facit septem præcipuas Asiæ Ecclesias, dum ipse viveret, ab Episcopis, quos Angelos vocat, administratas fuisse. Idem in reliquis omnibus orbis provinciis observatum est.

Objicies. Hieronymus multa scripsit quibus probatur Episcopos humano tantum jure esse Presbyteris superiores. Nam 1. exponens hæc Pauli ad Titum verba: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ ut constituas per civitates Presbyteros*; nec non hæc alia: *Oportet Episcopam sine crimine esse*, sic loquitur: *Idem ergo est Presbyter qui & Episcopus*. Asserit 2. ante schisma Corinthianorum non ab Episcopis, sed communi Presbyterorum Concilio Ecclesias gubernatas fuisse: *Antequam (ait ibidem) diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, communi Presbyterum Concilio Ecclesiæ gubernabantur.* Scribit 3. quod post illud schisma tantum, & non ante singulis Ecclesiis Episcopi præfecti fuerint: *Postquam vero unusquisque eos quos baptizaverat, suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur.* Docet quarto ea ratione ea Presbyteris creari Episcopos, qua ex Diaconis creatur Archidiaconus, aut ea militibus Imperator, idque confirmat eaemplo Aleaandrinæ Ecclesiæ, quæ a Marco ad Heraclam usque non alio modo sibi præfecit Episcopos, quam collocando in excelsiori gradu Presbyterum quem pium, industrium, ac peritum novisset: *Quod autem* (inquit Epist. 83. ad Evagrium) *unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque trahens ad se Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri unum semper ex se electum in excelsiore gradu nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Docet denique quinto Episcopum & Presbyterum idem esse omnino, idque tamquam principium supponit, quo Diaconos qui Presbyteris se se anteponebant, comprimat: *Audio* (inquit) *quemdam in tantam erupisse vecordiam ut Diaconos Presbyteris, idest, Episcopis anteferret. Nam, cum Apostolus clare doceat eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos, qui patiatur mensarum & viduarum minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur.* Ex iis vero Hieronymi textibus sic argumentum conficitur: Ille non censuit Episcopos esse Presbyteris superiores divino jure, qui docuit Episcopum & Presbyterum idem omnino esse. Qui docuit ante schisma Corinthianum Ecclesias non ab Episcopis, sed communi Presbyterorum Concilio administratas fuisse; Qui scripsit Episcopos creatos tantum fuisse post schisma Corinthianum; Qui asseruit Episcopos non aliud esse Presbyterorum respectu quam Archidiaconus respectu Diaconorum. Atqui (ut patet ex relatis textibus) Hieronymus ea omnia scripsit & docuit: Illi igitur persuasum non fuit Episcopos esse jure divino Presbyteris superiores.

Respondent nonnulli inter quos Michael Medina, apud Bellarminum lib. 1. de sacrorum hominum origine & continentia cap. 5. respondent (inquam) Hieronymum relatis in argumento locis favisse Aerio qui Presbyteros confudit cum Episcopis, seu, qui contendit nullum inter ipsos discrimen reperiri.

Verum falsa est ea responsio. Nam 1. Multi Latini Patres Hieronymi sententiam complexi sunt, ita ut illius verba tamquam sibi propria usurpaverint, ut videre est in Sedulio, Beda in caput 20 Actorum, Alcuino de Divinis officiis, Concilio Aquisgranensi, Amalatio Fortunato Archiepiscopo Trevirensi lib. 2. de officiis Ecclesiæ, Remigio Lugdunensi, Hincmaro Rhemensi opusculo 55. capitum capite 10. Iis igitur authoribus erroris notam Michael Medina inurat oportet. 2. Latum est inter Aerium & Hieronymum in capite de quo agitur, discrimen. Siquidem (ut superiori capite ostensum est) docebat Aetius Episcopum non esse Presbytero majorem, etiam quantum ad Ordinis potestatem: id vero nusquam venit in Hiero-

nymi mentem; quippe qui tum Clericos ordinandi tum Neophytos confirmandi facultate eum divino jure pollere censuerit. Præterea Aerius non modo negabat Episcopum jure Divino esse Presbytero majorem, sed etiam contendebat humano jure, seu ex Ecclesiastica dispositione, non debere eos Presbyteris anteponi: id vero non asseruit Hieronymus: imo licet docere videatur Episcoporum jurisdictionem in Presbyteros non esse divino jure stabilitam, non improbat tamen (ut modo improbant Calvinistæ) praxim Ecclesiæ quæ a suis incunabulis in schismatis (ut ipsemet ait) remedium, Episcopi jurisdictionem in Presbyteros agnovit: Nihil igitur Aerium inter & Hieronymum commune est.

Respondent alii 1. ante schisma Corinthianum Apostolos nullum alium Episcopum ordinasse quam Jacobum Hierosolymitanis, Marcum Alexandrinis, & Evodium Antiochenis. Nec id mirum est (inquiunt) nam schisma Corinthianum contigit anno nono a tempore quo Evangelium cœpit gentibus prædicari. Cum igitur tunc Ecclesiæ gentilium nondum numerosæ essent, ad earum regimen satis erant Presbyteri, nec erat necesse ut Apostoli Episcopos eis præficerent: eas nimirum ipsi haud difficili negotio & invisere & Episcopali authoritate regere poterant. Ex ea suppositione inferunt authores, quorum sensa hic expendimus, Hieronymum velle ante schisma Corinthianum Presbyterum idem fuisse cum Episcopo, non quidem in re & quoad substantiam, sed quoad nomen multaque officia. Addunt 2. iidem authores ex schismate quod Corinthi accidit, Apostolos nactos fuisse occasionem exequendi divinum Christi præceptum de creandis Episcopis cum id postularet necessitas: unde concludunt merito Hieronymum scripsisse tunc tantum, & non antea toto terrarum orbe decretum fuisse: *Ut unus de Presbyteris electus superimponeretur cæteris ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret & schismatum semina tollerentur*. Asserunt 3. laudati Scriptores Hieronymum intelligi de electione, non autem de consecratione, seu ordinatione, cum ait ea ratione e Presbyteris creatos fuisse Episcopos, qua e Diaconis unus eligitur qui Archidiaconi nomine cæteris præsit.

Respondent alii non ignoti nominis Theologi, quibus subscribimus. 1. Hieronymum non aliud voluisse quam quod Episcopi & Presbyteri nomina primum essent communia tum Episcopis, tum Presbyteris; id capite superiore jam observatum est ex Chrysostomo. 2. Quod ante schisma Corinthianum Presbyteri Ecclesias regerent, tum communi inter se consilio, in his videlicet urbibus in quibus nulli erant Episcopi, tum communi cum Episcopo consilio in iis locis quibus Episcopi præfecti fuerant, ita tamen ut Episcopus eas cum ipsis curam lubens ac volens partiretur, uti (sicut docet ipse Hieronymus) olim Moyses cum septuaginta. 3. Quod ubi postea schismata exorta sunt inter Christianos, dum unusquisque fidelium se ejus esse dicebat, sub cujus esse disciplina, aut administratione; Apostoli ut ejusmodi schisma tollerent, similiaque præpedirent in posterum, decreverunt, ut iis in locis ubi soli Presbyteri Ecclesiam aliquam insignem gubernarent communi consilio, unus ex iis eligeretur, penes quem solum tota deinceps Ecclesiæ cura, ac proinde cui proprie & cum aliorum Presbyterorum exclusione, Episcopi nomen tribueretur. Ubi vero Presbyteri cum Episcopo consilio communi Ecclesiam aliquam gubernaverant, tota deinceps illius cura ad eum solum spectaret, ipsique uni ea de causa conveniret Episcopi nomen.

His præmissis. Quæ objecta sunt Hieronymi loca, facile a laudatis authoribus solvuntur. Et quidem 1. si Heterodoxi dicant ex Hieronymo primis temporibus Episcopum idem fuisse cum Presbytero; dicendum erit idem non fuisse charactere & gradu; nam ex eodem Hieronymo solus Episcopus poterat Clericos ordinare, nec nisi volens suam cum Presbyteris partiebatur authoritatem; sed addendum erit idem fuisse nomine & officio, videlicet quod ab Episcopo accepisset tamquam septuaginta a Moyse. 2. Si iidem heterodoxi argeant Diaconum Presbyteris se anteponere idem esse, ex Hieronymo, ac se anteponere Episcopis, distinguendum erit, idem esse ac se iis anteponere qui charactere, dignitate essent, fuissentve Episcopi, negandum erit: idem esse ac se iis anteponere qui cura, officio, administratione, & nomine solum fuissent Episcopi, concedendum erit. 3. Si contendant non nisi post exortum Corinthi schisma, & in ejus ac similium remedium, factum esse, ex Hieronymo, ut unus superimponeretur cæteris; distinguendum similiter erit: Factum est ut unus cæteris superimponeretur dignitate, gradu, charactere, negandum erit, hæc enim omnia jam ante schisma Corinthianum obtinebant: Ut imponeretur officio, cura, administratione, concedendum erit, nempe eo quod tunc (ut observatum est) factum sit ut Episcopus ad se solum revocaverit totam Ecclesiæ curam quam ultro ac lubens antea cum Presbyteris partiebatur. 4. Si objiciant Episcopos, ex Hieronymo, majores esse Presbyteris *consuetudine magis quam dispositione divina*; adhibenda erit eadem distinctio: Majores sunt respectu gradus, characteris ac dignitatis, negandum erit; eum scilicet gradum, eum characterem, eam dignitatem habent ex Dei ipsius institutione sicut suam ab eo habebat Moyses quem Hieronymus in exemplum adducit: Majores sunt consuetudine magis quam dispositione divina, exterius, concedendum erit; seu, licet Christus totam regiminis authoritatem Episcopo crediderit, non prohibuit tamen quin Presbyteros vocaret in partem sollicitudinis, & quin ubi periculum esset schismatis, totam ad se revocaret. 5. Si objiciant Hieronymum scripsisse Alexandrinos sibi aliquos ex Diaconis Episcopos præfecisse nulla facta alterius Ordinis mentione: respondendum erit (ut jam supra innuimus) Alexandrinorum more qui nonnumquam in Episcopos eligebant eos qui nondum erant Presbyteri ut in Athanasio contigit, electos, ad Presbyteratum promoveri debuisse antequam Episcopatu insigniretur.

Articulus Tertius.

Utrum, quo jure, & qua ratione Episcopi jurisdictionem habeant?

Conclusio 1. Episcopi tum in Presbyteros, tum in plebem jurisdictione pollent.

Probatur 1. Episcopus excellentissima est imago Christi, vices illius gerit in terris: unde Ignatius martyr jubet ut quisque fidelis eum tamquam ipsummet Christum veneretur: *Revereantur omnes Episcopum ut Jesum Christum*. Ergo, quemadmodum Sacerdotio Christi convenit jurisdictio: ita & Episcopo: sicut enim mancum non est & imperfectum Sacerdotium Christi, ita nec Sacerdotium Episcopi debet esse mutilum ac imperfectum: esset tamen si careret jurisdictione, cum sine ea nec ligare quemquam possit vel solvere.

Probatur 2. authoritate Patrum qui non raro Episcopatum expresserunt terminis quibus importetur jurisdictio. Augustinus Epist. 256. eum expresserit per judiciariam potestatem; Cyprianus Epist. 55. per ligandi ac solvendi potestatem, & Epist. 67. per paternitatem; alludens haud dubie ad hæc verba Pauli 1. ad Cor. 4. *Sed non multos Patres*; Tertull. lib. de Baptismo, per Pastoratum; Leo Magnus Epist. 48. ad Anastasium, per summum Sacerdotium.

Confirmatur ex canonibus tritus ille Patrum loquendi modus. Vetant canones ne Episcopus sine certa Diœceseos attributione consecretur: qui quidem usus in iis etiam Episcopis observatur qui cæteris dantur coadjutores: nec enim ordinantur quin alicui Ecclesiæ, saltem in partibus infidelium, addicantur.

Conclusio 2. Jurisdictio Episcoporum in Presbyteros & fidelem populum juris est Divini.

Probatur 1. Paulus Actorum 20. conceptis terminis asserit Episcopos Ecclesiæ regimine fuisse præfectos a Spiritu Sancto: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam*

siam Dei, quam acquisivit sanguine suo. At regimen non est sine jurisdictione. Igitur ea quæ pollent Episcopi, juris est Divini. 2. Patres quibus Concilium Tridentinum subscribit, asserunt Episcopos esse successores Apostolorum: *Cæterum* (inquit Hieronymus Epist. 85.) *omnes Apostolorum successores sunt*. Eadem igitur jure jurisdictio convenit Episcopis, quo conveniebat Apostolis: ei enim qui succedit alteri, eodem jure convenit regimen, seu jurisdictio, quo decessori conveniebat. 3. Episcopi, ex Concilio Tridentino, sunt capita Hierarchiæ Ecclesiasticæ, eum autem gradum habent divino jure, cum enim (ut superiore articulo observatum est) certum sit Hierarchiam Ecclesiasticam esse divinæ institutionis, debet etiam esse certum illius Hierarchiæ capita juris esse divini; ac proinde jurisdictio qua fruuntur, quæque in ratione Capitis, Principis, essentialiter includitur. 4. Episcopi in omnibus orbis regionibus sic litteras Pastorales inscribunt, N. *Dei gratia Episcopus &c.* Ergo agnoscunt sibi a Deo creditum fuisse Ecclesiasticum regimen. Nec levis ponderis est ea ratio: siquidem concors omnium totius orbis Episcoporum sententia, vim habet maximi & œcumenici Concilii. Illud argumentum alias adhibuit Augustinus ut Pelagianos confunderet.

Conclusio 3. Episcopi ab ipso Christo immediate suam habent jurisdictionem. Est contra Joannem de Turrecremata, qui lib. 2. capite 54. Summæ de Ecclesia, docet ipsos etiam Apostolos non a Christo, sed a Petro immediate suam habuisse jurisdictionem. Est etiam contra Bellarminum, qui licet fateatur Apostolos immediate jurisdictionem a Christo sortitos fuisse, negat tamen sic Episcopis dari, sed tantum mediante Papa.

Probatur 1. contra Joannem de Turrecremata. 1. Certissimum est Paulum nullo mediante Apostolo, sed immediate ab ipso Christo accepisse sui Episcopatus jurisdictionem. *Paulus* (ait ipse ad Galatas 1.) *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem*: Ibidem ut probet se non accepisse auctoritatem a Petro vel aliis Apostolis, sic loquitur: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, & iterum reversus sum Damascum: deinde post annos tres veni Hierosolimam videre Petrum &c.* Cap 2. hæc scribit in eundem scopum: *Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt*. 2. Matthiæ immediate datam fuisse jurisdictionem ex eo evincitur, quod Acta fidem faciant ipsum ne electum quidem fuisse ab Apostolis, sed divinitus demonstrata electione, statim fuisse collegio Apostolorum annumeratum. 3. Quæ de Paulo & Matthia mox dicta sunt, locum habent in cæteris Apostolis: constat scilicet ex sacris codicibus ipsos immediate a Christo constitutos fuisse Apostolos: *Et cum dies factus esset* (inquit Lucas cap. 6.) *vocavit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*. Idem asseritur Joannis 6. *Nonne ego vos duodecim elegi*. Constat iterum ex iisdem sacris codicibus singulis Apostolis immediate a Christo promissas fuisse claves, seu jurisdictionem. *Amen dico vobis* (ait ipse apud Matthæum cap. 18.) *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*. Constat rursus ipsos immediate missos tum ad prædicandum Evangelium, tum ad conferenda Sacramenta: *Et dixit eis* (inquit Marcus cap. 16.) *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Constat denique eos missos fuisse ad regendam Ecclesiam, quemadmodum ipse Christus ad illius regimen missus fuerat a Patre: *Sicut misit me Pater* (ait ipse Joannis 20.) *& ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Atqui Christus per suam missionem donatus est jurisdictione in Ecclesiam: Ergo & Apostoli per suam a Christo missionem, immediate acceperunt jurisdictionem. Ea jurisdictione usus est Paulus 1. ad Corinth. 5. ubi incestuosum damnavit excommunicatione, usi sunt & alii Apostoli in Concilio, quod Hierosolymis de soluta Mosaica lege celebrarunt.

Juenin de Sacram.

Probatur iterum nostra conclusio authoritate Patrum. Cyprianus Epist. 65. supponit Apostolos immediate constitutos fuisse a Christo; proindeque eos ab ipso suam sortitos fuisse jurisdictionem. S. Martyr id supponit tamquam principium, quo nonnullorum Diaconorum ausum comprimat: *Meminisse autem Diaconi debent* (inquit) *quoniam Apostolos, idest Episcopos & Præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in Cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros; Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui Episcopos facit, possunt & contra nos audere Diaconi, a quibus fiunt*. Idem asseruerunt alii Patres quos jam jam contra Bellarminum prolaturi sumus in medium.

Probatur 2. nostra conclusio contra Bellarminum. Episcopi sunt successores Apostolorum: *Non hæc jacto* (inquit Cyprianus Epistol. 69.) *sed dolens profero; cum te judicem Dei constituas & Christi, qui dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes præpositos, qui Apostolis Vicaria Ordinatione succedunt, Qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum qui me misit*. Eodem modo loquitur Hieronymus Epist. 1. *Absit* (inquit) *ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt: per quos & nos Christiani sumus: qui claves regni cælorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant: qui sponsam Domini sobria castitate conservant*. Sic etiam loquitur Concilium Aquisgranense cap. 9. *Cæteri Apostoli in toto orbe dispersi Evangelium prædicarunt, quibusque decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum*. Sic etiam Nicolaus Papa I. Epist. 47. *Subiturus tamen ad cælos hanc* (Ecclesiam) *Apostolis commendavit, ac per eos tamquam hæreditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos Pastores & Episcopos ac Pontifices super ipsam constituit, ejus providentiæ curam indulsit, quatenus pro patribus nati sunt filii, & pro iis constituti Principes in omnem terram, imitatores eorum essemus, sicut & ipsius Christi*. Eadem ratione loquitur Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum: *De solis Apostolis legitur, quorum vices tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant*. Idem etiam loquendi modus a Tridentinis Patribus sess. 23. usurpatur.

Ex ea vero successione invictissime colligitur non a Papa, sed immediate ab ipsomet Christo Episcopos suam habere jurisdictionem: nam de ratione successoris est, ut suam potestatem ab eodem habeat, a quo habuit prædecessor; alioquin non esset successio, sed alia nova institutio. Ergo Episcopi ab eodem immediate habent suam jurisdictionem a quo eam Apostoli acceperunt. Sed Apostoli (ut superius ostensum est) sua jurisdictione non a Petro, sed immediate ab ipso Christo donati sunt. Ergo ea quoque nunc donantur Episcopi. Confirmatur argumentum ex eo, quod ideo Romanus Pontifex immediate a Christo accipiat jurisdictionem, qua in omnes ubique gentium fideles fruitur, quod succederit Petro, quem ipse Christus totius Ecclesiæ caput visibile constituit. Ergo a pari cum Episcopi Apostolis successerint, ab eodem jurisdictionem recipiant oportet, a quo Apostoli eam receperunt. Nicolai Papæ I. videtur esse ejusmodi illatio, sic enim loquitur Epist. 47. *Sic Episcopi hæreditario jure succedunt Apostolis, & cum ita succedunt, a Christo ut Apostoli* (ac proinde immediate) *potestatem jurisdictionis obtinent*.

Iis quæ tum contra Joannem de Turrecremata, tum contra Bellarminum hucusque dicta sunt, robur additur maximum ex judicio doctrinali sacræ Facultatis Parisiensis. Anno 1658. prodiit liber sub hocce titulo Gallico: *La defense de notre saint Pere le Pape, &c. contre les erreurs de ce temps, Par Jacques de Vernant* Ejus vero libri pag. 49. hæc legebatur propositio. *Les Eveques recoivent du Pape la jurisdiction qu'ils exercent sur leurs sujets*. Hoc est, *Episcopi accipiunt a Papa Jurisdictionem, quam exercent in subditos sibi popu-*

los. Hanc quoque aliam legere erat: *Si chaque Eveque recoit immediatement de Dieu sa puissance, nous ne pouvons reconnoitre une principauté superieure dans l'Eglise de Rome sur toutes les autres, mais une egalite parfaite*: id est, *Posita institutione Episcoporum immediate a Christo, statuenda est omnimoda inter Episcopos & S. Pontificem æqualitas & nulla subordinatio*. Priorem propositionem sacra Facultas hac censura perstrinxit: *Falsa est, verbo Dei contraria, & olim a sacra Facultate reprobata*. Alteri hanc inussit censuram; *Falsa est, temeraria, & præbet occasionem subvertendi ordinem Hierarchicum, præsertim vero Primatum Summi Pontificis*.

Objicies 1. Episcopi electi nullam habent jurisdictionem, Ecclesias ad quas præsentati fuere, regere non possunt antequam Bullis Pontificiis instituantur. A Papa igitur, non autem a Christo, immediate suam habent jurisdictionem.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia electio facta a capitulo, aut aliis, ad quos de jure aut consuetudine spectat, institutio per bullas pontificias sunt conditiones requisitæ ut Christus jurisdictionem Episcopis impertiatur. Confirmatur exemplo petito a jurisdictione, quam summus Pontifex in totam Ecclesiam exercet: Licet enim (ut fides docet) Papa eam jurisdictionem habeat immediate a Christo, non communicatur tamen nisi per canalem electionis factæ a Clero Romano.

Objicies 2. Episcopi hac utuntur formula in suis litteris publicis: *Nicolaus Dei & sanctæ Sedis gratia Episcopus*: Persuasum est igitur Episcopis se a Deo quidem, sed remote, immediate vero a Summo Pontifice, suam habere jurisdictionem.

Resp. 1. formulam quæ objicitur, ab Episcopis quovis sæculo adhibitam non fuisse: de illius antiquitate & origine hæc habet Thomassinus noster tom. I. operis quod inscripsit, Vetus & nova Ecclesiæ disciplina de Beneficiis, parte 5. lib. 1. cap. 59. *Quos primos memini legisse me hoc titulo singularis in Sedem Romanam vel clientelæ suæ, vel observantiæ, vel conjunctionis insignitos, ii fuere Episcopi Latini insulæ Cypri. Eo enim nomine usus est Archiepiscopus Nicosiensis in Constitutionibus a se editis jam inde ab anno 1251. Alius ejusdem Sedis Pontifex eodem titulo venditavit se, Dei & Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus, in Concilio ubi præerat non Latinis modo Episcopis ejusdem Insulæ, sed & Græcis, Maronitis, Armenis, spiritualibusque Rectoribus Nestorianorum & Jacobitarum. Poterat hinc quoque originem traxisse ea consuetudo, quod Archiepiscopus Cypri Latinus hanc præcellentem authoritatem suam in Episcopos Græcos, Maronitas, & Armenos adeptus esset institutione & beneficio Apostolicæ Sedis. Nec multo post tempore Episcopi Italiæ eodem titulo gloriabantur. Archiepiscopi Ravennates eo se induerunt jam inde ab annis 1310. 1314. in Epistolis & in iis quibus præfuerunt Conciliis. Hos proxime imitati sunt Archiepiscopi Narbonenses. Anno quippe 1351. hoc titulo in Epistolis, & in Conciliis usi sunt. Proximus accessit Archiepiscopus Turonensis, nempe anno 1365. Salisburgensis in Germania Episcopus anno 1417.*

Responderi potest 2. formulam de qua agitur apud Orientales non esse in usu, imo nec apud Occidentales plerosque. 3. Qui eo titulo Epistolas inscribunt, hoc unum testatum volunt, nempe suam in Romanam sedem pietatem & observantiam, suam cum ea communionem, non vero quod ab ea immediate suam jurisdictionem recipiant.

Objicies 3. cum Bellarmino. Si Deus Episcopis jurisdictionem immediate conferret, omnes Episcopi haberent æqualem jurisdictionem, sicut habent æqualitet ordinis potestatem: Deus enim non determinavit unquam Episcoporum jurisdictionem. At (inquit laudatus author) modo unus Episcopus habet unum oppidum, alius centum oppida, alius multas provincias: non igitur a Deo, sed ab homine datur ejusmodi jurisdictio. Idcirco enim ille magnum, ille parvum populum regit, quia ita placuit ei qui jurisdictionem dedit, idest, principi totius Ecclesiæ.

Resp. æqualem omnibus Episcopis a Christo datam fuisse potestatem, sicut æqualis (salva Petri præeminentia,) data fuit Apostolis: unde Diœceseon quibus præsunt aut amplitudo, aut coarctatio humani est juris, quod quidem, ubi saluti populorum expedierit, vicissitudini obnoxium est. Parem illam divino jure honoris prærogativam in singulis Episcopis supposuit Julius Papa I. Epistola ad Orientales apud Athanasium Apologia 2. ut Episcoporum translationes proscriberet: *Si igitur* (inquit) *vere parem, eundemque honorem in omnibus Episcopatibus censetis esse, neque in magnitudine Civitatem* (*ut vos scribitis*) *honorem hujus rei crescere arbitramini, oportuit eum, cui concredita est parva Civitas, in ea quæ credita est, permanere, & nequaquam, rejecta concredita, ad eam quæ concredita non est, transvolare: ne eam quæ a Deo data est, aspernari, illam vero quæ hominum ambitu concessa est, magnifacere videatur.*

Objicies 4. si concludatur Episcoporum jurisdictionem immediate esse a Christo, quod Episcopi sint Apostolorum successores, concludi etiam debebit eos jurisdictionem habere in totam Ecclesiam: cum ea Apostoli hisce verbis a Christo donati sint, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, & cum is qui succedit alteri, omnia ac singula illius jura consequatur. Sed falsum est consequens, nempe Episcopos habere jurisdictionem in totam Ecclesiam.

Resp. 1. Episcopos, his etiam temporibus, jurisdictionem habere in totam Ecclesiam ubi sententiam dicunt in Conciliis generalibus. 2. Amplitudinem potestatis singulis Episcopis datæ a Christo canones, ut Episcoporum mutuæ paci ac populorum saluti consulerent, coarctasse ad Diœceses particulares. Illius divinæ potestatis amplitudinem innuit ac explicat Cyprianus cum Episcopatum asserit unum esse, creditumque fuisse cuilibet Episcopo in solidum sub uno Christi Vicario Romano Pontifice: *Quam unitatem* (inquit lib. de unitate Ecclesiæ) *firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Episcopi qui in Ecclesia præsidemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat; Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, &c.*

Objicies. 5. Posito quod Episcopi jurisdictionem immediate a Christo recipiant, omnimoda erit ipsorum æqualitas cum Pontifice Romano: ac proinde evertetur omnino Primatus a Christo datus Petro, ejusque successoribus. Ergo, &c.

Resp. neg. ant. Nec enim sequitur magistratus aliquos non esse inferioribus superiores quod non minus istis quam illis Rex jurisdictionem concesserit: Unde (ut superius observatum est) merito sacra Facultas Parisiensis damnavit articulum quo Jacobus De Vernant contendebat cum Episcoporum jurisdictione immediate accepta a Christo non cohærere primatum Romani Pontificis: Eumdem articulum tertio Ecclesiæ sæculo jam proscripserat S Cyprianus in lib. de unitate Ecclesiæ, ubi sic loquitur: *Loquitur Dominus ad Petrum; Super hanc Petram, &c. Tibi dabo claves, &c. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum, si cui remiseritis peccata, &c. Tamen ut unitatem manifestaret unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

Objicies 6. textum Leonis Papæ I. qui sic habet Epist. 89. *Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet*. Eo in loco Leo Magnus docet Deum ordinarie dona sua, ac proinde jurisdictionem, per Petri successorem diffundere in totum Ecclesiæ corpus, proindeque in Episcopos qui præfecti sunt illius regimini.

Resp. eo sensu jurisdictionem, ex Leone Magno, diffundi a Petro successore in Episcopos, quod ea uti

non

non debeant nisi summa cum visibili Ecclesiæ capite consensione; necessaria est nimirum Episcoporum omnium cum uno consensio ut tollatur schismatis occasio: *Licet ex æquo* (inquit Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum) *super eos* (Apostolos) *Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Confirmatur ea solutio ex eo quod loco qui nobis objectus est Leo Magnus loquatur de effusione Dei donorum in Apostolos: at ea effusio (fatente Ipso Bellarmino quem hic impugnamus) facta non fuit in Apostolos mediante Petro, sed immediate ab ipsomet Christo. Non aliud igitur quam Apostolorum in jurisdictionis usu consensionem docere voluit Leo Magnus. Bis Christus Ecclesiæ claves credidit Apostolis, semel quidem cum singulos alloquens declaravit se ratum habiturum in cœlis quod in terris aut solvissent aut ligassent; altera vero vice cum seorsim Petro easdem claves credidit, in eo etiam implexuit, inseruitque quodammodo, ut in vertice suo totum Apostolicum, seu Episcopale collegium. Ea fuit mens Leonis Magni cujus textu Bellarminus abutitur; sic etiam sensit Pacianus Epist. 3. ubi sic loquitur; *Ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ut anitatem fundaret in uno. Mox id ipsum in commune præcipiens.*

Caput Secundum.

De Episcopatus Essentia.

Conveniunt omnes Theologi Episcopatum in se sumptum esse sacrum ritum, per quem Ecclesiæ regimen, & potestas tum ordinandi ministros, tum Neophytos confirmandi conferuntur. Sed controvertitur inter eos an sit Sacramentum a Sacerdotio distinctum. Negativam opinionem plures Scholastici veteres amplexi sunt: contenderunt enim Episcopatum esse meram Sacerdotii extensionem, quatenus nempe per eum vel extenditur character Sacerdotalis per novæ virtutis acquisitionem, vel quod Sacerdos, dum inauguratur Episcopus, jure divino deputetur ad officia, in quæ nihil antea poterat. Affirmativam sententiam Ellius multique alii recentiores propugnant.

Conclusio. Episcopatus est proprie dictum Sacramentum novæ legis a Sacerdotio realiter distinctum.

Probatur. In Episcopatu reperiuntur omnia quæ requiruntur ad constituendum Sacramentum novæ legis: Nam 1. reperitur ceremonia sensibilis; Episcopatus enim physice constat ex impositione manuum & verbis quibus utitur minister dum Sacerdotem consecrat in Episcopum. 2. Ea ceremonia est institutione Christi; liquet evidenter ex eo colligitur, quod ubique gentium Ecclesia in Episcopatu conferendo semper eam adhibuerit. 3. Per eam ceremoniam produci gratiam sanctificantem Paulus diserte asserit 1. ad Timoth. 4. *Noli* (inquit) *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii.* Ad eumdem 2. Epist. cap. 1. hæc etiam ait, *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Duplicem illum locum Chrysostomus, Oecumenius, Theophilactus & passim alii Patres interpretantur de manuum impositione quam Paulus cum Timotheum ordinavit Episcopum adhibuit. Tridentina Synodus sess. 23. cap. 3. iisdem Pauli verbis utitur, ut probet ordinationem esse Sacramentum novæ legis. Ergo, cum ea verba Paulus de Episcopali ordinatione intellexerit, vel non probant contra Lutheranos ordinationem esse Sacramentum novæ legis; vel probant ipsum Episcopatum vere ac proprie esse ejusdem legis novæ Sacramentum.

Probatur 2. ex eo quod persuasum fuerit Patribus per Episcopalem consecrationem dari Spiritum sanctum. Quo autem id probetur, satis sit Theodoreti locus Historiæ lib. 4. cap. 5. scribit sanctum virum Mosen nomine nusquam induci potuisse ut a Lucio Ariano Episcopo consecraretur in Episcopum, quod nempe certo sciret per hæretici hominis impositionem manuum non dari Spiritum sanctum.

Probatur 3. Conveniens fuit ut Christus Episcopatum tamquam proprie dictum Sacramentum institueret. Non enim gratia Episcopo, ut munia sua obeat, minus necessaria est quam Presbytero & Diacono, ut suis pie fungantur.

Objicies 1. Episcopatus non refertur ad Eucharistiæ confectionem aut distributionem: Ergo non est Ordo, ac proinde nec Sacramentum, cum ex officiis Ecclesiasticis illud tantum sit Ordo, qui ad Eucharistiam refertur.

Resp. Episcopatum indirecte referri ad Eucharistiam: Institutus nimirum fuit a Christo ad ordinandos Sacerdotes qui Eucharistiam conficiant, & ministros a quibus fideli populo dispensetur.

Objicies 2. Si Episcopatus esset Sacramentum, characterem imprimeret. Sed nullum imprimit, quippe quod deberet esse Sacerdotali præstantior; eum vero non esse ejusmodi ex eo evincitur quod porestati conficiendi Christi corpus nihil possit excogitari nobilius.

Resp. quod licet character Episcopalis intensive, seu enarrative sumptus, non sit præstantior charactere Sacerdotali, sit tamen nobilior extensive, cum ad plura objecta se se extendat, ad quæ nihil omnino potest Sacerdotalis.

Objicies 3. Ex canonibus Ordines conferuntur Sabbatis quatuor temporum, Episcopatus vero diebus Dominicis, & festis Apostolorum. Ergo Episcopatus ne quidem est Ordo, tantum abest ut sit Sacramentum.

Resp. Canones non loqui de omnibus Ordinibus, ut patet de Minoribus, cum extra Sabbata quatuor temporum conferantur. Dicendum est igitur Canones intelligi debere tantum de Subdiaconatu, Diaconatu, & Sacerdotio.

Caput Tertium.

De materia & forma Episcopatus.

Conclusio 1. Materia Episcopatus non est posita in traditione annuli, aut baculi pastoralis, neque in impositione libri Evangeliorum super caput ordinandi, neque in unctione, sed in sola impositione manuum.

Probatur prior pars 1. In Ecclesia Latina adhibita semper non fuit traditio annuli & baculi pastoralis; eam enim Concilium quartum Carthaginense habitum desinente sæculo quarto, cum describit ritum ordinationis Episcopalis non recenset. 2. in Ecclesia Græca nec modo est in usu, nec fuit antiquitus, cum nec Patres Græci de consecratione Episcoporum loquentes, nec Euchologia illius meminerint.

Probatur altera conclusionis pars. Primo. Apostoli conferentes Episcopatum non adhibuerunt impositionem libri Evangeliorum, id enim nec ex Scriptura nec ex traditione patet, aut probari potest. 2. Ubique non fuit in usu illa libri Evangeliorum impositio: licet enim in Ecclesia Africana observata fuerit sæculo quarto cum illam referat quartum Concilium Carthaginense, tertio tamen nondum adhibebatur; nullum enim est monumentum, quo id possit probari. Ecclesiam Romanam illo eodem titulo primis sæculis usam non fuisse docet Alcuinus in lib. de Divinis officiis quem circa annum Christi 760. conscripsit; Germanos ineunte nono sæculo eum ritum non adhibuisse restatur Amalarius lib. 2. de officiis Ecclesiasticis cap. 14. ubi hæc habet: *Dicit libellus* (id est Ordo Romanus) *secundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo Episcopi teneant Evangelium super caput ejus, quod neque vetus authoritas intimat, neque canonica authoritas.*

Probatur tertia pars. Primo. Nec Presbyterorum nec Episcoporum unctio apud Græcos unquam fuit in usu:

usu: nullum enim illius extat vestigium aut in authoribus Græcis, aut in Euchologiis: & si aliquis scriptor Græcus de unctione materiali quidpiam dixisse videatur, facile (ait Morinus) de spiritali explicatur. Secundo. Quamvis apud Latinos sit antiquissima Episcopalis unctio, utpote recensita a S. Leone serm. 8. de Passione Domini, a Gregorio Magno in primi libri Regum caput decimum; ubique tamen non obtinuit. Africani Patres in Concilio quarto Carthaginensi de illa Episcopali unctione omnino silent, licet multa alia ad Episcoporum consecrationem pertinentia referant. In Hispanicis Conciliis ante septimum sæculum celebratis nulla quoque illius fit mentio: Ergo &c.

Probatur quarta pars. Semper & ubique in conferendo Episcopatu adhibita fuit impositio manuum: Primo. Ea usum fuisse Paulum in ordinatione Timothei testantur ambæ illius ad eum Epistolæ. 2. Concilium quartum Carthaginense eam usurpandam esse docet. 3. Patres qui usque ad sæculum octavum scripsere, ordinis Episcopalis collationem per eam designant. 4. Illi manuum impositioni adscripta fuit a Scriptoribus sacris productio Spiritus sancti: *Admoneo te* (inquit Paulus 2. ad Timoth. 1.) *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Idem docet Chrysost. in hunc locum, multique alii authores.

Conclusio secunda. Hæc verba prolata ab Episcopo consecrante dum tradit Evangeliorum codicem, *Accipe Evangelium & vade, prædica populo tibi commisso, potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam*, non sunt apud Latinos forma Episcopatus; Nec ista alia; *Accipe Spiritum sanctum*, quæ consecrator Episcopus, & ejus adsistentes proferuntur, dum manibus tangunt caput ordinandi, sed sunt orationes per quas invocatur Spiritus sanctus.

Probatur prior pars. Primo Ante prolationem illorum verborum de quibus agitur, Episcopus, in Pontificali Romano dicitur consecratus. Secundo. Nulli rituales ante quingentos annos scripti, nullique authores ea verba aut æquivalentia commemorant. Tertio. Eis aut similibus non utuntur Græci, sed solis Latinis propria sunt.

Probatur altera pars. 1. Hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum*, nullus author per tredecim priora sæcula retulit, licet ceremonias quæ ad ordinationes spectant, plures minute prosecuti fuerint. Secundo. Apud solos Latinos, idque a quadringentis tantum abhinc annis usurpantur.

Probatur tertia pars. Primo. Semper usurpatæ fuerunt, & nunc ubique usurpantur orationes, per quas invocatur Spiritus sanctus super eum, qui ordinatur in Episcopum. Secundo. Illæ orationes exprimunt effectum ordinis Episcopalis, scilicet collationem Spiritus sancti, seu gratiæ necessariæ Episcopo, ut digne imposito sibi onere persungatur. Tertio. Illi Spiritus sancti invocationi S. Patres adscribunt effectum Episcopatus. Hæc enim ait Augustinus lib. 5. de Baptismo contra Donatistas cap. 20. *Si ergo ad hoc valent quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Sic etiam super gestis cum Emerito. *Invocatio nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati*. Iis locis S. Doctor probat contra Donatistas effectum ordinationis, & quidem Episcopalis, cujus expresse meminit, non pendere a sanctitate ministri, sed a nominis divini invocatione, seu a precibus, quibus in ordinandum divina potentia a ministro ordinante advocatur.

Conclusio tertia. Hæc verba, quæ consecrans Episcopus Græcus profert ex præscripto Euchologii: *Divina gratia quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat seu promovet Dei amantissimum Presbyterum in Episcopum*, non sunt forma Episcopatus apud Græcos; sed oratio per quam Spiritus sanctus invocatur ab Episcopo consecrante, dum ordinando manus imponit.

Probatur prima pars. Verba de quibus est quæstio, nihil aliud sunt quam electionis factæ ab Episcopis comprovincialis publica denunciatio; cui similis olim fiebat apud Latinos, ut videre est in ordine Romano edito, sub titulo: *Qualiter in Romana Ecclesia sacri Ordines fiunt*. Secundo verba illa: *Precemur igitur pro eo ut in ipsum veniat sanctissimi Spiritus gratia*, Quæ Euchologium proferri jubet post ista *Divina gratia &c.* de electo Episcopo proprie dicuntur, de eo vero qui jam consecratus est, non nisi improprie dici possunt.

Probatur altera pars iisdem rationibus, quibus supra probatum fuit illam orationem nunc esse apud Latinos, & fuisse semper Germanam Episcopatus formam.

CAPUT QUARTUM.

De Ministro Episcopatus.

Conclusio prima. Ex præcepto Ecclesiæ, tres Episcopi sunt necessarii ad conferendum Episcopatum.

Probatur primo ex consuetudine Ecclesiæ, quæ, seclusa necessitate, numquam contulit Episcopatum nisi per tres Episcopos. Paulum Timotheo cum Episcoporum cœtu manus imposuisse colligit Chrysost. ex his ejus verbis ad eumdem Timotheum, *Noli negligere gratiam, quæ in te est cum impositione manuum Presbyterii*. Eusebius hist. lib. 2. cap. 1. narrat ex Clemente Alexandrino Jacobum Minorem ordinatum fuisse Episcopum Hierosolymitanum a Petro, Jacobo Seniore, & Joanne. Tam altas radices jam egerat tertio sæculo ea consuetudo, ut illi non adhærere ipsi etiam hæretici non auderent; scribit nimirum laudatus Eusebius ex Epistola Cornelii ad Fabium Antiochenum, Novatianum Romam tres advocasse Episcopos, a quibus temulentis fictitiam accepit manuum impositionem, fictusque factus fuit Episcopus.

Probatur 2. ex Canonibus. Prior inter Canones Apostolicos hæc habet: *Episcopus a duobus vel tribus Episcopis ordinetur*. Hæc quoque Arelatensis primi Concilii Canon secundus: *De his qui usurpant sibi quod soli debeant Episcopum ordinare, placuit ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem Episcopis; si tamen non potuerint septem, sine tribus fratribus non audeant ordinare*. Idem etiam præscribit Nicænum primum can. 4. ubi hæc habentur ex interpretatione Dionysii Exigui: *Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem: tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur*. Idem posteriores Synodi, Carthaginensis scilicet secunda can. XII. Carthaginensis tertia can. 30. præscripserunt. Idem quoque injunxerunt Summi Pontifices. Gregorius Magnus in responsis ad Augustinum Anglorum Episcopum hæc ait: *Episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor Episcopis fieri non debet*. Hæc etiam Gregorius tertius scribens ad Bonifacium Moguntinum: *Quoties Episcopum consecraveris, duo vel tres conveniant tecum Episcopi, & eis convenientibus, ipsisque præsentibus, consecres*.

Probatur 3. variis rationibus. 1. Pluralitas Episcoporum qui unum Episcopum consecrent, designat Episcopatus unitatem, de qua unitate sic loquitur Cyprianus Ep. 52. *Et cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item Episcopatus unus, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus*. 2. Illa consecrantium Episcoporum pluralitas uberiorem Episcopatus gratiam adumbrat: cum enim sit plenitudo Sacerdotii, decuit ut uberiorem ac præstantiorem gratiam produceret. 3. Præcepta fuit illa pluralitas, ne res maximi momenti, qualis est Episcopi consecratio, unius præsulis judicio permitteretur.

Con-

Conclusio 2. Tres Episcopi non requiruntur ad consecrationis Episcopalis substantiam.

Probatur 1. exemplis. Verisimile non est Apostolos, qui tam multos Episcopos ordinarunt, semper id præstitisse cum duobus aliis; cum enim nascente Ecclesia perpauci essent ministri, difficili negotio in unum locum convenire plures poterant. Theodoretus lib. 5. hist. cap. 23. refert Evagrium quarto Ecclesiæ sæculo fuisse consecratum Episcopum Antiochenum a solo Paulino. Verum illa Evagrii conse atio admissa fuit ab Occidentalibus, a pluribus Antiochenis, qui Eustathiani dicebantur, eo quod Eustathii successoribus, derelicto Meletio, adhærerent.

Probatur 2. ex Canonibus, qui (ut patet ex laudatis superius) sub disjunctione tantum, trium Episcoporum ministerium ad alterius ordinationem requirunt.

Probatur 3. ex dispensationibus summorum Pontificum. Gregorius Magnus interrogatus ab Augustino Anglorum Episcopo: *Quot necessarii sint Episcopi in Episcopi consecratione*, sic respondit; *Ut quidem in Anglorum Ecclesia in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris ordinare Episcopum, non aliter, nisi sine Episcopis potes*. Ideft, *Solus potes*: convenientior est illa Lectio, quam ista quæ habetur apud aliquos authores, *Cum Episcopis potes*, quare enim ista verba, *Tu solus Episcopus inveniris*, præmisisset Gregorius si voluisset significare Augustinum non potuisse nisi cum Episcopis alios Episcopos ordinare. Henriquez summæ tom. IV. cap. 20. refert Gregorium XIII. concessisse Patriarchæ Æthiopiæ, qui erat e Societate Jesu, ut solus sine adsistentibus pluribus Episcopis Episcopos consecraret.

Confirmantur adducta hucusque argumenta ex veteri ordine Romano, qui agens de consecratione Episcopali unum solum Episcopum, *Consecratorem vocat*, reliquos vero, *Adsistentes*.

Objicies 1. Apostolicæ est traditionis lex quæ præcipit ut Episcopus a tribus aliis ordinetur: Ergo tres requiri videntur non tantum ut licita sit, sed etiam ut valeat ordinatio.

Resp. concesso antecedente, negando consequentiam, multas enim ceremonias habemus ex Apostolica traditione, quæ tamen ad Sacramentorum substantiam non pertineot, hujusmodi est mixtio aquæ cum vino in calice consecrando, de qua in dissertatione de Eucharistia multa diximus.

Objicies 2. Joannes Papa III. in Epist. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ, probat Chorepiscopos non suisse veros Episcopos, eo quod ab uno tantum Episcopo, non a tribus fuissent consecrati.

Resp. Joannis III. argumentum valere, eo quod consecratio ab uno Episcopo peracta signum esset non collatum fuisse Episcopatum Chorepiscopis, alioquin enim in eorum ordinatione passim infracti fuissent canones quibus vetabatur ne Episcopus sine duobus aliis adsistentibus tertium consecraret. Id vero falsum esse a Joanne Papa III. merito supponitur.

Quæres 1. a quo Episcopo debeant consecrari Episcopi?

Resp. 1. suffraganeos Episcopos olim usque ad duodecimum sæculum consecratos fuisse a suis Metropolitanis, aut saltem de eorum consensu. Tribus prioribus sæculis eam disciplioam fuisse in usu probari potest ex canone Apostolico 26. ex Epist. 4. Cypriani, & ex Tertulliano de præscriptionibus cap. 20. ubi asserit ab iis Ecclesiis, quæ jam a nobis Metropoles dicuntur: *Traducem fidei & semina doctrinæ cæteras Ecclesias mutuatas esse, & quotidie mutuari ut Ecclesiæ fiant*. Quarto sæculo observatum fuisse illum ritum demonstratur ex can. 4. primi Concilii Nicæni: *Si quis* (inquit) *absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definit non esse Episcopum*. Pro quinto sæculo illam praxim confirmant hæc Leonis verba ad Rusticum Narbonensem: *Nulla ratio sinit ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati*. Sexto sæculo eamdem legem obtinuisse ostendit can. 5. Concilii secundi Arelatensis: *Episcopum sine Metropolitano, vel Epistola Metropolitani vel tribus Comprovincialibus non licere ordinare*. Septimo sæculo eamdem disciplinam confirmavit quartum Concilium Toletanum cap. 18. Octavo sæculo, altera Synodus Nicena can. 3. Nono, probarunt Capitularia Caroli Magni. Decimo, Joannis XIII. ad citeriotis Britanniæ Episcopos scribens. Undecimo, Leo IX. & Clemens II. in Archiepiscopatus Salernitani erectione, nec non Gregorius VII. lib. 2. Epist. 73. Duodecimo sæculo nonnulli Romani Pontifices Metropolitanos quosdam cœperunt exuere jure, quo ad ea usque tempora potiti fuerant; de ea re conqueritur Bernardus lib. 3. de consider. cap. 4. ubi de multis Ecclesiis sic loquitur: *Truncari se clamitant ac demembrari, vel nullæ vel paucæ admodum sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris, quam? subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus*. Bonifacius VIII. varias postea ubique invexit Sacerdotiorum reservationes, quæ quidem tantum progressum fecerant tempore Concilii Basileensis, ut nullum jus tunc Metropolitanis circa ordinationes videretur derelictum, nunc que ubi invaluerunt nominationes Regiæ, nullum fere permanserit.

Resp. 2. Metropolitanos prioribus sæculis ordinatos fuisse a propria Synodo Episcoporum provinciæ. Id docet Cyprianus Epist. 63. Id etiam confirmat exemplum Cæciliani qui totius Africæ Primas ab comprovincialibus Episcopis fuit ordinatus. Sequentibus sæculis Metropolitanos ordinarunt Primates seu Vicarii, quos vel Patriarchæ propter locorum distantiam in variis sui Patriarchatus regionibus constituerant, vel qui sedebant in prima Diœceseos urbe, in qua præcipua civilis potestas emicebat, ut suo loco dicetur.

Quæres 2. Quod nam sit jus Romani Pontificis in consecrationibus Episcoporum & Archiepiscoporum.

Resp. 1. Pontificem Romanum variis modis spectari posse, 1. Tamquam Archiepiscopum seu Metropolitanum Romanæ Provinciæ. 2. Tamquam Primatem Italiæ & adjacentium regionum. 3. Tamquam Patriarcham totius Occidentis. 4. Tamquam supremum omnium Episcoporum Episcopum. Papa consideratus tribus prioribus modis, potitus est olim jure aliorum Archiepiscoporum, Primatum, aut Patriarcharum, ita ut immediate consecraverit suæ provinciæ Episcopos, ordinaverit Metropolitanos, & instituerit Primates, qui suas vices in dissitis regionibus agerent. Consideratus vero quarto modo, ad omnes orbis provincias misit ordinatos a se Episcopos, sæviente præsertim persecutione, qua, Imperatore Constantino Magno, sedata, apud barbaras gentes erexit Episcopatus plurimos. Misit tamquam caput Ecclesiæ ad consecratos a Synodo Patriarchas & Primates communicatorias litteras, ubi de ordinatione certior factus fuit ipsius Episcopi consecrati litteris. Meminit communicatoriarum illarum litterarum Augustinus Epist. 162. ubi agens contra Donatistas, de Cæciliano Carthaginensi hæc ait: *Posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret, & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cunctis terris, unde Evangelium ad ipsum Africam venit per communicatorias litteras esse conjunctum*.

Resp. 2. Papam nunc solitum esse fere ubique saltem in Occidente, confirmare electos Episcopos, ita ut sine illius bullis nullus quantumvis canonice electus, aut præsentatus a Regibus, ordinetur. Eam disciplinam invexerunt in orbem Christianum varia, tum Ecclesiarum, tum Regnorum cum Summo Pontifice concordata, de quibus subsequenti capite dicetur.

CA-

Caput Quintum.

Ad quos spectet Episcoporum electio?

VViclefus, cui persuasum fuit solos prædestinatos esse Ecclesiæ ministros, docuit solius Dei, cum illi soli perspectus sit numerus electorum, munus esse eos eligere quibus Ecclesiarum regimen credi debeat. Hinc Concilium Constanticose sess. VIII. hunc ejusdem Vviclefi articulum proscripsit: *Si Papa sit præscitus & malus, non habet potestatem super fideles*. Damnavit & hunc alium: *Electio Papæ a Cardinalibus per diabolum est introducta*. Sess. 15. rejicitur articulus 22. Joannis Hus: *Papa vel Prælatus malus & præscitus est æquivoce Pastor*. Rejicitur quoque 26. qui ex vigesimo secundo deducitur: *Non eo ipso quo electores, vel major pars eorum consenserit viva voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso persona est legitime electa; unde sive electore bene vel male egerint, operibus electi debemus credere*.

Lutherus censuit electionem tum Episcoporum, tum aliorum ministrorum Ecclesiæ, ad Clerum & populum jure divino spectare: ita ut sine populi suffragio irrita sit cujuscumque ministri electio: *Hunc ritum* (inquit in libro de potestate Papæ) *per multas Epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi & judicium propinquorum Episcoporum ita allegans ut hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronuntiet*. Eodem pertinent hæc, quæ sic inferius prosequitur: *Nec referre est necesse quanto felicius hodie is ritus divinus servaretur, præsertim tot Sacerdotibus malis regnantibus, & invito populo impositis*.

Joannes Calvinus, cui subscripsere omnes sectarii proxime elapsi sæculi, sic loquitur Institut. lib. 4. capit. 3. *Habemus esse hanc legitimam ex verbo Dei ministri vocationem, ubi ex populi consensu & approbatione creantur, qui visi fuerint idonei. Præesse autem electioni debere alios Pastores, ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum a multitudine peccetur*.

Concilium Tridentinum sess. 23. capite 4. Ecclesiæ Catholicæ fidem hisce verbis proponit: *Docet sacrosancta Synodus, in ordinatione, Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio*. Ejusdem sessionis canon. 7. anathemate damnatur opposita sententia: *Si quis dixerit Ordines ab ipsis* (Episcopis) *collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse &c. anathema sit*.

Ut ea qua par est methodo recensiti hæreticorum errores confutentur, defendaturque Ecclesiæ Catholicæ fides, quærendum est 1. An Laici quidquam olim potuerint in Episcoporum electionibus. 2. An supremum Electionis judicium esset antiquitus penes Episcopos. 3. Quid mutationis in antiqua disciplina jure novo ac Concordatis contigerit. 4. An Ecclesia tum Laicos, tum Clericos jure novo ab electionibus depellere potuerit.

Articulus Primus.

Num Laici quidquam olim poterint in Episcoporum electionibus?

Conclusio. Duodecim prioribus sæculis tum Laicorum vota, tum Clericorum desideria passim expectabantur ad Episcoporum electionem.

Probatur 1. variis textibus authorum, qui quinque prioribus sæculis floruere.

Apud Cyprianum plura sunt loca quibus probetur, populum tertio sæculo suffragio suo nonnihil contulisse ad Episcoporum electionem. Lib. 1. Epistol. 3. docet obtemperandum esse Episcopo, qui canonice electus fuerit: at in Canonica electione recenset populi suffragium: *Post divinum judicium* (inquit) *post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, &c.* Facultatem eam penes populum esse aperte docet ejusdem libri Epist. 4. *Cum ipsa maxime plebs habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi*. Libro 2. Epist. 11. agens de Cornelii Papæ ordinatione, conceptis terminis asserit peractam eam fuisse tum de testimonio totius Cleri, tum de consensu populi: *Factus est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio & de Sacerdotium antiquorum & bonorum virorum collegio*. In electione Athanasii Catholicæ fidei contra Arianos defensoris acerrimi, partes suas habuisse plebis suffragium non obscure innuit Epistola encyclica Concilii Alexandrini: *Testatur* (ajunt laudatæ Synodi Patres apud Athanasium Apolog. 2.) *omnem multitudinem, populumque Catholicæ Ecclesiæ, in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & animæ, clamoribus, vociferationibusque postulasse Athanasium Episcopum dari, idque publicis votis a Christo expetiisse, nosque ut faceremus, per multos dies ac noctes jurejurando obtestatos fuisse; cum interea nec ipsi ab Ecclesia discederent, neque nobis facultatem discedendi permitterent*.

Eusebius de vita Constantini lib. 3. cap. 60. describit Epistolam qua laudatus Imperator Episcopos Antiochiæ congregatos avocat ab Eusebii Cæsariensis electione in Episcopum Antiochenum. Ea vero in Ep. Constantinus meminit suffragii populi: *Quandoquidem hoc litteris vestris continebatur, ut juxta populi ac prudentiæ vestræ suffragium ac voluntatem Eusebius Ecclesiæ Antiochenæ præsideret*. Altera Synodus Oecumenica ubi ad Damasum refert ordinationem Nectarii in Episcopum Constantinopolitanum, non Cleri modo, sed etiam populi consensus meminit: *Nectarium in Concilio generali, communi omnium consensu, præsente Imperatore, totius denique Cleri, totiusque civitatis suffragiis Episcopum constituimus*.

In Concilio Carthaginensi IV. edita est formula, ad quam promovendi ad Episcopatum examinari deberent; in ea autem formula fit expressa mentio consensus populi in consecrandum Episcopum: *Cum* (inquit can. 1.) *in his omnibus examinatus, inventus fuerit plene instructus, tunc cum consensu Clericorum & Laicorum & conventu totius Provinciæ Episcoporum, maximeque Metropolitani vel præsentia, vel authoritate, ordinetur Episcopus*.

Leo Magnus non semel innuit expectanda esse plebis vota ad eligendum Episcopum; unum tamen ex eo textum hic laudabimus: *Cum* (inquit Epist. 84. capite 5.) *de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri, Plebisque consensus concorditer postulaverit ...... Metropolitano defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus, Provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum, atque omnium civium voluntate discussa, ex Presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel ex Diaconibus optimus eligatur*.

Probatur 2. conclusio authoritate scriptorum, qui a sexto sæculo ad octingentesimum usque floruerunt.

Quid Laici in electionibus post annum quingentesimum potuerint in Ecclesia Orientali, facile colligitur ex Epistola, qua Epiphanius Hormisdam Papam fecit certiorem de sua in Constantinopolitanum Patriarcham electione post Joannis obitum. *Sententia* (ait) *& electione Christianissimi Principis Justini & piissimæ Reginæ, sequentiumque eorum, his quibus est bona conversatio, & qui regiis honoribus sunt sublimiores, simul & Sacerdotum & Monachorum, & fidelissimæ plebis consensus accessit*.

Novella 123. Justiniani docemur tum Clerum, tum Populum solitos fuisse tres eligere, ex quibus qui ab Episcopis judicaretur dignior, consecraretur in Antistitem: *Sancimus quoties opus fuerit Episcopum ordinari, Clericos, & Primates civitatis, cujus futurus est Episcopus ordinari, mox in tribus personis decreta facere ...... At ex tribus personis pro quibus talia decreta facta sunt, melior ordinetur, electione & periculo ordinantis*.

Emicuit pariter in Occidente per ea tempora Laicorum

corum jus Episcopalinm electionum respectu. In Italia Præsides, Nobiles, Senatus, Populus cum Clero conspirabant ad electiones & decreto ordinationis subscribebant. Gregorius Magnus lib. 1. Epist. 56. scripsit. *Ursicino Duci, Clero, Ordini, & Plebi Ariminensi*, ut eos hortaretur ad eligendum Episcopum qui eo honore dignus esset. Monere solebat laudatus Pater ut in provinciis in quibus nullus erat qui Episcopali oneri ferendo par esset, Romam mitterentur tres sapientia & probitate commendati qui Ecclesiæ vacantis nomine Episcopum deligerent: *Sin* (inquit scribens ad Neapolitanos lib. 2. Epist. 15.) *aptam non invenietis in quam possitis consentire personam, saltem tres viros rectos, ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & judicio plebs tota consentiat.*

Tertium Aurelianense Conciliom Galliarum disciplinam hisce verbis canone 3. complectitur: *Ita tamen Metropolitanus a Comprovincialibus Episcopis, sicut decreta Sedis Apostolicæ continent, cum consensu Cleri, vel Civium eligatur: quia æquum est sicut ipsa Sedes Apostolica dixit, ut qui præponendus est omnibus, ab omnibus eligatur. De Comprovincialibus vero ordinandis, cum consensu Metropolitani, Cleri & Civium, junta priorum Canonum statuta, electio, & voluntas requiratur.*

Quarto Concilio Toletano can. 18. continetur Hispaniarum praxis in celebrandis Episcoporum electionibus: *Sed* (inquit) *nec ille deinceps Sacerdos erit quem nec Clerus, nec Populus propriæ civitatis elegerit, vel authoritas Metropolitani, vel comprovincialium Sacerdotum assensio exquisivit.*

Eadem quæ antea, ab Imperio Caroli Magni ad duodecimum usque sæculum, in electionibus observata fuit disciplina. Laudatus Imperator lib. 1. Capitularium C. 84. hæc habet: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore adsensum ordini Ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem Cleri & populi secundum statuta Canonum de propria Diœcesi eligantur.* Sub Ludovico Pio Ebbo Rhemensium Archiepiscopus ordinatus est, sed præmisso tum Cleri tum Populi consensu prout requirebant Canones: *Ab Imperatore* (ait Carolus Calvus in Epist. ad Nicolaum Papam I.) *secundum sacrorum Canonum institutionem plebi electione concessa, contigit eos Gissemarum elegisse, qui dum ante Episcopos discutiendus adsedisset ..... reprobatus est. Tunc divino Imperatori visum est, ut Ebbo pro scientiæ capacitate, meritorumque reverentia ad jam dictum promoveretur Episcopatum. Quod cum plebi atque omnibus sane sapientibus relatum esset, placere sibi omnes unanimiter affirmavere: ac sic secundum Canonicam institutionem Archiepiscopus ordinatus.*

Sub Imperio Caroli Calvi ordinati non fuerunt Episcopi, nisi ii in quorum electionem Clerus & Populus consensissent: *Quæ electio* (verba sunt Hincmari Rhemensis in Epist. ad Carolum Calvum quæ legitur Tom. 1. Conciliorum Galliæ pag. 640. *non tantum a civitatis Clericis agenda, verum & de omnibus monasteriis ipsius Parochiæ, & de rusticanarum Parochiarum Presbyteris, occurrant Vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes. Sed & laici Nobiles ac Cives adesse debebunt, quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.*

Sæculo x. tum Clericos tum Laicos suas partes habuisse in Episcoporum electionibus fidem faciunt Patres Concilii Rhemensis, quod anno 991. habitum est: *Nos Episcopi Rhemorum Diœceseos* (inquiunt) *favore & conniventia utriusque Principis nostri domni Hugonis Augusti & excellentissimi Regis Roberti, assensu quoque eorum qui Dei sunt in clero & populo, eligimus nobis Archiepiscopum Abbatem Gerbertum.*

Sæculo xii. quo Baschalis Papa II. concessit Henrico Imperatori investituras quas summa animi constantia Gregorius VII. & Urbanus II. negaverant, consultom est, saltem in speciem, electionum libertati, ita ut tum Clerus tom Populus juxta veterem usom ad eas suum suffragium contalerint: *Ut electione libera* (inquit mox laudatus Pontifex Epist. 24.) *facta sine vi & simonia, consensu Regis, facultatem habeat Rex investiendi per virgam & annulum: & electus a Clero & Populo non consecretur, nisi a Rege investiatur.*

Quæ hucusque prolata sunt testimonia invictissime probant tum apud Orientales tum apud Occidentales duodecim prioribus sæculis tum Clericos tum Laicos suas partes habuisse in Episcoporum electionibus. Nec illi usui quidquam labis iotulit Laodicena Synodus Can. 13. ubi statuit: *Turbis non esse permittendum eorum qui in Sacerdotio sunt constituendi, electionem facere.* Eo enim Canone suffragii aut testimonii jure excussa non est plebs, sed aut summotæ sunt tantum tumultuosæ turbæ quæ vel ignorantiam excæcatæ vel cupiditate illectæ electioni pacifice celebrandæ erant impedimento, aut saltem definitum est arbitrio Episcoporum terminandas esse electiones, nec permitti debere cæco populorum arbitrio.

Articulus Secundus.

Quid Principes duodecim prioribus sæculis potuerint in Episcoporum electionibus?

Conclusio. Varia fuit per duodecim priora sæcula Principum sæcularium potestas circa Episcoporum electiones.

Probatur 1. Non parum ad electiones conferebant tum Imperatorum, tum procerum preces. Mennon Ephesinus Episcopus datis ad Clerum Constantinopolitanum litteris conquestus est in Concilio Ephesino de Joanne Antiocheno, quod Ephesinum magistratum concitaret, quo peteret alium Episcopum substitui illius loco: *Quotidie venerandum Senatum, illustrissimosque cives ad se evocans, magna importunitate flagitabat, ut eorum suffragiis alius in meum locum ordinaretur Episcopus.*

Illustre ejusdem rei exemplum sufficit primum Concilium Constantinopolitanum, quod quidem ad Theodosii votum Nectarium Regiæ urbis Patriarcham consecravit: qua vero ratione id factum sit, narrat Sozomenus hist. lib. 5. cap. 8. Asserit Theodosium Episcopis præcepisse ut sibi eorum qui Episcopatu idonei essent, nomina conscripta traderent, servata deligendi quem libuisset potestate; Meletium post omnes alios addidisse Nectarium cæteris antepositum fuisse, cujus electioni ipsi Episcopi tandem consensere victi costanti Theodosii proposito: *Postquam igitur omnes cesserunt, & in Imperatoris calculum consenserunt, Nectarius baptizatus fuit & communi suffragio Synodi declaratus Episcopus.*

Arcadius instante populo, Chrysostomum Nectario delegit successorem: *Viri Sacerdotales quidem ordinis, sed nihil habentes dignum Sacerdotio* (verba sunt Paladii in vita Chrysostomi) *dum meritis diffidunt suis, Pontificis solium electione fidelium adipisci desperantes, partim Palatii obsident fores, alii munera potentibus tribuunt, alii populis genu posito supplicant. Ad hæc plebs fidelis indignans, Regem pia intentione sollicitat, Pastorem peritum sibi dari suppliciter postulans.* Arcadio præivisse Clerum asserit Sozomenus hist. lib. 8. cap. 2. *Postquam* (inquit) *Populus & Clerus suffragium suum contulissent, etiam Imperator adstipulatus fuit, & qui Chrysostomum adducerent emisit. Convocavit etiam Synodum, ut ea ratione venerabiliorem redderet illius ordinationem.*

II. Ubi interveniebant partium studia, exoriebanturque dissidia, electio, aut electi Præsulis confirmatio Principibus nonnumquam committebatur. In Concilio Chalcedonensi Bassianus contra suum competitorem contestatus est alectum se tum a Populo tum a Clero, tandem confirmatum fuisse ab Imperatore: *Multa necessitate* (inquit act. 11.) *intronizaverunt me in eadem civitate Ephesi, Populus & Clerus & Episcopi. Agnoscens autem hæc piissimus Imperator, repente hoc confirmavit, & repente per Communicatorium aperte declaravit, confirmans Episcopatum. Postea direxit iterum Sacram per Eustachium Silentiarium, quæ confirmaret Episcopatum.*

Simile exemplum videre est in Ecclesia Romana. Cum scissis hinc & hinc suffragiis, alii Symmachum, alii

alii Laurentium elegissent, Theodorici Regis Ariani quidem, sed alioquin sapientissimi, judicio causa permissa est: *Hoc instruxerunt partes* (inquit liber Pontificum in vita Symmachi) *ut ambo Ravennam pergerent ad judicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introissent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in Sede Apostolica.*

III. Post sextum sæculum aliquibus in locis invaluit consuetudo, ut tum Populi, tum Cleri liberis suffragiis electos ipsi Principes confirmarent antequam ordinarentur: id nimirum innuunt hæc Joannis Diaconi verba de Gregorii Magni electione: *Gregorium licet totis viribus renitentem Clerus, Senatus, Populusque Romanus sibi concorditer Pontificem delegerunt. Quem ille apicem evitare decernens &c. At ubi decretum generalitatis evadere nequivit, consensurum se tandem aliquando simulavit, & Imperatori Mauritio, cujus filium ex lavacro sancto susceperat, latenter litteras destinavit, adjurans & multa prece deposcens, ne unquam assensum populis præberet.*

IV. Nonnunquam Episcoporum nominationes absolute Regibus concessæ sunt. Concilium Toletanum XII. quod anno 681. habitum est, indulsit Hispaniarum Regibus, ut regni, cui præerant, Episcopos ipsi deligerent, ea tamen lege, ut antequam ordinarentur, de vita, moribus & doctrina examinarentur a Toletano Metropolitano: *Unde placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ* (verba sunt 6. canonis) *ut salvo privilegio uniuscujusque provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque Regalis potestas elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi judicium dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis, in præcedentium sedibus præficere Præsules & decedentibus Episcopis eligere successores.*

ARTICULUS TERTIUS.

An supremum electionum judicium quondam esset penes Episcopos?

CONclusio. Duodecim prioribus sæculis supremum electionum dominium erat penes solos Episcopos.

Probatur conclusio pro quinque prioribus sæculis. Eusebius hist. lib. 2. cap. 1. refert ex Clemente Jacobum cognomento justum electum fuisse Episcopum Hierosolymitanum a Petro & Joanne. Idem author lib. 3. cap. 11. scribit Apostolos mortuo Jacobo subrogasse Simeonem Cleophæ filium. Lib. 6. capit. 10. asserit Dium ab Episcopis vicinis datum esse successorem Narcisso, qui aufugerat: *Post Narcissi fugam* (inquit) *ignaris omnibus ubinam gentium ageret, visum est finitimarum gentium Episcopis alium ejus loco Episcopum ordinare, Dium nomine.*

Cyprianus sæculi tertii praxim hisce verbis describit lib. 1. Epist. 4. *Propter quod diligenter de traditione Divina & Apostolica observatione servandum est & tenendum, quod apud nos quoque & fere per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes* (quæ tunc ab electione non separabantur) *ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, &c.*

Concilium Nicænum primum jubet, ut ad constituendum Episcopum adsit Metropolitanus cum omnibus Provinciæ Episcopis, si id fieri possit, sin minus, ut tres saltem præsentes sint, quibus cæteri qui absunt, scripto consenserint: *Episcopum convenit, maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, Episcopis constitui. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris longitudinem tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum, quæ geruntur per unamquamque Provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo.* Nec obest, quod laudatus Canon Ordinationis tantum, non autem electionis meminisse videatur. Nam. 1. (ut superius observatum est) prioribus sæculis electionem mox ordinatio subsequebatur. 2. Vox Græca, Chirotonias, non minus electionem, quam Ordinationem significat.

In Concilii Constantinopolitani primi Epistola, qua Patres Damasum Papam certiorem faciunt de Nectarii electione, nec Imperatori, nec Populo hujusmodi electio tribuitur, sed Episcopis tantum: *Nectarium in Concilio Generali ..... Episcopum constituimus.* S. Ambrosius agens de Acholio, Epist. 39. ait eum a populis Macedoniæ expetitum quidem fuisse, sed electum ab Episcopis: *Ille se Monasteriis puer dedit, ad summum sacerdotium a Macedonicis obsecratus populis, electus a Sacerdotibus.*

Concilium Regiense tanti fecit Episcoporum in electionibus celebrandis potestatem; ut irritam declararit electionem Ebrodunensis Episcopi, quod sine Metropolitani, Comprovincialiumque Episcoporum consensu a duobus tantum Episcopis peracta fuisset: *Absque etiam Episcoporum præsentia, absque Comprovincialium litteris, sine Metropolitani authoritate, irritam ordinationis speciem a duobus temere convenientibus præsumptam esse clarebat ...... Ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam esse censuimus.* His monumentis patet supremum Episcopalis judicium quinque prioribus sæculis fuisse penes Episcopos, non autem penes aut inferiorem Clerum, aut Plebem, aut ipsos etiam Imperatores, licet electionibus adessent in iisque suas partes habuissent.

Probatur iterum conclusio pro sæculis, quæ a quinto ad duodecimum fluxere: 1. Quæ iis temporibus sine Metropolitani suffragio fiebant Episcoporum electiones, irritæ erant ac nullæ: *Si absque electione Metropolitani, Cleri consensu, vel Civium fuerit intrusus* (inquit Concilium Parisiense V. Can. 1.) *ordinatio irrita habeatur.* 3. Ubi habeatur Concilium, si tunc eligendus esset Episcopus, a solo Concilio, ac proinde a solis Episcopis eligebatur. Exauthorato Potamio Braccarensi qui semetipsum atrocioris criminis reum ultro confessus fuerat, a Synodo, non expetitis aut inferioris Cleri, aut Populi votis, electus fuit Fructuosus: *Tunc* (inquiunt Patres Concilii Toletani X.) *venerabilem Fructuosum Ecclesiæ Dumiensis Episcopum, omnium nostrum electione constituimus Ecclesiæ Braccarensis gubernacula continere.* 3. Novellis omnibus vel primum postea resurgentibus Ecclesiis non ab aliis quam Præsulibus Episcopi præficiebantur; sic a Gregorio Magno monachus Augustinus electus Anglorum Episcopus, a Galliarum Episcopis consecratus est: ipse vero Augustinus alios qui præessent solus delegit: *Sed & Augustinum* (inquit Joannes Diaconus in vita S. Gregorii) *penes Anglos a Galliarum Episcopis ordinari præcepit. Per quem nihilominus in eadem gente Monachi ejusdem Patris diverso tempore provecti sunt, Mellitus, Justus, Laurentius & Paulinus.* 4. Octava generalis Synodus Canone 22. quascumque Episcoporum electiones uni commisit Episcoporum cœtui: *Promotiones Episcoporum decreto & electione Episcoporum fieri statuit universalis Synodus.* 5. Ubi tum Populus tum Clerus neglexerant debitum sibi electionis jus, excidebant eo jure, & electio ad solum Metropolitanum Comprovincialesque Episcopos devolvebatur: *Si providere sibi & eligere jubente Metropolitano suo neglexerint* (verba sunt cujusdam Canonis quem Hincmarus Rhemensis inseruit Epistolæ, quam Synodus ad sanctam Macram misit ad Ludovicum III.) *tunc judicio & potestate sua Metropolitanus cum aliis Episcopis ordinet, & faciat Episcopum ...... Si tunc Presbyteri, aut Majores civitatis non acquieverint, ut rebelles anathematizentur.*

ARTICULUS QUARTUS.

Quid mutationis in Episcoporum electionibus tum jure novo tum Concordatis acciderit?

CONclusio 1. Jus novum tum populum tum Episcopos Comprovinciales arcet ab electionibus. Probatur ex Concilio Lateranensi IV. quod anno 1215.

1215. habitum est sub Innocentio Papa III. Proponitur eo in Concilio triplex electionum genus, Scrutinium nempe, Compromissio, & Adoratio, seu inspiratio. Scrutinium quod ab eo tempore obtinuit usque ad Concordata, ita describitur, ut tota suffragiorum potestas penes sit capitulum: verba quibus triplex illud electionis genus continetur, hic ex mox laudato Concilio describenda sunt: *Quia* (inquit Can. 24.) *propter electionum formas diversas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secreto & singulatim voces cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto: ut is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel major, vel sanior pars Capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium, Ecclesiæ viduatæ provideant de pastore. Aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem divinam, absque vitio celebrata. Qui vero contra prædictas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur.* Subsequenti canone idem Concilium prorsus rejicit electiones per sæcularem potestatem factas: *Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserint contra canonicam libertatem: & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absque dispensatione possit ad aliquam eligi dignitatem. Qui vero electionem hujusmodi, quam ipso jure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare, ab officiis & beneficiis penitus per triennium suspendantur, eligendi tunc potestate privati.* Si quis vero roget cur Pontifices Romani populum ab Episcoporum electionibus submoverint, dicendum erit id factum fuisse propter Laicorum tumultuosas factiones ex quibus extrema vis, ipsæ etiam cædes eruperunt: unde Concilium Bituricense, quod habitum est anno 1276. quo nondum ubique obtinebat laudatus Canon Lateranensis, coactum fuit anathema in eos intorquere, qui ejusmodi facinorum essent authores: *Multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis Ecclesiis impediuntur totaliter.*

Conclusio 2. Variis Pontifices inter & Reges Concordatis variæ acciderunt Episcoporum electioni mutationes.

Probatur 1. Pluribus Regibus concessa sunt indulta, quibus muniti jure Capituli in electione Episcoporum usi sunt. 2. Inita sunt Concordata quibus aut jus eligendi Capitulo assertum est, aut Principibus, concessum. Hic duorum concordatorum Germanici nempe & Francici leges describemus.

Anno 1448. initia sunt Concordata inter Nicolaum Papam V. & Federicum III. Imperatorem, seu Nationem Germanicam. Eorum autem Concordatorum hæc sunt summa capita. 1. Germani liberis & Canonicis electionibus fruuntur, ea tamen lege, ut electio celebretur in omnibus Ecclesiis Episcopalibus vel Abbatialibus, & electi confirmentur per Bullas Pontificias. 2. Summo Pontifici reservantur beneficia omnia morientium in Curia, vel duabus non longius diætis: omnium quoque Cardinalium, vel Officialium & Ministrorum Curiæ Romanæ, quocumque in loco obierint. Quoad alia beneficia sex Pontifici alternatim menses tribuuntur initio ducto a mense Januario, ita tamen ut si tertio post mense, quam vacare cœpit beneficium, Pontificia provisio, non innotescat, ad Ordinarium ea revolvatur: iis tamen tribus mensibus elapsis Pontifici maximo superest jus præventionis, idque licet facta ab eo provisio post ordinarii nominationem innotescat. 3. Annatæ Episcopatuum & Abbatiarum exolvi debent Apostolicæ Sedi. 4. Papæ reservantur beneficia quæcumque vacaverint depositione, privatione, translatione quæ fiat per authoritatem Apostolicæ sedis; eorum etiam quorum rescissa fuerit electio, aut recusata postulatio, aut admissa per Pontificem resignatio; omnia quoque incomparabilia cum iis, quæ pacifice possideri incipiunt per Apostolicæ sedis collationem. 5. Summus Pontifex potest Episcopatus & Abbatias conferre, nisi Canonicæ eorum electiones ad eum referantur tempore, quod Nicolaus Papa III. in Decretali *Cupientes in Sexto* præfinit. 6. Quantumvis canonicæ fuerint electiones, penes Pontificem est potestas digniorem & Ecclesiæ utiliorem nominandi ex causa rationabili, sed manifesta & de consilio Cardinalium: *Si canonicæ fuerint electiones* (ait Nicolaus Papa III. in Decretali) *Cupientes confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum.*

Juenin de Sacram.

Concordata, quæ Leo X. Bononiæ in Italia iniit cum Francisco I. Francorum Rege, anno 1516. confirmata fuerunt in Concilio Lateranensi V. Ferunt autem ea Concordata, 1. ut cessarent electiones in omnibus Ecclesiis Metropolitanis Cathedralibus Regni & Delphinatus, Comitatuique Diensis & Valentini. Sed ubi posthac illæ Ecclesiæ vacarent, nominaretur a Rege Doctor, vel Licentiatus in Theologia, vel jure, annos natus viginti & septem, sex saltem mensibus postquam Ecclesia vacare cœpisset, a Pontifice vero Romanæ Bullæ & Provisiones darentur. 2. Si a Rege nominaretur is, qui illis dotibus careret, penes Pontificem esset potestas illum repudiandi. Regi tres alii menses ad Novam Nominationem concederentur. 3. Elapso trium mensium spatio, si nullus nominatus esset a Rege, nominandi facultatem ad Papam devolvi. 4. Si Prælati *in Curia* moriantur, nominatio erit solius Pontificis. 5. Principes Regiæ stirpis, & Proceres, qui natalium splendore claruerint, nominari potuerunt, licet nullos in universitatibus gradus assecuti fuerunt. 6. Eodem privilegio gaudebunt Regulares, qui doctrina insignes fuerunt, si tamen iis inscripti sunt Collegiis vel Ordinibus, ubi ad gradus non aspiratur. Qui plura nosse voluerit tum de Concordatis, tum de Indultis, quæ plerisque Occidentalibus Principibus concessa sunt a Summis Pontificibus, tum de antiqua in Episcopis eligendis disciplina, adire poterit Thomassinum nostrum, qui tomo II. libri quem inscripsit: *Vetus & nova Ecclesiæ disciplina*, illud argumentum fuse pertractat.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Ecclesia ab Episcoporum electionibus summovere potuerit tum Laicos, tum Clericos?

NEgant hæretici recentiores qui (ut hujusce capitis initio observatum est) censet non Clericis modo, sed etiam Laicis jus ad Pastorum electiones competere ex institutione Divina. Affirmant e contra Catholici, qui contendunt Laicos electionibus adfuisse aut tamquam testes, aut tamqum consiliarios, aut si tamquam judices, id habuisse juris ex mera Ecclesiæ concessione.

Conclusio. Potuit Ecclesia Laicos summovere ab Episcoporum, cætetorumque Pastorum electionibus.

Probatur primo. Prioribus sæculis Laicis Episcoporum electionibus non adfuere tamquam judices, sed tamquam testes morum & vitæ eorum, qui eligebantur. Id pro ævo suo testatur Sanctus Cyprianus, qui lib. 1. Epistol. 4. sic loquitur: *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, idest, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales, nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima: quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.* Ibidem rationem reddit cur ad Episcoporum electiones plebis testimonium requiratur; ait nempe id fieri, quod singulorum mores plenissime noverit. *Et Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, & uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit.* Idem Sanctus Martyr opponit Populum Episcopis, electionem suffragio populi, Episcoporum autem judicio rem totam permittit: *De universæ fraternitatis suffragio* (ait agens de Sabini ordinatione) *de Episcoporum, qui in*

præsentia convenerant judicio. Eo nixus principio Cyprianus Episcoporum electionem nonnumquam solis Episcopis tribuit: *Factus est* (inquit de Cornelio Papa lib. 2. Epist. 11.) *Episcopus a plurimis Collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant*.

Secundo. Ubi in electionibus celebrandis locum habere plebis tum consilium, tum testimonium, supremum judicium fuit penes solos Episcopos, ut hujusce capitis articulo secundo fuse demonstratum est.

Tertio. Naturalis ratio docet ovibus non convenire ut pascant ac regant, sed tantum ut regantur & pascantur. Verum eligere pastores, actus est regiminis & gubernationis; Laicis igitur, ut pote ovibus tantum, nequaquam competit, nisi concesserit Ecclesia, ut revera alias indulsit, & nunc etiam Principibus indulget cum facultatem facit, ut in regnis quibus præsunt, Episcopos nominent & præsentent Papæ, a quo canonice instituantur.

Quarto. Vel suffragium populi infidelis requireretur ad Episcopi, qui ad eum mittitur, electionem, vel populi qui jam Christianæ religioni dedit nomen. Atqui neutrius suffragium jure divino requiritur: non infidelis quidem, neque enim Paulus & Barnabas consuluerunt civitates, quibus (ut patet ex Actor. 14.) Presbyteros seu Pastores præfecerunt; neque etiam auditi sunt Cretenses, quorum regimini Titus, ex Apostoli mandato, Episcopos & Presbyteros præposuit: *Hujus rei gratia* (inquit Apostolus ad Titum 1.) *reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates Presbyteros, sicut ego constitui tibi*. Non requiritur quoque fidelis populi suffragium, cum nullus aut Scripturæ, aut traditionis locus ab adversariis laudetur, qui probent id ei juris esse ex institutione divina: imo præter ea, quæ superioribus articulis laudata sunt veterum monumenta, alia & quidem aperta in contrarium proferri possunt. *Omnem electionem, quæ fit a magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam, manere*, (ait alterum Nicænum Concilium can. 3.) *Oportet enim eum, qui est promovendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi*. Hæc etiam habet octava Synodus generalis can. 20. (*Universalis Synodus definit, neminem Laicorum Principum, vel potentium semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, aut cujuslibet Episcopi, præsertim cum nullam in talibus potestatem, quemlibet potentium, vel cæterorum laicorum habere conveniat. sed potius silere ac attendere sibi, usque quo regulariter a collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis.*)

Objicies 1. Constat ex Actorum primo capite non solos Apostolos, sed totam Ecclesiam elegisse Matthiam. Patet quoque ex eorumdem Actorum capite sexto Stephanum electum fuisse a multitudine credentium. Quæ autem acta sunt Apostolorum tempore, videntur esse juris divini.

Resp. ad 1. electionem Matthiæ fuisse potius postulationem quam electionem proprie dictam, seu, sancta Ecclesia non tam elegit, quam cupiit aliquem a Deo eligi in locum Judæ: *Et orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum*. Resp. ad 2. populo fideli commissam fuisse ab Apostolis Stephani aliorumque Diaconorum electionem; *Considerate ergo, Fratres* (inquiunt Apostoli Actorum 6.) *viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus*.

Objicies 2. Cyprianus asserit populum ad Episcoporum electiones concurrere ex ordinatione Divina & Apostolica observatione: *Propter quod* (inquit libro 1. Epist. 4.) *diligenter de traditione Divina & Apostolica observatione servandum est, & tenendum quod apud nos quoque & fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciæ quique conveniant, & Episcopus deligatur, plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime novit, &c.* Idem his aliis verbis asserit mox laudatus S. Martyr: *Propter quod plebs obsequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, a peccatore præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maxime habeat potestatem eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi, quod & ipsum videmus de divina authoritate descendere, ut Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur*.

Resp. 1. Cyprianum iis locis (ut mox observatum est) nihil aliud populo concedere, quam potestatem suffragium ferendi per testimonium de vita & moribus, non autem per calculum seu more judicis: idque præter confirmationem quam superius ex illius verbis protulimus, potest iterum confirmari ex eo, quod asserat eo modo Episcopum eligi debere, quo Num. 20. Eleazarus electus fuit: At Scriptura Eleazari electionem uni Moysi tribuit, non autem populo, licet populus illius testis extiterit: *Ascenderunt in montem Hor coram omni populo. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus*. Resp. 2. hæc Cypriani verba: *De divina authoritate descendere*, non significare latum fuisse a Deo præceptum de eligendis ministris ex populi suffragio, sed tantum extare in Scripturis exempla, quibus id factum perhibetur: Exemplis autem probatur quidem sic fieri posse electiones, sed nequaquam probatur latum a Deo fuisse præceptum de iis non celebrandis nisi ex populi suffragio.

Objicies 3. Electio, quæ fit per populi calculum, obnoxia est tumultibus ac seditionibus, ut S. Augustinus advertit Epist. 110. & 215. ubi refert historiam turbulentissimæ commotionis popularis, quæ in Piniani electione contigit. Ea tamen electionis forma duodecim prioribus sæculis obtinuit. Eam igitur nostri majores censebant esse juris Divini, alioquin enim eam jam antiquitus propter incommoda sustulissent de medio.

Resp. cum Bellarmino, rationem eligendi ad suffragia populi paulatim irrepsisse in Ecclesiam: proindeque paulatim etiam debuerit abrogari. In ipsis Ecclesiæ incunabulis, hoc est, Apostolicis temporibus, inscio populo (ut superius ostensum est) Episcopi eligebantur: Deinde populus adhiberi cœpit non tamquam judex, sed tamquam testis, qui de eligendi vita & moribus ferret testimonium. Unde est illud Tertulliani in Apolog. capite 29. *Præsunt probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti*. Tandem ut populis cariores essent Episcopi, nullus eis invitis præficiebatur, sed expectabantur illius vota ac desideria, ut docet Leo Magnus Epistol. 89. ubi sic loquitur: *Expectarentur vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas, custodiri*.

Caput Sextum.

De proprietatibus Episcopatus.

Inter Episcoporum proprietates recenseri possunt 1. eorum superioritas Presbyterorum respectu. 2. Jurisdictio. 3. Necessitas. Cum autem de utraque priore proprietate fuse superius dictum sit, superest ut hic de tertia disseramus.

Articulus Unicus.

Utrum Episcopi sint particularibus Ecclesiis necessarii?

Conclusio. Jure divino requiritur, ut particulares Ecclesiæ regantur ab Episcopis.

Probatur 1. ex perpetuo Ecclesiæ usu. Semper & ubique mox obtinuit, ut cuique numerosæ plebi Episcopus præficeretur a quo ipsa regeretur, & a quo penderent tum Presbyteri in administratione Sacramentorum, tum cæteri inferiores ministri in obeundis ordinum suorum muneribus. Praxim illam secuti sunt Apostoli; patet nimirum ex novo Testamento cuique insigni civitati Episcopum ab eis præpositum fuisse. Eamdem disciplinam constanter amplexi sunt pro-

proximi Apostolorum successores, ut probant hæc Cypriani verba Epist. 52. *Jam pridem per omnes provincias, & per urbes singulas ordinati sunt Episcopi.* Eidem mori constanter ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora tum Occidentales, tum Orientales adhæsere. At (ut agentes de jurisdictione Episcoporum argumentabamur) quod constituerunt Apostoli, quod dum viverent mandatum est executioni, quod postea ubique gentium constanter fuit observatum, juris est divini, ac proinde eodem jure requiritur, ut Ecclesiæ particulares, si fuerit plebs numerosa, ab Episcopis regantur.

Probatur 2. authoritate Patrum: Patres asseruerunt imperfectam esse particularem Ecclesiam, quæ caret Episcopo: unde canones præcipiunt, ut nulla interposita mora mortuo pastori alter substituatur, non tantum ut ab eo ordinentur Presbyteri, *Sed* (ut inquit Leo Magnus Epist. 84. ad Anastasium Thessalonic.) *ne gregibus Domini diu desit cura pastorum. Ne* (ait Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 39.) *cadente Pastore Dominicum gregem antiquus pastor dilaceret.* Ea etiam de causa Ecclesias, quæ essent Episcopis destitutæ, Patres vocarunt corpus sine capite, gregem sine Pastore, navim sine gubernatore: *Nisi apud te purgati fuerimus* (ait Cyprianus Epist. 69. adversus Papianum obtrectatorem suum) *& sententia tua absoluti, ecce jam sex annis nec fraternitas habuerit Episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus antistitem, nec Deus Sacerdotem.* Ecclesiam cui deesset Episcopus, iidem sancti Patres dixere viduam, viduatam, sine viro: *Ecclesia Dei* (ait Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 39.) *diu viduata proprio Episcopo remanere non debet*: Ergo jure divino Ecclesiæ particulari, ubi numerosus est populus, debetur Episcopus: eo nimirum jure cuique Ecclesiæ debetur perfectio requisita.

Probatur 3. ex eo, quod sententia, quæ nostræ conclusioni adversatur, damnata fuerit in Galliis, primum ab Archiepiscopo Parisiensi, mox a sacra Facultate Theologica Parisiensi, & tandem a toto Clero Gallicano, qui Parisiis ad Comitia Generalia convenerat: Earum autem censurarum hæc fuit occasio.

Anno 1625. Urbanus Papa VIII. Richardum Smithæum Episcopum Chalcedonensem instructum Ordinarii potestate misit in Angliam. Nonnulli, alioquin Catholici, quamplures laicos a debita ipsi obedientia variis artibus, editis etiam libris ordini Episcopali maxime injuriosis, avertere conati sunt. Ejusmodi vero impietati, ut occurreret Doctor Kellisonus Duacensis Anglorum Collegii Rector, Anglice scripsit tractatum: *De Hierarchia Ecclesiastica*, quo plurimum commendabat Episcopalem dignitatem, enitebaturque ne ea, quæ tot Scripturarum oraculis, tot sæculorum antiquitate firmata est, iniquorum hominum malignis artibus in plebis delusa mente vilesceret. Vix autem prodierat in lucem libellus, cum Regularis quidam sub fictitio Nicolai Smithæi nomine, eum confutare conatus est altero libello, quem inscripsit: *Modesta & brevis discussio &c.* Eum quoque regularis alter sub nomine Danielis a Jesu aggressus est opere, cui titulus erat: *Apologia pro modo procedendi sanctæ Sedis Apostolicæ &c.* Ambos illos libros scriptos in contemptum Episcopatus proscripsit sacra Facultas Parisiensis, anno 1631. Proscripsit quoque eodem anno illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis, & tandem totus Clerus Gallicanus, qui (ut jam observatum est) Parisiis ad Comitia generalia convenerat.

Eo autem duplici libro multæ propositiones continebantur, quibus Hierarchia Ecclesiastica a Christo instituta tollebatur de medio, impugnabaturque Episcoporum necessitas ad particularium, licet numerosarum, Ecclesiarum regimen. Inter eas propositiones hæ numerantur: *Ordinatio Presbyterorum, & ministrorum Ecclesiæ sola est causa, quæ infert necessitatem Episcopi. Ecclesia tempore persecutionis indiget Episcopo, solum propter ordinandos Presbyteros.* De iis vero propositionibus Academia hocce tulit judicium: *Utraque propositio est falsa: Ecclesiæ ordinisque Hierarchici destructiva & hæretica.* Legebatur & hæc alia propositio. *Lex divina non plus exigit, quam ut sint aliqui Episcopi in Ecclesia, tot numero scilicet, ut periculum non sit, ut totus ordo subito abripiatur eu eorum mortibus, & sic dispersi per mundum, ut omnibus Christianis sufficienter provideatur de doctis & virtuosis Sacerdotibus. Si hoc fiat legi divinæ satisfiet, licet nulli sint Episcopi in Gallia, Hispania, aut Anglia*, cui quidem propositioni hæc inusta est censura. *Ista propositio est falsa, temeraria, scandalosa, ordinis Hierarchici destructiva, erronea, & verbo Dei contraria.* Authores de quibus agitur, ex relatis propositionibus hanc aliam collegerant: *Da ergo mihi multitudinem Christianorum quantumcumque magnam, quæ non indiget Episcopo ad ordinandos Sacerdotes, & audacter dicam, quod non sit opus ut gubernator illius societatis sit Episcopus*: Ea conclusio judicata est, *falsa temeraria, scandalosa, ordinis Hierarchici destructiva, & verbo Dei contraria*. Hanc aliam conclusionem intulerant iidem authores: *imo ponamus ordinationem Sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ non esse necessariam in Ecclesiis, sequitur statim non esse opus, ut Ecclesia universalis gubernetur ab Episcopis, qui superiores sunt Sacerdotibus.* Sic autem proscripta fuit ea altera conclusio: *Ista propositio falsa est, seditiosa, perniciosam & homine Christiano indignam suppositionem continet, doctrinamque inducit hæreticam.* Præter relatas propositiones hæc alia prolata fuerat in medium: *Donatio Confirmationis non impedit (si non indigeant eo Episcopo ad ordinandos Sacerdotes) quin grex ejus dicere ei adhuc possit, nempe pedes capiti, Non indigemus te, ut es Episcopus.* Ea propositio hisce terminis proscripta fuit: *Ista propositio verbis contumeliosis concepta est, inobedientiam suadet, ac hæresim redolet.* Tandem emicabat in libris de quibus agitur hæc alia propositio: *Quod in tempore persecutionis bonum non sit, nec conveniens, nec ullum salarium Ecclesiæ, habere Episcopum, cum nullus sit publicus usus religionis.* Illa autem propositio hacce censura perstricta est: *Ista propositio est falsa, temeraria, Ecclesiæ praxi contraria, ejusque Brevi pro Episcopo Chalcedonensi manifeste repugnans, ac hæretica.* Latas a sacra Facultate censuras, ac vindicatas ab adversariorum dicteriis legere est apud Petrum Aurelium in libro quem inscripsit: *Vindiciæ censuræ Sorbonicæ adversus Spongiam Leomelii.*

Juenin de Sacram.

Objicies 1. Mortuo Episcopo & ante alterius creationem Ecclesia particularis, quantumcumque numerosa supponatur, subsistit: Ergo Episcopus ei ex jure divino non est necessarius.

Præterea Ecclesiæ, cui nullus præest Episcopus, regimen committi potest Presbytero quem aut Summus Pontifex, aut Capitulum elegerit in Vicarium generalem: Ad illius igitur regimen opus non est Episcopo.

Resp. ad 1. tunc temporis Ecclesiam illam particularem non esse integram ac perfectam, sed mancam & truncam Ecclesiam, quæ proinde non sit in statu sibi debito, sed in violento: Unde (ut jam observatum est) ejusmodi Ecclesia dicta est a Patribus: *Grex sine pastore, navis sine gubernatore, corpus sine capite, vidua sine viro.*

Resp. ad 2. per accidens esse, quod, ubi aliter fieri non potest, alicujus Ecclesiæ regimen Presbytero committatur. Verum quæ fiunt per accidens, non impediunt, quin per se seu ex primæva & naturali institutione aliter fieri debeant: Sicut ex eo, quod fit tantum per accidens, quod mortuo Summo Pontifice Clerus Romanus Romanam regat Ecclesiam, colligitur jure divino eam Ecclesiam debere regi a Summo Pontifice. Addit Petrus Aurelius, quod Ecclesia ab Episcopo regatur ex institutione Christi, rem esse moralem non metaphysicam, unde concludit non metaphysice sed moraliter spectandam esse; unde, enim ineluctabili necessitate & ad breve tempus (quod quidem moraliter pro nullo est) Ecclesiæ regimen penes est Presbyterum, puta donec Episcopi electio vel consecratio fiat, id non impedit quin ea Ecclesia per se, seu ex jure divino Episcopi curam requirat: *Sicut* (inquit mox laudatus Aurelius) *nemo dubitat quin Ecclesiæ regimen essentiale esset Apostolis in hac vita degentibus, eosque essentialiter supponeret, ita ut ab iis auferri & per Presbyteros, vel Diaconos administrari non posset,*

quin ipsi illius regiminis præsides permanerent, salva Christi lege & salva Ecclesiastici regiminis a Christo instituti natura. Ita dubitandum non est, quin idem regimen Episcopis & muneri Episcopali essentiale & penitus inseparabile dici debeat, (licet ad breve tempus & per accidens Presbytero committatur) *cum tota Ecclesiæ antiquitus eos Apostolorum successores agnoverit, ac proinde similiter nativos præsides, individuos sponsos ac duces, & necessaria fundamenta & capita Ecclesiæ super ipsos, ut Apostolorum successores, essentialiter superædificata. Quare qui hanc regiminis formam tollere velit, idem tollat necesse est Ecclesiasticum regimen a Christo conditum, ab Apostolis usque servatum & aliud longe diversum inferat.*

Objicies 2. Ordo Episcopalis per se, ac directe fuit institutus ad consecrandos ministros, non autem ad Ecclesiæ regimen. Ergo, seclusa ordinationis necessitate, Episcopi non sunt per se, seu ex institutione Christi, necessarii privatis Ecclesiis.

Resp. hæreticum esse antecedens. Nam 1. fide certum est Episcopos esse successores Apostolorum. Ergo quemadmodum Ecclesiæ regimen, ex institutione Christi, pertinuit ad Apostolos: Ita, & nunc vi ejusdem institutionis spectat ad Episcopos 2. Scriptura conceptis terminis asserit Spiritum sanctum posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei. 3. Episcopi propter regimen a Christo sibi creditum, dicti sunt Episcopi, seu inspectores, aliisque nominibus, quæ populorum curam ac regimen significent, insigniti fuere.

Objicies 3. Canones vetant ne Episcopi pagis præficiantur. Præterea duæ Diœceses in unam coalescere possunt. Ergo Episcopi non sunt jure divino necessarii singulis Ecclesiis particularibus.

Resp. concessa utraque parte antecedentis, nego conseq. Ratio est, quia Summi est Pontificis, Metropolitanorum & aliorum, qui sunt dignitate constituti, judicare quaotus populus requiratur, ut ei regendo Episcopus præficiatur. Unde Ecclesiæ, quæ sunt in minoribus urbibus, non sunt aliquod totum, sed membra totius; illius nimirum Ecclesiæ, cui variis in locis constitutæ unum præest caput, unus præponitur Episcopus, unus Pastor præficitur.

Caput Septimum.

De Episcoporum officiis.

IN nostra dissertatione de Sacramento Confirmationis ostensum est Neophytorum confirmationem ad solum Episcopum tamquam ad ministrum ordinarium spectare. Dictum est quoque hac in dissertatione, diceturque etiam inferius, ei soli saltem, ut ministro ordinario, competere jus Clericos ordinandi. De cæteris igitur officiis nonnulla hic perstringamus oportet.

Episcopis incumbit onus prædicandi per se ipsos Dei verbum: *Decernit sancta Synodus* (inquit Conc. Trid. sess. 5. cap. 2.) *omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri* PER SE IPSOS, *si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium.* Jus autem annuntiandi Dei Evangelium ita Episcopis proprium est, ut nulli sive Sæculares sint, sive Regulares, possint sine accepta ab eis potestate, aut licentia eo munere perfungi: *Caveant Episcopi* (ait loco mox relato sacra Synodus) *ne aliquem vel eorum, qui cum sint nomine Regulares, extra claustra tamen & obedientiam suarum religionum vivunt, vel Presbyterorum sæcularium, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu, in sua civitate vel Diœcesi prædicare permittant.* Sic iterum loquitur sess. 24. cap. 4. *Nullus sæcularis sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat.*

Tenentur quoque ex officio Episcopi per se ipsos Diœcesim sibi creditam identidem perlustrare. Id enim oneris post multa antiqua Concilia injungit Tridentinum: *Patriarchæ* (inquit sess. 24. cap. 3.) *Primates, Metropolitani, Episcopi propriam Diœcesim* PER SE IPSOS *visitare non prætermittant.* Alia quæ ipsis incumbunt onera idem Concilium recenset sess. 23. cap. 1. de reform. ubi hæc habentur. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliorumve miserabilium personarum curam paternam gerere &c.*

Cum vero debitis iis officiis Episcopi perfungi non possint nisi in Diœcesi sibi credita resideant, certum est teneri eos ad residentiam, *Sacro sancta Synodus* (inquiunt Tridentini Patres sess. 6. cap. 1. de reform.) *omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quovis nomine, ac titulo præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus a supremo judice requirendus, custodiæ minime incumbant, cum certissimum sit non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit & pastor nescit. At nihilominus, quia nonnulli, quod vehementer dolendum est, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cælestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium solicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, se detinent occupatos; placuit sacrosanctæ Synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum injuria pene in desuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute præsentis decreti innovat.* Idem Concilium eos, qui per sex menses continuos extra Diœcesim suam morando abfuerint, mulctat privatione quartæ partis fructuum unius anni: Si vero per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverint, alia quarta parte: crescente vero contumacia severiori canonum censuræ subjicit.

Mox relato Concilii loco alter adjungendus est ex sessione 23. capite 1. de reform. ubi licet expresse non definiatur pastorum residentiam juris esse divini, ii tamen termini leguntur, qui jus illud non obscure innuant. Definitur nimirum 1. Pastores præcepto divino teneri ad officia, quæ sine corporali residentia minime possunt adimpleri: *Cum* (inquit Concilium) *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio & veritate pascant & regant.* Definit 2. absentiæ spatium sive interruptum, sive continuum, non debere excedere duorum, aut saltem trium mensium spatium: *sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; & haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento, quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit.* Definit 3. peccare lethaliter, qui decretum mox relatum infregerit, ac præterea non posse tuta conscientia sui beneficii fructus percipere: *Si quis autem, quod utinam numquam eveniat, contra hujus decreti dispositionem abfuerit: Statuit sacrosancta Synodus præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse.* Definit 4. decreta, quæ mox relata sunt, ad ipsos quoque Curatos inferiores spectare: *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de Cu-*

ratis

ratis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent, sacrosancta Synodus declarat & decernit.

Quænam vero sint causæ, quæ pastores a personali residentia eximunt, declarat eadem sacra Synodus cum sic loquitur: *Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abesse postulent & exigant* &c.

Episcopo cæterisque quibus incumbit animarum cura fugam licere dum sævit persecutio, ipsumque pastorem non populum impetit, docet Cyprianus lib. 2. Epist. 5. ubi apud Clerum Romanum sic suæ ipsius fugæ patrocinatur: *Nam sicut Domini mandata instruunt statim turbationis impetu primo cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quam quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ac per inverecundam præsentiam nostram, seditio quæ cœperat, plus provocaretur.* Addit laudatus Martyr eo etiam in casu subrogari debere vicarios idoneos, qui absentis Episcopi vices gerant: ipsumque Episcopum pastoralibus litteris, frequentibus monitionibus teneri absentiam supplere: *Absens tamen corpore nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quominus secundum Dei præcepta, fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem.* Lib. 3. Ep. 24. S. Doctor Clero suo significavit absentiam sibi permolestam fuisse, sed tamen plebi necessariam: *Oportet nos paci communi consulere, & interdum quamvis cum tædio animi nostri deesse vobis, ne præsentia nostri invidiam & violentiam Gentilium provocet, & simus authores rumpendæ pacis, qui magis quieti omnium consulere debemus.*

S. Augustinus Cypriano subscribit Epist. 180. quæ est ad Honoratum. Docet enim 1. posse fugere Clericum, quem persecutio specialiter impetit: *Fugiant* (inquit) *omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis.* Docet 2. ubi est commune periculum, seu ubi in Clericos omnes æqualiter sævit persecutio, Episcopum cæterosque quibus præcipue gregis cura commissa est, quique exemplo præesse debent, fugere non posse: *Sed quando est commune periculum, magisque timendum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo, quam vivendi prosit officio, nulla ratione faciendum est.* Docet 3. ubi periculum est, ne totum Clerum absumat persecutio, ipsum Clerum bipertiri debere, ita ut nonnulli subjiciantur præsenti discrimini, alii serventur ad futura pericula: quinam vero aut discedere, aut permanere debeant, sortibus id suadet committi: *Si inter Dei ministros inde sit disceptatio, qui eorum maneant, ne fuga omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia. Tale quippe certamen erit inter eos, ubi utrique serveant charitate, & utrique placeant charitati. Quæ disceptatio, si aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant & qui fugiant, sorte legendi sunt.* Dati a se consilii hanc rationem reddit S. Pater: *Qui enim dixerint se potius fugere debere, aut timidi videbuntur, quia imminens malum sustinere noluerunt, aut arrogantes, quia se magis, qui servandi essent, necessarios Ecclesiæ judicarunt. Deinde ii, qui fortassis meliores sunt, eligent pro fratribus animas ponere, & hi servabuntur fugiendo, quorum est minus utilis vita, quia minor consulendi & gubernandi vita; quia tamen si pie sapiunt, contradicent eis, quos vident & vivere potius oportere & magis mori malle, quam fugere.* Docet 4. pastores teneri ad residentiam, etiam ubi pars gregis aufugerit, remanserit vero altera, licet numero exigua sit: *Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos paterfamilias volet perpeti.* Docet 4. ubi grex in tuta loca aufugit, pastorem non teneri ibi remanere ubi sævit persecutio, si tamen nullus a suo grege remanere coactus sit: *Si certa essent ista mala, quæ timentur ne in locis in quibus sumus, forte contingant,*

Juenin de Sacram.

prius inde fugerent omnes, propter quos ibi manendum est, & nos a manendi necessitate liberos redderent. Non enim quisquam est, qui dicat ministros manere oportere, ubi jam non fuerint quibus necesse sit ministrare? Mox allata ratione utitur, ut ignavorum quorumdam pastorum argumentum enervet petitum ex exemplo quorumdam SS. Episcoporum Hispanorum, qui fugerant: *Ita quidam sancti Episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis: sed multo plures illic manentibus propter quos manere, sub eorumdem periculorum densitate manserunt.* Docet denique 6. maxime reos esse pastores, qui creditam sibi plebem deserunt sub obtentu Evangelici præcepti: *Cum vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam*, ait nimirum mercenarios esse, non pastores: *Cur sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? Cur non istas duas Dominicas, verasque sententias, unam scilicet ubi fuga sinitur, aut jubetur, alteram ubi arguitur atque culpatur, sic intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contrariæ, sicut non sunt: Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur quod jam superius disputavi, tunc de locis in quibus sumus premente persecutione fugiendum esse Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi .... sic fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam a cæteris ministris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat.*

Si Episcopi aliive quibus incumbit animarum cura, greges sibi creditos deserere non possint cum sævit persecutio, id quoque non possunt cum pestis grassatur. 1. Eædem rationes, quæ illud probant, istud etiam evincunt. Non minus ubi pestis fideles vexat, quam cum in eos tyranni sæviunt, præclara hæc Augustini in Ep. ad Honoratum sententiam habet locum in pastores, qui sæviente persecutione fugiunt; *An non cogitamus, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, & Sacramentorum confessionem & erogationem? Ubi si ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt? Quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blasphemia de absentia ministeriorum & ministrorum?* 2. Nullum in veterum monumentis reperire est pastorem pium, qui ab ovibus, sæviente peste, discesserit. Cypriani tempore universum prope orbem populata est dira lues: tantum abest, ut periculum declinaverit S. Martyr, quin potius oves omnibus solatiis spiritualibus ipse recrearit, præbueritque pro virili parte ipsis etiam paganis temporalia. Ad summum Pontificatum provectus fuit Gregorius Magnus cum Romæ pestis grassaretur: *Pestilentia sæviente, quia Ecclesia Dei sine rectore esse non poterat* (inquit Joannes Diaconus in ejus vita lib. 1. cap. 39.) *Gregorium delegerunt:* Tunc vero Gregorius licet nondum consecratus, sed electus tantum, non modo Romæ remansit, sed donec remissam Dei manum experimento comprobasset, conciones habuit ad populum, quamvis tam diu sæviret pestis, ut vel intra horam octoginta homines absumeret: *Intra unius horæ spatium* (inquit Joannes Diaconus) *octoginta homines ad terram corruentes spiritum exhalarunt. Sed nequaquam destitit fœcundissimus Rhetor populo prædicare, ne ab oratione cessarent, donec miseratione divina, pestis ipsa quiesceret.* 3. Ubi S. Carolus proxime elapso sæculo constanter decrevisset se ne ad breve quidem tempus discessurum ab urbe Mediolanensi, quam lues vastabat, Congregationis decretis Conc. Trident. explicandis propositæ judicium expetiit, quo iis obsisteret, qui suadebant secessionem ab urbe. Respondit autem Congregatio sacra cujus decretum (Fagnano teste in lib. 3. Decretal. p. 1. pag. 79.) confirmavit Gregorius Papa

XIII. non posse Episcopum aut Episcopatum resignare, aut ab eo, etiam ad breve tempus, discedere ubi in omnes indiscriminatim pestis grassatur. Rescriptum est pariter B. Carolo tum ab eadem Congregatione, tum ab eodem Pontifice, teneri quoque Parochos residentiæ lege, ut Sacramenta plebi ministrent, eamque juvent debitis spiritualibus obsequiis. Quis autem ordo, quæ regulæ, quæ methodus servari debeant a ministris ubi sævit lues, minutatim describit S. Carolus in Concilio Mediolanensi quinto.

CAPUT OCTAVUM.

De variis Episcopatus gradibus.

RAtione ordinis omnes Episcopi sunt æquales, at ratione jurisdictionis nonnulli sunt aliis superiores. Primum in ea Prælatorum subordinatione locum tenet Romanus Pontifex, alterum Patriarchæ, tertium Primates, quartum Metropolitani, ultimum Episcopi simpliciter dicti; de iis omnibus sigillatim subsequentibus articulis dicendum nobis incumbit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Romano Pontifice.

HUnc articulum partiemur in tres Paragraphos. In priore proponemus recentiorum hæreticorum sententias de Primatu Romani Pontificis. In altero idem primatus stabilietur argumentis. In tertio solventur adversariorum objectiones.

§. I.

Proponuntur tum Sectariorum sententiæ, tum Catholicorum fides de Primatu Romani Pontifici.

JOannes Vviclefus (teste Thoma Vvaldensi doctrinalis fidei antiquæ tom. 1. lib. 2. art. 3.) docuit profuturum Ecclesiæ: *Si careret Papa, Capitaneo, quia tunc descenderet gratia in omnes homines perpendiculariter, ut sunt digni.* Idem Vviclefus in conclus. suis num. 5. statuit Papam esse Antichristum: *Papa* (inquit) *est ille Antichristus. Hinc colligit expedire, ut nullus sit Papa. Experimento* (inquit) *cognoscimus, quod Papa vel mortuo, vel deposito cum suis Cardinalibus & Prælatis Cæsareis, non minus, sed amplius prosperaretur Ecclesia.* Inde in Concilio Constantiensi damnatur hæc ejusdem Vviclefi propositio. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

Joannes Hus adhæsit Vviclefo. In mox laudato Concilio Constantiensi inter illius articulos isti damnantur, ex. *Papalis dignitas a Cæsare inolevit. Et Papæ perfectio & institutio a Cæsaris potentia emanavit.* X. *Nullus sine revelatione assereret de se, quod esset caput particularis Ecclesiæ sanctæ, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ.* XXVII. *Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat unum esse caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia militante conservetur.*

Post Joannem Vviclefum & Joannem Hus, Lutherus Romani Pontificis primatum aggressus est. Antequam damnaretur a Leone Papa X. docuit Papam habere quidem in universam Ecclesiam Primatum, sed humano jure, non divino: *Si Romana Ecclesia* (inquit in resolutionibus propositionum Lipsiæ disputatarum numer. 15.) *est prima propter primum Apostolum Petrum, eadem necessitate constituatur Compostellanam esse secundam propter Apostolum sanctum Jacobum, & Ephesinam tertiam propter Apostolum tertiam Joannem, & sic per ordinem Apostolorum. At ordo iste numquid servatur? Quo jure ergo solus Petrus facit primam Ecclesiam, nisi humano?* Verum ubi a Leone X. proscripta sunt impia Lutheri dogmata, nullum servavit modum; passim enim Romanum Pontificem vocavit Antichristum.

Zuinglius in Comment. ad Coloss. negat Papam dici posse caput Ecclesiæ: addit fieri non posse, ut visibilis homo sit caput Ecclesiæ, cum (inquit) ipsa Ecclesia sit invisibilis.

Calvinus Lutherum & Zuinglium secutus est. Docuit nimirum 1. Papæ primatum nec esse ex Christi instituto, nec ex Ecclesiæ veteris usu sumpsisse originem. Docuit 2. Papam ne quidem esse caput ministeriale Ecclesiæ, tantum abest, ut sit principale caput. Docuit 3. ex primatu Petri male colligi Romanæ Ecclesiæ primatum. Hæc aliaque similia legere est apud eumdem Calvinum Instit. lib. 4. in harmonia Evangelica ad cap. 26. Matthæi.

Ecclesiæ Catholicæ de Primatu Romanæ sedis in omni Ecclesia fidem perspicuis hisce verbis tradit Concilium Florentinum, Græcis ac Latinis consentientibus: *Definimus sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

§ II.

Asseritur argumentis Divinus in omni Ecclesia Pontificis Romani Primatus.

DIvinum Romani Pontificis primatum invicte is asseruerit a quo fuerit demonstratum 1. S. Petro primatum in omni Ecclesia a Cristo fuisse collatum. 2. Romanum Pontificem esse legitimum Petri in primatu successorem.

Conclusio 1. Christus Petro contulit primatum in omni Ecclesia.

Probatur 1. ex Scriptura Matthæi 16. capite ubi Petrus hisce verbis: *Tu es Christus filius Dei vivi*, confessus fuisset Christi divinitatem, hæc audiit ab ipsomet Christo: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Eum igitur in Ecclesia locum Christus promisit Petro, quem fundamentum tenet in ædificio. Atqui fundamentum in ædificio primum locum tenet cum ab eo sustentetur: primum igitur in collegio Apostolico ac proinde in Ecclesia Christus pollicitus est Petro. Ambrosii est ea illatio: *Petra* (inquit sermon. 47.) *dicitur Petrus eo quod tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat.* Est etiam Gregorii Magni: *Cunctis* (ait lib. 4. Epist. 32.) *Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto & omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Nec eam illationem enervant, qui reponunt omnes Apostolos appellari in Scripturis fundamentum Ecclesiæ: *Superædificati* (inquit Paulus) *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Nam dicuntur fundamenta tum ratione doctrinæ, quam promulgarunt, tum quod singuli varias Ecclesias fundarint, tum quod amplissima jurisdictione, in universum scilicet orbem, donati sint; sed ipsi aliquem in se ipsos primatum, sicut Petrus non acceperunt: *Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur* (inquit Hieronymus libro primo contra Jovinianum) *tamen propterea inter duodecim unus eligetur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio.*

Nec audiendi sunt adversarii ubi reponunt, propositum mox argumentum esse de non supponente, quatenus nempe supponit Petrum esse subjectum hujusce Christi propositionis: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Non sunt (inquam) audiendi. Nam 1. istud pronomen, *Hanc*, demonstrat Petram aliquam de qua Dominus paulo ante locutus sit: Verum Petrum proxime petram appellaverat: *Tu es Petrus*, Syriace *Cephas*, Latine *Petra*: *Et super hanc Petram &c.* 2. Patres

asse-

asserunt ea quæ hic Petro promittuntur, esse mercedem fidei confessionis quam ediderat de Christi divinitate. *Mercedem* (inquit Hieronymus) *recepit vera confessio*. Id quod docet Basilius: *Petrus* (inquit l. 2. in Eunomium) *propter fidei excellentiam, Ecclesiæ ædificationem in se ipsum suscepit*. 3. Non pauci veteres asseruerunt subjectum propositionis, de qua agitur, esse Petrum, nullum vero reperire est qui id inficiatus sit: *Latuit* (verba sunt Tertulliani in lib. de præscriptionibus hæreticorum) *aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum*. Origenes hom. 5. in Exodum ait eidem dictum fuisse quod futurus esset Ecclesiæ fundamentum, cujus Christus modicam fidem arguit: *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur a Domino: Modicæ fidei quare dubitasti?* Hieronymus aperte idem tradit Epist. 57. ad Damasum: *Beatitudini tuæ* (idest) *Cathedræ Petri in communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio*. Et in Epistola ad Marcellum: *Si igitur Apostolus Petrus super quem Dominus fundavit Ecclesiam*.

Nec traditæ verborum Evangelicorum explicationi adversantur ii Patres qui docuere in Christi promissione: *Tu es Petrus & super hanc Petram &c.* Petri nomine intelligi fidem & confessionem Petri: *Super hanc igitur confessionis petram* (inquit Hilarius lib. 6. de Trinitate) *Ecclesiæ ædificatio est*. Gregorius Nyssenus in opere de adventu Domini idem scripsit cum Hilario: *Petra vero fidei tamquam fundamentum, ut ipse Dominus ait ad principem Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: super confessione videlicet Christi, quia dixerat: Tu es Christus Filius Dei viventis*. Ambrosius eadem ratione loquitur in caput 11. Epist. ad Ephesios: *Super illam Petram ædificabo Ecclesiam meam; hoc est in Catholicæ fidei confessione statuam fideles ad vitam*. Eumdem sensum tradit Cyrillus Alexandrinus lib. 4. de Trinitate: *Petram* (ait) *opinor, nihil aliud quam inconcussam & firmissimam fidem vocans*.

Ii (inquam) Patres non adversantur sententiæ, qua per pronomen, *Hanc*, ipse Petrus intelligitur. Nam revera fidei confessio, quam edidit, fuit Ecclesiæ fundamentum, non formaliter quidem, sed dispositive; per illius scilicet confessionis meritum Petrus consecutus est ut constitueretur Ecclesiæ fundamentum: *Mercedem* (inquit Hieronymus) *recepit vera confessio*. Præterea, dato quod fides ab iis Patribus sumatur sine relatione ad Petrum, ita ut significare voluerint fidem de Christi divinitate esse fundamentum Ecclesiæ, id non impedit, quin ipse Petrus, quem Christus alloquebatur, alio sensu sit Ecclesiæ fundamentum: fides nempe dicitur Ecclesiæ fundamentum: quod ad justificationem necessaria sit: Petrus vero, quod primum in ea locum teneat: unde (ut ex dictis patet) non pauci ex iis Patribus qui pronomen, *Hanc*, interpretati sunt de fide, illud quoque de ipsa Petri persona intellexerunt: & quidem merito, saltem ad litteram, cum illud pronomem referri debeat ad eam petram de qua Christus mox locutus fuerat: at locutus fuerat de Simone quem vocaverat petram: *Tu es Petrus*, hoc est, Petra *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Præterea si de alia petra illud intelligere voluisset, cur Petrum immediate ante vocasset petram: *Tu es Petrus &c.*

Litterali explicationi quam defendimus, non efficiunt quoque ii Patres qui per pronomen, *Hanc*, intelligunt Christum ipsum, ita ut voluerint Christum esse petram quæ futura erat Ecclesiæ fundamentum, juxta illud 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Expositionem illam tradidit Augustinus tractatu 123. in Joannem, ubi sic loquitur: *Super hanc ergo petram quam confessus est, ædificabo Ecclesiam meam, Petra enim erat Christus*. Sermone 13. de verbis Domini eumdem sensum tradidit: *Tu es ergo* (inquit) *Petrus*, & super hanc Petram *ædificabo Ecclesiam meam; super hanc petram quam confessus es, super hanc petram quam cognovisti dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi, super me ædificabo te, non super te me*.

Non officiunt (inquam) ii Patres: nec enim locis quæ mox relata sunt, litteraliter exponunt Christi sententiam: *Tu es Petrus & super hanc petram*: Sed ex eo quod ibi fiat mentio fundamenti Ecclesiæ, occasionem accipiunt loqui de Christo, qui revera est unicum primarium illius fundamentum; cujus tamen vices Petrus gerat: unde Theophilactus in caput 22. Lucæ sic eum loquentem inducit: *Post me Ecclesiæ Petra es & fundamentum*. Et sane (ut jam observavimus) pronomen, *Hanc*, debet referri ad substantivum de quo mox habitus fuerat sermo: At non de Christo sed de Petro sermo immediate antea habitus fuerat: *Tu es Petrus & super hanc Petram &c.* Deinde Christus in loco de quo agitur, non vocatus fuerat petra, sed solus Petrus; ad istum igitur, non autem ad illum par est referre pronomen, *Hanc*. Præterea (ut post antiquos, recentioresque Theologos observat Bellarminus) si pronomen, *Hanc*, non referretur ad Petrum cur illi pronomini hæc ad Petrum verba fuissent a Cristo præmissa: *Ego dico tibi quia tu es Petrus?* plane frustra, nisi id quod sequitur: *Super hanc Petram*, ad ipsum Petrum referretur. Quod vero spectat ad Augustinum quem adversarii nobis objiciunt, dicendum est neutram explicationem alteri ab eo prælatam fuisse: hæc enim habet in lib. contra Epist. Donati: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia, quo sensu etiam cantatur in ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii: ubi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit; sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est: Tu es Petrus &c. ut super hanc intelligatur quam confessus est Petrus dicens: Tu es Petrus Filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret.... Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector*. Ideo autem anceps hac in re hæsit Augustinus quod ignorantia linguæ Hebrææ deceptus sit: existimavit enim ideo pronomen, *Hanc*, non debere referri ad Petrum quod putarit Petrum non esse idem ac Petra: *Non enim* (inquit) *dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus*. Id tamen falsum est, cum Petrus ab ipso Christo Joannis 1. dictus sit Cephas; Cephas autem (Hieronymo teste in cap. 2. ad Galatas) nomen est Syriacum quod per rupem, saxum, petram, latine redditur: Addendum est interpretem Latinum non vertisse ex Syriaco, sed ex Græco in quo Petros & Petra idem sunt omnino, elegit vero *Petros* potius quam, *Petra*, quod judicarit satius esse homini tribuere nomen masculinum quam fœmininum.

Probatur iterum nostra conclusio ex Scriptura: Ubi Christus Matthæi 16. Petro pollicitus fuit quod post ipsum futurus esset Ecclesiæ Christianæ fundamentum, promisit ejusdem Ecclesiæ claves, seu jurisdictionem, qua non aliquos tantum, sed omnes homines, ipsos etiam pastores, ligare posset aut solvere. *Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. 1. Ea verba uni Petro dicta sunt, & quidem in mercedem editæ de divinitate Christi confessionis: aliquid igitur ipsi promissum est quod cæteris Apostolis datum non fuit Matth. 28. Joannis 1. At iis locis datæ sunt claves in universum orbem. Ergo Petro datus est primatus in Apostolos. 2. Teste Augustino, Petrus cum Claves accepit, personam gerebat Ecclesiæ, *Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit*. In Serm. de quatuor quæstionibus: *Petrus multis in locis Scripturarum apparet quod personam gestet Ecclesiæ, maxime in loco ubi dictum est: Tibi dabo claves &c.* Fulgentius in lib. de fide ad Petrum cap. 3. idem docet: *Deus* (inquit) *in persona beati Petri, Ecclesiæ ligandi ac solvendi tribuit potestatem*. Sed, ex Patribus, ideo Petrus electus est ut tunc Ecclesiæ personam gereret quod collatus sit ei primatus: *Agnoscitur* (inquit Augu-

Augustinus Enarratione in Psal. 118.) *Petrus in figura gestasse personam Ecclesiæ ob primatum, quem in Discipulis habuit*. Sic etiam loquitut tractatu 124. in Joann. *Cujus Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui Primatum gerebat figurata generalitate personam*. Eadem fuit Eucherii mens in hom. de natali Petri, asserit enim hæc verba: *Tibi dabo claves &c. principaliter* Petro dicta fuisse: *Hoc enim* (inquit) *quod Petro* PRINCIPALITER *dicitur, cæteris quoque Apostolis dictum esse intelligi debet*.

Probatur rursus nostra conclusio ex Scriptura. Joannis 21. sic Christus Petrum allocutus est: *Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei; Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me; & dixit ei: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dixit ei, Pasce oves meas*. Omitto hic ovium ab agnis distinctionem quam Christus usurpavit, quoque significat Petro non agnos modo commissos fuisse, sed matres agnorum, seu pastores omnes, ac proinde cæteros Apostolos; Sed quæro cur Christus ter Petrum de amore compellaverit antequam ei committeret ovium cutam? cur non tantum cum cæteris Apostolis ipsi gregem suum crediderit, sed speciatim, & quidem tot adhibitis circumstantiis, nisi quod ei quidpiam specialem contulerit, quod cæteris Apostolis non contulit? Quid vero id speciale potest esse, nisi Primatus quo eum in universam Ecclesiam donavit? Ita ratiocinati sunt Patres. *Aliis omissis* (inquit Chrysostomus in hunc locum) *Petrum dumtaxat affatur: Fratrum ei curam committit*. Theophilactus in eumdem locum hæc ait: *Finito prandio, præfecturam ovium totius mundi Petro commendabat; non autem alii, sed haie tradidit*. Hæc quoque Bernardus scribit lib. 2. de Consideratione; *Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute & indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas Petre, Pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certe regni? Oves meas, inquit &c.*

Probatur 2. conclusio ex Patribus. Cyprianus in Epist. ad Quintum commendat humilitatem Petri, quod Antiochiæ reprehensus a Paulo, ipsi noluerit opponere primatum; in quam quidem Cypriani sententiam hæc scribit Augustinus lib. 2. de Baptis. cap. 1. *Idem Cyprianus in Epistola ad Quintum ita loquitur: Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione disceptaret, postmodum vendicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se Primatum tenere, & obtemperari a novellis, & posteris sibi potius debere &c.* Paulo post sic prosequitur: *Ecce ubi commemorat Cyprianus quod etiam nos in Scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet &c.*

Prætermissis aliis Patribus qui superius laudati sunt in expositionem verborum Evangelicorum de quibus hactenus, sat est hic appellare Leonem Magnum: *De toto mundo* (inquit serm. de assumptione sua ad Pontificatum) *unus eligitur Petrus, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus proponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus quos principaliter regit & Christus*. Eusebius hist. lib. 2. cap. 14. vocat Petrum omnium Apostolorum probatissimum & maximum, Primorum principem & ducem, magistrum militiæ Dei.

Probatur 3. ratione. In omni hominum collegio, ut servetur ordo, necesse est ut aliquis inter plures sit primus. Ergo aliquis fuit primus in Apostolorum collegio. Sed is haud dubie fuit Petrus, id enim diserte ab Evangelistis asseritur, hæc nimirum habet Matthæus cap. 10. *Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt. Primus, Simon qui dicitur Petrus*. Apud Marcum cap. 3. ubi recensentur Apostolorum nomina, primus commemoratur. Lucas cap. 6. electos a Christo Apostolos numerans orditur a Petro. Sic vero appellatus non fuit rationi personalium donorum; neque enim Evangelistæ scire potuerunt quis esset inter Apostolos optimus: nec etiam quod fuerit ante cæteros a Christo vocatus; constat nempe ex Joannis cap. 1. Andream ante Petrum vocatum fuisse nec tandem quod esset cæteris omnibus senior: nam licet Hieronymus lib. 1. in Jovinianum scripserit eum fuisse Andrea seniorem, id tamen non scripsit aliorum omnium Apostolorum respectu: Præterea multis Patribus visus est ipso etiam Andrea junior: *Occursus Andreæ primus contigit, cum esset Petrus minor tempore ætatis*. Igitur Petrus dicitur primus ratione dignitatis qua præ cæteris donatus fuit a Christo. Confirmatur ex eo quod ubi cæteri Apostoli nominantur, nullus inter eos ordo statuatur. Hinc Patres dixerunt æquales inter se fuisse cæteros Apostolos, Petrum vero primatum inter eos habuisse: *Prior Andreas* (inquit Ambrosius 2. ad Corinth. 12.) *secutus est Salvatorem: sed primatum non accepit Andreas, sed Petrus*. Augustinus tractatu ultimo in Joannem hæc ait: *Petrus propter Apostolatus sui primatum*.

Post Christi mortem Petrum primatus sui officio functum esse constat ex Actorum cap. 1. ubi priore loco inter Apostolos recensetur cæteros alloquitur, quidve sit faciendum præscribit. In quem locum hæc scribit Chrysostomus: *quam agnoscit Petrus commissum sibi gregem! quam in hoc choro Princeps est*. Hæc quoque scribit Oecumenius: *Surgit Petrus non Jacobus, ut is cui præsidentia discipulorum commissa erat. Neque ullus orationi Petri contradixit, sed mox ad ejus præceptum constituerunt duos, quos dignissimos eo gradu existimabant, ut unum eorum Deus ipse designaret*. Eorumdem Actorum cap. 2. Pettus primus omnium Apostolorum Christum annunciat, & iterum cap. 3. & 4. comitem habens Joannem, solus tamen orationem habet, ac tum pro se tum pro illo respondet.

Conclusio 2. Romanus Pontifex est legitimus Petri in primatu successor.

Ut probetur conclusio ostendendum est 1. Petrum Romæ commoratum fuisse. 2. Eum in ea urbe diem extremam clausisse. 3. Petrum ad mortem usque fuisse Episcopum Romanum. 4. Tandem Romanum Pontificem Petro in omnibus illius juribus succedere.

I. Petrum aliquando Romæ versatum fuisse ostenditur ex eo quod antiqui Patres hæc prioris ejusdem Petri Epistolæ verba: *Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta, & Marcus filius meus*, interpretati sint de urbe Romana: *Papias* (inquit Eusebius lib. 2. hist. cap. 15.) *& hoc dicit quod Petrus in prima Epistola sua, quam de urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylona nominavit, cum dicit: Salutat vos ea quæ in Babylone est collecta Ecclesiæ, & Marcus filius meus*.

Ostenditur iterum ex eo quod iidem Patres scripserint amplissimam illam Ecclesiam quæ Romæ florebat antequam Paulus eo advenisset, a Petro fundatam fuisse: *Salutaris prædicationis verbo* (inquit de Petro Eusebius lib. 2. hist. cap. 14.) *primus in urbe Roma Evangelii sui clavibus januam regni cælestis aperuit*. Idem scribit Paulus Orosius hist. lib. 7. cap. 6. *Exordio regni Claudii* (inquit) *Petrus Apostolus Domini nostri Jesu Christi Romam venit*.

II. Petrum Romæ mortuum fuisse evincitur ex Tertulliano qui lib. de præscriptionibus cap. 36. sic loquitur: *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præsto est. Felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum suo sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur*. Ejusdem rei fidem facit Lactantius lib. 4. divinarum Institutionum cap. 21. *Christus* (inquit) *decedens aperuit discipulis suis futura omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicarunt*. Prioribus sæculis, sicut & nunc, Romæ videbantur Petri & Pauli corpora, ut hisce verbis testatur Eusebius hist. lib. 2. cap. 25. *Igitur Nero.... Paulum quidem capite in ipsa urbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnat. Horum testimonium quærere extrinsecus superfluum puto, cum rem gestam insignia usque in hodiernum diem, & splendidissima eorum monumenta testentur*.

III. Eumdem S. Apostolum Romæ usque ad mortem Episcopum fuisse testatur Irenæus lib. 3. cap. 3. Ubi enim texit Romanorum Episcoporum Catalogum, primo loco ponit Petrum, atque cæteros quos

a l Eleutherium inclusive recenset, Petro successisse. Tertullianus lib. de præscript. cap. 32. sic hæreticos perstringit: *Evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquis ex Apostolis, vel Apostolicis viris fuerit .... Sicut Romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum profert*. Nihil tritum est magis in veteribus quam istud nomen, *Cathedra Petri*, quod Sedi Romanæ tribuitur: *Navigare audent ad Petri Cathedram* (ait Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ad Cornelium) *atque ad Ecclesiam principalem unde unitas Sacerdotalis exorta est*. Epiphanius hæc habet hæresi 27. quæ est Carpocratis: *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit, Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander &c.* Augustinus hæc scribit lib. 2. cap. 51. contra litteras Petiliani: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet?* Plures alii ejusdem rei proferri possunt testes quorum textus apud nostros Controversistas legere est.

IV. Romanum Pontificem Petro in Primatu successisse hoc argumento ostenditur. Aliquis jure divino debet Petro in Primatu succedere: Ille vero non potest esse alius quam Romanus Pontifex. Ergo &c. Probatur major propositio ex fine Primatus, quem Christus contulit Petro. Ecclesia non minus his temporibus indiget Episcopo qui Primatum teneat, quam Apostolorum temporibus. Præterea Ecclesia quovis sæculo una & eadem est: Si igitur Apostolorum tempore unus erat qui primus esset ex institutione Christi: necesse est ut idem nunc fiat. Minor autem propositio in quam vertitur difficultatis cardo, demonstratur 1. ex eo quod nullus sit nec fuerit unquam alius Episcopus a Romano, qui se Petri successorem prædicarit. Secundo. Ex perpetua Ecclesiæ traditione quæ Romanum Pontificem Petri successorem agnovit, ut mox numero III. fuit ostensum. Tertio. Idem habetur ex Conciliis. Prætermisso canone 6. prioris Concilii Nicæni, de quo inferius agetur, laudari potest canon secundus prioris Concilii Constantinopolitani: *Constantinopolitanus habet Primatus honorem post Romanum Episcopum*: quo quidem canone supponunt Græci Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum primam esse. In Concilio Chalcedunensi primus locus datus fuit Leonis Papæ legatis, agnitus etiam fuit communi omnium consensu, Romanæ Ecclesiæ Primatus, hisque verbis confirmatus a judicibus: *Gloriosissimi judices dixerunt ex his quæ gesta sunt, vel ab unoquoque disposita perpendimus omnem quidem Primatum & honorem præcipuum secundum Canones antiquæ Romæ Dei amantissimo Episcopo conservari*. Quarto. Iis testimoniis accedunt imperatorum sanctiones: *Cum igitur* (inquiunt Theodosius & Valentinianus Imperatores) *sedis Apostolicæ primatum sancti Petri meritum qui princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas civitatis, sacræ etiam Synodi firmavit authoritas*. Non absimili ratione loquendi usus est Justinianus Novella 131. tit. 14. cap. 2. *Sancimus* (inquit) *secundum Ecclesiasticarum regularum definitiones sanctissimum Senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum, Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopolitanorum novæ Romæ secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ Sedem; aliis autem omnibus Sedibus præponatur*. Ex iis veterum monumentis invictissime patet quovis sæculo, tum Clericis tum Laicis in confesso fuisse Romanum Episcopum esse Petri legitimum in Primatu successorem.

§. III.

Solvuntur argumenta quæ ab adversariis objiciuntur contra Primatum Romani Pontificis.

Objicies 1. Plurimi Patres asseruerunt Apostolos æquali tum honoris tum potestatis consortio donatos fuisse a Christo: *Et quamvis* (inquit Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ) *Apostolis omnibus parem potestatem tribuat post resurrectionem, hoc erant atique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus pari consortio præditi honoris & potestatis*. Eadem est sententia Hieronymi lib. 1. adversus Jovinianum: *At dicis super Petram fundatur Ecclesia, licet hoc ipsum alio in loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur*. Hinc Apostoli omnes ab aliis Patribus dicuntur Vicarii Christi: *Constat* (inquit Hilarius Diaconus in Epistol. prima ad Corinth.) *Apostolos esse Dei adjutores, quia Vicarii sunt Christi*. Chrysostomus explicans illud Pauli: *Pro Christo legatione fungimur*, ait: *omnes Apostolos illius loco officium ejus suscepisse*. Persuasum igitur fuit Patribus nullum inter Apostolos Primatum a Christo fuisse donatum.

Resp. Patres laudatis in argumento locis hoc unum velle, Apostolos in clavium administratione, fidei prædicatione, Ecclesiarum fundatione, Apostolatus potestate, æquales fuisse, non autem in Primatu; nec enim id aliquis asserit, imo contrarium omnes iis locis docent, ubi Apostolorum æqualitatem maxime commendant, ut agentes de Episcoporum jurisdictione superius ostensum est.

Objicies 2 Patres non raro asserunt Paulum Petro maxime fuisse æqualem. Nam 1. unanimi consensu scripsere Ecclesiam Romanam a Petro & Paulo fundatam fuisse. 2. utrumque Ecclesiæ Romanæ fuisse Episcopum. 3. Utriusque hanc fuisse Cathedram. 4. Romanos Pontifices non solum Petri sed & Pauli successores esse. Ergo Petrus & Paulus individuum habuere Primatum.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia uterque eo sensu dici potest fundasse Romanam Ecclesiam; gessisse illius Episcopatum, quod uterque ad urbem accesserit, uterque fidem in ea annuntiarit, uterque eam suo sanguine consecrarit, non vero quod uterque Primatu potitus sit. Ex ea responsione & ex præcedenti patet sensus istius Ambrosianæ sententiæ lib. de Spiritu sancto cap. 12. *Nec Paulus inferior Petro* (quoad Apostolatum nempe) *quamvis ille Ecclesiæ fundamentum; & hic sapiens Architectus sciens vestigia credentium fundare populorum, nec Paulus* (inquam) *indignus Apostolorum collegio, cum primo quoque* (tum laboribus, tum virtutibus) *facile conferendus, & nulli secundus: nam qui se imparem nescit, facit æqualem*.

Objicies 3. Petrus nusquam Romæ commoratus est: nec enim potuit illuc appellare ante annum 18. a Passione Domini, cum eo anno Hierosolymitano Concilio adfuerit: Non potuit in eam urbem proficisci post habitum illud Concilium, vigebat enim Imperatoris Claudii edictum quo Judæi, quo nomine intelligebantur etiam Christiani, Roma pulsi fuerant. Præterea Paulus ad Romanos scribens multos nomine suo jubet salutari; Petri autem ne meminit quidem.

Resp. ad 1. Eusebium in Chronico, Hieronymum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis in Petro, asserere Petrum Romam venisse anno 11. Claudii. Ab iis authoribus non dissentit Orosius ubi scribit Petrum Romam venisse in exordio imperii Claudii. Roma vero Petrus ejectus est ejusdem imperii anno nono, quo per edictum publicum Judæi omnes Roma exularunt. Porro, sic disponente providentia, contigit illud exilium ut Petrus posset se præsentem sistere Hierosolymitano Concilio in quo actum est de legalium abrogatione. Non difficile fuit Petro Romam redire Nerone imperante, rescissa nimirum fuerant quæ Claudius edixerat. Unde mirum non est quod Neronis tempore Paulus (ut patet ex Actor. ultim.) Romæ prædicarit.

Resp. ad 2. eo argumento, si valeret, probatum iri nec Joannem fuisse Ephesiorum Episcopum, nec Jacobum Episcopum Hierosolymitanum: nec enim Paulus Joanni dicit salutem in Epistola ad Ephesios, nec Jacobo ad Hebræos scribens. Præterea quo tempore scripta est a Paulo Epistola ad Romanos, Petrus aberat Roma: scripta est anno sexto post Concilium Hierosolymitanum, seu circa Claudii duodecimum annum quo tempore Petrus nondum ex Syria Romam redierat.

Objicies 4 Etiamsi detur Primatum Petro concessum fuisse; etiamsi detur Petrum extitisse Romanum Episcopum, & Romæ diem extremam clausisse; inde tamen colligi non poterit Romanum Pontificem jure divino habere in Ecclesia Primatum: nec enim extat aliquod jus divinum per quod Romanus Episcopus,

potius

potius quam aliquis alius, sit Petri successor in Primatu. Confirmatur argumentum ex eo quod per accidens contigerit quod Petrus Romæ obierit. Hinc sic argumentatur Amesius: *Fundatur iste Primatus non in jure sed in facto; Secundo in facto quod in Scripturis non narratur; Tertio, in tali facto quod non constituit jus divinum sed humanum; Quarto, in tali facto quod non videtur vim habere communicandi juris hujus.*

Resp. non aliam ad illud argumentum adhiberi debere solutionem quam quæ his verbis traditur a Bellarmino: Observanda sunt quædam (inquit lib. II. de Romano Pontifice cap. XII.) Primo aliud esse successionem, aliud rationem successionis, nam successio Romani Pontificis in Pontificatum Petri, ex instituto Christi est; ratio autem successionis, qua Romanus Pontifex potius quam Antiochenus, vel aliquis alius succedat, ex facto Petri initium habuit. Successio (inquam) ipsa eo Christi instituto & jure divino est, quia Christus ipse instituit in Petro Pontificatum duraturum usque ad finem mundi, & proinde quicumque Petro succedit, a Christo accepit Pontificatum. At vero quod Episcopus Romanus, qua Episcopus Romanus est, sit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit primis quinque annis, & tunc morienti Petro, non Episcopus Romanus neque Antiochenus successisset, sed is quem Ecclesia sibi elegisset, potuisset quoque semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus sine dubio successisset: quia vero Romæ sedem fixit, & tenuit usque ad mortem, inde factum est ut Romanus Pontifex ei succedat. Hactenus doctissimus Cardinalis.

Quæres quænam prærogativæ fluant ex divino Romani Pontificis primatu?

Resp. amplissimas esse hujusmodi prærogativas, hic nonnullas tantum referemus.

I. Romani Pontificis est efficere ut per universum orbem Canones observentur, fidesque Catholica illibata servetur. Quo vero tantum onus exequatur, potest delinquentes pœnis Ecclesiasticis per ipsos Canones statutis mulctare. Nec mirum; qui enim primus est in aliqua societate, is lege naturali tenetur invigilare ut leges societatis observentur, quod quidem ut procuret, authoritate instructus sit oportet. Hinc Summi Pontifices merito sese Canonum executores passim appellant. Hinc etiam factum est ut si qui ubique terrarum fidem temerassent, aut violassent præscriptam Canonibus disciplinam, statim adversus eos primi insurrexerint, & malum in ipso exordio authoritate sedis Apostolicæ conati sint comprimere.

II. Cum generale Concilium necessarium est aut ad defensionem fidei aut ad disciplinæ reformationem, Romanus Pontifex vi sui Primatus potest ad hujusmodi Concilium Episcopos convocare, atque in eos, si canonice vocati adesse renuerint, animadvertere censuris Ecclesiasticis, ipsa etiam excommunicatione, si pertinaces fuerint. Nec obstat quod priores Synodi generales (saltem in quorumdam authorum opinione) ab Imperatoribus convocatæ fuerint: Id nimirum plerumque præstiterunt Imperatores ad preces Romanorum Pontificum qui eo recurrebant ut facilius ac promptius Episcopi congregarentur. Præterea aliud est factum, aliud est jus: de facto, seu, quod Romani Pontifices convocaverint singula, quæ hactenus habita sunt, Concilia generalia, ab aliquibus dubitatur; de jure vero, seu, quod Romani Pontifices vi sui Primatus potuerint semper ac possint Concilia generalia convocare, constat apud Catholicos.

III. Romani Pontificis tum de fide tum de moribus definitiones universam Ecclesiam spectant. Hinc fit ut singulæ privatim Ecclesiæ magnam ejusmodi definitionibus reverentiam exhibere teneantur, nec possint modo, nec potuerunt unquam, eas pro libito vel contemnere vel rejicere.

IV. Licet Episcopi sine jure divino judices controversiarum quę ad fidem aut mores spectant, pręcipue tamen in judicando partes sunt Romani Pontificis, nec par est quidquam in Ecclesia magni momenti ultimo definiri, quod ad ipsum non referatur, vel de quo non consulatur.

V. Catholici Theologi censent Romanum Pontificem posse ubique terrarum a legibus per Concilia, etiam generalia latis sapienter dispensare, & quidem eo in casu quo Concilium ipsum dispensaret. Fatentur præterea ipsum posse condere leges generales, quæ ubique gentium fideles obligent ubi eo, quo par est, ritu promulgatæ fuerint.

VI. Quamvis ab aliquibus revocetur in dubium an Romanus Pontifex per legatos duobus prioribus Conciliis generalibus præfuerit; docent tamen Theologi jus præsidendi in Conciliis deberi illius primatui: De eo jure nemo ante Lutheranos & Calvinistas dubitaverat. Vide Tomum I. institutionum nostrarum Theologicarum secundæ Editionis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Patriarchis.

PAtriarchæ nomen in Scripturis primum Patrem significat: *Secunda nocte* (apud Tobiam cap. 6.) *in copulatione sanctorum Patriarcharum admitteris.* In usu Judæorum post eversam Hierosolymorum urbem, sumitur pro principibus qui ipsis præfuere: *Patriarcha autem* (ait Epiphanius hæresi 30.) *Hellel erat.* Apud scriptores Ecclesiasticos Episcopum significat qui Primatibus & Metropolitanis præsit. Eo nomine Leo Magnus primum appellatus fuit Actione I. Concilii Chalcedonensis, nec non in Epist. Martiani Imperatoris *Patriarcham* (inquit) *sedis Apostolicæ maximæ Romæ.* Græci in Concilio Constantinopolitano anni 536. Patriarchæ nomen tribuerunt Episcopis quinque primarum Ecclesiæ Sedium, Romanæ nimirum, Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ.

Censent periti quidam Canonistæ S. Petrum tres Patriarchatus erexisse in Ecclesia Christiana, unum Antiochiæ, ubi (Eusebio teste) septem annis sedit; alterum Alexandriæ, non quidem per se ipsum immediate, sed per Marcum discipulum quem eo misit; tertium tandem Romæ, qua in urbe, imperante Nerone, martyrio coronatus est. Porro Petrus tres primos ac præcipuos orbis Episcopos in iis urbibus, constituit ad imitationem Imperatorum, qui in tribus illis urbibus, utpote Asiæ, Africæ, & Europæ præcipuis, principatum civilem erexerant.

Contradicunt alii de historia Ecclesiastica optime meriti scriptores. Contendunt nempe nec Petrum nec quemquam alium Apostolum Patriarchalis dignitatis institutorem esse. Confirmant ex eo quod (inquiunt) licet certum sit Apostolos plurimas Ecclesias fundasse, probari tamen non possit concessa ab eis fuisse quædam jura & privilegia in alias Ecclesias.

Nec contrarium (inquiunt illi authores) evincit argumentum D. D. De Marca Archiepiscopi Parisiensis cap. I. lib. 6. de Concordia ubi objicit illud Apostoli ad Titum cap. I. *Reliqui te Cretæ ut constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Nam certum non est quod Presbyterorum nomine eo in loco Paulus Episcopos intellexerit; suo nimirum loco a nobis observatum est Apostolicis temporibus Episcopi, ac Presbyteri nomen indiscriminatim Episcopis & simplicibus Presbyteris adscriptum fuisse. Præterea licet verum sit Tito totius Cretæ pręfecturam a Paulo commissam fuisse, non sequitur Primatum aut Patriarchatum institutum fuisse; id enim privilegii Tito peculiare fuit, nec ulli sedi aut urbi fuit alligatum, quod tamen ad erectionem Patriarchatus requiritur.

Non obstat quoque (prosequuntur illi authores) factum Petri qui tres præcipuas orbis Ecclesias, Romanam, Alexandrinam, Antiochenam fundavit. Si enim inde repeti deberet Patriarcharum dignitas, innumeræ forent Patriarchales sedes, cum Petrus innumeras & fundarit & rexerit Ecclesias. Unde patet ingens esse discrimen inter Apostolicam & Patriarchalem Ecclesiam.

Verum, quidquid sit de ea controversia, dicendum est in ipsis fere Ecclesiæ incunabulis, factam fuisse jurisdictionis Ecclesiasticæ divisionem, concessamque

Roma-

Romano, Alexandrino & Antiocheno Episcopo. Eam confirmarunt Nicæni Patres Canone 6. ubi sic loquuntur secundum interpretationem Dionysii Exigui. *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasque Provincias suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis præter Metropolitani sententiam fuerit factus Episcopus, hunc magna Synodus definit Episcopum esse non oportere.* Priore nimirum Canonis sententia significatur antiquum morem ferre ut Episcopus Alexandrinus in Africa, & Antiochenus in Asia, ea omnia possint quæ Episcopus Romanus, quatenus est Occidentis Patriarcha, potest in Occidente. Non est opus ut hic expendamus an Episcopi Alexandrini Patriarchatus totam Africam complecteretur; an Antiocheni universam Asiam; an Romani totum Occidentem, seu totam Europam. Negant plerique scriptores, ajunt nempe & eo Canone institui comparationem inter Alexandrinum, Antiochenum, & Romanum Episcopum, quatenus Romanus Episcopus est Metropolita, non autem Patriarcha. Confirmant ex posteriore parte Canonis, in qua fit expressa Metropolitanorum mentio. *Illud autem clarum est quod si quis præter Metropolitani sententiam &c.* Verum decipiuntur illi authores: Nam 1. Metropolitani nomine stricte sumpto intelligitur Episcopus qui uni tantum Provinciæ præest. At id de Episcopis Alexandrino, & Antiocheno dici non potest, cum constet ex Athanasio ad curam Dionysii Episcopi Alexandrini Libyam pertinnisse; cum Innocentius Papa I. ad Alexandrinum Antiochenum scripserit, eum Concilii Nicæni Canonibus *non super unam Provinciam, sed super Diœcesim esse constitutum, ut Metropolitanos auctoritate ordinet singulari, & cæteros non sine permissa & conscientia sua sinat Episcopos procreari*; cum denique asserat Hieronymus in Epist ad Pammachium, a Concilio Nicæno statutum fuisse, *ut totius Orientis Metropolis esset Antiochia*. Nec authoribus quos hic confutamus, favet posterior pars canonis Nicæni ubi Metropolitani, non vero Patriarchæ fit mentio. Nam (ut commentatur Doctissimus Valesius) ea Canonis pars non debet intelligi de omnibus Episcopis, sed tantum de Metropolitanis quorum ordinatio irrita decernitur, nisi fit a Metropolitano Metropolitanorum, hoc est, nisi a Patriarcha confirmata fuerit. 2. Cum Scriptorum, quos refellimus Systemate conciliari non potest sexti Nicæni canonis facta a Rufino translatio quæ sic habet: *Et ut apud Alexandriam & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicarium Ecclesiarum sollicitudinem gerat*: At suburbicariæ Ecclesiæ non uni parebant Metropolitano: respondebant nimirum provinciis suburbicariis, se, quæ parebant civili Romanæ urbis Vicario. Hinc patet in sexto Nicæno Canone Alexandrinum Episcopum in Ægypti, Pentapoleos, & Libyæ regimine comparari cum Episcopo Romano quatenus est non unius tantum Provinciæ Metropolita, sed prout Exarchus, seu (ut nunc loquimur) multarum Provinciarum Patriarcha, seu Metropolitanus: ita ut sicut irritæ sunt ordinationes quæ in suburbicariis Ecclesiis inconsulto Episcopo Romano tentatæ fuerint, ita & irritæ sint quæ in Ægypto, Lybia & Pentapoli sine Episcopi Alexandrini consensu fuerint celebratæ.

Præter tres Patriarchatus de quibus mox dictum est, quique in ipsis Ecclesiæ incunabulis erecti fuere, plures alii subsequentibus sæculis creati fuerunt, iisque adscriptæ sunt provinciæ quas majores nostri a prioribus distraxere. Non de singulis hic instituemus sermonem, sed de Constantinopolitano tantum & Hierosolymitano.

Ecclesia Bysantina, quam propter Constantinum Magnum, a quo erecta est, Constantinopolitanam veteres dixerunt, in prima sui institutione suffraganea erat Ecclesiæ Heracleensis in Thracia, ut his verbis docet Gelasius Epist. 13. contra Octavium: *Ad sedem Apostolicam congruebat Patriarchæ Heracleensis Ecclesiæ, idest, Constantinopolitani Pontificis, judicium præstolari.*

Anno 381. eadem Ecclesia in priore Concilio Constantinopolitano primum honoris locum post Romanam consecuta est: *Constantinopolitanus* (verba sunt tertii Canonis) *habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma.* Anno 450. eadem Ecclesia Constantinopolitana in Concilio Chalcedonensi donata fuit jurisdictione in aliquos Asiæ, Ponti, & Thraciæ Metropolitanos; consecuta est pariter potestatem ordinandi Episcopos Barbararum gentium, ac proinde omnia veri Patriarchatus privilegia adepta est: *Sanctorum Patrum decreta* (verba sunt Canonis 28. Concilii Chalcedonensis) *ubi sequentes & Canonem qui nuper lectus est centum & quinquaginta Dei amantissimorum Episcoporum cognoscentes, eadem quoque & nos decernimus ac statuimus de privilegii sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopoleos novæ Romæ. Etenim antiquæ Romæ throno, quod urbs illa imperaret, Patres haud immerito privilegia tribuerunt, & eadem consideratione moti* 150. *Dei amantissimi Episcopi, sanctissimo novæ Romæ throno æqualia privilegia tribuerunt, recte judicantes, urbem quæ Imperio & Senatu honorata sit & æqualibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus Ecclesiasticis, non secus ac illam extolli, & magnificari, secundam post illam existentem ut & Ponticæ, & Asianæ & Thraciæ Diœceseos Metropolitani soli: præterea Episcopi prædictarum Diœceseon, quæ sunt inter Barbaros, a prædicto throno sanctissimæ Constantinopolitanæ ordinentur; unoquoque scilicet prædictarum Diœceseon Metropolitano a Constantinopolitano Archiepiscopo convenientibus de more factis electionibus & ad ipsum relatis.*

Illi Canonum Nicænorum infractioni obstiterunt quidem Leo Magnus, pluresque illius successores: Verum Summi Pontifices victi importunis Imperatorum precibus Chalcedonensi canoni tandem adhæserunt, agnoveruntque Constantinopolitanum Episcopum pro Patriarcha qui alterum in Ecclesia honoris locum obtineret.

Ecclesia Hierosolymitana per quatuor priora sæcula decorata fuit Episcopali Throno, qui licet Archiepiscopatui Cæsariensis in Palestina tamquam Metropolitano subjectus esset, magno in pretio semper habitus est, ut probant hæc verba 7. Nicæni Canonis: *Quoniam obtinuit antiqua consuetudo & traditio, ut Æliæ Episcopus honoretur, habeat honoris consequentiam Metropoli propria dignitate servata.*

Juvenalis Hierosolymis sedens postea a Theodosio juniore obtinuit rescriptum quo trium Palæstinarum, utriusque Phœniciæ & Arabiæ Metropolitanos suæ sedi subjectos habuit: Contrario rescripto Antiochenus Patriarcha antiquo suo in illas Provincias juri restitutus est. Lis ea de controversia in Concilio Chalcedonensi composita fuit ea lege, ut utramque Phœniciam & Arabiam Episcopus Hierosolymitanus dimitteret Antiocheno, præessetque primæ Palestinæ tamquam Metropolitanus, & aliis duobus tamquam Patriarcha. Illi decreto subcripserunt legati Summi Pontificis: hinc factum est ut ab eo tempore Hierosolymitana sedes post Romanam, Constantinopolitanam, Alexandrinam, & Antiochenam, primum locum tum in Conciliis, tum in subscriptionibus, tum in Imperatorum costitutionibus obtinuerit.

Quæres quænam sint Patriarcharum jura?

Resp. esse multiplicia. 1. Ante Primates, Metropolitanos, cæterosque Episcopos in Conciliis Oecumenicis vel per se, vel per legatos sedent, ante eos quoque dicunt sententiam, subscribuntque. 2. Definitas in Provinciis, imo & in Diœcesibus quæ constant ex multis Provinciis, controversias iterato tractant in Synodis quibus tum Primates tum Metropolitani sese præsentes sistere tenentur. 3. Consecrant Metropolitanos suo Patriarchatui subjectos vel ipsi immediate vel per Primates qui a sua sede pendeant.

AR-

ARTICULUS TERTIUS.

De Primatibus & Metropolitanis.

PRimatum nomine intelliguntur Episcopi Patriarchis quidem inferiores; sed Metropolitanis superiores.

Perantiquam esse Primatum institutionem multa demonstrant. Post tertium sæculum plures extiterunt Ecclesiasticæ Diœceses quæ constarent ex multi Provinciis: Ergo, quemadmodum singulæ provinciæ a Metropolitanis regebantur, ita & singalæ Diœceses a Primatibus, ut colligitur ex can. 2. alterius Concilii Constantinopolitani ubi hæc habentur: *Secundum Canones, Alexandriæ quidem Episcopus Ægyptum solam regat, Orientis autem Episcopi, Orientem solum administrent, servatis privilegiis ac praeminentiis, quæ sunt in Nicæni Concilii canonibus Antiochenæ Ecclesiæ. Et Asianæ Diœcesis Episcopi, quæ sunt in sola Asiana administrent, & Thraciæ Episcopi Thraciam tantum regant, & Ponticæ Ponticam.* Quasi dixisset canon: Episcopi propositi uni Diœcesi, sive primates, jura aliarum Diœceseon non invadant, Idem clare innuunt hæc alia Concilii Antiocheni verba can. 6. *Si nonnulli dicant se habere aliquas adversus Episcopum criminationes, eos jubet sancta Synodus, primum quidem apud provinciæ Episcopos accusationem persequi, & apud eos probare crimina Episcopi, qui aliquarum rerum accusatur. Quod si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intentata sunt corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Diœcesis illius Episcoporum pro hac causa convocatorum.* Diœcesana illa Concilia non sunt Patriarchalia; illis igitur non præerat Patriarcha: Præterea falsum est damnatos a Synodo Provinciali, semper immediate postea judicatos fuisse per appellationem a Patriarchis: contrarium enim nos docet historia. Erant ergo Concilia primatialia ac proinde quæ convocata fuissent a Primate Diœcesis, cum, utpote superiora Concilio Metropolitano, ab ipso Metropolitano nec cogi nec regi possent. 2. Primatum de quibus agitur, conceptis terminis meminit Concilium Chalcedonense, can. 9. ubi hæc habentur: *Quod si quispiam a suo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseos, aut apud sanctam Constantinopolitanam Sedem judicetur.*

Quæres 1. quid Primatum institutioni quæ facta est quarto sæculo, dederit locum?

Resp. institutioni Primatum occasionem dedisse divisionem Romanarum provinciarum factam quarto sæculo a Constantino Magno. Quænam autem fuerit illa divisio paucis est cum nostro Morino enarrandum.

Constantinus Augustus quatuor Præfectos prætorio creavit, Orientis, Illyrici, Italiæ & Galliæ. Illis totum Romanum Imperium quoad civilia commisit. Singulis illis præfectis plures subjecit Vicarios, quorum unicuique credidit singulas Diœceses, in quas orbis tractus, qui regebantur a præfectis, partitus est. Diœceses rursus distinxit in multas provincias, quibus qui jus dicebant, vel præsides, vel consulares, vel correctores dicebantur. Singularum provinciarum quasdam urbes veluti capita constituit, quibus qui præerant vocabantur vel judices, vel decuriones, vel defensores, vel magistratus Municipales.

Regimini præfecti prætorio Orientes quinque subjiciebantur Diœceses, Orientalis, Æpyptiaca, Asiana, Pontica, Thracica. Diœceseos Orientis rector Comes dicebatur cui suberant provinciæ quindecim, Ægypti vero Diœcesi quæ sex Provincias complectebatur, præerat Præfectus Augustalis; tres alias Diœceses quæ provincias 25. complectebantur, tres Vicarii administrabant, sub regimine tamen præfecti prætorio. Illyrici, Diœceses duæ erant, Macedonica & Dacia; prior sex includebat provincias, posterior quinque quas sub præfecto regebant Vicarii. Regimini præfecti prætorio Italiæ suberant tres Diœceses, Italia, Illyricum, Africa, quæ per duos Vicarios administrabantur: due commorabantur in Italia, unus quidem Romæ, alter vero Mediolani. Regimini præfecti pretorio Galliarum tres suberant Diœceses, Hispania, Gallia & Britannia, quibus totidem Vicarii præerant.

Præter illos Vicarios, easque Diœceses, tres erant provinciæ Proconsulares, quæ scilicet liberæ erant a jurisdictione Vicarii Diœceseos, immediateque subjiciebantur potestati præfectorum prætorio sub Proconsulibus; Eæ autem provinciæ erant Asia cujus Proconsulis sedes erat Ephesus, Achaia, cujus caput erat Corinthus, & Africa stricte dicta, cujus Metropolis erat Carthago, ubi Proconsul commorabatur.

Præmissa ea Romani imperii divisione, dicendum est quod, sicut in ipsis fere Ecclesiæ incunabulis, urbibus, quæ essent Provinciarum capita, fidei & controversiarum Ecclesiasticarum principatus delatus est: ita & postea, immutato Reipublicæ, civitatumque ordine & regimine, immutatus quoque fuerit exterioris disciplinæ Christianæ modus. Apostolorum discipuli Archiepiscopos & Metropolitanos Provinciis præfecerunt, urbibus vero Episcopos. Ubi autem erectæ fuerunt civiles Diœceses quarum unaquæque plures provincias complecteretur; par fuit ut cuique Diœcesi præficeretur Episcopus qui plures regeret Archiepiscopos. Illi autem Episcopi alii non sunt, quam Primates. Et sane Primates Ecclesiastici in pluribus conveniunt cum Vicariis politicis quos Constantinus ad regimen Diœceseon instituit. Vicarius multis præest Provinciis, sic Primas. Vicarii ditio Diœcesis dicitur, sic & Primatis: A consularibus Provinciarum jus erat appellationis: ita a Metropolitis ad Primates; a Vicariorum judiciis ad præfectos prætorio provocabatur: ita a Primatibus ad Patriarchas.

Confirmari potest tradita responsio ex eo quod ante Constantinum Imperatorem & factam ab eo præcipuarum Imperii partium in Diœceses divisionem, nulla Primatum, Exarcharum & Diœceseon occurrat memoria in monumentis Ecclesiasticis, nulli præter tres majores Patriarchas legantur instituti Episcopi qui Metropolitanis præfuerint; nullæ supra Provincias Diœceses extiterint; nulla Diœcesana Concilia supra Provincialia: E contra ubique post Vicariorum sub præfectis prætorio erectionem, fit mentio Primatum, Diœceseon, Conciliorum Diœcesanorum, recensentur nempe in priore Concilio Constantinopolitano quod habitum est desinente quarto sæculo, recensentur quoque in Chalcedonensi quod medio quinto celebratum est; quoque sæpius meminerunt Romani Pontifices ut ex iis constabit, quæ mox dicentur.

Quæres 2. utrum penes Patriarchas esset Primatum institutio in una Provincia Diœcesis, potiusquam in alia?

Resp. 1. apud Orientales eam, de qua quæritur, erectione nequaquam a Patriarchis pependisse, unde iis invitis sæpissime mutabatur. Id evidentissime colligitur ex can. 17. Concilii Chalcedonensis ubi hæc habentur. *Sin autem civitas antiqua ab imperatoria authoritate innovata est, vel deinceps innovata fuerit, civiles & publicas formas Ecclesiasticarum quoque Parochiarum ordo consequatur.* Unde patet locum in quo sederet Primas Ecclesiasticus pependisse ex arbitrio imperatorum. Inconstantiam illam respectu locorum in quibus Orientales constituebant principatum Ecclesiasticum; irrisit olim Gelasius Papa in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, in qua sic loquitur: *Risimus autem quod prærogativam volunt Acacio comparari, quia Episcopus fuerit Regiæ civitatis. Numquid apud Ravennam, apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit imperator? Numquidnam harum urbium Sacerdotes ultra mensuram sibimet antiquitus deputatam quidpiam suis dignitatibus usurparunt?*

Resp. 2. apud Occidentales institutionem & erectionem primatum pependisse semper ex arbitrio Romani Pontificis, quatenus est Occidentis Patriarcha. Ratio est quia Primates cum primum in Occidente innotuerunt, eo nomine non insigniebantur, sed Vicariorum Pontificis maximi, ut probant hæc Vigilii Papæ ad Aurelianum Arelatensem Galliarum primatem scribentis: *Festina ergo, Frater charissime, ut in sancta fidei sinceritate persistens, Ecclesiarum pacem, quæ vel a Deo*

per

per meritum Sacerdotii tibi commissa est, vel a nobis per Apostolicam authoritatem VICARIA *potestate mandatur, competenti sollicitudine, Deo propitiante custodias, & Vicarium te sedis nostræ dignis Deo manifestes operibus.*

Quæres 3. quænam sint Primatum jura?

Resp. Primatum jura ad quinque capita revocari posse. 1. Episcoporum & Metropolitanorum antequam consecrentur, Canonicas electiones probabant. *De persona autem consecrandi Episcopi, & de Cleri plebisque consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat,* (inquit Leo Magnus Ep. 84. ad Anastasium Tessalonicensem cap. 6.) *quodque in provincia bene placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet authoritas... Metropolitano vero defuncto, cum in locum ejus alius fuerit subrogandus... De nomine ad tuam notitiam provinciales referant Sacerdotes, impleturi vota præsentium, cum quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognoverint. Sicut justas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus, te ignorante, præsumi.* 2. Controversias de quibus judicatum fuerat in Provincialibus Conciliis, iterum vocabant ad examen: nam a Conciliis Provincialibus jure ad Primates provocabatur, ut loco mox laudato docet Leo Magnus. 3. Conciliorum Diœcesanorum, seu, quæ ex multis provinciis pluribusque Metropolitis constarent, celebratio penes erat Primates. 4. tamquam custodes in specula positi invigilabant ne fides, aut disciplina quippiam detrimenti in Diœcesi pateretur. 5. Denique Clericis, Episcopis, Metropolitanis Romam, vel extra Diœcesim proficiscentibus concedebant litteras formatas, quarum virtute apud dissitas nationes communione Ecclesiastica, seu quæ suo ordini responderet, fruerentur: *Placuit Apostolicæ sedis* (inquit Zozimus scribens ad Arelatensem primatem) *ut si quis ex qualibet Galliarum parte, sub quolibet Ecclesiastico gradu ad nos Romam venire contendit, vel alio terrarum ire disponit non aliter proficiscatur, nisi Metropolitani Arelatensis Episcopi formatas acceperit, quibus Sacerdotium suum vel locum Ecclesiasticum, quem habet, scriptorum ejus adstipulatione perdoceat.*

Metropolitanorum nomine intelliguntur Episcopi qui immediate subsunt primatibus, & immediate præsunt Episcopis alicujus provinciæ.

Antiqua est Metropolitanorum institutio, cum enim ab ipsis annunciata fuerit fides in urbibus provinciarum capitibus, æquum fuit ut Episcopatus erecti in reliquis provinciæ urbibus ab eo, quem erexerant in Metropoli, penderent tamquam ab Ecclesia matrice.

Concilium Nicænum primum & alia antiquiora monumenta Ecclesiastica meminerunt Metropolitanorum. In Episcopos suæ provinciæ eodem jure potiuntur, quo fruuntur Primates in Metropolitanos.

Iis quæ de antiqua Romani Imperii divisione & Primatum ac Metropolitanorum institutione dicta sunt, subjungenda est vetus Galliarum nostrarum divisio ut saltem præcipuæ illarum sedes proponantur.

Celeberrima est & exactissima Galliarum in quatuordecim provincias divisio, quam tradit Rufus in Breviario quod circa annum 365. Valenti dicavit. Illæ vero Provinciæ sunt in Narbonensi Narbonensis, Viennensis. Alpes Maritimæ, & Alpes Grajæ. In Aquitania Aquitanicæ duæ, & Novempopulania: In Beltica Lugdonenses duæ, & Maxima Sequanorum: Demum in Belgica duæ ejusdem nominis, & duæ Germaniæ, una superior, altera inferior dicta. Paulo post Narbonensis altera a Viennensi avulsa est, & Lugdunenses singulæ in duas divisæ sunt, ac universarum Galliarum fuerunt septemdecim numero Provinciæ, & quidem hoc ordine.

Belgica prima, cujus Metropolis fuit Augusta Trevirorum, Belgica secunda, quæ Rhemos habuit Metropolim. Germania prima, cujus Metropolis fuit Moguntiacum. Germania secunda, quæ pro Metropoli habuit Coloniam Agrippinam. Lugdunensis prima, cujus Metropolis fuit Lugdunum. Lugdunensis secunda, quæ Rhotomagum habuit pro Metropoli. Lugdunensis tertia, cujus Metropolis fuit urbs Turonensis. Lugdunensis quarta, quæ Senonas habuit pro Metropoli. Lugdunensis quinta, cui Vesuntio fuit Metropolis. Alpes Grajæ & penninæ quæ pro Metropoli habuerunt Tarentasiam. Viennensis prima, cujus Metropolis fuerit Vienna. Viennensis tertia, quæ habuit Aquassextias pro Metropoli. Alpes maritimæ, quarum Metropolis fuit Ebrodunum. Narbonensis quæ Metropolim habuit Narbonem. Aquitania prima, quæ Metropolim habuit Bituricas. Aquitania secunda quæ Burdegalam. Novempopulania, quæ habuit Auscium quo Metropoli.

Ea est Galliarum divisio ad cujus formam olim constituta fuit Ecclesia Gallicana, ita ut singularum Provinciarum Metropoles civiles, essent etiam Metropoles Ecclesiasticæ. Hæc satis sint de Provinciis Ecclesiasticis Galliarum.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Chorepiscopatu.

Chorepiscoporum nomine Canonistæ intelligunt ministros qui in pagis & villulis aliqua obirent Episcoporum munera: unde Chorepiscopatum definiunt dignitatem Ecclesiasticam qua insigniti quidam Sacerdotes multis Episcopalibus officiis in vicis & pagis funguntur. Ut autem clarius innotescat ea dignitas, expendendum est 1. an Chorepiscopatus cujus Canones meminere, idem sit cum Episcopatu. 2. Quænam fuerint Chorepiscopatus tum materia tum forma. 3. A quo institutus fuerit Chorepiscopatus. 4. Quænam officia quondam ei annexa essent.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Chorepiscopi quorum meminere Canones, veri fuerint Episcopi?

Conclusio. Chorepiscopi quorum meminere Canones, non fuerunt veri Episcopi, sed Presbyteri simplices qui in villis & pagis vices Episcoporum agerent.

Probatur 1. Illi non fuerunt veri Episcopi qui ordinati non fuerunt a tribus Episcopis; tres enim Episcopi jure Ecclesiastico requiruntur nunc, & requirebantur antiquitus ad Episcopi ordinationem, ut patet ex iis quæ diximus agentes de Episcopatus ministro. Antiqui Chorepiscopi quorum Canones meminere, ordinati non fuerant a tribus Episcopis: *Chorepiscopum vero* (inquit Concilium Antiochenum Can. x.) *civitatis Episcopus ordinet, cui ille subjectus est.* Canones vetarunt semper, ne Episcopi in pagis constituerentur: *Non oportet in villulis vel in agris constituere Episcopos* (verba sunt 15. Canonis Concilii Laodiceni) *sed visitatores.* Verum Chorepiscopi non alibi quam in pagis constituebantur: *Si qui sunt in vicis vel in pagis* (ait Concil. Antioch. can. x.) *qui dicantur Chorepiscopi* 3. Constans est Patrum traditio Episcopos esse successores Apostolorum, ut ostensum est ubi egimus de Episcoporum jurisdictione. At ejusmodi non sunt Chorepiscopi, a Patribus enim dictum est quod non Apostolis sed septuaginta discipulis successerint: *Chorepiscopi autem* (inquit Concilium Neocæsariense can. 14.) *sunt quidem in figura Septuaginta.* Triplex illud argumentum urget Leo Papa III. in responso ad Galliæ & Germaniæ Episcopos.

Objicies 1. Chorepiscopatus non erat simplex officium: ergo verum Sacramentum. Sed non erat Sacramentum Presbyteratus, quia iis, qui co donabantur, conferebat jurisdictionem in Presbyteros simplices. Non erat quoque Sacramentum medium inter Episcopatum & presbyteratum: nullibi nimirum legitur divina illius institutio distincta ab institutione Episcopatus aut Presbyteratus: Ergo Chorepiscopatus erat ipsemet Episcopatus. Probatur major propositio. Concilii Chalcedonensis Can. 12. ubi damnantur simoniacæ Clericorum institutiones, 1. Ordines sacri ita re-

censeotur: *Si quis ordinaverit per pecunias Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum.* Minores ordines sic generatim perstringuntur: *Vel quemlibet ex his qui commemorantur in Clero.* 3. Venitur ad officia: *Aut promoverit per pecunias Oeconomum, vel Defensorem, vel Mansionarium, vel quemquam qui est subjectus regulæ.*

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dico Canonem Chalcedonensem ideo Chorepiscopatum inter ordines sacros, non autem inter officia recensuisse. quod fere æque horrenda esset simoniaca illius collatio quam quæ in Episcopatu & Presbyteratu admissa fuisset. Nec mirum, siquidem Chorepiscopalis dignitas conferebat jurisdictionem spiritualem in plures Parochias, multosque rurales Presbyteros. Ea spiritualis potestas non obscure declaratur visitatorum nomine quod Concilium Laodicenum Chorepiscopis tribuit. At venalis officiorum institutio non tantum includebat scelus: iis nimirum officiis annexa erat jurisdictio, non quidem in res spirituales, sed in temporales tantum, & in fructus quæ ex beneficiis percipiuntur. Ex his patet quam merito sacra Synodus simoniacam Chorepiscopatus collationem distinxerit a simoniaca officiorum institutione.

Objicies 2. Concilium Nicænum primum Can. 8. statuit ut Novatiani qui redierint ad unitatem catholicam, vel agant Episcopos in urbibus, in quibus Antistites Catholici constituti non fuerint, vel, si ante eorum reditum Episcopi Catholici in iisdem urbibus reperti fuerint, Chorepiscopatus munere fungantur. *De his qui se nominant Catharos* (verba sunt Synodi) *si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam placuit &c. Ubi autem Catholicæ Ecclesiæ Episcopo vel Presbytero constituto, quidam ex illis adveniunt, certum est quod Episcopus Ecclesiæ habebit Episcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos Episcopus honorem Presbyteri possidebit; nisi forte placuerit Episcopo, nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus aut Presbyteris locum, ut in Clero prorsus videatur; ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.* Ergo Patres Concilii Nicæni censuerunt Chorepiscopos insignitos fuisse Episcopali charactere: nec enim alias, ubi non erant Episcopi, Episcopos (ut jubet Concilium) agere potuissent.

Respondent ii qui cum Morino nostro censent iteratas olim fuisse factas extra Ecclesiam ordinationes, Concilium Nicænum voluisse quidem ut Novatiani, ubi rediissent, regerent urbes, in quibus non essent constituti Episcopi, sed (inquiunt) accepta prius nova impositione manuum in Ecclesia Catholica, licet in sua secta jam Episcopalem accepissent: Unde (addunt illi authores) argumentum elt de non supponente, supponit enim Novatianos potuisse in urbibus Episcopos agere absque nova ordinatione Episcopali: quod est falsum.

Respondemus nos dato ant. disting. conseq. Ergo Patres Nicæni censuerunt Chorepiscopos *per accidens*, insignitos fuisse charactere Episcopali conc. conf. *Per se*, seu vi ordinationis Chorepiscopalis, neg. conseq. Ii enim, quorum Concilium meminit, in sua secta fuerant ordinati in Episcopos per validam, licet illicitam, manuum impositionem. Hoc ergo Novatianis Synodus præ cæteris hæreticis privilegium indulget, ut non habita ratione canonum, receptis in schismate ordinibus persungantur in Ecclesia Catholica, ubi ad eam redierint. Præter eos Chorepiscopos de quibus laudato canone Concilium Nicænum loquitur, quique vere erant Episcopi; alii etiam erant, qui Episcopalem manuum impositionem in Ecclesia Catholica receperant, sed propter canonum infractionem, ad Chorepiscoporum sortem dejecti fuerant, ut patet in Armentario qui ex Episcopatu Ebrodunensi dejectus, a Synodo permissus est agere Chorepiscopum in pagis quibusdam & urbibus minoribus. Verum Chorepiscopi de quibus passim Canones aguot, *per se*, nec in Ecclesia nec extra Ecclesiam Episcopatu donari alias solebant.

CAPUT SECUNDUM.

De materia & forma Chorepiscopatus.

Conclusio prima. Materia Chorepiscopatus apud Græcos erat impositio manuum; Forma vero oratio, per quam Presbyteri in Chorepiscopos benedicebantur.

Probatur prior pars. Chorepiscopi apud Græcos per ordinationem consecrabantur, ut ex laudato superius Canone x. Concilii Antiocheni perspicuum est; Ordinatio autem quælibet, etiam Diaconissarum, apud Græcos facta fuit semper per manuum impositionem.

Probatur altera pars ex eo quod Græci numquam nudam adhibuerint impositionem manuum, sed ipsi semper conjunxerint divinæ opis invocationem in eum, cui imposuerunt manus.

Objicies. In suppositione conclusionis Chorepiscopatus fuisse verus ordo, imo & verum novæ legis Sacramentum, quippe qui datus fuisset eodem place ritu, quo sacra Ordinatio; impositione nempe manuum & invocatione Spiritus Sancti. Sed id (ut patet ex præcedenti capite) falsum est. Ergo &c.

Resp. neg. seq. majoris; deest quippe in Chorepiscopatu institutio divina, sine qua nullus est ritus qui sit novæ legis Sacramentum.

Conclusio 2. Materia & Forma Chorepiscopatus nusquam apud Latinos fuerunt ritus aliquis determinatus.

Probatur. Nec recentiores rituales, nec antiquissimi, aliquos ritus recensent qui quondam adhiberentur in consecrationibus eorum qui ad dignitates Ecclesiasticas electi fuissent, si tamen Episcopalis excipiatur. Verum eos nequaquam omisissent si in Chorepiscopatus collatione quidam determinati adhibiti fuissent. Probabile tamen non est Chorepiscopos in Occidente factos quondam fuisse per simplicem delegationem Episcoporum, seu, eo fere modo, quo nunc creantur Vicarii generales, nam eo argumento uipote validissimo, usi fuissent nono sæculo Leo tertius & Episcopi Galli, ut probarent Chorepiscopos contra quos tunc pluribus actum est, nusquam fuisse veros Episcopos.

CAPUT TERTIUM.

De authore Chorepiscopatus.

Conclusio. Christus non instituit Chorepiscopatum, sed Ecclesia.

Probatur. Illa dignitas non fuit instituta a Christo, quæ diu post Christi obitum visa non est in Ecclesia, & quæ septingentis abhinc annis & amplius ubique evanuit. Atqui Chorepiscopatus est hujusmodi. Ergo &c. Major patet: nec enim diu debuit esse Ecclesia, quin eam amplecteretur quæ Christus instituerat; nec ea semel admissa potuit abrogare: Unde probatur minor. Nullum Chorepiscoporum vestigium extat in monumentis Ecclesiasticis trium priorum sæculorum; Chorepiscoporum nempe nec Apostolici canones, nec constitutiones Clementis, nec sancti Ignatii Antiocheni variæ Epistolæ, nec Concilium Eliberitanum meminere. Altum est pariter de eis silentium apud Cornelium Papam, licet in Epistola ad Fabium Antiochenum ordines omnes Romæ suo tempore receptos enumeret.

Præterea in Oriente Chorepiscopatus incepit tertio labente sæculo; in Occidente vero ineunte quinto. Ratio prioris partis petitur ex eo quod apud Græcos prima Chorepiscopatus mentio reperiatur in Conciliis Ancyrano & Neocæsariensi, quæ ineunte sæculo quarto celebrata fuerunt. Cum autem iis in Conciliis non agatur de Chorepiscoporum institutione, sed de coercenda potestate quam sibi contra Canones vindicatant, recte colligitur eos paulo ante quartum sæculum in-

incœpisse apud Orientales. Ratio alterius partis sumitur ex eo quod nulla Synodus, nullus author in Occidente Chorepiscopatus meminerit ante Regiense Concilium quod quidem ann. 436. celebratum est, & in quo Armentarius contra Canones ordinatus dejectus est ab Episcopatu, & permissus cum Chorepiscopis sedere & eorum fungi muneribus.

Tandem nullum ex authoribus, qui septingentis ab hinc annis tam in Oriente, quam in Occidente scripserunt, reperire est, qui Chorepiscopatum tamquam dignitatem quæ tunc esset in usu, recensuerit: unde invictissime conficitur quod ab eo tempore ubique fuerit abrogatus.

Objicies 1. Damasus Papa, qui floruit ante sæculum quintum sic de Chorepiscopis loquitur Epist. IV. aut V. secundum aliquos authores: *Quidquid inter Episcopos aut de rebus ad eos solummodo pertinentibus egerint, necesse est ut irritum fiat.* Ergo apud Latinos ante sæculum quintum vigebat Chorepiscopatus.

Resp. eam Epistolam falso adscribi Damaso Papæ: Doctores conveniunt eam esse octavi sæculi fœtum, nec non alias Summorum Pontificum Epistolas, quarum antiqua Ecclesiastica monumenta nulla ratione meminerunt.

Objicies 2. Constat ex actione secunda Concilii Chalcedonensis Novatianos habuisse in sua secta Chorepiscopos. Atqui non est verisimile, quod Novatiani admiserint Chorepiscoporum institutionem quæ in Ecclesia Romana facta fuisset post suum schisma. Ergo Chorepiscoporum dignitas in Ecclesia Latina vigebat ante Novatiani defectionem, quæ medio sæculo tertio contigit.

Resp. Morinum nostrum eo argumento adductum fuisse, ut crederet longe ante sæculum quartum Chorepiscopos visos fuisse in Occidentalibus Ecclesiis. Non videtur tamen nobis magni esse ponderis: nihil enim impedit, quin Novatiani Romanæ Ecclesiæ ritum post suam ab ea defectionem amplexi sint, quod nempe eam sibi, quoad Chorepiscoporum usum, utilem esse judicaverint.

Quæres, quo ordine, qua via, quibus de causis Chorepiscopi in utraque Ecclesia abrogati fuerint?

Resp. 1. Leonem Papam III. circa annum octingentesimum ordinationes, quas Chorepiscopi citra Episcoporum consensum celebrassent, irritas fecisse. Id patet ex Epistola quam scripsit ad Galliarum Episcopos. Leonis decreto inhærentes Patres Concilii Ratisponensis ann. 800. hæc sanxerunt: *Et hi qui a Chorepiscopis Presbyteri vel Diaconi, vel Subdiaconi sunt ordinati, nullatenus in Presbyteratus, aut Diaconatus, aut Subdiaconatus officio ministrare præsumant. Similiter homines qui imperitis videntur ab eis esse confirmati, vel Virgines, seu Ecclesiæ sacratæ, aut Chrismata confectum, seu altaria dedicata, pro confirmatis, seu sacratis, vel dedicatis haud habeantur: quia quæ illi non habuerunt, dare non potuerunt: quoniam ex his quidquam agere non licet; quæ omnia Summis Pontificibus debentur, & non Chorepiscopis. qui nec Summi Pontifices, vel Episcopi fuerunt, nec deinceps usquam fieri possunt.* Prohibitum quoque fuit ne deinceps Chorepiscopi crearentur: prohibitionem hujusmodi legere est Capitularium libro sexto cap. 119. *Placuit, ne Chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant, quoniam hactenus a nescientibus sanctorum Patrum & maxime Apostolicorum decreta, suisque quietibus ac delectationibus inhærentibus facti sunt, idcirco & olim perseepe & nostro a sancta Apostolica sede tempore sunt prohibiti.* Illud decratum ubique statim non obtinuit, ut patet 1. ex Concilio Noviomensi, quod anno 814. celebratum est. Ea enim in Synodo Chorepiscopi ante Abbates & Presbyteros, & immediate post Episcopos nominantur. Patet 2. ex VI. Concilio Parisiensi quod habitum est anno 829. Canone 27. comprimitur quidem audacia Chorepiscoporum qui jus dandi Confirmationem arrogabant sibi, sed tantum abest ut eorum ordinatio prohibeatur, quin supponatur potius: *Ordinatio porro Chorepiscoporum qualiter fieri debeat, & qualiter, qualesve ipsi ordinationes jubentibus Episcopis suis facere debeant, jura Canonum liquido decernunt.* Patet 3. ex Epistola Nicolai Papæ I. ad Rodulphum Bituricensem (si tamen spuria non sit ejusmodi Epistola, ut revera spuriam esse multis monumentis ostendit Thomassinus noster tom. I. Veteris & novæ disciplinæ part. 1. pag. 221.) In ea autem Epistola probantur ordinationes, quas Chorepiscopi de Episcoporum consensu celebraverint.

Resp. 3. dignitatem Chorepiscopalem penitus in Occidente abrogatam fuisse anno 888. in Concilio Metensi, quod quidem ultima est Synodus, in qua Chorepiscopi recensentur: sic vero can. 2. loquuntur laudati Concilii Patres: *Ut Basilicæ a Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur, roboratum est, quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentii & Leonis, vacuum est atque inane quidquid in Summi Sacerdotii Episcopi egerunt ministerio: & quod ipsi idem sint, qui & Presbyteri, sufficienter invenitur.* Ratio autem qua Leo Papa III. & Patres Ratisponenses, & Metenses adducti sunt, ut penitus extinguerent Chorepiscoporum dignitatem, fuit vana ac temeraria eorum præsumptio: Renitentibus enim Episcopis quibus suberant, omnia fere Episcopalia munera arrogabant sibi. Ratio vero quæ effecit, ut post Leonis Papæ III. decretum, post Ratisponense statutum Chorepiscopi nonnullis in locis tolerati fuerint, fuit legitimorum Præsulum socordia: si enim otii causa, Episcopalibus curis exonerantes se se, eas passim in Chorepiscopos rejiciebant: Sic in eos ignavos & socordes Episcopos invehitur Hincmarus Tom. 2 Conciliorum Galliæ pag. 756. *Sicut & quidam Episcopi etiam a longo procedentibus temporibus, scandalum pro sua quiete & voluptatibus intromiserunt ordinantes Chorepiscopos, & eis quæ Summis Pontificibus conveniunt agere permittentes. Quos Apostolica sedes sæpius reprobavit & Apostolico mucrone recidit, sicut in Decretalibus eorum, qui voluerit recensere inveniet.*

CAPUT QUARTUM.

De ministro & officiis Chorepiscopatus.

Conclusio 1. Minister Chorepiscopatus erat unicus Episcopus, isque cujus ditioni & regimini subjiciebantur villulæ quibus Chorepiscopi præficiebantur.

Probatur 1. ex Synodo Antiochena quæ sic habet can. X. *Chorepiscopum vero civitatis ordinet cui ille subjectus est.* 2. Eo principio Galliæ & Germaniæ Præsules octavo & nono sæculo nitebantur, ut ostenderent Chorepiscopos esse meros Presbyteros, non autem veros Episcopos: *Quia* (inquiebant Concilii Ratisponensis Patres Tom. 2. Conc. Galliæ pag. 239.) *nec ad quamdam Episcopalem sedem civitatis titulati erant, nec canonice a tribus Episcopis ordinati.*

Conclusio 2. Varia fuerunt antiquitus Chorepiscoporum officia.

Probatur enumeratione. 1. Chorepiscopi præpositi erant ruralium Presbyterorum regimini, ut nunc sunt ii quos Decanos rurales aut Archidiaconos dicimus *Ut Chorepiscopi, idest, Vicarii Episcoporum* (inquit 99. Capitulare Aquisgranense Caroli Magni) *nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent &c.* 2. Ordines minores & Subdiaconatum conferebant, sed tamquam delegati ab Episcopo cui suberant: *Nec Presbyteros, nec Diaconos ordinent* (ait mox laudatum Capitulare) *nisi tantum Subdiaconos.* Idem colligitur ex Ancyrana Synodo: vetat quidem can. 14. ne Chorepiscopi tentent Presbyterorum aut Diaconorum ordinationes, sed cum de Subdiaconorum ordinatione nihil simile statuat, non obscure innuit, eam fuisse penes Chorepiscopos: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare.* 3. Chorepiscopi aderant Conciliis, & in iis suam dicebant sententiam. Neocæsariensi subscripserunt duo, Nicæno primo quindecim: utrum autem id eis juris competeret ratione Chorepiscopatus, an ratione specialis delegationis ab Episcopis quibus suberant, seu utrum eorum locum in Conciliis tenerent, non definiunt Canones. 4. Licet rurales Presbyteri, ubi adessent aut Episcopus aut urbici Presbyteri, in Ecclesia Cathe-

Sectio de Sacram. Ccc 2

Cathedrali sacrificium offerre vetarentur, id tamen poterant Chorepiscopi, *Chorepiscopi autem* (inquit Concilium Neocæsariense can. 13.) *sunt quidem in figura septuaginta, ut Comministri autem propter studium in pauperes, offerant honorati.*

QUÆSTIO TERTIA.

De Presbyteratu.

PResbyter secundum nominis etymologiam, ætatis numen est: idem enim est ac *Senior*. Eu in sensu sumitur quoties occurrit in Testamento veteri: in novo autem nomen est officii, eum nempe significat qui gerit Ecclesiasticam præfecturam, aliquando quidem primam quæ Episcopis convenit, ut videre est in altera & tertia Joannis Epistol. quæ sic incipitur: *Senior*, Græce *Presbyteros*: nonnumquam vero inferiorem quæ competit ministris qui subjacent Episcoporum jurisdictioni, ut 1. ad Timoth. v. ubi hæc leguntur: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*. Apud authores qui scripsere post Apostolorum tempora, passim sumitur pro ministris qui Ecclesiis quibusdam, sed cum dependentia ab Episcopo, præsunt; ita acceptum fuit illud nomen a Tertulliano, Cypriano, Origene, quibus recentiores postmodum adhæsere. Ii qui sic spectati, Presbyterorum nomine nuncupati sunt, dicti etiam fuere *Sacerdotes*, a sacrificio nimirum cui offerendo specialiter consecrati sunt. Dum viverent Apostoli, ii quos nunc Presbyteros dicimus, non solebant vocari Sacerdotes: Nec mirum; ne scilicet confunderentur cum veteris legis sacrificatoribus qui tunc in templo Hierosolymitano Mosaica sacrificia offerebant. Verum sic eos appellarunt scriptores qui proxime Apostolos secuti sunt, ut patet ex S. Ignatio Antiocheno qui tum in Epist. ad Philadelphios, tum in ea quam ad Heronem scripsit, Presbyteros appellavit Sacerdotum nomine.

Caput Primum.

De essentia Presbyteratus.

COnclusio. Presbyteratus recte definitur Ordo per quem datur potestas consecrandi corpus Christi & remittendi peccata.

Probatur primo. Presbyteratum esse ordinem ex iis constat quæ de numero ordinum superius dicta sunt. Secundo. Quod per Presbyteratum detur potestas consecrandi corpus Christi, ostendimus in nostra dissertatione de Eucharistia. Quod per Presbyteratum conferatur potestas dimittendi peccata, pluribus argumentis probavimus agentes de pœnitentiæ Sacramento, ubi hæc Christi verba: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, ab antiquorum & recentiorum hæreticorum corruptelis vindicavimus.

Quæres utrum Presbyteratus non tantum sit ordo, sed etiam proprie dictum Sacramentum?

Resp. affirmative. Nam 1. Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum ubi docet ordinem esse Sacramentum novæ legis, inter ordines Presbyteratum primo loco recenset, nulla ipsius etiam Episcopatus facta mentione. 2. Tridentina Synodus definit quoque ordinem esse unum e septem Sacramentis novæ legis; Sess. 23. cap. 2. docuit reliquos ordines tamquam ministrantium gradus referri ad Presbyteratum. Eadem Synodus nullam Episcopatus mentionem facit licet tradat Catholicam de sacra Ordinatione doctrinam, quam Lutherani & Calvinistæ impugnaverant causati ordinem non esse Sacramentum novæ legis. 3. In Presbyteratu reperitur institutio divina, habetur nimirum (ut ostendit Concilium Tridentinum) Matthæi 26. & Joannis 20. reperitur quoque signum sensibile, impositio scilicet manuum quæ cum oratione conjuncta sit: utriusque meminerunt sacri codices, nec non quæ postea prodierunt Ecclesiastica monumenta. Reperitur tandem productio gratiæ sanctificantis quæ in illius forma exprimitur, & in novo Testamento 2. ad Tim. 4. asseritur.

Caput Secundum.

De Materia Presbyteratus.

TRes sunt Scholasticorum sententiæ de materia Presbyteratus. Nonnulli censent traditionem calicis cum vino & aqua, patenæ cum pane superimposito esse materiam essentialem Presbyteratus: Nec mirum (inquiunt) cum per eam traditionem perspicue exprimatur effectus qui Presbyteratu producitur. Placet aliis sententia quæ docet solam impositionem manuum esse solam materiam ex qua essentialiter constet Sacramentum de quo agitur: nituntur vero hoc argumento, nempe quod (dicente Concilio Trident.) immutabilis sit cujusque Sacramenti materia essentialis: at vetera monumenta, cum de consecrando Sacerdote loquuntur, solius impositionis manuum meminerunt. Alii denique mediam sententiam eligunt contendentes materiam Presbyteratus essentialiter ex utroque ritu constare impositionem scilicet manuum & vasorum traditione. Confirmant ex sex priorum sæculorum Conciliis, quæ ubi agunt de Presbyteratu, definiunt dari ipsum per impositionem manuum. Confirmant iterum ex Eugenio Papa IV. qui in decreto pro instructione Armenorum definit materiam Sacramenti, de quo est hic quæstio, esse vasorum de quibus mox dictum est, traditionem: ubi vero urgentur antiquis Canonibus qui hujusmodi traditionis non meminere, respondent Christum non determinasse in specie infima materiam & formam sacræ Ordinationi, ab ipsa Ecclesia factam fuisse facultatem, ut prout suggereret spiritus, eas determinaret: unde concludunt nullum esse argumentum quod contra vasorum traditionem a veterum silentio desumitur. Quam nos sententiam eligamus subsequentibus conclusionibus declarabitur.

Conclusio 1. Ante annum millesimum traditio calicis cum vino & aqua, traditio patenæ cum pane superimposito, non erant materia Presbyteratus.

Probatur. Ille ritus non fuit per mille priores annos materia Presbyteratus quo Patres qui tunc vixere, nequaquam usi sunt in conferendo Presbyteratu. Atqui Patres mille priorum annorum nusquam in conferendo Presbyteratu usi sunt traditione de qua agitur. Nam 1. illius non meminerunt qui decem prioribus sæculis de ordinatione Presbyterorum scripsere. 2. Qui expresse egerunt de ordinationum ritu, ut Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, Alcuinus in lib. de divinis officiis, Amalarius, Rabanus Maurus, aliique noni sæculi authores, nullibi referunt illam sacrorum vasorum porrectionem quæ nunc fieri solet ab Episcopis dum consecrant Presbyteros. 3. Porrectionem, seu traditionem hujusmodi vetera monumenta Ecclesiastica excludunt a Presbyteratus collatione, ut patet ex v. canone Concilii Carthaginensis VI. ubi hæc habentur: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, & calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi, urceolum cum aqua & mantile & manutergium.*

Nec audiendi sunt ii Scholastici, qui, ut argumenti mox relati vim eludant, reponunt antiquos scriptores porrectionem vasorum sacrorum obscure saltem expressisse per impositionem manuum cujus meminerunt agentes de Presbyteratus collatione. Non sunt (inquam) audiendi. Nam 1. in laudatis iv. Concilii Carthaginensis verbis porrectio vasorum aperte opponitur manuum impositioni: *Subdiaconus quia manus impositionem non accipit, &c.* 2. Ideo Scholastici quos hic confutamus, asserunt instrumentorum porrectionem inclusam fuisse in impositionem manuum de

qua

qua locuti sunt antiqui Patres, quod Pontifex dum vasa porrigit Presbytero quem ordinat, tunc extendat manum. Sed pace adversariorum dixerim, ea responsio absurda est quam maxime: si enim valeret, dici posset, quod Presbyter baptizet Catechumenos per impositionem manuum; quippe quod dum eos abluit, extendat manum. Rursus dici posset quod Extrema Unctio datur per manuum impositionem: Siquidem Sacerdos non potest infirmum inungere nisi in illum manus extendat.

Conclusio 2. A Christo usque ad annum millesimum sola manuum impositio fuit essentialis materia Presbyteratus.

Probatur. Scriptura, Patres, Canones, ritum, de quo est questio, retulere, ubi Presbyterorum ordinationis meminerunt, illique adscripserunt gratiæ sanctificantis productionem, nec non potestatis Sacerdotalis collationem: *Manus* (inquit Paulus 1. ad Tim. 5.) *cito nemini imposueris*. Sacrum illum ritum refert Dionysius Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 5. ubi Presbyterorum ordinationem ex professo describit: refert Hieronymus in caput 58. Isaiæ; *Ordinatio* (inquit) *non solum ad invocationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manuum*: refert Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. refert Concilium Carthaginense quartum: refert Concilium Tridentinum sess. 14. de Extrema Unctione cap. 3. ubi sic loquitur: *Quo nomine* (Presbyterorum) *eo loco* (Jacobi V.) *non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii*: referunt tandem omnes libri Sacramentales, omnia ritualia, Pontificalia, quæ Sacerdotalem ordinationem descripserunt.

Nec alicujus est ponderis quod a nonnullis respondetur, in antiquis scilicet monumentis fieri mentionem impositionis manuum tamquam ritus ordinationi Presbyterorum accidentalis. Non est (inquam) alicujus ponderis: cum enim ea monumenta nullius alterius ritus per quem Sacerdotes ordinentur, meminerint, signum est unum manuum impositionis ritum a Patribus fuisse judicatum essentiale ordinationi Presbyterorum. Præterea (argumentum est Doctissimi Hugonis Menardi Benedictini monachi ex inclyta Congregatione sancti Mauri) quis in animum inducet suum Concilia, Patres, scriptores Ecclesiasticos de iis tantum locutos fuisse quæ accidentalia essent ordinationi, prætermisisse vero quæ sunt essentialia, iis etiam in libris, ubi expresse Sacerdotalis ordinationis ritum describunt, ut videre est tum in quarto Concilio Carthaginensi, quod quidem clare ac minutatim ea omnia refert quæ pertinent ad singulorum ordinum collationem, videre est etiam in Gregorio Magno, qui ceremoniam suo tempore in ordinandis Presbyteris usurpari solitam describit in libro Sacramentorum, ubi refert canonem Carthaginensem de manuum impositione cum exclusione porrectionis instrumentorum: videre est tandem in ritualibus, Pontificalibus quæ decem prioribus sæculis exarata sunt, & a pluribus Ecclesiasticis scriptoribus explicata.

Queres quænam manuum impositio decem prioribus sæculis esset materia Presbyteratus? an ea quæ nunc in Pontificali Romano fit statim post Litanias ab Episcopo silente & Presbyteris adstantibus, an ea quæ immediate post illam priorem impositionem fit ab omnibus, qui adsunt, Sacerdotibus & ab Episcopo qui in Diaconum electum in Presbyterum divinam omnipotentiam invocat, an vero ea quæ post communionem fit a solo Episcopo sic Presbyterum alloquente: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt?*

Resp. 1. priorem & tertiam manuum impositionem quarum quæstio meminit, non fuisse in usu decem prioribus sæculis, cum nullus eorum temporum scriptor Ecclesiasticus eas referat. Resp. 2. secundam, de qua mox dictum est, impositionem manuum fuisse unicam & veram materiam Presbyteratus. Nec mirum: sola enim adhibebatur, eam solam Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro describit. Præterea eam comitabatur Episcopalis benedictio, seu orationes quæ erant Presbyteratus forma ut capite sequenti dicetur: *Presbyter cum ordinatur* (ait Gregorius Magnus in lib. Sacramentorum, post quartum Concilium Carthaginense) *Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.*

Conclusio 3. Certissimum est solam impositionem manuum, his etiam temporibus, esse apud Græcos materiam essentialem Presbyteratus.

Probatur 1. Ecclesia Orientalis nusquam in ordinatione Presbyterorum usa est, nec modo utitur vasorum traditione quæ pluribus ab hinc sæculis in Ecclesia Occidentali adhibetur. 2. Nullam unquam adhibuit nec jam adhibet unctionem: neutrum enim ex illis tribus referunt antiqua aut recentia Græcorum Euchologia. 3. Ecclesiæ Orientalis Patres testati sunt semper dari Presbyteratum per impositionem manuum: unde nullum alium ritum, per quem conferatur, describunt Euchologia quæ in Græcia tum Catholica tum Schismatica sunt in usu.

Nec est quod quis ad nostrum argumentum reponat: irritas esse ac nullas quæ nunc tentantur a Græcis Presbyterorum ordinationes. Nam 1. Ecclesia Romana nusquam Græcorum ordinationes improbavit, imo nusquam de illarum validitate dubitatum fuit aut in Concilio Lugdunensi, aut Florentino quibus Græci cum Latinis adfuere, nec in Armenorum cum Ecclesia Romana unione, quæ contigit ubi primum soluta fuit Florentina Synodus. 2. Quæ nunc a Græcis celebrantur Presbyterorum ordinationes implicite & indirecte probatæ fuerunt a Clemente Papa VIII. qui Russorum Episcopos, Presbyteros & Diaconos ad unitatem Catholicam admisit cum ordinibus, quibus secundum ritum Græcum insigniti fuerant in suo schismate. 3. Ecclesia Romana, his temporibus, Presbyteris Græce ordinatis facultatem facit missas celebrandi, quibus Latini tum in Occidente tum in Oriente se se præsentes sistunt; quod quidem idolatria esset intolerabilis, si ii qui secundum Græcum ritum ordinati sunt, non essent veri Presbyteri.

Conclusio 4. Non solum antiquitus, sed his etiam temporibus, sola manuum impositio est apud Occidentales sola essentialis materia Presbyteratus.

Probatur 1. Per decem priora sæcula manuum impositio fuit (ut superius ostensum est) sola essentialis materia Presbyteratus: Ergo, hoc etiam sæculo, sola est essentialis materia, cum, ex Concilio Tridentino, Sacramentorum substantia ab Ecclesia mutari minime possit. 2. Materia alicujus Sacramenti debet ubique esse eadem, cum (ut hujus operis dissertatione 1. probatum est) ipsemet Christus singulorum Sacramentorum materiam & formam non in genere tantum sed etiam in specie infima determinaverit. Atqui sola manuum impositio est hujusmodi: Ergo, &c. 3. Qui negant manuum impositionem adæquatam esse materiam essentialem Presbyteratus, nec ex Scriptura, nec ex Traditione probare possunt per decem priora sæcula apud Occidentales vero ordinatos fuisse aliquos Sacerdotes: Siquidem iis sæculis instrumentorum porrectio, quam adversarii putant pertinere modo ad essentialem, licet inadæquatam, Presbyteratus materiam, nequaquam fuit in usu. 4. Non alterius ritus quam impositionis manuum meminit Concilium Tridentinum ubi explicat Presbyterorum nomen quo Jacobus de Extrema Unctione agens utitur in Epistola Canonica cap. v. *Rite ordinati* (inquit) *per impositionem manuum Presbyterii*.

Nec solvunt argumentum ii Scholastici qui ultro confessi Presbyteratum antiquitus collatum fuisse per solam impositionem manuum modo per instrumentorum porrectionem conferri contendunt nixi hoc principio quod *Ecclesia quatercentis saltem ab hinc annis usa sit accepta a Christo potestate mutandi secundum speciem Ordinis materiam, quam Christus ipse in genere tantum determinavit*. Non solvunt (inquam) argumentum: Nam 1. falsum (ut suo loco probatum est) supponunt. 2. Nulla antiquorum authoritate probari potest quod Christus eam facultatem, cujus concessione

nititur adversariorum responsio, Ecclesiæ fecerit. 4. Dato quod Christus eam potestatem Ecclesiæ suæ fecerit, nullo quod alicujus sit roboris, argumento, adversarii probare possunt Ecclesiam aliquando ea potestate usam fuisse: quæ enim objiciunt tum ex Eugenio IV. tum ex Romanis Pontificalibus, tum ax Scholasticorum ingenti (ut ajunt) numero, facile solvi possunt ut ex mox dicendis cuique patebit.

Solvuntur argumenta quibus nonnulli probant solam impositionem manuum non esse essentialem Presbyteratus materiam.

Objicies 1. Concors est omnium fere Theologorum sententia porrectionem instrumentorum, calicis nimirum & patenæ cum pane & vino, esse solam essentialam materiam Presbytaratus. Ergo signum est eam successisse antiquæ manuum impositioni, idque ex Ecclesiæ decreto, quæ potestate sibi a Christo tradita usa sit.

Respond. neg. ant. Siquidem non ignoti nominis Theologi referri possunt qui negant impositionem manuum excludi debere a substantia, seu essentia Sacramenti Ordinis. 1. Maldonatus tom. 1. de Sacrament. tractatu de Ordine, quæst. 3. part. 2. sic loquitur: *Impositio manuum non est habenda tamquam ceremonia non necessaria, sed tamquam pars essentialis Sacramenti, idque videtur tenendum fide Catholica.* 2. Eruditus Hugo Menardus in notis in librum Sacramentorum Gregorii Magni, conceptis terminis docet & fuse probat nihil aliud quam impositionem manuum pertinere ad materiam essentialem trium Ordinum Hierarchicorum. 3. Morinus noster, de sacris ordinationibus part. III. exercitatione VII. de Presbyteratu capite 1. profert duo argumenta, quæ (ut asserit) demonstrant falsitatem opinionis quæ docet instrumentorum porrectionem ad Presbyteratus materiam essentialem pertinere 4. Martinus Becanus in tractatu de Sacramento Ordinis, quæstione IV. hæc scribit. *Conclusio III. Impositio manuum videtur esse materia essentialis hujus Sacramenti, & a Christo instituta. Porrectio vero instrumentorum videtur esse accidentalis & ab Ecclesia introducta.* 5. Iis authoribus accedit sacra Facultas Parisiensis nulli alteri orbis Academiæ secunda; nostram scilicet conclusionem non raro probat in Baccalaureorum suorum thesibus. In iis quas anno 1639. defendit Jacobus Demontrouge hæc propositio legitur: *In ordinatione ministrorum repetitur symbolum, seu ritus externus, scilicet manus impositio, quæ in Episcopis, Presbyteris, & Diaconis ut essentialis designatur, Cætera ad integritatem materiæ dumtaxat spectant.* In iis quas eodem anno propugnavit Renatus Robevilla rector studiorum universitatis, quæque dedicatæ erant Illustrissimo D. D. Petro Seguier Franciæ Cancellario, hæc leguntur, de Ordine, Positione III. *Impositio manuum essentialis materia; Librorum aut vasorum porrectio, accessoria.* Alias Theses quibus idem dogma continetur, legere est apud laudatum Hugonem Menardum.

Objicies 1. Eugenius Papa IV. Decreto pro instructione Armenorum definit: *Ordinis materiam esse illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Porro Eugenium loqui de materia essentiali & adæquata ex eo patet quod nullius alterius, nec ipsius etiam impositionis manuum meminerit.

Respondet ad illud argumentum Hugo Menardus Eugenii Papæ IV. textum intelligi *de materia vel integrante & accessoria.* Addit laudatus author nequaquam opus fuisse ut Pontifex recenseret impositionem manuum, eo quod jam esset in usu apud Armenos quibus peculiarem Ecclesiæ Romanæ ritum tradere habebat in animo. Eodem modo respondet Becanus, cujus solutio secundum Morini nostri calculum veritati maxime consona est.

Objicies 3. cum Hallierio Doctore Sorbonico in tractatu quem de sacris ordinationibus exaravit. Vetus Ordo Romanus, *Titulo de Ordine*, Stephanus Æduensis, *De Sacramento altaris cap. 7.* Hugo a S. Victore, *Lib. 2. de Sacram.* Magister Sent. *lib. 4. dist.* 24. recensent instrumentorum porrectionum, definiuntque per eam conferri potestatem Sacerdotalem.

Resp. 1. in veteri Ordine Romano instrumentorum porrectionem non referri ubi agitur de ordinatione Presbyterorum, sed tantum ubi describitur ritus quo Episcopus ordinatur; ac proinde, cum certum sit instrumentorum porrectionem non pertinere ad Episcopatus essentiam, certum est a fortiori eam, etiam ex mente Ordinis Romani, non esse de substantia Presbyteratus.

Resp. 3. Hallierium imponere authoribus quos laudat: nec enim dicunt (ut fingit) per illam instrumentorum porrectionem conferri potestatem Sacerdotalem. Verum hoc unum asserunt, nempe porrectionem instrumentorum esse signum acceptæ potestatis (utique per impositionem manuum) & pignus exercendæ: *Accipiunt* (inquit Hugo Victorinus) *& calicem cum vino, & patenam cum hostiis de manu Episcopi, quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo hostias offerendi.* In eumdem sensum exponenda sunt hæc hodierni Pontificalis verba: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Objicies 4. Innocentius Papa III. cap. *Pastoralis de Sacramentis non iterandis; Gregorius IX. ibidem capite, Presbyter*, definiunt iterari non debere ordinationem quam Episcopus casu aliquo absque manuum impositione celebraverit, sed id tantum esse caute supplendum quod omissum fuerit.

Resp. laudatos Pontifices ideo dicere ordinationem in proposito casu non debere iterari, quod supponant peractam non fuisse: neque enim dicitur iterari quod ne semel quidem peractum est.

Quæres 1. quænam ex tribus manuum impositionibus, quæ nunc adhibentur in Presbyterorum ordinatione, sit de illius essentia.

Resp. nec priorem nec tertiam esse de essentia Sacramenti, sed eam tantum quæ fit secundo loco: *Per* eam enim solam is qui ordinatur, accipit potestatem tum consecrandi corpus Christi, tum remittendi peccata. Et quidem 1. (ut superius ostensum est) nec prior nec tertia per mille priores annos fuerunt in usu. 2. Paucos Theologos reperire est qui asserant aut primam aut tertiam manuum impositionem pertinere ad Presbyteratus substantiam. De tertia, de qua potissimum potest esse difficultas, id absolute negat Dominicus Soto, contendit nempe eam esse accidentalem ordinationi: unde concludit Presbyteratus Sacramentum adæquate quoad essentiam conferri, licet tertia illa manuum impositio prætermissa fuerit.

Quæres 2. Qua ratione se se gerere deberet Sacerdos, cui casu aliquo instrumenta porrecta non fuissent, aut in cujus ordinatione adhibita non fuisset impositio manuum, quæ juxta Romani Pontificalis præscriptum fieri solet post communionem.

Resp. eum Sacerdotem, antequam sacris det operam, teneri sub pœna peccati lethalis utrique illi ceremoniæ se se subjicere. Ratio est 1. quia utramque præscribit Ecclesia. 2. Licet opinio, quæ asserit neutram pertinere ad Sacramenti substantiam, pluribus Theologis videatur probabilior negativa; non est tamen ea tutior. At, (ut in hoc opere non semel observatum est contra quosdam Casuistas recentiores) in Sacramentis aut conferendis aut conficiendis non licet sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, ea relicta quæ tutior est.

CAPUT TERTIUM.

De forma Presbyteratus.

Circa formam Presbyteratus non una est Scholasticorum opinio. Ii quibus placet tum impositionem manuum quæ fit post communionem, tum instrumentorum porrectionem, esse materiam essentialem Presbyteratus, contendunt adæquatam illius formam constare tum verbis quæ profert Episcopus dum in-

instrumenta porrigit, tum istis aliis: *Accipe Spiritum sanctum quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt*, quæ tertiam manuum impositionem comitantur. Ii e contra qui censent porrectionem instrumentorum esse adæquatam materiam Presbyteratus, docent illius formam adæquatam hisce verbis contineri quæ eam porrectionem comitantur: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini. Amen.* Tandem Theologi qui docent manuum impositionem quæ secundo loco adhibetur ab Episcopo, esse solam Sacramenti, de quo agitur, materiam, putant illius formam adæquate contineri orationibus, quibus Episcopus Spiritum sanctum invocat in eum qui ordinatur.

Conclusio 1. Forma Presbyteratus non fuerunt olim, nec sunt modo hæc verba quæ profert Episcopus dum instrumenta porrigit; *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, &c.* Non sunt quoque hæc alia quibus Episcopus utitur dum post communionem manus imponit: *Accipe spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, &c.*

Probatur. Forma Sacramenti debet aut immediate subsequi, aut comitari materiam illius proximam: Id vero dici non potest de verbis de quibus est quæstio, eam (ut probatum est præcedente capite) nec instrumentorum porrectio, nec manuum impositio quæ fit post communionem, sint de essentia sacræ ordinationis. 2. Verba de quibus agitur, non sunt in usu in omnibus Catholicis Ecclesiis, ut patet ex Euchologiis Græcorum, quorum tamen ordinationes valent. 3. De iis verbis altum est silentium in Sacramentariis, Ritualibus, aliisque monumentis Ecclesiasticis quæ apud Latinos exarata sunt ante annum millesimum: ac proinde non constituunt Presbyteratus formam, cum (ut suo loco probatum est) quæ Sacramentis essentialia sunt, semper & ubique eadem esse debuerint.

Objicies 1. Cum verba, de quibus est quæstio, in toto Occidente multis ab hinc sæculis usurpentur in Presbyterorum ordinatione, licet detur quod ejusmodi ordinationi non sint essentialia, videtur tamen quod sint conditiones quas Ecclesia apposuit valori ordinationis, seu, quas voluit esse continuationem precum ex quibus constabat olim Sacramenti forma.

Resp. neg. ant. 1. Plures Theologos numerare est qui asserunt absque his verbis: *Accipe Spiritum sanctum, quorum, &c.* valere Presbyterorum ordinationem. 2. Nullo prorsus argumento probari potest Ecclesiam verba illa præcepisse per modum *conditionis sine qua non.* 3. Multi alii ritus, multæque preces usurpantur in toto Occidente, sine quibus tamen nemo dixerit irritam esse ordinationem.

Objicies 2. Per hæc verba: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris, &c.* datur Spiritus sanctus: alioquin frustra ab Episcopo proferrentur: quod quidem falsum est, ut definit Concilium Tridentinum sessione 23. can. 4. ubi hæc habentur: *Si quis dixerit per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum, anathema sit.* Ergo illa verba: *Accipe Spiritum sanctum &c.* sunt forma Presbyteratus, cum forma Sacramenti sit id per quod in ordinatione Spiritus sanctus producitur.

Resp. neg. ant. ad illius vero probationem, dico Synodum sacram hoc unum definire, dari nempe Spiritum sanctum in ordinatione, quod quidem caput tum Lutherani tum Calvinistæ, tum alii hæretici recentiores inficiabantur, ac proinde merito conclusit eadem Synodus Episcopos dum ordines conferunt, non dicere frustra: *Accipe Spiritum sanctum.* Verum numquam laudatum Concilium definire voluit per illa præcise verba: *Accipe Spiritum sanctum*, dari Spiritum sanctum, seu, gratiam sanctificantem: neque enim probabile est Tridentinos Patres quibus curæ fuit nullam proscribere ex iis opinionibus quæ passim apud Catholicos docerentur, voluisse damnare eam de qua agitur, cum maxime trita sit apud Theologos.

Objicies 3. Christus per hæc verba quæ post resurrectionem protulit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Apostolis contulit potestatem in suum corpus mysticum, quemadmodum in ultima cœna per hæc verba: *Hoc facite*, contulerat potestatem in corpus suum naturale. Ergo Ecclesia per eadem verba nunc ministris confert eamdem potestatem.

Resp. neg. conseq. Nam 1. si valeret illud argumentum, dici deberet Ecclesiam per hæc verba: *Hoc facite*, quæ Christus in ultima cœna protulit, conferre potestatem conficiendi corpus Christi, cum Christus per ea suis Apostolis illam contulerit. 2. Christus per excellentiæ potestatem qua pollet, Apostolis contulit effectum Sacerdotii, non collato ipsius Sacerdotii Sacramento, ut agentes de Eucharistia demonstravimus.

Conclusio 2. Forma Presbyteratus fuit olim oratio, cui in Sacramentario Gregorii Magni titulus est, *Consecratio* & quæ eam sub hocce titulo subsequitur: *Consummatio Presbyterii.*

Probatur 1. Illæ orationes fundebantur ab Episcopo dum manus imponeret; ac proinde proximam Sacerdotii materiam comitabantur. 2. In illis orationibus exprimebatur collatio potestatis Sacerdotalis: *Da quæsumus* (inquit Episcopus in Sacramentario Gregorii Magni) *omnipotens Pater in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem, innova in visceribus ejus Spiritum sanctitatis, & acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat.* 3. Illæ orationes idem sunt omnino cum benedictione quam impertitur Episcopus, dum manum imponit: nihil enim aliud in quo illa benedictio posita sit, referunt antiqua monumenta, ut videre est in Sacramentario Gregorii Magni. Atqui illa benedictio est forma Sacerdotii: Et sane ideo cujusdam Diaconi ordinatio in Presbyterum irrita ac nulla declarata fuit in altero Concilio Hispalensi can. 5. *Quod dum sacraretur, Episcopus oculorum dolore detentus, manum suam super eum ferretur posuisse, & Presbyter quidam illi contra Ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse.*

Non pauci contendunt formam Presbyteratus apud Latinos, his etiam temporibus, esse orationes, quæ alteram manuum impositionem comitantur.

Et quidem (inquiunt) 1. Illæ orationes (ut mox fuit ostensum) erant antiquitus forma Presbyteratus: Ergo sunt etiam, his etiam temporibus, cum formæ Sacramentorum sint secundum substantiam immutabiles. 2. Illæ orationes respondent formæ deprecativæ quibus Græci quovis sæculo suos Sacerdotes consecrarunt. E contra in absolutis: *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* nihil est quod eis respondeat. Verum eædem, saltem quoad substantiam, ubique debent esse formæ Sacramentorum. 3. Orationes de quibus est quæstio, comitantur essentialem materiam Presbyteratus, ac specialiter exprimunt Sacerdotalem potestatem quæ per Presbyteratum confertur: *Quo facto*, (verba sunt Pontificalis Romani) *tam Pontifex, quam Sacerdotes, tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra dicit, Oremus, Fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet; & quod ejus donatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen. Pontifex deposita mitra conversus ad altare, dicit: Oremus. Et ministri: Flectamus genua. R. Levate. Et mox conversus ad ordinandos, dicit: Exaudi nos, quæsumus Domine, Deus noster, & super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem; ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris; Per Dominum nostrum &c.*

Iis quæ mox asserta sunt, duo obstare videntur. 1. Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum, docet formam Presbyteratus esse hæc verba: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* 2. In Pontificali Romano post prolatas orationes, quæ comitantur alteram manuum impositionem,

nem, Sacerdotes non dicuntur consecrati, sed sæpius dicuntur consecrandi, igitur authoribus Pontificalis persuasum fuit orationes de quibus est quæstio, non esse formam Presbyteratus.

Verum ea duo levis sunt ponderis. Nam ad 1. eadem debet adhiberi responsio quæ dum ageretur de Presbyteratus materia, adhibita fuit ad simile argumentum. Ad secundum dicendum est primo argumentum illud urgere eos qui docent tertiam manuum impositionem quæ fit post communionem, esse materiam essentialem Presbyteratus, & verba quæ eam comitantur: *Accipe Spiritum sanctum &c.* esse illius formam: sæpius enim ante tertiam illam impositionem Sacerdotes in Pontificali dicuntur ordinati. Dicendum est. 2. Sacerdotes post alteram impositionem manuum & orationes quæ eam comitantur, non dici ordinatos, sed ordinandos; quod nondum completus sit totius ordinationis ritus.

Hic monitum volumus lectorem quod licet multum probabilis sit nostra de forma Presbyteratus opinio; cum maxime cohæreat cum antiquitate, conciliet Græcorum ordinationes cum Latinis, defendaturque a Morino nostro, viro (ut omnes sciunt) positivæ Theologiæ peritissimo: tamen in praxi minime tuta sit. Nam (ut non semel hoc in opere observatum est) in Sacramentis conficiendis aut conferendis non licet sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; Porro quæ docet non tantum orationes de quibus agitur, sed etiam verba quæ comitantur instrumentorum porrectionem, esse essentialia formæ Presbyteratus, tutior est nostra: unde in praxi est illi adhærendum, quantumcumque ea quam defendimus, speculative probabilis judicetur. Sed hac in causa, sicut & in cæteris omnibus quæ in hoc opere a nobis scripta sunt, expectamus judicium Sedis Apostolicæ, cujus censuræ nos, nostraque subjicimus.

CAPUT QUARTUM.

De ministro Presbyteratus.

NOn est hic quæstio de ordinario ministro Presbyteratus: agentes enim de ordine in communi ostendimus solum Episcopum esse cujuslibet ordinis ministrum ordinarium: hic agitur de solo extraordinario ministro de quo dicendum nobis incumbit.

Conclusio. Nullus Presbyter, qui Episcopus non sit, potest conferre Presbyteratum, etiam ex delegatione Summi Pontificis.

Probatur 1. authoritate Patrum. 1. Chrysostomus hæc ait: *Sola ordinatione Episcopi Presbyteri videntur superare & antecedere.* Sic etiam loquitur Hieronymus in Epistola ad Evagrium: *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Verum si Presbyteri ex delegatione possent consecrare Presbyteros, dici posset quod Episcopi non magis ordinationa, quam Confirmatione Presbyteros superarent, sicut enim istam ex delegatione conferre possunt, ita & illam, in adversariorum sententia: unde iste terminus exclusivus, *Sola*, ex Chrysostomi & Hieronymi textibus expungi deberet. 2. Patres ubi disputarunt contra Aerium, Collutum, & alios qui contendebant Presbyterum posse Presbyterum ordinare, absolute & absque ulla distinctione asseruerunt id divinæ institutioni repugnare e diametro.

Probatur 2. Nusquam Ecclesia commisit presbyteros ad conferendum Presbyteratum, nec dum sæviit persecutio, nec ubi per Constantinum Magnum pax Christianis affulsit: id tamen, si penes ipsam fuisset, mandasset executioni, præsertim in remotis regionibus, ubi nulli adhuc erant Episcopi, & in quas nonnisi magno cum labore mitti poterant.

Objicies 1. Chorepiscopi non erant Episcopi, sed Presbyteri simplices, aliis, qui rure degebant, ex institutione Ecclesiæ, præpositi. Atqui Chorepiscopis quondam facta est potestas ordinandi Sacerdotes idque patet 1. ex can. 13. Concilii Ancyrani ubi hæc habentur ex interpretatione Gentiani Herveti: *Chorepiscopo non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed neque urbis Presbyteros, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit, in aliena Parochia.* Cum urbis Presbyteri sint superiores iis qui in pagis degunt, non valet illatio quam canon eligit a vicanis ad urbicos, itaque per Presbyteros urbis intelligendi sunt alieni Episcopi; ita ut is sit laudati canonis sensus: *Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare nisi ab Episcopo illis permissum fuerit, sed neque Episcopis in aliena Parochia, seu, Diœcesi, sine Episcopi Diœcesani permissione quæ litteris constet.* Patet. 2. ex Can. x Concilii Antiocheni ubi hæc leguntur de Chorepiscopis: *Nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant absque urbis Episcopo cui subjicitur ipse & regio.* Ergo ex speciali Episcopi commissione, Chorepiscopi, ex Concilio Antiocheno, poterant Presbyteros & Diaconos consecrare.

Resp. 1. In Gentiani Herveti interpretatione deesse nonnulla quæ licet non legantur in codice Ecclesiæ Romanæ, reperiuntur tamen in aliquibus exemplaribus, quæ sic habent in Conciliorum editione Labbeana: *Chorepiscopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare. Sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto Episcopi vel litteris in unaquaque Parochia aliquid imperare, nec sine auctoritate litterarum ejus, in unaquaque Parochia aliquid agere.* Jam vero si vera sit mox relata Canonis lectio, canon, ne vel in speciem quidem, iis favet, qui contendunt simplices Presbyteros posse per delegationem alios Sacerdotes consecrare.

Resp. 2. nec Ancyranam nec Antiochenam Synodos loqui de omnibus Chorepiscopis, sed de iis tantum qui, cum antea veri essent Episcopi, ad Chorepiscoporum aut Presbyterorum urbicorum ordinem redacti fuerant. Hujusmodi autem multos extitisse colligitur 1. ex canone 17. laudatæ Ancyranæ Synodi ex interpretatione Dionysii Exigui: *Si qui Episcopi ordinati sunt, nec recepti ab illa Parochia in qua fuerant denominati, voluerintque alias occupare Parochias, & vim Præsulibus earum inferre, seditiones adversus eos excitando, hos abjici placuit. Quod si voluerint in Presbyterii ordine, ubi prius fuerant, ut Presbyteri residere, non abjiciantur propria dignitate: Si autem seditiones commovent ibidem constitutis Episcopis, Presbyterii quoque honor talibus auferatur, fiantque damnatione notabiles.* Colligitur 2. ex Can. 18. Antiochenæ Synodi habitæ anno 341. sic enim habet: *Si quis Episcopus ordinatus non abierit in Parochiam cui ordinatus est, non suo vitio, sed plebis forsitan contradictione, hic honorem susceptum retinere debebit, & Sacerdotio fungi, ita ut nihil molestiæ afferat Ecclesiæ illi in qua est constitutus.* Colligitur 3. ex Concili Nicæni primi, canone VIII. quo Episcopi Novatiani permittuntur agere Chorepiscopos in iis locis ubi Episcopi Catholici sederint antequam ipsi redirent ad unitatem: *Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiscopatus aut Presbyteris locum, ut in clero prorsus esse videatur, ne in una civitate duo Episcopi probeatur existere.*

Objicies 2. epistolam XCII. Leonis Magni, in qua S. Pontifex Rustici Narbonensis inquisitionibus respondet. Prior autem inquisitio erat, *De Presbytero, vel Diacono, qui se Episcopos mentiti sunt: & de his quos ipsi Clericos ordinarunt.* Sic vero habet responsio: *Si qui autem clerici ab illis pseudo-episcopis in eis Ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum consensu & judicio præsidentium facta est, potest rata haberi; ita ut in ipsis Ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio quæ nec loco fundata est, nec auctoritate munita.* Igitur Leoni Magno visum est Presbyterorum ordinationes factas a Presbyteris qui vere Episcopi non fuerint, esse validas, si peractæ fuerint ex proprii Episcopi consensu.

Resp. 1. Presbyterum & Diaconum de quibus Leo Magnus consultus fuerat, dictos fuisse pseudo-episcopos, non quidem eo sensu quod Episcopatus chara-

cterem

ctericm non recepissent; sed quod ordinati fuissent cuntra canones, seu absque Metropolnani consensu, & ab aliis quam Comprovincialibus Episcopis: ac proinde ordinatio quam Clerici contulerant, vana erat quoad ordinum executionem, nisi eorum quorum intererat asseosu firmaretur. Sensum illum non obscore innuunt ipsiusmet Leonis verba: *Nulla ratio sinit* (inquit) *ut inter Episcopos habeantur, qui nec a Clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati. Unde cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam illis esse tribuendum quod non docetur fuisse collatum.*

Resp. 2. ex laudato Leonis textu colligi non posse Clericos quorum meminit, fuisse a pseudo illis Episcopis consecratos aut Presbyteros aut Diaconos. Clerici nomen non semper majores, sed etiam, & quidem non raro, minores significat. Unde dici potest Presbyterum & Diaconum de quibus Leo loquitur, minores tantum Clericos ordinasse, non autem majores, ut sunt Presbyteri & Diaconi.

Resp. 3. dici posse Leonem ex indulgentia Clericis de quibus agitur, concessisse ut ministrarent Ecclesiis quibus visi fuerant adscribi ab illis Pseudo-episcopis: ea tamen lege ut antea a veris Episcopis vera ordinatione donarentur.

Quæres. Utrum fide Catholica certum sit Presbyteros Episcopali charactere destitutos non posse ab Ecclesia delegari ad Presbyteratum conferendum?

Resp. negative. Nam 1. Ecclesia nullibi articulum illum tamqnam pertinentem ad fidem Catholicam definit: unde videtur quod hic usurpari debeat celebre istud Augustini axioma: *Nobis tutum in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ quæ nullo in regionali Concilio cœpta, nullo Concilio plenario terminata sunt.* 2. Non paucos reperire est authores, suis operibus de Ecclesia alioquin optime meritos, qui docent Ecclesiam id juris habere ut simplices Presbyteros committere possit ad conferendum Presbyteratum. Innocentius Papa IV. in caput; *Quanto de consuetudine*, sic loqoitur: *Silvester dicit quod ex delegatione Domini Papæ, & adminiculo Sacramenti habiti, quilibet Clericus potest quidquid habet ipse, conferre, quod vero non habet minime.* Morinus noster, opere quod inscripsit: *De sacris Ordinationibus*, part. 3. Exercitatione 4. *De Chorepiscopis*, cap. 3. asserit simplices Presbyteros Ecclesiastica, Chorepiscopali dignitate ornatos, olim per Canones 13. Ancyranum & 19. Antiochenum, quorum sensum superius tradidimus, delegatos fuisse ad consecrandos Presbyteros in pagis & villulis. Ludovicus Meratius, disput. 8. de Ordine, sect. 2. judicat probabiliurem esse negativam sententiam quæ affirmat Presbyterum simplicem, seu, qui non sit Episcopus, posse esse ex Ecclesiæ delegatione extraordinarium Presbyteratus ministrum.

Caput Quintum.

De variis Presbyteratus gradibus.

NON agemus hic de singulis Presbyteratus gradibus, ne hoc opus erescat in immensum, sed dicemus tantum de vicariis generalibus Episcoporum, Officialibus, Canonicis, Parochis.

Articulus Primus.

De Vicariis generalibus, & Officialibus Episcoporum.

VIcarii generales sunt ii, qui Episcoporum vices gerunt in caussis quæ ad jurisdictionem gratiosam & voluntariam pertinent.

I. Antiqua Vicariatus generalis vestigia videre est in Chorepiscopis, qui (ut superius observatum est) in Parochiis ruralibus universales erant sacræ Jurisdictionis administri: unde in Concilio Ancyrano, juxta Isidori Collectionem, dicuntur, *Vicarii Episcoporum quos Græci Chorepiscopos dicunt.*

II. Vicariorum generalium, qui de grege Presbyterorum seligerentur ab Episcopo, plurima exempla ex antiquis monumentis desumi possunt. Gregorius Nazianzenus a Patre Episcopo Nazianzi per vim, totius Diocœsis administer & Vicarius generalis creatus est. In Orat. ad Patrem, ipsemet testatur se numquam fuisse Nazianzi Episcopum, sed parentis solum administrum, & veloti Vicarium generalem: *Nunc quidem* (inquit) *cum præclaro parente curam hanc suscipere non recuso, velut magnæ Aquilæ & altissime volanti pullus non incommodus e propinquo advolans.* Basilium Eusebii Cæsariensis Episcopi vices in omnibus egisse cum adhuc esset Presbyter, testatur Gregorius Nazianzenus orat. 2. in laudem Basilii, ubi sic de eo loquitur: *Adesse, docere, dicto audientem esse, monere, quidvis denique illi esse, consultor bonus, opitulator optimus, divinorum oraculorum explicator, rerum agendarum præmonstrator, senectutis subsidium, fidei adminiculum, domesticorum fidelissimus, externorum ad res agendas aptissimus: ut uno verbo dicam tantam ejus benevolentiam obtinens, quanto prius apud eum* (Eusebium) *odio flagrare videbatur. Ex quo hoc assecatus est, ut etiamsi illi Cathedræ honori secundus esset, Ecclesiæ tamen imperio potiretur.* Augustinus eo fine ordinatus est, ut Valerius aliquem haberet in quem tum munus prædicandi Evangelium coram Episcopo, quod quidem in Africa non solebat fieri, tum cætera pastoralis sollicitudinis officia conferret: *Cum* (inquit Possidius in vita Augustini cap. 4.) *flagitante Ecclesiastica necessitate de providendo & ordinando Presbytero Civitatis, plebem Dei alloqueretur, &c. Gratias agebat Deo suas exauditas fuisse preces, quas se frequentissime fudisse narrabat, ut sibi divinitus homo concederetur talis qui posset verbo Dei & doctrina salubri Ecclesiam Dei ædificare: cui se rei homo natura Græcus* (Valerius) *minusque Latina lingua & litteris instructus, minus utilem pervidebat. Et eidem Presbytero potestatem dedit coram se in Ecclesia Evangelium prædicandi, ac frequentissime tractandi, contra usum quidem & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum. Unde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant.* De eo onere sibi reluctanti imposito conqueritur ipse Augustinus Epistol. 148. ubi sic loquitur: *Vis mihi facta est merito peccatorum meorum. Nam quid aliud existimem, nescio ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.*

III. Licet apud veteres extiterint (ut mox observatum est) Vicariorum generalium vestigia, passim tamen in Ecclesiis non reperiebantur, ut nunc fere in singolis visuntur. Merito advertit Thomassinus noster nec in Gratiani Decreto, nec in Gregorianis Decretalibus, ullum deprehendi posse vestigium Vicariorum generalium: *In Decretalibus quidem*: (inquit Vet. & nov. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 7.) *tituli certi sunt, de Officio Archipresbyteri, de officio Archidiaconi, sed de Vicario Generali aut Officiali nulli sunt prorsus.* Censet mox laudatus scriptor Vicarios generales, ut nunc sunt, suam originem debere Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. siquidem (ut advertit) Patres Lateranenses hortentur Episcopos, ut si muneris sui numeros omnes implere non possint, eligant Presbyteros, qui iis *ipsorum vice* fungantur. Addit sæculo 13. ubique creatos fuisse Vicarios generales, probatqoe ex eo quod in *Sexto* legatur titulus, *De officio Vicarii*, qui quidem totus est in explicandis muneribus Vicariorum generalium.

IV. Vicarii generalis jurisdictio exerceri potest etiam extra Diœcesim: potest nimirum dare testimoniales litteras, dispentationes concedere, impertiri absolutiones a censuris, beneficia, si tamen ad id habeat ab Episcopo facultatem specialem, conferre, ac tandem omnes concessiones quas gratiosas vocant, indulgere.

V. A judicio Vicarii generalis provocari non potest ad Episcopum. Ratio est, quia cum Vicarius generalis ordinariam jurisdictionem habeat, eamdem cum Episcopo personam constituit. Unde colligitur 1. quod si Episcopus sit excommunicatus, suspensus,

aut

aut interdictus, desinat extemplo jurisdictio Vicarii generalis, & in capitulum transferatur. 2. Quod si persona Episcopi suspecta fuerit, suspectus etiam sit Vicarius generalis.

Quæres quæ conditiones requirantur ut quis Vicarius generalis creari possit?

Resp. requiri 1. conditiones internas, quæ quidem eædem sunt quas Paulus in priore Epistola ad Timotheum requirit ut quis aut Episcopus, aut Diaconus fiat. Nec mirum, cum enim Vicarius generalis alter sit veluti Episcopus, necesse est ut Episcopalibus virtutibus ornatus sit. Resp. 2. quasdam conditiones externas esse necessarias. Concilium Tridentinum sess. 24. de ref. cap. 16. requirit ut nullus ea dignitate donetur, nisi saltem in jure Canonico sit Doctor aut Licentiatus. In Galliis necesse est ut sit Sacerdos, regnicola; ut videre est in Comitiis Blesensibus sub Henrico III. Francorum Rege.

VI. Officiales sunt ii qui Episcopi vices gerunt in causis quæ ad jurisdictionem contentiosam spectant: Unde extra Diœcesim, imo nec extra proprium auditorium, possunt sua obire munera. Eodem ferme tempore Officiales cœperunt, quo Vicarii generales. Post Concilium Lateranense IV. distincta fuerunt eorum officia ab officiis Vicariorum generalium, quia tunc accuratius quam antea, jurisdictio voluntaria distingui cœpit a contentiosa. Arbitraria est Vicariorum generalium institutio; unde pro libito ab Episcopo possunt amoveri; secus vero Officiales stabili nempe perpetuoque gaudent officio.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Canonicis.

TRidentina Synodus decernit Sessione 24. cap. 12. de reform. obtinentibus: *Canonicatus, præbendas, aut portiones in Cathedralibus, aut collegiatis non licere vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Alioquin (inquit) *primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentiæ facit suos. Quod si iterum eadem usus sit negligentia, privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur.*

2. Ibidem sic decernit: *Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit, Consuetudinem, quod sancta Synodus innovat, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus. Exceptis solis, quos infirmitas, aut justa alia causa excusaret*, ut sunt commissio ad agenda capituli negotia, injustum exilium, & alia hujusmodi.

3. Hæc ibidem statuit: *Omnes vero divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti adsistere & inservire, atque in choro ad psallendum instituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.*

Ex his patet 1. peccare Canonicos qui singulis horis canonicis non sistunt se præsentes. Definit enim Concilium absolute & indistincte eos per se ad divina teneri, quæ quidem verba intelliguntur de toto officio. 2. Peccare pariter eos, qui submissa voce recitant breviarium, dum canendum est cum aliis. 3. Reos fieri eos, qui ut lucrentur distributiones, in choro adsunt tantum per unum aut alterum psalmum, & postea exeunt: unde colligitur eos omnes pro rata teneri ad restitutionem. Nec canonicis qui sic se gerunt, favent consuetudines contrariæ: Si quæ enim sint, corruptelæ potius quam consuetudines appellari debent, cum piæ fundatorum intentioni manifesto repugnent.

ARTICULUS TERTIUS.

De Parochis.

DE Parochis quæremus. 1. An divina sit eorum origo. 2. Quibus officiis olim persungerentur. 3. Quænam, hoc tempore, ei incumbant onera.

§. I.

De Parochorum origine.

COnclusio. Parochi divinæ sunt institutionis.

Probatur 1. Semper & ubique extiterunt pastores inferiores, qui sub Episcopis urbium & pastorum Ecclesias rexere. Id patet 1. ex his Pauli verbis ad Titum 1. *Reliqui te Cretæ ut constituas per civitates Presbyteros*: nec non istis aliis Actor. 20. *A Mileto autem mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ.* Quibus verbis: *Majores natu*, Irenæus docet intelligi debere varios urbis Ephesinæ pastores secundi ordinis, quos nunc Curatos dicimus. Patet 2. ex Epiphanio qui meminit plurium Ecclesiarum quæ extarent in urbe Alexandrina, quibuscumque singulis suus, sed sub Episcopo, Presbyter præesset: *Etenim quotquot Alexandriæ Communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique Præpositus est Presbyter, qui Ecclesiastica munera administret. Qui circa Ecclesias illas habitant, eorumque conventicula vici, sive, Laure ab Alexandrinis vulgo nominantur.* Asserit idem scriptor uni ex illis Ecclesiis Arium præpositum fuisse Rectorem, alteri Colluthum, Corponam item & Sarmatam aliis: *Harum unam Colluthus administrabat, aliam Corponas, aliam Sarmatas: Sed & Arius iste unam ex commemoratis illis Ecclesiis regebat. Cum autem singulis commissum sibi populum per statos & solemnes Conventus publice docerent, dissensiones in vulgus sparserunt, &c.* Patet 3. ex variorum Titulorum erectione quæ Romæ facta est, prioribus sæculis, si tamen suppostitiæ non sint quædam Epistolæ quæ prioribus antiquis Pontificibus Romanis adscribuntur: Hæc habet liber Pontificalis adscriptus Evaristo: *Hic Titulos in urbe Roma divisit Presbyteris*: Titulos autem illos fuisse varias Parochias nemini dubium est: unde his etiam temporibus Romæ pro Parochia usurpantur.

Probatur 2. ex eo quod Traditione doceamur Parochos, seu Curatos, septuaginta duobus discipulis successisse sicut Episcopi successerunt Apostolis. *Septuaginta* (ait Origenes in Epist. ad Rom. cap. 16.) *& ipsi Apostoli nominati sunt.* Chrysost. in priorem ad Corinth. idem asserit: *Erant & alii Apost ut septuaginta.* Hæc habet Beda in Evangelium Lucæ lib. 3. cap. 10. *Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos. Sicut duodecim Apostolos, formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare nemo est qui dubitet, sic & hos septuaginta duos figuram Presbyterorum, id est, secundi ordinis Sacerdotum, gessisse sciendum est: Tametsi primis Ecclesiæ temporibus, ut Apostolica scriptura testis est, utrique Presbyteri, utrique vocabantur Episcopi; Quorum unum sapientiæ maturitatem, alterum industriam Curæ Pastoralis significat.* Hæc etiam habet Hincmarus Rhemensis in instructione quam pro Parochis Rhemensibus conscripsit: *Ut cognoscat* (Parochus) *se ad formam septuaginta duorum discipulorum in ministerio Ecclesiastico esse promotum.* Sic etiam loquitur Theodulphus Episcopus Aurelianensis in Capitul. cap. 1. *Obsecro vos, Fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum & emendationem vigilantissima cura laboretis, quatenus illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorum profectu, & nos de vestro, Domino nostro Jesu Christo auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus .... Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & pene conjunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent: & illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron; isti vero filiorum ejus.: unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis,* me-

memores vestræ consecrationis &c. Verum si Curati sint successores septuaginta duorum discipulorum, necessario sequitur eos esse ex immediata Christi institutione; eos suam ab ipsomet Christo jurisdictionem habere; nam ab ipso immediate electi sunt septuaginta duo discipuli, ab ipsomet missi sunt ad opus Evangelicum: *Post hæc autem* (inquit Lucas, Evangelii cap. 10.) *designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus ...... Ite: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.*

Probatur 3. authoritate Academiæ Parisiensis. Sæpius testata est sacra facultas, esse mentem suam, quod Curati sint Prælati inferiores, qui suam institutionem & jurisdictionem ipsimet Christo immediate debeant: Gersonius Academiæ Cancellarius Tom. 1. p. 137. hæc habet quæ sacræ facultatis judicium clare exprimunt: *Qui dicuntur successores septuaginta duorum Discipulorum, & dicuntur Prælati secundi ordinis, dignitatis vel honoris, quales sunt Curati, quibus ex statu & ordinario jure conveniunt tres actus hierarchici, primarie, essentialiter & immediate a Christo qui sunt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per Sacramentorum ministrationem.* Ubi quis temerare ausus est laudatæ Academiæ judicium: mox per censuras redactus est in ordinem. Anno 1408. Joannes Gorellus Franciscanus hancce propopositionem evulgarat: *Curatis non competit, ut tales sunt, prædicare, confessare, Extremam-Unctionem dare, decimas recipere; Fundatur in hoc quod Curati non sunt de institutione Christi & Ecclesiæ primaria, sed per Dionysium Papam fuerunt ordinati.* Sacra vero facultas Gorellum duplici huic contradictoriæ propositioni coegit subscribere: *Dico nunc in ordinatione ejusdem (facultatis) matris meæ & ultronea voluntate, veritates quæ sequuntur. Prima, Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati, & Hierarchæ ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu, jus prædicandi, jus confessiones audiendi, jus Sacramenta Ecclesiastica secundum exigentiam sui status & Parochianorum, ministrandi; jus sepulturas dandi. jus insuper decimas, & alia jura Parochialia recipiendi ..... Item quod jus prædicandi & confessandi competit Prælatis & Curatis principaliter & essentialiter, & Mendicantibus per accidens & ex privilegio, quoniam sunt introducti vel admissi ex commissione & beneplacito Dominorum Prælatorum.* Anno 1429. alter Regularis, Joannes Sarasinus, hanc aliam propositionem protulerat in medium: *Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis sive sint Episcopi, sive sint Curati, esse immediate a Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.* Sic vero contradictoriam, jubente facultate sacra, proferre coactus est: *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ a Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam: a Papa autem & ab Ecclesia quantum ad limitationem & dispensationem ministerialem. Hujusmodi potestates sunt de jure divino, & immediate institutæ a Deo. Ex textu Evangelii & doctrina Apostolorum habetur expresse Apostolis & discipulis a Christo missis authoritatem jurisdictionis fuisse collatam. Dicere inferiorum Prælatorum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi, sive sint Curati, esse immediate a Deo, Evangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.* Anno 1658. Prodiit in lucem liber, cujus hæc erat superscriptio Gallica: *La defense de l'authorité de notre saint Pere le Pape ..... contre les erreurs de ce temps, par Jacques de Vernant:* hoc est, *Defensio authoritatis SS. D. N. Papæ adversus hujusce temporis errores, authore Jacobo de Vernant:* Eo autem in libro editis sex propositionibus divinam Curatorum institutionem, immediatam eorum a Christo jurisdictionem, author impugnaverat: sed hac censura sacra facultas in eas propositiones animadvertit: *Hæ sex propositiones: quatenus asserunt vel inferunt potestatem jurisdictionis Curatorum non esse immediate a Christo quantum ad institutionem primariam, falsæ sunt, & decretis sacræ facultatis contrariæ; salva semper immediata Episcoporum in Prælatos minores seu Curatos & plebem subditam authoritate.*

Probatur 4. authoritate Scholasticorum. S. Thomas Curatos reveretur tamquam secundi ordinis Principes & Prælatos Ecclesiæ, atque tenere eos locum septuaginta duorum discipulorum Christi: *Ideo* (inquit 3. part. quæst. 67. art. 2. ad 2.) *baptizare pertinet ad minores Principes Ecclesiæ, id est, ad Presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum Discipulorum Christi, ut dicit Glossa Lucæ* 10. Joannes Major dist. 24. quæst. 3. sic loquitur: *Præterea reliquos Apostolos factos a Christo diximus post resurrectionem; & per consequens tam Episcopi quam Curati sunt de jure divino, quemadmodum Romanus Pontifex, nec aliquis purus homo potest illud ir. & illas potestates tollere ab Ecclesia plusquam Summum Pontificem, licet Petrus Paludanus & Joannes de Turrecremata teneant oppositum. Sed hoc quod ipsi tenent, censuit in fide hæresim facultas nostra.* Gersonius quondam Parisiensis Academiæ Cancellarius: *De statibus Ecclesiastis, de Curatorum statu consideratione prima*, hæc scribit: *Status Curatorum succedit statui 72. Discipulorum Christi quoad legem novam, & figuratus est in antiqua lege per Levitas. Ac proinde status Curatorum est de institutione Christi & Apostolorum suorum a principio fundationis Ecclesiæ, quæ institutio per declarationes Summorum Pontificum & Synodorum tam generalium, quam specialium magis ac magis innotuit.*

§. II.

Solvuntur argumenta quæ proferri solent adversus divinam Parochorum institutionem.

Objicies 1. Septuaginta duo discipuli ligandi aut solvendi potestatem nusquam a Christo accepisse leguntur: solos nimirum Apostolos Christus alloquebatur Joannis 20. ubi hæc ait: *Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo Curati qui 72. discipulis successere, suam in populum jurisdictionem a Christo non acceperunt.

Resp. neg. ant. ad cujus probationem, dicendum est Christum laudato Joannis loco allocutum fuisse Apostolos, eosque omnes quibus Apostoli collaturi erant Sacerdotium per manuum impositionem, quique successuri erant 72. discipulis, quos (ut superius observatum est) Christus immediate & elegit & misit, quibusque commisit Parochialem curam. Confirmant solutionem nostram hæc antiqui Pontificalis verba: *Hac providentia, Domine Apostolis filii tui, Doctoribus fidei, comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt.*

Objicies 2. Parochi quondam absque speciali Episcoporum mandato nec Sacramenta conferre, nec prædicare, nec quidquam in plebem officii Pastoralis exercere poterant. Igitur non a Christo, sed ab Apostolis, seu, Episcopis, suum habent Pastoratum, suam habent Prælaturam.

Resp. 1. in pagis & minoribus urbibus, a quibus aberat Episcopus, & ubi erectæ erant Ecclesiæ, Parochos quovis sæculo, sine speciali Episcoporum mandato & prædicasse Evangelium & administrasse Sacramenta: *Mareotes* (inquit Athanasius Apol. 2.) *ager est Alexandriæ, quo in loco Episcopus numquam fuit; immo ne Chorepiscopus quidem sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent; ita tamen ut singuli pagi suos Presbyteros habeant.* Innocentius Papa I. in Epistola ad Decentium meminit Parochorum qui in cœmeteriis darent operam sacris, nec non aliorum qui intra urbem constituti verbo Dei & Sacramentorum administratione populum sibi creditum pascerent: ita tamen ut die Dominica non celebrarent, sed Eucharistiam ab Episcopo consecratam reciperent distribuerentque fidelibus: *De fermento vero quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum Presbyteri quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiant, ut se a nostra communione maxime illa die non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus,*

& Pres-

& Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.

Resp. 2. argumento, quod nobis objectum est, probari exercitium prælaturæ quæ divinitus Parochis concessa est, ab Episcopis pendere: quod quidem nos ultro fatemur; nec immerito, cum æquum sit ut rivulus pendeat a fonte, pars decidua a toto unde avulsa est: authoritatis nimirum Ecclesiasticæ Episcopatus fons est & origo, jurisdictionis quam Christus secundum aliquam partem Parochis concessit, plenitudinem, totalitatem & perfectionem in se complectitur, ut præclaris hisce verbis docet & explicat Petrus Aurelius Tom. 2. pag. 225. *Parochorum officium in Episcopo inclusum a Christo est, ut in fonte ac plenitudine Ecclesiastica & Hierarchicæ potestatis, cujus Parochialis potestas est decidua pars, ab Episcopo in Parochum ut a fonte in rivum transfusa, sine detrimento tamen aut imminutione, eo modo quod res spirituales transfunduntur & communicantur, ut e septuaginta Senioribus Moysis spiritu imbutis, illibata Moysis plenitudine, facile intelligitur.*

Objicies 3. Tribus prioribus sæculis nulli erant Parochi in agris, nulli quoque in Majoribus urbibus: Si enim extitissent Parochi, plures in singulis Diœcesibus extitissent Ecclesiæ Parochiales. At non extabant plures, sed unica tantum ad quam tum ii qui rure degebant fideles, tum qui in urbe, diebus Dominicis conveniebant. Id vero colligitur 1. ex eo quod Scripturæ novi Testamenti non aliarum Ecclesiarum meminere, quam earum quæ essent in civitatibus & urbibus: *Reliqui te Cretæ* (inquit Paulus ad Titum 1.) *ut constituas per civitates Presbyteros.* Colligitur 2. ex S. Ignatio, apud quem nulla omnino fit mentio Presbyterorum qui in agris essent; nullæ quoque recensentur Ecclesiæ præter Cathedralem. Colligitur 3. ex Justino Martyre qui (ut agentes de Eucharistia jam observavimus) conceptis terminis asserit eos, qui aut rure aut in urbe degerent in unum locum solitos fuisse convanire, tum ut sisterent se præsentes sacrificio, tum ut Christi corpore ac sanguine reficerentur: *Solis die* (inquit Apolog. 2.) *omnium qui in urbibus vel in agris degunt in eumdem locum conventus fit.* Colligitur 4. ex eo quod in Apostolicis canonibus altissimum fit de ruralibus Ecclesiis silentium, nec non de iis quæ præter Cathedralem essent in urbibus.

Resp. mirum non esse quod primo & altero sæculo nullæ essent Ecclesiæ rurales, quod unica esset in urbibus etiam majoribus: pauci nimirum erant in agris Christiani, in urbibus longe major erat infidelium quam fidelium numerus; ac proinde non erat opus ut in agris erigerentur Ecclesiæ, aut in urbibus plures extarent. Verum inde male colligitur quod nulli tunc essent Parochi: Siquidem, ut quis sit Parochus, non requiritur ut templum habeat in quo præsit, sed satis est ut ex officio populum doceat, pascat Sacramentis. At quovis sæculo extiterunt Presbyteri, quibus ex institutione divina id juris incumberet; quænam autem Sacramenta conferrent, quandonam in synaxibus dispensarent Dei verbum, pendebat ex Episcoporum arbitrio, qui prioribus sæculis servaverant sibi jus offerendi sacrificium in publicis conventibus, absolvendi publicos pœnitentes, ac obeundi extra casum necessitatis si præsentes essent, omnia fere Pastoratus munia.

§. III.

Quænam essent antiquitus, & nunc sint Parochum jura & officia?

VAria quondam extiterunt Parochorum jura.

I. Parochorum urbicorum collegium, quasi Senatus erat Episcopi, in quo agebatur de causis majoribus, cui & vicini Episcopi sæpius aderant. Constabat ex Presbyteris Synodus, in qua Alexander Alexandrinus Patriarcha primum damnavit Arii hæresim.

II. Parochi poterant in contumaces peccatores animadvertere excommunicationis sententia: *Mihi* (inquit Hieronymus in Epist. ad Heliodorum *ante Presbyterum sedere non licet: Illi, si peccavero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* Verum locum non habebat ejaculata a Parochis excommunicationis sententia, nisi ab Episcopo aut explicite, aut implicite, seu silentio confirmaretur: eam enim tantum quæ ab Episcopo lata esset, ratam esse vult Nicæna prima Synodus can. 5. cui subscripsit Antiochena can. 6. ubi hæc habentur: *Si quis a proprio Episcopo excommunicatus est, non eum prius ab aliis debere suscipi, nisi aut a suo receptus fuerit Episcopo, aut Concilio facto, occurrat ut respondeat; & si Synodo satisfecerit, statuimus sub alia sententia eum recipi. Quod etiam circa laicos, & Presbyteros, & Diaconos, & omnes qui in Clero sunt, convenit observari.* Ea excommunicandi potestate Parochi in Occidente fruiti sunt, etiam post annum millesimum. Alexander Papa III. (ut habetur C. *Cum ad Eccles. De offic. ordin.*) rescripsit ad Episcopum Florentinum, ut servari curaret excommunicationem, & interdictorum sententias quas Parochi justis de causis tulissent. *Mandamus, quatenus si quando Plebanus sancti Petri in Clericos vel Laicos Parœcianos suos interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, ipsam facias inviolabiliter observari; & eam sine congrua satisfactione & absque ejusdem Plebani conscientia non relaxes.* Vigebat idem mos Angelici Doctoris ævo, hæc enim leguntur Supplem. quæst. 22. art. 1. *Episcopi propria authoritate & majores Prælati, secundum communiorem opinionem, possunt excommunicare. Sed Presbyteri Parochiales nonnisi ea commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto & rapina, & hujusmodi, in quibus est eis a jure concessum quod excommunicare possint. Alii autem dixerunt quod etiam Sacerdotes possunt excommunicare. Sed prædicta opinio est rationabilior.* Verum post sæculum 13. Parochi penitus exciderunt ex qualibet contentiosa jurisdictione; idque contigit quod tunc Episcopi creaverint Officiales, quibus totam jurisdictionem contentiosam commisere.

III. In Occidente Parochi poterant Psalmistas vel Cantores creare: *Psalmista*, id est, *Cantor*, (inquit IV. Concilium Carthaginense cap. 10.) *potest absque sententia Episcopi, sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi; dicente sibi Presbytero, Vide ut quod ore cantas, corde credas:* Ii vero Psalmistæ tum in Oriente, tum in Occidente inscripti erant Clericorum albo: *Clericorum nomen* (verba sunt III. Concilii Carthaginensis can. 21.) *etiam Lectores, & Psalmistæ, & Ostiarii retineat.* Aliquibus in locis arrogarant sibi jus ordinandi Acolythos, sed repressi sunt a Gelasio Papa Epist. 9. ubi sic loquitur: *Nec sibi meminerint ulla ratione concedi, sine Summo Pontifice* (hoc est Episcopo) *Subdiaconum aut Acolythum jus habere faciendi.*

IV. Cum præter Cathedralem alia non erat Parochialis Ecclesia, Parochi non poterant quidem passim & ordinarie absolvere pœnitentes publicos, sed poterant absente Episcopo si publica pœnitentia damnatum urgeret periculum mortis: *Apud Presbyterum* (inquit Concilium Eliberitanum can. 32.) *si quis gravi lapsu in ruinam mortis deciderit, placuit agere pœnitentiam non debere, sed potius apud Episcopum, Cogente tamen infirmitate, necesse est Presbyterum Communionem præstare debere.*

V. Licet Parochi quatuor prioribus sæculis Baptismum solemnem ordinarie non conferrent (ut ostensum est in altera hujus operis dissertatione) contulerunt tamen postea, ut patet ex Innocentio Papa I. qui in Epistola ad Decentium profitetur aperte Baptismum a Presbyteris dari: *Nam* (inquit cap. 3.) *Presbyteri, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungere licet.* Capite 8. addit laudatus Pontifex Presbyreros sua ætate, sicut & nunc, passim administrasse Unctionis Extremæ Sacramentum: *Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt.*

VI. Pa-

VI. Parochi quovis sæculo sacrificium pro creditis sibi populis obtulerunt, & quidem una cum Episcopo iis temporibus quibus, etiam festivis diebus, mos erat semel tantum offerendi. Iisdem populis dispensarunt semper Dei verbum, in Oriente quidem etiam præsente Episcopo, in Occidente vero, ad quintum usque sæculum, saltem in Africa, ubi aberat Episcopus. Id autem oneris divina lege eis incumbere docuit Tridentina Synodus post antiquos Patres: *Cum* (inquit sess. 23. de reform. cap. 1.) *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c.* Parochi non per Substitutos, sed per se, nisi legitime impediti fuerint, teneri recensitis officiis perfungi, & quidem sæpius docet Concilium Tridentin Sess. 5. de reform. cap. 2. *Plebani* (inquit) *& quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtineant, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oportet &c.* Si quis autem roget quandonam Parochi peccent lethaliter propter omissionem concionum aut instructionum ad quas tenentur; dicendum erit peccare eos lethaliter quoties silent per illud temporis spatium, intra quod spectata rei natura, populus peccare potest defectu aut requisitæ cognitionis, aut commonitionis, quæ peccatum impedivisset.

QUÆSTIO QUARTA.

De Diaconatu.

Diaconus idem significat ac minister. Illum vero ministrum Patres nonnumquam Levitam appellarunt, quod nempe Sacerdotibus inserviat in nova lege, sicut Levitæ Sacerdotibus legis antiquæ: *Et ut sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ fuerunt* (inquit Hieronymus in Epistol. ad Evagrium) *hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.*

Caput Primum.

De essentia Diaconatus.

Conclusio prima. Diaconatus recte definitur ordo, per quem datur potestas ut quis solemniter & proxime inserviat Presbytero sacris operam danti.

Probatur 1. Quod Diaconatus sit *Ordo*, supponitur ex iis quæ de numero Ordinum pag. 552. superius dicta sunt. 2. Quod per Diaconatum *detur potestas ut quis solemniter & proxime ministret Presbytero sacris operam danti*, evincitur ex eo quod licet officium Diaconale exhibitum ab eo qui non est Diaconus, quoad substantiam valeat, illicitum sit tamen, cum sit alieni juris usurpatio; ac proinde nemini competit nisi per Diaconatus ordinem.

De iis, quæ mox dicta sunt, conveniunt omnes Catholici, sed inter eos non levis est quæstio an Diaconatus sit non tantum Ordo, sed etiam Sacramentum proprie dictum, & a Sacerdotio actu distinctum. Negativam sententiam propugnant Durandus, Cajetanus, nonnullique alii Scholastici; Affirmative subscribunt alii; quid vero nos ea de controversia sentiamus, subsequens aperiet conclusio.

Conclusio 2. Diaconatus non tantum est Ordo, sed etiam Sacramentum proprie dictum.

Probatur. In Diaconatu reperiuntur omnia quæ ad Sacramentum proprie dictum requiruntur. Nam 1, constat signo sensibili, manuum scilicet impositione, quam usurparunt Apostoli ubi priores Diaconos ordinarunt, quamque adhibuit semper Ecclesia ad eorum consecrationem. 2. Reperitur promissio gratiæ unde eam Apostoli primis Diaconis contulerunt per orationem & impositionem manuum: *Et orantes* (ait Lucas Actorum VI.) *imposuerunt eis manus*. Ecclesiæ quovis sæculo persuasum fuit, se per eamdem impositionem manuum dare Spiritum sanctum; per Episcopos nimirum dum Diaconis manum imponerent, fudit semper orationem qua in eos septiformis Spiritus sanctus invocaretur; cui quidem orationi, majoris explicationis causa, hæc verba: *Accipe Spiritum sanctum ad robur*, præmittuntur in hodiernis Pontificalibus. 3. Diaconatum esse ex institutione divina colligitur tum ex facto Apostolorum qui Diaconos ordinarunt, tum ex praxi Ecclesiæ, quæ nusquam fuit sine Diaconis; tum denique ex Concilio Tridentino, quod quidem Sess. 23. can. 6. definit esse in Ecclesia Catholica Hierarchiam divinitus institutam quæ ex Episcopis, Presbyteris & Ministris constet: *Si quis dixerit* (inquit) *in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris & Ministris, anathema sit*; Unde sic conficitur argumentum. Ii ex quibus constat hierarchia divinitus instituta, non sunt humanæ sed divinæ institutionis. Atqui ex Diaconis constat hierarchia divinitus instituta: ii enim, cum inter ministros principem locum teneant, intelligi debent ministrorum nomine, quod canone proxime laudato legitur.

Objicies 1. Diaconatus cujus Lucas meminit Actorum IV. non fuit Sacramentum proprie dictum. Ergo nec is qui ab Apostolis ad hæc usque tempora fuit in usu. Probatur antecedens. Verisimile non est Apostolos contulisse Sacramentum ad ministerium quod mere prophanum esset. Atqui ministerium priorum Diaconorum fuit mere prophanum. Nam 1. Scriptura nullius ministerii spiritualis meminit, cum recenset priorum Diaconorum institutionem; hoc unum asserit, creatos fuisse Diaconos ut præessent dispensationi eleemosynarum, quas Judæi nunc administrabant ad normam Charitatis; despiciebant quippe viduas Græcorum, seu Hellestinarum, qui Christianæ religioni dederant numen: *In diebus illis* (inquit Lucas Actorum VI. ubi recenset Diaconorum creationem) *crescente numero discipulorum, factum est murmur Graecorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* 2. Hieronymus in epistola ad Evagrium, Diaconos vocat, *Mensarum & viduarum ministros*. Hincque desumit argumentum ut comprimat sui ævi Diaconos, qui efferebant se ac insolescebant adversus Presbyteros. 3. Patres Concilii Quini-sexti quod anno 692. habitum est in Trullo, conceptis terminis definiunt septem prioribus Diaconis concreditum non fuisse ministerium sacrum, sed prophanum tantum: sic enim canone 16. loquuntur: *Quoniam Actuum liber septem Diaconos ab Apostolis constitutos esse tradit, Neocæsariensis autem Synodus sic in a se editis canonibus aperte disseruit; Quod septem debent esse Diaconi ex canone, etiamsi sit valde magna civitas ex libro autem Apostolorum persuadeberis: Nos cum dicto Apostolico Patrum mentem adaptassemus, invenimus eos esse locutos non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio quod in usu mensarum adhibebatur, cum liber Actuum sic habeat: In diebus illis &c. .... Propter hæc ergo nos quoque prædicamus, ut prædicti septem Diaconi non de iis recipiantur, qui mysteriis serviunt, ut est prius exposita doctrina: sed eos esse quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant, qui nobis in hoc quoque forma fuere humanitatis & studii in eos qui indigent.*

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. min. ad cujus priorem probationem dicendum est Lucæ fuisse satis narrare occasionem electionis Diaconorum; finem vero præcipuum tum ipse, tum alii sacri scriptores viva

voce fidelibus tradiderunt, sicut & alia multa quæ non leguntur in sacris Codicibus. Confirmatur 1. ex eo quod Diaconi de quibus Lucas loquitur, jure tum prædicandi Evangelium, tum conferendi baptisma potiti sint, quamvis Lucas eo loci ubi agit de eorum institutione, ejusmodi officiorum non meminerit. Confirmatur 2. ex eo quod Apostoli in iis quos ad Diaconatum promovere, non sagacitatem tantum, industriam, fidelitatem requisierint, sed præterea voluerunt ut viri essent pleni Spiritu sancto: *Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus.* Verum illa Spiritus plenitudine, quæ pietatem insignem, eminentem fidei mysteriorum peritiam arguit, non obscure innuitur, mere prophanum non fuisse officium quod prioribus Diaconis creditum est. Confirmatur 3. ex eo quod Patres Diaconis de quibus agitur, sacra munia credita fuisse docuerint. *Quid sunt Diaconi* (inquit Ignatius Martyr in epistola ad Trallianos) *nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam?* Cyprianus epist. 65. quæ est ad Rogatianum Episcopum, asserit Apostolos eadem officia Diaconis quos ordinarunt, credidisse, quibus suæ ætatis Diaconi fungebantur: *Diaconos* (inquit) *post ascensum Domini in cælos, Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Concilium Neocæsariense quod habitum est ineunte quarto sæculo, definit in civitate, licet perampla sit & numerosa, non plures quam septem ordinari debere Diaconos, probat vero ex eo quod sic doceat Actuum liber: *Diaconi* (verba sunt can. 14. ex interpretatione Dionysii Exigui) *septem debent esse juxta regulam, licet & valde magna sit civitas. Idipsum autem & Actuum Apostolorum liber insinuat.* Sed septem Diaconi quos laudatus canon præcipit ordinari in unaquaque civitate, sacrorum erant ministri: Ergo, ex eodem Concilio, & ii de quibus Lucas in Actis loquitur. Beda venerabilis in cap. 6. Actorum idem hisce verbis aperte tradit: *Hinc jam decreverunt Apostoli vel successores Apostolorum per omnes Ecclesias septem Diaconos, qui sublimiori gradu essent cæteris & proximi circa aram, quasi columnæ Altaris assisterent, & non sine aliquo septenarii numeri mysterio.* Mox laudatus scriptor in retractatione ejusdem operis sic in eumdem scopum loquitur: *Etenim communis quidem dispensatio exigebat, ut ministri pro viduis viri eligerentur. Verum ubi inventi sunt qui digni ad hoc ministerium esse viderentur, crescente gradatim, ut solet, providentia consilii salutaris, placuit eosdem ipsos Altaris quoque sacri ac Dominici sanguinis sicut & refectionis, mensæque communis multitudinis credentium ministros ordinari: Quod probatum est verbo quod dictum est: Et orantes imposuerunt eis manus. Hoc enim proprium est eorum, qui de communi fidelium numero ad sacrosancti altaris promoventur officium.*

Resp. ad 2. eo loci Hieronymo satis fuisse recensere causam quæ occasio fuit eligendi Diaconos: apta scilicet erat ea occasio qua Diaconorum (ut sibi proposuerat Hieronymus) fastus deprimeretur. Verum aliis in locis S. Pater Diaconorum ordinem commendat quam maxime. In Epistola ad Heliodorum in tertio eos collocat Sacerdotii gradu; *In tertio gradu.* Asserit lib. 2. adversus Jovinianum eos partem esse Cleri quem Christus supra Laicos evexit: *Si tollis* (inquit) *Ordinem Tabernaculi, Templi Ecclesiæ, ac quicquam Episcopi, frustra Presbyteri, sine causa Diaconi.* In epist. ad Evagrium scribit eos hoc esse in Ecclesia quod Levitæ quondam fuerunt in Synagoga: *Quod Aaron, & filii ejus, atque Levitæ fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri & Diaconi vendicent in Ecclesia.* At Levitis multo inferiores essent, si uni mensarum & viduarum ministerio dicarentur. In Apologia adversus Jovinianum Diaconos non minus quam Episcopos & Presbyteros constringit continentiæ vinculo, indeque legis illius sumit argumentum, quod cum Presbyteris immaculatam hostiam offerant: *Non mihi* (ait) *irascantur sed Scripturis sanctis, imo Episcopis & Presbyteris, & Diaconis, & universo choro Sacerdotali & Levitico, qui se noverunt hostias offerre non posse: si operi serviant conjugali.* Idem S. Doctor adversus Luciferianos scribens docet jubente Episcopo Diaconum posse Baptisma conferre, ac proinde penes ipsum esse docere, cum baptisma Catechumenis non conferretur absque præmissa fidei doctrina: *Inde venit, ut sine Chrismate, & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi.*

Resp. ad 3. nullius esse momenti argumentum quod ex Synodo Quini-sexta desumptum est. Conturbat nimirum ex Episcopis schismaticis, qui in multis capitibus receptos Ecclesiæ Latinæ ritus improbarunt. Addendum est eos speciali hoc in capite recessisse ab antiquorum Græcorum traditione, quam ineunte quarto sæculo (ut jam observavimus) Patres Neocæsarienses toti Ecclesiæ Græcæ proposuerant. Addendum est iterum Episcopos Quini-sextæ Synodi non negasse Diaconos consecrari debere ad altaris ministerium aliaque non pauca spiritualia munia, quamvis contenderint eos, de quibus Lucas Actorum 6. loquitur, creatos fuisse tantum ut mensarum ac viduarum curam gererent: Duplicis nempe generis volunt institutos fuisse Diaconos ab Apostolis; nonnullos quidem ad usum mere prophanum, alios vero ad sacrum & spirituale; hujusmodi vero fuisse eos de quibus Paulus in Epist. ad Timoth. & ad Titum loquitur. Unde negant ex illorum numero assumi debere qui rerum temporalium præfecturam agant: *Propter hæc ergo nos* (inquiunt) *prædicamus ut prædicti septem Diaconi non de illis accipiantur qui mysteriis serviunt &c.*

Objicies 2. Diaconatus non est ex institutione divina. Ergo non est Sacramentum novæ legis. Probatur ant. ex Cypriano qui epist. 65. ad Rogatianum Episcopum, sic loquitur: *Meminisse autem Diaconi debeat, quoniam Apostolos, idest Episcopos & Præpositos Dominus elegit. Diaconos autem post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.* Quibus quidem verbis paret Cyprianum Diaconorum institutionem opponere institutioni Episcoporum: hanc ex Deo esse, illam vero ex hominibus, Apostolis nempe. Hinc Sanctus Martyr sumit argumentum quo coerceat Diaconum qui Episcopum suum injuriis, & contumeliis exacerbarat: *Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui Episcopos facit, possunt & hi contra nos audere a quibus Diaconi fiunt: & ideo oportet Diaconum de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam ut honorem Sacerdotis agnoscat, & Episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere.*

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. nonnulli respondent Diaconatum esse quidem ex institutione divina, cum ejusmodi institutio ad constituendum novæ legis Sacramentum requiratur: non esse vero ex institutione immediata, sed mediata tantum: ita ut (inquiunt) Christus Apostolis fecerit potestatem illum instituendi, ubi & quando expedire judicarent. Ex eo principio illi authores facile exponunt quo sensu Cyprianus asseruerit, Episcopos fuisse ab ipso Christo electos, Diaconos vero ab Apostolis fuisse constitutos Episcopatus & Ecclesiæ ministros. Respondent alii cum Bellarmino, hoc unum velle Cyprianum, nempe Christum per se non ordinavisse Diaconos, sicut per se Apostolos elegit: Verum inde non sequitur quod Diaconatum non instituerit, sicut ex eo quod neminem propriis manibus confirmaverit male colligeretur eum non esse authorem Confirmationis: Ex eo autem quod Christus non hominum ministerio, sed ipsemet Apostolos elegerit, & consecrarit, non parum dignitatis accrescit ordini Episcopali; ac proinde Cyprianus inde desumere potuit argumentum quo Diaconi, de quo conquestus fuerat Rogatianus, temerarium & insolentem ausum comprimeret.

Caput Secundum.

De materia Diaconatus.

QUatuor sunt tantum ritus in quibus materia Diaconatus constitui potest, impositio scilicet manuum, impositio stolæ super humerum sinistrum, Dalmaticæ qua quilibet ordinandus induitur, traditio libri Evangeliorum. De priore hæc habet Pontificale Romanum: *Hic* (seu expleta præfatione quæ incipit, per omnia sæcula sæculorum) *solus Pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, & nullus alius, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur*, dicens singulis: *Accipe Spiritum sanctum ad robur &c.* De altero ritu hæc in eodem Pontificali leguntur: *Post hæc* (id est, expleta oratione per quam in ordinandum invocatur septiformis gratia Spiritus sancti) *Pontifex sedens cum mitra, cuilibet ordinando ante se genuflexo stolam quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis, Accipe stolam candidam &c.* De tertio ritu hæc habentur in eodem Pontific. *Post hæc* (seu, post impositionem stolæ) *Pontifex accipiens Dalmaticam, induit ea quemlibet successive, usque ad humeros.... dicens cui libet: Induat te Dominus indumento salutis &c.* De quarto tandem ritu hæc ibidem leguntur: *Postremo Pontifex accipit & tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangant, dicens: Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.*

Neminem Theologum reperire est qui doceat materiam Diaconatus positam esse in impositione aut stolæ aut Dalmaticæ: nec immerito, cum nec eo ritu, nec verbis quæ illum comitantur, exprimantur aut effectus Diaconatus, aut potestas quæ per ordinationem Diacono confertur: Præterea nec apud Græcos obtinet ille ritus, nec olim apud Latinos obtinebat, saltem quoad impositionem Dalmaticæ, cum illius non meminerit Gregorii Magni Sacramentarium ad cujus normam Ordines quondam apud Occidentales celebrabantur. Censent nonnulli solam libri Evangeliorum traditionem constituere adæquatam Sacramenti, de quo agitur, materiam. Pluribus placet opinio qua asseritur solam manuum impositionem esse materiam essentialem Diaconatui. Aliquibus tandem placet sententia quæ utrumque ritum, impositionem scilicet manuum, & traditionem libri Evangeliorum, conjungit, seu, asserit ex utroque simul sumpto coalescere essentialem & adæquatam Diaconatus materiam.

Conclusio 1. Traditio libri Evangeliorum non pertinet ad essentialem Diaconatus materiam.

Probatur 1. In nullo Pontificali, quod ante sexcentos ab hinc annos editum sit reperitur ea, de qua est quæstio, libri Evangeliorum traditio. 2. Non est in usu, nec fuit unquam in Ecclesia Græca. Verum materia essentialis Sacramentorum debet esse universalis, seu usurpari in omnibus Ecclesiis Catholicis; debet etiam esse continens & perpetua, seu per eam quovis sæculo tradi debuerunt tum potestas tum effectus Sacramenti quod constituit. Hinc patet censuram deberi iis Scholasticis qui temeritatis arguunt authores qui ab essentia Diaconatus excludunt traditionem libri Evangeliorum.

Conclusio 2. Materia essentialis & adæquata Diaconatus posita est in sola manuum impositione.

Probatur 1. Si quis manuum impositionem cum Dominico Soto, Vasquesio, aliisque Scholasticis excludat ab essentiali materia Diaconatus, ex Scriptura aut Traditione probare non poterit, Diaconatum esse Sacramentum proprie dictum: nam (ut mox dicemus) nec Patres antiqui, nec vetera monumenta Ecclesiastica alterius ab impositione manuum ritus meminere. 2. Patres sive in Ecclesia Græca, sive in Latina, ab Apostolorum tempore usque ad annum millesimum nullo alio signo exteriori quam impositione manuum usi sunt in conferendo Diaconatu; si tamen excipiatur stola, qua Pontifex (ut habetur in libro Sacramentorum S. Gregorii) Diaconum induit. 3. E contra quovis sæculo majores nostri ubique gentium adhibuerunt manuum impositionem quoties Diaconos ordinarunt. Eo signo usi sunt Apostoli cum priores Diaconos consecrarunt: *Et orantes* (inquit Lucas Actorum cap. VI.) *imposuerunt eis manus.* Recensetur in IV. Concilio Carthaginensi: *Diaconus* (verba sunt 14. canonis) *cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Refertur quoque iisdem verbis in libro Sacramentorum Gregorii Magni. Describitur quoque (ut jam observavimus) in hodierno Pontificali Romano, nec non in Græcorum Euchologio.

Quæ contra utramque nostram conclusionem moveri possunt argumenta, sunt prorsus eadem cum iis quæ superius objecta sunt contra nostram sententiam de materia Presbyteratus: eadem igitur illius solutio debetur.

Caput Tertium.

De forma Diaconatus.

CIrca formam Diaconatui essentialem tot sunt Theologorum sententiæ quot circa illius materiam. Ii quibus placet solam libri Evangeliorum traditionem esse illius materiam essentialem, docent adæquatam illius formam contineri his Episcopi verbis quæ traditionem illam comitantur in Romano Pontificali: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.* Ex iis qui contendunt solam impositionem manuum constituere integram ac essentialem Diaconatus materiam, nonnulli sunt qui censent illius formam esse hæc tantum verba quæ proferuntur ab Episcopo dum ordinando manum imponit: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus. In nomine Domini:* Alii vero putant esse præfationem sive orationem quæ immediate post illorum verborum: *Accipe Spiritum sanctum, &c.* prolationem funditur ab Episcopo extensam tenente manum dexteram, quæque sic habet: *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur, &c.* Tandem Scholastici qui contendunt utrumque ritum, nempe manuum impositionem, & traditionem libri Evangeliorum, esse conjunctim essentialem materiam Diaconatus docent Pontificis verba quæ duplicem illum ritum comitantur, ex æquo pertinere ad illius essentialem formam.

Conclusio 1. Hæc verba quæ profert Episcopus dum porrigit librum Evangeliorum: *Accipe potestatem legendi Evangelium &c.* non sunt essentialis forma Diaconatus.

Probatur. Destructa (inquit Morinus noster hocce argumentum tractans) materia, quæ formæ subest, destruitur etiam necessario forma. Ergo, cum falsa sit opinio quæ asserit porrectionem libri Evangeliorum esse essentialem materiam Diaconatus, necesse est ut ea quoque sit falsa qua docetur verba quæ tunc ab Episcopo proferuntur, pertinere ad illius essentialem formam.

Conclusio 2. Hæc verba, imperativa: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo & tentationibus ejus. In nomine Domini*, quæ profert Episcopus dum ordinando manus imponit, & immediate antequam fundat orationem quæ in Pontificali Romano incipit: *Emitte, quæsumus, Domine, in eos, &c.* non pertinent ad essentialem formam Diaconatus.

Probatur 1. authoritate Scholasticorum quibus placet solam traditionem libri Evangeliorum constituere materiam Diaconatus; Cum enim verba imperativa, de quibus agitur, multo tempore in Pontificali præcedant hujusmodi traditionem, non possunt, in illorum systemate, tenere formæ locum, quippe quod for-

forma, cum sit determinativa materiæ, debeat aut eam subsequi aut comitari, aut saltem non multo tempore præcedere.

Probatur 2. ex eo quod verba de quibus est quæstio, duodecim prioribus sæculis adhibita non sint ab Ecclesia Latina, nec modo adhibeantur a Græca in Diaconorum ordinatione. Altissimum enim est de illis silentium tum in veteribus Pontificalibus Latinorum, tum in Græcorum Euchologiis, tum in eorum temporum authoribus qui exprefse de ordinatione scripserunt, ut videre est in Petro Lombardo, seu Magistro Sententiarum, a quo in tractatu de ordine nulla fit eorum verborum mentio.

Probatur 3. ex eo quod facile judicentur verba imperativa: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* recentet inserta fuisse Pontificali, in gratiam (ut videtur) eorum Scholasticorum, qui post sæculum duodecimum cœperunt asserere ad cujusque Sacramenti formam (excepta extrema Unctione) requiri verba aut indicativa aut imperativa. Et sane illa verba nequaquam cohærent cum iis quæ immediate post leguntur in Pontificali. Nam iis, quæ subsequuntur, exoratur Spiritus sanctus, ut in ordinandum descendat: *Emitte in eos, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, &c.* & illis de quibus est quæstio, *Accipe Spiritum sanctum, &c.* ipsum Spiritum sanctum dari supponitur. Nec alicujus est momenti quod a nonnullis reponitur, scilicet Ecclesiam post sæculum duodecimum verba illa imperativa Pontificalis inservisse, non quidem tamquam formam essentialem, sed tamquam conditionem, sine qua ordinatio non valeat. Non est (inquam) alicujus momenti: Ecclesia siquidem nullibi definit, ea verba potiusquam alia, quæ leguntur in Pontificali, requiri ut ordinatio valeat. Hoc unum tum de Diaconatus & aliorum inferiorum Ordinum forma edixit Eugenius Papa IV. in Decreto pro instructione Armenorum: *Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Quibus quidem verbis nequaquam determinat an imperativa verba: *Accipe Spiritum sanctum ad robur*, aut ista: *Accipe potestatem legendi Evangelium, &c.* aut oratio quæ incipit: *Emitte, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, &c.* sint essentialis forma Sacramenti Diaconatus.

Quæ hucusque de Diaconatus tum forma tum materia dicta fuere confirmari possunt ex eo quod maxime cohæreant non modo cum Græcorum Euchologiis, sed etiam cum antiquo ritu quem quondam Latini in conferendo Diaconatu servabant. Eum autem ritum sic sexto labente sæculo describebat Gregorius Magnus in Sacramentario quod inscribitur illius nomine. *Ordo qualiter in Romana Ecclesia Diaconi ordinandi sunt.* Præmissa ordinandi oblatione per Archidiaconum, recitatisque nonnullis orationibus sic prosequitur idem sanctus Pater: *Ascendant ipsi electi ad sedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati sunt*... Recitat deinde Canonem Concilii Carthaginensis IV. *Diaconus, cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Mox laudatus canon hæc subjicit: *Ad ordinandum Diaconum & Presbyterum primum oratio dicitur legendo. Et sequitur oratio (Etenim dicitur, Vere dignum, in consecratione) Oremus, dilectissimi, Deum patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in sacrum ordinem dignatur assumere; benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eisque donum consecrationis indulgeat, per quod eos ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo.* Post eam orationem, hanc aliam immediate post describit: *Exaudi Domine preces nostras; & super hos famulos tuos Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cælesti munere ditati, & tuæ gratiam possint Majestatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum, &c.* Illi orationi formam consecrandi Diaconum sub hocce titulo, *Consecratio*, subjicit: sic autem habet ea consecratio: *Vere dignum, &c. Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, bonorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor qui in te manens innovas omnia, & cuncta disponeas per verbum, &c.... Super hos quoque famulos tuos, quæsumus, Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus servituros in officium Diaconatus suppliciter dicamus &c.... Emitte in eos, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii sui fideliter exequendi, septiformis gratiæ munere roborentur &c.*

Expendat lector: num in eo Gregoriano ritu aliud sit quam quod de Diaconorum ordinatione a nobis assertum est. Contendimus nimirum primo solam impositionem manuum illius materiam constituere; Gregorius non aliud describit signum sensibile in quo posita sit. Contendimus secundo nec verba quæ libri Evangeliorum traditionem comitantur, nec imperativa, *Accipe Spiritum &c.* quæ profert Episcopus, dum manum imponit, esse de essentia formæ; Gregorius nec ista nec illa describit in suo Sacramentario. Contendimus tertio formam Diaconatus esse orationem quæ in Pontificali hodierno incipit: *Emitte quæsumus Domine, &c.* quamque recitat Episcopus dum manum imponit: Gregorius eamdem orationem, quoad sensum & fere quoad verba, describit, & nihil aliud omnino recenset quod sua ætate Episcopus proferret, dum imponeret manus.

CAPUT QUARTUM.

De officiis Diaconorum.

Diaconorum officia spectari possunt vel respectu Orientalis Ecclesiæ, vel respectu Occidentalis: unde hic dicendum est primo de officiis quibus Diaconi perfuncti sunt in Ecclesia Orientali, secundo de iis quæ obierunt in Ecclesia Occidentali.

Officia quibus Diaconi perfungebantur in Ecclesia Græca, accuratissime describit author constitutionum Apostolicarum lib. VIII. cap. XXVIII. ubi sic loquitur: *Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem, accipit vero a Presbytero. Non baptizat, non offert. Oblatione vero a Presbytero aut Episcopo facta, ipse Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris &c. Diaconus communicat hypodiaconum, Lectorem, Cantorem.*

Nonnullos Diaconorum ausus compressere Patres Orientales. I. Coram Presbyteris sedere, nisi juberent ipsi Presbyteri, vetati sunt a Concilio Laodiceno: *Quod non oporteat* (inquit can. 20.) *Diaconum coram Presbytero sedere; sed jussione Presbyteri sedeat.* II. Prohibiti sunt a Patribus Nicænis, ne, ut alicubi tentarant, Eucharistiam Presbyteris cum Episcopo celebrantibus porrigerent: *Pervenit ad sanctum, magnumque Concilium* (verba sunt canonis 18.) *quod in quibusdam locis & civitatibus, Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.* III. Exauthorati quidam Diaconi jus arrogabant sibi offerendi Presbytero, seu deferendi ad altare, panem quem initio liturgiæ & ante consecrationem populus fidelis offerre consueverat. Verum ab usurpato illo jure dejecti sunt ab Ancyrano Concilio: *Diaconi similiter qui immolaverunt* (inquit secundus canon) *honorem quidem habeant: Cessare vero ab omni sacro ministerio, sive a pane, sive a calice offerendo, vel prædicando.* IV. Ex ultima illa canonis voce, *Prædicando*, nonnulli concludunt Diaconos minime exauthoratos solitos fuisse in Oriente concionari. Sed falsa est illa conclusio, si de solemni concione intelligatur; vera autem si de precum, præfationum, Evangeliorum simplici recitatione intelligatur.

In Ecclesia Occidentali Diaconi permultis functi sunt officiis. I. Cum exiguus esset, sæviente persecutione, Presbyterorum numerus, nonnumquam Parochiæ, eorum curæ ac regimini committebantur: *Si quis Diaconus* (ait canon 37. Concilii Eliberitani) *regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos bapti-*

za-

zaverit, eos per benedictionem (hoc est, Confirmationem) *Episcopus perficere debebit*. II. Cum aberant tum Episcopus tum Presbyter, solebant Catechumenos baptizare, & quidem solemni cum ritu: *Non abnuo* (ait Hieronymus adversus Luciferianos agens) *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat*. III. Eucharisticam communionem de Presbyteri mandato, fidelibus dispensabant: *Cogente necessitate* (verba sunt 32. Canonis Eliberitani) *necesse est Presbyterum Communionem præstare debere, & Diaconam, si ei jusserit Sacerdos*. Eamdem disciplinam sanxit 39. canon Concilii quarti Carthaginensis: *Ut Diaconus præsente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget*. IV. Cum sæviebat persecutio, Diaconi carceres perlustrabant tum ut Eucharistiam deferrent ad sanctos Confessores, tum ut infirmos roborarent ad confessionem fidei: *In præteritum* (inquit Cyprianus) *semper sub antecessoribus nostris factum est, ut Diaconi ad carceres commeantes, Martyrum desideria consiliis suis & Scripturarum præceptis gubernarent*. V. Cum prima Ecclesiæ fundamenta jacerentur, Diaconi solemniter concionabantur (ut in Stephano Protomartyre videre est) sed postea ea facultate destituti fuerunt: *Hinc ergo est* (ait author Commentariorum in Epistolas Pauli, qui passim Ambrosio tribuuntur) *unde nunc neque Diaconi in populo prædicant: neque Clerici, vel Laici baptizant*. Acceptæ, Ecclesia nascente, prædicandi facultati, postremis temporibus Diaconi restituti fuere: unde sic eos Episcopus in ordinatione alloquitur: *Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare*. VI. Non est certum, quod Diaconi tribus prioribus sæculis solemniter legerint Evangelium intra Missarum solemnia, ut nunc consueverunt legere. Quippe quod dubium sit, an in liturgia eorum temporum fieret publica Evangelii lectio, ut fit nunc multis ab hinc sæculis. Præterea in Ecclesiis ubi ille mos invaluit, Lectores plerumque eo officio perfungebantur. Id de Ecclesia Africana testatur Cyprianus epist. 33. ubi sic loquitur de Aureliano Confessore, quem post fidei coram tyrannis confessionem ordinaverat Lectorem: *Placuit ab officio Lectoris incipiat, quia nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis divinis laudibus personare. Post verba sublimia, quæ Christi martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt; ad pulpitum post catastam venire*. VII. Verum, licet incertum sit Diaconos tribus prioribus sæculis publice intra missarum solemnia legisse Evangelium; est tamen certum id eos muneris quarto sæculo obiisse in Ecclesia Romana: *Evangelium Christi* (inquit Hieronymus de Sabiniano) *quasi Diaconus lectitabat*. Eumdem praxim legere est apud Gregorium Magnum, qui sexto labente sæculo hocce tulit decretum lib. 4. indict. 13. Epist. 44. *Constituo ut in hac Sede sacri altaris ministri cantare debeant, solumque Evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant: reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, aut si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi*.

QUÆSTIO QUINTA.

De Diaconissis.

MUlierum quæ Deo consecratæ essent, quæque professæ fuissent aut virginitatem, aut castitatem perpetuam, quatuor olim erant genera. 1. Occurrunt Virgines Actor. 21. ibi enim de Philippo uno e septem Diaconis dicitur, quod quatuor filias virgines, & quidem prophetantes, habuerit: *Huic autem* (inquit Lucas) *erant quatuor filiæ virgines prophetantes*. Secundo Primæ ad Timoth. 5. occurrunt Viduæ: *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt*. Tertio. Ex iis autem viduis nonnullæ addicebantur Ecclesiæ ministerio, ac deinceps ab universa Ecclesia Diaconissæ dictæ sunt. Quarto. Occurrunt uxores Clericorum qui post matrimonium ordinati fuissent. Eæ quondam apud Latinos vocabantur maritorum nomine; Uxor Episcopi dicebatur Episcopa; uxor Presbyteri Presbytera; uxor Diaconi Diaconissa; sive Diacona; uxor Hypodiaconi Hypodiaconissa, sive Hypodiacona: *Episcopam Episcopum non habentem* (ait alterum Concilium Turonense can. 14.) *nulla sequatur turba mulierum*. Ejusdem Concilii can. 20. hæc etiam leguntur: *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur*.

Nobis propositum non est de quatuor illis mulierum generibus agere, sed de tertio tantum, seu, de Viduis, aut de virginibus quæ Diaconissæ consecrabantur: De iis vero quæremus. Primo an perantiquus sit illarum usus. Secundo. Quandiu in Ecclesia perdurarit. Tertio. Quibus officiis perfunctæ fuerint.

CAPUT PRIMUM.

De antiquitate Diaconissarum.

COnclusio. Diaconissarum usus coævus est Apostolorum temporibus.

Probatur. Paulus Diaconissarum meminit 1. ad Timoth. 5. *Vidua* (inquit) *eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*. Ut quid enim Apostolus definiisset, viduas illas debuisse esse unius viri uxores, si Deo dicatæ fuissent castitatis tantum servandæ causa? igitur, quemadmodum oportuit Presbyteros & Diaconos esse unius uxoris viros, quod manuum impositione Ecclesiasticis officiis addicerentur; sic & Viduæ, de quibus Paulus loquitur. Diaconissarum numero inscripta erat Phoebe de qua hæc habentur ad Romanos ultimo: *Commendo autem vobis Phœbem sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ quæ est in Cenchris*.

Quæres, cur Paulus non meminerit virginum ex quibus sicut & e viduis constat Diaconissas quondam electas fuisse?

Resp. Ecclesiæ Christianæ exordio paucas fuisse virgines ea ætate quæ in Diaconissis requiritur: Non virginitas modo, sed & ipsum virginitatis nomen ignotum erat gentilibus: Coactus igitur fuit Paulus plerumque viduas eligere, & quidem sexagenarias, tum ut (ait Tertullianus de velandis virginibus) experimentis structæ cæteras & solatio & consilio juvare possent: tum ut in illis viduis constaret continentiæ propositum. Verum ubi virginitatem edocuit religio Christiana, ubi castitas vidualis passim emicuit, Diaconissæ electæ sunt tum ex virginibus, tum ex viduis quæ non tam provectu essent ætate: *Nec te moveat* (inquit Hieronymus ad juniorem viduam Salvinam scribens ut inter Ecclesiasticas viduas profiteretur) *quid sexagenaria eligatur in viduam, & putes adolescentulas reprobari. Alioquin omnes quæ ante sexaginta annos viduatæ sunt, accipient maritos. Sed quia rudem Christi Apostolus instituebat Ecclesiam, & omni ordini providebat, præcipue pauperibus, quorum ei cura cum Barnaba fuerat demandata, illas vult Ecclesiæ opibus sustentari, quæ propriis manibus non queunt laborare, quæ vere viduæ sunt, quas & ætas probat & vita*. Sacro illi Diaconissarum cathalogo adlectas fuisse etiam virgines docet author Constitutionum Apostolicarum: *Diaconissa* (inquit lib. 6. cap. 17.) *eligatur virgo pudica; si autem non fuerit, sit saltem vidua quæ uni nupserit*. Earum numero accensentur quoque ab Epiphanio: *Illæ quidem* (ait Epiphanius in Exposit. fidei) *univiræ & continentes esse debent, vel post unas nuptias viduæ, vel perpetuæ virgines*.

Caput Secundum.

De abrogatione Diaconissarum.

Conclusio. Sexcentis ab hinc annis Diaconissæ tum in Oriente tum in Occidente desierunt.

Probatur 1. Editi apud Græcos ab eo tempore libri Euchologici, conscripti apud Latinos Rituales de Diaconissarum inauguratione omnino silent. 2. Ab ea quam diximus ætate nullus Diaconissarum usus in Ecclesiis Catholicis visus est.

Quæres 1. Num positivo alicujus Concilii decreto Diaconissæ abrogatæ fuerint.

Respondent 1. nonnulli Diaconissas primum abrogatas fuisse a Patribus Concilii Laodicensis, quod habitum est ineunte quarto sæculo; de iis nimirum intelligunt XI. canonem, qui sic habet ex interpretatione Dionysii Exigui: *Quod non oporteat eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel Præsideates, in Ecclesiis ordinari.* Sed qui sic sentiunt, decipiuntur haud dubie, cum multis sæculis post Laodicenam Synodum conspicuus fuerit in Ecclesia Orientali sacer Diaconissarum status. Dicendum est igitur (ut Zonaras & Balsamon interpretantur) canonem non loqui de Diaconissis, sed de vetulis quibusdam mulieribus, quæ ordinis & consessus muliebris causa in Ecclesiis tunc temporis cæteris præficiebantur. Nec obstat verbum, *Ordinari*, quo Dionysius Exiguus usus est: quippe quod pro institutione qualibet, sive fiat per sacrum aliquem ritum, sive non fiat, plerumque sumatur: unde Gentianus Hervetus illius loco legit *Constitui.*

Respondent 2. alii, inter quos Thomassinus noster vet. & novæ discipl. part. 1. lib. 3. cap. 51. Diaconissarum ordinis abrogationem tentatam fuisse in priore Concilio Arausicano ubi hæc habentur Canone 26. *Diaconissæ omnimodo non ordinandæ: si quæ jam sunt, benedictioni quæ populo impenditur, capita submittant.* Addunt tentatam ea in Synodo abrogationem executioni mandatam fuisse in Concilio Epaonensi, cujus canon 21. sic habet: *Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, solam eis pœnitentiæ benedictionem, si converti ambiunt, imponendo.* Asserit mox laudatus author, Concilii Epaonensis decretum paulo post receptum fuisse in omnibus Galliarum Ecclesiis. Confirmat ex canone 17. Alterius Concilii Aurelianensis, ubi hæc habentur: *Feminæ quæ benedictionem Diaconatus hactenus contra interdicta Canonum acceperunt, si ad conjugium probantur iterum devolutæ, a communione pellantur. Quod si hujusmodi contubernium admonitæ ab Episcopo dissolverint, in communionis gratiam acta pœnitentia revertantur. Placuit etiam ut nulli postmodum feminæ Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.* Confirmat iterum ex Concilio Turonensi II. quo vetatur ne viduæ deinceps benedicantur, aut consecrentur, idque juxta Epaonenses Canones: *Cum omnes sciant* (verba sunt canonis 20.) *quod numquam in Canonicis libris legitur benedictio vidualis, quia solum propositum illis sufficere debet, sicut in Canonibus Epaonensibus a Papa Avito, vel omnibus Episcopis conscriptum est.*

Verum Thomassini nostri pace dixerim, non videri quod assecutus sit mentem Canonum quos laudat. Nam 1. Canon 26. prioris Concilii Arausicani nequaquam intelligi debet de Diaconissarum abrogatione; præcipit nempe tantum *ne omnimode ordinentur*, hoc est, sine prævio examine, ante annos quadraginta, ut ferebant illorum temporum Canones, absque conditionibus quæ Conciliis præscriptæ sunt. Quod si aliter ordinatæ fuerint, *Benedictioni quæ populo impenditur capita submittant*, idest tamquam laicæ habeantur. 2. Aliquid necessario subaudiendum est in canone 21. Concilii Epaonensis: Cur enim eo canone præcipitur ut mulieres, de quibus agit, damnentur publica pœnitentia si convertantur? Igitur laudatus Canon supposuit gravia quædam scelera ab illis admissa fuisse; at omnes ejusmodi criminum reas fuisse factas, & ad publicam pœnitentiam amandatas prorsus est improbabile. Nec est quod quis reponat propter nonnullarum crimina totum Diaconissarum ordinem in iis provinciis extinctum fuisse: Nam si id fuisset factum, Concilium indiscriminatim & absolute Pœnitentiæ impositionem non decrevisset: quippe quod eæ quæ non peccarant, pœnitentia publica damnari non debuerint. 3. Prohibitio alterius Concilii Aurelianensis non est absoluta & universalis, seu Concilium absolute non prohibet, ne deinceps ullæ Diaconissæ ordinentur, sed hoc unum vetat, ut jam vetarat prius Concilium Arausicanum, ne consecrentur contra canones, seu, antequam annum quadragesimum attigerint: Eam responsionem colligere est ex ratione, qua nititur Concilii decretum: *Pro conditionis hujus fragilitate*, cujus quidem hic est sensus: Cum ante quadragesimum annum periculum sit ne viduæ pro fragilitate sui status non stent suis promissis, prohibetur ne ante illud tempus Diaconissæ consecrentur. 4. Concilium Turonense II. loquitur de viduali benedictione, non autem de ordinatione, in eumque sensum Canonem Epaonensem interpretatur. At certum est viduas, cum velantur, nequaquam benedici debere, id enim vetant Canones ut videre est apud Gelasium Epist. 1. Hoc igitur volunt Turonenses Patres, ut nulla vidua, eum velamen accipit, in sua provincia benedictionem accipiat.

Confutata eorum opinione qui Diaconissarum abrogationem adscribunt aut priori Concilio Arausicano, aut Epaonensi, aut secundo Aurelianensi, aut Turonensi secundo, dicendum est Diaconissas non speciali alicujus Concilii decreto, sed sensim sine sensu post annum millesimum desiisse apud Occidentales. Nec mirum: cum enim post illud tempus Baptismi stati dies Paschatis & Pentecostes non sint amplius observati, cum infantes tantum baptizari cœperint, adulti quam rarissime, cum baptismus per immersionem (exceptis paucis provinciis) conferri desierit, eum virorum in Ecclesia sedes a mulierum sedibus non fuerint amplius distinctæ, opus non fuit Diaconissis quæ tum baptismi, tum aliorum rituum officiis persungerentur: patebit clarius ea responsio ex iis quæ subsequenti capite dicentur.

Caput Tertium.

Quibus officiis Diaconissæ quondam persungerentur.

Conclusio. Permultæ fuerunt olim, & quidem utiles, Diaconissarum functiones.

Probatur enumeratione. I. Quamdiu mulierum sedes a virorum sedibus in templis distinctæ erant ac separatæ, sanctarum portarum per quas mulieribus patebat aditus, custodia Diaconissis credebatur: *Saluto* (inquit Ignatius in Epistola ad Antiochenos) *sanctarum portarum custodes Diaconissas, saluto Christo acceptas virgines.* Per portas autem de quibus Ignatius loquitur vestibula, aut atria intelligi non debere demonstrat Epithetum, *Sanctarum*, quo utitur. Non alias ergo intelligit Ignatius quam fores ex quibus a Narthece ad Sanctuarium aditus patebat. Præterea id demonstrat oratio qua apud S. Clementem lib. 8. cap. 20 Diaconissæ consecrantur: *Qui in tabernaculo testimonii & in templo custodes fœminas januis tuis sanctis præfecisti.* Quemadmodum igitur parti sanctuarii versus viros Diaconi præficiebantur; sic & Diaconissæ ex parte mulierum. Confirmatur ex Hermenopulo qui ex S. Clementis Constitutionibus hæc verba laudat: *Diaconissa nihil horum facit quæ Presbyteri aut Diaconi, præterquam quod custodit fores, & Presbyteris subservit cum mulieres baptizant.*

II. Diaconissæ baptizandas mulieres exuebant vestibus, baptizatas, ex baptisterio eductas suscipiebant: *Quamquam* (inquit S. Epiphanius hæresi 79.) *Diaconissa-*

nissarum in Ecclesia Ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus est: sed ut muliebris sexus honestati consulatur; sive ut baptismi tempore adsit, sive ut cum nudandum est mulieris corpus interveniat, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed a sola Diaconissa videatur, quæ Sacerdotis mandato mulieris curam agit.

III. Rusticanas & imperitas mulieres docebant tum baptismatis ritum, tum normas ad quas post baptismum deberent mores suos componere: *Viduæ vel Sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur* (verba sunt canonis 12. quarti concilii Carthaginensis) *tam instructæ sint ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperitas & rusticanas mulieres, tempore quo baptizandæ sunt, quomodo baptizatori interrogatæ respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant.*

IV. Diaconissæ id erant Episcopo respectu mulierum, quod Diaconi respectu virorum: *Elige quoque Diaconissam fidelem & sanctam* (ait S. Clemens lib. 3. Constit. cap. 15.) *ad ministrandum mulieribus. Evenire enim solet aliquando in quibusdam domibus, ut non possis propter infideles mittere Diaconum ad mulieres, mittere vero possis Diaconissam, propter cogitationes improborum. Ad multa enim indigemus Diaconissa: ac primum quidem cum mulieres baptizantur; Unget quidem eis Diaconus frontem tantum oleo sancto, post eum vero illinet eas Diaconissa. Non enim opus est, ut viri inspiciant fœminas, &c.*

V. Quæ recensuimus officia, Diaconissis apud Græcos committebantur ritu, qui ad Diaconorum consecrationem accedere videbatur: eum ritum iisdem verbis hic describemus quibus legitur in Euchologio, quod Arcudius Patriarchicum vocat quodque pertinet ad monasterium Cryptæ ferratæ: sic autem post ritum ordinationis Episcopi, Presbyteri & Diaconi capite separato sub hocce titulo: *Precatio in ordinatione Diaconissæ*, sese habet Diaconissæ ordinatio. *Postquam facta est sancta oblatio, & apertæ sunt portæ, antequam dicat Diaconus istud, Omnium sanctorum, &c. adducitur ordinanda, altaque voce effert illud: Divina gratia, &c. Ordinandæ vero inclinanti caput imponit ei manum suam, actisque tribus crucibus sic precatur.*

Deus sancte & omnipotens, qui per nativitatem filii tui unigeniti & Dei nostri ex Virgine secundum carnem sanctificasti sexum muliebrem, & largiris non solum viris, sed etiam mulieribus gratiam & adventum sancti Spiritus, ipse nunc Domine respice super hac tuam ancillam, & advoca eam ad opus ministerii tui & mitte dives sancti tui Spiritus donum, conserva eam in orthodoxa fide, in conversatione irreprehensibili, ministerium suum semper juxta id quod tibi placitum est implentem, quia te decet omnis gloria & honor, &c.

Dicto, Amen, Diaconorum unus facit solitas preces, dum autem istæ fiunt; Archiepiscopus manum habens super ordinandæ caput, precatur.

Here Domine, qui non repulisti mulieres consecrantes se ipsas, & volentes ut decet, ministrare sanctis domibus tuis, sed eas in ordinem ministrorum recepisti, largire gratiam sancti tui Spiritus huic ancillæ tuæ, quæ vult se ipsam tibi consecrare, & Diaconici ministerii tui Phœbæ contulisti quam vocasti ad opus hujus ministerii, da illi, Deus, sine culpa in domibus tuis sanctis perseverare, curam gerere propriæ conversationis, prudentiæ potissimum & temperantiæ, redde illam & effice ministram tuam perfectam, & ipsa sanctuario tuo adsistens dignam bonæ conversationis mercedem consequatur misericordia & clementia unigeniti filii tui, &c.

Dicto, Amen, circumponit collo ejus subtus maphorium diaconicum orarium, sive stolam, ferens ab interiori parte duas ipsius extremitates. Postea Diaconus stans in ambone alta voce dicit istud, Compleamus preces. Postquam autem Particeps facta est venerandi corporis, dat ei Archiepiscopus sanctum sanguinis poculum, quod accipiens aliis non tradit, sed super sanctam mensam illud reponit.

Si quis vero adeat scire, quo ordine & in qua sacrificii parte Diaconissæ consecrentur, docendus est duo: Antiquissima Euchologia in ordine enarrationis rituum, quibus Ordinatio peragitur, fidem faciunt prius apud Græcos ordinari Episcopos, cantato scilicet hymno Trisagio, hoc est, ante epistolæ lectionem, postea Presbyteros cantato hymno Cherubico, hoc est post lectum Evangelium, precesque fidelium dictas & sacra munera altari reposita, hoc est juxta Latinos, post Offertorium, secretas orationes & Præfationem: deinde Diaconos, & Diaconissas post consecrationem, & lecta diptycha tam vivorum, quam mortuorum, idest juxta Latinos post secundum Memento, seu preces pro mortuis secreto peractas. Ex eo capite nonnihil pretii accrescebat Diaconissis: reliquæ enim ordinationes apud Græcos fiunt extra Missarum solemnia, vel in secretario, vel extra non modo sanctuarium, sed etiam extra chorum Cantorum & Monachorum ad portam speciosam. Ex ritu quem hucusque descripsimus, authoritas conciliatur iis quæ superius pagina 532. dicta sunt de summa similitudine, quæ inter Diaconorum & Diaconissarum ordinationem intercedit.

Quæ mox enarrata sunt de Diaconissis Græcorum, non multum discrepant ab antiqua Latinorum consuetudine; hunc scilicet titulum legere est in Ordine Romano: *Ordo ad Diaconam faciendam*. Idem, *Missa ad Diaconam consecrandam*. Eum autem titulum subsequitur integer consecrationis ritus, quo quidem patet Diaconissam consecrari intra Missarum solemnia post cantatum graduale & Alleluja: prosterni eam ante altare dum Litaniæ canuntur: iis finitis Episcopum super eam fundere consecratorias orationes, ac tradi ipsi stolam, & velamen: *Tunc ponat Episcopus Orarium in collo ejus dicens, Stola jucunditatis induat te Dominus*. Ubi autem stolam induit, velamen, ut viduæ sacræ, de altari accipit & capiti suo imponit (solis enim virginibus sacris velamen Episcopus imponebat) deinde illi dantur annulus & torques cum certa verborum formula. Adnotatur autem in eodem Ordine Romano, quod cum Diaconissa procedit ad Ecclesiam, Orarium defert collo circumpositum, ita ut summitas ex utraque parte sub tunica latitet.

Quantumcumque ritus ordinationis Diaconissarum ad Diaconorum ordinationem accederet, non fuisse tamen Sacramentum proprie dictum superius pagina 532. ostensum est ex Epiphanio.



QUÆSTIO SEXTA.

De Subdiaconatu.

Subdiaconus, ut nomen ipsum sonat, minister est sub Diacono immediate constitutus. De Subdiaconatu vero eadem quæremus, quæ superius expensa sunt de Diaconatu, seu illius essentiam, materiam, formam, authorem, ministrum, officia lectorum ponemus ob oculos.

Caput Primum.

De essentia Subdiaconatus.

Conclusio 1. Subdiaconatus est ordo per quem datur potestas, ut quis Diacono ad altare solemniter ministranti proxime inserviat.

Probatur 1. Subdiaconatum esse *Ordinem* ex traditione demonstratum fuit pag. 552. confirmaturque ex eo, quod per se referatur ad solemnem Eucharistiæ confectionem. 2. Quod per Subdiaconatum detur potestas, *ut quis Diacono solemniter ministranti proxime inserviat*, patet tum ex ipso Subdiaconatus nomine, tum ex illius officiis, quæ inferius suo loco describentur.

Nemo Catholicus id inficiatur, quod mox de Subdiaco-

diaconatu dictum est. Verum gravis est inter Theologos quæstio, an sit vernm ac proprie dictum Sacramentum. Affirmant plures e schola Theologi; negant vero Durandns, Cajetanus, Estius, aliique non pauci, quibus subscribendnm esse ducimus.

Conclusio 2. Subdiaconatus non est verum ac proprie dictum Sacramentum.

Probatur 1. Nulli Patres docuerunt per Subdiaconatum dari Spiritum sanctum sen gratiam sanctificantem. 2. Nullus ex antiquis docuit Subdiaconatum esse ex institutione Divina: E contra plures asseruerunt eum humanæ esse institutionis: *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum* (inquit Urbanus Papa II. in Concilio Beneventano, apud Yvonem, Decreti part. 5. cap. 72.) *hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. Super his solis præceptum Apostolicum habemus; Subdiaconos vero quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitate exigente concedimus*. Gratianus hæc in eumdem scopum scribit dist. 21. *Levitas autem ab Apostolis ordinatos legimus; Subdiaconos procedente tempore Ecclesia sibi constituit*. Iisdem omnino verbis Petrus Lombardus lib. 4. distinct. 24. utitur. 3. Subdiaconi nullo prorsus ufficio persunguntur, quo laicus non valide modo, sed etiam licite persungi non possit. 4. Nusquam in conferendo Subdiaconatu adhibita fuit manuum impositio, cni tamen impositioni ordinis, qui Sacramentum esset, effectum, Spiritus sancti productionem Patres adscripsere.

Objicies 1. Subdiaconatus unus est e sacris ac majoribus ordinibus: *Ad majores ordines* (inqnit Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 2.) *a Patribus & sacris Conciliis refertur*. At non ob aliud accensetur majoribus ordinibns, qnam quod verum sit ac proprie dictum Sacramentum.

Resp. 1. Subdiaconatum, his etiam temporibus, apud Græcos minoribus ordinibns accenseri; ac proinde qnod objectum est argumentum nnllius esse ponderis apud Orientales.

Resp. 2. Subdiaconatum dnodecim prioribus sæculis, etiam apud Latinos, annumeratum non fuisse majoribus ordinibns. Inter eos primnm relatus est ab Urbano Papa II. Cum enim vetarent Canones, ne Episcopi eligerentnr nisi ex sacris, seu ex majoribus ordinibus, indultnm est a laudato Pontifice ut Snbdiaconatus iis ordinibus accenseretur: *Subdiaconos vero quia & ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus, si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ. Quod ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri mandamus*: Urbano adhæsit Innocentius Papa III. sic enim C. *A. multis, de ætat. & qualit. præfici*, loquitur: *Cum hodie Subdiaconatus inter sacros Ordines computetur, sicut Urbanus Papa II. sub his verbis expressit, Qui in sacris Ordinibus, Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu sunt positi*.

Objicies 2. Subdiaconatui annexa est lex cœlibatus; At non ob alind Snbdiaconi tenentur ea legn, quam quod ordo quo initiati sunt, verum sit Sacramentum. Præterea Nnllus Ordo, qui Sacramentum non sit, producit characterem; sola enim Sacramenta cnm sint efficacia ex institutione divina, possunt in animam operari. Atqui Subdiaconatns producit characterem, cum iterari non possit. Ergo &c.

Resp. ad 1. Græcis Snbdiaconis nnsquam impositam fuisse cœlibatus legem. Prærerea, Latinis subdiaconis per multa sæcula licuit uti uxoribus, quas ante suam ordinationem duxissent, ut inferius agentes de Matrimonio Clericorum dicetur. Ad 2. dicendnm est 1. eo, si valeret, probatnm iri ipsam Tonsnram Clericalem characterem imprimere; nec enim potest iterari. Dicendum est. 2. oriri ex sola Ecclesiastica lege, quod Snbdiaconatus semel collatus iterari minime possit: nec immerito id ab Ecclesia decretum est: Subdiaconatus enim importat quandam consecrationis speciem; quæ aliarnm adinstar non perit, nisi snbjectum, quod afficit, perierit.

Caput Secundum.

De materia & forma Subdiaconatus.

Conclusio 1. Apud Latinos materia Subdiaconatus fnit semper calicis vacui & patenæ vacuæ traditio ab Episcopo facta, nec non traditio urceoli cum aqua, mantili ac manutergio.

Probatur. Ille ritus est materia Subdiaconatns apud Latinos, quo Latini in Subdiaconi ordinatione semper usi sunt. Atqui &c. Probatur minor. 1. Concilium quartum Carthaginense eam ceremoniam præscribit. 2. Illius usum præcipit quoque Sanctus Gregorius in suo Sacramentorum libro 5. Illius meminerunt Hugo a S. Victore, Magister sententiarum & S. Thomas. 4. Eum Pontificalia omnia tum antiqua, tum hodierna referunt, ut ad calcem hujus dissertationis ostendetur.

Conclusio 2. Traditio libri Epistolarum in ordinatione Subdiaconi addita fuit priori ritui quatercentis tantum abhinc annis.

Probatur 1. Traditio, de qua est quæstio, non invenitnr apud authores qui de ordinatione Subdiaconorum ante duodecimum seculum scripsere: Nec enim reperitur apud Yvonem Carnotensem, nec apud Hugonem a S. Victore, nec apud Magistrum sententiarum, imn nec apud S. Thomam. 2. lectio Epistolæ intra missarum solemnia, ex vi ordinationis Subdiaconis olim non conveniebat. Idque probant hæc verba Amalarii libro 1. de Officiis cap. xt. *Miror qua de re sumptus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime legat lectionem ad missam, cum hoc non reperiatur eu ministerio sibi dato in consecratione, neque ex litteris canonicis, neque en nomine suo*.

Objicies in primam conclusionem. Traditio materiæ debet ab Episeopo fieri, quia ipse formam Subdiaconatus profert. Atqui traditio urceoli non fit ab Episcopo, sed ab Archidiacono. Ergo &c.

Resp. quod licet major foret vera in ordine instituto a Christo, sit tamen falsa in eo, quem Ecclesia instituit. Ratio est, quia a quocumque fiat illa traditio, satis demonstratur ex verbis Episcopi, qnam potestatem Subdiaconus per eam traditionem accipiat.

Objicies in alteram conclusionem. Materia ordinis debet fuisse semper in usu. Ergo si prioribus sæculis traditio libri Epistolarum non fuit materia Subdiaconatus, nec modo potest esse.

Resp. antecedens esse verum de ordine, qui habet rationem veri Sacramenti, non autem de eo, qui non est Sacramentum, ut revera non est Subdiaconatus.

Conclusio 3. Apud Græcos sola manuum impositio est materia Subdiaconatus.

Probarnr ex eo, quod illum solum ritum Euchologia antiqna & hodierna Græcorum describant.

Conclusio 4. Forma Subdiaconatus sunt verba, quæ profert Episcopus dum materia porrigirur.

Probatur 2. Illa verba exprimunt potestatem, qnæ per Snbdiaconatnm datur. 2. Comitantur materiæ applicarionem: Nunc ea verba sunt ista, *Videte cujusmodi ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis*; Sunt etiam hæc alia, *Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis*. Olim vero illa verba erant oratio, quæ habetur in Sacramentario Sancti Gregorii sub hoc titulo, *Benedictio Subdiaconi*: in Ecclesia vero Græca erant oratio, quam Episcopus fundit dum ordinando manus imponit.

Caput Tertium.

De authore & Ministro Subdiaconatus.

CHristum non esse authorem Subdiaconatus supra fuit demonstratum. Originem debet suam Ecclesiarum præpositis, a quibus institutus est labente priore sæculo; illius enim S. Ignatius, tertius a S. Petro Episcopus Antiochenus, in Epistola sua ad Trallianos meminit.

Conclusio 1. Chorepiscopis facta fuit solum potestas conferendi Subdiaconatum.

Probatur 1. ex iis, quæ pagina 579. dicta sunt de Chorepiscoporum officiis, 2. Ex canone decimo Concilii Antiocheni, ubi hæc habentur: *Constituere iis permittitur Lectores & Subdiaconos atque Exorcistas*. 3. Sic etiam loquitur Concilium Meldense habitum sub Carolo Calvo, *Neque ordines Ecclesiasticos, qui per impositionem manuum tribuuntur, idest non nisi usque ad Subdiaconatum conferant*.

Objicies. Leo III. imperante Carolo Magno consultus per Arnonem Archiepiscopum a præsulibus Gallis & Germanis, utrum valerent ordinationes, quas quidam Chorepiscopi celebrarant, respondit vanas esse, quas tentarant ordinationes tum Presbyterorum, tum Diaconorum, tum Subdiaconorum.

Resp. Leonem tertium loqui de ordinationibus factis a Chorepiscopis præter Episcoporum, quibus subjecti erant, consensum, non autem de iis, quas de eorum nutu & commissione speciali celebrarant. Si lector desideret uberiorem explicationem adeat paginam 585.

Conclusio 2. Quibusdam Abbatibus facta fuit aliquando potestas ordinandi Subdiaconos.

Probatur 1. Pius V. in bulla, qua Abbati Præmonstratensi denegat facultatem conferendi Subdiaconatum subditis sibi religiosis eam olim Cisterciensi Abbati concessam fuisse subobscure videtur innuere. 2. Cistercienses Abbates diplomata proferunt, quibus sit fideles prædecessoribus suis licuisse Subdiaconatum conferre monachis Cisterciensibus.

Quæres utrum potestas ordinandi Subdiaconos, quæ nonnullis Abbatibus alias concessa fuit, sit jure aliquo posteriori revocata.

Resp. Negative. Nam 1. proferri non potest canon, quo probetur revocatam fuisse illam potestatem. 2. Scribit Morinus noster Episcopos ratam habere ordinationem, quam illi Abbates conculerint, dum visis hujusmodi collationis instrumentis, monachos post acceptum a suis Abbatibus Subdiaconatum, ad ordines superiores promovent.

Caput Quartum.

De Subdiaconorum Officiis.

IN Ecclesia Græca Subdiaconi 1. Portas, quibus patet aditus ab atrio Ecclesiæ ad sanctuarium, custodiunt, dum tremendum sacrificium offertur. De illis portis loquitur canon 22. Concilii Laodiceni, ubi hæc habentur: *Quod non oportet ministrum ferre orarium, & fores relinquere*. 2. Edictum prolatum a Diaconis de Catechumenorum & aliorum immundorum expulsione, mandant executioni. 3. Vasa sacra disponunt in mensa propositionis, ut apta sint ad sacrificium offerendum, non vero cum ex illa propositionis mensa Diacono ad altare deferuntur, nec ubi Christi Corpus, & Sanguinem continent, ita intelligi debent canon 21. Concil. Laodicæn. *Quod non oportet ministros locum habere in Diaconiis & sacra vasa tangere*.

Nec est, quod quis dicat veteres Christianos, ubi communicaturi erant, nuda manu excipere solitos fuisse sacram Eucharistiam: ac proinde a fortiori licitum eis fuisse vasa sacra contigere: unde inferri videtur, quod sacrorum vasorum contactus non fuerit olim privilegium, quo Subdiaconi præ laicis fruiti sint. Non est (inquam) quod quis sic ratiocinetur. Nam 1. laicis incumbebat necessitas tangendi sacram Eucharistiam, præsertim iis sæculis, quibus eam deferebant in suas privatas domos, ut illa singulis diebus sese reficerent. 2. Illum Eucharistiæ non autem sacrorum vasorum contactum tunc Laicis permiserat Ecclesia, penes quam haud dubie fuit unum prohibere & alterum concedere.

In Ecclesia Latina hæc sunt Subdiaconi officia. 1. Vasa sacra disponit ad sacrificium. 2. Sacrificii materiam proximam, panem, vinum & aquam præparat. 3. Post offertorium infundit aquam in calicem in quem Diaconus immisit vinum. 4. Secundum hodiernum usum solemniter Epistolam legit intra Missarum solemnia.



QUÆSTIO SEPTIMA.

De Minoribus Ordinibus.

NOnnulli putant Minores Ordines eos esse, quibus non est annexa lex cœlibatus. Sed id verum esse non potest. Nam 1. a mille & amplius annis, ductis ante ordinationem uxoribus Presbyteri, & Diaconi Græci uti possunt. 2. Multo tempore postquam lex cœlibatus imposita fuit Subdiaconis Latinis, Subdiaconatus inter minores Ordines adhuc recensebatur.

Censent quidam Theologi per Minores ordines intelligi debere eos, qui extra sanctuarium conferuntur: sic sumpti apud Græcos Subdiaconatum includunt: nec olim enim, nec his temporibus apud eos in Sanctuario confertur. Sed apud Latinos, id verum esse non potest, cum tota ordinatio, apud eos in sanctuario celebretur. Dicendum est igitur eos esse, per quos non datur jus accedendi propius ad altare sacrificii tempore, quique remota tantum circa Eucharistiam versantur.

Caput Primum.

De Essentia, materia & forma minorum Ordinum.

QUÆ mox de Minoribus Ordinibus dicta sunt, eorum essentiam continent, germanam enim eorum definitionem complectuntur: per ea siquidem a Majoribus distinguuntur.

Quærere solent Theologi utrum minores ordines sint vera Sacramenta novæ legis. Multi Scholastici affirmativam sententiam defendunt: sed negativa probabilior est. Quæ argumenta allata fuerunt superius ad probandum Subdiaconatui non convenire Sacramenti stricte sumpti rationem; idem a fortiori pro Minoribus Ordinibus ostendunt. Igitur ea quæstione prætermissa, de minorum ordinum materia & forma breviter hic est agendum.

Conclusio 1. Materia Acolythatus est traditio ceroferarii cum cereo, nec non urceolorum vacuorum: Forma vero sunt verba, quæ profert Episcopus cum illa instrumenta porrigit.

Probatur. Antiqua & recentia Pontificalia utrumque illum ritum præscribunt; Uterque exprimit duplicem potestatem, qua Acolythus per suam ordinationem donatur.

Conclusio 2. Materia Lectoratus apud Græcos est impositio manuum, apud Latinos vero est traditio codicis, de quo lecturi sunt, qui ordinantur. Forma apud Græcos est oratio, quam Episcopus manum imponens fundit supra ordinandum; apud Latinos vero sunt hæc verba, *Accipite & estote verbi relatores, &c.*

Probatur prior pars. Nullo alio signo sensibili quam

quam impositione manuum, & oratione, quam fundit Episcopus manus imponens, Græci Lectoratum conferentes utuntur.

Probatur altera pars ex eo, quod antiqui & recentiores codices, ut Concilium Carthaginense quartum, ubi agunt de Lectoratus collatione aliam ceremoniam, aliaque, saltem quoad substantiam, verba non recenseant.

Conclusio 3. Materia Exorcistatus est traditio libri Exorcismorum. Forma vero sunt hæc verba, *Accipite & commendate &c.* Materia Ostiariatus est traditio clavium & contactus funis campanarum. Forma sunt hæc verba, *Sic agite quasi reddituri Deo rationem pro iis, quæ his clavibus, recluduntur.*

Probatur utraque pars. 1. Alium ritum non præscribunt Pontificalia. 2. Ritus ille clare exprimit potestatem per exorcistatum & ostiariarum concessam clericis, qui illis ordinibus initiantur.

Objicies in alteram partem. 1. Materia debet ab eo tradi, a quo confertur ordo. Ergo cum, non Episcopus, sed Archidiaconus, tradat funem campanæ, illa traditio ad substantiam ostiariatus pertinere non potest. 2. Semper in collatione Ostiariatus non fuit observata illa funis traditio, eam enim non recenset Concilium IV. Carthaginense, ubi agit de ritu, qui in eo Ordine conferendo, quinto Ecclesiæ sæculo servabatur.

Resp. ad 1. antecedens esse tantum verum de ordine, qui est Sacramentum. Resp. ad 2. Ecclesiam posse augere materiam ordinis a se instituti, cujusmodi est Ostiariatus.

Caput Septimum.

De Authore, Ministro, & Subjecto Minorum Ordinum.

Conclusio 1. Christus non instituit Minores Ordines, sed Ecclesia.

Probatur. Nec ex Scriptura, nec ex traditione ostendi potest Minores Ordines a Christo fuisse institutos. E contra (ut supra ostendimus agentes de Subdiaconatu) Patres testati sunt Ecclesiam illos ordines labente priore sæculo instituisse. Præterea si quatuor illi ordines instituti fuissent a Christo, semper in utraque Ecclesia retenti fuissent; quod tamen est falsum, ut ostensum fuit de Ecclesia Græca, cum actum est de numero ordinum.

Conclusio 2. Abbatibus quibusdam olim concessa fuit potestas Minores Ordines conferendi, quæ quidem jure aliquo posteriore non est revocata. Idem etiam possunt Romanæ Ecclesiæ Cardinales in Parochiis sibi Romæ subditis.

Probatur prima pars 1. ex septimo Concilio generali, Niceno scilicet secundo, hæc enim habet can. 14. *Lectoris autem manus impositionem liceatia est in proprio monasterio solummodo unicuique abbati faciendi, si ipsi abbati ab Episcopo manus sit imposita, dum constet illum esse Presbyterum.* 2. Ex Alexandro tertio, qui (ut refertur in jure canonico) scripsit ad Archiepiscopum Toletanum Minores Ordines quandoque a non Episcopo conferri. 3. Ex iis, quæ dicta sunt superius de ministro extraordinario Subdiaconatus.

Probatur altera conclusionis pars. Concilium Tridentinum Sessione 23. de reform. capite x. hæc ait: *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre.... Non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Ex illo loco patet sacram Synodum non revocasse facultatem conferendi Minores Ordines, quam Ecclesia quibusdam Abbatibus, subditorum sibi Monachorum respectu, concesserat.

Probatur tertia pars. Cardinales Romæ in Ecclesiis, quarum sunt titulares, de facto conferunt Minores ordines, sciente Summo Pontifice, qui potest id concedere aut impedire. Atqui (inquit Morinus noster post Dominicum Soto) silentium Papæ, cui silentio accedit possessio, certissimi privilegii vice fungitur.

De subjecto Minorum Ordinum sic loquitur Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. XI. *Minores Ordines iis, qui saltem linguam Latinam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videtur, conferantur.* Ibidem paulo inferius sic iterum loquitur sacra Synodus: *Cumque hinc ad altiores gradus & sacratissima mysteria sit ingressus; nemo iis initietur quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* Unde colligitur minores ordines non esse (ut vocant) ordines consistentiæ, seu institutos non fuisse, ut quis in eis perpetuo commoretur, sed tantum, ut quis eorum exercitio se ad superiores disponat.



QUÆSTIO OCTAVA.

De Tonsura Clericali.

HIC expendemus 1. num antiquitus fuerint Clerici nullo ordine, sed sola, ut nunc fit, tonsura insigniti. 2. An perantiqua sit Tonsura Clericalis. 3. A quo ministro, & cui subjecto conferri debeat. 4. An a Clericatu resilire liceat.

Caput Primum.

An olim essent Clerici sola insigniti Tonsura?

Conclusio. Quinque prioribus sæculis nulli visi sunt Clerici, qui nullo ordine, sed sola Clericali Tonsura insigniti essent.

Probatur 1. Ecclesiastica monumenta quinque priorum sæculorum nullos ejus, de qua agitur, speciei Clericos recensent. In Ecclesia Græca nonnulli quidem erant Officiales, qui per ordinem aliquem consecrati non fuerant: Ejus generis erant: *Laborantes, qui mortuorum corpora curabant, Custodes sacrorum vestibulorum, Linguarum interpretes*; Sed ii Clero non adscribebantur, quippe quod absque manuum impositione crearentur: inscripti tamen erant canoni, seu eorum Catalogo, qui Ecclesiæ sumptibus alebantur. Concilium Chalcedonense, ubi agit de simonia e Clero prorsus eliminanda, ut Clericos indicet, utitur voce *manus impositionis*, ut vero eos, qui sunt in officio, voce utitur *promotionis*. In primo ordine collocat Episcopos, Chorepiscopos, Presbyteros, Diaconos, & alios qui passim inter Clericos nominantur: in altero vero collocat Oeconomos, Defensores, Mansionarios & universim eos, qui sunt in canone.

Probatur 2. ex eo, quod Patres priorum sæculorum conceptis terminis asseruerint, Clericos omnes altarium ministerio consecratos fuisse: *Cuncti in Clericali ministerio constituti* (inquit Cyprianus lib. 1. Epist. 9.) *nonnisi Altaribus & Sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeat.* Idem S. Martyr constanter asserit neminem adscribi Clero, nisi per ordinationem: *In ordinandis Clericis* (inquit lib. 2. Epist. 5.) *solemus vos ante consulere. Merebatur* (Aurelius, qui fidem coram tyrannis confessus fuerat) *Clericæ ordinationis ulteriores gradus ..... Interim placuit, ut ab officio Lectoris incipiat.* At nullus consecrabatur Altarium ministerio nisi ordinem aliquem reciperet. Siricius Papa Epist. 2. statuit, ut ii, qui provecta ætate cupiant Clero dare nomen, incipiant a Lectoratu, aut Exorcistatu: *Statim Lectorum aut Exorcistarum numero societur.* Igitur ab Ordine aliquo, non autem a Tonsura Clericali, Siricii Papæ tempore, Clericatus exordium desumebatur.

CA-

Caput Secundum.

An perantiqua sit Tonsura Clericalis?

Conclusio. Tonsura, sumpta pro corona Clericali non fuit in usu per quinque priora sæcula.

Probatur. 1. Non est verisimile, quod tribus prioribus sæculis Clerici, in quos præsertim sæviebat persecutio, externo Tonsuræ Clericalis signo sese non a gentilibus modo, sed etiam a fidelibus Laicis distinxerint. 2. Quæ extant priorum sæculorum monumenta hoc unum (ut videre est in IV. Concilio Carthaginensi) Clericis præcipiant, *ne comam nutriant*, sed nusquam injungunt, ut attondeantur in sphærulæ modum. 3. Quæ supersunt nobis historiæ Episcoporum, qui vixere quinque prioribus sæculis, eos nobis exhibent composito quidem ad modestiam capillo, sed nequaquam desinente in sphæræ modum. Prudentius de Cypriano loquens hæc ait: *Namque figura alia est quam quæ fuit oris & nitoris. Defina cæsaries compescitur, ad breves capillos; bis igitur meritis dignissimus, usque Episcopale provehitur solum Doctor*. Sidonius Apollinaris lib. 4. Epist. 24. agens de Sanctissimo Presbytero Claudiano; id solum de eo memorat, quod *crinem, barbamque non pasceret*.

Objicies 1. Liber Pontificalis adscriptus Damaso hocce decretum Anicero tribuit: *Ut Clerici juxta Apostolum comam non nutriant, sed desuper caput in medium sphæræ radant; quia sicut discreti esse in conversatione debent, ita & in tonsura & in habitu discreti debeat apparere*. Ergo longe ante sæculum quintum Clerici Tonsura Clericali insigniebantur.

Resp. Epistolas, quæ Pontificibus ante Siricium ex Isidori compilatione tribuuntur, esse (ut hoc in opere non semel observatum est) adulterinas, ac factum quod octavo tantum sæculo prodierit enarrare.

Objicies 2. Nonnulli Patres asseruere Clericalem Tonsuram esse ex Apostolica institutione. Gregorius Turonensis censere videtur, quod Petrus ipse coronam Clericalem gestarit: *Petrus Apostolus* (inquit de gloria Martyr. lib. 1. cap. 28.) *ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit*.

Resp. ad 1. eo sensu Apostolos esse autores Coronæ Clericalis, quod Capillorum modestiam, ac proinde brevitatem commendaverint: *Nec ipsa natura* (inquit Paulus ad Corinth. scribens) *docet vos, quod vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat, gloria est illi*. Præterea hic placet usurpare, quæ ad simile argumentum respondet Amalarius de divinis Offic. cap. 15. *Interrogatur ab aliquibus* (inquit) *quis primus tonsus sit more nostro? Legi in epistola cujusdam viri, Petrus. Sed quia non tantæ authoritatis est, maluimus eam silentio præterire. Non tamen abs re est, si dixerimus illum, vel aliquem ejus successorem primo fuisse tonsum more nostro, quoniam ab illa Ecclesia sumptus est ille usus, in qua illi sederant*.

Si quis vero roget cur Ecclesia voluerit Clericos Tonsuram deferre, quæ in sphæræ modum desineret, dicendum est varios varia de illo ritu opinari. Beda venerabilis censet præscriptum fuisse in memoriam spineæ coronæ, qua Christus dum penderet in cruce, redimitus est. Censent alii signum esse pœnitentiæ, antiquitus enim Pœnitentes solebant tonderi. Volunt aliqui per eum ritum designari regiam quidem, sed spiritualem dignitatem qua Clerici in Ecclesia potiuntur. Putant nonnulli ceremoniam esse, qua Clericus docetur nuntium remittere sæculari fastui, ac inanibus rerum fluxæ ac labentis naturæ curis.

Caput Tertium.

De Ministro & subjecto Tonsuræ Clericalis.

Conclusio 1. Solus Episcopus est ordinarius Tonsuræ Clericalis minister.

Probatur. Licet Tonsura Clericalis non sit ordo, ordinationis tamen nomine comprehenditur, cum per eam quis inscribatur Clericorum albo. Atqui Episcopus est ordinarius minister cujusque ordinationis: *Unusquisque autem* (inquit Concil. Trid. Sess. 23. capite 8.) *a proprio Episcopo ordinetur*.

Conclusio 2. Varii nunc sunt & fuerunt olim extraordinarii ministri Tonsuræ Clericalis.

Probatur prior pars ex iis, quæ tum de Subdiaconatus, tum de minorum ordinum extraordinario ministro superius dicta sunt: ii enim quibus licet Subdiaconatum & minores ordines conferre, jus habent quoque, ut conferant Tonsuram Clericalem. Altera vero conclusionis pars evidens est ex iis, quæ tum pag. 579. tum pag. 581. de Chorepiscoporum & Parochorum antiqua ordinatione dicta sunt.

Conclusio 3. Non omnibus promiscue, sed qui certis præditi sint dotibus conferri debet Tonsura Clericalis.

Probatur verbis Tridentinæ Synodi Sess. 23. de reform. capite 4. *Prima* (inquit) *Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & scribere nesciant, & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*.

Ex eo autem Concilii textu Navarrus hanc elicit conclusionem: *Sequitur* (inquit de Orat. & horis Canon. cap. 7.) *magna laude dignos esse Episcopos, qui primam Tonsuram & quatuor minores non conferant nisi ei, qui per se, si fuerit adultus, aut per parentes si puer, juraverit se velle ad majores legitimo tempore ascendere ..... Sequitur compluribus, qui prima Tonsura, aut quatuor minoribus initiantur, satius fore ipso ordinationis die frangere crura, quam prima Tonsura aut quatuor minoribus initiari, tum propter proxime dicta, tum quod non se ordinant ad finem debitum, nimirum ut serviant Deo in officiis Ecclesiasticis, quandoquidem non intendunt initiari sacris aut munera sacra ut tales subire*.

Jam si quis roget num Clerici omnes teneantur gestare, coronam Clericalem; Respondendum erit hisce verbis Conc. Trid Sess. 23. cap. 6. de reform. *Is* (prima Tonsura initiatus) *etiam fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat aut Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores suscipiendos versetur*.

Caput Quartum,

An Clericis liceat a Clericatu resilire?

Conclusio. Nemo Clericus, seu in Oriente, seu in Occidente per duodecim priora sæcula poterat Clericatum abjicere.

Probatur 1. Canones anathemate percellunt Clericos, qui Clericatum abjecerint: sic habet Concilium Chalcedonense canone 7. *Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam elegerunt, statuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam; aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, ita ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari*. In eum autem canonem velim Lector observet 1. eadem ratione loqui eum de Clericatu ac de professione Monastica. 2. Nequaquam distinguit inter Clericos, sed indefinite asserit unumquemque perpetuæ professionis lege teneri.

neri. Itaque non Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos tantum complectitur. 3. Eodem perpetuitatis vinculo constringit & Clericos qui nuptias post ordinationem iniissent: quippe quod neminem, sive cœlibem sive conjugatum excipiat.

Viguit eadem praxis in Occidente: *Statuimus* (inquit Concilium Triburiense canone 7.) *ut Clericus Ecclesiastice nutritus in Ecclesia coram populo vel legens, vel cantans, si postmodum relicto Clericatus habitu, a castris Dominicis, quibus adscriptus est, profanus & apostata elabitur, & ad sæculum regrediatur, ab Episcopo Canonice coerceatur, ut ad sinum matris Ecclesiæ revertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, ut comam nutriat, constringatur ut iterum detondeatur, & postea nec uxorem accipiat, nec sacrum Ordinem attingat.*

Probatur 2. ex eo quod Canones desertorem Clericum, ubi resipuisset, gravi pœnitentia damnarent: *Desertorem Clericum* (inquit alterum Concilium Hispalens.) *cingulo honoris atque ordinis sui exutum, aliquo tempore Monasterio deligari convenit; sicque postea in ministerio Ecclesiastici Ordinis revocari.*

Probatur 3. ex eo quod Canones Clericis qui Synodali sententia depositi fuissent, sæcularem vitam degere minime concederent: *Decrevimus* (Capit. lib. 7. C. 137.) *ut unusquisque Episcoporum, non solum Presbyterorum, verum etiam sequentium Ordinum Parochiæ suæ, gradum amittentium, vitam & conservationem, morumque emendationem, tam per se, quam per ministros suos noverit, eosque canonicæ pœnitentiæ subdere non negligat.*

Probatur 4. ex constitutionibus Imperatorum, qui quidem hoc in capite sese canonum executores probarunt: *Generaliter sancimus* (inquit Justinianus Novel. 123.) *nulli licere in quolibet Ecclesiastico gradu constituto discedere ab eo & sæcularem fieri.* Eos vero qui decretum illud ausi fuerint infringere, abjici vult dignitate qualibet & ad infimam Curialium sortem redigi: *Scientibus, tale aliquid facientibus, quia & quasi apposito sibi cingulo, aut dignitate, aut militia, & Curiali fortunæ propriæ civitatis tradentur.* A Leone, quem propter sapientiam Philosophum dixere, Clerici desertores nequaquam permissi sunt (ut tamen indultum eis erat a Justiniano) ut in sæculari habitu, etiam post nuptias permaneret: *Ab Ordine* (inquit Novella 79.) *quem ante nuptias obtinuerint, solum recedentes, satis pœnarum luere videantur, & nequaquam Clericali habitu, aliove Ecclesiæ ministerio, cujus quidem usus illicitus non est, judicio priventur.*

Objicies 1. Canones antiqui amandant ad Laicorum sortem Clericos qui lapsi fuerint. Ergo eos a Clericali statu eximunt.

Resp. reductionem ad sortem laicorum esse pœnam: ac proinde Clericum non liberare ab oneribus quæ contraxerat, ubi Clericali militiæ dederat nomen. Unde licet per depositione honorem & stipendiis Clericatus frustraretur, non permittebatur tamen laice vivere, seu convolare ad nuptias.

Conclusio 2. Medio 13. sæculo constitutis in minoribus ordinibus primum indultum est, ut a Clericatu resilirent.

Probatur 1. Quod non ante medium sæculum 13. ea, de qua agitur, disciplina invaluerit, ostenditur ex Decretalium Compilatore S. Raymundo de Pegnafort. In summa pag. 50. nodum, de quo est quæstio, sibi solvendum proponit, hisque verbis solvit: *Quod si aliquis accepit primam Tonsuram tantum, numquid potest eam deserere? Credo quod non, quia Clericus, & Clericus quilibet compellitur per anathema vivere Clericaliter; & si quis ex Clericis comam relaxaverit; anathema sit.* Quod post tempus, mox relatum, alia disciplina invecta sit in orbem Christianum, patet ex Conciliis quæ sæculum illud subsecuta sunt. Definiere quidem ea Concilia Clericos qui solius commodi temporalis causa beneficia capescerent, teneri ad proventuum perceptorum restitutionem: *Qui beneficia Ecclesiastica solius temporalis proventus gratia suscipiunt* (inquit Concilium Bituricense quod anno 1584. habitum est) *eos non facere fructus suos, sed ad restitutionem teneri.* Definierunt quoque iis tantum conferri debere Tonsuram Clericalem, *de quibus* (ut ait Concilium Tridentinum) *probabilis sit conjectura, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.* At nulla Concilia præcipiunt ut in minoribus ordinibus constituti habeantur tamquam apostatæ, si Clericalem statum abjecerint, imo si convolarint ad nuptias: Hoc unum præscribit Concilium, ut ii qui habitum aut Clericalem Tonsuram non deferunt, fori privilegio non gaudeant.

Caput Quintum.

De vestibus Clericorum.

Nihil hic dicemus de sacris Clericorum vestibus, sed de Civilibus tantum. Quæremusque 1. an Clerici quovis sæculo vestibus talaribus usi sint. 2. Cujus coloris & formæ essent ejusmodi vestes.

Conclusio 1. Certo constat Clericos talaribus vestibus usos fuisse usque ad annum trecentes. supra millés.

Probatur. Clerici (ut inferius docebitur) per tredecim priora sæcula usi sunt vestibus quæ essent in communi hominum usu. Atqui communes hominum vestes tredecim prioribus sæculis talares erant. 1. Raynaldus ad annum 1317. describit Epistolam qua Joannes XXII. Papa hortatur Philippum Francorum Regem ne abjiciat oblongas vestes quibus illius majores constanter usi fuerant, aut abjectas revocet in usum: *Pulchrum crederemus aut congruum, si ad excellentiæ Regalis ornatum, epitogium longum ex nunc induceres, ut te tuis in hoc progenitoribus conformares.* 2. Circa annum 1388. Carolo VI. Francorum Regi vertebatur vitio quod vestibus oblongioribus uti detrectaret: *Culpæ datur etiam* (inquit Monachus San Dionysianus in laudati Principis vita lib. 8. cap. 21.) *quod a Majorum suorum gravitate desciverit, qui in publicum prodibant numquam nisi cum veste Regia: quod ægre ac moleste tulerit, eum pallia longiora & tunicas longo syrmate verrentes humum induere necesse erat: & Regiæ Majestatis insignibus antepofuerit varietatem quamdam inconstantem & volaticam vestium sericarum, quæ aulicorum turbæ & usibus illum permiscebat, & versatili eorum in vestibus levitati illum quoque mancipabat.* 3. Chronici Nangii continuator ad annum 1340. affirmat eo ipso tempore Francos cœpisse prolixiores gestare barbas & breviores vestes: *In temporibus istis* (inquit) *incœperunt homines, & specialiter Nobiles, ut puta Nobiles scutiferi, & eorum sequaces, sicut aliqui Burgenses, & quasi omnes servientes, seipsos in robis & habitu deformare. Nam gestare cœperunt robas curtas & ita breves, quod quasi eorum nates & pudenda confusibiliter apparerent. Quæ fuit res in populo satis mirabilis, quia antea honestius incesserunt. Barbas longas omnes viri ut in pluribus nutrire cœperunt. Illum autem modum quasi omnes, exceptis illis qui erant de sanguine regio, in Francis receperunt: qui quidem modus derisionem in communi plebe non modicam generavit.* Quæ tum ex Joanne Papa XXII. tum ex Monacho San Dionysiano, tum ex Chronico Nangii mox laudata sunt testimonia, probant tum in Italia tum in Galliis oblongas vestes ante sæculum 13. in vulgari usu, seu passim adhibitas fuisse: Patet iterum circa medium idem sæculum breviores a Gallis præsertim usurpatas fuisse, verisimile autem est quod ab iis ad alias Europæ nationes usus ille transvolarit.

Conclusio 1. Clerici sæpius post sæculum 13. jussi sunt deferre vestem talarem.

Probatur. Ubi breviores vestes adhibitæ sunt a laicis, statim a Clericis usurpatæ non fuerunt: nec enim authores qui (ut mox ostensum est) eas irriserunt in Laicis, easdem Clericis vitio verterunt. Verum paulo ante Concilium Tridentinum frequenti apud Clericos erant in usu. Prohibitæ sunt expectoratæ vestes in Concilio Senonensi, quod habitum est anno 1528.

1528. *Vestitus Clericorum* (inquit cap. 23.) *non sit expectoratus, sed a collo desuper undique clausus, a manicis, lateribus, & retro.* Silet illud Concilium de brevioribus vestibus, nondum igitur passim a Clericis deferebantur. Synodus Moguntina quæ celebrata fuit anno 1549. talarem vestem præscribit: *Ne vestes* (inquit cap. 74.) *varii coloris, velut virgatas, aut fimbriatas, aut discissas deferant Clerici, sed talaribus utantur.* Concilium Tridentinum expresse quidem non meminit vestis quæ ad talos usque demissa sit, sed modestiam & parcitatem præscribit: *Quia vero* (inquit Sess. 14. cap. 6. de reform.) *etsi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre; ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem extrinsecam ostendant.* Quinam autem habitus cuique ordini sit conveniens, sacra Synodus Ordinariorum prudentiæ definiendum permittit: *Propterea* (inquit ibidem) *omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum ordini & dignitati congruentem; & juxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi coerceri possint & debeant.* Quæ post Concilium Tridentinum habitæ sunt Synodi Provinciales definierunt vestem quæ constitutis in sacris ordinibus aut obtinentibus beneficia convenit, non aliam esse quam talarem: *Pileum Sacerdotalem* (inquit Concilium Mechliniense quod anno 1570. habitum est) *& vestem gestent talarem.* Concilium Rhemense anno 1583. prohibuit ne Clerici, etiam sub pallio oblongo, seu ad talos usque demisso, breviorem vestem deferant: *Veste Ecclesiastica* (inquit cap. 16.) *eaque talari ac decenti utantur omnes Clerici: nec sine illa pallium breve, aut longum deferant, aut numquam prodeant in publicum.*

Conclusio tertia. Per priora quinque sæcula nulla Clericis præter communem, propria fuit vestis civilis. Verum sexto, Clerici habitu a laicis distincti fuere.

Probatur. Primo, Decretales priorum Pontificum Epistolæ de ea veste omnino silent. Secundo. Concilium IV. Carthaginense nihil omisisse videtur eorum quæ ad Clericos spectant. At vestis quæ eis propria foret, ne meminit quidem. Tertio. Celestinus Papa in Epistola quam anno 428. scripsit ad Episcopos Viennensis & Narbonensis Provinciæ, eos Clericos arguere videtur qui alia quam communi veste uterentur: *Didicimus* (inquit) *quosdam Domini Sacerdotes, superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. Amicti pallio & lumbis præcincti, credunt se Scripturæ fidem, non per spiritum, sed per litteram complecturos ... Discernendi a plebe, vel cæteris, sumus doctrina, non veste; mentis puritate, non cultu.* 4 Non aliud in vestibus præcipiunt eorum temporum canones quam parcitatem & modestiam. 5. Sexto sæculo propriam fuisse Clericorum civilem vestem innuunt hæc Gregorii Magni verba: *Vos* (inquit hom. 4. Evang.) *quos sæcularis habitus tenet ... In sancto* (ait expostulans adversus Clericos) *habitu constituti, dum exteriora sunt quæ exhibent, quasi Sanctuarii lapides foris jacent.*



QUÆSTIO NONA.

De ritibus quibus quibus in specie ordines conferuntur.

IIS quæ huc usque de Ordinibus in specie dicta sunt, & præsertim de eorum materia, forma, *Jucem de Sacram,* ministro, officiis, lux affulgebit maxima ex ritibus quibus utraque Ecclesia usa est in conferendis in specie ordinibus.

CAPUT PRIMUM.

Quo ritu Ordines in Ecclesia Græca conferantur?

IPsissima Euchologiorum verba hic subjicienda sunt: sic autem habent.

Ordo, qui observari solet in ordinatione Lectoris.

„ Adducitur hujusmodi homo ad Pontificem, qui jam se ornavit ad celebrandum sacrum: Et quidem si sæcularis sit, cum veste, ac sine pileo: Si vero Monachus, cum pallio. Ejus caput Pontifex ter signat, eumque tondet ad modum crucis dicens, Tondetur servus Dei N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ad singulas invocationes, qui adsunt, respondent, Amen. Deinde ab aliquo juxta figuram Clericorum perfecte tondetur. Sic denuo ad Pontificem adducitur, qui accepto camisio eum induit, ejusque caput ter signat, impositaque manu sic precatur.

„ Domine Deus Omnipotens, elige servum tuum hunc, & eum sanctifica. Da ei cum omni sapientia, & prudentia, ut divina eloquia tua exerceat, ac legat, conservans eum in irreprehensibili conservatione, misericordia, & miserationibus, ac benignitate unigeniti Filii tui, cum quo es benedictus, una cum sancto, bono, ac vivifico tuo Spiritu nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

„ Et dicto Amen, datur Lectori liber, in quo continentur Acta, & Epistolæ Apostolorum, & paucis lectis, accipit a Pontifice pacem (*hoc est finita lectione dicit ei Pontifex, Pax tibi.*) Quod si cantor sit is, qui ordinatur, aliquid recitat ex psalterio, quod Epistolis præmitti solet. Si vero multi extiterint lectores, qui velint suscipere ordines, simul ordinantur & oratio enunciatur in numero multitudinis.

„ Sciendum autem est, quod quando non celebratur Missa, Pontifex incipit dicere, benedictus Deus noster perpetuo nunc, & in sæcula sæculorum, & canitur, Rex cælestis, ter sanctus, Sanctissima Trinitas, Pater noster, quoniam tuum est regnum, & dicimus τὸ προκείμενον illius diei. Deinde fit ordinatio, ut præscriptum est.

Ordo, qui observari solet in ordinatione Subdiaconi.

„ Sedente Pontifice e regione portæ speciosæ in ambone (*media porta sanctuarii vocantur hoc nomine*) priusquam Missam incipiat, adducitur ad eum, qui ordinandus est Subdiaconus, si sæcularis sit, cum penula, si Monachus, cum pallio. Jubet autem Pontifex eum exuere penulam, vel pallium, & inducere sticharium (hoc est Dalmaticam strictam) & cingi, afferri quoque vas ad infundendam aquam pro lotione manuum, & manutergium. Deinde ter obsignans ejus caput, & imponens manum, ubi Diaconus dixerit, Dominum deprecemur. Pontifex hanc recitat orationem.

„ Domine Deus noster, qui per unum, atque eumdem Spiritum dividis charismata unicuique eorum, quos elegisti, qui Ecclesiæ tuæ varios ordines largitus es, in ea quoque gradus ministerii constituisti in administrationem sanctorum & immaculatorum tuorum mysteriorum. Qui & ineffabili tua præcognitione determinasti hunc servum tuum, ut esset dignus, qui famularetur Ecclesiæ sanctæ tuæ. Tu Domine irreprehensibilem eum in omnibus conserva. Da ei ut amet decorem domus tuæ, ut assistat foribus sancti templi tui, accendat lampadem tabernaculi gloriæ tuæ, & planta eum in Ecclesia sancta tua, velut olivam fructiferam afferentem fructum Justitiæ, & eum ostende perfectum servum tuum tempore adventus tui, qui retributione eorum, qui tibi placuerunt, fruiturus sit. Quoniam tuum est regnum,

Eee & po-

potentia, & gloria Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

„ Et dicto Amen, accipiens Pontifex maotile imponit sinistm humero ejus, qui ordinatur. Similiter præbet illi vas ad infundendam aquam, pro lotione manuum, ille vero vas accipiens deosculatur manum ipsius, & aquam infundit ad manus Pontificis, qui eas lavat; tandem accepta benedictione discedit, statque pro foribus saoctuarii, & suo tempore in Missa ter profert illud: Quotquot fideles, &c. Peracto vero majori ingressu, cum sacram mensam Diaconus incensat, rursus lavat manus Pontifex in catenulo, quod gestat qui ordinatus est. Porro in ingressu majori ipse quoque ordinatus post omnes sequitur gestans etiam vas pro manuum lotiona, ac mantile. Et quidem cæteris omnibus saoctuarium iugredientibus, ipse remanet extra stans in loco consueto. Sic fit ordinatio & si multi sunt, qui ordinautur, oratio ad multos accommodatur.

Ordo qui observari solet in ordinatione Diaconi.

„ Postquam dixerit Pontifex in sacro elata voce illa verba: Et erunt misericordiæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis; Egressi duo Diaconi a sanctuario accipiuut secum eum, qui est ordinandus Diaconus, stantem in solea (*hoc est in pavimento eminentiori Ecclesiæ, extra tamen sanctuarium. Verbum est fortasse Latinum, solum τὸ ἀνιπέδον*) & introducunt aum in sanctuarium, circumdantque sacram aram ter illud caoentes, sancti Martyres, qui bene decertastis. In qua trina circuitione futurus Diaconus ioclinaos se, signo crucis facto, deosculatur ter singulos angulos Altaris. Deinde accedit ad Pontificem, qui ejus caput signat ter, ac jubet eum cingulum solvere, & auferri mantile. Post hæc, qui ordinatur in sacra mensa fronte inhæret, & genu dexterum flectit. Archidiacono vero elata voce proferente, Attendamus, Pontifex habens manuum impositam capiti ordinandi, clara voce enunciat: Divina gratia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. Reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus; & statim canitur trioa voce, Kyrie eleison tam ab iis, qui sunt in sanctuario, quam ab aliis, qui sunt extra. Pontifex autem signat ter ejus caput, ac Diacono dicente, Dominum deprecemur, Pontifex imposita manu sic precarur.

„ Domine Deus noster, qui præcognitione tua iis præbes auxilium tui sancti Spiritus, qui a tua investigabili potentia sunt destinati, ut fiant ministri, & inservire debeant immaculatis tuis mysteriis. Tu Domioe & hunc, quem voluisti, ut a me promoveretur in ministerium Diaconatus, in omni honestate conserva, habentem mysterium fidei in pura conscientia. Dooa ei vero gratiam, quam largitus es Stephano protomartyri too, quem etiam primum vocasti ad opus ministerii tui. Et dignum fac eum secundum beneplacitum tuum, qui curam habeat gradus a tua bonitate illi donati. Qui enim bene inservierint, bonum gradum sibi ipsi acquirunt, & perfectum servum tuum ostende. Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria Patris, & Filii, & spiritus Sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

„ Et dicto Amen, dicit Archidiaconus submissa voce ita ut tantum qui sunt præsentes audiant, & respondeant, hæc, quæ solet Diaconus recitare. In pace Dominum deprecemur: alii circumstantes ad singula respondent, Kyrie eleison. Pro superna pace, & salute animarum nostrarum Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro pace totius mundi, stabilitate sanctarum Dei Ecclesiarum, cunctorumque unione Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro Archiepiscopo nostro N. sacerdotio, adjutorio conservatione, pace, incolumitate, salute ipsius, & opere manuum ejus. Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro famulo Dei N. qui nunc promovetur Diaconus, & salute ipsius Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Ut humanissimus Deus immaculatum, irrepreheusibile ipsi ministerium largiatur, Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro hac civitate, omoique alia civitate, ac regione, & fidelibus habitantibus in eis Dominum deprecemur. Kyrie eleisoo. Ut nos omni tribulatione, ira, periculo, ac necessitate liberemur, Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Defende, salva, miserere, & conserva uos Deus tua gratia. Kyrie eleison. Mentione facta sanctissimæ, immaculatæ, super omnes cæteras benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semper Virginis Mariæ nos ipsos, & alter alterum, totamque vitam nosttam Christo Deo committamus, tibi Domine.

His dictis, Pontifex habcus impositam manum sic precatur.

Deus Salvator noster, qui incorrupta tua voce Apostolis tuis legem sanxisti, & primum eum prædicasti, qui opus ministri exequitur, sicut scriptum est iu sancto tuo Evangelio, qui volt inter vos esse primus, sit minister vester. Tu Domine uuiuium, & hunc servum tuum, quem dignum fecisti, ut munus subiret Diacooi, imple omni fide, & charitate, ac potestate, & sanctificatiooe, adventu sancti, & vivifici tui Spiritus. Non enim in impositione manuum mearum, sed in præstatione copiosarum miserationum tuarum datur gratia iis, qui te sunt digni: & fac ut ab omni peccato liber in tremendo die tui judicii sine reprehensione tibi sa sistat, & mercedem infallibilem tuæ promissionis recipiat. Tu enim es Deus noster, Deus, qui misereris, & salvas, tibique gloriam offerimus, Patri, & Filio ac Spiritui sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Et dicto Amen, circumdat Pontifex illi, qui ordioatus est, in sinistro humero orarium (hoc est stolam) dicens, dignus, & more solito canitur ab iis qui sunt in sanctuario ter, dignos, ter item a Cantoribus. Deinde exhibito osculo pacis porrigit illi Pontifex sacrum flabellum dicens, similiter, digous, & salutant eum omnes Diaconi: ipse vero accepto flabello stat a latere sacræ mensæ, a parte dextera aerem ciens super sancta mysteria. Alter autem Diaconus stat extra sanctuarium in loco coosueto, illudque recitat, omnium Sanctorum mentione facta, Iterum, atqoe iterum, in pace Dominum deprecemur, & reliqua. Tempore vero Communionis, qui est ordinatus, primus inter alios Diaconos particeps fit divinorum mysteriorum, & recitat loco illorum Diaconica, (hoc est, quæ ad Diaconum spectant) illud scilicet, Recti) subintelligitur stemus) participes facti divinorum, sanctorum, immaculatorum, immortalium, supercœlestium, ac vivificorum mysteriorum, digne Domino gratias agamus, & quæ sequuntur in sacro Diaconica. Tandem peracta communione Clericorum in sanctuario, Pontifex porrigit calicem Diacono tunc consecrato, ut ipse populo ad cummunionem accedenti distribuat.

Ordo, qui observari solet in Ordinatione Presbyteri.

Absoluto hymno Cherubico in Missa, stat qui ordinandus est Presbyter in solea, & egressi duo Diaconi accipiunt eum medium, & ducunt eum usque ad sacras fores sanctuarii: ibi eo relicto a Diaconis, accipiunt eum duo digniores Presbyteri, ac sedente Pontifice coram sancta mensa io faldistorio, circumdant more Diaconorum sacram aram ter, illud canentes, Sancti Martyres, qui beoe decertastis. Cum vero transeunt coram Pontifice, inclinant se profunde honoris causa, & qui consectatur, quotiescumque transit coram Pontifice, deosculatur genu, Pontificis superhumerale (hoc est Pallium.) Deinde surgente Pontifice, accedit ad eum qui ordinatur, cujus caput ter signat Pontifex. Qui vero ordinatur, fronte incumbens sacræ aræ utrumque genu flectit. Diacono vero elata voce dicente, Attendamus, statim Pontifex imposita manu una cum pallio clara voce enunciat: Divina gratia, quæ semper infirma curat, &

quæ

quæ desunt supplet, promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Et respondent ter Kyrie eleyson hi, qui sunt in sanctuario, & similiter extra cantores. Rursus signaos eum ter Pontifex, & manum habens impositam, ubi Diaconus dixerit, Dominum deprecemur, hanc orationem mystice recitat.

„ Deus, qui es sine principio, & fine cares, qui omnem creaturam senio superas, qui appellatione Presbyteri eos ornasti, qui in hoc gradu digni facti sunt, qui verbum tuæ veritatis administrent. Tu Domine omnium secundum beneplacitum tuum velis, ut iste, quem tibi placuit a me promoveri, suscipiat in irreprehensibili conversatione, & firma fide magnam hanc gratiam Spiritus sancti tui. Et perfectum ostende servum tuum in omnibus tibi acceptabilem, & digne conversantem, ut dignitas hujus sacerdotalis honoris a tua præcognitiva potentia ipsi donati requirit (clara voce quod sequitur:) Quoniam tuum est imperium, & tuum est regnum, & potentia, & gloria Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

„ Et dicto Amen, primus Presbyter recitat Diaconica submissiori voce, ut tantum præsentes audiant, & respondeant. In pace Dominum deprecemur. Kyrie eleyson. Pro superna pace, &c.

„ Pro Archiepiscopo nostro N. sacerdotio, adjutorio, perseverantia, pace, incolumitate, salute ipsius, & opere manuum ejus Dominum deprecemur.

„ Pro servo Dei N. qui modo promovetur Presbyter, & salute ipsius Dominum deprecemur.

„ Ut amator hominum Deus noster immaculatum, ac irreprehensibile ipse sacerdotium largiatur, Dominum deprecemur.

„ Pro hac Civitate, &c. His dictis, Pontifex habens manum impositam sic precatur.

„ Deus, qui magnus es in potentia, & inscrutabilis in prudentia, qui mirabilis es in consiliis præ filiis hominum. Tu Domine & hunc, quem voluisti, ut subiret gradum presbyteri, imple dono sancti tui Spiritus, ut fiat dignus, qui assistat sine querela sanctuario tuo, prædicet Evangelium tui regni, administret verbum tuæ veritatis, offerat tibi dona, & sacrificia spiritualia, renovet populum tuum per lavacrum regenerationis: ut & ipse occurrens in secundo adventu magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi unigeniti filii tui, recipiat mercedem bonæ administrationis proprii gradus in multitudine bonitatis tuæ. Quoniam benedictum, & glorificatum est honorabile ac magnificum nomen tuum Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

„ Et dicto Amen, jubet eum surgere, & posteriorem partem stolæ ad anteriorem ex parte dextera transfert, dicens, Dignus, & canunt illud ter, tum qui sunt in sanctuario, tum etiam cantores, Deinde induens eum planetam, iterum exclamat, Dignus, iterumque canitur, Dignus. Ita demum osculo salutat Pontificem, & Presbyteros, ac discedens stat una cum Presbyteris τὸ κοντάκιον, (hoc est liturgiam) recitans. Diaconus vero stat in loco consueto, dicens, Perficiamus deprecationem nostram Domino, &c.

„ Cum vero consecrata fuerint sancta; & dicturus est Pontifex illa verba: Ita ut fiant participantibus; accedit ordinatus, cui præbet Pontifex sanctum panem, hoc est particulam panis consecrati sic dicens, Accipe depositum hoc, & serva illud usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, quando debet abs te illud repetere. Is vero accepto sancto pane deosculatur manum Pontificis, & recedit ad locum, ubi prius erat, imponens manum super sacram mensam. Cum vero Pontifex dicturus est, Sancta sanctis, tunc consecrans restituit sanctum Panem Pontifici, & primus inter alios presbyteros communicat. Et in fine recitat orationem, quæ post ambonem recitari solet.

Jacnin de Sacram.

Ordo qui observari solet in ordinatione Episcopi.

Absoluto trisagio hymno in sacro, ascendit Pontifex ad gradum, qui est ante sacrum Altare, & adducitur ad ipsum a præsentibus tribus Pontificibus, qui consecrandus est ex parte dextera: ubi fronte incumbens sacræ aræ utrumque genu flectit. Cartophylax vero, (*hoc est cartarum custos, scilicet præfectus scriniorum*) ex parte sinistra Pontifici consecranti exhibet chartam, in qua si is, qui consecrat Patriarcha sit, hæc scripta sunt: suffragio, & approbatione sacratissimorum Metropolitanorum, Archiepiscoporum, & Episcoporum. Si vero Metropolita sit, qui ordinat, hæc: suffragio, & approbatione Deo amabilissimorum Episcoporum, & reverendorum Presbyterorum, divina gratia, quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit, promovet N. Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum a Deo custoditæ Civitatis N. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus.

Hac igitur porrecta charta Pontifici, & Chartophylace, vel Archidiacono dicente, attendamus: Pontifex una cum pallio imposita manu recitat quæ sunt scripta, ita ut a circumstantibus omnibus audiatur, cunctisque tam iis, qui in sanctuario, quam qui sunt extra respondentibus ter Kyrie eleison, Pontifex aperit librum Evangeliorum, & imponit capiti, ac cervici illius, qui ordinatur, simul una tangentibus aliis quoque Pontificibus. Deinde facta trina cruce in capite illius, impositaque manu. sic precatur.

Domine Deus noster, qui per gloriosissimum Apostolum tuum Paulum, graduum ac ordinum seriem nobis præcepisti ad famulandum, & inserviendum venerandis, & immaculatis tuis mysteriis in sancto tuo Altari, primum quidem Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores. Tu Domine omnium, & hunc, qui suffragiis electus est, & dignus factus, qui subiret jugum Evangelicum, & Pontificiam dignitatem per manum mei peccatoris & præsentium ministrorum, & coepiscoporum, adventu, & virtute, ac gratia sancti tui Spiritus corrobora, ut sanctos tuos Apostolos, & prophetas corroborasti, ut Reges unxisti, ut Pontifices sanctificasti, ac irreprehensibilem ipsius Pontificatum demonstra, omnique morum gravitate, ac honestate exornans, sanctum ostende, ut dignus fiat, qui petat, quæ ad salutem populi pertinent, & a te exaudiatur. Quoniam sanctificatum est nomen tuum, glorificatum est regnum tuum Patris, & Filii, & Spiritus sancti nunc, & semper, & in sæcula sæculorum.

Et dicto Amen, dicit unus ex iis, qui una consecrant Pontificibus tenus voce itaut tantum audiant, qui adsunt Pontifices, & respondeant, hæc Diaconica. In pace Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro superna pace, & salute animarum nostrarum Dominum deprecemur. Kyrie eleison. Pro pace totius orbis, &c. Pro Archiepiscopo nostro N. Sacerdotio, adjutorio, perseverantia, pace, incolumitate, salute ipsius, & opere manuum ejus Dominum deprecemur. Pro servo Dei N qui nunc Episcopus promovetur, & salute ipsius Dominum deprecemur. Ut hominum amator Deus immaculatum, & irreprehensibilem Pontificatum ipsi largiatur, Dominum deprecemur. Pro hac Civitate, &c. Pro omnibus qui indigent Dei adjutorio, & auxilio, Dominum deprecemur. Ut nos liberemur omni tribulatione, &c. Auxiliare, salva, miserere, & custodi nos Deus tua gratia, Kyrie eleison. Sanctissimæ, intemeratæ, superbenedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semperque Virginis Mariæ mentione facta, nos ipsi, & alter alterum, totamque vitam nostram Christo Deo committamus. Tibi Domine.

His dictis Pontifex habens impositam capiti ejus, qui ordinatur, manum, sic precatur.

„ Domine Deus noster, qui eo quod natura hominis essentiam divinitatis tuæ sufferre nequeat, providentia tua, eadem nobiscum mortalitatis conditione præditos Doctores nobis constituisti. Qui vicem, & thronum tuum obtinent, ut offerant sacrificium, & oblationem pro sancto populo tuo. Tu Domine & hunc renunciatum dispensatorem Pontificiæ gratiæ, effice imitatorem tui veri pastoris ponentem animam suam pro ovibus tuis. Cæcorum ducem, lumen in tenebris degentium, præceptorum desipientium, doctorem insantium, luminare in mundo. Ut cum animas ipsi concreditas in hac præsenti vita ad perfectionem perduxerit, sistat se tribunali tuo sine ulla erubescentia & magnam mercedem recipiat, quam iis præparasti, qui pro Evangelii tui prædicatione decertarunt. Quoniam tuum est misereri, & salvare, Deus noster, & tibi gloriam offerimus Patri, & Filio, & Spiritui sancto, nunc, & semper, &c.

„ Et dicto Amen, aufert Evangelium, illudque deponit super sacram mensam, imponitque consecrato humerale (*hoc est pallium Archiepiscopale: Siquidem omnes Græcorum Episcopi utuntur*) dicens, dignus, quod similiter iterat Clerus. Deinde consecrans conseeratum amplectitur, reliqui quoque Episcopi eum salutant, & consueta acclamatione facta ascendunt, ut una sedeant cum Episcopo, primusque sedens, qui ordinatus est, dat pacem in Apostolum (hoc est recitata Epistola Apostoli in sacro, dicit, Pax tibi) & primus inter alios pretiosi corporis, & sanguinis Christi fit particeps, distribuitque communionem ipsi, qui eum ordinavit, tum cæteris.

Caput Secundum.

Quo ritu quique Ordines in specie conferantur apud Latinos.

Nihil hic dicemus de hodierno ritu, sed tantum de antiquo, quem Gregorius Magnus in suo Sacramentorum libro descripsit: sic autem habet:

Incipit Ordo ad sacros ordines benedicendos.

„ Majores gradus, ante Evangelium: minores vero post communionem dantur: & minores quidem Dominicis diebus si necesse est: majores autem in Sabbatis duodecim Lectionum per quatuor Tempora tantummodo.

Ordinatio Ostiarii.

„ Ostiarius cum ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ, dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur, & tradat ei Diaconus ostium Ecclesiæ.

Præfatio Ostiarii.

„ Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecamur, ut hos famulos ill. & ill. benedicere dignetur, quos in officium Ostiarii eligere dignatus est, ut &c.

Benedictio ejusdem.

„ Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos ill. & ill. Ostiarios, ut &c.

Ordinatio Lectoris.

„ Lector, cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem indicans ejus fidem ac vitam, atque ingenium: post hæc, spectante plebe, tradat ei codicem, de quo Lecturus sit, dicens:

„ Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei ministraverunt, &c.

Benedictio Lectoris.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulos tuos hos in officium Lectoris, ut assiduitate Lectionum, distincti atque ordinati, & agenda dicant, & dicta opere compleant, & in utroque sanctæ Ecclesiæ consulant. Per Dominum. „

Ordinatio Exorcistæ.

Exorcista, cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo. „

Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manum super Energumenum sive baptizatum, sive catechumenum. „

Præfatio Exorcistæ.

Deum Patrem omnipotentem supplices deprecamur, ut hos famulos tuos ill. & ill. benedicere dignetur in officium exorcistæ, ut &c. „

Benedictio Exorcistæ.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hos famulos tuos ill. & ill. in officium Exorcistæ, & ad impositionem manuum, & oris officium eos eligere digneris, ut imperium habeant spirituum immundorum coercendorum, & probabiles sint medici Ecclesiæ gratiæ, curationum virtute confirmati. Per Dominum. „

Ordinatio Acolythi.

Acolythus, cum ordinatur, primum ab Episcopo doceatur, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: accipiat & urceolum vacuum ad fundendum vinum in Eucharistia corporis Christi. „

Benedictio Acolythi.

Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, & origo bonitatis, qui per Jesum Christum filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusdem passionis mysterio redemisti, benedicere dignare hos famulos tuos, quos in Acolythi officium consecramus posceates tuam clementiam, ut eorum mentem & lumine scientiæ illustres, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum ministerium peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per eumdem Dominum nostrum. „

Ordinatio Subdiaconi.

Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, Patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu Archidiaconi accipiat urceolum cum aquamanili ac manutergium. Exhibeatur in conspectu Episcopi patena & calix vacuus, & dicat Episcopus: „

Vide, cujus ministerium tibi traditur: & ideo si usque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodo debes esse assiduus: si usque nunc somnolentus, amodo vigil: si usque nunc ebriosus, amodo sobrius; si usque nunc inhonestus, amodo castus..... ideo te admoneo: tu talem te exhibe, ut Deo placere possis. „

Et tradat calicem & patenam.

Oremos Deum, ac Dominum nostrum, ut super servos suos ill. & ill. quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem, & gratiam suam, ut &c.

Benedictio Subdiaconi.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus benedicere digneris famulos tuos hos, quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, uti eos sacrario tuo sancto strenuos, sollicitosque cœlesti militia instituas, & sanctis altaribus fideliter subministrent, & requiescat super eos Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilii, & fortitudinis, Spiritus sapientiæ, & pietatis. Repleas eos spiritu timoris tui, & eos ministerio divino confirmes, ut obedientes facto, atque dicto parentes, tuam gratiam consequantur. Per Dominum &c. In unitate ejusdem, &c. „

Ordo

Ordo qualiter in Romana Ecclesia Diaconi, & Presbyteri ordinandi sunt, mensis primi, quarti, septimi, & decimi Sabbatorum die duodecim Lect. ad sanctum Petrum, ubi missæ celebrantur. Postquam Antiphonam ad Introitum dixerint, data oratione, venit Archidiaconus, & offert eum qui ordinandus est, Pontifici ita dicens.

„ Postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc Præsentem Subdiaconum, ad onus Diaconi, vel Diaconum ad onus Presbyterii ordinetis.

Tunc annuntiat Pontifex populo dicens.

„ Auxiliante Domino Deo, & Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus in ordinem Diaconi sive Presbyterii ill. Subdiaconum sive Diaconum &c. Et post modicum intervallum incipiunt omnes, Kyrie eleison, cum Litania: hac expleta ascendunt omnes electi ad sedem Pontificis, & benedicit eos ad quod vocati sunt, & descendentes stant in ordine suo, benedictione percepta. Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. Ad ordinandum Diaconum, & Presbyterum, primum Oratio dicitur legendo. Et sequitur *Oratio*. (etenim dicitur: Vere dignum in consecratione.)

„ *Oremus*, Dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in sacrum ordinem dignatur assumere benedictionis suæ gratiam clementer effundat, &c.

Oremus.

„ Exaudi Domine preces nostras: & super hos famulos tuos spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditati, & tuæ gratiam possint majestatis acquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum &c. in unitate ejusdem, &c.

Consecratio.

„ Vere dignum, &c.

„ Adesto quæsumus omnipotens Deus, bonorum dator, ordinum distributor, officiorum dispositor.... emitte in eos, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi, septiformis gratiæ tuæ munere roborentur, &c. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

„ Presbyter, cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.

Oratio ad Presbyteros ordinandos.

„ Oremus, Dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, &c.

Oremus.

„ Exaudi nos, quæsumus, Domine, Deus noster: & super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus, & gratiæ Sacerdotalis effunde virtutem; ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum.

Consecratio.

„ Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus .... Da quæsumus in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem, innova visceribus eorum Spiritum sanctitatis... Sint probi cooperatores ordinis nostri, & luceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. Per eumdem Dominum nostrum, &c. in unitate, &c.

Hic imponitur ei Casula.

„ Benedictio Patris, & Filii, & Spiritus sancti, descendat super vos, ut sitis benedicti in ordine Sacerdotali, &c.

Consecratio Manus.

Consecrentur Manus istæ, quæsumus, Domine, & sanctificentur per istam unctionem, & nostram benedictionem, ut quæcumque benedixerint, benedicta sint: & quæcumque sanctificaverint, sanctificentur. Per.

Examinatio in ordinatione Episcopi ante litanium facienda.

Antiqua sanctorum Patrum institutio docet & præcipit, ut is qui ad ordinem Episcopatus eligitur, maxime ut legimus in canone Carthaginensi, antea diligentissime examinetur, &c.

Eademque authoritate & præcepto interrogamus te, Dilectissime frater, &c.

Episcopus, cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. Hoc facto, accipiat Patenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det ei dicens: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missamque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis.

Oratio ad ordinandos Episcopos.

Oremus, Dilectissimi nobis, ut his viris ad utilitatem Ecclesiæ providendam Electis, benignitas omnipotentis Dei, gratiæ suæ tribuat largitatem. Per Dominum nostrum.

Benedictio Episcoporum.

Propitiare Domine supplicationibus nostris: & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per.

Ad Annulum dandum.

Memor sponsionis, & dispensationis Ecclesiasticæ. Accipe annulum discretionis, & honoris fidei signum, &c.

Ad Baculum dandum.

Accipe Baculum sacri regiminis signum, ut imbeciles consolides, titubantes confirmes, &c.

Consecratio.

Deus bonorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus.... huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc quæsumus, Domine, gratiam largiaris..... Comple, Domine, in Sacerdote tuo mysterii tui summam & ornamentis totius glorificationis instructum, cœlestis unguenti flore sancti † fica. Hic mittatur chrisma super caput ejus. Hoc Domine, copiose in caput ejus † influat, hoc in oris subjecta † decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui spiritus virtus & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat, &c. Per.

Super Oblata.

Hæc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, &c.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo illi quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es; quæsumus, Domine, &c.

Ad Complendum.

Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, & cœlestis Remedii faciat esse consortes. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Qui ad veteres illos tum Græcæ tum Latinæ Ecclesiæ ritus attenderit, judicabit facile nihil a nobis de materia, forma, ministro, officiis ordinum hierarchicorum assertum fuisse, quod cum antiquitate non cohæreat.

FINIS DISSERTATIONIS NONÆ, de Ordinibus in specie.

DISSERTATIO DECIMA.

De Matrimonio prout est Civilis Contractus.

APUD Authores tria leguntur Matrimonii nomina. 1. A matre dicitur *Matrimonium* : potius quam *Patrimonium* a Patre, eo quod proles cujus causa institutum fuit, in matris utero gestetur ac nutriatur. 2. A velo quo in signum subjectionis obducebantur olim sponsarum capita, *Connubium* appellatur. 3. Vocatur *Conjugium* a communi jugo coi nubentes se se per mutuam corporum traditionem subjiciunt.

QUÆSTIO PRIMA.

De essentia Contractus Matrimonialis.

COnclusio. Contractus Matrimonialis definitur, Actio per quam vir & mulier corporum dominium ad usum conjugalem sibi invicem mutuo tradunt & accipiunt.

Probatur 1. Posita illa actione ponitur contractus Matrimonialis, & ea sublata omnino tollitur. 2. In matrimoniali contractu tria tantum possunt assignari, in quorum altero aut omnibus simul, constituta sit illius essentia: Actio nimirum per quam conjuges sibi invicem corpora tradunt; jus & potestas ad actum conjugalem; vinculum perpetuum quo inter se iidem conjuges ligantur. Atqui essentia contractus matrimonialis non consistit in mutuo jure quod conjuges habent in actum conjugalem: quippe quod sublato illo jure per alterius conjugis fornicationem, contractus minime rescindatur. Non est quoque posita in vinculo; vinculum enim est effectus matrimonialis contractus, non autem contractus ipse: Ergo consistit in actione per quam conjuges mutuam sibi invicem faciunt corporum potestatem: ac proinde ea actio id ipsum est quod proprie contractum matrimonialem appellamus.

Objicies 1. Actio per quam conjuges mutuam sibi invicem faciunt corporum potestatem, est mutuus conjugum consensus. Atqui sublato illo consensu remanet matrimonium, ut patet in iis qui deinceps revocant datum prius consensum.

Resp. post datum mutuum consensum non remanere matrimonium sumptum quoad essentiam, sic enim est aliquid transiens: Verum remauet quoad effectum, vinculum nempe quod oritur ex consensu qui præcessit.

Objicies 2. Actio per quam conjuges contrahunt, est causa efficiens matrimonii: ac proinde matrimonium non constituit intrinsece. Antecedens ostenditur ex Eugenio Papa IV. qui in decreto pro instructione Armenorum sic loquitur: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.*

Resp. ex Eugenii verbis hoc solum evinci, nempe mutuum consensum esse causam efficientem matrimonii, non quidem *in fieri* (ut vocant) seu, secundum substantiam, sed tantum *In facto esse*, seu quatenus matrimonium sumitur pro effectu quem producit.

Objicies 3. Canonistæ & antiquiores Scholastici matrimonium definiunt in ordine ad vinculum: ajunt enim ipsum nihil aliud esse quam conjunctionem maris & fœminæ qua firmatur individua vitæ societas: Afferunt post Magistrum Sententiarum matrimonium esse viri mulierisque conjunctionem maritalem inter legitimas personas: Nomine vero conjunctionis non intelligunt carnalem copulam; quippe quod asserant matrimonii essentiam stare absque carnali copula: Ergo ipsummet intelligunt matrimonii vinculum.

Resp. mirum non esse, quod rei alicujus definitio tradatur, vel per respectum ad illius aut affectus aut proprietates; hujus posterioris speciei ea est quam ex Canonistis & Scholasticis quibusdam adversarii nobis objiciunt.

QUÆSTIO SECUNDA.

De materia Contractus Matrimonialis.

HIC non agitur de materia quam Logici *Circa quam* appellant: certum est enim eam esse nubentium corpora, eum fiant alterius juris per matrimonialem consensum; sed est quæstio de materia *Ex qua*, seu ex qua constat matrimonii contractus. De ea vero quæri potest 1. utrum sit mutuus nubentium consensus. 2. Utrum ille consensus debeat esse tum externus tum internus. 3. An habeat pro objecto carnalem copulam.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum nubentium consensus sit materia ex qua constat matrimonii contractus?

COnclusio. Mutuus nubentium consensus est materia ex qua constat matrimonii contractus.

Probatur 1. Consensus matrimonium intrinsece componit: quippe qui sit actio per quam nubentes propria corpora sibi invicem tradunt: nec enim aliud excogitari potest per quod conjugum corpora mutni fiant juris in ordine ad prolis generationem. 2. ille consensus componit matrimonium per modum partis indeterminatæ, cum matrimonium non constituat nisi acceptetur, ac proinde, nisi ad ipsum per acceptationem determinetur.

Objicies 1. Potest esse matrimonium absque conjugum consensu, quippe quod absque prævio consensu vir & mulier mutuam habere possint potestatem in propria corpora in ordine ad actum conjugalem, Deo nimirum sic disponente, ut revera visus est olim disposuisse cum hisce verbis Oseæ præscripsit ut ad meretricem accederet: *Vade sume tibi uxorem fornicationis, & fac tibi filios fornicationis.*

Resp. eo in casu factam viro potestatem accedendi ad mulierem, efficere quidem ne peccet, at non constituere matrimonium. Porro Deum eam potestatem aliquando fecisse colligi non potest ex Oseæ exemplo: eum enim omnia suaviter disponat, verisimile est ipsum tum Prophetæ, tum meretricis animos in-

inclinasse ut ante copulam consentirent in matrimonium. Nec obstat quod filios ex ea meretrice procreatos Scriptura fornicationis filios appellet: siquidem illud nomen fortiti sunt ex turpitudine qua mater forduerat antequam nuberet cum Propheta: Ex eadem suavissima providentia elicitur Deum primos parentes non conjunxisse matrimonium nisi per mutuum in illud consensum; præsertim cum Adami & Evæ matrimonium futurum esset exemplar nuptiarum quas eorum posteri deinceps erant contracturi.

Objicies 2. Principes possunt cives compellere ad ineundos contractus a quibus abhorrent quam maxime, quibusve nequaquam consentiunt, v. g. ad vendendum frumentum annona premente, ad militandum etiam cum maximo vitæ periculo. Ergo invitos quoque cives possunt ad contractus matrimoniales compellere, si publicæ paci, aut incremento religionis expedierit.

Resp. eo sensu Principes posse compellere cives ad matrimonia, quod imperare possint ut in illa consentiant, sicut (ut patet in proposito casu) jubere possunt ut in frumenti divenditionem consentiant, idest, ut ineant venditionis contractum, quem tamen, sublato mandato Principis, inire detrectarent.

Articulus Secundus.

Utrum nubentium consensus tum externus tum internus esse debeat?

Conclusio 1. Mutuus nubentium consensus debet esse externus.

Probatur 1. Consensus matrimonium non constituit nisi acceptetur. Verum, si exterior, non fit, seu, nisi verbis aut signis aliquibus exprimatur, acceptari non poterit; siquidem, ut acceptetur, debet cognosci: cognosci vero non potest nisi per aliqua exteriora signa innotuerit. 2. Alioquin sequeretur posse conjugia celebrari inter homines qui multis leucarum millibus a se invicem distarent, possent nimirum fieri ut simul in nuptias consentirent. Id autem quam & Ecclesiæ & Reipublicæ foret detrimento nemo non videt. 3. Conclusionem nostram conceptis terminis tradit Eugenius Papa IV. in decreto pro instructione Armenorum: *Causa* (inquit) *efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Nec argumenti vim enervat adverbium, *Regulariter*, quasi *aliquando* fieri posset ut absque externo consensu staret matrimonium. Nam illud adverbium hisce vocibus; *Per verba expressus* conjungitur, nec mirum; aliquando siquidem non verbis, sed aliis signis matrimonialis consensus exprimitur, ut in mutis videre est.

Objicies 1. Votum interius emissum inducit debitum in foro conscientiæ quamvis exterius expressum non fuerit. Ergo & simile debitum importatur per matrimonium, licet consensus interius latuerit.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia Deus cui corda patent, acceptat votum interius emissum: at homines qui exteriora tantum vident, consensum qui mere internus sit, acceptare non possunt.

Objicies 2. Innocentius Papa III. cap. *Fraternitatis*, sic loquitur: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed quantum ad Ecclesiam necessaria sunt verba consensum exprimentia*. Ergo in foro externo taorum, non autem in foro conscientiæ, requiritur consensus qui signis exprimatur.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia ubi Innocentius definit, quantum ad Ecclesiam, requiri verba quæ internum consensum exprimant, de iis agit qui loqui possunt, atque præter nutus & signa, verba ab Ecclesia requiri, ne scilicet locus detur litibus quæ ex signis, alioquin æquivocis, oriri possent. Eum autem esse Innocentii sensum colligitur ex his quæ subjungit: *Nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis, scilicet per nutus*.

De iis quæ mox asserta sunt nullus est qui dubitet: verum gravis est inter Scolasticos quæstionum ad matrimonium necessario requiratur internus consensus, seu, utrum is vere nubat, qui libere omnino, seu nulla vi exteriore compulsus serio asserit, se in matrimonium consentire, quamvis interius reluctetur, ac intendat fallere conjugem, cui, servatis servandis, ait *Accipio te in meam*, Quænam sit nostra sententia subsequenti conclusione declarabitur.

Conclusio 2. Non est prorsus improbabilis sententia quæ asserit eum vere nubere, qui serio & nulla vi compulsus libere profert verba quibus matrimonialis consensus exprimitur, quamvis matrimonio interius reluctetur, intendatque fallere conjugem.

Probatur 1. authoritate Magistri Sent. qui dist. 27. sic loquitur. *Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi, vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt dicentes: Accipio te in virum; & ego te in uxorem, matrimonium facit*. Magistro Sentent. post plures Scholasticos subscribit pius & eruditus Contensonius, ubi agit de intentione quæ in ministris Sacramentorum requiritur.

Probatur 2. Fraus & dolus nemini debent patrocinari: ita enim colligitur ex Alexandro Papa III. *Extra de cognatione spirituali, cap. si vir, vel mulier*. Verum si is qui libere profert hæc verba, *Accipio te in meam*, vere non contraheret, fraus & dolus illi patrocinarentur: posset nimirum in foro externo impune frui amplexibus mulieris quam sic decepisset, & ea postmodum derelicta, recipere se in exteras provincias ubi cum alia muliere sine culpa contraheret. Si pariter quibus ob stuprum virgini illatum metus mortis juste incutitur, licet supremo magistratu sub pœna capitis imperante, protulisset hæc verba, *Accipio te in meam*, posset alio fugere, & tuta conscientia ducere mulierem alteram: ac proinde suprema curia (ut apud Gallos usus invaluit) defloratæ virginis honori & utilitati male consuluisset.

Probatur 3. In adversariorum systemate, incerta forent omnia fere matrimonia, ea præsertim quæ nobiles cum plebeis mulieribus iniissent. Cum enim maxima fuerit inter utrorumque statum disproportio, non levis esset præsumptio, quod illi nobiles exterius tantum consensissent in matrimonium, ut suæ libidini facerent satis; sicque mulieres debitum conjugale petere non possent ab illis nobilibus, ubi cum juramento testarentur se, dum verba proferrent nusquam in animo consensisse in matrimonium: Eæ mulieres eo etiam discriminis adducerentur, ut in facie Ecclesiæ cum aliis viris nubere non possent; quod quidem quam sit absurdum, nemo non videt.

Objicies. Innocentius Papa III. lib. 4. Decretalium, cap. *Tua nos*, definit matrimonium invalide fuisse in foro conscientiæ contractum a viro, qui, ut muliere frueretur, dixerat; *Te Joannes desponsat, eam ipse Joannes non vocaretur, sed finxit se vocari Joannem, non credens esse conjugium eo quod ipse non vocaretur hoc nomine*. Ante Innocentium sic quoque edixerat Nicolaus Papa I. *Sufficiat* (inquit apud Gratianum 17. qu 92.) *solus secundum leges consensus eorum, de quorum consensu & conjunctionibus agitur; qui solus si defuerit, quæcumque verba intervenerint, si consensus non sit in animo, cætera, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur*. Per has voces: *Quæcumque verba intervenerint*, Innocentius intelligit externum consensum, eas enim his aliis opponit: *Si consensus matrimoni non sit in animo*. Ergo, cum addit: *Nihil fit*, definire videtur externum consensum sine interno satis non esse ut matrimonium valeat.

Resp. in adolescente, de quo consultus fuerat Innocentius Papa III. non fuisse consensum in verba contractum matrimonialem exprimentia: credebat nimirum adolescens ille contractum matrimonialem non exprimi per verba quæ ab ipso proferebantur, imo contrarium arbitrabatur. Unde mirum non est quod invalide contraxerit. Sicut ergo qui nesciens

hæc

hæc verba: *Ego te baptizo, &c.* esse baptismi formam, imo credens non esse formam, ea tamen puerum abluens proferret, vere non baptiaaret: ita nec is verum iniret mattimonium qui nesciens hæc verba *Accipio te in meam*, vel *Te Joaanes desponsat*, exprimere contractum mattimonialem, ea tamen proferret exterius. Sed quemadmodum e contra vere baptizaret, qui verba de quibus agitur serio supra infautem in templo proferret, sic is vere nuberet, qui sciens verbis relatis exprimi consentum matrimonialem, serio ac in debitis circumstantiis ea proferret exterius quamvis interius reluctaretur. Alia quæ huc adduci possent argumenta lector tractata reperiet hujusce operis dissertatione 1. ubi de ministri intentione disputatum est.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum requisitus ad matrimonium consensus pro objecto copulam carnalem habeat?

COnclusio. Consensus matrimonialis non habet expresse pro objecto copulam carnalem, sed implicite tantum & in virtute.

Probatur prior pars. 1. Beata Virgo vere nupsit eum Josepho, & tamen nusquam in actum conjugalem consensit; id enin perfectissimæ illius virginitati repugnat. Mariæ exemplum quinto Ecclesiæ sæculo imitata Pulcheria, ut imperii & Ecclesiæ saluti consuleret, Marcianum probatum continentia duxit in matrimonium ea lege, ut virginitatem quam Deo voverat, in matrimonio servaret illibatam. 2. Copula carnalis non est de essentia matrimonii, ut hisce verbis docet Chrysostomus in Matthæum hom. 3t *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas*: Ergo neque consensus expressus in copulam est essentialis matrimonio.

Probatur altera conclusionis pars. Ad matrimonium satis non est consensus in individuam, perpetuamque cohabitationem: nihil enim vetat, quin frater & soror ex contractu perpetuo cohabitent, præstentque sibi obsequia rei familiari & castæ amicitiæ annexa: Requirirur igitur consensus in conjugalem vitæ societatem: Ea vero societas conjugalis includit implicite mutuam corporum traditionem ad exercendum conjugalem actum, ubi eum alter e conjugibus exposcerit.

Objicies in priorem conclusionis partem. 1. Apud Gratianum sic Augustinus loquitur: *Non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium* (hoc est, cum ea vere initum non fuisse matrimonium) *cum qua docetur non fuisse commixtionem sexus*. 2. Leo Magnus respondens ad inquisitiones Rustici Narbonensis, Epist. 92. hæc scribit: *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit ut præter sexuum conjunctionem, non haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium*. 3. Essentiale est matrimonio ut realem Christi cum humana natura conjunctionem exhibeat: Non exhibet autem absque carnali copula: sicut enim per copulam duo sunt una caro; ita ex unione duplicis in Christo naturæ una resultat persona.

Resp. ad 1. Gratianum immerito adscribere Augustino textum, cujus argumentum meminit. Præterea, cujuscumque sit ea sententia, hoc unum docet, mulierem de qua agitur non pertinere ad matrimonium sumptum secundum illius perfectionem accidentalem quæ quidem posita est in prolis generatione, quamvis pertineat ad ipsum secundum id quod est ipsi essentiale, nempe secundum mutuam conjugum in corpora potestatem.

Resp. ad 2. in laudata Leonis Epistola secundum Labbeanam editionem, non legi negationem: NON ante HABERET. Unde Leoninæ sententiæ hic Germanus est sensus: Concubina non est vera uxor, eo quod in illius cum viro conjunctione, non reperiatur mysterium unionis Christi cum Ecclesia: hæc nimirum unio indissolubilis est, illa vero dissolubilis, cum fornicarii, ab invicem debeant separari: *Itaque* (ait S. Pontifex) *aliud est uxor, aliud concubina.... Igitur cujuslibet loci Clericus, si filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit* (ut dederat is, de quo Leo Papa consultus fuerat) *non ita accipiendum est, quasi eam conjugato dederit*. Præterea, admissa negatione quam Gratianus textui Leonis inseruit, dicendum est per hæc verba: *Sexuum conjunctionem*, non significari carnalem copulam, sed vinculum quod resultat ex mutuo conjugum consensu. Ratio est, quia Leo magnus eo loci perstringit concubinatum, utpote non habentem *in se Christi, & Ecclesiæ Sacramentum*, nec enim (ut jam observatum est) exhibet indissolubilem Christi unionem cum Ecclesia per charitatem, quam tamen unionem exhibet matrimonium: licet ipsum copula carnalis non subsequatur: illius autem unionis metaphoricæ non vero realis quæ facta est per incarnationem, matrimonium est figura.

Objicies in alteram conclusionis Partem. Virgo Deipara verum iniit matrimonium cum Josepho, ut docet S. Thomas post antiquos Patres. Atqui virgo Deipara ne implicite quidem consensit unquam in actum conjugalem: ille scilicet consensus repugnat virginitatis voto quod (ut putat Cedrenus) emiserat circa undecimum ætatis annum. Nam (ut habet Hieronymus) iis, qui virginitatem voverunt, non solum nefas est consentire in copulam carnalem, sed etiam proprii corporis potestatem alteri facere, cum is qui eam facultatem facit, penes alterum id ponat quod emisso voto adversatur. Ergo ne tacitus quidem ad copulam consensus ad matrimonii essentiam requiritur.

Resp. 1. pluribus Theologis post Doctorem Angelicum, persuasum esse Mariam non emisisse absolutum votum virginitatis antequam Josepho tradita fuisset in matrimonium, sed postea tantum, & quidem de illius consensu. 2. Authores quibus placet absolutum illud Mariæ votum præcessisse illius matrimonium, contendunt virginem sacram didicisse per revelationem Josephum nusquam ab ea petiturum esse conjugale debitum. *Sed quia* (inquit Augustinus lib. de sancta Virginitate cap. 4.) *hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa jam voverat*.



QUÆSTIO TERTIA.

De Authore contractus matrimonialis.

COnclusio. Deus ipse matrimonium instituit ante lapsum Adami, confirmavit in lege Mosaica, & tandem in Evangelica probavit.

Probatur prior pars. 1. Deus est author eorum ad quæ natura sana & integra hominem inclinat, cum natura sana sit Dei effectus. Atqui integra & sana natura hominem inclinat ad matrimonium; ipsum scilicet inclinat ad prolis tum generationem, tum nutritionem. tum educationem: quæ quidem sine parentibus vinculo indissolubili colligatis, ac proinde absque matrimonio, ex quo illud vinculum oriatur, fieri minime possunt. 2. Deus primos parentes creavit differentes sexu, at non ob alium finem quam ad generationem prolis, juxta illud Genesis; *Crescite, & multiplicamini*. 3. Statim post creationem conjunxit eos arctissima societate, quam Adamus de Eva loquens sic expressit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Sed arctissima illa societas fuit societas matrimonialis, ad quam Adamus alludens hæc protulit prophetico spiritu: *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Christus Matt. 19. societatem illam proposuit tamquam earum exemplar quæ deinceps inter conjuges contractæ fuerunt. Ex eo etiam quod Deus Adamum olim cum Eva per matrimonium conjunxerit, infert Deum nubentes con-

Jun-

jungere nexu quem humana potestas solvere non possit: *Quod ergo Deus conjunxit* (inquit) *homo non separet*.

Probatur altera conclusionis pars. 1. Christus (ut mox observatum est) a Judæis olim de repudio interrogatus, respondit Deum ipsum authorem esse maritalis conjunctionis quæ suo tempore a Judæis celebrabatur: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. 2. Deus Deuteronomii 25. injungit fratri superstiti ut in matrimonium ducat uxorem a fratre sine liberis relictam. 3. Conjugium (ut dicemus agentes de necessitate matrimonii) omnibus Israelitis, cum Dei populus esset exiguo numero, divinitus præceptum est.

Probatur tertia ejusdem nostræ conclusionis pars, 1. Evangelii Joannis capite secundo, Christus cum matre & discipulis nuptiis in oppido Cana celebratis adfuisse legitur: Eas igitur præsentia sua probatas voluit. 2. Apostolus I. ad Timoth. IV. eos argui vult qui tunc damnabant nuptias, eosve a quibus deinceps erant damnandæ: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris .... prohibentium nubere &c.* Quinam vero fuerint ii hæretici de quibus Paulus loquitur, sententia est Chrysostomi in hunc locum, hos fuisse Encratitas, Marcionitas, & Manichæos. Verum ante illos, ipsis Apostolorum temporibus, quæ id docuerunt hæreses prodiere; hec enim Ignatius ad Philadelphios scribit post damnatam Ebionis hæresim: *Si quis universa hæc confiteatur, sed legitimam commixtionem, & liberorum procreationem corruptionem & corruptelam appellat... talis apostata illum draconem in se habentem fovet*. Sed quinam fuerit ejusmodi Dogmatistes Iren. lib. 1. cap. 22. aperte significat, nimirum impium Saturninum ejusque gregales de quibus hæc scribit: *Nubere & generare, a satana dicunt esse*.

Objicies in priorem partem conclusionis. Multi Patres docuerunt inter Adamum innocentem & Evam nullum omnino fuisse matrimonium, nullumque futurum fuisse deinceps, si ipsi in gratia stetissent. Ita Chrysostomus homilia 18. in Genesim, ubi ait Deum in illa suppositione multiplicaturum fuisse genus humanum modo quodam nobis incognito. Ita enim Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 19. credebat tunc S. Pater (ut ipsemet testatur lib. 14. de Civit. Dei cap. 21.) stantibus in innocentia primis parentibus, nullos alios homines futuros fuisse. Ita quoque Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa c. 30. ubi contendit quod, licet Adamus non cecidisset, futuri quidem fuissent homines, non quidem per generationem, sed per similem modum, quo in paradiso productus est primus parens. Ergo, ex illis patribus, Deus in statu naturæ innocentis matrimo-nium non instituit.

Resp. ad 1. laudatos Patres id quidem propugnasse quod in objectione relatum est. Verum contraria est aliorum omnium unanimis sententia, quam & Augustinus, priore retractata, in posterioribus suis libris constanter asseruit, ut patet ex libro 14. de Civitate Dei a capite 26. usque ad 27. nec non ex lib. 1. retract. cap. 10. 13. & 19. Nec sunt alicujus momenti rationes, quibus in defensionem suæ opinionis utebantur illi Patres. Primo enim non fuisset inconveniens, (ut putant,) quod per commixtionem conjugum violata fuisset virginitas sumpta secundum integritatem materni uteri. Præterquam quod dici potest cum Augustino lib. 14. de Civit. Dei c. 26. futuram fuisse in fœminis parientibus uteri materni relaxationem absque carneæ integritatis detrimento. Secundo libido, quæ nunc actum conjugalem comitatur, non extitisset in Adamo, aut ejus posteris innocentibus; est enim pœna peccati.

Objicies in tertiam partem conclusionis. Illicitum est matrimonium in nova lege: illud igitur non probavit Christus. Probatur ant. ex Apostolo, qui 1. ad Corinth. 7. conjugium concedit tantum ex indulgentia, seu ex venia: *Hoc* (inquit) *dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*. Atqui venia non nisi peccati est, dicente August. lib. de peccato orig. c. 38.

Respondet S. Augustinus libro de bono conjugali cap. x. ubi hæc ait: *Non nuptias sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam non sola causa procreandi, & aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci imperant*.

QUÆSTIO QUARTA.

De proprietatibus contractus matrimonialis.

PRoprietates contractus matrimonialis ad tres reduci possunt, unitatem nimirum, indissolubilitatem & necessitatem, quas hic operæ pretium est seorsim exponere.

CAPUT PRIMUM.

De matrimonialis contractus unitate.

DUobus modis matrimonium potest esse unum, vel quia unus cum una tantum muliere simul nubit; vel quia priore conjuge mortua, alteram postea ducit. Priori unitati opponitur Polygamia simultanea; posteriori vero successiva: proindeque ut utraque matrimonii unitas explicetur, de utraque Polygamia differamus oportet.

ARTICULUS PRIMUS.

De Polygamia simultanea.

HOC in articulo quæremus 1. Quinam tum in lege naturæ, tum in Mosaica, tum in Evangelica simultaneæ polygamiæ antiquitus faverint; 2. Quid de ea senserint tum Calvinistæ, tum Lutherani. 3. Quo jure prohibita sit.

§. I.

Quinam simultaneæ Polygamiæ antiquitus faverint?

PRimus inter mortales, qui cum duabus simul mulieribus nupserit, est Lamech, septimus ab Adam ex posteritate Cain: *Mathusael genuit Lamech* (inquit Scriptura Genes. 4.) *qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella*. Lamech exemplum imitati sunt postea Gentiles; impellente nimirum libidine, plures simul uxores duxerunt. Invaluerat illa consuetudo in Mesopotamia Isaaci temporibus: docemur nimirum Gen. cap. 29. Laban ethnicum duas filias Liam & Rachel Jacob simul in matrimonium obtulisse: *Non est in loco nostro consuetudinis* (verba sunt quibus Laban excusabat se quod Liam Rachelis loco Jacobo supposuisset*, ut minores ante tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi .... acquievit placito, & Rachel duxit uxorem*.

II. Exemplum Abrahami, qui primus inter sanctos cum pluribus simul uxoribus nupsit, Polygamiæ viam aperuit veri Dei cultoribus: Ii nempe, non ut libidini facerent satis, sicut gentiles, sed ut fideles populi multiplicationi consulerent, plurima simul iniere matrimonia.

III. Moyses polygamiam tamquam morem qui in communi esset Israelitarum usu recenset Deuteronomii cap. 21. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam & alteram odiosam &c.* Idem S. Legislator polygamiam simultaneam non recensuit modo tamquam usum apud gentem suam maxime tritum; sed etiam præcepit uno in casu, ubi nempe germanus frater sine liberis obiisset; tunc enim frater qui esset superstes, jubebatur mortui viduam ducere

in

in matrimoniom, ut eidem mortuo suscitaret hæredem.

IV. Primus qui inter Christianos polygamiam probarit, esse fertur Valentinianus senior. Is (Socrate teste lib. 4. historiæ cap. 26.) nupsit cum Justina, quam deperibat, vivente Severa, quam prius duxerat in matrimonium: quo vero id exequeretur facilius legem tulit qua omnibus imperii subditis indultum est, ut, pro libito pluribus simul uxoribus nuberent. Sed hæc ejusdem Socratis verbis enarranda sunt: *Imperator uxoris* (Severæ) *verba* (de eximia Justinæ forma) *mente interiori recondens, consilium de Justina in uxorem ducenda init, Severa nequaquam repudiata. Quare legem tulit, ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas, eamque in singulis civitatibus divulgavit. Lege itaque divulgata, ipse Justinam duxit uxorem ex qua Valentinianum juniorem, & tres filias, Justam, Gratam, & Gallam procreavit.*

Verum facili negotio calumnia ejusmodi depelli potest a Valentiniano. 1. Hieronymus, Orosius, aliique sæculi, quo hæc contigisse feruntur, scriptores Latini, de eo Valentiniani facto, de lege ab eo lata omnino siluerunt, quamvis de polygamia non semel habuerint sermonem. Sozomenus, Theodoretus aliique, qui tunc vixere. Scriptores Græci, id omne, quod Socrates refert, prætermisere, licet cætera quæ ad Valentinianum spectant, suis historiis commendaverint. 3. Zozimus, Ammianus, authores ethnici nusquam rerum, quas Socrates enarrat, meminerunt, relaturi alioqnin in libros de Valentiniano a se conscriptos in odium religionis Christianæ, præsertim cum antiquæ Romanorum idololatrarum leges tolerarent quidem plures concubinas, prohiberent vero nuptias cum pluribus quæ essent uxorum & honore & loco: *Neminem* (verba sunt legis latæ a Diocletiano & Maximiano Augustis. L. 1, Cod. ad leg. Jul. de adult.) *qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse vulgo putet: cum etiam in edicto Prætoris hujusmodi viri infamia notati sint. Quam rem competens judex inultam esse non patiatur.* 4. Si ab Imperatore emanasset lex, de qua Socrates, Damasus, qui tunc Catholicæ Ecclesiæ præerat, compulisset, aut saltem hortatus fuisset Imperatorem ut relicta Justina, uni Severæ adhæreret, S. Pontifex constanter obstitisset iniquo decreto quo disciplina Christiana penitus solvebatur. 5. Si muti canis adinstar siluisset Damasus, reperti fuissent aliqui in orbe Episcopi qui se murum opposituri fuissent pro domo Israel, damnaturique fuissent decretum oppositurum e diametro ordinationi divinæ: Alioquin enim & Damasus, & cæteri omnes orbis Episcopi aut turpis ignaviæ, aut hæreseos rei facti fuissent juxta celebrem hanc Leonis magni sententiam ad Turibium Asturicensem: *Qui alium ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat*; cui quidem effato simile est illud Felicis Papæ III. in Epist. ad Acacium Constantinopolitanum: *Error, cui non resistitur, approbatur: & veritas quæ minime defensatur, opprimitur. Non caret scrupulo societatis occultæ qui evidenter facinori desinit obviare.* 6. Tandem si vere lata fuisset illa lex, quam Socrates recenset; quos tunc reperire fuisset Christianos, qui, ut Imperatorem sibi demererentur, illius exemplum secuti fuissent; quod tamen nullibi contigit. Dicendum est igitur Valentinianum Seniorem duxisse quidem Justinam in matrimonium, sed post Severæ prioris uxoris obitum, cujus nulla postea mentio prorsus habetur.

§. II.

Quid tum Calvinus, tum Lutherus de polygamia simultanea senserint.

CEnsuit Calvinus polygamiam simultaneam repugnare juri tum naturali tum divino: hincque concludit (sed immerito, ut suo loco dicemus) sanctos Patriarchas reos factos fuisse adulterii, (quod tamen Deus ipsis non imputaverit quod essent ex prædestinatorum numero) cum pluribus simul mulieribus adhæsere.

Bellarminus lib. 1. de Sacramento Matrimonii cap. xi. Lutherum insimularat, quasi docuerit nullo divino aut naturali jure prohibitam esse polygamiam simultaneam. Quidam Lutheri discipuli id infamiæ a suo Patriarcha depellere conati sunt. Verum prætermissis pluribus argumentis quibus revinci possunt, hic describenda sunt monumenta quibus certo constat Martinum Lutherum, aliosque præcipuos ejus gregales definisse Philippo Landgravio Hassiæ licere vivente adhuc nec repudiata priore conjuge, alteri nubere; reveraque iis consentientibus & approbantibus nupsisse. Publici juris ea monumenta facta sunt tum a Carolo Ludovico Palatino Comite, qui paucis ab hinc annis obiit, tum a Principe Ernesto Hassiæ ex Philippi Hassiæ Landgravii posteris: reperire est quoque eadem monumenta apud Illustrissimum Jacobum Benignum Bossuetium ad calcem lib. 6. historiæ de Variationibus. Complectuntur vero 1. instructionem ea de re Bucero creditam ab ipsomet Landgravio 2. Lutheri ad eumdem Landgravium consultationem. 3. Publicum notariorum instrumentum quo constat Landgravium post receptam Lutheri consultationem aliud matrimonium, stante adhuc priore, contraxisse.

INSTRUTIO.

QUID DOCTOR MARTINUS BUCER apud Doctorem Martinum Lutherum, & Philippum Melancthonem sollicitare debeat, & si id ipsis rectum videbitur, postmodum apud Electorem Saxoniæ.

I. P*RIMO ipsis gratiam & fausta meo nomine denuntiet, & si corpore animoque adhuc bene valerem, quod id libenter intelligerem. Deinde incipiendo quod ab eo tempore quo me noster Dominus Deus infirmitate visitavit, varia apud me considerassem, & præsertim quod in me repererim quod ego ab aliquo tempore, quo uxorem duxi, in adulterio & fornicatione jacuerim. Quia vero ipsi & mei prædicantes sæpe me adhortati sunt, ut ad Sacramentum accederem: Ego autem apud me talem præfatam vitam deprehendi, nulla bona conscientia aliquot annis ad Sacramentum accedere potui. Nam quia talem vitam* DESERERE NOLO, *qua bona conscientia possem ad mensam Domini accedere? Et sciebam per hoc non aliter quam ad judicium Domini, & non ad Christianam confessionem me perventuram. Ulterius legi in Paulo pluribus quam uno locis quomodo nullus fornicator, nec adulter regnum Dei possidebit. Quia vero apud me deprehendi quod apud meam uxorem præsentem a fornicatione ac luxuria, atque adulterio abstinere non possim, nisi ab hac vita desistam, & ad emendationem me convertam: nihil certius habeo expectandum quam exhæredationem a regno Dei & æternam damnationem. Causæ autem, quare a fornicatione, adulterio, & his similibus abstinere non possim apud hanc meam præsentem uxorem, sunt istæ.*

II. Primo quod initio, quo eam duxi, nec animo, nec desiderio eam complexus fuerim. Quali ipsa quoque complexione, amabilitate, & odore sit, & quomodo interdum se superfluo potu gerat, hoc sciant ipsius aulæ Præfecti, & Virgines, aliique plures: eamque ad ea describenda difficultatem habeam, Bucero tamen omnia declaravi.

III. Secundo, quia valida complexione, ut medici sciant, sum, & sæpe contigit ut in fœderum & imperii comitiis diu verser, ubi laute vivitur, & corpus curatur, quomodo me ibi gerere queam absque uxore, cum non semper magnum Gynæceum mecum ducere possim, facile est conjicere & considerare.

IV. Si porro diceretur quare meam uxorem duxerim, vere imprudens homo tunc temporis fui & ab aliquibus meorum Consiliariorum, quorum potior pars defuncta est, ad id persuasus sum. Matrimonium meum ultra tres septimanas non servavi, & sic constanter perreni.

V. Ulterius me Concionatores constanter urgent, ut scelera puniam, fornicationem, & alia; quod etiam libenter facerem: quomodo autem scelera, quibus ipsemet immer-

mersus sum, puniam, ubi omnes dicerent: magister prius te ipsum puni. Jam si deberem in rebus evangelicæ confœderationis bellare, tunc id semper malæ conscientiæ fucerem & cogitarem: si tu in hac vita gladio, vel selopeto, vel alio modo occubueris, ad Dæmonem perges. Sæpe Deum interea invocavi, & rogavi; sed semper idem remansi.

VI. Nunc vero diligenter consideravi scripturas antiqui & novi Testamenti, & quantum mihi gratia Deus dedit, studiose perlegi, & ibi nullum aliud consilium nec medium invenire potui; cum videam quod ab hoc agendi modo penes modernam uxorem meam NEC POSSIM, NEC VELLIM abstinere (quod coram Deo testor) quam talia media adhibendo, quæ a Deo permissa nec prohibita sunt. Quod pii Patres ut Abraham, Jacob, David, Lamech, Salomon & alii, plures quam unam uxorem habuerint, & in eumdem Christum crediderint, in quem nos credimus, quemadmodum S. Paul. ad Cor. X. ait; Et præterea Deus in veteri Testamento tales sanctos valde laudarit: Christus quoque eosdem in novo Testamento valde laudat, insuper lex Moysis permittit, si quis duas uxores habeat, quomodo se in hoc genere debeat.

VII. Etsi objiceretur Abrahamo, & antiquis concessum fuisse propter Christum promissum, invenitur tamen clare quod lex Moysis permittat, & in eo neminem specificet ac dicat, utrum duæ uxores habendæ & sic neminem excludit. Etsi Christus solum promissus sit stemmati Judæ, & nihilominus Samuelis pater, rex Acab, & alii, plures uxores habuerunt, qui tamen non sunt de stemmate Juda. Idcirco hoc, quod istis id solum permissum fuerit propter Messiam, stare non potest.

VIII. Cum igitur nec Deus in antiquo, nec Christus in novo Testamento, nec Prophetæ, nec Apostoli prohibeant, ne vir duas uxores habere possit; nullus quoque Propheta, vel Apostolus propterea Reges, Principes, vel alias personas punierit aut vituperarit, quod duas uxores in matrimonio simul habuerint, neque pro crimine aut peccato, vel quod Dei regnum non consequentur, judicarit; cum tamen Paulus multos indicet qui regnum Dei non consequentur, & de his qui duas uxores habent, nullam omnino mentionem faciat. Apostoli quoque cum gentibus indicarent quomodo se gerere & a quibus abstinere deberent, ubi illos primo ad fidem receperant, uti in Actis Apostolorum est; de hoc etiam nihil prohibuerunt, quod non duas uxores in matrimonio habere possent; cum tamen multi Gentiles fuerint qui plures quam unam uxorem habuerunt: Judæis quoque non prohibitum fuit, quia lex illud permittebat, & est omnino apud aliquos in usu. Quando igitur Paulus clare nobis dicit oportere Episcopum esse unius uxoris virum, similiter & Ministrum: absque necessitate fecisset, si quivis tantam unam uxorem deberet habere, quod id ita præcepisset, & plures uxores habere prohibuisset.

IX. Et post hæc ad hanc diem usque in Orientalibus regionibus aliqui Christiani sunt, qui duas uxores in matrimonio habent. Item Valentinianus Imperator, quem tamen Historici, Ambrosius, & alii Docti laudant, ipsemet duas uxores habuit, legem quoque edi curavit; quod alii duas uxores habere possent.

X. Item, licet quod sequitur non multum curem, Papa ipsemet Comiti cuidam qui sanctum sepulchrum invisit, & intellexerat uxorem suam mortuam esse, & ideo aliam vel adhuc unam acceperat, concessit ut is utramque retinere posset. Item scio Lutherum & Philippum Regi Angliæ suasisse, ut primam uxorem non dimitteret, sed aliam præter ipsum duceret quemadmodum præter propter consilium sonat. Quando vero in contrarium opponeretur, quod ille nullum masculum hæredem ex prima habuerit, judicamus nos plus hic concedi oportere ejusque quam Paulus dat, unumquemque debere uxorem habere propter fornicationem. Nam utique plus situm est in bona conscientia, salute animæ, christiana vita, abstractione ab ignominia & inordinata luxuria, quam in eo at quis hæredes vel nullos habeat. Nam omnino plus anima quam res temporales curanda sunt.

XI. Itaque hæc omnia me permoverunt, ut mihi proposuerim, quia id cum Deo fieri potest, sicut non dubito, abstinere a fornicatione, & omni impudicitia, & via, quam Deus permittit, uti, Nam diutius in vinculis diaboli constrictus perseverare non intendo, & alias absque hac via me perseverare NEC POSSUM, NEC VOLO, Quare hæc sit mea ad Lutherum, Philippum & ipsum Bucerum petitio, ut mihi testimonium dare velint, si hoc facerem, illud illicitum non esse.

XII. Casu quo autem id ipsi hoc tempore propter scandalum, & quod Evangelicæ rei id fortassis præjudicare aut nocere posset, publice typis mandare non vellent; petitionem tamen meam esse, ut mihi scripto testimonium dent: si id occulto facerem me per id non contra Deum egisse, & quod ipsi etiam id pro matrimonio habere, & cum tempore viam inquirere velint, quomodo res hæc publicanda in mundum, & qua ratione persona quam ducturus sum, non pro inhonesta, sed etiam pro honesta habenda sit. Considerare enim possent, quod alias personæ quam ducturus sum graviter accideret, si illa pro tali habenda esset quæ non Christiane vel inhoneste ageret. Postquam etiam nihil occultum remanet, si constanter itu permanerem, & communis Ecclesia nesciret quomodo huic personæ cohabitarem, utique hæc quoque tractu temporis scandalum causaret.

XIII. Item non metuant quod propterea etsi aliam uxorem acciperem, meam modernam uxorem male tractare, nec cum ea dormire, vel minorem amicitiam ei exhibere velim, quam antea feci: sed me velle in hoc casu crucem portare, & eidem omne bonum præstare, neque ab eadem abstinere. Volo etiam filios quos ex prima uxore suscepi, Principes regionis relinquere, & reliquis aliis honestis rebus prospicere: esse proinde adhuc semel petitionem meam, ut per Deum in hoc mihi consulant, & me juvent in iis rebus, quæ non sunt contra Deum ut hilari animo vivere & mori, atque Evangelicas causas omnes eo liberius, & magis Christiane suscipere possim. Non quidquid me jusserint quod Christianum & rectum sit, SIVE MONASTERIORUM BONA, seu alia concernat, ibi me promptum reperient.

XIV. Vellem quoque & desiderio non plures quam tantum unam uxorem ad istam modernam uxorem meam. Item ad mundum vel mundanum fructum hac in re non nimis attendendum est; sed magis Deus respiciendus, & quod hic præcipit, prohibet, & liberum relinquit. Nam Imperator & mundus me & quemcumque permittent, ut publice meretrices retineamus; sed plures quam unam uxorem non facile concesserint: Quod Deus permittit hoc ipsi prohibent: quod Deus prohibet, hoc dissimulant, & videtur mihi sicut matrimonium Sacerdotum. Nam Sacerdotibus nullas uxores concedunt, & meretrices retinere ipsis permittunt. Item Ecclesiastici nobis adeo infensi sunt, ut propter hunc articulum quo plures Christianis uxores permitteremus, nec plus nec minus nobis facturi sint.

XV. Item Philippo et Luthero postmodum indicabit, si apud illos, præter omnem tamen opinionem meam, de illis nullam opem inveniam; tum me varias cogitationes habere in animo, quod velim apud Cæsarem pro hac re instare per mediatores, etsi multis mihi pecuniis constaret, quod Cæsar absque Pontificis dispensatione non faceret; quamvis etiam Pontificum dispensationem omnino nihili faciam: verum Cæsaris permissio mihi omnino non esset contemnenda; quam Cæsaris permissionem omnino non curarem, nisi scirem quod propositi mei rationem coram Deo haberem, et certius esset Deum id permisisse quam prohibuisse.

XVI. Verum nihilominus ex humano metu, si apud hanc partem nullum solatium invenire possem, Cæsareum consensum obtinere uti insinuatum est, non esset contemnendum. Nam apud me judicabam si aliquibus Cæsareis Consiliariis egregias pecuniæ summas donarem, me omnia ab ipsis impetraturum, sed præterea timebam, quamvis propter nullam rem in terra ab Evangelio deficere, vel eam divina ope me permittere velim induci ad aliquid quod evangelicæ causæ contrarium esse posset: ne Cæsareani tamen me in aliis sæcularibus negotiis ita uterentur et obligarent ut isti causæ et parti non foret utile: esse idcirco adhuc petitionem meam, ut me alias juvent, ne cogar rem in iis locis quærere, ubi id non libenter facio, et quod millies libentius ipsorum permissioni quam cum Deo et bona conscientia facere possunt, confidere velim, quam Cæsarea vel ALIIS HUMANIS permissionibus: quibus tamen non ulterius confiderem

nisi

nisi antecedenter in divina Scriptura fundata essent, uti superius est declaratum.

XVII. Denique iterato est mea petitio ut Lutherus, Philippus, & Bucerus mihi hac in re scripto opinionem suam velint aperire, ut posteavitam meam emendare, bonaconscientiaad Sacramentum accedere, & omnia negotia nostra Religionis eo liberius & confidentius agere possim.

Datum Melsingæ Dominica post Catharina anno 1539.

PHILIPPUS LANTGRAVIUS HASSIÆ.

CONSULTATIO LUTHERI & aliorum super Polygamin.

Serenissimo Principi Domino PHILIPPO LANTGRAVIO ASSIÆ, Comiti in Catzenlembogen, Diets, Ziegenhain, & Nidda, nostro clementi Domino, gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum.

SERENISSIME PRINCEPS ET DOMINE.

I. P*ostquam vestra celsitudo per Dominum Bucerum diuturnas conscientiæ suæ molestias, nonnullas simulque considerationes indicari curavit, addito scripto seu instructione quam illi vestra celsitudo tradidit; licet ita properanter expedire responsum difficile sit, noluimus tamen Dominum Bucerum, reditum utique maturantem sine scripto dimittere.*

II. In primis sumus ex animo recreati, & Deo gratias agimus, quod vestram celsitudinem difficili morbo liberaverit, petimusque, ut Deus celsitudinem vestram in corpore & animo confortare & conservare dignetur.

III. Nam prout celsitudo vestra videt, paupercula & misera Ecclesia est exigua & derelicta, indigens probis Dominis Regentibus, sicut non dubitamus Deum aliquos conservaturum, quantumvis tentationes diversæ occurrant.

IV. Circa quæstionem quam nobis Bucerus proposuit, hæc nobis occurrunt consideratione digna: celsitudo vestra per se ipsam satis perspicit, quantum differant universalem legem condere, & in certo casu gravibus de causis ex concessione divina, dispensatione uti; nam contra Deum locum non habet dispensatio.

V. Nunc suadere non possumus, ut introducatur publice, & velut lege sanciatur permissio plures quam unam, uxores ducendi. Si aliquid hac de re prælo committeretur facile intelligit vestra celsitudo, id præcepti instar intellectum & acceptatum iri, unde multa scandala et difficultates orirentur. Consideret, quæsumus, celsitudo vestra quam sinistre acciperetur, si quis convinceretur hanc legem in Germaniam introduxisse, quæ æternarum litium et inquietudinum (quod timendum) futura esset seminarium.

VI. Quod opponi potest, quod coram Deo æquum est id omnino permittendum, hoc certa ratione et conditione est accipiendum. Si res est mandata et necessaria, verum est quod objicitur; si nec mandata, nec necessaria sit, alias circumstantias oportet expendere, ut ad propositam quæstionem propius accedamus: Deus matrimonium instituit ut tantum duarum et non plurium personarum esset societas, si natura non esset corrupta; hoc intendit illa sententia: erunt duo in carne una, idque primitus fuit observatum.

VII. Sed Lamech pluralitatem uxorum in matrimonium invexit, quod de illo Scriptura memorat tamquam introductum contra primam regulam.

VIII. Apud infideles tamen fuit consuetudine receptum; postea Abraham quoque et posteri ejus plures duxerunt uxores. Certum est hoc post legem Mosis permissum fuisse, teste Scriptura, Deut. 2. l. 1. at homo haberet duas uxores: nam Deus fragili naturæ aliquid indulsit. Cum vero principio et creationi consentaneum sit unica uxore contentum vivere, hujusmodi lex est laudabilis, et ab Ecclesia acceptanda, nec lex huic contraria statuenda; nam Christus repetit hanc sententiam: Erunt duo in carne una Matth. 19. et in memoriam revocat quale matrimonium ante humanam fragilitatem esse debuisset.

IX. Certis tamen casibus locus est dispensationi. Si quis apud exteras nationes captivus ad curam corporis et sanitatem, inibi alteram uxorem superinduceret, vel si quis haberet leprosam: his casibus alteram ducere cum consilio sui Pastoris, non intentione novam legem inducendi, sed suæ necessitati consulendi, hunc nescimus, qua ratione damnare liceret.

X. Cum igitur aliud sit inducere legem, aliud uti dispensatione, obsecramus vestram celsitudinem ut sequentia velit considerare.

Primo ante omnia cavendum, ne hæc res inducatur in orbem ad modum legis, quam sequendi libera omnium sit potestas. Deinde considerare dignetur vestra celsitudo scandalum nimium, quod Evangelii hostes exclamaturi sint, nos similes esse Anabaptistis, qui simul plures duxerunt uxores. Item evangelicos eam sectari libertatem plures simul ducendi quæ in Turcia in usu est.

XI. Item Principum facta latius spargi quam privatorum consideret.

XII. Item consideret privatas personas, hujusmodi principum facta audientes facile eadem sibi permissa persuadere, prout apparet talia facile irrepere.

XIII. Item considerandum celsitudinem vestram abundare nobilitate efferi spiritus, in qua multi, uti in aliis quoque terris sint, qui propter amplos proventus, quibus ratione cathedralium beneficiorum perfruuntur, valde Evangelio adversantur. Non ignoramus ipsi magnorum nobilium valde insulsa dicta; et qualem se nobilitas et subdita ditio erga celsitudinem vestram sit præbitura, si publica introductio fiat, haud difficile est arbitrari.

XIV. Item celsitudo vestra, quæ Dei singularis est gratia, apud Reges et potentes etiam exteros magno est in honore et respectu, apud quos merito est, quod timeat ne hæc res pariat nominis diminutionem. Cum igitur hic multa scandala confluant, rogamus celsitudinem vestram, ut hanc rem maturo judicio expendere velit.

XV. Illud quoque est verum quod celsitudinem vestram omni modo rogamus & hortamur ut fornicationem & adulterium fugiat. Habuimus quoque, ut quod res est, loquamur, longo tempore non parvum mœrorem, quod intellexerimus vestram celsitudinem ejusmodi impuritate oneratam, quam divina ultio, morbi, aliaque pericula sequi possent.

XVI. Etiam rogamus celsitudinem vestram ne talia extra matrimonium, levia peccata velit æstimare, sicut mundus hæc ventis tradere & parvipendere solet. Verum Deus impudicitiam sæpe severissime punivit, nam pœna diluvii tribuitur Regentum adulteriis. Item adulterium Davidis est severum vindictæ divinæ exemplum, & Paulus sæpius ait: Deus non irridetur. Adulteri non introibunt in regnum Dei: nam fidei obedientia comes esse debet, ut non contra conscientiam agamus, 1. Timoth. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, possumus læti Deum invocare; & Rom. 8. Si carnalia desideria spiritu mortificaverimus, vivemus; si autem secundum carnem ambulemus; hoc est, si contra conscientiam agamus, moriemur.*

XVII. Hæc referimus, ut consideret Deum ad talia vitia non ridere, prout aliqui audaces faciunt, & ethnicas cogitationes animo foveant. Libenter quoque intelleximus vestram celsitudinem ob ejusmodi vitia angi & conqueri. Incumbunt celsitudini vestræ negotia totum mundum concernentia. Accedit celsitudinis vestræ complexio subtilis, & minime robusta, ac pauci somni, unde merito corpori parcendum esset, quemadmodum multi alii facere coguntur.

XVIII. Legitur de laudatissimo Principe Scanderbego, qui multa præclara facinora patravit contra duos Turcarum Imperatores, Amurathem et Mahamethem, et Græciam dum viveret, feliciter tuitus est, ac conservavit. Hic suos Milites sæpius ad castimoniam hortari auditus est et dicere, nullam rem fortibus viris æque animos demere ac Venerem. Item quod si vestra celsitudo insuper alteram uxorem haberet, et nollet pravis affectibus et consuetudinibus repugnare adhuc non esset vestræ celsitudini consultum ac prospectum. Oportet unumquemque in externis istis suorum membrorum esse dominum, uti Paulus scribit, Curate ut membra vestra sint arma justitiæ. Quare vestra celsitudo in consideratione aliarum causarum, nempe scandali, curarum, laborum, ac so-

li-

licitudinum, & corporis infirmitatis velit hanc rem æqua lance perpendere, & simul in memoriam revocare, quod Deus ei ex moderna conjuge pulchram sobolem utriusque sexus dederit, ita ut eatenus hac esse possit. Quot alii in suo matrimonio debent patientiam exercere ad vitandum scandalum? Nobis non sedet animo celsitudinem vestram ad tam difficilem novitatem impellere aut inducere, cum ditio vestræ celsitudinis, aliique nos impeteret, quod nobis eo minus ferendum esset, quod ex præcepto divino nobis incumbat matrimonium, omniaque humana ad divinam institutionem dirigere, atque in ea, quoad possibile, conservare, omneque scandalum removere.

XIX. Is jam est mos sæculi, ut culpa omnis in Prædicatores conferatur, si quid difficultatis incidat, & humanum cor in summæ & inferioris conditionis hominibus instabile, unde diversa pertimescenda.

XX. Si autem vestra celsitudo ab impudica vita non abstineat, quod dicit sibi impossibile, optaremus celsitudinem vestram in meliori statu esse coram Deo, & secura conscientia vivere ad propriæ animæ salutem, & ditionum ac subditorum emolumentum.

XXI. Quod si denique vestra celsitudo omnino conclusserit, adhuc unam conjugem ducere, judicamus id secreto faciendum, ut superius de dispensatione dictum, nempe ut tantum vestræ celsitudini, illi personæ, ac paucis personis fidelibus constet celsitudinis vestræ animus, & conscientia sub sigillo confessionis. Hinc non sequuntur alicujus momenti contradictiones aut scandala. Nihil enim est insoliti Principes concubinas alere: & quamvis non omnibus e plebe constaret rei ratio, tamen prudentiores intelligerent, & magis placeret hæc moderata vivendi ratio, quam adulterium & alii bellvini & impudici actus; nec curandi aliorum sermones, si recte cum conscientia agatur. Sic & in tantum hoc approbamus: nam quod circa matrimonium in lege Moysis fuit permissum, Evangelium non revocat, aut vetat, quod externum regimen non immutat, sed adfert æternam justitiam & æternam vitam, & ordiatur veram obedientiam erga Deum, & conatur corruptam naturam reparare.

XXII. Habet itaque celsitudo vestra non tantum omnium nostrum testimonium in casu necessitatis, sed etiam antecedentes nostras considerationes quas rogamus, ut vestra celsitudo tamquam laudatus, sapiens, & Christianus Princeps velit ponderare. Oramus quoque Deum ut velit celsitudinem vestram ducere ac regere ad suam laudem & vestræ celsitudinis animæ salutem.

XXIII. Quod attinet ad consilium hanc rem apud Cæsarem tractandi, existimamus illum adulterium inter minora peccata numerare; nam magnopere verendum, illum Papistica, Cardinalitia, Italica, Hispanica, Saracenica imbutum fide, non curaturum vestræ celsitudinis postulatum, & in proprium emolumentum vanis verbis sustentaturum, sicut intelligimus perfidum ac fallacem virum esse, morisque germanici oblitum.

XXIV. Videt celsitudo vestra ipsa, quod nullis necessitatibus Christianis sincere consulit. Turcam sinit imperturbatum, excitat tantum rebelliones in Germania, ut Burgundicam potentiam efferat. Quare optandum ut nulli Christiani Principes illius infidis machinationibus se misceant. Deus conservet vestram celsitudinem. Nos ad serviendum vestræ celsitudini sumus promptissimi. Datum Vittembergæ die Mercurii post festum S. Nicolai 1539.

Vestræ celsitudinis parati, ac subjecti servi.

MARTINUS LUTHER.

PHILIPPUS MELANCTON.

MARTINUS BUCERUS.

ANTONIUS CORVINUS.

ADAM.

JOANNES LENINGUS.

JUSTUS VVINTFERTE.

DIONISIUS MELANTHER.

EGO *Georgius Naspieher, accepta a Cæsare potestate, Notarius publicus & Scriba testor hoc meo chirographo publice, quod hanc copiam ex vero & inviolato originali propria manu a Philippo Melanchone exarato, ad instantiam & petitionem mei clementissimi Domini & Principis Hassiæ ipse scripserim, & quinque foliis numero, excepta inscriptione, complexus sim, etiam omnia proprie & diligenter auscultarim & contulerim, & in omnibus cum originali & subscriptione nominum concordes. De qua re iterum testor propria manu.*

GEORGIUS NUSPICHER.
Notarius.

Instrumentum copulationis.

PHILIPPI LANDGRAVII
ET
MARGARETÆ DE SAAL.

IN NOMINE DOMINI.

Amen.

NOtum *sit omnibus & singulis, qui hoc publicum instrumentum vident, audiunt, legunt, quod anno post Christum natum 1540. die Mercurii mensis Martii, post meridiem circa secundam circiter, indictionis anno 13. potentissimi & invictissimi Romanorum Imperatoris Caroli Quinti, clementissimi nostri Domini, anno regiminis 21. coram me infra scripto Notario & teste, Rotemburgi in arce comparuerint Serenissimus Princeps & Dominus Philippus Landgravius Comes in Catznelenbogen, Dietz, Ziegenhain, & Nidda, cum aliquibus suæ celsitudinis Consiliariis ex una parte; & honesta ac virtuosa virgo Margareta de Saal, cum aliquibus ex sua consanguinitate ex altera parte; illa intentione & voluntate coram me publico Notario ac teste, publice confessi sunt, ut matrimonio copulentur: & postea ante memoratus meus clementissimus Dominus & Princeps Landgravius Philippus per Reverendum Dominum Dionysium Melandrum suæ celsitudinis concionatorem, curavit proponi ferme hunc sensum. Cum omnia aperta sint oculis Dei, & homines pauca lateant, & sua celsitudo velit cum nominata virgine Margareta matrimonio copulari, etsi prior suæ celsitudinis conjux adhuc sit in vivis, ut hoc non tribuatur levitati & curiositati, ut evitetur scandalum, & nominatæ virginis & illius honestæ consanguinitatis honor & fama non patiatur; edicit sua celsitudo hic coram Deo, & in suam conscientiam & animam, hoc non fieri ex levitate, aut curiositate, nec ex aliqua vilipensione juris & superiorum, sed urgeri aliquibus gravibus & inevitabilibus necessitatibus conscientiæ & corporis, adeo ut impossibile sit sine alia superinducta legitima conjuge corpus suum & animam salvare. Quam multiplicem causam etiam sua celsitudo multis prædoctis, piis, prudentibus, & christianis Prædicatoribus antehac indicavit, qui etiam consideratis inevitabilibus causis id ipsum suaserunt ad suæ celsitudinis animæ & conscientiæ consulendum. Quæ causa & necessitas etiam serenissimam Principem Christinam Ducissam Saxoniæ, suæ celsitudinis primam legitimam conjugem, utpote alta principali prudentia & pia mente præditam movit, ut suæ celsitudinis tamquam dilectissimi mariti animæ & corpori serviret, & honor Dei promoveretur ad gratiose consentiendum. Quemadmodum suæ celsitudinis hæc super relata syngrapha testatur; & ne cui scandalum detur eo, quod duas conjuges habere moderno tempore sit insolitum; & si in hoc casu Christianum & licitum sit, non vult sua celsitudo publice coram pluribus consuetas ceremonias usurpare, & palam nuptias celebrare cum memorata virgine Margareta de Saal: sed hic in privato & silentio in præsentia subscriptorum testium volunt invicem jungi matrimonio. Finito hoc sermone, nominati Philippus & Margareta sunt Matrimonio juncti, & unaquæque persona alteram*

sibi desponsam agnovit & acceptavit, adjuncta mutuæ fidelitatis promissione in nomine Domini. Et ante memoratus Princeps ac Dominus ante hunc actum me infra scriptum Notarium requisivit, ut desuper unum aut plura instrumenta conficerem, & mihi etiam tamquam personæ publicæ, verbo ac fide Principis addixit, ac promisit, se omnia hæc inviolabiliter semper ac firmiter servaturum, in præsentia reverendorum prædoctorum Dominorum M. Philippi Melanctonis, M. Martini Buceri, Dionysii Melandri, etiam in præsentia strenuorum ac præstantium Eberhardi de Thaa Electoralis Consiliarii, Hermanni de Malsberg, Hermanni de Hundelshausen, Domini Joannis Fegg Cancellaris, Rodolphi Schenck, ac honestæ ac virtuosæ Dominæ Annæ natæ de Militz viduæ defuncti Joannis de Saal memoratæ sponsæ matris, tamquam ad hunc actum requisitorum testium.

ET ego Balthasar Rand de Fulda, potestate Cæsaris Notarius publicus, qui huic sermoni, & matrimoniali sponsioni, & copulationi cum supra memoratis testibus interfuit, & hæc omnia & singula audivi, & vidi, & tamquam Notarius publicus requisitus fui, hoc instrumentum publicum mea manu scripsi & subscripsi, & consueta sigillo munivi in fidem & testimonium.

BALTHASAR RAND.

§. III.

Quo jure Polygamia simultanea prohibita sit?

IN confesso est apud omnes polygamiam, qua una mulier multis simul viris nuberet, esse contra jus naturale; tum quod prolis generationi, quæ primarius est matrimonii finis, adversetur; quippe quod experientia compertum sit meretrices esse infœcundas; tum quod reddens incertum prolis patrem, illius educationi, quæ alter est matrimonii finis, noceat quam maxime. Unde hic non satis mirari possumus qua ratione Plato, alioquin inter Philosophos sapientissimus, uxorum communitatem in ea, quam finxit, republica permiserit.

Verum, non est æque certum, an polygamia, qua vir unus nuberet simul cum pluribus mulieribus, juri naturali repugnet. Durandus in 4. Sent. distinct. 31. quæst. 1. Alphonsus Episcopus Abulensis in caput 19. Matthæi quæst. 30. docent polygamiam, de qua agitur, naturali lege non esse prohibitam. Hinc concludunt 1. Patriarchis, Judæis, opus non fuisse divina dispensatione, ut licite plura simul inirent matrimonia. Concludunt 2. non peccasse quondam Gentiles, qui pluribus simul mulieribus nubebant, nec his etiam temporibus ii, qui idem factitantes, invincibili Evangelicæ legis ignorantia laborant.

Licet Catholicis omnibus non sit persuasum jus naturale prohibere simultaneam uxorum pluralitatem: apud eos tamen fide Catholica certum est eam prohiberi positiva Evangelii lege: id enim exprefse contra Lutherum & Anabatistas Concilium Tridentinum sessione 24. canone 2. hisce verbis definiit: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Inde vero concludunt infideles, qui cupiunt dare nomen religioni Christianæ, cogi debere ad dimittendas eas omnes uxores, quas post unius matrimonium duxere: Eum Catholicæ fidei articulum adstruemus, ubi Durandum & Alphonsum abulensem impugnaverimus.

Conclusio 1. Polygamia, qua vir pluribus simul uxoribus nuberet, juri naturali adversatur.

Probatur 1. Sicut jure naturali corpus uxoris est in potestate viri: *Mulier* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 7.) *sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergo quemadmodum uxor totam se per matrimonium viro tradit: ita vir tradit se totum mulieri; quemadmodum igitur sine injustitia mulier alteri, quam viro commisceri non potest: ita nec vir alteri uxori.

2. Maritus debet conjugale debitum uxori, quam priorem duxerit, quoties tempore, & loco debitis, petierit: *Uxori vir debitum reddat* (ait Paulus) *& uxor viro.* Ergo vir non potest inire matrimonium cum altera; per alterum enim matrimonium prior uxor jure suo frustaretur: quippe quod fieri posset, ut posterior mulier simul cum priore debitum peteret, eoque indigeret, ne pateretur castitatis detrimentum: posset quoque fieri, ut vir, persoluto secundæ uxori debito, impar esset persolvendo priori.

3. Uxor (ut discurrit Estius) non in tori tantum consortium assumitur; verum etiam in societatem gubernandæ familiæ: cujus quidem rei significandæ gratia prima mulier non ex pedibus, sed ex latere viri formata fuit. Eam autem gubernandæ familiæ potestatem, quam Chrysostomus hom. 20. in Epist. ad Ephesios, quendam principatum appellat, multum perturbaret uxorum prularitas.

4. Polygamia ex natura sua discordias parit ac fovet inter mulieres, non tantum propter communionem tegiminis domestici, verum etiam pluribus aliis ex causis, ut sunt amor & usus conjugis cura & educatio filiorum & his similia, in quibus omnibus unaquæque uxor tum se, tum filios præferri vult, ut varii Scripturarum exemplis potest demonstrari. His accedit authoritas Innocentii Papæ III. qui cap. *Gaudemus*, hæc ait: *Nec ulli unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.*

Objicies 1. Antiqui Patriarchæ non peccarunt nubendo simul cum pluribus uxoribus. Ergo polygamia simultanea juri naturali non adversatur.

Respondent quidam heterodoxi; Patriarchas nubendo cum pluribus simul, reos factos fuisse adulterii. Responsionem confirmant 1. ex Scriptura, quæ ancillas, ex quibus genuerunt Patriarchæ, concubinas vocat; supponens nimirum cum eis non fuisse contractum legitimum matrimonium. 2. Ex Ambrosio, qui libro primo de Abraham Patriarcha capite 4. illius commixtionem cum Agar vocat adulterium, atque virum sanctum illius adulterii postea pœnituisse. 3. Ex Leone Magno Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem, ubi postquam distinxit inter uxorem & concubinam, confirmavitque illam distinctionem exemplo Saræ & Agar, concludit virum non duplicare matrimonium, qui aliam a concubina uxorem ducit, nec Clericum debere censeri dedisse filiam suam conjugato, qui eam in matrimonium dedit habenti concubinam. Supponit igitur Agar non fuisse uxorem Abrahami, ac proinde peccasse Patriarcham cum illi se commiscuit.

Verum multis argumentis impugnatur ea solutio. 1. Nusquam Scriptura arguit Patriarchas propter multiplicata simul conjugia. 2. E contra sæpius eximiæ illorum sanctitati testimonium perhibet. 3. Silens de pœnitentia acta propter commercia cum pluribus mulieribus, testatur justos cum eis regnaturos in cœlis. *Cum Abraham, Isaac & Jacob recumbent in regno cælorum* (ait Christus Matthæi 8.) 4. Non Patriarcharum tantum qui vixerunt in lege naturæ, sed etiam sanctissimorum virorum, qui vixerunt tempore legis Mosaicæ, mores arguit allata sectariorum responsio; nupserunt nimirum simul cum pluribus; nec tamen factum illud arguerunt Prophetæ, nec ipse Nathan, qui David ob commissum unum cum Bethsabea adulterium non pepercit. Nec alicujus sunt momenti, quæ in defensionem suæ responsionis proferunt adversarii; Nam eadem Scriptura, quæ ancillas, quibus copulati sunt Patriarchæ, concubinas vocat, non raro uxores appellat. Præterea mulier, cujus maritus unicam duxerat, nonnumquam in sacris codicibus concubina dicitur. Judicum 19. de Levita hæc habentur: *Accepit sibi uxorem concubinam de Bethleem Juda.* Illum tamen Scripturæ loquendi modum non secuti sunt postea scriptores Ecclesiastici; semper enim concubinam sumpserunt pro scorto, & non pro legitima uxore: *Sunt nonnulli* (inquit Ambrosius libro 1. de Patriarchis cap. 7.) *qui cum legibus uxores duxerint, contra divi-*

divinitatis legem sibi sociant Concubinas, non intelligentes quod contrahendo matrimonia, propriis se vinculis constrinxerunt. Augustinus in eumdem sensum hæc ait homilia 49. *Audite charissimi* (alloqoitur Catechumenos) *concubinas vobis habere non licet*. In jure civili statuitur quoque discrimen inter uxorem & concubinam. Nam 1. uxor, quæ alteri quam viro, sui copiam fecisset, poterat deferri ad judicem tanquam rea adulterii, non autem concubina. 2. Dimissam concubinam qoisque poterat ducere, non vero uxorem, quæ innupta remanere legibus jubebatur. 3. Per solemne tantum divortium coram septem testibus, uxor dimitti poterat. At concubioa sine nlla juris solemnitate pro libito poterat ejici. 4. Uxor dicebatur mater familias, non concubina. 5. Uxor honores, facultates cum viro habebat communes, at jure illo concubina nequaquam potiebatur.

Ad allatum ex Ambrosio textum dicendum est locutum eum fuisse per concessionem vocando commixtionem Abrahæ cum Agar, adulterium, quasi dixisset, Esto, peccaverit tunc Patriarcha, iniquus tamen dici non debet, cum facti postea eum pœnituerit. Cum autem S. Pater affirmative locutus est conceptis terminis asseruit immunem fuisse a peccato commixtionem hujusmodi: *Peccatum non fuit* (inquit eodem capite 4.) *sed mysterium*; illud nempe quod Paulus cap. 4. ad Galatas exponit, *scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera*.

Ad authoritatem Leonis dicendom est eum per *concubinæ* nomen intellexisse mulierem servam, cujusmodi erat Agar Abrahami respectu. Afferit igitur matrimonium cum serva contractum ab ingenuo viro, nullnm esse & invalidum, (nt revera nullnm erat sæculn quinto non quidem jure naturali, sed Ecclesiastico tantum & civili) unde concludit virum qui servam habet, posse valide & licite mulierem aliam ducere in verum matrimonium: *Nisi* (inquit ibidem) *forte illa mulier & ingenua facta & dotata legitime & publicis nuptiis honestata esse videatur*.

Confutatis iectariorum solotionibus, ad argumentum respondemus cum Theologis Catholicis Patriarchas, eoromque posteros usgne ad Christi tempora nupsisse pluribus, ex dispensatione a Deo concessa, ad multiplicandum populum fidelem, qoi alia via quam per carnalem generationem nec conservari nec crescere poterat. Solutionem illam tradidit Innocentius Papa III. laudaro supra capire *gaudemus* ubi post hæc verba, *Nulli unquam licuis simul plures uxores habere*, hæc addit: *Nisi cui fuit divina revelatione concessum ...... per quam ...... Patriarchæ & alii viri justi, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio encusantur*.

Instabis. Jus naturale nullam omoino patitur dispensationem, nt patet in mendacio, & perjurio, quæ a Deo permitti non possunt, eo quod legi naturali, seu rectæ rationi adverseotur.

Resp. ideo Deum in mendacio & perjurio dispensare non posse, quod sempet sint contra jus naturale: E contra Polygamia, licet secundum se spectata, jure naturali vetita sit eo quod pugnet contra plures secondarios matrimonii fines, domesticam scilicet pacem, & jus quod mulier per nuptias habet in conjugis corpus; desinit esse contra jus naturale hac in circumstantia, cum nempe ex divina ordinatione, & concessione speciali cnnducit ad primatinm finem matrimonii, seu numerosam fidelis popoli generationem. Eo in casu postulat jus naturale ut propter bonum publicum, uxoris jus in corpus viri minuatur. Sic in mundi exordio liciut Adami filiis cum sororibus nubere propter necessitatem quamvis extra illum casum lege naturali ejusmodi Matrimonia prohibeantut.

Objicies 2. Hieronymus affirmat lege veteribus concessum fuisse, nt cum pluribus simnl uxoribus nuberent; *Sciebat* (inquit in epist. ad Oceanum de Monogamia Clericorum) *lege concessum, & exemplo Patriarcharum, ac Moysi, familiare populo noveras in multis uxoribus liberos spargere*. Augustinus variis in

Juenin de Sacram.

locis idem docet: Lib. 3. de doctrina Christiana cap. 12. sic loqnitur: *Sufficiendæ prolis causa, erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetndo*. Sic etiam lib. 16. de civit. Dei cap. 38. *Eo tempore multiplicandæ posteritatis causa multas uxores habere len nulla probibebat*. Sic iterum lib. 22. contra Faustum cap. 47. *Peccata alia sunt contra naturam, alia contra morem, alia contra præceptum. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus uxoribus simul habitis objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed generandi causa, illis mulieribus utebatur: Si morem, illo tempore, & in illis locis hoc factitabatur: Si præceptum, nulla lege prohibebatur*. Ex iis verbis patet apud S. Doctorem ideo Jacob, qoi cum pluribus simul uxoribus nupsit, reum non foisse quod polygamia nec consuetudini, nec legi alicui adversaretur.

Resp. eo sensu laudatos Patres docere polygamiam *nulla lege* temporibus de quibus agunt, fuisse prohibitam, nsum illius *inculpabilem fuisse consuetudinem*, qood per dispeosationem divinam vis legis evanuisset: innotuerat autem illa dispensatio per specialem tevelationem Patriarchis, eamque ab iis docti sunt illorum posteri, ita ut apud eos ad Christum usque in consuetudinem abierit, juxta hæc Ionocentii Papæ III· verba: *Quæ*, dispensatio, *mos quandoque, interdum etiam fas censetur*.

Quæres num divina supra polygamiam dispensatio, non ad Patriarcharum tantum posteros, sed etiam ad cæteros licet Gentiles populos extenderetur.

Ballarminus respondet, cum omnibus orbis gentibus olim dispensatum fuisse: *Probabile est* (inquit de Sacram. Matrim. lib. 1. cap. xi.) *dispensationem concessam omnibus gentibus non autem solis Hebræis*. Probat autem 1. ex eo quod Augustinus locis jam jam laudatis scribat in terris ubi Jacob quatuor uxores duxit, morem nubendi simul cum pluribus obtinoisse, eumque morem fuisse culpa vacuum: Regin autem in qua Jacob nupsit, Gentilium erat, non Hebræorum: siqnidem Laban cujus filias Jacob duxit in matrimonium, erat idololatra, nt patet ex primo capite Geneseos. Probat 2. ex eo quod idem Augustinus, cum ait populorum multiplicationem fuisse causam cur Deus polygamiam olim permiserit, nusquam inter Dei, aut Gentilium populum distinguat. Probat 3. ex Scriptura qua docemur Esan qni non pertinebat ad Dei populum, mnltas simnl uxores duxisse; idque nullibi legimus illi versom fuisse vitio.

Estios e contra censet cum solo populn Hebræo Dom super polygamiam dispensasse. Nam (inquir) si dispensatio ad totom genus bumanum pertinuit, non fuit dispensatio, sed legis abrogatio prn eo tempore qno ejusmodi exteosio perduravit. Prætetea Innocentius Papa III. hominum tantum piorum meminit, cum ait cum iis circa polygamiam fuisse divinitus dispensatum. Censemus nos Aogustinum Bellarmino potius quam Estio favisse.

Conclusio 2. Polygamia simultanea prohibita est Evangelica lege.

Probatur. 1. Christus Matthæi 19. & Marci 10. rescidit concessionem veteri populo in causa polygamiæ factam, quippe quod matrimonium ad primævam institutionem reduxerit: *Masculum & fæminam fecit eos*, indeque concluserit ipsum ex viro & una tantum uxore constare debere: *Itaque* (inquit) *jam non sunt duo, sed una caro*. Lucæ 16. tamquam novus legislator sic statuit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur*. Idem autem mœchatnt qood stet initum cum priore conjugium: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Si ergo vir, ubi priorem uxorem dimiserit, mæchatur si nubat; a fortiori ejusdem flagitii reus est, si priore retenra, cum altera contrahat. 2. Quoties Apostolus agit de matrimonio, semper loqoitur de uxore in numero singulari: *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Unusquisque suam uxorem habeat*. Afferit prætorea conjuges pares esse in jure ad conjugale debitum; illi

vero paritati sicut repugnat unam habere plures viros; ita similiter repugnat unum virum cum pluribus simul uxoribus nubere. 3 Doctrinam, quam hic propugnamus docuerunt Patres, Siricius Papa Epist. 1. Innocentius I. Epist. 9. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis ad Pollentium cap. 8. Iis autem Patribus subscribere quovis sæculo omnes orbis Christiani Doctores ad Lutherum usque, qui (ut Paragrapho superiore demonstratum est) primus propugnavit polygamiam simultaneam non prohiberi jure divino, quo quidem nixus fundamento Landgravio Hassiæ eam indulsit.

Objicies. Gregorius Papa II. Epist. 13. ad Bonifacium Episcopum, definit licere viro alteram uxorem ducere propter prioris adhuc viventis infirmitatem: *Nam quod proposuisti; quod si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.*

Resp. Centuriatores Magdeburgenses nihil hinc elicere potuisse, quo erroris nota Gregorium, non III. (ut ajunt) sed II. aspergerent. Prior nimirum mulier, cum naturaliter impotens esset conjugio nusquam vere uxor fuerat, cum impotentia jure naturali dirimat matrimonium. Nec obstat, quod vir ille de quo Gregorius, jubeatur post aliud matrimonium, priorem mulierem alere: *Non tamen subsidii opem subtrahat ab illa*; Id scilicet jubetur non quod vere fuisset uxor: sed quod pauper esset mulier illa, nec propter infirmitates victum sibi posset comparare.

Quæres utrum nuptiæ unius viri cum pluribus simul uxoribus post Evangelii promulgationem, non modo sint illicitæ ex jure divino, sed etiam irritæ.

Resp. irritas esse nuptias de quibus agitur. Et quidem 1. patet ex Evangelio mœchum esse, seu adulterum, virum qui priore uxore vivente licet dimissa, nubit alteri. At adulter non est, qui solutus cum soluta, licet invalide, contrahit. 2. Innocent. Papa III. (ut suo loco dictum est) præcipit, ut infidelis conversus ad fidem, dimittat uxores, quas post prius conjugium duxerat. 3. Licet Concilium Tridentinum Sess. 14. canon. 11. de Sacramento Matrimonii, solum asserat simultaneam polygamiam esse jure divino illicitam; in doctrina tamen ejusdem sessionis aperte definit nuptias de quibus est quæstio, prorsus irritas esse: *Hoc autem vinculo* (inquit) *duos duntaxat copulari & conjungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata, referens dixit: Itaque jam non sunt duo, sed una caro.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De Polygamia successiva.

CONclusio prima. Reperti sunt hæretici, qui docuerint secundas nuptias jure divino illicitas esse, easque tamquam eodem jure irritas olim damnarint.

Probatur primo. Illud dogma docuerunt Montanistæ, quibus subscripsit Tertullianus; *Hæretici* Marcionitæ (inquit libro de Monogamia) *nuptias auferunt Psychici* (Catholici) *ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt ...... Virum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est, neque licentia defendenda, quia Physica est. Illa blasphemat, ista luxuriat.* 2. Idem dogma Novatianis deinceps placuit, *Eos enim* (inquit Theodoretus lib. 3. hæreticarum Fabularum cap. v.) *qui secundas nuptias inierint, a sacris mysteriis repellunt.*

Conclusio secunda. Nec secundæ nuptiæ, nec ulteriores irritæ sunt aut illicitæ jure divino.

Probatur. 1. Nuptiæ de quibus agitur, non sunt contra legem naturalem: nec enim opponuntur illius principiis aut conclusionibus, quæ ex eo deducuntur, cum iis nimirum stant matrimonii tum primarius, tum secundarius finis. 2. Non pugnabant olim cum lege Mosaica: De iis quippe vel silet omnino vetus testamentum, vel eas approbat, iis nempe locis, ubi Judæis præcipit, sive sint virgines, sive conjugati, sive vidui, ut ducant mulierem, quam frater absque liberis reliquerit. 3. Non sunt contra legem Evangelicam, siquidem Christus nullibi eas vetuit. Imo Evangelicæ legi prorsus sunt conformes: nam Apostolus 1. ad Corinth. 7. generaliter de non nuptis & viduis ait: *Quod si non se continent nubant.* Iterum hæc absolute & generaliter de omnibus viduis habet: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: Quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege, cui autem vult nubat, tantum in Domino.*

Nec valet responsio Tertulliani contendentis Apostolum agere de muliere, quæ in gentilitate virum ethnicum amiserit, non autem de ea, cui viduitas in fide contigerit: *Adeo sic est* (inquit) *ut propterea adjecerit: Tantum in Domino, quia de ea agebatur quæ ethnicum habuerat, & amissa eo crediderat, ne scilicet etiam post fidem ethnico se nubere posse præsumeret.* Non valet (inquam.) Nam 1. verbum *Dormierit*, futuri est temporis: ac proinde ad mulieres spectat quibus jam Christianis viduitas obtigerit. 2. Generalis est ea Pauli sententia: nec his vocibus; *Tantum in Domino*, restringitur: significant, nempe gentili viro non esse nubendum, non vero simpliciter nuptias prohibent. Non plus habet soliditatis, quod idem author reponit, Apostolum secundas nuptias permittere, non quidem tamquam licitas, sed tamquam minus malum, respectu nimirum fornicationis; *Proinde* (inquit) *temporalem licentiam permittens denuo nubendi propter infirmitatem carnis, quemadmodum Moyses repudiandi propter duritiam cordis.* Hinc vero concludit Paracletum, seu Montanum in quem abundantius, quam in Apostolos, ex Tertulliano, Spiritus sanctus effuderat sese, merito Paulinam illam indulgentiam abstulisse: *Si enim Christus abstulit, quod Moyses præcepit, quia ab initio non fuit sic ..... Cur non & Paracletus abstulerit, quod Paulus indulsit, quia & secundum matrimonium ab initio non fuit sic.* Nullus (inquam) est soliditatis, cum Paulus hæc de vidua subjungat: *Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium*: ea enim verba non obscure innuunt a nuptiis temperare rem esse consilii, non autem præcepti.

Conclusio 3. Quædam Orientales Ecclesiæ, quarto ineunte seculo confessæ contra Montanistas & Novatianos secundas nuptias jure divino nec irritas esse, nec illicitas, eas Ecclesiastico jure, quod aliquibus tantum in locis obtinuit, illicitas fecisse videntur.

Probatur. 1. Eos, qui secundo nupsissent, pœnitentia castigarunt: *De his, qui in plurimas nuptias inciderunt* (inquit Neocæsariense Concilium, quod anno 314. habitum est) *tempus quidem præfinitum, manifestum est: sed conversatio eorum & fides abbreviat.* 2. Prohibuerunt Presbyteris ne secundas nuptias sua præsentia firmarent: *Presbyteris* (ait mox laudatum Concilium canon. 7.) *in nuptiis bigami prandere non convenit: quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum.* 3. Earum Ecclesiarum praxi adhæsit Basilius in Epistol. ad Amphilochium canon. iv. *Definimus* (inquit) *annum pœnitentiæ, in digamis.*

Conclusio 4. Trigamia, apud Orientales non illicita modo, sed etiam, ex consuetudine, irrita habita fuit quibusdam in locis.

Probatur. 1. Sanctus Basilius hæc ait: *Illud autem,* (de Trigamis agens) *non amplius conjugium, sed polygamiam appellant, vel potius castigatam fornicationem ..... Digni non sunt, qui a digamiæ mensura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur.* 2. Basilio consensit Gregorius Nazianzenus, siquidem oratione 37. in illud Evangelii; *Cum consummasset Jesus hos sermones*, hæc scripsit de matrimonio;

monio; *Primum lex est, secundam venia & indulgentia: tertium iniquitas: Qui hunc numerum excedit, porcinus plane est.*

Hic monendus est lector, quod licet probabile sit laudatos hactenus Græcos Patres jure Ecclesiastico illicitas fecisse secundas nuptias: id tamen plerisque Theologis non sit persuasum: arbitrantur nempe eas quondam castigatas fuisse, non quod, aut in se, aut ex aliqua Ecclesiæ prohibitione, malæ sint, sed ratione causæ, quas homines ad iteratas nuptias moventur, libidinis nempe, quæ ut plurimum viduos, & viduas impellit, ut ad secunda vota transeant.

Conclusio 4. Quæ Basilius & Gregorius Naazianzenus de Trigamia definierant, locum non habebant in Oriente sæculo nono: Sed in quartis nuptiis obtinuerunt.

Probatur. Latæ eo tempore de matrimonio leges irritas quidem faciunt quartas nuptias, sed de tertiis idem non definiunt: *Manifestum omnibus esto futurum* (inquit Imperator Basilius Macedo, Novella, cujus titulus est: *Non licere ad quartas nuptias transire*, quæque extat lib. 2. juris Orientalis) *ut si quis ausus fuerit ad quartas nuptias accedere, non solum pro nullis habeantur hæ nuptiæ, nec liberi ex his procreati pro legitimis agnoscantur, verum etiam & pœnis pollutorum scortationis sordibus subjiciantur.*

Vi disciplinæ Ecclesiasticæ quam Novella mox laudata Basilius Macedo confirmarat, Nicolaus Patriarcha Leonem, quem sapientem vocant, Basilii Macedonis filium a fidelium communione segregavit eo quod quartam uxorem duxisset. Excitatas ob eam causam in Ecclesia Orientali turbas indulta Imperatori dispensatione composuit Joannes Papa X.

Composuere pariter eamdem litem Orientales Episcopi convocati ad Concilium a Constantino ex Leone Sapiente progenito. Decretum in regulæ formam sub hocce titulo tulerunt: *Tomus Unionis*. Eo in decreto nihil quidem de quarto Leonis matrimonio edixere, sed quam disciplinam vellent deinceps servari hisce terminis declararunt: *Non autem, quod Ecclesiam ex causa matrimoniali perturbari contigerit, quando ipsum matrimonium reprehensione non caret, ad ejus prohibitionem sacrum Ecclesiæ judicium fert, ne progressio fiat ulterius, neve nuptiæ locum inveniant.... ac proinde sententia, judicioque communi decernimus, ne ab hoc anno præsenti quartas nuptias allus contrahat, sed ut prorsus ea rejiciantur. Quod si quis ad ejusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni cœtu ecclesiastico exclusus esto, & ab ipso in sanctam ædem ingressu tantisper alienus, donec in hoc conjugio permanserit: Hoc enim sanctis quoque Patribus, qui ante nos vixere, visum fuit: ac nos sane sententiam reddentes apertiorem, eum velut alienum a republica Christianorum abdicamus. Et in hunc quidem modum de quarto matrimonio.*

Conclusio 5. Latina Ecclesia nusquam secundas aut ulteriores nuptias fecit aut irritas, aut illicitas.

Probatur 1. Nullus e Latinis Patribus proferri potest, qui secundas & ulteriores nuptias aut illiciras, aut irritas fuisse docuerit. 2. Quænam fuerit Patrum Latinorum hoc de capite sententia, aperit Hieronymus in Epistola 50. seu apologia, quam adversus Jovinianum adornavit: *Non damno* (inquit cap. 7.) *digamos, imo nec trigamos, & si dici potest, octogamos*. Sic etiam loquitur Augustinus libro de bono viduitatis cap. x1. *Ne arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias malum esse.*

Objicies. Hieronymus, Lib. 2. contra Jovinianum cap. 8. asserit fidelem, qui iterato nupserit, indignum esse, qui Christi corpore reficiatur. In epistola ad Ageruchiam, scribit laicos eadem lege teneri ad monogamiam, qua Sacerdotes: *Laicus* (ait) *tenetur mandato, per quod ad Sacerdotium pervenitur.* Hieronymo igitur secundæ, & a fortiori tertiæ & quartæ nuptiæ, illicitæ visæ sunt.

Resp. ad 1. Hieronymum velle iteratas nuptias arcere a communione, non quidem in se, sed rantum in causa sumptas, ratione nimirum libidinis, qua vidui, ut plurimum ad secunda matrimonia impellun-

Jucain de Sacram.

tur. Solutio ex eo patet quod (ut superius observatum est) ubi Sanctus Doctor culpatus est, quod defendens virginitatem contra Jovinianum, visus fuisset damnare nuptias, conceptis terminis contestatus fuerit se probare nuptias in se sumptas, quantumcumque iteratæ fuerint. Ad 2. dicendum est laudatum Patrem credidisse Laicos non ex necessitate, sed rantum ex quadam decentia, debere a secundis nuptiis temperare, ne alioquin sibi ad Sacerdotium aditum præcludant.

CAPUT SECUNDUM.

De indissolubilitate contractus Matrimonialis.

MAtrimonium potest esse indissolubile, vel quoad vinculum, vel quoad torum, illius indissolubilitas tam quoad vinculum, quam quoad torum potest considerari vel in Gentilibus, vel in Judæis, vel in Christianis. De ea sub illis diversis respectibus est hic agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum matrimonium a Gentilibus contractum sit indissolubile quoad vinculum.

COnclusio. Matrimonium a Gentilibus contractum est indissolubile quoad vinculum.

Probatur. 1. Verum est matrimonium inter Gentiles contractum. Nam 1. quæ naturalis sunt institutionis, ut est matrimonium quatenus est officium naturæ, communia sunt fidelibus & infidelibus. 2. Scriptura tam novi, quam veteris Testamenti junctas cum infidelibus viris non minus vocat uxores, quam junctas cum fidelibus. 3. Innocentius tertius capite *Gaudemus*, id expresse asserit. Atqui quodlibet verum matrimonium est indissolubile; Id enim postulat educatio prolis, quæ finis est & fructus matrimonii, quæque fieri non potest nisi a conjunctis: Verum, cum eo tempore, quod educationi impendi debet, conjuncti habeant mutuam potestatem in sua invicem corpora, alterius prolis generationi dare possunt operam, cui non minus quam priori providere tenentur, & sic iterum de alia, quam rursus gignere possunt, dum secundæ educatio debita præbetur.

Nec est, quod quis dicat matrimonium contrahi posse a sterilibus, ac proinde illius indissolubilitatem, quæ ab educatione prolis petitur, tunc locum non habere; Nam per accidens est, quod ex matrimonio non generetur proles, ad quam institutum est conjugium; quæ autem per accidens sunt, in lege naturæ exceptionem non faciunt.

Probatur 2. Jure divino quodlibet legitimum matrimonium est indissolubile: de illo quippe a quibuscumque contractum fuerit, vera sunt hæc Christi verba Matthæi 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; locum etiam habent hæc Pauli 1. ad Corinth. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Non enim fit distinctio in sententiis illis inter matrimonium in Christianismo initum, ab eo quod in gentilitate fuit contractum.

Probatur 3. Innocentius III. libro IV. decretalium capite *Gaudemus*, jubet ut paganus conversus ad fidem, ex pluribus uxoribus, quas in gentilitate duxerat, priorem tantum accipiat, quamvis dimissam per repudium, & alteri viro postea nuptam: Ergo censuit matrimonium in Gentilitate contractum esse indissolubile. Propter quid enim aliud irrita declararet matrimonia omnia post primum contracta in gentilitate dum superstites sunt vir & mulier.

Objicies. Paulus 1. ad Corinth. 7. conceptis terminis asserit conjugem conversum ad fidem posse aliud inire matrimonium, si uxor ducta in gentilitate non consentiat habitare cum illo: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servitati subjectus est frater aut so-*

ror in hujusmodi. Docuerunt Patres idem jus habere eumdem conjugem, quoties uxor remanens in infidelitate, consentit quidem cohabitare, sed non sine contumelia Salvatoris. Innocentius III. libro IV. decretalium de divortiis, capit. *Quanto*, sic loquitur: *Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini numinis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat, frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi*. Ex Scriptura igitur & Patribus infertur matrimonium quod ab infidelibus contractum est, non esse indissolubile.

Resp. ex allatis locis recte colligi matrimonia inita ab infidelibus, non esse indissolubilia metaphysice, ita ut nullo in casu solvi possint, sed moraliter tantum, quod tamen unicam patitur exceptionem, eam nimirum de qua Apostolus 1. ad Corinth. 7. tuncque non homo, sed Deus in gratiam Christianæ religionis id separat quod ipsemet ante conjunxerat. Tunc, Deo dispensante, mulier, vivente adhuc viro, desinit esse alligata legi, cui se in infidelitate per matrimonium subjecerat.

Quæres 1. quo præcise tempore solvatur matrimonium in infidelitate contractum?

Resp. ipsum non solvi 1. cum alter ex conjugibus amplectitur fidem: Siquidem Apostolus suadet ei, ut ab infideli, qui cohabitationi consenserit, non discedat. Secundo. Neque cum infidelis actu discedit a converso, neque cum sit blasphemus in Christum, aut conatur compartem suam inducere ad mortale peccatum: Nam si resipiscat antequam conversus ad secunda vota transierit, priore suo matrimonio debet gaudere juxta illud Innocentii III. capite gaudemus: *Quod si conversum ad fidem & illa conversa sequatur antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*. 3. Dicendum est igitur ipsum solvi eo instanti quo conversus, actu cum altera nubit, & non antea.

Quæres 2. utrum sicut valide, ita etiam & licite, pars conversa possit semper discedere a conjuge, qui remanet quidem in infidelitate sed tamen cohabitationi pacificæ consentit?

Resp. 1. conversum non peccare contra justitiam, quamvis statim discedat a conjuge qui remanet quidem in infidelitate, sed pacificæ cohabitationi consentit. Ratio est, quia fides Christiana dat jus solvendi statim matrimonium in infidelitate initum, cum (ut supra ostensum fuit) hæc Pauli verba: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*, nudum consilium contineant, non vero præceptum. Resp. 2. conversum peccare contra charitatem, si alioquin sit spes adducendi ad fidem partem quæ remanet in infidelitate; aut si discessio sit scandalo gentilibus, eisque exosam reddat Christianam religionem; Utramque illam responsionem his verbis tradidit Augustinus libro 1. de adulterinis conjugiis ad Pollentium: *Tunc autem non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis: sicut & discessio fidelis conjugis ab infideli; quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injusta non est: sed prohibet Apostolus consilio charitatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis, non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi, verum etiam quia cum in alia conjugia ceciderint viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur*. Resp. 3. in locis ubi prævalet Christiana religio, post debitas & juridicas monitiones non tantum licere converso deserere conjugem qui converti detrectat, sed etiam ad id teneri jure Ecclesiastico, quod invexerunt Hispani Patres, quamvis infidelis illa, si Judæus sit (de aliis enim infidelibus canones non loquuntur) velit cohabitare pacifice. Ita colligitur ex Concilio Toletano quarto can. 61. ubi hæc habentur. *Judæi, qui Christianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Episcopo civitatis ipsius, ut si cum eis permanere cupiunt, Christiani efficiantur. Quod si admoniti noluerint, separentur, quia non potest infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Christianam translata est fidem.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Matrimonium a Judæis ante promulgationem Evangelii contractum solveretur quoad vinculum dato libello repudii?

CONclusio. Matrimonium a Judæis contractum ante promulgationem Evangelii, non solvebatur dato libello repudii.

Probatur 1. ex Deuteronomii 24. cap. ubi mulier, quæ nupserat post acceptum Libellum repudii, dicitur *Polluta, & abominabilis facta coram Domino*: Quæ Verba clare demonstrant eam per nuptias quas contraxisset vivente viro, a quo acceperat repudii libellum, gravis peccati ream factam fuisse; Idque non ob aliud quam quod staret prioris matrimonii vinculum: unde Hieremiæ 3. mulieri hujusmodi tamquam adulteræ, comparatur Hierusalem quæ cum multis amatoribus fuerit fornicata.

Probatur 2. Non potuit solvi apud Judæos vinculum matrimonii dato libello repudii nisi ex dispensatione divina, cum matrimonium (ut supra ostensum fuit) sit ex se ipso indissolubile. Atqui nulla unquam Judæis data fuit ejusmodi dispensatio: Nulla nimirum fuit causa propter quam concederetur. 1. Non quidem multiplicatio populi fidelis; satis enim ei per polygamiam consultum fuerat. 2. Nec duritia cordis Judæorum, quia cum duritia cordis nihil sit aliud quam animi obstinatio, qua quis non vult credere suggerenti bona aut vera, nec præcipienti obedire, non potuit habere rationem finis honesti, qui Deum moverit ut ejusmodi dispensationem concederet.

Objicies 1. Abraham dimisit Agar, cum qua nupserat: illum postea imitati sunt Judæi fere omnes: Id tamen sancto Patriarchæ nullus vitio vertit.

Resp. ad 1. Agar dimissam fuisse quoad cohabitationem servandæ pacis causa, non autem quoad vinculum; Nemo enim dixerit licitum fuisse Agar dimissæ nubere cum altero viro dum Abrahamus viveret.

Resp. ad 2. negando Patriarchas aut viros pios veteris testamenti dimisisse uxores suas dato libello repudii: id vero non infirmum est argumentum, quo probetur id illis Deum per dispensationem non concessisse.

Objicies 2. Moyses Dei authoritate injunxit Judæis ut dimitterent uxores, quæ propter aliquam fœditatem illis fuissent exosæ, & ut dato libello repudii, nubendi cum altero viro facultatem annuerent: hæc enim habentur Deuteronomii 24. capite. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribat libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa, alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.*

Resp. in allata lege duo esse, dimissionem videlicet uxoris, & scriptionem libelli repudii; Illam præcepit Moyses ex suppositione quod vir vellet uxorem suam dimittere; Illam vero nequaquam injunxit, sed permisit tantum, non quidem tamquam rem bonam, sed veluti minus malam uxoricidio, quod Judæi commisissent, si more Gentilium Moyses in eis non tolerasset uxorum dimissionem. Priorem solutionis partem tradit Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 14. ubi hæc scribit: *Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit ut uxor dimittatur, sed ut dimittere volens det libellum repudii, ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret*. Altera pars ejusdem solutionis infertur ex his Christi verbis ad Judæos Matthæi 19. legem a Moyse latam objicientes in repudii defensionem: *Moyses ad duritiam cordis vestris permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic*.

Obji-

Objicies 3. Nec lex, nec Prophetæ, nec Sacerdotes arguerunt eos, qui tempore veteris testamenti uxores dimisissent: Ergo dimissio illa non fuit tantum permissa tamquam res minus mala, sed tamquam bona & licita: alioquin & Prophetæ & Sacerdotes, quibus incumbebat officium populos docendi legem, per silentium hujusmodi tacite approbassent consuetudinem ita iniquam, ut Judæos in damnationem æternam mergeret: habuisset locum in Prophetis & Sacerdotibus hæc Paschalis Papæ II. sententia, in epistola quæ est 74. inter eas quæ continentur lib. 2. Epistolarum sancti Anselmi: *Si vero nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis & impietatis radicibus pollui, qua ratione possemus apud judicem æternum excusari, cum Dominus sub specie Sacerdotum dicat Prophetæ; Speculatorem te dedi domui Israel; Non bene custodit urbem, qui in specula positus, dum non obsistit, eam hostibus diripiendam exponit.*

Resp. neg. ant. nam, ut supra observatum fuit, cum lex ait pollutam & abominabilem coram Deo esse mulierem quæ dimissa alteri viro nupserit; cum Jeremias ei tamquam adulteræ perditam & corruptam Jerusalem comparat, Judæos de suarum uxorum dimissione non obscure arguunt, ostenduntque eam, indirecte saltem, legis naturalis principiis adversari. Viris piis, qui legis tempore vixerunt, cognita fuit ac perspecta reprehensio hujusmodi quamvis cæteros Judæos carnales, utpote libidinum velamine obcæcatos, latuerit.

Quæres quibus de causis Judæi possent impune uxores dimittere?

Resp. id incertum esse. Josephus Antiquitatum lib. 4. cap. 16. scribit licuisse quacumque de causa. Sed immerito; cum lex, qua repudium tolerabatur, fœditatis solius meminerit. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem putat dimissionem toleratam non fuisse nisi in casu adulterii. At legis mentem non videtur assecutus. Nam. Judæi (ut patet Levitici 20.) obruebant lapidibus mulierem, cujus certum ac exploratum fuisset adulterium: Ea vero cujus scelus erat dubium Zelotipiæ legi subjiciebatur, seu aquam illam amaram, de qua Numerorum 5. versu 5. haurire cogebatur. Estius censet non ob alias causas penes Judæos fuisse uxorum dimissionem, quam eas propter quas id ferebant Ægyptiorum aliorumque gentilium mores, cum scilicet uxores erant reæ adulterii, lepra infectæ, ac præ se ferebant improbitatem morum.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum matrimonium a Christianis contractum dissolvi possit?

Matrimonium apud Christianos duplex est. Ratum scilicet, seu servatis servandis initum per mutuum viri & mulieris de præsenti consensum; Consummatum aliud, seu completum per carnalem conjugum copulam. De utroque scorsim est hic agendum.

§. I.

Utrum Matrimonium ratum tantum dissolvi possit?

Lutherani & Calvinistæ proxime elapso sæculo Ecclesiæ Catholicæ verterunt crimini, quod doceret matrimonium ratum tantum, dirimi per solemnem alterius conjugum in approbata religione professionem. Idem cum hujusmodi sectariis sentientes mulctavit anathemate Synodus Tridentina, sess. 24. canone 6. Quam merito sic definierit Concilium, ostendamus oportet.

Conclusio. Matrimonium, quod est ratum tantum, sed non consummatum, dirimitur per solemnem alterius conjugum in approbata religione professionem.

Probatur 1. authoritate Scripturæ. Christus Matth. 19. ex his verbis Genesis 2. *Erunt duo in carne una*, probat perfectam matrimonii firmitatem: *Itaque* (inquit) *jam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo antequam conjuges sint *una caro*, imperfecta tantum est matrimonii firmitas, ac proinde aliqua ratione potest dissolvi qua tamen non possit, postquam una est per copulam carnalem conjugum caro: Aliam autem rationem, non licet excogitare quam solemnem in approbata religione professionem. Ergo &c.

Probatur 2. ex Patribus. Gratianus causa 27. laudat hæc Eusebii verba: *Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere: licet tamen illi monasterium sibi eligere.* Sed conveniunt peritiores Epistolam decretalem quæ inscribitur Eusebii nomine, non esse Germanum illius fœtum. Idem Gratianus laudat ex Gregorio Magno hanc ejus sententiam: *Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo omnino censuerant damno mulctari.* Nomine autem sponsæ aut desponsatæ Scriptura & Patres intelligunt eam quæ rato, sed non consummato, matrimonio viro juncta fuerit: *Cum* (inquit Matthæus cap. 1.) *esset desponsata mater Jesu Maria Joseph.* Alexander Papa III. in Decretalibus, Titulo, *De conversione conjugatorum* cap. *Verum*, sic loquitur: *Verum post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos .... & alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire.* Laudatos Pontifices novam in mores Christianorum disciplinam suis decretis non invexisse ex eo colligitur, quod alioquin hæretici decreta illa crimini vertissent Ecclesiæ, nonnullique ex sanctissimis doctissimisque Præsulibus impugnaturi fuissent. Illis quoque obstitissent quæ postea celebratæ sunt aut Provinciales, aut Generales Synodi: Quod tamen, cum non contigerit, inferre licet usum illum semper obtinuisse in Ecclesia Catholica, ac proinde eum esse ex Apostolica traditione; juxta celebrem sententiam qua Augustinus contendit id esse ex Apostolica traditione quod ubique servatur, cujuscumque initium aut in Conciliis aut Patribus minime reperitur.

Probatur 3. ratione. Matrimonii vinculum carnale per mortem corpoream solvitur: Ergo vinculum spirituale, quod solum reperitur in iis, in quibus matrimonium ratum quidem est, sed non consummatum, dirimitur per mortem spiritualem, cujusmodi est professio solemnis in approbata religione.

Objicies 1. authoritatem Scripturæ, quæ 1. ad Corinth. 7. agens de matrimonio, asserit 1. ipsum non solvi nisi per mortem alterius ex conjugibus. 2. Non licere, excepta fornicationis causa, dimittere uxorem eumque qui dimissam duxerit, mœchari Matth. 19. Nec iis in locis nec in aliis, Scriptura inter matrimonium ratum tantum & matrimonium consummatum distinguit: Utrinsque igitur eadem ratione firmum est & constans vinculum.

Resp. 1. nimis probare illud argumentum; si enim valeret, probaret matrimonium in infidelitate contractum non solvi, cum alter ex conjugibus Christianæ religionis dat nomen, altero remanente in infidelitate, & cohabitationem sine contumelia salvatoris negante; Non enim locis in objectione relatis inter matrimonia contracta in infidelitate & matrimonia inita a Christianis Scriptura distinguit. Resp. 2. Scripturam, juxta Patrum interpretationem non de quocumque fidelium matrimonio loqui, sed de consummato tantum.

Objicies 2. nonnulla loca Patrum, inter quos sic Gregorius Magnus loquitur lib. 9. Epist. 39. *Sunt qui dicunt religionis causa conjugia debere dissolvi: Verum sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit.* Alexander Papa III. lib. III. decretalium de conversione conjugatorum titulo 32. hæc etiam ait: *Dicimus quod nisi uxor ad religionem transierit; aut perpetuo castitatem servare promiserit, vir potest & debet de monasterio revocari, in quo professionem emiserat.*

Resp. Patres de quibus objectio, loqui de matrimonio per copulam carnalem consummato; Idque pa-

patet 1. ex eo quod Alexander Papa III. ibidem cap. *Verum*, loquens de matrimonio quod eſt ratum tantum, contrarium aſſerat. 2. Gregorius ut ſuum reſponſum probet, utitur his Geneſeos verbis: *Erunt duo in carne una*; additque hoc abſurdum alioquin ſequi: *Unam eamdemque carnem ex parte tranſire ad continentiam, & ex parte remanere in pollutione*.

Nec eſt quod quis dicat non eſſe potiorem rationem de matrimonio rato tantum, quam de conſummato. Nam 1. qui conſummavit matrimonium, non poteſt a ſua conjuge corrupta diſcedere ſine gravi illius detrimento. 2. In matrimonio rato tantum diſpenſavit Chriſtus circa vinculum, non autem in matrimonio conſummato, licet & in iſto pariter potuiſſet diſpenſare.

Objicies 3. Vir per matrimonium ratum jam tradidit corpus ſuum conjugi, cum qua per verba de præſenti contraxit: Ergo non poteſt poſtea illud per ſolemnem profeſſionem tradere religioni. Peccat enim contra juſtitiam, qui rem, in quam non habet dominium, alteri tradit.

Reſp. virum illum non abſolute, ſed cum implicita conditione, nempe quod deinceps non obeat civilem mortem per ſolemnem profeſſionem in religione approbata, corpus ſuum conjugi tradidiſſe.

Objicies. 4. Vir qui iniit matrimonium quod eſt ratum tantum, in multos annos ſuum in religionem approbatam ingreſſum differre poſſet; ac proinde toto eo tempore irritum & nullum reddere jus quod mulieri in ejus corpus acquiſitum eſt, impediretque ne ad alia vota tranſiret; quod eſt abſurdum.

Reſp. negando ſequelam. Ratio eſt, quia Chriſtus cujus authoritate per profeſſionem in approbata religione ſolvitur Matrimonium ratum, Eccleſiæ judicio permiſit determinationem temporis, intra quod alter ex conjugibus poſſit, altero invito, approbatam religionem profiteri: Quantum autem ſit tempus ad id præſcriptum ab Eccleſia, habemus in capite, *Ex publico*, ubi Alexander III. de muliere, cujus Matrimonium, lato judicio, proprius Epiſcopus confirmarat, ſic loquitur: *Cæterum, quia licet a præfato viro deſponſata fuerit; adhuc tamen (ſicut aſſerit) ab ipſo incognita, mandamus, quatenus, ſi prædictus vir ipſam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem tranſire voluerit, recepta ab ea ſufficienti cautione, quod vel ad religionem tranſire, vel ad virum ſuum redire intra duorum menſium ſpatium debeat, ipſam a ſententia, qua tenetur, abſolvas*.

§. II.

Utrum conſummatum Chriſtianorum Matrimonium ſolvi poſſit quoad vinculum?

HIC recenſebimus 1. hæreticorum proxime elapſi ſæculi tum doctrinam, tum cenſuram qua perſtringunt Eccleſiam Romanam, quod matrimonia, etiam in caſu adulterii, quoad vinculum dirimi prohibeat. 2. Quorumdam ſcriptorum (Catholicorum alioquin) ſenſa proponemus. 3. Græcorum hac in cauſa praxim lectoris ponemus ob oculos. 4. Adſtruemus Eccleſiæ Romanæ fidem. 5. Solventur quæ ab adverſariis objiciuntur.

Quid hæretici recentiores? Quid nonnulli authores Latini alioquin Catholici, Quid Græci, Quid Eccleſia Romana de ſolubilitate Matrimonii ſentiant?

Lutherus (Bellarmino teſte) anno 1523. librum conſcripſit in caput 7. prioris ad Corinthios, ubi docet Matrimonium conſummatum varias ob cauſas poſſe diſſolvi, & aliud novum iniri. 1. Cum fictus & larvatus Chriſtianus Chriſtianam conjugem deſerit. 2. Ubi conjux conjugem ad furtum, aut illud peccatum inducit. 3. Cum ob frequentes rixas cohabitatio cum priore conjuge gravem parit moleſtiam. 4. Ubi conjugum alter diu abeſt. 5. Tandem cum Matrimonio conſummato, ab altero ex conjugibus ſuperinducitur adulterium.

Philippus Melancthon in locis Theologicis, Titul. de Conjugio, in duobus tantum caſibus probat matrimonii, etiam conſummati, ſolutionem, nimirum ſi conjugum alter vel fornicetur, vel injuſte conjugem deſerat: tunc vero non innocenti tantum parti aliud Matrimonium concedit, ſed etiam nocenti, idque ſub eo obtentu quod pœna caſtigari non debeat, qui ſervandæ caſtitati ſit impar.

Joannes Calvinus libro 4. Inſtitution. capite 19. contendit uno tantum in caſu dirimi conſummatum fidelium Matrimonium; cum nempe alter e conjugibus fornicatur. Velim obſervet lector tamquam rem quæ ad aſſequendam Concilii Tridentini mentem plurimum conferat, Sectariis quos, huc uſque recenſuimus, ſatis non fuiſſe ſuam de capite de quo eſt quæſtio, proponere ſententiam, præterea enim laceſſivere dicteriis, iniquis cenſuris perſtrinxere Eccleſiam Romanam quod veter ne fidelium matrimonium conſummatum, quoad vinculum ſolvatur, etiam in caſu adulterii. Calvinus loco proxime laudato eam praxim vocat tyrannicam legem. Aſſerunt omnes ad minus erroneam eſſe ejuſdem Eccleſiæ praxim.

Deſiderius Eraſmus Sectariis, non quidem in cenſura quæ ab iis Eccleſiæ Romanæ praxi inuritur, ſed doctrinæ reſpectu, ſeu ſolubilitatis Matrimonii in caſu adulterii præiverat. Anno 1515. ſeu, biennio antequam Lutherus ab Eccleſia defeciſſet, prodierunt illius annotationes tum in Evangelia, tum in Epiſtolas Canonicas: in paraphraſi ad caput 5. Matthæi ſic loquitur: *Et quamquam lex optabat inter conjugatos amicitiam, & concordiam eſſe perpetuam: tamen conſcientia duritiei cordis Judaici, ne quid committeretur ſceleratius, indulſit divortium, puta ne veneficium aut homicidium perpetraretur. At ego volo ſanctius & inviolatius eſſe Matrimonium inter novæ legis profeſſores. Quiſquis enim dimiſerit uxorem ſuam, niſi forte adulteram: Jam enim uxor eſſe deſiit, quæ ſe miſcuit alteri*. Sic iterum loquitur in paraphraſi ad caput 19. *Quæ alteri viro ſui copiam fecit, jam uxor eſſe deſiit, & matrimonii jus ademit ſibi, diviſa carne, quam Deus unam & indiviſam eſſe voluit*.

Thomas Cardinalis Cajetanus multum propendet in eam quam Eraſmo ſententiam adſcripſimus: eam tamen aperte non audet tueri. Hæc ſcribit in caput 19. Matthæi: *Quid autem ſit in dimittente uxorem fornicariam & aliam ducente, textus iſte nihil dicit. At ſi urgeas objeceris, verba Jeſu* (excepta fornicationis cauſa) *non eſſe ſuperflua, & propter exceptionem fornicationis aliquid ſignificare diverſum ab aliis cauſis, fateor ſic eſſe. Et ſi inſtes illud diverſum nihil aliud eſſe niſi quod propter fornicationem dimittens uxorem, & aliam ducens, non mœchatur: Reſpondeo ſic ſonare textum, ſecundum planc litteræ ſenſum. Sed quoniam non audeo opponere me contra torrentem Doctorum & judiciorum Eccleſiaſticorum, ideo dixi textum nihil diſponere de dimittente fornicariam. Intelligo igitur ex hac Domini Jeſu Chriſti lege, licitum eſſe Chriſtiano dimittere uxorem ob fornicationem carnalem ipſius uxoris, & poſſe ducere aliam uxorem, ſalva ſemper Eccleſiæ definitione, quæ hactenus non apparet*. Floruit vero Cajetanus ad ann. 1535.

Ambroſius Catharinus in tractatu de Matrimonio quod anno 1552. prodiit in lucem, verſat in utramque partem, affirmativam nimirum & negativam quæſtione de ſolubilitate Matrimonii quod ſubſequente adulterio polluitur. Ad tractatus calcem, tandem concludit nec Evangelio, nec ex Apoſtolo poſſe colligi non licere in cauſa fornicationis aliud inire Matrimonium: id tamen variis canonibus eſſe prohibitum, & ideo non debere fieri niſi Eccleſiæ authoritas acceſſerit.

Cuique notum eſt hac etiam ætate Græcos conſummatum diſſolvere Matrimonium cui adulterium ſuperveniret. Tempore quo habita fuit Tridentina Synodus, ea praxis vigebat apud Græcos qui Venetorum reipublicæ ſubjiciuntur, ut patebit ex mox dicendis ad laudatæ Synodi canonem ſeptimum Seſſionis

nis 24. idem factitabant quo sæculo habitum fuit Florentin. Concilium. Nam Sessione 25. postquam edita fuit fidei confessio, sic Græcus homo loquitur: *Post hæc Latini quæsivere a nobis hæc*, id est quæstiones fecerunt undecim, Decima est: *Quare conjugia dirimitis, dicente Domino, Quos Deus conjunxit, homo non separet?* Sæculo 13. illi praxi jam inhærebant ut hisce verbis in libro de Græcorum erroribus, testatur Guido Carmelita qui ad annum 1330. floruit: *Decimus error est Græcorum; dicunt enim quod divortia Matrimoniorum fieri possint justa de causa pro libito voluntatis.*

Ecclesiæ Catholicæ fidem circa quæstionem de qua hic agitur, perspicuis hisce verbis tradidit Concil. Trident. Sess. 24. can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit & docet juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, & eam quæ, dimisso adulterio, alii nupserit, anathema sit.*

Quam ob causam mox laudatus canon iis verbis, quibus editus est, prodierit, enarrat Palavicinus lib. 22. Tridentinæ historiæ. Sic enim in cap. 4. scribit: *Canon quoque paratus fuerat cum anathemate in eum qui diceret Matrimonia consummata ob adulterium dissolvi, sed Oratores Veneti die xi. Augusti, cum ipsis posterior modulus ostensus est, solemniter exposuerunt Conventui, Venetam rempublicam semper conjunctissimam fuisse Apostolicæ sedi, & Conciliis Oecumenicis ejus authoritate celebratis, pioque semper studio amplexam, ac veneratam decreta, sanctionesque, inde profectas. Verum ab eo quod septimo canone parabatur, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem Orientis Ecclesiæ, præsertim vero Venetorum insulis, Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephaleniæ, & aliis multis, non solum cum publicæ quietis, sed cum Ecclesiæ Catholicæ detrimento. Compertum esse Patribus, tametsi Græca Ecclesia a Romana ex parte dissentiret, non tamen eo desperationis deventum esse, ut meliora sperari non possent: præsertim cum Græci in subjectis Reipublicæ locis degentes, quamvis suo ritu viverent; tamen Præsulibus a Romano Pontifice assumptis obtemperarent. Ea propter tum rerum convenientia, tum Græcorum munere se compelli, ne ipsi eos populos percuti sinerent ejusmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque a Sede Apostolica secessionem provocarentur. Satis constare in more positum apud Græcos, ut uxorem adulteram deserant, & aliam ducant, veterrimam majorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, secuti; nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculsos fuisse ab ulla Synodo Oecumenica, etiamsi Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ hujusmodi mos liquido innotuisset. Existimare igitur Oratores, sui esse muneris, quam efficacissime possent, postulare, ut voces illæ canonis adeo moderate lenirentur, ne Græcis detrimentum inferrent. . . Posse, quantum ipsi rebantur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ satisfieri, canone ejusmodi verbis conflato: Anathema sit, si quis dixerit sacrosanctam Romanam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quæ mater & magistra aliarum est, errasse aut errare, cum docuit & docet propter adulterium alterius conjugum, Matrimonium non posse dissolvi, nec utrumque, vel etiam innocentem conjugem, qui causam adulterio non dedit, debere novum Matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimissa adultera, alteram duxerit, & eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit. Propterea rogari Patres ab Oratoribus, ut vel ea, vel alia meliori ratione, pro ipsorum prudentissimo arbitratu, vellent in eo gratificari Serenissimæ Reipublicæ, quæ semper sacrosanctæ Sedi Apostolicæ obsecuta plane fuerat, & erat obsecutura.*

Ex iis constat Tridentinos Patres habuisse in animo 1. percellendi anathemate, non quidem Græcos, aliosque, alioquin Catholicos, qui alias contenderant Matrimonium dissolvi quoad vinculum, adveniente adulterii casu, sed Lutheranos & Calvinistas qui Ecclesiæ doctrinæ censuram inusserant, asserentes (ut retulimus ex Calvino,) eam esse erroneam ac tyrannicam. Constat 2. iisdem Patribus persuasum fuisse tum Evangelium tum Apostolum docere consummatum fidelium matrimonium, etiam in adulterii casu non dirimi quoad vinculum, contra quod tamen Cajetanus (ut superius observatum est) senserat. Constat 3. eosdem Patres judicasse Ecclesiam olim & tempore Concilii docuisse, ac proinde docturam esse deinceps; matrimonium consummatum minime dissolvi propter subsequens adulterium. Verum illud est discrimen inter prius caput & hæc duo postrema; quod (ut dictum est) illud, quod & discussum est ex professo, sub anathemate, non autem ista, Tridentini Patres proposuerint: Sed hæc de eo canone satis sint. Proferenda sunt tum Scripturæ, tum traditionis loca quibus Ecclesiæ de Matrimonii consummati indissolubilitate doctrina confirmetur.

Proferuntur petita ex Scripturis argumenta pro indissolubilitate Matrimonii consummati.

Primum argumentum sumitur ex Matthæi 19. cap. ubi Christus sic alloquitur Pharisæos a quibus interrogatus fuerat, an liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

Nec est quod reponant Græci hanc exceptionem; *Nisi ob fornicationem*, conceptis terminis appositam a Christo, sat innuere quod viro liceat in casu adulterii dimittere uxorem & aliam ducere. Nam illa exceptio non refertur ad hæc verba, *& aliam duxerit*, sed ad istud tantum; *Dimiserit*; ita ut sensus sit; virum, qui, excepta fornicationis causa, a toro dimittit uxorem (ut dicitur Matthæi 5.) faciat eam mœchari: quippe qui eam injuste exponat periculo mœchandi cum alio viro. Nec est quod iterum objiciant; Pharisæos Christum interrogasse de dimissione quoad vinculum, non autem de sola quoad torum dimissione: Id enim fatemur. Verum illa quæstio soluta est a Christo altero suæ responsionis membro, ubi his verbis: *Nisi ob fornicationem*, quæ sunt pars prioris membri, addidit ista; *Et aliam duxerit, mœchatur*, quæ aliud membrum constituunt; clare innuit futurum tunc adulterium, non Matrimonium.

Confirmatur argumentum 1. ex eo quod nec Marcus, nec Lucas referentes Christi responsionem ad Pharisæos, istius exceptionis: *Nisi ob fornicationem*, meminerint, sed asseruerint absolute & absque restrictione quod reus futurus sit adulterii qui priore uxore dimissa, aliam duxerit: *Quicumque* (inquit Lucas cap. 10.) *dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Eam tamen exceptionem, quæ tanti est momenti, laudati Evangelistæ non præteriissent, præsertim cum prævidérint Evangelia a se conscripta posse incidere in eorum manus, ad quos a Matthæo conscriptum perventurum non esset. 2. Si Christus per exceptionem hanc, *Nisi ob fornicationem*, significare voluisset virum qui propter adulterium uxorem dimiserit, posse nubere cum altera, significasset pariter his verbis: *Qui dimissam duxerit, mœchatur*, dimissam ob adulterium uxorem posse cum altero viro nubere: Sed istud nequaquam significatum voluit: alioquin enim juste dimissa melioris esset conditionis, quam quæ sine causa dimissa fuisset: illa nimirum, fatentibus adversariis, posset alteri nubere, non autem ista.

Alterum pro Ecclesiæ doctrina argumentum sufficit Paulus 1. ad Corinth. 7. *Iis autem* (inquit) *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Hæc iterum habet idem Apostolus: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit*: ac proinde & vir mulieri: dicit enim Apostolus, quod sicut mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: ita vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Sine

nl-

ulla omnino restrictione Apostolus (ut patet) loquitur Corinthiis ; quos quidem certum est quod Matthæi Evangelium legissent ; nec enim constat, aut ad illos tunc delatum fuisse illud Evangelium, aut versum in Græcum idioma quo utebantur Corinthii .

Nec argumenti vim enervant qui reponunt allatos ex Paulo textus nimis probare, si absolute & absque fornicationis exceptione intelligantur : quippe qui probarent virum nullo in casu , nequidem supervenienta fornicatione, posse uxorem, etiam a toro, dimittere : siquidem Apostolus absolute præcipiat ne vir aut mulier a se invicem discedant, Non enervant (inquam) argumenti vim: Nam esse casum aliquem quo mulier, quoad thoum , possit a viro discedere, Paulus supponit; cum mulieri absolute non imperet ut redeat ad virum quem juste dimiserit , sed id præcipiat tantum ex suppositione quod non velit innupta remanere , seu quod velit uti Matrimonio : *Quod si discesserit , manere innuptam , aut viro suo reconciliari*.

Proferuntur argumenta petita ex traditione pro indissolubilitate Matrimonii consummati.

I. Quid proxime elapso sæculo Ecclesia de proposita quæstione sentiret , demonstrat 7. Can. Sess. 24. Concilii Tridentini . Demonstrant iterum universalia hæc & absque ulla exceptione scripta ab eodem Concil. verba: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis parens, divini Spiritus instinctu pronuntiavit , cum dixit , Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*

II. Doctrinam Ecclesiæ de indissolubilitate Matrimonii, etiam ubi accidit adulterii casus, probat pro sæculo 15. Synodus Florentina sub Eugenio IV. Ex Sess. 25. constat sic Papam Græcos allocutum fuisse: *Primo dico omnes conqueri de separatione Matrimonii, idque correctione indiget* . Post pacificum Græcorum discessum idem Eugenius in decreto pro instructione Armenorum sic edixit: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

III. Innocentius Papa III. qui ad ann. 1210. floruit, lib. 4. decretalium titulo 19. de divortiis cap. 8. hæc in eumdem scopum scribit : *Sane veridica hæc sententia probatur etiam de testimonio veritatis testantis in Evangelio; quicumque dimiserit uxorem suam ob fornicationem , & aliam duxerit , mæchatur . Si ergo uxore dimissa duci alia de jure non potest , fortius & ipsa retenta.*

IV. Lanfrancus qui ad ann. 1080. rexit Ecclesiam Cantuariensem ; Epistola x. ad Thomam Eboracensem Episcopum sic loquitur: *De his autem, qui uxores desponsatas causa fornicationis relinquere , aliasque sibi conjungere volunt (hoc enim vestra prudentia a me requisivit) Dominus Jesus Christus quid sentiendum sit , in Evangelio secundum Marcum apertissime dicit : Quicumque dimiserit uxorem suam , & aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si uxor dimiserit virum suum, & alium duxerit, mæchatur... in his verbis dominicis luce clarius liquet , quia viro , vel uxore extraneam copulam quærere nulli eorum licet* . Idem asserit coætaneus Lanfranci Ivo Carnotensis Epistola 125. ad Duimbertum Senonensem Archiepiscopum.

V. Noni sæculi doctrinam demonstrant hæc Nannetensis Concilii verba . *Si cujus uxor adulterium perpetravit , & hoc a viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem; si voluerit, propter fornicationem, ... vir vero ejus illa vivente nullatenus accipiat aliam uxorem*. Paschasius Corbejensis Abbas , qui floruit ad annum 740. lib. 9. in Matthæum; sic etiam loquitur: *Quamquam licite dimittatur uxor ob causam fornicationis seu a viro, discedente uxore, manet tamen vinculum prioris conjugii , præter quod fit reus adulterii: qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis, aut vir dimissus , si aliam duxerit .*

V. Pro sæculo octavo idem evincitur ex Concilio Forojuliensi quod anno 781. habitum est cap. x. Patres hæc ajunt: *Item placuit ut resoluto, fornicationis causa, jugali vinculo* (intelligere quoad thoum) *non liceat viro , quandiu adultera vivit , aliam uxorem ducere* .

VII. Septimi sæculi , testis profertur Beda venerabilis: hæc nimirum habet lib. 2. in cap. 10. Marci: *Si* (vir uxorem) *dimiserit, quod causa fornicationis permittitur , maneat sine uxore.*

VIII. Praxim Ecclesiæ pro quinto sæculo habemus ex altera Synodo Milevitana , quam anno 416. celebrarunt ; hæc habet can. 17. *Placuit* (inquit) *ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore ; neque dimissa a marito, alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint , ad pœnitentiam redigantur; In qua causa* (ut pœnarum sæcularium metu impii ab infractione canonis deterreantur) *legem imperialem promulgari &c*. Hæc etiam habet Augustinus libro de adulterinis conjugiis cap. 8. quem quidem librum ante laudatam Synodum conscripsit : *Si par est forma in utroque, uterque mæchatur si se alteri junxerit, etiam cum se a fornicante disjunxerit , parem vero esse formam in hac causa viri atque mulieris , ostendit Apostolus.*

IX. Cujnam disciplinæ quarto sæculo nostri majores adhærerent , docet Hieronymus in Epist. ad Oceanum , ubi describit pœnitentiam publicam , quam Romæ egit S. Fabiola, eo quod (ut permittebant hominum leges) dimisso a se viro adultero , cum altero nupsisset. In epistola ad Amandum hæc scribit , quibus idem demonstratur : *Qui dimissam duxerit, adulter est; sive ipsa dimiserit virum, sive a viro dimissa sit, adulter est qui dimissam acceperit.*

Nec est quod quis cum Launoio dicat Hieronymum credidisse mulierem viro in nubendi jure inæqualem esse, seu, licere quidem viro, juste dimissa uxore adultera, cum altera inire matrimonium; sed non posse mulierem cum altero nubere post viri adulteri dimissionem . Nam 1. nusquam Hieronymus inæqualitatem illam , de qua Launoius, asseruit; imo contrarium docet Epist. 30. ubi hæc ait : *Quidquid viris jubetur , consequenter redundat in fœminas: Neque enim uxor adultera dimittenda est , & mæchus tenendus* . 2. Scribens S. Doctor in cap. 19. Matth. idem de viro docet , quod de muliere docuit in Epistolis ad Oceanum & ad Amandum : *Et quia* (inquit) *poterat accidere , ut aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret , sic priorem dimittere jubetur uxorem , ut secundam prima vivente non habeat.*

Innocentius Papa , hujus nominis primus , eamdem disciplinam, cui mox testimonium prohibuit Hieronymus , confirmat in Epistola ad Exuperium Tolosanum. Affirmat nimirum cap. 6. tum dimittens quam per repudium dimissos conjuges esse adulteros si cum aliis nupserint . Idque probat ex Evangelio Marci ubi nulla omnino ponitur exceptio: *De his* (inquit) *requisivit dilectio vestra, qui intervenicate repudio alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est . Qui vero vel uxore vivente ; quamvis dissociatum videtamur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt , utque possunt adulteri non videri , in tantum ut etiam hæ personæ , quibus tales conjuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur , secundum illud quod legimus in Evangelio, qui dimiserit uxorem suam, & duxerit aliam, mæchatur, similiter & qui dimissam duxerit, mæchatur & ideo omnes a communione abstinendos.*

X. Laudati hactenus Patres doctrinam suam hauserant ex iis qui vixerant prioribus sæculis : *Fidelis fœmina* (ait can. 9. Concilium Eliberitanum quod habitum est circa annum 250.) *quæ alterum maritum reliquerit fidelem , & alterum duxerit , prohibeatur , si nubat; si autem duxerit non prius communionem accipiat , quam is , quem reliquit , de sæculo exierit , nisi necessitas infirmitatis dare compulerit*. Ideo fœmina illa excommunicatione innodatur usque ad mortem mariti quem secundo duxit, quod vel cohabitet cum ipso, & sic fit adultera , vel quod licet ab illius amplexibus temperaverit, periculum sit tamen ne, mo-

movente libidine, ad eum redeat. Si tamen urgeat infirmitatis necessitas, idest, si immineat vitæ periculum donari jubetur communione, etiam ante mortem viri cum quo, vivente priore, contraxerat: Nec mirum, illud enim crimen ex iis non erat, quæ Patres Eliberitani absolutionis, etiam in ipso vitæ exitu, privatione castigarunt. Verum (inquiunt nonnulli) si Patribus Eliberitanis persuasum sit adhuc stare prioris matrimonii vinculum, cur mulieri de qua agitur, non imperant ut ad priorem maritum redeat? Sed iis authoribus abunde factum fuerit satis ubi moniti fuerint id laudatos Patres non jubere, quod prior maritus per adulterium exciderit jure quo in uxoris corpus ad exercendum actum conjugalem potiebatur.

Solvuntur quæ objici soleat pro Matrimonio etiam quoad vinculum in casu adulterii solvendo.

Objicies 1. Justinus Martyr qui vixit altero Ecclesiæ sæculo, in priore Apologia quam pro Christianis scripsit, narrat factum cujusdam mulieris quæ virum male moratum, emendationis spe diu sustinuit: *Sed ille postquam Alexandriam profectus multo deterior factus esse dictus est, fœmina misso illi, qui apud vos dicitur, repudii libello, ab eo sic sejuncta est.* Justinus (argumentum est Launoii) mulieris factum non reprehendit, Ergo (inquit) censuit solutum fuisse illius matrimonium.

Resp. non valere consequentiam. Docet nimirum Ecclesia innocenti licuisse semper adulterum dimittere. Quod quidem unum præstitit illa mulier, neque enim Justinus asserit eam, vivente dimisso, alteri nupsisse.

Objicies 2. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem sensisse videtur quod marito dimissa propter adulterium uxore, alteri nubere liceat. Eodem lib. cap. 34. asserit Deum virum a muliere non disjungere nisi in adulterii casu: *Cæterum* (inquit) *præter hæc causa adulterii nec creator disjungit, quod ipse scilicet conjunxit.* Ergo ubi advenit adulterii casus, Deus ipse disjungit quod ipsemet conjunxerat.

Resp. Deum eo in casu disjungere quoad thorum, & quoad cohabitationem, virum quem ipse mulieri conjunxerat, non autem quoad vinculum. Illi solutioni lux affulget ex ipsomet Tertulliano, qui eodem in capite mœchum eum definit esse, qui uxorem dimittit ut aliam ducat: *Dico* (inquit respondens Marcioni objicienti Christum contrarium esse Moysi, quia prohibuit divortium quod ille concesserat) *illum (Christum) conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem; si ideo quis dimittat uxorem, ut aliam ducat .... Ita si conditionaliter prohibuit dimittere uxorem, non in totum* (seu extra omnem casum) *prohibuit, & quod non prohibuit in totum, permisit.* Ex eo textu patet veritati consona non esse quæ scribit Maldonatus in cap. 19. Matthæi, ubi sic loquitur: *Legimus nonnullos authores veteres in ea fuisse sententia, Tertullianum lib. 4. contra Marcionem, scilicet ut liceret marito dimissa propter adulterium uxore, aliam ducere.*

Objicies 3. Origenes tractatu 7. in Matthæum asserit non sine causa quosdam Episcopos permisisse, quibusdam mulieribus ut nuberent cum viris quorum vivebant adhuc priores uxores: *Non tamen* (inquit) *sine causa permiserunt.* Igitur mos cum pluribus nubendi obtinebat Origenis ætate.

Resp. neg. conf. Nam Origenes ibidem asserit 1. id ab illis Episcopis factum fuisse contra Scripturarum authoritatem: *Scio quosdam qui præsunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse, aliquam nubere viro, priori vivente.* Docuit 2. id permissum fuisse tamquam minus malum. *Et contra Scripturam quidem fecerunt dicentem: Mulier ligata est &c. Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt; forsitan enim propter hujusmodi infirmitatem incontinentium hominum, pejorum comparatione, quæ mala sunt, permiserunt, adversus ea, quæ ab initio fuerunt scripta.*

Objicies 4. Ineunte, & adulto etiam, sæculo quarto tum Latini, tum Orientales, dimissis adulteris uxoribus, nubebant, & quidem canonum authoritate, cum aliis uxoribus. Prius Concilium Arelatense quod anno 314. habitum est, hæc ait can. x. *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, & ii sunt adolescentes, & prohibeantur nubere: placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus, licet adulteris, alias accipiant.* Patres Arelatensis Concilii, temperare ab aliis, vivente priore conjuge, nuptiis, ad consilium, non autem ad præceptum referunt: censebant igitur eas nec irritas esse nec illicitas. Basilius qui ad annum 365. floruit in Epist. Canonica ad Amphilochium docet 1. suo sæculo Orientalibus in more fuisse positum ut mulieres, etiam in adulterii casu, viros non dimitterent. Docet 2. id tamen viro licuisse. Docet 3. virum, qui contra morem dimissus fuerit, venia dignum esse si nubat cum altera uxore, additque eam secundam uxorem dici non debere adulteram. Docet denique 4. quod vir, si ipse uxorem dimiserit, non possit cum altera nubere: *Quare* (inquit) *quæ relinquit, est adultera, si ad alium virum accessit: relictus vero est dignus venia & quæ cum eo habitat, non ideo condemnatur. Si tamen vir ab uxore discedens, accesserit ad aliam, est ipse adulter quoniam facit eam adulterari; & quæ cum eo habitat, est adultera, eo quod alienum virum ad se traduxerit.*

Resp. ad 1. vocem, *Consilium*, a Patribus Arelatensibus sumi pro exhortatione: ita ut Canonis sensus sit Pastores hortari debere adolescentes, de quibus agitur, ne, deprehensis in adulterio propriis uxoribus, nubantur cum aliis. Ratio est, quia ex ipsiusmet canonis textu patet illicitum ac irritum futurum fuisse aliud quod tentarent matrimonium: *Et prohibeantur* (inquit) *nubere*. Ad 2. vero, dicendum est Basilium conceptis terminis asserere conjugem, sive sit vir, sive mulier, qui comparte derelicta, ob fornicationem, aut aliam ex causis quæ eo in canone enumeratæ sunt; & alteri nubit, esse adulterum. Censet ergo, etiam in adulterii casu, matrimonium non solvi quoad vinculum. Unde cum subdit dimissum virum, qui cum altera nubit, esse dignum venia, & eam quæ cum eo habitat, non ideo condemnari, loquitur ad mentem legum Civilium, quæ in viro dimisso aliud matrimonium non castigabant. Præterea aliud Matrimonium innuit indultum fuisse ad vitandum majus malum, cum affirmet viro a quo contrahitur, opus esse venia: *Relictus vero* (inquit) *est dignus venia.*

Objicies 5. Concilium Veneticum quod circa annum 465. habitum est, hæc habet canone 11. *Eos quoque, qui relictis uxoribus suis, sicut in Evangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione, alias duxerint, statuimus a communione statim arcendos.* Ergo, si cum adulterii probatione aliis nupserint, donandi sunt communione. Vetus Pœnitentiale Romanum, quod Antonius Augustinus edidit, decernit, ut uxor, quæ juridice probaverit se, alioquin invitam, jubente marito, commisisse adulterium, *si se continere non potest, nubat cui voluerit tantum in Domino; maritus vero sine uxoria spe in perpetuum maneat.*

Resp. ad 1. hæc verba: *sine adulterii probatione*, referri ad uxorum dimissionem, non autem ad illud posterius membrum, *alias duxerint*: ita ut sensus sit eum illigari debere excommunicationis vinculo, qui sine adulterii probatione suam uxorem dimiserit. Simile quid decernitur can. 25. Conc. Agathensis. Ad 2. dicendum est laudatum Pœnitentiale loqui de matrimonio contrahendo post mortem mariti, cujus jussu invita illius uxor adulterata fuerat: ita ut velit Pontificale quod dum maritus ille inhabilis efficitur ad aliud matrimonium, etiam post uxoris mortem; uxor e contra, ubi maritus obierit, pro libito possit ad secunda vota transire. Idem sibi vult can. 19. lib. v. Capitularium Caroli Magni, ubi hæc habentur: *Si quis homo habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteravit cum ea, ille frater vel illa fœmina, qui adulterium perpetrarunt, interim quoad vivunt, numquam amplius habeant conjugium;*

giam; ille vero cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet uxorem accipere aliam.

Objicies 6. Dogma de indissolubilitate matrimonii, incertum videtur. Nam 1. Fabiolam Romanam matronam latuit ineunte quinto sæculo: nupsit enim cum altero viro, ubi priorem dimisisset: *Igitur* (inquit Hieronymus Epist. 30. ad Oceanum) *& Fabiola, quæ persuaserat sibi, & putabat a se virum jure dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa cautio, viventibus viris, fœminis amputatur &c.* 2. Tum Summi Pontifices, tum alii Præsules in causa de qua agitur, sæpius consulti fuere. *De his enim requisivit dilectio tua* (inquit Innocentius Papa I. rescribens ad Exuperium Tolosanum) *qui interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt.* Idem a Lanfranco Cantuariensi quæsitum est XI. sæculo a Thoma Eboracensium Episcopo: *De his autem* (ait Lanfrancus ad mox laudatum Præsulem rescribens) *qui uxores desponsatas, causa fornicationis, relinquere, aliasque sibi conjungere volunt; hoc vestra prudentia a me requisivit.* 3. Augustinus ait sua ætate ita obscuram fuisse quæstionem de qua agitur, ut in ea non nisi venialiter erraretur. *Et in ipsis divinis sententiis* (inquit lib. de fide & operibus cap. 19.) *ita obscurum est, utrum & iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo venialiter ibi quisque fallatur.*

Resp. ad 1. Hieronymum agnovisse Fabiolæ factum fuisse contra Evangelii vigorem; propter hujusmodi factum Fabiolam, Romæ publicam egisse pœnitentiam. Resp. ad 2. quæsitos nonnumquam fuisse Summos Pontifices de rebus passim apud omnes certis, quæ tamen ob nonnullorum tricas obscuræ fierent; id paret ex multis capitibus epistolæ ejusdem Innocentii ad Decentium. Resp. ad 3. intricatam quidem esse (ut ait Augustinus) hanc quæstionem, si solarum Scripturarum habeatur ratio: secus si traditio Scripturis conjungatur. Præterea quod tunc Augustinus obscurum judicavit in Scripturis, perspicuum postea ipsemet detexit: nam lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 8. conceptis terminis asserit constare ex Evangelio mœchari mulierem, quæ, dimisso viro adultero, nubit alteri; additque clare constare ex Apostolo parem esse hoc in capite viri mulierisque formam: unde concludit utrumque conjugem mœchari, si dimissa comparte adultera, alias nuptias inierit: deinde & argumentum quo id impugnetur, & argumenti solutionem hisce verbis tradit: *Cur ergo* (inquis) *interposuit Dominus causam fornicationis, & non potius generaliter ait: Quicumque dimiserit suam, & aliam duxerit, mœchatur, si & ille mœchus est, qui, dimissa fornicante muliere, alteram ducit. Credo, quia illud quod majus est, hoc Dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse quis negat, uxore non fornicante dimissa alteram ducere, quam si fornicantem quis dimiserit, & tunc alteram duxerit: non quia & hoc adulterium non est; sed quia minus est, ubi fornicante dimissa altera ducitur.* Verum datis hucusque responsionibus addenda sunt hæc Bellarmini verba lib. 1. de Sacram. Matrim. cap. 17. *Adde quod tempore Augustini non erat hoc dogma ab aliquo generali Concilio explicatum, & ideo facilius excusari poterant, si qui in hac re errassent.* Quid autem Concil. Trid. sub anathemate de eo definierit contra Lutheranos & Calvinistas, qui Ecclesiæ doctrinæ censuram inusserant, suo loco superius dictum est.

§. III.

Utrum Matrimonium sit indissolubile quoad torum?

Conclusio. Matrimonium, etiam consummatum, quoad torum solvitur per adulterium alterius e conjugibus.

Probatur. Hæc verba quibus Christus utitur Matth. v. *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa facit eam mœchari*, significant quamdam in adulterii casu dimissionem licere. Verum (ut Paragrapho superiore demonstratum est) ea dimissio non est dimissio quoad vinculum matrimonii; ergo est dimissio quoad torum; ita ut parti adulteræ debitum conjugale petenti, altera quæ supponitur innocens, ex justitia reddere non teneatur. Eam quoad torum dimissionem probat quoque disjunctio qua Paulus utitur: *Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Si enim mulier jure ab adultero viro quoad torum non discederet, Paulus absolute præcepisset ut ea mulier quamprimum ad maritum rediret, eique reconciliaretur.

Quæres quid intelligatur per fornicationem qua jus conjugibus datur, ut a se invicem quoad torum discedant?

Resp. intelligi omnia carnis peccata quæ in stupris posita sunt: *Si furti nomine* (inquit Augustinus in quæst. Deuteronomii, quæst. 37. ad cap. 23.) *bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ .... profecto & nomine mœchiæ, omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.*

Quæres 2. utrum pars quæ fornicationis rea fuerit possit ob simile crimen compartem a toro dimittere.

Resp. negative. *Nihil iniquius est* (inquit Augustinus lib. de bono conjugali cap. 7.) *quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse convincitur fornicari.*

Quæres 3. utrum dimissio a toro in adulterii casu, non solum licita sit, sed etiam præcepta?

Resp. 1. eam non præcipi, si uxor adultera certo probet pœnitentiam. Nam 1. Nec Christus in Evangelio, nec Paulus in suis Epistolis, docent eam tunc esse præceptam, imo liberam esse non obscure innuit Apostolus ubi vult mulierem, quæ virum dimiserit, aut innuptam remanere, aut viro suo reconciliari. 2. Penes est conjugem innocentem uti aut non uti jure suo. 3. Ita censet August. lib. 2. de adulterinis conjugiis ad Pollentium cap. 6.

Resp. 2. virum ex lege charitatis, non autem ex lege justitiæ, teneri concedere torum uxori quæ fornicationis occultæ rea fuerit, si tamen eam facti serio pœnituerit & præterea sit periculum, ne alioquin cum aliis iterum fornicetur. Ratio est, quia non licet nobis uti jure nostro, cum ex illius usu spirituale proximi damnum sequitur: illius nempe saluti, etiam cum temporali nostro dispendio consulere tenemur.

Resp. 3. virum, ex præcepto teneri uxorem dimittere cum ab adulteriis non temperat, imo cohabitationem negare post Ecclesiastici judicis sententiam: *Ubi dixi* (inquit Augustinus lib. 1. Retract. cap. 19.) *hoc permissum esse, non jussum, non attendi aliam scripturam dicentem: Qui tenet adulteram, stultus & impius est.* Quæ modo de adultera uxore dimittenda dicta sunt, in uxore respectu mariti adulteri, locum non habent: neque enim mulier est caput viri: unde illius, licet minime dimissi, flagitiis consentire non censetur.

Conclusio 2. Præter fornicationis casum, multi sunt alii, in quibus conjugi innocenti licitum est nocentem a toro dimittere.

Probatur enumeratione. 1. Id licet, ubi conjuges de mutuo consensu perpetuam castitatem voverint, sive postea remaneant in habitu sæculari, sive dent nomen approbatæ religioni. 2. Id quoque licet propter quodcumque crimen ex quo aut vitæ, aut sævæ cohabitationis, aut salutis periculum timetur: ita nimirum canonibus definitum est.

Objicies 1. Christus Matth. 5. ubi agit de separatione quoad torum, solius fornicationis meminit. Capite 19. excludere videtur omnes alios casus: *Dico vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem &c.*

Resp. iis locis Christum agere de dimissione, quæ jure matrimoniali & in viro adultero conjuge fit ad vitam. Verum dimissio in casibus, de quibus in conclusione, non sunt ejusmodi. 1. Quæ fit ex voto, fit quoque ex mutuo conjugum consensu. 2. Quæ fit ad vitandum aut salutis, aut vitæ periculum, fit solo jure defensionis. Præterea, ista non est perpetua; tenetur scilicet conjux innocens ad nocentem redire, ubi periculum desierit.

Obji-

Objicies 2. Hieronymus in caput 19. Matthæi hæc scribit: *Dicunt ei discipuli ejus: si ita est causa hominis* (seu si ut Christus edixerat, ob solam fornicationem uxor dimitti possit) *grave pondus uxorum est. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si jurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? Volumus nolumus, sustinenda est. Cum enim essemus liberi, voluntarie nos subjecimus servitati*. Nullus igitur alius a fornicatione casus existit in quo viro uxorem a toro dimittere liceat.

Resp. Hieronymum loqui de muliere, quam improbitatis pœnituerit, quæque in dies suæ studuerit conversioni: hanc enim non licet dimittere. Nec obstat caput: *De illa. Ext. de divort.* ubi Urbanus Papa III. definit mulierem quæ non expectato Ecclesiæ judicio declinarat consortium viri, qui lapsus fuerat in hæresim, debuisse compelli ut ad eum convertam rediret, secus vero si discessionem præcessisset Ecclesiæ judicium: *Si vero* (inquit) *judicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam*. Non obstat (inquam) laudatum caput: Nam vel Urbanus loquitur de hæretico, cujus non vera sed ficta fuisset conversio; vel agit, (ut ex ipsis decreti terminis patet) de obligatione in foro externo, non autem quæ in foro conscientiæ ligaret.

Caput Tertium.

De necessitate Matrimonii.

NON est hic quæstio de necessitate medii: quippe quod certo certius sit multos fideles salutem consequi, quamvis matrimonio nunquam ligentur: quæstio igitur est tantum de necessitate præcepti.

Conclusio 1. Matrimonium jure naturali singulis hominibus præceptum fuit in mundi exordio: Illud quoque Deus Israelitis injunxit, quamdiu populus fidelis exiguo erat numero.

Probant priorem conclusionis partem nonnulli ex his Dei ad Adamum & Evam verbis: *Crescite & multiplicamini*. Verum non continent nubendi præceptum, cum brutis quoque animantibus, quæ præcepti capacia non sunt, dicta fuerint. Dicendum est igitur probari eam ex eo quod naturalis ratio præcipiat conservationem speciei per matrimonium, sicut injungit individui conservationem per sumptionem alimenti.

Probatur altera conclusionis pars. Israeliticus populus non erat gentis initio, infidelium conversione multiplicandus, sed carnali tantum generatione: Ergo tunc quisque tenebatur ad matrimonium: nullus scilicet erat, cui tunc debitum non incumberet conservandi, quantum esset in se, augendique populum fidelem. Ita Augustinus censet lib. de bono conjugali cap. 9.

Conclusio 2. Multiplicato populo fideli, Matrimonium singulis Israelitis præscriptum non fuit in antiqua lege, nec modo præcipitur in nova, sed iis tantum, qui continentiæ consilium capere non possunt.

Probatur prior pars 1. exemplis Josue, Eliæ, Elisæi & Hieremiæ quibus nemo unquam crimini vertit cœlibem quam professi sunt vitam. Ostenditur 2. exemplis Christi & Apostolorum, quorum cœlibatum haud dubie Judæi arguissent, si dum viverent, singulos in individuo Judæos matrimonii præceptum ligasset.

Probatur altera pars 1. ex Evangelio, quod beatos asserit eos, qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. 2. ex Apostolo qui virginitatem anteponit matrimonio. Estius Principes excipit, & quidem merito: quippe qui nubere nonnunquam teneantur, ut aut religioni, aut publicæ paci consulant.

Probatur tertia pars. Matrimonium antequam Adamus laberetur, merum erat officium naturæ: ac post illius peccatum, evasit incontinentiæ remedium. Qui vero per continentiæ votum ejusmodi remedii usu se

Juenin de Sacram.

ipsos interdixere, debent ad praxim reducere illud aliud quod fœlicis recordationis Innocentius Papa XI. fertur respondisse cuidam Subdiacono petenti dispensationem ad contrahendum matrimonium, causato se non posse continere: *Jejunet & oret: hoc enim genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & jejunio.*



QUÆSTIO QUINTA.

De solemnitatibus requisitis ad Contractum Matrimonialem.

QUædam solemnitates contractui matrimoniali præmittuntur, nonnullæ vero illum comitantur. Quæ matrimonio præmittuntur, sunt Sponsalia, Proclamationes, consensus Superiorum: Quæ vero ipsum comitantur, reduci possunt ad Parochi, testium, & utriusque contrahentis præsentiam.

Caput Primum.

De Sponsalibus.

COnclusio 1. Sponsalia definiuntur futuri matrimonii mutua promissio & quidem acceptata.

Probatur 1. ex Nicolao Papa I. qui ad consulta Bulgarorum cap. 3. sic loquitur: *Sponsalia futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera, quæ consensu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorum potestate sunt, celebrantur*. 2. Ea in definitione continetur sponsaliorum discrimen a matrimonio: istud enim est mutua promissio per verba de præsenti; illa vero per verba de futuro.

Conclusio 2. Impuberes post completum septennium possunt inire sponsalia, si tunc rationis usu fruantur.

Probatur ex jure Canonico. *Desponsationes* (inquit Alexander Papa III. lib. 4. Decret. Titul. de desp. impuber. c. Accessit) *& matrimonia ante septem annos fieri non possunt, si consensus postea non accedit*.

Quæres utrum parentes pro filiis possint inire sponsalia?

Resp. affirmative: *Porro* (verba sunt juris canon. cap. 1. §. ultimo de desponsatione impuberum in Sexto) *ex sponsalibus quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expresse consenserint, vel tacite, ut si presentes fuerint, nec contradixerint, obligantur: & est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes, eadem sponsalia tacite vel expresse, post scientes ratificaverint*. Illam potestatem Genetius extendit ad tutores respectu pupillorum. Verum asserit Cabassutius noster id proferri sine ullo juris suffragio. Nam (inquit) jus parentum in filios privilegium est: Privilegia autem præter id quod textu exprimitur, extendi minime possunt.

Conclusio 3. Duo sunt Sponsaliorum effectus, obligatio nempe contrahendi matrimonium, & impedimentum quod vocant justitia publicæ honestatis.

Probatur prior pars 1. ratione promissis omnibus communi. 2. authoritate S. Thomæ qui in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. ad 2. sic loquitur: *Ex tali promissione sponsaliorum obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat, & secundum hoc etiam Ecclesia cupit injungendo pœnitentiam pro peccato: tamen in foro contentioso non compellitur, quia coacta matrimonia consueverunt malos exitus habere*. Alteram conclusionis partem tradit Concil. Trident. Sess. 24. cap. 3. de reform. matrimonii, sacræ Synodi decretum inferius exponetur.

Conclusio 4. Sponsalia, etiam juramento firmata, multis modis dissolvuntur.

Probatur enumeratione. Dissolvuntur ex mutuo sponsorum consensu, Cap. *Præterea de sponsalibus*. 2.

Per longiorem unius partis absentiam Cap. *De illis*, ubi Glossa requirit absentiæ triennium, Raymundus vero biennium. 3. Per religionis ingressum Cap. *Commissum*. 4. Per Ordinis sacri susceptionem, *De voto* in Sexto Cap. *Unico*. 5. Per subsequentem fornicationem, idque in favorem solius partis innocentis, Cap. *Quemadmodum*. 6. Per subsequens impedimentum affinitatis, ex fornicat. 7. Per gravem aliquam infirmitatem quæ ipsa sponsalia subsequatur, aut deformitatem quæ perdurare possit, ut sunt lepra, paralysis, mutilatio nasi, effossio oculi, Cap. *Quemadmodum*. 8. Ex subortu capitalium inimicitiarum inter Sponsos, Cap. *Requisivit*.

Quæres 1. an per simplex castitatis votum quod e conjugibus alter absque consensu compartis emiserit, sponsalia solvantur.

Resp. negative. 1. Casus ille nullo modo exprimitur in jure Canonico: Quæ enim de votis habentur, intelliguntur de solemnibus. 2. Vir qui ab emisso post sponsalia castitatis voto nubit. non fit reus reddendo conjugale debitum, sed petendo tantum.

Quæres 2. utrum valeant sponsalia quibus nec Parochus nec testes adfuerint?

Resp. Affirmative. Ratio est, quia valebant, imo & licebant ante Concilium Tridentinum: Ergo his etiam temporibus valent, cum sacra Synodus, quæ tum Parochi, tum testium absentiam matrimonio apposuit tamquam clausulam irritantem, nihil simile circa sponsalia statuerit.

Quæres 3. an sponsalia necessario contractui matrimoniali præmitti debeant?

Resp. matrimonium valere quamvis absque præmissis sponsalibus celebratum fuerit, quemadmodum valet actualis donatio pecuniæ aut agri, quamvis futuræ donationis promissio non præcesserit. Dicendum est tamen ea matrimonio laudabiliter præmitti, tum ne partes temere implicent sese indissolubili vinculo, tum ut sese præparent ad recipiendam Sacramenti gratiam. Verum ejusdem gratiæ recipiendæ impedimento foret desponsatorum habitatio sub eodem tecto: *Itaque* (inquit S. Carolus) *Episcopi cura sit pœnis & censuris quas arbitratu suo constituerit sancire, ut sponsi, priusquam matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti ex ritu celebraverint, non modo simul non habitent, sed ne ullo quidem modo mutua consuetudine, commerciove utantur*. S. Carolus hausit monitum illud ex Concilio Trident. *Eadem sancta Synodus* (verba sunt Concilii) *hortatur ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent*. Addendum est peccare eum qui, nisi gravis causa dispenset, sponsalia matrimonio non præmiserit: *Nemini liceat furtim, raptimque nuptias contrahere* (inquit Concilium Forojuliense cap. 8.) *sed interventis pactis sponsalibus*. Non nuper inventa est consuetudo sponsalia matrimoniis præmittendi. Apud Hebræos (teste Philone lib. de specialib. legib.) non minoris erant momenti quam ipsæ nuptiæ. Siquidem in solemni amicorum conventu, mariti uxorisque nomina scribebantur in tabulis, & si quid sponsa in domo paterna manens deliquisset, eadem pœna plectebatur ac nupta, quippe quæ obrueretur lapidibus, si fractæ fidei conjugalis rea inventa fuisset.

CAPUT SECUNDUM.

De Proclamationibus.

PRoclamationum nomine intelliguntur publicæ futuri matrimonii denunciationes. Ejusmodi vero proclamationes a Gallis *Banna* dicuntur a voce *Ban*, quæ in Germania ex qua sunt oriundi, publicam denunciationem significat. De proclamationibus Summistæ multa quærunt: nos quæ præcipua sunt ad subsequentes conclusiones reducemus.

Conclusio 1. Ecclesia futuro matrimonio prioribus sæculis proclamationes præmisit. Earum usus qui in Gallis semper obtinuit, a Decimo tertio viget in omnibus Occidentalium Ecclesiis.

Probatur prior conclusionis pars ex Tertulliano, qui ad calcem lib. 2. ad uxorem sic loquitur: *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet*: Angelorum vero nomine Tertullianus Episcopos intelligit, quemadmodum & Joannes in Apocalypsi. Per verbum, *Renuntiant*, intelligit matrimonii futuri denunciationem quæ in publico fidelium cœtu fieret. Per has voces, *Ecclesia conciliat*, significat promissum fuisse matrimonium de Episcoporum consilio. *Decet vero* (inquit S. Ignatius ad Polycarpum scribens) *ut & ducentes uxores & nubentes, cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta præceptum Domini, non autem ob concupiscentiam, coiisse videantur*. Eadem cura Diaconis & Diaconissis aliquando demandabatur: unde (ut doctissimus Albaspinæus observat) illi dicebantur: *Nuptiarum conciliatores*; istæ vero *Conciliatrices*, invecta autem fuerat praxis ejusmodi, non tantum ut matrimonii impedimenta, si quæ forent inter nupturos, detegerentur; sed etiam ut fidelium cum infidelibus conjugia vitarentur.

Probatur altera conclusionis pars, 1. ex nomine *Ban*, quod quidem (ut jam observatum est) Franci attulerunt ex Franconia unde traxerunt originem: Cur enim antiquam illam vocem nunc ad designandas futuri matrimonii denunciationes adhiberent: nisi quod statim ab eorum sub Clodovæo conversione in eum sensum ab Ecclesiæ Franciæ præpositis usurpata sit? 2. Bannorum usus sæpe recensetur in Caroli Magni Capitularibus ad quorum normam nono sæculo Franci disciplinam exigebant. 3. Innocentius Papa III. qui toti Ecclesiæ non multum adulto sæculo 13. præerat, lib. IV. Decret. titul. 1. de Spons. cap. 27. hæc rescribit ad Episcopum Bellovacensem: *Sane, quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus matrimonium contrahere*, BANNIS (*ut suis verbis utemur*) *in Ecclesiis editis, ac nullo contradictore publice comparente, &c.* Ea Innocentii responsio manifesto demonstrat quod ante hujus Pontificis ætatem Galli proclamationes matrimonio præmitterent, utenturque voce, *Ban*, qua nunc utuntur. 4. Gentianus Hervetus in sua oratione latina ad Dominum de Morvillers, sigillatim recenset rationes quibus usus est, ut Tridentinam Synodum (cui adfuit tamquam Theologus Cardinalis a Lotharingia) moveret ad improbanda conjugia, quæ sine præmissis proclamationibus deinceps celebrarentur. 5. Episcoporum, ac Theologorum Gallorum iteratis precibus & argumentis hocce Tridentini Concilii decretum deberi fidem faciunt historici sacræ Synodi: *Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo, præcipit* (Sacra Synodus) *ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuncietur inter quos matrimonium sit contrahendum*.

Probatur tertia pars conclusionis, seu specialem Galliarum consuetudinem tandem ab aliis Occidentalium Ecclesiis fuisse usurpatam: *Specialem quorumdam locorum consuetudinem* (inquit tertium Concilium Lateranense quod anno 1215. habitum est sub Innocentio Papa III.) *ad alia generaliter prorogando statuimus, ut cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat; & ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat: Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis*. In omnibus Latinorum Ecclesiis promulgata fuit ea Lateranensis Concilii constitutio. Paulo antequam celebraretur Concilium Tridentinum consuetudine contraria abrogata fuerat in aliquibus orbis Christiani provinciis, hæc nimirum habet Dominicus Soto qui suum de Sacramentis tractatum edidit post tempus quo habita fuit laudati Concilii Sessio 13. & antequam 24. celebraretur, in qua Lateranense de proclamationibus statutum confirmatum est:

In

In multis Ecclesiis Hispaniæ, quorum princeps est Toletana, hujusmodi ritus abolevit ab usu, ubi ob eorum (Bannorum) *defectum non æstimantur clandestina matrimonia*. Sed illam Hispaniarum praxim, seu, potius abusum, Tridentina Synodus quæ in Hispaniis fuit promulgata, correxit.

Conclusio 2. Qui matrimonium contrahunt sine præmissis proclamationibus, peccant lethaliter.

Probatur. 1. Quod ii, de qoibus agitur, pecceot, evincitur ex eo quod proclamationum usos non sit consilium, sed præceptum, ot probant termini: *Statuimus: Præcipit*, quibus tum Lateranensis tum Tridentioa Synodi, ubi de proclamationibus aguot, utuntur. 2. Quod illud peccatum sit lethale, ostenditur ex gravitate materiæ, de qua agitur; ex periculo incundi matrimooium, quod propter aliqood impedimentum quod ipsos contrahentes lateat, irritum sit; ex pœnis quibus Ecclesia io hujusce legis infractores animadvertit: Sunt autem hujusmodi pœnæ io Galliis excommunicatio, cootractus matrimonialis oullitas quoad effectus civiles: *Matrimonia clandestina sunt prohibita* (inquit Lingonensis Synodus quæ anno 1404. habita est *& ea prohibemus sub excommunicationis pœna tam in contrahentes, quam in eos qui præsumpserint scienter interesse*: Verum inter conditiones qoibus matrimonium redditur clandestinum, eadem Syoodus recenset proclamationom omissionem. *Tertio* (ait) *cum fit matrimonium per verba de præsenti, Bannis non præmissis*. Sic etiam de iis matrimoniis per respectum ad effectus civiles, Henricus III. Francorum Rex, in Comitiis Blesensibus, artic. 40. loquitur: *Ad occurrendum abusibus & damnis, quæ ex matrimoniis clandestinis oriuntur, decrevimus & decernimus, quod subditi nostri, cujuscumque statas, qualitatis & conditionis existant, contrahere valide non poterunt sine publicis Bannorum proclamationibus cum temporis intervalla.*

Quæ hucusqoe adducta sunt momenta, probant Bannorum promulgationem fieri debere non tantum ante matrimooium contrahendum per verba de præsenti, sed etiam si fuerit omissa, ante consummationem jam contracti. *Deinde* (inquit Concilium Tridentinum) *ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.*

Quæres 1. quo in templo debeat fieri Bannorum proclamatio. 2. quibus diebus. 3. qua diei hora?

Respondet ad tria illa quæsita S. Carolus, Act. part. 4. Instruct. Matrim. *Antequam* (ioquit) *matrimonium celebret* (Parochus) *tres denunciationes ad Concilii generalis Lateranensis & Tridentini præscriptum, tribus continuis festis diebus de Ecclesiæ præcepto celebrandis, publice in Ecclesia, etiam utriusque si diversæ porociæ contrahentes sunt, inter missarum solemnia faciet.*

Quæres 2. Utrum proclamationes iterato fieri debeaot, si post ultimam, matrimonii celebratio in longius temporis spatium prolata fuerit. 2. An eodem die, quo facta fuit ultima denunciatio, matrimonium celebrari debeat.

Respondet ad 1. Rituale Romanum hisce verbis: *Si vero infra duos menses post factas denunciationes matrimonium non contrahatur: denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur*. Respondet ad 2. S. Carolus; *Qua die* (inquit in Concilio Mediolanensi III. *de matrimonio contrahendo denunciatio ultima facta est, ne ea ipso die, nisi impetrata ab Episcopo facultate, illud celebretur: id autem præterquam si postrema ea denunciatio facta sit pridie illius diei, quo initium est Quadragesimæ, vel Adventus; Ac nisi item Parochus populo, antecedente denunciatione significarit, eo die quo postrema denunciatio fiet, matrimonium esse contrahendum.*

Quæres 3. Qua ratione Parochus se se gerere debeat in bannorum promolgatione, com agitur de matrimonio peregrinorum, aut fœminarum, quæ pro vidois habentor, eo quod a multis annis de suis maritis nihil prorsus audierint.

Respondet ad 1. Tridentioa Synodus: *Multi sunt* (inquit Sess. 24. de reform. Matrim. cap. 7. *qui vagantur &c. Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint*. Respondet ad 2. Clemens Papa III. *In præsentia nostra* (ioquit) Cap. In præsentia, de Spons. & Matrim.) *quæsivisti quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivitatis, vel peregrinationis, absentes ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, & præ juvenili ætate, seu, fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Consultationi ergo tuæ taliter respondemus: Quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium convolare canonice. Nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium accipiant de morte virorum.*

Conclusio 3. Nec ex Concilio Lateranensi, nec ex Tridentino colligi potest proclamationes absolute requiri, ut matrimonialis contractus secundum substantiam valeat.

Probatur. 1. Concilium Lateraoense nullam decreto de proclamationibus addidit clausulam irritantem. 2. Concilium Tridentinum nihil aliud de proclamationibus statuit quam quod a Concilio Lateranensi statutum fuerat: *Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo &c.* Ergo, si vi decreti Lateranensis irrita non sint matrimonia quibus proclamationes præmissæ non fuerint: nec irrita sunt vi Tridentinæ costitutionis.

Confirmator argumentum. 1. Ut Concilium significaret Parochi & testium præsentiam deinceps ad valorem matrimonii fore necessariam, clausulam hanc addidit: *Qui aliter quam præsente Parocho... Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit*. Ergo si sacræ Synodo idem de proclamationibus visum fuisset, similem circa eas addidisset clausulam. 2. Formalitates quæ jus judicum prudentiæ permittit, ad substantiam actus pertinere non ceosentur. Atqui Concilium Tridentinum Episcoporum prudentiæ permittit proclamationes: *Nisi* (inqoit) *Ordinarius ipse judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit*. 3. Gerbasius libro quem Gallice inscripsit: *Traite pacifique du pouvoir de l' Eglise & des Princes sur les empechemens du Mariage*, refert pagina 51. Congregationis declarandis Concilii Tridentini Decretis propositæ responsionem, qua declaratum est Bannorum omissionem valori matrimonii sumpti quoad substantiam oihil officere.

Quæres 1. quis dispensare possit circa futuri matrimonii proclamationes.

Resp. Id juris habere solum Episcopum, aut Vicarium ejus generalem. 1. Ita loco jam jam laudato decrevit Tridentina Synodus. 2. Idem statutom est in Conciliis Provincialibus quæ Trideotinum subsecuta sunt: *Denunciationes autem* (ioquit titulo de matrimonio Concilium Rothomagense, quod anno 1581. habitum est) *vel omnino, vel ex parte remitti possunt pro solius Ordinarii judicio*: sic etiam habet Concilium Aquense quod anno 1585. celebratum est: *Eas autem denunciationes ne ullas quidem remittere eis* (Parochis) *liceat, nisi proprii Episcopi consensu*. Sic quoque Tolosaoom Concilium aoni 1590. *Matrimoniales denunciationes Ordinarius non remittat, nisi ei expedire visum fuerit, quod illius prudentiæ & judicio Tridentina Synodus reliquit*. Sic tandem Concilium Narbonense ann. 1609. *Matrimoniales denunciationes solus Episcopus vel ejus in spiritualibus Vicarius generalis, ex causa bene nota remittat: Officiales vero super illis dispensare non attentabunt, cum illud illis prohibitum sit, prout præsenti decreta prohibemus.*

Quæres 2. Quibus de causis Ordinarii circa proclamationes dispensare possint.

Resp. 1. peccare Ordinarios, qui inanibus de causis a proclamationibus dispensat. Et quidem merito: nam Concilium Tridentinum dispensationem Ordinariorum prudentiæ committit: Verum prudentia in eo

non reperitur qui agit, cum nulla est agendi causa. 2. Ne quid simile tentetur ab Ordinariis prohibuegunt Provinciales Synodi: *Idque* (inquit Concilium Aquense) *causis jure permissis*. Hæc etiam habet Turonense quod anno 1683. habitum est: *Quibus matrimoniis clandestinis ut amplius via præcludatur, omnes Episcopos a dispensationibus de duabus proclamationibus, & extra tempora nubendi, omnino abstinere monemus nisi ob causam legitimam, necessariam, eisque cognitam existimaverint esse dispensandum.* 3. Canonum vim sua authoritate hoc in capite muniit Henricus III. Francorum Rex articulo 4. Edicti Blesensis: *Quarum* (inquit de Bannis agens) *non poterit obtineri dispensatio, nisi* (si tamen non urgeat necessitas) *post primam promulgationem factam, idque solum propter aliquam urgentem & legitimam causam.*

Eam autem legitimam causam Concilium Tridentinum ad hanc teduxit: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat: vel saltem Parocho & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur.* Sanctus Carolus in v. Concilio Mediolanensi ubi decretum retulit, hæc habet titulo 17. de iis quæ ad matrimonium pertinent: *At vero, si hæc causa non subest, quamobrem illas remittat, ea certe sola, quod instat sacri Adventus, Quadragesimæque tempus, neque necessaria est, nec vero cum ratione consentiens, cum præsertim eo sacro tempore, qui jam matrimonii juncti sunt, ab illius usu abstinere potius conveniens sit, nedum sponsos una conjungi.*

Præter causam, cujus meminit Tridentina Synodus, nonnulli sunt alii, in quibus expedit ut proclamationum dispensatio concedatur: Exempli causa, cum vir & mulier simul cohabitantes ac pro conjugatis habiti, per legitimum matrimonium iniquo concubinatui finem imponere desiderant: cum redintegrari debet matrimonium, quod licet in facie Ecclesiæ celebratum fuerit, irritum tamen est propter occultum aliquod impedimentum quod latebat antea, quodque postea detectum est. In Galliis propter edictum Blesense, quo decernitur esse locum appellationi tamquam ab abusu, si una saltem e tribus præfixis proclamationibus matrimonii celebrationi præmissa non fuerit, Episcopi, nisi occurrant casus quos recensuimus, non solent a tribus proclamationibus dispensare; tuncque etiam, caute dispensant, ita ut si de matrimonio lis intentata fuerit, rationes proferant, propter quas a triplici proclamatione dispensarint. Illustrissimus Franciscus de Harlay Archiepiscopus Parisiensis (Gerbasio teste) sic se eo in casu gerit. 1. Partibus, quarum interest, injungit, ut sibi offerant libellum supplicem qui complectatur rationes quibus nititur dispensationis postulatio. 2. Parochos committit, ut juridice inquirant de earum rationum veritate. 3. Servari vult ab Archiepiscopatus secretario tum oblatum a partibus libellum supplicem, tum factam a Parochis disquisitionem, ut pro loco & tempore, ii quorum intererit, ad ea monumenta confugere possint.

Caput Tertium.

De parentum consensu Contractui matrimoniali prærequisito.

CUique ratum est illicitas esse nuptias, quas filii familias invitis aut inconsultis parentibus ineunt. Et quidem merito: nam 1. Filii naturali lege parentibus honorem exhibere tenentur: ille autem honor non in externis tantum aut urbanitatis, aut obsequiorum officiis positus est; sed præterea debitam parentibus obedientiam complectitur, in iis præsertim quæ gravis sunt momenti, cujusmodi haud dubie est matrimonium, cum perpetuam vitæ societatem inducat; ac parentum pluris intersit quem generum, vel quam nurum habituri sint. 2. Nuptias, de quibus agitur, Deus ipse prohibuit in Scripturis Exodi nempe 34. & Deuteronomii 7. ideo filiorum matrimonia parentibus potius quam ipsismet filiis creduntur, quod illi non ultimum in eis teneant locum: *Filiam tuam* (ait Dominus) *non dabis filio ejus* (de Cananæis loquitur) *nec filiam ejus accipies filio tuo.* 3. Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim. sic de matrimoniis de quibus est quæstio loquitur: *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Unde Principes Galli eos qui sic nupserint, exheredatione reliquorumve effectuum civilium privatione non immerito castigarunt.

De iis, quæ mox dicta sunt, conveniunt omnes. Verum controvertitur 1. an aut naturali, aut divino, aut Ecclesiastico jure, irrita sint matrimonia de quibus agitur. 2. Quid de iis civiles leges sanciverint.

Articulus Primus.

An jure naturali, Divino, aut Ecclesiastico irrita sint matrimonia quæ filii familias aut invitis, aut inconsultis parentibus contraxerint.

CAlvino visum est nuptias de quibus agitur, jure divino irritas esse. Libro 4 Institut. cap. 19. ubi recenset leges Pontificum Romanorum aut (ut ait) in Deum impias, vel in homines iniquissimas, primo loco enumerat matrimonia de quibus est quæstio: *Quales sunt* (inquit) *ut conjugia inter adolescentulos parentum injussu contracta, firma, rataque maneant.* Lutherus in Serm. de Matrimonio censuit eodem jure parentes nuptias illas posse irritas facere, si ex iis nata non sit proles, secus si nata. Erasmus scriptoribus illis praiverat: *Definiunt quidam* (inquit colloquiis de Matrimonio) *Matrimonium esse ratum, quod inscits, aut etiam invitis parentibus, inter puerum & puellam per verba de præsenti contractum est. Atqui istud dogma nec naturæ sensus approbat, nec veterum leges, nec Moyses ipse, nec Evangelica, aut Apostolica doctrina.*

Plures authores Catholicos reperire est qui doceant matrimonia de quibus agitur, jure Ecclesiastico olim irrita fuisse tum apud Græcos tum apud Latinos; his vero temporibus rata esse quoad substantiam in multis orbis Christiani provinciis. Fuse argumentum illud petractant tum Launoius in libro quem inscripsit: *Regia in Matrimonium potestas*: tum Gerbasius Sorbonicus, opere cujus titulus Gallicus sic latine redditur. *Tractatus pacificus de potestate Ecclesiæ & Principum in impedimenta Matrimonii.* Quid nos iis de controversiis sentiamus, paucis est hic aperiendum.

Conclusio 1. Nec jure naturali, nec positivo Divino, irrita sunt matrimonia quæ filii familias aut invitis, aut inconsultis parentibus contraxerint.

Probatur 1. Constat ex Genesis 26. capite Esau duas uxores duxisse: *Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elam ejusdem loci, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.* Inconsultis igitur parentibus Esau nupserat: Et tamen utramque illam mulierem Scriptura appellat uxorum nomine. 2. Ut valeat matrimonium jure naturali, hæc tantum tria requiruntur, Mutuus contrahentium consensus; Ejusmodi consensus signa mutuo data & accepta; Dominium in rem quæ per contractum traditur. Atqui tria illa in matrimoniis, de quibus agitur, reperiri supponuntur: Ergo &c. 3. Jure naturali aut divino irritos non esse contractus illos Tridentina Synodus contra Lutheranos definiit: *Eos* (inquit Sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim.) *anathemate damnat, qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentes ea rata vel irrita facere posse.*

Quæ contra nostram conclusionem objici possunt ex Scripturis quæ filiorum matrimonia non filiis ipsis, sed eorum parentibus credunt, probant quidem peccare in jus divinum eos, qui aut invitis aut inconsultis parentibus nubunt: verum non definiunt nuptias tunc jure divino irritas esse ac nullas.

Ter-

Tertullianus cum lib. 2. ad uxorem hæc ait: *Nec in terris filii sine consensu Patrum, recte & jure nubunt.* Ambrosius lib. 1. de vita Abraham cap. ultimo cum sic de Rebecca loquitur: *Consulitur puella, non de sponsalibus; illa enim expectat judicium parentum.* Tertullianus (inquam) & Ambrosius violatæ quidem naturalis ac positivæ divine legis arguunt filiosfamilias, qui non expectato parentum consensu nupserint; sed nusquam ajunt divino jure irrita esse quæ sic ab iis contracta fuerint matrimonia.

Conclusio 2. Ecclesia quondam suis legibus irrita fecit matrimonia quæ filii familias invitis aut inconsultis parentibus iniissent.

Probatur 1. Leges Ecclesiasticas quibus matrimonia, de quibus est quæstio, irrita essent, quondam obtinuisse in Oriente fidem facit Basilius in epistola ad Amphilochium; siquidem canone 42. asserit ea non aliud esse quam concubinatum, comparat quoque ea com matrimoniis servorum, quæ (ut suo loco dicetur) irrita erant ubique duodecim prioribus sæculis, si absque dominorum consensu celebrata fuissent. *Quæ fiut iis, qui habent potestatem, fiunt Matrimonia, fiunt fornicationes: Nec ergo vivente patre, nec domino, ii qui conveniunt, sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint: tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Orientis Ecclesia disciplinæ, quam ex Basilio retulimus, adhærebat cum exortum est schisma Photianum, ut in ipsiusmet Photii Nomocauone, tit. 13. cap. 9. videre est. Obtinebat & ille usus labente sæculo 12. & ineunte 13. ut testatur Balsamon qui tunc scripsit in titulum Photiani Nomocanonis: Nullibi vero legimus Græcos ab antiqua illa disciplina recessisse, aut Ecclesiam Latinam in Conciliis, ad quæ cum iis sæpius convenit, quidquam ea de causa ipsis negotii facessisse.

Probatur 2. Quod mox dictum est de Græcorum Ecclesiasticis legibus, respectu matrimoniorum quæ filii familias contraxissent, cohæret plane cum disciplina quæ apud Latinos pluribus sæculis obtinuit. Id nimirum evinci potest 1. ex epistola quæ adscribitur Evaristo Papæ, quæque cum noni sæculi (ut litteratis placet) sit fœtus, disciplinam complectitur quæ servabatur iis in locis, in quibus fuit promulgata: sic autem habet: *Similiter custoditum & traditum habemus, ut uxor viro legitime jungatur. Aliter enim legitimum non fit conjugium, nisi ab his qui super ipsam fœminam dominationem videntur habere, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus aut propinquioribus sponsetur.* Ne quis autem ea Evaristi verba: *Aliter legitimum non fit conjugium*, interpretetur de licito, non autem de valido, obstant hæc quæ Papa inferius subjunxit: *Aliter vero præsumpta, non conjugia, sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, vel fornicationes, potiusquam legitima conjugia esse non dubitare.* Nec Binii in laudatum Evaristi canonem notæ admittendæ sunt: nec enim (ut interpretatur) Evaristus loquitur de matrimonio in foro fori tantum, sed etiam in foro conscientiæ, cum Ecclesia exterius non solvat matrimonium, quod probarit in foro conscientiæ valere, ubi auditis partibus etiamsi nullus testis adsuerit, certior fuerit facta quod initum sit ex mutuo contrahentium consensu. In eumdem scopum laudari 2. potest (saltem secundum Gratiaum 31. qu. 6. cap. *Videtur nobis*,) Celestinus Papa, aut (ut aliis placet) Clemens Papa III. Præcipit vero ut cum agitur de matrimonii aut confirmatione aut solutione, exploretur num adfuerit parentum consensus: *Qui enim* (inquit) *melius recipi debeat quam illi qui melius sciunt, & quorum est interesse? Ita ut si non interfuerint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fit matrimonium.* Laudari 3. debet Nicolaus Papa I. qui respondens ad consulta Bulgarorum inter matrimonii leges ex æquo requirit tum contrahentium tum parentum consensum: *Quæque* (inquit cap. 3.) *consensu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorum potestate sunt, celebrantur.* Eodem referuntur hæc verba IV. Concilii Aurelianensis quod anno 541. habitum est: *Ut nullus* (ait can. 22. *per imperium potestatis, filiam comperere audeat alienam; ne conjugium quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur. Sed sicut est probibitum, non admittatur, & his qui perpetraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur.*

Conclusio 3. Post sæculum 12. apud Latinos aliquibus in locis valuit quoad substantiam, matrimonium quod filii familias invitis, aut inconsultis parentibus contraxissent. Valet quoque his etiam temporibus in iis orbis Christiani Provinciis, in quibus Tridentina Synodus fuit promulgata.

Probatur prior conclusionis pars. 1 Variis ex Decretalibus proferri possunt textus qui matrimonii de quo agitur, validitati faveant: *Non valet statutum* (inquit cap. *Tua nos*, Innocentius Papa III.) *quod punit contrahentem cum filia sine consensu parentum.* In Germania paulo ante Concilium Tridentinum valuisse quoad substantiam eadem matrimonia fidem facit Concilium Coloniense quod anno 1536. celebratum est: *Optandum* (inquit part. 9. cap. 43.) *ut Canon Evaristi Pontificis Concilio generali renovetur, tollanturque illa clandestina matrimonia, quæ invitis parentibus ac propinquis, veneris potius quam Dei causa, contrahuntur.* (Observet lector Patres Colonienses interpretari, ut nos supra, Evaristi Papæ decretum de invalido quoad substantiam matrimonio in foro conscientiæ, non autem de illicito tantum.) *Nam quanta mala ex his clandestinis matrimoniis suboriantur in aperto est. Interea vero donec Ecclesia de hoc prospiciat, si non irrita, prohibita saltem sint, & pœnæ Canonicæ, idest, excommunicationi, contrahentes, & qui his ope & consilio adfuerint, subjaceant.*

Probatur altera conclusionis pars, scilicet, valere nunc quoad substantiam matrimonia de quibus agitur; in locis ubi Concilium Tridentinum servata juris forma, specialiter fuit promulgatum. Sacra Synodus rem de qua agitur, retulit non in canones aut capitula quæ ad fidem spectant, sed ad decretum de reformatione; edixitque suum decretum habiturum robur post specialem publicationem: *Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ numerandos:* Sacra (inquam) Synodus hæc habet de matrimoniis filiorum familias: *Eos sancta Synodus anathemate damnat qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, &c.* Judices Ecclesiastici in locis, in quibus promulgatum est illud Concilii decretum, ad ipsum exigunt matrimonia de quibus agitur.

Objicies. Antiquitus (ut ait Coloniense Concilium anni 1536.) irrita erant matrimonia quæ filii familias sine parentum consensu contraxissent: Ergo Tridentina Synodus declarare non potuit ea quoad substantiam valere.

Resp. neg. conseq. Potuit nimirum sacra Synodus habiles ad contrahendum declarare filios familias, qui antea ex solius Ecclesiæ decretis ad id inhabiles fuissent. Confirmatur ex eo quod quæstio de validitate aut invaliditate matrimoniorum filiorum familias sæpius disceptata sit in Concilio Tridentino: Nemo tamen objecit penes Synodum non esse, ut declararet valida quæ prius irrita fuissent. Quid ea in causa actum fuerit in Concilio, placet hic enarrare ex Palavicino. Scribit 1. Gallos Oratores petiisse ut ejusmodi conjugia declararentur irrita: *Idcirco* (inquit hist. lib. 22. cap. 1.) *Oratores Galli a Concilio, Regis nomine solemniter petierunt, ut redderentur irrita matrimonia contracta a filiis absque parentum consensu, quippe plerumque noxia ac familiis indecora, & odiorum potius quam amoris fomes inter conjuges.* Scribit 2. decretum, quod primo selecti Patres formarant, sic habuisse: *Præterea eadem Synodus irrita facit ea matrimonia, quæ contrahuntur a filiis familias ante annum decimum octavum completum, & a filiabus ante decimum sextum completum absque genitorum consensu.* Scribit 3. quod, ubi decretum alteri Patrum trutinæ subjectum est, aliud tempus celebrandis matrimoniis de quibus agitur, præfixum fuerit: *De filiis familiae* (inquit) *ita variatum est, ut marium conjugium absque consensu parentum esset irritum ante annum vigesi-*

mum ; feminarum vero ante decimum octavum completum, aisi ubi parentes rogati, consensum ad uuptias honeste expetitas filiis inique judicia dissentireat : filii vero obtenta a Præsule facultate, matrimoniam contraherent. Scribit 3. Concilium postea mutasse præconceptam sententiam, ac decretum (ut nunc jacet) probasse ; ita tameo nt per modnm dogmatis noo proponeretur: *Quapropter* (inquit cap. LV. (*legati iam absque a suffragationε primo babita, qaasi per præsagium, nuntiarant Romæ si decretum per modam novæ legis proponeretur, beae progressarum, si per modum dogmatis, in obices incursurum*.

Articulus Secundus.

Qaid Civeles leges sanatrint de matrimoniis, quæ filiisfamilias invitis aat inconsultis parentibas contraxerint ?

Dleemus hic 1. de legibus Romanis. 2. de Franeicis, seu quæremus, an eorum respectu noo illicita modo, sed etiam irrita fuerint matrimonia quæ filii familias invitis, aut ioconsultis parentibus, contraxissent.

Cujacius in commentariis *ia lib. 35. Paali ad Edictum, Ad L. 2. & 10. De rita Nuptiarum*, contendit nnptias de quibns agitur vi Romanarum legum non esse irritas licet sint illicitæ: *Contractæ tamea ita sine voluntate parentum in quoram potestate sant qui coeunt; invitis iis, qui banc societatem coierant* (inquit) *non dissociantur, noa dissolvuntur*. Dionys. Godefr. abiit in Cujacii seoteotiam in notis ad legem, *Filius* in Digest. *De ritu nuptiarum*. Ubi eoim quæsivit: *An illud matrimonium distrabatar*, sic respondet: *Si pater justam rationem babuit non probandarum bujusmodi naptiarum, iajastæ nuptiæ, injasta uxor, iniusti liberi, & ut Apalejus, spurii. Nulla dos, aulla nxor, Inst. de nuptiis. Non tamen jure Civili Romano dissolvitur matrimonium*.

Verum eorum Jurisconsultorum sententia stare non potest cum hac fundamentali lege quam in capite tit. *de rita nuptiarum*, 10 Digest. videre est: *Naptiæ consistere noa possunt, nisi consentiant omnes, idest, qai coeunt, qaorumque in potestate sunt*: Nec etiam cum hac alia Instit. *De nnptiis* cohæret: *Justas aatem naptias inter se cives Romani contrabunt, qui secundum præcepta legum coeant mascali quidem puberes, fæminæ autem viri potentes, sive patres familias siat, sive filii familiarum: Dum tamen, si filii-familiarum sint, consensum babeant parentum, quorum in potestate sunt; Nam sic fieri debere, & civilis & naturalis ratio suadet; ia taatum at jussus parentis præcedere debeat... Si adversas ea qaæ diximus aliqui coierint, nec vir, nec nxor, nec matrimonium, nec dos intelligitur.... Sequitur ergo nt dissoluto tali coita, nec dotis, nec donationis exactioni locus sit*.

Nec obstaot hæc Pauli Jnrisconsulti verba, lib. 2. Sententiarum, titul. 14. quibus Cujacius & Godefridus oituntur: *Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate ejus Matrimonia jure non contrabuntnr, sed contracta noa solvuntar : contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertar*. Non obstant (ioquam) ea verba, tum quod intelligantur in casu quo pater id sciens, publicis instrumentis non cootradixerit: ac proinde tunc suo silentio nnptias ejusmodi probaverit; tum quod valde dubium sit laudata verba esse Jurisconsulti Pauli, cum prorsus opposita sint legibus mox relatis, quas certissimum est Imperatorem Justinianum, ex Pauli Jurisconsulti sententia, corpori juris a se promulgati inseruisse. Suspicantur nonoulli verba de quibus agitur, esse Aniani cujusdam, qui Theodosianum codicem tempore Alarici Gothorum Regis notis illustravit. Sed hæc Jurisconsultis expendenda relinquimus, ne falcem in alieoam messem immittamus.

Non omnia hic Francorum de matrimoniis filiorum familias statnta recensebimus, sed ea tantum quæ tum isto, tum proxime elapso sæculo prodierunt.

Aono 1634. Joannes Baptista Gasto Aurelianeosis Dux, Regis Ludovici XIII. frater uoicus, inscio & invito eodem Rege Christianissimo, matrimonium cum Margareta Lotharingha contraxit: Anoo 1635. Clerus Gallicanus, Lutetiæ Parisiorum ad Comitia generalia coactus, postulatus de eo conjugio, declaravit: *Galliæ consuetadine aon esse concessum, ut regiæ sobolis Principes, & ii præsertim, qai viciniares sant bæredes Coronæ, sine Regis conseasu nuptias celebrent, multa miaus contra voluntatem & interdictum illius. Has porro nuptias, sea conjagia, illegitima esse, invalida, & nulla defecta conditionis, sine qna memorati Principes valide contrabere non possuat matrimonium. Hanc demum Gallia consuetudinem rationi consentaneam esse, veterem, & legitima præscriptione constabilitam & Ecclesiastica authoritate firmatam*.

Eam Gallicani Cleri sententiam ubi legisset Aurelianensis Dux, eodem aono 1635. Calend. Septembris, Lutetiæ Parisiorum publico instrumento agnovit irritum esse ac nullum matrimonium, quod inscio & iovito Rege Christianissimo cum Principe Margareta contraxerat: *Consaetudini baic* (inquit in publico instrumeoto a se confecto) *bona fide standum esse credidimus, ut ei stamas, & initum inter aos & Margaretam Principem Lotbaringam conjugium fuisse nullum, & invalidam agaoscimas, & nos eamdem Dominam pro sponsa & axore aostra nasquam babitaros declaramus, aec facturos qaidquam declarationi baic, quam libenter præbemas, contrarium, religioae certa ducti pollicemur*.

Anno 1636. mox laudatus Dux Anreliaoensis scriptis litteris, a Rege Christianissimo supplex efflagitavit inter alia, ut sibi liceret Margaretam Lotharingam in uxorem retinere. Rex, instaurandæ pacis causa, in illud matrimonium consensit, quem quidem consensum III. Idus Februarii anno 1637. Aureliæ testatus est scripto, quo muniti tum Dux Lotharinga VII. Calendas Junii ann. 1643. iterum in castro Meudonis contraxerunt coram Archiepiscopo Parisiensi & aliis testibus, qui ad hoc vocati fuerant. Verba autem quæ, audito mutuo conjugum consensu, protulit Archiepiscopus, hæc sunt: *Et ego congiungo vos ia Matrimonium, in quaatam est opas, Ia aomine Patris, & Filii, & Spiritas Sancti*.

Aono 1556. Heoricus II. Francorum Rex legem tulit, qua parentibus copiam fecit exhæredandi filios qui absque eorum consensu uxores duxissent: eam vero legem extendit noo tantum ad futura matrimonia, sed etiam ad præterita quæ per copulam carnalem consummata non fuissent: Ab ea vero pœna Rex Christianissimus exceptas voluit oupțias, quæ contractæ fuisseot inter marem post completum annum trigesimum, fœminam post quintum supra vigesimum, & petito tameo prius parentum consensu, licet nun obtento.

Anno 1579. Henricus III. in Comitiis Blesensibus promulgavit edictum quo confirmatæ suoi constitutiones antehac latæ, eas etiam quæ in casu de quo agitur, permittunt exhæredationem: *Volnmus* (verba sunt articuli 41. Blesensis edicti) *at constitutiones antebac factæ contra filios familias qai absque patris, matris, Tutoris, & Cnratoris conseasu, matrimonia contraxerint, accarate serventar, eæ etiam quæ eo in casa exbæredatiouem permittunt*. Sancitum est pariter ejusdem edicti articulo 42. ut pœna capitis in eum animadvertantur, qui matrimonii obtentu aut quovis alio prætextu noo consentientibus parentibus filinm, aut filium minorem viginti quinqne annis subornaverint, non obstante consensu, quem illi minores postea præbuerint.

Aono 1629. a Ludovico XIII. emanavit constitutio quæ sic habet: *Statutum Blesense de matrimoniis clandestinis adamassim servabitur, & illi addenda volumas omnia matrimonia contra dicti statuti tenorem contracta declarari invalide contracta; Obligabuntarque judices Ecclesiastici causas matrimoniales convenienter buic articulo dijudicare*. Idem Rex Christianissimus, Lndovicus XIII. anno 1639. promulgavit aliud edictum, cujus hæc sunt verba: *Volamus quadragesimum statuti Blesensis articalum de matrimoniis clandestinis accurate servari*.

Cabassutius noster io sua theoria & praxi juris Caoo-

nonici lib. 3. cap. 25. Gerbasius libro quem sic inscripsit: *Tractatus Pacificus* &c. pagina 504. scribunt occasione edicti quod anno 1629. a Ludovico XIII. latum fuerat, Clerum Gallicanum qui Parisiis ad Comitia generalia convenerat suppliciter hisce verbis Christianissimum Regem admonuisse: *Rex humillime supplicatur, ut considerare non pigeat, quantum sit momentum in hoc articulo, qui eget expositione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima est; Ut non aliter intelligantur hæ voces:* VALIDE *aut* INVALIDE, *contracti matrimonii, quam per relationem ad contractum civilem, & nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti. Secunda; Ut non adstringantur Ecclesiastici ad judicandum secundum hujus edicti simulque Blesensis articulos, sed juxta sacros canones, & Ecclesiastica decreta, quæ sunt unica regula, & norma judicii Ecclesiasticorum: Hi enim nec possunt, nec debent jurisdictionem, quam a solo Deo collatam habent circa res spirituales, ab ipsis laicis mutuari: Quapropter necesse est ex ipso articulo resecare hæc verba: Et obligabuntur Ecclesiastici judices in causis istiusmodi matrimoniorum judicare ad hujus articuli normam.* Ad eam vero supplicem Cleri expostulationem, Rex Christianissimus respondendi officium commisit magno Regni Cancellario, & selectis quibusdam Sanctioris Concilii officialibus, qui quidem hisce verbis ex scripto responderunt: *Commonitio Cleri quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta fuit: Verba ista,* VALIDE AUT INVALIDE CONTRACTA MATRIMONIA, *non esse aliter explicanda quam per solam relationem ad contractum civilem per laicos judices. Altera pariter difficultas justa & rationi congrua visa est.* Eam Regis Christianissimi declarationem laudati authores excerpserunt ex Commentariis Cleri Gallicani, tom. 1. p. 774. Sed illius (ut audio) Senatus Parisiensis non habet rationem, quippe quod, ubi rescidit contractus de quibus agitur, facultatem faciat ad alias nuptias convolandi.

Facta, quæ hucusque retulimus, ingentem Theologis præbent controversiarum segetem. Nonnullis placet defectum consensus parentum aut Curatorum statutum fuisse a Regibus Christianissimis tamquam impedimentum, quo dirimatur matrimonii contractus quem filii familias absque hujusmodi consensu celebraverint: unde concludunt nullo Sacramenti vinculo colligari eos qui sic nupserint, cum Sacramentum (inquiunt) vel in ipso contractu adæquate positum sit, vel saltem inadæquate, seu, tamquam in materia. Hoc autem est illorum scriptorum fundamentum: Quod facultas statuendi impedimenta, quæ matrimonium dirimant, sit quidem penes Ecclesiam, ut contra Lutheranos definiit Concilium Tridentinum, sed præterea etiam penes Principes sæculares, cum (inquiunt) matrimonia, prout sunt contractus, ad reipublicæ pacem aut conservandam aut perturbandam plurimum conferant.

Aliis placet irrita quidem esse in Galliis matrimonia de quibus est quæstio, non quidem (inquiunt) præcise ex defectu consensus parentum: cum (addunt) ille defectus in se sumptus, appositus non fuerit a Regibus Christianissimis tamquam impedimentum quod contractus substantiam attingat, sed tantum effectus civiles: verum nullum esse ex eo definiunt quod in hujusmodi matrimoniis passim adsit impedimentum, quod *Raptus* impedimentum dicitur. Duplicem scilicet raptum, *violentiæ & seductionis*, distinguunt: Hunc non minus quam illum contendunt ab ipsis etiam canonibus statutum fuisse tamquam impedimentum dirimens: *Placuit* (verba sunt capitis 395. septimi libri Capitularium) *ut hi qui rapiunt fœminas, vel furantur:* AUT SEDUCUNT, *eas nullatenus habeant uxores.* Eo principio nixa suprema curia Reformationis justitiæ, quæ sedebat apud Pictavos, anno 1689. declaravit: NON VALIDA CONTRACTUM matrimonium quod inter Josephum Pichon & Joannam Pollart initum fuerat; Latum nempe fuit illud Arrestum ad conclusiones doctissimi & sapientissimi Bignonii de Blanay qui ea in commissione Procuratoris generalis vices agebat: Hac vero ratione (teste Gerbasio) usus est doctissimus vir. *In confesso est apud omnes raptum iis impedimentis accenseri, quæ matrimonium dirimunt. At raptus nomine non illud tantum impedimentum debet intelligi in quo vis & violentia reperiuntur: vis enim & violentia, cum tollant rapti consensum, aliud a raptu impedimentum constituunt: igitur intelligatur oportet Raptus in quo seductio principem locum teneat.*

Tandem aliis Theologis visum est quod matrimonia, de quibus agitur, valeant quod substantiam, licet irrita esse possint & cassa quoad effectus civiles, exhæredationem scilicet, natalia legitima, & donationibus recipiendis idoneitatem, aliaque hujusmodi. Ex iis vero Theologis nonnulli sunt qui negant a Principibus Christianis statui posse impedimenta quæ matrimonium dirimant: alii concedunt id quidem posse Principes, sed negant id a Regibus Christianissimis revera factum fuisse in matrimoniis de quibus agitur. Addunt alii Theologi raptus nomine, non intelligi raptum *Seductionis*, sed eum in quo *vis & violentia* adhibitæ fuerint.

Prolatis authorum sententiis dicendum foret quænam ex eis nobis verior videatur. Paraveramus quidem amplissimam de eo argumento dissertationem, sed ex prudenti doctissimi nostri Censoris consilio eam hic non inserimus: Impares nimirum sumus componendæ liti, de qua vix quidquam proferri potest quod ex æquo probetur a litigantibus.

CAPUT QUARTUM.

De præsentia Parochi, Testium, Contrahentium, ad contractum Matrimonialem requisita.

CONclusio 1. In multis orbis Christiani provinciis irriti sunt contractus matrimoniales initi absque præsentia Parochi aut alterius Sacerdotis de ipsius Parochi, seu ordinarii licentia.

Probatur 1. Evidens est conclusio pro iis provinciis in quibus promulgatum fuit Concilium Tridentinum: *Qui aliter* (inquit sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim.) *quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.*

Probatur 2. In pluribus regnis, in quibus promulgata non fuit disciplina quam Concilium Tridentinum sancivit, sunt leges tam Ecclesiasticæ quam Civiles, quibus defectus tum Parochi tum testium statuitur tamquam impedimentum dirimens. Vi illarum legum (ut videre est tum in Conciliis Provincialibus quæ post Tridentinum habita sunt, tum in articulo 40. Edicti Blesensis) irrita sunt in Galliis matrimonia de quibus agitur: nisi in iis legibus dispensatum fuerit, ut revera dispensatum est cum Calvinistis, quorum conjugia ante Edicti Nannetensis abrogationem, valebat in Galliis; quamquam coram Parochis minime inita, modo tamen in suis templis coram Pseudoministris celebrata fuissent.

Quæres utrum in Hollandia, ubi Concilium Tridentinum alias promulgatum est, valeant matrimonia quæ absque Parochi præsentia, coram testibus & notario celebrata fuerint.

Resp. quæstionem illam intelligi posse aut de hæreticorum, aut de catholicorum matrimoniis. Si de prioribus sit quæstio, dicendum erit conjugia quæ in Hollandia ab hæreticis inita sunt paulo post Synodum Tridentinam, fuisse irrita & nulla: Ratio est, quia hæretici propter characterem baptismatis tenebantur legibus Concilii quod non ita pridem apud eos fuerat promulgatum: Secus tamen sentiendum videtur de hæreticis qui contraxere multo tempore a celebratione Concilii; Cum enim Concilii decretum humani tantum sit juris, desit habere vim postquam invaluit contraria consuetudo. Si vero difficultas sit de Catholicis respondendum est 1. non valere matrimonia

nia quæ sine præsentia Parochi contraxerint, si in illis hæreticorum provinciis aliqui sint Parochi, licet occulti: nusquam enim, quoad Catholicos qui in illis locis degunt, invaluit consuetudo Tridentinæ Synodo contraria. Aliud censendum est, si nulli sint Catholici Parochi, aut si adiri non possint absque exilii aut mortis periculo quippe, quod perinde sit ac si tunc nulli adessent: cum tanto minimo dispendio non obligant Ecclesiasticæ leges. Ita Estius censet.

Quæres 2. utrum vir, qui oriundus est ex regione in qua non valet matrimonium absque parochi præsentia contractum, absque parochi præsentia nubere possit in alia ragione, ubi contrarius usus invaluit.

Resp. affirmative, si vir ille per temporis spatium, intra quod cognosci possit, regionem illam incoluerit: id vero tempus Semestri nonnulli definiunt; nec mirum, ea enim commoratio satis est, ut quis prioris loci, quem incolebat, desinat esse parochianus.

Quæres 3. num e Congregatione explicandis Tridentinæ Synodi decretis præposita nonnullæ declarationes circa Parochi præsentiam a Concilio definitam emanaverint.

Resp. circumferri subsequentes declarationes, quasi ex ipsa prodierint. Censuit 1. Parochi numine Concilium intelligere parochum loci, quemis qui nubit actu incolit. Censuit 2. irritum non esse matrimonium cui adsuerit Parochus nondum ordine Sacerdotali donatus. 3. Matrimonii validitati non obstare quod Parochus sit aut suspensus, aut irregularis. 4. plures aliæ ejusdem Congregationis declarationes passim circumferuntur: sed monitum velim lectorem nullam, ex Summorum Pontificum decretis, earum haberi debere rationem, nisi sacræ Congregationis tum Præfecti tum Secretarii sigillo munitæ fuerint, iis etiam iu locis ubi laudatæ Congregationis jurisdictio admittitur.

Conclusio 2. In locis ubi Clandestinitas est matrimonii impedimentum dirimens, irrita fuut matrimonia, quibus aliqui testes non adfuerint.

Probatur tum ex Concilio Tridentino, tum ex Synodis Provincialibus, tum ex edicto Blesensi, quæ tamquam clausulam qua matrimonium irritum fiat, statuerunt testium absentiam.

Quæres, quo numero, qua qualitate testes requirantur.

Resp. ad 1. duos saltem a Concilio Tridentino requiri, Duo pariter sufficiunt in Galiis: nam articulus quadragesimus edicti Blesensis, quo quatuor vel quinque requiruntur, nulla regni in provincia receptus fuit; nec mirum, nam, Scriptura teste; *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum*. Resp. ad 2. circa testium qualitatem nihil prorsus esse determinatum. In praxi non habetur, ut sit in cæteris contractibus, ratio aut sexus aut professionis; satis nimirum est ut testes fruantur usu rationis, possintque de iis respondere quæ spectant ad partium consensum. Expedit tamen, ut fraus quælibet vitetur, ut Parochus notos sibi testes vocet ad matrimonium.

Conclusio 3. Valuit semper, & nune etiam valet matrimonium inter absentes per Procuratores initum.

Probatur prior pars. 1. Ante legem scriptam Isaac per Eliezer Abraham famulum valide nupsit cum Rebecca. 2. Jus Canonicum (ut patet ex Capite *Honoratur* 32. q. 2.) rata habet matrimonia de quibus agitur. 3. Matrimonium, habita ratione solius juris naturalis, solam moralem contrahentium præsentiam requirit, sicut & alii contractus. At ea præsentia moralis habetur per procuratorem quem quis ad id specialiter commiserit.

Probatur altera conclusionis pars. Jus novum non correxit vetus circa matrimonium per procuratores contractum: nec enim aut Decretales Gregorii Papæ IX. aut Concilium Tridentinum, statuerunt aliquando necesse esse, ut contrahentes per se ipsos coram Parocho & testibus mutuum consensum exprimant.

Quæres primo, quænam conditiones requirantur ut quis pro alio contractum matrimonialem inire possit.

Resp. requiri 1. ut procurator habeat mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, mandantis nomine: nec enim satis est mandatum generale, quia nemo censetur consentire in rem, quæ tanti est momenti, quanti est matrimonium, nisi ipse designaverit procuratori personam cum qua vult matrimonium inire. 2. Necesse est ut procurator per se ipsum rem gerat, non vero per alium: nisi hoc ipsum quoque specialiter habeat in mandato. 3. Requiritur ut a mandante revocatum non fuerit mandatum, antequam res mandata geratur: si enim illud revocarit, procurator invalide contrahet, quamvis tam ipse procurator quam ea cum qua procurator contraxerit, hujusmodi revocatiouem penitus ignoraverint. Ratio est, quia iu illo casu deesset alterius partis consensus, sine quo nuptiæ conciliari non possunt: Id vero speciale est contractui matrimoniali; nam cæteri contractus initi per constitutum procuratorem, valide fiunt & obligationem inducunt, si mandati revocatio procuratori, aut parti, antequam celebrentur, non innotuerint. 4. Procurator non debet sui mandati fines excedere: nec mirum, cum mandans consentire non censeatur, nisi servetur conditio quam præscripserit. 5. Post Concilium Tridentinum procuratores contractum matrimonialem inire debent per verba de præsenti coram Parocho & testibus, cum absolute & sine exceptione sic sacra Synodus edixerit: *Qui aliter quam præsente Parocho*, &c. *contrahere attentabunt*, &c. In Galliis, ubi Concilium promulgatum non fuit, quinta illa conditio requiritur per edictum Blesense, quod quidem, quoad illud caput, auctoritate Ecclesiastica firmatum est.

Quæres 3. utrum matrimonium per Procuratores initum, sit Sacramentum novæ legis?

Resp. rem dubiam. Qui docent contrahentes esse ministros Sacramenti matrimonii, passim etiam (paucis exceptis) docent matrimonium de quo est quæstio, esse verum ac proprie dictum Sacramentum. E contra qui censent Sacerdotem esse ministrum Sacramenti Matrimonii, passim etiam asserunt matrimonium per procuratores initum, esse solum contractum naturalem & civilem, ut erat aute promulgationem Evangelii, & nunc etiam apud eos est, qui baptismali charactere numquam insigniti fuerunt.



QUÆSTIO SEXTA.

De Matrimonii impedimentis in genere.

HIC impedimentorum nomine intelligitur aliquid quo matrimonium jure redditur aut illicitum, aut irritum. De iis vero in genere sumptis duo tantum quæremus. 1. utrum statui possint ab Ecclesia. 2. quis in eis dispensare valeat.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Ecclesia Matrimonio statuere possit impedimenta?

LUthero visum est nullis humanis legibus, cujuscumque sint speciei & generis, impediri posse matrimonia: unde ea tantum admittit quæ jure aut naturali, aut positivo divino statuta sunt. E contra Catholici omnes potestatem illam agnoscunt in Ecclesia, juxta canonem IV. Sess. 24. Concilii Tridentini: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in illis constituendis errasse, anathema sit.*

Ante Launoium, Sorbonicum doctorem, nemo Catholicus docuerat, Ecclesiæ nomine quo laudatus canon utitur, intelligi debere cœtum fidelium, non quidem prout Ordinem Sacerdotalem complectitur, sed prout constat ex Regibus & Magistratibus politicis:

cis: *Ecclesia vero* (inquit pagina 293. libri quem inscripsit, Regia in matrimonium potestas) a *Romanis Pontificibus*, a *Conciliis*, a *Patribus*, *& a Theologis*, *quo tempore Tridentina fiebat Synodus*, *definitur*, *Fidelium seu Catholicorum congregatio*. Ex eo principio hanc pagina 293. conclusionem elicit: *His autem ita constitutis*, *non minus facile quam recte intelligitur quo modo Ecclesia potuerit impedimenta matrimonium dirimentia constituere*, *& reipsa constituerit*; *nempe per Reges alteram Ecclesiæ personam*, *illa potuit constituere & constituit*. *Sic igitur ad personam regalem flexo Ecclesiæ nomine*, *Tridentinis canonibus sua constat veritas*, *& contra imperitum novatorem* (de Luthero loquitur) *impedimentorum matrimonii disciplinam retinetur*, *& asseritur*.

Catholicam veritatem contra Lutherum adstruemus 1. argumento quod vocant Præscriptionis argumentum, quodque apud doctissimum Gerbasium late pertractatum lector inveniet. Adstruemus 2. argumento Discussionis, quod quidem in traditionis testimoniis positum est. 3. Idem ostenditur ex principum sæcularium praxi, & exemplo Demonstrabimus, contra Launoium, Tridentinam Synodum Ecclesiæ nomine, canone 4. Sess. 24. intellexisse Sacerdotalem ordinem. Tandem 4. solventur adversariorum objectiones.

Profertur argumentum Præscriptionis pro Ecclesiæ potestate ad constituenda impedimenta matrimonii.

Diffiteri nemo potest quin per quatuor sæcula quæ immediate præcessere Tridentinam Synodum Ecclesia pacifice, & nemine contradicente statuerit matrimonii impedimenta, tum (ut vocant) prohibentia, tum dirimentia. Et quidem 1. jam nullum fere extat quod aut in Gratiani Decreto, aut in Gregorii Papæ IX. Decretalibus non legatur. 2. Iis quatuor sæculis ubique ad Ecclesiam deferebantur causæ matrimoniales. 3. Ex omnibus orbis Christiani provinciis ad Ecclesiam confluebant, non modo viri plebeii, sed & Principes, ut obtenta dispensatione, intra quosdam prohibitos gradus nubere possent. Ex illa autem facti quæstione, quæ certa est, hanc inferimus conclusionem: *Ergo Ecclesia quovis sæculo, jam a Christo ad hæc usque tempora, potita est jure statuendi impedimenta quæ matrimonium aut impediant aut prohibeant*. Nec enim potest assignari tempus quo Ecclesia frui cœperit ea facultate.

Reponunt 1. nonnulli Ecclesiam sibi jus illud vindicare cœpisse nono sæculo quo prodierunt Epistolæ Decretales falso adscriptæ prioribus Summis Pontificibus, ubique vero receptam fuisse praxim illam circa undecimum, & duodecimum quibus Burchardus, Yvo Carnotensis, & Gratianus hujusmodi Decretales suis collectionibus inseruere.

Verum quam falsa sit ea responsio potest ex multis capitibus demonstrari. 1. Ante nonum sæculum Ecclesia varias de matrimoniis leges sanciverat, ut inferius ostendetur non tantum ex Gregorio Papa II. & ex Gregorio Magno, sed etiam ex prioribus Pontificibus & antiquissimis Conciliis. 2 Ubi illæ Decretales Epistolæ prodierunt in lucem, advertit earum suppositionem Hincmarus Rhemensis; adverterunt & multi alii qui de Episcopis judicandis egerunt cum Nicolao Papa I. Atqui nec Hincmarus, aut aliqui alii usi sunt argumento petito ex eo quod illæ Decretales contra antiquam & ubique (ut volunt adversarii) receptam praxim, Ecclesiæ facerent facultatem constituendi impendimenta, quæ matrimonium aut impediant, aut prohibeant. Nec ipsi etiam Principes quorum tanti intererat ea novitas, illis Decretalibus obloculi sunt, quod iis Episcoporum judicio & regimini adscriberentur matrimoniales causæ, de quibus, antequam illæ Epistolæ prodiissent, soli magistratus Politici statuebant, ac judicabant.

Respondent 2. alii Ecclesiam antiquitus quidem statuisse impedimenta matrimonium dirimentia, sed non ex jure sibi proprio, sed alieno tantum, ex sola nimirum concessione Principum sæcularium.

Sed facile præcluditur illa evasio. 1. Proferri non potest aliqua Imperialis constitutio per quam possessio de qua agitur, seu praxis statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, Ecclesiæ vindicari cœperit. 2. Si Ecclesia id juris habuisset ex sola Principum indulgentia, Principes, ut intra gradus prohibitos nuptias celebrarent, nusquam satis ab Ecclesia canonibus sese subjecissent, ut se revera subjecerunt: ita ut inviti separationem passi sint quoties nupserant contra Ecclesiæ regulas: quasi vero adduci potuissent ut nuptiarum veniam peterent, aut solutionem inviti passi fuissent ab ea fieri, quæ circa matrimonia jure alio non fruebatur, ut volunt adversarii, quam quod ipsimet concessissent, quodque pro libito potuissent revocare.

Respondent 3. aliqui Ecclesiam sensim arrogasse sibi jus statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, ac proinde vix fieri potuisse, ut Principes usurpato juri contradixerint.

Verum futilis est ea solutio. Proferatur ab adversariis primus secretæ invasionis author. 2. Assignentur viæ quibus usus est author ille, ut ad optatum finem suas molitiones perduceret. 3. Qua ratione fieri potuit ut in eam usurpationem simul & semel consenserint omnes orbis Christiani Præsules. 4. Cum jus illud clanculum usurpari non potuerit, conscribendi nempe fuerunt canones quibus ad usum reduceretur, concedendæ dispensationes, quibus nuptiarum legibus sæcularibus (ut adversariis placet) prohibitarum fieret indulgentia; qua quæso, ratione fieri potuit ut de publica illa invasione nullus e Principibus Christianis conquestus sit: Quis credat omnes ad unum silere potuisse de re quæ tanti eorum intererat? Quis in animum suum inducat nullum magistratum sæcularem in novum illud usurpationis genus insurrexisse? cum alioquin iis temporibus de investituris, pluribusque aliis causis Principes inter & Ecclesiam disceptatum sit.

Argumentum ex traditione petitum profertur pro potestate Ecclesiæ in impedimenta matrimonii.

I. Tribus prioribus sæculis Ecclesiam quædam statuisse matrimonii impedimenta, probant hæc verba Siricii Papæ ad Himerium Tarraconensem rescribentis de nonnullis monachis qui nuptias ambibant; *Quod & publicæ leges & Ecclesiastica jura condemnant*. Probant iterum hæc alia Basilii, in Epistola ad Diodorum de viduo qui sororem mortuæ suæ conjugis duxerat. *Principio igitur*, *quod in ejusmodi rebus maximi momenti est*, *morem qui apud nos est*, *objicere possumus quod is legis vim habeat*; *propterea quod sanctiones istæ a sanctis viris nobis sunt traditæ*. Jura quorum quarto sæculo Siricius meminit. Consuetudo quam eadem ætate Basilius recenset; non erant Imperatorum leges, tum quod Siricius ea jura legibus Imperatorum opponat; tum quod Basilius eam consuetudinem non ad Imperatores, sed ad sanctorum traditionem referat. Nec Siricius, nec Basilius jura illa aut consuetudinem tamquam res novas proferunt, sed tamquam quas a sanctis majoribus accepissent: Ergo obtinebant ante quartum sæculum, quo tum a Siricio, tum a Basilio laudata sunt.

II. Jure de quo agitur, quarto sæculo potitam fuisse Ecclesiam demonstrant latæ tunc temporis constitutiones Synodicæ. De Affinitate hæc habet alter Canon Concilii Neocæsariensis quod anno 314. habitum est: *Mulier*, *si duobus fratribus nupserit*, *abjiciatur usque ad mortem*; *veruntamen in exitu*, *si promiserit quod ubi convaluerit*, *solvet matrimonium*, *propter humanitatem pœnitentiam habebit*. Non laudat ea Synodus Levitici verba, quibus eadem lex sancitur; eam tamen nequaquam prætermissura, si (ut heterodoxis placet) vim & robur haberet in Evangelica lege. De eodem impedimento hæc habet Basilius in Epist. ad Amphilochium: *Si quis affectu immundo correptus*, *ad illicitam duarum sororum communicationem exorbitaverit*, *id neque conjugium esse censendum*, *neque talem ad Ecclesiasticum cœtum admittendum*, *priusquam a se invicem dirimantur*. Siricius Papa in Epist.

ad

ad Himerium Tarraconensem, refert impedimentum publicæ honestatis tanquam a Primatibus Ecclesiasticis statutum: *Hoc ne fiat* (inquit cap. 4. loquens de muliere alicui jam desponsata) *omnimodo inhibemus*. Cum autem id inhibeat, non quia sic ferunt politicæ leges, sed quia illa benedictio, quam nuptui *sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur*, Ecclesiæ jus supponit.

III. Quinto & sexto sæculo penes Ecclesiam fuisse jus de quo in conclusione, evincitur 1. ex Synodo quæ habita est in Hybernia anno 450. sub S. Patricio, Canone 17. irritum fit matrimonium initum cum virgine Deo consecrata. Verba canonis referentur a nobis, cum de impedimento voti differetur. Evincitur 2. ex primo Aurelianensi Concilio celebrato anno 511. agente Clodovæo Francorum Rege. Canone 13. hæc leguntur: *Si cuiquam mulier presbyteri, vel Diaconi relicta* (tamquam vidua) *duplici se conjugio conjunxerit, aut castigati separentur, aut certe si in criminis intentione perstiterint, pari excommunicatione plectantur*. Vim non habuit statutum illud vi legum Civilium, nulla enim ea de re lata fuit unquam a principibus. Evincitur 3. ex altera Aurelianensi Synodo habita anno 533. Canone 17. hæc habet in causa de qua nihil unquam sanxere politici principes: *Fœminæ, quæ benedictionem Diaconatus hactenus contra interdicta canonum acceperunt, si ad conjugium probentur iterum devolutæ, a communione pellantur: quod si hujusmodi contubernium admonitæ ab Episcopo, cognito errore, dissolverint, in communionis gratiam acta pœnitentia revertantur*.

IV. Septimo, octavo & nono sæculo Ecclesiam, nullo contradicente, authoritate a Christo accepta præscripsisse leges quibus nuptiæ quædam nullæ fierent & irritæ; ostenditur 1. ex Gregorio Magno, qui ineunte sæculo septimo Anglorum Genti Romano nequaquam subditæ prohibuit sub pœna nullitatis ne intra primum & secundum consanguinitatis gradum nuberet. *Unde necesse est ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium decenter sibi jungi debeat. Nam secunda, quam diximus a se omnino debet abstinere*. Verba sunt laudati Pontificis ad sextam quæstionem ab Augustino Cantuariensi Episcopo sibi propositam respondentis. 2. ex Zacharia Papa, quo præside anno 747. Synodus Romæ habita est, qua revocata fuit indulgentia post quartum gradum nubendi a Gregorio secundo Germanis recenter ad fidem conversis concessa. *Deo autem largiente* (inquiunt illius Synodi Patres) *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum præteritis annis litteras miserant Archiepiscopi, & Reges Provinciæ illius petentes Apostolica præcepta qualiter liceat illius conjugia copulare, & quomodo debeat observare*. Agnoscebant igitur octavo sæculo Germanorum Reges potestatem Ecclesiæ in præscribendis matrimonio legibus. 2. ex Nicolao Papa I. qui nono sæculo Bulgaros nuper ad fidem conversos, & Romanis Imperatoribus nequaquam subditos docuit, quo in sanguinitatis gradu valerent inita matrimonia, & in quo irrita essent & invalida. *De consanguinitate generationum exquiritis, at quibus utique fœminis jungi debeatis, liquido cognoscatis* (inquit in suis ad Bulgaros responsis cap. 39.) *inter eas enim personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt .... inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio sed non tanta*.

V. Decimo sæculo Orientales Episcopi convocati ad Concilium declararunt nullas fore demceps quartas nuptias præsente & consentiente Constantino Imperatore nato ex quartis nuptiis Leonis Imperatoris, & ob id excommunicatione damnati a Nicolao Patriarcha. *Quod si quis* (inquiunt) *ad hujusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni cœtu Ecclesiastico exclusus esto .... donec in hoc conjugio permanserint .... Et in hunc quidem modum de quarto matrimonio*. Eodem sæculo, anno nimirum 998. Robertus Francorum Rex Bertham Odonis Comitis filiam, consanguineam suam duxit in matrimonium. Erchembaldus Turonensis Archiepiscopus conjugium illud consecravit, probaruntque multi adulatores & aulici Episcopi. Sed Gregorius V. coacto Romæ Concilio ipsum damnavit, duosque edidit canones, ex quibus invictissime colligitur Ecclesiæ potestas in fidelium matrimonia. Priore canone Rex sub excommunicationis pœna jubetur, ut Bertham dimittat. *Ut Rex Robertus* (verba sunt canonis) *consanguineam suam Bertham, quam contra leges in uxorem duxerat, derelinquat, & septem annorum pœnitentiam agat, ut secundum præfixos Ecclesiasticos gradus judicatum est: Quod si non fecerit, anathema sit: Idemque de eadem Bertha præceptum est*. Altero canone ejicitur e communione fidelium illius conjugii consecrator: *Erchebaldum Turonensem Archiepiscopum talis conjugis consecratorem cum omnibus Episcopis, qui consentientes interfuerunt his incestis nuptiis Regis & Berthæ consanguineæ suæ a sacrosancta communione suspendimus, donec ad hanc sedem Apostolicam veniant satisfacturi*. Non vi legum a Romanis Imperatoribus sancitarum dissolutum fuit Roberti cum Bertha conjugium: Nec enim quidquam poterant illæ leges in principem ab aliquo alio in rebus temporalibus nequaquam pendentem. Solutum igitur fuit vi Ecclesiasticorum canonum, contra quos Robertus suas inierat nuptias.

VI. Sæculis XII. & XII. eodem jure Ecclesiam potitam fuisse demonstratur 1. ex Alexandri Papæ II. Epistola 38. ad Episcopos, Clericos, & Judicea Italiæ, sub pœna nullitatis confirmat prohibitionem multis jam sæculis sancitam nubendi infra septimum consanguinitatis gradum. Illius Summi Pontificis verba describemus infra agentes de modo supputandi consanguinitatis gradus. Demonstratur 2. ex Burchardo Episcopo Vvormatiensi, qui sub finem undecimi sæculi in suam canonum collectionem retulit decretales Epistolas adscriptas prioribus Romanis Pontificibus, quibus epistolis præscribuntur impedimenta matrimonium dirimentia. Demonstratur 3. ex Yvone Carnotensi & Gratiano, qui ineunte sæculo 12. illas easdem epistolas suis inseruere decretis. Demonstratur 4. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. habito anno 1215. Eo enim concilio consanguinitatis ad quartum gradum coarctata fuit. Demonstratur 5. ex Gregorio nono, cujus authoritate ubique fere promulgatæ fuerunt decretales, quibus jus præscribendi matrimoniis irritantes leges Ecclesiæ vindicatur.

VII. Sæculis XIV. & XV. Ecclesiam jus suum in nuptias fidelium exercuisse ostenditur 1. ex facto quod anno 1366. contigit. Eduardus Anglorum Rex Edmundum nuptui tradiderat Margaretæ filiæ Ludovici Belgarum Comitis. Sed rescissum est conjugium illud, eo quod inter consanguineos initum esset. Nec Urbanus Papa V. adduci potuit, ut petitam ab Eduardo dispensationem concederet. Ostenditur 2. ex altero facto quod 15. sæculo contigit in Galliis. Ludovicus Rex XII. quasi invitus Joannam ex Ludovico XI. natam duxerat. Sed ratus postea non valere nuptias hujusmodi, rem totam commisit, non sui regni proceribus, sed Alexandro Papæ IV. cujus authoritare solutum fuit illud matrimonium, & aliud initum cum Anna Britannica prædecessoris sui vidua.

VIII. Jus quo Ecclesia a Christo usque ad sæculum XVI. potita fuerat circa impedimenta matrimonium dirimentia, confirmavit Concilium Tridentinum. 1. Lutheranorum hac de re doctrinam proscripsit. 2. Reduxit ad praxim sacra Synodus potestatem quam vindicavit Ecclesiæ. Lutherus duo hac de quæstione docuerat: Primo, in genere contenderat nulla humana lege irrita fieri posse fidelium matrimonia: *Conjunctio viri & mulieris* (inquiebat) *tenet quocumque modo contra hominum leges contigerit*. Secundo, in specie asseruerat Ecclesiam, seu ordinem sacerdotalem non posse statuere impedimenta dirimentia, quo ex principio hanc inferebat conclusionem: *Debent sacerdotes ea omnia matrimonia confirmare, quæ contra Ecclesiasticas, vel Pontificias leges fuerunt contracta, in quibus Papa dispensat, & quæ non sunt in sacra Scriptura expressa*. Utramque illam propositionem in genere & in specie cojunctim Concilium Canone 3. Sessionis

14. pro-

14 proscripsit; *Si quis dixerit eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant, anathema sit.* Posteriorem propositionem in specie damnat sacra Synodus canone 4. ubi hæc habentur: *Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.*

Concilium vero iis canonibus proposuisse fidelibus fidei dogma non diffitebitur, qui ad ejus methodum attendit: id observavit sacra Synodus, ut quæ ad disciplinam spectant, capitibus sub hocce titulo, *De reformatione*, complecteretur: quæ vero ad fidem Catholicam, redigeret in Canones, anathema dissentientibus intorquendo.

Nomine *Ecclesiæ*, quo sacra Synodus in iisdem canonibus utitur, non societatem fidelium prout Laicos & Clericos complectitur, sed solum ordinem sacerdotalem designatum voluit. 1. Sacro illi ordini præsertim, Lutherus abstulerat potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, ut patet ex secunda ejus propositione mox relata. Præterea Ecclesiæ nomen nusquam privatis personis tribuitur nisi ejus nomine, & authoritate, quæ ab ipsa emanarit, agant. At Launoius, hujusce novæ interpretationis author in suo de regia in matrimonium potestate libro non concedit politicos principes, si quasdam circa conjungia leges tulerint, egisse Ecclesiæ nomine, & potestate, quam ab ea receperint. 2. Sacra Synodus facultatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia confirmatam voluit illi eidem Ecclesiæ, quæ præcedentibus sæculis ea statuerat: At ea Ecclesia haud dubie est ordo sacerdotalis; ut probatum manet ex superioribus. 4. Concilium Tridentinum, id est, Ecclesia prout solum ordinem sacerdotalem complectitur, variis capitibus sub hocce titulo, *De reformatione matrimonii*, de impedimentis differit. Capite I. irritos facit & nullos clandestinos contractus. Cap. II. Affinitatem spiritualem ad certum personarum numerum restringit. Capite III. impedimento, quod vocant *honestatis publicæ*, limites præscribit. Capite IV. Affinitatem ex crimine ortam reducit ad primum & secundum gradum. Capite V. prohibet ne quis nubere ausit intra prohibitos gradus; regulasque præscribit in concedendis dispensationibus deinceps observandas. Capite VI. raptum accenset impedimentis dirimentibus. Absurdum esset asserere iis omnibus locis sacram Synodum non suo, sed principum Laicorum nomine egisse; Cur enim, si id ipsi erat in animo, nusquam laicos Principes nominavit? Cur toties hæc repetiit verba, *Declarat sancta Synodus?* Cur, si Principum nomine locuta fuerit, omnes Principes singula ea decreta quæ ad disciplinam pertinet suis in regnis postea non promulgarunt?

Proferuntur argumenta petita ex Principum sæcularium testimonio & praxi.

1. Altissimum fuit quovis sæculo apud omnes Principes silentium; cum Ecclesia, suis in conciliis impedimenta matrimonium dirimentia constituit. Probat illud silentium Principibus ratum fuisse semper æquo titulo potuisse sacerdotalem ordinem quod factitabat. Non enim (ut supra fuit observatum) verisimile est traditæ sibi authoritatis alioquin amantissimos Principes tantum servaturos fuisse silentium, si fuisset ipsis persuasum Ecclesiam latis a se constitutionibus invalisse Principum jura.

II. Sæculares Principes tantum detulerunt Ecclesiasticis canonibus, ut eis suas leges postposuerint. Imperatorum constitutionibus viduis non nisi post expletum a morte sponsi annum nubere licebat, sed vi sacrorum Canonum altera ubique disciplina obtinuit. Servi non obtento dominorum consensu matrimonia sub pœna nullitatis, quondam interdicebantur a Principibus; alius tamen post decretalium Promulgationem a Gregorio IX. factam usus invaluit. Jus civile nullam affinitatis collateralis habuit rationem, habuerunt tamen postea Principes Christiani, eo quod habendam esse decrevisset jus canonicum. Civili jure non contrahitur affinitas nisi ex legitimo viri & mulieris coitu; ubi tamen oriri etiam ex illegitimo concubitu statutum fuit canonibus, Principes hujusmodi mutationi subscripserunt.

III. Exhibuerunt se sæpius Principes Christiani tanquam canonum executores. *De reliquis vero propinquis juxta constituta sanctorum Patrum, & juxta decreta canonum judicetur.* Verba sunt Caroli Magni lib. 6. Capitularium num. 7.

IV. Iidem principes matrimonia damnarunt præcise eo quod contra canonum prohibitionem inita fuissent. Anno 577. Chilpericus Francorum Rex Prætextatum Archiepiscopum Rothomagensem sic in Concilio Parisiis coacto narrante Gregorio Turonensi hist. lib. 5. cap. 18. allocutus est: *Quid tibi visum est, o Episcope, ut inimicum meum Meroveum, qui filius esse debuerat, cum amyta sua, idest cum Patris sui uxore conjungeres? An ignarus eras quæ pro hac causa CANONUM statuta sanxissent?*

V. Principes ad Ecclesiasticum tribunal confugerunt ad dirimenda contracta illegitima matrimonia. Carolus Magnus priorem suam conjugem filiam Desiderii Longobardorum Regis non nisi post latum ab Episcopis judicium dimisit. Lotharius post suam a Thiedeberga separationem, a Concilio Aquisgranensi decretam, alterarum nuptiarum veniam hisce verbis petiit: *Vos, o sancti Pontifices, & venerandi Patres qui estis positi mediatores inter Deum & hominem.... ad vos humiliter proclamo, &c. Nam ipsam fœminam de infando & incestuosæ fornicationis contagio sponte confessam, juxta beati Pauli præceptum a nobis vestra jussione sequestravimus.* Henricus hujusce nominis IV. Francorum Rex dimisit Margaretam Reginam, cum qua contraxerat post repudii sententiam, quam latam per commissos in Francia judices Ecclesiasticos tulerat Clemens Papa VIII.

VI. Principes Christiani nusquam contra canones post XIV. sæculum nupsere, quin prius prohibiti matrimonii, quod ambibant, veniam & dispensationem a sacerdotali ordine obtinuissent. Exempla proferentur, ubi de potestate in impedimentis matrimonii dispensandi differetur inferius.

VII. Tandem sæculo proxime elapso Regibus Christianissimis ita ratum fuit, ac si eum posse Ecclesiam, seu sacerdotalem ordinem, leges condere, quibus quædam matrimonia irrita fiant, & quoad substantiam invalida, ut eorum & Gallorum omnium nomine similem legem a Patribus Tridentinis circa clandestina Matrimonia promulgari solemniter petierint: *Inter articulos, de duobus magis disputatum est* (inquit Palavicinus libro 22. de Tridentini concilii Historia cap. 1. num. 12. & 13.) *Alter fuit de irritis declarandis Matrimoniis Clandestinis. Agnoscebantur immensa detrimenta, quæ inde nascebantur.... Idcirco oratores Galli, quorum regna fortassis hoc incommodum frequentius, nocentiusque patiebantur, vigesimo quarto Julii a Concilio, Regis nomine, solemniter petierunt, ut hujusmodi matrimonia imposterum irrita decernerentur, renovatis antiquis nuptiarum ritibus: quod si gravi de causa interdum aliter fieri opportunum censeretur, saltem matrimonia pro non legitimis haberentur, quoties non adesset sacerdos cum tribus aut pluribus testibus.*

Solvuntur objectiones quas adversarii movent contra Ecclesiæ potestatem in statuendis matrimonii impedimentis.

Objicies 1. A nulla humana potestate, sive politica, sive Ecclesiastica, mutari potest alicujus sacramenti substantia, ut docet Concilium Tridentinum; Atqui si humana potestate, quæcumque sit, constitui possent impedimenta matrimonium dirimentia, mutari posset substantia sacramenti matrimonii; iis nimirum impedimentis efficeretur, ut contractus, qui, antequam statuta fuissent, erat materia sacramenti, postea desineret esse materia, ubi statuta fuissent ejusmodi impedimenta.

Resp.

Resp. Humanam potestatem efficiendo suis legibus, ne iste aut ille contractus sint materia sacramenti matrimonii, nullam in illius materia mutationem efficere. Et vero materia Matrimonii non est quicumque contractus maris cum fœmina, sed est solus contractus legitimus, idest secundum leges initus: Illi responsioni affulgebit lux ex hac paritate; Baptismatis materiam nequaquam mutare censeretur, qui arte chymica efficeret ut liquor, qui est aqua naturalis, desineret esse aqua; ita nec humana potestas censeri debet mutare matrimonii materiam, cum efficit ne contractus, qui valebat antea, imposterum irritus sit & nullus, ac perinde ineptus ut sacramenti matrimonii materiam constituat. Ita ratiocinatus est Camillus Campegius Dominicanus, cum in Concilio Tridentino disputatum est inter Theologos quomodo, non mutata sacramenti substantia, matrimonium clandestinum, quod valebat ante sacram Synodum, posset irritum declarari nisi coram parocho & testibus contraheretur. Tridentinis Patribus probatum fuisse argumentum Campegii refert Palavicinus in sua de Concilio historia, ubi sic loquitur: *Cum ibi variæ a variis doctoribus quærerentur rationes, quibus haud mutata sacramenti natura, Clandestinum matrimonium posse irritum fieri declararetur; Ecce Camillus Campegius Dominicanus tam invenit & proposuit, quæ pluribus arrisit, non mutari videlicet sacramentum, etiamsi quis efficiat, ut quod sacramenti materia est, desinat sacramenti materia esse. Qui autem civilem matrimonii contractum sustulerit, personas ad contrahendum reddens inhabiles, continuo effecturum dixit, ut matrimonii contractus non possit amplius sacramenti superesse materia. Non secus ac si quis efficeret, ut qui liquor vera est aqua, aqua esse desinat, non mutaturum esse dicit sacramenti baptismi materiam, sed effecturum duntaxat, ut quæ nunc aqua ad baptismum sufficit, ad eumdem postea non sufficiat. Camillo Campegio, cui difficultates omnes facile solventi applaudebatur a quamplurimis, Antonius Solisius reclamavit; non quod (inquiens) Campegii vera non esset speculatio, sed quod eam ad institutum applicari non conveniret .... Sed quid factum est? Inventus a Campegio rescindendi clandestini conjugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit, insuper habitis quæ Solisius contra Campegianæ speculationis usum disseruerat.*

Objicies 2. Ex scriptura non constat Christum ullam in matrimonium potestatem Ecclesiæ fecisse. Ergo Ecclesia non potest statuere impedimenta quibus dirimatur. Præterea Deus ipse in Levitico determinavit inter quas personas contrahi aut non contrahi deberet matrimonium: Nec igitur solvendum est quod Deus præscripsit, nec quidquam divinæ determinationi est addendum.

Resp. 1. neg. consequentiam, neque enim sola Scriptura est regula fidei aut morum. Traditio, cum sit Dei verbum non scriptum, id quoque juris sibi vindicat: Traditione autem docemur Ecclesiam quovis sæculo statuisse impedimenta quibus matrimonium dirimeretur, ac proinde jure id potuit.

Resp. 2. neg. antecedens. Ratio est, quia nonnulli Patres verba hæc Evangelica Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*, non ad solam excommunicandi, aut per absolutionem remittendi peccata facultatem extendunt, sed ad ipsum etiam matrimonium, quod quidem (Tertulliano teste lib. 2. ad uxorem, Deus pater ratum habet in cœlis, ubi a sacerdotibus consecratum fuerit in terris. Præterea nemo ire potest inficias, quin fidelium matrimonia Reipublicæ Christianæ multum afferant aut utilitatis aut detrimenti, æquum igitur fuit ut Christus ea Ecclesiæ legibus subjiceret.

Resp. 3. præscriptas in Levitico matrimoniorum prohibitiones vim non habere in Euangelio, nisi in iis gradibus intra quos nuptiarum celebrationem lex naturalis ante Moysen eas vetuerat; ubi enim promulgatum fuit Evangelium, [illegible] veteris Testamenti præcepta ab[illegible] sunt. Præterea etsi Deus apud Moysen ceteris in gradibus matrimonia Judæos quondam in[illegible]sset, non prohibuerat tamen, ne Synagoga pro loco & tempore alia impedimenta & quidem dirimentia statueret. Confirmatur ea responsio ex eo quod, si valeat Seldeni testimonium in libro, quem inscripsit; *Uxor hebraica*, Judæi Talmudistæ consanguinitatem ad tertium supra vigesimum gradum extenderint.

Objicies 3. Matrimonium non est res sacra; nudo simplicique politico contractu absolvitur. Ergo in illud nullum jus habet Ecclesia, cujus regnum non est de hoc mundo.

Resp. neg. ant. Nam 1. contractus naturalis, quem civilis præsupponit, omnino spiritualis est, sive in signo quo Christi & Ecclesiæ unionem exhibet, sive in effectu; parit scilicet vinculum nulla humana potestate solvendum. 2. Contractus naturali & civili lege perfectus, est materia sacramenti a Christo instituti, ac proinde sub illo respectu res est spiritualis, utpote elevata ad producendum, si accedat forma gratiam sanctificantem, ut suo loco ostendetur inferius.

Objicies 4. Principes politici omnia quæ quondam dirimebant & his temporibus matrimonium dirimunt, impedimenta suis legibus statuerunt. Ergo penes eos tantum fuit jus impedimenta hujusmodi statuendi: Probatur consequentia. 1. Si Principibus politicis potestas, quam ad praxim reduxerunt, jure non convenisset, Ecclesia, seu sacerdotalis ordo cujus intererat, & cujus jura invasissent, obstare debuisset constitutionibus, quibus quædam matrimonia declarabantur irrita & nulla; debuisset principes arguere usurpatæ potestatis, monere quod sæculares manum rei sacræ admoverent; idque juxta illud Felicis III. Papæ ad Acacium Constantinopolitanum, *Error, cui non resistitur, approbatur*. Sed tantum abest, ut sacerdotalis ordo sic se gesserit, quin potius irritantes matrimonia leges a Principibus latas executioni mandari jusserit. Leo Magnus epist. 82. ad Rusticum Narbonensem definit nulla esse conjugia a servis, renuentibus dominis, inita, eo quod Cæsareis legibus irrita facta fuissent: *Nuptiarum autem fœdera* (inquit) *inter ingenuos sunt legitima & inter æquales multo prius, hoc Domino constituente* (in veteri nempe testamento) *quam initium Romani juris existat*. Nicolaus Papa I. in responsis ad Bulgaros, leges Imperiales de consanguinitatis gradibus, intra quos contrahenda non sunt matrimonia, recenset, laudat, explicat, & earum praxim præscribit: *De consanguinitate generationum exquiritis* (verba sunt laudati Pontificis) *ut quibus utique fœminis jungi debeatis, liquido cognoscatis. Verum quod leges hinc sanciunt, jam meminimus*.

II. Eadem Enthimematis consequentia variis ostenditur rationibus. I. Imperatores Ethnici tribus prioribus sæculis potuerunt Christianis suæ ditioni subditis constituere impedimenta matrimonium dirimentia, modo naturali ac Divinæ legi non essent contraria; non enim per subditorum Christianismum exciderant ex antiquo suo jure. Ergo eadem facultate potiti sunt imperatores, ubi religioni Christianæ dederunt nomen; Alioquin fide Christiana, quam amplexi fuerant, deterioris facti fuissent conditionis, quam antea. 2. Ratione sacramenti, quæ fidelium conjugiis superventi, nihil in contractu matrimoniali mutatum fuit, imo ipsum integrum supposuit & legitimum tamquam materiam cui advenerit eo pene modo quo ratio sacramenit, quæ ex institutione Christi convenit baptismati, nihil immutavit in aqua quæ illius materiam constituit. 3. Licet contractus matrimonialis ad sacramenti dignitatem elevatus fuerit a Christo, non desiit ex iis rebus esse, quæ ad perturbandam aut servandam Reipublicæ pacem conferunt; nequaquam igitur politicæ jurisdictioni subductum est: Ergo principes jure sibi proprio condiderunt leges quibus matrimonia dirimantur.

Verum si antiquitus Principes Christiani jure nonnulla impedimenta statuerint, non est cur his quoque temporibus idem non possint. Et sane vel id præstitere auctoritate suprema qua donati erant, vel ex tacito Ecclesiæ, seu ordinis sacerdotalis consensu, potestate de qua est quæstio, fruebantur: Si primum, a Principibus adimi non potuit ea facultas, cum homines in jus divinitus acceptum nihil omnino possint. Si secun-

dum

dum fruantur adhuc illi eadem facultate necesse est; Neque enim quidquam tentavit sacerdotalis ordo, quo Principes ea potestate spoliati fuerint, cum nec tempus, nec locus, nec Synodus, quibus res tanti momenti tentata fuerint, assignari possint.

Resp. 1. neg. ant. Nam (ut supra fuit observatum) plurima olim erant, & nunc sunt impedimenta, de quibus in Imperatorum constitutionibus nihil omnino legere est.

Resp. 2. dato antecedente, neg. conseq. Et vero omissa quæstione de Principum in Matrimonia potestate, de qua nihil hic dictum volumus, nullum est argumentum quod Launoius ad fastidium usque repetit: *Principes Christiani jure Principatus impedimenta matrimonii statuerunt: Ergo eis dumtaxat competit ea facultas*. Nam 1. (ut fuse fuit ostensum) impedimenta hujusmodi multis in provinciis utpote Romanæ ditioni non subjectis, legum imperatoriarum non obtinuere: Ergo alio jure, Ecclesiastico scilicet, seu quod ab Ordine sacerdotali definitum est. 2. Fidelium matrimonia, fatente Launoio, non solius contractus civilis, sed & sacramenti rationem habent: Ergo quamvis Principes de eis, secundum priorem respectum consideratis, leges ferre possint, quod nos hic in examen non adducere iterum monemus, non sequitur matrimonium secundum posteriorem respectum, seu prout est quidpiam spirituale, authoritati sacerdotali non subesse.

Illationis de qua agitur falsitas ab ipso Launoio detecta fuisset, si ad S. Thomæ verba quæ pro se laudat, attendisset; sic autem loquitur S. Doctor in 4. sent. Dist. 24. Art. 1. ad 4. *Ad quartum dicendum quod personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicantur ex eo, quod fiat contra legem, qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur jure naturæ; In quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; In quantum est Sacramentum, statuitur jure Divino, & ideo ex qualibet dictorum legum, naturæ humanæ, & Divinæ potest persona effici ad matrimonium illegitima*. Sic iterum lib. 4. contra Gentes cap. 78. *Considerandum est, quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: Generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem alicujus boni positivi, puta populi in aliqua civitate; Ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ, quæ in fidelium collectione consistit: Unde oportet quod hujusmodi generatio ad diversa dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem; & sic dicitur esse naturæ officium: In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi civilis legis: In quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Ecclesiastico*: in quo autem positum sit illud Ecclesiasticum in Matrimonio regimen, aperit ipse S. Thomas qui lib. 5. cap. 15. *Ad primum* (inquit) *dicendum quod Ecclesia in his quæ ad matrimonium pertinent, se habet tripliciter; uno non quidem modo per modum judicantis; & quia homines vident ea quæ apparent secundum quod dicitur 1 Regum cap. 16. oportet, quod Judex Ecclesiasticus judicet secundum ea quæ sibi apparent: Alio modo se habet per modum prohibentis & punientis; & hoc quidem impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum: tertio modo se habet per modum statuentis, quod (in Ecclesia) fit solum authoritate Summi Pontificis, & secundum hoc personæ aliquæ redduntur illegitimæ, ut patet in quibusdam gradibus consanguinitatis & affinitatis, vel etiam de adultera, cum quis dedit ei fidem de contrahendo cum machinatus est in mortem uxoris*. Ex Doctoris Angelici textu patet Ecclesiæ, seu Ordinis Sacerdotalis in fidelium Matrimonium potestatem, non esse tantum positam (ut tamen innuit Launoius) in eo quod per suos ministros dispenset Matrimonii Sacramentum, sed etiam in facultate qua pollet judicandi de causis Matrimonialibus, statuendi impedimenta, quibus aut prohibeantur, aut dirimantur.

Caput Secundum.

Utrum Ecclesia, seu Sacerdotalis Ordo, in Matrimonii impedimentis dispensare valeat?

CONclusio 1. Ecclesia potest dispensare in nonnullis Matrimonii impedimentis.

Probatur 1. Ecclesia semper agnovit se circa quædam impedimenta Matrimonii posse fideles dispensare. Desinente sæculo VI. Gregorius Magnus Anglorum genti recenter ad fidem conversæ, ut posset cum consanguineis nubere in tertio gradu; intra quem tamen irrita tunc erant conjugia; *Unde necesse est* (ait laudatus Pontifex ad Augustinum Episcopum Cantuariensem rescribens) *ut jam tertia, aut quarta generatio fidelium liceater sibi jungi debeat; Nam secunda, quam diximus, a se omnino debet abstinere*. Displicuit Felici Messanensi Episcopo Gregorii indulgentia, unde de ea paulo vehementiores ad eum litteras dedit, quibus hoc unum respondit Gregorius: *Quod autem scripsi Augustino Anglorum gentis Episcopo alumno; videlicet ut recordatus es tu, de consanguinitatis conjunctione, ipsi & Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat, metuendo austeriora, recederet, specialiter & non generaliter cæteris me scripsisse cognoscat*.

II. Gregorius Secundus incunte octavo sæculo, nimirum circa annum 721. fecit facultatem Germanis, ut nuberent post quartum consanguinitatis gradum. *Igitur* (inquit scribens ad Bonifacium Episcopum) *in primis legebatur in quota progenie propinquorum Matrimonium copulatur? Dicimus quod oportuerat quidem quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem sed quia temperantia magis, & præsertim in tam barbara gente, plus placet quam districtio censuræ: concedendum est ut post quartam generationem jungantur*.

III. Petrus Cellensis Abbas, duodecimi sæculi scriptor lib. 7. Epist. 3. ea ad quemdam Cardinalem scribit, quæ probant ipsum sensisse penes Ecclesiam esse concedere dispentationes circa matrimonii impedimenta. *Penset vestra discretio ut si quid de gradu consanguinitatis obstat, pro bono pacis & pro tantorum malorum recompensatione, quæcumque fieri potest a Domino Papa, non recusetur dispensatio*.

IV. Post sæculum 12. frequentes visæ sunt dispensationes in impedimentis dirimentibus concessæ ab Ecclesia. Eas non plebeii modo, sed & Principes, a sancta Sede postularunt, postulantque his etiam temporibus, ut observatum est superiori capite.

V. Lutheranos Ecclesiæ abnegantes potestatem de qua agitur, proxime elapso sæculo anathemate damnavit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit* (inquit can. 3.) *eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant & dirimant, anathema sit*.

Objicies 1. Prioribus sæculis Principes circa matrimonii impedimenta dispensabant. Ergo (argumentum est Launoii) id olim non potuit Ecclesia. Probatur antecedens ex Honorii & Theodosii Lege, cui titulus est; *Si nuptiæ ex rescripto petantur*, hujusmodi autem est lex illa. *Quidam vetusti juris ordine prætermisso, obreptione precum nuptias, quas pro se intelligunt non mereri, de nobis æstimant postulandas, se habere puellæ consensum confingentes. Quapropter tale sponsalium genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione meruerit amissionem bonorum, & pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat, & amisso jure matrimonii quod prohibita usurpatione meruerit, filios se juste hac ratione susceptos non habiturum, nec unquam postulatæ indulgentiæ adnotationisve Principis indulto, efficacem se veniæ affectum meruisse, exceptis his, quos consobrinorum, hoc est quarti gradus*

conjunctione, seu triumphalis memoriæ patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetavit; exceptis his qui parentum sponsione de nuptiis filiarum impleri desiderant, vel sponsalia, hoc est arrharum dato nomine, reddi precepto sibi legem cum quadruplici pœna deposcunt. Nos enim peti de nobis nuptias supplicatione probibemus, quas decet de voluntate parentum, vel de ipsis adultis puellis, aut mulieribus impetrari. Nam si negato conjugio, quod fuerat ante promissum, lis aliqua legem præcepto nascatur, de jure nos consuli non vetamus. Lata fuit illa lex Ravennæ anno Christi 409. In ea exponunt Imperatores, quando, quibus, & qua ratione velint in matrimoniis prohibitis dispensare.

Item antecedens ostenditur ex dispensationum formulis, quas legere est apud Cassiodorum lib. 7. variarum cap. 6. num. 40. & num. 47. Priores Theodoricus Rex ratum efficit conjugium nobilis cujusdam, qui contra legum statuta nupserat cum muliere plebeja. Altera facultatem facit viro ut nuptias ineat cum consanguinea in secundo gradu; posterior hæc formula his concepta est terminis. *Institutio divinarum legum humano juri ministrat exordium, quando in illis capitibus legitur præceptum, quæ duabus tabulis probantur adscripta, sacer enim Moyses Divina institutione Israelitico populo inter alia definivit, ut concubitus suos a vicinitate sanguinis abstinerent, ne & se in proximitatem redeundo pollurent, & dilationem providam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri sequentes exemplum longius pudicam observationem posteris transmiserunt reservantes principi tantum beneficium consobrinis nuptiali copulatione jungendis, intelligentes varius posse præsumi quod a principe jusserant postulari. Admiramur inventum & temperiem rerum stupenda consideratione, laudamus, hoc ad principum fuisse remissum judicium ut qui populorum mores regebat, ipse & moderata concupiscentiæ fræna laxaret: & ideo supplicationum tuarum tenore permoti, si tibi illa tantum consobrini sanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior approbaris, matrimonio tuo decernimus esse sociandum, nulli nullamque exinde jubemus fieri quæstionem, quando & leges nostra permitti voluntate consentiunt, & vota vestra præsentis beneficio authoritatis firmaverunt. Erunt vobis itaque, Deo favente, posteri hæredes solemniter, castum matrimonium, gloriosa permixtio, quando quidquid a nobis fieri præcipitur, necesse est ut non culpis, sed laudibus applicetur.* Ex ejusmodi vero formulæ terminis patet consuevisse quondam sæculares Principes dispensare circa impedimenta, quæ matrimonium dirimerent.

Respondent nonnulli Theologi dispensationes quondam a Principibus concessas vim habuisse quidem, quoad effectus civiles, non autem quoad Matrimonii substantiam. Asserunt alii scriptores valuisse pariter quoad conjugii substantiam, sed ex tacito Ecclesiæ consensu; Oeconomiæ nimirum & conservandæ pacis causa, Ordo Sacerdotalis ferebat in Christianis Principibus, quod Imperatoris Ethnici sibi subditorum respectu factitare solebant.

Respondemus nos, dato argumenti antecedente, dato etiam quod nihil quoad caput de quo agitur, sibi Principes sæculares sumpserint quod sibi jure non competeret, id tamen hic non adducimus in examen, tantum abest, ut definiamus.

Respondemus (inquam) non valere conclusionem quam falso eruit Launoius ex concessa a Principibus nuptiarum indulgentia: Ratio est, quia utraque authoritas, Politica nimirum & Sacerdotalis, potuit sibi specialem jurisdictionem exercere circa conjugium, cum (ut superius observatum est ex S. Thoma) Matrimonium sit contractus naturalis simul politicus, & spiritualis.

Objicies 2. Joannes Mariana, Hispanorum Historicus, lib. 10. cap. 8. loquens de incestis nuptiis Alphonsi, Castellæ Regis cum Ulraca sua consanguinea, hæc scribit: *Nondum moribus receptum erat* (xi. sæculo) *ut Pontificum Romanorum venia, lege cognationis soluta, conjugia inter cognatos coirent.* Igitur id quondam non poterant Romani Pontifices quod factitant modo.

Resp. 1. Falsum esse antecedens, ut patet ex dispensationibus quas tum Gregorius Magnus, tum Gregorius Papa II. Anglis & Germanis concessere.

Resp. 2. dato antecedente, nego conseq. Ratio est, quia prioribus sæculis nusquam, aut saltem rarissime, dispensati fuerunt fideles circa alia quæ vetabant canones, v. g. circa Clericum irregularitates, & tamen certum est Ecclesiam tunc potuisse in eis dispensare.

Quæres 1. Quis in Ecclesia dispensare possit circa impedimenta Matrimonii?

Respondet Cabassutius noster 1. Solum Papam posse dispensare circa impedimenta, quibus Matrimonium dirimitur; non quidem (ut docet ille author) eo quod impedimenta dirimentia aut a Conciliis Generalibus, vel a Summis Pontificibus statuta sit; nam Episcopi possunt a Quadragesimali jejunio dispensare, licet tum a Conciliis tum a Summis Pontificibus fuerit præceptum. Dicendum est igitur ideo in casu de quo quæritur recurrendum esse ad Summum Pontificem, quod sic ferat usus longiori tempore firmatus.

Respondet 1. idem scriptor Episcopos nonnumquam posse dispensare in impedimentis dirimentibus; sed ad id requiritur 1. ut jam contractum fuerit Matrimonium: 2. ut contractum fuerit bona fide, seu cum inculpabili ignorantia impedimenti, quod præcessit; 3. ut sit consummatum: 4. ut impedimentum sit occultum: 5. ut partes adeo sint inopes ut nec ire nec mittere possint ad Papam aut ejus legatum: 6. ut si fieret separatio, scandalum verisimiliter exoriturum esset. Si vero abfuerit aliqua ex iis circumstantiis & partes penuria laborent, debebit Ordinarius dispensationem apud Sedem Apostolicam prosequi in forma pauperum ut gratis obtineatur.

Respondet 3. mox laudatus author, circa Matrimonia contrahenda arctiorem esse Episcoporum potestatem, ac perrarò contingere, ut in hac parte dispensent. Unus (inquit) casus occurrit, in quo, etiam in foro conscientiæ, valeat ac licita sit concessa ab Episcopis dispensatio, cum nempe Parocho per confessionem Sacramentalem innotescit occultam affinitatis impedimentum contractum ex illicita copula carnali, nec aliunde via patet qua vitentur tum scandalum tum infamiæ periculum, quæ alioquin exorirentur ex nuptiarum dilatione. Ratio est, quia non est verisimile quod Papa in illis augustiis sibi dispensationem, de qua agitur, reservare voluerit.

Respondet 4. idem scriptor, sibi non videri certam opinionem eorum, qui docent in quibusdam Galliarum Provinciis invaluisse consuetudinem quæ jus faciat, detque Episcopis potestatem dispensandi ad contrahendum matrimonium in quarto, aut etiam in tertio cognationis, aut affinitatis gradu.

Quæres 2. Quænam conditiones requirantur, ut obtenta in impedimentis dirimentibus dispensatio valeat?

Resp. nullam esse dispensationem, 1. Cum preces veritate non nituntur, sive ubi concessa fuit propter narrationem facti falsi suppositi, sive illa falsa narratio cognita sit nupturis, sive eos latuerit. 2. Cum in supplici libello exposita non fuerunt omnia, quæ debebant exponi, v. g. Cum expressus non fuit gradus consanguinitatis, affinitatis, aut honestatis publicæ. Cum etiam expressum non fuit peccatum incœstus commissum ad hunc finem, ut facilius obtineretur dispensatio: Cum non fuit dictum partes scienter contraxisse matrimonium in gradibus prohibitis, aut cum aliquibus aliis impedimentis dirimentibus.

Quæres 3. Quandonam concedenda sit dispensatio circa impedimenta matrimonii?

Resp. 1. his verbis Conc. Trid. Sess. 24. de reformat. cap. 5. *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ad publicam causam,*

Resp. 2. his aliis verbis ejusdem sacræ Synodi: *Si quis intra gradus probitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consumma-*

ma-

re ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in coatcabendo matrimonio neglexerit, cisdem subjiciatar pœnis; non enim dignas est, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatuc, cujus salubria præcepta temere contempsit.

Resp. 3. concedendam esse dispensationem eum urget necessitas, aut postulat spiritualis utilitas, juxta præclaram hanc Bernardi sententiam, lib. 3. de consideratione, ad Eugenium Papam cap. 4. *Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio; ubi nullitas provocat, dispensatio landabilis est: ntilitas, dico, communis, noa propria. Nam cum nihil boram est, aon plane fidelis dispensatio, sed ccudelis dissipatio est.*

Resp. 4. oecessitatem & utilitatem de quibus Becnardus, reduci in causis matrimonialibus, 1. ad magnæ litis extinctiooem. 2. Ad angustiam loci, quæ potest oriri vel ex eo quod major civium pars sint consanguinei vel affinis postulanti dispensationem; vel ex eo quod quis compartem non inveniat, quæ ejusdem aut similis sit status & conditionis: summa nimirum in conditione disparitas domesticæ paci, ac nuptorum saluti ut plurimum adversatur. Addit Cabassutius pacificationem discordiarum, sive præsentium seu quæ prævidentur futuræ, paupertatem cognatæ aut affinis, cui vir dives vult, nubendo, dotem constituere, devitationem periculi mortis, scandalum grave præcavendum, aut peccatum vitandum, rationes esse quæ petitionem dispensationis licitam efficiunt.

Quæres 4. Quis dispensare possit in impedimeotis quibus Matrimonium non dirimituc?

Resp. id posse locorum Ordinarios, exceptis votis simplicibus & absolutis perpetuæ castitaris & religionis: testantur nimirum Canonistæ, quod ubique invaluerit ea consuetudo. Possunt præterea iidem Ordinarii dispensare in impedimentis, quæ prius contracto Matrimooio superveniunt, prohibentque debiti conjugalis petitionem & usum. Ejus generis est quæ inter conjuges accidit, sive per baptismum, sive per incestum, affinitas: oec enim jus nec consuetudo, illa impedimenta Summo Pontifici reservarunt.



QUÆSTIO SEPTIMA.

De Matrimonii impedimentis in specie.

HAC in quæstione dicemus 1. de impedimentis dirimentibus. 2. de prohibentibus.

CAPUT PRIMUM.

De impedimentis dirimentibas.

DIrimentia quindecim numerantur, quæ continentuc subsequentibus versiculis.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitar, Vis, Ordo, Ligamea, Honestas,
Ameas, Affinis, si Clandestinus, & impos,
Si mulier sit rapta, loco nec ceddita tuto.
Hæc socianda vetant connubia, facta cetcaffaat.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimeato ceroris.

ERror triplex hic distinguitor; Personæ, Qualitatis, Fortunæ. Prior definitur judicinm, qno quis censet personam cum qua Matrimonium contrahir, esse aliam, qnam sit. Alter est judicium qno quis judicat personam, cnm qua contrahit, habere inhærenrem qualitatem, qnam non habet. Per tertium errorem judicatur personam cum qua contrahitur, frui divitiis, quibus taonen minime fruitur.

Jacnin de Sacram.

Conclusio 1. Error personæ irritum facit matrimonium jure Naturæ, Canonico, & civili.

Probatur prima pars. Personæ nubentes sunt primarium & essentiale objectum Matrimonii: Ergo si in eis erretur, tollitur omnino Matrimonium, nisi qnis velit contrahere cum persona cui dat fidem, quæcumque tandem sit. Altera pars constat cx decretis quæ apud Gratianum causa 29. quæst. 1. legere est. Tertiam passim tradunt jura, Digest. lib. 2. rit. 1.

Conclusio 2. Error qualitatis, aut fortunæ nun impedit Matrimonii veritatem.

Probatur. Duplex ille erroc non tollit veritatem consensus, possessio enim qualitatis alicujus, aut fortunæ, est quidem ratio quæ movet ad consentiendum, sed non est consensus objectum. Qui ducit mulierem, quæ habet nasum, non ideo cum illa contrahit, quod nasum habeat, licet aliunde contracturus non esset, si sciret eam naso carere. Hinc infertur valere Matrimonium cum corrupta, paupere, sene, initum, quamvis aut virgo, aut dives, aot adolescentula putaretur. Advertendum est tamen errorem qualitatis transire noonumquam in errorem pecsonæ; cum nempe qualitas, in qua erratuc, determinat certam aliquam personam distinctam ab ea quæ præsens est, v. g. si Joannes contrabat cum Catharina, quæ falso prædicat se filiam esse Petri, qui est præses Provinciæ. Tunc enim Joannes suum consensum ad præsidis filiam determinat.

CAPUT SECUNDUM.

De impedimento conditionis.

NOmine conditionis hic intelligitur status servilis, seu personæ, quæ est sub potestate domini tamquam possessio ejus, & non tantum sub jurisdictione tamquam subdita, aut sub regimine œconomico tamquam famula. De statn illo servili quæri potest 1. utrum dirimat Matrimonium initum præter domini consensum. 2. an error conditionis reddat nullum & invalidum Matrimonium. 3. an condirio cognita liberi cum ancilla Matrimonium impediat.

Conclusio 1. Contractæ a servis nupriæ, domiois non consentientibus, ubique tamquam fornicationes habitæ sunt duodecim prioribus sæculis: sed qoingentis ab hinc annis ratæ sunt apud Christiaoos.

Probatur prima pars. 1. ex Basilio Magno, qui in epistola ad Amphilochium canone 40. sic loquitur: *Quæ præter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est: Quæ vero postea* (permittente scilicet domino) *libero Matrimonio nsa est, nupsit. Quare illud quidem fornicatio, hoc vero Matrimonium. Eorum enim, qui suat in alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent.* Eo in loco Basilius disciplinam tradit quæ suo tempore & sæculis præcedentibus in toto Imperio Romano servabatur. Eam canone 42. hisce verbis iterum confirmat. *Quæ sine iis qui habent potestatem fiunt Matrimoaia, sunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii qui conveniunt sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint, tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Firmum igitur non erat anre domini consensum, imo conjuges tamquam fornicarii ab invicem separari debebant.

Ostenditur 2. eadem prior conclusionis pars ex Concilio Cabilonensi II. quod anno 813. celebratum est. *Nobis visum est* (inqnit Canone 30.) *ut conjugia servorum non dirimantur ..... ubi legalis conjunctio fait, & per voluntatem dominorum.* Ergo dirimi debebant si ioita fuissent pratec domioorum consensum.

Ostenditur 3. authoritate Magistri sententiarum qui scripsit circa medinm sæculnm 12. Lib. 4. sent. dist. 36. postquam laudavit mox relatnm Concilii Cabilonensis textum, anceps videtur hærere circa quæstionem, de qua agitur; hæc enim habet: *Atteade finem bujas capitnli* (Cabilonensis Concilii) *ubi videtur innui præter voluntatem dominorum inter servum & ancillam aon posse coatrahi conjaginm, vel si contrahitur, non esse ratum:*

Quibuſdam tamen videtur inter eos poſſe fieri conjugium dominis ignorantibus. Ellius determinat quidem his tempotibus valere Matrimonia, de quibus eſt quæſtio, at ea aotiquitus non valuiſſe ſatis innuit, cum exponens locum ex S. Baſilio relarum, ſic loquitur: *Quamquam etiam dici poteſt Eccleſiam aliquandiu approbaſſe, vel toleraſſe leges civiles, quæ jam ante fuerant in uſu, præſertim quibuſdam in locis, ubi leges contrarias introducere difficile erat*.

Objicies 1. Naturale eſt homini dare operam generationi prolis. Igitur jus naturale unicuique (etiam ſervo) facit facultatem nubendi. At jus naturale per humanum, ſive ſit Eccleſiaſticum, ſive ſit politicum, tolli minime poteſt.

Reſp. 1. argumentum, ſi valeret, probaturum nec Eccleſiam nec Principes poſſe ſtatuere aliqua impedimenta Matrimonium dirimentia; quod tamen eſt hæreticum.

Reſp. 2. jus naturale permittere Mattimonium omnibus legitimis perſonis: Quænam autem ſint illæ legitimæ perſonæ, non determinat, ſed humano juri determinandum reliquit.

Objicies 2. leges humanæ, quibus Matrimnnium ſervis prohiberetur, nonnumqnam futuræ fuiſſent impedimento eorum ſaluti; ita enim ſetvos urgere potuit neceſſitas, ut caſtitatem extra Marrimonium ſervare noo poſſent. Præterea nihil poſſunt humanæ leges in ea, quæ ſunt neceſſaria ad conſervationem individui, unde ſervus poteſt & debet manducare, etiam invito domino: Ergo pariter nihil poſſunt in ea quæ ſunt neceſſaria ad conſervationem ſpeciei, cujuſmodi eſt Matrimonium.

Reſp. ad 1. Servum ad illas anguſtias redactum poſſe & teneri adhibere media, quæ uxoratus, ægrotante uxore, adhiberet, orationem nimirum & jejunium.

Reſp. ad 2. neg. conſeq. Ratio eſt, quia cuilibet homini Deus & natura præceperunt proprii individui conſervationem, non vero cuilibet imperarunt conſervationem humanæ ſpeciei, alioquin dicendum foret omnes homines divino & naturali jure ad Matrimonium teneri; quod quidem manifeſte repugnat Apoſtolo, & eſt hæreticum.

Concluſio 2. Poſt ſæculnm 12. rata ſunt apud Chriſtianos Matrimooia quæ ſervi invitis dominis contraxerint.

Probatur ex Decretalibus. Lib. 4. titulo 9. de conjugio ſervorum, hæc habentur: *Sane juxta verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Jeſu neque liber, neque ſervus, eſt a Sacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi. Etſi contradicentibus dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda*. Ex quibus verbis patet poſt. 12. ſæculum dominorum diſſenſum deſiiſſe eſſe impedimentum dirimens Matrimonii a ſervis contrahendi, quæ enim impedimenta ſtatuit Eccleſia, poteſt poſtea reſcindere, ut fidelium utilitati conſulatur.

Objicies. Jus novum, quo rata declarata ſunt matrimonia quæ ſervi dominis invitis contraxerint, videtur non poſſe habere locum: Nam ſervitus bonis matrimonii adverſatur. 1. quidem repugnat tum bono ſacramenti, tum individuæ cohabitationi: ſiquidem ſervus tenetur in domo domini habitare, ab eo poteſt mitti in regiones remotiſſimas, ubique venundari. 2. Contraria eſt bono fidei, quia ſervus petenti uxori debitum reddere non poteſt, debet nimirum exequi domini mandata, quæ aliquando non ſtant cum debiti coojugalis redditione. 3. Adverſatur bono prolis; eam enim ſervus alere non poteſt, cum omnia domino acquirat.

Reſp. ad 1. uxorem, in illo caſu teneri ſponſum ſequi, ſi id poſſit ſine gravi detrimento, idque ſponſus imperet. Cum enim (ut ſupponitur) ſtatum ſervilem ante ouptias cognoverit in viro, contraxit debitum ferendi ſervitutis onera.

Reſp. ad 2. cum S. Thoma, virum teneri potius reddere debitum uxori, quam exequi contrarium domini mandatum, ſi tamen hinc domino grave detrimentum non inferatur. Reſp. ad 2. ſi agatur de educatione, ſervum poſſe prolem tradere alteri erudiendam: ſi vero de alimentis, ex eleemoſynis privatorum aut reipublicæ, ei providere poterit.

Concluſio 3. Error conditionis fuit ſemper, ut eſt modo Mattimonii impedimentum dirimens.

Probatur 1. pars 1. ex concilio apud Vermeriam habito cui interfuit Rex Pipinus: *Si quis ingenuus homo uxorem alterius acceperit, & exiſtimat quod ingenua ſit... ſi voluerit, aliam accipiat.... Similiter & mulier ingenua de ſervo alterius facere debet*. 2. Id idem quod in concluſione ſtatuitur, olim civiles leges declaraverant, hæc enim habentur novella 22. de nuptiis cap. 10. in Authen. collat. 4. titulo 1. *Si vero ab initio putaverit aliquis liberæ jungi perſonæ, illa vero famula poſtea declaretur exiſtens, non dicimus ſolvi matrimonium, ſed ab ipſo initio neque Matrimonium fieri ſecundum prius a nobis dictum cauſam propter inæqualitatem fortunæ*. Ex ea lege concluditur jam prioribus ſæculis errorem conditionis ſtatutum fuiſſe Matrimonii impedimentum dirimens; leges enim Principum de Matrimoniis tunc ad litteram ab Eccleſia ſervabantur.

Probatus altera pars, nempe his temporibus errorem conditionis diſſolvere Marrimonium. In jure novo, lib. 4. Decretal. de conjugio ſervorum tit 9. cap. 4. ſic loquitur Innocent. III. *Si conſtiterit quod miles ignoranter contraxit cum ancilla: ita quod poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo conſenſerit in eamdem.... contrahendi cum alia, liberum ipſi concedas authoritate Apoſtolica facultatem*.

Concluſio 4. valet Matrimonium liberi cum ancilla, ſi ille ante nuptias, ancillæ conditionem cognoverit; aut ſi poſt nuptias, ea cognita, poſtea in Matrimonium conſenſerit.

Probatur ex Alexandro III. titulo de conjugio ſervorum cap. 1. Conſulens de Matrimonio, de quo in concluſione, ſic reſpondit: *Mandamus quatenus ſi conſtiterit quod idem vir præfatam mulierem, poſtquam illam audivit eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſam monitione præmiſſa compellatis, ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet, ſi vero aliter fuerit, & ſententiam divortii proferre contingat, mulieri pecuniam, quam præfato viro pro dote conceſſit, reſtitui faciatis*.

Caput Tertium.

De Impedimento voti.

Caſtitatis votum duplex eſt, ſimplex & ſolemne. Prius eſt illud quod emittitur extra profeſſionem religionis approbatæ; poſterius vero eſt illud quod annexum eſt profeſſioni religionis approbatæ. Votum ſimplex cum civilis communitatis muneribus cohæret, ſolemne vero non poteſt cum iis ſtare. De priori agetur inferius; De poſteriori quæremus hic 1. Utrum quinque prioribus ſæculis fuerit matrimonii impedimentum dirimens. 2. Utrum ſaltem ſexto vertente ſæculo incœperit dirimere matrimonialem contractum. 3. An Eccleſia diſpenſare poſſit religioſos, ut matrimonium contrahant.

Concluſio 1. Votum ſolemne caſtitatis non fuit ubique per quinque priora ſæcula matrimonii impedimentum dirimens.

Probatur ex eo quod Pontifices, Concilia, Patres, qui illis ſæculis de contractis a viris aut fœminis religioſis Matrimoniis egerunt, nuſquam affirmaverint ea fuiſſe irrita & invalida.

Innocentius Papa I qui ineunte ſæculo quinto toti præerat Eccleſiæ, non jubet ut mulier religioſa ſeparetur a viro, cum quo poſt emiſſum votum ſolemne contraxit, nec vult ut admittatur ad pœnitentiam niſi poſt viri obitum, idque ne pœnitentia cedat in matrimonii initi injuriam, tunc enim publice pœnitentibus actum conjugalem exercere non licebat. *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt* (inquit Epiſt. 2. Decretali ad Victricium Rothomagenſem cap. 12.) *velari a Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clanculo corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam*

dam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant, de sæculo recesserit.

Leo Magnus Epistola 82. ad Rusticum Narbonensem, consultus de Monachis qui uxores accipiunt, non jubet ut separentur, sed tantum ut publica pœnitentia damnentur: *Qui relicta singularitatis professione ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandus est, quia etsi innocens sit militia, & honestum potest esse conjugium, electionem tamen meliorem deseruisse, transgressa est.* Hæc etiam habet Concilium Chalcedonense quod anno 451. habitum est: *Si qua virgo se dedicavit Deo, similiter Monachus, non licere eis jungi nuptiis: si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati: statuimus vero posse in eis facere humanitatem, si ita probaverit loci Episcopus.* Oecumenica ea Synodus virginibus illis aut Monachis non injungit separationem a conjugibus; sed hoc unum præcipit, ut pœnitentiæ addicantur, de qua loci Episcopus, prout prudentia suggesserit, aliquid possit detrahere.

S. Augustini tempore fuerunt qui dicerent nuptias Virginum quæ Deo castitatem vovissent, non nuptias esse, sed adulteria; fuerunt qui negarent; illis adhæsit Augustinus: *Proinde* inquit lib. de bono viduitatis cap. xi.) *qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videatur acute ac diligenter considerare quid dicant..... Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant lapsarum a sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separentur uxores, & cum volunt eas separatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros viros, cum suis uxoribus vivis adulteras duxerint. Quapropter non possum quidem dicere a proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non conjugia; sed plane non dubitaverim dicere lapsus & ruinas a castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis pejores esse.*

Objicies 1. Hæc habet Basilius Magnus in priore Epist. ad Amphilocbium canone sexto: *Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum conjunctio omnino divellatur.* Nomine illo, *Canonicorum*, Balsamon Monachos intelligit, quippe quod vivant sub regula, quæ Græce *Canon* dicitur.

Respondent nonnulli, in Ecclesiastica Provincia Cæsariensi, cui præerat Basilius, solemne castitatis votum fuisse, ex lege a Basilio lata, impedimentum dirimens, id vero alibi non obtinuisse cum nihil simile statutum esset in aliis Provinciis. Respondent alii loqui sanctum Patrem non de vero matrimonio, sed de cohabitatione fornicaria, quæ esse solet inter solutos: Unde mirum non est quod canonicis illis separationem a suis meretricibus injunxerit.

Objicies 2. Hæc habentur can. 16. prioris Concilii Toletani, quod anno 400. celebratum est: *Devota... quæ maritum acceperit non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc vivente ipsa viro caste vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit.* Per hæc verba, *nisi aut adhuc ipso vivente marito caste vivere cœperit*, Concilium præcipit virgini sacræ separationem a viro cum quo contraxit, antequam admittatur ad pœniteotiam. Censuit igitur illius nuptias ratione solemnis voti præcedentis irritas & nullas fuisse.

Resp. verba allata non arguere separationem quoad vinculum contracti Matrimonii; sed tantum quoad torum; separationem enim a toro præcipiebant canones publice pœnitentibus, præsertim cum utraque pars in ipso nuptiarum contractu peccarat.

Objicies 3. Canon 13. Concilii Eliberitani supponere videtur jam tertio sæculo irritas fuisse nuptias virginum, quæ se Deo per votum castitatis consecraverant. Nuptis enim post votum illud emissum præcipit, ut toto vitæ tempore abstineant a coitu, sub pœna privationis pacis in extrema vitæ periodo: Sic habet ille canon: *Virgines, quæ se Deo dicaverunt, si pactum prodiderint virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quid amiserint, placuit nec in fine dandam eis esse communionem. Quod si sibimet persuaserint quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & omni tempore vitæ suæ ejusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstinuerint se a coitu; eo quod lapsæ Junis de Sacram.* *potius videantur, placuit eas in fine communionem accipere debere.*

Resp. eodem modo, quo supra ad authoritatem Basilii de canonicis loquentis in Epistola ad Amphilochium, nempe virgines de quibus Eliberitani Patres, pactum virginitatis non amisisse per sacrilegum Matrimonium, sed per fornicationem cum viris solutis, aut per adulterium cum conjugatis; Nihil quippe reperitur in laudato canone quo eas post emissum votum conjugium contraxisse probetur.

Objicies 4. Anno 450. habitum est primum S. Patricii Concilium in Hybernia, quo nullum & irritum declaratur Matrimonium initum a virginibus, quæ se Deo consecrarunt: *Virgaque voverit Deo, si permaneat casta, & postea nupserit carnalem sponsum, excommunionis sit donec convertatur: Si conversa fuerit, & dimiserit adulterum, pœnitentiam agat, Et postea non in una domo nec in una villa habitent.* Verba sunt canonis 17. laudatæ Synodi sub S. Patricio.

Resp. decretum a S. Patricio latum obtinuisse tunc in Hybernia, non vero in cæteris aut Occidentis aut Orientis regionibus: unde non pugnat cum nostra conclusione. Neque enim in ea asseruimus nullibi per quinque priora sæcula votum solemne non fuisse Matrimonii impedimentum dirimens.

Conclusio 2. Vertente sæculo 7. solemne castitatis votum cœpit esse impedimentum quod Matrimonium dirimeret.

Probatur. Tempore Gregorii Magni, qui Romæ sedere cœpit anno 590. votum solemne jam tunc dirimisse contractum matrimonium, ostendunt hæc illius verba, lib. 6. Epist. 9. quæ est ad Vitalianum, Sipontinum Episcopum: *Instantiæ tuæ sit prædictam mulierem* (quæ religiosam vestem abjecerat, ut ait Glossa, & post votum de facto nupserat) *comprehendere, & statim non solum ad male contemptum habitum sine excusatione aliqua revocare, sed etiam in monasterio, ubi omnino districte valeat custodiri, detrudere, & ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere, ut quam sit nefarium quod commisit, ex tua possit districtione cognoscere.* Injungit igitur Gregorius separationem a viro, cum quo post emissum votum contraxerat illa mulier.

Idem definit Concilium Toletanum IV. quod anno 533. habitum est: *Nonnulli Monachorum* (inquit cap. 51.) *egredientes a monasterio non solum ad sæculum convertuntur, sed etiam uxores accipiunt. Revocati in eodem Monasterio a quo exierant, pœnitentiæ deputentur, ibique defleant crimina sua unde decesserunt.* Hujusmodi nuptiis præcipit separationem ab invicem Concilium Triburiense quod anno 895. habitum est: *Si quis* (inquit cap. 23.) *sacro velamine consecratam in conjugium duxerit.. Verbo Domini & Canonica authoritate in hac sancta Synodo præcipimus ut omnino separentur, & jejunamento colligentur, ulterius uno non cohabitent tecto, nec familiari frui colloquio..... aut pariter ullam habere communionem, unde suspicio illecebrosi desiderii aut scandalum libidinosi facti juste possit oriri.* Idem perspicuis verbis declarat Concilium Trosleianum quod ineunte sæculo x. anno scilicet 909. sub Sergio Papa III. celebratum est: *Nullus* (inquit cap. 8., *Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam vel sui proximam generis illicito connubio aut vi aut consensu accipiat conjugem, quia nec verum poterit esse conjugium, quod a meliori proposito deducitur ad deterius & sub falsi nominis culpa incestiva pollutione, & fornicationis immunditia perpetratur.* Idem sanxit in Concilio Lateranensi II. Innocentius Papa II. *Statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, Monachi atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum sibi uxores copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus. Id ipsum quoque* inquit can. 8.) *de sanctimonialibus fœminis, si quod absit, nubere attentaverint, observari decernimus.* Idem statutum ab Alexandro Papa III. latum est, cap. *Meminimus*, Ext. Tit. *Qui Clerici vel voventes.*

Summi Pontifices qui posterioribus sæculis Romæ sederunt, idem sæpius declararunt: ita ut tota Eccle-

ſia in ea eſſet ſententia, ſeu crederet votum ſolemne caſtitatis dirimere Matrimonium, cum id proxime elapſo ſæculo negarunt Lutherani; in eos vero Concilium Tridentinum Seſſ. 24. can. 9. hocce intorſit anathema: *Si quis dixerit regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto anathema ſit.*

Objicies S. Bernardus qui obiit anno 1153. tamquam validum approbare videtur Matrimonium contractum a Monacho poſt diutinam in Monaſterio commorationem; hæc enim ſcribit ad Artaldum Pulterienſem Abbatem: *Ne verum, quas ſcis ſuperſtan narratione te gravemus, hæc eſt ſumma conſilii. Periculoſum quidem eſt, & fortaſſis illicitum hominem poſt diutinam in domo & habitu religionis converſationem ad ſæculum rediiſſe, quique prius & adhuc priore uxore vivente, ac conſentiente, fortiſſime ac diutiſſime continentiam tenuit, ſecundis rurſus amplexibus ſe ineptiſſime atque inhoneſtiſſime implicuiſſe; quia tamen publice ac ſolemniter juxta morem cæterorum hominum, & ſine querela, vel calumnia ipſum qualecumque conjugium celebratum fuit, non nobis videtur tutum illum illam non conſentientem dimittere, niſi prius Epiſcopalis auctoritatis, vel concilio fretum, vel imperio, aut certe canonico Eccleſiaſticoque judicio.* Judicat igitur aut ſaltem dubitat Bernardus de valore nuptiarum quas inierat Monachus de quo ab Abbate Pulterienſe conſultus fuerat: Nondum ergo XII. ſæculo certum erat votum ſolemne eſſe Matrimonii impedimentum dirimens.

Reſp. Monachum illum, de quo laudato loco Bernardus exiiſſe e Monaſterio & nupſiſſe antequam emiſiſſet in religione vota ſolemnia. Oſtenditur illius reſponſionis veritas ex his ad laudatum Pulterienſem Abbatem verbis: *Quoniam vero hoc tam grande hominis periculum ad te nimirum non minima ex parte reſpicere credimus, ex eo quod volentem ſuum confirmare propoſitum nimis ſuſcipere diſtuliſti, occaſione ſumpta diabolus in hæc eum mala præcipitavit.*

Quæres quid circa ſæculum 6. Eccleſiam moverit ad ſtatuendum votum ſolemne tamquam impedimentum, quo Matrimonium dirimatur.

Reſp decreto hujuſmodi locum dediſſe legem de Matrimoniis, de quibus agitur, latum a Juſtiniano, novella 4 ubi hæc habentur: *Si quis rapuerit, vel ſollicitaverit, vel corruperit aſcetriam, vel Diaconiſſam, vel Monacham, vel aliam mulierem religioſam vitam, vel habitum habentem.... capitali periculo ſubjiciatur. Mulier autem ubique inveſtigetur, & cum ſuis rebus Monaſterio cautiori tradatur.* Ad illam legem alludit alterum Concilium Turonenſe, habitum anno 567. dum hæc ait: *Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Apoſtolus Paulus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in canonibus noſtris inſerentes ſtatuamus obſervandum, ut nullus ſacratam Deo virginem, quæ in honorem Chriſti veſtem mutavit, aut rapere, aut competere, aut ſibi conjugem ſociare præſumat: quia etiam lex Romanam conſtituit, ut quicumque ſacratam Deo virginem vel viduam fortaſſe rapuerit, ſi poſtea eis de conjunctione convenerit: capitis ſententia feriantur. Item ſi quis non dicam rapere, ſed attrectare, matrimonii jungendi cauſa, ſacram virginem auſus fuerit, capitis ſententia feriatur.*

Concluſio 3. Eccleſia poteſt diſpenſare religioſos ſolemniter profeſſos ut Matrimonium contrahant.

Probatur. Votum ſolemne caſtitatis non dirimit matrimonium naturali aut divino jure. Nam 1. per ſex priora ſæcula non ſolvebat contractum, ut ſupra oſtenſum eſt. Non differt *a* voto ſimplici niſi ratione ſolemnitatis, quæ haud dubie juris eſt humani: qui enim emittit ſimplex caſtitatis votum, non minus Deo ſuum conſecrat corpus, quam qui voverit ſolemniter; nec Deus minus ſic conſecratum acceptat, quam ſi ſolemnes Eccleſiæ ritus adhibiti ſint. 3. Nonnulli Pontifices feruntur, ſaltem poſt ſæculum 12. diſpenſaſſe circa ſolemne caſtitatis votum. Aliqua ejuſmodi diſpenſationis exempla legere eſt apud Febvretium libro quem, *De Abuſu*, inſcripſit. Ferdinandus Mendoza lib. 2. de confirmando Concilio Eliberitano ad canonem XIII. recenſet Ranimiri II. Aragonum Regis exemplum, qui, licet in Tormaienſi cœnobio Ordinis S. Benedicti ſolemniter voviſſet, diſpenſatus eſt ab Innocentio Papa II. ut mortuo germano fratre ſine liberis, nuberet cum Ulraca Aquitaniæ Ducis & Pictonum Comitis filia.

Objicies. Religioſus per ſolemne votum corpus ſuum tradidit religioni: Ergo illius copiam non poteſt deinceps uxori facere: cum enim per profeſſionem domino in ſuum corpus exciderit, non poteſt illud in uxorem transferre.

Reſp. neg. conſeq. Ratio eſt, quia traditio quæ per matrimonium fit conjugi, diverſæ rationis eſt ab ea, quæ fit religioni; ac proinde ſeſe invicem mutuo non impediunt. Solutio patet in viro, qui, licet jure ſervituris Domino ſe tradiderit, poteſt tamen, ut hodierna tempora ferunt, alteri tradere ſe per matrimonium. Eidem ſolutioni iterum lux affulget ex eo quod, ſi quis poſt conſummatum matrimonium religioni, de conjugis conſenſu, ſed ipſum tradiderit, contractum ex matrimonio vinculum ſtet cum religionis vinculo, nec unum altero diſſolvatur. Ergo (inquit Pontius) neque votum caſtitatis quod quis emiſerit in approbata religione, impedit ex natura ſua, ne aliud vinculum per initum poſtea matrimonium contrahatur.

CAPUT QUARTUM.

De Cognationis impedimento.

HOcce Cognatos inter & Agnatos diſcrimen politicis legibus ſtatuitur, quod iſti ab eodem patre nati ſint; illi vero ab eadem matre. Jus Canonicum nullam ejuſmodi diſcriminis habet rationem: ſive enim aliqui aut ab eodem patre, aut ab eadem matre tantum, progeniti ſint, cognatos appellat. Cognatio dividitur in carnalem, ſive naturalem, quæ ducitur Conſanguinitas; in ſpiritualem, quæ appellatur Compaternitas, & in legalem, quæ vocatur Adoptio. De ſingulis iis cognationum ſpeciebus ſeorſim eſt hic agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conſanguinitate.

COnſanguinitatis nomine Canones intelligunt vinculum eorum, qui a communi ſtipite per carnalem propagationem oriuntur. Nomine vero ſtipitis deſignatur perſona ex qua cæteræ ducunt originem: unde id eſt poſterorum reſpectu quod truncus, quod radix, reſpectu ramorum.

In Conſanguinitate perpendi debent linea & gradus. Per lineam autem Canones intelligunt ſeriem perſonarum quæ ſunt ejuſdem ſanguinis participes. Duplex eſt (inquiunt) hujuſmodi linea; Recta ſcilicet & Tranſverſa, ſive Collateralis. Prior, eſt ordinata ſeries conſanguineorum qui a ſe mutuo deſcendunt, ut in filio reſpectu patris videre eſt: poſterior eſt ſeries conſanguineorum qui, non quidem a ſe mutuo, ſed a communi ſtipite naſcuntur: ejus generis eſt ea, quæ inter fratres, ſorores, conſobrinos, patruos & nepotes reperitur. Gradus ab iiſdem Canoniſtis definitur generationis progreſſus, ſive diſtantia conſanguineorum inter ſe per unum generationis progreſſum.

His præmiſſis, de conſanguinitate tria quæri poſſunt: 1. qua ratione computari debeant gradus varii qui includuntur in conſanguinitate: 2. intra quos conſanguinitatis gradus contracta huc uſque fuerint fideliuma matrimonia: 3. quo jure conſanguinitas matrimonium dirimat.

§ I.

Qua ratione computari debeant Conſanguinitatis gradus?

COncluſio 1. Antiqui non eadem ratione computarunt conſanguinitatis gradus qui in linea recta reperiuntur.

Pro-

Probatur recensendo diversitatem quæ eo in capite inter veteres intercessit. Isidorus noni sæculi scriptor, consanguinitatis truncum in fratre & sorore constituit; non autem in utrorumque parentibus: unde infert ex fratre & sorore natos, quos nunc consobrinos dicimus, esse in primo consanguinitatis gradu, hincque concludit licuisse sui sæculi fidelibus nubere intra septimum consanguinitatis gradum: *Series consanguinitatis* (inquit apud Gratianum caus. 35. quæst. 5.) *sex gradibus hoc modo dirimitur Filius & filia quod est frater & soror, sit ipse truncus; Pronepos, proneptis, secundus; Abnepos, abneptis, tertius; Abnepotis filius, abneptis filia, quartus; Trinepos, trineptis quintus; Trinepotis filius, & trinepotis filia, sextus.*

Zacharias qui ann. 741. inauguratus est Papa, consanguinitatis stipitem constituit, non in fratre & sorore, sed in communi utriusque parente; ita ut frater & soror primum consanguinitatis gradum efficiant: *Parentelæ gradus* (inquit apud Gratianum caus. 35. q. 5. cap. 4.) *taliter computamus: siquidem ego & frater meus una generatio sumus, primumque gradum efficimus, nulloque gradu distamus. Rursus filius meus fratrisque mei filius, secunda generatio sunt ac gradum secundum faciunt . . . . . Atque ad hunc modum cæteræ successiones numerandæ sunt.*

Alexander II. qui anno 1061. creatus est Pontifex Maximus, eumdem probat computationis modum epist. 27. quæ est ad Clericos Neapolitanos. Recenset nimirum 1. eorum (ut vocat) errorem qui filios fratrum in quarta generatione collocarent: *Nam* (inquit) *ita generationes a duobus fratribus altrinsecus prodeuntes enumerant, ut eorum invicem filios quartam, nepotes sextam, pronepotes octavam generationem esse perhibeant.* 2. Eum computandi modum confutat ex Scriptura: *Quod* (ait) *duorum fratrum, sive nepotum, vel deinceps utriusque descendentium generationes, non diversæ dici, sed eodem ac sub uno nomine debeant uniformiter appellari, testatur liber Geneseos, cum dicit: Vixit Joseph* cx. *annis, & vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir, filii Manasse, nati sunt in genibus Joseph. Porro autem si sic cognationes supputari deberent, ut vestri disputatores autumant, dum Joseph ex utroque filio, Ephraim scilicet & Manasse, nepotes haberet: nequaquam Scriptura diceret, quia vidit filios Ephraim usque ad tertiam, sed usque ad sextam generationem.* 3. Pro ea quam propugnat computandi ratione laudat Gregorium Magnum: *Item* (inquit) *beatus quoque Gregorius dum super Anglorum conjugiis scriberet, hæc fere verba deprompsit: Quædam lex in Romana republica præcepit, ut duorum fratrum, vel sororum filius, vel filia, in conjugio copularentur. Sed omnino cognoscitur ex hoc conjugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est, ut jam quarta vel quinta invicem generationes copulentur. In quibus nimirum verbis luce clarius patet, quia dum doctor in signis duorum fratrum soboles prohibet in matrimonio jungi, in quarta vero generatione permitti neophitos copulari: nequaquam, ut cultores perversi dogmatis astruunt, generatio quarta in duorum fratrum filiis valet inveniri.*

Conclusio 2. Leges Civiles consanguinitatis gradus non eadem olim ratione computarunt qua Canonicæ.

Probatur referendo varias differentias quæ inter utrumque computandi modum reperiuntur. 1. Leges Civiles tot gradus constituunt, quot sunt personæ quæ sibi invicem consanguinitate conjunctæ sunt; Econtra Canones ex duabus unum gradum efficiunt. 2. Politicæ leges gradus consanguinitatis extendunt ultra septimam generationem; Canonicæ vero eos septima concludunt. 3. Imperatorum legum is est scopus in computandis consanguinitatis gradibus, ut hæreditas ex una persona ad aliam deferatur; Ecclesiasticarum autem finis sunt nuptiæ quæ nonnisi inter duos conciliari possunt.

Alexander Papa II. Epistola 38. quæ est ad Episcopos, Clericos, & Judices Italiæ discrimina, quæ mox retulimus, fuse pertractat. Iis autem pertractandis occasio fuit eorum error, qui sub legum Civilium obtentu, Canonibus præscriptos ad nuptias consanguinitatis gradus contrahebant. *Ad Apostolicam sedem* (inquit) *perlata est quæstio noviter exorta de gradibus consanguinitatis, quam quidem legum & canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros canones, & Ecclesiasticum morem numerare nituntur, novo & inaudito errore affirmantes; quod germani fratres vel sorores inter se fiat in secunda generatione, filii earum vel filiæ in quarta, nepotes eorum, vel neptes in sexta: talique modo progeniem computantes & in hujusmodi sexto eam gradu terminantes, dicunt deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia jura contrahere: & ad hujusmodi profanum errorem confirmandum in argumentum assumunt sæculares leges, quas Justinianus Imperator promulgavit de successione consanguineorum.* Ubi autem Alexander censuræ suæ occasionem protulit, sic prosequitur: *Nos vero, Deo annuente hanc quæstionem discutere curavimus in Synodo habita in Lateranensi consistorio . . . Diu ventilatis legibus & constitutionibus, distincte invenimus, ob aliam causam, alteram legum fieri, alteram Canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hæreditas vel successio, ab una ad alteram personam inter consanguineos deferatur. In Canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstretur, usque ad quotam generationem a consanguineorum nuptiis sit abstinendum. Ibi præscribitur ut hæreditas propinquis modo legitimo conferatur: hic vero ut rite & canonice inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distincte non numerantur gradus, nisi usque ad sextam, in canonibus autem usque ad septimam distinguuntur generationem. Hac igitur de causa, quia hæreditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit sæcularis Imperator in singulis personis singulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri canones duas in uno gradu constituere personas.*

Postquam mox laudatus Pontifex errorem, de quo hactenus, confutavit, hunc alium computandi modum, ex aliquorum sententia proponit: *Aliam, quam quidam faciunt, numerationem, in hac etiam disputatione duximus finiendam. Sunt enim quidam, qui non a fratribus, sed a filiis eorum, idest patruelibus, vel consobrinis genealogiam numerare incipiunt: docentes filios fratrum in prima generatione computari debere, quia fratres quasi quidam truncus, ex quo cæteri ramusculi oriuntur, existant.* Asserit deinceps eam computandi rationem nonnisi nomine tenus ab ea discrepare qua Canones utuntur: *Sed nec ista graduum computatio, si bene intellecta fuerit, ab ea, quam superius exposuimus, in sententia poterit esse diversa. Isti enim qui numerandi initium sumunt a filiis fratrum: non progrediuntur ultra sextam generationem . . . . Hæc itaque computatio, quæ incipit a fratrum filiis, & numerat usque ad sextam generationem, tantumdem valet, quantum ea, quæ incipit a fratribus, & computat usque ad septimam.*

Conclusio 3. Assignari possunt regulæ, quibus certo fiat Canonica computatio graduum consanguinitatis: Aliquæ etiam adhiberi possunt ad Civilem.

Probatur prior conclusionis pars. 1. Unica est hæc regula pro linea recta ascendentium & descendentium: *Tot gradibus duo distant inter se, quot, una dempta, sunt in linea recta personæ quæ sanguinitate conjunguntur.* v. g. si quatuor sint personæ, pater, filius, nepos, pronepos; a patre, qui truncus est pronepos tertio gradu distabit. Pro linea collaterali, traduntur duæ hæ regulæ. *Consanguinei collaterales in linea æquali, eo inter se distant consanguinitate gradu, quo distant a communi stipite.* Frater & soror v. g. ideo uno tantum gradu a se invicem distant, quod a communi stipite, patre nimirum, ad eos unicus sit gradus. *Consanguinei collaterales in linea inæquali tot gradibus a se invicem distant, quibus remotior consanguineus distat a communi stipite*: Frater v. g. & sororis filius duobus inter se gradibus distant, eo quod sororis filius a communi parente, fratris nimirum & sororis patre, distet duobus gradibus.

Pro-

Probatur altera conclusionis pars. Ad computationem civilem graduum consanguinitatis tres hæ regulæ plurimum conferunt: *In linea recta ascendentium & descendentium quot sunt personæ computatis intermediis, tot sunt inter eos gradus: Collaterales in linea æquali tot gradibus duplicatis a se distant, quo distant a communi stipite. Collateralium in linea æquali quot sunt personæ, stipite dempto: tot sunt gradus.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Inter quos consanguinitatis gradus fideles a mundo condito ad hæc usque tempora nupserint.

Dicemus hic 1. de nuptiis quæ inter fideles consanguineos contractæ sunt in lege naturæ. 2. de iis quas inierunt tempore Mosaicæ legis: 3. denique de iis quas Christiani a Christo huc usque celebrarunt.

§. I.

In quibus Consanguinitatis gradibus fideles nupserint tum in lege naturæ, tum in lege Mosaica.

Conclusio 1. In lege naturæ consanguinei fideles varia inter se inierunt conjugia.

Probatur enumeratione. 1. Nati ex Adamo (cum aliæ non suppeterent uxores) nupsere cum propriis sororibus. 2. Nati ex filiis Adami nupserunt cum consobrinis: neque enim (ut articulo subsequente docebitur) extra summum illum necessitatis casum, in quo versati sunt proxime ex Adamo nati, potuit inter fratres & sorores iniri conjugium. 3. Patrui, & avunculi, neptes duxerunt in matrimonium, ut patet in Abrahamo qui nupsit cum Sara progenita ex Aran ipsius Abrahami fratre: *Alias autem* (inquit Abrahamus Geneseos cap. 20. excusans se apud Abimelech quod Saram vocasset sororem) *vere soror mea est, filia patris mei* (Thare nimirum a quo geniti sunt Abraham, Nachor, & Aran (*& non filia matris meæ*; Aran enim & Abraham non erant uterini fratres. 4. Nepotes cum amitis celebrarunt matrimonia, ut videre est in Amram Moysis & Aaronis patre; nupsit nempe cum Jocabed nata ex Levi Amram avo: *Hic quoque est numerus filiorum Levi* (Numerorum 26. capite) *Caath a quo familia Caathitarum .... At vero Caath genuit Amram qui habuit uxorem Jocabed, filiam Levi. Hac genuit Amram viro filios, Aaron & Moysen & Mariam sororem eorum.*

Conclusio 2. Tempore legis Mosaicæ matrimonia prohibita fuerunt in variis consanguinitatis gradibus.

Probatur enumeratione. 1. In linea recta ascendentium & descendentium matrimonia in omnibus omnino gradibus prohibita fuerunt, quantumcumque a se invicem distarent: nec enim licebat nubere cum matre: *Turpitudinem matris tuæ non discooperies* (Levitici cap. 18.) *mater tua est, Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua est* 2. In linea collaterali recta nuptiæ vetitæ fuerunt in primo gradu tantum, sive inter fratrem & sororem: *Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.* 3. In linea collaterali obliqua, prohibitæ sunt nuptiæ in secundo gradu respectu ascendentium; ita ut nepotes non potuerint amitas ducere: *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro sit matris tuæ.* 4. Si Hieronymo adhibeatur fides, irrita fuerunt apud Judæos matrimonia inita in secundo gradu lineæ collateralis obliquæ, etiam respectu descendentium ita ut (ex illius sententia) patruis, seu avunculis, non licuerit neptes, seu aut ex fratre aut sorore natas, ducere in matrimonium. Verum ea prohibitio nusquam exprimitur in Levitico, licet (ut patet ex cap. 18.) singuli gradus conjugii illiciti sigillatim recenseantur. Nec prohibitio de qua Hieronymus, inferri potest ex prohibitione nuptiarum nepotum cum amitis: Æquitati nimirum & rationi videtur repugnare, ut ea quæ jure naturæ superior est nepote suo, ei per matrimonium subdita fiat & inferior: At (ut patet) absurdum hujusmodi non accidit, cum quis natam seu ex fratre seu ex sorore ducit in matrimonium.

§. II.

In quibus gradibus consanguinei fideles nupserint a Christo ad hæc usque tempora?

Conclusio. Ab Ecclesiæ incunabulis ad hoc usque sæculum non una fuit disciplina in contrahendis inter consanguineos fideles matrimoniis.

Probatur enumeratione tum legum, tum consuetudinum quas a Christo ad hæc usque tempora consanguinei fideles in nuptiarum suarum celebratione secuti sunt.

I. Per quatuor priora sæcula valuerunt & licita fuere matrimonia in secundo gradu lineæ collateralis rectæ, seu inter consobrinos & consobrinas, sive inter filios & filias fratrum aut sororum. Ratio est quia fideles iis sæculis aut præscriptas in Levitico, aut sancitas ab Imperatoribus leges, in nuptiis celebrandis adamussim servabant. Verum nec Levitico, nec legibus quæ ab Imperatoribus latæ sunt quatuor prioribus sæculis, nuptiæ in gradu de quo agitur, prohibitæ fuerunt: imo intra gradum illum initas fuisse historia docemur. Filiæ scilicet Constantini Magni, Constantina & Helena consobrinis suis nuptui datæ sunt; Constantina quidem primum Annibaliano filio Dalmatii fratris Constantini Magni, ac deinde Gallo quem alter ejusdem Constantini frater Constantinus genuerat; Helena vero nupsit cum Juliano, altero ejusdem Constantii filio. Quæ hactenus dicta sunt confirmari possunt ex Augustino qui l. 15. de Civ. Dei cap. 16. conceptis terminis asserit prioribus sæculis nec divina nec humana lege prohibita fuisse matrimonia consobrinarum cum consobrinis, quamquam tamen raro fierent: *Experti etiam sumus* (inquit) *in connubiis consobrinarum etiam nostris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit; & nondum prohibuerat lex humana: Verumtamen factum etiam licitum, propter vicinitatem horrebatur illiciti, & quod fiebat cum consobrina, pene cum sorore fieri videbatur.*

II. Iisdem sæculis irritæ fuerunt nuptiæ in secundo gradu lineæ collateralis obliquæ, ita ut nec avunculi neptes, nec amitæ nepotes ducere potuerint. Id autem ostenditur ex Svetonio qui in vita Imperatoris Claudii, cap. 16. loquens de consilio quod de ducenda Agrippina, quam Germanicus ejusdem Claudii frater genuerat, hæc scribit: *Subornavit in Senatu qui talium conjugiorum veniam dandam censeret*: Quibus quidem verbis hæc alia immediate subjungit: *Ad id tempus incesta ea matrimonia habita fuisse; nec alii (excepto Centurione) reperti sunt qui sequerentur exemplum.* Ostenditur iterum ex eo quod Senatus decretum latum in gratiam Claudii a Nerva deinceps rescissum sit, sumpta occasione ex morte quam Domitianus intulerat suæ conjugi, ut Juliam neptem, seu ex suo fratre natam, duceret in matrimonium. Ostenditur denique ex legibus quas promulgarunt Imperatores Christiani; sic in codice Theodosiano habet lex: *De incestis nuptiis* lib. 3. tit. 12. *Imperatores Arcadius & Honorius Augusti Eutychiano P.P. manente circa eos sententia posthac, qui consobrinæ suæ vel sororis, aut fratris filiæ.... se se nuptiis funestarit, &c.* In ejusdem lib. titul. 10. *Si nuptiæ ex rescripto petantur*, mox laudati Imperatores prohibent ne pro celebrandis nuptiis, de quibus est quæstio, dispensatio petatur, idque sub pœna nullitatis: *Exceptis his, qui consobrinorum, hoc est, quarti gradus conjunctione, lex triumphalis memoriæ patris nostri exemplo indultorum supplicare non vetavit.*

III. Labente quarto sæculo Theodosius Senior tulit legem per quam a nuptiis exclusus fuit secundus gradus consanguinitatis in linea collaterali recta. Legis illius, quæ non extat, meminit Aurelius Victor in Epitome historiæ ad finem: *Tantum* (inquit) *pudori*

dori

dori tributus, & continentiæ, ut consobrinorum nuptias vetuerit tamquam sororum. Eadem lex ab Ambrosio recensetur Epist. 48. quæ est ad Paternum: *Theodosius Imperator etiam fratres, patrueles & consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, & severissimam pœnam babuis, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora.* Ad eam quoque legem alludit August. lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. *Verumtamen* (inquit) *quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinarum probibita esse conjugia.*

IV. Ineunte quinto sæculo, anno nimirum 405. Arcadius & Honorius Imperatores dicuntur tulisse legem, qua rescissa est lata a Theodosio Seniore de non ineundis inter consobrinos nuptiis. Extat lex illa, quæ inscribitur: *Celebrandis* lib. v. codicis Justinianæi, articulo iv. *de nuptiis:* sic habet ejusmodi lex: *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia legis bujus salubritate indulta est, ut revocata prisci juris authoritate, restinctisque calumniarum fomentis, Matrimonium inter consobrinos babeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre & sorore nati & ex matrimonio editi legitimi & suis patribus successores babeantur.*

Verum legem illam, *Celebrandis*, receptam non fuisse potest ex multis capitibus demonstrari. 1. Lex illa nondum anno 411. obtinuerat in Africa: tunc enim scribebat Augustinus lib. 15. de Civit. Dei ubi (ut supra dictum est,) asserit probibita fuisse consobrinorum conjugia. Centum post annis nemo inibat hujusmodi nuptias, nisi obtenta prius dispensatione; formulam enim, qua concedebatur, refert Cassiodorus lib. vii. Variarum cap. 46. eam nos pagina 638. descripsimus. 3. Legis, *Celebrandis*, non habebatur ratio in Galliis ineunte sæculo vi. sic enim loquitur Concilium Agathense, quod anno 506. habitum est: *Hos incestos censemus esse ... Si quis consobrinæ suæ se sociaverit:* Sic etiam Turon. II. quod ann. 567. habitum est: *Item ait sacra sententia legum* (verba sunt can. 21.) *quæ in bac explanatione omni bomini tam docto, quam indocto aperta est, ut quisquis aut sororis, aut fratris filiam, aut certe gradu consobrinam, aut fratris uxorem sceleratis sibi nuptiis junxerit, buic pœnæ subjaceat, ut de tali conjugio separetur, &c.* 4. Gregorius Magnus labente eodem sæculo vi. rescribens ad Augustinum Anglorum Episcopum, docet legis, de qua agitur, nullam baberi debere rationem: *Quædam* (inquit denotans, *Celebrandis*, legem) *terrena lex in Romana republica permittit, ut seu duorum fratrum germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur; sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere; & sacra lex probibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est, ut jam tertia aut quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat; nam secunda, quam diximus, a se omnino debet abstinere.*

V. Sæculo sexto jam adulto nibil de aliis a lineæ collateralis gradibus extra secundum sanxisse leguntur Imperatorum leges. Verum, antequam plane laberetur, consuetudo obtinuit, ut matrimonia non fierent intra septimum consanguinitatis gradum. Ea praxis eruitur ex Gregorio Magno, qui lib. 12. Epist. 32. quæ est ad Felicem Episcopum Messanensem (si tamen S. Pontificis vere sit ea epistola, nam multa fictam fuisse suadent) sic loquitur: *Progeniem vero suam unumquemque de bis, qui fideliter edocti sunt, & jam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem.*

In Anglia tamen, utpote ad fidem ab Augustino monacho recenter conversa, initæ extra quartum gradum nuptiæ valebant ex ejusdem Gregorii Magni dispensatione: *Perlatum est* (inquit Felix Messanensis ad mox laudatum Gregorium scribens) *sanctitatem vestram Anglis scripsisse, ut quarta progenie conjuncti non separentur;* Id quoque fatetur ipse Gregorius, sed asserit id factum œconomiæ causa: *Ideo* (ait ad Felicem rescribens) *nolumus nos in bac re a vobis, sive a cæteris fidelibus reprebendi, quia quod in bis Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed consideratione, ne Christianitatis bonum quod cœperant, imperfectum dimitterent, egimus.*

VI. A sæculo septimo ad decimum tertium servata fuit adamussim disciplina de cujus infractione Felix Messanensis apud Gregorium Magnum conquestus est. Testis est ejusmodi disciplinæ pro anno 731. Gregorius Papa III. Epistola 1. quæ est ad Bonifacium: *Progeniem vero suam unumquemque usque ad septimam generationem observare decrevimus.* Testis est quoque Vvormatiensis Synodus, quæ babita est anno 868. *Id statuimus* (inquit canone 32.) *ut nulli christiano liceat de propria consanguinitate sive cognatione uxorem accipere, usque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.* Generationem vero ultra septimum gradum non extendi docuerunt Patres, inter quos sic loquitur Alexander Papa II. Epistola 38. *In septem gradibus, si canonice & usualiter numerentur, omnia propinquorum nomina continentur; ultra quos nec consanguinitas invenitur, nec nomina graduum reperiuntur, nec successio potest amplius prorogari, nec memoriter ab aliquo generatio recordari.* Tota ea Epistola contendit Alexander irritas esse nuptias, quæ intra septimum gradum tentatæ fuerint. Sæculo igitur xi. quo Romæ sedebat mox laudatus Alexander, anno nimirum 1061. creatus est Papa, vigebat disciplina de qua agitur, seu non valebant contracta intra septimum consanguinitatis gradum conjugia.

In Germania per aliquot annos, ex dispensatione Gregorii II. qui creatus est Papa anno 714. valuerunt matrimonia, post quartum gradum contracta: *Quia* (inquit Epist. 13. ad Bonifacium Episcopum) *temperantia magis & præsertim in tam barbara gente, plus placet, quam districtio censuræ, concedendum est, ut post quartam generationem jungantur:* Dictum est eas nuptias in Germania valuisse, *per aliquot annos*, eo quod Gregorius Papa III. qui Gregorio II. suffectus est anno 731. dispensationem resciderit; ut patet ex priore illius epistola, quæ est ad Bonifacium: Rescidit quoque Zacharias Papa in Concilio Romano, quod anno 743. habitum est: *Ut* (inquit can. 6.) *consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione nullus præsumat in conjugio copulare.* Canonem autem illum, etiam ad Germanos spectare docemur canone 15. ubi bæc babentur: *Sed neque boc silentium est, quod in Germaniæ partibus ita diu vulgatum est, quod quidem in archivo nostræ sanctæ Ecclesiæ scriptum minime reperimus, ipsis tamen asserentibus bominibus de Germaniæ partibus didicimus, quod beatæ recordationis sanctus Gregorius Papa* (utique secundus, nam nibil unquam simile Gregorius Magnus Germanis concessisse legitur *dum eos ad religionem Christianitatis divina gratia illustraret, licentiam illis dedisset in quarta se copulare generatione, sed dum rudes erant, & invitandi ad fidem, quamquam minime scriptum (ut dictum est) reperimus, credere non ambigimus. Deo autem largiente .... præteritis annis litteras miserunt archiepiscopi, & reges provinciæ illius, petentes Apostolica præcepta, qualiter liceat eis conjugia copulare, & quomodo debeant observare. Quibus, quantum Dominus dare dignatus est, admonitionis præcepta* (ea nempe, quæ in laudato Concilii Romani canone sexto præscripsit) *direximus.* Legem a Zacharia Papa latam executioni a Bulgaris non ita pridem ad fidem conversis mandari voluit Nicolaus Papa I. *De consanguinitate generationum exquiritis* (inquit ad eorum consulta respondens, cap. 29.) *ut quibus utique fœminis jungi debeatis, liquide cognoscatis. Verum quod leges binc sanciunt* (ac proinde iniri non debere nuptias intra septimum consanguinitatis gradum, cum id vetarent canones) *jam meminimus .... Inter eas quoque personas, quæ ex transverso gradu cognationis junguntur, est quædam similis observatio, sed non tanta. Sacri vero canones, & præcipue Zachariæ summi Præsulis decreta, quid binc promulgent, Episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.*

VII. Ineunte sæculo xiii. consanguinitatis gradus intra quos (ut observatum est) a Gregorii Magni temporibus non licebat inire conjugia, ad quartum inclusive redacti sunt. Hujusmodi coarctationis, quæ hac etiam ætate obtinet in omnibus Ecclesiis Latinis, author fuit Innocentius Papa III in quarto Concilio Lateranensi, quod anno 1215. celebratum est: hæc

enim

enim habet quinquagesimus laudati Concilii canon: *Probibitio quoque copulæ conjugolis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi probibitio generaliter observari ... Cum ergo jam usque ad quartum gradum probibitio conjugalis copula sit restricta: eam ita esse volumus perpetuam ... ut si qui contra probibitionem hujusmodi præsumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum.*

VIII. Græci tribus prioribus sæculis consanguinitatem non extenderunt ultra primum gradum lineæ collateralis rectæ, tunc enim adhærebant Imperatoriis legibus quæ (ut observatum est) nondom vetuerant consobrinarum conjugium. Labenta IV. sæculo amplexi sunt Theodosii Senioris constitutionem, quæ consobrinarum & non ulterius matrimonium prohibuit. Hujusmodi disciplinæ anno 692. adhuc inhærebant: tunc enim habitum Concilium Quinisextum non ultra secundom gradum consanguinitatem inter collaterales extendit: *Cum* (inquit canon. 54.) *divina scriptura nos aperte doceat: Non ingredieris ad omnem consanguineam carnis tuæ ad revelandam ejus turpitudinem, divinus Basilius nonnullas probibitas nuptias in suis canonibus enumeravit, multis silentio præteritis ... Quoniam autem propter ejusmodi silentium, & quod non discerni posset illicitarum nuptiarum proibitio, sic ipsam natura confudit: nobis visum est ea paulo apertius exponere, ab hoc deinceps tempore decernentes, ut qui cum patrui sui filia matrimonii societatem inierit .... in septeanis canonem indicat, iis procul dubio separatis a nefario contubernio.*

IX. Aliquibus post sæculis tertius gradus in linea collaterali recta exclusus est a Græcis: nam tampore Alexii, qui ineunte undecimo sæculo præerat Ecclesiæ Constantinopolitanæ, nuptiæ (ut in jure Orientali videre est) vetitæ erant ad sextam usque personam inclusive: duæ autem personæ duplicem gradum secundum civilam computandi modum, quo Græci pluribus ab hinc sæculis utuntur, unicum vero secundum canonicum, constituunt. Sextæ personæ septimam addidit Michael, qui anno 1050. erat Constantinopolitanus Patriarcha. Illius decretum juri Orientali, quod Græci nunc sequuntur, insertum est. Quæ ab Alexio invecta fuerat praxis (ut patet) remissior arat ea, quæ nunc apud Latinos est in usu: Quæ vero præscripta fuit a Michaele, incidit fere in hodiernam Latinorum; septima nimirum persona quam addidit veteri juri, est in quarto (ut computant Latini) consanguinitatis gradu, sed discrepat, quod octava persona, licet juxta Latinorum calculum sit in quarto gradu, cum septima & octava persona, quæ duos gradus juxta jus civile componunt, unicum, juxta jus Canonicom, constituant, quartum gradum efficiunt: unda cum persona octava Latini matrimonium prohibent, permittunt vero Græci.

X. Eam, de qua proxime dictum est, Græcorum praxim 13. sæculo improbavit Innocentius IV. Epistola 10. quæ est ad Ottonem Cardinalem Tusculanum: scripta autem est ea Epistola, ut componeretur controversia orta inter Archiepiscopum Nicosiensem Latinum ex una parte, & Episcopos Græcos regni Cypri ex altera: Sic autem habet numero 22. *Et quoniam apud eos* (Græcos) *consuerunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, qui secundum computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos, quartus habetur; ne id præsumatur, deinceps firmiter prohibemus; districte præcipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrabantur, in prædicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non præsumant; statutum in boc generalis Concilii* (Lateranensis sub Innocentio III.) *observantes. Illos tamen, qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio remanere.* Verum cum ea Innocentii Papæ IV. decretalis in regno Cypri, aut in aliis Græcorum regionibus pacis & œconomiæ causa, promulgata non fuerit, nihil per eam mutationis invectum est in Græcorum disciplina.

§. III.

Quo jure matrimonium consanguinitate dirimatur?

NON levis est momenti quæstio de qua hic agitur: ax aa nimirum pendent tum firmitas, tum solutio matrimonii, quod intra consanguinitatis gradus ab infidelibus contractum fuerit: Pendent, quoque & nullitas, & validitas dispensationom, quæ concessæ fuerint nubentibus: Si enim aut naturali jure, aut divino positivo consanguinitas nonnullis in gradibus matrimonium dirimat, irritæ sunt nuptiæ, quas intra eos gradus infideles celebraverint: nec in iis concessa fidelibus dispensatio valere poterit: E contra si quælibet consanguinitas jure tantum ecclesiastico sit matrimonii impedimentom dirimens, stabunt nuptiæ ab infidelibus intra quemcumque consanguinitatis gradum initæ: ac proinde solvi non debebunt ubi dederint nomen religioni Christianæ, cum ii qui non sunt baptizati, legibus Ecclesiæ non teneantur, juxta illud Apostoli: *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?*

Conclusio 1. Consanguinitas in quolibet gradu lineæ rectæ ascendentium & descendeotiom, est jure naturali dirimens impedimentum matrimonii: Idem ferri debet judicium de primo gradu lineæ collateralis.

Probatur prior conclusionis pars. Reverentia in parentes, quæ naturaliter filiis insita est, efficit ut concubitus, de quo agitur, natura rationalis exhorrescat; unde semper, eo etiam tempore, quo summa erat hominum penuria, seu, in prioribus mundi incunabulis, ejusmodi copula tamquam inhonesta ac turpis habita est.

Probatur altera conclusionis pars contra Cajetanum. Nullum, aut saltem perrarum, etiam apud barbaras gentes, extat exemplum, quo constet inter fratres & sorores inita fuisse conjugia. Apud Ægyptios nuptias hujusmodi proscriptas fuisse Abrahami tempore colligitur ex eo quod S. Patriarcha suasetit Saræ, ut se sororem non autem uxorem diceret: *Cum viderint te Ægyptii* (inquit ipse Abrahamus Geneseos 12.) *dicturi sunt: Uxor ipsius est, & interficient me, & te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Eadem connubia Parsis exosa fuisse patet ex eo, quod Gymnosophistæ Cambysi Regi nuptias cum sorore ambienti quondam respondisse ferantur, naturam ab his abhorrere; si tamen Rex eas iniret, illius exemplum deinceps futurum legis loco.

Conclusio secunda. Consanguinitas in secundo gradu lineæ collateralis sive rectæ, sive obliquæ, jure tantum ecclesiastico matrimonium dirimit.

Probatur. Matrimonia in secundo gradu lineæ collateralis, tum rectæ, tum obliquæ, 1. Non sunt contra jus naturale, cum veri Dei cultores (etiam seclusa necessitate) ante Mosaicam legem ejusmodi nuptias celebraverint. 2. Non sunt etiam contra jus divinum: Lex enim Levitici, qua nepotum cum amitis matrimonia prohibitur, vim non habet Evangelii tempore, nec aliæ hujusmodi nisi in quantum res, quæ per eas vetantur, juri naturali repugnant; abrogatum est scilicet vetus testamentum quantum ad præcepta ceremonialia, quæ in eo continentur.

Ex duabus mox statutis conclusionibus infertur 1. Ecclesiam nullo in gradu lineæ rectæ ascendentium & descendentium posse nuptias concedere: *Inter eas personas*, (inquit Nicolaus Papa I. respondens ad consulta Bulgarorum cap. 39.) *quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filium; vel avum & neptem, matrem & filium, aviam & nepotem, & usque ad infinitum.* Infertur 2. Ecclesiasticas dispensationes locum habere in omnibus gradibus aliis a primo lineæ collataralis tum rectæ, tum obliquæ, tum ascendentium, tum descendentium. Potest enim Ecclesia in iis legibus, quæ ab ipsa institutæ sunt, dispensare prout expedire judicaverit, sive ad conciliandam matrimonio honestatem, sive ad propagandam inter homines amici-

ci-

citiam, seu, ut vitentur pericula, quæ alioquin animabus imminerent. Præterea (ut suo loco probatum est) Ecclesia semper in se agnovit potestatem, de qua agitur, tum quoad secundum gradum lineæ collateralis rectæ: *In secundo gradu* (inquit Conc.Trid.) *nunquam dispensetur nisi inter magnos Principes, & ob publicam caussam*: tum etiam quoad secundum gradum lineæ collateralis obliquæ: quippe quod constet Summos Pontifices in illo gradu nonnumquam dispensasse. Alexander Papa IV. Vualdemaro Svecorum Regi fecit facultatem nubendi cum Sophia, quam illius frater Henricus Danorum Rex genuerat. Nuper quoque Philippus II. Hispaniarum Rex in quartam uxorem duxit Annam Austriacam neptem suam, natam nimirum ex germano illius fratre Maximiliano Romanorum Imperatore.

Hic velim lector observet post Gregorium Magnum & Gregorium Papam II. qui cum barbaris recenter ad fidem conversis (ut suo loco observatum est) dispensarunt in consanguinitatis gradibus, Paschalem Papam II. esse primum Pontificem, qui dispensarit in gradibus consanguinitatis; Annuit nempe Philippo I. Francorum Regi, ut Bertradam consanguineam duceret, dummodo prius ab ea divelleretur: *Convenimus Balgenciacum* (inquit Yvo Carnotensis ad Paschalem scribens epist. 144.) *ad faciendam absolutionem Regis* (qui in Concilio Claromontano anathemate damnatus fuerat, quod se Bertradæ conjunxisset) *secundum tenorem litterarum quas super hac re miserat moderatio vestra. Convenit etiam Rex & Lateralis sua & secundum præceptum vestrum sacro sanctis Evangeliis tactis, parati fuerunt abjurare absolute omnem carnalis copulæ consuetudinem, insuper & mutuam collocutionem, nisi sub testimonio personarum minime suspectarum, usque ad vestram dispensationem.* Ubi a Paschali II. aperta est in gradibus consanguinitatis dispensationum janua, sæpius ab aliis Pontificibus concessæ sunt. Innocent. Papa III. Ottoni Imperatori pacis causa indulsit, ut duceret filiam Philippi, qui una cum ipso ambibat Imperium: *Authoritate Dei & Beati Petri* (inquit Mariana lib. 10. cap. 8.) *per Apostolicam obedientiam in remissionem peccatorum suorum præcepit matrimonium contrahere cum filia Philippi*: Verum Abbas Morimundi, nomine Abbatum omnium Cluniacensium & Cisterciensium propter illud inflictum Ecclesiasticæ disciplinę vulnus in se, ac utriusque ordinis religiosos culpam ac pęnitentiam contulit: *Delictum hoc connubio contra consuetudinem Ecclesiæ quamvis dispensatorie committendum, monastico ordini authoritate Apostolica imposuit.*

Articulus Tertius.

De cognatione spirituali.

Cognationis spiritualis nomine intelligitur personarum conjunctio, seu, propinquitas orta ex quodam officio spirituali, quod quis alteri exhibuerit. De ea autem propinquitate quærere solent Theologi. 1. Quænam sint officia spiritualia ex quibus oriatur. 2. Inter quas personas ejusmodi propinquitas contrahatur. 3. Quænam sint spiritualis cognationis species. 4. Quo jure per cognationem spiritualem matrimonium impediatur.

§. I.

De officiis ex quibus cognatio spiritualis oritur.

Conclusio. Cognatio spiritualis non oritur nisi ex collatione aut Baptismatis, aut Confirmationis, vel ex susceptione, seu, ut vocant, tentione, in alterutro ex iis Sacramentis.

Probatur 1. Cum Canones agunt de cognatione spirituali, triplicis tantum officii, quod in conclusione recensuimus, meminere, ut causa 30. quæst. 1. apud Gratianum videre est. 2. Qui aut Baptismum, aut Confirmationem conferunt, vel aut catechumenum, aut neophitum suscipiunt, spiritualem generationem conferre censentur: Ergo, quemadmodum cognatio carnalis oritur ex carnali generatione: ita spiritualis ex generatione spirituali nascitur.

Confirmantur tum conclusio, tum allatæ rationes 1. authoritate Canonum. Nicolaus Papa I. respondens ad consulta Bulgarorum, cap. 11. sic ratiocinatur: *Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum regeneratio sancti spiritus vincit? Longe igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia divina, quam quem humana voluntas, ut filius ejus, vel frater meus esset elegit.*

Confirmantur 2. authoritate legum Civilium. Lib. v. Codicis Justinianæi, titul. IV. cap. XXVI. hæc habentur: *Ea persona omnino ad nuptias venit prohibenda, quam aliquis sive alumna sit, sive a sacro-sancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem, Deo mediante, animæ eorum copulatæ sunt.*

Objicies 1. Symmachus Papa videtur docere, spiritualem cognationem non oriri tantum ex collatione baptismatis, aut confirmationis, sed etiam ex administratione Sacramenti Pœnitentiæ; contendit quippe apud Gratianum eos, quos in pœnitentia suscipiunt Presbyteri, ipsorum esse filios spirituales: *Omnes* (inquit) *quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, unda sacri baptismatis regeneravit.*

Resp. pœnitentes improprie tantum dici filios spirituales eorum a quibus absolvuntur, cum absolutionis gratia non detur per modum generationis spiritualis, sed per modum sanationis. At impropria filiatio nullum ordinem dicit ad matrimonium. Confirmatur illa solutio ex eo, quod Symmachus Papa non ideo protulerit sententiam quæ objicitur, ut assereret cognationem spiritualem, quę inter Presbyterum & suum pœnitentiam intercedit, matrimonium impedire; cum Presbyteris nullibi unquam licuerit uxorem ducere: Protulit autem, ut doceret peccatum Presbyteri cum ea quam absolvit, non minus grave esse, quam si quis cum cognata sua spirituali copularetur.

Objicies 2. Constitutionem Bonifacii VIII. in sexto titul. de cognat. spirituali, ubi sic loquitur, *Per catechismum, qui præcedit baptismum, contrahendum matrimonium impeditur.* Constitutio illa Bonifacii, hunc alioquin obscurum, Clementis III. textum explicare videtur: *Etsi constaret, quod uxor Petri filium ejusdem ante matrimonium in catechismo tenuisset, vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret.* Non igitur tantum per collationem baptismatis aut confirmationis, aut per tentionem, in alterutro cognatio spiritualis enascitur.

Respondent aliqui nullibi admissam fuisse laudatam Bonifacii constitutionem. Respondent alii antiquo jure locum habuisse disciplinam illam, de qua Bonifacius, sed revocatam fuisse novo alio, quod Concilium Tridentinum invexit. Quoad utramque partem vera videtur illa responsio; Quoad priorem quidem, cum non solus Bonifacius, sed etiam antiquiores Pontifices, eam confirmaverint, ut patet ex his verbis, Deusdedit Papæ ad Gordianum Hispalensem Episcopum, *Scitis quia quomodo sunt septem dona Spiritus Sancti, ita sunt septem dona baptismi a primo pabulo Sacramenti salis & ingressu Ecclesiæ, usque ad Confirmationem Spiritus sancti per Chrisma. Ab hoc ergo primo Spiritus sancti dono usque ad septimum nullus Christianus suam commatrem in conjugium suscipere debet: & qui præsumpserit, tandiu vinculo anathematis religetur, donec pœnitentiam dignae egerit*, Quoad posteriorem partem, seu revocatam fuisse illam disciplinam per Concil. Trid. ostendi potest ex sacra Synodo; Nam 1. declarat se non conservare propinquitatem spiritualem, nisi inter personas, de quibus ante locuta fuerat: *Omnibus* (inquit) *inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*; Personæ autem quarum sacra Synodus ante meminerat, sunt tantum minister, qui aut baptismum, aut confirmationem contulit; vel ii qui aut catechumenum, aut neophitum suscepere. 2. Tridentini Patres initio decreti asserunt sibi propositum esse revocare ad pauciorem numerum impe-

di-

dimenta, quæ ex cognatione spirituali nascuntur: *Voleas itaque sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit &c.* Ergo, cum postea in ipso decreti textu Concilium non recenseat impedimentum, quod nascitur ex catechismo, sequitur ab ipsa Synodo sublatum fuisse ejusmodi impedimentum.

§. II.

Inter quas personas contrahatur cognatio spiritualis?

QUæstio potest esse, 1. de infidelibus. 2 de catechumenis. 3. de hæreticis. 4. de fidelibus.

Conclusio 1. Nec infideles, qui baptismum conferunt, nec catechumeni, contrahunt cognationem spiritualem: secus vero hæretici, qui illud Sacramentum, aut confirmationem administrant, aut in alterutro sunt sponsores.

Probatur prior pars. Cognatio spiritualis est impedimentum matrimonii jure Ecclesiastico statutum; Ergo nec ad infideles, nec ad catechumenos pertinet, cum Ecclesiæ legibus non subjaceant. Altera vero pars ostenditur ex eo, quod hæretici Ecclesiæ legibus teneantur; per baptismatis enim characterem, quo fuerunt insigniti, facti illius subditi.

Hinc infertur 1. infidelem qui fidem amplectitur, posse validas & licitas nuptias inire cum persona, quam baptizarit eum adhuc in infidelitate versaretur, Idem quoque dicendum est de catechumeno, qui nondum baptismate donatus, illud Sacramentum alteri contulit. E contra infertur 2. hæreticum, cum redit ad unitatem, separari debere a conjuge, quam vel baptizarit, vel cujus sponsor fuerit in baptismate, non vero in confirmatione, si ipse hæreticus nondum fuerit confirmatus. Id enim expresse definit Concilium Moguntinum relatum a Gratiano *de consecrat.* dist. IV. cap. *In baptismate*, ubi hæc habentur: *In baptismate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est ipse baptizatus, vel confirmatus.* Cum vero vox ista, *Non potest*, in nondum baptizato arguat incapacitatem ad contrahendam cognationem spiritualem; eam etiam arguit in eo, qui nondum confirmatus, alterius in confirmatione se præbet sponsorem.

Conclusio 2. Qui procuratorem mittit ad infantem de sacro fonte suscipiendum, contrahit spiritualem cognationem, non vero procurator.

Nostram conclusionem probat Cabassutius his rationibus. 1. Ut susceptor cognationem spiritualem contrahat, Concil. Trid. requirere videtur, ut a baptizandi parentibus assumatur, aut a Parocho si parentes non providerint; sic enim loquitur sacra Synodus Sessione 24. cap. 2. de reform. *Parochus antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat.* Verum procurator nec a parentibus, nec a Parocho eligitur: e contra is solus eligitur a quo procurator mittitur. 2. Is qui mittit procuratorem, agit in baptizandi susceptione tamquam causa principalis, procurator vero, qui mittitur, tamquam causa ministerialis & instrumentalis; nihil enim agit proprio sed tantum mandantis nomine. 3. Non est necesse, ut is, qui contrahit spiritualem cognationem, per se neophytum physice tangat, sed satis est, ut per alium attingat; unde hæc verba, quæ in canonibus legere est: *Suscipere, tenere, levare*, non solum contactum physicum, sed etiam moralem, qui per procuratorem fiat, complectuntur.

Objicies authoritatem plurium Canonistarum quibus placet solum procuratorem, non vero eum a quo mittitur, spiritualem cognationem contrahere.

Resp. 1. efficere authoritatem illorum canonistarum, ut res, de qua agitur, sit dubia, præsertim cum allatæ pro opposita sententia rationes non sint demonstrativæ. Nam 1. licet Concil. Trid. decernat susceptorem debere designari a parentibus, non asserit tamen eum, qui ab illis immediate non designatur, non contrahere cognationem spiritualem. 2. Quamvis procurator non agat nomine proprio, revera tamen, *tenet, levat, suscipit* infantem de sacro fonte. At canones sine ulla restrictione asseruerunt eum, qui tenet, levat, suscipit infantem contrahere spiritualem cognationem. 3. Proferri non possunt canones, quibus probetur contactum requisitum ad cognationem spiritualem non debere esse physicum, sed satis esse moralem, imo contrarium colligunt nonnulli scriptores ex his verbis Concilii Tridentini: *Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.*

Resp. 2. in casu illo, cum res sit dubia, Ordinarium consuli debere; penes enim ipsum est legem dubiam interpretari, Eminentissimus Cardinalis Le Camus in editis a se synodalibus statutis, declaravit, non a mittente, sed a procuratore, qui infantem physice suscipit contrahi cognationem spiritualem. Vel tandem respondendum est. 3. In quæstione illa dubia petendam esse dispensationem a Summo Pontifice, vel abstinendum ab hujusmodi matrimonio, idque juxta regulam juris, *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.*

Conclusio 3. Qui, etiam in casu necessitatis, alterius filium baptizat, contrahit cognationem spiritualem: Qui vero proprium ex legitimo matrimonio, nullam cum sua uxore contrahit cognationem.

Probatur prior pars ex eo, quod Canones indistincte asseruerint ministrum baptismatis contrahere cognationem spiritualem. Nec est quod quis objiciat æquitati repugnare, quod propter charitatis actum, quem laicus exercuerit baptizans infantem, alioquin sine baptismate moriturum, privetur jure conjugii aut cum filia quam baptizavit, aut cum illius matre. Nam primo facile obtinetur dispensatio in illo impedimento. Secundo, Ecclesia satius esse duxit per impedimentum hujusmodi consulere reverentiæ debitæ Sacramento, quam favere libertati laici, qui baptismum contulerit.

Probatur altera pars ex jure canonico, in quo expresse excipitur de quo agitur: nam delatus ille casus ad Joannem Papam VIII. sic ab illo Summo Pontifice solutus fuit apud Gratianum causa 30. quæst. 1. cap. 7. *Si supradictus genitor filium suum corpore morientem aspiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, sacri unda baptismatis lavit .... bene fecisse laudatur, & idcirco suæ uxori sibi jam legitime sociatæ impune, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctam, nec ob hoc aliquatenus separari debet.* Nec est, quod quis dicat solutionem illam datam a Joanne VIII. probare pariter priore casu: Nam potior est ratio de eo, qui baptizavit suum legitimum filium, quam de eo, qui alienum; siquidem iste per baptismum nihil amittit, quod ante haberet; ille vero excideret jure in copulam cum uxore, quo ante fruebatur.

§. III.

De variis cognationis spiritualis speciebus.

COnclusio. 1. Jus antiquum tres agnovit cognationis spiritualis species, Paternitatem nimirum, Compaternitatem & Fraternitatem.

Probatur ex canonibus, quos refert Gratianus causa 30. quæst. 3. quosque nos explicantes varias illas cognationis spiritualis species mox referemus.

Quæres 1. In quibus reperiretur cognatio, quæ dicebatur paternitas?

Resp. Paternitatem fuisse in ministro, qui vel baptismum, vel confirmationem contulisset, nec non in sponsore respectu illius quem susceperat de sacro fonte: *Ita* (inquit Nicolaus Papa I. respondens ad consulta Bulgarorum) *diligere debet homo eum, qui se suscipit de sacro fonte, sicut patrem; quinimo quanto præstantior est spiritus carne, quod illud spiritale est patrocinium, & secundum Deum adoptio, tanto magis a spiritali filio diligendus. Unde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium.*

Quæres 2. Inter quos contraheretur olim cognatio compaternitatis?

Resp. Illam cognationem contrahi solitam fuisse 1. Inter Sacramenti ministrum & patrem & matrem ba-

baptizati aut confirmati: 2. Inter susceptores & patrem & matrem suscepti: 3. Inter uxorem baptizantis & parentes baptizati: 4. Inter uxorem susceptoris & patrem & matrem suscepti. Nitebatur illa antiqua disciplina duplici principio. Minister & susceptores vitam spiritualem conferebant recipienti baptismum; merito igitur spirituales illius patres dicebantur. Præterea uxor sive ministri, sive susceptoris, una fiunt per matrimonium eademque caro, juxta illud Scripturæ, *Erunt duo in carne una*: non immerito igitur contrahere censebantur compaternitatem cum parentibus baptizati aut confirmati. Nixus eo principio Bonifacius Papa VIII. definit virum quemdam, Martinum nomine, non potuisse nubere cum Theberga vidua Lotharii, qui nnum ex filiis Martini de sacro fonte levarat. Idem ante Bonifacium declaraverat Nicolaus Papa Salomoni Constantiensi Episcopo his verbis rescribens: *Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si aliquis homo duas commatres habere valeat unam post alteram. In quo meminisse debet scriptum esse: Erunt duo in carne una; Itaque cum constet quin vir & mulier una caro per connubium efficiuntur, restat nimirum, virum compatrem constitui illi mulieri, cujus matrimonio assumpta uxor commater esse videbatur: & idcirco liquet virum illi fœminæ non posse jungi in copula, quæ commater ejus erat, cum qua fuerat una caro effectus.*

Quæres 3. Quinam antiqnitus inter se contraherent cognationem spiritualem Confraternitatis?

Resp. olim contrahi solitam fnisse 1. inter filios ministri & eum, qui ab eo receperat baptismum: 2. Inter natos ex sponsore, & eum, quem de sacro fonte levarat. Audiendus est ea de re Zacharias Papa I. apud Gratianum caus. 30. quæst. 4. cap. 3. sic loquens: *Bene tua sancta fraternitas compertum habet quod Dominus præceperit per Moysem dicens; Turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis, non revelabis; turpitudo enim tua est. Cum ergo a propria consanguinitate jubemur abstinere, multo magis a spirituali nostri patris filia, omni excusatione aut argumento seposito, sub nimia districtione nos cavere convenit.*

Conclusio 2. Jus novum quod in Concilio Tridentino promulgatum est, & hoc in capite tum Synodis Galliæ Provincialibus tum & usu communi tota in Ecclesia recepto admissum, multa innovavit circa antiquas cognationis spiritualis species.

Probatur enumeratione mutationum, quas de cognationibus, de quibus agitur sacra Synodus invexit. 1. Absolute confraternitatem abrogavit. 2. Restrinxit paternitatem ad eum solum qui Sacramentum contulerit, & ad susceptores; Unde nunc ad illorum uxores nequaquam extenditur, sicut antea. 3. Reduxit compaternitatem, ita ut jam non reperiatur inter Sacramenti ministrum & susceptores, sicut antiquitus reperiebatur. *Docet experientia* (inquit Concil. Sess. 24. cap. 2. de refor. matrim.) *propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos, ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur... Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahuntur, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur... Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

§. IV.

Quo jure cognatio spiritualis matrimonium dirimat?

CONclusio. Nec natutali jure, nec divino, sed Ecclesiastico tantum cognatio spirtualis matrimonium dirimit.

Juenin de Sacram.

Probatur. Quod cognatio spiritualis matrimoninm dirimat, non est principium legis naturalis, nec conclusio quæ ex illo deducatur: Ergo jure tantum humano, Ecclesiastico quidem, cum multi canones tum antiqui tum recentiores sic definierint; Civili pariter, ut patet ex lib. 5 Codicis Justinianæi tit. 4. c. 26. cujus textum suo loco retulimus. Ex his infertur Ecclesiam impedimentum, de qno agitnr, posse omnino tollere, & a fortiori in eo dispensare.

Quæres quo tempore cognatio spiritualis cœperit esse matrimonii impedimentum dirimens?

Resp. 1. ex nullo monnmento Ecclesiastico probari posse cognationem spiritualem fuisse per tria priora sæcula matrimonii impedimentum. Verisimile non est primos Christianos illius rationem habuisse; cum enim Apostolus eos interdixisset nuptiis cum infidelibus, & postea Episcopi cum hæreticis, necesse erat ut Catholici inter se tantum inirent conjugia: cumque non magna ubique essent numero, cogebantur aliquando nubere cum iis, quos nunc cognatos spirituales dicimus. Non est quoque probabile impedimentum, de quo agitur, locum habuisse in Ecclesia usqne ad Constantinum Magnum, illius quippe non meminerunt canones, quos Apostolicos vocamus, qui alioquin de affinitate & consanguinitate non pauca dicunt, quiqne disciplinam in oriente per tria priora sæcula observari solitam complectuntur. De eo pariter silent canones Illiberitani, qui, ut putant nonnulli scriptores, privati alicujus Concilii non sunt, sed collectio facta ex variis variarnm Provinciarum Synodis; quiqne sunt veluti codex qno, sæviente persecutione, Ecclesiæ Occidentales utebantur.

Resp. 2. cognationem spiritualem fuisse matrimonii impedimentum ante finem sæculi quarti. Idque probatur ex eo quod Julius Papa, & Innocentius I. de casu ad illud impedimentum pertinente consulti fuerint ipso quarto Ecclesiæ sæculo. Facti illius testis est Deus-dedit Papa in sua ad Gordanum Hispalensem Epistola, sic enim loquitur: *Pervenit ad nos Diaconus vester, Sanctitatis vestræ Epistolam deferens, quod quidem viri & mulieres præterito Sabbato Paschali die, præ magno populorum incursu, nescientes, proprios filios suscepissent ex lavacro sancto. Cupis ergo scire, si pro tali accidenti ratione debeant viri ac mulieres ad propriam usum redire, an non. Nos vero mœsti en hac re inquisivimus priorum patrum nostrorum dicta: invenimus autem in archivis hujus Apostolicæ Sedis jam talia contigisse in Ecclesiis Isauriæ, Ephesiorum, simulque Hierosolymæ, aliorumque civitatum, Episcopis etiam earum civitatatum ab hac Apostolica Sede volentibus scire, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ sanctissimi Patres, Julius, Innocentius, & Cœlestinus, cum Episcoporum plurimorum & Sacerdotum consensu, in Ecclesia beati Apostolorum principis prohibentes talia, præscripserunt, & confirmaverunt, ut nullo modo jam se in conjugium reciperent mulieres ac viri, quicumque alio ratione susceperunt natos proprios, sed separent se, ne suadente diabolo tale vitium inolescat.*

ARTICULUS QUARTUS.

De Cognatione legali.

PER cognationem legalem intelligitur propinquitas ex adoptione proveniens: Adoptio autem est personæ extraneæ (seu carentis gradu filiationis, ad quem assumitur) in filium & hæredem gratuita assumpio. Dividitur in arrogationem, & adoptionem: Prior est personæ sui juris, posterior vero filii familias in alienam familiam assumptio. Arrogatio non solvitur emancipatione; secus vero adoptio; ante emancipationem si adoptans moriatur, adoptatus retinet jns liberorum, aditque adoptantis hæreditatem. De cognatione legali sic explicata & divisa quæri potest 1. Utrum semper fuerit matrimonii impedimentum dirimens. 2. Inter quas personas contrahatur. 3. An illud impedimentum sit perpetuum.

Conclusio 1. Cognatio legalis semper apud Christianos fuit matrimonii impedimentum dirimens.

Probatur. 1. Certum est cognationem legalem dirimere matrimonium a sæculo XI. ad hæc usque tempora, cum tam in Decreto, quam in Decretalibus numerentur inter impedimenta dirimentia, nec jus aliquod novum conditum fuerit, quo antiquum abrogetur. 2. Non est dubium quin per adoptionem impeditæ fuerint nuptiæ nono sæculo, cum id asserat Nicolaus Papa I. respondens ad consulta Bulgarorum cap. 2. ubi sic loquitur: *Si ergo inter eos, non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit; quanto potius, &c.* 3. Evidens est quoque disciplinam, de qua agitur, prioribus sæculis fuisse in usu. Tunc enim (ut sæpius fuit observatum) Ecclesia nuptiarum celebratione adhærebat legum civilium præscripto. At leges civiles prohibebant matrimonia inter cognatos legales: idque probatur partim ex Digestorum libro 38. titulo 16. ubi hæc leguntur: *Non solum autem naturales filii, verum etiam adoptivi quoque jura consanguinitatis habebunt cum iis, qui sunt in familia, vel in utero, vel post mortem patris nati*: Partim etiam ex Instit. lib. 1. titulo XI. ubi hæc habentur: *Ex plurimis causis adsimilatur is, qui adoptatus, vel adrogatus est, ei qui ex legitimo matrimonio natus est.*

Conclusio 2. Cognatio legalis dirimit matrimonium in linea recta ascendentium & descendentium usque ad quartum gradum inclusive, & in primo tantum lineæ collateralis.

Probatur quia leges adoptionem non agnoscunt ultra quartum gradum in linea recta ascendentium & descendentium. Ergo valent contractæ extra illum quartum gradum nuptiæ. Ex quo patet invalidum esse matrimonium adoptantis cum adoptata, nec non cum ejus posteris intra quartum gradum: illi enim omnes sunt in linea recta ascendentium & descendentium.

Probatur altera pars ex Jure Canonico. Eo nimirum principio Nicolaus Papa I. respondens ad consulta Bulgarorum utitur, ut probet cognationem spiritualem matrimonium dirimere: *Unde* (inquit cap. 2.) *inter eos non arbitramur esse quodlibet posse conjugale connubium: quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt.*

Conclusio 3. Cognatio legalis affinitatem parit in primo gradu lineæ rectæ tum ascendentium tum descendentium, quæ matrimonium dirimit.

Probatur. Adoptans non potest nubere cum uxore adoptati, nec adoptatus cum uxore adoptantis. Id nimirum conceptis terminis definiunt leges, ut patet ex his verbis digestorum libro XXIII. titulo II. de ritu nuptiarum. *Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor fuit, ducere non potest, quia novercæ locum habet. Item, si quis filium adoptaverit, uxorem ejusdem, quæ nurus loco est, ne quidem post emancipationem filii, ducere poterit, quoniam aliquando ei nurus fuit.*

Conclusio 4. Cognatio legalis est matrimonii perpetuum impedimentum in linea ascendentium, non vero in linea collaterali.

Probatur prior pars. Soluta adoptione remanet adhuc inter ascendentes & descendentes cognatio legalis: Ergo inter eos est matrimonii perpetuum impedimentum dirimens: antecedens patet ex textu mox relato ex libro 23. Digestorum.

Probatur altera pars. Definit cognatio legalis in linea collaterali, soluta adoptione, vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem adoptati. Id patet ex canone, *Per adoptionem*, ubi hæc laudantur ex libro 23. Digestorum, titulo de ritu nuptiarum: *Per adoptionem quæsita fraternitas, eousque impedit nuptias, donec manet adoptio: ideoque eam, quam pater meus adoptavit, & emancipavit, potero uxorem ducere. Æque, & si me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus jungi matrimonio.*

Quæres quænam conditiones requirantur a jure ut quis possit adoptare.

Resp. has sequentes requiri. 1. Ut adoptans sit sui juris. 2. Ut sit major viginti quinque annis. 3. Ut sit masculini sexus, nam fœminæ adoptari quidem possunt, sed non adoptare nisi ex privilegio. 4. Ut adoptans habeat naturalem generandi potentiam; Non tamen excluduntur ii, qui cum a nativitate habuissent, illam ex accidenti amiserunt, ut secti gladio, aut facti ex morbo eunuchi; sed excluduntur frigidi ex natura, *lib. 2. ff. de adoptione*. 5. Ut adoptans sit ejus ætatis; quæ adoptati ætatem excedat annis decem & octo. His positis conditionibus potest quilibet adoptare quamvis sit Sacerdos, & modo adoptatus sit præsens; non enim fieri potest adoptio per litteras, aut per procuratorem *l. æque & post mortem*.

CAPUT QUINTUM.

De Crimine.

DE duplici tantum crimine potest hic esse quæstio; de homicidio nimirum & de adulterio.

Conclusio 1. Occisio unius conjugum, & adulterium matrimonium aliquando dirimunt.

Probatur 1. de adulterio authoritate Leonis Magni sic loquentis: *Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio.* 2. De homicidio ostenditur his verbis Concilii Vermeriensis: *Si quæ mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille vir ream eam esse consilii, potest (ut nobis videtur) ipsam uxorem dimittere, & si voluerit aliam ducere.* Hæc saltem erat hujus Concilii doctrina.

Conclusio 2. Nec homicidium, nec adulterium semper matrimonium dirimunt, sed quibusdam in casibus tantum.

Probatur prior pars, authoritate Augustini de nuptiis & concupiscentia libro 1. cap. 10. sic loquentis: *Mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri potest conjugium cum quo adulterium fuit.*

Probatur altera pars enumerando casus & circumstantias, in quibus jura definiunt per crimina, de quibus est quæstio, solvi matrimonium. Primus casus est cum e conjugibus alter efficaciter machinatus est mortem suæ compartis post adulterium cum alio commissum: ita definit Alexander Papa III. capite, *Super hæc, de eo, qui duxit in uxorem, quam polluit per adulter.* ubi hæc scribit: *Tibi respondemus quod si adulter est in mortem uxoris aliquid machinatus, sive fidem dedit, sive non quod ea defuncta, banc esset ducturus, secundum canones ab ejus consortio prohibeatur, & hæc prohibitio perpetuo est servanda.* Observat Cabassutius occisionem hujusmodi non inducere impedimentum, nisi facta fuerit eo fine, ut matrimonium cum ea contraheretur quæ polluta fuit adulterio. Observat iterum ex occisione non oriri impedimentum dirimens, si quis conjugem, vel suam, vel alterius occiderit, ut possit contrahere matrimonium cum ea quæ non fuit particeps homicidii aut adulterii: Ratio est quia jus non meminit nisi compartis, quæ delicti particeps fuerit.

Alter casus est, cum ex amborum consensu (etiam non interveniente adulterio) fit occasio unius ex conjugatis. Tertius casus occurrit cum perpetratur adulterium cum promissione matrimonii post conjugis adhuc viventis obitum celebrandi: *Audivimus rem execrabilem* (inquiunt can. 40. Patres Concilii Triburiensis, quod habitum est anno 895.) *quemdam nefario fornicationis opere alicujus uxorem, vivente eo, commaculasse: & in argumentum iniquitatis, juramento confirmasse, si ejus legitimum supervixissent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram adulterio pollutam sibi associaret toro & legitimo matrimonio . . . Tale igitur connubium anathematizamus, & Christianis omnibus obsecramus. Non licet ergo, nec Christianæ religioni oportet, ut ullus ea utatur in matrimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.* Non habet locum casus ille nisi promissio a constuprato fuerit acceptata verbis aut externo signo; Ratio est, quia jus nullam omnino habet rationem promissionis non acceptatæ exterius.

Quar-

Quartus casus est, cum quis vivente legitima conjuge init & consummat nuptias cum altera: hanc enim alteram postea, mortua legitima uxore, ducere non potest in matrimonium. *Antequam uxor decederet, aliam superinduxit* (inquit Alexander Papa III. capite, *Ex litteraram*, de eo, qui duxit in uxorem, quam polluit,) *& plures suscepit filios ex eadem, illos debes ab invicem separare. Idem vero vir, indicta ei de adulterio pœnitentia, aliam ducere poterit in uxorem*. Locum non habet ille casus, si altera ex partibus bona fide ignorarit non esse mortuam legitimam priorem compartem, aut si postquam id didicit, a cohabitatione temperaverit. *Veniens ad præsentiam nostram Guillelmus laicus humili insinuatione monstravit, quod cum in civitate Lemovicensi quamdam sibi matrimonialiter copulasset, ab ea recedens Messanam advenit, ubi Martham mulierem nesciam, quod aliam haberet uxorem, sibi solemniter copulavit: verum cum in patriam suam rediisset, uxorem suam inveniens earum debita persolvisse; ad Messanam rediit civitatem, & supradictæ Marthæ tanquam legitimæ cohabitavit uxori; Mandamus quatenus, si ita est, ut supradictæ Marthæ affectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis*. Ita Alexander III. cap. *Veniens de eo qui duxit in uxorem, quam polluit per &c.*

Cum Ecclesiastico jure statutum fuerit impedimentum, de quo agitur, nemini potest esse dubium quin in eo Ecclesia dispensare valeat.

CAPUT SEXTUM.

De Cultus disparitate.

Disparitas cultus potest considerari vel in Gentilibus qui diversæ sunt sectæ, vel in Judæis respectu Gentilium, vel in Christianis respectu eorum qui non credunt in Christum, vel denique in Catholicis respectu hæreticorum: Unde quærendum hic nobis incumbit, an cultus disparitas matrimonii, quod ii homines inierint, sit impedimentum dirimens.

ARTICULUS PRIMUS.

De Matrimonio tam Infidelium inter se, tum Judæorum cum Gentilibus.

Conclusio. Valet matrimonium contractum inter infideles ejusdem sectæ, imo & diversæ, nisi obstet jus humanum politicum.

Probatur prior pars. Ea; quæ naturalis sunt institutionis, omnibus sunt comunia; valent igitur quandiu lege aliqua positiva non irritantur: Sed matrimonium hominis cum muliere suæ sectæ, naturalis est institutionis, nec illud lex aliqua positiva irritum fecit; non quidem divina, cum non legatur in sacris codicibus; nec humana Civilis, cum non extet in constitutionibus Principum sæcularium, nec etiam Ecclesiastica; quippe quæ nullam in eos, qui foris sunt, ut loquitur Paulus, vim habeat.

Probatur altera pars ex eo quod cultus disparitas non dirimat matrimonium jure naturali, sed tantum (ut inferius ostendetur) jure positivo humano: Ergo, si non obest jus positivum, nuptiæ infidelis cum infideli alterius sectæ, v. g. Judææ cum viro Turca, sunt validæ.

Probatur tertia pars. Non est dubium quin Principes leges condere possint, quæ inhabiles ad contrahendum matrimonium reddant infideles suæ ditioni subditos: Ergo &c.

Circa nuptias Judæorum cum Gentilibus quæri potest 1. Utrum olim illicitæ fuerint. 2. Utrum fuerint validæ.

Conclusio 1. Hominibus sub lege Mosaica constitutis non licebat olim inire conjugia cum mulieribus gentilibus.

Probatur his verbis Deuteronomii cap. VII. *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia: filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me & ut magis serviat diis alienis.*

Licet Moyses Chananæeorum tantum expresse meminerit, debet tamen intelligi de aliis omnibus idololatris. Nam 1. Ratio, quam de futura seductione subjungit, in omnibus omnino gentilibus vim habet suam. 2. Illa Deuteronomii prohibitio, Esdræ IX. capite extenditur ad alios a Chananæis populos, ut ostendunt hæc Prophetæ verba, *Postquam autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes dicentes; non est separatus populus Israel, Sacerdotes & Levitæ a populis terrarum, & abominationibus eorum, Chananæi videlicet & Hethæi, & Pheresæi, & Jebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum & Amorrhæorum, tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerant semen cum populis terrarum, manus etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima.*

Objicies 1. Deuteronomii capite 21. hæc habentur, *Si egressus ad pugnam videris mulierem pulchram in medio captivorum, & adamaveris eam, intrabis ad eam, dormiesque cum ea, & erit tibi uxor*: Ergo lex Mosaica non prohibebat nuptias cum omnibus omnino nationibus idololatris, sed cum Chananæis tantum.

Resp. allatum locum intelligendum esse de mulieribus, quæ paratæ erant deserere cultum idolorum. Ita S. Thomas scribens in Sententias textum illum interpretatur.

Objicies 2. Esther Judæa nupsit Assuero idololatræ, Samson Dalilæ Philistææ, & Salomon filiæ regis Ægyptiorum. Ergo judæis licebat nubere cum Gentilibus aliis a Chananæis.

Resp. 1. Estherem & Samsonem ad nuptias, de quibus in objectione, divinam obtinuisse dispensationem; Estherem quidem, ut Regis Assueri freta authoritate suam gentem a tyrranide impii Aman liberaret; Samsonem vero, sicut Judicum 13. habetur, ut quæreret occasionem contra Philisthiim. Resp. 2. peccasse Salomonem contrahendo cum mulieribus idololatris. Casum Salomonis in idololatriam Scriptura refundit in nuptias, quas cum mulieribus gentilibus inierat.

Conclusio 2. Prohibitio Judæis facta nubendi cum Gentilibus etiam Chananæis, non erat matrimonii impedimentum dirimens: Sive, quamvis illicitæ essent Judæorum cum Chananæis nuptiæ, non erant tamen invalidæ.

Probatur 1. Sicut ex lege Christianis præscripta non nubendi cum infidelibus, non colligitur irrita fuisse antiquitus conjugia quæ cum illis iniissent: Ita nec ex præcepto, quod Moyses Israelitis imposuit non nubendi cum filiabus Chananæorum, infertur irritum fuisse Matrimonium quod cum iis contraxissent.

Probatur 2. Conjunctiones Judæorum cum populis ethnicis, qui Palestinam incolebant nusquam in Scriptura aut fornicationes, aut adulteria dicuntur. Mulieres Chananææ junctæ Judæis nullibi dicuntur adulteræ aut fornicariæ; e contra simpliciter vocantur uxores. Libri 3. Regum capite 11. postquam recensita fuit conjunctio Salomonis cum Moabitis & Hethæis, aliisque Chananæorum filiabus, statim hæc verba subjiciuntur, *Et fuerunt ei uxores quasi reginæ septingentæ & concubinæ trecentæ.*

Objicies. Esdra (ut legitur ejusdem Esdræ libri capitibus 9. & 10.) separavit filios Israel ab uxoribus alienigenis, quas duxerant in Matrimonium. Ergo legem Deuteronomii ita interpretatus est, ut censuerit eam Judæeorum cum Chananæis mulieribus nuptias sub pœna nullitatis prohibuisse.

Resp. 1. nimis probare objectum argumentum: Cum enim uxores alienigenas Esdras a Chananæis non distinxerit, inferri posset, non solas nuptias Judæorum cum Chananæis irritas fuisse, sed etiam initas cum aliis omnibus mulieribus; gentilibus: quod tamen est falsum. Resp. 2. separationem. de qua in argumento, fuisse separationem quoad thorum tan-

tum & cohabitationem; ne scilicet alienigenæ mulieris a Dei cultu Judæos averterent. Nec ex separatione hujusmodi Judæis factum fuit fornicationis aut alterius incontinentiæ periculum; lex enim eis indulgebat polygamiam; proindeque, priore matrimonio stante quoad vinculum, cum suæ gentis filiabus nubere poterant.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Matrimonio Christianorum cum non baptizatis.

HUjus articuli duo erunt Paragraphi. In priore quæremus utrum illicita fuerint Christianorum cum infidelibus conjugia: in altero vero expendemus an quovis sæculo fuerint irrita.

§. I.

An semper illicita fuerint fidelium cum infidelibus conjugia.

COnclusio. Illicita semper fuerunt Christianorum Matrimonia cum non baptizatis sive Gentiles, sive Judæi fuerint.

Probatur 1. Paulus tamquam pastor Ecclesiæ, Matrimonia de quibus est quæstio, prohibuit. *Nolite* (inquit 2. ad Corinth. 6.) *jugum ducere cum infidelibus*. Tertullianus lib. 2. ad uxorem nubendi facultatem, quam hæc Pauli verba: *Mulier, si dormierit vir ejus . . . cui vult, nubat tantum in Domino*, faciunt viduæ ut transeat ad secundas nuptias, explicat de nuptiis cum viro Christiano, *Cui velit nubat* (inquit) *Quod est indubitate Christiano*. Cyprianus de lapsis, Matrimonii celebrationem cum infidelibus recenset inter gravissima sui temporis scelera, quæ persecutionis quæ sævierat in Christianos, causa extiterant: *Sed cladis* (inquit cap. 2.) *causa cognoscitur. . . . Jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii, prostituere cum gentilibus membra Christi*. Concilium Eliberitanum quod circa medium tertium sæculum habitum est, prohibet fidelibus, ne filias suas Infidelibus, sive Judæis sive Gentilibus tradant, *Propter copiam puellarum, gentilibus* (inquit canone 15.) *minime in matrimonium dandæ sunt virgines Christianæ*; Sed cum hoc discrimine, quod tradentibus eas paganis simplicibus nullam imponat pœnitentiam, tradentes vero Judæis mulctet pœnitentia quinquennali: *Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet*; Dantes Idololatris Sacerdotibus, ne in morte quidem, donat absolutione. *Si qui* (inquit canone 17.) *forte Sacerdotibus idolorum filias suas junxeriat, placuit nec in fine eis dandam esse communionem*. Ita sanxerunt Eliberitani patres de Matrimonio cum Judæis inito, eo quod in sua impietate multo sint tenaciores Gentilibus. Unde Paulus docet eorum oculis impositum esse velamen, quo veritati aditus præcludatur. Ita etiam de nuptiis cum Idolorum Sacerdotibus statuerunt, quod cum divitiæ quibus affluebant, tum authoritas qua pollebant in republica, Christianas mulieres frequenter ad nuptias cum eis ineundas provocarent.

Probatur 2. ex perversionis periculo quod imminet Christianæ conjugi ex illius Matrimonio cum infideli viro: Si enim colloquia prava labefactent integritatem morum: *quanto magis* (inquit Tertul. lib. 2. ad uxorem) *conjunctus & individuus usus*.

Probatur 3. ex indignitate quæ contingit, cum Christi membra cum diaboli membris commiscentur, seu potius, ubi cum eis fiunt una, eademque caro: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* (inquit Paulus) *Quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Qui consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi*.

Probatur 4. ex eo quod periculum sit ne ad multa, quæ honestati Matrimonii contraria sint, vir infidelis mulierem Christianam pertrahat: *Exhibebit* (ait Tertullianus) *ipsa etiam secreta matrimonii maculosa, non ut penes sanctos, officia sexus, cum honore ipsius necessitatis, tamquam sub oculis Dei modeste & moderate transigantur*.

Probatur 5. ex eo quod vir infidelis vix passurus sit, ut fidelis mulier Christianæ religionis officia persolvat, ut docet Tertullianus hisce verbis quæ sui ævi disciplinam complectuntur: *Domino certo non potest pro disciplina satisfacere habens in latere diaboli servum, procuratorem Domini sui, ad impedimenta fidelium studia & officia. Ut si statio facienda est, maritus de die condicit ad balnea: Si jejunia observanda sunt, maritus eadem die convivium exerceat; Si procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio advenit. Quis enim sinat conjugem suam visitandorum fratrum gratia, vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? Quis nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, a latere suo eximi libenter ferat? Quis denique solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad convivium Domini cum illud quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur*. Quod ad hujusmodi incommoda respondebant nonnulli, nempe aliquos gentiles sustinuisse nostra, nec obstrepere solitos fuisse: *Sed aliqui sustinent nostra, nec obstrepunt*, sic idem Tertullianus confutat: *Hoc est igitur delictum, quod Gentiles nostra noverunt? Quod sub conscientia illorum sumus; Quod beneficium eorum est, si quod operamur. Non potest se dicere nescire qui sustinet, timetur. Cum autem Scriptura utrumque mandet, & sine alterius conscientia & sine nostra pressura operam Domino; nihil interest in qua parte delinquas, aut in conscientia mariti, si sit patiens, aut in consiliatione sui, dum vitatur impatiens*.

Objicies exempla sanctissimarum fœminarum, quæ Gentilibus nupserunt. Monica Augustini pia mater Patricium adhuc infidelem duxit in Matrimonium. Clotildis nupsit cum Clodovæo Francorum Rege. Atqui nec illæ, nec aliæ sanctæ mulieres tunc peccarunt: nullus enim scriptor Ecclesiasticus hujusmodi nuptias illis vertit crimini. Ergo nuptiæ fidelium cum infidelibus nondum iis sæculis erant prohibitæ.

Respondet Estius negando minorem: nec enim (inquit) est necesse omnia sanctorum matrimonia a peccato eximere. Respondemus nos Augustini tempore invaluisse multis in locis consuetudinem nubendi cum infidelibus. Ea vero consuetudo secluso periculo perversionis, Monicam, aliasque pias mulieres a peccato eximere potuit.

Quæres quo jure prohibita sint conjugia fidelium cum infidelibus.

Respondeo nuptias Christianorum cum infidelibus, secluso periculo perversionis, non esse prohibitas jure divino, sed Ecclesiastico tantum.

Nec est quod quis objiciat hæc verba Pauli de vidua: *Nubat tantum in Domino*. Quamvis enim multi Patres (ut superius ostensum est ex Tertulliano) locum illum exposuerint de nuptiis cum conjuge Christiano: ab aliis tamen Patribus, & præsertim Græcis in alterum sensum exposita fuere. 1. Contenderunt nonnulli ea sententia Paulum præcipere fidelibus, ne ineant matrimonia satiandæ libidinis causa, sed castæ generationis tantum. 2. Asseruerunt alii non aliud eo textu doceri, quam constantiam, & firmitatem in Christiana religione: *In Domino* (ait Chrysostomus) *id est Christiana permanens*.

Nec est etiam quod hæc alia Pauli verba: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, objiciuntur: Non enim de matrimonio in particulari, sed de qualibet societate quæ fidem in periculum adducere posset, exposita fuerunt a multis Patribus, idque juxta hæc Psal. 105. *Commixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum*. Verum dato quod allatæ ex Paulo sententiæ præceptum stricte sumptum contineant, (ut nos post multos Latinos Patres censemus) non sequitur tamen illud præceptum esse divinum; sicut ex eo quod Paulus Bigamos excluserit ab ordinatione, non infertur jure divino statutam fuisse exclusionem ejusmodi. Dicendum est igitur Paulum locis quæ objecta sunt, locutum fuisse, non ut Apostolum, sed tamquam Ecclesiarum pastorem & rectorem; proindeque præceptum, de quo est quæstio, non fuisse juris divini promul-

mulgationem, sed legem Ecclesiasticam quam Paulus tamen Episcopus sanciverit: ita ratiocinatur Dominicus Soto in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 1. ubi sic loquitur: *Adnotandum ergo quod Apostoli non erant tantum Apostoli, verum & Ecclesiæ rectores & pastores, sicut modo est Summus & reliqui Pontifices: Unde quatenus Apostoli, utebantur spiritu prophetico, quo sacram Scripturam condebant, sed quatenus pastores & prælati, statuebant in Concilio leges, ut Act. 15. & consilia dabant ut 1. ad Corinth. 7. Paulus: præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

Nec opponi iterum debet Augustinus lib. 1. cap. 21. de adulterinis conjugiis ad Pollentium hæc scribens: *Nulla de his quæstio, quæ pertineat ad illam Domini jussionem, doctrinamque Apostolicam, & præceptam Testamenti veteris & novi quo prohibetur fidelis cum infideli conjugium copulare.* Ea nimirum sententia locum habet in casu, in quo futuræ perversionis periculum imminet, non autem in quovis alio: alioquin sibi ipsi contrarius esset Augustinus; quippe qui ejusdem libri cap. 25. hæc scribat: *Non enim tempore revelati Testamenti novi, in Evangelio, vel ullis Apostolicis litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohibuerit fideles infidelibus jungi. Quamvis beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat prostituere gentilibus membra Christi.* Sic iterum loquitur idem S. Doctor lib. 1. de fide & oper. cap. 19. *Nostris temporibus jam non putantur esse peccata, quoniam revera in novo Testamento nihil inde præceptum est, & ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum est.*

§. II.

Utrum fidelium cum infidelibus conjugia quovis sæculo irrita fuerint?

CONclusio 1. Matrimonia Christianorum cum infidelibus, valida fuerunt usque ad quintum sæculum: Ab eo tempore irrita fuerunt in imperio Romano: In cæteris vero orbis regionibus, quingentis tantum ab hinc annis.

Probatur prior conclusionis pars. Primo sæculo Paulus suadebat conjugi fideli ne dimitteret infidelem conjugem, modo infidelis ille cohabitare vellet absque Salvatoris contumelia. Verum Apostolus id consilii dare non potuisset, si Christiana professio matrimonium contractum a fideli cum gentili irritum fecisset: alioquin in perpetuam fornicationem induxisset illud Apostoli consilium. Monitum tamen velim lectorem eo loci Paulum expresse non loqui de contrahendo matrimonio a Christiano conjuge cum gentili, sed de contracto cum utraque pars in infidelitate jaceret: *Hoc autem diversum esse* (inquit Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 21.) *quis abnuat: ubi agitur non de contrahendis, sed de contractis? Ambo quippe unius ejusdemque infidelitatis fuerunt, quando conjuncti sunt.* Unde non probat illud argumentum nisi ex ratione quod nusquam Paulus asseruit, irrita fuisse matrimonia de quibus agitur, quamvis ea vetuerit. Tertullianus qui altero labente sæculo vixit multis quidem insectatur matrimonia de quibus agitur; sed nusquam docuit teneri fideles dimittere conjuges gentiles cum quibus contraxissent. Cyprianus qui floruit medio tertio sæculo, libro de lapsis, improbat quidem consuetudinem nubendi cum infidelibus, quæ ubi desiisset persecutio, frequens erat, sed nullibi docuit dirimi debuisse ejusmodi matrimonia. Augustinus qui quinto sæculo floruit, lib. 9. Confessionum, cap. 9. refert piæ suæ matris Monicæ conjugium cum Patricio, viro ethnico, nec quidquam scribit unde colligatur dubitasse eum de ejusmodi matrimonii veritate. Tandem, si imperantibus gentilibus, nuptiæ de quibus agitur, irritæ fuissent apud Christianos, debuissent fideles discedere a conjugibus infidelibus cum quibus eas iniissent: at nusquam leguntur di-

Juenin de Sacram.

scessisse; idque, si tentatum ab iis fuisset, infideles ipsis gravi vertissent crimini.

Probatur altera conclusionis pars, seu, ineunte quinto sæculo, inita a Christianis cum infidelibus conjugia cœpisse irrita esse ac nulla. Leges de nuptiis sancitæ ab Imperatoribus Christianis, observatæ fuerunt in Provinciis Imperio Romano subditis: unde Patres plerumque eas laudant ac canonibus confirmant. At Imperatores Romani sæculo quinto declararunt irrita ac nulla matrimonia quæ Christiani cum infidelibus iniissent, quippe qui mortis pœna ea mulctarint, statuerintque ea vocari debere non connubia, sed fornicationes & adulteria. Prima quæ de iis conjugiis sancita est lex ab Imperatoribus, habetur libro 3. Codicis Theodosiani, titulo 14. *De nuptiis Gentilium*, lege 1. sic autem habet. *Imperatores Valentinianus & Valens A. A. ad Theod. magistrum equitum. Nulli Provincialium cujusque ordinis, aut loci fuerit, cum barbara sit uxore conjugium, nec ulli Gentilium Provincialis fœmina copuletur, nisi quæ inter Provinciales, atque gentiles affinitates ex hujusmodi nuptiis extiterunt: quod in iis suspectum vel noxium detegitur, capitaliter expietur. Datum V. Calendas Junii, Valentiniano & Valente A. A. Consul.* Id est anno Christi 365. Altera lex legitur libro 9. ejusdem Codicis titulo 4. lege 5. ubi hæc habentur: *Imperatores Valentinianus, Theodosius & Arcadius A. A. Cynegio. P. P. Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judææ Christianus conjugium sortiatur. Nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujus crimen obtinebit: libertate in accusandum publicis quoque vocibus relaxata.*

Sed necesse est ut lector advertat 1. laudatas Imperatorum leges statim in omnibus Romani imperii provinciis observatas non fuisse: Augustinus enim qui ineunte sæculo 5. floruit, testatur (ut supra observavimus) nuptias Christianorum cum infidelibus ita sua ætate fuisse frequentes in Africa, ut a plerisque peccata non crederentur. Advertendum est 2. extra Romani Imperii limites Imperatoriarum legum nullam habitam fuisse rationem: Siquidem desinente sæculo v. anno nimirum 494. Clotildis Christiana mulier Gundebaldi Burgundionum Regis neptis nupsit cum Clodovæo ethnico, Francorum Rege: Illud vero matrimonium improbavit nemo: Nec mirum cum Burgundionum Reges, qui tunc Reipublicæ Romanæ subjecti non erant, Imperatorum Romanorum legibus nequaquam tenerentur.

Probatur tertia pars conclusionis, seu circa sæculum 12. nuptias de quibus agitur, ubique irritas fuisse; Probatur (inquam) ex consensu authorum qui quingentis ab hinc annis scripsere; Asseruerunt omnes non valere matrimonia quæ Christiani cum infidelibus inierint. Eorum authorum chorum libro 4. distinctione 39. ducit Magister Sententiarum (cui nullo excepto) reliqui Theologi & canonistæ deinceps adhæserunt: Id vero non tamquam aliquid novum profert Magister Sententiarum; unde colligitur jam ante illius tempora viguisse in Ecclesia consuetudinem, qua Christiani ad contrahendum cum infidelibus matrimonium inhabiles facti fuerant. Putant nonnulli consuetudinis illius originem adscribendam esse Concilio Toletano 4. eo quod can. 62. sic decernat, *Ut nisi ad fidem Judæus accesserit, separetur ab uxore fideli.* Adscribunt etiam Concilio Aurelianensi 2. idem statuenti canone 18. Sed 1. illi authores non videntur assecuti fuisse earum Synodorum mentem: Neque enim illis Synodis definitur matrimonia de quibus agunt, esse irrita, sed hoc unum statuunt, nempe ea non esse omnino insolubilia, seu supponunt ea esse vera, sed non rata, ut agentes de vinculo matrimonii docuimus. 2. Cum laudatæ Synodi sint Ecclesiarum particularium, toti Ecclesiæ leges præscribere non potuerunt. 3. Non loquuntur de Gentilibus, sed tantum de Judæis, utpote post promulgatum Evangelium, cæteris infidelibus pertinacioribus; quorum proinde conversio, minus quam aliorum, sperari possit.

Quæres utrum Catechumeni computari debeant inter infideles cum quibus baptizati multis abhinc sæculis valide nubere non possunt.

Respondeo 1. olim non validas modo sed etiam licitas fuisse nuptias baptizatorum cum Catechumenis. Id vero probari potest 1. ex eo quod antiquitus multi viri pii, baptismi receptionem in provectam ætatem distulerint, ut in Constantino Magno, Valentiniano juniore, S. Ambrosio videre est. At verisimile non est tunc Ecclesiam prohibuisse baptizatis, ne cum illis viris alioquin piis nuberent. Ostenditur 2. ex canone 67. Concilii Agathensis quod anno 506. habitum est: *Quoniam* (inquit) *non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias dare, sed potius accipere; Si tamen profitentur Christianos futuros esse se & Catholicos*. Patres Agathensis Concilii hæreticorum nomine etiam infideles intellexisse videntur, cum Christianos a catholicis distinxerint: hæretici enim Christiani sunt, sed non Catholici, Gentiles vero nec Christiani, nec Catholici.

Resp. 2. disciplinam antiquæ oppositam multis ab hinc sæculis invaluisse, ita ut nulla censeantur nunc matrimonia, quæ baptizati cum Catechumenis inierint. Ratio mutationis hujusmodi petitur ex eo quod licet Catechumeni in voto sint Christiani, nondum tamen subjacent Ecclesiæ legibus, de iisque dici potest illud Pauli: *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* unde in causis matrimonialibus judicium Ecclesiæ possunt declinare; quod quidem non levi damno esset baptizatis, cum quibus matrimonium iniissent: Merito igitur Ecclesia baptizatos reddidit inhabiles, ut cum illis matrimonium contrahant.

ARTICULUS TERTIUS.

De Matrimoniis Catholicorum cum Hæreticis.

QUæremus 1. Utrum matrimonia Catholicorum cum hæreticis sint illicita. 2. Utrum valeant. 3. Quo jure prohibita sint.

Conclusio 1. Illicita sunt Catholicorum cum hæreticis matrimonia.

Probatur 1. Ecclesia nuptias ejusmodi in suis Conciliis prohibuit, 1. quidem in Oriente; Hæc enim habet Laodicenum Concilium quod anno 314. celebratum est: *Quod non oporteat indifferenter Ecclesiasticos fœdere nuptiarum hæreticis suos filios, filiasque conjungere*. Sic etiam Concilium Chalcedonense canone 14. loquitur de filiis, quos Lectores aut Cantores conjugati genuerint: *Sed neque hæretico, vel Pagano, vel Judæo, matrimonio conjungere, nisi utique persona quæ orthodoxæ conjungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat*. 2. In Occidente eadem lex lata fuit, hæc habet canon 16. antiquæ Synodi Eliberitanæ in Hispania. *Hæreticis, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas puellas; Sed neque Judæis, neque hæreticis neque schismaticis dari placuit, eo quod nulla possit esse societas fidelis cum infideli: Si contra interdictum fecerint parentes, abstinere per quinquennium placet*. Idem edixit Concilium Carthaginense III. *Item* (inquit cap. 12.) *placuit ut filius & filia Episcoporum vel quorumlibet Clericorum, Gentilibus, vel hæreticis, aut schismaticis matrimonio non jungantur*. Hæc etiam habet canon 67. Concilii Agathensis: *Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & filios, vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profitentur Christianos futuros esse se & Catholicos*. In Oriente Concilia tum Laodicenum, tum Chalcedonense, non loquuntur expresse de omnibus omnino Catholicis, sed tantum de Ecclesiasticorum filiis; forte enim propter multitudinem hæreticorum quæ tunc ingens erat, laudatæ Synodi tantum crimen tolerare, seu exterioribus pœnis non castigare coactæ sunt. Castigarunt tamen in Clericis qui filios aut filias hæreticis nuptui traderent, quod Clerici cæteris exemplo esse debeant, ac ejusmodi nuptiarum indignitas in parentes Clericos refundatur.

Probatur 2. variis rationibus. Prima ratio petitur ex apostasiæ periculo quod quidem imminet magis ex hæreticorum, quam Gentilium consortio: *Cum heresis* (inquit Estius) *pessimum sit infidelitatis genus, eoque minus conjugia cum iis permitti debeant quo & periculosior est cum illis conversatio, & difficilior eorum conversio*. Id sensit & advertit Concilium provinciale Burdigalense celebratum anno 1583. sic enim loquitur cap. 15. *Experientia compertum est etiam ea Catholicis non paucos talibus matrimoniis a fide orthodoxa defecisse*. — Altera ratio sumitur ex periculo quod imminet, ne nascituri ex illis nuptiis filii, alterius ex parentibus hæresim doceantur: quod quidem maxime repugnat fini quem Catholici sibi debent proponere. *Propagatio itaque filiorum* (ait Augustinus lib. 2. de adult. conj. cap. 12.) *ipsa est prima, & naturalis, & legitima causa nuptiarum*. Sed alter finis quem nubentes præ oculis habere debent, is esse debet ut filios non generent in peccato, nisi ut eos regenerent in gratia. *Illam concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit adversus spiritum* (inquit idem Augustinus lib. 1. de nup. c. 4.) *in usum justitiæ convertunt fidelium nuptiæ. Habent quippe intentionem generandi regenerandos, ut qui ex eis sæculi filii nascuntur, in Dei filios renascantur*. Ex eo autem principio idem S. Doctor hanc elicit conclusionem: *Quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine, generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Christi, sed infideles parentes de infideli prole glorietatur, etiamsi tanta sit observantia, ut secundum matrimoniales tabulas non nisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia conjugalis*. — Tertia ratio petitur ex rixis & querelis: quas cultus disparitas inter conjuges, nata est parere. Eæ autem querelæ secundario nuptiarum fini repugnant.

Conclusio 2. Valent Catholicorum cum hæreticis matrimonia.

Probatur. Catholicorum nuptias cum hæreticis nullum jus irritas fecit; non quidem naturale: nam in lege naturæ diversitas religionis non erat matrimonii dirimens impedimentum, cum scriptura mulieres idololatras, quas Esau duxit, illius uxores appellet: Non etiam divinum: dato enim quod hæc Pauli verba, *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, complectantur prohibitionem divinam non nubendi cum iis, qui disparis sunt cultus; illa tamen prohibitio non constitueret impedimentum dirimens, ut patet in voto simplici castitatis. Non denique Canonum, tum quia nullibi Concilia decernunt catholicos, qui cum hæreticis copulati fuerint, debere ab iis separari; tum quia nusquam legitur quod sub pœna nullitatis hujusmodi connubia vetita fuerint.

Conclusio 3. Non est improbabilis sententia Theologorum, qui asserunt jure divino vetita esse matrimonia Catholicorum cum hæreticis.

Probatur. Non est improbabilis eorum sententia qui docent hæc Pauli verba de vidua: *Nubat tantum in domino*, nec non hæc alia: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, continere divinum præceptum non nubendi cum iis, qui disparis sunt cultus; ita enim illa loca multi Patres interpretati sunt. *Certe* (inquit Tertullianus libro 5. contra Marcionem cap. 13.) *præscribens tantum in Domino esse nubendum, ne qui fidelis ethnicum matrimonium contrahat, legem tuetur creatoris, Allophylorum nuptias ubique prohibentis*. Idem sensit Hieronymus, libro 1. contra Jovinianum cap. 5. ubi hæc scribit: *Qui secundas tertiasque nuptias concedit in Domino, primas cum ethnico prohibet*. Idem docet author commentariorum in Epistolas Pauli qui inscribitur Ambrosii nomine: *Tantum in Domino, hoc est, ut sine suspicione turpitudinis nubat, & Religionis suæ viro nubat; hoc est in Domino nubere*. Theodoretus idem tamquam multum probabile tuetur: postquam enim retulit Chrysostomi explicationem, de qua nos supra, oppositam, quæ aliorum est Patrum, hisce verbis recenset: *Tantum in Domino, hoc est, fideli, pio, modesto, & honesto*. Idem docuit S. Thomas: *Tantum in Domino* (inquit in illum locum) *id est, viro suæ religionis: nam in dispari cultu prohibitum est in lege matrimonium, Deu-*

te-

teronomii: 7. Idem Cajetanus sensit: *Tantum in Domino* (ait) *hoc est dummodo nubas Christiano. Hic est primus in novo Testamento textus prohibens inire conjugia inter dispares cultus.*

Non est quod quis dicat 1. Apostolum & laudatos Patres loqui tantum de nuptiis Christianorum cum ethnicis, non vero cum hæreticis. Nam 1. Theodoretus, S. Thomas, & Cajetanus censent Paulum a fidelium nuptiis alium omnem a Catholico cultum excludere. 2. Ratio propter quam Paulus nuptias cum ethnicis prohibuit, locum habet in hæreticis omnibus. *Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii* (inquit Cyprianus libro de Lapsis) *prostituere cum Gentilibus membra Christi, &c.* Hieronymus lib. primo contra Jovinianum sic pro solita sibi vehementia urget illud argumentum. *At nunc plerique contemnentes Apostoli jussionem junguntur Gentilibus, & templa Christi idolis prostituunt: Non intelligunt se corporis ejus partem esse, cujus & costæ sunt. Ignoscit Apostolus infidelium conjunctioni, quæ habentes maritos, in Christum postea crediderunt, non iis, quæ cum Christianæ essent, nupserunt Gentilibus, ad quas alibi loquitur. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Licet in me savituras sciam plurimas matronarum, licet eadem impudentia, quæ Dominum contempserunt, in me pulicem, & Christianorum minimum debacchaturas: tamen dicam quod sentio, loquar quod me Apostolus docuit, non illas justitiæ esse, sed iniquitatis; non lucis, sed tenebrarum; non Christi, sed Belial; non templa Dei viventis, sed fana & idola mortuorum.*

Nec est etiam 2. quod quis opponat authoritatem multorum scriptorum, qui docent conjugia inter eos, qui disparis sunt cultus, vetita fuisse a Paulo, non tamquam Apostolo, sed tamquam multarum Ecclesiarum rectore: ac proinde non juris divini, sed Ecclesiastici tantum esse prohibitionem de qua agitur. Nam licet eam interpretationem, agentes de matrimonio fidelium cum Gentilibus, cum Dominico Soto proposuerimus: tamen non est omnino certa, sed probabilis tantum; nec enim nititur fundamentis, quæ oppositæ expositionis probabilitatem tollant.

Probatur 2. Non est improbabile quod juri naturali repugnent matrimonia Catholicorum cum hæreticis: Quæcumque enim adhibeatur humana diligentia, semper in praxi periculum est, ne præ authoritate qua vir pollet in mulierem, eam pertrahat ad hæresim quam profitetur. Periculum erit semper, ne mulier hæretica suis illecebris viri sui alioquin Catholici cor ad hæresim emolliat. Periculum erit semper ne filii qui ex hujusmodi matrimonio nascentur, doceantur aut viri aut mulieris impietatem. 1. Evidens est illud periculum, cum pactum matrimonio præmittitur, ut masculi patris religionem, & fœminæ religionem matris profiteantur. 2. Id quoque certum est cum nullum omnino pactum præcedit: siquidem conjugum uterque uti conabitur jure, quod se habere putaverit, natos, & exemplo & verbo ad suum cultum pertrahendi; imo id sibi religioni ducet. 3. Periculum ejusmodi non præcavetur, licet ante nuptias ambo conjuges solemniter paciscant quod futura proles Catholicam fidem docenda sit: Nam si, antequam proles ad pubertatis ætatem pervenerit, mater Catholica excesserit e vivis, tunc haud dubie a superstite patre hæretico hauriet hæresim, eamque deinceps ad Patris exemplum profitebitur.

Probatur 3. Abstrahendo a periculo perversionis tam in conjuge Catholica, quam in futura prole, matrimonium Catholici cum hæretica videtur jure divino illicitum.

Et sane vel illud matrimonium erit Sacramentum novæ legis, vel simplex contractus.

Si eo in casu matrimonium sit Sacramentum, vel pars Catholica illud conferet hæreticæ, & vicissim illud ab ea recipiet, vel eadem Catholica pars sibi ipsi Sacramentum ministrabit, sicut & hæretica sibi (ut docet Ysambertus) vel denique Sacerdos, juxta sententiam quæ docet eum solum esse ministrum matrimonii prout est Sacramentum, illud utrique parti dispensabit. Si primum, pars Catholica Sacramentum conferet volenti permanere in excommunicatione, & in affectu peccati mortalis: ac proinde peccabit tam contra jus naturale tum contra divinum quæ vetant ne sancta impiis dispensentur: *Nolite dare sanctum canibus.* Si secundum, pars Catholica erit hæreticæ occasio dandi sibi ac indigne recipiendi Sacram. Id vero oppositum est charitati quam quisque jure naturali proximo debet, ac reverentiæ qua eodem jure in Sacramentum tenetur. Si tertium, Sacerdos in re maxime sancta communicabit cum excommunicato, dabitque Sacramentum homini habenti positivum & actualem affectum ad peccatum lethale: ac proinde reus fiet infractæ istius tum naturalis, tum divinæ legis: *Nolite projicere margaritas ante porcos.* E contra si matrimonium Catholici cum hæretica sit nudus contractus naturalis & civilis, ut est inter duos Gentiles, inde concludetur, quemlibet Christianum cum nubit non teneri jure divino contractum matrimonialem cum matrimonii Sacramento conjungere. At id falsum est: cum enim quisque indigeat speciali auxilio ad continendam intra debitos limites lascivientem concupiscentiam; ad servandam conjugi fidem; ad sanctam prolis educationem, & ad ferenda incommoda quæ jugo matrimoniali annexa sunt; debet recipere Sacramentum, quo, ex divina ordinatione, datur jus ad hujusmodi auxilia, alioquin, vel contemptus interpretativi, vel virtualis præsumptionis reus fiet. Præterea obtinuit semper in Ecclesia Catholica consuetudo hæc, ut nubentes benedictioni Sacerdotali se se subjicerent, sicque matrimonium ut Sacramentum est, a Christo institutum reciperent. Moris illius testis est Ambrosius epist. 23. ad Vigilium Episcopum Tridentinum, ubi sic loquitur: *Nam cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione Sacerdotali sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium dici, ubi non est fidei concordia?* Ejusdem moris observationem præscribit Tridentina Synodus Sessione 24. capite 1. de reformatione matrimonii ubi hæc habentur: *Quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ morem .... præterea eadem sancta Synodus hortatur conjuges, ut ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent.*

Objicies 1. Concilium Laodicenum de matrimoniis Catholicorum cum hæreticis, canone x. loquens adverbio, *Indifferenter*, utitur, supponens nimirum aliquo in casu ea esse licita, ac proinde non repugnare juri divino: *Quod non oporteat* (inquit) *indifferenter Ecclesiasticos fœdere nuptiarum hæreticis suos filios, filiasque conjungere.* Concilium Chalcedonense eorum matrimoniorum facultatem facit si pars hæretica conversionem polliceatur: *Nisi atique* (ait can. 14.) *persona, quæ orthodoxæ conjungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat.* Ex illo igitur Concilio licet Catholicis nubere cum hæreticis in sua hæresi actu existentibus, si polliceantur se postea Catholicam religionem amplexuros: unde sequitur quod Concilium non habuerit rationem argumenti quod desumptum est ex ipso Sacramento, quod quidem (ut suppositum fuit) dari non debet homini qui in affectu peccati mortalis permanserit.

Resp. ad 1. in Concilio Laodiceno vocem illam (*Indifferenter*) non sumi pro re indifferenti, ita ut sensus sit non oportere Catholicos nubere cum hæreticis, quasi id sit res indifferens, seu quæ ex se nec bona sit, nec mala. Resp. ad 2. promissionem, de qua Concilium Chalcedonense, esse de præsenti: ita ut velit Synodus non licere cum hæreticis nuptias inire, nisi actu amplectantur fidem orthodoxam. Præterea loquitur idem Concilium de sponsalibus, non autem de ipso matrimonio, ita ut velit licere quidem Catholico convenire de futuris nuptiis cum hæretica, si conversionem polliceatur; non licere vero eas nuptias celebrare, antequam actu suam hæresim ejuravetit: sic enim laudatum canonem Zonaras exponit: *Quod* (inquit) *si fidem amplecti se velle hæreticorum quispiam aut infidelium*

pol-

polliceatur, cum eo pacisci de nuptiis, non tamen eas, antequam promissa impleverit, celebrari licere decernitur. Tradidit eamdem interpretationem Balsamon, hæc enim scribit in eumdem canonem: *Nisi utique prohibitæ personæ polliceantur a sua hæresi, vel superstitione recedere. Tunc enim si ad orthodoxam fidem accesserint, consequentur quoque nuptiæ*.

Objicies 2. Summi Pontifices nonnumquam dispensationes concesserunt Catholicis, ut cum hæreticis nuberent. Clemens Papa VIII. anno 1603. Bariensi Duci facultatem fecit ducendi in matrimonium Catharinam sororem Henrici IV. Gallorum Regis, hæreticam. Urbanus VIII. anno 1625. dispensavit Henricam Ludovici XIII. Francorum Regis germanam sororem, ut nuberet cum Carolo Anglorum Rege hæretico. Ergo nuptiæ hæreticorum cum Catholicis non sunt contra jus divinum aut naturale aut positivum: neque enim Summi Pontifices aut Ecclesia dispensare possunt in iis quæ jure aut naturali, aut divino prohibentur.

Antequam solvatur argumentum, observet lector 1. praxim dispensandi in casu de quo est quæstio, valde recentem esse in curia Romana; cum ante Clementem Papam VIII. nullum similis dispensationis exemplum proferri possit. Quod de Gregorio Papa XIII. nonnulli scribunt, eum scilicet cum duabus Catholicis mulieribus apud Grisones in Provincia Ecclesiastica Mediolanensi dispensasse ut eum duobus nobilibus hæreticis nuberent, nullo munitur instrumento publico cui tuto fides adhiberi possit. Observet 2. Clementem Papam VIII. quem ferunt primum ejusmodi dispensationis authorem in causa Ducis Bariensis, Lotharingi cum Catharina Henrici IV. Francorum Regis sorore multum difficilem se præbuisse in ea dispensatione concedenda. 1. Incassum petita fuerat a Duce Bariensi antequam contractum iniisset cum laudata Catharina quæ alioquin erat illius affinis intra quartum consanguinitatis gradum, constanter nimirum a Summo Pontifice denegata fuerat. 2. Petita iterum post mutuam Ducis Bariensis & Catharinæ cohabitationem, iterum negata fuit, *Ob periculum seductionis, ac perversionis* (inquit Spondanus ad annum 1600.) *& pravæ institutionis ac perversionis liberorum, rixarumque & odiorum, quæ facile inter conjugatos disparis cultus oriuntur*. 3. Concessa fuit ea dispensatio non per aliquod Breve quod ad eum finem Clemens VIII. conscripserit, sed per epistolam quæ de ejus consensu ad Episcopum Virodunensem conscripta fuit a Cardinalibus qui interfuerant Congregationibus, in quibus per quinquennium casus ille examini subjectus fuerat. 4. Ea dispensatio ea tantum lege concessa fuit, ut Rex Christianissimus & Dux Lotharingus darent operam ut Catharina Catholicam religionem doceretur: quam quidem post obtentam dispensationem, audituram se ipsa Catharina pollicita fuerat, ut patet ex epistolis quæ tum ad Summum Pontificem, tum ad Cardinalem Ossatium, tum ad Dominum de Bethune Oratorem Regium ea de causa conscriptæ sunt. Hæc alia etiam præscripta fuit conditio; Ut si quæ proles nasceretur ex eo matrimonio orthodoxam religionem profiteretur, quamvis alioquin Catharina, non habita ratione promissorum, permansura fuisset in hæresi. 5. Importunis ac iteratis precibus extorta illa dispensatio suo caruit effectu: quippe quod obierit Catharina antequam litteræ quibus continebatur, delatæ fuissent in Gallias. Casus ille accidit (ut refert Spondanus) die 13. Febr. ann. 1604. *Singulari* (inquit) *& inscrutabili providentia divina*. 6. Denique (ut jam laudati Spondani verbis utar) *importunitate fere magis, quam libera Clementis voluntate impetrata fuit illa dispensatio*. Velim lector iterum observet Urbanum Papam VIII. dispensasse cum Henrica Ludovici XIII. germana sorore, ut nuberet eum Anglorum Rege, quod speraret fore ut matrimonii illius beneficio Catholici in Anglia libertate conscientiæ fruerentur; sed res aliter evenit: imo post concessam illam dispensationem Catholici in Anglia graviores quam antea persecutiones passi sunt. Rex ipse a suis subditis postea damnatus fuit turpi & publica morte, Regina vero coacta fuit redire in Gallias, ut suæ filiorumque securitati consuleret. His præmissis:

Resp. laudatos Pontifices sic se gessisse secutos opinionem, quæ illis visa est probabilior: quamque tamen suo facto non definierint fuisse certam & veram. Unde praxis quam tunc, victi importunis rogantium precibus, secuti sunt, sententiæ contrariæ probabilitatem non destruxit. Hac autem solutione noluerim quis existimet damnari a me nuptias de quibus agitur, quæ cum Pontificia dispensatione celebratæ fuerint; hoc enim unum mihi propositum est, ut nimirum ostendam propositam a me sententiam non omni probabilitate carere.

Ex dictis hactenus infertur tutam in praxi non esse doctrinam Cabassutii, dum hæc scribit de matrimonio Catholicorum cum hæreticis Theoriæ & praxis juris canonici lib. 3. cap. 22. *In locis, in quibus hæretici constituunt populi partem notabilem, seclusо scandalo, & periculo perversionis possunt contrahi licet talia matrimonia sine speciali dispensatione, si gravis urgeat causa, sive privata, sive publica, qualis est conservatio pacis publicæ, quæ periclitetur ob bellum intestinum excitandum inter Catholicos & Hæreticos, si illi istorum fœdera aversentur .... in nostra quidem Gallia id potuit alias licuisse: jam vero cum sit admodum imminutus hæreticorum numerus, non sunt ejusmodi matrimonia permittenda, nec fieri posse videatur deinceps sine lethali culpa in hoc regno*. Monitum hic obiter velim lectorem in mox laudato Cabassutii opere esse nonnulla alia quæ tum ad mores, tum ad disciplinam pertinent quæ correctione indigeant: Non dubitamus vero quin ipse author, qui eximiæ fuit pietatis vir, ea emendaturus esset in altera editione, nisi morte præoccupatus fuisset.

Caput Septimum.

De vi quæ matrimonium impedit.

VIS, violentia, & coactio idem significant, sed cum hoc discrimine, quod duo prima dicantur etiam de rebus sensu carentibus, posterius vero, tantum de subjecto quod cognitione præditum sit. Coactio absoluta locum non habet in voluntate respectu actuum elicitorum: nulla enim vis extrinseca potest cogere voluntatem ad eliciendum actum amoris v. g. vel odii; secus vero coactio secundum quid; vis quippe externa potest efficere ut voluntas velit, quod alioquin non vellet. Hæc ultima coactio oritur a metu incusso ab aliqua causa extrinseca. Metus ille dividitur in gravem & levem: Ille est trepidatio mentis propter imminens malum aliquod arduum, ut sunt mors, verbera, dehonestatio per stuprum, & servitus; Iste vero est inquietudo voluntatis leve aliquod malum aversantis. Prior cadit in constantem virum; non autem posterior.

Conclusio. Metus gravis dirimit matrimonium, si cum istæ conditiones simul comitentur. 1. Si Profectus fuerit a causa extrinseca. 2. Si injuste fuerit incussus. 3. Si eo fine ut perficiatur matrimonium: extra vero illas circumstantias ipsum non dirimit.

Probatur prior pars. 1. ex jure Canonico. Duo cives Papienses petebant puellam, contendentes se cum illa contraxisse matrimonium; timebat autem illa, ne sibi vis inferretur, jussit Alexander Papa III. ut in tuto poneretur, lite pendente, hancque suæ definitionis rationem reddidit, extra de sponsalibus: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit; necesse est ut ubi assensus cujusquam requiritur, coactionis materia repellatur*. Idem evincitur ex capit. *veniens*, ubi consultus idem Pontifex de nuptiis a viro coacte initis cum puella, cum qua inventus fuerat post sponsalia celebrata & copulam habitam cum alia, sic respondit: *Si inveneris quod primam post fidem præstitam cognovit, ipsum cum ea facias remanere; alioquin secundæ, nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit, adhærere facias ut uxori*.

Ea-

Eadem veritas clare habetor capit. *significavit de eo, qui duxit in matrimonium*; ubi interrogatus Papa de quodam qui metu compulsus duxerat uxorem, & deinceps propria sponte cum altera contraxerat, hæc ait: *Si constiterit quod tanta vis eidem illata fuerit, quod non sponte in primum consenserit, propter hoc non dimittas, quin ad aliam, quam postea in uxorem accepit, revertendi liberam tribuas facultatem.* Cuique intuenti evidens est illa jura supponere matrimonium ex metu, de quo in conclusione, contractum noo valere. 2. Eadem prima pars ostenditur ex jure Civili, quo conjugium, de quo est quæstio, irritum declaratur.

Probatur altera pars. 1. Quod metus levis non dirimat matrimonium, ostenditur ex eo quod jura quæ mox relata sunt, de solo metu gravi loquantur. 2. Quod a causa extrinseca debeat oriri, colligitur ex eo quod eadem jura illius tantum metus meminerint qui exterius incutitur; hinc infertur valere matrimonium ex judicio medici initum tamquam unicum remedium ad recuperaodam sanitatem. 3. Quod idem timor debeat esse incussus eo fine ut nuptiæ, ostenditur ex eo quod alioquin timor sit non nuptiarum causa sed taotum conditio, quæ se laboranti offert ad evitandum grave malum: Ea de causa valide nubit qui propter æs alienum detentus in carcere, ut se eo libere, contrahit cum filia sui creditoris. 4. Necesse est ut idem metus injuste incussus fuerit, qui enim juste metum patitur, nulla afficitur injuria ex eo quod cogatur ad consensum matrimonialem; hinc colligitur valide nubere eum, qui laqueo damnator a judice, nisi corruptam a se virginem ducat in matrimonium.

Quæres 1. Utrum quovis tempore metus cadens in constantem virum fuerit matrimonii impedimentum dirimens.

Resp. affirmative. Nam 1. Jus gentium ubique semper observatum, postulat ut liberrime fiat contractus, qui nexum parit indissolubilem. 2. Canones & leges Civiles, cum loquuntur de impedimento, de quo agitur, illius non meminerunt tamquam rei, quam de novo statuerent, sed jam usu communi receptæ.

Quæres 2. An solo jure positivo, an etiam naturali, irritæ sint nuptiæ ex metu gravi injuste incusso initæ.

Respondet Estius post Scotum nonnullosque antiquos Scholasticos nuptias, de quibus agitur, irritas esse jure naturali; eo quod (inquit) postulet æquitas naturalis ut injuste coactus ad matrimonium, restituatur postea in suam priorem libertatem; At in eam non posset restitui, si initum ex gravi metu matrimonium, nexum indissolubilem peperisset. Respondet Dominicus Soto solo jure humano irritum esse matrimonium, de qoo est quæstio. 1. (inquit) Metus levis injustus, modo tamen sit alicujus momenti, non minus postulat restitutionem in integrum, quam gravis; ut patet in omnibus aliis a matrimooio contractibus: & tamen (addit) matrimonium non dirimit. 2. Ideo gravis metus facit irritum matrimonium, quia libertatem plurimum minoit: sed in quibusdam idem præstat metus levis ut patet in avaro, qui mallet servitutem triennalem pati, quam iugeotis pecuniæ jacturam facere, licet ejusmodi jacturæ timor irritum non efficiat matrimonium.

Hic monitos velim judices Ecclesiasticos summa cautione eos uti debere, antequam dirimant matrimonium, quod alter ex conjugibus per vim initum fuisse contendit: Expendendum est nempe sedulo, an violentiæ causa adhuc existat, aut utrum ab eo tempore quo desiit, pars quæ conqueritur, certa quædam consensus signa dederit: v. g. nulla debet haberi ratio querimoniæ mulieris quæ ab ubitu patris, a quo causatur quod violentiam passa sit, perdiu cum marito cohabitarit: ex ea scilicet pacifica cohabitatione non immerito conjicitur quod tandem io matrimonium cum viro vere consenserit.

Caput Octavum.

De impedimento Ordinis.

Hoc in capite agemus 1. de impedimento Ordinis, Subdiaconorum respectu, tum in Ecclesia Græca tum in Latina. 2. Dicemus de eodem impedimento respectu Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum. 3. Tandem quæremus num aliquando Minores ordines matrimonii usum impediernt. 4. An contractæ a Clericis nuptiæ quovis sæculo irritæ fuerint.

Articulus Primus.

De impedimento Ordinis cum in Ecclesia Græca, tum in Latina Subdiaconorum respectu.

Conclusio 1. Subdiaconi in Ecclesia Græca prohibiti semper fuerunt uxores dncere post suam orainationem: prohibiti quoque fuere prioribus sæculis iis uti quibuscum ante ordinatiouem nupsissent.

Probatur prior pars. Primo, hæc habet 27. canon ex iis qui Apostolis tribuuntur, quique disciplinam complectuntur quæ tribus prioribus sæculis apud Orientales obtinuit: *In nuptiis autem qui ad Clerum provecti sunt præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant: sed Lectores, Cantoresque tantummodo.* Iis igitur sæculis jam vetitum erat Subdiaconis ne conjugia celebrarent. 2. Eam disciplinam, quod esset Canonibus præscripta. Justinianus Imperator medio sexto sæculo confirmavit: *Sacris Canonibus* (inquit L. 45. cap. de Episcopis & Clericis) *neque Deo amantissimis Presbyteris, neque reverendissimis Diaconis aut Subdiaconis nuptias contrahere post hujusmodi ordinationem permittentibus, sed solis reverendissimis Psaltis & Lectoribus id concedentibus; animadvertimus quosdam despicientes quidem sacros canones, &c.* Idem Imperator suis sacerdotiis cadere voluit Clericos, Cantoribus & Lectoribus exceptis, qui nuptias inirent: *Si quis* (ait Novella 22. cap. 42. coll. 4. tit. 1.) *inter reverendissimos constitutus Clericos (ultra Cantorem & Lectorem dicimus) omnino contraxerit nuptias, hunc ex nostra constitutione cadere Sacerdotio constituimus, atque volumus.* 2. Concilium Quinisextum quod vertente septimo sæculo Constantinopoli habitum est in Trullo, hæc sancivit canone 6. *Quoniam in Apostolicis canonibus dictum est, eorum qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos Lectores & Cantores uxorem posse ducere; & nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur.*

Probatur altera conclusionis pars. Epiphanius in expositione fidei Catholicæ cap. 21. Subdiaconos includit Sacerdotali collegio: Ipsum autem collegium Sacerdotale scribit teneri apud Orientales continentiæ legibus: *Sacerdotium* (inquit) *ex virginum ordine præcipue constat, aut si minus e virginibus, certe ex Monachis; aut si minus Monachorum ordine, ex his creari Sacerdotes solent, qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. Secundis vero nuptiis implicitus, in Ecclesia ad Sacerdotium non admittitur, tametsi aut se se ab uxore contineat, aut sit viduus. Ejusmodi (inquam) ab Episcopi, Presbyteri, Diatoni, & Subdiaconi gradu rejicitur.* Idem Epiphanius hæresi 59. num. 4. conceptis terminis definit Hypodiaconis in Ecclesia Orientali impositam fuisse suo sæculo continentiæ legem: *Quia eum* (ait) *qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit Ecclesia; sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine se se continuerit, aut ea sit orbatus.* Eam vero disciplinam maxime cum Canonibus

co-

cohærere contendit: *Quod* (inquit) *in illis locis præcipue fit, ubi Ecclesiastici canones accurate servantur.* Objicit deinde sibi contrariam quorumdam locorum praxim; Sed statim reponit corruptelam esse quæ contra canones irrepserit: *Respondeo non illud ex Canonis authoritate fieri, sed propter hominum ignaviam quæ certis temporibus negligenter agere solet.*

Conclusio 2. Prioribus sæculis, Subdiaconi apud Latinos aliquibus in locis, sed non ubique, prohibiti sunt usu conjugii quod contraxissent ante suam ordinationem.

Probatur prior pars authoritate Concilii Eliberitani, quod quidem (si vera sit quorumdam sententia) cum non unius sit Provinciæ Concilium, sed collectio canonum qui variis in locis prioribus sæculis editi fuerunt, erat Codicis ad instar quo utebantur pleræque Occidentalium Ecclesiæ: Hæc autem habet canone 33. *Placuit in totum prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis, & non generare filios: Quicumque vero fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Hæc verba: *Subdiaconibus positis in ministerio*, ostendunt non ubique Subdiaconis in Occidente Concilii Eliberitani temporibus impositam fuisse continentiæ legem, sed iis tantum in locis ubi ad aras & ad vasa sacra propius accedebant. Statutum illud amplexa est Synodus Carthaginensis II. quæ habita est labente quarto sæculo: *Ita placuit* (inquit Canone 2.) *& condecet sacro-sanctos antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint, simpliciter quod a Deo postulant, impetrare; ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universis Episcopis dictum est: Omnibus placet ut Episcopi, Presbyteri, vel Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab uxoribus se abstineant.*

Probatur altera conclusionis pars, nempe apud Occidentales ubique Subdiaconos non fuisse prohibitos usu matrimonii quod contraxissent ante suam ordinationem.

I. Subdiaconi prioribus sæculis ubique non accedebant propius ad altare, nec contrectabant Sacramenta: non erat igitur cur iis in locis subjicerentur continentiæ jugo, cum ideo impositum sit quod ministrum non continentem aut sacra mysteria pertractare, aut propius ad aras accedere dedeceat.

II. Non extant Ecclesiastica monumenta quibus probetur omnibus in provinciis Subdiaconos continentiæ legi constrictos fuisse, per quinque priora sæcula: Imo proferri possunt quibus illos eo in capite sibi permissos fuisse demonstretur. Hieronymus in Apologia pro libris adversus Jovinianum omnino de Subdiaconis silet ubi loquitur de Clericis qui ad continentiam tenerentur: *Episcopi* (inquit) *Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in æternum pudici.* Hinc lux affulget generali isti ejusdem Hieronymi sententiæ, seu patet de quibus Clericis loquatur, cum adversus eumdem Jovinianum hæc scribit: *Quid facient Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt.* In Decretalibus tum Siricii tum Innocentii, quas articulo subsequente laudabimus, continentiæ lex infra Diaconos non extenditur: In Diaconis quoque subsistit in Conciliis cum Taurinensi quod anno 397. celebratum est, tum Carthaginensi V. ann. 398. hæc enim habet canone tertio: *Placuit Episcopos, & Presbyteros & Diaconos secundum propria statuta, etiam ab uxoribus continere .... Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere*: tum Toletano I. quod habitum est anno 409. tum denique Turonensi quod celebratum fuit anno 461.

III. Qui primus quosvis sine exceptione Subdiaconos quinto sæculo addixit continentiæ legi, est Leo Papa I. Epistola scilicet 84. quæ est ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap. 4. ubi hæc scribit: *Nam cum extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur ut & qui habent, sint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares.* Verum ubique effectum suum minime sortitum est illud Leonis decretum, siquidem Concilium Turonense I. quod post eam Decretalem habitum est, continentiæ vinculo (ut mox observatum est) non constringit Clericos qui infra Diaconos fuerint: *Id decrevimus* (inquit can. 2.) *ut Sacerdos, vel Levita conjugali concupiscentiæ inhærens, vel a filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat.* Altum est (ut patet) eo in canone de Subdiaconis silentium; In Galliis igitur nondum erat in usu mox laudata Leonis Magni Decretalis.

Conclusio. 3. Sæculis VI. VII. VIII. IX. varia circa Subdiaconorum continentiam Conciliorum decreta apud Occidentales prodierunt.

Probatur enumeratione. 1. In Galliis Concilium Aurelianense III. quod anno 538. habitum est, Subdiaconos illigavit continentiæ jugo: *Nullus Clericorum* (inquit can. 2) *a Subdiacono & supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriæ, si forte jam habeat, misceatur uxori. Quod si fecerit, deponatur.* Non obtinuit statim etiam in Provincia Aurelianensi decretum hujusmodi, nam Concilium Aurelianense IV. quod anno 541. coactum est, canone 17. Presbyteris quidem & Diaconis imponit continentiæ legem, sed Subdiaconorum nullatenus meminit: Octo tamen post annis, seu anno 549. Concilium Aurelianense V. regulam tertio Concilio præscriptam hisce verbis cap. 5. confirmat: *Si quis Clericus post acceptam benedictionem* (hoc est: Ordinationem) *cujuslibet loci vel ordinis ad conjugalem thorum jam sibi illicitum denuo redire præsumpserit, deponatur.* Concilium Turonense II. ann. 567. Subdiaconos non minus quam Diaconos & Presbyteros cœlibes esse supponit: *Si* (inquit, can. 19.) *inventus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, &c.* Idem sancitum est in Synodo Altisiodorensi: *Non licet* (ait can. 20.) *Presbytero post acceptam benedictionem in uno lecto cum Presbytera sua dormire, nec Diacono, nec Subdiacono.*

2. In Hispania, sæculis VI. VII. & VIII. plures quidem editi fuerunt canones contra Subdiaconos qui sui ordinis sanctitatem spurcitiis carnis commaculassent. Verum pauci sunt qui eos inter cœlibes coarctent.

Concilium Toletanum III. præcipit tum Presbyteris tum Diaconis ut continentiam profiteantur; Verum de Subdiaconis nihil simile statuit. Toletanum VIII. eos quidem Subdiaconos qui cum mulieribus peccassent, damnat pœnitentia per totam vitam in monasterio peragenda, sed vix potest definiri, an de propriis uxoribus, an vero de alienis mulieribus loquatur: Cumque ii Subdiaconi contenderent decreto quo Concilium Presbyteros & Diaconos, qui post ordinationem lapsi essent monasterio damnatur, non teneri quod benedictionem, dum ordinarentur, a Pontifice non recepissent, præscriptum est, ut data deinceps benedictione cavilli locus tolleretur: *Asserentes hoc sibi licere, quia benedictionem a Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde præcipimus ut cum iidem in Subdiaconos ordinentur, cum vasis ministerii benedictio eis ab Episcopo detur, sicut in quibusdam Ecclesiis tradit vetustas antiqua, & sacra dignoscitur consuetudo.* Continentia illigatos fuisse Subdiaconos in Hispania sæculo VII. colligit Thomassinus noster ex his verbis IX. Concilii Toletani Can. X. *Quilibet ab Episcopo usque ad Subdiaconum deinceps vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio in honore constituti filios procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur; proles autem tali nata pollutione, non solum parentum hæreditatem nusquam accipiat, sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ, de cujus Sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt.* Sed, cum hæc Synodi verba, *Detestando connubio*, intelligi possint de nuptiis quas aut Presbyteri aut mi-

ministri post ordinationem iniissent, vix canon explicari potest de filiis, qui ex legitimo matrimonio ante ordinationem inito procreati fuissent.

3. In Italia unus ac constans sæculis de quibus agitur, usus non extitit. Gregorii Magni tempore, Romæ cœlibatus lege Subdiaconi tenebantur. Sedis nimirum Romanæ exemplo utitur S. Pontifex, ut Subdiaconos Siculos continentia illiget: *Ad similitudinem* (inquit lib. 3. epist. 34.) *Sedis Apostolicæ*. In Sicilia autem antea morem illum non invaluisse demonstratur ex eo quod idem Gregorius lib. 1. Epist. 42. liberet Siculos a decreto quo prædecessor illius, insulæ quoscumque Subdiaconos continentiæ addixerat: *Ante triennium* (inquit) *Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerunt, ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur: Quod mihi durum atque incompetens videtur, ut qui usum continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari*. Operæ pretium est ut hic lector observet mortuo Gregorio Magno, vacillasse tum Romæ, tum in pluribus aliis Occidentalibus Ecclesiis legem de Subdiaconorum cœlibatu. Concilium Romanum quod anno 721. habitum est sub Gregorio Papa II. intorquet quidem canonibus s. 2. & 3. anathema in Presbyterorum, & Diaconorum uxores quæ se terrenis nuptiis implicuerint: Verum de Subdiaconorum mulieribus plane silet. Altum pariter de eis silentium in Synodo Romana quæ anno 743. habita est sub Zacharia Papa, quamvis legis de continentia tum Presbyterorum tum Diaconorum iterata fiat mentio. Addi potest quod idem Pontifex in canonum compilatione quam misit ad Gallos anno 744. solos Episcopos, Presbyteros & Diaconos continentiæ legi subjecerit, cæteros vero Clericos proprio permiserit arbitrio juxta canonem quinti Concilii Carthaginensis: *Qui Clerici* (inquit can. XI.) *etiam ab uxoribus abstinere debeant, ex Concilio Africano, capitulo III. ita continetur: Præterea cum de quorumdam Clericorum* (*quamvis erga proprias uxores*) *incontinentia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros, seu Diaconos, secundum propria statuta, etiam ab uxoribus continere: quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico officio removeantur. Cæteros autem Clericos* (nullum excipit) *ad id non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere*.

Ex dictis patet per mille priores annos unam eamdemque ubique non fuisse disciplinam circa continentiam Subdiaconorum: Verum post annum millesimum ubique apud Occidentales obtinuit praxis quæ nunc viget. In Concilio Melfensi quod anno 1089. habitum est sub Urbano Papa II. hæc statuuntur can. 12. *Eos qui in Subdiaconatu uxoribus vacare voluerint, ab omni sacro Ordine removemus, officio, atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum cœlibatu, tam in Ecclesia Græca quam in Latina.

Conclusio prima. Nusquam Episcopis, Presbyteris, Diaconis licitum fuit aut in Ecclesia Græca aut in Latina uxores ducere.

Probatur ex eo quod in utraque Ecclesia (ut superiore articulo demonstratum est) Subdiaconi ineundis nuptiis interdicti semper fuerint: Ergo a fortiori iis semper vetiti sunt in ordinibus supra Subdiaconatum constituti.

Conclusio secunda. In utraque tum Orientali, tum Occidentali Ecclesia nusquam licuit Episcopis, nec his etiam temporibus licet, uti conjugio quod ante ordinationem contraxerint.

Probatur primo ex Concilio Quinisexto quod quidem sic habet canone 12. *Porro hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa & Libya & aliis locis quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi Præsules cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant ex eo populis offendiculum & scandalum afferentes. Cum itaque studium nostrum.... nobis visum est ut nihil ejusmodi deinceps ullo modo fiat*. Secundo. Constat Græcas, & omnes alias Orientales Ecclesias nullum, his etiam temporibus, ordinare Episcopum nisi aut virgo sit, aut viduus, aut si uxoratus, continentiam polliceatur. Tertio. Non est necesse ut idem de Occidentalium Episcopis probemus; certo nimirum certius est eos quovis sæculo ab uxorum usu temperasse.

Conclusio tertia. Presbyteri & Diaconi sex prioribus sæculis ab uxorum, quas ante ordinationem habuissent; temperare jussi sunt, tum apud Orientales tum apud Occidentales.

Probatur prior conclusionis pars. Græci nullum textum proferre possunt, quo probent sex prioribus sæculis Presbyteris aut Diaconis factam fuisse facultatem utendi uxoribus quas ante suam ordinationem duxissent. Secundo. Aperte eis repugnant tum Epiphanius tum Hieronymus locis quæ hujusce capitis articulo priore laudata sunt. Obstat quoque tertius canon Concilii Nicæni I. quo prohibetur ne cum Episcopis, Presbyteris aut Diaconis ulla mulier commoretur præter matrem, sororem aut amitam: *Interdicit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est licere subintroductam habere mulierem: nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt*. Non recenset vero canon uxores aut Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum inter mulieres, quas secum retinere possunt: Licitus igitur non erat earum usus tempore quo sacra Synodus habita est.

Objicies primo Concilium Ancyranum quod celebratum est ineunte quarto sæculo, Diaconis qui, dum ordinarentur, contestati fuissent, se non posse ab uxoribus temperare, etiam post ordinationem ipsis eorum usum permittit: *Diaconi* (inquit can. IX.) *quicumque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerint velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: Hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt*.

Resp. primo quod, cum exceptio firmet regulam, probet allatum argumentum, idem non licuisse Diaconis qui de continentia, dum ordinarentur, tacuissent. Secundo. Temporaria fuit illa dispensatio, concessa nimirum propter ministrorum penuriam: unde nullum similem canonem legere est in Conciliis Orientalibus quæ sex prioribus sæculis habita fuerunt.

Objicies secundo. Socrates hist. lib. 1. cap. 18. scribit quod cum Nicænum I. Concilium eo propenderet ut ferret legem qua Episcopi, Presbyteri & Diaconi temperarent ab usu matrimonii quod ante suam ordinationem iniissent, Paphnutius contradixerit. Addit Concilium tantam habuisse rationem momentorum, quibus usus est, ut eam legem minime tulerit. *Verum* (inquit) *de una re a Paphnutio gesta hactenus: alteram etiam narrabo ejus consilio confectam, quæ & Ecclesiæ utilitati & omnibus qui sacris sunt initiati, ornamento esse possit. Visum erat Episcopis legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati (sicut Episcopi, Presbyteri & Diaconi) cum uxoribus quas, cum erant laici, in matrimonium duxissent, minime dormirent. Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire, in medio eorum consessu surrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus est; non grave jugum cervicibus illorum imponendum esse qui erant sacris initiati: honorabile esse conjugium inter omnes, & torum immaculatum: videndum, ne nimis exquisita præscriptione Ecclesiam gravi incommodo afficerent. Omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, tamque ab omni animi perturbatione vacuam: neque a singulorum uxoribus fortasse eam castimoniæ normam posse servari. Viri autem cum uxore legitima concubitum, castimoniam appellavit; illudque satis esse ut qui in Clerum ante ascripti erant, quam duxissent uxorem, hi secundum veterem Ecclesiæ traditionem, deinceps a nuptiis se ab-*

sti-

stinerent, non tamen quemquam ab illa, quam jam pridem, cum laicus erat, uxorem duxisset, sejungi debere. Istam in Episcoporum conventu orationem habuit Paphnutius, cum ipse non modo nuptias expertus non esset, sed etiam vere dixerim, mulierem numquam attigisset. Nam a puero in monasterio se ipsum severo vitæ, disciplinæque genere totum dederat: qui quidem propter singularem castimoniam, præ cæteris plane in magna fama celebritatis vixit. Itaque cum totus Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum conventus verbis Paphnutii assensisset, controversia de hoc exorta penitus sedata est, potestasque permissa cuique pro arbitratu ab uxorum consuetudine abstinendi. Sozomenus hist. lib. 1. cap. 22. iisdem pene verbis factum illud enarrat. Illud etiam describit Aurelius Cassiodorus in Historia tripartita lib. 2. cap. 14. Iis assentitur Nicephorus lib. 8. cap. 19. Ex ea autem historia patet primo legem de continentia eorum qui sunt sacris initiati, ipsis etiam Patribus Nicænis novam visam fuisse: *Visum erat Episcopis legem novam in Ecclesiam introducere*: Patet secundo ante Synodum Nicænam, Ecclesiam nihil simile præcepisse: *Illudque satis esse, ut qui in Clerum ante ascripti erant, quam duxissent uxorem, hi secundum veterem Ecclesiæ traditionem deinceps a nuptiis se abstinerent; non tamen quemquam ab illa quam, cum laicus erat, duxisset, sejungi debere.*

Respondent primo nonnulli cum Spondano, fictitium esse factum illud quod Socrates & Sozomenus enarrant, cum nullus e scriptoribus qui ante illos de rebus in Nicæno Concilio peractis scripserunt, illius meminerit, & cum non cohæreat cum ejusdem Synodi canone tertio.

Respondent secundo alii quod licet vera sit illorum historicorum narratio, nihil tamen hinc cœlibatus adversarii conficere possint: nam (inquiunt) intelligi debet de illis tantum Clericis qui dum inviti ordinarentur, contestati fuerunt se ab uxoribus temperare non posse. Diaconis qui sic se gessissent, aliquibus ante annis prospectum fuerat in Concilio Ancyrano can. x.

Respondet tertio Thomassinus noster Paphnutium hoc unum voluisse ne pœnis animadverteretur in Clericos, qui non abstinerent ab uxoribus quas ante suam ordinationem duxerunt, quamvis illi Clerici eo in capite canonum essent infractores. Cum vero Socrates addit *antiquam Ecclesiæ traditionem*, hoc tantum præcepisse ut sacris initiati a nuptiis ineundis prohiberentur, rem elocutus est, quæ in Paphnutii ore numquam fuerit. Sed ipsa Thomassini nostri verba quod perspicua sint, & argumentum adversariorum penitus elevent, placet hic subjicere: *Dicam* (inquit de Beneficiis part. 1. lib. 11. cap. 60.) *Socratis & Sozomeni, quibus authoribus hæc circumferuntur, non tantum esse authoritatis pondus, ut in re tanta, si quid soli dixerint, fidem extorqueant. Vera res fortasse fuerit quæ refertur, & in eo tantum aberraverit Socrates quod adjecit de suo. Potuit enim in Ecclesia Orientali ea fuisse tempore Concilii Nicæni incontinentium Presbyterorum, Diaconorumque multitudo, ut sapientissimis Præsulibus satius visum fuerit dissimulare immedicabile malum, quam resecando asperare. Idem de Conciliis Ancyrano, Neocæsariensi, Gangrensi dixeris; nihil adversus pestem hanc statuisse, quod curationis spem abjecissent omnem. Ubi vero Socrates dicit, antiqua Ecclesiæ traditione superioribus Clericis solum prohiberi ne matrimonium ineant, non autem initi usum interdici: jam ad Eusebium, ad Epiphanium, ad Hieronymum appello viros veterum Ecclesiæ consuetudinum Socrate longe peritiores. Hoc igitur Socrates loquentem inducit Paphnutium quod in ore numquam Paphnutius habuit. Potuit tum cum Concilio Paphnutius, & sequentibus sæculis potuit cum eo Ecclesia Græca tota judicare tolerandum id malum potius, quam aut Ecclesiam schismatis, aut ejusmodi Clericos periculo objicere incontinentiæ gravioris. Illud tamen ignorari non potuit, pravam hanc fuisse & degenerem consuetudinem qua prisci violarentur canones, & Ecclesiæ purior atque sancita ab Apostolis disciplina turparetur.*

Conclusio tertia. Græci post sæculum VI. cœperunt solis Episcopis, non autem cæteris ministris, cœlibatum præscribere.

Probatur 1. Nullis monumentis, quæ extent, Orientales ante sæculum septimum Presbyteris aut Diaconis fecere facultatem utendi matrimonio, quod ante suam ordinationem iniissent.

II. At corruptelam quæ pluribus in locis serpere apud eos cœperat, canone firmarunt Patres Concilii Quinisexti quod anno 692. habitum est. Primum Ecclesiæ Romanæ praxim referunt: *Quoniam* (inquiunt can. XIII.) *Romanæ Ecclesiæ pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos.* Deinde, usum, qui apud aliquos invaluerat, sic confirmant: *Nos antiquum canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes.* Inde colligunt arceri non debere a sacris Ordinibus eum qui cum uxore legitima cohabitat: *Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet.* Colligunt iterum ab iis qui ad sacros ordines promovendi sunt, exigi non debere cœlibatus professionem: *Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur; ut profiteatur se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo a Deo constitutas & sua præsentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur.* Detorquentes postea in sensum alienum Canonem Concilii Carthaginensis V. præscribunt ministris ut ministerii tempore a suarum uxorum usu temperent: *Scimus autem & qui Carthagine convenerunt, & vitæ ministrorum honestatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi & Presbyteri secundum proprios terminos a consortibus abstineant: ut & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter servemus, tempus in omni re trajicientes & maxime in jejunio & oratione. Oportet enim eos qui divino altari assident, in sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes, ut possint id quod a Deo simpliciter petunt, obtinere.* Tandem iidem Episcopi ausu temerario proscribunt Romanos apud quos (ut inferius dicetur) quovis sæculo contraria praxis obtinuerat: *Si quis ergo fuerit ausus præter Apostolicos canones incitatus aliquem eorum qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitima uxore & consuetudine privare, deponatur. Similiter & si quis Presbyter vel Diaconus suam uxorem pietatis prætextu ejecerit, segregetur, & si perseveret, deponatur.*

III. Corruptela illa firmata canonibus tam altas radices egit apud Græcos, ut a Concilio Quinisexto ad hæc usque tempora perduret. Eam IX. sæculo sic ex Concilii Nicæni canone tertio insectabatur Ratramnus Monachus Corbejensis, confutans argumenta quæ ab iis objecta fuerant Latinorum Ecclesiis: *Nam quisquis uxorem duxerit, non potest & præter uxorem alias etiam mulieres in domo non habere, quibus uxoria necessitas & cura domestica suppleatur. Ubi vero cunctarum interdicitur subintroductio fœminarum, præter omnino personas quæ careant omni suspicione, manifestum est quod interdicatur uxoria etiam copula, quæ nullo modo potest fieri sine reliquarum accessione fœminarum.*

IV. Eam Græcorum praxim, œconomiæ & pacis causa, tolerarunt Latini: Sic de ea loquitur Stephanus Papa II. apud Gratianum cap. *Aliter*, dist. 31. *aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi matrimonio copulantur* (hoc est, utuntur ante ordinationem inito:) *istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Hæc etiam habet Capit. *Ut Clericorum mores*, ex Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa III. *Qui autem secundum regionis suæ morem, non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo matrimonio uti possint* (hoc est) ut prius contracto. Idem Innocentius Papa III. capit. *Cum olim de Clericis conjugatis,*

tis, mandat Acheruntino Episcopo, ut filium cujusdam Presbyteri Græci, in Ecclesia Latina Cantoratu donatum, & electum a populo, in Episcopum promoveat, modo non obstiterit aliud: Nos (inquit) *attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit. Quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto &c.*

Conclusio tertia. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi semper apud Latinos jussi sunt temperare ab usu uxorum, quas etiam ante ordinationem duxissent.

Probatur primo. Iis omnibus canonibus quibus superiore articulo Subdiaconorum cœlibatum adstruximus.

II. Ambrosius conceptis terminis de Presbyteris & Diaconis agit Officiorum lib. 1. cap. ult. ubi sic eos alloquitur: *Inoffensum autem exhibendum; & immaculatum ministerium, nec ullo coitu conjugali violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugali, sacri ministerii gratiam recepistis. Quod in eo non præterii, quia in plerisque abditioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt: & id tamquam usu veteri defendunt, quando per intervalla dierum sacrificium deferebatur. Et tamen castigabatur etiam populus per biduum vel per triduum, ut ad sacrificium purus accederet.*

III. Præter Hieronymi textus, qui superius relati sunt, laudari possunt hæc illius verba, contra eos, qui ex veteri testamento Clericorum majorum incontinentiam tuebantur: *Si* (inquit in Epist. ad Ephes. cap. 1.) *Laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab uxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis, illibatas Deo oblaturus est victimas. Nisi audisset Abimelech, ab heri & nudius tertius vacasse ab opere conjugali, David & pueris ejus nequaquam panes propositionis concessisset. Tantum interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantum inter umbram & corpora.*

IV. Ita Augustini tempore cujusque oculis patebat majorum Clericorum continentia, ut eorum exemplo Sanctus Doctor utatur, ut Laicos coerceat, qui cum uxores propter adulterium dimisissent, alias volebant ducere, quod (inquiebant) non possent a mulierum usu temperare: *Solemus* (inquit, de adulterinis conjugiis lib. 2. cap. ult.) *eis proponere etiam continentiam Clericorum, qui plerumque ad camdem sarcinam* (hoc est, ordines sacros) *subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam, usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.*

V. Quandiu sæviit persecutio, nulla prodiere decreta quibus incontinentes post ordinationem Clerici castigarentur, quod nempe præ eximia eorumdem Clericorum sanctitate, casus aut raro, aut numquam acciderent. Verum ubi desiit persecutio, ac laxiores fuerunt Clericorum mores, pœnis coercendi fuerunt, ne post ordinationem procreandis liberis operam darent. Primum ea de re decretum latum est a Siricio Papa anno 386. in Epist. ad Himerium Tarraconensem: *Plurimos* (inquit cap. VII.) *Sacerdotes Christi atque Levitas, post longa suæ consecrationis tempora, tam de conjugiis propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento Sacerdotibus ac ministris generandi facultas dicitur attributa.* Ex iis ministris, de quibus interrogatus fuerat ab Himerio, nonnulli per ignorantiam lapsi fuerant, rati licere sibi jam ordinatis uxorum usum: aliis vero nulla ignorantia patrocinabatur, sed hac una excusatione nitebantur, quod prolis procreatio liceret veteris testamenti ministris. In priores hac animadvertit censura: *Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc quo detecti sunt, quamdiu vixerint officio perseverent, si tamen post hac continentes se studuerint exhibere.* Alios e contra non tantum superioris ordinis spe, sed ejus etiam, quo jam insigniti erant ministerio spoliat in perpetuum: *Hi vero qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi*

Juenin de Sacram.

asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ Sedis authoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Quo tandem loco habendi essent, qui deinceps laberentur, his verbis statuit idem Pontifex: *Et quia exempla præsentia cavere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, Presbyter atque Diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inventus, jam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.*

VI. Anno Christi 403. Innocentius Papa I. Siricii decretum confirmavit Epist. III. quæ est ad Exuperium Episcopum Tolosanum: *Proposuisti* (inquit cap. 1.) *quid de his observari debeat: quos in Diaconii ministerio, aut in officio Presbyterii positos incontinentes esse aut fuisse, generati filii prodierunt.* Qua quidem Exuperii quæstione patet Siricii decretum nondum tunc in Galliis fuisse promulgatum:) *De his & divinarum legum manifesta est disciplina, & beatæ recordationis viri Siricii Episcopi monita evidentia commearunt, incontinentes in officiis talibus positi omni honore Ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri.* Æquissimam esse legem illam hoc argumento demonstrat: *Est enim vetus admodum sacra legis auctoritas jam inde ab initio custodita, quod in templo anno vicis suæ habitare præcepti sunt Sacerdotes, ut servientes sacris oblationibus, puros & ab omni labe purgatos sibi vindicent divina mysteria: neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exercent vel cum uxore carnale consortium, quia scriptum est: Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Quibus utique propter sobolis successionem uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere. Quanto magis hi Sacerdotes & Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debent, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium, sine successione est, ne prætereat dies, qua vel a Sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent.* Desumit aliud argumentum ex Paulo: *Nam si beatus Paulus ad Corinthios scribit dicens: Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi: & hoc utique Laicis præcepit: multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.* Tandem perpetua suspensione & irregularitate eos damnat, qui post debitam Decretalis a Siricio editæ promulgationem a propriarum uxorum usu non temperassent: *Si qui autem scisse formam vivendi missam a Siricio detegentur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi: quia post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.*

Quæres 1. Quo se tum Episcoporum, tum Presbyterorum, tum ministrorum uxores reciperent post maritorum ordinationem.

Resp. 1. Variam fuisse in causa de qua agitur, disciplinam, etiam apud Græcos. Prioribus sæculis ministris, licet cœlibatum colerent, vetitum erat, ne uxores quas ante suam ordinationem duxissent, propria domo ejicerent: *Episcopus, aut Presbyter* (inquit quintus canon ex iis, qui Apostolis tribuuntur) *uxorem propriam nequaquam sub obtentu religionis abjiciat: Si vero rejecerit, excommunicetur: Sed si perseveraverit dejiciatur.* Concilium Quinisextum vetat e contra ne Episcoporum uxores retineantur: *Porro* (ait can. 12.) *hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa & Libya & aliis locis quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi Præsules, cum propriis uxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum afferentes.... Nobis visum est, ut nihil ejusmodi deinceps fiat.* Qua vero ratione decretum illud cum Apostolico canone concilietur, his verbis aperit Balsamon in duodecimum canonem Trullanum. *Ne contra Apostolicum canonem facere videantur, qui Episcopis cum suis uxoribus post ordinationem habitare permittit, inferunt* (Patres Concilii Quinisexti,) *quod non divinis Apostolis adversantes hæc decernunt, sed statum Ecclesiasticum in pulchriorem ordinem provehi volentes:*

proponendum hoc dicentes, quod divini quidem Apostoli, cum fides tantum inciperet, se in eos, qui ad fidem accedebant, ita gerebant, ut ad eorum imbecillitatem se magis demitterent. Cum autem Evangelii prædicatio sit nuper magis amplificata, oportet & Pontifices ad perfectam continentiam vitam suam dirigere. Si autem Episcopis cum propriis uxoribus habitare non permittitur, sed nec eis cum alienis uxoribus habitare conceditur, ut omne offendiculum amputetur. Lege Novellas, quæ Episcopos deponendos decernunt, qui cum quacumque muliere cohabitant.

Resp. secundo in Occidente Episcopos aliquandiu solitos fuisse proprias uxores in Episcopalibus ædibus retinere, sed remotas cubiculo, ad quod non nisi ministris testibus valerent accedere. *Episcopus* (inquit Turonensis Synodus II. canon. 12) *conjugem ut sororem habeat. Et licet Clericorum suorum testimonio castus vivat, quia cum in illo tam in cella, quam ubicumque fuerit, sui habitent, eumque Presbyteri & Diaconi, vel deinceps Clericorum turba juniorum, Deo auctore, conservent*: sic tamen &c. Varii conjugatorum Clericorum lapsus effecere postea, ut uxores eorum, qui ad sacros ordines promoverentur, includerentur in monasteriis. Id supponit tamquam praxim nono sæculo in utraque Ecclesia tritam, Ratramnus Monachus Corbejensis scribens adversus Græcorum oppositiones.

Quæres 2. Unde contigerit, quod apud Græcos conjugii usus Episcopis, non autem Presbyteris, semper vetitus fuerit: e contra vero quovis sæculo Presbyteri Latini eo interdicti fuerint.

Resp. id forte contigisse, quod apud Græcos prioribus sæculis omnia Sacerdotalia munia sibi Episcopi servarent. Soli fere baptismum administrabant, celebrabant mysteria, reconciliabant pœnitentes. In Ecclesia Latina frequentior fuit incruenti sacrificii per Sacerdotes oblatio: ac proinde cum quotidianæ virginalis hostiæ immolationi sæpius, quam apud Græcos tum Presbyteri, tum Diaconi darent operam, effectum est, ut strictiori cœlibatus lege obligati fuerint.

ARTICULUS TERTIUS.

Num initiati minoribus ordinibus quondam cœlibes esse debuerint?

Conclusio prima. Circa nuptias a lectoribus ineundas una non fuit semper Orientalium Ecclesiarum disciplina.

Probatur primo. Iis in locis ubi observabantur Apostolici canones, Lectores poterant nuptias post suam ordinationem inire: *In nuptiis autem* (verba sunt 27. canonis) *qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed lectores Cantoresque tantummodo.* Secundo. Facultas, quam Apostolici canones fecerant, sæculo v. in quibusdam tantum Ecclesiis obtinebat: *Quoniam* (inquit canon. 14. Concilium Chalcedonense, quod an. 451. habitum est) *in quibusdam provinciis concessum est lectoribus & Psalmistis uxores ducere, statuit sancta Synodus &c.* 3. Hodierna & universalis Græcorum praxis fert, ut lectores, si velint, nuptias etiam post suam ordinationem celebrent. Eam disciplinam Trullana Synodus jam ante restituerat.

Conclusio secunda. Mille prioribus annis, qui minoribus ordinibus essent initiati, matrimonio ante ordinationem contracto, uti potuerunt apud Latinos. Verum quibusdam in locis postea ipsis impositum est perpetuum continentiæ jugum: quod quidem non multo post relaxatum est.

Probatur prior pars ex eo, quod nullos canones reperire sit, qui Latinos Clericos infra Subdiaconatum constitutos uso matrimonii decem prioribus sæculis prohibuerint. Altera conclusionis pars ostenditur primo ex Concilio Augustano, quod anno 952. habitum est: *Episcopus* (inquit canon. 11.) *Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis statutum est, quia ministeria divina contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes ad continentiam cogantur.* Ostenditur iterum ex Ticinensi Concilio, quod anno 1020. sub Benedicto Papa VIII. celebratum est. *Si* (inquit) *Sacerdotes Legis Mosaicæ ad tempus abstinebant, qui ad tempus templo serviebant: cur Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & omnibus, qui sunt in Clero, jugiter non est abstinendum, quibus juge & verum est sacrificium.* Idem anno 1031. statutum est in Concilio Bituricensi: *Similiter* (verba sunt canonis 5.) *nulli de Clero permittimus deinceps uxorem, neque concubinam habere.* Intelligi vero debere canonem illum de Lectoribus, qui ministrarent in Altari: non autem de iis, qui psallerent in Choro, demonstratur ex eo, quod incontinentes Subdiaconi ad Lectores dejicerentur: *Supradicti autem in Choro tantum intrent ad legendum & cantandum, ad altaris vero ministerium nullatenus accedant.* Eadem præfixa fuit praxis in Concilio Tolosano ann. 1056. *Placuit* (inquit canon. 7.) *Presbyteros, Diaconos, & reliquos Clericos, qui Ecclesiasticos tenuerint honores, abstinere omnimodis ab uxoribus, vel reliquis mulieribus. Quod si non fecerint, honore simul & officio priventur, & a propriis Episcopis excommunicentur.*

Probatur tertia conclusionis pars. Concilia, quæ labente undecimo sæculo celebrata sunt, cum de Clericorum continentia loquuntur, majorum tantum Clericorum meminere. Tamen si uxores duxissent minores Clerici, suis spoliabantur beneficiis: *Accepimus* (inquit Alexander Papa III. scribens ad Episcopum Londinensem exeunte sæculo 12. seu circa annum 1176.) *quod plerique in tuo Episcopatu degentes, cum essent in Acolythatus officio & infra constituti, uxores duxerunt, & nihilominus Ecclesias, quas prius habebant, detinere præsumant. Unde quoniam &c.* Quin & paulo post Innoc. III. & Honorius III. omni etiam eos spoliaverunt privilegio Clericali. Verum in illud restituti sunt a Bonifacio Papa VIII. & a Concilio Palentino, quod habitum est in Hispania anno 1388. modo tamen bigami non essent, & vilibus non vacarent ministeriis, ac vestem Clericalem ac tonsuram deferrent: *Cum* (inquit Concilium cap. 3.) *in jure statutum existat, quod Clerici conjugati, qui cum unicis & virginibus contraxerunt, si tonsuram & vestes deferant Clericales, privilegium obtineant canonis ab Innoc. Papa II. editi, in favorem totius ordinis Clericalis & pro commissis ab eis excessibus vel delictis non possint a sæcularibus judicibus personaliter aut etiam pecunialiter condemnari.* Illud Bonifacii decretum Concil. Trid. confirmavit sess. 23. cap. 6. de reform. *In Clericis conjugatis* (inquit) *servetur Constitutio Bonifacii VIII. modo alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & Clericali habitu & tonsura utantur.* Fevretus in eo Tractatu, quem de *Abusu* inscripsit contendit nec laudatum Bonifacii VIII. decretum, nec Tridentini Concilii statutum, quidquam in Galliis virium habere.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum quovis sæculo Ordo fuerit matrimonii impedimentum dirimens?

Conclusio. Per mille priores annos inita sive a Latinis, sive a Græcis Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis matrimonia non fuerunt irrita. Jam vero nulla omnino sunt jure altero, quod post annum millesimum obtinuit.

Probatur prior conclusionis pars. Canones quibus per mille annos Clerici majores prohibiti sunt, ne post ordinationem inirent connubia, nullam omnino apposuerunt irritationis clausulam, nusquam jusserunt, ut qui sic nupsissent, separarentur ab uxoribus; sed tantum determinarunt pœnam, qua Clerici canonum infractores castigari deberent: eam autem pœnam prior canon Concilii Neocæsariensis minorem statuit ea qua, ex eodem Concilio, animadvertendum est in eos, qui in fornicationem simplicem lapsi fuerint: *Presbyter* (inquit) *si uxorem acceperit, ab ordine deponatur; Si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetra-*

petraverit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

Tantum abest ut matrimonia, de quibus agitur, Græcis irrita semper visa sint, quin post Justinianea, Trullanaque tempora nonnullis in locis apud eos (licet per errorem) habita sint tamquam licita, saltem si intra biennium ab ordinatione celebrareotur: *Consuetudo, quæ in præsenti obtinet, iis quibus matrimonio conjungi in aaimo est, concedit, ut antequam uxores duxeriat, Sacerdotes fieri possint, & deinde biennium ad perficiendam voluntatem jungi matrimonio volenti præstituit.* Verba sunt Leonis Sapientis, Græcorum Imperatoris, a quo præscripta fuit ea, quæ serpere iocœperat, novitas: *Neque enim* (inquit juris Orientalis Tom. 1. p. 481.) *dignum est, ut qui spirituali ascensu supra corporis abjectionem, & sordes evecti sunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur. Sed a diverso ut divinum ministerium ex corporis sordibus tamquam ia altum aliquem gradum conscendat, conveniendius fuerit.*

Probatur altera conclusionis pars anthoritate Concilii Lateranensis I. quod sub Callisto Papa II. anno 1123. habitum est. *Presbyteris* (ioquit canon. 21.) *Diaconibus, Subdiaconibus, & Monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi, juxta sacrorum canonum definitionem judicamus.*

Simile statutum latum est in Concilio Rhemensi, quod anno 1148. habitum est sub Eugenio Papa III. *Quia vero contiaentia* (inquit can. 7.) *& Deo placens munditia, in Ecclesiasticis personis & sanctis ordinibus dilatanda est sanctorum Patrum & prædecessoris nostri Papæ Innocentis vestigiis inhæreates statuimus, quatenus Episcopi, Presbyteri, Subdiaconi, regulares Canonici, Monachi, atque conversi professi, qui sacrum transgredientes propositam, uxores sibi copulare præsumpserint, separentur. Hujusmodi aamque copulationem, quam contra Ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab invicem separati pro tantis excessibus condignam pœnitentiam agant. Id ipsum quoque de sanctimonialibus, si, quod absit, nubere tentaveriat, observari præcipimus.* Asserunt mox laudati Pontifices se laudatis constitutionibus oihil novi statuere: Antea igitur irrita erant matrimonia, quæ majores Clerici post ordinationem contraxissent: Imo (ait Callistus) id decretum est *juxta sacrorum canonum defaitionem*: Sed lector advertat scriptos non fuisse illos canones, quippe qui sola consuetudioe Ecclesiastica, quæ per x. & xi. sæculum sensum invaluerat. Callisto & Eugenio adhæsit Concilium Lateranense III. quod anno 1176. sub Alexandro Papa III. celebratum est: *Nec hujusmodi conjunctio* (ait can. 6.) *matrimonium, sed contubernium est potius nuncupandum.* Subscripsit & Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit* (inquit contra Lutberanos, Calvinistas, cæterosque recentiores hæreticos, sess. 24. canon. 9.) *Clericos in sacris ordinibus constitutos..... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica...... anathema sit.*

Conclusio 2. Nullus sacer ordo jure naturali aut divino dirimit matrimonium, sed Ecclesiastico tantum. Unde in eo Ecclesia potest dispensare.

Probatur prior pars. 1. Nec in scripturis, nec in traditione extat jus divinum, quo conjugia contracta a Clericis, qui ioitiati sint sacris Ordinibus, dirimantur. 2. Ea matrimonia (ut mox ostensum fuit) per decem priora sæcula Ecclesia nullibi irrita declaravit. 3. Concilium Tridentinum eorum nullitatem ad solam Ecclesiasticam legem reduxit. *Non obstante* (inquit) *lege Ecclesiastica.*

Probatur altera pars ex eo, quod Ecclesia dispensare possit in legibus, quas ipsa sancivit. Ergo matrimonii celebrationem Clericis etiam majoribus potest indulgere.

Objicies. 1. Qui sacris Ordioibus initiantur votum solemne castitatis emittunt. At in senreotia S. Thomæ Ecclesia non potest dispensare circa vota solemnia.

Resp. 1. votum de quo argumeotum, esse simplex non vero solemne, licet solemni consecrationi annexum sit. Resp. 2. velle S. Thomam Ecclesiam non posse dispensare in voto solemni, quod est essentiale alicui consecrationi, ut revera consecrationi religiosæ essentialis est castitas. At cœlibatus non est hujusmodi respectu consecrationis Sacrdotalis, ei enim ex sola institutione Ecclesiastica est annexus.

Juenin de Sacram.

Objicies 2. Nuptiæ aut illarum post sacram Ordinationem usus, legi naturæ contraria esse videntur, quippe quæ maxime repugnet cum sacrorum ministrorum officiis, cujusmodi sunt offerre agnum immaculatum. Sacerdoti sacrificaoti ministrare; incumbere orationi; assidue meditari divinam legem; docere populos Dei verbum: ad ipsam virginitatem adhortari cum Apostolo. Nec est, quod quis dicat satis esse si Sacerdotes aliique ministri Levitarum antiquorum exemplo ab amplexu conjugali aliquot diebus tempereot antequam aut sacrificent, aut ministrent, aut concionentur; Nam effugium illud sic præcludit Innocentius Papa I. Epistola III. *Est vetus admodum sacra legis autboritas, jam inde ab initio custodita; quod ia templo anno vicis suæ habitare præcepti sunt Sacerdotes, ut servientes sacris oblationibus puri & ab omni labe purgati sibi vindicent divina mysteria, neque eos ad sacrificia fas sit admitti, qui exerceat vel cum uxore carnale consortium, quia scriptum est, Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester. Quibus utique propter sobolis successionem, uxorius usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi Sacerdotes, vel Levitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ servare debeat, quibus vel Sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent; Nam si beatus Apostolus ad Coriatbios scribit, Abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi, & hoc utique laicis præcepit, multo magis Sacerdotes, quibus & orandi & sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere.*

Resp. Probare objectum argumentum prohibitionem matrimonii aut illius usum fundamentum inchoatum habere in lege naturæ, in quantum oempe quidpiam, quod dedeceat, ouptiæ aut earum usus Clericorum majorum respectu includant. At non probat easdem nuptias aut earum usum esse quid ita malum, ut nullo in casu Clericis, de quibus est quæstio, per dispensationem licitum fieri possit. Dispensatio enim potest habere locum in iis, quæ licet aliquid, quod non omnino doceat, importent, non sunt tamen intrinsece mala.

Caput Nonum.

De impedimentis tum Ligaminis, tum publicæ honestatis.

Ligaminis impedimeotum definitur: Vinculum prioris sive consummati, sive rati tantum conjugii cum adhuc superstite conjuge; Eo vinculo jure naturali & divino sequens matrimonium dirimi ostensum fuit a oobis, cum de polygamia simultanea dictum est.

Naturale illud & divinum jus declaravit Nicolaus Papa I. respondens ad consulta Bulgarorum, hæc enim ait capite v. *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit.* Idem jus non Pontificum tantum, sed & Imperatorum decreta populis ferendum denunciaruot. Præstitit hoc Justinianus libro v. Codicis sui titulo IV. cap. II. *Neminem* (inquit) *qui sub ditione sit Romani nominis binas uxores habere posse vulgo patet, cum etiam in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sint, quam rem competens judex inultam esse non patiatur.*

Tantam illarum legum rationem habet Ecclesia, ut alterum matrimonium prohibeat, nisi cum adest certitudo moralis de morte prioris conjugis. Hujusmodi autem certitudo non habetur ex absentia multorum annorum, etiam ultra septennium, aut decennium,

neque ex sola fama, sed ex certis nuntiis, ut his verbis declarat jus canonicum capite *In præsentia*, de sponsalibus. *In præsentia nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causa captivitatis vel peregrinationis absentes ultra septeuuium præstolatæ fuerint, nec certificari possant de vita, aut morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis nequeant continere petentes aliis matrimonio copulari. Consultationi igitur tuæ taliter respondetur, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis non possint ad aliorum consortium canonice convolare: nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere donec certum nuncium recipiant de morte virorum.*

Publicæ honestatis nomine intelligitur propinquitas ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato non consummato proveniens.

Conclusio. Publica honestas fuit olim & est modo matrimonii impedimentum dirimens.

Probatur primo ex legibus civilibus. Ea quæ legitur in Digestorum lib. 23. de ritu nuptiarum, sic habet: *Inter me & sponsam patris mei nuptiæ contrahi non possunt, quamquam noverca mea, non proprie dicatur; sed & per contrarium sponsa mea patri meo nubere non poterit, quamvis nurus non proprie dicatur.* 2. ex Canonibus Gratianus causa 27. quæst. 2. laudat hoc Julii Papæ I. decretum: *Si quis desponsaverit uxorem vel subarrhaverit, & sive præveniente die mortis, sive irruentibus quibusdam aliis causis minime eam cognoverit, neque ejus superstes frater. neque allus de consanguinitate ejus eamdem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.*

Objicies. In appendice Lateranensis Concilii refertur ex quodam pontifice Benedicto hoc ad Gradensem Patriarcham rescriptum: *Utrum soror illius, quæ Joanni desponsata ante peractas nuptias obiit, illi eidem Joanni nubere possit? Censura Apostolica mandamus hoc absque criminis vitio posse, nam cur prohibeam quod aamquam prohibitum sacra Scriptura declaravit, sed neque mundanæ leges connumeratis personis, quibus inter se nuptias contrahere non licet, de hujusmodi aliquid dicunt negotio:* Ergo canones impedimentis dirimentibus publicam honestatem semper non accensuere.

Resp. Neg. conseq. Ratio est, quia fictitium est illud decretum, idque potest probari, primo ex eo, quod Benedictus I. ignorare non potuerit, quid de impedimento publicæ honestatis tum Canones, tum leges Imperiales statuissent. 2. Ejusdem decreti nullam omnino rationem habuerunt cæteri Pontifices, ubi de impedimento, de quo agitur, postulati fuere.

Quæres 1. utrum impedimentum publicæ honestatis sit perpetuum?

Resp. affirmative; neque enim definit per mortem desponsati, neque per liberam sponsaliorum dissolutionem. Responsio illa ex mox laudato caoone, *Si quis desponsaverit*, colligitur.

Quæres secundo intra quem gradum impedimentum publicæ honestatis nuptias dirimat(

Resp. 1. intra septimum gradum initas post impedimentum publicæ honestatis nuptias, irritas fuisse per duodecim priora sæcula; Ratio est, quia canones tunc editi & sancitæ leges definiunt nullum de consanguinitate ejus, qui contraxit impedimentum, posse nubere cum ea, cum qua celebrata fuerint sponsalia; At consanguinitas per illa sæcula ad septimum, usque gradum extendebatur.

Resp. 2. post Concilium Lateranense III. consanguinitatis gradus redactos fuisse ad quatuor tantum, proindeque post illud tempus impedimentum publicæ honestatis quartum consanguinitatis gradum non excessisse.

Resp. 3. post Concil. Trid. cui hac in parte mores nostri consonant, impedimentum, de quo agitur, si ortum sit ex sponsalibus, non excedere primum gradum, hoc enim decretum tulit sacra Synodus Sessione 24. cap. 3. de reformatione matrimonii: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant. Quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Quæ hactenus ex Concilio dicta sunt, intelliguntur tantum de justitia publicæ honestatis, quæ oritur ex sponsalibus, non autem de ea, quæ provenit ex matrimonio rato, illius enim solius meminit Concilium, non vero illius: unde illa ad quartum consanguinitatis gradum se extendit, quamvis illa sistat in primo. Ita Pius Papa V. decreto, quod incipit *ad Romanum* anno 1568. judicavit.

CAPUT DECIMUM.

De Affinitate.

AFfinitatis nomine intelligitur propinquitas, quam maritus contrahit cum consanguineis uxoris suæ, & uxor cum consanguineis mariti. Secundum canonicas leges illa propinquitas oritur ex sola copula carnali sive licita fuerit, sive illicita, *Si secundam divinam sententiam ego & uxor mea simus una caro*, (inquit Gregorius Papa apud Gratianum 35. qu. 5. can. Porro) *profecto mihi & illi mea suaque parentela propinquitas una efficitur*. Secundum civiles leges nascitur quoque affinitas ex matrimonio rato licet nequaquam consummato. Paragrapho *de gradibus* L. non facile Parag. *sciendum*.

Jura antiqua dividunt affinitatem in tria genera. Primum contrahitur cum consanguineis uxoris aut mariti; Secundum cum ea, quam maritus, vel cum eo, quem mulier postea ducunt: Tertium, cum ea quam secundus maritus postmodum assumit. Triplex illud affinitatis genus sic explicat S. Thomas scribens in Sententias: *Si Maria fratri meo sit matrimonio conjuncta, est mihi & sorori meæ affinis in primo genere, si autem fratre meo defuncto, eadem Maria nuberet Petro, Petrus foret mihi, & sorori meæ affinis in secundo genere. Si vero Maria defuncta, Petrus nuberet cum Anna, Anna efficeretur mihi affinis in tertio genere: Relictam consanguineorum uxoris suæ* (inquit Julius Papa apud Gratianum causa 35. qu. III. can. Et hoc quoque) *nemo in uxorem sumat*. Hæc etiam habet Gregorius Papa: *Novit prudentia tua, quia ita ab uxoris sicut a viri consanguineis abstinendum est*.

Tria illa affinitatis genera per 12. priora sæcula matrimonium dirimebant: Sed XIII. duobus posterioribus in Concilio Lateranensi IV. penitus sublatis, prius solum retentum est: *Cum* (inquit can. 50.) *prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter induecant, & aliquando periculum pariant animarum: ut cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, præsenti constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero libere copulentur.* Unde secundum disciplinam, quæ nunc obtinet, pater & filius possunt ducere matrem & filiam; duæ sorores nubere possunt cum duobus fratribus; frater & soror cum fratre & sorore: filius uxoris cum filio viri. Ratio cui innititur præsens illa disciplina est, quia affinitas affinitatem non parit; nec enim affinis uxoris est affinis viri, nec vicissim.

In affinitate, lineæ & gradus distingui solent: Eæ vero tum lineæ, tum gradus sumuntur ex lineis & gradibus consanguinitatis; unde mulier, cum qua contrahitur affinitas, est in primo gradu lineæ ascentium, si vir, qui est causa illius affinitatis, sit in primo gradu consanguinitatis lineæ ascendentium: Ea de causa Anna, cum qua meus pater secundo nupsit, est mihi affinis in primo lineæ ascendentium gradu.

De affinitate tria quæri possunt. 1. Intra quos gradus a mundo condito ad hæc usque tempora conjugia inter affines prohibita fuerint. 2. Utrum inita in quocumque gradu valuerint semper. 3. An ullus sit affinitatis gradus in quo Ecclesia dispensare non valeat.

Conclusio 1. In matrimoniis inter affines contrahen-

hendis, a mundo condito ad hæc oſque tempora, eadem ſemper obſervata non fuit diſciplina.

Probatur enumeratione. 1. In lege naturæ licita erant, ac valebant matrimonia, quæ inter affines in primo lineæ collateralis gradu contracta fuiſſent. Ratio eſt 1. quia culpandus eſſet alioquin Jacob, qui cognita Lia, poſtea tamen cum Rachele contraxit; ac habuit duas ſorores non ſucceſſive, ſed etiam ſimul uxores. 2. Ante promulgatam a Moyſe legem Judas Patriarcha præcepit Onam filio ſuo, ut accepta Thamar uxore fratris mortui, ſuſcitaret ei ſemen: *Dixit ergo Judas ad Onam filium ſuum: Ingredere ad uxorem fratris tui, & ſociare illi, ut ſuſcites ſemen fratri tuo*. Quod quidem cum Onam effudiſſet præ ſumma iniquitate, ſemine in terram, ſuſcitare noluiſſet, Judas eidem Thamar nurui ſuæ tertium filium pollicitus eſt, quem, cum non dediſſet, ſe cum ea injuſte egiſſe, poſtea confeſſus eſt: *Juſtior me eſt* (inquit Judas Geneſis 38. cum Thamar mox ob conceptum extra matrimonium fœtum, ad ſupplicium ducenda, obtulit Judæ baculum, armillam & annulum, quæ ab ipſomet, dum ab eo inſcio cognita eſt, acceperat, *quia non tradidi eam Sela filio meo*.

II. In lege ſcripta Matrimonium mulieris, cum ſui mariti fratre, non modo licitum fuit, ſed etiam preceptum, ſi ex eo liberos non genuiſſet, hæc enim legimus Deuteronomii 25. *Quando habitaverint fratres ſimul, & unus ex his abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris, & primogenitum ex ea filium nomine ejus appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Iſrael*. Potuiſſe & virum ſororem ſuæ conjugis defunctæ ducere probare videntur hæc Levitici verba: *Sororem uxoris ſuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente*: Ergo poſt illius mortem, id licitum fuiſſe videtur.

III. In lege Evangelica nuptiæ inter affines fuerunt illicitæ in iis gradibus, intra quos vitæ fuerunt inter conſanguineos, ut mox tum canonibus, tum legibus civilibus oſtendemus: Unde cum ad quintum uſque ſæculum licitæ fuerint inter conſanguineos in ſecundo collateralium gradu, ita & inter affines. Cum a ſæculo ſaltem ſexto uſque ad 13. prohibitæ fuerint inter conſanguineos in ſeptimo gradu incluſive, vetitæ etiam fuerunt intra eumdem affinitatis gradum. Tandem cum in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Papa III. gradus conſanguinitatis ad quartum incluſive, redacti fuerint, conſequens fuit, ut ad eum quoque affinitatis gradus reducerentur.

Concluſio 2. Matrimonia tum in lege naturæ, tum in lege Moſaica, tum in lege Evangelica, fuerunt irrita intra varios affinitatis gradus.

Probatur enumeratione. 1. In lege naturæ non valuerunt inita inter novercam & privignum, ſaltem vivente marito novercæ. Unde eo, quod Ruben cum Bala uxore Patris ſui ſeſe commiſcuiſſet (ut habetur Geneſis 35.) acerbam hanc a patre morituro maledictionem audiit Geneſis cap. 49. *Non creſcat, quia aſcendiſti cubile patris tui & maculaſti ſtratum ejus*. Nulla pariter fuerunt inter ſocerum & nurum, etiam defuncto iſtius marito, nam Judas Patriarcha, ut legitur Geneſis 38. licet deceptus, fruitus fuiſſet amplexibus Thamar nurus ſuæ, genuiſſetque ex ea Phares & Zaran; eam tamen non duxit in uxorem, ratus haud dubie ſe id valide non poſſe.

II. Tempore legis Moſaicæ, in linea recta deſcendentium affines inire non potuerunt conjugia: *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies, turpitudo enim patris tui eſt* (inquit Moyſes Levitici 18.) unde Adonias, qui ambierat nuptias cum Abiſaeh Sunamitide, quæ fuerat Davidis uxor, licet ex ea Adonias progenitus non fuiſſet, repulſam paſſus eſt a fratre legis obſervantiſſimo. In linea recta deſcendentium non valuerunt pariter nuptiæ inter affines in primo gradu: *Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui eſt*. In linea obliqua reſpectu aſcendentium non potuerunt quoque celebrari conjugia: *Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur*.

Juenin de Sacram.

Cenſet Hieronymus vetita quoque fuiſſe matrimonia patrui cum uxore nepotis mortui. Verum id Sanctus Doctor aſſeruiſſe videtur abſque fundamento: Sicut enim lex non prohibuit nuptias patrui cum nepte, ita nec cum uxore nepotis. Nec eſt, quod quis dicat eamdem eſſe rationem conjugii nepotis cum amita ac patrui cum nepte: Siquidem, ideo Moyſes vetuit, ne cum amita nuberet nepos, quod judicarit dedecere eum, qui per naturam inferior eſt amita, ipſi per matrimonium principari.

III. In lege Evangelica in recta linea aſcendentium invalidas ſemper fuiſſe nuptias inter affines initas oſtendunt hæc verba Pauli 1. ad Corinth. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat*. Canones quoque nullas declararunt celebratas in primo gradu lineæ collateralis, & poſt quartum ſæculum in iis omnibus gradibus, in quibus conſanguinitas erat impedimentum dirimens. Id videre eſt tum in Concilio Neocæſarienſi, tum in Epiſtola Canonica Baſilii ad Ampilochium; tum in reſponſis Gregorii Magni ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum; tum in aliis reſponſis Gregorii Papæ II. Gregorii III. Nicolai Papæ I. Concilii Lateranenſis IV. ſub Innocentio Papa III.

Leges Civiles de iiſdem inter affines matrimoniis multa ſanxerunt, quæ cum canonibus cohærent quam maxime. Hæc habet Codex Theodoſianus lib. III. titulo XII. *Imperatores Conſtantinus & Conſtans Auguſti, & Julianus Cæſar ad Volnſianum Vicarium Urbis. Etſi licitum veteres crediderunt, nuptus fratris ſolutis ducere fratris uxorem, licitum etiam poſt mortem mulieris aut divortium, contrahere cum ejuſdem ſorore conjugium; abſtineant hujuſmodi nuptiis univerſi, nec æſtiment poſſe legitimos liberos ex hoc conſortio procreari. Nam ſpurios eſſe convenit, qui naſcentur. Datum pridie calend. Maji Romæ Arbitione & Lolliano Conſulibus*, ideſt anno Chriſti 355. In eodem codicis libro lege III. hæc quoque habentur: *Imperatores Honorius & Theodoſius Auguſti Aureliano P. P. Tamquam inceſtum commiſerit habeatur, qui poſt prioris conjugis amiſſionem, ſororem ejus in matrimonium proprium crediderit ſociandam. Pari ac ſimili ratione etiam, ſi quæ poſt interitum mariti in germani ejus nuptias crediderit aſpirandum, illo ſine dubio inſecuturo, quod ex hoc contubernio, nec filii legitimi habebuntur, nec in ſacris Patris erunt, nec paternam ne ſui ſuſcipiant hæreditatem. Datum XVII. calend. Jan. Conſtantino X & Theodoſio VI. Auguſtis conſulibus*. Ideſt anno Chriſti 415. Libro Codicis Juſtinianæi lege 19 hæc etiam continentur: *Ex affinibus privigna, noverca, nuru, ſocru cæteriſque, quæ jure antiquo prohibentur, a quibus cunctos volumus ſe abſtinere*.

Concluſio 3. Eccleſia non poteſt diſpenſare in linea recta affinitatis; Sed id poteſt in linea collaterali, etiam in primo gradu.

Probatur prior pars. 1. In linea recta nuptiæ inter affines, v. g. inter ſocerum & nurum, inter generum & ſocrum, inter privignum & novercam juri naturali repugnare videntur. Unde advertit Paulus ſcribens ad Corinth. ea conjugia horrori etiam fuiſſe ipſis etiam barbaris. Unicum ſimilium conjunctionum exemplum proferri ſolet, Seleuci nimirum Regis Syriæ, qui (ut referunt Plutarchus in vita Demetrii, & Valerius maximus lib. 5. capit. 79 cum noviſſet filium ſuum periculoſe ægrotare ex amore vehementiſſimo, quo Strationicem novercam deperibat; eam ipſi nuptui dedit. Verum (ut advertit Cabaſſutius) connumerandum eſt factum hujuſmodi inter infamia barbarorum dedecora, quemadmodum & Perſarum libido, quibus liberorum cum propriis parentibus nuptiæ probari ſolebant.

Probatur altera concluſionis pars. Matrimonia quæ inter affines in primo lineæ collateralis gradu contracta fuerint, non repugnat juri naturali ut ſuperius oſtenſum fuit exemplis piorum hominum, qui tum in legem naturæ, tum in lege Moyſis duas ſorores duxerunt:) Nam repugnant pariter juri divino: per Evangelium enim abrogata fuit Moyſis lex in omnibus præceptis, quæ juri naturali non repugnant. Hinc infer-

fertur 1. Emanuelem Lusitaniæ Regem, ex dispensatione Alexandri Papæ VI. potuisse licite & valide nubere, ut revera successive nupsit, cum Elisabetta & Maria filiabus Ferdinandi Hispaniarum Regis. Infertur 2. Henricum VIII. Anglorum Regem immerito repudiasse Catharinam Austriacam, quamvis antea nupsisset cum Arturo germano ejusdem Henrici fratre; nam antequam iniretur illud conjugium, impedimenti Ecclesiastici, de quo agitur, dispensatio legitime obtenta fuerat a Julio Papa II.

Caput Undecimum

De Impotentia.

Impotentiæ nomine hic intelligitur ea, quæ impedit sexuum copulam, per quam duæ personæ commixto in vase mulieris semine una fiunt & eadem caro. Canones duplicem impotentiam distinguunt; Perpetuam, quæ scilicet tolli non potest citra miraculum, aut citra peccatum aut citra mortis periculum; Temporalem aliam, quæ arte humana aut Ecclesiæ remediis potest auferri. Ills iterum est duplex; Absoluta, quæ nimirum est respectu omnium; Altera vero respectiva per quam qui respectu unius impotens, est tamen potens alterius respectu.

Conclusio. Impotentia perpetua quæ matrimonium antecedit, ipsum dirimit; Secus vero, si ipsum, etiam non consummatum subsequatur.

Probatur prima pars ex eo quod matrimonium consistat essentialiter in mutua corporum traditione ad usum conjugalem, sive quatenus ad eum habent potentiam; ubi ergo ad illum usum est impotentia, stare non potest conjugium; sive ante nuptias partibus innotuerit, sive solum post earum celebrationem. Altera pars colligitur ex eo quod ea, quæ matrimonium subsequuntur, non impediant, quin validum antea fuerit, produxeritque vinculum omnino indissolubile.

Quæres 1. Quantum temporis spatium sit necessarium ad experiendum, num aliquis ex conjugibus sit impotens ad debitum conjugale?

Resp. leges civiles biennium cohabitationis primum præscripsisse, postea vero requisivisse triennium. Utraque responsionis pars ostendi potest ex Justiniano, qui sæculo sexto rexit Romanum imperium. Sic loquitur novells 22. *De nuptiis* cap. 6. *Per occasionem quoque necessariam & non irrationabilem distrahitur matrimonium, quando aliquis impotens fuerit coire mulieri; & agere quæ a natura viris data sunt: Si biennium quidem secundum de hoc a nobis pridem scriptam legem, transcurrat ex nuptiarum tempore; Ille vero quia pro veritate est vir non ostendat. Licebit enim mulieri aut ejus patribus disjungere matrimonium, & mittere repudium, vel si noluerit hoc maritus ... Hanc itaque legem corrigimus brevi quidem adjectione. Non enim biennium numerari solum ex ipso tempore copulationis, sed triennium volumus. Edocti namque sumus ex iis, quæ ante hoc provenerunt; quosdam amplius quam biennium tempus non valentes postea potentes ostensos ministrare filiorum procreationi.*

Idem temporis spatium probandæ impotentiæ indulserunt canonicæ sanctiones; omnium instar sit hæc edita a Cœlestino Papa III. titulo *de frigidis & maleficiatis*, cap. 5. *Laudabilem* & infra, *Requisivisti quantum temporis indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis & infra. Nos vero in præsenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium.*

Quæres 2. utrum mulier, ad quam vir juridice declaratus fuit impotens, ad alias cum altero viro nuptias transire possit?

Respondet Launoius in suo tractatu de Regia in matrimonium potestate Ecclesiam Romanam quoad caput de quo quæritur, eamdem semper disciplinam non servasse. Nonnumquam (ait) Pontifices Romani nuptias, de quibus est quæstio, prohibuerunt. Probat 1. ex Gratiano, apud quem causa 33. quæst. 1. sic loquitur Gregorius Papa I. qui initio septimi sæculi sedebat Romæ: *De his requisivisti qui ob causam frigidæ naturæ se dicunt non posse invicem operam carnis dantes commisceri. Iste vero, si non potest ea uti pro uxore, habeat quasi sororem. Quod si retinaculum jugale volunt rescindere, manebunt utrique innupti.* Probat 2. ex Stephano Papa secundo, qui cum anno 754. venisset in Gallias, in villa Carisiaco inter alia ad plures quæstiones responsa hoc unum dedit cap. 2. *Si quis se in conjugio copulaverit, & uni eorum contigerit, ut debitum reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro alia infirmitate, excepto si dæmonii infirmitas, aut lepræ macula superveniret. Cæterum si ab duabus infirmitatibus liberi fuerint invicem conjuncti, unus alteri servitium exhibeat.* Sed magni non sunt roboris illa duo allata a Launoio monimenta: Quod enim spectat ad primum, dicendum est Gregorium primum (si tamen ejus sit caput *requisivisti*, a Gratiano laudatum) loqui de conjugibus, qui ambo simili impedimento tenentur, ut videri potest ex initio decreti: Nam (inquit Estius) sub finem ejusdem decreti potestatem fecit mulieri post declaratam legitime viri impotentiam ad alias nuptias transeundi. Referenda sunt ipsamet Gregorii laudato capit. verba: *Quod si mulier causatur, & dicit, volo mater esse, & filios procreare, uterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis jurejurando dicat, ut nonnumquam per comixtionem carnis conjuncti, una caro effecti fuissent. Tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias. Humanum dico propter infirmitatem carnis eorum, vir autem, qui frigidæ naturæ est, maneat sine conjuge.* Quod pertinet ad aliud Launoii argumentum, dici potest Stephanum, cujus profert testimonium, loqui de conjugibus, quorum alter factus est impotens post celebratum jam ante matrimonium.

Respondendum est igitur ad quæstionem, Ecclesiam Romanam & alias omnes semper facultatem fecisse mulieri, ad quam vir est impotens, transeundi ad alias cum altero nuptias. Ostenditur veritas illius responsionis 1. ex Gregorio Papa II. qui ad Bonifacium Moguntinum Episcopum hæc rescripsit: *Quod proposuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quod ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret, sed quia hoc magnorum est, ille, qui se non poterit continere, nubat magis. Non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non detestabilis culpa excludit.* Ostenditur 2. ex Cœlestino Papa III. qui capit. *Laudabilem*, hæc ait: *Si nec tunc* (post triennium nempe) *cohabitare valuerint, & juxta decretum Gregorii, mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quod cum ea coire non possit; accipiat alium.* Ostenditur 3. ex libro vi. Capitularium Caroli Magni, quæ veterem Galliarum & Germaniæ disciplinam continent; Capitul. 55. hæc decernuntur: *Si vir & mulier conjunxerint se in matrimonium, & postea dixerit mulier de viro non posse nubere*, (hoc est, copulari,) *cum eo: Si poterint probare quod verum sit, accipiat alium, eo quod juxta Apostolum non potuit illi reddere suum debitum.*

Quæres primo qua ratione judicari possit impotentiam, qua matrimonium dirimitur, esse perpetuam?

Resp. a judicibus subsequentes regulas servari debere. 1. Patres audiri debeant ut ab eis incipiat causæ cognitio. 2. Decerni debet ut invisantur, maritus quidem per medicos & chirurgos juratos, mulier vero per matronas. 3. Si post visitationem aliquod circa impotentiam dubium supersit; Capit. *Laudabilem*, in jure Canonico præscribitur ut conjuges per triennium a die celebrati matrimonii numerandum cohabitent. 3. Si elapso triennio mulier de mariti impotentia adhuc conqueratur, Capit. *Accepisti. De frigidis & malefic.* præscribitur ut lis ad mariti jusjurandum componatur, & mulier, etiam

per

per censuras Ecclesiasticas compellatur ut cum eo cohabitet: Si tamen certo sciat maritum vere esse impotentem, ac perjurum, ad omnia supplicia & pœnas exteriores parata sit oportet potius quam subjicere se viri amplexibus; id nempe decernitur, Cap. *Inquisitioni*, *De Sententia Excommunicationis*. 4 Si post triennium uterque conjux alterius impotentiam confiteatur, tunc vel ab invicem separari debent, ubi tamen prius sacramento contestati fuerint matrimonium minime fuisse consummatum; vel debent consentire in castam cohabitationem quæ fratris ac sororis sit adinstar. Antiquitus ad eam, in Ecclesia præsertim Romana, compellebantur. Verum id multis ab hinc sæculis vix, propter pericula quæ imminent, potest indulgeri. In Hispania sub obtentu fraternæ cohabitationis eunuchi nubere solebant elapso proxime sæculo, verum id gravibus sub pœnis a Sixto Papa V. prohibitum est ne deinceps fieret, neve locorum ordinarii paterentur eunuchos illos cum uxoribus, quas videbantur duxisse, commorarentur. Hic monendus est lector vix in Galliis admissum fuisse usum de probanda per triennium impotentia, cum de ea actum est quæ ex frigiditate, non autem ex maleficio orta fuisset. Invaluerat usus alius, cum factum per medicorum ac matronarum relationem certo sciri non poterat. Congressus viri cum muliere coram tum medicis tum matronis decernebantur, non quidem vi legis alicujus aut Ecclesiasticæ, aut civilis, sed consuetudinis tantum. Verum publico Parisiensi Senatusconsulto quod die 18. Februarii ano. 1677. prodiit, ejusmodi medii usus plane sublatus est.

Quæres 2. Quid agendum sit si maritus qui per judicis sententiam declaratus est impotens, cum alia deinceps nupserit ac procrearit filios.

Resp. jus Canonicum Cap. *Laudabilem*; præscribere ut ad priorem uxorem redeat: Glossa in idem caput, ait id quidem fieri debere, si impotentia ex maleficio provenerit; eo quod ejus speciei impotentia non soleat esse absoluta, seu, non cum omnibus omnino mulieribus, sed respective tantum, seu cum certa quadam muliere: Secus vero si ex frigiditate orta sit; ubi enim ista unius mulieris respectu desierit, respectu aliarum omnium desiisse censetur. Nititur autem ea Glossæ distinctio Canone, *Si per sortiarias*, caus. 33. q. 1. In Galliis illa distinctio nusquam admittitur in praxi: Qui enim per impotentiam, cujuscumque sit generis, a priore muliere post judicis sententiam discesserit, nusquam ad eam redire sinitur: judex Ecclesiasticus qui reditum illum decerneret, provocationi quam vocant, *Ab usu*, præbere locum.

Quæres 3. Quid agendum sit, ubi occurrit impotentia per maleficium?

Resp. eam depelli non posse dæmonis invocatione aut illius ministrorum arte, sed pœnitentiæ laboribus ac Ecclesiæ precibus, Can. *Si per sortiarias* caus. 33. quæst. 1. Si autem maleficium tolli non potuerit post triennium, tunc conjugum separatio judicis authoritate decernenda est.

Quæres 4. Num senes inter impotentes accensendi sint.

Resp. nonnullos esse senes tam provectæ ætatis, ut consummando matrimonio omni ratione sint impares: hi autem, ut placet pluribus authoribus non ignoti nominis, verum ac ratum inire non possunt conjugium: unde Parochis incumbit ut diligenter eos hortentur ne in ea ætate nuptias ambiant.

Hæc satis sint de impotentiæ impedimento. Reliqua, quæ hic desiderantur, laicis & medicorum Scholis relinquimus, ea nimirum a Sacerdotum labiis, oculis & auribus procul esse ablegenda censemus.

CAPUT DUODECIMUM.

De raptu.

RAptus, de quo hic agitur, est abductio personæ invitæ, sive fiat ad explendam libidinem, sive contrahendum matrimonium. Raptum ubique fuisse semper matrimonii impedimentum dirimens, nemini est dubium, cum repugnet libero consensui jure naturæ requisito ad contrahendum conjugium. Sed difficultas est utrum persona rapta nubere possit raptori.

Conclusio. Nec Canonicæ nec civiles leges permittebant olim in aliquibus locis nuptias raptæ cum raptore, quamvis illa ejusque parentes ipsis consentirent postea: his vero temporibus permittuntur, ubi rapta in loco tuto & libero constituta eis præbet assensum.

Probatur prima pars 1. authoritate Concilii Aquisgranensis, quod laudat Gratianus c. 36. q. 2. cap. 11. *Placuit ut hi, qui rapiunt feminas vel furantur aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint.* 2. Authoritate Justiniani Imperatoris, qui libro 9. cod. titulo 13. hanc promulgat legem. *Nec sit facultas raptæ virgini vel viduæ, vel cuilibet mulieri sibi maritum exposcere, sed cui parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copulent matrimonio.* 3. Carolus Magnus lib. 6. Capitularium num. 95. sic statuit: *Si quis alterius sponsam, virginem & viduam, necdum desponsatam rapuerit, vel furatus fuerit: placuit ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, sive cum parentum ejus voluntate quocumque commerito ipsam accipere, vel tenere potuerit, numquam illam uxorem habeat.* Notandum est allatas hactenus leges non illicitas modo, sed irritas declarare nuptias raptoris cum rapta, etiam adveniente postea illius & parentum consensu: Inhabilem enim ad contrahendum cum rapta reddunt raptorem: *Quoniam* (inquit Justinianus) *nulloque tempore datur a nostra serenitate licentia eis consentire, qui hostili more in nostra republica student matrimonia sibi conjungere.*

Probatur secunda pars conclusionis ex jure novo promulgato in Synodo Tridentina; cujus disciplinam hoc in capite amplexa est Gallia, hæc sunt verba sessionis 24. de reform. matrimonii cap. 6. *Decernit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in raptoris potestate manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eum raptor in uxorem habeat.*

Quæres 1. quo sæculo raptus incœperit esse impedimentum dirimens matrimonium cum rapta etiam in tuto & libero loco deinceps constituta. 2. Quandonam idem impedimentum sublatum fuerit?

Resp. ad 1. ante quintum sæculum locum non habuisse impedimentum, de quo in quæstione. Ratio 1. quia Concilia ante illud tempus habita illius nusquam meminerunt, sed pœnæ tantum infligendæ mulierum raptoribus, excommunicationis nimirum. Pœnam illam his verbis recenset Synodus Chalcedonensis canone 17. *Eos, qui rapiunt mulieres sub nomine simul habitandi cooperantes, aut conniventes raptoribus decrevit sancta Synodus, ut siquidem clerici sunt, decidant gradu proprio; Si vero laici, anathematizentur.* Vim, etiam his temporibus habere antiquum illum canonem probat hoc Concilii Tridentini decretum cap. 6. de refor. matrimonii: *Nihilominus raptor ipse, ac omnes consilium, auxilium, & favorem illi præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si clerici fuerint de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Ratio est 2. quia nonnulli patres quarti sæculi nuptias, de quibus in quæstione, validas judicarunt. Hieronymus de

de illis hæc habet : *Tria legitima conjugia scriptis leguatur. Primum legitimum conjugium est, virgo casta in virginitate viro data legitime. Secundum, virgo in civitate deprehensa a viro, & illi per vim copulata, si potuerit pater ejus, dotabit eam iste vir, quantum judicaverit pater, & dabit pretium pudicitiæ ejus. Tertium, filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas patris, trahet eam a prædicto viro, & tradet eam alii, & dotabit eam, & legitima erit ei. Sed primum his duobus præfertur.* Hæc etiam Ambrosius in apologia David cap. 8. *Denique & puellæ pater illius, quæ vim concubitus nulli desponsata pertulerit, quinquaginta drachmas argenteas accipiet. Ipsa autem in conjugio permanebit.* Secuti sunt illi patres Deuteronomii legem cap. 22. *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.*

Resp. ad secundum : impedimentum, de quo agitur post undecimum sæculum desiisse; illius enim non habuerunt rationem Summi Pontifices in decretalibus epistolis jussu Gregorii noni promulgatis. Nec mirum, ab eo siquidem tempore pleræque ab Imperatoribus sancitæ de matrimonii impedimentis leges per non usum abrogari cœperunt.

Caput Decimumtertium.

De matrimonii impedimentis non dirimentibus.

QUinque vulgo recensentur impedimenta matrimonium non dirimentia his versibus contenta.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum.
Atque Catechismus, sponsalia, juncta votum.
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

De sponsalibus & de Catechismo suse Paragrapho præcedente egimus ; De tribus igitur reliquis, Ecclesiæ nimirum vetito, tempore feriato, & voto simplici superest dicendum.

Articulus Primus.

De Ecclesiæ vetito, quo matrimonium impeditur.

PER Ecclesiæ vetitum intelligitur nubendi prohibitio facta a legitimo judice servato ordine juris. Eam prohibitionem reddere nuptias illicitas, non vero irritas declaravit Alexander Papa III. Libro 4. decretalium capitibus 1. 2. & 3. titul. 16. *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ, Licet enim* (inquit scribens ad Episcopum Vigoriensem de puella, quæ desponsata uni viro, nupserat alteri post prohibitionem Archiepiscopi Cantuariensis) *contra interdictum Ecclesiæ ad serunda vota transire non debuerit, non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii dissolvatur : Alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt.*

Quæres primo utrum quovis sæculo Ecclesiæ vetitum matrimonii celebrationem reddiderit illicitam.

Resp affirmative. Ratio est quia in re tanti momenti, quanti est matrimonium, Christiani debuerunt semper obtemperare Ecclesiæ, quam si quis non audit, inter ethnicos & publicanos censeri debet, edicente hoc ipsum Christo.

Quæres 2. utrum tempore interdicti pœnalis illicita sint matrimonia?

Resp. apud eos, qui putant matrimonium a Christianis posse fieri absque eo quod sit Sacramentum, si nempe formam non proferat Sacerdos, quam volunt unicum esse illius ministrum, Respondeo (inquam) apud illos certum esse in casu, de quo est quæstio, non esse illicitum celebrare nuptias ; potest enim, præsente quidem, sed tacente Parocho, iniri tamquam contractus civilis.

Resp. 2. apud eos quoque qui volunt ambos contrahentes esse ministros matrimonii prout est Sacramentum, certum etiam esse illud posse iniri interdicti pœnalis tempore eo quod (inquiunt cum Cabassutio) ex primæva sui institutione non sit Sacramentum novæ legis; sed tantum per accidens & accessorie. Sed nullius omnino est ponderis illa ratio : matrimonium enim in nova lege non minus sacrum est, quam si a suæ institutionis initio Sacramenti rationem habuisset. Dicendum est igitur, ideo pœnalis interdicti tempore nuptias non prohiberi, quod nonnullis, iis nimirum qui continere non possunt, necessariæ sint necessitate præcepti divini. Ea de causa; hoc est, propter necessitatem, eo tempore de quo agitur, licitum est parvulis, & adultis catechumenis baptismi Sacramentum conferre. Advertendum est tamen non licere tunc solemnem in templo benedictionem nubentibus impertiri, ut docet Glossa in cap. fin. de Sent. Excommunic.

Articulus Secundus.

De temporibus quibus nubere non licet.

NON una fuit semper Ecclesiarum praxis circa tempora quibus aut nubere licuerit, aut a nuptiis temperare.

I. Laodicena Synodus quæ IV. ineunte sæculo habita in Oriente, hæc habet can. 52. *Quod non oportet in Quadragesima nuptias, vel natalitia celebrare.* Eam disciplinam nono sæculo commendavit in Occidente Nicolaus Papa I. respondens ad consulta Bulgarorum : *Unde* (inquit cap. 48.) *nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatenus arbitramur.*

II. Ilerdense Concilium quod, ex Antonio Augustino, habitum est sub Simmacho Papa, alia tempora recenset quibus nuptiarum celebratio prohibetur : *Non oportet* (inquit) *a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ, & ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit* (quoad torum) *separetur.* Concilium Salegunstadiense quod anno 1022. habitum est sub Benedicto Papa VIII. hocce tulit decretum capitulo III. *De legitimis autem conjugiis ita visum est, quod nullus Christianus uxorem ducere debeat, ab adventu Domini usque in octavas Epiphaniæ, & a septuagesima usque in octavas Paschæ, nec in supra notatis 14. diebus ante festivitatem sancti Joannis Baptistæ, neque in prædictis* (capitulo 15.) *jejuniorum diebus, sive in omnium solemnium dierum præcedentibus noctibus.*

III. Ubi elanguere tum fidelium charitas, tum amor pœnitentiæ, pia mater Ecclesia ad brevius spatium reduxit dies intra quos vetitum erat ne celebrarentur nuptiæ: Lex hæc Concilii Tridentini obtinet in toto Occidente : *Ab adventu Domini nostri Jesu Christi* (inquit sess. 24. cap. 10. de reform. matrim.) *usque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit ; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.*

Quæres 1. cur variis temporibus quæ mox relata sunt, prohibitum olim esset, nuptias celebrare?

Resp. 1. apud Græcos non offerri missæ sacrificium jejuniorum diebus, ac proinde nec celebrari conjugium; cum nec minus apud eos quam apud Occidentales, celebrari semper solitum fuerit intra missarum solemnia. 2. Nuptiarum solemnitas argumentum est lætitiæ, quæ (ut patet) cum jejuniorum diebus minime componitur. 3. Festis, quibus solemnia jejunia præmittebantur, fideles Eucharistia reficiebant sese, par igitur erat ut temperarent a nuptiis, quarum usu orationem impediri Apostolus edocuit.

Quæres 2. utrum facta pro certis anni temporibus nuptiarum prohibitio, intelligi debeat de sola earum solemnitate, an vero de ipsis nuptiis sumptis in se, seu secundum substantiam.

Respondet hisce verbis Cabassutius noster, juris

Ca-

Canonici Theor. & Prax. lib. t11. cap. 20. num. 8. *Plerique Doctores censent non prorsus vetari pro illis temporibus nuptias, sed tantum ista duo, benedictionem nuptiarum, & solemnem sponsæ ad ædes sponsi traductionem cum pompa, magno comitatu, vel choris & cauticis, eo quod Tridentinum capite x. non simpliciter nuptias celebrari prohibeat, sed enunciet nuptias solemnes, & solemniter celebrari prohibeat: & quia Glossa in caput,* Capellanus, *de feriis dicit quocumque tempore anni, ipsisque feriis, quibus nuptiæ fieri prohibeatur, posse contrahi sponsalia, & matrimonium quoque de præsenti, dummodo a solemnitatibus abstineatur. Ita Navarra, Sanchez, Coninch, Bonacina, admonens tamen sequendam hac in re esse locorum consuetudinem.* Verum, si quis ad argumenta, quæ in responsione ad præcedentem quæstionem prolata sunt, attenderit, haud difficili negotio judicabit vetasse olim Ecclesiam, & nunc etiam vetare, cum (ut patet ex Concilio Trid.) antiquas prohibitiones confirmet, celebrationem nuptiarum, quæ etiam absque solemnitate contrahantur. Præterea benedictio nuptiarum inter illius solemnitates recensetur. At non licet inire nuptias nisi benedictio Sacerdotis intervenerit.

ARTICULUS TERTIUS.

De castitatis voto simplici respectu matrimonii contrahendi,

QUæ ad simplex castitatis aut monachismi votum pertinent, breviter hic perstringenda sunt.

I. Catholicis omnibus persuasum est eum peccare graviter qui post emissum votum de quo agitur, init nuptias. Et quidem merito; nam Paulus 1. ad Timoth. 5. asserit viduas quæ post votum nubere voluerint, damnationem sibi acquirere quod primam fidem irritam fecerint. Non actuale conjugium tantum, sed ipsum etiam conjugii propositum Hieronymus damnat lib. 1. adversus Jovinianum: *Voventibus* (inquit) *non solum nubere sed etiam velle nubere damnabile est.* S. Augustinus gravi peccato vertit Comiti Bonifacio quod post votum castitatis uxorem duxisset: *Uxorem autem* (inquit Epist. 70.) *non duxisses, nisi susceptam deserens continentiam, concupiscentia victus esses: Quod ego cum comperissem, fateor miratus obstupui... Tu eam post illa verba, Tubunensia ducere non debebas.* Comitem Augustinus Monachismi voto exeruerat sub obtentu publicæ tum Ecclesiasticæ tum civilis utilitatis: *Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei Monachi vivunt. Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi Ecclesiis quod agebas, si ea sola intentione ageres, ut defensæ ab infestationibus barbarorum, quietam & tranquillam vitam agerent.* Sed eumdem Comitem a voto castitatis exemit numquam. *Tu eam ducere non debebas &c.*

II. Licet illicitum sit contrahere conjugium post emissum castitatis votum, separari tamen conjuges a communi toro non debent, nisi de consensu illius qui minime vovit: Unde id nequaquam erga Comitem Bonifacium tentavit Augustinus: *Sed ut te ad istam vitam non exhorter,* (inquit) *conjux impedimento est, sine cujus consensione continenter tibi non licet vivere: quia & si tu eam post illa verba Tubunensia ducere non debebas, illa tibi tamen nihil eorum sciens, innocenter & simpliciter nupsit.* Verum & si is qui vovit reddere debitum teneatur: *Sed cum illa agere non potes, serva saltem pudicitiam conjugalem,* non potest tamen petere, nisi prius dispensationem obtinuerit.

III. Hoc inter eum qui religionem vovit, & eum qui emisit simplex castitatis votum, intercedit discrimen, quod ille (ut mox dictum est, non possit conjugale debitum petere, quamvis petenti comparti illud reddere teneatur; ille vero petere possit: Nec mirum, non enim nisi in religione vovit castitatem. Uterque tamen, aut soluto per compartis mortem conjugio, aut superveniente consensu, aut fornicatione, voto adstrictus tenebitur.

IV. In omnibus (ut superius dictum est) matrimonii impedimentis tantum prohibentibus, Ordinarii dispensare possunt: penes enim eos est ejusmodi facultatis possessio: nec aliquis aut canon, aut usus Summo Pontifici eorum dispensationem reservavit. Excipi tamen debent sponsalia & votum perpetuæ castitatis & religionis. In sponsalibus nulla humana potestas dispensare valet, cum id absque damno tertiæ personæ, seu ejus quæ fidem oppigneraſſet suam, fieri non possit. Voti autem perpetuæ castitatis aut religionis, dispensationem jura reservarunt Papæ, ut patet ex Cap. *Cum multa de voto,* & ex constitutione Sixti Papæ IV. quæ incipit: *Etsi, Extrav. Commun. De pœnitentiis & remiss.* Advertant hic oportet Theologiæ candidati dispensationes quæ in votis concedi solent a Summis Pontificibus, non tam dispensationes esse quam declarationes quibus constat aut nusquam obligasse vota hujusmodi, quod nempe non sat mature emissa fuissent; aut desinere eorum obligationem, quod de novo quæpiam circumstantia acciderit, quæ, si prævisa fuisset, impediisset emissionem voti.

V. Præter matrimonii impedimenta prohibentia, quæ hucusque explicata sunt, plura alia referuntur. 1. Incestus cum conjugis consanguinea, Capit. *Transmisso, De eo qui cognovit consanguineam uxoris.* Qui illius criminis reus est, non potest debitum ab uxore petere, nisi prius cum ipso dispensatum fuerit. 2. Recensetur vis illata alterius sponsæ. Cap. *Statutum* 27. quæst. 2. Qui sic se gessit non potest impune contrahere matrimonium. 3. Occisio conjugis, ita ut homicida licite absque dispensatione Ecclesiastica nubere non possit. Cap. *Interfectores & Capit. Admovere 33. quæst.* 2. 4. Occisio Presbyteri, Cap. *Qui Presbyterum. De pœnitentiis & remissionibus.* 5. Conjugium cum moniali, cujus status & conditio non ignorentur: neque enim irritum est solum illud matrimonium, sed præterea qui illud inire tentarit, alterius conjugii spe frustratur in perpetuum, Cap. *De eo quod.* 30 quæst. 1. Recensetur sexto publica pœnitentia quandiu durat; seu, publice pœnitentibus non indulgetur matrimonium, *De his 33. quæst.* 2. Numeratur 7. susceptio propriæ prolis eo fine ut non reddatur debitum conjugale: nec enim in eo casu licet reo accedere ad uxorem, nisi peracta convenienti satisfactione. Recte monet Cabassutius noster relata criminis impedimenta non dirimentia, nullatenus recepta esse in Galliis, imo nec in plerisque aliis orbis Christiani Provinciis; testatur nimirum Navarrus sua ætate, etiam Romæ, a plerisque ejusmodi impedimentis non petitam fuisse dispensationem cum ipse Pœnitentiarii vices ageret, nisi aliquibus impedimentis dirimentibus conjuncta essent, aut nisi ex iis essent quæ matrimonii usum inter conjugatos impediunt.



QUÆSTIO OCTAVA.

De actu conjugii.

QUæremus hic 1. num in conjugii actu sit aliquid mali. 2. Quandonam actus conjugalis sit peccatum veniale. 3. Quandonam in eos quis mortaliter peccet. 4. An conjuges sint pares in debito conjugali. 5. Denique quibus temporibus temperandum sit ab actu conjugali.

Conclusio prima. Licet in actu conjugii sit aliquod malum, culpa tamen vacat cum sit aut procreandæ prolis, aut reddendi debiti causa.

Probatur 1. Quod in actu conjugali sit aliquod malum patet ex eo quod absque libidine exerceri non possit in statu naturæ corruptæ: ea autem libido in se mala est: quæ enim in Scripturis de concupiscentia dicuntur, illi plane conveniunt, quod v. g. legi tum Dei tum mentis adversetur; quod sit habitans

in

in nobis peccatum, lex membrorum, lex peccati; quod per eam earo concupiscat adversus spiritum; quod non sit ex patre, sed ex mundo. Confirmarur ex eo quod (ut ait Augustinus lib. 5. contra Julianum eap. 8.) in impetu libidinis neminem pia cogitatio subire possit, ea mens ita obtunditur, ut pios etiam conjuges fundendæ orationi ineptos efficiat, unde monentur ab Apostolo, ut ex consensu ad tempus ab illius actu temperent, ut orationi dent operam. 2. Culpa vacare actum de quo agitur, cum sit ad prolis generationem colligitur ex eo quod tunc referatur ad eum finem, ad quem matrimonium, cujus est actus, divinitus institutum est. Unde Deus non tantum ante peccatum in paradiso primis parentibus, sed etiam eorum posteris deleto per diluvium mundo actum conjugalem ad generandam prolem hisce verbis injunxit: *Crescite & multiplicamini*. 3. Eumdem actum esse liberum a culpa cum sit ad reddendum conjugi debitum, demonstratur ex eo quod tunc sit actus justitiæ quo alteri quod suum est redditur: *Nam vir* (inquit Apostolus) *non habet sui corporis potestatem, sed mulier*. Confirmarur ex Augustino qui variis in locis. & præsertim lib. de bono conjugali eapitibus 6. 10. & 11. suse hoc argumentum pertractat.

Conclusio secunda. Actus conjugalis aliquibus in casibus culpam habet venialem.

Probatur enumeratione. 1. Culpam habet eum exercetur solius voluptatis causa; tune enim voluntas revera obsequitur libidini, quæ (ut dictum fuit) in se mala est. Eam vero culpam esse venialem tantum ostenditur ex eo quod, cum sit intra matrimonii fines, non evertat ordinem justitiæ, neque rationi dominetur, nec ad damnabilia peccata pertrahat hominem. Confirmatur ex Innocentio Papa XI. a quo proscripta fuit hæc quorumdam recentiorum propositio. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsus caret culpa ac defectu veniali*. 2. In actu conjugii reperitur quoque culpa venialis quoties non exercetur ob alium finem nisi vitandæ fornicationis causa. Ratio est, quia in eo casu conjux obsequitur quoque carnis voluptati quamvis eam intra matrimonii limites coerceat. Apostoli est ea doctrina 1. ad Corinth. 7. nam ubi præmisit duplicem hanc sententiam: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat* (hoc est ea utatur) *& unaquæque suum virum. Revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram*. Hanc aliam subjungit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*; hoc est, indulget Deus cum quis in matrimonio obsequitur libidini propter bonum finem, seu ut vitet fornicationem. Ita textum illum exponit Augustinus in lib. de bono conjugali cap. 10. ubi hæc scribit. *Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus: Nam qui ambigat absurdissime dici, non eos peccasse quibus datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit qui fit per incontinentiam, non sola causa procreandi, & aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt sed ignosci impetrant*. Iis vero verbis mox hæc alia subjungit: *Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, & solus ipse nuptialis est: Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, cum non rationi, sed libidini obsequitur &c.* Eadem ratione S. Thomas textum illum Apostolicum interpretatur.

Nec obstat quod nonnulli objiciunt, nempe finem, saltem secundarium, matrimonii esse ut sit in remedium concupiscentiæ: Non obstat (inquam) Nam, ut recte advertit Estius, finis illius secundarius non est Dei instituentis, sed hominis utentis; cui videlicet usus hujusmodi secundum veniam, seu (ut loquitur Apostolus) secundum indulgentiam conceditur.

Conclusio 3. Plures casus recenseri possunt in quibus congressus etiam cum legitima conjuge, non caret culpa mortali.

Probatur enumeratione quam hic exscribemus ex Estio.

I. Congressus cum propria conjuge est peccatum mortale cum impedit tempora quæ debentur orationi: *Ut non impediantur* (inquit Scriptura 1. Petri 3.) *orationes vestræ*: Eodem spectant hæc Pauli 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*.

II. Peccat lethaliter cujus affectus intra affectum conjugalem non coercetur, seu qui ita commiscetur conjugi ut paratus sit eum ea explere libidinem, etiamsi conjux non esset. De iis hominibus hæc habet Angelus Tob. VI. *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se & a sua mente excludant & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos*. Eosdem homines sic urget Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. ult. *Nihil fœdius quam uxorem amare quasi adulteram*.

III. Peccato lethali se devinciunt qui uxori gravidæ cum fœtus, licet nondum animati, periculo commiscentur: *Imitentur* (inquit Hieronymus loco proxime laudaro) *saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios*.

IV. S. Bonaventuræ, Doctori Subtili, Alexandro Alensi, Petro a Soto peccare videntur lethaliter, qui cum muliere menstruata congrediuntur. Idem censuit Sanctus Thomas, illius saltem conjugis respectu qui debitum exposcit. Nituntur ii authores authoritate Scripturæ quæ Levitici 15. congressum illum inter flagitia recenset, constituto etiam supplicio mortis tam in eum qui reddit debitum quam in eum qui exigit: de ea vero prohibitione hæc habet August. lib. III. de peccatorum meritis & remiss. cap. 12. *Nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit quæ non figurate accipienda sunt*. Nituntur quoque Physicæ principiis, quibus (inquiunt) docemur prolem quæ a menstruata concipitur, seminis vitium contrahere: *Per singulos menses* (ait Hieronymus in cap. 1. Ezechielis) *gravia atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur. Quo tempore si vir coierit cum muliere, dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere, ita ut leprosi, & elephantiaci ex hac conceptione nascantur, & fœda in utroque sexu corpora parvitate, vel enormitate membrorum sanies corrupta degeneret*. E contra Cajetanus, Dominicus Soto, Franciscus a Victoria plurimique alii authores censent conjuges in casu de quo agitur, venialiter tantum peccare: Contendunt nempe prohibitionem quæ Levitici 15. legitur, ceremonialem esse, non vero moralem. Addunt falsum ab authoribus, qui contrarium sentiunt, supponi, scilicet conceptum ex menstruo semine fœtum, corrupti seminis vitia contrahere.

V. Mortaliter peccatur cum quis per immoderatum veneris usum, aut suæ, aut conjugi sanitati plurimum nocet, sive exigat debitum, sive reddat.

VI. Tandem conjugati fiunt rei peccati mortalis, cum usum naturalem mutant in eum qui est contra naturam, idest, in eum modum quo fœtus concipi non possit: *Nam* (inquit August. lib. de bono conjugali cap. XI.) *cum ille naturalis usus quando prolabitur ultra pacta nuptialia, idest, ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis, iste qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore .... Cum vero vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit, turpior est uxor si in se, quam si in alia fieri permiserit*.

Conclusio 4. Vir & mulier pares sunt in jure ad conjugale debitum.

Probatur 1. ex Apostolo qui eadem ratione de eo debito, mulieris ac viri respectu loquitur: *Uxori* (inquit) *vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. 2. Idem ostenditur ex Augustino qui libr. 6. de bono conjugali cap. 6. asserit utrumque conjugatum teneri sibi mutuo reddere debitum, etiam ubi petitur non ad procreationem prolis, sed ad vitandam incontinentiam: *Debent ergo sibi conjugati* (inquit) *non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas,*

verum

verum etiam infirmitatis invicem excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodammodo ſervitutem.

Hinc colligitur debiti conjugalis negationem eſſe, *ex ſuo genere*, mortale peccatum; quippe quæ & charitatem & juſtitiam lædat in re magni momenti; *Vel ille de matrimonio* (inquit Auguſtinus, de bono conjugali cap. 6.) *vel illa de merito, non ſibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas, tentante Satana propter incontinentiam, vel amborum, vel cujuſquam eorum.* Verum ratione circumſtantiarum fieri poteſt, ut quis negando debitum peccet tantum venialiter, ſi nempe probabiliter judicet non eſſe in conjuge qui petit, incontinentiæ periculum; Si ejuſmodi negatio in longius tempus non protrahatur; Si petitio nimirum ſit aut intempeſtiua, aut immoderata; Si is qui exigit, ita petat ut æſtimet gravem ſibi injuriam non inferri, quod negetur.

Quæres 1. num debitum conjugale reddi debeat, ſi aut ſolemnium feſtorum, aut jejuniorum, aut ſacræ communionis diebus enixe petatur.

Reſp. quod licet hortandi, monendique ſint fideles ut orationis aut pœnitentiæ conſecratis ab Eccleſia diebus ab amplexu conjugali temperent; tamen debitum enixe petenti tunc reddere teneantur; idque ſat innuit Apoſtolus cum ait: *Nolite fraudare invicem niſi forte ex conſenſu ad tempus ut vacetis orationi.* Eum Apoſtolicæ ſententiæ ſenſum tradidit Auguſtinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 2. *Apoſtolus* (inquit) *nec ad tempus ut vacent orationi, niſi ex conſenſu, voluit conjuges carnali invicem fraudari debito.* An autem qui debitum reddiderit, eadem die poſſit ad Euchariſtiam accedere, diximus, agentes de diſpoſitionibus quæ ex parte corporis requiruntur, ut quis ſacræ communionis fiat particeps.

Quæres 2. an puerperii tempore debitum conjugale petere liceat?

Reſp. Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, caſum de quo quæritur, ſolvendum propoſuiſſe Gregorio Papæ I. *Poſt quantum* (inquit) *temporis, poſtquam genuerit, huic vir ſuus poſſit in carnis copulatione conjungi?* Eum vero ſic ſolvit laudatus Pontifex: *Ad ejus vero concubitum vir ejus accedere non debet, quouſque qui gignitur, ablactetur. Prava autem conſuetudo in conjugatorum moribus ſurrexit, ut mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum; quia dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque, quæ filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purgationis tempus tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri.* Non vult igitur Gregorius ut puerperii tempore debitum conjugale petatur. Nititur (inquit Eſtius) ea S. Pontificis reſponſio lege naturali: Siquidem mulier ſtatim poſt partum minus apta eſt concipiendæ proli; quam tamen ſi concipiat, plerumque infirmam & gravibus morbis obnoxiam concipit; præterea actus conjugalis natæ jam proli nocet, cum per alterum conceptum, lac maternum quo infans alitur, vitiari ſoleat, ac proinde minus aptum fiat nutritioni, quam ſi mater aut temperaret ab actu conjugali, aut ſecundo non conciperet: An autem peccatum in caſu de quo agitur, mortale ſit, an veniale, penſandum eſt ex nocumento quod infertur proli.

FINIS DISSERTATIONIS DECIMÆ.

De Matrimonio prout eſt Civilis Contractus.

DISSER-

DISSERTATIO UNDECIMA.

De Matrimonio prout est Sacramentum novæ legis.

DE Matrimonio prout est Sacramentum, quinque tantum quæremus. Expendemus nimirum: 1. An sit proprie dictum Sacramentum novæ legis. 2. Quibus tum materia tum forma constet. 3. Quinam sit illius minister. 4. Quos habeat effectus. 5. Denique quibuscum ceremoniis administretur.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Matrimonium sit proprie dictum novæ legis Sacramentum?

HÆretici qui quondam divinam nuptiarum institutionem inficiati sunt, negarunt matrimonium esse Sacramentum novæ legis: Inter eos vero qui ipsas a Deo institutas fuisse confessi sunt, nonnulli proxime elapso sæculo contenderunt eas non esse Sacramentum etiam late sumptum, asseruerunt alii iis contineri quidem aliquid mysterii, sed annexam eis non esse promissionem gratiæ, ac proinde eas non esse proprie dictum Sacramentum novæ legis. Utrumque illum errorem propugnarunt tum Lutherus lib. de Captivitate Babyl. cap. de Matrimonio; tum Calvinus lib. 4. Institut. cap. 19. §. 34. ubi docet Sacramenti rationem non magis convenire matrimonio quam agriculturæ, aut tonstrinæ, aut sutoriæ arti. Catholici e contra contendunt matrimonium esse ex institutione divina, rei sacræ signum, eique in nova lege annexam esse gratiæ sanctificantis productionem: unde concludunt ipsum esse proprie dictum Sacramentum novæ legis. *Si quis dixerit* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 24. can. 1. de Sacramento Matrimonii) *Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit*. Utraque ea veritas duplici asserenda est capite.

CAPUT PRIMUM.

Utrum matrimonium sit ex institutione divina rei sacræ signum?

COnclusio. Matrimonium non est res mere naturalis & politica, sed est rei sacræ signum.

Probatur hac Apostoli sententia ad Ephesios V. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*: Iis nimirum verbis Apostolus docet conjunctionem viri cum muliere mysterium esse quo adumbratur unio Christi cum Ecclesia; Et sane sicut uxor est viri caro: *Erunt duo in carne una*, sic Ecclesia est corpus Christi: *Quia* (inquit) *membra sumus corporis ejus, de carne ejus, & de ossibus ejus*. Sicut vir a patre ac matre discedit ut adhæreat uxori suæ: ita Christus, ut Ecclesiæ copularetur, seu unum cum ea corpus efficeret, veluti reliquit sinum Dei Patris: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*. Hinc Apostolus colligit teneri maritos uxores charitate prosequi, cum Christus summa charitate Ecclesiam prosecutus sit: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea*. Non adinventam vero fuisse ab Apostolo significationem illam, sed matrimonium ad eam in prima sui institutione divinitus ordinatum fuisse docet ipse Paulus hanc reddens causam cur sumus Christi membra: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*: Quasi dixisset; Ad exhibendam nostri cum Christo unionem, de qua mox dictum est, Deus matrimonium ordinavit: *Propter hoc &c.*

Nec audiendi sunt adversarii cum reponunt in Apostolica sententia: *Sacramentum hoc magnum est*, vocem hanc, *Sacramentum*, non sumi pro signo rei sacræ, sed pro ipsa re sacra, seu non sumi pro matrimonio, sed pro ipsa Christi cum Ecclesia conjunctione quæ in se ipsa magnum est mysterium.

Non sunt (inquam) audiendi. Nam primo demonstrativum pronomen, *Hoc*, non ad aliud referri potest quam ad id quod proxime præcesserat de humano conjugio de quo præcipue agebat Apostolus. 2. In Græco textu non legitur *In Christo & in Ecclesia*, sed *In Christum & in Ecclesiam*, quo demonstratur conjunctionem Christi cum Ecclesia non esse subjectum, sed terminum mysterii quod in Pauli sententia, *Sacramentum hoc magnum est &c.* continetur. 3. Sensum quem verbis Apostolicis adscripsimus, tradiderunt Patres. Commentarius adscriptus Ambrosio sic habet in hunc locum: *Mysterii Sacramentum grande in unitate viri ac feminæ, esse significat*. Sic etiam in eumdem locum habet Hieronymus: *Idipsum*, hoc est, matrimonium, *per allegoriam in Christo interpretatur & in Ecclesia, ut Adam Christum, & Eva præfiguraret Ecclesiam*.

Non sunt pariter audiendi qui confessi matrimonio contineri Sacramentum Christi cum Ecclesia, contendunt id privilegii ita fuisse singulare matrimonio Adami cum Eva, ut cæteris hominum nuptiis minime conveniat.

Non sunt (inquam) audiendi. Nam 1. hæc verba: *Relinquet homo patrem & matrem*, quæ Paulus laudat ex Genesi, de omni matrimonio intelliguntur, imo videntur debere præcipue intelligi de futuris post Adami tempora nuptiis: Siquidem in Adami posteris, non autem in ipso Adamo, ea verba: *Relinquet homo patrem & matrem*, locum habere possunt ad litteram. 2. Ex iisdem verbis: *Relinquet homo patrem &c.* Christus Matthæi 19. concludit matrimonium dissolvi non posse: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: Non de solo igitur Adami matrimonio, sed etiam de aliis intelligi debent. 3. Ideo Paulus fideles docet conjunctionem viri cum muliere esse Sacramentum Christi cum Ecclesia, ut hinc argumentum sumat quo viros ad uxorum dilectionem hortetur: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, &c.*

Objicies. Si ex istis Geneseos verbis: *Relinquet homo patrem &c.* collegerit Apostolus matrimonium esse, ex institutione divina, Christi & Ecclesiæ Sacramentum, sequetur id mysterii locum habere etiam in matrimonii quæ in gentilitate contracta fuerint: neque enim infidelitas tollere potest primævam Dei institu-

stitutionem. Atqui id colligere non potuit Apostolus. Siquidem 1. cum infideles utantur polygamia, locum in eorum nuptiis non habent hæc quæ Paulus ex Genesi laudat, quæque Christi unioni cum Ecclesia conveniunt: *Erunt duo in carne una*. 2. Matrimonia Gentilium per repudium solvuntur: apta igitur non sunt ut adumbrent perpetuam ac indissolubilem Christi cum Ecclesia unionem.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem dicendum est tum polygamiam, tum matrimonii per repudium solutionem esse illicitas: ac proinde non impedire quin matrimonium cum priore uxore initum a gentilibus retineat primævam tum unitatem, tum firmitatem: quibus perfectam & perpetuam Christi cum Ecclesia unionem repræsentet. Confirmatur solutio ex eo quod Paulus sententiam hanc: *Sacramentum hoc magnum est*, de omnibus eorum, ad quos scribebat, conjugiis intellexerit. Atqui ex iis plurimi matrimonium in infidelitate constituti contraxerant, licet postea Ecclesiæ Christianæ dedissent nomen.

Caput Secundum.

Utrum Matrimonium in nova lege sit ex institutione divina signum productivum gratiæ?

Conclusio. Matrimonium in lege nova est ex institutione divina signum productivum gratiæ.

Probant nonnulli hac Pauli sententia ad Ephesios V. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Ut (inquit Bellarminus) unio spiritualis Christi cum Ecclesia per matrimonium repræsentetur, necesse est ut per matrimonium fiat spiritualis unio viri cum muliere. Atqui illa unio non fit sine gratia. Ergo matrimonium est ex institutione divina productivum gratiæ.

Verum non convincit omnino illud argumentum. Nam unio quæ in nuptiis Sacramentum est: seu mysterium, quod exhibet unionem Christi cum Ecclesia est vel unio carnis: *Erunt duo in carne una*, quæ verbi incarnationem repræsentat, vel unio per vinculum indissolubile, quo adumbratur perpetua Christi charitas in Ecclesiam: Utraque autem illa unio, per carnem scilicet & vinculum, habetur sine gratia. Confirmatur ex eo quod in lege naturæ, & in lege scripta duplex ea unio per nuptias fieret, & nunc etiam per eas fiat, quas gentiles contrahunt. Et tamen duplici illi unioni non erat annexa gratiæ sanctificantis productio; nec modo apud gentiles annectitur.

Probant alii conclusionem his verbis 1. ad Timoth. 2. *Salvabitur autem* (mulier) *per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate*. Verba illa, *per filiorum generationem*, ponuntur (inquiunt) pro his aliis: *in filiorum generatione*; Sicut illa actorum 15. *Per omnat Sabbatum legitur Moyses*, ponuntur istorum loco: *In omni Sabbato*, ita ut sensus sit mulierem quæ liberorum procreationi dat operam, consecuturam esse salutem si fidem, dilectionem, sanctificationem, & sobrietatem, quas per matrimonium accepit, ad mortem usque conservet: Unde (inquiunt) sequitur per matrimonium conjuges iis virtutibus donari.

Sed satis non est ea argumentatio ut extorqueat assensum: Supponit quod est in quæstione, dari nempe fidem, dilectionem, & sanctificationem, seu gratiam sanctificantem per matrimonium. Id tamen eo loci non definit Apostolus, sed hoc unum, mulierem scilicet si in virtutibus quibus in baptismate donata est, permanserit, consecuturam salutem si aliunde non defuerit suo officio, quod quidem generalibus his terminis: *Per filiorum generationem*, exprimitur. Confirmatur ex eo quod idem tum in lege naturæ tum in lege scripta dici potuerit de muliere fideli: *Salvabitur per filiorum generationem, si permanserit, &c.* Imo & in Evangelica, earum etiam mulierum respectu, quæ adhuc gentiles nupserint, ac proinde quarum matrimonium non fuerit proprie dictum Sacramentum novæ legis. Confirmatur 2. ex eo quod in Græcis codicibus & in plerisque Latinis verbum, *Permanserit*, legatur in numero plurali, *Permanserint*, unde consequens est id quod de fide, dilectione, ac sanctificatione subjungitur, referri non ad mulierem, sed ad filios, quorum generatione, sive pia educatione, mulier æternam salutem promeretur.

Probant tandem alii hac Pauli sententia 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque donum suum habet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic*. Iis verbis (inquiunt) Apostolus supponit donum aliquod in matrimonio recipi: Illud autem donum est gratia sanctificans: Ergo gratia sanctificans per matrimonium producitur..

Verum negari posset quod Apostolus eo loci supponat donum aliquod dari per matrimonium. Hoc unum innuit, castitatem conjugalem & virginitatem donum Dei esse, ac proinde debere unumquemque aut uti matrimonio aut ab eo temperare pro ratione doni quod a Deo acceperit.

Ex iis quæ dicta sunt, colligitur allata ex Apostolo loca satis non esse ut demonstretur efficacia matrimonii quod a fidelibus contractum sit: Unde (ut advertit Estius) nec Catechismus ad Parochos, nec Concilium Tridentinum iis textibus utuntur in doctrina de Sacramento matrimonii. Adhibet quidem sacra Synodus quintum caput epistolæ ad Ephesios ut probet Christum quæ conjuges sanctificat, nobis sua passione fuisse promeritum, sed non dicit Apostolum innuere gratiam illam per matrimonium produci; sacri Concilii mens attendenti ad Sacræ Synodi verba perspicua fiet: *Gratiam vero* (inquit sess. 24.) *quæ naturalem illum amorem conjugum perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector sua nobis passione promeruit. Quod Paulus Apostolus innuit dicens: Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, moxque subjungens: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*.

Licet (ut observatum est) relatis locis Paulus evidenter non definierit gratiam sanctificantem matrimonio produci, fieri tamen potuit ut ad Sacramenti gratiam respexerit: Unde, ut iis vis addatur, subjiciendum est verbum Dei non scriptum quod traditione continetur.

Proferuntur traditionis loca quibus ostenditur gratiam sanctificantem per matrimonium produci.

I. Constans est ac unanimis Patrum doctrina Christum, cum adfuit nuptiis, quæ Joannis 2. in oppido Cana celebratæ sunt, matrimonium benedixisse, seu, ut hominem, bene is precatum fuisse, & ut Deum ipsi gratiam adjunxisse: *Nam* (inquit Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Nestorium de excommunicatione; quam epistolam probavit Ephesina Synodus) *hac ipsa de causa* (seu) *quo nostræ quoque substantiæ ortum sua benedictione cumularet, simul cum sanctis Apostolis ad nuptias in Cana Galilææ vocatum, huc se contulisse, suaque benedictione easdem dispensatorie cohonestasse dicimus*: Meminit iterum ejusdem benedictionis idem Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 22. ubi exponens miraculum de conversione aquæ in vinum, docet *Christum sanctificasse conjugium, & gratiam nuptiis præparasse ut aditus hominum in hanc vitam benediceretur*. Eam quoque recenset Epiphanius hæresi 67. ubi hæc habet: *Quomodo enim non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum cælorum, cum vocatus sit Salvator ipse ad nuptias, ut nuptias benediceret*. Eam vero benedictionem non fuisse meram approbationem, seu confirmationem fœcunditatis quam Deus initio nuptiis per hæc verba: *Crescite & multiplicamini*, contulerat, evincitur ex eo quod Salvatotis beneficia non fuerint temporalia, sed spiritualia; seu quæ ad salutem contuleriat: Ea igitur benedictio fuit gratiæ cum nuptiis unio, seu, ut homo, gratiam illam precatus est, & ut Deus cum matrimonio stata lege conjunxit.

II. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 7. loquens

de eo qoi nuptam alteri cupit in uxorem ducere, hæc ſcribit: *Qui ſic egerit, peccat in Deum, cujus legem violat, grntiam ſolvit: & ideo quia iu Deum peccat, Sacramenti cœleſtis amittit conſortium*. In eum locum obſervare eſt 1. matrimonium ab Ambroſio vocari *Sacramentum*: 2. eum qui alteri nuptam ducit, *gratiam ſolvere*, ſeu fruſtrari gratia quam conſequetur, ſi aliam duceret.

III. Siricius Epiſt. 1. cap. 4. noo obſcure docet matrimonium rem eſſe ſacram, ſeu grariam continere, cum definit eum eſſe reum ſacrilegii qui dum prior uxor vivit cum altera ioit connubium: *Hoc ne fiat* (inquit) *omnibus modis inbibemus: quia illa benedictio, quam uupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur*.

IV. Innocentius Papa I. aliquid profert expreſſios epiſt. 9. quæ eſt ad Probum: docet nempe legitimum fidelium conjugium divina gratia fundari: *Qua de re* (inquit) *ſtatuimus, fide Catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum, conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite nec divortio ejecta, nullo pacto poſſe eſſe legitimum*.

V. Varia proferri poſſuut Auguſtini loca, quibus Catholica veritas demouſtretur. Non ſemel libro de bono conjugali, matrimonia vocat Sacramenti nomine: *Propterea* (inquit cap 18.) *Sacramentum nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum virum & unam uxorem redactum eſt.... Sacrameutum nuptiarum ſingularum noſtri temporis, ſignificat unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo futuram in una cœleſti civitate*. Ne quis vero Sacramenti nomen late interpretetur, obſtat ipſe Auguſtinus qui iis locis fidelium matrimonium opponit gentilium matrimonio, quod quidem eſt Sacramentum late ſumptum. *Nec cauſa ergo* (inquit cap. 18.) *numeroſioris prolis fecerunt ſancti noſtri, quod Cato dicitur feciſſe Romanus, ut traderet vivus uxorem etiam alterius domum filiis impleturam. In noſtrarum quippe nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri*.

Idem Sanctus Doctor cap. 24. nuptias gentilium nuptiis fidelium rurſus opponit, quod in illis bonum ſit poſitum in cauſa generandi & in fide caſtitatis, in iſtis vero etiam in ſanctitate Sacramenti: *Bonum igitur nuptiarum* (inquit) *per omnes gentes atque homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio diſcedentem alteri nubere dum vir ejus vivit, nec ſaltem ipſa cauſa pariendi*. Eadem utitur oppoſitione lib. de fide & operibus cap 7. *In civitate Domini* (ait) *iu monte ſancto ejus, hoc eſt in Eccleſia, nuptiarum non ſolum vinculum, ſed etiam Sacramentum commendatur*.

Auguſtinus non ſemel comparat matrimonii Sacramentum cum Sacramentis Baptiſmi & Ordinationis. *Inter viventes* (inquit lib. 1. de nuptiis & concupiſcent. cap. x.) *manet quoddam vinculum conjugale, quod nec ſeparatio, nec cum altero copulatio poſſit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, ſicut apoſtatæ anima velut de conjugio Chriſti recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quo lavacro regenerationis accepit*. Idem repetit libro de bono conjugali cap. 24. *Quemadmodum* (ait) *ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet in illis ordinatis Sacramentum ordinationis; & ſi aliqua culpa quiſquam ab officio removeatur, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamvis ad judicium permanente*.

VI. Quod Patres privatim aſſeruerunt, congregati ad Concilia docuere. Lucius Papa III. in Concilio, quod (ſi fides adhibeatur Eſtio, non euim extat textus iu Labbeanis codicibus) duodecimo ſæculo labente Veronæ celebratum eſt, conceptis terminis matrimonium Saciamentis novæ legis accenſet: *Univerſos* (inquit ibidem, in decreto quod incipit: *Ad abolendam*, & refertur ext. de hæreticis (*qui de Sacramento corporis, & ſanguinis Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt, quam Romana Eccleſia prædicat & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus*.

Idem evincitur ex Concilio Lateranenſi. Canone qui refertur in decretalibus de Simonia, cap. *Cum in Eccleſia*, nubentium benedictio inter Sacramenta recenſetur. Ubi eoim definitum eſt: *Horribile eſſe quod pro ſepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis aliquid requiratur*, hæc adduotur: *Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis in ſedem, vel Sacerdotibus inſtituendis aut ſepeliendis mortuis, ſeu benedicendis nubentibus, ſeu aliis Sacramentis conferendis collatis aliquid exigatur, ſtrictius prohibemus*. Nec valet quod reponunt adverſarii, nempe eo loci Sacramentum late ſomi, cum ſepulturæ & exequiæ mortuorum inter Sacrameota recenſeantur. Nam hæc verba: *ſeu aliis Sacramentis*, non referuntur oiſi ad nubentium benedictiones, quarum Synodus proxime meminerat.

Patres Concilii Conſtantienſis quod anno 1415. habitum eſt, tamquam certum ſuppoſuere ſeptem eſſe Sacramenta novæ legis, proindeque matrimonium iis accenſeri, cum ſeſſ. 15. hunc Joanois Hus octavum articulum proſcripſere: *Sacerdotes quomodolibet crimiuoſe viventes, Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſicut filii infideles ſentiunt infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ*. Idem concluditur ex fine ejuſdem Concilii Conſtantienſis, ubi legere eſt conſtitutionem qua Martinus Papa V. præcipit, ut qui in hæreſis ſuſpicionem venerit; *Interrogetur an credat quod Chriſtianus contemnens ſuſceptionem Sacramentorum, Confirmationis vel Extremæ Unctionis, vel ſolemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter*: Quo quidem textu laudatus Pontifex Matrimonium noo minus proprie Sacramentum vocat quam Extremam Unctionem, & Confirmationem.

Eugenius Papa IV. in Concilio Floreotino, ſeu, in decreto pro inſtructione Armenorum, matrimonium numerat inter ſeptem novæ legis Sacramenta, de quibus ſingulis ibidem definitur quod gratiam contineaot, eamque eo, qoo par eſt, modo diſpoſitis conferat. Multa quidem in Concilium Florentinum ſcripſere tum Marcus Epheſius, tum plures alii Græci ſchiſmatici, ubi ſoluto Concilio redierunt in patriam: verum circa caput, de quo agitur, ſilueruot omnino, perſuaſi ſcilicet illud doctrinam continere quam Eccleſia Græca profitebatur. Ejuſdem Eccleſiæ ſenſum elapſo proxime ſæculo Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus aperuit io cenſura, quam tulit adverſus Auguſtanam Lutheranorum fidei confeſſionem: ea enim cooceptis terminis definitum eſt matrimonium unum eſſe e Sacramentis novæ legis quæ gratiam contineant & conferant: cujus quidem gratiæ producendæ vis matrimonio collata ſit per benedictionem quam Chriſtus in Cana Galilææ nuptiis impertitus eſt. *Propterea*. (inquit cap. 7.) *& ipſe Chriſtus benedixit nuptiis, ut non ſine cœleſti benedictione ortus noſtri principia jaciantur*. Ex laudatis hacteous tum Patrum tum Conciliorum teatibus patet Tridentinam Syoodum antiquam tradidiſſe fidem cum ſeſſ. 24 Sacrameutis novæ legis matrimonium accenſuit.

Solvuntur argumeuta quibus heterodoxi probare nituntur matrimonium non eſſe Sacramentum novæ legis.

OBjicies 1. Conſtans ſemper non fuit traditio, quod matrimonium ſit Sacramentum novæ legis. Magiſter Sententiarum labente duodecimo ſæculo negavit eo produci gratiam ſanctificantem: *Alia* (inquit lib. 4. Sent. diſt. 2.) *remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjutricem conferunt, ut Baptiſmus; Alia in remedium tantum ſunt, ut Conjugium: Alia gratia & virtute nos fulciunt, ut Euchariſtia & Ordo*. S. Thomas ſcribens in Sententias tuetor quidem dogma quo docetur matrimonium eſſe proprie dictum Sacramentum novæ legis, ſed tantum ut opinionem

quæ

quæ negativa sit probabilior. Durandus conceptis terminis negat matrimoninm debere accenseri Sacramentis novæ legis.

Resp. sæculis, quibus laudati authores scripserunt, Ecclesiam credidisse matrimonium esse Sacramentnm novæ legis ex traditione, non explicita quidem, sed implicita tantnm, qnam clare postea tum Florentina, tum Tridentina Synodus explicuere: ita ut quod defectu explicitæ definitionis non erat articulus fidei, accedente deinceps ea explicita definitione, tamquam articulus fidei propositum sit.

Objicies 2. cum nonnullis veteribus Canonistis, quibus fuit persuasum matrimonio gratiam non produci. Si gratia matrimonio produceretur, pactum quod de dote a contrahentibus initur, esset simoniacnm; quemadmodum simoniacum est si quod in reliquis Sacramentis interveniat.

Resp. neg sequelam: nam (ut ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 6.) *Matrimonium non solum est Ecclesiæ Sacramentum, sed etiam naturæ officium: & ideo dare pecuniam pro matrimonio in quantum est naturæ officium* (seu contractus a natura institutus) *licitum est: in quantum vero est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum.*

Confirmatur ea eo quod contractus civilis, antecedenter se habeat Sacramenti respectu: Ergo quemadmodum calix, quod sese antecedenter habeat ad consecrationem, potest absque simoniæ periculo pretio æstimari: ita & in matrimonio prout est contractus civilis, licite intervenit dotis pactum, tum ut compensetur inæqualitas quæ plerumque reperitur inter conjuges, tum nt snppeditentur media quibus communia matrimonii onera ferantur.

Objicies 3. Tria ita in omni novæ legis Sacramento requiruntur, ut, si eorum aliquid desit, Sacramentum non perficiatur; videlicet materia, forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Atqui in matrimonio nec materia, nec forma requiruntur; cum absque verbis per alia signa perfici possit; nec saltem ante Concilium Tridentinum, certus ac determinatus minister esset uecessarius, uec requireretur intentio faciendi quod facis Ecclesia, cum ante laudatum Concilium pleraque matrimonia per solam copulam carnalem perficerentur.

Resp. ea matrimonia, quæ ubi non obtinet disciplina quam invexit Concilium Tridentinum, ant nunc fiunt, aut olim facta sunt absque debitis tum materia, tum forma, tum ministro, fuisse quidem contractus civiles qui nexum parerent indissolubilem, sed non fuisse Sacramenta quæ gratiam conferrent. Solutio patebit ex iis quæ inferius de hujusce Sacramenti ministro dicentur.

Objicies 4. cum Durando. Matrimonium non confert primam gratiam, cum non sit Sacramentum mortuorum; neque secnndam, sive gratiæ augmentum; alioquin matrimonium excellentins esset continentia, cum ista nullam omnino gratiam conferat.

Resp. matrimonium, sicut & cætera, quæ dicuntur Sacramenta vivorum, per se secundam gratiam producere, per accidens vero primam. Nec obstat argumentum Durandi: Nam (ut recte ratiocinatur Bellarminns) aliud est comparare statum cum statu; aliud, statum cum Sacramento. Continentiæ status perfectior est statu matrimonii, majoris nimirum est gratiæ & meriti: *Qui nubit, bene facit; Qui non nubit* (dicente Apostolo 1. ad Corinth. 7.) *melius facit*. Quamvis ergo matrimonii Sacramentum gratiam augeat, qui tamen Dei ergo temperat a nuptiis, a Deo recipit uberiorem ea, quæ matrimonio producitur.



QUÆSTIO SECUNDA.

De Sacramenti matrimonii tum materia tum forma.

NON nna est Scholasticorum sententia circa tum formam, tum materiam Sacramenti Matrimonii. Nonnulli ex iis, quibus placet ambos contrahentes esse hujns Sacrmenti ministros, censent illius materiam positam esse in interno ntriusque conjugis consensu. Verum cum internus consensus quem signa aut verba non exprimunt, sensibus non subjaceat, non potest esse materiæ loco. Alii putant tam materiam quam formam esse verba contrahentinm, vel nutus aut alia signa quæ verborum vices gerant, ita ut se invicem ad esse sacramentale determinent. Sed ea sententia cohærere non videtur cum Eugenii decreto pro instructione Armenorum, quod definitur omnia Sacramenta novæ legis constare rebus tamquam materia & verbis tamqnam forma; qna quidem definitione (ut agentes de materia Sacramenti pœnitentiæ, contra Scotistas ostendimus) Eugenius verba quæ formam constituunt, a rebus in quibus posita est materia distinguit. Alii tandem censent ipsa contrahentinm corpora esse Sacramenti matrimonii materiam. Nec obstat (inquiunt) quod contrahentes Sacramentnm suscipiant, ideoque sint materia *in qua*, non autem *ex qua* Sacramentum constituatur: Nam (addunt) contrahentes, ut sunt personæ quædam, Sacramentum suscipiunt, seu sunt materia *in qua*; & ratione corporum quæ conjnges sibi invicem tradunt sunt materia quam logici vocant materiam *ex qua*; At ea opinio ex eo rejicitur quod (nt hujusce dissertationis initio ostendimus) nubentium corpora sint materia *circa quam* versatur matrimonium, non autem ex qua constet.

Theologi quibus placet matrimonium, prout Sacramentum est, debere administrari a Sacerdote qui illius est necessarius minister, contenduut legitimum contractum civilem esse Sacramenti matrimonii materiam; formam vero esse hæc, aut similia verba, *Ego vos in matrimonium conjungo*, quæ a Sacerdote proferuntur dum nubentes conjungit.

Conclusio 1. Materia ex qua constat matrimonii Sacramentnm, est legitimus contractus civilis.

Probatur. Legitimus contractus civilis constat ex actibus, qnibus contrahentes mutuum secundum leges in nuptias consensum exprimunt. Atqui ii actus sunt materia ex qua constat matrimonii Sacramentum: siquidem id habetur materiæ loco quod accedente forma gratiam producit: sic autem se habere actus, quibus contrahentes mntuum secundum leges in nuptias consensum exprimunt, evincitur ex eo quod sese habeant in Sacramento matrimonii, sicut actus pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ: non minus enim essentialiter illud Sacramentum quam istud reqnirit actus suscipientium: Ergo quemadmodum accedente forma, actus pœnitentis determinantur ad productionem gratiæ: ita & actus contrahentium, nbi accedunt Sacerdotis verba, quæ (ut mox dicetur) sunt hujusce Sacramenti forma.

Confirmatur argumentum authoritate S. Thomæ qui scribens in 4. Sent. dist. 26. sic loquitur: *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui Sacramento illo utitur, sicut pœnitentia; & ideo sicut pœnitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio.* Idem S. Doctor hisce verbis confirmat 3. p. q. 84. art. 1. ad 1. *In aliis autem Sacramentis quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sunt loco materiæ, ut accidit in pœnitentia & matrimonio.*

Conclusio secunda. Forma Sacramenti matrimonii sunt hæc vel similia verba: *Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Probatur. 1. Forma de qua agitur non sunt actus nubentium, cum (ut mox ostensum est) sint hujusce Sacramenti materia: Ergo sunt mox relata Sacerdotis verba. 2. Illud est Sacramenti forma quod primarium illius effectum exprimit. Atqui sic se habent Sacerdotis verba: Quæ enim mox retulimus; *Ego conjungo vos in matrimonium &c.* clare exprimunt nexum spiritualem qui ex matrimonio resultat: Hunc scilicet habent sensum; *Ego Sacramentum conjunctionis vobis impertior, & quantum quidem in me est, ex potestate mihi concessa, non corpore solum, sed & animo vos conjungo*. Hinc (inquit Silvius) patet iis verbis inesse significationem sacram, vimque benedictionis spiritualis, quæ quidem causa est cur nonnumquam forma *Benedictionis* nomine ab authoribus exprimatur. 3. Concilium Coloniense quod anno 1536. habitum est, aperte favet nostræ conclusioni parte 7 cap. 40. ubi sic loquitur; *Quod Sacramentum, si quis, sicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam: mulier vicissim propter Christum amet, revereaturque virum suum uti Dominum: uterque liberos, si dentur, summa cura instituat ad Christianam pietatem*. 4. Huc adduci possunt tum aliqui textus Concilii Tridentini, tum argumenta omnia quibus subsequenti quæstione probabitur matrimonii ministrum esse Sacerdotem, non autem ambos contrahentes. 5. Quæ in hac quæstione stabilita fuit duplex conclusio, nullo potest impugnari argumento quod alicujus sit roboris: Quæ enim nonnulli objiciunt tum ex eo quod in nova lege matrimonium valere non possit tamquam contractus civilis, quin etiam valeat tamquam Sacramentum proprie dictum, tum ex Eugenii Papæ IV. decreto pro instructione Armenorum, tum ex Concilio Tridentino, mox solventur, ubi agetur de hujusce Sacramenti ministro.



QUÆSTIO TERTIA.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

DUplex est circa difficultatem de qua agitur Doctorum sententia. Nonnullis placet virum & fœminam contrahentes esse proprios hujus Sacramenti ministros. Alii vero, qui in responsione ad ultimam objectionem laudabuntur, censent non alium hic quærendum ministrum quam qui sit Ecclesiæ minister, idest, Sacerdos qui virum & mulierem præscripta verborum forma conjungit.

Conclusio. Solus Sacerdos est minister Sacramenti matrimonii.

Probatur argumentis tum Melchioris Cani, tum Sylvii, tum Estii. 1. Concilium Carthaginense IV. can. 13. præscribit ut sponsus & sponsa a Sacerdote benedicantur. Idem injungit Epistola decretalis adscripta Evaristo Papæ: ait nempe: *Hunc esse morem ut uxor a parentibus dotetur & cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur*. Ejusdem benedictionis meminit Siricius Papa Epist. 1. cap. 4. Jam vero eam benedictionem esse essentialem Sacramento ostenditur tum ex eo quod (ut diximus hujusce Sacramenti essentiam asserentes contra Lutheranos) Patres gratiæ sanctificantis productionem illi adscripserint: vixque, si accidentalis ceremonia reputetur, ostendi poterit contra sectarios matrimonium esse proprie dictum Sacramentum novæ legis. 2. Laudati Concilii Carthaginensis Patres sponsos admonent, ut cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia quam par est illi benedictioni exhibere, in virginitate permaneant: Eam igitur non habuerunt tamquam ritum accidentalem, alioquin suasissent fidelibus ut iis diebus quibus præsentes se sistunt missæ sacrificio, temperent ab actu conjugali, cum (ex adversariorum principiis) fideles ad finem missæ non minori, quam in matrimonio, benedictione donentur a Presbyteris. 3. Quæ meri sunt ritus, nonnumquam omittuntur: Verum licet benedictio, quæ incipit: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, ille vos in Christo benedicat &c.* omittatur in secundis nuptiis, ob idque matrimonio accidentalis judicetur, hæc æquivalens: *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* nusquam omittitur juxta canonem; *Nullus* caus. 30. quæst. 5. *Nullus fidelis cujuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino*.

Jam vero si Sacerdotalis benedictio sit matrimonii Sacramento essentialis, seu si sit illius forma, ut allata loca demonstrare videntur, sequitur Sacerdotem necessarium esse ejusdem Sacramenti ministrum, cum is unus sit Sacramenti minister qui profert illius formam, ut in baptismo cæterisque Sacramentis videre est.

Probatur 2. authoritate Concilii Tridentini. Sacra Synodus Sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. hæc habet: *Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum*. Ex eo autem textu sic conficitur argumentum. Parochus id efficit, quod verbis quæ profert, asserit se efficere; alioquin enim falsum enuntiaret; Atqui affirmat se virum & mulierem conjungere in matrimonium quatenus est Sacramentum: siquidem, cum jam per mutuum consensum initus sit contractus matrimonii, non potest Sacerdos partes conjungere in matrimonium prout est contractus.

Probatur 3. ex Conciliis provincialibus quæ paulo ante & immediate post Tridentinam Synodum habita sunt.

Concilium Coloniense ann. 1536. docet (ut ostensum est quæstione secunda) in matrimonio: *Accedente Sacerdotali precatione dari donum spiritus quo vir diligat uxorem amore casto &c.* In Enchiridio quod ejusdem Concilii mandato promulgatum est, expresse asseritur veritas quam hic propugnamus: hæc enim habentur cap. penultimo de matrimonio: *Quanto magis putandum est in nova lege Sacerdotes qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus Sacramenti ministros esse*.

Concilium Cameracense quod anno 1567. celebratum est, hæc habet cap. 1. de matrimonio: *Cum constet in matrimonio habendam esse rationem, non solum divinæ institutionis, sed etiam Sacramenti & gratiæ, quam in illo consequuntur fideles, admonendos esse duximus Parochos hujus ministros &c.* Observandum est plerosque ex Patribus Cameracensibus adfuisse Tridentinæ Synodo, ac proinde eis perspecta esse debuit mens laudatæ Synodi; & consequenter hæc verba quibus utuntur: *Admonendos esse duximus Parochos hujus ministros*, ea explicant quæ in superiori probatione laudavimus ex Concilio Tridentino.

Sanctus Carolus in actis Ecclesiæ Mediolanensis p. 4. §. 1. expresse docet quinque Sacramentorum, inter quæ recensetur matrimonium, penes esse solum Sacerdotem tamquam ministrum ordinarium: *Cum vero* (inquit) *Sacramenta quinque tantum, nempe Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Matrimonium, & Extremam Unctionem Parochus ex officio administrare possit, eorum ceremoniæ quas recte servet, locis propriis præscriptæ sunt. Reliquis autem Sacramentis duobus, Confirmationi & Ordini, quorum administratio solius Episcopi est non ceremoniæ administrandi in hoc libro adscribuntur, sed adjungi operæ pretium fuit brevem quamdam instructionem*.

Probatur 4. textibus plurium tum antiquorum tum recentiorum ritualium. Apud Sylvium laudatur Sacerdotale Romanum quod anno 1494. collegit Albertus Castellanus ex inclyto Dominicanorum ordine: hæc autem in eo Sacerdotali leguntur: *Si estis consanguinei vel affines usque ad quartum gradum inclusive &c. Quibus sigillatim respondentibus quod non,*

Sa-

Sacerdos pronuntiet verba quæ sunt forma hujus Sacramenti cum consensu utriusque: de quo consensu specialiter eos moneat, qui si desit, nihil omnino agitur. Et dicat sponso, Domine Petre vel N. placet vobis accipere Dominam Catharinam, vel N. in vestram legitimam sponsam per verba de præsenti, sicut præcipit sancta Romana & Apostolica Ecclesia: Quo dicente, placet, Domine; Sacerdos dicit sponsæ; Domina Catharina, vel N. placet vobis accipere Dominum Petrum vel N. in vestrum legitimum sponsum per verba de præsenti, sicut præcipit sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia; Et illa dicente, Domine, placet mihi, Sacerdos &c. dicat, Et ego authoritate qua fungor, conjungo vos in matrimonium in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Ex relatis laudati Sacerdotalis verbis patet Sacerdotem proferre hujusce Sacramenti formam; ac proinde illum esse ministrum matrimonii prout est Sacramentum. Patet iterum formam his verbis contineri: *Et ego conjungo vos in matrimonium &c.*

Non alia ratione loquitur manuale Yprense quod anno 1576. promulgatum est; jubet nimirum Sacerdoti ut, explorato utriusque conjugis consensu, dicat: *Et ego tamquam Ecclesiæ minister, vos in matrimonium conjungo, &c.* Mechliniense anni 1589. hæc habet: *Stante viro ad dextram, muliere vero ad sinistram, Sacerdos hujus Sacramenti minister sponsum & sponsam asperget aqua benedicta.* Et postea: *Rursus Sacramenti minister interroget.* Ac tandem: *Data sic utrimque fide, dicat Sacerdos, Et ego tamquam Dei minister vos in matrimonium conjungo, in nomine Patris &c.* Rituale Romanum quod jussu Pauli Papæ V. editum est, docet matrimonium ex iis esse Sacramentis quorum administratio ad Parochum spectet: *Cæterum* (ait in præfatione) *illorum tantum Sacramentorum quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus in hoc opere præscribuntur, cujusmodi sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, Matrimonium.*

Nec adversarii argumentū, quod tum ex Concilio Tridentino, tum ex Provincialibus quæ ipsum subsecuta sunt, tum ex hodiernis, veteribusque ritualibus desumitur, vim enervant, cum reponunt, verba hæc, *Ego vos in matrimonium conjungo &c.* quibus nostra probatio præcipue nititur, esse metaphorica, seu, hanc habere significationem: *Declaro vos conjunctos legitimo matrimonio.* Non enervant (inquam) Nam 1. in aliorum Sacramentorum administratione Ecclesia non solet præscribere expressiones metaphoricas, cur igitur in hoc uno injunxisset ministris ut metaphorica uterentur. 2. Nullo in Scripturæ, aut traditionis loco verbum, *Conjungo*, sumitur pro *Declaro conjunctos:* Immerito igitur adversarii in eum sensum detorquent Concilii Tridentini textum, quo præscribitur ut Parochus dum celebratur matrimonium, ea proferat. 3. Qui verba de quibus agitur: *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* interpretantur metaphorice, fundamentum præbent hæreticis, ut ista: *Ego te absolvo*, metaphorice sumant, quasi significarent, *Ego te absolutum declaro*. 5. Testes qui matrimonio adfuere possunt coram judicibus declarare eos quorum nuptiis interfuere, esse conjunctos matrimonio: At in eos hæc Concilii verba: *Ego vos in matrimonium conjungo*, proferre minime possunt. Idem dici debet de Parocho, qui de conjugibus absentibus, si eorum matrimonio adsuerit, juridice testari potest eos esse vere copulatos, quamvis tunc in eos verba de quibus est quæstio: *Ego vos in matrimonium conjungo*, proferre nec soleat nec possit.

Non plus habet roboris quod alii respondent: nempe Concilium Tridentinum non obscure innuere quod hæc verba: *Ego vos in matrimonium conjungo*, non sint necessaria ut Sacramentum valeat, cum eorum prolationem vel omissionem Sacerdoti permittat: *Vel aliis* (inquit) *verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum*. Quasi vero (addunt) id Parochorum arbitrio permisisset, si laudata verba judicasset ad formam essentialem pertinere, præsertim cum Sacramentorum formæ, quæ divinæ sunt institutionis, eædem ubique esse debeant. Non plus (inquam) roboris habet ea solutio: Nam 1. falsum est quod Sacramentorum formæ debeant in omnibus Ecclesiis eædem esse quoad sillabas ex quibus constant. Quæ adhibentur a Græcis, quoad terminos plane diversæ sunt ab iis, quibus Latini utuntur. In ipsis etiam Occidentalibus Ecclesiis nonnihil discriminis inter eas aliquando reperitur, id patebit attendenti ad verba quibus forma extremæ Unctionis exprimitur in Ecclesia Bysuntina. 2. Ubi Concilium præscribit ut quisque minister iis verbis utatur quæ in provincia in qua degit sunt in usu, supponit ea verba quoad sensum, seu, substantiam istis æquivalere: *Ego vos in matrimonium conjungo, &c.* Id vero satis est ut dicatur ubique eamdem esse Sacramenti matrimonii formam.

Levis est pariter momenti quod alii reponunt asserentes tum Concilia Provincialia, tum Ritualia eo sensu Sacerdotem vocare ministrum Sacramenti matrimonii quod ritus peragat quibus solemne redditur, non vero quibus secundum substantiam perficitur. Levis est (inquam) momenti. Siquidem 1. nullus textus proferri potest, quo probetur aut Pontifices Maximos, aut Concilia, aut Ritualia eos appellasse Sacramenti ministros qui illud secundum substantiam sumptum nec conficerent nec dispensarent, quamvis peragerent solemnes illius ceremonias: sic de Parocho qui exorcismos, cæterosque baptismatis ritus peregit respectu infantis qui domi baptizatus est, nusquam dicitur quod illi infanti baptismatis Sacramentum contulerit. 2. Supponamus laudatis superius Conciliis persuasum fuisse Sacerdotem esse Sacramenti matrimonii ministrum, an illa clariori termino quam sit is, quem adhibuere, uti potuissent? 3. Si admitteretur adversariorum evasio, nullo canone probari posset Episcopum esse sacræ ordinationis ministrum. Cum enim Concilii Tridentini canon quo id sancitur, proferretur in medium, dici posset Episcopum sic appellari quod ordinationis, non substantiam, sed ceremonias administret. 4. Responsio, quam hic confutamus, nullo modo stare potest cum Sacerdotali Romano quod anno 1494. collegit Castellanus ex Dominicanorum ordine; illud enim Sacerdotale expresse asserit Sacerdotem proferre hujusce Sacramenti formam: unde sequitur, quod non sit, ut volunt, adversarii, alicujus ritus accidentalis, sed & essentialis, (ut contendimus) minister.

Probatur 4. conclusio. Si Sacerdos non sit minister Sacramenti matrimonii, id officii necessario contrahentibus competet. Sed revera non competit. Nam alioquin dicendum esset 1. esse aliquod Sacramentum a cujus dispensatione jure divino excluduntur ii, quos Apostolus vocat mysteriorum Dei dispensatores. Dicendum erit 2. formam conjugii, si in mutis (ut plerumque supponunt adversarii) sit Sacramentum, positam esse in nutibus, seu signis quibus internum suum consensum exprimunt, non autem in verbis, quæ tamen expresse ad cujuslibet Sacramenti valorem Eugenius Papa IV. requirit in decreto pro instructione Armenorum: imo concludi poterit ipsam carnalem copulam ante Concilii Tridentini tempora, vel etiam hac ætate, in locis ubi illud Concilium non est promulgatum fuisse & esse Sacramenti matrimonii formam, ubi nimirum per subsequentem copulam sponsalia transibant, vel adhuc transeunt in matrimonium: ea enim copula sufficiens erat præteriti ac præsentis consensus testimonium. Id vero quam absurdum sit ex eo colligitur quod (ut ait Augustinus) Sacramentorum formæ sint castissimæ, nonnihilque mysterii contineant. Dicendum erit 3. conferri, ut plurimum, Sacramentum absque intentione faciendi quod facit Ecclesia: nam paucos ex iis qui contrahunt, reperire est, qui proponant comparti conferre Sacramentum; præsertim cum Ecclesia nullibi moneat Parochos ut fideles doceant requiri in eis illam intentionem cum ineunt nuptias.

Iis probationibus addendum est quod Romani Pontifices opinioni quam hic propugnamus, in praxi adhæsisse visi sint, cum Catholicos dispensarunt, ut cum hæreticis nuberent. Si enim (ut fert adversariorum opinio(contrahentes sint ministri Sacramenti matrimo-

nii, pars Catholica conferet Sacramentum parti hæreticæ, asserat licet pars hæretica se suam hæresim amare; ipsaque pars cathulica ab hæretica Sacramentum recipiet: Quod quidem (etiam cum dispensatione Pontificia minime licitum est) cum sit contra jus divinum quo vetatur, ne Sanctum detur canibus, aut ab eis, citra extremam necessitatem accipiatur. E contra, si Sacerdos sit minister Sacramenti matrimonii, haud difficile colligetur dispensationes de quibus agitur, nequaquam pugnare cum jure divino, quippe quæ ubi citra Sacerdotis ministerium pars Catholica nubet cum hæretica, nec dabit, nec recipiet Sacramentum proprie dictum, seu, quod gratiam conferat, sed merum naturalem ac civilem contractum inibit.

Solvuntur argumenta quibus impugnatur opinio asserens Sacerdotem esse necessariam ministrum Sacramenti matrimonii.

Argumenta quæ adversarii objiciunt petuntur 1. ex Concilio Neocæsariensi. 2. ex Innocentio Papa III. 3. ex decreto Eugenii Papæ IV. pro instructione Armenorum. 4. ex Synodo Tridentina. 5. ex quadam declaratione Cardinalium qui explicandis Concilii Tridentini decretis præpositi sunt. 6. ex plurium scholasticorum anthoritate. 7. denique ex absurdis quibusdam. Sed hæc sigillatim proponenda sunt ac solvenda.

Objicies 1. Secundæ nuptiæ sunt proprie dictum Sacramentum novæ legis. Atqui Sacerdos non est minister secundarum nuptiarum: vetatur nimirum in Concilio Neocæsariensi ne iis se præsentem sistat: *Presbyteris* (inquit can. VII.) *in nuptiis bigami prandere non convenit: quia cum pœnitentia bigamus egeat, quis erit Presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum.*

Resp. 1. cum DD. De Marca Archiepiscopo Parisiensi Concilium Neocæsariense pro sua provincia, non illicitas modo, sed etiam irritas fecisse alteras a prioribus nuptias, unde mirum non est quod Sacerdoti prohibuerit, ne iis suum cunsensum præberet. Resp. 2. in casu, qui objicitur, secundas nuptias fuisse contractum naturalem ac civilem qui nexum indissolubilem pareret, non vero Sacramentum quod gratiam produceret: istud autem ab illo separari voluere Neocæsarienses Patres, quod secundæ nuptiæ, cum pœnis castigentur, nubentium incontinentiam prodant.

Objicies 2. Innocentius Papa III. Cap. *Quanto de divortiis*, declarat 1. matrimonium quod infideles inierint, esse *Matrimonium verum*; ipsum tamen non esse omnino, seu, quovis in casu indissolubile: *Non ratum*. Declarat 2. initum a fidelibus matrimonium esse verum ac omni in casu indissolubile: *Verum* (inquit) *& ratum*. Utraque autem ea declaratio nititur hoc principio, juxta mentem Innocentii, quod infidelium matrimonium Sacramentum non sit, cum e contra constet contractum a fidelibus esse vere ac proprie dictum Sacramentum, *Est ratum, quia Sacramentum.* Inde vero sic argumentum conficitur. Matrimonium absque Sacerdotis ministerio contractum a fidelibus, est prorsus indissolubile: Ergo est Sacramentum; & tamen Sacerdos nequaquam est illius minister.

Resp. falsum ab adversariis supponi, nempe Innocentium Papam III. repetere matrimonium fidelium indissolubilitatem ex eo quod sit Sacramentum stricte sumptum; repetit nimirum ex eo quod in persona quæ donata est baptismate cujus character nusquam deleri potest: *Etsi* (inquit laudato capit. *Quanto*) *matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: Inter fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur; imo ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo perdurante perduret.* Terminus ille, *Sacramentum fidei*, nequaquam (ut supponunt adversarii) de matrimonio intelligitur. Nam 1. sulum Baptisma, non autem Matrimonium dictum est a Patribus *Sacramentum fidei*. 2. Illud fidei Sacramentum reddit, Innocentio teste, matrimonium prorsus, seu, quovis in casu, indissolubile: *Ratum* (inquit) *efficit conjugii Sacramentum.* Igitur illud Sacramentum fidei non est idem cum Sacramento matrimonii. 3. Docet Innocentius quod perduret matrimonium, quamdiu illud fidei Sacramentum permanet: ita ut, quemadmodum indelebilis est baptismatis character, ita etiam insolubilis est matrimonii nexus: *Ut illo perduret perdurante.* Ergo fidei Sacramentum, de quo loquitur Innocentius, distinctum est a Sacramento matrimonii. Patet igitur indissolubilitatem matrimonii fidelium non repeti ab Innocentio ex eo quod sit Sacramentum, sed ex eo (ut dictum est) quod præsupponat baptisma cujus character deleri minime potest.

Addendum est Innocentium eo loci non agere in specie de matrimonio quod in fide contractum fuerit, sed abstrahere an in fide aut gentilitate fuerit initum. Ratio est, quia asserit baptisma semel acceptum amitti non posse: *Sacramentum fidei quod semel est admissum, numquam amittitur*, hincque concludit matrimonium esse prorsus indissulubile: Ea vero indissolubilitas non habet locum tantum in matrimonio quod quis in fide contraxerit, sed in eo etiam quod initum fuerit in gentilitate, cuique per utriusque conjugis conversionem baptisma supervenerit: licet enim initum in gentilitate matrimonium per conjugum conversionem non fiat Sacramentum novæ legis, seu productivum gratiæ sanctificantis, fit tamen prorsus ac quovis in casu indissolubile, vereque de eo dici potest laudatum Innocentii effatum: *Sacramentum fidei quod semel est admissum, numquam amittitur; imo ratum efficit conjugii sacramentum.* Nec est quod quis abutatur ea voce, *Sacramentum*, quam Innocentius matrimonio etiam in gentilitate contracto adscribit. Siquidem norunt omnes nuptias gentilium dici late & improprie *Sacramentum*, seu mysterium quo adumbretur unio Christi cum Ecclesia.

Objicies 3. Eugenius Papa IV. hæc habet in decreto pro instructiune Armenorum, *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti.* Ille vero consensus a contrahentibus exprimitur: Contrahentes igitur sunt causa efficiens matrimonii: Verum causa efficiens Sacramenti & minister idem sunt: Ergo contrahentes, nun autem Sacerdos, sunt ministri Sacramenti matrimonii.

Resp. vocem hanc, *Matrimonii*, qua Eugenius utitur, esse æquivocam, potest nimirum sumi pro matrimonio vel prout est contractus naturalis & civilis, vel prout est novæ legis Sacramentum. Nihil est in Eugenii decreto, quo probetur eam sumi hoc ultimo sensu. Nec mirum; de industria nempe cavit Summus Pontifex ne definiret scholasticam, quæstionem de qua agitur, unde post hæc verba: *Septimum, est Sacramentum matrimonii*; istis usus non est: *Cujus Sacramenti*, licet de ceteris Sacramentis agens, ea adhibuerit; *Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptismus. Materia hujus Sacramenti &c. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos.* Hinc patet Eugenii decretum neutri Scholasticorum sententiæ favere potius quam alteri.

Confirmatur ex eo quod satis fuerit Eugenio docere Armenos matrimonium esse sacramentum novæ legis; Unde, ubi id asseruit, mox transit ad illius vinculum; quod quidem est indissolubile, sive matrimonium consideretur ut contractus civilis, sive tamquam Sacramentum: De eo vinculo, non autem de substantia matrimonii, intelliguntur hæc ejusdem Eugenii verba: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus.* Neque enim ille consensus potest esse causa efficiens matrimonii sumpti secundum substantiam, cum ex adversariis, matrimonii sic accepti sit causa intrinseca, aut materialis aut formalis. Quem Eugenii decreto adscribimus sensum, adscripsit antea catechismus Romanus ad Parochos: *Hoc* (inquit) *ita accipiendum est, consensum ipsum, matrimonii causam effectricem esse, quod Patres in Concilio Florentino docuerunt: etenim obligatio & nexus oriri non potest nisi ex consensu & pactione.*

Obji-

Objicies 4. Nonnulla sunt in Concilio Tridentino, quæ vix possunt conciliari cum opinione, quæ asserit Sacerdotem esse ministrum Sacramenti matrimonii. 1. Sacra Synodus definit matrimonium esse proprie dictum Sacramentum novæ legis: *Si quis dixerit matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, anathema sit*. Loquitur vero Concilium de omni matrimonio, nullum enim excipit; ac proinde, cum matrimonium, cui Sacerdos, licet præsens, non benedixerit, sit verum matrimonium, est, ex Concilio, proprie dictum Sacramentum novæ legis: 2. Sess. 24. capit. 1. de reform. matrim. docet eadem Synodus conjugia clandestina fuisse rata ac vera matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. *Tametsi* (inquit) *dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit: & proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant*. Atqui matrimonia clandestina, seu quibus non adest Presbyter, non fuissent vera ac rata matrimonia, si Sacerdos esset illius minister, cum stare non possit matrimonium, nisi a legitimo illius ministro celebratum fuerit. 3. Definit eadem sacra Synodus causas matrimoniales ad judices Ecclesiasticos spectare: *Si quis dixerit* (inquit Sess. 24. canon. 12.) *causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit*. Unde sic conficitur argumentum: Ante Concilium Tridentinum, ad Ecclesiasticos judices spectabant, & modo spectant ubi promulgatum non fuit Concilium, causæ matrimoniales: Erant igitur, & nunc sunt in aliquibus locis, vera Sacramenta: nec enim sub alio respectu subjacere possunt Ecclesiæ judicio.

Resp. ad 1. immerito supponi ab adversariis, quod Concilium, ubi definit matrimonium esse Sacramentum novæ legis, loquatur de omni matrimonio. Nam 1. certum est matrimonium in gentilitate contractum, esse (ex Innocentio Papa III.) verum matrimonium: & tamen constat ipsum non esse Sacramentum proprie dictum. 2. Non pauci ex authoribus, quibus placet ipsos contrahentes esse ministros Sacramenti matrimonii, fatentur matrimonium, etiam inter fideles iniri posse tamquam contractum naturalem & civilem, qui nexum indissolubilem pariat, quamvis non fiat tamquam Sacramentum novæ legis, seu, non omne fidelium matrimonium esse Sacramentum proprie dictum. Ejusmodi est (teste Scoto) conjugium quod elingues contrahunt, cum expressa verba, quæ tamen, ex eodem Scoto, necessaria sunt necessitate medii, proferre non possint. Ejusmodi quoque est, testibus Cajetano & A Victoria matrimonium cum per procuratores initur. Joanne Baptista Gonetus in suo tractatu de matrimonio laudatis authoribus subscribit, ubi scilicet hanc sibi quæstionem proposuit: *Quæres an inter Christianos matrimonium possit esse validum in ratione contractus naturalis & civilis, & non de ratione Sacramenti*: hisce verbis eam solvit: *Dicendum est inter Christianos posse esse validum matrimonium in ratione contractus naturalis & civilis, & non in ratione Sacramenti*. 3. Ubi Concilium Tridentinum definit matrimonium esse Sacramentum novæ legis, loquitur de matrimonio, quod a legitimo ministro dispensatum fuerit; Ut igitur ex sacræ Synodi definitione adversarii suam sententiam eliciant; probent prius oportet, quod est in quæstione, nempe ambos contrahentes, non autem Presbyterum, esse ministros Sacramenti matrimonii. 4. Canon quo definitur matrimonium esse Sacramentum novæ legis, editum est contra Lutheranos & Calvinistas, qui contendebant matrimonium, a quocumque, seu a contrahentibus, aut a Sacerdote administraretur, nusquam esse novæ legis Sacramentum proprie dictum; ac proinde, ut Concilium hæreticorum dogma proscriberet, non fuit necesse, ut definiret quodcumque matrimonium esse Sacramentum novæ legis, sed illud tantum, quod a legitimo ministro, quicumque tandem esset dispensaretur. Huic rationi lux affulget ex comparatione matrimonii cum pœnitentia. Cum sacra Synodus canon. 1. Sess. 14. definit pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis, non loquitur de omni pœnitentia; datur enim aliqua, quæ non est Sacramentum; Ergo nec de omni matrimonio loquitur cum docet matrimonium esse Sacramentum novæ legis. Unde sicut vera est propositio: *Aliud est pœnitentia, aliud Sacramentum Pœnitentiæ*: hæc altera: *Aliud est matrimonium, aliud Sacramentum matrimonii*, cum Concilio Trident. cohæret quam maxime.

Resp. ad 2. dici posse 1. quodlibet matrimonium clandestinum, non excludere Parochi præsentiam; seu, matrimonium potest esse Clandestinum, quamvis a Presbytero dispensatum fuerit; potest nimirum dici clandestinum propter solum defectum testium, quos jura requirunt: ubi enim testes defuerint, matrimonium in foro fori probari non potest; ac proinde merito clandestinum appellatur. 2. Licet verum sit clandestina conjugia fuisse ante Concilium Tridentinum vera & rata matrimonia, non inde tamen colligitur ea fuisse vera ac proprie dicta Sacramenta novæ legis: Ita sensit Doctissimus Natalis Alexander Dominicanus: ubi enim Historiæ Ecclesiasticæ tomo 26. confutat Pseudo-historicum sacræ Synodi Tridentinæ, contendentem in ea definitum fuisse clandestina matrimonia fuisse quondam Sacramenta novæ legis, impactam calumniam sic depellit: *Respondetur numquam matrimonia clandestina declarasse Concilium fuisse Sacramenta: adeo ut graves etiamnum Theologi id negent*. Ibidem laudatus author scribit inita a Calvinistis matrimonia nusquam aut Galliarum Conciliis, aut edictis pacificationis latis a Francorum Regibus approbata fuisse tamquam Sacramenta legis novæ, sed solum tamquam legitimos civiles contractus: *Adde* (inquit) *hujusmodi edictis .... approbatam non esse reformatam falsi nominis religionem, sed toleratam dumtaxat, adeoque nec approbata ipsorum connubia quasi sacramenta, sed quasi legitimos contractus*. Doctissimo viro præiverat Palavicinus in sua Concilii historia, hisce nimirum verbis a Suavi impactam Concilio calumnia depellit: *Omitto* (inquit lib. 23. capit. 9.) *Numquam declarasse Concilium matrimonia clandestina fuisse Sacramenta, adeo ut graves quidam Theologi id negent*. Non immerito id observatum est a Palavicino, cum plures Theologi in Concilio propugnarint clandestina matrimonia, licet quondam rata habita fuissent, nusquam tamen fuisse Sacramenta novæ legis: ac præterea Synodus caverit semper ne definiret ea ad fidem spectare, de quibus doctores Catholici unanimi consensu non convenirent.

Resp. ad 3. Tridentinam Synodum non dicere 1. quod Ecclesia judicare debeat de solo Sacramento matrimonii, sed de causis, quæ ad illud pertinent: *Causae matrimoniales*. 2. Ex eo, quod Ecclesia de quolibet matrimonio judicet, male colligitur quodlibet matrimonium esse Sacramentum, sicut male inferretur sponsalia esse Sacramentum, quod Ecclesia de sponsalibus judicet. 3. Matrimonium, etiam prout civilis contractus, parit nexum indissolubilem; cum vero ille nexus sit spiritualis, par est ut Ecclesiæ judicio subjaceat. 4. Matrimonium prout est naturalis ac civilis contractus, est (ut superius dictum fuit) materia matrimonii prout est Sacramentum novæ legis: sub eo igitur respectu necesse est pertineat ad Ecclesiæ judicium.

Objicies 5. Cardinalium, qui explicandis Concilii Tridentini decretis præpositi sunt, circumfertur declaratio, qua statuitur hæc Concilii verba; *Ego vos in matrimonium conjungo*, non pertinere ad matrimonii essentiam: non sunt igitur illius forma, ac proinde Sacerdos, qui ea profert, non est illius minister.

Resp. 1. declarationem illam explicari posse de matrimonio, prout est contractus naturalis & civilis, non autem prout est Sacramentum novæ legis. 2. Fictitia est ejusmodi declaratio, seu falso adscripta Eminentissimis Cardinalibus; unde anno 1631. promulgata est Urbani Papæ VIII. constitutio, qua detrahitur fides collectioni declarationum, inter quas lo-

locum habebat, quæ nunc objicitnr: *Declarationibus* (verba sunt laudati Pontificis) *ejusdem sanctæ Congregationis, tam impressis & imprimendis, quam manuscriptis nullam fidem esse in judicio, vel extra, adhibendam.*

Objicies 6. nubem Scholasticorum quibus placet contrahentes esse ministros Sacramenti matrimonii: Ex iis vero nonnulli sunt, qui post Dominicum Soto contrariam sententiam novitatis ac temeritatis insimulent.

Resp. levis esse momenti illud argumentum. 1. Mirum videri non debet, quod Magister Sententiar. Durandus, nonnullique vereres Scholastici docuerint contrahentes esse causam efficientem matrimonii: cum enim illud inter novæ legis Sacramenta non recensuerint, par non fuit ut pro ministro illi Sacerdotem adscriberent. 2. Plures e veteribus Scholasticis, quibus persuasum fuit mattimonium esse Sacramentum proprie dictum, de illius ministro tamquam de re maxima dubia locuti sunt.

Sanctus Thomas scribens in Sententias, asseruit quidem Sacerdotis benedictionem non esse de substantia hujusce Sacramenti; Verum aliud innuit in Summa Theologica, Tertia part. quæst. 83. articul. 3. ad 8. argumentum absolute definit dispensationem Sacramentorum ad Presbyteros pertinere: *Dispensatio* (inquit) *Sacramentorum pertinet ad ministros Ecclesiæ*: Cum vox illa, *Sacramentorum*, sit indefinita, æquivalet universali, ac proinde non minus matrimonium, quam cætera Sacramenta complectitur. Idem Sanctus Doctor 2. 2. quæst. 100. artic. 2. ad 6. docet ideo esse illicitum aliquid accipere pro nubentiom benedictione, quod matrimoniom sit Sacramentum: *Dare* (inquit) *pecuniam pro matrimonio, in quantam est Ecclesiæ Sacramentum, est illicitum; & ideo secundum jura probibetur ne pro benedictione nubentiam aliquid exigatur.* Si Sancti Thomæ tunc persuasum non fuisset Sacerdotalem benedictionem non esse de essentia Sacramenti, falso conclusisset ideo nihil pro ea accipi debere, quod matrimoniom sit Sacramentum. In Supplemento qnæst. 8. artic. 1. hocce principium statuit, quod cum adversariorum senteotiæ minime cohæret: *Solus ille* (inquit) *minister est Sacramentorum in quibus gratia datur, qui babet ministeriam super Christi corpus verum, quod solius est Sacerdotis*: Terminus ille, *Solus*, quemcumque alium ministrnm excludit; hic alius, *Sacramentorum*, de omnibus Sacram. intelligitur, cum sanctus Doctor nullum excipiat.

Scotus non magis hoc in capite constans fuit quam Sanctus Thomas: Contendit nempe ambos contrahentes sibi invicem dispensare Sactamentum matrimonii, addit postea conferri a parentibus, qui pro filiis præsentibus ac silentibus contrahunt: *Ut plurimum* (inquit in 4 distinct. 26.) *ipsimet contrabentes ministrant sibi ipsis boc Sacramentum, vel mutuo, vel uterque sibi. Sed nec boc requiritur necessario, quia aliquando parentes contrahunt pro filiis vel filiabus, præsentibus eis, non exprimentibus signa propria. Si ergo ibi est Sacramentum, oportet dicere, quod minister bujus Sacramenti potest esse indifferenter quicumque potest esse minister in contractu matrimonii.*

Licet (ut mox observatom est) nonnulli veteres Scholastici hæserint ancipites circa ministrum Sacramenti matrimonii, alii tamen inter eos constanter docuerunt ministerium illud soli Sacerdoti competere, adeo ot inde concluserint matrimonium esse proprie dictum Sacramentum novæ legis: *Sine Sacerdotali benedictione* (inqnit Guillelmus Parisiensis in suo tractatu de matrimonio) *numquam celebrandum est matrimonium, Matrimonium est sacrum,* (seu gratiam sanctificantem producit) *apud fideles virtute benedictionis.* Post Guillelmi Parisiensis tempora plures e schola Theologi contrahentibus adscripsere jus ministrandi illud Sacramentum: verom non pauci contrariam amplexi snnt paolo ante Concilium Tridentinum, & multo plures post illius celebrationem. Unde Dominicus Bannesius scribens in 1. part. Sancti Thomæ, quæst. 1. artic. 8. asserit *communem sententiam modo a multis improbari, non solam post celebrationem Concilii Teidentini, sed etiam antea, & Cani sententiam* (quæ nostra est) *multos alios sequi absque ulla temeritate. Quod enim uno tempore occultatur, postea per diligentiam & studium advenientium multoties innotescit.* Idem author de primis Theologiæ Scholasticæ parentibus advertit, quod a nobis mox fuit observatum: *Respondetur* (inquit) *illam sententiam de matrimonio non fuisse communem omnium Theologorum, sed aliquos oppositum docuerunt. Præterea licet fuisset communis, non tamen fuit firma senteatia, ut patet ex Magistro, S. Thoma, Scoto & omnibus aliis in 4. qui omnes sub dubio relinquunt, neque aliquid certo definiunt.*

Jam vero, quod spectat ad Scholasticos, qui nobis adversantur, quique non ita pridem scripsere, dicendum est quod quantus, quantusque fingatur eorum numerus, non destruant opinionis nostræ probabilitatem: Præterquam quod enim sint nobis fratrum non autem patrum loco, eis omnium ordinum, omnium gentium non ignoti nominis Theologi opponi possunt.

Melchior Canus ex ordine Dominicanorum strenue a se propugnatam in Concil. Trid. sententiam, quæ docet Sacerdotem esse ministrnm Sacramenti matrimonii doctissimo opusculo deinceps tuitus est.

Franciscus Toletus eidem subscripsit Sacerd. instructionis lib. 7. p. 6. ubi sic loquitur: *Efficiens causa matrimonii sunt ipsi contrabentes, in quantum est contractus quidam; at vero, ut est Sacramentum Deus est causa principalis, minister est causa instrumentalis.* Iis verbis patet Toletum distinguere ministrum a personis contrahentibus tum qnod matrimonium, prout est civilis contractus opponat matrimonio, prout est Sactamentum, tum quod, ut exprimat ministrum, utatur numero singulari: *Minister*, tom deniqne, quod loquens de ministro, non repetat vocem hanc, *Contrabentes*, qua usns fuerat agens de causa efficienti matrimonii prout est contractus civilis. Idem anthor hæc scribit: *Minister ante Concilium Tridentinum non erat necessarius, quia poterat esse verum matrimonium sine ministro.* Per hanc vocem, *Ministro*, haud dubie Toletus intelligit Sacerdotem; Eum igitur pariter intelligit, cum ait *ministrum esse causam instrumentalem matrimonii.* Nec obstat, qnod Toletus ibidem asserat signa exteriora quibus ambo contrahentes suum consensum exprimunt, esse formam matrimonii, ac proinde eos esse ejusdem Sacramenti ministros; Non obstat (inquam) nam Toletus eo loci loquitur de matrimonio prout est contractus civilis, quemqoe immediate antea asseruerat separari posse a matrimonio prout est Sacramentum: *Minister ante Concilium Tridentinum non erat necessarius, quia poterat esse verum matrimonium sine ministro.*

Estius Academiæ Duacensis Cancellarins & Professor, multis propugnat sententiam quam toemur, asseritqne, quod *Sacramenti sanctitati maxime congruat.* Addit & multa paradoxa per eam vitari: *Ut* (inquit) *quod bujus Sacramenti minister non sit unus, sed duo; non ordinati, sed laici; vir & mulier; quod iidem suscipientes & conferentes: quod forma consistat sine verbis; quod nullam contineat ceremoniam peculiarem, &c.* Estio adhæsit Sylvius: *Responsio verior est* (ait in Supplem. quæst. 42. artic. 1.) *bujus Sacramenti ministrum esse solum Sacerdotem.* Bacchalaurei Parisienses non raro idem dogma propugnant in suis thesibus: Instar omnium sit, quæ diei 13. Jnoii anno 1676. propugnata est a Doctissimo Abbate Colberto, nonc Illustrissimo Archiepiscopo Rothomagensi: *Matrimonii materia* (verba sunt theseos) *est contrabentium consensus; formæ vero rationem babent verba ministri, seu Sacerdotis, qui illius Sacramenti solus minister est babendus.* Omitto alios hujusce sæculi scriptores, qnornm textus lector descriptos reperiet in dissertatione Gallica, quam de hocce argumento annis ab hinc octo Vesuntione edidimos, ut iremus obviam obtrectationibus nonnullorum qui singularitatis insimulabant propositionem, quam in nostro Oratorii collegio Bisuntino-Granvellano, de hac materia publicis in thesibus proposueramus.

Obj-

Objicies 7. Si iuiti absqua Presbyteri opera contractus matrimoniales, non essent Sacramenta, injungi deberet heterodoxis cum ad unitatem redeunt, ut de novo coram Sacerdote in Ecclesia contraherent, ut scilicet gratiam consequautur, quæ Sacramento matrimonii est annexa: Id tamen nullibi redigitur ad praxim: Ergo Sacerdos nou est Sacramenti matrimonii minister.

Resp. nullius esse ponderis illud argumentum. Nam si valeret, dicendum esset 1. Ecclesiam quondam debuisse eis injungere, qui in gentilitate coutraxissent, ut suum consensum in Ecclesia coram Sacerdotibus iterarent; quod tamen nusquam præstitit. 2. Infirmis periculo esset praxis illa, quam adversarii invehi vellent in Ecclesiam, dubitare nimirum possent de validitate matrimonii, quod iniisseut in hæresi, si post conversiouem jubereutur suum coram Sacerdotibus renovare consensum. 3. Non constat matrimonium, quod valuit tamquam civilis contractus, posse per uovam conseusus expressionem coram Sacerdote, fieri Sactamentum uovæ legis: Id enim plures e Schola Theologi inficiantur hoc argumento nixi, quod uou adsit Sacrameutum ubi uou adest contractus actu existeus; adesse vero (inquiunt) non potest contractus eo quod partes de novo contrahere non possint de re de qua jam prius contraxere: Ita censer Joannes Baptista Gonetus: hanc nempe sibi quæstiouem proponit in suo tractaru de Matrimonio, quæst. 2. artic. 2. part. 4. *Quæres utrum matrimonium ab infidelibus valide contractum fiat Sacramentum, quando illi convertuntur ad fidem, & baptizantur, præsertim si tunc accedat novus consensus signo aliquo sensibili expressus cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Enim vero quæstiouem sic solvit: *Respondeo negative, quia quando infideles baptizantur, nulla fit nova actio, quæ sit fieri ipsius matrimonii, cum illud supponatur jam factum, nec nova verba, novusque consensus facere possunt novum matrimonium; repetitus enim consensus non affert novam materiam, nec novam formam, sed ratificat tantum priorem.* Ne autem quis ea laudati authoris verba restringat ad infidelium matrimonia, obstant hæc quæ ab ipsomet adduntur: *Ex dictis colligitur matrimonium civiliter tantum a fidelibus contractum, accedente novo consensu non fieri Sacramentum.* 4. Alia via, quam receptione Sacramenti matrimouii recuperari potest ab hæreticis, qui converuntur, graria Sacramentalis, qua frustrati suut nubendo extra Ecclesiam; pœnitentia uimirum & Eucharistia, quibus, iis etiam medetur, qui iu Ecclesia ficti ad matrimonium, cui Sacerdotes benedixerint, accessere.

QUÆSTIO QUARTA.

De effectibus Sacramenti Matrimonii.

UBI probatum est superius matrimonium esse ptoprie dictum Saeramentum novæ legis, ostensum est eo gratiam sanctificautem produci: Hic vero expendendum superest, quem ob fiuem detur ejusmodi gratia, & quos effectus in iis operetur, qui, ut par est, dispositi ad hoc Sacramentum accedunt.

Conclusio. Gratia, quæ matrimonio producitur, medetur iis omuibus malis, quæ per peccatum primorum parentum irrepserunt in nuptias.

Probatur 1. Per Adami & Evæ peccatum factum est, ut ex nuptiis non minus, quam ex fornicatione, proles nascatur obnoxia peccato, juxta illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: Atqui gratia, quæ per matrimonii Sacrameutum fidelibus datur, medetur ejusmodi malo; efficit nempe, ut conjuges prolem per lavacrum regenerationis mundatam, & verbo & exemplo doceant Dei legem: *In nuptiis* (inquit Augustinus lib. 1. de nuptiis & coucupiscent.) *bona nuptialia diligantur, proles, fides, Sacramentum. Sed proles, non ut nascatur tantum, verum etiam, ut renascatur.* Idem hisce verbis asserit Fulgentius Epistola 1. quæ est de conjugali debito, capite 111. *Deo dicandam conjugalis exhibet fœcunditas prolem, ut Redemptoris ope homo jam natus reformetur Baptismatis Sacramento, cujus ope plus reformatur in utero, & illum habeat humana natura beneficio secundæ nativitatis patrem, quem in ipsa nativitate suæ conditionis agnoscit auctorem.*

II. Per Adami & Evæ peccatum, in nuptias irrepsit libido, pet quam conjugati ad varia flagitia impelluntur. Sed per matrimonii gratiam illis flagitiis occurritur: quippe quæ efficiat ue coujugati libidini serviant, ne actu conjugali intemperanter utantur, ne mutuam fidem adulterio violent.

III. Per primorum parenrum inobedientiam discordia nuptias fideliuui infecit, factum est scilicet, ut vir abutatur potestate, quam accepit in uxorem, & uxor marito subjici recuset. Verum per sanctum matrimonium efficitur, ut (teste Paulo ad Ephes. 5.) viri uxores diligaut, sicut Christus Ecclesiam; & vicissim mulieres subditæ sint viris, sicut Ecclesia Christo; ut vir non excedat debitos acceptæ potestatis limites, & ut mulier debitam viro obedientiam non detrectet.

IV. Gtaves sunt in matrimonio ærumnæ, *Tribulationem tamen carnis* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 7.) *habebunt hujusmodi*. Efficit matrimonii gratia, ut illæ ærumnæ tolerentur patienter, & commune jugum levius feratur.

QUÆSTIO QUINTA.

De Sacramenti Matrimonii ritibus.

CUM aliorum omnium Sacramentorum ritus solemnes suis locis descripserimus, par est, ut hic eos referamus, qui ad mattimonii Sacramentum pertinent, iis tamen omissis quos de matrimonii, prout est civilis contractus, solemnitate superius, disserentes, lectoris posuimus ob oculos.

Conclusio 1. Cum solemniter confertur matrimonii Sacramentum, plures servantur ritus.

Probatur enumeratione. Primo, Sacerdos, (ut superius ostensum est) sponsis solemnem benedictionem impertitur. Secundo, Pro iis offertur Missæ sacrificium. Tertio, Velamine obnubuntur. Quarto, Vitta quæ partim caudida, & partim purpurea sit, junguntur. Quinto, Sponsus sponsam donat annulo, quem Sacerdos prius benedixerit. Sexto, Variis precibus conjugium recens contractum Domino commendatur. Septimo, Sponsus & sponsa a Sacerdote monentur, ut houeste ac Christiane se gerant in usu, reliquisque matrimonii officiis. Eos vero ritus legere est tum in antiquis, tum in hodiernis Ritualibus.

Conclusio 2. Sacramenti Matrimonii ritus damnari nequaquam possunt.

Probatur 1. authoritate Concilii Tridentini, quod Sess. 24. hunc Canonem contra recentiores hæreticos condidit: *Si quis* (verba sunt xI. Canonis) *benedictiones & alias ceremonias, quibus Ecclesia in illis* (nuptiis) *utitur, damnaverit, anathema sit.*

Probatur 2. ex Nicolao I. qui anno 858. creatus est Romanus Pontifex, respondens ad consulta Bulgatorum sic loquitur capite 3. *Nostrates tam mares, quam fœminæ, non ligaturam auream vel argenteam, aut ex quolibet metallo compositam, quando nuptialia fœdera contrahunt, in capitibus deferunt; sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa fœdera,*

que-

quæque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & earum in quorum potestate sunt, celebrantur, & postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitum desponderit, dotemque utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum, tale quid fieri præsumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem, & velamen cœleste suscipiunt... Verumtamen velamen illud non suscipit, qui ad secundas nuptias migrat. Post hæc autem de Ecclesia egressi coronas in capitibus gestant, quæ semper in Ecclesia ipsa sunt solitæ reservari. Et ita festis nuptialibus celebratis ad ducendam individuam vitam domino disponente de cætero diriguntur.

Probatur 5. ex eo, quod Patres Nicolao Papa I. multo antiquiores recenseant fere omnes illos ritus. Siricius Epistol. 1. capite 4. Innocentius I. Epistol. 2. capite 6. & ante eos Ambrosius Epist. 70. ad Vigilium, benedictionis meminere. Velamen recenset mox laudatus Ambrosius libr. 1. de Abraham Patriarcha capite de oblatione. Tertullianus expresse loquitur lib. 2. ad uxorem: *Unde sufficiam* (inquit) *ad fælicitatem ejus matrimonii enarrandam, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, pater rato habet?*

FINIS DISSERTATIONIS UNDECIMÆ,

De Matrimonio prout est novæ legis Sacramentum.

DISSER-

DISSERTATIO DUODECIMA.

De Censuris.

NOstro de Sacramentis Commentario censuras inserimus, quod qui sunt iis innodati, a Sacramentorum aut confectione, aut participatione arceantur. De iis vero quætemus. Primo, Quid sint. Secundo, Dicemus de earum divisione. Tertio, Quæremus quænam sint eorum tum materia, tum forma. Quarto, Quæ tum authorem, tum ministrum, tum subjectum, tum effectus habeant. Quinto, Dicemus de variis illarum speciebus.

QUÆSTIO PRIMA.

De existentia, & essentia censurarum.

EXistentiam censurarum demonstrat earum necessitas: nec enim Christus Ecclesiæ suæ deest in necessariis; Essentiam complectitur definitio; Divisio spectatur, vel secundum jus antiquum, vel secundum novum.

Conclusio prima. Censuræ sunt necessariæ.

Probatur. Censuræ necessariæ sunt 1. Ecclesiæ corpori: Si enim putridæ carnes per censuras aliquando non resecarentur, nec oves scabiosæ repellerentur a caulis, periculum esset ne sana alioquin mystici corporis Christi membra computrescerent, ne oves sanæ aliarum morbis inficerentur. Necessariæ sunt 2. multis privatis personis: non enim ii sunt omnes privati Christiani, qui, vel sola pietate, vel solo timore offensæ divinæ, vel ob reverentiam, quæ Prælatis debetur, a peccato temperent: Censuris igitur cogendi sunt, ut suo fungantur officio. Necessariæ sunt denique 3. ut Sacramentorum sanctitati consulatur: siquidem, nisi impii quidam censuris prohiberentur, temerario & sacrilege aut os, aut manus mysteriis admoverent. Hinc effectum est, ut Ecclesia ab ipso sui exordio ad hæc usque tempora censuris usa sit: Hinc quoque factum est, ut nulla unquam fuerit religio sive vera, sive falsa, quæ a suis tum sacrificiis, tum Sacramentis impios quosdam non repulerit. Eam disciplinam (ut author est Cæsar libr. 6. de bello Gall.) Druides rigide observabant: *Si quis, aut privatus* (inquit) *aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab iis omnes descendunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.*

Conclusio secunda. Censura secundum veterem usum est quælibet pœna in exteriori Ecclesiæ foro indicta, qua aliquis ob culpam certo spirituali jure privatur: At secundum præsentem usum, Censuræ nomine nihil aliud intelligitur, quam excommunicatio, suspensio, interdictum.

Probatur ac explicatur prior conclusionis pars. Censura dicitur 1. *Pœna*, qua quidem voce excluditur cessatio a divinis, sive fiat ob metum hostium, qui urbem obsidione cingunt, vel ex eo, quod populus regendus non supersit; sive ob injuriam Ecclesiæ illatam injungatur, donec exhibeatur satisfactio. Excluduntur quoque interdictum & suspensio Clerici, qui ordinis executione vetatur ob corporis aut animi infirmitates, aut propter aliam causam, quæ peccatum non sit. Censura dicitur 2. pœna *inflicta in foro exteriori Ecclesiæ*, seu, in eo, in quo negotium agitur testibus & variis judiciorum formulis, ut excludantur sententiæ quibus crimina castigantur in foro interiori, seu in quo non alia adhibetur probatio quam confessio pœnitentis. Dicitur 3. privare *certo spirituali jure*, quod pœnæ corporeæ vel pecuniariæ inter censuras numerari non possint.

Confirmatur. Eucharistia communionis Christianæ fons est & origo. Ad habitudinem & relationem, quam fideles ad eam haberent majores nostri totum refundebant communionis negotium. Cum autem duplex sit Christianorum ad Eucharistiam relatio; ea scilicet qua conficitur, altera qua recipitur, duplex statim nascitur Christianorum communio; Laica quidem, qua populus secum & cum Clericis, ut perficiatur, communicat; Ecclesiastica vero, qua Clerici inter se mutuo, & in Sacrificii ministerio fruuntur. Laicæ Communionis quinque sunt gradus quorum posterior priorem & postremus omnes superiores complectitur; Fletus nimirum, Auditio, Substratio, Consistentia, Communicatio, seu, Eucharistiæ participatio; Ecclesiasticæ vero communionis gradus sunt tum ordines septem, tum Episcopatus, qui Ordinum omnium apex est & perfectio. Censura Laicos aliquos Laicæ communionis gradu privabat. Clericos vero aliquos ex iis ex quibus constabat Ecclesiastica communio; unde quælibet censura dicebatur excommunicatio, quo autem gradu quis privaretur, pensari debebat (ut inferius dicetur) tum ex gravitate criminis, cujus quis erat reus, tum e statu, in quo versabatur, quum aliqua in eum censura animadvertebatur.

Probatur altera conclusionis pars ex Innocent. Papa III. qui lib. v. Decretalium definit censurarum nomine intelligi debere tantum excommunicationem, suspensionem, interdictum. Unde concluditur irregularitatem eam etiam, quæ oritur ex delicto, depositionem & degradationem, inter censuras, secundum usum hodiernum, minime numerari: quamobrem, qui a censuris absolutus est, ab irregularitate, depositione, aut degradatione dispensatus non censetur.

QUÆSTIO SECUNDA.

De divisione Censurarum.

COnclusio. Censura in genere sumpta, multiplex est.

Probatur enumeratione, quam hic ex nostris institutionibus Theologicis describemus. I. Censura alia est a jure, alia ab homine. Illa Conciliorum decretis, vel in jure Canonico scripta legitur; Ista vero fertur ab aliquo singulari superiore. Differunt præterea a se invicem, quod quæ est a jure, semper sit generalis; quæ autem ab homine nonnumquam sit particularis, seu, contra aliquas determinatas personas in individuo. Prior vim habet etiam post legisla-

gislator, aut mortem, aut amotionem ab officio; posterior vero statim desinit. Ab illa, si per canonem reservata non sit, quilibet approbatus minister potest absolvere; ab ista vero is tantum a quo lata fuit, vel ejus superior, vel minister delegatus: unde, nisi specialiter exprimatur, sub concessione generali absolvendi a censuris, non comprehenditur.

II. Censura alia est, *Latæ sententiæ*; alia *Ferendæ*. Prior est ea, quæ incurritur statim atque peccatum admissum est, etsi nulla judicis sententia homo declaretur reus. Posterior e contra non incurritur nisi peccato accesserit declaratio judicis. Illa (inquit Cabassutius noster) hisce particulis dignoscitur; *Ipso facto*; *Ipso jure*; *Latæ sententiæ*, vel his adverbiis; *Statim*; *Confestim*, *Continuo*, *Ex tunc*, *Illico*, *Protinus*: aut cum Canon utitur verbis præsentis temporis, aut præteriti: *Qui hæc fecerit*, *excommunicatur*, *suspenditur*; aut, *sit excommunicatus*; *sit suspensus*; *sit anathema*; aut, *noverit se excommunicatum*; vel, *suspensum*; aut, *noverit se excommunicari*, *suspendi*; aut, *Excommunicamus*, *suspendimus*, *judicamus*, *declaramus*, *decernimus esse excommunicatum*, *suspensum*; aut, *Incurrat*; vel, *Incidat in excommunicationem*; vel, *Habeatur pro excommunicato*, *suspenso*, *interdicto*. Censura *ferendæ sententiæ*, non exprimitur per modum sententiæ, sed per modum statuti comminatorii, quo fit ut Prælatus absque alia commonitione possit reo inferre censuræ pœnam: Statutum autem illud comminatorium his aut similibus terminis exprimitur: *Præcipimus sub pœna excommunicationis*, vel, *suspensionis*, vel, *Interdicti*, vel, *Sub interminatione anathematis*; vel, *Incurrat censuram comminatoriam*; vel, *Decernimus excommunicandum*.

Hic monitum velim lectorem, decem prioribus sæculis distinctionem illam censurarum, *Latæ sententiæ*, *& ferendæ*, nequaquam in usu fuisse. Nam quotiescumque in antiquis Canonibus dicitur anathema, aut decernuntur suspensio, aut depositio in eos, qui hoc aut illud crimen egerint, hoc unum significatur, nempe eos, qui de perpetrato eo crimine convicti fuerint, excommunicari aut suspendi, aut deponi debere. Confirmatur ex eo, quod hæc verba: *Sit ipso facto excommunicatus*, *suspensus*, *depositus*, *qui hoc egerit*, nusquam in antiquis canonibus legantur, sed ista tantum, quæ meram censuræ comminationem significant: *Si quis id fecerit*, *excommunicetur*, *deponatur*, *segregetur*. Nec obstat vox, *Anathema*, qua Patres nonnullam censurarum speciem expressere: Nam anathema dicere est devovere diris, seu rem reddere execratione dignam: *Nemo in spiritu Dei loquens* (inquit Paulus 1. ad Corinth. 12.) *dicit anathema Jesu*, hoc est, *nemo qui per spiritum Dei loquitur*, *Christo maledicit*, *Jesum execratur*. Unde voces istæ, *Anathema sit*, apud veteres idem significant, ac, *Excommunicetur*, *Execrabilis fiat*, *Diris devoveatur*. Verum si per censuram *Latæ sententiæ* intelligatur ea, qua decernitur, ut quis absque ullo præcedente judicio, seu nova constitutione aut excommunicetur, aut suspendatur, aut deponatur ubi de crimine convictus fuerit, non est dubium, quin ea censuræ species apud antiquos fuerit in usu.

III. Censura alia est justa, alia injusta. Prior ea est, quæ fertur secundum leges ac formas jure præscriptas; Posterior, cui desunt formalitates, vel quæ sinistra fertur intentione, lib. 5. Decretalium titul. 39. cap 48. Inter censuras etiam injustas nonnullæ sunt validæ, quæ nimirum in reo supponunt causam materialem, seu culpam mortalem, sed in judice causam habent injustam, odium scilicet aut vindictam, non vero laudabilem disciplinæ zelum. Aliæ vero sunt invalidæ 1. quoad forum interius, quæ nempe falso supponunt personam ream esse criminis, quod censuris castigatur; 2. etiam quoad forum exterius; quæ scilicet non servatis essentialibus formulis jure præscriptis feruntur.

De injustis censuris, quæ tamen valeant, intelligi debet præclara hæc Gregorii Magni sententia homil. 6. in Evangelia: *Sententia pastoris*, *sive justa*, *sive injusta sit*, *timenda est*. De his vero, quæ & injustæ & invalidæ sunt, sic Augustinus loquitur cap. 6. libri de vera religione: *Sæpe etiam sinit divina providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quam vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus, aut si id non sinatur vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur. Tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque cesserunt; sine ulla conventiculorum segregatione usque ad mortem, & testimonio juvantes eam fidem, quam in Ecclesia Catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt, imo plura sunt, quam credi potest*. Lib. 1. de Baptismo cap. 17. idem docet mox laudatus Sanctus Doctor: *Spirituales autem* (inquit) *sive ad hoc ipsum pio studio proficientes*, *non eunt foras quia vel cum aliqua perversitate vel necessitate hominum*, *videntur expelli*, *ibi magis probantur*, *quam si intus permaneant*, *cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur*, *sed in solida unitatis petra fortissimo charitatis robore radicantur*. Hieronymus scribens in caput tertium Levitici idem tradit: *Si quis* (ait) *non recto judicio eorum*, *qui præsunt Ecclesiæ*, *depellatur*, *& foras mittatur*, *si ipse non ante exiit*, *hoc est*, *si non ita egit*, *ut mereatur exire*, *nihil læditur in eo*, *quod non recto judicio ab hominibus videtur expulsus*, *& ita fit ut ille*, *qui foras mittitur intus sit*, *& ille foris*, *qui intus retinetur*. Nititur eorum Patrum sententia hoc principio, quod tunc tantum coram Deo locum habeant latæ a pastoribus censuræ, quando cohærent cum æterni judicis sententia: *Causæ ergo* (inquit Gregorius Magnus homil. 26. in Evangelia) *pensandæ sunt*, *& tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda* .... *Tunc enim vera est absolutio præsidentis*, *quando æterni sequitur arbitrium judicis*.

Navarrus censet innocentem, contra quem lata fuit injusta censura, ex suppositione nimirum facti, quod certo falsum est, non posse, etiam privatim & secluso scandalo, actus quibus prohibitus est, exercere. Sed trita magis ac verior est opposita sententia. Addendum est, quod si cum scandalo eos exerceat, reus quidem coram Deo futurus sit, sed nullam ob id irregularitatem contrahet.

IV. Censura alia est ad tempus, alia in perpetuum: Illa certo tempore; ista nullis limitibus definitur: Excommunicatio prioris est generis, depositio vero posterioris: neque enim perdurare debet excommunicatio, nisi quamdiu rei contumacia perduraverit.

QUÆSTIO TERTIA.

De censurarum tum materia, tum forma.

CONCLUSIO 1. Materia censurarum est peccatum grave, exterius, quod actu commissum sit.

Probatur 1. Quod sit *peccatum* colligitur ex eo, quod censura sit pœna; omnis autem pœna (Augustino teste) peccati sit pœna. 2. Quod sit peccatum *grave* seu mortale & scandalosum, si non actu, saltem in potentia, evincitur ex eo, quod censura sit pœna publica, quæ instituta est, ut stet disciplinæ vigor, & ut scandala a fidelibus amoveantur. 3. Quod sit peccatum *externum* evincitur ex eo, quod censura sit exterioris fori, quod quidem in peccata mere interna, & quæ exterius nulla ratione se produnt, non animadvertit. 4. Quod debeat *actu esse commissum* infertur ex eo, quod nulli canones censuris castigent propositum committendi aliquod scelus, quamvis illud propositum exterius innotuerit.

Iis, quæ mox dicta sunt, non officiunt quæ agentes

tes de Pœnitentia superius asserta suut; occulta nempe crimina quondam castigata fuisse per publicam pœnitentiam, quæ quidem quædam erat censuræ species, cum per eam fideles ab Eucharistiæ participatione & fidelium precibus areereutur: Non (inquam) officiunt: licet enim iis qui Sacerdotibus occulta crimina in secreta confessione detexerant, imponeretur publica pœnitentia, ad eam tamen agendam cogi non poteraut in exteriori foro, nisi aliunde criminis convicti fuissent: *Accusatore silente* (inquit Optatus lib. 7.) *non licuit nobis reum abstinere, scriptum est enim ante cognitam causam neminem esse damnandum*. Innocentius Papa I. idem innuit in Epist. ad Exuperium Tolosanum: *Probatione cessante* (inquit) *vindictæ ratio conquiescit*.

Conclusio 2. Forma censurarum sunt formalitates, seu conditiones, quas aut jura aut consuetudo præscripsere.

Probatur. Positis illis formalitatibus, seu conditionibus, censuræ suum effectum sortiuntur; iis varo sublatis nullum omnino habeut locum.

Quæres quænam sint eæ formalitates?

Resp. in censuris quæ per modum statuti aut legis feruutur, requiri 1. ut lex eo, quo par est, ritu promulgata fuerit. 2. ut lex illa recepta fuerit. 3. ut uullo modo abrogata sit, aut vis ejus desierit.

Resp. iterum in censuris quæ per modum sententiæ feruntur, requiri 1. ut iis exprimantur verbis quibus inteutio judicis de præsenti censuram ferentis exprimatur. Hinc colligitur eum non esse excommunicatum, quem Papa vitaverit; sicut nec eum absolutum, quem sua familiaritate aut osculo donaverit. 2. Necesse est ut exprimatur nomen personæ in quam censura lata fuerit. 3. Culpa debet exprimi, seu, causa censuræ, tum ne temere lata videatur, tum na judici relinquatur facultas modo hanc, modo illam, pro libito proferendi; tum ut reus sciat a quo peccato debeat temperare; tum denique ut suam innocentiam, si forte per calumniam accusatus sit, tueri valeat. 4. Ut censura in exteriori foro suum effectum sortiatur, debet exprimi scripto, cujus exemplar reo detur, si petierit. 5. Censuræ, quæ circa delictum præsens cum contumacia conjunctum versantur, prærequiruntur tres monitiones ut justæ sint; quæ vero circa præteritum, seu, quæ in declaratione consistunt, non prærequirunt monitiones, sed citationibus opus est, ut reus in jus veniat, sui facti rationem redditurus: *Sancta Synodus* (inquiunt actione 1. Patres Ephesini) *Canonibus obtemperans tertio Nestorium vocavit*.

QUÆSTIO QUARTA.

De authore, ministro, subjecto, & effectibus censurarum.

Conclusio 1. Deus ipse est author censurarum. Probatur 1. Deus in antiqua lege facultatem fecerat Synagogæ leprosos ejiciendi ab hominum consortio, & pœna anathematis animadvertendi in impios qui cum contumacia cæteris essent scandalo. Ea vero potestate Judæi abusi sunt comminantes (ut legitur Joannis 9.) ut si quis confireretur Jesum esse Christum; extra Synagogam fieret. 2. Christus in nova lege eamdem potestatem suæ Ecclesiæ concessit. Mat. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*, seu, ii quos vel a Sacramentorum participatione, vel ab Ecclesiæ ministerio, vel a cœtu fidelium justo judicio excluseritis, vere erunt exclusi coram Deo. 3. Ecclesia ab Apostolorum ætate ad hoc usque sæculum usa est ea potestata. Paulus 1. ad Corint. 5. exclusit a divinorum participatione, addixitque pœniteutiæ laboribus incestuosum Corinthium, Hymeneum propter impia dogmata confodit anathematis telo, seu, extorrem fecit ab omni fidelium consortio. Cuique notum est Ecclesiam quovis

sæculo suspensione & depositione castigasse Clericos, quos in pœnam criminis quod admisissent, ablegabat ad laicam communionem. Docemur ex Epistolis Pauli tum ad Titum tum ad Timotheum irregularitatem locum habuisse mox a Christi morte, cum ipse Paulus neophytos & bigamos arceat a Sacerdotio.

Conclusio 2. Censurarum ministri jure divino sunt Ecclesia, Romanus Pontifex, Episcopi: jure autem ecclesiastico plures alii.

Probatur prior pars. Hæc Christi verba de eo qui in suo peccato pertinax fuerit: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*, de Ecclesia, præsertim ad Concilium congregata intelliguntur. Hæc alia ejusdem Christi: *Quæcumque alligaveritis super terram &c.* non soli Petro, sed Ecclesiæ corpori dicta sunt. — Cum Romanus Pontifex jure divino toti Ecclesiæ Catholicæ præsit, nullus omnino est fidelis quem, servatis servandis, censuris ligare non possit. — Jure divino quique Episcopi creditas sibi Ecclesias regunt; diœcesanos igitur eodem jure possunt censuris innodare. — Authores qui contendunt Parochis jurisdictionem jure divino convenire, asserunt eodem jure eis potestatem competere Parochianos ligandi censuris. Ea potestate (inquiunt) quondam usi sunt (ut ostendimus cum de eorum institutione superius actum est) sicut & Diaconi, utpote ad Hierarchiam a Christo institutam pertinentes. Verum (addunt) œconomiæ ac disciplinæ causa, nec Parochi, nec Diaconi nunc ea potestate fruuntur.

Probatur altera conclusionis pars. Multi sunt qui solo ecclesiastico jure jurisdictione fruuntur; ac proinde solum ecclesiastico jure convenit eis potestas ferendi censuras in eos, quos ipsis Ecclesia subjecit.

Quæres quinam ministri possint a censuris absolvere?

Resp. id juris uni quondam Episcopo, cui Clerus assentiebatur convenisse: verum jam temporis cuique approbato Sacerdoti convenit, si censuræ aut a jure aut ab homine superioribus non sint reservatæ.

Conclusio 3. Subjectum censurarum est quilibet homo qui baptismate fuerit initiatus.

Probatur 1. Subjectum censurarum debet esse *homo*, cum censuræ sint pœnæ, & pœnæ correlativæ sint cum crimine, cujus creaturæ irrationales, utpote nequaquam liberæ, capaces non sunt. Unde ad repellenda animalia, quæ, aut hominibus nocent, aut agros depopulantur, Ecclesia exorcismis, non vero censuris uti consuevit. 2. Homo ille debet esse *baptizatus*, soli enim baptizati subjacent Ecclesiæ jurisdictioni. Hinc nec in Catechumenos, nec in Infideles Ecclesia potest censuris animadvertere. Tertio; Omnis, qui baptizatus sit potest censuris illigari; & quidem, si sit laicus, excommunicari potest & interdicto innodari: Si vero Clericus, excommunicatione, depositione, suspensione, potest mulctari, etiamsi sit Episcopus: Suspensionem tamen & interdictum Episcopi non incurrunt, nisi eorum fiat expressa mentio in canone; sed e contra incurrunt excommunicationem, quamvis canon, quo decernitur, eorum expresse non meminerit. Communitas suspendi potest & interdici, sed (ut habetur causa 24. quæst. 3.) lata in eam excommunicatio non valet.

Conclusio 4. Varii sunt censurarum effectus.

Probatur enumeratione. 1. Censuræ privant certis spiritualibus bonis, quæ de censuris in specie differentes exponemus. 2. Obligant in conscientia; Peccant nimirum lethaliter qui censuris innodati, iis spiritualibus aut se subjiciunt, aut ea dispensant, quorum aut usu aut administratione prohibiti fuerint; idque, quamvis occulte tantum, seu, per crimen quod homines lateat, censuras incurrerint. 3. Clericus, qui interdicto, suspensione, aut excommunicatione ligatus, ordinis actum, quo prohibitus est, exercet, præter peccatum, cujus sit reus, irregularitatem contrahit.

QUÆSTIO QUINTA.

De Censuris in Specie.

HIC dicemus 1. de Excommunicatione. 2. de Suspensione. 3. de Depositione. 4. de Interdicto. 5. denique de Irregularitate, quamvis irregularitas (ut supra fuit observatum ex Innocentio Papa III.) stricte loquendo, inter censuras numerari non debeat.

CAPUT PRIMUM.

De Excommunicatione.

EXcommunicatio considerari potest aut Laicorum hominum, aut Clericorum respectu. Sic sumpta, vel est minor vel major, vel maxima. Quæ ad triplicem illam excommunicationis speciem pertinent, subsequentibus articulis exponenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De minori Laicorum excommunicatione.

COnclusio prima. Excommunicatio Minor est censura, quam quis incurrit ex communione cum excommunicato qui expresse denunciatus fuerit.

Probatur pluribus Canonibus quos apud Gratianum legere est, quique, licet antiquissimi sint, his etiam temporibus ubique vigent.

Conclusio secunda. Duplex est Minoris excommunicationis effectus.

Probatur. Minor excommunicatio eum qui ea innodatus est, 1. excludit, non quidem a collatione; sed a receptione Sacramentorum. 2. Personam quam afficit, reddit inhabilem ad passivam electionem sive ad beneficia, sive ad ecclesiasticas dignitates: ita tamen ut electio *ipso facto* irrita non sit, sed irritanda a judice, nisi qui ea censura est illigatus, da sua absolutione quamprimum satagat.

Conclusio 3. Quatuor olim erant Minoris excommunicationis species, seu gradus.

Probatur enumeratione. Primus Minoris excommunicationis gradus peccatorem a sola Eucharistiæ participatione removebat. Alter, priore gravior, arcebat non tantum ab Eucharistiæ participatione, sed etiam a precibus Eucharisticis, sive Consistentium, Tertius duobus illis gradibus addebat expulsionem, sive excommunicationem a precibus quæ super Catechumenos & pœnitentes Substratos fieri solebant. Quartus, ab omni Ecclesiæ ingressu reum submovebat: Seu, quod idem est, quatuor eorum qui minori excommunicatione illigati erant, numerabuntur gradus quos hujusce operis dissertatione VI. explicuimus, Consistentium, nempe, Substratorum, Audientium, & Flentium: Illi vero gradus dicebantur *excommunicatio*, quod reum vel ab Eucharistiæ participatione, quæ communionis Christianæ apex est & corona, vel magis vel minus arcerent. *Agunt* (inquit Augustinus Epist. 108.) *etiam homines pœnitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut* EXCOMMUNICARI, *& postea reconciliari mereantur*. Eodem spectant hæc alia ejusdem S. Doctoris verba lib. 50. Homiliarum, hom. ult. *Nos vero quemquam a communione prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum mortalis sit, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.*

Quæres 1. cujusnam peccati reus fiat qui cum excommunicato vitando in aliquibus communicat?

Resp. 1. eum qui in sacris & divinis cum excommunicato vitando communicat, peccare lethaliter ob materiæ gravitatem: unde (ut patet ex annalibus ecclesiasticis) Catholici, cum hæretici grassabantur in Ecclesiam, intentato etiam mortis periculo nusquam adduci potuerunt ut cum eis in divinis communicarent. *Si quis* (ait can. 33. Apostol.) *cum excommunicato saltem in domo simul oraverit, iste communione privetur*. Qui vero solum in civilibus communicat cum excommunicato vitando, ob levitatem materiæ peccat tantum venialiter. Dicendum est 2. Sacerdotem qui scienter coram excommunicato vitando celebrat, præter peccatum mortale cujus fit reus, & præter minorem excommunicationem quam incurrit, mulctari interdicto ab ingressu Ecclesiæ, *Cap. Episcoporum, de privileg. in 6.* quo quidem interdicto illigatus, si antequam fuerit absolutus, det operam sacris, irregularitatem contrahit, non quidem ex infractione minoris excommunicationis, cum ex se ipsa, nusquam pariat irregularitatem, sed propter violatam interdicti censuram.

Quæres 2. qua ratione se se gerere debeat Sacerdos qui post inchoata sacra mysteria fit certior adesse quempiam excommunicatum.

Resp. Sacerdotem (ut ferunt quæ nunc obtinent jura) eo in casu teneri 1. excommunicatum illum monere ut exeat. 2. Si parere detrectet, per vim est ejiciendus quamvis emineat Sacerdotio. 3. Si non possit ejici, qui rei sacræ dat operam, debet ab altari discedere si nondum canonem incœperit; Si vero canon inchoatus fuerit, tenetur alias liturgiæ partes usque ad communionem inclusive recitare, communione vero peracta, ubi se in sacristiam receperit, quæ supersunt, sive, post communionem & orationes prosequi debet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De majori & maxima Laicorum excommunicatione.

MAjor Laicorum excommunicatio quarto minoris excommunicationis gradu continetur, seu, erat olim censura qua reus, sed pœnitens, ab omni Ecclesiæ ingressu quondam prohibebatur, ut inter flentes extra Ecclesiam staret. Cum ea, quæ ad eam spectant, fuse explicuerimus in dissertatione de Pœnitentiæ Sacramento, ubi de flentium statione actum est, nihil hic de ea dicendum superest. Unde totus hic articulus erit de maxima excommunicatione, cujus essentiam, ministrum, causas & effectus exponemus.

Conclusio 1. Maxima excommunicatio est censura qua Christianus in vindictam gravis alicujus peccati privatur singulis spiritualibus bonis quæ Ecclesiæ corpori communia sunt, imo ipsa etiam excidit civili societate.

Probatur 1. ex discrimine quod reperitur inter hanc excommunicationis speciem, & eam quam Majorem mox appellavimus. Qui majori quondam innodati erant, non erant quidem participes Eucharistiæ, nec precum Consistentium, nec orationum quæ supra tertii gradus pœnitentes fundebantur, sed per absolutionem a maxima excommunicatione qua illigati erant antequam admitterentur ad pœnitentiam, accensebantur Ecclesiæ membris; unde licet publicis in precibus non nominarentur, ex eis tamen nonnihil fructus percipiebant. 2. Qui illigati erant maxima excommunicatione, omni Ecclesiæ tecto submovebantur; qui vero majori tantum, stabant in Ecclesiæ tecto quod templis adjacebat. 3. Qui moriebantur antequam maxima excommunicatione soluti essent, non mandabantur sepulturæ in loco sacro, nec aliquæ pro eis preces post mortem fundebantur, cum e contra majori tantum excommunicatione damnati, solerent in loco sacro sepeliri, & publicæ pro eis tamquam Ecclesiæ membris post mortem preces recitarentur. 4. Cætera quibus uberius explicetur maximæ excommunicationis essentia, patebunt ex iis quæ de illius effectibus dicentur.

Con-

Conclusio 2. Excommunicationis maximæ ministri jure divino sunt Episcopi; jure autem Ecclesiastico sunt ii quibus ex Ecclesiæ concessione jurisdictio in foro exteriori competit.

Probatur 1. ex iis quæ de ministris censurarum in genere superius dicta sunt. 2. ex eo quod excommunicatio sit pœna quæ fori est exterioris; Ab iis igitur tantum infligi potest quibus jurisdictio in foro exteriori convenit.

Verum monitum hic volumus lectorem, circa maximæ excommunicationis ministrum non eamdem quovis sæculo observatam fuisse disciplinam.

Prioribus Ecclesiæ sæculis Episcopi passim soli non excommunicabant, sed cum eis Presbyteri accedente nonnumquam Laicorum consensu. Viguit ea disciplina Apostolorum temporibus, jussit nimirum Paulus ut incestuosus Corinthius ab universa Ecclesia excommunicaretur: *Ego quidem* (inquit) *absens corpore, præsens autem spiritu jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini Jesu Christi congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini Jesu Christi tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis.... Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit; Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio*. Extant ejusdem disciplinæ monumenta in Epistolis Cypriani; iis nimirum docemur plebis consensum non raro adhibitum fuisse cum actum est de excommunicandis aut recipiendis iis qui lapsi fuerant: *Ad id vero* (ait S. Martyr Epist. 57.) *quod scripserant mihi Compresbyteri nostri, rescribere nihil potui, quando a primordio Episcopatus mei statuerim nihil sine consilio vestro, & sine consensu plebis mea privatim sententia gerere*. Clerus Romanus ejusdem plebis consensum requiri debere decernit Epist. 31. ad Cyprianum: *Quamquam* (inquit) *in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti, prius Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter adstantibus laicis, facta lapsorum tractare rationem*. Mox laudatus Cyprianus ejusdem praxis meminit Epist. 9. qua constat eum non ausum fuisse excommunicare, sed reservasse totius Ecclesiæ judicio, Presbyteros quosdam qui lapsos temere donabant absolutione: *Utar* (ait) *ea admonitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos & apud Confessores ipsos & apud plebem universam causam suam, cum, Domino permittente, in sinum matris Ecclesiæ colligi cœperimus*.

Sæculis, quæ priora proxime subsecuta sunt, invaluit usus ut Episcopus cum Clero quidem, sed absque plebis consilio, ferret excommunicationis sententiam. *Episcopus* (ait IV. Concilium Carthaginense can. 23.) *nullius causam audiat absque præsentia suorum Clericorum, alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia confirmetur*. Ejusdem praxis Egbertus Eboracensis in suis Capitulis meminit.

Conclusio 3. Variæ olim fuerunt & nunc sunt maximæ excommunicationis causæ.

Probatur enumeratione. 1. Apostoli excommunicarunt propter doctrinam, quæ a Christo traditæ adversaretur. Hanc causam innuis Christus Matthæi 7. *Attendite vobis a falsis prophetis*, seu, cavete ne cum eis commisceamini Propter eam Paulus Hymenæum & Alexandrum ejecit ex Ecclesiæ sinu: *Quos* (inquit) *tradidi Satanæ ut discant non blasphemare*. 2. Excommunicatione maxima mulctarunt eos qui in quædam gravia peccata inciderant: *Scripsi vobis* (ait Apostolus 1. ad Corinth. 5.) *non commisceri si is, qui frater nominatur, & fornicator, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere*. 3. Voluerunt ejici ex Ecclesia eos qui cum pervicacia præscriptam Ecclesiis disciplinam infringerent. *Denuntiamus vobis* (ait mox laudatus Apostolus) *ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis.... Quod si quis non obedit verbo nostro, per Epistolam hunc notate, & ne commisceamini cum illo ut confundatur*.

Juenin de Sacram.

Causæ excommunicationis maximæ, quas mox eruimus ex sacris codicibus, expresse in Patrum traditione reperiuntur I. Propter hæresim Paulus Samosatenus, Sabellius, Arius, Macedonius, Nestorius, Eutiches, Monothelitæ, & alii fidei corruptores ejecti sunt ex Ecclesiæ sinu. Propter crimina extorres facti sunt ab Ecclesia impii quibus ob quædam flagitia canones sæpius anathema dixerunt; Tandem propter infractam disciplinam Quartodecimanis negata est a Synodo Nicæna fidelium communio, cujus privationem nisi resipiscerent, altero Ecclesiæ sæculo eis Victor Papa minatus fuerat.

Non omnia, etiam gravia scelera excommunicatione maxima castigari solebant antiquitus. Nam 1. necesse erat ut essent publica, ac scandalosa: *Ubi peccatum non est evidens* (inquit Origenes in Josue hom. 20.) *ejicere ab Ecclesia neminem possumus, ne forte eradicantes zizania eradicemus & triticum*. 2. Non omnes publici ac scandalosi peccatores statim ejiciebantur ex Ecclesia, sed ii tantum qui post correptiones & monitiones in flagitiis perseverabant cum contumacia: *Neque enim* (ait Chrysostomus in caput 13. prioris Epist. ad Corinth.) *de iis qui peccabant, pœnas statim sumpsit*, (Paulus) *sed semel atque iterum admonuit, & ne sic quidem in contumaces animadvertit, sed rursus admonet ac denunciat dicens, tertio hoc venio ad vos*. 3. Hoc etiam attendebant majores nostri, ne quemquam flagitiosum convictum, licet contumacem, per sententiam excommunicationis ejicerent ex Ecclesia, quum hinc periculum esset ne perturbaretur Ecclesia, aut adversus eam schisma conflaretur; *Sed dicet aliquis* (Objectio est quam sibi Augustinus proponit lib. 3. contra Epist. Parmeniani) *quomodo poterimus Apostolo obedire dicenti, cum ejusmodi nec cibum sumere?* Illam autem objectionem mox hisce verbis solvit: *In hac velut angustia quæstionis non aliquid novum, aut insolitum dicam, sed quod sanitas observat Ecclesiæ, ut cum quisque fratrum, idest Christianorum, intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc, ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione de qua ipse alibi præcepit, dicens, ut inimicum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem, quod si non agnoverit, nec pœnitendo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem ab Ecclesiæ unitate dirimetur*. Tres, quas (mox retulimus) in ferenda excommunicatione servari debere regulas, hisce verbis tradit idem Augustinus: *Quando itaque cujusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ, in qua tanto efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis*.

Conclusio 4. Varii quondam erant & nunc sunt maximæ excommunicationis effectus.

Probatur enumeratione. 1. Per excommunicationem maximam, cum majorem de qua superius complecteretur, reus frustrabatur eo omni jure, quo privatus erat is qui majori excommunicatione erat illigatus. 2. His temporibus qui maxima excommunicatione innodati sunt, ex triplici communione excidunt qua fideles potiuntur; Communione scilicet precum, Sacramentorum, ac ipsius etiam exterioris conversationis. Duo priora juris sunt divini, posterius vero humani tantum. Istud posteriorum temporum canonibus, Epaonensis nempe 15. & Antisiodorensis 39. sancitum est; licet enim quoad insignes aliquos hæreticos id ipso nascentis Ecclesiæ exordio observatum fuerit juxta illud Joannis: *Nolite recipere eum in domum: Ne ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat ejus operibus malignis*, non obtinuit tamen circa quoscumque alios qui ejecti fuissent ex Ecclesia.

Itaque qui inciderunt in excommunicationem maximam, participes non sunt communium Ecclesiæ suffragiorum; unde pro iis publicas preces offerre

non licet: *Extorres* quoque sunt a Sacramentorum tum receptione tum collatione: Nec missæ sacrificio, aut alicui officio ecclesiastico possunt se sistere præsentes, nec post mortem donari Ecclesiæ sepultura: *Quibus viventibus* (inquit Leo Magnus) *non communicavimus*, mortuis *communicare non possumus*. Ea de causa jubet Canon, *Sacris*, ut hominis, qui servata juris forma, excommunicatus est, cadaver exhometur, si forte in loco sacro sepulturæ mandatum fuerit, modo tamen possit a cæteris dignosci. Canon, *Consuluisti*, præscribit ut locus ille sacer per aquæ solemnibus Ecclesiæ precibus consecratæ benedictionem expurgetur, sicut fieri solet in Ecclesiarum aut dedicatione aut reconciliatione. Observatum velim cum Canonistis, excommunicatum qui ante mortem dedit pœnitentiæ signa, sed tamen non fuit absolutus, non esse sepeliendum in loco sacro donec superioris authoritate post mortem fuerit ab excommunicatione liberatus: si vero sepulturæ jam mandatus fuerit, erui non debet e loco sacro, sed Ordinarii authoritate solvendus est ab excommunicationis vinculo.

Excommunicatio maxima inhabilitatem parit ad quævis beneficia obtinenda. Itaque Electio, Præsentatio, Institutio, Collatio, si excommunicato faverint, etiam tolerato, nec vitando, nullæ omnino sunt. *Cap. Postulatis de Clericor. Excom.* Sed observet lector ipso quidem jure non vacare beneficia, quibus excommunicatus potiebatur, antequam ejiceretur ex Ecclesia, sed excommunicati per judicis sententiam ab eis dejici possunt. Id tamen dictum non velim de pensionibus Clericalibus: cum enim Canones qui de excommunicatis agunt, pensionum non meminerint, utendum est restrictione Cap. *In pœnis* de regulis juris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. Excommunicatus excidit Ecclesiastica jurisdictione, Cap. *ad probandum de re judic.* sed hac pœna non afficiuntur nisi ii qui tolerati non sunt, seu, qui expresse, nominatim & a judice, servata solemnitate juris denuntiati non fuere.

Præter eas pœnas, quæ spirituales sunt, excommunicatio maxima, reum (ut mox dictum est) pellit societate civili. Verum ea pœna non habet locum nisi iis servatis quæ Martinus Papa V. præscribit in decreto, *Ad evitanda scandala*, quod quidem obtinet ubique, excepto tamen capite de notoriis Clericorum percussoribus; quippe qui apud Francos vitandi non sint, nisi expresse & nominatim fuerint denuntiati. Ea quibus secundum hodiernam disciplinam excommunicati interdicuntur, continentur duplici hoc versiculo.

Si pro delictis anathema quis efficiatur.
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Sed hoc alio versiculo excommunicatis redditur in his circumstantiis, quod aliunde eis ablatum fuerat.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

I. Secundo & tertio vocabulo significatur superiorem legem non habere locum s. inter virum & uxorem, necnon inter parentes, liberos & consanguineos. 2. Primo & quarto designatur eum non peccare qui familiariter utitur excommunicato quem nescit esse excommunicatum, aut etiamsi id noverit, cum sperat suam familiaritatem ei utilem fore ad resipiscentiam. Demum postremo vocabulo; *Necesse*, significatur cum excommunicatis, etiam expresse & nominatim denuntiatis, licitum esse loqui, versari, vesci, si necessitas, utilitas, aut negotia id exigant.

Quæres 1. quid olim fieret circa eos, quos Ecclesia maxima damnarat excommunicatione?

Respondet hisce verbis Morinus noster libr. IV. cap. 11. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ: *Aut illi prorsus Ecclesiam deserebant, nec erat illis amplius animus revertendi. Quo dato, eadem prorsus erat eorum ratio qua Ethnicorum & Judæorum. Aut supererat illis aliquantula pietatis scintilla, qua commoti reversionis ad Ecclesiam desiderio tenebantur. His licebat ad Ecclesiam convenire audiendi tantum verbi Dei causa, eorumque studium observabat Episcopus. Quod si prædicationibus emollita cordis eorum durities pœnitentiam sibi imponi efflagitabat, tum ipsorum vita, mores, actiones diligenter aliquamdiu observabantur, tandemque illis probatis, pœnitentium catalogo inscribebantur.* Responsum Morinus confirmat authoritate constitutionum quæ Clementi Papæ tribuuntur: *Habe ergo* (verba sunt Clementis lib. 2. cap. 39.) *loco Publicani & Ethnici eum qui convictus est in maleficio, neque eum tamen pœnitet. Quem si postea errati pœnituerit, in Ecclesiam admittimus ad audiendum verbum, sicut Ethnicos cum pœnitentiam agere & converti volunt, licet communionem cum his, donec sigillo accepto perficiantur, non habeamus. Sic horum similibus donec fructus pœnitentiæ proferant, in Ecclesiam ingredi permittimus, ne plane funditus pereant. Non autem communionem in oratione habeant, quin potius exeant post lectionem Legis & Prophetarum, & Evangelii, ut exeundo vitam emendent, ac meliores fiant, dum student ire quotidie ad conventus Ecclesiasticos & precationi incumbere, ut ipsi possint admitti.*

Quæres 2. num illigatis excommunicatione maxima liceret in Ecclesiam ingredi, licet nulla emendationis signa demonstrarent?

Resp. solutam fuisse illam quæstionem hujusce Commentarii pag. 304. Verum monendus est lector homines de quibus agitur, ejectos olim fuisse ab Ecclesia, non solum ante Missæ offertorium, sed etiam ante Evangelii lectionem quæ fiebat intra missarum solemnia; ac proinde aberant ab homiliis quæ eamdem Evangelii lectionem consequebantur. Ratio est, quia Diaconus pacem (ut nunc fit) populo precabatur jam jam Evangelii lectionem inchoaturus: At ab ea pacis precatione abesse debebant qui innodati erant excommunicatione maxima. Hinc elicitur probabile esse prioribus sæculis duplicem concionem aut ab Episcopis, aut aliis ministris habitam fuisse; alia quidem præcedebat solemnem lectionem Evangelii, alia vero subsequebatur: Illi adesse poterant gentiles, hæretici excommunicati, Illi vero minime. Ex ea distinctione colligitur 1. Pœnitentes primæ, & secundæ classis, qui scilicet in Fletu, vel Auditione stabant, non adfuisse concionibus quæ ad fidelem populum habebantur. 2. Concionatores, cum in sermonibus de Eucharistiæ mysterio, aliisque nonnullis verba faciebant, eam reticentiæ formulam: *Fideles norunt*, usurpasse in priore tantum concione, non autem in altera.

Quæres 3. Quis ab excommunicatione maxima possit absolvere?

Resp. 1. iis sæculis quibus Episcopi nusquam sine Cleri suffragio ferebant excommunicationis sententiam, datam non fuisse absolutionem ab excommunicatione maxima, nisi ex ejusdem Cleri consensu & judicio. 2. Alius postremis temporibus usus invaluit. Cum excommunicatio est (ut vocant) *A jure*, nec alicui est reservata, quisque Prælatus, qui in foro exteriori in excommunicatum habet jurisdictionem, potest absolvere; in foro vero interiori ii omnes Presbyteri qui in eodem foro jurisdictionem habent, sive ordinariam sive delegatam: *Quia conditor Canonis* (argumentum est quo Capitulum: *Nuper de Sent.* nititur) *ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*. E contra cum eadem excommunicatio quæ est, *A jure*, vel Summo Pontifici, vel Episcopo est reservata, solus Papa (excepto mortis periculo) solus Episcopus aut eorum successores, vel ii quibus id specialiter commiserint, possunt excommunicatum solvere. Si autem excommunicatio sit *Ab homine*, ab iis solum solvi potest a quibus lata fuit: Ejus nimirum est solvere cujus est ligare. Verum id dictum velim de iis tantum excommunicationibus quæ per modum sententiæ, seu judicii proferuntur, non autem de iis quæ feruntur per modum legis aut statuti, verbi gratia cum Episco-

ſcopus hoc vel illud crimen vetat ſub excommunicationis pœna: Ratio eſt, quia eo in caſu excommunicatio reducitur ad eam quæ eſt *A jure*, non autem *Ab homine*.

ARTICULUS TERTIUS.

De minima, majore & maxima Clericorum excommunicatione.

EXcommunicationes de quibus eſt quæſtio, juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam nihil differunt a Laicorum excommunicationibus de quibus articulo ſuperiore dictum eſt. Unde de iis ad antiquum uſum compararis hic eſt diſſerendum.

Minima Clericorum excommunicatio hiſce verbis a ſacris Canonibus enunciatur: *Charitate fratrum, & charitatis communione priventur; a communione & charitate fraterna ſint alieni; a fratribus & comprovincialibus maneant excommunicati; Eccleſiæ ſuæ communione ſint contenti.*

Ea pœna nonnumquam quidem inferiores miniſtri caſtigabantur ut videre eſt can. 15. prioris Concilii Toletani ubi hæc habentur: *Si quis Laicus abſtinetur, ad hunc, vel ad domum ejus nullus Clericorum vel Religioſorum accedat. Similiter & Clericus ſi abſtinetur, a Clericis devitetur. Si quis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehenſus, etiam ipſe abſtineatur.* Sed tamen propria erat Epiſcopis; unde vix ſuperſunt Canones quibus ab aliis quam Epiſcopis infligatur.

Communione Eccleſiaſtica qua Epiſcopus per minimam excommunicationem privabatur, quatuor capitibus continebatur: Mutua viſitatione: Solemnium in Collegarum Diœceſi, dum in ea moraretur, etiam præſente Collega, celebratione: Litterarum formatarum & commendatitiarum reciproca miſſitatione, & acceptatione; In Conciliis denique authoritate, ſuffragiis & conſeſſu. Sed hæc Canonum Sententiis confirmanda ſunt.

De Epiſcopis litigantibus quibus Primas Judices dederit, ſic ſtatuunt Africani Patres: *Quiſquis provocatus, repertus fuerit per contumaciam nolle obtemperare judicibus; Cum hoc primæ Sedis Epiſcopo fuerit probatum det litteras ut nullus ei communicet Epiſcoporum.* In eadem cauſa ſic ſtatuit Concilium IV. Aurelianenſe can. 12. *A charitate fratrum qui diſtulerit, habeatur extraneus.* Sic etiam Lugdunenſe primum Can 1. *Tribus menſibus ſe a charitate fratrum noverit eſſe ſequeſtratum qui Synodi judicium refugit.* Qui a Metropolitano indictæ Synodo per ſe, aut per alium non adfuerit, hac pœna caſtigatur in II. Concilio Aurelianenſi can. 19. *Si quis Epiſcopus commonitus a Metropolitano, ad Synodum, nulla gravi intercedente neceſſitate corporali, venire contempſerit, ſicut ſtatuta Patrum ſanxerunt, uſque ad futurum Concilium cunctorum Epiſcoporum charitatis communione privetur.* Qui autem extorris erat a Coepiſcoporum communione, non communicabat cum eorum Eccleſiis: Nec mirum: qui enim (ut ait Cyprianus) non eſt cum Epiſcopo, non eſt in Eccleſia. Cypriani mentem conceptis terminis aperit alterum Concilium Turonenſe: *Merito* (inquit can. 9.) *a charitate noſtra vel noſtris Eccleſiis ſegregantur qui Patrum ſtatuta contemnunt.*

Eam vero charitatis fratrum & Epiſcoporum communionis privationem eſſe quoddam excommunicationis genus probat mox laudati Concilii prior canon: *Si quis* (inquit) *Epiſcopus ad Synodum venire diſtulerit, uſque ad majorem Synodum, a Metropolitano & comprovincialibus maneat excommunicatus, nec ei ex alia provincia ullus Epiſcopus interea communicare præſumat.* Idem evincitur ex 15. can. Concilii II. Toletani: *Quiſquis Epiſcoporum excepta inevitabili cauſa, ſe abſentaverit a Concilio, unius anni erit excommunicatione plectendus.* Eadem ratione loquitur Emeritenſis Synodus can. 7. *Decretum eſt priſcis canonibus ſemel in anno fieri Concilium &c. Sunt nonnulli, qui pro hoc admonitionem ſui Metropolitani, & regiam juſſionem accipiunt, & minime implent quæ jubentur:*

Juenia de Sacram.

hos priſcorum Canonum ſententiæ excommunicatos eſſe jubent uſque ad tempus superventuri Concilii.

Quamvis (ut mox oſtenſum eſt) Epiſcopi per minimam excommunicationem, fratrum charitate, ſeu Coepiſcoporum communione privarentur, non excidebant tamen poteſtate & juriſdictione in Eccleſiam ſibi creditam; hoc eſt, eadem authoritate, qua antea, propriam Diœceſim adminiſtrabant. Nam 1. Canones, quibus arcentur a fratrum communione, nuſquam ajunt privari quoque eos debere propriæ Diœceſis adminiſtratione. 2. E contra nonnullos Canones reperire eſt qui ſic excommunicatis Diœceſis adminiſtrationem credant: *Epiſcopus qui hoc fecerit* (ajunt Patres Concilii V. Carthagin. can. 13. de Epiſcopo qui alienum Clericum promoverit) *a cæterorum communione ſejunctus, ſuæ tantum plebis communione contentus ſit, & ille neque Clericus, neque præpoſitus perſeveret.* Sed hæc ſatis ſint de minima excommunicatione qua majores noſtri nonnumquam Clericos ob infractam diſciplinam mulctabant.

Major Clericorum excommunicatio recte definitur cenſura qua Clericus ab officio depoſitus omni Sacramentorum participatione privatur; vel, qua Clericus ad Laicam communionem redactus, laicorum fidelium communione ſpoliatur, ſive, amandatur ad pœnitentium claſſes. Hinc patet excommunicationem majorem non fuiſſe latam niſi in Clericos qui prius depoſitione mulctati fuiſſent, aut in quos ſimul cum excommunicatione proferretur depoſitionis ſententia: neque enim Clerici, quibus gradus ſervabatur, ſolebant publica pœnitentia damnari. Excommunicationem majorem nonnumquam antiqui per verbum, *Abſtinere*, exprimebant: *Si quis Clericorum detectus fuerit uſuras accipere* (inquit Concilium Eliberitanum can. 20. *placuit eum degradari & abſtinere*: Aliquando per verbum *Segregare*, ut videre eſt in Can. Apoſt. 30. *Si quis Epiſcopus ſæcularibus Principibus uſus, per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur & ſegregetur.* Sæpe etiam per *laicæ communionis denegationem* deſignatur: *Si omnibus placet* (verba ſunt can. I. Concilii Sardicenſis) *hujuſmodi perniciés ſeverius & auſterius vindicetur ut nec laicam communionem habeat qui talis eſt.* Non raro exprimebatur quoque per *Pœnitentiæ* nomen: *Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus ac juſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus*, (inquit Cyprianus) *decrevit hujuſmodi homines ad pœnitentiam quidem poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali ordine prohiberi.* Itaque majori excommunicatione damnari nihil aliud erat quam dimitti ad pœnitentium claſſes: Quænam autem eſſet claſſis ad quam depoſiti Clerici abigerentur, judicandum eſt ex crimine cujus rei facti fuerunt.

Maxima excommunicatio qua Clerici quondam percellebantur, erat cenſura qua ab omni prorſus communione Chriſtiana, ſive Eccleſiaſtica, ſive Laica pellebantur, ſeu (ut ait Tertullianus) qua ab omni communicatione fraternitatis, non modo Eccleſiæ limine, ſed & tecto ſubmovebantur: *Quod non oportet* (verba ſunt can. 36. Concilii Laodiceni) *eos qui ſunt ſacrati, vel Clericis, eſſe magos, vel facere amuleta: eos autem qui ferunt, ejici ex Eccleſia juſſimus.*

Si quis vero roget ob quænam Clericorum peccata damnarentur maxima excommunicatione, dicendum erit 1. Clericum nulla anteriori cenſura notatum, uno veluti fulmine propter flagitium ab altari extra limen Eccleſiæ fuiſſe deturbatum: *Si quis Epiſcopus* (inquit Can. 29. Apoſt.) *per pecunias hanc ſit dignitatem aſſecutus, vel Presbyter, vel Diaconus deponatur & ipſe qui eum ordinavit; & a communione omni exſcindatur: ſicut Simon Magus a me Petro.* Dicendum erit 2. Clericum aliqua cenſura, ſuſpenſione v. g. aut depoſitione jam mulctatum ob ſcelus aliquod, aliquando ob crimen ejectum fuiſſe ex Eccleſia: *Si quis Epiſcopus vel Presbyter vel Diaconus juſte ob manifeſta crimina depoſitus, ſibi aliquando creditum miniſterium attingere audeat,* (verba ſunt can. 28. Apoſtolici) *ab Eccleſia omnino abſcindatur.*

Caput Secundum.

De Suspensione.

HOC caput partiemur in duplicem articulum. In priore dicemus de Suspensione considerata secundum veterem Ecclesiæ disciplinam; In altero vero perpendemus eam prout nunc est in usu.

Articulus Primus.

De Suspensione considerata secundum veterem Ecclesiæ disciplinam.

COnclusio 1. Censuræ, quæ Suspensio dicitur, varia sunt apud antiquos nomina.

Probatur enumeratione. 1. Veteres usi sunt *Suspensionis* nomine: *Suspendatur* (inquit can. 13. Concilium quod in Trullo habitum est) *& qui excepit & qui exceptus est. Sin autem est suspensus, ejus intendatur suspensio.* Adhibet eumdem terminum Concilium Epaonense can. 3. *Episcopis, Presbyteris atque Diaconibus canes ad venandum, & accipitres ad aucupandum habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac fuerit voluntate detectus, si Episcopus est, tribus mensibus se a communione suspendat.*

II. Eamdem censuram designarunt per verbum *Segregare*; iis nimirum locis quibus ob quædam peccata minime capitalia Clericos ante depositionem castigant, ut demonstrant quæ sequuntur exempla. *Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, qui cum hæreticis comprecatus est* (verba sunt canonis 45. Apostolici) *solum segregetur. Sin autem eis tamquam Clericis aliquid operari permiserit, deponatur.* Concilium Ancyranum eamdem pœnam eodem termino exprimit can. 18. *Si qui* (ait) *constituti Episcopi, & ab illa Parochia in quam nominati fuerunt, non suscepti, alias velut Parochias invadere, & seditiones adversus illos excitare, eos segregari. Sin autem* (addit exponens quid per eam segregationem intelligat) *velint in Presbyterio residere, in quo prius erant Presbyteri, ipsos honore non moveri.*

III. Patres Latini plerumque verbo, *Abstinere*, usi sunt, cum vocem illam adhibuere agentes de Clericis non depositis: *Qui* (inquit Cyprianus Epist. 55. ad Cornelium loquens de Felicissimo Episcopo) *non tantum ab iis ille hic abstentus, sed abs te illic nuper de Ecclesia pulsus est.* In eumdem sensum adhibetur ab Eliberitanis Patribus: *Si quis* (inquiunt can. 21.) *in civitate positus, tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Eodem sensu usurpatur in Concilio Toletano I. *Clericus* (inquit can. 15.) *si abstinetur, a Clerico devitetur. Si quis cum illo colloqui aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur.*

IV. *A communione arceri, moveri*, Suspensionem quoque significant apud veteres, quoties de Clerico capitalium criminum minime reo ante depositionem dicuntur: Non aliud sibi volunt Milevitani Patres can. 20. *Si Clericus* (inquiunt) *sine formata voluerit pergere, a communione removeatur.* Neque enim per ea verba intelligi potest dimissio ad pœnitentiam; cum ea Clerici ante depositionem quæ prioribus sæculis perpetua erat, seu, absque ulla restitutionis spe, minime damnarentur. Confirmari potest ex Canone 13. Concilii Chalcedonensis ubi pœna Clericis, de quibus agitur, infligenda per meram suspensionem ab officio exprimitur: *Externos Clericos & ignotos, in alia civitate sine proprii Episcopi commendatitiis litteris nusquam ullo modo ministrare.*

Conclusio 2. Canones duplicem recensent Suspensionum speciem.

Probatur. Canones meminerunt Suspensionis tum universalis tum specialis. Prioris nomine intellexerunt censuram qua Clericus omni tum Ordinis, tum Jurisdictionis exercitio, tum Consessus authoritate spoliaretur; Per posteriorem vero, eam intellexerunt qua Clericus aut Ordinis, aut jurisdictionis exercitio, aut Consessus authoritate, disjunctive frustraretur. Quoties verba *Segregare*, *Abstinere*, *A Communione removere*, *Suspendere* simpliciter & absolute adhibentur, tunc prior Suspensio, seu universalis intelligitur, eo quod nimirum termini illi indefiniti universalibus æquivaleant: E contra cum easdem verba per actus alicujus speciem determinantur, tunc intelligitur non omnimoda, non universalis, sed particularis tantum, seu, specialis suspensio: Nec immerito; eo enim in casu valet hæc juris regula; *Favores sunt ampliandi, & odia restringenda.*

Ex mox allata Suspensionis divisione multiplices emanarunt partialium suspensionum variationes. Episcopus ab officio & dignitate Episcopali suspensus, Chorepiscopi munere nonnumquam fungebatur, ut videre est Canone 8. prioris Concilii Nicæni, sæpius vero Presbyteri, ut patet ex Canone 17. Concilii Ancyrani. Suspensus ab ordinandi potestate, cæteris Episcopalibus actibus non prohibebatur: *Si sciens Episcopus* (inquit IV. Concilium Carthaginense can. 68.) *ordinaverit talem* (pœnitentem) *etiam ab Episcopatus sui ordinandi dumtaxat potestate privetur.* Cæteras suspensionum antiquas species studiosus lector apud Morinum nostrum lib. 2. Exercita. Exercitatione 8. descriptas reperiet.

Quæres 1. num suspensio, sive specialis esset, sive universalis, clericos quondam privaret Eucharistica Communione?

Resp. negative. Ratio est quia Depositio (ut infra dicetur) ex se, seu secundum naturam sumpta, depositum non frustrat Eucharistica communione, alioquin bis vindicaretur in idipsum, officii nimirum & Eucharisticæ communionis privatione: Quod tamen (ut suo loco referetur) Canones vetant. Hinc ortæ sunt limitationes quæ plerumque in Conciliis leguntur: *Communione concessa a communione non pellatur, ab officio deponatur, sed non a communione.*

Quæres 2. qua pœna mulctaretur Clericus qui post suspensionem qua innodatus erat, incidebat in idem vel simile peccatum propter quod suspensione damnatus fuerat.

Resp. Specialem suspensionem intendi solitam fuisse vel respectu temporis, vel respectu Ordinis, vel respectu Jurisdictionis; Universalem vero, respectu temporis tantum: *Si autem est suspensus* (inquit canon. 13. Apostolicus) *ejus intendatur Suspensio.* Si tamen peccatum conjunctum esset cum contumacia, aut esset aliquantulum gravius eo in quod Canones per Suspensionem animavertebant, Clericus suspensus Eucharistica communione concessa deponebatur: *Episcopus* (inquit Canon 5. Apostol.) *vel Presbyter, vel Diaconus uxorem suam ne ejiciat religionis prætextu. Sin autem ejecerit, suspendatur; & si perseveret, deponatur.* Si autem crimen esset multo gravius, Clericus simul & semel deponebatur, & abigebatur ad pœnitentium classes. Tandem si esset gravissimum, omni Ecclesiæ tecto submovebatur, seu, ne in pœnitentium quidem stationibus tolerabatur, sed ab omni tum fidelium tum pœnitentium consortio pellebatur, ut superius de majori & maxima Clericorum excommunicatione differentes ostendimus. Sed hæc satis sint de Suspensione considerata secundum antiquam Ecclesiæ praxim; nunc subjicienda sunt quæ ad eam secundum usum hodiernum pertinent.

Articulus Secundus.

De Suspensione secundum hodiernam Ecclesiæ praxim.

COnclusio 1. Suspensio definitur censura qua Clericus aut Ordinis, aut Officii Clericalis aut Beneficii usu prohibetur.

Explicatur definitio. Suspensio 1. est censura quæ infligitur *Clerico*, & in hoc differt ab excommunicatione, qua quilibet fidelis, etiam Laicus, mulctari potest. 2. Clericum *non dejicit a suo beneficio, aut ordine*, & in hoc a depositione & degradatione discrepat. 3. Interdicit *Usu*, hoc est, exercitio ordinis, aut muneris Ecclesiastici, ut est Officialatus, vel privat fructibus quos Clericus alioqnin ex beneficio perciperet.

Con-

Conclusio 2. Suspensio multipliciter dividitur.

Probatur. Suspensio dividitur 1. in totalem & partialem. Priore Clericus prohibetur simul usu tum Ordinis, tum officii ecclesiastici, tum beneficii; Posteriore vero privatur usu ordinis tantum, vel beneficii vel officii, disjunctive. Dividitur 2. in perpetuam, & eam quæ est ad tempus. Illæ non est (ut vocant) medicinalis, sed mera pœna, quæ scilicet in criminis vindictam inflicta sit; Ista vero certo tempore determinatur, intra quod Clericus resipiscere supponitur.

Conclusio 2. Nonnullæ sunt regulæ quæ in Suspensionum praxi debent observari.

Probatur enumeratione. 1. Suspensione ab Ordine superiore, non intelligitur ab inferiore suspensus. Nec mirum, cum Ordo superior non fundetur in inferiore; Sed e contra suspensus ab inferiore, suspenditur quoque ab exercitio superioris. 2. Clericus qui a Divinis suspensus est, ab omni actione solemni suspensus habetur. 3. Cum quis simpliciter, sine addito, aut aliqua determinatione, declaratur suspensus lata in eum Suspensio de totali intelligitur.

Si quis ad ea attendens quæ de Suspensione secundum hodiernam disciplinam considerata mox dicta sunt, facile colliget eam non multum ab iis Suspensionibus diserre, quibus Majores nostri quondam in Clericos animadvertebant.

Conclusio 3. Variæ in hodierno jure extant latæ in Clericos suspensiones.

Probatur enumeratione, quam legere est apud Cabassutium nostrum, juris Canonici Theoria & praxis lib. 5. cap. 11.

Verum circa eas suspensiones observet lector 1. eas omnes quas fuse describit Cabassutius, ubique non esse in usu, quod Constitutiones quibus latæ sunt, ubique receptæ non fuerint. Observet 2. ut quis in foro conscientiæ incurrat suspensionem, duo requiri secundum præsentem Ecclesiæ disciplinam, peccatum scilicet mortale, & contumaciam contra Ecclesiæ prohibitionem. Hinc fit, ut si ant ignorantia aut deliberatio excusent a mortali, excusent quoque a suspensione. Observet 3. posse Episcopum absolvere ab omni suspensione, quæ ad forum contentiosum deducta non fuerit, modo tamen ex occulto, non autem publico delicto contracta fuerit, *Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. de refor.*

Caput Tertium.

De Depositione.

Hodierni Canonistæ depositionem expungunt e Censurarum numero, quod (ajunt censuræ auferri possint ubi reus resipuerit: Depositio vero sit absque ulla remissionis spe. Verum aliud antiquis Patribus, visum est: docet enim Augustinus lib. contra Donatistas post Collat. cap. 4. *non quiescere in Ecclesia emendationis vigilantiam, corripiendo* (per suspensionem) *degradando, excommunicando.*

Articulus Primus.

De Depositione secundum veterem Ecclesiæ usum.

Conclusio 1. Veteres variis nominibus usi sunt in Depositionem designarent.

Probatur. Enim, quem veteres depositione damnabant, dicebant 1. *Ministerio excidere, Gradu deturbari, a gradu deponi*, ut videre est in Epist. Canonica Basilii ad Amphilochium can. 32. 51. 55. Dicebant 2. eum *Ut laicam communicare debere: Clericus* (inquit Canon 15. Apostolicus) *qui præter sui Episcopi sententiam in alia parochia manet, eum non amplius celebrare jubemus, maxime si eum adhortante Episcopo ut rediret, non paruit, is tamen Laicus communicet.* Ut laicum vero communicare nihil aliud est quam ad laicorum sortem redigi: *Nostræ lex est Ecclesiæ*, (ait Innocentius Papa I. Epist. 22. cap. 4. *venientibus ab hæreticis, per manus impositionem Laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare.* Ante Innocentium eadem loquendi ratione usus erat Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum; *Sic tamen* (inquit) *admissus est Trophimus, ut Laicus communicet, non secundum quod malignorum litteræ ad te pertulerunt, quasi locum Sacerdotis usurpet.* Dicebant tertio eum *ab ordine degradari* debere: *Clericus* (inquiunt Trullani Patres can. 10) *a Diaconatu & supra, pecuniam non commodat ad usuras... Quod si quis adversus hæc statuta venire præsumpserit, communione concessa, ab ordine degradetur.*

Conclusio 2. Antiqui duplicem distinxerunt depositionis speciem; Simplicem nempe & secundum quid.

Probatur. Veteres nonnumquam Clericos abdicarunt simul tum Ordine, tum Jurisdictione, tum dignitate Consessus; ea autem abdicatio erat simplex & absoluta depositio, seu, eorum omnium privatio quæ Clericis convenire possunt: habebat vero locum ea depositionis species in iis qui ad Laicam communionem abigebantur.

E contra quibusdam Clericis quos propter crimen amoverant ab ordine superiore, concedebant aliquando inferioris exercitium *Judicio Synodali* (Verba sunt Concilii Remensis cui præfuit Leo Papa IV.) *sublato annulo, & pastorali pedo, privatus est* (de Episcopo Nannetensi loquitur) *Pontificali ministerio, condonato ei, intervenientibus Episcopis, tantummodo Presbyteratus officio.* Illuc usque inusitata fuerat illæ disciplina, Episcoporum respectu: nec immerito, cum enim nisi ob gravia crimina Episcopi non deponerentur, par non erat ut eorum criminum rei Sacerdotio fungerentur: Unde in Concilio Chalcedonensi contra Eustathium exclamarunt Sedis Apostolicæ legati: *Episcopum in gradum Presbyteri dejicere, sacrilegium est: Si vero & causa quædam justa illos ab actu Episcopatus umovet, nec Presbyteri locum retinere debent. Si autem circa aliquod crimen moti sunt dignitate, ad Episcopalem dignitatem revertentur.*

Non obstat hæc sanctio Concilii in Trullo: *Ne liceat Episcopo* (verba sunt canonis 20.) *in alia quæ ad se non pertinet, civitate publice docere; si quis autem hæc facere deprehensus fuerit, ab Episcopatu desistat, Presbyteri autem munere fungatur.* Non obstat (inquam:) siquidem delictum quod laudatus Canon reprehendit, atrox non est peccatum; ac proinde verba ipsa: *Ab Episcopatu desistat*, non significant depositionem, cum depositio tantum propter enormia crimina decerneretur, sed meram designant suspensionem, quæ veteribus sæculis propter culpas non multum graves aliquando infligebatur.

Quod de exercitio ordinis inferioris ei a quo quis dejectus fuisset, mox observavimus, habebat etiam locum respectu dignitatis Consessus, seu, depositus ab exercitio sacro sui ordinis, non semper ab Ordinis honore, seu consessu dejiciebatur, præsertim cum erat periculum schismatis: *Nondum* (inquiunt Alexandrini Concilii Patres de Meletio schismatico) *honoris nomen possideat.* Idem nonnumquam fiebat cum Clericus tormentorum vi lapsus, iterum fidem coram tyrannis confitebatur: *Visum est* (verba sunt Canonis I. Concilii Ancyrani, ubi de Presbyteris sic lapsis agitur) *eos Cathedræ quidem honoris esse participes, non licere autem eis offerre; aut sermones conferre, vel omnino Sacerdotale aliquod munus obire.*

Quæres 1. num Clerici depositi donarentur Eucharistiæ communione.

Resp. Depositionem *per se*, seu nisi obstaret enormitas criminis, non abstulisse Clericis jus ad Eucharistiæ communionem. Ratio est, quia (ut superius diximus) *Per se* reducebat Clericum ad communionem laicam: Laica autem communio dabat jus ad Eucharistiæ participationem: nisi aliunde occultum crimen obstaret. Confirmatur ex eo quod ii qui deponebantur semper non segregarentur, seu, ad pœnitentium classes non dimitterentur; Segregari enim post depositionem est amandari ad aliquam pœnitentium stationem: *Episcopus* (inquit Canon 25. Apostolicus) *vel Presbyter, vel Diaconus, fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus, deponatur & non segregetur: dicit enim Scriptura: Non vindicabis bis in idipsum.*

Quæ-

Quæres 2. An Clerico deposito superesset aliqua restitutionis spes?

Resp. negative. Ratio est primo, quia Clericus non deponebatur nisi ob grave aliquod scelus; at illud grave scelus quædam erat irregularitatis species: unde qui illius reus esset etiam occulte, nusquam promovebatur ad Ordines. Secundo conceptis terminis id asseritur a Basilio in Epist. ad Amphilochium: ubi enim Canonis Apostolici rationem: *Non vindicabis bis in idipsum*, attulit ad ostendendum par non esse ut qui deponitur frustretur Eucharistia; hanc aliam subjicit can. 3. *Quod qui sunt quidem in Ordine Laico, a loco fidelium ejecti, rursus in eum ex quo ceciderunt locum recipiantur: Diaconos vero, simul habet quod sufficiat depositionis judiciam. Tamquam ergo eis non reddendo Diaconatu, in ea sola punitione steterunt.*

Quæres 3. Quid significetur Canonibus qui definiunt: *Laicam communionem quibusdam non debere concedi; In fine tantum concedendam esse; Et ne in fine quidem.*

Resp. ejusmodi quæstionis solutionem ex dictis superius peti debere. Laicam communionem Clerico concedere est eum e gradu suo ad laicorum fidelium sortem dejicere: Ergo Laicam Communionem negare nihil aliud est quam eum damnare pœnitentiæ classibus, Consistentia nempe, aut Substratione, aut Auditione, aut Fletu, pro reatus scilicet gravitate: Ii igitur quibus in fine tantum concedebatur Laica communio, vitam Eucharisticæ Communionis expertes ad extremum usque halitum ducebant: ii vero quibus ne in fine quidem concedebatur, etiam in exitu vitæ frustrabantur Eucharistica communione quam adæquata laica communio essentialiter importat: Hinc lux affulget Canoni primo Concilii Sardicensis ubi hæc ait Osius: *Existimos eos* (Episcopos) *ne Laicorum quidem communionem habere.* Hinc quoque evincitur sensus decreti Felicis Papæ III. in Synodo Romana ubi hæc habentur de Clericis qui baptismo bis se subjecerant: *Usque ad exitus sui diem, in pœnitentia si resipiscunt, jacere conveniet, nec orationi modo fidelium, sed nec Catechumenorum omnimodis interesse, quibus communio Laica tantum in morte reddenda est.* Hic tandem colligitur quid sibi velit Osius eum in Concilio Sardicensi, can. 2. sic loquitur: *Omnino ergo has fraudes & artes puniendas esse existimo: ut nemo possit, qui est ejusmodi, ne in fine quidem laica communione dignus haberi.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De Depositione secundum hodiernam Ecclesiæ praxim.

Conclusio 1. Depositio secundum hodiernam Ecclesiæ praxim est sententia Ecclesiastica qua Clericus in perpetuum privatur tum officio, tum beneficio, non amisso tamen Clericali privilegio.

Probatur, ac simul explicatur conclusio. Depositio dicitur 1. *Sententia*, potius quam *Censura*, quod (ut superius dictum est) secundum hodiernam praxim. Depositio inter censuras non numeretur. Dicitur 2. qua Clericus *in perpetuum* privatur officio ac beneficio, & in hoc differt ab excommunicatione & suspensione quod absque nova rehabilitatione, posita illius qui reus est, resipiscentia, possit auferri, non autem depositio. Dicitur 3. quod privet officio & beneficio, sed non *Privilegio Clericali*, & in hoc differt a degradatione quæ ita Clericum dejicit ut eum etiam privilegio Clericali spoliet: unde fit ut qui eum percusserit, non alias pœnas incurrat quam si laicum percussisset.

Conclusio 2. Depositio, etiam secundum hodiernum usum, recte dividitur in depositionem simplicem & in depositionem secundum quid.

Probatur. Clericus potest abdicari simul tum ordine, tum officio, tum beneficio, vel altero ex iis disjunctive. Si primum, deponitur simpliciter: si autem alterum, deponitur secundum quid. Prior depositio dicitur totalis, posterior vero partialis.

Quæres 1. num depositionis & degradationis iidem sint ritus.

Resp. negative. Ratio est 1. quia depositio verbis fit, non factis; seu sententia depositionis a judice non alio ritu profertur, quam aliæ sententiæ. Degradatio vero fit cum quadam solemnitate canonica, quam legere est in Pontificali Romano. Hujusmodi solemnitatis vestigium extat in IV. Concilio Toletano: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus* (verba sunt Canonis 27.) *si a gradu suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario, de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, annulum & baculum: Si Presbyter, orarium & planetam: Si Diaconus, orarium & albam: Si Subdiaconus, patenam & calicem. Sic & reliqui gradus eam in reparationem sui accipiant, quæ cum ordinarentur perceperant.* Cum Clericus injuste degradatus, iis, quæ mox relata sunt donaretur eum restituebatur in priorem statum; par erat ut iis in degradatione spoliaretur. 2. Sententia depositionis ferri potest in absentem qui sit contumax, Cap. *veritatis*, *de dolo & contuma.* Degradatio vero propter solemnitates quæ eam comitantur, rei præsentiam necessario requirit. 3. Valide & injuste depositum potest Episcopus restituere, ubi emendatus resipuerit, modo tamen ex gratia, non ex jure petatur restitutio, Cap. *Si Clerici, de judiciis.* Imo, & Capitulum, *Sede vacante*, cum ea dispensatio sit jurisdictionis, non autem ordinis actus: Valide autem & juste degradatum solus Pontifex Maximus, ubi redintegratio ex gratia petitur, potest in gradum pristinum restituere: Nec mirum, cum degradatio omnimoda sit ex Clero abscissio. Porro restitutio sive depositi, sive degradati debet fieri absque eorum damno, qui depositi aut degradati beneficiis provisi fuerint. Nam (ut docet Caput, *Quamvis de rescriptis in 6.* restitutio intelligenda est fieri absque ullo juris alieni præjudicio.

Quæres 2. A quibus tum depositionis, tum degradationis sententia fieri debeat?

Resp. jus antiquum præter proprium Episcopum sex alios requisiisse Episcopos ad condemnationem Sacerdotis, & tres ad condemnationem Diaconi, Cap. *Felix* & Cap. *Si autem* 15. quæst. 7 Sd aliam disciplinam Concilium Tridentinum invexit Sess. 13. cap. 4. de reform. ubi hæc habentur: *Cum vero tam gravia nonnumquam sint delicta ab ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem e sacris Ordinibus deponendæ, & curiæ sint tradendæ sæculari; in quo secundum sacros canones certus Episcoporum numerus requiritur; quos, si omnes adhibere difficile esset, debita juris executio differretur: si quando autem intervenire possent, eorum residentia intermitteretur: Præterea statuit & decrevit, Episcopo per se, seu illius Vicario in spiritualibus generalem, contra Clericum in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem; & per seipsum, etiam ad actualem atque solemnem degradationem ab ipsis Ordinibus & gradibus ecclesiasticis, in casibus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero a Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat; adhibitis tamen, & in hoc sibi adsistentibus totidem Abbatibus, usum mitræ & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate aut Diœcesi reperiri & commode interesse possint; alioqain aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.*

CAPUT QUARTUM.

De interdicto Ecclesiastico.

De interdicto quæremus 1. an illius usus quovis sæculo obtinuerit in Ecclesia Christiana. 2. Quid & quotuplex sit secundum hodiernam Ecclesiæ praxim.

AR-

Articulus Primus.

Utrum interdicti usus quovis sæculo obtinuerit in Ecclesia Christiana.

Conclusio 1. Interdictum quo in vindictam publici alicujus flagitii, aut contumacis infractionis Canonum, regnum aut civitas a divinis omnibus suspenduntur, non fuit in usu prioribus Ecclesiæ sæculis.

Probatur 1. Quæ habita sunt quinque prioribus sæculis Concilia; Qui tunc scripsere Patres, interdicti de quo agitur, nusquam meminere. 2. Ecclesia Christiana plerasque tum excommunicationis species, tum ceremonias hausit a Judæorum Synagoga: ac proinde, cum Interdicti, de quo est quæstio, usus nusquam apud Judæos obtinuerit; mirum non est quod apud Christianos prioribus Ecclesiæ sæculis locum non habuerit.

Conclusio secunda. Nonnulla interdicti ecclesiastici vestigia visa sunt sexto, nono, decimo & undecimo sæculo.

Probatur 1. Gregorius Turonensis qui scripsit sexto sæculo, tria recenset facta quæ ab hodiernis interdictis non multum discrepant. Hist. lib. 5. cap. 32. asserit S. Dionysii templum ob perpetratam in eo cædem, aliquandiu fuisse clausum, intermissamque in eo divinorum officiorum celebrationem. Lib. 8. cap. 32. scribit Leudoaldum Episcopum vetuisse ne Ecclesiæ Rhotomagenses aperirentur, ne populus divinis adesse posset, donec author cædis Prætextati Archiepiscopi Rhotomagensis detectus fuisset. Lib. 10. cap. 15. refert Episcopum Pictaviensem ad Chroldieldem scripsisse se nec celebraturum Pascha Domini, nec administraturum baptisma, nisi dimitteret Abbatissam quam tenebat in vinculis.

2. Circa annum 870. Hincmarus Laudunensis Ecclesiam suam illigare conatus est interdicto, ut fidem faciunt hæc verba Hincmari Rhemensis, a quo ea de re graviter increpatur in opusculo 55. capitul. cap. 8. *Causa injuriarum suarum, sicut in petitione ab Ecclesia Laudunensi data continetur, Presbyteros & Diaconos ac reliquos Clericos non accusatos, nec confessos, nec convictos ab omni Ecclesiastico officio excommunicasti, & ut nemo sacra Missarum solemnia in tua Parochia celebraret, indixisti.* Idem capite 30. testatur: *in tua Parochia* (inquit) *nemo in necessitate mortis baptizari, nemo communionis gratia reconciliari, nemo sepeliri cum commendatione poterat.*

3. Ademarus S. Eparchii Engolimensis Monachus qui Christi anno 1020. scripsit, hæc ad Chronici sui annum 994. habet de Alduino Lemovicensi Episcopo: *Sæpe idem Alduinus pro nequitia populi novam observantiam constituit, scilicet Ecclesias & Monasteria cessare a Divino cultu & sancto sacrificio, & populum quasi paganum a divinis laudibus cessare: & hanc observantiam excommunicationem censebat.*

4. Fulbertus Episcopus Carnotensis qui Christi anno 1028. obiit, hæc scripsit ad Robertum Francorum Regem, qui Galliæ Principes & Episcopos Aureliam vocaverat ut cum eis de pace componenda consilium haberet: *De pace componenda gaudeo* (inquit Epist. 9.) *sed audito quod Aureliana civitas, videlicet incendio vastata, sacrilegiis profanata, & insuper excommunicatione damnata, nec post reconciliata, miror & paveo. Quanto enim dolore putas afficiendos esse Sacerdotes fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei & tuam, ipso die congregandi sunt, si in eo loco fuerint, ubi nec ipsis sacrificare liceat, nec tibi Sacrosanctam Eucharistiam absolute percipere.*

5. Paucis post Fulbertum annis, anno nimirum 1034. Lemovicis habitum est Concilium, in quo Oldericus Abbas, ut Pontificem bellis vexatum sublevaret, author fuit Episcopis, ut excommunicarent Civitates quæ paci non acquiescerent. Excommunicationis autem nomine idem a Patribus Lemovicensibus intellectum fuisse quod nunc intelligitur, Interdicti nomine, demonstrant verba quibus mox laudatus Oldericus datum a se consilium expressit: *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione; eo videlicet modo, ut nemo nisi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bimatu & infra, in toto Lemovicinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur: Divinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur, sed Baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in Ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione & pace fundant; Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur; Altaria per omnes Ecclesias sicut in Parasceve, nudentur, & cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad Missas tamen, quas unusquisque Sacerdotum januis Ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat: Nemo alteri osculum det: nemo Clericorum aut Laicorum vel habitantium vel transeuntium in toto Lemovicinio carnem comedat, neque alios cibos, quam illos quibus in Quadragesima vesci licitum est: Nemo Laicorum aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti Principes & capita populorum per omnia sancto obediant Concilio. Si quis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia.*

6. Gregorio Papæ VII. qui anno Christi 1073. Pontifex creatus est, frequentiora quam aliis sæculis visa sunt interdicta: ipse interdictis illigavit integra regna, & aliis Episcopis ut idem agerent, fuit exemplo. Iis Galliarum Ecclesiæ ineunte sæculo 12. sæpius utebantur. *Præcipit itaque Stampensi Archipresbytero* (inquit Yvo Carnotensis, Epistola 50. quæ est ad Richerium Senonensem) *ut vel eos ad satisfactionem adducat, vel ipsis excommunicatis, & locis in quibus morantur, divinum officium interdicat.* Hæc autem habet Epist. 62 *De clericis autem vel Monachis Puteaceusibus, qui contra Interdictum vestrum Missas celebraverunt, mortuos sepelierunt, Chrisma aliunde acceperunt; hoc vobis consulo & respondeo &c.*

Ex hactenus dictis patet 1. quod licet *Interdicti* vox ante 11. sæculum vix fuerit in usu, res tamen quæ per eam significatur, alicubi obtinuerit. Patet 2. nono & decimo sæculo perraram fuisse interdicti censuram: Unde eam superius (ut relatum est) Ademarus Engolismensis Monachus, novam, etiam labente decimo sæculo, observantiam appellat. Patet 3. perperam a nonnullis doceri, ante tempora Alexandri Papæ III. qui anno 1160. inauguratus est Pontifex, nullam in ecclesiasticis monumentis extare Interdicti memoriam. Nec quidquam eos scriptores juvat quod de Interdicto Gratianus in suo decreto siluerit; cum authores Gratiano antiquiores illius expresse meminerint.

Quæres cur circa nonum sæculum frequentior, quam antea fuerit interdictorum usus?

Resp. id factum quod ex Carolovingiorum familiæ ruinis Principes qui in Gallia, Italia & Germania ingenti numero consurrexerant, sæpius excommunicationem qua mulctati fuerant, parvi penderent: par igitur fuit ut generalis Interdicti censura compescerentur. Præterea circa idem tempus Episcopatibus Comitatus, Ducatus, Marchionatus adscripti fuere: subditæ vero civitates parere nonnunquam detrectabant; coacti igitur fuere Præsules eas interdicti pœnas redigere in ordinem, cum armis non possent.

Articulus Secundus.

De interdicti tum natura, tum speciebus, tum effectibus secundum hodiernam Ecclesiæ praxim.

Conclusio 1. Interdictum est censura, qua sacramentorum dispensatio, publica celebratio officiorum divinorum, Ecclesiasticæ sepulturæ usus prohibentur.

Explicatur definitio. Interdictum dicitur 1. *Censura*, qua voce excluditur *Cessatio a Divinis* tempore interdicti innocentes involventis, eorum enim respe-

spectu non pœna, sed mera est sacramentorum ac officii divini substratio. 2. Dicitur quod per interdictum prohibetur usus *Sacramentorum*, non omnium, sed Ordinis, Extremæ Unctionis, Eucharistiæ, non tamen morientium respectu, Matrimonii solemnis, id est quod solemni benedictione consecretur. 3. Dicitur vetari *divinorum officiorum usus*, non quidem privatus, saltem in Ecclesiis specialiter non interdictis, idque juxta Cap. *Alma mater* Bonifacii VIII. *de sentent. excom. in Sexto*, quo quidem capit. mitigata fuit constitutio, *Quod in te* Innocentii Papæ III. In festivitatibus autem Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes & Assumptionis B. Mariæ Virginis campanæ pulsantur, reserantur templorum fores, officia solemni ritu celebrari possunt, exclusis quidem excommunicatis, sed admissis iis qui etiam specialiter interdicti fuerunt, & interdicto dederunt locum, modo tamen ab altari plurimum distent. Addendum est ex Capit. *Permittimus de sent. excom.* in locis etiam specialiter interdictis, posse privatim celebrari Missam, ut Eucharistia pro infirmis renovetur, clausis tamen januis, uno tantum vel altero ministrante. 4. Per interdictum prohiberi dicitur Ecclesiastica sepultura, idest quæ fiat in loco sacro, aut adhibitis consuetis ritibus Ecclesiasticis. Excipitur tamen clerici qui Interdictum servarunt, modo illi nullum omnino dederint locum, hi enim clerici in Ecclesiæ cemeterio quod specialiter interdictum non sit, sepeliri possunt, ea tamen lege ut campanæ non pulsentur.

Conclusio secunda. Interdictum multipliciter dividitur.

Probatur. Interdictum dividitur 1. in Personale, Locale, & Mixtum. Priore quibusdam personis usus sacramentorum, officiorum divinorum, Ecclesiasticæ sepulturæ ubique prohibetur: altero vetatur ille usus in aliquo determinato loco. Tertium & personas & locum complectitur. 2. Interdictum personale subdividitur in generale & particulare; illud fertur in unam, vel plures personas privatas, ut sunt Petrus & Paulus. 3. Interdictum locale subdividitur etiam in generale & particulare. Prius plura loca celebrandis divinis officiis destinata complectitur, ut sunt oppidum, Diœcesis, Provincia, Regnum; istud e contra specialem aliquem locum sacrum respicit.

Conclusio 3. Circa interdictum regulæ quædam servari debent.

Probatur 1. Interdictum nonnisi personas vel loca determinata afficit; hinc si populus interdicitur, Clerici nequaquam interdicti censentur: Si templum aliquod interdictum sit, populus non censetur interdictus, debetque in alium locum confluere ut Divinis intersit. 2. Totius alicujus civitatis interdum eos omnes afficit, qui ad eamdem civitatem pertinent. Unde, cum interdicitur civitas, eo Interdicto continentur suburbia, & ædificia quæ civitati adjacent. Cum interdicitur templum, interdicuntur quoque cæmeteria & capellæ contiguæ, at non e contra.

Conclusio 4. Sententia Interdicti obligat sub gravi pœna.

Probatur 1. Si Clerici celebrent officia divina in loco servatis servandis interdicto, irregularitatem contrahunt. 2. Si nominatim, aut generaliter interdictos ad aliqua divina admittant, incidunt in interdictionem *latæ sententiæ* ab ingressu Ecclesiæ, a qua non possunt absolvi nisi satisfactione peracta ad arbitrium judicis Ecclesiastici a quo interdicti censura lata fuerit. Si autem postquam interdictionem illam incurrerint, ipsi celebrent, incidunt in irregularitatem, privanturque sepultura Ecclesiastica. 3. Si personas nominatim interdictas in Cæmeterio vel Ecclesia sepeliant, incidunt in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possunt absolvi, nisi peracta satisfactione secundum arbitrium judicis a quo latum fuit Interdictum, eaque pœna locum habet, sive sint laici qui sepeliunt, sive exempti, sive non exempti.

QUÆSTIO SEXTA.

De Irregularitate.

IRregularitatis nomine intelligitur impedimentum Canonicum Ordines suscipiendi, aut susceptos exercendi. Dicitur vero 1. Impedimentum *Canonicum*, eo quod Canonibus statutum fuerit. 2. Dicitur impedire *susceptionem* licitam non vero validam, *Ordinum*, qua quidem voce comprehenduntur non solum Ordines stricte sumpti, sed & late, ipsa nimirum Tonsura Clericalis, quæ mera est ac nuda ad Ordines dispositio. Comprehenduntur etiam quædam beneficia; Irregularitas enim parit incapacitatem ad ea suscipienda, si sit præcedens; si vero sit subsequens, quamvis ipso facto non inducat beneficiorum vacationem, ut patet ex Capit. *Ex litteris, de excessibus Prælatorum*, dat tamen locum judici ut vacationem decernat, si sit ex delicto; si autem ex defectu, ut per judicem provideatur de vicario cum assignatione fructuum beneficii cui incumbit animarum cura.

Duæ sunt Irregularitatum species; Ex *Defectu* nimirum, & ex *Delicto*. Ratio est, quia, Irregularitates speciem suam sumunt a causis ex quibus nascuntur. Nascuntur autem ex duplici tantum specie & causa, defectu nimirum & delicto; ab iis enim duabus speciebus omnes prorsus Irregularitates oriuntur. Scorsim de duplici illa specie disserendum est.

CAPUT PRIMUM.

De irregularitatibus quæ oriuntur ex defectu.

NOvem numerantur defectus ex quibus oriuntur irregularitates quæ dicuntur *ex defectu*. Quinque priores mere spirituales sunt, cæteri vero corporales. Illi, sunt defectus Rationis, Famæ, Lenitatis, Libertatis, Significationis; Isti autem, sive corporales, sunt defectus Natalium, Ætatis & membrorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De irregularitatibus quæ oriuntur ex defectu rationis.

DEfectus rationis reperitur 1. in Energumenis. 2. in Amentibus. 3. in Epilepticis, seu caduco morbo laborantibus. Ad eos qui ratione destituti sunt, tum Illitterati tum Neophiti reducuntur.

De Energumenis, Amentibus & Epilepticis.

Conclusio 1. Perantiqua est Energumenorum irregularitas.

Probatur. Gennadius irregularium catalogo inscribit energumenos: *Qui* (inquit de Dogmat. Eccles. cap. 70.) *afflictione diaboli vexatus est*, &c. inscribit quoque III. Concilium Aurelianense: *Vel* (inquit can. 6.) *qui publice aliquando arreptus est*. Inscribit etiam XI. Concilium Toletanum: *Bene quidem* (ait can. 13.) *majorum regulis definitum est, ut dæmoniis aliisque similibus passionibus irretitis ministeria sacra tractare non liceat. Cui præcepto, consensu rationis adhibito: id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant ministrare altaribus, vel indiscussi se divinis ingerant Sacramentis*. Gregorius Magnus in Dialogis, de juvene Clerico quem dæmon corripuerat, quique liberatus postea fuerat a S. Benedicto, factum enarrat quo disciplinæ de qua agitur, plurima lux affulget. Jussus fue-

fuerat a S. Patriarca ne unquam accederet ad Ordines sacros: *Cui sanato* (ait Gregorius lib. 2. cap. 16.) *præcipit dicens, Vade, & posthac carnem non comedas, & ad sacrum Ordinem numquam accedere præsumas. Quacumque autem die ad sacrum Ordinem accedere præsumpseris, statim juri diaboli iterum mancipaberis.* Morem aliquandiu gessit Clericus, sed permoleste tulit postea quod juniores Clerici per ordinationam ipsi præferrentur. *Cum priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet superponi in sacris Ordinibus cerneret*; unde Episcopo ordinanti se se exibuit, sed illico invasit eum (ut S. Benedictus prædiaerat) spiritus nequam quo ad extremam usque vitæ periodum afflictatus est. Eadem praxis traditur in Capitularibus Caroli Magni: *Dæmoniis* (verba sunt lib. 7. cap. 51.) *aliisque passionibus irretitis, non licet ministeria sacra tractare.*

Perpetuum vero fuisse, respectu suscipiendorum ordinum, contractam semel ab Energumenis irregularitatem testatur mox relatum S. Benedicti præceptum: testatur quoque Capit. *Maritum dist.* 35 Iis, tamen, ubi plene purgati & sani fuerint, Balsamon Clericatum permittit.

Conclusio 2. Per Epilepsiam semper contracta fuit irregularitas.

Probatur, Epilepsiæ quæ Ordinum tum susceptionem, tum exercitium impediret, meminere Canones, & in primis XIII. Canon undecimi Concilii Toletani, ubi Epileptici cum arreptitiis ideo confunduntur; quod ea aut similis infirmitas non raro ex contagio dæmonis oriatur, ut ab Evangelistis pluribus in locis innuitur: *Obtulerunt ei* (inquit Matth. cap 9.) *hominem mutum, & dæmonium habentem: & ejecto dæmonio locutus est mutus.* Hæc in eumdem sensum habentur Matthæi 17. *Accessit homo, dicens, Domine miserere filio meo, quia Lunaticus est, & male patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam ... Et increpavit illum Jesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer.*

Epilepsiæ autem affectum qui post decimum quartum ætatis annum accidit, parere irregularitatem quæ in perpetuum duret, Canonistæ omnes conveniunt: Unde is qui vel semel post illud tempus epilepsia certo laboraverit, numquam possit ad Ordines promoveri: Sed idem ab omnibus non fertur judicium de ejusdem morbi affectibus qui ante completum decimum quartum ætatis annum contigerint: *Consuetudine passim recepta* (ait Cabassutius noster, juris Canonici Theoria & praxis lib. 5. cap. 19) *non solent computari ad irregularitatem epileptici affectus, qui acciderunt ante completam decimam quartam ætatis annum, neque eorum solet haberi ratio qui annis infantiæ contigerint.* Hanc assertionis suæ rationem laudatus scriptor petit ex Medicis. *Epilepsia* (inquit, ex Hippocrate, Aphor. 7. Sect. 5.) *ante pubertatem amotionem recipit; post vigesimum vero quintum annum fere comitatur ad mortem usque.* Idem confirmat ex aphor. 28. sect. 3. ubi hæc habentur: *Plurimi pueriles morbi, alii intra dies quadraginta, nonnulli intra septem menses, quidam intra annos septem, alii ipsis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui vero permanserint, atque pueris circa pubertatem, neque fœminis, cum menstrua erumpunt, soluti fuerint, inveterascere consueverant.*

De epilepsia quæ acciderit iis qui jam sunt Ordinibus initiati, docent Canonistæ non impedire eorumdem Ordinum exercitium si quædam præcautiones adhibeantur. Primo quidem requiritur ut intra unnum integrum non recurrat epilepticum symptoma: *Qui tamen* (inquit laudatum superius XI. Concilium Toletanum, quod, ut observavimus plerasque corporis infirmitates dæmonis contagio adscribit) *& ipsi tandiu erunt ab officii sui ordine & loco suspensi, quousque unius anni spatio, per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu dæmonum alieni.* Nec obstat cap. *Nuper* 17. q. 2. ubi Papa non plus quam triginta dies requirit ad explorandum morbum epilepticum. Nam illud capit. *Nuper* intelligitur tantum in casu, in quo dubium est an ordinatus aliquando epilepsia laboraverit; Capit. vero, *Communiter* dist. 33. quo exigitur annus integer, intelligitur supposita certitudine de præscripto epileptico casu. Secundo necesse est ut epileptico per annum probato adsit alius Sacerdos jejunus qui sacrum perficere possit, si celebrans post inchoatum canonem antiquo suo morbo forte corripiatur: *Habeat* (inquit Concilium XI. Toletanum can. 14.) *quisquis ille canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adjutorem: ut si aliquo casu, ille qui officia impleturus accessit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui ejus vicem exequatur intrepidus.* Idem mox laudato capit *Nuper*, præcipitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Illitteratis & Neophitis.

ILlitteratos arceri debere ab Ordinibus superius pag. 545. 546. fuse demonstratum est: hic ergo agendum est de Neophitis tantum qui (ut observavimus) ad eos qui propter defectum mentis sunt irregulares, a Canonistis reducuntur.

Neophytorum nomen quatuor hominum genera complectitur, eos nempe homines qui recenter ex infidelitate conversi sunt ad fidem: Catechumenos, qui baptismum ad ultimam vitæ periodum distulerint, aut adultos qui mox a baptismate quod sani receperint, sacræ ordinationi se offerunt: fideles, qui laici cum sint, ad sacros Ordines suspirant.

Conclusio 1. Irregulares semper fuere qui recenter ea infidelitate conversi sunt ad fidem.

Probatur. 1. Paulus 1. ad Timoth. 3. prohibet non Apostoli quidem, sed Ecclesiæ pastoris authoritate, ne neophytis Episcopatus conferatur: *Non Neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* 2. Laodicena Synodus eos arcet ab omni ordine Sacerdotali, seu a Clero: *De his* (inquit can. 3.) *qui nuper sunt illuminati baptismate, quod eos non conveniat promoveri in ordine Sacerdotali.*

Conclusio 2. Catechumeni qui baptismum ad ultimum vitæ periodum distulissent, quondam erant irregulares.

Probatur ea Eusebio qui hist. lib. 6. cap. 43. describit Epistolam Cornelii Papæ, qua Novatianus dicitur irregularis; quod in mortis lectulo baptizatus fuisset: *In lectulo perfusus baptismum suscepit.* Qui eo in articulo tingebantur baptismate, Clinici dicebantur, ut agentes de baptismate observavimus; eos vero summotos fuisse ab ordinatione declarat mox laudatus Eusebius: *Eo quod* (inquit ibidem. *non liceret, quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perfusi essent, in Clerum assumi.* Ejusdem disciplinæ praxim præscribit Concilium VI. Parisiense quod anno 829. habitum est: *Sicut* (inquit can. 8.) *in plerisque, ita & in eo authoritas a nonnullis sæpe violatur canonica, quando scilicet hi qui in ægritudine, baptismatis suscipiunt sacramentum, ad gradus Ecclesiasticos contra fas provehuntur. Is usus, quia authoritati canonicæ resaltat, oportet ut corrigatur, quoniam hujuscemodi baptizatos, quos vulgaris sermo Grabatarios vocat, canonica authoritas a gradibus Ecclesiasticis potenter repellit.* Illi Canoni occasioni fuere barbaræ gentes, quæ nono sæculo in Germania aliisque finitimis regionibus Christianæ religioni dederunt nomen.

Conclusio 3. Canones prohibent, ne ii qui sani in adulta ætate baptismum receperint, statim ordinentur.

Probatur 1. ex eo quod illi homines Neophytorum nomine quos Canones arcent ab ordinibus comprehenduntur. 2. In iis Neophytis valent argumenta omnia quibus momentaneas Laicorum fidelium ordinationes antiqui proscribunt. 3. Innocentius Papa I. sic Epist. 4. de ea de qua agitur, Neophytorum specie loquitur: *Laici vero, qui habentes uxores, baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut Clericis juncti sint, aut Monasteriis, ex quo baptizati sunt, hæserint, & si non concubinam, non pellicem noverint, si in bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujusmodi ad Clericatus sortem assumi. Ita sane ut in eos tempora a ma-*

majoribus constituta serventur. Nec cito quilibet Lector, cito Acholythus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat.

Licet illi Canones damnare videantur ordinationes tum Ambrosii, tum Augustini, qui mox a baptismate promoti sunt ad primarios Ecclesiæ gradus: iis tamen revera non adversantur; quippe quod innumeris quibus eminebant dotibus abunde compensata sit temporis intercapedo quam baptismum inter & Ordines Patrum statuta præcipiunt. Fatetur Ambrosius ipse se contra Canones ordinatum fuisse, sed addit in illos refundi debere culpam qui invitum & renitentem ordinarant: *Quam resistebam* (inquit Epist. 82.) *ne ordinarer, postremo cum cogerer, saltem ordinatio protalaretur; sed non valuit præscriptio, prævaluit impressio. Tamen ordinationem meam Occidentales Episcopi judicio, Orientales etiam exemplo probaverunt. Et tamen Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur superbia. Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est.*

Conclusio 4. Irregulares erant olim fideles, qui, laici cum essent, mox ad sacros Ordines suspirabant.

Probatur 1. innumeris Canonibus, quibus inter Ordines interstitia præscribuntur, quosque nos de iisdem interstitiis agentes, retulimus in nostra de Sacramento Ordinis dissertatione. 2. Idem evincitur argumentis quibus Patres hominum, de quibus agitur, ausum temerarium compressere: *Debet* (inquit Cælestinus Papa epist. 2. *ante esse discipulus, quisquis Doctor esse desiderat: ut possit docere quod didicit*. Quam sibi & Ecclesiæ noceant qui mox a statu laico ad supremos Ordines conscendunt, hisce verbis declarat Hieronymus in Epist. ad Oceanum: *Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem; judicium & ruina diaboli nulli dubium est quin arrogantia sit. Incidunt in eam qui in puncto horæ, needum discipuli, jam magistri fiunt*. 3. Ob eas similesque rationes Concilium Sardicense Neophytos arceat a tribus Ordinibus Hierarchicis: *Conveniens non est* (inquit can. 20.) *nec ratio, vel disciplina patitur, ut temere vel leviter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus qui Neophytus est... Sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata.*

ARTICULUS TERTIUS.

De defectu Famæ.

FAmæ defectus qui irregularitatem parit, reperitur 1. in iis qui in scena lusisse dignoscuntur. 2. In iis qui crimina publica pœnitentia defleverunt. 3. in iis qui usuras accepisse convincuntur in judicio, aut commisisse scelera quæ infamiam inferunt.

Conclusio 1. Ecclesia quondam inscripsit, & nunc etiam inscribit Comœdos irregularium catalogo.

Probatur 1. ex Gennadio qui de Dogmat. Eccles. cap. 7 sic loquitur: *Qui in scena lusisse dignoscitur* (quibus verbis Comœdos, Histriones, aliosque ejusmodi homines complectitur) *qui aliquando in furiam versus insanivit, vel afflictione diaboli venatus est, &c.* 2. Idem ex jure Canonico, capite *Maritum* dist. 33. colligitur. 3. Legibus civilibus constat Comœdos aliosque similis artis homines inter infames reputari. At Ecclesia infantes semper ab Ordinatione removit. 4. Comœdis, aliique similis artis homines sunt peccatores publici, cum artem profiteantur quæ fidelibus est ruinæ ac perditionis occasio. Ecclesia autem nusquam peccatores publicos ad sacrum ministerium admisit.

Conclusio 2. Publica pœnitentia quovis sæculo irregularitatem peperit.

Probatur. Irregularitas considerari potest vel respectu exercitii Ordinum quibus Clericus jam insignitus est; vel respectu susceptionis eorum quibus quis nondum est donatus. Atqui publica pœnitentia sub utroque illo respectu quovis sæculo irregularitatem peperit.

Et quidem 1. cum Clerici per duodecim priora sæcula non nisi post depositionem aut simul cum depositione publica pœnitentia damnati fuerint, nec semel depositi, deinceps restituerentur: *Sicut pœnitentiam agere* (inquit Siricius Papa Epist. 1. cap. 14.) *cuiquam non conceditur Clericorum &c.* Certum est nusquam eis publica pœnitentia functis licuisse suorum Ordinum exercitium.

Nec obstat quod nonnulla Concilia nonnunquam cum Clericis lapsis humanius egerint, ut videre est in Ilerdensi quod exauctorat quidem Clericos qui suam prolem adulterinam enecaverint, sed post pœnitentiam Canonicam sedere patitur inter Cantores: *Si Clerici fuerint* (inquit can. 2.) *officium eis ministrandi recuperare non liceat; attamen in choro psallentium, a tempore receptæ communionis intersint*. Canone 5. vetat quidem ne ii qui semel in carnis flagitium lapsi fuerint, ad gradus ulteriores promoveantur; sed Episcopo facultatem facit ut eis Ordinum suorum functionis permittat, si statim resipiscentes eos pœnituerit: *Hi qui altario deserviunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente digne pœnituerint, maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab Ecclesiæ corpore segregare, ita tamen ut sic officiorum suorum loca recipiant, nec possint ad altiora officia ulterius promoveri*. Non obstat (inquam:) nam quæ ex Concilio Ilerdensi relata sunt, a germana Canonum austeritate dispensationem complectuntur, quæ fuit semper penes Ecclesiam, ut sæpe docet Augustinus in suis adversus Donatistas operibus.

Nec obstat quoque quod Concilium XIII. Toletanum Gaudentio Episcopo permiserit Episcopales functiones, licet in ægritudine pœnitentiam accepisset. Non obstat (inquam:) Nam duplex erat publica tum Clericorum tum Laicorum pœnitentia; Spontanea nimirum & judiciaria. Clericis qui hac perfuncti fuissent, nulla omnino supererat restitutionis spes, cum propter crimina injungeretur, quæ quemque Clericum dejiciebant e suo gradu. E contra qui spontaneæ colla subjecissent, poterant deinceps sua obire munera, si tamen crimen aliquod publice confessi non fuissent: *Sancta Synodus definivit* (verba sunt Canon. x. Concilii Toletani XIII. *ut stante priscorum canonum sanctione, quicumque Pontificum vel Sacerdotum deinceps per manus impositionem Pœnitentiæ donum acceperint, nec se mortalium criminum professione notaverint, tenorem retentandi regiminis non amittant, sed per Metropolitanum reconciliatione, Pœnitentium more, suscepta, solita expleant Ordinis, vel cætera mysteriorum sibi credita sacramenta*. Addita est hæc conditio: *Nec se mortalium criminum professione notaverint*, eo quod Canonum rigor in eos servaretur qui in spontanea etiam pœnitentia, crimen aliquod publice confessi fuissent. Id evidentissime patet ex Concilio Toletano X. quod quidem dejecit ex Episcopatu, damnavitque pœnitentiæ laboribus Potamium Bracarensem Archiepiscopum qui Concilio per litteras occultam fornicationem, propter quam mulctarat se laboriosa pœnitentia, absens confessus fuerat. Sed operæ pretium est factum illud paulo fusius enarrare. Potamius obsignatam Epistolam misit ad Patres Toleti congregatos. Reserata Epistola Patres audiunt Potamium fornicationis crimen ultro confiteri. Obstupescentes quod nihil unquam simile da eo suspicati fuissent, Potamium adesse jubent sciscitanturque num Epistolam scripsisset: *Ille suum actum, suique oris eloquium, suorum quoque digitorum esse robur asseruit, quod illic relegendo pervidit*. Hoc audito responso iterum quærunt Episcopi, num vera essent quæ ea epist. continebantur: *Rursum divini numinis contestatione hunc adjurantes obtestati sumus, ut an de se sponte mendacium diceret, aut alicujus violentia premeretur, & perterritus talia enarraret, veraciter indicaret*: Reponit Potamius se vere in illud crimen quod accusaret, incidisse: *Qui mox flebili voce, luminibusque ploratu madentibus, & fragore singultuum cum unius Dei juramento clamavit, se & vere eadem mala de se confiteri, & ad hæc confitenda nulla*

se

se violentia prægravari. Unde etiam ferme per novem menses sponte deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam pro admisso flagitio acturus pœnitentiam, se conclusisse edixit. Patres vero Toletani certi de Potamii flagitio hanc in eum sententiam protulerunt: *Tunc per fidelem confessionem ejus, agnito quod tactu fœmineo sorduisset, & declarato, licet hunc paterna antiquitas sacris regulis dejicere ab honore decernat, nos tamen miserationis jura servantes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione jam tulerat, sed valida authoritate decrevimus, perpetuæ pœnitentiæ hunc inservire officiis & ærumnis: Providentes melius illum per asperam & dumosam ire pœnitentiæ solitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii mansionem, quam volictum in voluntatis suæ latitudine, ad præcipitium dejici æterna damnatione.* Nec lati a se decreti executionem protrahunt laudati Patres: eadem enim sententia qua Potamium ab Episcopatu dejiciunt, in ejus locum subrogatur Fructuosus Ecclesiæ Dumiensis Episcopus, qui quidem Bracarensis Metropolitani nomine Toletano Concilio subscribit: *Fructuosus Bracarensis Metropolitanus Episcopus.* Quoniam autem asseruerant paternas regulas Potamium ab honore & gradu Episcopali dejicere, exscribunt quartum canonem Concilii Valentini, quod in Galliia habitum est, qui quidem canon sic habet: *Quicumque sub ordinatione vel Diaconatus, vel Presbyterii, vel Episcopatu mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinationibus submovendos, Reos scilicet vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neque enim absolvi potest is, qui in se ipsum dixerit, quod dictum in alios puniretur: Quoniam omnis, qui sibi fuerit mortis causa major homicida fit.* Praxim quam in edendo suo decreto secuti fuerant iidem Toletani Patres, novum non fuisse, ac singularem usum, sed veterem & tritum supponunt, cum hæc Valentino Canoni adtexunt: *Multa quidem & aliæ sententiæ huic poterant innecti decreto, quæ prædictum Potamium Episcopum severissima authoritate abjicere jubent. Sed ex omnibus hanc conscriptam ponere sententiam maluimus, ne, si totius damnationis edicta replicassemus, gravissimæ ultionis auctoris existere videremur.*

Triplici vero de causa Patres Clericis pœnitentia publica functis ademerunt restitutionis spem. Crediderunt scilicet baptismatis innocentium in iis requiri qui agnum immaculatum contrectarent: Qui per Sacramenta dispensarent illius sanguinem, qui per Evangelii prædicationem, veritatem pro qua mortem oppetiit; fideles docerent. *Nec enim* (verba sunt Joannis Papæ II. in Epist. ad Cæsarium Arelatensem) *fas est pollutum Criminibus* (de Contumelioso Episcopo Regiensi loquitur) *sacris misteriis deservire.*

Timebant præterea, ne restitutionis spes simulatas in Clericis pœnitentias pareret: Eam rationem tradit Augustinus Epistol. 50. ubi Donatistas urgens sic loquitur: *Sed ne forsitan etiam de cæteris criminibus, spe honoris ecclesiastici animus intumesceas, superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit, ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit Clericus: ut desperatione temporalis altitudinis, medicina major & verior esset humilitatis. Nam & sanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando amarissimas lacbrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur; experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.* Quam disciplinæ, de qua agitur, causam subdubitando: *Experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias, &c.* protulit Augustinus, certo tradit Gregorius Magnus lib. 4. Epist. 4. ubi hæc habet: *Si lapsis ad suum Ordinem revertendi licentia concedatur, vigor Canonicæ proculdubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe, pravæ actionis desideria, quis conjicere non formidat.*

Tandem post annum millesimum Patres habuerunt rationem non criminum, quæ quis in pœnitentia deflevisset, sed infamiæ quæ tunc publicam pœnitentiam comitabantur: *Unde* (inquit Ivo Carnotensis Epist. 54.) *mihi videtur, quia sicut ficta pœnitentia fictos pœnitentes a Clericatu repellit, ita vera pœnitentia veros pœnitentes ad Clericatum admittit. Hæc dicentes sacris Patrum regulis non obviamus; sed ex ratione & exemplorum commemoratione, in Præsidentium* (Episcoporum scilicet, penes quos est dispensandi facultas cum id exigit Ecclesiæ necessitas) *intelligimus positum esse discretione, at quos viderint veram egisse pœnitentiam, eos ad Ecclesiasticam possint promovere militiam, si tamen publicam non egerint pœnitentiam.*

Jam autem 2. quod Laicis, qui publicam egissent pœnitentiam, ad Clericatum via præclusa esset prioribus sæculis, ex eo demonstratur, quod publica pœnitentia iis tantum imponeretur, qui gravium scelerum rei essent: At gravia scelera viam Laicis ad Clericatum occlusisse hujusce Commentarii paginis 542. 543. fuse probatum est.

Præterea idem ostendunt innumera Conciliorum loca. Supponit Optatus Milevitanus eam praxim obtinuisse tertio Ecclesiæ sæculo cum Purpurium sic in Donatistarum conciliabulo contra Cæcilianum Carthaginensem, loquentem inducit: *Exeat huc, quasi imponatur ei manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia.* Concilium Carthaginense IV. eumdem praxim conceptis terminis præscribit: *Ex pœnitentibus* (inquit canon. 68.) *quamvis sit bonus, Clericus non ordinetur. Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a Clero, quia se ordinationis tempore non prodidit esse pœnitentem. Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ab Episcopatus sui ordinandi dumtaxat potestate privetur.* Epaonense Concilium hæc habet Canon. 3. *Pœnitentiam professi ad Clericatum penitus non vocentur.* Ex ea quidem austeritate Concilium Toletanum I. remisit nonnihil; sed quoad minores Ordine tantum, non autem quoad majores, si tamen id exposceret Ecclesiæ necessitas: *Placuit* (Verba sunt 2. Canonis) *ut de pœnitente non admittatur ad Clerum, nisi tantum sic necessitas aut usus exegerit, inter Ostiarios deputetur, vel inter Lectores; ita ut Evangelia & Apostolum non legat. Si quis autem ante ordinati sunt Diaconos, inter Subdiaconos habeantur, ita ut manum non imponant, aut sacra non contingant.* Quid vero Pœnitentis nomine intelligat sacra Synodus, sic ipsamet exponit: *Pœnitentem vero dicimus de eo, qui post baptismum aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus, gravissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio, divino fuit reconciliatus altario.*

Quod modo ex Conciliis evicimus, ex Patribus quoque facile demonstratur. Laudari vero possunt Siricius Epistol. 1. cap. 14. Innocentius Papa I. Epistola 6. Zosimus Epistol. 1. cap. 3. Hilarius Epistol. 2. capit. 4. Gelasius Epistol. 9. Iis ad unguem adhæsit Hormisda, qui ad Episcopos Hispaniæ rescribens, sic Epist. 25. loquitur: *Irreprehensibiles esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis. Sed nec de pœnitentibus quisquam ad hujusmodi gradum profanus temerator aspiret. Qua conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scit teste confessum? Qui enim quem paulo ante vidit jacentem veneretur Antistitem? Præferens miserandi criminis labem, non habet lucidam Sacerdotii dignitatem.* Præcedenti Romanorum Pontificum traditioni subscribit Gregorius Magnus lib. 2. Regist. indictione 10. Epistol. 25. *Præcipimus* (inquit) *ne unquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum &c. vel pœnitentem ad sacros ordines permittas accedere.* Licet Abbatis Ruperti temporibus, occulta flagitia, uno excepto homicidio, irregularitatem non parerent, pariebat tamen publica pœnitentia. *Magnus est* (inquit de læsione virg. cap. 16.) *non solum veniæ, sed etiam gratiæ locus, ubi peccatum non taliter admissum est, ut vulgus sciat, & persona infamis habeatur. Exempli gratia, si adulterium perpetratum, publice diffamatum, vel ex judicio testibus est convictum, non debet hujusmodi persona sacris ordinibus fungi, ne scandalum populo faciat. Si autem hoc nemo scit præter Deum & eum cui secreta confessione manifestatur, cauta discretione, & misericorditer condonatum est, ut post pœnitentiam nihilominus secretam, sacris mysteriis illa persona*

admoveatur, secundum exemplum David &c. Qua ratione, quam ob causam, quibus in casibus, Concilium Tridentinum Episcopis facultatem fecerit dispensandi cum Clericis concubinariis, qui debita pœnitentiæ perfuncti fuerint, diximus superius, ubi de depositione secundum hodiernam Ecclesiæ praxim disputatum est.

ARTICULUS QUARTUS.

De defectu Lenitatis.

Lenitatis defectus in iis reperitur, qui directe vel indirectè ad alicujus mortem, vel mutilationem etiam juste cooperati fuerint. Hunc vero defectum Ecclesia recenseri voluit inter irregularitates, quod Clerici sint ministri incruentæ & cœlestis Victimæ, quæ tantum abest, ut illatas sibi injurias ulta sit; quin etiam pro suis interfectoribus vitam profuderit suam. Hinc factum est, ut Clericatus aditum variis in casibus præcluserit.

Hinc præclusit t. militibus etiam in bello justo decertantibus, Causidicis, qui causas criminales egerint, judicibus qui reos damnarint aut capite, aut mutilatione, testibus qui iisdem in causis accusaverint: *Designata sint genera* (inquit Innocentius Papa I. Epistol. 4. capit. 3.) *de quibus ad Clericatum pervenire non possunt, idest, Si quis fidelis militaverit, si quis causas egerit, hoc est postulaverit &c.* Idem repetit S. Pontifex Epistol, 23. capit. 2. ubi sic loquitur: *Quantos enim ex eis, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt, accitos ad Sacerdotium esse comperimus? Quantos ex militia, qui cum Potestatibus obedierunt, se vera necessario præcepta sunt executi? Quantos ex Curialibus, qui dum parent Potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt? Quantos, qui voluptates & editiones populo celebrarunt, ad honorem Summi Sacerdotii pervenisse, quorum omnium neminem, ne ad societatem quidem ordinis Clericorum, oportuerat pervenisse? ....* *Quicumque* (deinceps) *tales ordinati fuerint, cum ordinibus suis deponantur.* Ejusdem disciplinæ testis est Toletana I. Synodus, *si quis post baptismum militaverit* (inquit canon. 8.) *& chlamydem sumpserit, aut cingulum ad necandos fideles, etiamsi gravia non admiserit, si ad Clerum admissus, Diaconi non accipiat dignitatem.* Licet Clericus irregularis non fiat cum adest publicis reorum cruciatibus, tamen ut Ecclesia doceret quanta debeat esse Clerici humanitas, ne iis se præsentem sistat, canonibus prohibuit: *Aut* (inquit Concilium Oxfordiense, canon.) *ubi judicium sanguinis tractatur aut exerceatur.* Idem quoque vetitum & anno 1215. in quarto Concilio Lateranensi: *Clericus* (ait canon. 18.) *nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, intersit.*

Quæ laicos arcebat a Clericatu militia, Clericos dejiciebat ab Ordinum functionibus; Sanctus Bonifacius Archiepiscupus Moguntinus Zachariam Papam percontatus est de quibusdam Episcupis, qui bellum profecti manus in acie conseruerant: *Pugnant in exercitu armati & effundunt propria manu sanguinem hominum sive Paganorum, sive Christianorum.* Respondit vero Pontifex, deponi debere Clericos, qui humano cruore manus imbuissent: *Aut si sanguinem Christianorum, sive Paganorum effuderunt, ne permittas Sacerdotio fungi.* Eamdem hoc etiam sæculo disciplinam obtinere certo colligitur ex cap. *Si quis viduam*, distinct. 50. necnon ex cap. *In Archiepiscopatu*, de raptorib. & tandem ex cap. Fin. *ne Clerici vel Monach. in 6.* Ecclesia ita ab humani sanguinis effusione abhorret, ut sub irregularitatis pœna Beneficiariis, qui temporali jurisdictione potirentur, antiquitus prohibuerit ne ballivis, aliisve suis ministris potestatem facerent vitæ ac mortis: *Nullus ex Clero* (ait Concilium Londinense, quod anno 1075. celebratum est) *hominem occidendum, vel membris truncandum judicet, vel judicantibus suæ authoritatis favorem commodet.* Verum hoc in capite aliam disciplinam invexit Bonifacius Papa VIII. hæc enim habet Sexti lib. 3. Titul. 24. cap. 3. *Episcopus, sive quicumque alius Prælatus, vel Clericus Jurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, vel alio maleficio commisso, Ballivo suo, vel alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens, justitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet, quamvis ille Ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, justitia mediante.* Aliam pariter a priore idem Summus Pontifex invexit disciplinam quoad accusatores homicidii aut alterius flagitii in quod mutilationis, aut mortis pœna leges animadvertunt: sancivit nempe eos nullam irregularitatem contrahere una hac protestatione, quod reos nolint affici sanguinis pœna: *Protestando expresse*, (inquit Sexti lib. 5. Titul. 4. cap. 2.) *quod ad pœnam sanguinis non intendunt*: Ejusmodi vero sanctionis hanc reddit rationem: *Daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bonum libere deprædandi.* Sed monendus est lector Bonifacii decretum iis tantum suffragari, qui in causa propria accusarint, aut qui in aliena si agatur de patriæ proditione, aut de liberandu innocente: tunc enim non intendunt rei mortem, sed tum patriæ, tum innocentis salutem.

II. Via ad Clericatum præclusa fuit non tantum sanguinolenti decreti latoribus aut executoribus, sed & iis, qui illud consiliis suis suasissent: Id vere est in Idacio & Ithacio Episcopis, qui quondam damnati fuere, quod Maximo Imperatori authores fuissent, ut in Priscillianum hæresiarcham impurissimum animadverteret gladio. Unde Ambrosius ab illorum Episcoporum communione temperavit: *Cum videret* (inquit S. Pater de Maximu loquens Epist. 27.) *abstinere me ab Episcopis, qui communicabant ei, vel qui aliquos devios licet a fide ad necem petebant, commotus eis jussit me sine mora regredi.* Asserit Epist. 76. Ithacianos fuisse imitatores non Christi, qui peccatum condonavit mulieri adulteræ, sed Judæorum, qui ejusdem Christi necem petierunt a Pilato: *Quæstio* (ait) *facta est vehementior, posteaquam Episcopi reos criminum gravissimorum in publicis accusare judiciis, alii urgere usque ad gladium supremamque mortem, alii accusationes hujusmodi, & cruentos Sacerdotum triumphos probare cæperunt. Quid enim aliud isti dicunt, quam dicebant Judæi, reos criminum legibus esse puniendos, & ideo accusari eos etiam a Sacerdotibus in publicis judiciis oportuisse &c. Unam Christus puniri ex lege non passus est, isti minorem numerum asserunt esse punitum.* S. Martinus Treviris, quo profectus fuerat, ad horam quidem cum Ithacianis communicavit, verum alia rationem consulere non potuit iis quorum salutem ab Imperatore venerat exoraturus: *Satius æstimans* (inquit Severus Sulpitius Hist. lib. 2.) *ad horam cedere, quam his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat.* Præterea deflevit perdiu communiam, qua usus fuerat contra Canones, quibus prohibetur Clericis ne aut facto, aut verbis hominum licet nocentium cædes approbent. Addendum est sanctissimum Præsulem numquam ab ipso Imperatore adduci potuisse, ut scripto confirmaret momentaneam communionem suam cum Ithacianis, quos quandiu Treviris versatus est, ab inito consilio deterrere conatus est: *Non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret; Maximum orare, ut sanguine abstineret infœlicium*, Priscillianorum scilicet, quorum salutem exoraturus accesserat: *Pia erat Martino sollicitudo*, (ait mox laudatus Severus Sulpitius) *ut non solum Christianos, qui sub illa erant occasione venandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret.*

Inde tamen non sequitur irregularem esse Sacerdotem qui, ut impediat ne grassentur flagitia, suadet Principi, ut legem ferat, quæ certorum criminum reos aut morte, aut mutilatione castiget: Siquidem per ejusmodi consilium non est causa mortis aut mutilationis, nisi remota, ut patet ex cap. *Delatori*, 5. qu. 6. Non sequitur quoque irregularem fieri Confessarium, qui detrectat absolutionem impendere Magistratui, qui non vult flagitiosos, prout lex jubet pœna capitis damnare; modo tamen generatim loquatur, præcipiendo judici, ut puniat secundum legem, neque directe morti pœnam recenseat.

III. Ecclesia prioribus sæculis Clericatus viam iis

præ

præclusit, qui inculpate & involuntarie seu casu, quempiam occidissent: eos enim addicebat publicæ pœnitentiæ quæ (ut superius observatum est) Ordinibus recipiendis perpetuum erat impedimentum: *De homicidiis non sponte commissis* (in Canon. 22. Concilii Ancyrani) *prior quidem definitio post septennem pœnitentiam perfectionem consequi præcipit, secunda vero quinquennii tempus explere.* Jam vero homicidium, quod quis involuntarie & absque ulla tum in se, tum in causa peccato commiserit, nullam parit irregularitatem capit. *Ex litteris.* Si quondam ii essent irregulares, qui etiam inculpate & involuntarie occidissent, a fortiori contrahebant, & nunc etiam contrahunt irregularitatem, qui dabant & nunc dant operam rei, quæ involvit aliquod homicidii periculum: *Multi* (inquit Balsamon in Canonem 13. Basilii) *qui in tempore ludicri cum virgis certaminis homines interfecerant, homicidis annumerati sunt, qui involuntariem voluntarie cædem perpetrarunt, utpote cum hoc ludicrum non sit ex iis quinque, quæ lege agnoscuntur, scilicet pugillatus, cursus, saltus, discus, palæstra: Quare qui in eis ludicris interficiunt, præjudiciis non afficiuntur.*

IV. Exclusi sunt a Clericatu, qui etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum vitæ invasorem occidissent: Basilius jubet, ut ii homines tamquam homicidæ damnentur: *Qui* (inquit in Epist. ad Amphilochium canon. 43.) *mortis ictum dedit proximo, est homicida, sive prior percussit, sive se defendit.* Sæculis, quæ deinceps subsecuta sunt Laici, qui in eo casu interfecissent, non habiti sunt irregulares, secus vero Clerici: istis nimirum perpetua imponebatur pœnitentia, illis vero nulla omnino: *Si sine odii meditatione* (verba sunt Pœnitentialis Romani capit. *Interfecisti*, de homicid.) *te tuaque liberando, hujusmodi diaboli membra* (de latronibus, qui vitam injuste invasissent, loquitur) *interfecisti; secundum indulgentiam dico propter imaginem Dei, si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, & eleemosynam fac largiter: Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur, tamen quamdiu vivit, pœnitentiam agat.* Aliam disciplinam, quæ nunc obtinet, invexit Clemens Papa V. *Nullam ex hoc* (habetur Cap. *Si furiosus*, de homicid.) *irregularitatem incurrit, qui aliter mortem vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Innuit tamen Concilium Tridentinum ne in eo etiam casu Ordines suscipiantur, nisi prius de ipsa re Ordinarius judicaverit: *Si vero* (inquit Sess. 14. capite 7.) *homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum & altaris ministerium, & beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causa, Metropolitano, seu viciniori Episcopo; qui nonnisi causa cognita & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensari possit.*

Clerici, qui forent in sacris Ordinibus constituti, prohibiti fuerunt mederi per abscissionem, aut adustionem; *Nullus quoque Clericus in sacro Ordine constitutus* (verba sunt canon. 35. Concilii Nemausensis, quod anno 1284. habitum est) *aliquam Chirurgiæ artem exerceat, quæ ad ustionem vel incisionem inducat.* Idem anno 1215. sancitum fuit in Concilio Lateranensi IV. *Nec illam Chirurgiæ partem* (verba sunt Canonis 18.) *Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit.* Si tamen charitatis & non cupiditatis causa id tentarit Clericus alioquin Chirurgiæ artis peritus nullam, ex pluribus Canonistis, contrahit irregularitatem: *Licet* (inquit Innocentius III. capit. *Tua nos* de homicid. ubi agit de Monacho Presbytero, qui incisione curarat vulnus mulieris, quæ brevi post obiit, quod se validiori vento contra illius vetitum objecisset:) *Monachus deliquerit alienum officium usurpando, quod sibi minime congruebat: si tamen culpa pietatis, & non cupiditatis id egit, & peritus erat in exercitio Chirurgiæ, omnemque studuit diligentiam quam debuit adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris contra consilium ejus accidit, adeo reprobandus, quin post satisfactionem condignam eum eo misericorditer agi possit, ut divina valeat celebrare.* Hinc a fortiori evidens est 1. Clericos, qui juxta artis regulas medentur absque mutilatione, incisione, aut adustione non fieri irregulares, imo nec peccare, licet mors ægroti sequatur: nec enim sunt aliqui Canones quibus Clerici medicinæ sic acceptæ actibus prohibeantur. Inde etiam sequitur irregularem non esse Sacerdotem, qui pia intentione ægroto porrexit jusculum quo inopinato suffocatus sit. Hinc denique constat Medicos aut Chirurgos laicos, qui juxta suæ artis regulas & citra culpam etiam per incisionem & mutilationem medentur, nullam irregularitatem contrahere: nec enim proferri possunt canones, qui illam irregularitatis speciem recensuerint. Nec dici potest, quod eo in casu reperiatur lenitatis defectus: siquidem non est defectus lenitatis ubi pars adimitur, ut saluti totius consulatur.

Articulus Quintus.

De defectu libertatis.

EX triplici capite servitus contrahitur: nimirum a conditione servili; a sæculari militia; a publicis sæcularibus ratiociniis. Quid de triplici illa servitute ad Clericatum comparata Canones sanxerint, hic breviter est enarrandum.

Conclusio 1. Servi nusquam ordinari potuerunt, nisi ante libertate donati fuissent.

Probatur 1. Apostolico Canone 82. *Servi* (inquit) *in Clerum non ordinentur, sine Dominorum voluntate. Si quis vero dignus est, qualis Onesimus fuit, domino consentiente, & libertatem ei concedente, & extra domum suam emittente, in eum gradum ascendat.* 2. Concilium Triburiense canone 29. idem vetuit. 3. Obtinere nunc eumdem usum fidem faciunt Gregorii Papæ IX. Decretales, declarant nempe, *Extr. de servis non Ordin.* eos, qui servilis sunt conditionis ordinari non posse nisi prius a domini manumissi fuerint.

Quæres cur servi exclusi fuerint a Clericatu, cum Paulus ad Galatas 3. asserat Christum nullum libero inter & servos statuisse discrimen: *Non est Judæus neque Græcus, non est servus, neque liber; omnes enim vos unum estis in Christo.*

Resp. id factum fuisse triplici de causa. 1. Quod totum hominem desiderent sacra munia; ac proinde necesse est, ut nullus ordinetur, qui non sit sui juris: *Debet* (inquit Leo Magnus, Epistol. 3. capite 1.) *immunis esse ab aliis, qui divinæ militiæ fuerit aggregandus; ut a castris Dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.* 2. Quod per servorum ordinationem, legitimi domini jure frustrentur suo: *Ne* (ait mox laudatus Pontifex) *per Christiani nominis institutum, aut aliena pervadi, aut publica videatur disciplina subverti:* Quod servi plerumque sint perversis moribus: *Quibus* (verba sunt ejusdem Leonis) *nulla natalium, nulla morum dignitas.*

Conclusio 2. Ordinari non debent, qui militiæ adscripti sunt, nisi prius discessionem obtinuerint.

Probatur ex eo, quod illi homines non sint juris sui; ac proinde Ecclesiæ obsequio mancipari non possunt. Præterea id expresse Canonibus vetitum est: *Si quis* (verba sunt Siricii Papæ Epist. 4.) *post remissionem cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad Clericatum admitti omnino non debet.*

Conclusio 3. qui adhuc publicis ratiociniis tenentur, sunt irregulares.

Probatur 1. authoritate Gregorii Magni, qui consensit edicto, quo Mauricius Imperator obligatos publicis ratiociniis ablegavit a Clericatu donec iis se liberassent: *Dominorum pietas sanxit* (inquit lib. 2. Epist. 62.) *ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudavi, evidentissime sciens, quia qui sæcularem habitum deferens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere.* Idem

evincitur ex Decretalibus Gregorii Papæ IX. Extra. De obligat. ad ratiocin. cap. 1. obligati ad ratiocinia, non admittuntur ad Clericatum nisi post *deposita onera & reddita ratiocinia*.

Quæres utrum idem de professione monastica dicendum sit?

Resp. negative, seu, quamvis obligatum publicis ratiociniis, aut ære alieno obrutum non liceat ad Clerum admittere, licebat tamen antiquitus ad professionem monasticam admittere, eo quod monasterium hominis de quo agitur, debita in se susciperet: *Quod vero* (ait Gregorius Magnus lib. 2. Epist. 62. agens de Mauritii edicto, quo implicati publicis ratiociniis prohibiti fuerant non Clero tantum, sed & monasterio dare nomen) *in eadem lege dicitur, ut ei in Monasterio converti non liceat, omnino miratus sum, dum & rationes ejus possint per Monasterium fieri, & agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, debita ejus solvantur*, Sixtus Papa V. (teste Fagnano in lib. 1. Decretal. part. 2. pag. 342.) vetuit ne homines illi sub nullitatis pœna ad professionem admitterentur. Sed conditio de nullitatis pœna, deinceps a Clemente Papa VIII. rescissa fuit.

ARTICULUS SEXTUS.

De defectu significationis,

CLericorum ordinatio est matrimonii spiritualis adinstar, quod initur cum Ecclesia: par igitur est, ut exhibeat solemnes illas nuptias, quas Christus cum eadem Ecclesia, & verbum cum humana natura per sui incarnationem contraxit. Bigamia (ut mox ostendetur ex Patribus) illud Christi & Ecclesiæ Sacramentum non continet, ac proinde merito inter ea impedimenta, quæ arcent ab ordinibus, a Paulo & Patribus recensita est. Sed ut quæ ad eam irregularitatis speciem spectant, explicentur cum methodo, expendemus hic 1. quid & quotuplex sit Bigamia. 2. An & quo jure quovis sæculo ab Ordinibus excluserit. 3. Quas ob causas Bigamia inter irregularitates recensita sit.

Conclusio 1. Bigamia stricte sumpta est multiplicatio matrimonii.

Probatur. Bigamia est quid Monogamiæ oppositum; Ergo, cum Monogamia unum tantum matrimonium importet, Bigamia e contra multiplex complectitur.

Conclusio 2. Bigamia secundum canones sumpta, multiplex est.

Probatur. Canones Bigamiam dividunt in Veram, Interpretativam, & Similitudinariam. Prior in eo repetitur, qui cum duabus uxoribus successive nubit. De ea loquitur 1. ad Timoth. 3. Innocentius Papa I. Epistol. 2. capite VI. *Ne is, qui secundam duxit uxorem, Clericus fiat &c.* Altera locum habet in eo, qui unicam quidem sed viduam duxerit: *Viduam* (ait idem Innocentius) *Clericus non ducat uxorem*, in eo quoque locum habet, qui putans virginem ducere nubit cum corrupta quocumque tandem modo id contigerit: *Nec* (ait Leo Magnus Epistol. 87.) *divinæ legis statuta defuerunt, quibus evidenter est definitum, ut virginem Sacerdos accipiat, & alterius thorum nesciat conjugis, quæ uxor est futura Pontificis*. Reperitur etiam in eo, qui commiscetur cum conjuge, quæ post matrimonium adulterata fuerit: *Mulier* (verba sunt Canonis VIII. Neocæsariensis Concilii) *cujusdam adulterata laici constituti, si evidenter arguatur, talis ad ministerium Cleri venire non poterit. Si vero post Ordinationem adulterata fuerit: dimittere eam convenit. Quod si cum illa convixerit, ministerium sibi commissum obtinere non poterit*. Tertia Bigamiæ species in iis est, qui aut post solemne votum sive religiosæ professionis, sive suscepti Ordinis sacri, contraxit & consummavit matrimonium, sive valide, obtenta nimirum a Pontifice Maximo dispensatione, sive invalide, seu, ea dispensatione minime obtenta; Illius meminit Alexander Papa III. Extr. de Cler. conjug. capite 4. *Sacerdotes illi* (inquit) *qui nuptias contrahunt, post longam pœnitentiam officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, ejus executionem habere*. Eadem tertiæ Bigamiæ species reperitur quoque in laicis quibus duæ simul sunt uxores, utpote qui (ut nunc fit a quibusdam Græcis) alteram duxerint repudiata priore, vel ab ea repudiati: *Multo magis* (inquit Leo Magnus Epistol. 87.) *illum qui duarum simul est maritus uxorum, vel istum, quia a prima uxore dimissus, alteram duxisse perhibetur*.

Conclusio 3. Quovis sæculo Bigamia, quam *veram* dicunt, Ordinum aditum præclusit. Cæteræ, seu, tum *Interpretativa*, tum *Similitudinaria*, priori deinceps adjectæ sunt.

Probatur prior conclusionis pars. Apostolus 1. ad Timoth. 3. nec non ad Titum 1. Bigamiam *veram* inter irregularitates recenset. Recensetur quoque ab Innocentio Papa I. Epistol. 2. cap. 6. Illius etiam meminerunt Leo Magnus Epist. 87. Chrysostomus in Epistol. ad Titum homil. 1. Theodoretus Epist. 110. Toletanum Concilium IV. Agathense canon. 1. Gregorius Magnus lib. 1. Epistol. 25. Innocentius Papa III. Extr. de Bigamis cap. 5. Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 17.

Probatur altera conclusionis pars. Irregularitas interpretativa, quæ viduæ est, & ejectæ, promulgata est primum Canone 18. ex iis, qui Apostolici dicuntur. *Si quis viduam aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut servam, vel mimam, seu scenicam, non potest esse in Clero*. Irregularitas ejus, quæ post matrimonium deflorata fuerit, invecta videtur Concilii Neocæsariensis octavo canone, quem superius laudavimus. Similitudinaria ante quartum sæculum locum non habuit: unde Innocentius Papa I. licet de Bigamia expresse agat Epist. 2. tom. 22. similitudinariæ nulla ratione meminit.

Conclusio 4. Nulla bigamia jure divino irregularitatem parit.

Probatur 1. Id certum est de bigamia tum Interpretativa tum Similitudinaria, cum (ut mox ostensum est) Canonibus invectæ sint. Præterea quondam cum iis, qui utraque illa bigamia implicati essent veteres Synodi nonnumquam dispensarunt. Concilium Toletanum I. quod anno 400. celebratum est, concessit ut ex suo Ordine non dejiceretur Lector, qui viduam duxisset, imo facultatem fecit, ut ad Subdiaconatum promoveretur: *Idem* (inquit canon. 3.) *constituit sancta Synodus, ut Lector fidelis, si viduam alterius uxorem acceperit, amplius nihil fit, sed semper Lector habeatur, aut forte Subdiaconus*. 2. Idem de vera bigamia demonstratur ex eo, quod in ea non ad minores tantum Ordines, sed etiam ad majores sæpius fit ab Ecclesia dispensatum. Quod mox laudatum est Concilium Toletanum indulget Subdiaconis, qui iterato nupserint, ut inter aut Lectores, aut Ostiarios habeantur: *Subdiaconus autem* (verba sunt IV. Canonis) *defuncta uxore, si altam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter Ostiarios, vel inter Lectores, ita ut Evangelium & Apostolum non legat*. Prius Arausicanum Concilium, quod anno Christi 441. habitum est iis etiam, qui ante Clericatum binas successive nuptias contraxerint concedit, ut Subdiaconi inaugurentur: *De idoneis autem*, (inquit canone 25.) *& probatioribus viris, quos Clericatui alligari ipsa vitæ gratia suggerit, si forte inciderunt duplicata matrimonia, ut non ultra Subdiaconatum ecclesiasticas capiant dignitates*. Lucius Papa III. ut habetur apud Gratianum distinct. 34. capite *Lector*, cum Panormitano Episcopo, licet bigamo dispensavit; laudat & illud factum Sanctus Thomas scribens in libri quarti Sententiarum distinctionem 28. Sed pluribus ante sæculis visum fuerat aliud exemplum. Theodoretus Epist. 110. ut se purgaret ab ordinatione Irenæi Episcopi, qui bigamus erat, ait celeberrimos Episcopos Alexandrum Antiochiæ, Acacium Berœæ, Praylium Hierosolymæ, Proclum Constantinopolis, Episcopos Ponti, Palæstinæ & Phœniciæ ejusmodi ordinationes, ex dispensatione, quippe quæ Canonibus damnarentur, aut celebrasse

ipsos,

ipsos, aut approbasse; atque ita se consuetudini obsecutum esse: *Consuetudinem ergo secuti sumus.*

Objicies. Quod Apostolus sanxit, juris est Divini: Sanxit vero ne bigami sacris ordinibus insignirentur: Oportet (inquit 1. ad Timoth. 3.) *Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*, &c. versu 12. idem circa Diaconos edicit: *Diaconi sint unius uxoris viri.*

Resp. ea quæ ab Apostolis, ut Apostoli erant, sancita fuerunt, esse quidem juris divini, sed idem dici non debet de iis, quæ statuta sunt per potestatem qua tamquam Ecclesiæ pastores fruebantur, quæque etiam nunc in Ecclesia perdurat. Hac authoritate, non autem illa, Paulus 1. ad Corinth. 14. præcepit, ut sint duo tantum vel tres prophetæ: *Prophetæ autem duo, aut tres dicant, & cæteri dijudicent.* Eadem potestate Actorum 15. sancitum est ab Apostolis ad Concilium congregatis, ut fideles a suffocato & sanguine temperarent; unde statuti illius vis aliquot post sæculis ubique evanuit. Igitur ut valeret Almahini, quem hic consutamus, argumentum, probandum esset legem de bigamis ab ordinatione excludendis, ab Apostolo, ut Apostolus, non autem ut Ecclesiæ pastor erat, latam fuisse. Verum id probari minime potest, imo contrarium evinci videtur ex eo, quod Apostolus locis relatis non minus quam bigamos arceat ab ordinatione percussores & neophytos, quibuscum tamen Ecclesiam dispensare posse nemo revocat in dubium.

Quæres 1. an bigamia sive vera, sive interpretativa, sive similitudinaria per quodcumque matrimonium contrahantur?

Resp. negative, contrahuntur quippe tantum per matrimonii consummationem: unde vir cujus uxor obiit post matrimonium ratum, sed non consummatum, nulla ratione est bigamus. Ita apud Gratianum distinct. 34. capit. *Valentino*, respondet Pelagius Papa solvens propositam sibi quæstionem de viro, qui priore uxore, antequam cum ea matrimonium consummaret mortua, aliam postea uxorem duxit. Ita etiam docet Innocentius Papa III. cap. *Debitum*. Ext. *De Bigamis* ubi sic loquitur: *Cum ergo propter Sacramenti defectum inhibitum sit ne bigamus, aut maritus viduæ præsumat ad sacros Ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius, profecto ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest istiusmodi signaculum Sacramenti. Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam, duxit uxorem, quin nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoveri.*

Ex iis autem tum Pelagii, tum Innocentii responsis facile colligitur quodnam de eo ferri debeat judicium, qui cum sit frigidus, ac proinde ineptus ad matrimonium, semel & iterum uxorem ducere tentarit; Si enim is, qui viduam virginem uxorem ducit, aut ipse viduus, priore incognita, aliam ducit, & cum ea commiscetur, non fiat irregularis, licet duo vera matrimonia celebrarit, irregularis esse non potest frigidus, quod duplex successive tentarit matrimonium cum neutrum consummare potuerit, nec proinde carnem suam in plures dividere valeat.

Quæres 2. num is sit Bigamus, ac proinde irregularis, qui priorem conjugem ante baptismum & alteram post ipsum habuit?

Resp. 1. plurimos Patres censuisse bigamiæ irregularitatem non minus, quam peccata tolli per baptismum: sic censuit & multis argumentis probavit Hieronymus in Epist. ad Occeanum. Verum in sua contra Ruffinum Apologia, cum ea de re in crimen a Chrysogono vocaretur hisce verbis suam sententiam emolliit: *Hæc dicimus, non quod ipsi propitio Christo hac quæstione teneamur. Sed interrogati a fratribus, quid nobis videretur, respondimus, nulli præjudicantes sequi, quod velit, nec alterius decretum nostra sententia subvertentes.* Hieronymo subscripsit Gennadius: *Meritum* (inquit) *duarum post baptismum matronarum, Clericum non ordinandum. Neque eum, qui unam quidem sed concubinam, non matronam habuit; nec illum qui viduam, aut repudiatam, vel meretricem in matrimonio sumpsit.*

In eam vero sententiam tum Hieronymus, tum Gennadius abiere quod (ut advertit Estius) in bigamia non habuerint rationem defectus Sacramenti unionis Christi cum Eclesia, sed incontinentiæ, quæ se ipsam duplicato matrimonio prodit: unde (inferebant) cum incontinentiæ labes per baptismum penitus auferatur, nihilque prioris qua quis ante baptismum sorduerit, homini baptizato imputari debeat, nulla propter illam incontinentiam in fideli superesse potest irregularitas. Ita passim (ut in responsione ad 3. quæsitum inferius dicetur) ratiocinati sunt multi Patres Græci, a quibus suam sententiam Hieronymus, qui in Oriente pluribus annis commoratus est, hauserat. Eum sensum per se profert Canon XVI. ex iis, qui dicuntur Apostolici, ad quorum normam Orientales, ut plurimum suam diciplinam exigebant. *Si quis* (verba sunt laudati Canonis) *post baptismum secundis fuerit nuptiis implicatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter aut Diaconus, aut prorsus ex numero Sacerdotali.*

Resp. 2. Latinæ Ecclesiæ e contra persuasum fuisse eum esse bigamum, qui successive duplex inierit matrimonium; unum licet ante baptismum contractum fuerit. Ambrosius id aperte tradit lib. 1. de Offic. cap. 50 Ubi nimirum quæsiit, qui fieri possit, ut cum iterata ante baptismum flagitia neminem arceant a Clericatu, binæ tamen nuptiæ, quorum alteræ ante ipsum celebratæ fuerint, ejusdem Clericatus viam præcludant; sic respondet: *Sed intelligere debemus, quia in baptismate culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In conjugio (iterato) non culpa sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismate relaxatur; quod legis est, non solvitur.* Idem post Ambrosium, visum est Innocentio Papæ I. sic enim Epistol. 2. cap. VI. loquitur: *Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit uxorem; & ea de sæculo recedente alteram duxerit; in baptismo esse dimissum satis errat a regula: quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur .... Quod si non putatur uxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habentur.* Idem eadem ratione confirmat Innocentius Papa III. Extr. de Bigamis cap. 5.

Si quis vero roget cur Ecclesia Latina sic Apostolum intellexerit, dicendum est, eam in bigamis, præsertim post quartum sæculum, attendisse ad Sacramenti defectum, qui in bigamis reperitur: neque enim Christi cum una Ecclesia, & quidem virgine, matrimonium in iis, qui etiam ante baptismum bigami fuerint, adumbratur: *Sacramentum nuptiarum* (inquit Augustinus, de bono conjugali capite 18.) *temporis nostri sic ad unum maritum, & unam uxorem redactum est, ut dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui catecumenus vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato, peccata enim omnia in baptismo dimittuntur &c. Noster Antistes unius uxoris vir, significat ex omnibus gentibus, unitatem uni viro subditam Christo.* Hæc iterum eodem capite habentur. *Propter Sacramenti autem sanctitatem, sicut fœmina, etiamsi Chatecbumena fuerit vitiata, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari: ita non absurde visum est eum, qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quamdam Sacramenti omisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium.* Quam prior ex Patribus rationem tradidit Augustinus cur baptismus irregularitatem, quæ in bigamis reperitur non tollat perspicuis hisce verbis explicat Petrus Damiani libr. quem inscripsit: *Dominus vobiscum* capite 12. *Sicut Christus, qui est Pontifex futurorum bonorum, & verus Sacerdos, vir est unius sponsæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ, quæ procul dubio virgo est, & quia fidei integritatem inviolabiliter servat, ita quilibet Sacerdos unius*

Juenin de Sacram.

uxoris vir esse præcipitur, ut illius summi Sacerdotis præferre imaginem videatur.

Quæres 3. Quas ob rationes tum Apostolus, tum Patres, qui deinceps præfuerunt Ecclesiæ, bigamos ab ordinibus excluserint?

Resp. 1. videri, quod Paulus præsertim attenderit ad incontinentiam, quæ per iteratas se prodit nuptias, eamdem enim conditionem, quam in ordinandis Clericis requirit, ut nempe sint unius uxoris viri, requirit pariter in viduis ecclesiasticis: *Vidua* (inquit) *eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens*. Confirmatur ex eo, quod istis verbis: *Unius uxoris vir*, Paulus hæc præmittat ad Timoth. scribens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, & hæc alia ad Titum, Si quis sine crimine est*: ea autem verba, sicut & ea, quæ subsequuntur, ad mores, non autem ad mysterium pertinent. Cum mulier tum incontinentia, tum infamia in virum, cum quo fit una caro, redundantur, Patres qui viduarum aut ejectarum, aut corruptarum maritos excluserunt deinceps ab ordinibus, ad eam incontinentiam, ad eam infamiam, præsertim attendisse videntur prioribus sæculis: eo haud dubie spectat canon. 18. ex iis, qui Apostolici dicuntur, quo mimæ non minus, quam viduæ excluduntur a Clericorum conjungiis: *Si quis viduam aut ejectam acceperit, aut meretricem, aut servam, vel mimam seu scenicam, non potest esse in Clero.* Incertum est an ad camdem continentiam solum attenderit Innocentius Papa I. Neque enim aut Epist. 2. aut 22. in quibus de irregularitate, quæ ex bigamia nascitur, fuse dicerit, aliquando recenset mysticam rationem, quæ ex unione Christi cum Ecclesia desumitur, solius pariter incontinentiæ meminit Gelasius Papa Epist. 9. ubi hæc scribit: *Secundas nuptias sicut sæcularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad Clericale sinitur venire collegium. Alia enim est humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita divinarum rerum servitio dedicata.*

Resp. 2. post quartum sæculum, ut plurimum Patres attendisse ad Sacramenti defectum, qui in bigamorum nuptiis reperitur. Augustinus inter Patres primus altissimam eam rationem in nuptiis de quibus agitur perpendit, eaque deinceps usi sunt Pontifices maximi, ut casus circa bigamiam occurrentes solverent. Chrysostomus in Epist. ad Titum, hom. 2. duplicem aliam hujusce disciplinæ rationem profert; nempe quod is, qui aliam uxorem priore mortua duxerit, visus sit durior, qui credatur amaturus Ecclesiam, aut quod secundæ nuptiæ, ut plurimum varias includant sollicitudines, a quibus necesse est, ut Clericus plane expeditus sit: *Castigat* inquit) *impudicos Apostolus dum eos non permittit post secundas nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque Pastoris assumi. Nam qui benevolentiam nullam servasse deprehenditur defunctæ uxori; quo pacto hic Ecclesiæ præceptor esse optimus poterit; Imo quibus criminibus non subjicietur in dies? Nostis enim profecto omnes, quod etsi per leges secundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet. Nullam ergo subjectis occasionem præbere Præsulem vult.*

Quæres 4. Utrum bigamia omnibus omnino Ordinibus excludat?

Resp. Paulum cum de bigamia loquitur, meminisse Episcoporum: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*; Presbyterorum. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir*; Diaconorum *Diaconi sint unius uxoris viri*. Nec mirum est, quod Hierarchicos dumtaxat ordines Apostolus recenseat, cum cæteri, quos non esse institutionis divinæ suo loco probavimus, nondum cum hæc scribebat Paulus in Ecclesia viderentur. Tertio sæculo ab omni Clero, seu ab omni Ordine, bigami excludebantur in Oriente: *Non potest* (inquit Canon 18. Apostolicus) *esse in Clero*. Eos pariter in Occidente abjicit ab omni prorsus tum minore, tum majore ordine Innocentius Papa I. *Non admittatur* (inquit Epist. 2. capite v.) *ad Clerum*. Ibidem cap. vi. hæc iterum habet: *Ne his, qui secundam duxit uxorem. Clericus fiat.* In altero Concilio Lugdunensi, quod labente sæculo XIII. seu, anno 1274. habitum est, bigami ita repelluntur a Clero, ut ne Tonsura quidem, vel habitus Clericalis eis indulgeatur: *Ipsis* (verba sunt Canonis 16.) *sub anathemate prohibemus deferre Tonsuram, vel habitum Clericalem*. Idem habetur tum in Decretalibus: *Extra, de Bigamis*, tum in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 17.

Nec obest, quod ex aliquibus veteribus monumentis bigamos nonnunquam Lectoratu, imo & Subdiaconatu donatos fuisse colligatur. Siquidem cogentibus rerum ac temporum angustiis indultum est quidem Clericis Ordinibus minoribus perfungi, licet essent bigami: verum raro admodum contigit, ut Laici qui essent bigami Clero adscriberentur. Eadem (ut nobis videtur) dispensatione usus est Leo Magnus scribens ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos: cum enim passim ab iis Episcopis hac in causa non haberetur ratio Canonum, non duxit urgere eorum rigorem, sat fuit ipsi, ne Episcoporum illorum animos exasperaret, ut in Ordinum Hierarchicorum collatione præceptum Apostolicum servaretur: *Quamlibet quis* (ait Epist. 87. capite 1.) *bonis moribus præditus, & sanctis operibus inveniatur ornatus, nequaquam tamen, vel ad Diaconi gradum, vel ad Præsbyterii honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendat, si aut ipsum non unius uxoris virum, aut uxorem ejus non unius viri fuisse claruerit.*

Quæres 5. Quis cum bigamis, ut Clero adscribi possint, dispensare valeat?

Respondet his verbis Cabassutius noster, juris Can. Theor. & prax libr. 5. cap. 19. *Atque ex consuetudinis vi a pluribus Doctoribus asserta potest* (Episcopus) *cum bigamo ad minores & ad simplicia beneficia dispensare*. Cabassutio prævit Sanctus Thomas: hæc enim habet in lib. 4 Sentent. dist 27. quæst 3. *Papa potest dispensare totaliter. Sed Episcopus quantum ad minores Ordines*. In ea Sancti Thomæ ac nonnullorum Canonistarum sententia hæc scribit Thomassinus noster part. 1. lib. 1. cap 83. veteris & novæ disciplinæ de beneficiis: *Si consuetudo certa & propria esset ad minores, ea standum esset, cum jus commune non sit aperte adversum. Sed longe aliter se res habet*. Et sane Sixtus Papa V. (Fagnano teste in lib. 1. Decret. part. 1. pagin. 180.) Episcopum qui eam facultatem usurparat, suspensione ab Ordinum collatione mulctavit. Præterea Concilium Tridentinum Sess. 23. capite 17. jubet ut Ordinum minorum functiones ab innuptis exerceantur, vel si eorum non adsit copia, a conjugatis quidem, sed qui bigami non sint: Non censuit igitur esse penes Episcopum, ut bigamos minoribus Ordinibus insigniat.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De defectu Natalium.

Conclusio 1. Ante annum millesimum defectus natalium inter irregularitates ad Ordines & ad beneficia minime recensebatur.

Probatur. Defectus natalium potest considerari vel in spuriis, vel in filiis, quos Presbyteri genuerint ante vel post suam ordinationem. Atqui neutri ante annum milesimum fuerunt irregulares.

Et quidem 1. Spurii, seu nati ex illegitimo matrimonio, non arcebatur ab Ordinibus: nec enim aut Concilia, quæ decem prioribus sæculis habita sunt aut Pontifices, qui tunc Ecclesiæ præfuerunt, spurios a Clericatu, aut beneficiis exclusisse leguntur. Nec obest Concilii Meldensis, quod anno 845. habitum est, canon 64. qui quidem sic habet: *Filii vero ex hujusmodi vituperabili conjunctione ante conjugium etiam minus laudabile procreati, ad ecclesiasticam dignitatem nullo modo provehantur: nec de tali conjugio generati ecclesiasticis Ordinibus applicentur, nisi forte eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet:*

Non

Non obstat (inquam) canon iste: non enim de omnibus spuriis intelligitur, sed de iis tantum, qui orti fuissent ex virginum aut viduarum raptoribus, sic nimirum incipit laudatus Canon: *Raptores virginum & viduarum, qui etiam postea voluntate parentum eas quasi desponsantes sub dotalitii nomine in conjugium duxerant, &c.* Ut Christiani ne eo crimine raptis deterrentur, Patres Meldenses in filias, qui ex illo raptu procreati essent, exclusione ab Ordinibus animadvertere potuerunt, licet spuriis, qui ex alia fornicationis specie procreati essent, eorum aditum minime præcluserint. Præterea spurii quorum canon meminit, a Clero absolute non excluduntur, ut nunc fit, sed tantum nisi eos *evideas meritorum prærogativa commendet*. Nec officit quoque Concilii Rhemensis statutum, quo, agente Hugone Capeto, Arnulphus Lotharii Francorum Regis frater, ab Episcopatu Remensi exauthoratus est, quod concubina progenitus esset: *Non debere esse Episcopum, natum ex concubina*. Non officit (inquam) quippe quod id per vim a Concilio Rhemensi extorsit Hugo Capetus: unde (Flodoardo teste) Arnulphus, eniteute Romano Pontifice, postea in sedem restitutus est suam, rescissaque fuerunt, quæ adversus eum Synodus Rhemensis decreverat.

Iis sæculis non arcebantur 2. a Clericatu aut Ordinibus, aut Beneficiis, qui ex Presbyteris ante Ordinationem legitimo matrimonio copulatis nati fuissent. Id videre est nonnulis etiam Summis Pontificibus. Sylverius (Liberato teste) filius fuit Hormidæ. Agapetus (si verum dicit Anastasius) ortus est ex Gordiano Presbytero. Gregorii Magni pater nepos erat Felicis Papæ. Id quoque videre est in Concilio Aurelianensi I. quod quidem anno 511. habitum est. Canone 4. vult ut Ecclesiæ consecrentur, etiam inconsulto Principe qui ex Clericis Patre, aut avo progeniti fuerint: *Nullus* (inquit) *sæcularium ad Clericatus officium præsumatur, nisi aut cum Regis jussione, aut cum judicis voluntate, ita ut filii Clericorum, idest patrum, avorum ac proavorum; quos supradicto ordine parentum constat observationi subjectos, in Episcoporum potestate ac districtione consistant.*

Clerici poterant fieri 3. qui ex Clericis illicite, etiam post ordinationem, nati fuissent: Nec enim proferri potest Canon, qui ubique obtinuerit, quo id fuerit vetitum. Nec valet, quod nonulli ex Concilio Toletano IX. nonnulli reponunt, contestati, quod tantum abest, ut ordinari possint, quin bæreditare paterna spolientur, ac servili conditione Ecclesiæ, cujus parentes rectores fuerint, obsequio mancipentur: *Ideoque* (verba sunt x. Canonis) *quilibet ab Episcopo, usque ad Subdiaconum deinceps, vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio in honore constituti filios procreaverint; illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur: proles autem tali nata pollutione, non solum parentum bæreditatem nusquam accipiat, sed etiam in servitutem ejus Ecclesiæ, de cujus Sacerdotis, vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt.* Non valet (inquam) eo quod singularem Ecclesiarum Hispaniæ disciplinam, quæ alibi non obtinuerit, laudatus canon complectatur.

Non ex solo tum Conciliorum, tum Summorum Pontificum silentio colligitur, filiis a Clericis, etiam post ordinationem, progenitis Clericatus aditum præclusum non fuisse, sed id etiam evincitur positivis argumentis. Genebaldus nono sæculo Episcopus Laudunensis genuit post ordinationem filium cui propter naturalium dedecus, *Latronis* nomen fuit: is tamen deinceps petri successit in Episcopatum. Tunc igitur non erant in Occidente canones, qui Clericorum filios etiam post parentum ordinationem genitos ab ordinibus excluderent. Nulli pariter extiterunt in Oriente, cum pluribus ab hinc sæculis licitum sit Sacerdotibus Orientalibus uti matrimonio, quod ante suam ordinationem contraxerint. Opponunt quidam Armenorum praxim qui (ut ajunt) in Teullano Synodo proscripti sunt, quod Clericorum filios ad Ordines promoverent. Sed aliter se res habet: non enim ob id proscripti sunt, sed quod solos Clericorum filios, exclusis qui ex laicis nati essent, ordinarent: *Quoniam* (inquit laudata Synodus canone 33.) *cognovimus in Armenorum regione eos solum in Cleri ordinem referri, qui sunt ex genere Sacerdotali, iis qui hoc facere aggrediantur mores Judaicos sequentibus .... decernimus, ut deinceps non liceat iis, qui volunt aliquos ad Clerum adducere, ad ejus, cui manus imponitur, genus respicere.*

Sed hæc tum de Laicorum filiis spuriis, tum de Clericorum filiis sive ante, sive post ordinationem genitis secundum disciplinam, quæ decem prioribus sæculis obtinuit, satis sint; operæ prætium est, ut alia jam proferatur praxis, quæ viguit post annum millesimum. Methodi autem causa dicemus 1. de illegitimis Clericorum filiis. 2. de legitimis seu ante ordinationem progenitis ex legitimo matrimonio. 3. de spuriis, quos laici genuerint.

Conclusio 2 Post annum millesimum irregulares fuerunt ii, quos post ordinationem majores Clerici genuissent.

Probatur. 1. In Synodo Papiensi Clericorum filii de quibus agitur, addicti fuerunt servituti Ecclesiæ, cujus parentes erant ministri: ac proinde irregulares facti sunt: *Filii & filiæ omnium Clericorum* (verba sunt Canonis 3.) *omniumque graduum de familia Ecclesiæ, ex quacumque libera muliere, quocumque modo fuerint geniti, servi proprii fuæ erunt Ecclesiæ.* 2. Quæ subsecuta sunt Concilia natos, de quibus est hic quæstio, conceptis terminis irregulares declararunt: *Ut filii Presbyterorum sive Diaconorum, sive Subdiaconorum* (inquit Synodus Bituricensis, quæ anno 1031. celebrata est) *in Sacerdotio, vel Diaconatu, vel Subdiaconatu nati, nullo modo alterius ad Clericatum suscipiantur. Et qui de talibus Clericis nunc sunt, sacros Ordines non accipiant, sed in quocumque gradu nunc sunt, in eo tantum permaneant, & altius non promoveantur.* 3. Paschalis II. quibusdam Episcopis hac in parte dispensandi facultatem fecerat: Verum indulta facultas rescissa fuit in Concilio Lateranensi II. sub Innocentio Papa II. anno 1139. *Presbyterorum filios* (inquit can. 23.) *a sacri altaris ministeriis removendos decernimus; nisi aut in cænobiis, aut in Canonicis religiose fuerint conversati.*

Non potuit non contingere quin identidem aliæ dispensationes illegitimis Sacerdotum Clericis concederentur tum ad ordines, tum ad beneficia: verum mox prohibitum est ne ii patribus suis in beneficiis *immediate* succederent: idque etiam extensum est ad legitimos: *Si qui filii Clericorum* (ait Alexander Papa III. Extr. de filiis Presbyt.) *teneant Ecclesias nulla persona media, in quibus patres eorum ministraverant, tamquam persona vel vicarii, sive geniti fuerint in Sacerdotio, sive non ab ipsis Ecclesiis non differas amovere.* Idem sancitum est in Concilio Lateranensi IV. cui præfuit Innocentius Papa III. *Ne canonicorum filii maxime spurii, Canonici fiant in sæcularibus Ecclesiis, in quibus instituti sunt patres.* Invaluit vero hæc disciplina ei opposita, quæ mille prioribus annis continuerat, ut iretur obviam tum Clericorum incontinentiæ, quæ serpebat in dies, tum ne beneficia successionibus paternis accenserentur. Ad priorem rationem attendit Synodus Tridentina Session. 25. capite 15. de reform. ubi sic loquitur: *Ut paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo consecratis, quos maxime sanctitas, puritasque decet, longissime arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habet aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt habere. Quod si in præsenti pater & filius in eadem ecclesia beneficia obtinere reperiantur, cogatur filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam &c.*

Ante Thomassinum nostrum merito jam a Fagnano observatum fuerat Concilium Tridentinum quoad sex capita coarctasse jus Decretalium. Et quidem 1. non satis erat exploratum, quod omnium omino Clericorum filii illegitimi sive noti sint, sive ex uxore ante

ante ordioationem ducta, post eamdem ordinationem procicati, successione beneficiorum prohiberentur: cum plerumque in Decretalibus Presbyteri & non alii Clerici exprimerentur. 2. Quondam sola immediata successio vetita erat. 3. Poterat filius in eadem ecclesia non quidem paternum beneficium, sed quodvis aliud obtiuere. 4. Filius poterat beneficium gerere in Ecclesia, in qua pater fuisset vicarius temporarius. 5. Poterat vicissim filius esse vicarius temporarius ejus Ecclesiæ, in qua pater esser vel fuisset beneficiarius. 6. Poterant filio assignari pensiones in paternum beneficium. Ea vero omnia tum Clementis Papæ VII. tum Concilii Tridentini decretis penitus rescissa sunt. Ejusmodi decretis adhæsit, quæ habita est anno 1581. Synodus Rothomagensis, nec non Burdigalensis ann. 1583.

Conclusio 3. Post annum millesimum illegitimi filii laicorum hominum exclusi sunt Clero, & non antea.

Probatur prior pars. Concilium Salmuriense, quod anno 1253. habitum est, prohibuit ne illegitimi nati Cathedralium Canonicorum albo inscriberentur. Idem de omni Clero sancitum legitur in Decretalibus, quæ Gregorii Papæ IX. authoritate promulgatæ sunt. Altera vero conclusionis pars patet tum duabus præcedentibus conclusionibus, tum eo quod nulli canones ante tempus de quo agitur, nothos a Clero aut ordinibus exclusserint?

Operæ pretium est, ut lector hic observet labente sæculo 12. nonnullis in locis nondum obtinuisse jus, quo nothi a Clero arcebantur: id nimirum colligitur ex Stepani Tornacensis Epistola 69. quæ est ad Lucium Papam. Suggillat quippe Ecclesias, quæ nothos a suo Clero arcere cœperant: *Quoniam* (inquit) *in regno Francorum aliquæ Ecclesiæ quandam scrupulosa nobilitate, gloriosam ut æstimant sibi consuetudinem assumpserunt, ne aliqui nisi ex licito complexu geniti promoveantur in eis, meritorum & virtutis excellentiam origini postponentes, prædicto* (Francorum) *Cancellario* (qui nothus erat, quemque ob id in collegium suum admittere quædam Ecclesiæ detrectabant) *superbe potius, quam superne, titulum nativitatis objiciunt, ne vel ad eos accedat, vel inter eos ascendat.*

Quæres quis possit circa defectum natalium dispensare?

Resp. 1. ipso jure tolli natalium defectus per religiosam professionem: ea nimirum fit, ut illegitime oatus capax fiat sacrorum Ordinum, sed non Prælaturarum, adhuc enim arcetur tam a Prælaturis regularibus, quam ab Episcopali dignitate, Capite 1. de filiis Presbyter. Moniales quoque quæ illegitime natæ fuerint; non possunt eligi Abbatissæ, nisi a S. Sede, aut saltem a Pœnitentiaria Romana, dispensationem obtinuerint. Id autem privilegii indultum est religiosæ professioni, quod (ut ait Urbanus Papa II.) viri religiosi plerumque tum pietate, tum doctrina emineant: *Pro religionis ac scientiæ prærogativa*, idem confirmatum est a Gregorio Papa XIV. per bullam, quæ incipit: *Circumspecta*, quaque rescissa est constitutio, qua Sixtus V. prohibuerat ne illegitime nati ad ipsam etiam religiosam professionem admittentur.

Resp. 2. posse Episcopos, etiam in Gallia, cum illegitime natis dispensare, ut ad minores Ordines, & ad simplex beneficium promoveantur. Id nempe juris concessum est a Bonifacio Papa VIII. in Sexto *de filiis Presbit.* Cap. 1. Nec obest, quod Sextus Decretalium in Galliis non admittatur: id enim verum est tantum in iis quibus coarctatur Episcopalis potestas quæque novum jus inducunt: At novum non est illud de quo agitur, ut ex laudatis superius canonibus perspicuum est.

ARTICULUS OCTAVUS.

De defectu tum ætatis tum membrorum.

QUænam ætas tum olim, tum his temporibus sive ad Tonsuram, sive ad quosvis in specie ordines requireretur, suo loco superius ostensum est. Igitur de solo membrorum defectu hic nobis agendum superest.

Conclusio 1. Apud Græcos corporis maculæ, aut membrorum defectus, si ordinis, exercitium absolute non impediant, nusquam inter irregularitates habita sunt, nec habentur modo.

Probatur 1. ex authore Constitutionum Apostolicarum, qui conceptis terminis asserit in Clericorum delectu haberi debere rationem aut vitiorum, aut virtutis animæ, non autem macularum, aut defectuum corporis: *Pro una tribu Sacerdotali* (inquit lib. 7. cap. 23.) *jussit* (Deus in novo Testamento) *ex unaquaque gente optimos quosque ad Sacerdotium eligere, neque corporum vitia contemplari, sed religionem, & vitam.* 2. Idem evincitur ex Apostolicis canonibus: hæc habet ex interpretatione Gentiani Herveti 76. *Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem dignus sit, Non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquinatio.* 3. Irregularitatum, quæ ex capitibus, de quibus agitur, nascantur, nullus omnino canon Græcus meminit. Si e contra membrorum defectus plane obsint ordinum exercitio, semper apud Græcos habiti sunt irregularitatum loco: *Qui autem est surdus & cæcus* (verba sunt 77. Apostolici canonis) *ne sit Episcopus: non ut pollutus* (ut in Mosaica lege cencebatur) *sed ne Ecclesiastica impediantur.*

Objicies. Prioris Concilii Nicæni Canon. I. eunuchos arcet a Clericatu. Ergo apud Græcos membrorum defectus recensebantur inter irregularitates.

Resp. non quoscumque eunuchos exclusos fuisse a Clericatu, sed eos tantum, qui sani sponte abscidissent sibi virilia: *Si quis* (inquit Nicæni primi Concilii canon I.) *a Medicis propter languorem defectus est, aut a barbaris abscissus, hic in Clero permaneat. Si quis autem se ipsum sanus abscidit, hunc & in Clero constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum talium promoveri.* Priori canonis parti causam dedisse videtur Leontius, qui (Theodoreto teste histor. lib. 2. cap. 24) delatus quod cum virgine Eustolio familiarius versaretur, se ipsum absciderat, ut deinceps illius consuetudine liberius uteretur, ob idque ab Episcopis Catholicis Presbyteratu dejectus fuerat. Alteri vero ejusdem canonis parti occasioni fuit factum Origenis, qui (ut habetur apud Eusebium histor. lib. 6. cap. 8.) absciderat sibi virilia, ut absque scandalo mulieres Scripturam docere posset.

Conclusio 2. Apud Latinos quatuor prioribus sæculis corporis vitia, quæ non impediebant ordinis exercitium, neminem arcebant a Clero: verum a quinto sæculo ad duodecimum quicumque defectus, quæcumque vitia irregularitatem pariebant.

Probatur 1. ex eo, quod nec Canones, qui iis temporibus editi sunt, nec quæ tunc prodiere Pontificum decreta, corporis vita inter irregularitates recensuerint. 2. Primus, qui innoxium membrorum defectum irregularitatibus accensuerit, est Hilarius Papa, qui Epist. 2. sic loquitur: *Prospiciendum est ne duo simul sint in una Ecclesia Sacerdotes: nec litterarum ignarus, aut carens aliqua parte membrorum.* Viguisse tamen eam consuetudinem paulo ante Hilarium evincitur ex eo, quod non habeat speciem novæ legis decretum, quod laudata ex ipso Epist. promulgatum est.

Objicies. Gelasius Papa Epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ, in majorum traditionem, & veterem Sedis Apostolicæ formam refundit irregularitatem quæ nascitur ex membrorum defectu. *Illiteratus* (inquit) *& nonnulla parte corporis imminutos, sine ullo respectu ad Ecclesiasticum didicimus venire servitium. Quod simul antiqua traditio & Apostolicæ Sedis vetus forma non recipit, & vitiosum nihil prorsus Deo offerre legalia præcepta sanxerunt.* Quovis igitur sæculo apud Latinos obtinuit lex, qua corpore vitiati arcentur a Clericatu.

Respondent nonnulli Gelasium loqui de corporis defectu, qui ordinis usum impediat. Sed ea solutio iis non probabitur, qui ad Gelasii rationem attenderint: profert nimirum Mosaicæ legis decretum, quo

qui

qui aliqoo corporis vitio laborarent, prohibebantur Sacerdotali munere. Dicendum eſt igitur Gelaſio viſam fuiſſe perantiquam conſuetudinem quæ illius ætate altas jam egerat radices, quamvis ante ſæculum quintum non obtinuiſſet. Confirmatur reſponſio ex eo quod Innocentius Papa I. qui ineunte quinto ſæculo diem extremam clauſit, conceptis terminis eum qui caſu digito mutilatus fuerit, a Clericatu minime removeat. *Cui vero* (inquit Epiſt. 4. cap. 1.) *contigit ut digitus abſcinderetur dum aut aperi ruſtico curam impendit, aut aliquid faciens, ſe non ſponte percuſſit, hos canones præcipiunt & clericos fieri, & ſi in clero fuerint reperti, non abjici*. Ejuſmodi vero diſciplinæ hanc rationem reddit: *In iſtis, caſus veniam meruit*.

Concluſio 3. A duodecimo ſæculo ea tantum corporis vitia ac membrorum defectus arcent a Clericatu, quæ aut abſolute ordinis functiones impediunt, ut eſt cæcitas, aut quibus efficitur ut niſi cum ſcandalo & deformitate exerceri poſſint.

Probatur 1. Authoritate Alexandri Papæ III. qui definit eas tautum mutilationes irregularitatem parere quæ ejuſmodi ſunt, ut non ſine ſcandalo Ordinum functiones obiri non patiantur; Conſultus de Presbytero qoi parte digiti truncatus fuerat in pugna quam ipſe concitarat, reſpondet, Ext. de corp. vit. cap. 1. eum non eſſe ob eum defectum irregularem: *Cum* (inquit) *non perdiderit tantum de digito, quin ſine ſcandalo poſſit ſolemniter celebrare*. 2. Idem colligitur ex Innocentio Papa III. qui ideo Presbyterum cui dimidia manus abſciſſa fuerat, irregularem ad functiones Sacerdotales pronunciat: *Quod* (ait Ext. de Cler. ægrot. vel debil. cap. 2.) *nec ſecure propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter deformitatem membri, ſacrificium offerre poſſit*. 3. Hinc vetant canones, ne qui in oculo ſiniſtro caret lumine, Sacerdos inauguretur, quod ſcilicet propter eum defectum neceſſe ſit, ut ad legendum canonem vultum ad ſiniſtram partem indecore contorqueat. Quæ qoidem deformitas ſi non contingat quod nempe quis ita oculo dextro prævaleat ut abſque indecentia canonem de altari legere poſſit, nolla propter luminis in oculo ſiniſtro defectum incurritur irregularitas. Sed advertat lector judicium deformitatis aut infirmitatis quoad irregularitatem aut inducendam aut non inducendam, ad Epiſcopum pertinere: Ita enim definitur cap. 2. de corp. vitiat.

Quæres ad quem ſpectet diſpenſandi poteſtas circa membrorum defectum aut corpus vitiatum. Reſp. eam poteſtatem penes eſſe Summum Pontificem tum quod irregularitas quæ per illum defectum incurritur, Conciliorum Oecumenicorum canonibus ſtatuta ſit, tum quod ſic ferat ubique recepta conſuetudo. Perantiqunm ſimilis diſpenſationis exemplum viſum eſt in Hincmaro Laudunenſi, cui a Joanne Papa VIII. indoltum eſt ut licet omnino cæcus, ſacra myſteria obire poſſet, obiit vero ſuadentibus Epiſcopis qui Concilio Tricaſſino aderant cum Pontifice: *Epiſcopi fautores Hincmari, audientes quod Papa Joannes dixerit, ut ſi vellet Hincmarus cæcus Miſſam cantaret, &c.*

Caput Secundum.

De irregularitatibus, quæ oriuntur ex delicto.

HUjuſce operis pag. 543. oſtenſum eſt flagitia, etiam occulta, quæ quis poſt baptiſmum admiſiſſet licet deinceps ea per pœnitentiam purgaſſet, irregularitatem induxiſſe, ita ot qui eorum rei erant ad Clericatum non poſſent promoveri; promoti vero, ſi poſt ordinationem, aot per teſtes aut per propriam confeſſionem detegerentur, e gradu dejicerentur. Quo autem ſæculo cum impiis illis ſi pœnitentia functi fuiſſent, diſpenſari cœptum ſit, pagina 544. demonſtratum eſt. Ibidem quoque dictum eſt miniſtris qui poſt ordinationem in flagitia lapſi fuerint, conducibilius eſſe ut ſacro miniſterio abſtineant, etiam poſt impletum pœnitentiæ ſtudium, niſi aliud Eccleſiæ bono conducere Epiſcopus judicaverit. Non omnia crimina occulta quæ antiquitus inducebant irregularitatem tum reſpectu ordinis ſuſcipiendi tum ſuſcepti, eam jam temporis inducunt; ſed iſta tantum, Hæreſis nimirum, Apoſtaſia a fide, Schiſma, Illicita mutilatio vel Homicidium: Indebita ordinis ſacri ſuſceptio, vel exercitium in iis nempe qui cenſuris ligati, ordines aut ſuſcipiunt, aot exercent, aut qui iis ſolemniter funguntur quibus carent. Taudem baptiſmi iteratio.

Articulus Primus.

De irregularitate Hæreticorum, Schiſmaticorum, Apoſtatarum.

COncluſio. Quovis ſæculo Hæretici, Schiſmatici, Apoſtatæ irregulares fuerunt.

Probatur 1. ex eo quod Hæreſis, Schiſma, Apoſtaſia graviſſima ſint ſcelera: Atq(ut ſuperius dictum eſt) gravia quævis ſcelera, licet occulta, pariebant irregularitatem. 2. Hæretici, Schiſmatici, Apoſtatæ in Eccleſiæ ſinum non niſi per pœnitentiam publicam admittebantur: At pœnitentia publica irregularitatem (ut ſuo loco dictum eſt) induxit ſemper. 3. Antiquiores Synodi promulgarunt eam de qua agitur irregularitatem: *Ex omni hæreſi* (inquit Coucilium Eliberitanum can. 15.) *qui ad nos fidelis venerit, minime eſt ad Clerum promovendus. Vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponantur*. Idem edicit Innocentius Papa I. epiſt. 22. cap. 4. ubi ſic loquitur: *Noſtræ vero lex eſt Eccleſiæ venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manus impoſitionem, laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum ſubrogare*. 4. Nonnullis quidem & baptizatis & ordinatis in hæreſi, conceſſa ſunt ordinis munia, ubi in Eccleſiæ ſinum rediiſſent (ut ſuperius pag. 538. oſtenſum eſt) ſed id factum eſt ex eccleſiaſtica diſpenſatione: *Sed Canones apud Nicænum conſtituti*)inquit mox laudatus Innocentius Papa I. Epiſt. 22.) *de Novatianis fieri permiſerunt. Poſſum dicere de ſolis hoc Novatianis eſſe præceptum, nec ad aliarum hæreſum Clericos pertinere*. Idem decernit quod nunc viget, Jus Canonicum, ut videre eſt Cap. *Statutum* de hæretic. in Sexto.

Irregularitas de qua eſt quæſtio, jure novo extenditur ad eos, quorum mater, vel pater avuſque in hæreſi mortui fuerint; *Qui tales eſſe, vel deceſſiſſe probantur*: Ita nempe edictum eſt a Nicolao Papa IV. Alexandro IV. in Capite *Quicumque*; & Innocentio IV. quem Bonifacius VIII. laudat Capite *Statutum*. Verum ille recentioris juris vigor intelligitur de beneficiis tantum, non autem de Ordinibus: illorum enim, non autem iſtorum, meminit, nec ultra terminos quibus conſtant, odioſa, ut vocant, decreta extendi debent. Addendum eſt nec intelligi etiam de beneficiis quæ ante patris aut matris lapſum obtenta fuiſſent; idque (Fagnano teſte in lib. 4. Decretal. part. 1. anno 1594.) audita Inquiſitorum ſententia, determinatum eſt a Summo Pontifice. Contendunt nonnulli irregularitatem de qua agitur, ideo tantum inductam fuiſſe quod ex parentum morte in hæreſi quædam infamia in eorum filios refundatur: unde concluduut nec quoad beneficia, nec quoad Ordines irregulares eſſe Clericos quorum parentes in hæreſi deceſſerint, in iis locis ubi ex hæreſi nulla contrahitur infamia, ut revera nulla omnino contrahebatur in Galliis ubi hæretici Calviniſtæ publice tolerabantur, nec in Germania ubi etiam nunc cum multis aliis tolerantur. Imo, addit Bonacina alicubi invaluiſſe conſuetudinem ut jam ii non habeantur irregulares qui hæreſim profeſſi, tandem redeunt in Eccleſiæ ſinum: *Irregulares remanent* (inquit mox laudatus ſcriptor diſp. 7. de Irregul. qu. 3. punct. 7. prop. 2. num. 9.) *etiam poſt converſionem, niſi diſpenſentur, aut quando aliter receptum eſt conſuetudine in aliquo loco, ut in aliquibus Germaniæ locis ſervari videtur*.

Quæ-

Quæres 2. quibuscum hæreticis quondam Ecclesia dispensarit, ut receptis in hæresi ordinibus fungerentur.

Resp. dispensatum fuisse 1. cum Donatistis: *Cæteros correctos* (ait Augustinus de iis agens Epistol. 162.) *etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis Ordinibus suscipiendos esse* (Melchiades Papa reliquique Episcopi) *censuerunt.* 2. Dispensatum est cum Novatianis: *De his* (inquit prius Nicænum Concilium can. 8.) *qui se nominant Catharos, idest mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant.* 3. Idem a Leone Magno indultum est Pelagianis. Idem quoque Nestorianis a Gregorio Magno lib. 9. Indict. 4. Epist. 61. Idem Monothelitis a septima generali Synodo. Innumera tandem ejusdem concessionis exempla post annum millesimum visa sunt. Si quis vero Ecclesiæ vertat crimini quod tum in Donatistas tum in Novatianos ac deinceps erga cæteros hæreticos ea humanitate usa sit, audiat Augustinum sic Epist. 50. Donatistas confutantem: *Si ergo (inquiunt) oportet ut nos extra Ecclesiam, & adversus Ecclesiam fuisse peniteat, ut salvi esse possimus, quomodo post istam pœnitentiam Clerici vel etiam Episcopi permanemus. Hoc non fieret, quoniam revera fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Cum præcisus ramus inseritur, fit vulnus in arbore, quo possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat.*

Quæres 3. num Apostatis sicut & hæreticis, concessa sit ordinis in Ecclesia recepti executio?

Resp. admissos fuisse nonnumquam cum suis Ordinibus Apostatas, seu eos qui baptizati & ordinati in Ecclesia Catholica, ad Hæreticos aut Schismaticos defecissent. Id vero nonnulli probant ex Concilio Alexandrino sub Athanasio, quo cum suis ordinibus admissi sunt in Ecclesiæ sinum Episcopi qui Arianorum Ariminensi Synodo subscripserant: *Communi decreto* (inquit Athanasius Epist. ad Ruffin.) *placuit ut qui lapsi fuissent proprio arbitrio, & antesignani fuissent impietatis, si resipiscerent, ignoscendum quidem illis, verum non restituendos in Cleri numerum. Qui vero non authores, sed violentia & necessitate compulsi fuissent, visum est quidem illis ignoscendum, & in Cleri locum restituendos, maxime cum probabilem defensionem & excusationem dederint.* Concilii indulgentiam ægre tulit Lucifer Calaritanus, unde maluit schisma facere ab Ecclesia Catholica, quam cum laudati Concilii Episcopis communicare: *Hoc displicuit Lucifero* (ait Augustinus Epist. 50.) *quod factum fuerat in eis suscipiendis atque sanandis, qui veneno perierant Ariano, & cui displicuit, in tenebras cecidit schismatis, amisso lumine charitatis.*

Quod mox prolatum est exemplum Apostatarum cum suis ordinibus recipiendorum, praxi minime favet: nusquam enim Episcopi qui Ariminensi Synodo subscripserant, fuerant hæretici; constanter nimirum crediderant semper Verbum esse consubstantiale Patri, sed ab hæreticis delusi vano fovendæ pacis obtentu vocibus quibus Catholici ab hæreticis dignoscebantur tum temporis, supersederant: *Post reditum Confessorum* (verba sunt Hieronymi adversus Luciferianos scribentis) *In Alexandrina postea Synodo constitutum est, ut exceptis authoribus hæreseos, quos error excusare non poterat, pœnitentes Ecclesiæ sociarentur, non quod Episcopi possint esse qui hæretici fuerant, sed quod constaret eos qui reciperentur, hæreticos non fuisse.*

Dicendum est igitur Apostatarum cum suis Ordinibus admissionem probari posse 1. exemplo Maximi Presbyteri, qui (teste Cypriano Epist. 46. licet per aliquod tempus Novatianis sed per simplicitatem magis quam per contumaciam suffragatus fuisset, & Catholica & sui ordinis communione post resipiscentiam donatus est. Probari potest 2. exemplo Nestorianorum & Eutichianorum, modo tamen per ingens temporis spatium in hæresi non permansissent: id nimirum liquet tum ex actis Concilii Chalcedonensis tum ex Epist. 10. Leonis Magni. Verum difficilius indulgentia de qua agitur, Apostatis concessa est, & quidem non nisi post diuturniorem pœnitentiam ea quæ Ordinatis & baptizatis in hæresi injungebatur: *Nec illud* (inquit Augustinus de unico Baptis. contra Petilian. c. 12.) *sine distinctione præterimus, ut humiliorem agant pœnitentiam, qui jam fideles Ecclesiam Catholicam deseruerunt, quam qui in illa nondum fuerunt.* Quod autem gravius esset peccatum Apostatarum, quam eorum qui enutriti fuissent in hæresi, ideo difficilius cum suorum Ordinum exercitio admittebantur in Ecclesiam, etiamsi convenienti satisfactione perfuncti fuissent: *Si quis vero* (ait Innocentius Papa I. Epist. 22. cap. 4.) *de Catholica ad hæresim transiens, aut fidelis ad apostasiam reversus, resipiscens redire voluit, numquid eadem ratione poterit ad Clerum permitti, cujus commissum nonnisi longa pœnitentia poterit aboleri? Nec post pœnitentiam Clericum fieri ipsimet Canones sua authoritate permittunt.*

Caput Tertium.

De irregularitate quæ ex homicidio voluntario, illicita mutilatione cæterisque delictis oritur.

QUÆ spectant ad reliquas irregularitates quæ oriuntur ex delicto paucis hic expendemus.

I. Homicidium voluntarium quovis sæculo reos exclusisse a Clericatu ac ordinatos ad laicorum sortem dejecisse superius pag. 543. probatum est. Eamdem quoque disciplinam nunc obtinere colligitur tum ex Gregorii Papæ IX. Decretalibus, tum ex Concilii Tridentini Sess. 14. cap. 7. de reform. ubi hæc habentur: *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit, nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum conferre liceat; sed omni Ordine ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat.* Qui vero de homicidio licito, casuali aut perpetrato vim vi repellendo, sentiendum sit, dictum est articulo superiore ubi de lenitatis defectu disseruimus.

II. Illicitam sui aut aliorum mutilationem parere irregularitatem ostenditur tum ex 1. Canone prioris Concilii Nicæni, tum ex Innocentio Papa I. qui Epist. 4. cap. 1. sic loquitur: *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt.* Quibus quidem verbis patet alienam esse a mente canonum sententiam qua post multos recentiores Canonistas contendit Cabassutius noster nomine membri, cujus abscissio parit irregularitatem, intelligi tantum (ut ait) debere *partem quæ per se habet distinctum & completum in corpore officium, qualis est manus aut pes, non vero digitus, aures, nares.* Porro cum mutilatio sit illicita non tantum in se, sed nonnumquam in causa, tunc plures canonistæ concludunt eum esse irregularem in ebrietate, etsi præter intentionem, alium occiderit, nec non Clericum qui contra Canones Catapulta usus ut venetur, aut se aut alium mutilaverit.

III. Indebita sacri Ordinis susceptio, aut exercitium, in iis qui censuris ligati sunt, delicta esse quæ pariunt irregularitatem ostenditur ex Cap. *Cum illorum, de sentent. excommunicat.* Non in irregularitatem modo incidunt, sed etiam depositione mulctantur, qui Ordinem quo carent, solemniter exercuerint: Cap. 1. & 2. *de Cleric. non ordinat. minist.* Laicus tamen qui sine manipulo obit Subdiaconi vices irregularitatem non contrahit, sic nempe fert quæ nunc est in usu consuetudo. Arcentur pariter ab ordinum susceptione qui bis baptismum susceperint, sive in Ecclesia Catholica, sive extra Ecclesiam. Ita decretum est a Felice Papa III. Epist. 7. Idem quoque cap. 2. de Apostatis statuitur. Eamdem disciplinam legere est in Concilio Cartaginensi III. *Nec unquam permittendum* (inquit Can. 11.) *ut rebaptizati ad Clericatus gradum promoveantur.* Idem docet Concilium Toletanum.

tanum IV. *Non promoveatur* (inquit) *ad Sacerdotium, qui in hæresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur.* Id, seu, non crimen tantum sed etiam irregularitatem curarunt præcavere Concilia Provincialia, quæ post Tridentinum habita sunt, cum vetuere ne, etiam sub conditione, baptizati a Calvinistis, iterum cum redibant ad unitatem, baptizarentur. Nec iis Conciliis adversatur Mechliniense quod anno 1607. habitum est, cum Titulo de baptismo, jubet ut baptizati a Calvinistis, iterum sub conditione baptizentur; in Belgio nimirum ab avito baptizandi more plures Calvinistæ recesserant: *Et quia* (inquit) *frequens experientia docet modernos hæreticos sæpe contra receptam Ecclesiæ consuetudinem & antiquam traditionem baptizare, uno aquam fundente, altero formam ipsam pronuntiante; ab hæreticis, qui non sunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præsto est;, baptizati, similiter sub conditione baptizentur.*

IV. Non ii tantum qui iterato baptizati fuerint, sed & qui ad illius Sacramenti iterationem contulerint, sunt irregulares: *Ad superiores Ordines promoveri, si publicum est quod proponitur, non valebit* (inquir Alexander Papa III. Extr. Apost. cap. 2. interrogatus ad Acolytho qui ministrat in iterando cujusdam ægroti baptismo) *nisi ad religionem transire voluerit, ut favore religionis ipsius circa dum valeant dispensari.* Id etiam colligitur ex Innocentio Papa III. qui Græcos deposuit quod adhærentes sibi Latinos iterum tingerent: *Si quis* (inquit Ext. de bapt. c. ult.) *tale quid præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponatur.*

Quæres ad quem spectet potestas dispensandi circa irregularitates quæ oriuntur ex delicto?

Resp. ex Concilio Tridentino Episcopos posse dispensare circa omnes irregularitates quæ oriuntur ex delicto occulto, ea tamen excepta quæ ex homicidio voluntario nascitur; *Liceat Episcopis* (inquit sacra Synodus Sess. 24. cap. 6. de reform.) *in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientia, eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.* Advertat lector hanc Concilii exceptionem: *Eis tantum, non eorum Vicariis*, in Galliis locum non habere; Passim enim non solum Episcopi, sed eorum etiam Vicarii generales Pœnitentiarii, imo & in nonnullis Diœcesibus Presbyteri, quos Vicarii generales subdelegarint, absolvunt ab hæresi. Vigere eam consuetudinem Rothomagi aliisque in locis fidem facit Sambovius tom. 2. casuum conscientiæ pag. 330.

FINIS DISSERTATIONIS DUODECIMÆ

De Censuris.

DISSERTATIO DECIMATERTIA.

De Indulgentiis.

BEneficii de quo acturi sumus in hac dissertatione, varia sunt apud veteres nomina. 1. A. S. Cypriano quem Indulgentiarum doctorem merito dicere possumus, vocatur *Relaxatio*. 2. A posteriorum sæculorum Patribus & Conciliis plerumque dicitur *Remissio*, *Donatio*, *Condonatio*. 3. Appellarur, *Indulgentia*. Usus est eo nomine Gregorius Papa VII. variis in epistolis; usus est quoque Pacianus Epist. 3. contra Novatianos, ubi asserit Apostolum iis verbis: *Nam & ego quod donavi &c.* per indulgentiam proprias sententias temperasse. 4. A Concilio Tridentino *cœlestis Ecclesiæ thesaurus* vocatur: *Ut tandem* (inquit Sess. 21. cap. 9.) *cœlestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant.*

QUÆSTIO PRIMA.

De existentia Indulgentiarum.

HAC in quæstione 1. recensebimus hæreticorum errores circa indulgentiarum existentiam: ac proponemus hoc de argumento Ecclesiæ Catholicæ fidem. 2. eam fidem Scriptura & Traditione tuebimur. 3. tandem solvemus adversariorum argumenta.

CAPUT PRIMUM.

Recensentur qui indulgentias impugnarunt, proponiturque eo de argumenta Ecclesiæ Catholicæ fides.

MOntanistæ quondam negarunt Ecclesiam posse indulgentias largiri: *An tu* (verba sunt Tertulliani Zephirinum Papam alloquentis lib. de pudicitia quem factus Montanista subscripsit) *& in Martyres tuos effundis hanc potestatem? . . . Sufficiat Martyri propria delicta purgasse . . . Quis alienam mortem sua solvit nisi solus Dei filius?*

Vvaldenses circa annum 1170. in eumdem errorem lapsi sunt: *De indulgentiis autem quæ fiunt per Ecclesiam* (inquir Reinerus lib. contra Vvaldenses cap. 6.) *non credunt.* Idem de eis testatur Philedorphius lib. contra eosdem hæreticos: *Item* (ait cap. 40.) *reprobant hæretici Vvaldenses indulgentias Prælatorum Ecclesiæ* Impegit in eumdem scopulum Vviclesus, cui & Joannes Hus adhæsit; hunc enim articulum tamquam ab ipso Joanne Hus propugnatum recenset Synodus Constantiensis Sess. 15. *Item decimus nonus articulus, in quo continetur, quod indulgentiæ Papæ, sive Episcoporum, concessæ nihil prosunt.*

Anno 1517. Dominicani jussu Leonis Papæ X. in Germania indulgentias promulgarunt. Lutherus ægræ ferens quod ea provincia (ut moris erat) fraudata fuisset Augustinensium familia cui dederat nomem primum in indulgentiarum abusus varios, ac tandem in ipsarum substantiam ac valorem hisce propositio-

ſitionibus quas deinceps laudatus Papa in ſua adverſus Lutherum bulla proſcripſit, debachatus eſt : *Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum, & ſunt de numero eorum quæ liceat, & non de numero eorum quæ expediunt. — Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam juſtitiam — Seducuntur credentes indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus utiles. — Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodo & impatientibus. — Sex generibus hominum indulgentiæ nec ſunt neceſſariæ nec utiles; videlicet mortuis, ſeu morituris, infirmo, legitime impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt ſed non publica, his qui meliora operantur.*

Anno 1519. quidam profeſſione Franciſcanus miſſus eſt ad Helvetios, ejuſdem Leonis authoritate indulgentias promulgaturus, Zuinglius quæcumque Franciſcanus ille protuliſſet in medium, confutare conatus eſt, ac tandem eo deduxit controverſiam ut impugnatis abuſibus, ipſas etiam indulgentias impugnarit, ſeu propugnarit penes Eccleſiam non eſſe facultatem indulgentias concedendi. — Joannes Calvinus non multo poſt inſurrexit in Eccleſiam, ipſique eamdem abnegare conatus eſt poteſtatem quam Zuinglius eripere tentarat.

Catholicæ Eccleſiæ fidem recenſitis erroribus oppoſitam tradit Concilium Tridentinum ad calcem Seſſ. 25. ubi ſic loquitur : *Cum poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit, atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit: ſacroſancta Synodus indulgentiarum uſum, Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit: eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur.*

CAPUT SECUNDUM.

Eccleſiæ in concedendis indulgentiis poteſtas aſſeritur ex Scriptura.

CONcluſio. Poteſt Eccleſia indulgentias concedere.

Probatur 1. Chriſtus Eccleſiæ fecit poteſtatem indulgentias concedendi: Ergo Eccleſia fruitur illa poteſtate. Probatur ant. Chriſtus Matthæi 18. Apoſtolos ſic alloquitur: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Cum vero ex iis quæ de ſatisfactione ſuo loco dicta ſunt, conſtet ea ſententia: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo,* Chriſtum Eccleſiæ feciſſe poteſtatem quovis peccatores, ſeu, non publicos tantum, ſed etiam occultos, addicendi pœnitentiæ laboribus; conſtare debet hæc alia quæ priori oppoſita eſt: *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*, feciſſe facultatem peccatores eximendi (ex cauſis tamen legitimis) ab iiſdem pœnitentiæ laboribus, aut ſaltem eorum partem minuendi; in qua quidem aut adæquata remiſſione, aut ſaltem imminutione, indulgentiarum virtutem poſitam eſſe ſubſequenti quæſtione docebitur.

Probatur 2. ex eo quod Eccleſia ſuis ab incunabulis ad hanc uſque ætatem pœnitentibus nonnumquam indulgentias conceſſerit; id igitur poteſtatis accepit a Chriſto: cum enim lapſi jure divino teneantur ſubire totam pœnam temporalem quæ peccatis quoad culpam remiſſis debetur, Eccleſia Apoſtolorum, Martyrum, illuſtriumque virorum temporibus quibus, (ut adverſarii fatentur) nullus eam error infuſcarat, pœnæ de qua agitur relaxationem ſibi non ſumpſiſſet, niſi ei fuiſſet perſuaſum ſe facultatem illam accepiſſe a Chriſto: unde ſatis eſt hic ut antecedens variis monumentis demonſtretur.

Profertur pro poteſtate indulgentias concedendi argumentum deſumptum ex reconciliatione Corinthii inceſtuoſi.

Paulus 2. ad Corinth. 2. hæc habet de Corinthio inceſtuoſo qui multo jam tempore nefandum ſcelus defleverat : *Sufficit illi* (inquit) *qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc quæ fit a pluribus. Ita ut e contrario magis donetis, & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.* Iis vero verbis Apoſtolus jubet, ut Corinthius eximatur iis qui ex injunctis ſupererant pœnitentiæ laboribus: At ea exemptio non aliud eſt quam indulgentiarum conceſſio: non enim (ut proxime ſubſequenti capite dicetur,) aliud ſunt indulgentiæ quam relaxatio pœnæ quæ peccato quoad culpam dimiſſo debetur. Chriſtum autem relaxationem de qua eſt quæſtio, ratam habere declarat Paulus cum ſubdit ſe eam indulgere nomine, & authoritate Chriſti: *Cui autem aliquid donatis & ego, nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Nec mirum quod aſſerat ſe in illa indulgentiæ conceſſione Chriſti vices agere, cum priore Epiſtola conteſtetur ſe ejuſdem Chriſti perſonam geſſiſſe ubi illum addixit pœnitentiæ laboribus; *Jam judicavi ut præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti, tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

Nec audiendi ſunt qui per *traditionem Satanæ* meram excommunicationem intelligunt, & per hæc verba, *Magis donetis &c.* nudam ab excommunicatione abſolutionem. Nam licet inceſtuoſus in peccati vindictam fruſtratus ſit ea communione qua fideles fruebantur, ac proinde inciderit in excommunicationem qua ſinguli pœnitentes mulctabantur, ab Eccleſia tamen, quod contumax non fuerit poſt publicam objurgationem, non fuit omnino præciſus: unde Patres de eo non locuti ſunt quaſi maxima excommunicatione damnatus fuiſſet, ſed tamquam de reo qui excluſus tum a Sacramentis tum a fidelium precibus, pœnitentiæ laboribus damnatus fuiſſet : *Hic* (inquit Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 13.) *jam carnis interitum in officium Pœnitentiæ* (Catholicis quos factus Montaniſta laudato loco ſugillat) *interpretantur quod videatur jejuniis & ſordibus, & incuria omni & dedita opera malæ tractationis carnem exterminando, ſatis Deo facere, ut ex hoc argumententur fornicatorem imo inceſtuoſum illum non in perditionem Satanæ ab Apoſtolo traditum, ſed in emendationem, quaſi poſtea veniam ad interitum, ideſt, conſtictationem carnis, conſecuturum.*

Quod mox ex Apoſtolo deſumptum eſt argumentum, tradidit Chryſoſtomus hom. 4 in 2. ad Corinth. ubi ſic Apoſtolum loquentem inducit; *Non enim quod dignus ſit, neque quod ſufficientem exhibuerit pœnitentiam, ſed quod infirmus, ideo* (inquit) *dignor illum venia. Unde & adjecit, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur. Qui ſermo declarat illius vehementem pœnitentiam, quem Paulus non ſit paſſus in deſperationem venire.* Ex ea Pauli in Corinthium illum indulgentia hanc idem Chryſoſtomus colligit concluſionem. *Ex ea re docemur, quod non ſolum ad peccatorum naturam; verum etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari pœnitentiam.*

Eadem quoque ratione Paulum interpretatus eſt Theophilactus, in eumdem quippe locum hæc ſcribit: *Pulchre autem dixit: Donare. Ut enim ille non exiſtimat ſibi remiſſam noxam, quia ſatis confeſſus ſit, & ſufficienter pœnitentia ductus, attendit quod non tantum ex pœnitentia ſua, quantum ex illorum gratia & donatione dimiſſionem recipiat.*

Non Græci modo Patres (ut mox oſtenſum eſt) Pauli locum de quo agitur, de pœnitentiæ relaxatione intellexerunt, ſed & Latini fere omnes: *Vides* (inquit Pacianus lib. 3. contra Novatianos ubi laudata Pauli verba protulit) *Apoſtoli indulgentiam, proprias*

etiam

etiam ſententias temperantem; vides mitiſſimam lenitatem longe veſtro ſupercilio ſeparatam? longe a Novatianis fronte diſſimilem? communi vero vitæ ac saluti omnium conſulentem? Eodem in ſenſu loquitur Ambroſius de Pœnitentia lib. 6. cap. ult.

Profertur pro poteſtate concedendi indulgentias argumentum deſumptum ex praxi lapſos reconciliandi ad martyrum preces ac libellos.

Prioribus Eccleſiæ ſæculis mos obtinuerat, ut ad Confeſſorum, ſeu, eorum qui fidei cauſa carceribus detinebantur, Epiſcopi quibuſdam lapſis ſatisfactionis & pœnitentiæ partem aliquam remitterent. Ejuſmodi conſuetudinis meminit Tertullianus lib. ad Martyres cap. 1. *Quam (inquit) pacem quidam in Eccleſia non habentes, a martyribus in carcere exorare conſueverunt: Et ideo eam etiam propterea in vobis habere, & fovere & cuſtodire debetis, ut ſi forte & aliis præſtare poſſitis.* Eamdem Eccleſiæ praxim recenſet mox laudatus author lib. de Pudicitia cap. ult. eamque Zephirino Papæ, cæteriſque Catholicis, a quibus tunc ad Montaniſtas defecerat, crimini vertit: *An tu (ait) jam & in Martyres tuos affundis hanc poteſtatem, ut quiſque ex conſenſione vincula induit adhuc immollia in novo cuſtodiæ nomine ſtatim ambiunt mœchi, ſtatim adeunt fornicatores, jam preces circumſonant, jam lacrymæ circumſtagnant maculati cujuſque, nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Eccleſiam perdiderunt: violantur viri ac fœminæ in tenebris plane ex uſu libidinum notis, & pacem ab his quærunt, qui de ſua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, & inde communicatores revertuntur, ubi jam aliud martyrium neceſſarium eſt delictis, poſt martyrium novis.*

De eadem conſuetudine, lapſos nimirum ad preces libelloſque Martyrum eximendi ab aliqua ſatisfactionis parte, multis in locis Cyprianus loquitur. Epiſt. 11. ſcribit Diaconos ſolitos fuiſſe circuire carceres, non tantum ut Confeſſoribus ſuppeditarent neceſſaria, ſed etiam ut eorum deſideria exciperent, quæ poſtea deferrentur ad Epiſcopum, qui expenderet, num cum Evangelii legibus & Eccleſiæ diſciplina cohærerent: *Credideram quidem (inquit) Presbyteros & Diaconos qui illic præſentes ſunt, monere vos & inſtruere pleniſſime circa Evangelii legem, ſicut in præteritum ſemper ſub Anteceſſoribus noſtris factum eſt, ut Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis & ſcripturarum præceptis gubernarent.* Paulo poſt eoſdem Martyres alloquitur: *Cum vos ad me litteras direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam lapſis pacem dari poſtulaſtis, cum perſecutione finita convenire in unum cum Clero & recolligi cœperimus. Ubi contra &c.*

Eadem Epiſt. 11. monet Martyres ut ad lapſorum perſonas, & crimina diligenter attendant antequam iis indulgentiæ beneficium polliceantur: *Oro vos quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores & conſiderantes quæ & qualia in præteritum Anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quam ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſolicite & caute petentium deſideria ponderetis... ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne ſi quid abrupte & indigne vel a vobis promiſſum vel a nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.* Hinc idem S. Doctor merito Epiſtola 23. conqueritur de quodam Luciano Martyre qui ad eas regulas non attendens poſtularat, ut quippe lapſi promiſcue pœnitentiæ laboribus liberarentur. *Univerſorum Confeſſorum nomine idem Lucianus Epiſtolam ſcripſit, qua pene omne vinculum fidei, & timor Dei & mandatum Domini, & Evangelii ſanctitas & firmitas ſolveretur. Scripſit enim omnium nomine univerſis eos pacem dediſſe.*

Monet iterum eadem Epiſtola 11. S. Martyres, ut in libellis exprimant eorum nomina quos eximi cupiunt aliquibus pœnitentiæ laboribus: *Sed & illud ad diligentiam veſtram redigere & emendare debetis, ut nominatim deſignetis eos quibus pacem dari deſideratis. Audio enim quibuſdam ſic libellos fieri ut dicatur: Communicet ille cum ſuis, quod numquam omnino a Martyribus factum eſt, ut incerta & cæca petitio invidiam nobis poſtmodum cumulet.* Nec ſatis eſſe duxit monere Martyres ut nominatim in libellis ſuis eos exprimerent, quibus vellent concedi pacem, ſed præterea deſignat, quibuſnam lapſis libellos concedere debeant: *Ideo peto ut eos quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes litteras dirigatis.*

Epiſtola 17. hanc deſcribit formulam ad quam libellos ſuos nonnulli Martyres exigebant, quamquo multis impugnat Epiſt. 23. *Univerſi Confeſſores Cypriano Papæ ſalutem. Scias nos univerſis de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, pacem dediſſe: Et hanc famam per te & aliis Epiſcopis innoteſcere voluimus. Optatus te cum S. Martyribus pacem habere, Præſente de Clero, & Exorciſta & Lectore, Lucianus ſcripſit.*

Epiſtola 10. docet indulgentias conceſſas Martyribus ſolitas fuiſſe mandari executioni tantum poſt Eccleſiæ pacem, cum ſcilicet Epiſcopi ea de re acturi poſſent in unum locum convenire. Addit datos a Martyribus libellos vim tantum habuiſſe cum ipſi Martyres actu expleto martyrio obiiſſent; eo nimirum tendunt hæc verba, quæ Sanctus Doctor in nonnullos Presbyteros intorquet: *Hi ſublato honore quem nobis beati Martyres cum Confeſſoribus ſervant, contempta Domini lege & obſervatione quam iidem Martyres & Confeſſores tenendam mandant, ante extinctum perſecutionis metum, ante ipſum pene Martyrum exceſſum, communicant cum Lapſis &c.*

Ex iis quæ hactenus tum ex Tertulliano, tum ex Cypriano fuſe enarrata ſunt clariſſime patet 1. Martyres ſolitos fuiſſe libellos conſcribere quibus peterent ab Epiſcopis ut nonnullis lapſis remitteretur id quod ex injunctis ſatisfactionis laboribus ſupererat. Patet 2. eam conſuetudinem etiam ante Tertulliani tempora obtinuiſſe in Eccleſia Catholica: nec enim eam recenſet tamquam diſciplinam quæ ſua tantum ætate cœpiſſet. Patet 3. Epiſcopos, ad quos divino jure ſpectat pœnitentiæ adminiſtrandæ poteſtas, ejuſmodi libellorum rationem habuiſſe; ſeu, quod e ſubeunda ſatisfactione ſupererat dimiſiſſe lapſis quibus ſecundum præſcriptas ab ipſis Epiſcopis regulas Martyres pacem dari poſtularant. Hinc patere debet 4. priſcis illis temporibus indulgentiarum praxim in uſu fuiſſe apud Catholicos, cum (ut jam ſuperius obſervatum eſt & inferius fuſe oſtendetur) indulgentiæ nihil aliud ſint quam abſolutio a pœna qua poſt baptiſmum lapſus in criminis vindictam mulctatus eſt aut mulctari debet.

Eccleſiæ in concedendis indulgentiis poteſtas demonſtratur ex Conciliis.

Nihil frequentius in veteribus Conciliis occurrit, quam remiſſio pœnæ quæ gravium peccatorum reis injungebatur ab Eccleſia.

Ancyrana Synodus, quæ (ut ſæpius a nobis dictum eſt) anno 314. habita eſt, can. 15. 22. conceptis terminis permittit Epiſcopo ut ubi expedire judicarit, nonnihil de injuncta lapſis pœnitentia relaxet: *Niſi forte* (verba ſunt Can 2. ex interpretatione Iſidori Mercatoris) *aliqui Epiſcoporum conſcii ſint laboris eorum & humilitatis, & manſuetudinis, & voluerint eis* (Diaconis lapſis) *aliquid amplius tribuere, vel adimere. Penes ipſos ergo de his erit poteſtas.* Sic iterum can. 5. loquitur idem Concilium: *Epiſcopum autem hanc habere licentiam oportet, ut perſpecta ſingulorum converſatione, normam regulamque converſationis attribuat, ideſt, aut humanius ageat, ſecundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breviet, aut etiam prolixius, quod correctione neceſſarium viderit, addat. Diſcutiatur autem omnium horum & præcedens vita & poſterior: & ita circa eos Sacerdotalis ſe humanitas moderetur.* Eodem tendunt hæc ejuſdem Concilii verba can 22. ex interpretatione Dionyſii Exigui: *Modus autem hujus pœnitentiæ in Epiſcoporum ſit arbitrio, ut ſecundum converſationem pœnitentium poſſint & extendere tardantibus & minuere ſtudioſe feſtinantibus.*

Quod brevi poſt tempore, anno nimirum 315. habitum

bitum est Nicænum primum Concilium, Canon. 12. Episcopo facultatem facit ut nonnihil pro variis circumstantiis, de injuncta satisfactione minuat. *Quotquot enim metu & lacrymis, atque patientia, vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant; hi demum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.* Eamdem praxim legere est in Concilio Trullano can. 12. Carthaginensi IV. can. 75. Triburiensi can. 51.

Eamdem disciplinam Basilius aperte tradit in Epist. ad Amphilochium canonibus 2. 7. 54. & 84. *Est autem* (inquit Can. 54.) *tuæ prudentiæ, pro circumstantiæ proprietate, pœnas intendere vel remittere.* Non semel quoque recensetur a Gregorio Nysseno in Epist. ad Letojum: *Et in hoc quoque* (ait can. 4. de homicidis) *idem observabitur ab eo qui Ecclesiam administrat, & pro ratione conversionis illi quoque pœnæ tempus contrahetur: adeo ut novem annis in unoquoque gradu, vel octo, vel septem, vel sex, immo, etiam quinque tantum anni ponantur si pœnitentiæ magnitudo tempus vincat, & superet correctionis studio eos qui in longo tempore præstituto susceptas a se maculas segniter eluunt.* Iis Patribus subscripserunt qui postea vixere, Innocentius Papa I. Epist. 1. cap. 7. Leo Magnus Epist. 79. cap. 5.

Ex laudatis hucusque Canonibus idem argumentum confici potest quod mox ex Martyrum libellis confectum est. Indulgentiæ nihil aliud fuit quam pœnæ aut impositæ aut imponendæ remissio. Atqui tum Concilia tum Patres in privatis scriptis, docuere Ecclesiam posse pęnas seu impositas, seu imponendas remittere: ubi id peccantium saluti & fidelium utilitati expedire judicaverit. Ergo censuerunt penes eam esse facultatem indulgentias concedendi.

Potestas concedendi indulgentias Ecclesiæ vindicatur ex Canonicæ pœnitentiæ redemptione quæ post sæculum octavum invaluit.

Post sæculum 8. invaluit usus canonicas pęnitentias redimendi aut eleemosynis, aut precibus quibusdam, aut flagellationibus, aut aliis piis operibus, quibus multum de earumdem penitentiarum rigore detrahebatur. Redemptionem illam recenset Concilium Triburiense quod anno 895. celebratum est: hæc nimirum can. 56. habet de jejunio homicidæ juxta canones imposito: *Et si vel in hoste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe aut diu ad Dominicam curtem, vel si in infirmitate detentus sit. Tunc licitum sit ei, tertiam feriam, & quintam atque Sabbatum redimere uno denario, vel pretio denarii, sive tres pauperes pro nomine Domini pascendo: ita dumtaxat ut vel carne, vel vino, vel medone, idest, de tribus una re utatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum revertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pœniteat.* Congruum erat Ecclesiæ humanitati ut homicidæ in circumstantiis de quibus Can. Triburiensis loquitur pęnitentiæ Canonicæ imminutionem, aut (ut erat tunc loquendi modus) redemptionem indulgeret. Ejusdem redemptionis non obscuri sunt plures alii Patrum textus

Operæ pretium est ut lector observet redemptionem illam solitam fuisse fieri cum variis modificationibus. Primum, vix aut nusquam ulla concedebatur Pęnitentiæ redemptio anno primo, raro admodum secundo & tertio anno. Deinde, vix indulgebatur in tribus Quadragesimis, nusquam vero in Quadragesima quæ Pascha immediate præcedit: Eas observationes probat Morinus noster ex antiqua Collectione manuscripta Reginonis Abbatis: *Si quis forte* (inquit mox laudatus Regino lib. 2. cap. 440. & sequentibus) *non potuerit jejunare, & habuerit unde possit redimere, si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos viginti. Si non habuerit tantum unde dare possit, det solidos decem. Si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. — Pro uno mense quod in pane & aqua pœnitere debet aliquis, Psalmos decantet mille ducentos genuflexo, & si non genuflexo 1680. & omni die si vult, & abstinere non potest, reficiat ad sextam, nisi feria quarta & sexta jejunet usque ad Nonam: carnem & vinum non sumat, reliqua percipiat. — Primo anno quidam permiserunt triduanas quatuor, alii duodecim triduanas, idest, semel in mense uno. Quidam dixerunt triduanas agere in verberibus & in Vigiliis insistendo triduum. Pretium autem unius diei, idem agapen duorum vel trium pauperum, sive unum denarium: Alii totum psalterium in æstate, in hyeme vero & in verno, vel autumno quinquaginta Psalmos. Quidam judicaverunt duodecim plagas vel percussiones.*

Ex Reginonis textu evidens est iis tantum inniti redemptionem qui præscriptas in Pęnitentiali satisfactiones præ infirmitate, adimplere non possunt: *Si quis forte non potuerit jejunare &c.* Evidens est quoque ejusdem redemptionis modum Episcopum permittere prudentiæ Sacerdotis: *Ecce diversorum Patrum diversas opiniones de remediis peccatorum; vel de leviganda pęnitentia in ordine posuimus. In arbitrio prudentis Sacerdotis relinquentes quid salubrius & utilius animæ pœnitentis esse decernat.*

Petrus Pictaviensis, sancti Victoris Canonicus qui Parisiis tempore Innocentii Papæ III. suum Pęnitentiale conscripsit, de redemptionibus de quibus agitur folio 7. sic loquitur: *Omnes qui ex justa causa videntur non posse sine magno gravamine frequenter, vel in arcta diæta jejunare, possunt redemptiones vel compensationes adhiberi per orationes, per eleemosynas, per peregrinationes vel disciplinas, vel abstinentiam a carnibus, vel piscibus, vel hujusmodi secundum statum personarum a vino vel in quadragesimalibus cibis.*

Ex ea pęnitentiarum redemptione, exorta est post annum millesimum nova pęnitentias computandi ratio, ita ut, quinquaginta, centum, & mille annorum pęnitentia exolvi posset. Et sane cum hæc redemptio, Psalterii v. g. cantatio, & alicujus eleemosynæ largitio, uno pęnitentiæ anno æquaretur, qui bis decantabant Psalterium & bis præscriptas eleemosynas largiebantur, aut tot vicibus se se verberibus percutiebant, duos annos lucrabantur, qui ter, tres annos, qui centies centum annos, qui millies mille annos redimebant. Petrus Damianus illius moris expresse meminit in Epistola ad Alexandrum II. sic enim de S. Rodulpho cap. 3. loquitur: *Sæpe pœnitentiam centum annorum suscipiebat, quam scilicet per viginti dies allisione scoparum, cæterisque pœnitentiæ remediis persolvebat. Psalterium quotidie, cum duo non posset, unum saltem non negligebat implere: quod nimirum cum esset in cella constitutus, armata scopis utraque manu, totum cum disciplina continuare consueverat.* Capite 7. de S. Dominico verba faciens expresse docet qua ratione centum annorum pęnitentiæ redimi possent: *Quadragesimalibus circulis* (inquit) *sive cum pœnitentiam peragendam habet (Crebro enim centum annorum pœnitentiam suscepit) tunc per dies singulos dum se scoparum tunsionibus afficit, non minus tria Psalteria meditando persolvit. Centum autem annorum pœnitentia sicut ipso auctore didicimus, sic expletur. Porro cum tria scoparum millia unum Pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem psalmorum modulatio, ut sæpe probatum est, mille scopas admittat, dum centum quinquaginta psalmis constare psalterium non ambigitur, quinque annorum Pœnitentia, in unius psalterii disciplina recte supputantibus invenitur. Sed, sive quinque vicies ducas, sive viginti quinquies, centum faciunt. Consequitur ergo ut qui viginti psalteria cum disciplina decantat, centum annorum Pœnitentiam se peregisse confidat. Quamquam & in hoc plerosque noster Dominicus superest, quia cum nonnulli unam manum in disciplinis agendis exerceant, iste, ut revera Beniamin filius, contra rebelles carnis illecebras utraque manu infatigabiliter pugnat.*

Ea de qua hactenus Pęnitentiæ redemptio, nihil aliud est quam Canonicæ satisfactionis, justis de caussis, relaxatio. Ergo erat id quod nunc indulgentiæ concessionem dicimus. Igitur sæculis quibus ea redemptio obtinuit, seu, ab octavo ad decimum tertium, persuasum erat Ecclesiæ se a Christo accepisse potestatem, ubi id expedire judicaret, indulgentias pęnitentibus largiendi, cum (ut jam sæpe observatum est) indulgentia nihil aliud sit quam aut imposi-

tæ

tiæ aut præscripto canonum imponendæ pœnitentiæ remissio.

Ecclesiæ in concedendis indulgentiis potestas asseritur ex canonicæ satisfactionis commutatione tum in expeditionem Hierosolymitanam, tum in peregrinationes ad Apostolorum limina.

Labente sæculo XI. Indulgentiæ plenariæ, seu adæquata satisfactionis canonicæ relaxatio iis indulta est qui expeditionem Hierosolymitanam contra Saracenos aggrederentur: *Quicumque* (verba sunt alterius canonis Concilii Claromontani quod anno 1096. Urbano Papa II. præside celebratum est) *pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni Pœnitentia reputetur.*

Quod Urbanus II. edixerat in Synodo Claromontana, confirmatum est a Callisto Papa II. anno 1122. in Concilio Lateranensi I. ubi explicantur tum finis tum fructus ejusmodi expeditionis, ac indulgentia in Hispanicam expeditionem prorogatur: *Eis* (inquit can. 11.) *qui Hierosolimam proficiscuntur, & ad Christianam gentem defendendam & tyrannidem infidelium debellandam efficaciter auxilium præbuerint, suorum peccatorum remissionem concedimus, & domos & familias, atque omnia bona eorum, in B. Petri, & Romanæ Ecclesiæ protectione, sicut a Domino nostro Papa Urbano statutum fuit, suscipimus &c. Eos vero qui pro Hierosolymitano, vel Hispano itinere cruces sibi in vestibus posuisse noscuntur, & viam dimisisse, cruces iterato assumere, viam ab instanti Pascha, usque ad sequens proximum Pascha perficere Apostolica authoritate præcipimus. Alioquin ex tunc eos ab Ecclesiæ introitu sequestramus: in omnibus terris eorum divina officia, præter infantium baptisma, & morientium Pœnitentias interdicimus.*

Idem anno 1145. præstitit Eugenius Papa III. sic enim in Epistola ad Ludovicum Franciæ Regem loquitur: *Nos autem vestrorum quieti, & ejusdem Ecclesiæ destitutioni paterna sollicitudine providentes, illis qui tam sanctum, tamque pernecessarium opus & laborem devotionis intuitu suscipere & perficere decreverint, illam peccatorum remissionem quam præfatus prædecessor noster Papa Urbanus instituit, auctoritate nobis a Deo concessa concedimus & confirmamus.* Deinde multis privilegiis civilibus concessis sic laudatus Papa prosequitur: *Peccatorum remissionem, & Absolutionem juxta præfati Prædecessoris nostri institutionem omnipotentis Dei & beati Petri Apostolorum Principis auctoritate nobis a Deo concessa talem concedimus, ut qui tam sanctum iter devote inceperit, & perfecerit, sive ibidem mortuus fuerit, de omnibus peccatis suis, de quibus corde contrito & humiliato confessionem susceperit, Absolutionem obtineat, & sempiternæ retributionis fructum ab omnium remuneratore percipiat.*

Clemens Papa III. annis centum post Urbani II. decretum, & quinquaginta post latum ab Eugenio III. seu anno 1195. eamdem remissionem confirmavit Epistola ad Humbertum Cantuariensem Archiepiscopum: *Nos autem* (inquit) *illis qui pro divinitatis amore, hujus peregrinationis laborem assumere, & quantum in se fuerit, implere studuerint, de indulto nobis auctoritatis officio illam remissionem impositæ pœnitentiæ per Sacerdotale ministerium facimus quam Predecessores nostri suis noscuntur temporibus statuisse, ut videlicet, qui corde contrito, & humilitate spiritus laborem hujus peregrinationis sumpserint, & in pœnitentiam peccatorum hoc iter expedierint, si in fide decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam ac vitam consequentur æternam.*

Sanctus Bernardus capite 5. sermonis exhortatorii ad milites templi, scribit reos ingentium ac gravissimorum criminum concessam a Clemente indulgentiam amplexos fuisse, seu, suscepta peregrinatione, redemisse pœnas quibus alioquin ex præscripto Canonum castigandi fuissent: *Paucos admodum* (inquit) *in tanta multitudine hominum illo confluere videas nisi utique sceleratos & impios, raptores & sacrilegos, homicidas, perjuros, adulteros: De quorum profecto profectione sicut duplex constat quoddam provenire bonum, ita duplicatur, & gaudium; quandoquidem tam suos de suo discessu lætificant, quam illos de adventu quibus subvenire festinant. Prosunt quippe utrobique, non solum utique ipsos tuendo, sed etiam illos non opprimendo. Itaque lætatur Ægyptus in profectione eorum, cum tamen de protectione nihilominus lætetur mons Sion & exultent filiæ Juda.* Idem Sanctus Abbas ad calcem Epistolæ 246. narrat non publice impios tantum, sed & maxime pios homines tantæ indulgentiæ spe allectos iter illud suscepisse: *Vacuantur* (ait) *urbes & castella, & pene jam non inveniunt quem apprehendant septem mulieres virum unum, adeo ubique viduæ vivis remanent viris.*

Ex iis tum Urbani II. tum Eugenii III. tum Clementis III. decretis constat totam Ecclesiam sæculis XI. ac XII. credidisse se habere potestatem indulgentias concedendi: nec enim tunc aliquem aut Episcopum aut Doctorem reperire fuit qui laudatis illorum beneficium bullis contradixerit, imo (ut observatum est ex Bernardo) omnis generis homines tantæ pollicitationis spe allecti relictis uxore, patre, filiis, bonis, arduum illud iter aggressi sunt. Unde quamvis illæ indulgentiæ plenariæ fuerint, laborum tamen pœnitentialium non levis pars, sudoribus, defatigationibus, impensis quæ comitabantur tam arduum iter, exhauriebatur: ac proinde non fuerunt totius pœnæ debitæ peccatis remissio, sed (ut ferebant antiqui canones cum de indulgentiis agunt) ejusmodi pœnæ imminutio ac relaxatio.

Potestas concedendi indulgentias asseritur monumentis, quæ sæculum XII. subsecuta sunt.

Primum, quod hic proferemus monumentum, sumitur ex Jubilæi institutione: Expleto autem sæculo XII. anno nimirum 1300. mense Decembri institutum est a Bonifacio Papa VIII. seu, decretum est ut annus ille quem *Sanctum* vocant, centesimo quoque anno celebraretur, statutumque fuit ut qui eo anno Romæ inviserent Apostol. limina, integram peccatorum remissionem, seu plenariam indulgentiam consequerentur. Summi Pontificis constitutioni occasioni fuere innumeri omnium gentium peregrini qui anno 1300. Romam accedere visi sunt: Sciscitantibus autem Romanis quid causæ esset ejusmodi peregrinationis, responsum est a Gallis quibusdam Diœcesis Bellovacensis, susceptum esse iter, quod antiqua majorum suorum traditione docti essent consequi eos indulgentiam plenariam qui centesimo quoque anno Apostolorum limina Romæ inviserent. Factum illud reperire est in Jubilæi a Bonifacio anno 1300. promulgati historia quam Cardinalis a S. Georgio Bonifacii nepos conscripsit. Laudati Pontificis bulla legitur cap. *Antiquorum*, Extrav. de pœnit. & remiss. Clemens VI qui anno Domini 1342. creatus est Pontifex maximus, a Romanis rogatus, Jubilæum quod (ut mox observatum est ex Bonifacio VIII.) centum annorum spatio constituenum erat, ad quinquaginta revocavit: quod nempe pauci sint qui ad sæculi finem vitam producant. Gregorius Papa XI. qui obiit anno 1378. edita constitutione idem Jubilæum ad tertium quemque supra trigesimum annum reduxit. Verum constitutionis ejusmodi rationem non habuit Urbanus Papa VI. proximus illius successor: nec enim anno 1383. qui 33. erat ab anno 1350. quo Clemens VI. suum Jubilæum celebrarat aliud Jubilæum promulgavit. Præterea cuique notum est Bonifacium IX. Jubilæum induxisse anno 1400. & Nicolaum V. anno 1450. & sic quinquagesimum alios Pontifices qui ad Paulum usque II. sederunt Romæ. Verum a laudato Paulo II. senescente sæculo 15. ad quemque vigesimum quintum annum revocatum est, & in ea nunc forma servatur.

Alterum argumentum desumitur ex Conciliis quæ post sæculum XII. in variis orbis Christiani locis habita sunt. Lateranense IV. sub Innocentio Papa III. habitum anno 1215. Episcopis moderatas indulgentias concedendi potestatem confirmavit: *Quia* (verba

sunt canonis 62.) *per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: decernimus ut cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat.* Mox, ne quacumque occasione ultra illud tempus indulgentiæ extenderentur ab Episcopis, hæc subjungit Synodus: *Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ præ quibuslibet causis aliquoties conceduntur: cum Romanus Pontifex qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* Lateranensis Concilii statutum tamquam jus commune postea receptum est, scilicet relatum est in libros Decretalium a Bonifacio Papa VIII. *Indulgentiæ* (inquit cap. *Cum ex eo*. De pœnitent.) *quæ ab uno vel pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus, vel aliis quibuscumque casibus conceduntur, vires non obtineant, si statutum excesserint Concilii generalis.*

In Concilio Rovennate anni 1317. In Avenionensi anni 1326. In Bitterensi anni 13·1. In Vaurensi anni 1368. In Narbonensi anni 1394. In Coloniensi anni 1423. In Pisano anni 1409. indulgentiæ pro variis, quæ ibi exprimuntur, pietatis operibus conceduntur. Concilium Constantiense Vviclefistas quod Ecclesiæ abnegarent potestatem concedendi indulgentias proscripsit. In Tridentino denique quod proxime elapso sæculo habitum est, eadem potestas contra Luteranos & Calvinistas confirmata fuit. *Sacrosancta Synodus* (verba sunt Sessionis 25, in Decreto de Indulgentiis) *indulgentiarum usum, Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendam esse docet, & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

CAPUT TERTIUM.

Solvuntur argumenta quibus heterodoxi probare nituntur penes Ecclesiam non esse potestatem indulgentias concedendi.

OBjicies 1. Indulgentiæ (ex sententia Ecclesiæ Romanæ) supponunt totam pœnam peccato debitam non remitti simul cum culpa: nec enim sunt aliud quam relaxatio ejusmodi pœnæ. Atqui principium illud veritate non nititur, seu Deus nusquam impium justificat quin simul dimittat totam pœnam quæ peccato debetur. 2. Theologi Romanæ communionis probant Ecclesiam posse concedere indulgentias ex eo quod traditione constet, Patres aut ad libellos Martyrum, aut ad acerbitatem doloris quem operibus pœnitentes probarant, aut ad expeditionem contra infideles, nonnihil detraxisse ex pœnis quas lapsis Canones imponunt. Atqui illa ratio nulla est, illæ nimirum pœnæ non injungebantur ad exhibendam Deo satisfactionem, ad expiationem pœnæ temporalis quæ peccato quoad culpam dimisso debebatur, sed ad meram fidelium ædificationem, ut scilicet piis operibus lapsi iis essent exemplo quibus antea per suum peccatum scandalo fuerant. Ergo indulgentiæ quæ tunc concedebantur, eædem non erant quæ passim nunc in Ecclesia Romana conceduntur.

Resp. ad primum neg. minorem propositionem argumenti. Quam vero falsa sit ea propositio fuse cum ex Scriptura tum ex Traditione demonstravimus agentes de Satisfactione. — Resp. ad secundum suo loco a nobis multis argumentis probatum fuisse pœnas quibus Canones post baptismum lapsos castigant, pro peccatis etiam occultis injunctas fuisse; proindeque Patres in iis imponendis non sibi proposuere tantum externam Ecclesiæ ædificationem, sed ipsorum pœnitentium curam, ac peccatorum expiationem. Argumenta quibus nostra responsio nititur, hujusce operis paginis 541. 542. legere est.

Objicies 2. S. Cyprianus variis in locis indulgentiarum concessionem impugnat. 1. Asserit Ep. 11. peccatum sive quoad culpam, sive quoad pœnam consideratum pœnitentiæ tantum laboribus, ac proinde non indulgentiis, deleri posse. *Illic* (inquit) *sola est pœnitentia quæ satisfaciat. Dominus orandus est. Dominus nostra satisfactione placandus est. Dominus longa & continua satisfactione placandus*. Contendit secundo Sacerdotes qui pacem iis concedunt quin *justo tempore* Deo satisfecerint, agere *contra legem Domini, contra Evangelii legem, contra Evangelicam disciplinam, contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem*: textus legere est Epist. 10. 11 40. & lib. de lapsis. Contendit tertio velle consequi pacem absque legitima pœnitentia non aliud esse *quam provocasse iram*: definit necesse esse ut is qui sic eum ambit *indulgentiam amittat*. Contendit quarto, pacem quæ sine conveniente satisfactione conceditur bellum esse non pacem: *Novum genus cladis* (inquit tum Epist. 40. tum lib. de Lapsis) *non est pax illa, sed bellum. Persecutio est hæc alia, & alia tentatio.... Ut post culpam criminis tollatur & pœnitentia, ut comprimatur pectorum gemitus, statuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offensum longa & plena pœnitentia deprecetur*. Docet quinto tum Epist. 11. tum 40. tum lib. de lapsis, animarum esse deceptores qui prædicant pacem iis prodesse qui sub obtentu libellorum quos a Martyribus acceperint, dignos non egerint pœnitentiæ fructus: *Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere est: nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam. Se ad lapsorum perniciem vertenat.... Ut ægros a medela vulneris sui avocent, & intermissis precibus, quibus Dominus longa & continua satisfactione placandus est, ad exitiosam temeritatem mendacio captiosæ pacis invitent. Sub misericordiæ titulo in altum fallens & blanda pernicies: non quærunt veram de satisfactione medicinam. Pœnitentia de pectoribus excussa est &c.* Docet denique 6. carnifices esse non pastores, diabolos & lupos qui pacem iis largiuntur, qui pœnitentia nondum perfuncti ferint: *Ne* (inquit locis mox relatis) *qui ovium pastores esse debeat, lanii fiant. Ne perniciosis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis consensum facile commodetis; ne pro luce tenebras, pro die noctem, venenum pro remedio, mortem pro salute sumatis. Ne etiat vos eorum nec autoritas fallat. Vitate lupos... Vitate linguam diaboli; mentitur ut fallat; blanditur ut noceat; bona promittit ut malum tribuat; vitam pollicetur ut perimat*. Iis S. Cypriani textibus innumerisque aliis similibus constat Deum iis tantum qui pœnitentiæ laboribus perfuncti fuerint debitam peccato pœnam dimittere; Censuit igitur indulgentiis non deleri: ac proinde vanam esse potestatem quæ Ecclesiæ in eis concedendis adscribitur.

Resp. locis quæ objecta sunt, Cyprianum non damnare ipsasmet indulgentias, sed abusum qui in earum usum ac applicationem irrepserat. Contendebant lapsi quibus Martyres libellos concesserant pacem, seu reconciliationem sibi deberi, etiamsi nullis pœnitentiæ laboribus perfuncti fuissent, nec perfungi proponerent: *In provincia nostra* (inquit Sanctus Doctor Ep. 23. quæ est ad Clerum Romanum) *aliquot civitates in Præpositos impetus multitudinum factus est, & pacem quam semel cunctis a Martyribus, & Confessoribus datam clamitabant, confestim sibi repræsentari coegerunt, territis & subactis Præpositis suis qui ad resistendum minus virtute animi & robore fidei prævalebant*. Eorumdem lapsorum ausus temerarii iterum meminit Epist. 29. *Posteaquam ad vos litteras feci de quorumdam perspecta temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectant, litteras adhuc fecerunt, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant Paulum omnibus pacem dedisse, &c.* Nonnulli aut ignavi aut indocti Sacerdotes ejusmodi lapsis assentiebantur, seu, sub obtentu libello-

rum

rum quos lapsi extorserant a Martyribus, eximebant eos a subeunda conveniente satisfactione, eisque Eucharistiam largiebantur: *Audio tamen* (ait Cyprianus Epist. 12. *quosdam de Presbyteris Evangelii memores nec quid ad nos scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & cathedræ servantes, jam cum lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire*. Locis, quæ in adversariorum argumento objecta sunt, S. Cyprianus comprimit ejusmodi lapsorum temerarios ausus, arguitque Sacerdotes, qui illis impendebant absolutionem: Et quidem merito, nec enim (ut ipsemet Cyprianus docet, nosque ex ipso ostendemus inferius) indulgentiæ iis prosunt qui convenientem gravitati criminum satisfationem subire detrectant.

Quod vero S. Marty indulgentias, modo ad Evangelii normam applicentur, non damnarit, imo pluris fecerit, invictissime colligitur 1. ex eo quod eum (ut ferebant Ecclesiasticæ leges) pacem etiam in exitu vitæ negaret lapsis qui sani pœnitentiam non petiissent, eam tamen in eadem periodo iis concederet qui muniti essent Martyrum libellis: *Qui* (inquit) *libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint... cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur. Cæteri vero qui nullo libello a Martyribus accepto invidiam faciunt, expectent ante Domini protectionem Ecclesiæ ipsius publicam pacem.* — Colligitur 2. ex eo quod idem Cyprianus indulgentias concesserit, seu, a Canonica satisfactione lapsos exemerit, qui postea propter fidem iterum comprehensi, aut exilium aut diutinum carcerem, aut bonorum jacturam passi fuissent: *Recte autem sensisti* (inquit ad Calydonium scribens) *circa impertitam fratribus nostris pacem, quam sibi ipsi vera pœnitentia & dominicæ confessionis gloria reddiderunt, sermonibus suis justificati, quibus se antea damnaverant. Cum ergo abluerint omne delictum, & maculam primam assistente sibi Domino posteriore virtute deleverint, jacere ultra sub diabolo quasi prostrati non debent qui extorres facti & bonis suis omnibus spoliati, erexerunt se & cum Christo stare cœperunt.* Imo S. Martyri visum est prioris confessionis intuitu nonnihil e Canonica pœnitentia detrahendum esse, eorum respectu qui postea iterum tenti & dirissime exeruciati, infirmitate magis quam voluntate ceciderant. *Scripsistis* (ait) *Fratres Charissimi, quod cum in Capsense civitate propter ordinationem Episcopi essetis, pertulerit ad vos nuper fratres & Collega noster Ninum, Clementianum, Florum fratres nostros, qui in persecutione apprehensi prius fuerant, & nomen Domini confessi violentiam magistratus & populi frementis impetum vicerant, postmodum tum apud Proconsulem pœnis gravibus excruciarentur, vi tormentorum subactos esse, & de gradu gloriæ, ad quam plena fidei virtute tendebant, diuturnis cruciatibus excidisse, nec tamen post hunc gravem lapsum non voluntate, sed necessitate susceptum, a pœnitentia agenda per hoc triennium destitisse, de quibus consulendum putastis, an eos ad communicationem jam fas esset admittere. Et quidem quantum ad mei animi sententiam pertinet, puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos constet stetisse in acie, nomen Domini confessos esse, violentiam magistratuum & populi furentis incursum immobilis fidei obstinatione vicisse, passos esse carcerem diu, inter minas Proconsulis, & fremitum populi circumstantis, tormentis lanientibus ac longa iteratione cruciantibus repugnasse, ut quod in novissima infirmitate carnis subactum videtur, meritorum præcedentium defensione relevetur.* — Colligitur denique 3. Cyprianum non rejecisse omnes omnino indulgentias sed eas tantum quæ aut temerario petitæ aut incaute concessæ fuissent, Colligitur (inquam) ex eo quod ipse indulgendum censuerit, iis qui ubi convenientem satisfactionem magna ex parte obiissent, proferrent Martyrum libellos quibus nominatim & expresse designarentur: *Ideo* (inquit Epist. 11. alloquens Martyres & Confessores) *ut eos quos ipsi videtis & nostis, quorum pœnitentiam satisfactionis proximam* *Juznin de Sacram.* *conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis.*

QUÆSTIO SECUNDA.

De Essentia Indulgentiarum.

Conclusio. Indulgentia recto definitur absolutio, sed conjuncta cum solutione, a pœna injuncta vel injungenda.

Verum omnibus Theologis non probatur ea conclusio. Nempe 1. nonnulli asserunt indulgentiam non esse absolutionem, sed meram applicationem Ecclesiæ thesauri quem ex Christi & Sanctorum meritis superabundantibus constare contendunt. 2. Docent alii deficere definitionem, quod remissionis culpæ non meminerit; ad quam tamen cum Morino nostro volunt extendi indulgentiarum vim & virtutem. 3. Tandem aliis placet indulgentias eam tantum pœnam remittere quæ a confessore actu injuncta fuerit, non autem eam, quæ ex præscripto canonum injungenda foret. Operæ pretium igitur est ut tribus subsequentibus capitibus nostræ conclusionis veritatem asseramus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Indulgentia sit vera absolutio.

Conclusio prima. Indulgentia est vera absolotio. Probatur 1. ex eo quod is quid indulgentiam confert, vere absolvat: utitur scilicet clavibus, non quidem ad ligandum, ut patet, ergo ad absolvendum. 2. ipsa *Indulgentiæ* vox significat relaxationem, remissionem. At relaxatio, remissio idem sunt cum absolutione. 3. Verbum *Donandi*, quo Paulus 2. ad Corinth. 2. eo sensu utitur quo Theologi indulgentiam sumunt, proprie non aliud significat quam remissionem: Eam pariter designat formula quæ passim in indulgentiarum concessione adhibetur: *Misericorditer indulgemus*. 4. Tandem, si indulgentiæ collatio non esset vera absolutio, nullam in conferente jurisdictionem requireret: ac proinde (ut ratiocinatur Estius) nihil obstaret quin Episcopus iis etiam fidelibus qui sibi subditi non essent, indulgentias conferrent, quod tamen repugnat Alexandri Papæ III. decreto, Cap. *Quod autem* de pœnit. & remiss. ubi laudatus Pontifex asserit *quod cum a non suo judice ligari nullus valeat, vel absolvi, indulgentiæ solis illis prosunt, quibus proprii judices eas indulserunt.*

Objicies varia argumenta quibus nonnulli Scholastici probare contendunt indulgentiam non esse absolutionem. 1. Absolutio a pœna potest dari homini etiam invito, ut in humanis judiciis videre est: Atque idem dici non potest de indulgentia: neque enim quisquam invitus potest eam lucrari. — Indulgentiæ passim conceduntur a ministris, quibus pœnitentes sua peccata minime confessi sunt: Ergo non absolutio, quæ verum est judicium, cum causæ cognitionem præsupponat. — 3. Sanctus Thomas hic ad 2. innuere videtur indulgentiam non esse absolutionem, sic enim loquitur: *Iste qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito pœna.*

Resp. ad 1. absolutionem quæ nullam ex parte subjecti prærequirit dispositionem, invito quidem dari posse; non autem eam quæ nonnullas præsupponit, ut revera indulgentiæ supponunt; quænam vero sint eæ dispositiones, suo loco inferius dicetur. — Resp. ad 2. judicium quod in communi fertur, non requirere cognitionem singularum personarum communitatis, secus vero si in particulari feratur & quidem inter patres quæ litigent inter se prioris generis non

autem posterioris, est judicium quod secundum hodiernam praxim in indulgentiarum concessione reperitur. Prætetea conditionatum est idem judicium, ex parte nimirum subjecti: seu remittitur pœna si quæ debeatur, aut si opus injunctum, aut charitas pœnitentis requisitam cum ea pœna proportionem habent: unde non est necesse ut impii peccatum ei sit cognitum qui indulgentias elargitur. — Resp. ad 3. S. Thomam velle indulgentiam non sic esse absolutionem ut solutionem non includat, nam (ut ipse S. Doctor ait) qui concedit indulgentiam: *Solvit pœnam quam alter debuit, de bonis Ecclesiæ communibus.*

Conclusio 2. Indulgentia non sic est absolutio, quin etiam sit vera solutio.

Probatur. Is, cui conceditur indulgentia, non solvit quidem, cum ei relaxetur satisfactio quam alioquin subire teneretur, solvit tamen Christus ipse; nempe Prælatus per potestatem divinitus acceptam, ei applicat satisfactionem a Christo exhibitam in cruce, ut hisce verbis hic ad tertium S. Thomas innuit: *Faciens indulgentias solvit pœnam de bonis Ecclesiæ communibus.*

Caput Secundum.

Utrum Indulgentia peccati culpam remittat?

Conclusio indulgentia non remittit colpam peccati.

Probatur. Peccati culpa non remittitur nisi per pœnitentiæ Sacramentum, cum doceat fides ipsum post baptisma lapsis esse ad justificationem necessarium necessitate medii. Atqui indulgentia non est ipsum Sacramentum pœnitentiæ. Ergo absolutio quam includit in suo conceptu, non est culpæ remissio, sed pœnæ tantum, & quidem temporalis, quæ post dimissam culpam alioquin solvi deberet.

Objicies cum Morino nostro, lib. 10. de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, cap. 21. Quæ de indulgentiis extant tum Pontificum decreta, tum antiquorum auctorum testimonia indulgentiarum virtutem non tantum ad peccati pœnam, sed ad culpam extendunt. — 1. Hæc sunt verba Urbani Papæ II. indulgentias pro expeditione Hierosolymitana concedentis: *Monemus igitur & exhortamur in Domino, & in remissionem peccatorum injungimus.* Non multo post hæc subdit de iis qui peregrinationem susceperint: *Si in vera pœnitentia decesserant; & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros.* Ea verba: *in remissionem peccatorum*, conjuncta cum istis aliis; *Et fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros*, vix de solius pœnæ remissione possunt intelligi. — 2. Gelasius Papa II. hæc habet scribens ad exercitum Christianorum qui Cæsaraugustanam civitatem obsidebant: *Si quis vestrum accepta de peccatis suis pœnitentia in expeditione hic mortuus fuerit, nos eum Sanctorum meritis, & totius Catholicæ Ecclesiæ precibus a suorum vinculis peccatorum absolvimus.* — 3. Indulgentiæ funguntur vice pœnitentiæ canonicæ quam reus subire alioquin teneretur: *Iter illud* (verba sunt canonis 2. Concilii Claromontani sub Urbano Papa II.) *pro omni pœnitentia ei reputetur.* Atqui pœnæ canonicæ, cum olim ante absolutionem Sacramentalem peragerentur, nonnihil conferebant ad culpæ remissionem: Ergo ad eam pariter conferunt, quæ nunc conceduntur indulgentiæ.

Resp. ad 1. Urbanum Papam II. eo sensu asserere eos qui expeditionem Hierosolymitanam susceperint, *Habituros fructum æternæ mercedis*, quod injuncto operi, seu, expeditioni, conjuncturi sint confessionem sacramentalem quam subsecutura sit absolutio, quæ peccatorum culpam remittat. — Resp. ad 2. hæc Gelasii verba: *A suorum vinculis peccatorum absolvimus* intelligi de vinculis pœnæ non autem culpæ: nec mirum cum per impositionem pœnitentiæ reus vere ligetur, ligatusque censeatur donec injunctum opus executus fuerit. Nam (ut suo loco diximus) Patres Trident. hanc Christi sententiam, *Quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in cœlis*, *de impositione satisfactionis interpretari sunt.* — Resp. ad 3. indulgentiam ipsam non tenere locum pœnitentiæ canonicæ, illum nempe locum tenet opus præscriptum in quod pœnitentia canonica mutatur. Illud autem opus ex Ecclesiæ, Christo sic disponente, indulgentia eamdem virtutem habet in culpam quam habet ipsa pœnitentia Canonica cum absolutionem præcedit: quemadmodum igitur pœnitentia Canonica quam reus ante absolutionem subierit, non solum pœnam expungit, sed præterea disponit ad culpæ remissionem, quod nempe contritionis donum impetret, sic idem præstat opus ab eo qui indulgentias concedit præscriptum, ubi ante absolutionem a pœnitente qui liber sit ab affecto peccandi, peractum fuerit.

Nec est quod quis reponat Cypriani tempore nullum omnino opus satisfactorium iis injunctum fuisse quibus indulgentiæ concederentur: ac proinde ipsasmet indulgentias fuisse totius pœnitentiæ alioquin peragendæ loco: nam id falsum est. Et sane vel indulgentiæ concedebantur infirmis in vitæ periculo constitutis, vel hominibus qui valetudine fruerentur: Si primum, constat ex ipso Cypriano nonnulla eis tunc injuncta fuisse opera; quibus reddita postea sanitate, perfungerentur: *Qui libellum* (inquit S. Doctor) *a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis petunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis a vobis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur;* Quibus quidem verbis patet in eos homines propter Martyrum libellos per indulgentiam Ecclesiæ, quatuor facta fuisse. Ad exomologesim, sive peccati confessionem admittebantur. Deinde manus illis in pœnitentiam imponebatur, hoc est explicabatur quanta pœnitentia deberent perfungi, si recuperarent valetudinem. Eum ritum comitabantur preces & benedictiones quæ in pœnitentiæ impositione fieri solebant. Postea impendebatur sacramentalis absolutio, quam ad pacis complementum Eucharistica communio nulla interposita mora subsequebatur. Si e contra sani essent ii, quibus Martyres concedebant indulgentias requirebant Episcopi ut magna ex parte pœnitentiam Canonicam explevissent, antequam postulatum a Martyribus beneficium illis applicarent: *Quorum* (ait Cyprianus) *pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis.* Expleta vero ea pœnitentiæ pars in peccati culpam & pœnam indulgentia operabatur, quod tota præstitisset pœnitentia, si actu peracta fuisset.

Caput Tertium.

Utrum Indulgentia remittat pœnam tum injunctam tum injungtadam?

Conclusio. Indulgentia est remissio pœnæ tum injunctæ, tum injungendæ.

Probatur prior conclusionis pars. 1. Nullis aliis quam pœnitentibus antiqua Concilia indulgentias concessere. Atqui olim ii tantum pœnitentes dicebantur, quibus Ecclesia per suos ministros manum in pœnitentiam imposuerat, seu quibus si sani essent pœnas, ante absolutionem, aut si essent in periculo constituti, post absolutionem subeundas determinarat. — Secundo, iisimet canonibus quibus vetera Concilia indulgentias concedunt expresse designantur satisfactiones quibus reus mulctari debeat, & a quibus eximi possit si Episcopus indulgentiæ dignum judicarit: *Quotquot autem ascenderunt templa cum veste lugubri, & recumbentes inter alios manducaverant* (verba sunt quinti Canonis Ancyrani, ex interpretatione Isidori Mercatoris,) *flentes si compleverint pœnitentiam triennii temporis, sine oblatione suscipiantur ad communionem, idest, ut ipsi oblationem non offerant. Si autem perducti ad templa, non manducaverunt, biennio maneant*

in

in pœnitentia. Tertio vero anno communicent, sed sine oblatione, ut dictum est. In quarto autem anno perfectionem suam recipiant. Episcopum autem hanc habere licentiam oportet, ut perspecta singulorum conversatione, normam, regulamque conversationis attribuat; idest, aut humanius agens, secundum vitæ modum, tempus alicui pœnitentiæ breviet, aut etiam prolixius, quod correctioni necessariam viderit: addat. — Tertio Concilium Lateranense IV. sub Innocentio Papa, ubi agit de indulgentiis expresse meminit pœnitentiarum, quæ injunctæ fuerint: *Quadraginta dies* (inquit can. 62.) *de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat.* Tandem in Apostolicis Bullis, quibus indulgentiæ aut quondam promulgatæ sunt, aut etiam his temporibus promulgantur (ut Estius advertit) hæc verba leguntur: *Qui hæc vel illa fecerint, tot dies de injuncta ipsi pœnitentia relaxamus.*

Probatur altera pars conclusionis, seu, indulgentiam non remittere solum pœnam injunctam, sed etiam eam, quæ ex præscripto Canonum esset injungenda. 1. Indulgentia remittit pœnam temporalem peccato debitam. Atqui pœna peccato debita non est ea tantum, quæ infirma hac ætate solet injungi; nec enim minor est hoc tempore peccati gravitas, quam fuerit olim, ubi duris ac diuturnis laboribus castigabatur, sed est ea, quæ ex Canonum præscripto injungi deberet. 3. Si indulgentiæ solum injunctas pœnitentias remitterent, vix esset aliquis indulgentiis locus hoc sæculo, quo habita ratione veteris usus, leves admodum satisfactiones imponuntur, ex quibus si quidpiam detrahatur, Ecclesiæ disciplina omnino enervabitur, inutileque reddetur divinum hoc Christi mandatum, quod cuique reo impositum est: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, corruetque illud Concilii Tridentini, quo pœnitentiæ ministri sub gravis peccati periculo convenientes gravitati criminum satisfactiones injungere jubentur.

Objicies 1. In hodierna formula indulgentiarum nulla fit mentio pœnitentiæ injungendæ, sed ejus tantum quæ injuncta fuerit; *De injunctis pœnitentiis*, inquit canon 62 Concilii IV. Lateranensis. Ergo pœnitentiæ injungendæ minime per indulgentias dimittuntur.

Respondet Estius determinatas Canonibus pœnitentias haberi debere pro injunctis, hinc fit ut ob eam causam vetus formula: *De pœnitentiis injunctis*, in hodiernis Pontificum diplomatis servetur. — Respondet Silvius eamdem formulam: *De pœnitentiis injunctis*, aliquando exprimi in hodiernis Pontificum bullis, aliquando vero non exprimi, ut patet ex Extravagantibus, *Antiquorum*, & *Unigenitus*: ac proinde (inquit) consueta indulgentiarum forma non debet intelligi solum de injunctis, sed etiam de iis, quæ ad canonum normam injungi deberent. Præterea (addit idem auctor) illa additio; *De injunctis* non est restrictiva, sed ampliativa; ita ut sensus sit remitti quidem pœnas injunctas, sed a fortiori & injungendas, cum istud sit illo facilius: sic cum Episcopus alicui facit facultatem absolvendi sacramentaliter a casibus reservatis a fortiori potestatem absolvendi a non reservatis concessisse intelligitur.

Objicies 2. Sola debita per indulgentias remittuntur. Atqui nulla pœna debetur nisi a Sacerdote injuncta fuerit. Ergo eam tantum, non autem injungendam indulgentiæ remittunt. Præterea nescit Ecclesia qua hujus sæculi pœna redimi possit ea omnis, quæ peccato quoad culpam remisso in altera vita debetur?

Resp. falsam esse minorem propositionem: pœna nimirum, quæ peccatorum gravitati sit conveniens, jure divino debetur sive Sacerdos eam injungat, sive non injungat, ut de proprietatibus satisfactionis agentes suo loco fuse demonstravimus. Ad confirmationem dicendum est, ad totius pœnæ remissionem non requiri, ut Ecclesia sciat, quanta futura sit hujusmodi pœna in altero sæculo: Siquidem cuique notum est judicem posse reum absolvere a tota pœna, quam pro certo aliquo scelere leges definierint, quamvis judicem ejusmodi pœnæ species latuerit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Ministro indulgentiarum.

Minister Indulgentiarum duplex est, Ordinarius nempe, seu, qui ex officio indulgentias largitur; & extraordinarius, qui tantum ex commissione & delegatione.

Caput Primum.

De ordinario indulgentiarum Ministro.

Durando, cui Maldonatus subscripsit, visum est, quemque Presbyterum approbatum ad audiendas confessiones, posse indulgentias concedere. Nititur Durandus hac ratione, quod (inquit) ad beneficii de quo agitur, confessionem satis sit jurisdictio in foro interiori: Maldonatus vero, quod qui confessionem excipit, melius norit internas penitentis dispositiones, ad quas (inquit) Concilia indulgentias exigunt, quam Episcopus & alii, qui externam tantum jurisdictionem plerumque exercent.

Conclusio. Soli Episcopi sunt ordinarii indulgentiarum ministri.

Probatur 1. authoritate Scripturæ. Potestas absolvendi a peccatis his Christi verbis Joannis 20. nititur: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: Potestas vero indulgentias concedendi nititur illis præsertim, apud Matthæum 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* At hæc postrema verba, cum externum important Ecclesiæ regimen, Apostolis, proindeque solis legitimis eorum in Episcopatu successoribus dicta esse Patres interpretati sunt.

Probatur 2. authoritate Traditionis. Id juris de quo est quæstio, olim sumpserant sibi nonnulli Sacerdotes, qui ad libellos Martyrum pace lapsos donabant. Sed Cyprianus temerarium illorum ausum tamquam Evangelio & concessæ divinitus Episcopi authoritati contrarium his verbis compressit: *Quod enim non periculum metuere debemus de offensa Domini, cum aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quod numquam omnino sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptu præpositi totum sibi vindicant?* Verba illa: *Quod numquam omnino sub antecessoribus factum est*, demonstrant solis Episcopis ordinarium jus concedendi indulgentias, ab ipso Ecclesiæ exordio adscriptum fuisse — Cypriano Concilia adhæserunt, quippe quod solis Episcopis tribuerint potestatem lapsis pœnitentiæ labores remittendi: *Episcopum* (inquit Ancyrana Synodus can. 5.) ubi agit de indulgentiis) *hanc habere licentiam oportet*, sic quoque Nicænum primum Concilium can. 12. loquitur: *Postmodum licebit Episcopo de his aliquid humanius decernere.* Idem docetur in Concilio Lateranensi IV. can. 60.

Probatur 3. ratione Theologica. Conferre indulgentias (inquit Sanctus Thomas in 4 Sent. distinct. 20. quæst. 1. art. 4.) est communem Ecclesiæ thesaurum dispensare. Atqui dispensatio bonorum, quæ sunt reipublicæ, ad Principes tantum & rectores spectat; Ecclesiæ autem Principes sunt soli Episcopi: *Ut Ecclesia* (inquit Cyprianus Epist. 27.) *super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur, cum hoc divina lege fundatum sit.*

Hinc patet 1. Parochis licet, ut suo loco dictum est, sint minores Ecclesiæ Prælati, non competere tamquam ordinariis ministris jus indulgentias concedendi: nihil enim possunt in communem Ecclesiæ thesaurum. Patet 2. discrimen, quod Parochos inter & Epi-

& Episcopos hoc in capite reperitur, juris esse divini; cum (inquit Estius) soli Episcopi Apostolis succedant tamquam Prælati & suarum Ecclesiarum rectores, qui proinde eo instanti, quo Episcopi creantur, jure divino fori exterioris jurisdictionem accipiunt tum ad indulgentiarum concessionem, tum ad ferendam excommunicationis sententiam, tum ad alia agenda, quæ ejusmodi jurisdictio complectitur. Patet 3. soli Pontifici Maximo plene ac perfecte competere potestatem de qua agitur: ipse nimirum solus visibile est totius Ecclesiæ caput, ac proinde solus per totam Ecclesiam, quam sibi a Christo subditam habet, potest indulgentias elargiri: Unde Alexander Papa III. consultus ab Archiepiscopo Cantuariensi num concessæ ab Episcopis indulgentiæ prosint fidelibus, qui eis minime subjecti sint, seu, alterius diœcesis, hisce verbis respondit: *Quod autem consuluisti, utrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint, quam iis qui remittentibus subsunt, hoc volumus tuam fraternitatem tenere; quod cum a non suo judice ligare nullus valeat vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint proprii judices specialiter indulserunt.*

Addendum est cum Estio, Episcoporum potestatem in indulgentiis conferendis etiam sibi subditis fidelibus, humano jure quoad modum differre ab ea quæ summis Pontificibus convenit; isti nimirum plenarias, seu quæ totam pœnam peccato debitam relaxent, indulgere possunt; Illi vero aliquam partem tantum, seu quæ juxta canones unius est anni in dedicatione nimirum alicujus Ecclesiæ, & quadraginta dierum in aliis festivitatibus, aut caussis: *Decernimus* (inquit Innocentius Papa III. in quarto Concilio Lateranensi can. 62.) *ut cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet caussis aliquoties conceduntur.*

Res aliter se habebat antiquitus: nullæ enim erant indulgentiæ, quas Episcopi non possent suis Diœcesanis concedere: poterant nimirum, ubi expedire judicabant, id omne ex pœnitentia dimittere, quod a pœnitentibus persolvendum superarat. Nondum iis temporibus adhuc usus invaluerat recurrendi ad solum Summum Pontificem, ut quis plenarias indulgentias obtineret. In Concilio Lateranensi IV. quod anno 1215. habitum est, detractum est nonnihil ab ea potestate, quod ea plures Ecclesiæ Præsules in fidelium perniciem & Ecclesiasticæ disciplinæ enervationem abuterentur: *Quia* (inquit mox laudato canone Innocentius III.) *per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; Decernimus &c.*

Objicies contra priorem conclusionem 1. Cuique fideli videtur esse facta potestas concedendi indulgentias, tum quod Paulus 2. ad Corinth. 2. omnibus Corinthiis eas adscribat, quæ incestuoso datæ fuerant: *Ita ut e contrario* (inquit) *magis donetis*; Et rursus: *Cui autem aliquid donastis & ego*: tum quod quisque fidelis pro alio satisfacere possit, seu, illi suas afflictiones ad pœnæ temporalis remissionem applicare. Secundo. Quilibet Sacerdos in foro interiori ligat pœnitentem dum ei satisfactionem injungit. Ergo potest eumdem a satisfactione eximere, cum ejusdem sit solvere, cujus est ligare. Præterea nusquam Sacerdos imponit pœnitentiam quin indulgentiam largiatur, mutat enim pœnam in altero sæculo debitam in aliam, quæ in hac vita persolvatur.

Resp. ad primam Pauli verba intelligi de Corinthiis, qui aut simplices erant Presbyteri, aut, ut tunc moris erat, insigniti erant Episcopali charactere: si primum, per Apostoli commissionem incestuoso indulgentias concesserunt, si secundum, id ordinario jure poterant. Quod autem ad omnes promiscue fideles non spectaret Apostoli sententia, colligitur ex eo, quod eos alloquatur: qui primæ ad Corinth. 5. poterant incestuosum tradere Satanæ in interitum carnis, seu, ut exponunt Patres addicendi pœnitentiæ laboribus. At certum est eam facultatem non convenisse promiscuo fidelium cœtui, sed iis tantum, qui fidelibus præerant. Præterea quæ ministri per authoritatem sibi divinitus traditam operantur, aliquo sensu fidelibus etiam laicis tribui possunt, quatenus nempe voto præpositis suis consentiunt: eo sensu Augustinus lib. 3. de Baptismo contra Donatistas scribit per columbæ, hoc est, totius Ecclesiæ gemitum peccata dimitti: *Incipiunt* (inquit cap. 18.) *ad columbam pertinere, per cujus gemitum peccata solvuntur*. Ad id vero, quod additur quemque fidelem posse pro alio satisfacere, dicendum est id quidem fieri per modum suffragii, non autem per modum absolutionis: unde per applicationem illam de pœnitentia a Sacerdote injuncta nihil omnino detrahitur. — Resp. ad secundam conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia sæpius inferior ligat, quod solus superior potest solvere, quod nempe circumstantia, quæ pertinet ad publicum bonum, in solutione reperiatur, quæ tamen ubi quis ligatus est, non occurrit. Ad confirmationem vero dicendum est, quod cum futuri sæculi pœna commutatur in pœnam hoc in sæculo subeundam, etsi non servetur æqualitas, quoad acerbitatem, servatur tamen (ait Estius) in valore & æstimatione divina: ita ut fidelis Deo per injunctam sibi pœnitentiam vere satisfacere censeatur.

Caput Secundum.

De extraordinario indulgentiarum ministro.

Conclusio. Presbyteri, imo & Clerici simplices possunt esse ex commissione indulgentiarum ministri.

Probatur primo. Iis omnibus competere potest potestas concedendi indulgentias, quibus in exteriori foro jurisdictio convenire potest: exterioris nimirum est fori jurisdictio de qua agitur: unde electi in Episcopos ea fruuntur, antequam ordinati fuerint. Atqui non Presbyteris tantum, sed etiam simplicibus Clericis tribui potest jurisdictio in exteriori foro, ut in Summi Pontificis legatis nonnumquam videre est. 2. Innocentius Papa III. in Concilio IV. Lateranensi canon. 60. docet valere indulgentias, quas Abbates tribuerint, modo ad id se speciali concessione munitos ostendant: *Accedentibus ad nos* (inquit) *de diversis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis extendunt, de caussis matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum litteras & similia præsumendo... Præsenti decreto, firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere.... Nisi forte quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima caussa, super hujusmodi valeat se tueri.*

Quæres 1. an Papa vel Episcopus sibi ipsis indulgentias conferre possint.

Respondent nonnulli affirmative. Ratio est (inquiunt) quia licet nemo in se ipsum coactivam jurisdictionem exercere valeat; ac proinde nec se ipsum excommunicare, nec sacramentaliter absolvere; potest tamen aliam exercere, seu prout est pars reipublicæ, est sibi inferior; ac proinde potest fieri particeps beneficii, quod ipsemet prout est ipsa republica superior, eidem reipublicæ concesserit. Cajetanus concedit Prælatum, qui aliis indulgentiam largitur, eam sibi non acquirere, quod scilicet dum alios absolvit, se ipsum non absolvat. Quia tamen (inquit) non est deterioris conditionis quam alii, per aliam viam consequi potest indulgentiarum beneficium, committendo nimirum confessario ut ea ratione absol-

solvatur qua alios per indulgentiæ largitionem absolvit. Ea Cajetani sententia praxi nititur; nam (Estio teste) fertur de Summo Pontifice quod moriturus sibi ipsi plenariam indulgentiam non conferat, sed accipiat ab aliis quibus id juris commiserit. Confirmatur ex Martini Papæ V. ac aliorum Pontificum bullis, in quibus indulgentia nunc remissio, nunc absolutio dicitur. Remissio vero & absolutio necessario varias personas supponunt, alteram scilicet quæ beneficium illud impendat; alteram a qua recipiatur.

Quæres 2. num tam Ordinarii quam extraordinarii ministri indulgentias frequenter concedere debeant?

Resp. nihil noxium esse magis quam indiscretarum ac superfluarum indulgentiarum elargitio: *Ad hæc* (inquit Innocentius Papa III. in quarto Concilio Lateranensi canon. 62.) *quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus.*

Hinc ex profusa nimium largitione tamquam ex lapide Lydio Baronius ad annum 1177. colligi vult nonnullarum quæ a Pontificibus Romanis concessæ feruntur, indulgentiarum imposturam. Hinc etiam factum est ut iidem Summi Pontifices ante sæculum 14. multum in indulgentiis concedendis parci fuerint: nec enim universales concedere solebant nisi iis qui ad expeditionem contra Saracenos proficiscerentur. Hinc iterum factum est ut multas ante concessas iidem Pontifices Maximi abrogaverint, ut videre est in Sixto IV. qui quidem Extrav. communium lib. 5. titul. 9. cap. 5. has profert abrogationis causas quibus mox data ad quæsitum responsio mirum in modum confirmatur: *Id propensiori studio præcavendum esse censemus, ne cujusvis indulgentiæ, remissionis, vel facultatis obtentu, Christi fideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum. Cum itaque (sicut multorum fide dignorum testimonio accepimus) ob multitudinem facultatum per nos, vel auctoritate nostra concessarum, tam in verbo quam in scriptis &c. fideles præfati ad peccandum & ad alia illicita committendum nonnunquam procliviores existant in non parvum periculum salutis animarum suarum: Nos qui Deo propitio ejusdem gregis Dominici curam gerimus, & illum spiritualis thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem, ne exinde clavium auctoritas in contemptum, ipsique ad peccandum procliviores liberius prolabuntur &c. auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus &c.*

Periculum cui mox laudato decreto Sixtus IV. conatus est occurrere, præcavere voluit Tridentina Synodus Sess. 25. decreto de indulgentiis, ubi postquam legitimum earum usum probavit, sic loquitur: *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate, Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irrepserunt, emendatos & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurimus in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.* Baronius ad annum 847. hisce verbis laudat Clementem Papam VIII. quod abusus qui sua ætate in indulgentias irrepserant, emendare studuerit: *Ad quam laudabilem antiquam formam S. D. N. Clemens Papa VIII. non sine divino instinctu effusas nimis indulgentiarum concessiones restringere aggressus, est: fiunt enim potius remissiores vasta indulgentiarum laxitate fideles.*



QUÆSTIO QUARTA.

De Subjecto indulgentiarum.

Conclusio 1. Soli fideles sunt subjectum indulgentiarum, seu, indulgentiæ non aliis quam fidelibus conferri possunt.

Probatur. Ii tantum sunt subjectum indulgentiarum, quos Ecclesia potest per suos ministros absolvere: nempe indulgentiarum concessio nihil aliud est (ut superius fuit ostensum) quam absolutio. Atqui Ecclesia solos fideles potest absolvere, nec enim qui baptismo nondum sunt insigniti, subjacent illius jurisdictioni. Confirmatur ex eo quod (ut suo loco dictum est) Episcopi indulgentias non omnibus promiscue fidelibus, sed Diœcesanis tantum concedere valeant: *Remissiones prædictas* (inquit Innocentius Papa III. rescribens ad Archiepiscopum Cantuariensem) *prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint proprii judices specialiter indulserunt.*

Conclusio 2. Fideles defuncti, stricte loquendo, non sunt subjectum indulgentiarum.

Probatur. Defuncti militantis Ecclesiæ jurisdictioni non subjacent, dicente Bernardo Epist. 7. mortuos solum Deum habere judicem: unde hæc Christi verba: *Quæcumque solveritis super terram* &c. Patres interpretati sunt de judiciis quæ in homines viventes lata fuerint. Asseruerunt præterea homines post mortem subtrahi Sacerdotum judicio, ac justitiæ divinæ immediate reservari: *Si aliquis eorum* (ait Leo Magnus Epist. 91.) *pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo a munere præsentis indulgentiæ exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus a carne non poterit. Nec necesse est nobis eorum qui sic obierint, merita, actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale ministerium implere non potuit, suæ justitiæ reservavit.*

Conclusio 3. Licet defuncti proprie non sint subjectum indulgentiarum, eis tamen prosunt quæ pro ipsis concessæ fuerint.

Probatur 1. ex praxi Ecclesiæ quæ nonnumquam pro mortuis indulgentias elargitur, ut videre est in Constitutionibus Sixti Papæ IV. qui primus inter Pontifices Romanos eam indulgentiarum speciem expressius promulgasse videtur. 2. A Leone X. damnatus est Lutherus quod contenderet indulgentias inutiles esse: *Sex generibus hominum* (verba sunt articuli 17. inter eos qui a laudato Pontifice proscripti sunt) *Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles, videlicet mortuis &c.*

Conclusio 4. Indulgentiæ defunctis non prosunt per modum absolutionis, sed suffragii tantum.

Probatur 1. In forma indulgentiarum quæ pro defunctis conceduntur, nulla penitus fit mentio absolutionis, cum e contra recenseatur in forma indulgentiarum, quæ viventibus hominibus conceduntur. 2. Leo Papa X. (Estio teste) in Epistola Decretali quam misit ad Cajetanum, suum tunc in Germania legatum, duplicem distinguit modum indulgentias concedendi, per modum absolutionis nimirum, & per modum suffragii: ea vero disjunctiva expressione non obscure innuitur indulgentias quæ vivis per modum absolutionis prosunt, defunctis prodesse tantum per modum suffragii. 3. Nec obstat quod indulgentiarum pro defunctis dispensatio, ad clavium potestatem spectet: cum Pontifices asserant se illas Apostolica authoritate concedere. Nam ea loquendi ratio significat quidem indulgentiarum concessionem ad claves pertinere, quatenus est communis thesauri Ecclesiæ dispensatio, non vero secundum modum quo illæ defunctis prosunt.

Hinc

Hinc colligitur triplex discrimen reperiri inter indulgentias quæ vivis conceduntur, & inter eas quæ pro mortuis promulgantur. 1. Istæ prosunt tantum per modum suffragii illæ vero per modum absolutionis. 2. Indulgentiæ vivis prosunt ex justitia, defunctis vero ex mera gratia Dei misericorditer acceptantis oblatas pro ipsis tum Christi tum Sanctorum satisfactione. 3. Certum est indulgentias vivis hominibus prudenter concessas, stata ac infallibili lege eis prodesse quibus specialiter conceduntur; E contra non omnino certum est, sed tantum probabile concessas pro defunctis, in particulari iis prodesse pro quibus satisfactoria viventium opera, juridice præscripta, specialiter offeruntur: *Dixi probabile esse*, eo quod idem de indulgentiis judicium ferri debeat quod de precibus quæ pro mortuis fusæ fuerint: Atqui ejusmodi preces iis specialiter prodesse pro quibus offeruntur, credidit Augustinus lib. de cura pro mortuis: *Qui* (inquit agens de pio precantium pro defunctis affectu) *cum defunctis a fidelibus charissimis exhibeatur, eum prodesse non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt*. Meruerunt vero licet inæqualiter (eodem Augustino teste lib. de cura pro mortuis cap. 4.) quoquot in gratia sanctificante extremam diem clauserunt.

Quæres utrum singulis defunctis æqualiter prosint indulgentiæ, seu, opera satisfactoria virtute clavium injuncta quæ quis ad eorum relaxationem obtulerit?

Resp. negative. Nam 1. ita sensit Augustinus libro de cura pro mortuis, ubi (ut mox dictum est) asserit animas in altero sæculo juvari, prout in hac vita meruerunt: igitur defuncti qui id æqualiter non meruerunt, iis operibus æqualiter non juvantur. Ex eadem Augustini sententia hanc aliam conclusionem Estius colligit: *Ex quibus omnibus* (inquit) *satis intelligitur, non ita certo statuendam esse alicujus animæ, pro qua data sit indulgentia, e purgatorio liberationem, ut jam non amplius pro ea orandum sit, vel tollenda sint anniversaria, vel cætera quæ ad juvandum defunctos fieri solent, omittenda quia videlicet certo nobis constare non potest ea omnia subsistere & completa esse, quæ ad indulgentiæ hujusmodi effectum, eumque plenum, requiruntur*.

QUÆSTIO QUINTA.

De Indulgentiarum virtute.

CIrca indulgentiarum virtutem quæri potest 1. utrum indulgentiarum virtus se se ad futurum sæculum extendat. 2. An supponat communem aliquem Ecclesiæ thesaurum. 3. Unde illius quantitas desumi debeat. 4. Utrum a conveniente peccatis satisfactione lapsos eximat.

CAPUT PRIMUM.

Utrum virtus indulgentiarum se se ad sæculum futurum extendat.

QUibusdam visum est per indulgentias eam tantum pœnitentiam relaxari quæ in hac vita peccatori injungitur, non autem quæ in altero sæculo ab iis solvenda est qui plene in isto non satisfecerint. Alii quibus subscribimus contrarium docent.

Conclusio indulgentiarum virtus se se ad futurum sæculum extendit.

Probatur ex Scriptura. 1. Indulgentiarum virtus hac Christi sententia nititur: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: Significat vero Deum ratam habiturum in cœlis pœnæ remissionem quam Episcopi in terris concesserint. 2. Paulus asserit se indulgentiam concedere incestuoso Corinthio *in persona Christi*, seu, æque ratam fore in Dei judicio veniam illam, ac si Christus ipse qui Pontifex est futurorum bonorum, illam concessisset: *Et ut ratum ei cui donavit, ostenderet apud Deum* (verba sunt Commentarii qui Ambrosio tribuitur) *ait in persona Christi se donasse quod donavit: hoc est, accepto tulisse Christum, cujus legatione fungebatur, ut factum Apostoli sit factum Christi, sicut dixit: Quæcumque solveritis super terram &c.*

Probatur 2. authoritate Tertulliani. Is ubi ad Montanistas defecisset, Catholicis vertit crimini quod crederent ad alterum sæculum spectare indulgentias quas ad libellos Martyrum pœnitentibus concedebant: *An tu* (inquit lib de pudicitia perstringens Zephirinum Papam) *& in Martyres tuos effundis hanc potestatem . . . sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius . . . . Si propterea Christus in Martyre est, ut mœchos & fornicatores martyr absolvat, occulta cordis edicat, ut ita delicta concedat, & Christus est*. Ex vero Tertuliani verba supponunt 1. Ecclesiam Catholicam ejusdem Tertulliani ætate credidisse Martyrum cruciatibus non propria tantum, sed & aliena peccata purgari. 2. Eamdem Ecclesiam solutionem a Martyribus peractam ad cæteros fideles extendisse. 3. Purgationem illam, & solutionem, applicationem æque pro alienis ac pro propriis reatibus coram Deo valuisse. Idque potest confirmari ex eo quod Tertullianus solutionem a Martyribus exhibitam, & applicationem fidelibus factam per clavium potestatem comparet cum solutione a Christo parata quæ haud dubie coram Deo Patre locum habuit: *Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius*.

Probatur 3. authoritate Cypriani: *Qui libellum a Martyribus acceperunt* (inquit S. Doctor Epist. 14.) *& auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis a vobis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi permissa ad Dominum remittantur*. Atqui apud Dominum in delictis per Martyrum libellos adjuvari, nihil aliud est quam a Deo ipso obtinere remissionem pœnæ, quæ alioquin in hac vita tantum vi Ecclesiæ canonum, sed & in altera, Deo sic exigente, peccatis debetur. Confirmari potest argumentum ex eo quod pœnitentes, de quibus mox laudato loco Cyprianus loquitur, morti proximi essent, *Si* (inquit) *primi infirmitate aliqua & periculo cœperint*. At indulgentia, quæ pro hac tantum vita valeat, non indigent qui mox exhalaturi sunt animam; nec enim eo in casu pœnas canonicas subire possunt, ac præterea mors quæ supponitur imminere, ab illis canonicis pœnis reum absolute liberat. Igitur virtus indulgentiarum de quibus Cyprianus loquitur, ad alteram præsertim vitam se se extendebat.

Probatur 4. ex concilio Tridentino. Definiit sacra Synodus indulgentiarum usum esse fideli populo maxime salutarem; Unde anathemate damnavit Lutheranos qui eum inutilem esse contendebant. At si earum virtus ad alterum præsertim sæculum non spectaret, inutiles forent 1. infirmis constitutis in vitæ periculo, quibus tamen (ut mox observatum est) Cypriani tempore concedi solebant. 2. Hominibus sanis quibus ab eodem Cypriano concessæ fuerunt, noxiæ fuissent: ea nimirum pœnarum relaxatio impedisset ne lapsi acerbissimas alterius sæculi pœnas præscriptis in hac vita laboribus redemissent: proindeque tantum abest; ut Cyprianus laudare debuisset Martyres qui pro lapsis exorabant indulgentias, quin potius damnare debuisset, nullamque scriptorum a Martyribus libellorum rationem habere potuisset S. Episcopus, qui creditum sibi gregem summa charitate prosequebatur.

Nonnulla momenta quæ ad argumentum spectant, objectiones quæ in illud ab adversariis moventur, superius ubi de indulgentiarum existentia ac essentia dictum est, pertractata lector reperiet.

CA-

Caput Secundum.

An Indulgentiarum virtus communi aliquo Ecclesiæ thesauro nitatur.

INdulgentiam non esse meram absolutionam a pœna temporali dabita peccato, quoad culpam dimisso, sed etiam ejusdem pœnæ solutionem dictum ast hujusca dissertationis quæstione 2. Unda autam hauriatur pretium, quo pœna illa solvirur, hic est expendendum. Theologi docent esse in Ecclesia communam thesaurum, ex quo hauritur pretium de quo agitur. Eum vero thesaurum passim definiunt constara tum ex infinitis Christi maritis, tum ax iis, quæ Sancti pet ejusdam Christi gratiam compararunt. Franciscus Maytonis persuasus indulgentias esse maram absulutionem, non aurem remissionem cum solutiona conjunctam, eum thesaurum in 4. Sentent. distinct. 19. quæst. 2. rejicit, etiam qua parte Christi merita complectitur. Durandus in 4. distinct. 20. quæst. 3. licet illum admittat prout Christi meritis constare dicitur, negare tamen videtut prout assaritur complecti non quidam Sanctorum marita, sed eas, quas nonnulli vocant superabundantes eorum satisfactiones.

Conclusio 1. Fide certum est admitti dabere in Ecclasia thesaurum, qui constet ax meritis superabundantis satisfactionis, quam Christus Deo Patri pro hominibus exhibuit.

Probatur 1. Christus suis electis non solum meruit gratiam & gloriam, sed etiam pro iis vare ac propria dictam satisfactiouam exolvit: nam (Apostolo taste 1. ad Timoth. 2.) dedit redemptionem sametipsum pro omnibus, & (ut habetur ad Hebræos 9.) semel oblatus ast ad multorum exhaurienda peccata: unde ab Isaia tamquam hostia hominum peccatis onusta describitur: *Vere* (inquit cap. 3.) *laaguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Pretium vero, quod Christus in satisfactionem persolvit, nou aliud fuit, quam ipsamet Christus: ac proinde infinitum fuit illud pretium, uon tanrum ex parta Sacardotis offarentis, sed & ax parta sui. Exhauriri igitur non potest unde quantumcumque multis applicetur, ex eo samper superast, quod aliis ad simulam affectum applicari possit. Sed hujusmodi pretii dispeusatio penes est Ecclasiæ Prælatos cum ipsiusmet Christi vices in tarris agant. Ergo (ut fert nostra conclusio) fide certum ast admitti dabere in Ecclasia thesaurum, qui ax infinita Christi satisfactione constet.

Probatur 2. authoritate Clamentis Papæ VI. qui in Extravaganti quæ incipit, *Unigenitus*, asserit Christum superabundanti passione sua infinitum thesaurum Ecclesiæ militanti teliquissa: *Quem quidem thesaurum* (inquit) *non in sudario repositam, non in agro absconditam, sed per beatum Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus dispensandum, & propriis rationabilibus causis nunc pro totali, non pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccato debitæ, tam generaliter, quam specialiter prout cum Deo expedire cognoscereat, vere pœnitentibus & cunfessis misericorditer applicandum*. Illi vero Clementis constitutioni nulla orbis Ecclesia contradixit: cuique igitur persuasum fuit eam contineri doctrinam quam tunc singulæ orbis Ecclesiæ profitebantur. Hinc patet indulgautiam non asse mere gratuitam remissionam (ut Franciscus Mayronis contendit) sed ax parta Ecclesiæ, solutionem stricta sumptam, eum loco pœnæ quæ peccato debetur, Christi superabundautem satisfactionam sufficiat.

Conclusio 2. Thesaurus Ecclesiæ non constat solum ex infinita Christi satisfactione, sed atiam ex meritis, quæ Sancti dum viverant, compararunt.

Probatur 1. ex mox laudata Constitutiona, *Unigenitus*, ut sic Clemans VI. loquitur: *Ad cujus quidem thesauri cumulum beatæ Dei genitricis, & omnium electorum a primo justo, usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur.*

Probatur itarum ratione Theologica. 1. Hoc Symboli articulo, *Sanctorum communionem*, profitemur, fidalium merita, & passionas aliis, quod sint ejusdam corporis membra, applicari & prodasse posse. Hinc Apostolus Corinthios prædivites hortatur, ut eleemosynam liberaliter arogent in quosdam, sacundum sæculum quidam, pauperes, sed divites apud Deum, polliceturqua istorum abundantiam spiritualem fore spiritualis illorum inopiæ supplementum, seu, cum satis meriti ad Deo satisfaciendum uon habaant, aos pauperum meritis adjuvandos essa: *In præsenti tempore* (inquit 2. ad Corinth. 8.) *vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum*. Hic idem Apostolus ad Colossenses cap. 1. hæc scribit: *Qui nunc gaudio in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*. Ut quid autem diceret se in carna adimplere pro Ecclesia aa, quæ desunt passionum Christi, si labores, quos patiebatur, illi tantum & non aliis Ecclesiæ membris profuissant? — 2. Sanctorum merita, & passiones Deum muveut, ut infinitam Christi satisfactionem hominibus applicet, tanquam pratium quo pœna peccato debita redimatur: si anim Deus propter marita sanctorum exaudiat preces, quas pro nobis fuderinr, sicut impii, quod sit impius orationem rejicit, non ast dubium quin sanctorum merita Deum moveaut, ut per Christi sanguinem pœnam peccatis nostris debitam axpungat. — 3. Ea sanctorum merita, vare & proprie thesaurus appellantur, idqua juxta tritum in Scripturis loquendi morem: *Præcipe* (inquit Paulus 1. ad Timoth. 6.) *divitibus hujus sæculi divites fieri in operibus bonis, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum*. Is ille ast thesaurus cui comparando Christus voluit suos incumbere: *Thesaurizate autem vobis* (inqnit Matth. 6.) *thesauros in cœlis, ubi neque erugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiant, nec furantur*. Sed mathodi causa placer prolixum illud argumentum ad pauca cotrahare. Thesaurus Ecclasiæ ax iis constat, quæ Deum movera possunt, ut hominibus infinitam filii satisfactiouem ad peccatorum redemptionem applicet. Atqui sanctorum marita id præstant. Ergo ex iis constat Ecclesiæ thesaurus.

Solvuntur argumenta quibus adversarii probare contendunt indulgentiarum virtutem non supponere communem aliquem Ecclesiæ thesaurum.

Adversariorum contra Ecclesiæ thesaurum argumenta ad quatuor capita reducuntur. 1. Contendunt Christi merita non asse Thesaurum, quo indulgentiæ nituntur. 2. Injuriam fieri Christo per meritorum illius commistionem cum sanctorum meritis. 3. Licat sancti merira sibi comparavarint, ais tamen non niti indulgenrias. 4. Sanctorum merita eis tantum, nou autem cæteris fidalibus prodessa.

Objicias 1. Christi marita non sunt Indulgentiarum thesaurus. Nam 1. sententia, qua id asseritur, nullo nititut Scripturæ testimonio. — 2. Si per indulgentias merita Christi dispeusantur, satius arit luerari indulgentias quam per opera Deo satisfacere: quod tamen omnes Catholici nou admittunt: imo iis atiam, quibus indulgentiæ concessæ sunt, consulitur ut Deo per pœnitentiæ labores satisfacere conentur. — Aliæ absolutiones (ut patat in absolutione ab axcommunicatione) non sunt dispensatio thesauri maritorum Christi: Ergo neque absolutio, quæ per indulgentias impenditur.

Resp. ad 1. prolata fuisse superius Scripturæ loca, quibus aa sententia nititur. — Ad a. dicandum ast unum esse tantum indulgentiarum affectum, pœnæ nimirum temporalis remissionem, e contra multiplex ast effectus satisfactionis per opera: nam prætar expunctiouam pœnæ peccato debitæ, operatur augmentum charitatis, ac proinde afficit, ut pœnitens uberiori mercede in cœlis donandus sit. — Ad Confirmationem respondendum est pernecessarium esse illud con-

consilium, cum enim indulgentiæ non operentur nisi subjectum debite fuerit dispositum, nec aliquis propriam dispositionem certo cognoscere valeat, par est, ut a satisfactione per pœnitentiæ labores exhibenda non temperet. — Ad 3. respondet Cajetanus latum esse discrimen inter absolutionem de qua hic agitur, & inter absolutionem a censuris: Illa (inquit) tertiam Sacramenti Pœnitentiæ partem respicit, satisfactionem nimirum cujus defectum supplet: Christi autem merita in Sacramentis dispensantur; Ista vero, seu, absolutio a censuris, ad nullum omnino Sacramentum reducitur. Præterea (addit laudatur author) absolutio per indulgentias est a pœna cujus aut in hac, aut in alia vita, apud divinam justitiam reus debitor est, aliæ vero absolutiones, quæ extra Sacramentum impenduntur, sunt a pœnis quæ in hac tantum vita debentur. Hinc fit quo ad illarum remissionem satis sit Prælatorum potestas, cum e contra istæ præter legitimam in Prælatis potestatem, veram in subjecto pœnitentiam requirant: ac proinde mirum non est, quod in indulgentiarum concessione, non autem in aliis extra Sacramentum absolutionibus pretium sanguinis Christi dispensetur.

Objicies 2. Infertur Christo injuria si Sanctorum merita Ecclesiæ thesauro accensentur. Nam 1. Christi merita satis sunt, ut totius mundi peccata quoad culpam, & quoad pœnam remittant. Impie igitur tantæ virtuti adduntur sanctorum merita. — 2. Qui communem Ecclesiæ thesaurum ex Christi & Sanctorum meritis constituunt, Salvatoris sanguinem cum sanguine Martyrum permiscent: quod tamen non decere certissimum est. — 3. Patres ita Salvatoris sanguini, pecatorum remissionem adscribunt, ut eam ipsis etiam Martyribus abnegent. *Etsi* (inquit Augustinus tractatu 84. in Joannem) *fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternam peccatorum remissionem nullius sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis*. Idem Sanctus Doctor lib. 6. contra Julianum capite 8. asserit, *nullam impietatem relinqui impunitam, nisi quam sanguis mediatoris expiaverit*.

Resp. ad 1. concesso antec. neg. consequent. Nec enim ideo sanctorum passiones Salvatoris passioni adduntur, quod ad expungendam peccati pœnam satis non sit, sed quod ipsa Christi passio Sanctorum passionibus vim satisfaciendi ea ratione contulerit, qua ejusdem Christi merita sanctis communicarunt merendi virtutem. Igitur quemadmodum satisfactio, quam quis pro proprio peccato persolverit, nihil ex virtute satisfactionis Christi detrahit, quod vim satisfaciendi hauriat ab ipsa Christi satisfactione: ita nec exhibitæ ab electis satisfactiones, quas Ecclesia per indulgentias dispensat. Hinc sponte sua corruit argumentum, quod Tertullianus factus Montanista contra Catholicos olim intorquebat: *Quis* (inquiebat, Zephirinum sugillans, qui ad libellos Martyrum lapsos pace donabat) *alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius?* Fatebatur nimirum Tertullianus Martyres sua morte delere propria peccata absque injuria passionis Christi: *Sufficiant martyri propria delicta purgasse*. Igitur fateri quoque debebat martyrum morte absque ulla injuria passionis Christi aliena peccata purgari, cum eum non lateret Catholicos, quos impugnat, non minus ad efficaciam passionis Christi referre satisfactionem a Martyribus pro alienis peccatis exhibitam, quam eam, quæ pro proprio delicto ab eis oblata fuisset. Noverat Martyrum morti alienorum peccatorum respectu, ex Zephirini sententia convenire id, quod postea hisce verbis Concilium Tridentinum de satisfactione pro propriis peccatis a pœnitentibus exhibita contra Lutheranorum calumnias edixit Session. 14. capite 8. *Neque vero ita est nostra satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus; ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre*. — Ad 2. respondendum est falsum ab adversariis supponi, neque enim Christi satisfactio cum satisfactionibus Martyrum commiscetur, licet tum ex satisfactione a Christo exhibita tum ex satisfactionibus Sanctorum, Ecclesiæ thesaurus coalescat. Ratio est quia in eo thesauro Christi & Sanctorum merita eodem in ordine a Catholicis non collocantur; agnoscunt nempe Christum per se, Sanctos vero non nisi per Christum, meruisse, & dignum aliquod pretium pro redimenda pœna peccatis debita potuisse sufficere. Nec obstat, quod Clemens Papa VI. in Extravag. *Unigenitus* Christi sanguinem cum Martyrum sanguine conjugat: Ea nempe conjunctio sermonis est, non rei. Nec alienum est a Scriptura res maxime diversas in sermone conjungere, ut videre est tum Exodi 14. *Crediderunt Domino, & Moysi servo ejus*, tum in Epistol. ad Philemonem: *Audiens charitatem tuam & fidem quam habes in Domino Jesu: & in omnes sanctos*, tum denique 4. Regum 19. *Protegam urbem hanc & salvabo eam propter David servum meum*. — Ad 3. dicendum est eo sensu Patres negare peccata per Martyrum sanguinem deleri, quod cum sit finiti pretii mortis æternæ debitum non expungat: At non docuerunt eo, cum ex meritis Christi dignitatem hauserit, non exsolvi posse pœnam temporalem quæ peccato quoad culpam dimisso, debetur. Idque ex eo confirmatur, quod iidem Patres asseruerunt pœnitentes satisfactionibus suis cruciatus alioquin sibi debitos redimere, impetrare veniam, mereri coronam: *Qui sic Deo satisfecerit* (inquit Cyprianus ad calcem libri de Lapsis) *qui pœnitentia ...., nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam*.

Objicies 3. Exhibitæ a sanctis satisfactiones, seu, merita, quæ, dum viverent, compararunt, nihil ad indulgentias conferunt: Ergo ex eis non constat Ecclesiæ thesaurus, quo indulgentiæ utuntur. Probatur ant. si merita Sanctorum aliquid conferrent ad indulgentias, id fieret per modum pretii, quo pœna temporalis debita peccato redimatur. Atqui sic ad eas non conferunt: Ergo &c. Probatur minor. Ut merita sanctorum possent esse pretium, quo pœna temporalis peccato debita redimatur, oporteret ut æquale suis meritis præmium sancti non recepissent: neque enim, quod abunde remuneratum est, potest esse pretium quo aliud redimatur. Atqui sancti æquale suis meritis præmium consecuti sunt, imo & multo majus, nempe verum est hoc Theologorum axioma, quod *Deus supra condignum in cælis remuneret*, juxta illud Pauli: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. nonnulli negant majorem propositionem: contendunt nempe merita Sanctorum ad indulgentias conferre tantum per modum suffragii, seu, Deum movere, etiamsi supra condignum remunerata sint, ut in pœnæ temporalis peccato debitæ pretium applicet superabundantem filii passionem, qua ejusmodi pœna redimatur: Scilicet (inquit) divinam bonitatem maxime decet, ut eorum operum intuitu, quibus Sancti Deo se pergratos exhibuere, fidelibus adhuc in terra degentibus benefaciat; ut revera populo Israelitico propter Abrahamum, Moysen, & Davidem sæpius benefecisse legitur. Hinc illi Theologi concludunt Ecclesiæ thesaurum prout Sanctorum merita complectitur, non constare tantum ex operibus, quæ *Supererogationis* passim appellantur, sed etiam ex aliis omnibus, quibus Sancti Deo placuere.

Ad idem 2. Argumentum alii Scholastici respondent concedendo majorem propositionem, seu, fatentur Sanctorum merita concurrere ad indulgentias per modum pretii, quod pro pœna debita peccato quoad culpam dimisso persolvatur: hincque concludunt Indulgentiam etiam, qua parte applicat Sanctorum merita, non esse meram absolutionem, sed etiam solutionem stricte sumptam. — Principium quo nituntur probant ex eo, quod (inquiunt) ætate Tertullia-



tulliani, id persuasum esset Ecclesiæ : eam nempe persuasinnem Tertullianus ubi ad Montanistas defecisset, Ecclesiæ opponit in libro de Pudicitia , ubi sic Zephirinum Papam alloquitur: *An tu & in Martyres tuos effundis hanc potestatem? ... Sufficiat Martyri propria delicta purgasse ... Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius?* Tertullianus (ajunt) non exprobrabat Ecclesiæ quod crederet Martyres posse suis precibus veniam a Deo pro lapsis obtinere , sed quod iisdem lapsis Martyrum sanguinem per indulgentiarum concessionem applicaret per modum pretii quo lapsi satisfactionem alioquin subeundam redimerent. Illi rationi robur additur ex eo quod Tertulianus velit Martyres (ex Zephirini sententia) pœnam peccato debitam eodem modo expungere quo Christi sanguis expunxit: *Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei filius?* Atqui Christi sanguis per indulgentiarum concessionem lapsis applicatus, pœnam peccato quoad culpam dimisso debitam per modum pretii e. pungit. — Iidem Theologi probant iterum suum principium Origenis testimonio . Origenes (inquiunt) asserit Martyres oblatos fuisse tamquam hostias, quibus pœna, quæ alioquin peccatis nostris debebatur, expuncta fuerit: *Et quidem* (inquit hom. 10. in librum Numerorum) *quod Christus venerit ut tolleret peccatum mundi, & morte sua peccata nostra deleverit, nullus qui Christo credit , ignorat. Quomodo autem & filii ejus auferant peccata sanctorum, idest, Apostoli & Martyres, si poterimus, ex Scripturis divinis probare tentabimus. Audi primo Paulum dicentem; Libenter expendam & expendar pro animabus vestris. Et in alio loco: Ego enim jam immolor , inquit , & tempus resolutionis meæ instat . Pro iis ergo quibus scribebat, expendi se & immolari dicit Apostolus, hostia autem, cum immolatur, ad hoc immolatur , ut eorum pro quibus jugulatur , peccata purgentur, De Martyribus autem scribit Joannes Apostolus in Apocalypsi, quia animæ eorum , qui jugulati sunt propter nomen Domini Jesu , assistunt altari ,* &c. — Itaque Theologi quorum sententiam expendimus, concessa majore propositione argumenti quod objectum est, seu confessi Sanctorum merita per modum pretii stricte sumpti conferre ad indulgentiarum dispensationem , negant minorem ; ad cujus probationem dicunt quodlibet opus quo Sancti Deo placuere, supra condignum remuneratum fuisse prout est opus meritorium, seu procedens a charitate, unde sic consideratum, non est pretium quod per indulgentias dispensetur: at vero idem opus prout est satisfactorium , seu pœnale , totum suum effectum in pluribus Sanctis non habuit, seu non tantam pœnam temporalem expunxit, quantam ex se expungere debuisset , idque non propter defectum divinæ largitatis, sed propter excellentiam personæ satisfacientis, in qua aut non fuit alicujus pœnæ persolvendæ debitum , ut patet in virgine Deipara, quæ nusquam actu peccavit, aut si quod fuerit pœnæ debitum , tanta non erat ejusmodi pœna,ut tanta satisfactione purgari deberet, ut videre est in Martyribus, quibus nemo dixerit diros cruciatus, & mortem quam passi sunt, necessaria fuisse, ut pœnam suis peccatis jam quod culpam dimissis in altero sæculo debitam redimerent; verum ea Satisfactionum superabundantia, licet ipsismet a quibus peracta est, non profuerit, fidelibus tamen aliis quod sint membra ejusdem corporis mystici, prodesse potest: cum enim in acceptatione divina superstes sit , constituit Ecclesiæ thesaurum ; Ecclesia nempe jus habet per potestatem clavium, in membrorum suorum merita. Potest igitur eum thesaurum fidelibus in terra degentibus applicare per modum pretii stricte sumpti quo pœna temporalis peccato quoad culpam remissa debita persolvatur. — Hinc iidem Theologi concludunt falso tribui sibi quod doceant Ecclesiæ thesaurum , seu, prout Sanctorum merita complectitur, constare tantum ex operibus supererogationis , seu , quæ meri consilii fuerint, ut sunt vota quæ in approbatis religionibus emittuntur. Constat enim ille thesaurus (inquiunt) & ex piis omnibus operibus licet alioquin præceptis, quibus Sancti Deo placuerunt: in omnibus nimirum operibus præter rationem meriti, reperitur ratio satisfactionis, quæ cum sæpius in sanctis a quibus exhibita est, totum suum effectum (ut mox dictum est) sortita non fuerit, merito ab Ecclesia per indulgentias fidelibus applicatur tamquam pretium quod præ dignitate sua pœnam temporalem in altero sæculo debitam expungat.

Quæ hucusque prolata est solutio, hausta est ex Cajetano, unde operæ pretium est ut hic ipsa authoris verba describantur: *Ad cujus clariorem notitiam* (inquit in tractatu de Indulgentiis, quæst. 1. de thesauro indulgentiarum) *differentia inter meritum & satisfactionem prælibanda est. Meritum condigni (de hoc enim sermo est) appellatur opus ex quo operans dignus est æterna beatitudine, ita quod debetur sibi illa .... Satisfactio autem appellatur voluntaria solutio pœnæ, tunc enim debitor pœnæ satisfacit justitiæ, quando debitam pœnam exsolvit : aliquando enim solutionem debito , satis procul dubio facit. — Nec meritum & satisfactio adeo a se invicem elongantur, ut non coeant sæpe in unum idemque opus; nam de operibus ex charitate procedentibus loquendo , quantum habet opus bonitatis tantum habet meriti, & quantum habet mali pœnæ , tantum habet satisfactionis ... Est & alia differentia quoad efficaciam , seu fructum ; nam meritum non excedit personam quæ meretur solo Christo excepto ... Satisfacere autem unus potest pro alio ... Et ex hac differentia provenit quod sanctorum opera quatenus meritoria fuerunt , acceperunt mercedem suam in ipsis sanctis ... quatenus vero satisfactoria fuerunt, primum quidem solverunt debitam pro illorum peccatis pœnam; deinde si plus pœnalitatis habuerunt quam pœna ipsorum peccatis debita exigeret , remansit illud plus tamquam ipsis sanctis superfluum. Et hoc plus est illud , quod a quibusdam vocatur irremuneratum in ipsis sanctis, non propter defectum divinæ largitatis, aut operis , aut ipsius Sancti, sed propter excellentiam ipsius personæ qua superabundanter passa est voluntarie . Ex eo namque quod persona patiens non habet propria pœnarum debita pro peccatis, provenit quod satisfactiones superflue non possunt in ipsis remunerari , seu , rectius loquendo, non possunt in ipsa habere effectum solutionis. Et quoniam constat Sanctos multo plus passos quam ex peccatis suis deberent pati, consequens est ut multa satisfactoria remanserint superflua ipsis sanctis ... Superfluunt igitur multa satisfactoria Sanctis ultra ingens pelagus superfluentis satisfactionis Christi. Quocirca ex meritis Christi & Sanctorum quatenus satisfactoria , superfluis thesaurum indulgentiarum constitui intelligito , si non vis errare.*

Objicies 4. Licet certum sit Sanctorum satisfactiones fidelibus profuturas fuisse, si Sancti dum viverent, eas Deo in eum finem obtulissent; asseri non potest quod id contingat, si revera Sancti eas non obtulerint. Atqui reipsa non obtulerunt , tum quod de iis, quibus indulgentiæ conceduntur, nusquam cogitaverint; tum quod, si (ut Cajetano placet) satisfactiones Sanctorum tantum quatenus superabundant, pertineant ad indulgentiarum thesaurum, Sancti præ summa qua eminebant humilitate, nusquam suas satisfactiones suis delictis superabundare senserint : imo nullus est qui hanc cum David sententiam non usurparit: *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

Respond. 1. prodesse fidelibus Sanctorum merita, quamvis ea dum viverent, Deo Patri in eum finem non obtulerint: ut post obitum Ecclesiæ thesaurum augerent: satis est ut coram Deo, seu, in acceptatione divina, ac Ecclesiæ potestati tamquam commune bonum subjecta remaneant. Dici potest 2. Sanctis implicitam adfuisse intentionem exhibitas a se satisfactiones , aliaque pietatis opera conferendi in Ecclesiæ thesaurum: Congruum scilicet fuit charitati qua flagrabant, ut si quæ Deo digna ex gratia Christi operarentur, secundum divinæ providentiæ regulas , iis vellent publico Ecclesiæ bono consulere.

CAPUT TERTIUM.

Unde quantitas virtutis indulgentiarum desumatur?

SIcut virtus indulgentiarum sumitur ex applicatione communis Ecclesiæ thesauri, ita quantitas virtutis illarum petitur ex quantitate applicationis ejusdem Ecclesiæ thesauri: ita ut tanta sit virtus indulgentiarum quantum est id quod ex communi Ecclesiæ thesauro applicatur: Prout vero major est vel minor indulgentiæ virtus, eo major est vel minor pœna temporalisque per eam dimittitur.

Conclusio 1. Tantum de Ecclesiæ thesauro per indulgentias applicatur, quanta ex parte ministri est causa propter quam indulgentia conceditur, quanta ex parte operis est proportio cum pœna quæ remittitur, quanta est dispositio subjecti cui indulgentia conceditur: seu, ad quantitatem virtutis indulgentiarum hæc tria concurrunt, causa propter quam dantur, injuncti operis proportio cum quantitate pœnæ quæ remittitur, charitatis gradus quo præscriptum opus persolvitur.

Probatur prior conclusionis pars; seu: *Ex parte concedentis requiri proportionem causæ cum quantitate pœnæ cujus relaxatio indulgetur*. Nec Summus Pontifex, nec Episcopi sunt domini, sed dispensatores tantum communis Ecclesiæ thesauri: *Sic nos existimet homo* (inquit Paulus) *ut dispensatores mysteriorum Dei*. Sed irrita est dispensatio quæ absque rationabili causa facta fuerit; tunc enim non dispensatio, sed dissipatio est: cum hæc solum ab ea differat quod temere fiat, seu, absque legitima causa. Præterea pœna quæ justa ex causa a Domino exigitur, temere remitti non potest ab illius ministro. Atqui pœna quæ peccato quoad culpam dimisso debetur, justa ex causa a Domino exigitur: *Sane* (inquit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8.) *& divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel a peccati & dæmonis servitute liberati, scienter templum Dei violare, & spiritum sanctum contristare non formidaverint*. Confirmatur ex eo quod obligatio quæ jure aut naturali aut divino aliunde quam ex peccato contracta fuerit, absque legitima causa solvi non possit ab Ecclesiæ ministris, ut in votis & juramentis videre est, in quibus si quidquam temere tentatum fuerit, id coram Deo ratum non habetur: Ergo neque temeraria remissio pœnæ ad quam subeundam reus jure divino tenetur.

Iis momentis olim adductus Cyprianus libro de lapsis pacem, seu indulgentiam, temere datam pronunciat irritam ac vanam, definit reos esse ministros a quibus concessa fuerit: *Contra Evangelii vigorem* (inquit) *contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura*. S. Martyris effatum amplexi sunt Romani Pontifices; nempe, Innocentius Papa III. in Concilio IV. Lateranensi affirmat indiscretis, seu concessis absque legitima causa, indulgentiis pœnitentialem satisfactionem enervari. Id autem per quod pœnitentialis satisfactio a Deo præscripta enervatur, coram Deo ratum esse non potest. Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus* asserit Ecclesiæ thesaurum ea lege Petro ejusque successoribus creditum fuisse ut eum *pro piis rationabilibusque causis* dispensent: igitur ubi eam conditionem Prælati non servant, nullo in Ecclesiæ thesaurum jure potiuntur. Irritum esse quod hac in causa temere tentatum fuerit, supposuit Martinus Papa V. cum (ut habetur in fine Concilii Constantiensis) hæresis suspectum interrogari jubet non quidem simpliciter an Papa possit indulgentias concedere, sed cum hoc addito: Ex causa pia & justa: *Item utrum credat* (verba sunt laudati Pontificis) *quod Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis ex causa pia & justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum*.

Probatur altera conclusionis pars, nempe, *quantitatem virtutis indulgentiarum non solum sumi ex æquitate causæ propter quam ex parte ministri conceduntur, sed etiam ex operis, quod suscipienti injungitur, proportione cum pœna, quæ per indulgentias remittitur, ita ut quo major aut minor fuerit ea proportio, eo major vel minor pœna dimittatur*. Concilium Tridentinum præcipit ut quæ nunc conceduntur indulgentiæ, exigantur ad normam qua prioribus sæculis conferebantur: *In his tamen concedendis* (inquit) *moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit*. Atqui prioribus sæculis indulgentiæ non concedebantur nisi ea de qua agitur, proportione servata. Nam 1. Paulus indulgentia non donavit incestuosum Corinthium nisi ubi tantam pœnitentiæ acerbitatem passus fuisset, ut ex ea vitæ periculum timeretur: *Ne forte* (inquit Paulus) *abundantiori tristitia absorbeatur*. 2. Cyprianus monet Martyres ut iis tantum pacis libellos concedant qui maxima ex parte canonicam pœnitentiam subierint: *Ideo peto* (ait S. Martyr) *ut eos quos ipsi videtis, quos nostis quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruentes litteras dirigatis*. 3. Vetera Concilia censent Episcopum cum iis tantum humanius posse agere, qui perfuncti multa ex parte injunctis pœnitentiæ laboribus, suam conversionem operibus probaverint: *Quotquot enim* (verba sunt 12. Canonis primæ Nicenæ Synodi) *metu & lacrymis, atque patientia vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant; hi demum tempus Auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent: postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare*. — Præterea, is qui vult indulgentias promereri, debet accedere ad piam ipsam causam propter quam ex parte ministri conferuntur. Non potest autem accedere nisi per opus injunctum; igitur quo majorem vel minorem cum ea causa proportionem injunctum opus habuerit, major vel minor erit indulgentiarum effectus. Desumptum est illud argumentum ex S. Bonaventura qui in 4. dist. 20. quæst. ult. sic loquitur: *Ille qui dat indulgentias, cum eas tribuit, considerat causam pro qua reputat eum dignum tanta gratia; & secundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam causam, plus vel minus participant de illa causa*.

Probatur tertia conclusionis pars, seu, *quantitatem virtutis indulgentiarum sumi a charitatis gradu quo quis sibi præscriptum opus persolverit*. Paulus (ut superius observatum est) habita ratione summæ charitatis qua incestuosus impositos sibi pœnitentiæ labores subierat, plenaria eum indulgentia donavit. Eodem spectant quæ mox ex Nicæna prima Synodo relata sunt, ideo enim vult ut Episcopus cum quibusdam pœnitentibus humanius agat quod lacrymis, metu, bonis operibus intensiorem quam alii, charitatem probaverint. — Idem evincitur ex Extravag. *Antiquorum*, ubi sic Bonifacius Papa VIII. loquitur: *Unusquisque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit*.

Solvuntur argumenta quibus adversarii probant indulgentias totum suum effectum habere, quamvis concedantur absque tum causæ, tum operis injuncti proportione cum pœnis, quæ per eas remitti censentur.

Objicies 1. S. Thomas e diametro opponitur iis quæ in conclusione asserta sunt. Contendit nempe 1. indulgentiarum quantitatem ab una Ecclesiæ thesauri applicatione desumi, non autem ex causa, propter quam conceduntur, aut ex labore qui præscribitur, aut ex devotione ejus qui indulgentias suscipit: *Causa remissionis pœnæ in indulgentiis* (inquit in 4. dist. 20. quæst. 1. art 3.) *non est nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam: non autem causa remissionis effectiva est, vel devotio, aut labor, aut datum recipientis, aut causa pro qua fit indulgentia. Unde non oportet ad aliquid*

quid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant, & ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur Contendit 2. Ecclesiæ thesaurum applicari per quamcumque causam quæ in Ecclesiæ utilitatem vergat, modo sint auctoritas in conferente, & charitas in suscipiente: *Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi ejusmodi thesaurum, & unio ejus cui dispensatur ad eum qui merebatur, quod est per charitatem, & ratio dispensationis secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt: Fecerunt enim ad honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ in generali: Unde & quæcumque causa adsit quæ in utilitatem Ecclesiæ vergat, & honorem Dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi.* Hinc S. Doctor concludit indulgentias tantum valere quantum sonant: *Et ideo secundum alios dicendum quod indulgentiæ simpliciter tantum valent quantum prædicantur.* Deinde solvit argumentum desumptum ex eo, quod, si indulgentiæ tantum valeant quantum sonant, nec requiratur proportio tum causæ propter quam dantur, tum operis quod præscribitur, cum pœna quæ per eas remittitur, non satis justitiæ divinæ consuletur: *Nec in hoc nimis fit magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt, nec justitiæ divinæ derogatur, quia nihil de pœna dimittitur, sed unius pœna* (Christi nempe & Sanctorum) *alteri computatur.*

Resp. ad 1. cum distinctione: *Non oportet ad aliud horum proportionare quantitatem remissionis*, in sensu Altissiodorensis quem eo loco S. Thomas confutat, conced. ant. absolute loquendo, nego ant. Contendebat vero Altissiodorensis necessarium esse ut opus ab indulgentiarum ministro præscriptum, æquivalet ei quod per indulgentias remittitur: ita tamen ut æstimetur non modo in se, sed etiam ratione precum & suffragiorum Ecclesiæ: *Qui* (inquit lib. 4. Summæ, tractatu 6. cap. 9. de relaxationibus quæ fiunt per claves) *se se obligat ad orandum pro illo qui dat aliquid de suo ad fabricam talis Ecclesiæ, & Ecclesia per preces suas meretur ei remissionem pœnæ.* Non immerito S. Thomas eam Altissiodorensis de virtutis indulgentiarum quantitate sententiam rejicit: nam (ut recte arguit) indulgentia alioquin esset mera commutatio, non autem absolutio, seu, juridica laborum remissio. — Ad 2. dicendum est, S. Doctorem sumere causam piam pro conveniente & proportionata: *Nec tamen sequitur* (ait quæst. 71.) *quod Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas e purgatorio liberare, quia ad hoc ut indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens.* Cum autem eo loci ad dist. 20. Lectorem remittat, patet per causam *piam* (qua voce utitur in ea distinctione) eum idem intelligere quod per *convenientem*: at in dispensatione non est conveniens causa quæ cum debito quod relaxatur, proportionem non habet. Confirmatur ex eo quod in resp. ad quintum dicat requiri *causam legitimam.* Idem legere est art. 3. q. 2. ubi sic loquitur: *Potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa, quia potest facere quod vult, causa tamen existente legitime.* — Ad tertium respondendum est S Thomam effatum hoc *Indulgentiæ in quantum prædicantur*, non sumere absolute, sed conditionate, nempe si conditiones omnes complectantur, quas idem S. Doctor requisierat in verbis ex quibus infert conclusionem cujus argumentum meminit. — Ad quartum dicendum est quod licet admittatur proportio de qua agitur, semper verum erit quod argumento sibi objecto respondet S. Thomas, nempe *Christi & Sanctorum pœnas ei computari qui indulgentias promeretur*, neque enim, ut contra Altissiodorensem ostendit, tanta proportio requiritur quæ pœnæ per indulgentias dimissæ æquivaleat.

Instant nonnulli. S. Thomas, dist. de qua agitur, quæstiuncula 2. in resp. ad primam expresse asserit valere indiscretas & inordinatas indulgentias, eumque a quibus suscipiuntur, earum fructu minime frustrari: *Si quis inordinate per indulgentias pœnas remittat, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, conferens quidem peccat, nihilominus suscipiens, plenam indulgentiam consequitur.*

Respondet Dominicus Soto 1. nonnullos Thomistas eam quæ objicitur, sententiam finxisse Angelico Doctori: *Sunt enim* (inquit in 4. Sentent. dist. 21. quæst. 2. art. 2.) *qui arbitrantur hanc fuisse ejus opinionem ut causa aliqua requiratur nihilominus quæcumque etiam minima quibuscumque indulgentiis sufficiat.* Respondet 2. ideo plures ex discipulis S. Thomæ, diversa hac in parte sensisse, quod S. Doctor de argumento, de quo agitur, ambigue locutus sit: *Negari non potest quia D. Thomas ambigue fuerit locutus: nam prius dixit indulgentiam valere quantum sonat si sit auctoritas in conferente, & charitas suscipientis, & sine his duabus indulgentia non valeat, sentire visus est quod neque sine causa legitima valeat. Postea vero dixit alia citata verba, forsan magis vulgarem opinionem secutus, at quandoque solebat in quarta, quam propriam decernens, ut faciebat in summa. Nam profecto si de casu proxime recitato fuisset interrogatus, videlicet, an pro uno Pater noster, redimeretur anima a purgatorio, numquam id affirmasset.* Respondet 3. probare se interpretationem Adriani contendentis S. Doctorem non dixisse valere inordinatas & indiscretas indulgentias, sed tantum quæ indiscrete & inordinate, seu, nimium frequentes, etiam ex causa proportionata data sint: *quamvis glossa Adriani non est mala, scilicet, quod cum dixerit indulgentias indiscrete concessas esse validas, non intellexit indiscretas, id est, sine proportionabili causa collatas, cum inferius in solutione quinti dicat quod collatio indulgentiarum non valeat sine causa legitima: sed indiscrete, idest, nimium frequenter: nam etiamsi causæ occurrant, non debent esse frequentes, ne religio satisfaciendi pereat.* Silvius eam responsionem ex eo confirmat quod ipse S. Thomas mentem suam his verbis expresserit: *Ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur.* Addit mox laudatus author indulgentias quæ conceduntur sine proportione ad causam, effectum suum in iis sortiri, quorum respectu causa est proportionata: ac proinde (inquit) quod B. Thomas dicit *Nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur*, &c. intelligi quoque potest, si respectu ejus, causa sit proportionata, etiamsi non sit proportionata ut tanta indulgentia plebi promiscuæ concedatur.

Objicies secundo. Fert tritum Canonistarum axioma indulgentias tantum valere quantum sonant: nec immerito, nam alioquin indulgentiarum ministri amplissimam pœnæ remissionem promittentes, fidelibus illuderent, quod quidem Leo Papa X. adversus Lutheranos proscripsit. Sed nonnulla indulgentiarum diplomata leguntur, quibus peramplæ indulgentiæ conceduntur, sub onere operum maxime levium, ut sunt recitatio orationis Dominicæ, contactus, vel circumgestatio alicujus crucis quam Summus Pontifex quibusdam adhibitis precibus consecraverit. Ergo, ut indulgentiæ totum suum effectum consequantur, nulla requiritur operis injuncti proportio cum pœna quæ per indulgentias remitti prædicatur.

Respondeo primo. laudatum Canonistarum axioma; *Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant*, intelligi semper sub conditione, si nimirum conditiones tam ex parte dantis quam ex parte suscipientis necessariæ adfuerint. Confirmatur ex eo quod (ut superius dictum est) indulgentiæ his Christi verbis nitantur: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*: At ea verba sub conditione intelligenda sunt, nempe si debitæ dispositiones in subjecto reperiantur, seu, si clavis non erraverit. Nec inde sequitur quod indulgentiarum ministri fidelibus illudant; nam indulgentiæ plenariæ, positis ponendis, *per se* vim habent remittendi totam pœnam quæ per eas dimittenda promittitur: unde quemadmodum horum verborum sensus: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, sensus est: *Ego tibi absolutionis beneficium impendo quod positis ponendis per se vim habet dimittendi peccata.* Ita hæc vis est formæ indulgentiarum, ut significet beneficium conferri quod positis ponendis vim *ex se* habet pœnam peccato deposito relaxandi.

Respondeo secundo, indulgentias, in quibus evidens est disproportio aut causæ ex parte ministri, aut operis ex parte suscipientis, nusquam a Summis Pontificibus emanasse: *Quid ergo* (inquit Dominicus Soto) *de indulgentiis centum aut mille annorum. Dicendum quod hujusmodi portenta numquam Papa concedere cogitavit. Sed quia forsan concessit visitantibus tale hospitale decem annos, & visitantibus talem basilicam totidem, & si pluries, & tandem certam conferentes eleemosynam facit participes illarum gratiarum, illa ratione conficiuntur illa milliaria. Sed tamen nemo esse potest qui tanta satisfactione, nec centesima parte indigeat. Præterquam quod nullatenus negari potest quin indulgentiarum quæstores, cum sint homines non nimis ad religionem attendentes, deridenda nonnumquam prædicent, qui ideo essent publica authoritate cohibendi.*

Respondeo tertio, fidem quæ de indulgentiis Ecclesiæ debetur, esse de indulgentiis in genere, seu quod tantum valent in quantum sonant si legitima ex causa concessæ fuerint; non esse vero de iisdem in specie; quippe quod non doceat fides quod hæ vel illæ indulgentiæ in particulari recte, seu, servatis servandis, concessæ fuerint. Hausta est ea responsio ex Dominico Soto qui ubi hanc quæstionem sibi proposuit: *Utrum quæcumque causa indulgentiarum a Pontifice constituatur, sit habenda tamquam certa, & indubitata?* Eam hisce verbis solvit: *Respondetur tertia conclusione quæ est Cajetani, & Adriani, imo quæ ex omnibus doctoribus colligitur dicentibus causam requiri legitimam. In causis indulgentiarum discernendis potest error accidere, neque ob id Ecclesiæ fides infringitur. Fides enim quæ de indulgentiis Ecclesiæ debetur, est in genere, nempe quod in ea residet authoritas earum conferendarum, & quod si legitima causa eas contulerit, valent quantum sonant. At vero quod hæc vel illa indulgentia ob legitimam causam fuerit concessa, non est catholica fides.... Quare sicut Papa audiens confessionem pœnitentis potest ab illo decipi, ut vel illum absolvat qui absolutione non est dignus, vel minorem pœnitentiam injungat, quam ei deberet imponi; Ita & in collatione indulgentiarum potest decipi in relationibus quæ ei fiunt, & in causis quæ a pœnitentibus allegantur. Imo & potest affectu nimium promoveri ut in gratiam petentium eis morem gerat.*

Objicies 3. Indulgentiæ plenariæ omnibus ac singulis fidelibus nonnumquam conceduntur sub iisdem conditionibus, aliquorum nempe dierum jejuniis, confessione sacramentali, communione Eucharistica, stationibus, eleemosynis quibusdam. Atqui illæ conditiones non sunt opera æqualiter proportionata cum pœnis quæ singulis per plenarias indulgentias remittuntur, cum (ut supponitur) æqualia non sint illorum fidelium crimina. Igitur vel nullitatis arguendæ sunt indulgentiæ hujusmodi, vel dicendum est indulgentias totum effectum, quod promittunt, operari, quamvis opus sub cujus onere conceduntur, proportionem non habeat cum pœna quæ per eas remitti asseritur.

Respondet Estius eo argumento probari rem certissimam, Indulgentiarum nempe quas Plenarias vocant, singulos fideles non fieri æqualiter participes, sed tantum pro proportione quam opus injunctum habet cum pœna quæ peccatis illorum hominum debetur. Solutionem laudatus author confirmat 1. authoritate Bonifacii Papæ VIII. qui ait eum *plus mereri qui devotius & amplius basilicas frequentavit*. Confirmat 2. ex S. Bonaventura, ex quo huncce textum laudat: *Indulgentiæ quantum est ex parte dantis, tantum valent quantum promittunt, nec tamen omnibus valent æqualiter, sed secundum æstimationem quam habuit vel habere debuit qui indulgentiam dedit. Quam æstimationem non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quod dona & miserationes sancti Spiritus dentur cum æquo libramine.* Hinc, ubi Dominicus Soto eos authores quibus placet minimam causam satis esse ad quamcumque indulgentiam, hoc argumento confutavit: *Causa respectum debet habere ad effectum: Ergo si causa ad quascumque indulgentias requiritur, eadem ratione requiritur & proportio ad effectum, ut minoribus indulgentiis minor sufficiat, & majoribus major sit necessaria. Nam si minoribus minor est justa, totus excessus majorum carebit causa, atque adeo idem erit minores sine ulla causa concedere quod majores sine illa quæ proportionem habeat. Porro namque magis prodigus esset qui magna bona absque causa proportionali dispenderet, quam qui parva sine ulla causa.* Ubi (inquam) illud argumentum in eos intorsit, statim subjicit stare illas indulgentias non quidem quoad excessum, sed quoad proportionem illam quæ cum causa remanet: unde cum eadem non sit respectu omnium hominum causæ proportio cum tota pœna cujus remissio per indulgentias promittitur, singuli fideles non fiunt æqualiter participes indulgentiarum quas plenarias vocant: *Esto* (inquit) *causa non sit legitima ut indulgentia tantum valeat quantum sonat, nihilominus nulla est ratio cur non valeat secundum proportionem causæ, ut, si causa sit legitima ut conferantur quadraginta dies indulgentiæ, & conferatur annus, saltem indulgentia valebit pro ratione quadraginta dierum.*

Caput Quintum.

Utrum virtus indulgentiarum reos eximat a convenienti satisfactione?

CErtum est eam esse indulgentiarum virtutem, ut reos eximat aliqua parte satisfactionis, qua alioquin in hoc sæculo, ex divina ordinatione, redimenda esset pœna, quæ in altero debetur; verum quæstio est utrum debito convenientis satisfactionis liberet: ita ut gravissimorum scelerum reus levi satisfactione castigari debeat indulgentiarum tempore.

Conclusio. Indulgentiæ, quantumcumque Plenariæ supponantur, lapsos convenientis satisfactionis debito non eximunt.

Probatur 1. Indulgentiæ, quas hisce temporibus Ecclesia concedit, non alterius sunt speciei quam essent eæ, quæ majores nostri lapsis largiebantur: unde Concilium Tridentinum jubet ut hodiernæ ad veterum formam exigantur. Atqui quæ antiquitus concedebantur indulgentiæ lapsos a lege convenientis satisfactionis non eximebant: Si quidem ordinarie iis tantum concedebantur qui majori ex parte injunctis sibi laboribus perfuncti fuissent: *Ideo peto* (verba sunt Cypriani Martyres alloquentis) *ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello.* Idem videre est in veteribus Conciliis, Nicæno I. Ancyrano, & aliis, quæ ubi de indulgentiis loquuntur, eorum tantum pœnitentium meminere qui pene integrum pœnitentiæ stadium decurrissent: *Cum tempus statutum, etiam ab his fuerit impletum, & orationibus jam cœperint communicare* (quod quidem non fiebat nisi multis annis expletis in pœnitentium stadio) *licebit* (inquit Nicænum Concilium) *humanius circa eos aliquid cogitare.*

Probatur 2. authoritate Cypriani 1. Sanctus Martyr tum libro de lapsis, tum variis Epistolis totus est in confutandis Sacerdotibus qui ad libellos Martyrum lapsos a conveniente satisfactione eximebant: Asserit ejusmodi ministros agere *contra legem Domini, contra Evangelicam disciplinam, contra Evangelii vigorem*. Contendit ea praxi invehi persecutionem priorem multo periculosiorem: *Persecutio est hæc alia, & alia tentatio, ut post culpam criminis tollatur & pœnitentia.* Definit animabus nocere quam maxime eos qui absque conveniente satisfactione indulgentias prodesse contendunt: *Ea concedere quæ in perniciem vertant, decipere est* (inquit libro de Lapsis) *nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam*: Non veretur eos luporum, diabolorum, & carnificum nominibus appellare: *Vitate lupos, vitate linguam diaboli* &c. — Ubi S. Doctor ignavos illos ac sui officii immemores Presbyteros multis insectatus est: Lapsos licet Martyrum libellis munitos monet ne pacem sperent, nisi

conve-

conveniente peccatis satisfactione perfuncti fuerint : *Quam magna delinquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit. Pœnitentia crimine minor non sit. Putasne Dominum cito placari posse, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere voluisti, cujus templum sacrilega contagione violasti? Putas facile eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti?* Eam vero peccatis convenientem satisfactionem non in levi aliquo opere sed in luctu, vigiliis, jejuniis, aliisque carnis macerationibus positum esse contendit: *Orare* (inquit) *oportet impensius & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus.* Hinc S. Martyr eos irridet qui sibi quidem condignam pœnitentiam agere videbantur quod aliquibus pietatis operibus vacarent, sed tamen nec a mundanis cœtibus, nec a conviviis, nec a mollibus indumentis temperabant: *Lamentari eum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus, dominum deprecari, qui ex primo criminis die lavacra cum fœminis celebrat? Qui epulis affluentibus potus, & sagina largiore distentus, cupiditates suas postridie eructat, nec cibos suos & potus cum pauperum necessitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem suam deflet? Cumque scriptum sit: Non corrumpetis effigiem barbæ vestræ, barbam vellit, & faciem suam comit. Et placere nunc cuiquam studet, qui Deo displicet?* Mulieres pœnitentiam cum vano cultu, ac lætitia conjungentes mox sic perstringit: *An illa ingemiscit & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere, nec indumentum Christi quod perdidit cogitare? accipere pretiosa ornamenta, & monilia elaborata, nec divini & cœlestis ornatus damna deflere?* Docet eas quæ vanum illum cultum depereunt, quantumcumque Martyrum libellis donentur, redire non posse in gratiam ex qua exciderunt: *Tu licet indumenta peregrina, & vestes sericas induas, nuda es, auro licet & margaritis gemmisque condecores, sine Christi decore deformis es. Et quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus desine. Et quæ nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lachrymis oculos tuos ablue. Si quem de tuis charis mortalitatis exitu prodidisses, ingemisceres dolenter & fleres, facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto indicia mœroris ostenderes. Animam tuam misera perdidisti, spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis, non jugiter ingemiscis? Non te vel pudore criminis vel continuatione lamentationis abscondis?* — Idem S. Martyr lapsos omnes tum viros tum mulieres hortatur, ut agant plenam pœnitentiam, si velint ut libellorum, quos a Martyribus acceperint, ratio ab Episcopis habeatur. *Quæso vos fratres acquiescite salubribus remediis, consiliis obedite melioribus . . . Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam: nec vos quorumdam moveat aut error improvidus aut stupor vanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga est . . . Injuste sibi placentes, & transpunctæ mentis alienatione dementes Dei præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiam nolunt.* — Nonnullos laudati Martyris ætate lapsos reperire erat, ut & nunc reperiuntur quam plurimi, qui Sacerdotibus subirascerentur, quod ad Martyrum libellos absque condigna satisfactione, indulgentia non donarentur: eos vero sic arguit S. Doctor: *Jacens stantibus, & integris vulneratus minatur, & quod non statim Domini corpus in inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto domini sanguinem bibat, Sacerdotibus sacrilegus irascitur. Atque o tuam nimiam furiosæ dementiam! irasceris ei, qui abs te avertere iram Dei nititur: ei minaris, qui pro te Domini misericordiam deprecatur: qui vulnus tuum sentit quod ipse non sentis: qui pro te lachrymas fundit, quas ipse forsitan non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas! Et cum sis ipse implacabilis ad antistites Dei, putas circa te Dominum posse placari. Accipe potius, admitte quæ loquimur.*

Probatur 3. ratione. Indulgentiæ quantitas in eo cui Ecclesiæ thesaurus in satisfactionem applicatur, præsupponit opus cum ea quantitate proportionatum (ut præcedenti capite demonstratum est:) Ergo & pœnitentiam quæ illi quantitati conveniens sit; unde concilium Aquense quod anno 1583. habitum est, asserit ministrum qui indulgentias largitur, esse satisfactionis & pœnitentiæ præconem: *Ut cœlestem* (inquit) *eum Ecclesiæ thesaurum, spiritualiaque munera exponi omnes intelligant non ad quæstum, sed ad peccatorum satisfactionem, & ad pietatis exercitationem.*

Juenin de Sacram.

Confirmatur ea ratio ex Cypriano qui ad calcem libri de lapsis expresse asserit; iis tantum prodesse indulgentiam qui debitis pœnitentiæ operibus incumbunt: *Pœnitenti, operanti, roganti potest* (Deus) *clementer ignoscere, potest acceptum ferre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Huc pertinent argumenta omnia quibus superius probatum est indulgentiis enervari non debere disciplinam Ecclesiasticam, excuti non debere de pectoribus pœnitentiam. At disciplina Ecclesiastica enervaretur haud dubie si indulgentiæ a satisfactione peccatis conveniente lapsos eximerent, excussa esset de fidelium pectoribus pœnitentia; aliquot nempe dierum jejuniis, stationibus facillimis, paucissimis eleemosynis, brevi oratione redimaretur tota pœna, quæ gravissimis ac iteratis flagitiis jure divino debetur: Eo vero majoris est ponderis illud argumentum, quod indulgentiæ plenariæ sæpius hisce temporibus occurrant.

Solvuntur argumenta, quibus nonnulli probant indulgentias quæ nunc conceduntur, lapsos a conveniente satisfactione eximere.

Objicies 1. Cypriani tempore lapsi qui Martyrum libellis muniti essent, indulgentiis donabantur in ultima vitæ periodo, licet sani nulla pœnitentia perfuncti fuissent: *Eorum autem* (inquit Clerus Romanus ad Cyprianum rescribens Epist. 31.) *quorum vita sua finem urgens exitus dilationem non potest ferre, acta pœnitentia* (& quidem brevissima cum vitæ exitus immineret) *& professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute & sollicite subveniri &c.* Ergo absque conveniente satisfactione indulgentiæ totum suum effectum consequuntur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia lapsis hujusmodi non concedebantur indulgentiæ nisi ea lege ut si sanitati restituerentur, conveniente peccatis satisfactione, iis etiam in exitu constitutis imposita, perfungerentur: *Qui libellum a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt,* (inquit Cyprianus) *si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta & manu a vobis in pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* Itaque in iis hominibus de quibus agitur, indulgentiæ ideo totum suum effectum operabantur, quod præter vehementem animi contritionem adesset verum ac sincerum propositum condigne Deo satisfaciendi, si sanitati restituerentur.

Objicies 2. Si, etiam ubi indulgentiæ plenariæ conceduntur, conveniens peccatis satisfactio peragi deberet, fideles nullum ex illis indulgentiis fructum perciperent: cum alioquin conveniens satisfactio totam pœnam peccatis in altero sæculo debitam expungat.

Respond. convenientis satisfactionis nomine hic non intelligi eam quæ pœnam temporalem in altero sæculo debitam adæquet, seu qua in hoc sæculo persoluta ordinarie redimatur ea quæ in altero debetur: sola enim pœnitentia canonica, seu antiquis canonibus præscripta, ea ratione (ut nobis videtur) conveniens dicitur, sed nomen convenientis satisfactionis hic usurpatur pro pœna quæ aliquam cum gravitate peccati proportionem habeat: ita ut etiamsi minor sit ea quam Canones injungunt, tamen leve non

sit aliquod opus, sed ejus sit naturæ, cui hæc conveniant quæ Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. quibusque satisfactionibus convenire debere decernit : *Procul dubio magnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis & vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt . . . . Accedit ad hæc quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur . . . Habeant autem præ oculis* (Sacerdotes) *ut satisfactio quam imponunt non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* Itaque ut satisfactio conveniens sit necesse est primo, ut pœnitentem a perpetrandis deinceps criminibus coerceat : secundo ut apta sit tollendis pravis habitibus perdite vivendo comparatis : tertio ut pœnitentem Christi patienti conformem efficiat : quarto ut vere de ea dici possit quod sit in vindictam & castigationem præteritorum peccatorum : quinto denique ut accedat ad acerbitatem earum quibus ii pœnitentes de quibus Scriptura loquitur pœnæ sibi imminentis remissionem impetrarunt : *Neque vero*, (ait loco mox laudato Concilium Tridentinum) *securior illa via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentarent.* Si eas omnes conditiones habeat pœnitentia quæ indulgentiarum plenariarum tempore injungitur, non dubitamus quin indulgentiæ multum effectum in lapsis operentur. An autem ejusmodi sit ea quam nonnulli molliores ministri his temporibus gravissimorum scelerum reis imponunt, necesse non est ut expendamus, cum res ipsa cuique cordato pateat.

Objicies tertio. Aliqui scriptores docent indulgentias plenarias lapsos eximere a conveniente peccatis pœnitentia: unde inferunt pœnitentiæ ministrum posse indulgentiarum tempore, aut temperare ab injungenda aliqua satisfactione, aut si aliquam imponat, posse levissimam, etiam pro gravissimis delictis, injungere.

Resp. Cypriani tempore extitisse ministros qui ad libellos Martyrum lapsos eximebant pœnitentia. Verum audiant adversarii quibus encomiis tum libro de Lapsis tum variis Epistolis S. Doctor eos celebret. Asserit eos suæ ætatis ministros, non pastores esse sed lanios : *Ne qui ovium pastores esse debent, lanii fiant.* Eos vocari vult lupos, non autem custodes ovium ; *Vitate lupos.* Linguam eorum non Sacerdotis, sed diaboli linguam esse. *Vitate linguam diaboli, mentitur ut fallat, blanditur ut noceat, bona promittit ut malum tribuat, vitam pollicetur ut perimat.* Non prudentes pastores sed temerarios homines appellat : *Contra Evangelii vigorem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio.* Docet lapsis nocere eos quam maxime : *Hos sunt ejusmodi lapsis quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.* Assertionem suam Cyprianus hocce ratiocinio confirmat, quod, cum homo Deo major non sit, & Deus stata lege decreverit nemini remittere pœnam nisi aut actualis, aut habitæ in voto pœnitentiæ convenientes ac condigni fructus eam expunxerint, sequatur Sacerdotes qui iis fructibus, iis laboribus lapsos per indulgentias penitus eximunt, animarum esse non doctores sed deceptores. *Nemo se fallat*, (inquit libro de Lapsis) *nemo decipiat. Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quæ in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major, nec remittere aut donare indulgentia sua ; servus potest quod in Dominum delicto graviore commissum est, ne adhuc lapso & hoc accedat ad crimen, si nesciat esse prædictum : Maledictus homo qui spem habet in homine, Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est.* Illi ministri quos (ut mox observatum est) tam dure Cyprianus increpat, causabantur haberi debere rationem S. Martyrum qui pacem absque satisfactione conveniente lapsis dari per suos libellos petierant, quemadmodum & Sacerdotes quos hic confutamus, sub indulgentiarum obtentu contendunt lapsos eximi debere a satisfactione quæ cum peccatis proportionem habeat : Verum illi excusationi sic libro de Lapsis idem Cyprianus occurrit ; *Mandant aliquid Martyres fieri ? si justa, si licita, si non contra ipsum Dominum, a Dei Sacerdote facienda sunt. Mandant aliquid Martyres fieri ? Sed si scripta non sunt in Domini lege quæ mandant, ante est ut sciamus illos de Deo impetrasse quod postulant, tunc facere quod mandant ; neque enim statim videri potest de divina majestate concessum, quod fuerit humana pollicitatione promissum.* Confirmat ex eo quod Evangelium mutare minime possit, ac proinde cum edicat nemini peccatum remittendum esse sine condignis pœnitentiæ operibus, revera absque eis aut actu aut in voto peractis, non remittatur, licet Martyres id libellis suis petierint : *Non potest Evangelium in parte consistere, & in parte nutare. Aut utrumque oportet ut valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. Si negantes, rei criminis non erunt, nec confitentes, præmium virtutis accipient. Porro si fides quæ vicerit, coronatur, necesse est ut victa perfidia puniatur. Ita Martyres aut nihil possunt, si Evangelium solvi potest : aut si Evangelium non potest solvi, contra Evangelium facere non possunt qui de Evangelio Martyres fiunt.*



QUÆSTIO SEXTA.

De conditionibus obtinendæ indulgentiæ necessariis.

DIcemus hic primo de contritione, de Confessione & de Satisfactione. Secundo de Stationibus, de jejunio, de eleemosyna : Ea nimirum omnia passim recensentur in bullis Pontificiis quibus Indulgentiæ promulgantur. 3. quæremus an status gratiæ justificantis requiratur.

CAPUT QUINTUM.

De Contritione, Confessione, & Satisfactione ad indulgentiam obtinendam necessaria.

COnclusio prima. Contritio necessaria est impio ut indulgentiarum fructum percipiat.

Probatur primo. Deus non potest non odisse impium qui minime contritus est : Nec mirum, cum impius ille creaturam plus amet quam Deum. Non potest igitur pœnam peccatis illius debitam remittere. 2. Indulgentiæ quas Cyprianus commendavit, nullis aliis concedebantur quam iis qui peccatum vere detestarentur : *Confiteantur* (ait S. Martyr libro de lapsis) *singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui delinquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio, & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur.* Concilium Nicænum primum vult Episcopum cum iis tantum humanius agere, seu iis solum indulgentias concedere, *Qui* (ut ait can. 12. ex interpretatione Dionysii Exigui) *metu & lacrymis, atque patientia vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam non simulatione demonstrant.* Tertio, Diplomata quibus indulgentiæ conceduntur, Contritionis meminerunt tamquam conditionis quæ absolute necessaria sit ut quis earum fructum consequatur. *Contritis* (inquiunt) *ac vere pœnitentibus* ; legere est ea de re bullam, qua a Nicolao Papa V. Jubilæum anni 1450.

pro-

promulgatum est; ea nimirum expresse asseritur jubilæi beneficium iis indulgere qui veris pœnitentiæ doloribus, humiliationibus, gemitibus, cordis contritione, eleemosynis in Dei gratiam redierint.

Conclusio 2. Confessio Sacramentalis aliquando necessaria est ad obtinendam indulgentiam; aliquando vero minime requiritur.

Probatur primo. Certum est confessionem sacramentalem esse necessariam eorum respectu qui jacent in peccato mortali; neque enim ordinarie absque ejusmodi confessione impius consequitur gratiæ statum, sine quo tamen (ut dicetur inferius) indulgentiarum fructus percipi non potest. Secundo. Non est quoque dubium quin, etiam justorum respectu, requiratur confessio sacramentalis, cum a Pontificibus injungitur tamquam pars operis sub cujus conditione indulgentiæ conceduntur. Tertio. Constat eamdem confessionem non esse justis necessariam cum præscribitur tamquam mera dispositio, seu medium ad consequendum statum gratiæ. Quando autem requiratur aut tamquam pars injuncti operis, aut tamquam mera ad justificationem dispositio dubium est inter Theologos. Sylvius censet requiri tamquam partem operis injuncti quando iis tantum indulgentia conceditur qui confessionem præmiserint, cum vero contritis & confessis (ut passim fit) conceditur, docet idem anthor probabilius esse quod per modum meræ dispositionis requiratur. — Movetur a nonnullis quæstio an impiorum respectu confessio generalis necessaria sit: Dubium illud nititur bullarum formula, qua dicitur concedi indulgentiam omnium peccatorum, de quibus pœnitens fuerit contritus, & quæ confessus fuerit. Verum eo etiam in casu, ejusdem Sylvii ac aliorum Theologorum sententia, generalis confessio non requiritur. Nec enim ea formula asseritur quod pœnitens *de novo* debeat esse contritus de omnibus peccatis præteritis, & quod ea *rursus* confiteri teneatur.

Quæres, cuinam Sacerdoti fieri debeat confessio ad indulgentiam obtinendam necessaria?

Resp. Jubilæi tempore fieri posse cuique Sacerdoti ex approbatis ab Ordinario. Is autem Sacerdos Jubilæi, non autem aliarum indulgentiarum licet plenariarum tempore, facultatem habet absolvendi ab omnibus omnino casibus sive Pontifici Maximo, sive Ordinario reservatis. Idem Sacerdos absque Jubilæi dispendio potest, imo debet, absolutionem in aliud tempus differre, si pœnitens peccandi consuetudine implicatus sit, aut propter aliquam aliam causam non sit, ut par est, ad eam recipiendam dispositus.

Conclusio tertia. Satisfactio aut actualis aut in voto, & quidem quæ peccatorum gravitati aliquo modo sit conveniens, necessaria est ut quis indulgentias obtineat.

Probatur primo. Iis omnibus argumentis quibus capite quarto quæstionis quintæ ostensum est indulgentias, quantumcumque plenariæ supponantur, impium eximere quidem parte pœnitentiæ quæ juxta canones imponi deberet, non eximere vero pœnitentia alioqnin peccatis conveniente ac proportionata. Secundo. Contritio ut superius dictum est, absolute requiritur ut impius indulgentiam consequatur. At vera contritio essentialiter includit satisfaciendi propositum.

CAPUT SECUNDUM.

De Stationibus, jejuniis, eleemosyna passim indulgentiæ obtinendæ necessariis.

Conclusio prima. Ut quis Jubilæi anni, quem *Sanctum* vocant, indulgentias obtineat, saltem per dies quindecim plures Romæ basilicas debet invisere.

Probatur ex eo quod ea tantum conditione Romani Pontifices illius anni Jubilæum indulgeant. Primo Bonifacius Papa VIII. a quo (ut suo loco dictum est) Jubilæum primum expressa Constitutione promulgatum est, injungit ut eo anno Basilicæ SS. Petri & Pauli invisantur. Secundo. S Joannis Lateranensis templum a Clemente Papa VI. additum est. Gregorius Papa XI. voluit quoque ut sanctæ Mariæ Majoris basilica inviseretur.

Monitum hic velim Lectorem quod longe ante laudatos Pontifices fidelium pietas in Petri & Pauli basilicas eluxerit: *Habet Roma* (inquit Theodoretus ad S. Leonem scribens) *communium quoque Patrum & veritatis Doctorum Petri & Pauli sepulchra, quæ fidelium animos illuminant.* Gregorius Magnus lib. 3. Epist. 30. hæc de eodem argumento scribit: *Corpora sanctorum Petri & Pauli tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi.* Hæc etiam habet Chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum: *Multo cæteris regalibus sepulchris hæc monumenta sunt clariora. Nam illic quidem magna solitudo, hic autem magnus concursus.* Iterum eumdem Lectorem monitum velim Principes Religiosos solitarios, nec non senes, infirmos carceribus conclusos ejusdem anni Sancti Jubilæum obtinere posse, quamvis Romam minime proficiscantur; Id nempe ab Alexandro Papa VII. in bulla quæ incipit, *Inter curas*, expresse declaratum est. Tandem observet idem Lector Pontifices Romanos, expleto anno Sancto, solitos esse Jubilæum ad alias orbis Christiani provincias extendere: ita ut licet fideles Romam profecti non fuerint, Jubilæi indulgentiam sub onere conditionum, quas Papa proposuerit, obtineant.

Conclusio secunda. Celebrandæ sunt Stationes quædam ad obtinendum Jubilæi beneficium.

Probatur. Sub earum stationum onere Jubilæi indulgentiæ promulgantur. Eæ vero Stationes Romæ celebrari debent quas Papa præscripserit; In aliis Orbis Christiani provinciis eæ quæ locorum Ordinarii determinaverint. Quanta autem pietate, quo ordine, qua forma, prioribus Ecclesiæ sæculis stationes celebrarentur, docendi sunt fideles, ut si eam pietatem, ordinem, ac formam adamussim non servent, ad ea saltem conentur quantum patitur horum temporum infirmitas, & ut pudore suffundantur qui deberi sibi indulgentias putant quod oretenus in templis oratiunculas recitarint. — De iis veterum stationibus Tertullianus agit lib. de jejunio cap. 10. ubi docet 1. quod quemadmodum milites excubias agunt, & a suis stationibus, etiamsi vitæ periculum immineat, non discedunt: ita & Christiani certis diebus se se templis concludunt, ut de actis atque agendis sedulo cogitent, præcaveantque callidissimi hostis insidias: *Milites* (inquit) *nunquam immemores Sacramenti magis stationibus parent, &c.* Docet 2. stationes illas diebus Mercurii & Veneris solitas fuisse celebrari: *Cur stationibus* (inquit Catholicos compellans) *quartam & sextam Sabbati dicamus.* Docet 3. stationes ejusmodi ad nonam horam usque, seu, ad tertiam pomeridianam ut nunc loquendi mos invaluit productas fuisse: *Hæc autem propter illos qui se putant ex forma Petri agere quam ignorant* (loquitur de hora nona qua Petrus Actorum 11. dicitur ingressus in templum ut oraret) *non quasi respuamus nonam, cui & quarta Sabbati & sexta plurimum fungimur.* Docet 4. fideles illas stationes jejunos celebrasse, ac post horam nonam iis diebus arido pane & mera aqua usos fuisse ad Davidis exemplum, qui (ut ait) *tali victu exomologesim suam expressit, cinerem quidem edens velut panem, id est panem velut cinerem aridum & sordidum, potum vero fletu miscens, utique pro vino, habet enim & abstinentia vini suos titulos.*

Conclusio tertia. Tres ut plurimum unius hebdomadæ dies jejunio consecrari debent, ab eo qui Jubilæi indulgentiam ambit.

Probatur ex eo quod illud jejunium præscribant Episcopi, cum Jubilæi diploma Pontificium promulgant. Nec immerito penitentiæ indulgentiis necessariæ jejunium conjungitur, cum (Basilio teste) penitentia sine jejunio vacua sit. Unde Spiritus sanctus dum impios hortatur ad penitentiam, jejunii meminit: *In jejunio & fletu & planctu scindite corda vestra & non vestimenta vestra*: quo quidem ex textu hanc conclusionem elicit Cyprianus libro de Lapsis: *Iram & offensam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, sicut admonet ipse, placemus.*

Cæterum non est necesse ut hic moneamus tribus jejunii diebus quemque fidelem jubilæi quidem bullæ facere satis, sed iis omnino non placari divinam justitiam eorum respectu, qui rei sunt criminum quibus acerbior penitentia debetur: unde brevi illo jejunio plenariam ju-

jubilæi indulgentiam non consequuntur, nisi convenientem peccatorum gravitati satisfactionem aut in re egerint, aut ex animo se ea persuncturos proponat. Nec opus est pariter monere illud trium dierum jejunium iis impiis non prodesse qui de aliis jejuniis ab Ecclesia præscriptis cætera anni parte minime eurant: nec enim ii homines liberi sunt ab affectu peccandi ac proinde contritione carent, quæ tamen indulgentiæ obtinendæ penitus est necessaria.

Conclusio quarta. Merito quædam eleemosynæ præscribuntur ad consequendum jubilæi beneficium.

Probatur primo. Eleemosyna (Scriptura teste) peccatum delet: sicut aqua ignem extinguit. Daniel Regi Nabuchodonosor hoc dedit consilium: *Peccata tua eleemosynis redime*: Eam autem vim habet si (ut Augustinus observat Serm. 23.) impius simul cum pecunia Deo cor suum, sive affectum dominantem consecraverit. Pontifices merito jubilæi indulgentiam sub eleemosynarum onere fidelibus concedunt: nempe erogatio eleemosynæ actus est virtutis quæ avaritiæ malorum omnium radici opposita est. Cypriani tempore Patrimonii amor pluribus turpis apostasiæ occasioni fuerat: *Decipit multos* (inquit lib. de Lapsis) *patrimonii sui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ, vel compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta & anima præclusa.* S. Martyr vult ut fideles tanto malo per ejusdem patrimonii erogationem in pauperes medeantur: *Oportet* (inquit ad ejusdem libri calcem) *eleemosynis frequenter insistere quibus a morte animæ liberantur; quod adversarius auferebat, Christus accipiat: nec teneri jam nec amari patrimonium debet quo quis & deceptus & victus est. Pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus & venenda. Ad hoc tantum profuerit quod remansit, ut inde crimen & culpa redimatur. Census omnis in medelam vulneris erogetur opibus & facultatibus nostris, qui de nobis judicaturus est, Domino fœneretur.*

Non est hic omittendum hoc esse jubilæum inter & cæteras indulgentias plenarias discrimen, quod onera ad jubilæum obtinendum præscripta, mutari possint in alia, eorum respectu quibus præ infirmitate, aut alia legitima causa, executio moraliter impossibilis est.

CAPUT TERTIUM.

Utrum status gratiæ accessarius sit ad consequendum indulgentiæ fructum?

Conclusio. Status gratiæ requiritur ut quis indulgentiæ fructum consequatur.

Probatur. Per indulgentias (ut suo loco dictum est) remittitur pœna temporalis quæ non tantum in foro Ecclesiæ, sed etiam coram Deo peccatis debetur. Atqui hujusmodi pœna iis tantum remittitur qui sunt in statu gratiæ sanctificantis: iis nempe qui adhuc jacent in statu peccati mortalis, culpa nondum est dimissa; ergo nec eis potest pœna remitti, nec enim peccati pœna, manente culpa, dimittitur.

Objicies. Antiquitus indulgentiæ concedebantur, antequam pœnitens reconciliatione donaretur, seu, Majores nostri debitæ satisfactionis parte lapsos eximebant antequam eis sacramentalem absolutionem impenderent. Ergo & antequam gratiæ sanctificantis statum consecuti fuissent: nec enim ante actualem absolutionem eum ordinarie adipiscebantur. Antecedens patet ex eo quod passim totius satisfactionis canonicæ persolutio sacramentali absolutioni præmitti soleret, ut de satisfactione agentes fuse demonstravimus. Idem quoque evincitur tum ex Cypriano lib. de Lapsis, tum ex Conciliis quorum auctoritate usi sumus ut indulgentias concedendi potestatem Ecclesiæ contra hæreticos assereremus.

Resp. ratam non fuisse coram Deo illam quam majores nostri indulgebant pœnæ relaxationem, seu, suum coram Deo effectum non sortiebatur nisi in ipsa sacramentali absolutione, quæ quidem sola (ut dictum est) pœnitentem a pœnæ æternæ debito eximebat.

Quæres quo instanti necessarius sit status gratiæ sanctificantis ut quis indulgentiam, seu, pœnæ temporalis coram Deo debitæ, remissionem consequatur?

Resp. primo, requiri eo instanti quo pœnitens ex operibus per bullam injunctis ultimum exequitur. Ratio est, quia eo tantum instanti percipitur indulgentiæ fructus; nec enim percipitur antequam singulæ conditiones, quæ in bulla Pontificia præscriptæ sunt, adimpletæ fuerint: Ergo si quis tunc non sit in statu gratiæ, non obtinet indulgentiam, cum pœna temporalis eis non relaxetur, qui æternæ adhoc reus est.

Respondeo secundo, gratiæ statum non requiri, aut cum indulgentiæ promulgantur, aut cum stationes, jejunia, eleemosynæ a Pontificibus præscriptæ, executioni mandantur. Ratio est, quia se habent injuncta ejusmodi onera, sicut labores qui antiquis pœnitentibus imponebantur: eorum enim laborum, saltem ex parte, vices gerunt. Ergo quemadmodum non erat necesse ut lapsi iis laboribus in statu gratiæ persuncti fuissent, ut indulgentias consequerentur: ita nec requiritur, ut pœnitentes opera bullis Pontificiis præscripta exequantur in statu gratiæ. Verum sicut ad earumdem indulgentiarum elargitionem majores nostri exigebant, ut lapsi præcipuam injunctorum laborum partem absque affectu ad peccatum mortale exolvissent, ac zelo suo & diligentia non verbis tantum, sed operibus conversionem suam probassent: ita nunc exposcit Ecclesia ut onera quæ satisfactionis canonicæ, saltem ex parte, locum tenent, animo vere pœnitenti, seu, ab affectu læthalis peccati libero adimpleta fuerint. Confirmatur ea responsio tum ex iis quæ de satisfactione, agentes de Pœnitentiæ Sacramento, diximus, tum ex Cypriano, quem (ut hujusce dissertationis initio observatum est) indulgentiarum sapientissimum Doctorem ac magistrum Ecclesia Catholica veneratur: S. Martyr libro de lapsis explicans quibus operibus lapsus indulgentias promereri possit non quibuscumque operibus, sed factis animo vere pœnitenti eas obtineri definit: *Si precem* (inquit) *toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus, & lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis & continuis operibus inflectat . . . . . potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest acceptum ferre quidquid pro talibus & petierint Martyres & fecerint Sacerdotes, qui sic Deo satisfecerit, quam contristaverat nuper, lætam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.*

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERUM, ET VERBORUM

Quæ in hocce Opere continentur.

Littera P *paginam denotat*, *litera* C *columnam*.

Non

nocen-

am-

Con-

Diptycha

Cre-

aliam

Reperi-

L

Laici.

M

Magdalena.

Missa.

eos

Spon-

FINIS.

INDEX
DISSERTATIONUM,
Quæstionum, Capitum, Articulorum, & Paragraphorum,

Quæ continentur in Commentario Historico & Dogmatico de Sacramentis.

Index Dissertationum,

Cap. IV.

§. II

§. I.

Quæst. VII.

Profe-

Art.III.

COM-

